
3

9
17 F
8



T. L I V I I
P A T A V I N I



Latinæ historiæ facilè principis tres, cum dimidia, quæ solæ extant, Decades, longè omnium, quæ hactenus exierint emendatissimæ.

Accessere marginales aliquot annotatiunculæ, quibus priscorum Romanorum pecuniæ, ad nostri temporis rationem æstimantur.

ADIECTAE SVNT PRAETEREA DOCTORVM quorundam virorum, in Tit. Liuium lucubrationes, quarum catalogum sequens pagina indicabit.



[illegible] in Coll. Rom.



L V G D V N I,

Apud Antonium Vincentium,

M. D. L I I I.

DE VTILITATE LEGENDAE HISTORIAE, SIMON GRYNAEVS LECTORI.



SI quàm certa habet ad vitam documenta historia, tam ea sit excerpere, & vsurpare cuiuis expeditũ, mortalibus omnibus rectà proximáque in vberrimos & fructuosissimos historiæ campos sine mora irrumpendum iudicaremus. Quid enim vel iucundius vel vtilius cogitari potest, quàm in humanæ vitæ theatro (quod illa partibus omnibus mire instructum habet) sedentem, periculis aliorum, sine suo periculo, cautum sapientémque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vsum tuum vtiliter qualibet in re traducas: cúmque maximorum hominum de summis rebus maximis consiliis interfueris, id quod cupidissime homines auemus, eorundem etiam euentibus interesse: & quod per angustiam vitæ hominum impossibile sit alioqui, secula tota memoria coniungere: maximorum imperium auspicia, progressus, & finem videre: malorum seu priuatorum seu publicorum causas liquide cognoscere: in omni ardua magnáque re qui ante te periclitetur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec vsquam experimento certo destitui: ac vt in summa dicam, è retroactis (quod proprie sapientis viri officium est) futura scienter in omnes euentus prospicere, præsentia iudicare? Sed enim cum tanto instructiores accedere deceat, quanto fructibus vberioribus grauior historia est & fœcundior: cúmque difficultas sit eadem & de sua, & de aliorum vita recte iudicandi: nec alienam quisquam, quantumuis perspicaces hic simus, intueri recte possit, qui non potest suam: vtrunque intelligitur, & summam hic difficultatem versari, & multo antequam huc accedamus, non solum prudentia quadam ciuili tinctos, sed vitæ totius certo proposito firmatos esse oportere: ni fluctuare animis, & misere spectris vitæ inanibus circunduci perpetuo velimus. Quemadmodum enim in amplissimo maximéque multiplici & omnigenis cupediis referto conuiuio fit, vt quanquam aliud aliis, paucis eadem, sua cuique, voracibus omnia probentur, ac prout quisque palato est, sic præsenti lautitia afficiatur: tamen & modus sit aliquis, quem posuit natura, & alimenti genus certum, simpléxque, & incorruptum maxime, maxime corporibus idoneum: à quorum alterutro quisquis discedit, & vltra vel modum vel iudicium naturæ sibi indulget, incommodi plus ex istis voluptatibus, quàm voluptatis reportet: sic in illa totius vitæ humanæ diuersitate, quanquam mille species, mille proposita sunt, ac qualiter est animo quisque, & iudicio comparatus, sic de vita vel sua, vel aliena sentiat: tamen vnica virtutis veræ callis est, quam qui scienter tenet, recte vita solus vtitur: cæteri quemadmodum illi in cœna dubia, cum omnia inuitent, quid potissimum sequantur, quo tendant, nec in sua ipsorum, nec in aliena inuenire vita possunt vnquam. Ac si quicquam est natura datum homini, quo recte vti contráve liceat, hac vti circunspectissime decebat. Quotu s autem quisque est, obsecro, qui in omnia dicta, facta vel sua vel aliena, regula virtutis adhibita, cautius quàm in cibos positos animaduertat, quíque se in isto quidem negotio non satis putet doctum? Qua quide m in re mirum est quàm se fallant homines, dum historiam putant esse quæ doceat legentem: qu m ea materiam discendi tantum suppeditans, sic, quemadmodum conuiuium illud, talem vnicuique præbeat vsum, qualiter ipsus est animo affectus. Alios igitur suauitate lectionis abduci videmus, & voluptatem secutos, fructus illos pulcherrimos amittere. Iis ex omni historia non amplius quæri tur, quàm quod ad citharæ cantum ocia fallentibus: scilicet molestiam temporis discutiunt, maio . cum molestia mox conflictaturi. Nulla enim voluptas est, quæ non respicit virtutem. Alios ill fulgens gloriæ species tantum sollicitat, ac (quæ cæteris in rebus animi flexibilitas est) in omnem eminentem & excelsam imaginem frustra transformat, oblitos non aliò gloriosa exempla scriptoribus posita, quàm vt virtutem secuti, gloriam ipsi quoque (si nulla offeratur) contemnere: sin comes addatur, non insolentibus animis perferre queamus. Ac cum ad similem gloriam aspirare sine simili virtute nemo nisi stultus instituat, plerosque tamen videmus, tantum quia præclaras res legerunt, arduum quiddam sapere, multum sibi arrogare: tragœdis istis similes, qui personarum quas amplissimas præferebant, etiam posito habitu mores imitantur. Sunt etiam, atque hi non pauci, quos noua miráque sola oblectant, plebeiis animis homines, qui imperitorũ more persæpe pluris purpuram quàm virum, emblemata quàm opus ipsum faciunt. Adeo miram vim in animis legentium historia exercet. Iam cum excitare socordiam humanam, & aduersus pericula communire, vel maxime propositum historiæ sit, & exemplorum (quibus ad suadendum nihil potentius est) vis eò maxime tendat: securitate hominum, nihil ad se aliena pericula pertinere credentiũ, fit, vt surda iacentéque aure memorabilissimæ res audiantur, legantúrque. Denique sunt etiam qui (quod minime putes) in illam ipsam seuerioris lectionis partem delinquant, quasi nõ vt gestæ sunt, sed vt geri oportebat res, sic scribi quoque deceat. Igitur ex illa securitate partim, partim crapula lectionis promiscuæ & temerariæ, fit, velut ex humoribus corruptis, vt quædam iudicii καχεξία, & opinionis, quam de vita rectissimam & sanam esse maxime decebat, ἀνωμαλία, lubricúmque vitæ propositum contrahatur: ac vt intemperantibus nil proficit alimentum, sic ad nos lectionis vtilitas prorsus veniat nulla. Vides arbitror, quonam pacto legendi historiã, & vitam cuique suam inspiciendi, ratio sit propemodum par. Ac prima quidem hæc difficultas est, iudicii nostri per-

uersitas inquam: quæ facit vt non quà maximam ex sese vim habere exempla decet, sed quà maxime inclinat propendétque animus, impellamur. Est verò & illa non minor, quod res gestas sic scriptores apponunt, vt non solum gratiam aliquam capteut, sed palatum ipsi quoque suum secuti, ac veluti structores quidam, iudicium suum interponentes, vltro quædam laudibus tollant, ac quicquid videtur ipsis, nobis quoque sectandum putent. Quod quidem si facerent simpliciter, consentire dissentiréve facilius sit. Nunc quemadmodum coqui gulam sæpius quàm commodum heri spectant, ita lectorem etiam historicus vtinam non magna ex parte captaret. Igitur bifariam iam, & nostro iudicio, & præiudicio scriptorum, persæpe circunducimur, vt qui non nudas res scribant. interpres enim gestarum rerum historicus est: cuius iudicium si vitio laborat, perinde fit vt cum vinum ex sese generosum & nobile graueolentiam vel è vase contrahit, vel alioqui lenocinio deprauatur. quæ res vel impostura, vel inscitia maxima est, & intoleranda. Videre vno tantum exemplo licet, quid intersit iudicium scriptoris. Prophanus, consilio & industriæ hominum, magnarum rerum euenta tribuens, quanquam mentiri se tot euentibus expertus, in miram stultitiam conicit homines: vt quorum omnis notitia vix oculis subiectarum rerum considerationi sufficiens, vis autem & robur non longe vermiculos supergrediens, ab vno leuíque successu, terrarum orbis administrationem arroget sibi. sed initiatus ille secus, humano consilio geri res quidem, sed diuino moderari docens, & stultitia liberat homines, & superstitione, malo non minore, Per cætera quid inter se generibus officiorum distent, debet esse bonis quidem (qoorum sacra omnia studia sunt) non ignotum. Hæc primum eò moneo, vt quum censeam id genus authores vel propter immensam exemplorum innumerabilium vim quammaxime legendos, etiam hoc iuuenes cogitent, quàm velint circunspecte solicitéque legi, propositis tantis vel fructibus, vel periculis. Perinde enim euenit, si quis vel historiam obiter adeundam, vel vitam ipsam temere, & citra exactam officiorum omnium conseruationem transigendam ducat, quod rusticis qui cum in vicinæ vrbis populatione, pharmacopolium quoddam instructissimum diriperent, & suauitate bellariorum aromatúmque in quæ primum inciderant, illecti, cæteráque generis eiusdem rati, omnia haurirent, sorberent, vorarent, glutirent, alii correpti morbo, alii phrenesi, plerique exanimati sint, nemo non miris modis affectus, risus exercitu toto obortus. Aeque enim commodis, incommodis, vt vita, sic vitæ imago historia scatet: in vsu tantum vitæ, sita vitæ prudentia totius est. Vale, & his bene fruere.

BARTHOLOMEVS MARLIANVS EQVES D. PETRI, DE ORIGINE VRBIS ROMAE.



VONIAM in hac Vrbis descriptione, de quibusdam locis & ædificiis ante Vrbem conditam excitatis, nonnunquam erit dicendum: operæpretium fore arbitramur, etiam de illis populis & regibus, qui tunc deinceps hanc tenuere regionem, quàm paucis fieri poterit, loqui. Sic enim fiet, vt primum à quibus ædificia posita fuerint, melius intelligamus: deinde, à quàm paruis initiis vrbs Roma originem traxerit, ad eámque creuerit magnitudinem, vt nihil illi par, aut secundum, in toto orbe terrarum inueniretur. Romanæ igitur vrbis regionem Siculi primi omniũ tenuere: antea vero habitatáne fuerit, an deserta, nihil est quod affirmare possimus. Mox Aborigenes, duce Oenotro Lycaonis filio, ex Arcadia ad inquisitionem agri melioris sponte huc profecti, illis expulsis, locum occuparunt. Quibus deinde Pelasgi, & aliorum Græcorum quidam errabundi, profugíque ex Thessalia, admixti, auxilio eis ad bella cum populis finitimis fuere. Permanserunt autem in his sedibus vsque ad bellum Troianum, priscam illam Aboriginum appellationem seruantes. Horum autem regem Saturnum fuisse memorant: qoi cùm Cretæ imperaret, habens cum Ioue filio de agris contentionem, bello expulsus in Italiam venit: & cùm cultum vinearum, & falcis vsum Ianum docuisset, ab eo in partem imperii est admissus. Cæterum Iano defuncto, ad eum solum imperium peruenit. Annis deinde sexaginta ante res Troianas, ferunt Arcades ex vrbe Palantio exeũtes, sedémque duce Euandro quærentes, in hunc locum vbi nunc Roma est, delatos, à Faunóque Aboriginum rege & benigne susceptos esse, & agri portionem accepisse: illósque, colle haud procul à Tyberi electo, struxisse Castellum, Palantiúmque à metropoli eorum in Arcadia appellasse. Paucis verò annis interpositis, aliam classem Græcam, ducente Hercule, eandem tenuisse regionem: ex hísque quosdam missionem ab eo precatos, in colle qui tunc Saturnius dicebatur, posuisse sedem. Hos, Peloponnenses, & qui ex Elide profecti fuerant, Phanetas, & Epios fuisse comperio: quibus nullum erat amplius desiderium reditus, euersa eorum patria ab ipso Hercule. Hi aliquandiu rem suam separatim administrarunt. Cæterũ haud ita multo post, victum, leges, sacra cum Aboriginibus conferentes, sicuti Arcades, & prius Pelasgi fecerant, ciuitatis eiusdem participes facti sunt. Secunda vero ætate, post Herculis profectionem, Latino ex filia Fauni regnante, Aeneas in Italiam venit: qui cum statim prælio fuisset exceptus, in aciémque iam exercitum duxisset, ad colloquium à Latino fuit vocatus: in quo tantam sui admirationem præbuit, vt in societatem imperii receptus, Lauiniáque ei in matrimoniũ data, genere ascitus

fit.

fit. Hic deinde Aborigines, Troianósque communi nomine Latinos nominauit. Post hæc vtrisque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniæ nuptias, fuit: in quo Turnus & Latinus occubuere. Quare Aeneas soceri regnum suscipiens, quarto imperii sui anno, in bello aduersus Mezentium Hetruscorum regem, è vita migrauit. In cuius locum Ascanius, eius filius, succedens, trigesimo anno post Lauinii constitutionem, Albam condidit. Anno deinde octauo & trigesimo, eo mortuo, Syluius eius frater, post mortem Aeneæ ex Lauinia natus, imperiũ accepit: cúmque vndetriginta imperasset annos, Aeneæ Syluio filio illud reliquit: hic vero post vnum & triginta, Latino Syluio: Latinúsque post quinquaginta, Albæ qui vndetriginta illud tenuit. Post eum Athys, quatuor & viginti regnauit annos: deinceps Capys, duodetriginta: inde Capetus tredecim, & Tyberius postea octo. Huic succedens Agrippa, quadraginta regnauit annos: Romulus deinde, vndetriginta, post hunc triginta & septem, Auentinus, qui Procæ imperium ipsum per manus tradidit. Hic viginti & tres imperauit annos, Amuliúmque & Numitorem procreauit. Amulius duos & quadraginta annos regnum, quod Numitori fratri seniori debebatur, haud iure occupans, Rheam eius filiam, ne quis vindex regni ex genere Numitoris oriretur, Vestæ sacerdotem fecit: quæ duos pueros incerto stupro conceptos enixa est, quos Amulius exponi iussit. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, eos lupæ alendos obtulit: quæ cùm sæpius ad paruulos, veluti ad catulos, reuerteretur, rem Faustulus pastor animaduertit: subtractósque feræ, Accæ vxori nutriendos dedit. Nomina autem pueris, alteri Remo, alteri Romo, siue Romulo, fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum frequenter summouerent, Remus ab his captus regi offertur, criminíque ei datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à rege in vltionem Numitori traditur: qui adolescentia iuuenis permotus, in suspicionem expositi nepotis adducitur. & cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis anxium teneret, Faustulus cum Romulo superuenit: à quo cognita origine puerorum, facta inter ipsos coniuratione, Amulium interficiunt, Numitorique auo regnum restituunt. Sequenti vero anno regni Numitoris quadringentesimo trigesimosecundo (vt tradit Cato) post Ilium captum, XII. Calend. Maias, Romam, vbi expositi fuerant, condiderunt. Et quanquam, vt de tempore, ita de conditore, mira inter scriptores varietas existit: communis tamen opinio est, Romulum Martis filium vrbis auctorem fuisse. Vnde Cicero: Principio, inquit, vrbis parens Romulus non solum auspicato, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Romulum autem, non Remum vrbi nomen dedisse ferunt: quia captatis auguriis Remus prior sex vultures vidit. Romulus mox duodecim. Quæ res, cum vnus tempore, alter numero certaret, bellum creauit: in quo, extincto Remo, Romulus à se Romam denominauit.

MESSALAE CORVINI ORATORIS DISERTISSIMI AD OCTAVIANVM AVGVSTVM DE PROGENIE SVA LIBELLVS, IN QVO OMNIS Romana historia ab exordio quàm breuissimè complectitur.



QVVM frequenter me digna moueat postulatio tua, gentium gloriosissime imperator, vt progeniem tuæ scilicet inclytæ posteritatis, simul & vrbis Romæ prima regimina ab exordio literis distinguere mihi persuadeam: parebo clementiæ tuæ, & operam dabo, aliquid ingenii, sed parum laboris occupare. Nam quæ poscis, quum ab historicis, studiosissimisque veterum authoribus longe latéque sint declarata, & te copiosissimè rerum maximarum studiis deditum haud ignorem: tamen quia iubes opus expediam, & tuæ vetustissimæ gentis prosapiam, quæ nunc in amplissimo maiestatis culmine locata solùm ad sydera spectat, arctato itineris limine insistam declarare. Nam quanquam à profundo originis fonte, cursus pedetentim subsequendus foret, accelerare maturabo serenissime Cæsar Auguste. Totus terrarum ambitus, quem vndique Oceanus verberat vndis, ab historicis & cosmographis trifarie diuiditur. Cuius partium prima inter Septentrionem & meridiem ad Orientem extenditur Asia. Secunda ab ostio fluminis Tanais, Hyrcanorúmque finibus, vbi iungitur Asiæ inter septentrionalem Oceanum, & mediterraneum æquor ad vltimas Hispanias, in occasu terminat Europa. Tertia ab Aegypto Nilóque flumine exordium trahens, relictis terminis Asiæ inter meridiem & mediterraneum fretum producta ad occasum in Atlantici Oceani littore desinit Africa. Asia ergo, si ad numerum spectamus, orbis terrarum pars tertia erit: si ad magnitudinem, medium terrarum orbem in se continere videri poterit: sic dicta à nomine cuiusdam mulieris, Orientis reginæ. In ea igitur inter cæteras prouincias minor Asia est, in qua Phrygia regio, sic dicta à Phrygia Aesopi & Europæ filia: &, vt alii tradunt, ex Ioue & Europa nata. Dardanum Ioue & Electra Atlantis filia progenitum, deorum monitu ab Italia, &, vt aliis placet, è Creta insula patrios deferentem lares, multitudine gentium ad hanc Phrygiam deuenisse ferunt, vrbem condidisse, eámque ex se Dardaniam nuncupasse: vnde gens Dardana, & incolentes terras Dardanidæ dicti, Hoc regnante, de Creta cum manu electissimorum iuuenum forte noui regni fama concitum Teucrum ad Phrygiam patriis sedibus expulsum dicitur conuenisse: qui à Dardano, & dextera & fide data, in parte regni consors susceptus est, vt numerosiore populo noua implerentur mœnia. Ita sub duobus regibus haud discrepantibus Dardania potentia & magnitudine aucta, pacifice aliquandiu stetit. Huius Teucri in regendo & Rempublicam augendo bonitas comitásque tanta fuit, vt eo defuncto, superstite Dardano ob ipsius inclytæ memoriæ gloriosissimum decus, qui Dardanidæ nuncupabantur, deinceps Teucri cognominarentur, vt Virgilius Maro:

Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.

Dardanus filium habuit Erichthonium, quem post sui obitum regnantem reliquit. Erichthonius Troum genuit, qui iustitia & pietate insignis, mutato Dardaniæ nomine, ex se vrbem Troiam nominari permisit. Hinc Troianum nomen ortum. Duos filios Troius habuit, Ilum scilicet, & Assaracum. Ilus verò quia maior natu, defuncto patre regnum obtinuit, & intra vrbis mœnia illam eminentissimam atque gloriosissimam arcem edidit, quæ ex sui nomine Ilium nuncupata: vnde Ilienses Troiani dicti. Is Laomedontem filium reliquit. quo regnante Iason & Hercules, validissimorum iuuenum Græcorum comitatu, quum ad Colchos ob velleris aurei cupidinem transfretarent, à maritimo fastidio se recreandi gratia in Phrygiam terram legerunt. Quos Laomedon vel superbia, vel famosissimæ gentis terrore concitus, minaci nuntio extemplo abire præcepit. Hi quum alio contenderent, nec vires nec arma ad resistendum haberent ob illatum dedecus indignati, excidium austerrimo regi continuo minitantes, obtemperauere mandatis: ac perfecto velleris negotio, vbi in Græciam rediissent, Hercules Phrygii regis opprobrii non immemor, maximorum iuuenum ac principum Græcorum manu armata classe, ad Troiam vela remósque direxit, & in littore expositis armis, ad mœnia impetuose contendit. Quod vbi sensisset Laomedon, audacter magis quàm cautè inordinato agmine extra mœnia hostili impetu ausus congredi, insidiis interceptus, fortiter dimicando extinctus est, suorum parte maxima vel capta, vel perempta. Hinc ad exterrita mœnia Hercules contendens, nullo custode nec in muris nec in portis obstante introit vrbem, & igne & ferro omnibus consumptis, Hesionam Laomedontis sororem Telamoni Salaminæ regi, quia muros Troiæ primus inuaserat, ac in portas irruperat, dedit. Ex qua natus est alter ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alteram Salaminam condidit: de quo Virgilius noster, inducens Didonem effari ad Aeneam:

- Atque equidem memini Teucrum Sidona venire,
- Finibus expulsum patriis,noua regna petentem.

Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus,qui tum forte aliò in armis aberat. Is & patris & patriæ excidio cognito rediit, dirutámque vrbem impensa & opere adeò reparare instituit, vt breui marmoreis saxosisque turribus & ædificiis publicis ac priuatis augustiorem tutiorémque redderet. Assaracus vero Troi filius,Ili frater, vt supra memini, genuit Capim, Capis Anchisen, Anchises Aeneam, Aeneas Ilum cognominatum Ascanium, ex Creusa matre natum, qui & Iulus fuit, à quo gens Iulia, vnde tuæ gentis vocabulum trahis serenissime Auguste:vt Virgilius,

- At puer Ascanius,cui nunc cognomen Iulo
- Additur,Ilus erat dum res stetit Ilia regno.

Priamus verò vbi in Græciam postulatum misisset, vt Hesiona soror, quæ à Telamone turpi seruitio concubina tori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel saltem restitueretur,derisus neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui & Paris dictus,Priami filius,manu electissimorum iuuenum in Græciam æquora sulcauit, Helenámque Menelai regis vxorem,Græcarum pulcherrimam rapuit.Quamobrem Græciæ reges armantur,& Agamemnone duce post decennem obsidionem Troiæ mœnia capta, in ruina ac cinere iacuere solo. Hinc Græcorum assensu duo incolumes principum Troianorum recessere,qui authores pacis & reddendæ Helenæ semper fuerant, & Græcorum legatorum Vlyssis ac Diomedis honoratissimi hospites, Antenor scilicet, & Aeneas : quorum alter ex Laomedontis, vel vt quibusdam placet, Priami sorore natus, Assueti viri nobilissimi fuerat filius, Antenor: alter ex regio sanguine ortus, Aeneas, vt supra demonstratum est. Hi nauium classe parata, & patriis rebus, hominibúsque, quos arbitrio sui delegerant, onusta, pansis velis tenuere altum, & per Aegeum Ioniúmque prætereuntes Argolicas vrbes, suadentibus fatis ad Italiam remigauerant. Antenor è Ionio æquore ad dexteram flectens inter Dyrrhachium & Brundusium, per latissimas superi æquoris fauces ad Septentrionem conuersus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos, illinc Appulos atque Picenum, ad caput Adriatici maris cursum tenuit. Et relicto æquore,aduerso flumine quod Brentensia dicitur, sursum contendens, terra potitus,sedem sibi suísque elegit. Et expugnatis Euganeis,qui tum ea incolebant loca,Patauium condidit. Is inter cæteros comites Enetorum multitudinem numerosam secum duxerat, qui Paphlagonia orti,patria pulsi, exules ad Troiam, quæ bello tum elaborabat,concesserant. Hi in proxima finitimorum prædia longe latéque diffusi,quia multitudine cuncta compleuerant, ex se gentibus nomen dedere,& Venetiæ regio dicta. De hoc Antenoris aduentu sic meminit Virgilius:

- Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
- Illyricos penetrare sinus:atque intima tutus
- Regna Liburnorum,& fontem superare Timaui:
- Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
- It mare præruptum,& pelago premit arua sonanti.
- Hic tamen ille vrbem Patauí,sedésque locauit
- Teucrorum:& genti nomen dedit,armáque fixit
- Troia:nunc placida compostus pace quiescit.

Hoc loco Imperator maxime,quum te persæpe altiloquio tuo differentem dubitare animaduertissem,quod insigne vexillis Antenori & Aeneæ fuisset,sine quadam rei memoria haud prætereundum arbitror,sed cum Virgilio nostro instandum,vbi de Antenore sic profatur,

— Et genti nomen dedit,id est,vtramque gentem, Italicos scilicet,& Phrygios, qui ea incoluerunt loca,Troianos,vel,vt alii tradunt,Antenoridas cognominari statuit.

— Armáque fixit, hoc est, in templis arma & insigne armorum suspendit. Nam post exactam militiam, laborésque militiæ, mos antiquitus fuit in Deorum templis suspendere arma. Ideo arma fixit Troia.Troia fuit inter arma templis affixa,armorum insigne : quod nonnulli asserunt. Troia nanque vulgo Italice Latinéque scropha vel sus dicitur,cui vocabulo licentia sui allusit poeta : quod animal, quia eius nomen vrbi Troiæ congruebat,aureo vexillo insigne armorum statuit Antenor, absumptæ vrbis Troiæ memoria. Verum in gestis Aeneæ,alia euidentior ratio cur ita videri poterit:quare progredior. Aeneas eodem itinere per Græcorum Achaicúmque fretum delatus, in Epiro reuisit Helenum inter Argolicas vrbes dominii ditionem tenentem. Narrat historia, Pyrrhum Achillis filium, deleta Troia Andromachen Hectoris quondam vxorem, & Helenum Priami filium seruitio secum duxisse. Inde quum sibi matrimonio iungeret Hermionem Menelai filiã, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus,quia sine prole interiit, in regno præsidem reliquit Helenum : vt ibidem Maro, vbi de se Aeneas ad Didonem profatur,

- -Iuuat euasisse tot vrbes
- Argolicas,mediósque fugam tenuisse per hostes. & paulo post:
- Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
- Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes,
- Et primo Andromachen iterum cessisse marito.

Is Helenus Aeneæ futura prædicens,monitus interpres deorum profatus fuerat, ibi locum sedis eius fore quietis,vbi in Italiam iuxta Tybridis ripas scropham seu suem triginta natorum fœtu iacentem videret,vt Maro in tertio,ad Aeneam loquutus Helenus:

- Signa tibi dicam:tu condita mente teneto.
- Quum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam
- Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
- Triginta capitum foetus enixa iacebit:
- Is locus vrbis erit,requies ea certa laborum.

Aeneas hinc discedens, & extrema Italiæ radens, circumuectum per Siciliam senem Anchisen patrem amisit. Inde per inferum mare diu fluctibus ex iniquo sydere vexatus, Aphrum tenuit littus. mox pacato æquore ad Italiam reuectus,appulit Tyberis ostio. Ibi tunc temporis Latinus rex Fauni filius gentibus imperitabat:qui ad rei nouæ tumultum excitus,vt Tito Liuio placet, in armis obuiam pergit. Inde colloquio vtrinque pacatis animis, duci Troiano filiam quam Turno Rutulorum regi primo desponsarat,matrimonio iungit Lauiniam. Aeneas conditum oppidum ex vxoris nomine Lauinium appellat. At Virgilius noster hac in parte aliter sentit, id est, Latinum non in armis obuiam processisse, sed Aeneam legatos regi misisse: quibus auditis rex pacatus, & monitis deorum adductus,Lauiniam filiam aduenæ Troiano tradit.Quamobrem Turnus impatiens opprobrii ereptæ cōiugis,bello petit Aeneam, nec vetante nec permittente Latino. Aeneas vt vires & arma in hostem externo robore firmaret,ad Euandrum,qui tum his oris,vbi nunc Roma, authoritate ditionem tenebat,sursum aduerso flumine pergens auxilii exposcendi gratia,suem, id est scropham, triginta natorum fœtu,vt Helenus prædixerat, iacentem aduertit, quiete sedis certissimum omen, quam Iunoni deorum reginæ immolando sacrauit,vt Virgilius in octauo:

- Ecce autem subito,atque oculis mirabile monstrum,
- Procubuit,viridíque in littore conspicitur sus:
- Quam pius Aeneas,tibi enim,tibi maxima Iuno
- Mactat sacra ferens,& cum grege sistit ad aram.

Eodem Aeneam Lauinium oppidum struxisse aiunt. simul & hinc scrophæ signum Troianis ortum quidam tradidere,seu ob iniecti fundamenti regiæ sedis memoriam,seu quia quietis genti scropha signum dederat,seu ob æternum insigne nominis Troiæ,quæ huic vocabulo animalis vulgo Italice includitur,vt supra memini. Præterea & nonnulli referunt historici, Aeneam more nauigantium inter cætera animalia ad vsum vescendi,vt fit,suem viuam secum detulisse,ac ex oraculo responsum habuisse, quum teneret Italiam,dimitteret eam.Inde quo reperta foret,sedi eius cōderet vrbem : quam in Campaniæ oris,apud Auernum lacum Baiarúmque fines demissam volunt mox supra Tybridis ripam. Quare elatum scrophæ vexillum.quocirca Helenus ad Aeneam in 3.Virg.

- Vade age,& ingentem factis fer ad æthera Troiam.

Id est insigne Troianum. At quum hac in parte te dubitare serenissime principum crebro percepissem, & in ambiguitate rei huius multos vagari, tulit calamus prolixius, & à proposito longius quàm exposceret intentio.Quis enim rem tot seculis remotissimam scrutaturus per vetustissima literarum volumina sine ambiguitate euadere potuit? Sed ad propositum redeundum. Ad Euandrum concessit Aeneas,& optato potitus, Pallantem Euandri filium,& ingentis roboris armatorum auxilia secum duxerat.Turnus post aliquot prælia clarissima victus tandem ac pereptus, Troiano cessit. Victor Aeneas post Latini obitum in regno successit:quem mortuum, & super Numicii fluminis ripam conditum,indigetem Iouem dixere,expleto anno tertio regni. Superfuit Ascanius eius filius Troiæ ex Creusa natus. Is Lauinium oppidum nouercæ Lauiniæ, & Syluio ex Lauinia fratri, relinquens haud inde longe in Albano colle cōdidit Albam.Inter Lauinium & Albam conditam triginta annorum spatium datur.Absumpto Ascanio fratre eius Syluius,qui & Iulus,à quo gens Iulia, & antiquum tuæ generosæ prolis deriuatum cognomen Auguste, regnat. quanquā inter authores veterum in ambiguo constet,vtrum hunc Syluium an Ascanium cognominatum fuisse Iulum. Is Syluius post obitum patris ex Lauinia Italiæ natus, Posthumus dictus: quem Lauinia prægnans, priuignum timens Ascanium,secedens in quadam sylua apud Tityrum pastorem peperit, vnde Syluius nuncupatus,vt Maro inducens Anchisen ostentantem suorum progeniem Aeneæ:

- Ille(vides?)pura iuuenis qui nititur hasta,
- Proxima sorte tenet lucis loca,primus ad auras
- Aethereas Italo commistus sanguine surget,
- Syluius,Albanum nomen tua posthuma proles:
- Quem tibi longæuo secum Lauinia coniunx
- Educet syluis regem,regúmque parentem,
- Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Hic Syluius Syluium Aeneam filiū reliquit, ex quo Latinus filius, à quo prisci Latini cepere nomen, & Syluium cognomen Albæ regnantibus datum,vt quidam tradidere:quanquam Virgilius hoc cognomen regibus Albanis à Syluio Posthumo deriuatum sentire videatur.Genuit hic Syluius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetum, Capetus,Tyberinum,qui in Albula flumine demersus, mutauit fluuio nomen,Tyberi deinceps nuncupato.Ex Tyberino superfuit Agrippa,ex quo Romulus Syluius,qui sine prole,fulmine ictus,stirpis eiusdem Auentinum in regno reliquit.Is decedens,in quo sepultus fuerat, colli nomen dedit. Huic successit Proca, quo defuncto, duo eius filii Numitor & Amulius superstites fuere: quorum alter Amulius Numitorem maiorem è solio fratrem deiecit, cuius virili prole interempta,filiam Rheam Syluiam,vt partum auerteret, Vestalem virginem sacrat.

Rhea

Rhea geminos edidit, Remum scilicet & Romulum, à Marte compressa, vt traditur. Qood regi Amulio ootum, in vincula tradita matre, regio edicto in Tybridis alueo exponuntur gemini. Fama est, in Lupam geminos lambentem, regium pastorem Faustulum caso quodam incidisse, qui vxori Laurentiæ nutriendos dedit. Iam adulti iuuenes, corporis & animi vires adepti, per syluas ac nemora ooo modò infestare feras, sed & finitimis pastoribus dominari occœperant. Tandem insidiis Remus interceptus, vt prædæ reus ad Amulium ducitur. inde quia eum cum fratre Romulo in agrum Numitoris impetum fecisse dicebatur, ad pœnas supplicii materno auo traditur: à quo mox & ipsi oepotes præsidio pastorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & restituunt Numitori regnum. Hunc scito Cæsar Auguste, gentis Iuliæ Albanorum regum vltimū, eámque gentem ad Iulium vsque Cæsarem, téque Principum decus, sine imperio priuatæ in tuæ felicitatis tempora terminasse. Nanque Romulum Romanæ vrbis imperiíque tui conditorem, materna linea incognito patre ortum, tuæ stirpis non censeo, si maiorum genealogiam recte complector.

AT NVNC ad reges Romanos, consules, dictatores, tribooos militares ac plebeios subsequenter calamum deducam, vt ab origine ad tua felicissima secula Romana regimina noscas. Igitur Palatino io monte, vbi adulti, & à pastoribus culti gemini erant auspicato parua mœnia ponunt, & vbi alter alterum non patitur, cui regnaudum, augurio permittunt. Qua conteotione interfectum Remum descripsere quidam, aliter alii, quia fertur incœpta mœnia contra edictum transiluisse Remom, à Romulo, cui regnare obtigerat, securi percussum, & à nomine conditoris vrbem Romam nuocupatam. Ferunt anno vicesimosecoodo ætatis, vndecimo Calend. Maias, quadringentesimo tricesimo tertio post captam Troiam, Romulum vrbis fundamenta iecisse. Quj primo constitutis sacris, legum iura sanxit, fecit & se regiis insignibus augustiorem, circa se lictores instituit. Asylum aperuit complendæ vrbis gratia. Centum Senatores creauit, quos patres authoritate nuncupauit, Reipublicæ consilium. Equestri Neptuno ludos finitimis gentibus indicauit. Circunstantes populi cum familiis ad vrbem velut ad rem nouam simol & ludos conueniunt. Tuoi ad spectacola intentis aduenis, raptæ virgines Sabinorum, cæterarúmque turba, & in matrimooium abductæ. Raptarum parentes ad vltionem illati dedecoris arma parant. hinc pleraque bella orta. Ceninenses, qui primum in agrum Romanum impetum fecerant, victi sunt, Acrone eorum rege à Romulo obtruncato. cuius opima spolia in Capitolium ad quercum pastoribus sacram rex ipse Romanus suspendit, ibíque Ioui Feretrio templum statuit, quod primum Romæ sacratum fuit, & de Ceoioensibus primū triumphum egit, vt quibusdam placet scriptoribus. Antennates exinde populandi gratia hostiliter aduentaruot, qui à Romulo victi, in vrbem ducuutur. Hinc aduersus Crustuminos subsequenter tumultuantes, in armis Romulus profectus, superatos hostes Romæ cohabitare coercuit. Cum Sabinis vltima & acrior pugna fuit. nam ab his, Tito Tatio duce, Capitolii arce capta, mox virtute Romuli recuperata, interuētu raptarum miserando fletu implorantium, pacatis vtrinque animis pax fit, & ex duobus regnis vnum. Nanque Sabini eorum imperium Romam tradocunt, & sub duobus regibos, Romolo & Tito Tatio commune dominiū per aliquot annos fuit. Sed primò Tatios moritur à Laurētibus interfectus, anno quinto postquā Romæ regnare cœperat. Superfuit Romulus, qui demō victis Fidenatibus ac Veientibus, ad Capreæ paludem coucione habita, subito turbine & imbre lumine solis adempto, ioter fulgura obstrepentia cæli ereptus nusquam apparuit, postquam triginta & septem regnauerat annis.

NVMA exiude Pompilius è Sabinis ortus, vir pietate & iustitia iusignis, secundus à Romulo regnat: & pacatis finitimorū odiis, gemini Iani templum edidit, quod apertum bella, clausum quietem indicaret. Mox ad religionem conuersus, vt deorum timor ad mitiora truces flecteret aoimos, sacra instituit, sacerdotes creat, Virgines Vestales sacrat, Pontificem maximū primus declarat, dies fastos nefastósque condidit, anoum in duodecim menses diuisit. Postremo vbi maxima cum reoerentia & suorum & finitimorum, tres & quadraginta regnasset annos, obiit.

TVLLVS Hostilius exinde rex tertius creatur, ad bella promptissimos, animosior Romolo. Com Albanis armorum negotium habuit, sed paucorum cruore ac fortuna finitum. Nam trigeminis Horatiis Romanorum, & trigeminis Curiatiis Albanorum res hoc fœdere cōmittitur, vt ciuitas pro qoa pugnarent, qui vicissent, alteri imperaret. Vicerunt Horatii, Albani sub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Romanū impetum faciūt. quibus victis ac fugatis, Metium Albanorum dictatorem, quia ex fœdere in armis accitus, proditor rem Romanā maximo in discrimine absentando deseruerat, Tullus quadrigis in diuersum actis alligatum discerpi, Albámqoe dirui, ac omnes Albanos Romam deuehi iussit. Cœlium montem intra mœnia clausit, numero & potentia crescente Roma. Cum Sabinis, qui patriis in sedibus T. Tatii tempore inuaserāt, bellum graue gessit, hostémq; vicit. Demū fulminis ictu cum tota domo absumptus, anno regni tricesimosecūdo interiit.

ANCVS Martius Tullo successit, vir pace & bello clarissimos. Ad arma & religionem paratus, ad sacra primom & templa condenda ornandáque animuoi flexit. Mox quum res postularet, à sacris ad arma concitus, aduersus Latinos, qui primo in eum mouerant bella, se contulit, & Politoriom vnicum Latinorum præsidium expugnat ac diruit, omnésque in oppido repertos, Romæ cohabitaodos destinat. Ianiculum collem vrbi adiecit, pontem sublicium supra Tyberim fecit. Tum Quiritiom fossa per plana deducta, carcerem primus struxit, vsque ad mare dilatati fines, vbi Tybris in æquora prorumpit. Hostia vrbs condita, & Salinæ circumlatæ. Feretrii Iouis templum ampliatum. Decessit Ancus anno regni vicesimoquarto.

PRISCVS Tarquinius à Tarquiniis Hetruriæ profectus, exinde regnum occupat. cum Latinis is

primum

primum bellum habuit, & Appiola vrbe expugnata, ingenti præda victor rediit, ludos instituit, Circum erexit, aduersus Gabinos centurias auxit, quibus industria ac viribus superatis, arma cruenta hostium in Anienem flumen eiicere fecit. Quæ ex Aniene in Tyberim deuecta, summæ victoriæ nuntium Romæ detulere. Iterum eisdem hostibus secundo prælio attritis, Collatiam oppidum sui iuris fecit. Romam regressus, insigni gloria primus triumphat, vt quidam volunt: cum Priscis Latinis bello orto pugnauit: quibus deuictis, pacem dedit, vi & armis oppidis captis, Corniculo Ficulnea, Cameria, Crustumerio, Ameriola, Medullia, & Nomento. Demum ad ædificia publica intentus, muro lateritio circuit vrbem, valles interiacentes collibus, cæteráque loca limosa, & sordibus repleta, cloacis vacuat. In Capitolio Iouis ædem, grande opus, inceptarat: tum interfectus à duobus Anci filiis, obiit anno regni tricesimoseptimo.

SERVIVS Tullius post hunc rex declaratur, ex captiua & nobili fœmina à Corniculo oppido grauida educta, in domo Tarquinii natus. & adultus, cum Veientibus & Hetruscis primum bellum sumpsit: quibus fortissime victis, insignis gloria victor rediit. Censum primus instituit, quo & paci, & bello opportuna redimerentur. In classes centuriásque populum diuisit. Domi pace tranquille, & foris in armis quod necesse fuerat, solertissima statuit industria. Ciues omnes, pedites equitésque, qui arma ferre possent, in campum Martium conuenire edicto iussit, ibíque exercitū instructum ordine, porco, oue & tauro lustrat. Inde ad posteros lustrum nuncupatū: quo octoginta millia ciuium censa referuntur. Duo colles vrbi tum additi, Viminalis & Quirinalis, & Exquiliæ, vbi ipse regiam habuit. Aggere, fossa, & muro, quæ vrbi adiecerat, circumclusit. Dianæ templum condidit. Postremo à Lucio Tarquinio Prisci Tarquinii filio, & genero suo, anno regni tricesimoquarto in vico Cyprio obtruncatur.

TARQVINIVS inde regnum inuadit: qui male partum imperium, ita contumaciter rexit, vt cognomen Superbo sibi vendicaret. In Patres ac Senatum sæuiens, iniussu populi ad libitū agere omnia cœpit. occidere, carcerare, afficere supplicio, sui iuris fecit. Cum Volscis bellum habuit: quibus expugnatis, oppida Suessam & Pometiam eripuit. fraude & non bello Gabios subiugauit, & cruciatibus attriuit. Cum Equicolis & Hetruscis fœdera tenuit. Iouis templum, quod in Capitolio pater inceptauerat, maximo impendio ac labore ad culmen erexit. Demum ob Lucretiæ per vim illati stupri dedecus à Sexto Tarquinio eius filio, Iunii Bruti opera pulsus, exulatum cùm scelesta cōiuge ac filiis fuga perrexit, anno regni tricesimoquinto, ab Vrbe vero condita ducentesimo quadragesimoquarto.

DEPVLSIS regibus, sub Consulibus annuo imperio iura Romana fuere. Senatus vt solidum corpus immutabile erat: Consules velut membra: Senatus, consilium, & rerum deliberatio: Consules, ad consulta peragenda parati. Dictatoris imperium, quod cæteros magistratus excedebat, ad terrorem cunctorū, tum quum res Romana in extremis periculis nutare cerneretur, creabatur summæ potentiæ vnicum robur. Inde ob truculentissimas inter patricios ac plebeios seditiones, plebs armata maximo cum terrore nobilium, in Auentinum, & vt aliis placet, in Sacrum collem secesserat: nec inde abduci potuit, donec ad fauorem sui, Tribuni plebeii primum crearētur. Mox ad Decemuiros res venit. nam Decemuiros creari placuit, qui siue alio magistratu, annuo imperio Reipublicæ præessent. Anno ab Vrbe condita vno & trecentesimo, hoc imperiū in Appio Claudio atrocissimi ingenii viro desinere voluit eiusdem obstinata perfidia: ob cuius scelestæ libidinis nefas violandæ Virginiæ virginis pudicissimæ, se abdicare magistratu Decemuiri coacti sunt. Tum ad Consules res redierat.

Verum paulo post Tribunis plebis authoribus, seditione vt aliàs orta, inter cætera obtinuere plebei, vt & Tribunos militares haberent, sicut & Plebeios. Sed hi promiscue vel patricii vel plebeii esse poterant, qui aliquando cōsulare gessere imperium. Sed demum Consules regnum obtinuere, quorum fasces adusque Iulii Cæsaris patris patruíque tui principatū defluxere, expletis ab vrbe condita annis septingentis decem. Sub quorum magistratuū, consulum, dictatorum, & tribunorum militariū ductu, per quadringentos quadraginta & septem annos omnis Italia viribus armorum subacta est, simul & alpes Cotthiæ, Pœninæ, & Graiæ atque Romanæ cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis in ditionem conuenere. Africa ter victa, primo & secundo & tertio bello Punico, inæstimabili vulnere vtrinque accepto, Romano imperio tandem parta. Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta, insulæ obtentæ. Numidia victo Iugurtha in potestatem redacta. Hispaniam genus armorum ferox, nostrorum, nec sine Romano cruore, subiugauere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnísque Gallicia flexere ceruicem. Gallia atque Britannia nouem annorum Iulii Cæsaris labor fuere, tributariæ demum factæ. Post hæc Illyria, Histria, Liburni, & Dalmatæ obsecundauere perdomiti. Proinde in Græciam transitus fuit: qua perdomitā, Epirus, Thessalia, & Achaia paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus suis debellata, & in prouinciæ formam demum redacta. Thraces sæuissimos omnium, Propontidem, & Thracium Bosphorum cum ipso Byzantio virtus Romana superatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenúmque victoriosissime Principum, penetratum, & vtriusque fluminis vtranque ripam tuæ industriæ subiugauere vires. Duæ Germaniæ inferior ac superior tibi vnico cessere. Norici, Pannonii, Suevi, Marcomanni, Daci, Mœsi, cæteræque nationes ad Arcton superati. Europa in extremis finium suorum perte vndique exterrita, & armis concussa. In Asiam iam ante peruentum fuerat, & victo Antiocho potentissimo Syriæ rege, victo Mithridate, Syria, Phœnix, Ctesiphon, Babylonia, Iudæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti regnum cum ipsa minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria & Cappadocia regiones continentur, mandatis obtemperauere. Cessit & vtraque Armenia armis attrita. Mesopotamia inter Tigridem & Euphratem, sanguine Parthorum ac Persarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit.

Diuersis

Diuersis temporibus cum Persis & Parthis assidue pugnatum,& vtrinque cladibus acceptis, Romanus superior fuit,& obstantibus imperauit.Ad Arcton Colchi,Hiberi,Albani,Scythæ,Assyrii,Caspii, cum Amazonibus suis ductu nostrorum ducum subiugati sunt. Aegyptiorum reges vltro in amicitia & fœdere steterũt.Cyrene ac tota Libya & Mauritaniæ extincto Iuba obsequentes fuere. Indi ex ipso extremo Oriente postremo ad te gloriosissime Principum, in extremo Occidente tum bella gerentem legationem misere,ad obsequia se paratos profitentes, vt nonnihil te imperante haud superesset indomitum. Aeternum vale tui seculi perenne ac immortale decus,Cæsar Auguste.

FINIS.

SEXTI RVFFI VIRI CONSVLARIS AD VALENTINIANVM AVGVSTVM DE HISTORIA ROMANORVM LIBELLVS.



BREVEM fieri clementia tua libellum præcipit. Parebo libens. Quippe quum desit facultas latius eloquendi, morem sequutus calculatorum,qui ingentes summas ære breuiori exprimunt, res gestas signabo,non eloquar. Accipe ergo quo breuiter dicta,breuius computentur,vt annosam vetustatem Reipublicæ legendo,retineamus, ac præteriti facta temporis non tam legere, gloriose princeps, quàm numerare videaris. Ab vrbe igitur condita in ortum perennitatis vestræ,quo prosperius imperium Romanum fortitus es,anni numerantur sic:Sub regibus CCXLIII.sub Consulibus CCCCLXVII.sub Imperatoribus CCCCVII.

DE REGIBVS.

REGNAVERVNT Romæ per annos CCXLIII.Reges numero septem. Romulus regnauit per annos XXXVII. Senatores per quinos dies, annum vnum. Numa Pompilius regnauit annis XLIII. Tullus Hostilius regnauit annis XXXII. Ancus Martius regnauit annis XXIIII. Tarquinius Priscus regnauit annis XXXVIII.. Seruius Tullius regnauit XXXIIII. Tarquinius Superbus expulsus est regno anno XXXV.

DE CONSVLIBVS.

CONSVLES fuerunt à Iunio Bruto & Publicola in Pansam & Hirtium numero DCCCLXXVII. præter eos qui in eodem anno forte aliqua sunt subrogati, per annos CCCCLXVII. Quadragintaquinque annis Romæ consules defuerunt: sub decemuiris, duobus: sub tribunis militũ annis XLIII. Sine magistratibus Roma fuit annis quatuor.

DE IMPERATORIBVS.

IMPERATORES ab Octauiano Cæsare Augusto vsque in Iouinianum fuerunt numero XLIII.per annos CCCCVII. Sub his igitur tribus imperandi generibus,hoc est,regio,consulari & imperatorio, quantum Roma profecerit,breuiter intimabo.

REGNVM REGVM.

SVB regibus septem per annos CCXLIII.nõ amplius quàm vsque Portum atque Ostiam XVIII. miliarium à portis vrbis Romæ,vtpote adhuc paruæ,& à pastoribus conditæ,quum finitimæ circum ciuitates premerent,Romanum processit imperium.

REGNVM CONSVLVM.

SVB Consulibus,inter quos & nonnunquã Dictatores fuerũt per annos simul CCCCLXVII.vsque trans Padum Italia occupata est, Aphrica subacta, Hispaniæ accesserunt, Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ sunt. Inde Illyricum, Istri, Liburni, Dalmatæ domiti sunt. Ad Achaiam transitum est, Macedones subacti. Cum Dardanis,cum Mœsis & Thracibus bellatum est,ad Danubium vsque peruentum. In Asia expulso Antiocho primùm pedem posuerunt Romani. Mithridate victo Ponti regnum occupatum est,& Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est. In Mesopotamiam Romanus exercitus peruenit. cum Parthis fœdus initum est. Contra Cardoneos ac Sarracenos & Arabes bellatum est. Iudæa omnis victa est. Cilicia & Syria in potestatem populi Romani venerunt. Aegypti reges fœderati sunt.

REGNVM IMPERATORVM.

SVB Imperatoribus verò per annos quadringentos & septem, quum diuersa Reipublicæ fortuna multi principes imperarent,accesserunt tamen Romano orbi Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Rhetiæ, Noricæ, Pannoniæ, Mysiæ,& omnis ora Danubii in prouinciam est redacta : Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus, cum Mesopotamia, Asia, Arabia & Aegypto sub imperii Romani iure transiuit. Quo autem ordine singulas prouincias Romana Respublica assequuta est,ostenditur ita infra.

PROVINCIAE ROMANI IVRIS FACTAE.

PRIMA prouinciarum facta est Sicilia. Eam victo Hierone Siculorum rege , Marcellus Consul obtinuit: deinde à Prætoribus recta est: postea est commissa præsidibus: nunc à consularibus administratur. Sardiniam & Corsicam Metellus vicit. Triumphauit de Sardis,qui rebellauere sæpe.

Iuncta

Iuncta administratio harum insularum fuerat: post suos prætores habuit: nunc singulæ à suis præsidibus reguntur. In Aphricam pro defensione Siculorum Romana transmissa sunt signa. Ter Aphrica rebellauit: ad extremum deleta per Publium Scipionem Carthago, prouincia facta est: nunc sub consularibus agit. Numidia ab amicis regibus tenebatur, sed Iugurthæ ob necatos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ regis filios, bellum indictum est: & eo per Metellum consulem attrito, per Marium capto, in potestatem populi Romani Numidia peruenit. Mauritaniæ à Bocho rege obtentæ fuit: sed subacta omni Aphrica, Mauros Iuba rex tenebat, qui in causa belli ciuilis à Iulio Cæsare victus, mortem sibi propria voluntate consciuit: ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt. Ac per omnem Aphricam sex prouinciæ factæ sunt: ipsa, vbi Carthago est, proconsularis, Numidia consularis. Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc est, Sitifensis & Cæsariensis, sunt præsidiales. Hispanis primum auxilium aduersus Aphros per Scipiones tulimus, rebellantes tot annos. Hispaniam per Decium Brutum obtinuimus, & vsque Gades ad Oceanum mare peruenimus. Post ad Hispanos tumultuantes Decius Iulius Syllanus cum exercitu missus, eos vicit. Celtiberi cum Hispania sæpe rebellabant: misso minore Scipione cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes penè Hispaniæ occasione belli Sertoriani per Metellum & Pompeium in deditionem acceptæ sunt: postea prorogato in quinquennium imperio, à Pompeio perdomitæ sunt. Ad extremum quoque ab Octauiano Cæsare Augusto Cantabri, Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Per omnes Hispanias sex nunc sunt prouinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallicia, Bætica, Transfretana etiam insula terræ Aphricanæ prouincia Hispaniarum est, quæ Tingitania cognominatur. Ex his Bætica & Lusitania consulares, cæteræ præsidiales sunt. Cum Gallis populus Romanus grauissima bella habuit. Galli etiam illam partem Italiæ, vbi nunc Mediolanum est, vsque ad Rubiconem tenebant fluuium: in tantum viribus freti, vt Romam ipsam bello peteret, & cæsis exercitibus Romanis apud Alliam fluuium, mœnia vrbis intrarent, Capitolium obsiderent: ad cuius arcem sexcenti nobilissimi Senatores, qui mille auri pondo se obsidione redemerunt. Postea Gallos cum victoria remeantes, Camillus qui in exilio erat, collecta de agris multitudine oppressit: aurum & signa quæ Galli ceperant, reportauit. Cum Gallis multi Consules, Prætores, & dictatores euentu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit, & transcensis Alpibus feliciter aduersus eos pugnauit.

DE C. CAESARE.

CAETERVM C. Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italorum habuerant, Galliam subegit, cum Gallis vltra Rhenum positis conflixit per annos octo: ab Alpibus in Britanniam vsque ad Gallias transiuit. Decimo anno Britannias, Gallias tributarias fecit. Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis prouinciæ decem & octo, Alpes maritimæ, prouinciæ Narbonensis, Viennensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ: in Britannia, Maxima Cæsariensis, Britannia prima, Britannia secunda. In Illyricum ab ora maritima paulatim regressi sumus. Leuinus Consul Adriaticum atque Ionicum mare primus ingressus, maritimas obtinuit ciuitates. Creta per Metellum Consulem, qui Creticus dictus, prouincia facta est. Græcis in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses aduersus Philippum Macedoniæ regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicitiis nostris Achaia fuit. Ad postremum legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per L. Mumium consulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. Epirotæ qui aliquando cum rege Pyrrho etiam ad Italiam transire præsumpserant, victi, atque Thessali simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. Macedonia ter rebellauit, sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudophilippo. Philippum Flaminius, Perseum Paulus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis Macedonia quoque populo Romano adiuncta est. Illyricos, qui auxilium Macedonibus attulerant, ex eadem occasione per L. Manilium prætorem vicimus, & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. Dardanos & Mœsios Curius Proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit.

SVB IVLIO ET OCTAVIANO CAESARIBVS.

SVB Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias iter factum. Alpinis omnibus victis, Noricorum prouinciæ accesserunt. Batone Pannoniorum rege subacto, in deditionem Pannoniæ venerunt. Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis, regio Sauensis, ac secundorum loca Pannoniorum obtenta sunt. Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Drauum, pulsi sunt, & limes inter Romanos & Barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Mœsiam est constitutus.

DE TRAIANO.

TRAIANVS Dacos sub rege Decibalo vicit, & Daciam trans Danubiũ in solo barbarico prouinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum. Sed sub Galieno imperatore amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ factæ sunt. Habet Illyricus septem & decem prouincias: Noricorum duas, Pannoniorum duas, Valeriam, Seruiliam, Sauiam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciæ duas. Et in ditione Macedoniæ sunt septem, Macedonia, Thessalonica, Achaia, Epiri duæ, Præualis & Creta. In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est. Sæuissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thracum regionibus Scordisci habitauerunt, pariter crudeles, & callidum genus: de quorum sæuitia multa fabulose memorantur, quòd hostium captiuos diis suis litauerunt, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare

tare sunt soliti. Sæpe per eos Romanus cæsus est exercitus. M.Didius vagantes Thracas repressit. M.Drusus intra fines proprios continuit. Minutius in Hebri fluminis glacie vastauit. Per Appium Claudium Proconsulem hi qui Rhodopam incolebant, victi sunt. Europæ maritimas vrbes antea Ro. classis obtinuit. M.Lucullus per Thraciam cum Bessis primus pugnauit, ipsam caput gentium vicit. Thraces enim montanos subegit, & Eumolphidam, quæ nunc Philippopolis dicitur, Olympiadam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit. Caluillam cepit. Supra Pontum positas ciuitates occupauit, Appolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Histrum ad Danubium vsque perueniens Romanus Scythis arma monstrauit. In ditionem Reipublicæ sex Thraciarum prouinciæ sunt conquisitæ, Europa, Thracia, Hemi mons, Mysia inferior, Scythia, Rhodope, in qua nunc sede arces Rom. vrbis sunt constitutæ, Constantinopolis. Nunc autem eas partes, totúmque Orientem, ac positas sub vicino sole prouincias, qui authores scriptis suis parauerunt, explicabo, quò studium clementiæ tuæ, quod in iisdem propagandis habebis, amplius incitetur.

DE ORIENTALIBVS REGIONIBVS A POPVLO ROMANO SVBACTIS.

ASIA societate Attali regis nota Romanis est: eámque Attali testamento relictam hæreditario iure possidemus. ac ne quid tale populus Romanus non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho Syriorum rege maximo est vindicata. Eadem occasione etiam Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygia in potestatem populi Romani iuncta deditione venerunt. Rhodus, & insularum populis primum infestissimis, pòst fidelissimis auxiliatoribus vsi fumus. ita Rhodus insula primum libere agebat, postea in consuetudinem parendi Romanis clementer prouocantibus peruenit. Et sub Vespasiano principe insularum prouincia facta est. Pamphyliam, Phrygiam, Cariam, Icariam Seruilius Proconsul ad bellum Epirotarum missus obtinuit. Bithyniam defuncti Nicomedis testamento assequuti, Gallogræciam, id est Galathiam. sunt enim, vt ex Gallis sonat nomen, Galatæ, quos, quòd Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, inuasimus. Mumius proconsul Galatas persequutus est, quum fugientes partim in Olympum, partim in Megaram montem, qui nunc Modiatus dicitur, de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus Bœotiæ rex nobilis Romanis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto Galatia in formam prouinciæ redacta est. Eam primus Lollius administrauit. Cappadoces primo societatem nostram sub Ariararte rege petiuerunt, posteáque Ariobarzanes rex Cappadocum à Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est, sempérque in auxilia nostra fuerunt Cappadoces, & ita maiestatem coluere Romanam, vt in honorem Augusti Cæsaris Megara ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsaria nuncuparetur. Postremo quum sub imperatore Claudio Cæsare Archelaus ex Cappadocia Romam venisset, ibíque diu detentus occubuisset, in prouinciæ speciem Cappadocia migrauit.

REVERTITVR AD ORIENTEM.

PONTVS per Pompeium victo Mithridate rege Pontico, formam prouinciæ accepit. Paphlagoniam Philomenes rex amicus populi Romani tenuit. Sæpe ex ea pulsus regno, à nobis est restitutus: quo mortuo, prouincia eius Paphlagonibus imposita est. Vltra iuga Tauri montis quemadmodum Romana possessio perrexit, consequenti locorum magis quàm temporum seruata digestione monstrabitur. Antiochus Syriæ rex potentissimus bellum formidabile pop. Rom. intulit. Trecenta millia armatorum habuit, falcatis curribus & elephantis aciem instruxit. A Scipione Consule fratre Scipionis Aphricani in Asia apud Magnesiam victus est. Pace accepta intra Taurum regnare permissus est. Eius filii regnum Syriæ sub clientela populi Romani retinuerunt: quibus defunctis, Syriarum prouinciis potiti sumus. Cilices & Isauros, qui se piratis & prædonibus iunxerant, Seruilius proconsul ad prædonum bellum missus subegit, & viam per Taurum montem primus instituit. Hísque de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque Isauricus cognominatus est. Cyprus famosa diuitiis paupertatem populi Romani vt occuparetur, solicitauit. Eam rex fœderatus regebat: sed tanta fuit penuria ærarii Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, vt lege lata Cyprus confiscari iuberetur: quo accepto nuntio rex Cyprius venenum sumpsit, quò vitam prius quàm diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauibus aduexit, ita vt ius eius insulæ auarius quàm iustius simus assequuti. Cirenas cum cæteris ciuitatibus Lybiæ, Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Lybiam supremo Appionis regis arbitrio sumus assequuti. Aegyptus omnis sub amicis regibus fuerat: sed victa cum Antonio & Cleopatra, prouinciæ formam Octauii Cæsaris Augusti tempore accepit. Et primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus Romanus iudex administrauit. Per confinia Armeniarum primùm sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa trāsmissa sunt visa. Sarraceni & Hirrinæ superati cessere. in Mesopotamia ab eodem Lucullo vrbs capta est. postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt. Syriæ & Phœnices bello à Tigrane Armeniorū rege receptæ sunt. Arabes & Iudæi in Palæstina victi sunt, Ad extremum sub Traiano principe regis maioris Armeniæ diadema sublatum est. Per Traianum Armenia, Mesopotamia, Syria & Arabia prouinciæ factæ sunt, ac limes Orientalis supra ripam fluminis Tigridis cōstitutus est. Sed Adrianus qui successit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, sponte Armeniam & Mesopotamiam & Syriam reddidit, ac medium inter Persas & Romanos Euphratem esse voluit. Et postea sub Antoninis duobus, Marco & Seuero nota pertinacia, cæterísque principibus Romanis qui aduersus Parthos euentu vario dimicauerūt, quater amissa, quater accepta Mesopotamia est. Et Diocletiani temporibus victis prima cōgressione Romanis, secundo autem conflictu superato

rege

rege Narseo, & vxore eius ac filiabus captis, & eis summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta,& supra ripam Tigridis limes est refirmatus, ita vt quinque gentium trans Tigridem consequutarum ditionem assequeremur. Quæ conditio fœderis in tempus diui Constantini conseruata durauit. Scio nunc quo tua vergat intentio. Requiris profectò quemadmodum Babyloniæ & Romanorum arma collata sint, & quibus viribus sagittas pila confoderint. Breuiter euentus enumerabo. Bellorum furto hostes in paucis inuenies esse lætatos,vera autem virtute semper Romanos probabis extitisse victores.

DE LVCIO SYLLA.

PRIMVM à L.Sylla proconsule Arsaces rex Parthorum missa legatione amicitiam populi Romani rogauit, ac meruit. L.Lucullus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam prosequutus est, Tigranem Armeniorum regem cum septem millibus clypeatis, & centum viginti millibus sagittariorum, ipse cum decem & octo millibus vicit, Cirrani maximam Armeniæ ciuitatem expugnauit, Medenam optimam Armeniorum regionem obtinuit, per Meletem ad Mesopotamiam descendit, Ninsibium cum fratre regis cepit: tendere in Persas paratus,successorem accepit. Cn. Pompeius expertæ felicitatis ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus prælio superauit: cæsis duobus & quadraginta millibus hominum, castra inuasit. Mithridates enim cum vxore & duobus comitibus in Bosphoros fugit. Ibi desperatione rerum suarũ venenum hausit: & quum vis veneni parum ageret, à milite suo vt ferro percuteretur impetrauit. Pompeius auxiliatorem Mithridatis Tigranem Armeniorum regem persequutus est. Ille se oblato diademate apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamiæ, Syriæ, & aliquanta pars Phœnicis: & in Armenia minore regnare permissus est. Item Pompeius Bosphoranis & Colchis Aristarchum regem imposuit, cum Albanis conflixit, Orcodo Albano regi ter victo pacem dedit. Hiberiam cum Arsace rege deditione accepit. Sarracenos & Arabes vicit. Iudæa capta Hierosolymam obtinuit. Cùm Persis fœdus fecit. Rediens apud Antiochiam Damnensem lacum, loci delectatus amœnitate, & aquarum abundantia,addito nemore consecrauit.

DE MARCO CRASSO.

MARCVS Crassus Consul aduersus rebellantes Parthos missus est. Is quum pax missa à Parthis legatione rogaretur,apud Ctesiphontem responsurum se ait: qui vbi apud Zeomatem traiecit Euphratem, à transfuga quodam Maracho inductus, ad ignotam camporum solitudinem descendit. Is vndique circumuolantibus sagittariorum agminibus,à Silane & Silena præfectis regis est cinctus,exercitus vi telorum obrutus ipse Crassus qui ad colloquiũ sollicitatus viuus penè capi posset, repugnantibus Tribunis euaserat: & dum fugam petit, occisus est. Caput eius cum dextera manu resectum,ad regem perlatum est, atque ita ludibrio habitum, vt faucibus eius aurum liquefactum infunderetur, scilicet vt qui ardens cupiditate prædandi pacem regis rogatus abnuerat,etiam mortui eius reliquias auri flamma combureret. L.Crassus quæstor vir strenuus Crassi reliquias fusi collegit exercitus: contra Persas in Syriam irrumpentes ter cum summa administratione conflixit,eósque trans Euphratem redactos vastauit. Parthi Labieno duce, qui Pompeianarum partium fuerat, & victus ad Persas refugerat, in Syriam eruperunt, ac totam prouinciam occupauerunt. P.Ventidius Bassus Parthos qui duce Labieno Syriam inuaserant, occurrens in Capparo monte cum paucis fugauit, Labienum occidit,persequutus est Persas,& ad interemptionem strauit. Qua congresione Parthorum regis filium die qua Crassus victus fuerat, occidit, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Persis triumphauit. Marcus Antonius in Mediam ingressus, quæ nunc Medena appellatur, bellum Parthis intulit,& primum eos vicit: post duabus legionibus amisis, quum fame, pestilentia, tempestatibúsque premeretur, vix per Armeniam Persis insequentibus reuocauit exercitum, tanto per momenta temporum terrore perculsus, vt à gladiatore suo percuti postularet, ne viuus veniret in hostium potestatem.

REGNVM TANTVMMODO SVB CAESARIBVS HABITVM.

SVB Octauio Augusto Cæsare Armenia cum Parthis conspirauit. Claudius Cæsar nepos Augusti cum exercitu missus ad Orientem, quum per maiestatem Romani nominis facile cuncta sedasset, atque ei se tunc Armeni, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dedidissent, & iudices ex instituto Pompeii dictis gentibus Claudius Cæsar præficeret, Dones quidam, quem Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum in quo scripti thesauri continerentur, obtulit. Quem quum Romanus imperator legeret intentius, vltro Dones aggressus Claudium vulnerauit. percussor quidem à militibus confossus est, Claudius vulneratus reuersus in Syriam obiit. Persæ ad satisfactionem tam audacis admisi, obsides tunc primum Octauio Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt.

Pacatis gentibus Orientis, Augustus Cæsar etiam Indorum legationem primus accepit. Nero, quem turpissimum Imperatorem Romana Respublica est passa,amisit Armenias duas,cùm legiones duæ sub iugo à Persis missæ,extremo dedecore Romani exercitus sacramenta fœdauere. Traianus qui post Augustum Romanæ Reipublicæ mouit lacertos, Armeniam recepit à Parthis: sublato diademate,regi Armeniæ maioris regnum ademit, Albanis regem dedit, Lubros, Bosphorianos, Colchos in fidem Romanæ ditionis accepit: Sarracenorum loca & Arabum occupauit: Adiabenos & Marcomedes obtinuit ante Mulsium: optimam enim Persidis regionem Seleuciam & Ctesiphontem & Babyloniã accepit,& tenuit vsque ad Indiæ fines. post Alexandriã accesit, in mari rubro classem instituit,prouincias fecit Armeniam,Mesopotamiam,& Assyriam,quæ post & apud Tigridem atque Euphrat

Euphratem sita, irriguis tribus amnibus instar Aegypti fœcundatur. Adrianum gloriæ Traiani certum est inuidisse, qui ei successit Imperio. hic forte propria inde eductis exercitibus, in Armeniam & Mesopotamiam & Assyriam concessit, & inter Romanos & Persas Euphratem esse voluit.

Antonini duo Marcus & Seuerus, hic socer, & ille gener, pariter Augusti Imperatores, orbis æquata primum potestate imperium tenuerunt. Sed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus est, multa ingentia aduersus Persas feliciter gessit: Seleuciam Assyriæ vrbem cum quadringentis millibus hostium cepit, ingenti gloria de Persis cum socero triumphauit. Seuerus natione Apher, acerrimus Imperator Parthos strenuissime vicit, Adiabenos deleuit, Arabes obtriuit, Arabiam prouinciam refecit. huic cognomina ex victoriis acquisita sunt: Nam Adiabenicus, Parthicus & Arabicus cognominatus est. Antoninus Bassianus cognomento Caracalla, filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Persas parans, in Osdroene apud ciuitatem Aedessam propria morte obiit, & ibidem sepultus est. Aurelius Alexander quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis iuuenis admodum Romani Imperii gubernacula suscepit. Ipse Persarum regem nobilissimum Darcem gloriose vicit. Hic Alexander sacrorum scriniorum magistrum habuit Vlpianum iurisconsultum. De Persis pompa spectabili triumphauit. Sub Gordiano Augusto ex iuuentutis fiducia rebellantes Parthi, ingentibus prælus concussi sunt. Itaque de Perside rediens victor, fraude Philippi qui præfectus prætorio eius erat, occisus est: milites ei tumulum in XX. milliario à Cirgesso quod nunc extat, ædificarunt, atque exequias eius Romam cum magna reuerentia deduxerunt. Valeriani infausti principis fortunam tædet referre. Is cum Galieno suscepit imperium: sed hunc exercitus, Galienum senatus Imperatorem fecit, è quibus in Mesopotamiam aduersus Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum rege superatus est, & captus dedecore vitæ suæ consenuit. Sub Galieno Mesopotamiam inuasam, & Assyriam etiam sibi Persæ vendicare cœperant, nisi (quod turpe est) Odenatus decurio Palmyrenus collecta Syriorum agrestium manu acriter restitisset, & fusis aliquoties Persis, non modo nostrum militem defendisset, sed etiam ad Ctesiphontem Rom. vltra Imperium, quod mirum est dictu, penetrasset. Aureliani Imperatoris gloriæ, Zenobia Odenati vxor accessit. ea enim post mortem mariti fœminea ditione Orientis tenebat imperium, quam Aurelianus multis clypeatorum & sagittariorum millibus fretam, apud Himas haud procul ab Antiochia vicit, & captam Romam triumphans ante currum duxit. Cari Imperatoris victoria de Persis nimium potens superno numini visa est: nam ad inuidiam superni numinis pertinuisse credenda est. Is enim ingressus Persidem, & quasi ei nullo obstante vastauit: Colcham & Ctesiphontem vrbes nobilissimas cepit. Quum victor totius gentis castra super Tigridem haberet, fulminis ictu interiit. Sub Diocletiano principe pompa victoriæ nota de Persis est. Maximianus Cæsar prima congressione quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicasset, pulsus recessit. Hic tanta indignatione à Diocletiano susceptus est, vt ante carpentum eius per aliquot millia passuum occurrerit purpuratus, quum vix impetrasset vt reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret. In Armenia maiore ipse Imperator cum duobus equitibus explorauit hostes, & cum viginti millibus militum superueniens castris hostium subitò innumera Persarũ agmina aggressus, ad interremptionem occidit. Rex Persarum Narseus effugit, & vxor eius & filiæ captæ sunt, & maxima pudicitiæ custodia reseruatæ. Pro qua admiratione Persæ non modò armis Romanos superiores esse confessi sunt, sed Mesopotamiam cum Transtigranis quinque regionibus reddiderunt: pax facta est, & vsque ad nostram memoriam Reipublicæ perutilis perdurauit. Constantinus rerum dominus extremo suæ vitæ tempore expeditionem parauit in Persas. toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis gloriosior victoria, multis in Persas descendebat agminibus: sub cuius aduentu Babyloniæ intantum regna trepidauerunt, vt supplex eorum legatio occurreret, Persas facturos imperata promitteret: nec tamen pro assiduis eruptionibus quas sub Constantino Cæsare per Orientem tentauerant, veniam meruerunt. Constantinus in Persas vario ac magis difficili pugnauit euentu. Præter leues excubantium in limite congressiones, acriore acie nouies decertatum est: per duces suos septies, ipse præsens bis affuit. A veris & grauibus pugnis Berna & Singarena præsente Constantino, & Segarena Constantiensi quoque, & cum amica capta est. Graue sub eo principe respu. vulnus accepit. Ter autem est à Persis obsessa Nisibis ciuitas: sed maiori suo detrimento dum obsideret hostis, affectus est. Marensi autem bello, vbi Narseus occidit, superiores discessimus. Nota vero in agro Aliense prope Singarenam pugna, vbi Constantinus affuit. Omnium expeditionum compensatus fuisset euentus, si locis & nocte aduersantibus percitos ferocia milites ac intempestiuo pugnandi tempore Imperator ipse ad loquendum reuocare potuisset. Qui tamen inuicti viribus, improuisi aduersus sitim aquarum subsidiis incumbentes vespere castra Persarum aggressi, ruptis munitionibus occuparunt, fugatóque rege, quum à prælio respirantes prætentis luminibus inhiarent aquæ, nimbo sagittarum obruti sunt. Quur stolide ad dirigendos certius in se ictus lumina ipsi per noctem accensa præbuerunt? Iuliano in externos hostes expertæ felicitatis principi, aduersus Persas modus defuit. Is cum ingenti apparatu, vtpote totius orbis regnator, infesta in Persas signa commouit, instructam commeatibus classem per Euphratem inuexit. Strenuus multa Persarum oppida ac castella aut suscepit dedita, aut manu cepit. Quum contra Ctesiphontem in Tigridis & Euphratis ripa iam mixta castra haberet, ludósque cãpestres, vt hosti solicitudinem demeret, & per diem agitasset, noctis in medio impositos nauibus milites in vlteriorem ripam Parthis tranuexit: quæ per ardua nitentes, quà difficilis etiam per diem, & nullo prohibente fuisset ascensus, Persas terrore subito miscuerunt, euersis agminibus totius gen-

B

tis : apertis & Ctesiphonte portis victor miles intrasset, nisi maior prædarum occasio fuisset, quàm cura victoriæ. Tantam adeptus gloriam, quum de reditu à militibus admoneretur, intentioni suæ magis credidit, & exustis nauibus, cum transfuga qui se ad fallendum obiecerat, inductus in Euman deuiam viæ compendia sectaretur : dextrum iter aduersa Tigridis ripa nudato militum latere iter relegens, quum incautius per agmen erraret, excito puluere ereptus ex suorum conspectu, ab hostium obuio equite conspecto per ilia ictus inguine tenus vulneratus est. Inter effusionem nimii sanguinis, quum suorum ordinem licet saucius instaurasset, cunctantem animam multis suos allocutus efflauit. Iouinianus præliis superiorem, sed confusum morte Imperatoris amisi suscepit exercitũ. Quum cõmeatus deficerent, & via in reditu prolixior immineret, Persæ crebris excursibus nũc à fronte, nũc à tergo, mediorũ quoque latera incursantes inter agmina morarentur, consumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt à Persis primus sermo de pace haberetur. Ac tunc confectus inedia exercitus, conditionibus (quod nunquam antea accidit) Romanæ Reip. stipendiorum impositis, vt Nisibis & pars Mesopotamiæ traderetur : quibus cupidior regni quàm gloriæ Iouinianus imperio rudis acquieuit. Quam magno deinceps ore tua princeps facta inclyta sint personanda! quibus me licet imparem dicendi nixu, & æuo grauior parabo. Maneat modo concessa dei nutu & amico cui te credideris, & creditus es numine, indulta felicitas. De hac gente, sicut de Gotthis, etiam Babylonibus tibi palma pacis accedat gloriosissime principum Valentiniane Auguste.

FINIS.

TABVLA CONCIONVM ATQVE ORATIONVM OMNIVM T. LIVII, VELVT GENERIS DIVISIONEM IN SPECIES COMPLECTENS, AD COMMVNEM omnium generum ſcribendi, dicendíque facultatem comparandam.

- Concio
  - Delibe ratio
    - Suaſio.pagin.85.B.161.B.169.B.209.A.214.A.222.A.224.B.225.A. 243.A.363.B.383.A.398.B.432.A.512.A.576.B.
    - Diſſuaſio.pagin.32.B.33.B.101.B.117.A.222.B.328.A.370.A. 399.B.
    - Adhortatio.15.B.17.A.33.B.58.B.59.A. 61.B. 66.A.74. B.76.A. 77.B.99.B.106.A.107.B.109.B.126.B.130.A.B.130.B. 133.B.135. B.158.A.175. B.189. B.197. A.&.198.A. 219.A.B.253. A.271 .B. 892.A.291.B.402.A.408.A.435.A.459.A.467.A.541.A.
    - Dehortatio.133.A.226.B.
    - Conſolatio.7.A.
    - Monitio.9.A.11.A.58.B.& 59.A.60.B. 112.A.115. A. 116.B. 129.B. 139.B.152.A.153.A.192.A.216.B.220.A.226.B.299.A.350.B.404 B.419.B.439.B.& 440.A.448.B.454.A.456.A.478.B.527.B.
    - Petitio.91.A. 94.B.112. B.123.A. 128.B.135.B.171.B.214. A.350.A. 420.B.456.B.
    - Precatio.8.B. 45.B.92.A.137.B.404.B.
    - Gratiarum actio.8.A.177.A.
    - Reconciliatio.9.A.
    - Denunciatio.25.B.
    - Congratulatio.147.B.268.B.450.B.
    - Commendatio.291.A.533.A.
  - Demonſtratio
    - Laus.255.B.514.A.
    - Vituperatio.46.A.94.A.470.B.
  - Iudiciũ
    - Accuſatio.48.B.59.B.81.A.136.B.159.A.161.B.190.B. 323.A. 476. B.501.A.534.B.
    - Defenſio uel refutatio.108.B.152.B.227.B.258.B.285.A.329.B.261. A.370.B. 387.B. 406.B. 477.A. 492. A.502.A. 522.B.535.A. 556.B.572.B.
    - Excuſatio.256.B.
    - Exprobratio.10.B.227.B.
    - Inuectiua.49.A.149.B.153.A.209.A.258.B.
    - Expoſtulatio.34.B.419.B.571.B.
    - Purgatio.24.A.191.A.
    - Querela uel conqueſtio.20.B.47.B.63.A.227.A.238.A.338.A.489 B.522.A.578.B.
    - Obiurgatio.191.B.298.A.382.B.567.A.
    - Deprecatio,uel abnegatio.58.A.146.B.
    - Comminatio.56.A.&.57.A.108.A.214.A.220.B.246.A.
    - Percontatio.78.A.108.B.136.A.145.B.387.A.509.A.

INDEX OMNIVM CONCIONVM ATQVE ORATIONVM T.LIVII EO ORDINE DIGESTVS, QVO SVpra descriptus est.

Mamerci

FINIS.

EMENDATIONES ALIQVOT IN SVPPVTATIONE ANNORVM, EX CHRONOLOGIA ALEXANDRI SCVLTETI.

In præfatione quartæ Decadis Liuianæ legitur transiisse ante primum bellum Punicum annos CCCCLXXVIII. ubi manifestus est error in sola numerorum inuersione. Debet enim legi, CCCCLXXXVII. Similiter fallit alter numerus in eadem præfatione, ubi legitur XLIII. annos intercurrisse à primo Punico ad secundum bellum finitum, cum re uera intermedij fuerint anni LXIII. Ideo etiam sola numerorum uersione commissus est hic error, debet enim legi LXIII.

Item in Liuio lib. 34. ubi fit mentio de discretione facta in ludis spectandis, cum antea Senatus illos promiscue cum populo spectasset per annos D. VIII. est apertissimum mendum, desunt enim ibi anni L. Ideo sic restituendus est Liuius, ad quingentesimum quinquagesimum octauum annum, ita quòd primum anno D. LIX. discretim spectarint ludos Merula & Thermo Coss.

Similiter in principio primi libri quartæ Decadis Liuij manifestus est error in anno urbis, ubi pro D. XL. debet legi. D. LII. quod clarissime liquet si quis sequentes annos & Coss. in eodem libro & proximo sequente usque ad Merulam & Thermum Coss. numerauerit. Illi enim sequente anno post D. LVIII. hoc est, D. LIX. anno urbis, ut præfertur, fuerunt Coss. Quare necessario consequitur hic reponi debere, D. LII.

FINIS.

QVONIAM EX AGNATIONIBVS FAMILIARVM MAGNA SAEPENVMERO DIFFICVLTAS IN HISTORIIS, ET MAXIME LIVIANIS, ORIRI SOlet, placuit hæc paucula addere ex Commentariis, Eliæ Veneti Santonis, quos in Eutropium ad G.Guerentam ſcripſit.

P.CORNELII SCIPIONIS AEMILIANI AFRICANI poſterioris, iunioris, minoríſue, qui deleuit Carthaginem, tertium bellum Punicum confecit, Numantiam excidit, genus.

Auus { *Naturalis, L.Aemilius Paulus, quem ad Cannas Conſulem cecidit Annibal.*
Adoptione, P.Cornelius Scipio Africanus ſuperior, qui contra Annibalem ſecundum bellum Punicum confecit.

Amita — Aemiliæ, ſuperioris Africani Scipionis vxor, filia L.Aemilij ſupradicti.

Pater { *Naturalis, L. Paulus Aemilius Macedonicus, illius ad Cannas cæſi filius. Hoc Liuius, Paterculus, Plutarchus.*
Adoptione, P.Cornelius Scipio (Gneus pro Publio appellatur apud Valerium lib.IIII.cap.5.) ſuperioris Africani filius, authore Cicerone de Senectute, & de claris Oratoribus, Paterculo, L. Anneo, & alijs.

Mater — Naturalis, Papiria filia Muaſonis viri Conſularis. Plutarch. in Paulo Aemilio.

Vxor — Sempronia, filia Tiberij Sempronij Gracchi, & Corneliæ minoris natu filiæ Scipionis Africani ſuperioris, & ſoror Tiberij & Caij Gracchorum ſeditioſorum illorum. Plutarch. in Gracchis, Liuius, Valerius.

Frater — Naturalis, maior natu Q. Fabius Maximus, etiam adoptatus in familiam Fabiorum.

Sororum { *Alteram M.Catonis filius,*
Alteram Aelius Tubero duxit. Plutarchus in Paulo Aemilio.

M. PORCII CATONIS GENERE TVSCVLANI, ORATOris, & Cenſoris, qui Conſul fuit anno urbis D L I X, & contra Naſicam cenſuit euertendam Carthaginem: ſub cuius tertii belli Punici initium mortuus eſt L. Martio, M. Manlio Coss. annos natus L X X X V. (Paterculus libr. 1. & Cicero de Clar. Orat.) ad Vrbis annum D C V. qui ſcripſit de Agricultura, Orationes, Origines, quíque diſputat de Senectute apud Ciceronem, filii fuerunt.

Ex priore vxore	Ex altera vxore
M.Porcius Cato maior natu, qui Prætor deſignatus patre viuo deceſſit, & libros de iuris diſciplina reliquit: cuius filius fuit	*M.Porcius Cato, cognomento Salonianus à patre matris ſuæ, longe minor natu, cuius filij duo fuerunt,*
M. Porcius Cato, qui orator ſatis vehemens multas orationes ad exemplũ aui ſcriptas reliquit: Conſul cum Q. Martio rege fuit, anno Vrbis DCXXXVI. quo anno in Africa obijt, cuius filius maior natu fuit	*L.Porcius Cato, &*
M.Porcius Cato, is qui Aedilis Curulis, & Prætor in Gallia Narbonenſi vita functus eſt.	*M.Porcius Cato. Hic Tribunus pleb. fuit, & petens præturam, mortem obijt: cuius filius fuit,*
	M.Porcius Cato Prætorius, quem in eius vita & laudibus Marcus Tullius pronepotem Catonis Cenſorij dixit: qui bello ciuili Pompeij & Cæſaris, ſe Vticæ in Africa interemit anno ætatis quadrageſimooctauo ſecundum Plutarchum: ſeu quadrageſimonono, vt habet Liuiana epitome, ſeu quinquageſimo, vt Appianus Latinus, & Vrbis DCCVIII. cuius.

Frater	Sorores	Filia	Filius
Capio.	*Seruilia mater M.Bruti, & Porcia, quæ nupſit L.Domitio.*	*Porcia vxor eiuſdem M.Bruti.*	*Cato, qui cum eodem Bruto in Philippo prælio fortiter occubuit.*

C. Octauiani Cæsaris Augusti Imperatoris genus.

- *Pater*
  - Naturalis, C. Octauius.
  - Adoptione, C. Iulius Cæsar, cuius nomina gessit.
- *Mater*
  - Accia, M. Accio Balbo, & Iulia sorore C. Iulij Cæsaris genita, quæ apud Dionem Ἀττία scribitur.
- *Sorores*
  - Octauia maior, quam C. Marcello viro suo mortuo, duxit M. Antonius. Triumuir, Plutarchus in Antonij vita.
  - Octauia minor.
- *Vxores*
  - Clodia Fuluiæ filia, M. Antonij eiusdem priuigna, quam dimisit intactam.
  - Scribonia, cum qua fecit diuortium.
  - Liuia Drusilla, quam Tiberij Neronis (qui fuit pater Tiberij Imperatoris) matrimonio prægnantem abduxit.
- *Priuigni per Liuiam*
  - Tiberius Nero post eum Imperator, quem adoptauit.
  - Drusus Nero pater Germanici, de cuius genere sequens tabella.
- *Filia*
  - Iulia ex Scribonia vxore, hanc vnam habuit.
- *Generi*
  - Marcellus Octauiæ maioris sororis filius, & eo mortuo,
  - M. Agrippa, dimissa Marcella Octauiæ maioris filia, eóque mortuo M. Valerio, P. Sulpitio Coss. (Diony. lib. LIIII.)
  - Tiberius Nero Imperator, priuignus.
- *Nepotes ex iisdem Agrippa & Iulia*
  - C. Cæsar, L. Cæsar, quos infantes adoptauit, vnde Cæsares dicti sunt, vt Tacitus li. 1. Diony. lib. LIIII.
  - Agrippa Posthumius, quem etiam adoptauit illis mortuis, sed postea abdicauit.
  - Iulia, quam duxit L. Paulus Censoris filius.
  - Agrippina, quam Germanico, de quo mox, collocauit. Suetonius in Augusto.

Germanici Cæsaris ad quem scribit Ouid. libros Fastorum

- *Pater*
  - Naturalis, Claudius Drusus Nero priuignus Octauiani Augusti, cui in castris contra Germanos mortuo Senatus cognomen Germanici & eius posteris decreuit, Sueton. in Claudio.
  - Adoptione, Tiberius Imperator patruus eius.
- *Mater*
  - Antonia iunior M. Antonij Triumuiri & Octauiæ sororis, Octauiani Augusti filia. Plutar. in Antonio.
- *Frater*
  - Naturalis, Claudius Imperator
  - Adoptione, Drusus filius Tiberij Aug. ita fratrē appellat Ouid. li. 1. Fast.
- *Soror*
  - Liuilla
- *Vxor*
  - Agrippina, M. Agrippæ & Iuliæ Octauiani Aug. filia.
- *Liberi*
  - Nero, non crudelis ille Imperator.
  - Drusus.
  - C. Caligula Imperator.
  - Agrippina, mater Neronis Imperatoris.
  - Drusilla.
  - Liuilla. Hæc ex Suetonio, Tacito, Dione, Eutropio, Victore, L. Flori Epitome in Liuium, & aliis.

ELENCHVS REGVM, CONSVLVM, DICTATORVM, DECEMVIRVM, TRIBVNORVM MILITVM,

qui consulari fuerint potestate, Prætorum, Censorum, & Pontificum Maximorum, qui prima, tertia, quarta & quinta Decadibus continentur.

REGES ET COSS. PRIMAE DECADIS.

REGES ROMANI.

CONSVLES primæ Decadis.

M.Papyrius Crassus 69.B
66 Proculus Geganius Macerinus,
L.Menenius Lanatus 69.B
67 T.Quintius Capitolinus,
Agrippa Menenius La. 70.A
68 M.Geganius Macerinus III.
L.Sergius Fidenas 71.A
69 L.Cornelius Maluginensis
L.Papyrius Crassus 71.A
70 C.Iulius iterum,
L.Virginius 72.B
71 C.Iulius III.
Virginius iterum 71.B
72 M.Manlius,
Q.Sulpitius 72.B
73 T.Quintius L. fili° Cincinnat°,
Cn.Iulius Mento 73.B
74 L.Papyrius Crassus,
L.Iulius 75.A
75 L.Sergius Fidenas iterum
Hostius Lucret.Tricipitin. 75.A
76 A.Cornelius Cossus,
T.Quintius Pœnus iterum 75.A
77 C.Seruilius Hala,
L.Papyrius Mugillanus. 75.A
78 C. vel A. Sempronius Atratinus,
Q.Fabius Vibulanus 77.A
79 Cn.Fabius Vibulanus,
T.Quintius Capitolinus Capito
lini filius 78 B
80 A.Cornelius Cossus.
L.Furius Medullinus 81 B
81 Q.Fabius Ambustus,
C.Furius Pacilus 81 B
82 M.Papyrius Atratinus
C.Nautius Rutilius 82 A
83 M.Aemylius,
C.uel P.Valerius Potitus 82 A
84 Cn.Cornelius Cossus,
L.Furius Medullinus 82 B
85 L.Lucretius Flauus,
Sergius Sulpitius Cameriu. 95 A
86 L.Valerius Potitus,
M.Manlius, 95 B
87 L.Sextius primus de plebe
L.Aemylius Mamercus 119 A
88 L.Genutius,
Q.Seruilius 119 A
89 T.Sulpitius Peticus,
C.Licinius Stolo 119 A
90 C.Genutius,
L.Aemylius iterum 119 B
91 Q.Seruilius Hala,
L.Genutius 120 A
92 L.Sulpitius,
C.Licinius Caluus 121 B
93 C.Petilius Balbus,
M.Fabius Ambustus 122 A
94 M.Popilius Lenas,
C.Manlius 122 B
95 C.Fabius,
C.Plautius 123 B
96 C.Martius,
Cn.Manlius 124 A

97 M.Fabius Ambustus iterum,
M.Popilius Lenas iterum 124 A
98 C.Sulpitius Peticus
M.Valerius Publicola 124 B
99 M Fabius Ambustus III.
T.Quintius,uel, ut quidã annales uolunt,M.Popilius III. 125 A
100 C.Sulpitius IIII.
M.Valerius Publicola iterũ 125 A
101 P.Valerius Publicola
C.Martius Rutilius è plebe 125 B
102 C.Sulpitius Peticus,
T.Quint.Pœnus uel Cæso 126 A
103 M.Popilius Lenas III. è plebe
L.Cornelius Scipio 126 A
104 Furius Camillus,
Ap.Claudius Crassus 127 A
105 M.Valerius Coruinus
M.Pop.Lenas IIII. è plebe 127 B
106 Manlius Torquatus
C.Plautius 128 A
107 M.Valerius Coruinus II.
C.Petilius 128 A
108 M.Fabius Dursuo
Ser.Sulpitius Camerinus 128 A
109 C. Martius Rutilius è plebe III.
T.Manlius Torquatus II. 128 A
110 M.Valerius Coruinus III.
A.Cornelius Cossus 128 B
111 C.Martius Rutilius è plebe
Q.Seruilius 132 B
112 C.Plaucius II.
L.Aemylius Mamercus 134.B
113 T.Manlius Torquatus III.
P.Decius Mus 135.A
114 T.Aemylius Mamercus
Q.Publius Philo 139.A
115 L.Furius Camillus
C.Mænius 139.B
116 C.Sulpitius Longus
P.Aelius Pætus. 140.A
117 L.Papyrius Crassus
Cæso Duellius 140.B
118 M.Valerius Coruinus IIII.
M.Attilius regulus 140.B
119 T.Veturius
Sp.Posthumius 140.B
120 L.Cornelius iterum
Cn.Domitius 141.A
121 M.Claudius Marcellus
T.Valerius 141.A
122 L.Papyrius Crassus iterum
L.Plautius Venox 141.A
123 L.Aemylius Mamercus
Cn.Plautius 141.B
124 P.Plautius Proculus
P.Cornelius Scapula 141.B
125 L.Cornelius Lentutus
Q.Publius Philo iterum 142.B
126 C.Petilius
L.Papyr.Mugil.vel Cursor 143.A
127 L.Furius Camillus iterum
Iunius Brutus Scæua 144.B
128 C.Sulpitius

Q.Aemyli°,vel A.Aemyl. 148.A
129 Q.Fabius
L.Fuluius 148.A
130 T.Veturius Caluinus
Sp.Posthumius 149.B
131 Q.Publius Philo
L.Papyrius Cursor 151.A
132 L.Papy.Cursor III.aut Mugill.
Q.Aulius Cæretanus 155 A
133 M.Follius Flaccina, vel L.Flac.
L.Plautius Venox 157.A
134 C.Iunius Bubulcus
Q.Aemylius Barbula 157.A
135 Sp.Nautius
M.Popilius 157.A
136 M.Petilius
C.Sulpitius 158.A
137 L.Papyrius Cursor V.
C.Iunius Bubulcus iterũ 160.A
138 M.Valerius
P.Decius 160.A
139 C.Iunius Bubulcus iterum
Q.Aemyli° Barbula iterũ 160.B
140 Q.Fabius iterum
C.Martius Rutilius iterũ 161.B
141 Q.Fabius III.
P.Decius 165.A
142 Ap.Claudius
L.Volumnius 165.B
143 P.Cornelius Aruina
Q.Martius Tremulus 165.B
144 L.Posthumius
T.Minutius 166.B
145 P.Sulpitius
P.Sempronius 166.B
146 L.Genutius
Ser.Cornelius 167.B
147 M.Liuius Denter
C.Aemylius 168.A
148 M.Valerius Maximus
Q.Apuleius Pansa 179.B
149 L.Fuluius Pætus
T.Manlius Torquat°. Suffectus
M.Valerius 170 B
150 L.Cornelius Scipio
Cn.Fuluius 171.A
151 Q.Fabius Maximus IIII.
P.Decius Mus 172.A
152 L.Volumnius
Ap.Claudius 172.B
153 Q.Fabius Maximus V.
P.Decius Mus 175.B
154 L.Posthumius Megillus
M.Attilius Regulus 179.A
155 L.Papyrius Cursor
Sp.Caruilius 181.A
156 Q.Fabius Gurges Maximi fili°
Iunius Brutus Scæua 185.A

CONSVLES
tertiæ Decadis.

234 P.Cornelius Scipio
T.Sempronius Lougus 238 A
235 Cn.Seruilius

33 M. Valerius Coruiuus dictator, L. Aemylius Mamercus magist. equit. 133.A
34 L. Papyrius Crassus dictator, L. Papyr. Cursor magist. equit. 139.A
35 P. Philo dictator, Iunius Brutus magister equitum 139.A
36 C. Claudius Regillensis dictat. C. Claudius Hortator magister equitum, vitio creati 140.A
37 L. Aemylius Mamerc⁹ dictator comitiorū causa, Q. Publius Philo magister equitum 140.B
38 P. Cornel. Ruffinus dictat. M. Anton. mag. equit. vitio creati. 140.B
39 M. Papyr. Crassus dictator. P. Valerius Publicola mag. equit. 141.A
40 Cn. Quintilius dictator claui figēdi, L. Valerius mag. equi. 141.B
41 M. Claudius Marcel. vitio creatus dictator, Sp. Postumius magister equitum 143.A
42 L. Papyrius Cursor dictator, Q. Fabius Maximus Rutilianus magister equitum 145.A
43 A. Cornelius Aruina dictator, M. Fabius Ambustus mag. eq. 148.A
44 Q. Fabius Ambustus dict. P. Aelius Pæt⁹ mag. eq. vitio crea. 152.A
45 M. Aemylius Pappus dict. L. Valerius Flaccus mag. equit. 152.A
46 L. Aemylius dictator, L. Fului⁹ magister equitum 157.A
47 Q. Fabius dictat. Q. Cæretanus moritur in prælio magist. equit. suffectus C. Fabius 157.B
48 C. Mænius dict. quæstionib. exercendis, M. Follius mag. eq. 159.A
49 C. Petilius dictator, M. Follius magister equitum 160.A
50 L. Papyrius Cursor III. dictator, C. Iunius Bubulcus ma. eq. 164.A
51 P. Cornelius Scipio dictator, P. Decius Mus magist. equit. 166.B
52 C. Iunius Bubulcus dictator, M. Titinius magist. equitum 168.A
53 M. Valerius Maximus dictat. M. Aemyli⁹ Paulus mag. equ. 168.B

DICTATORES tertiæ Decadis.

1 Q. Fabius Maximus, M. Minutius Rufus magist. equit. 207.B
2 L. Veturius Philo comitiorum causa dictator, M. Pomponius Matho magister equitum 215.A
3 M. Iunius dictator, T. Sempronius magister equitum 221.B
4 M. Fabius Buteo dictator sine magistro equitum 231.B
5 C. Claudius Cento dictator, Q. Fuluius Flaccus mag. equ. 257.B
6 Q. Fuluius Flaccus dictator, P. Licinius Crassus mag. equi. 295.A
7 L. Manlius Torquatus dictator, C. Seruilius magist. equit. 306.A
8 M. Liuius dictator, Q. Cæcilius magister equitum 316.B
9 Q. Cæcilius Metellus dict. L. Veturius Philo magist. equit. 356.A
10 P. Sulpitius dictator, M. Seruilius magister equitum 354.A
11 Cn. Seruilius Geminus dictator, P. Aelius Pætus mag. equit. 359.B

DECEMVIRI.

1 Appius Claudius pag. 52.B
T. Genutius
P. Sextius
L. Veturius
C. Iulius
A. Manlius
P. Sulpitius
P. Curiatius
T. Romulius
Sp. Posthumius
2 Appius Claudius 53.A
M. Cornelius Maluginensis
M. Sergius
L. Minutius
Q. Fabius Vibulanus
Q. Petilius
T. Antonius Mercuda
Cæso Duelius
Sp. Oppius Cornicen
M. Rabuleius.

TRIBVNI MILIT. consulari potestate.

1 A. Sempronius Atratinus
L. Attilius
T. Cæcilius 68.A
2 L. Quintius Cincinnati filius
Mamercus Aemylius
L. Iulius 71.A
3 M. Fabius Vibulanus
M. Folius
L. Sergius Fidenas 73.A
4 L. Pinarius Mamercus
L. Furius Medullinus
Sp. Posthumius Albus 73.A
5 T. Quintius Pœnus ex cōsulatu
C. Furius
M. Posthumius
A. Cornelius Cossus 75.A
6 A. Sempronius Atratinus
L. Quintius Cincinnatus
L. Furius Medullinus
L. Horatius Barbatus 76.B
7 Cl. Crassus
Sp. Nautius Rutilius
T. Sergius Fidenas
Sex. Iulius Tullus 76.A
8 L. Manlius Capitolinus
Qu. Antonius Merenda
L. Papyrius Mugillanus 78.B
9 L. Quintius Cincinnatus III.
Sex. Furius Medullinus iterum
M. Manlius
A. Sempronius Atratinus 79.A
10 Agrippa Menenius Lauatus
P. Lucretius tricipitinus
Sp. Nautius 79.B
11 L. Sergius Fidenas
M. Papyrius Mugillanus
C. Seruilius Prisci filius 79.B
12 Agrippa Menenius Lanatus
L. Seruilius Structus
P. Lucretius tricipitiuus 80.A
13 Sp. Rutilius Crassus
A. Sempronius Atratinus III.
M. Papyrius Mugillan. iterū 80.A
Sp. Nautius Rutilius iterum 80.A
14 P. Cornelius Cossus
C. Valius Potitus
Quintius Cincinnatus
M. Fabius Vibulanus 80.B
15 Cn. Cornelius Cossus
L. Valerius Potitus
Q. Fabius Vibulanus iterum
M. Posthumius Regillensis 81.A
16 C. Iulius Tullus
Cn. Cornelius Cossus
C. Seruilius Hala
17 L. Furius Medullinus
C. Valerius Potitus iterum
Cn. Fabius Tibulanus
C. Seruilius Hala 83.B
18 P. Cornelius Cossus
Cn. Cornelius Cossus
C. Fabius Ambustus
L. Valerius Potitus iterum 83.B
19 T. Quintius Capitolinus
Qu. Quintius Cincinnatus
C. Iullius Tullus iterum
A. Manilius
L. Furius Medullinus III.
M. Aemylius Mamercus 84.B
20 C. Valerius Potitus III.
M. Sergius Fidenas
P. Coruelius Maluginensis
C. Cornelius Cossus
C. Fabius Ambustus
Sp. Nautius iterum 84.B
21 M. Aemylius Mamercus iterum
L. Valerius Potitus III.
Ap. Claudius Crassus
M. Quintilius Varus
M. Iullius Tullus
M. Posthumius
M. Furius Camillus
M. Posthumius Albinus iterum omnes
22 C. Seruilius Hala III.
Q. Seruilius
P. Virginius
Q. Sulpitius
A. Manilius iterum
M. Sergius iterum 87.B
23 L. Valerius Potitus IIII.
M. Furius Camillus iterum
M. Aemylius Mamercus III.
C. Cornelius Cossus iterum
C. Fabius Ambustus
L. Iulius Tullus 88.B
24 P. Licinius Caluus ex plebe
P. Manlius

P.Manlius
P.Titinius
P.Melius
L.Furius Medullinus
L.Popilius Volscus 89.B
M.Veturius patricius
V. PLEBEII
25 L.Titinius
P.Menenius
Racilius
Cn.Genutius
L.Attilius 89.B
PATRICII OMNES.
26 L.Valerius Potitus v.
M.Valerius Maximus
M.Furius Camillus III.
L.Furius Medullinus III.
Q.Seruilius Fidenas iterum
Qu.Sulpit.Camerinus iterũ 90.A
PATRICII.
27 L.Iulius Tullus
P.Furius Medullinus IIII
L.Sergius Fidenas
A.Posthumius Regillensis
P.Cornelius Maluginensis
A.Manilius 90.B
PLEBEI.
28 P.Licinius iterum
L.Titinius
P.Menenius
Cn.Genutius
L.Attilius
P.Licinius filius Licinii pro patre 91.A
PATRICII
29 P.Cornelius Cossus
P.Cornelius Scipio
M.Valerius maximus iterum.
C.Fabius Ambustus iterum
L.Furius Medullinus v.
Q.Seruilius III. 93.A
PATRICII.
30 M.Furius Camillus III.
L.Furius Medullinus VI.
C.Aemylius
L.Valerius Publicola
Sp.Posthumius
P.Cornelius iterum 94.A
PATRICII.
31 L.Lucretius Flauus
Ser.Sulpitius
M.Aemylius
L.Furius Medullinus VII.
Agrippa Furius
C.Aemylius iterum. 95 B.
PATRICII.
32 Fabii tres
P.Sulpitius Longus
Q.Seruilius IIII.
P.Seruilius Maluginensis 97.A
PATRICII.
33 A.Valerius Publicola iterum
L.Virginius
P.Cornelius

A.Manlius
L.Aemylius
L.Posthumius 103.B
PATRICII.
34 T.Quintius Cincinnatus
Q.Seruilius.Fidenas v.
Iulius Tullus
L.Aquilius Coruus
L.Lucretius Tricipitinus
Ser.Sulpitius Ruffus 104.B
PATRICII.
35 L.Papyrius
Cn.Sergius
L.Aemylius iterum
L.Licinius
M.Menenius
L.Valerius Publicola III. 105.A
PATRICII.
36 M.Furius Camillus IIII.
Sergius Cornelius Maluginensis
Q.Seruius Fidenas VI.
L.Quintius Cincinnatus
L.Horatius Puluillus
P.Valerius 105.A
PATRICII.
37 A.Manlius.
P.Cornelius
T.Quintius Capitolinus iterum
L.Quintius Capitolinus iterum
L.Papyrius Cursor 107.A
PATRICII.
38 Sergius Cornel.Maluginẽsis II.
P.Valerius potitus iterum
M.Furius Camillus v.
Ser.Sulpitius Ruffus iterum
C.Papyrius Crassus
T.Quinti⁹ Cincinnatus II. 109.A
PATRICII.
39 L.Valerius IIII.
A.Manlius III.
Ser.Sulpitius III.
L.Lucretius
L.Aemylius III.
M.Trebonius 110.B
PATRICII.
40 Sp.Papyrius
L.Papirius
Sergius Cornel.Maluginẽsis IIII.
Q.Seruilius IIII.
C.Sulpitius IIII.
L.Aemylius IIII. 110.B
PATRICII.
41 M.Furius Camillus VII.
A.Posthumius Regillensis
L.Posthumius Regillensis
L.Furius
L.Lucretius
M.Fabius Ambustus 111.A
PATRICII
42 L.Valerius v.
P.Valerius III.
C.Sergius III.
Licinius Menenius II.
P.Papyrius

Sergius Cornelius 111.B
PATRICII
43 P.Manlius
C.Manlius
L.Iulius
PLEBEII
C.Sextilius
M.Albinus
L.Antistius 113.B
PATRICII.
44 Sp.Furius
Q.Seruilius II.
Licinius Menenius III.
P.Clœlius
M.Horatius
L.Geganius 113.B
PATRICII.
45 L.Aemylius
P.Valerius IIII.
C.Veturius
Seruius Sulpitius
L.Quintius Cincinnatus
C.Quintius Cincinnatus 114.A
PATRICII.
46 L.Furius
A.Manilius
Sergius Sulpitius
Sergius Cornelius
A.Valerius
C.Valerius 115.B
PATRICII.
47 Q.Seruilius
C.Veturius
A.Cornelius
M.Cornelius
Q.Quintius.
M.Fabius 115.B
PATRICII.
48 T.Quintius
Ser.Cornelius
Ser.Sulpitius
Sp.Seruilius
L.Papyrius
L.Veturius 116.A
PATRICII.
49 A.Cornelius iterum
M.Cornelius iterum
M.Geganius
P.Manlius
L.Veturius
P.Valerius VI. 118.A

PRAETORES
primæ Decadis.

1 Sp.Furius Marci filius 119.A
2 P.Valerius Publicola 126.B
3 L.Pinarius 127.A
4 T.Aemylius 134.B
5 Q.Publius Philo primus è plebe 140.B
6 L.Papyrius 141 A
7 M.Valerius 164.B
8 P.Sempronius 174.B
9 Ap.Claudius 175 B
10 M.Attilius 184.A

11 L.Papyrius Cursor iuuior 190.B

PRAETORES tertiæ Decadis.

1 L.Manlius 191.A
2 C.Attilius 193.A
3 M.Pomponius 207.A
4 M.Aemylius 207 B
5 C.Terentius Varro 213.A
6 M.Pomponius Matho
P.Furius Philus
M.Claudius Marcellus
L.Posthumius Albinus 217.B
7 M.Valerius Leuinus
App.Claudius Pulcher
Qu.Fuluius Flaccus
Qu.Mutius Scæuola 232.A
8 Qu.Fuluius Flaccus
T.Octacilius iterum
Q.Fabius consulis Fabii filius
P.Cornelius Lentulus 243.B
9 M.Attilius
P.Sempronius Tuditanus
Cn.Fuluius Centimalus
M.Aemylius Lepidus 255.A
10 Cn.Fuluius Flaccus
Claudius Nero
M.Iunius Syllanus
P.Cornelius Sulla 257.B
11 L.Cornelius Lentulus
Cornelius Cethegus
C.Sulpitius
C.Calpurnius Piso 273.B
12 P.Manlius Volso
L.Manlius Acidinus
C.Lectorius
L.Cincius Alimentius 281.A
13 C.Hostilius Tubulus
L.Veturius Philo
T.Quintius Crispinus
C.Auronculeius 295.B
14 P.Licinius Crassus Diues
P.Liciuius Varus
Sex.Iulius Cæsar
Qu.Claudius Flamen 302.A
15 L.Portius Licinius
C.Manlius
A.Hostilius Cato
C.Hostilius Cato 306.B
16 C.Seruilius
M.Cæcilius
T.Claudius Asellus
Qu.Manlius Thurinus 316.B
17 Sp.Lucretius
Cn.Octauius
Cn.Seruilius Cæpio.
L.Aemylius Pappus 327.B
18 T.Claudius Nero
M.Martius Ralla
L.Scribonius Libo
M.Pomponius Matho 336.A
19 P.Cornelius Lentulus
P.Quintilius Varus
P.Aelius Pætus
P.Villius Tappullus 346.A
20 M.Sextius Sabinus
Cn.Tremellius Flaccus
C.Liuius Salinator
C.Aurelius Cotta 334.B
21 M.Iunius Pœnus
M.Valerius Falco
M.Fabius Buteo
P.Aelius Tubero 359.B

PRAETORES quartæ Decadis.

1 Qu.Minutius Ruffus
L.Furius Purpurio
Q.Fuluius Gillo
Cn.Sergius Plancus 363.A
2 L.Quintius Flaminius
L.Valerius Flaccus
L.Villius Tappulus
C.Bebius Pamphilus 376.B
3 L.Cornelius Merula
M.Claudius Marcellus
M.Portius Cato
C.Heluius 378.B

VI PRIMVM CREATI

4 L.Manlius Volso
Cn.Sempronius Tuditanus
M.Sergius Sillus
M.Heluius
M.Minutius Ruffus
L.Acilius 385.B
5 Qu.Fabius Buteo
T.Sempronius Longus
Qu.Minutius Thermus
M,Acilius Glabrio
L.Apustius Fullo
C.Lælius 391.B
6 C.Fabritius Luscinus
C.Atinius Labeo
C.Manlius Volso
App.Claudius Nero
P.Manlius Nobilior
C.Flaminius,vel P.Portius Lecca 396.A
7 P.Cornelius Scipio
Cn.Cornelius Merenda
Cn.Cornelius Blasius
Cn.Domitius Aenobarbus
Sex.Digitius
T.Iuuentius Talua 410.A
8 L.Cornelius Scipio
M.Fuluius Nobilior
C.Scribonius
M.Valerius Messala
L.Portius Licinius
C.Flaminius 412.B
9 L.Scribonius Libo
M.Fuluius Centimalus
A.Attilius Seranus
M.Bebius Pamphilus
L.Valerius Tappus
10 Qu.Salonius Sarra 418.A
L.Aemylius Paulus
M.Aemylius Lepidus
M.Iunius Brutus
A.Cornelius Mammula
C.Liuius
11 L.Oppius 422.B
M.Tuccius
L.Auruuculeius
Cn.Fuluius
L.Aemylius
P.Iunius
C.Attinius Labeo 443.A
12 Qu.Fabius Labeo
Qu.Fabius Pictor
M.Sempronius Tuditanus
Sp.Posthumius Albinus
L.Plotius Hypseus
L.Bebius diues 457.B
13 Qu.Martius Philippus
M.Claudius Marcellus
C.Stertinius
C.Catinius
P.Claudius Pulcher
L.Manlius Acidinus 471.B
14 Ap.Claudius Pulcher
Ser.Sulpitius Galba
Qu.Terentius Culleo
L.Terentius Massaliota
Qu.Fuluius Flaccus
M.Furius Crassipes 475.B
15 T.Mænius
P.Cornelius Sulla
C.Calpurnius Piso
M.Licinius Lucullus
C.Aurelius Scaurus
L.Quintius Crispinus 483.A
16 P.Cornelius Cethegus
A Posthumius Albinus
C.Afranius Stellio
C.Attilius Seranus
L.Posthumius Tempsanus
M.Claudius Marcellus 488.A
17 C.Decimius Flauus
P.Sempronius Longus
P.Cornelius Cethegus
Q.Næuius Matho
C.Sempronius Blæsus
A.Terentius Varro 491.A
18 C.Valerius flamen dialis
Sp.Posthumius Albinus
P.Cornelius Sisenna
L.Puppius
L.Iulius.
Cn.Sicinius 495.A
19 Qu.Fuluius Flaccus
M.Valerius Leuinus
L.Manlius iterum
M.Ogulnius Gallus
L.Cæcilius Dentrix
C.Terentius Istra 498.B
Q.Fabius Maximus
20 Q.Fabius Buteo
T.Claudius Nero
Q.Petilius Spurinus
M.Pinarius Posca
L.Duronius

T.Semp

PRAETORES	CENSORES	PONT.MAX.
T.Sempronius Gracchus	L.Iunius Annalis 531.B	11 P.Cornelius Aruina
L.Posthumius Albinus	L.Hortensius	M.Martius Rutilius 184.B
P.Cornelius Mamercus	Q.Mænius	CENSORES tertiæ Decadis.
T.Minutius Mellieulus	M.Recius 545.A	L.Aemylius
C.Claudius suffectus	C.Decimius	L.Flaminius 231.A
A.Hostilius Mancinus	M.Claudius Marcellus	P.Furius Philus
C.Mænius 508.B	M.Sulpicius Gallus	M.Attilius 254.B
C.Cornelius Scipio	C.Martius Figulus	L.Veturius Philo
L.Valerius Leuinus	Sergius Cornelius Lentulus	P.Licinius Crassus 295.B
Qu.Mutius Scæuola	P.Fonteius Capito 546.B	M.Cornelius Cethegus
P.Mutius Scæuola 510.B	Cn.Bæbius Pamphilus	P.Sēpronius Tuditanus 297.B
M.Titinius	L.Anicius Gallus	L.Veturius
T.Claudius Nero	Cn.Octauius	P.Licinius 306.B
T.Fonteius Capito. 515.A	P.Fonteius Balbus	M.Liuius
PRAETORES quintæ Decadis.	M.Ebutius Helua	C.Claudius Nero 345.B
1 P.Aemylius Tubero iterū	C.Papyrius Carbo 555.B	CENSORES quartæ Decadis.
C.Quintius Flaminius	Qu.Cassius	1 P.Cornelius Scipio Africanus
C.Numisius	M.Iuuentius Talua	P.Aelius Petus 378.B
C.Mummius	Tib.Claudius Nero	Sex.Aelius Pætus
Cn.Cornelius Scipio	Cn.Fuluius	C.Cornelius Cethegus 410.B
C.Valerius Leuinus 517.B	C.Licinius Nerua	T.Quintius Flaminius
M.Popilius Lenas	A.Manlius Torquatus 569.B	M.Claudius Marcellus 411.A
P.Licinius Crassus	L.Iulius	M.Porcius Cato
M.Cornelius Scipio	L.Apuleius Saturninus	L.Valerius Flaccus 494.B
L.Papyrius Maso	A.Licinius Nerua	M.Aemylius Lepidus
M.Aburius	P.Rutilius Caluus	M.Fuluius Nobilior 503.B
L.Aquilius Gallus 519.B	P.Quintilius Varus	PONTIFICES maximi primæ Decadis.
M.Attilius	M.Fonteius 579.B	1 Q.Furius 59.A
Cn.Seruilius Cepio	CENSORES primæ Decadis.	2 A.Cornelius 74.A
P.Furius Philus	1 L.Papyrius Mugillanus	3 M.Fabius 98.B
L.Claudius	L.Sempronius Atratinus 68.B	4 Cornelius Barbatus 167.A
L.Cornelius Scipio 521.B	2 C.Furius Paeilius	PONTIFICES maximi tertiæ Decadis.
Cn.Fabius Buteo	M.Gegaoius Macerinus 72.B	1 L.Cornelius Lentulus 257.B
M.Matienus	3 C.Sulpitius Camerinus	2 M.Cornelius Cethegus 257.B
C.Cicereius	Sp.Posthumius Regillēsis 112.B	3 P.Licinius Crassus 258.B
M.Furius Crassipes iterum	4 Sp.Seruilius Priscus	PONTIFICES maximi quartæ Decadis.
A.Attilius Seranus iterum	Qu.Cloelius Siculus 113.B	M.Sēpronius Tuditanus 495.B
C.Cluuius Saxula iterū 524.A	5 Manlius Neuius	C.Seruilius 511.A
C.Licinius Crassus	C.Martius Rutilius 116.A	M.Aemylius Lepidus 512.A
M.Iunius Pœnus	6 P.Philo	
Sp.Lucretius	Sp.Posthumius 141.A	
Sp.Cluuius	7 Ap.Claudius	
Cn.Sicinius	C.Plautius 160.A	
C.Memmius iterum 526.B	8 Q.Fabius	
C.Sulpitius Galba	P.Decius 167.B	
L.Furius Philus	9 C.Iunius Bubulcus	
L.Canuleius Diues	M.Valerius Maximus 168.B	
C.Lucretius Gallus	10 P.Sempronius Sophus	
C.Caninius Rebilus	P.Sulpitius Auerrio 170.B	

FINIS.

ROMANAE LIQVORVM MENSVRAE, MAIORES IN MINORES DISTRIBVTAE.

In primis ſunt antiquæ numerorum notæ cognoſcendæ.

I	I	ſignificat unum	IↃ.	pro D.	500	quingenta
V	5	quinque	CIↃ.	pro M.	1000	mille
X	10	decem	IↃↃ.		5000	quinque millia
L	50	quinquaginta	CCIↃↃ		10000	decem millia
C	100	centum	IↃↃↃ		50000	quinquaginta millia
D	500	quingenta	CCCIↃↃↃ		100000	centum millia
M	1000	mille	IↃↃↃↃ		500000	quingenta millia
Supra quinquaginta etiam his utebantur notis.			CCCCIↃↃↃↃ		1000000	decies centenamillia

Et hæc licet quantumuis multiplicare.

Omnes numeri, omniſque ſumma, harum notarum acceſsione creſcunt & multiplicantur, detractione decreſcunt.

Prima nota I, ſi cui notæ præponatur, id eſt à tergo ponatur, unum detrahit. ut IX, nouem ſignificat.

Linea tranſuerſa notis ſuperpoſita, eas notas tot millia continere innuit, quot alioqui minores numeros cõtineret: uelut exempli gratia, $\overline{III}$. tria millia. $\overline{VII}$. ſeptem millia. $\overline{X}$, decem millia, & eodem in reliquis modo.

Culeus igitur, ut hinc capiamus initium, capit Amphoras XX. Vrnas XL. Congios CLX. Sextarios DCCCCLX. Heminas MDCCCCXX. quartarios $\overline{III}$.DCCCXL. Acetabula VII.DCLXXX. cyathos $\overline{XI}$DXX. Ligulas $\overline{XLVII}$XXX.

Amphora capit urnas II, congios VIII, ſextarios XLVIII, heminas XCVI, quartarios CXCII, acetabula CCCXXXIIII, cyathos DLXXVI, ligulas MMCCCIIII.

Vrna capit congios IIII. ſextarios XXIIII. heminas XLVIII. quartarios XCVI. acetabula CXCII. cyathos CCLXXXVIII. ligulas MCLII.

Congius capit ſextarios VII. heminas XII. quartarios XXIIII. acetabula XLVIII. cyathos LXXII. ligulas CCLXXX.

Sextarius capit heminas II. quartarios IIII. acetabula VIII. cyathos XII. ligulas XLVIII.

Hemina, quartarios duos, acetabula quatuor, cyathos ſex, ligulas XXIIII.

Quartarius, acetabula duo, cyathos tres, ligulas XII.

Acetabulum, cyathum cum dimidio, ligulas VI.

Cyathus, ligulas ſiue cochlearia IIII.

LIBRA quoque, cùm menſura eſt, capit uncias XII.

Ligula, drachmas III, & ſcriptulum unum.

Cyathus ſeſcunciam, drachmam & ſcriptulum

Acetabulum, uncias II, cum dimidia.

Quartarius, V.

Hemina, un. IX.

Sextarius, un. XX.

Congius, libras X.

Vrna, libras XL.

Amphora, libras LXXX.

Culeus, libras MDC.

Romanæ aridorum menſuræ.

Modius capit duos ſemodios, acetabula CXXVIII, cyathos CXCII, ligulas DCCLXVIII.

ſextar

ſextarios x v i. heminas x x x i i.
Semodius,ſextarios v i i i. heminas x v i, acetabula l x i i i i. cyathos x c v i, ligulas c c c l x x x i i i i.
Sextarius,heminas duas,& reliqua ut in liquidis.
Hemina,acetabula i i i i.
Acetabulum,ſeſquicyathum.
Cyathus,ligulas i i i i.
LIBRA quoque cùm menſura eſt,in aridis uſi ſunt ueteres.
Modius continet libras x x v i,uncias v i i i.
Semodius,libras x i i i,uncias i i i i.
Sextarius,uncias x x.
Hemina,uncias x.
Acetabulum,uncias duas cum dimidia.
Cyathus,ſeſcunciam,drachmam,& ſcriptulum.
Ligula,drachmas i i i,& ſcriptulum unum.

Græcæ liquorum menſuræ,maiores in minores diſtributæ.

Metretes,cadus,ceramius,idem.capit choas x i i, ſextarios l x x i i, cotylas c x l i i i i, quartarios c c l x x x v i i i, oxybapha d l x x v i, cyathos d c c c l x i i i i. conchas m d c c x x v i i i,myſtra m m m c c c c l v i,chemas IIII, c c c x x, cochlearia VIIIDCXL.
Chus,ſiue choeus,Romanis congius,capit ſextarios v i,cotylas x i i,quartarios x x i i i i, oxybapha x l v i i i, cyathos l x x i i, conchas c x l i i i i, myſtra c c l x x x v i i i, chemas c c c l x,cochlearia d c c x x.
Sextarius, capit cotylas i i, quartarios i i i i, oxybapha. v i i i cyathos x i i, conchas x x i i i i,myſtra x l v i i i,chemas l x,cochl.c x x.
Cotyla,& hemina,& tryblion,capit quartarios i i,oxybapha i i i i,cyathos v i. conchas x i i,myſtra x x i i i i,chemas x x x,cochlearia l x.
Quartarius,capit oxybapha duo,cyathos tres,conchas v i,myſtra x i i,chemas x v,cochlearia x x x.
Oxybaphum,ſiue acetabulum, capit ſeſquicyathum, conchas i i i, myſtra v i, chemas v i i,cum dimidia,cochlearia x v.
Cyathus,capit conchas duas,myſtra quatuor,chemas v,cochlearia x.
Concha,capit myſtra duo, chemas duas,cum dimidia,cochlearia v.
Myſtrum,capit chemen unam,& ipſius partem quartam,cochlearia duo,cum dimidio.
Cheme,capit cochlearia i i.
Cochlearium,minima menſura eſt.
Concha duplex fuit,maior & minor.maior,æqualis fuit oxybapho:minor,ſemicyathum capit.
Myſtrum quoque maius, decimaſexta pars cotyles eſt:pendet drachmas tres cum dimidia,& quartam drachmæ partem.minus uerò,uiceſima ſecunda cotyles pars,pendet drachmas duas,ſcriptula duo,ſiliquam unam,& grani undecimas quatuor.
Cheme item duplex.maior,cotyles pars uigeſima,pendet drachmas tres:minor,eiuſdem cotyles pars trigeſima,pendet drachmas i i.
Ligulæ, ſiue cochlearia item uaria fuere : alia maiora, alia minora. ſed nullum eo quod nos ſuprà notauimus, maius.minimum,x x i i i i, aut etiam trigeſima eſt cyathi pars, mediocre decima.

Deiiſdem menſuris,cum per uncias & libras æſtimantur.

Metretes,capit libras c v i i i.
Chus,libras i x.
Sextarius,libram cum ſemiſſe.
Cotyle,uncias i x.
Quartarius,uncias quatuor cum dimidia.

Oxybaphum,uncias duas,drachmas duas.
Cyathus,ſeſcunciam.
Concha,drachmas vi.
Myſtrum,drachmas tres.
Cheme,drachmas duas,ſcriptulum unum,grana quatuor,& quintas grani quatuor.
Cochlearium, dracbmam unam, ſcriptulum dimidium, grana duo, & duas eiuſdem quintas.

Graecæ aridorum menſuræ,ut in alijs fecimus.

Medimnus, capit chœnices xlviii, ſextarios lxxii, cotylas cxliiii, oxybapha dlxxvi,cyathos dccclxiiii,cochlearia $\overline{\text{VIII}}$ dcxl.
Chœnix,capit ſeſquiſextarium,cotylas tres,oxybapha xii, cyathos xviii,cochlearia clxxx.
Sextarius,capit cotylas ii,oxybapha viii,cyathos xii,cocblearia cxx.
Cotyle,capit oxybapha quatuor,cyathos ſex,cochlearia lx.
Oxybaphon,capit ſeſquicyathum,cochlearia xv.
Cyathus,capit cochlearia x.

Ruſticæ menſuræ Graecorum,in liquidis tantùm.

Metretes,continet amphoras duas, choas viii,cotylas cxvi,oxybapha ccclxxxiiii, cyathos dlxxvi.myſtra mmccciiii.
Amphoreus,capit choas iiii,cotylas xlviii,oxybapha cxcii,cyathos cclxxxviii, myſtra mclii.
Chus,capit cotylas xii,oxybapha xlviii,cyathos lxxii,myſtra cclxxxviii.
Cotyle,capit oxybapha quatuor,cyathos vi,myſtra xxiiii.
Oxybaphon,capit ſeſquicyathum,myſtra vi.
Cyathus,capit myſtra quatuor.

Eædem menſuræ per unciam & libram.

Metretes,continet libras cviii.
Amphoreus,libras liiii.
Chus,libras xiii,cum dimidia.
Cotyle,libram,& ſeſcunciam.
Oxybaphon,uncias tres,& drachmas tres.
Cyathus,uncias duas,& drachmas duas.
Myſtrum,drachmas quatuor,cum dimidia.

Ruſticæ menſuræ Graecorum,in aridis rebus,eadem ratione.

Medimnum,capit modios Romanos vi,ſemimedimna duo,tertiarios tres,ſextarios vi, ſemiſextarios xii,ſemiduodecimas uigintiquatuor,chœnicas quadragintaocto, cotylas cētum quadragintaquatuor,oxybapha dlxxvi,cyathos dccclxiiii, myſtra $\overline{\text{III}}$ ccccclvi.
Semimedimnum, capit tertiariū cum dimidio,ſextarios tres, ſemiſext.vi,ſemiduodecimas xii, chœnicas uigintiquatuor, cotylas lxxii, oxybapha cclxxxviii,. cyathos ccccxxxii,myſtra mdccxxviii.
Tertiarius medimni,capit ſext.duos, ſemiſext.quatuor,ſemiduodecim. octo, chœnicas xvi,cotylas quadragintaocto:oxybapha cxcii, cyathos cclxxxviii,myſtra mclii.
Sextarius hic,capit ſemiſext.duos,ſemiduod.quatuor,chœnicas octo.cotyl. uigintiquatuor,oxybapha xcvi.cyathos cxliiii,myſtra dlxxvi.
Semiſextarius,capit ſemiduod. duas, chœnicas quatuor, cotylas duodecim, oxybapha quadragintaocto,cyathos lxxii,myſtra cclxxxviii.
Semiduodecima medimni pars, capit chœnicas duos, cotyl.vi, oxyb.uigintiquatuor, cyathos xxxvi,myſtra centum quadragintaquatuor.
Chœnix,capit cotylas tres,oxybapha xii,cyat.xviii,myſtra lxii.
Cotyle,capit oxybapha quatuor,cyath. vi.myſtra uigintiquatuor.

Oxyb

Oxybaphon,capit ſeſquicyathum,myſtra VI.

Cyathus,capit myſtra quatuor.

Ponderum uarietas pro rerum generibus,quas metimur.

Sed in his omnibus menſuris habenda eſt ratio rerum, quas metiri uolumus. Nam uinum oleo nona parte grauius eſt,& mel uino tertia ferè parte. Aqua proximè ad uinum pondere accedit:& in his quæ puriora ſunt, impuris & fœculentis ſunt leuiora. In aridis etiam hordeum grauius eſt auena,far hordeo,triticum farre.quinetiam triticum tritico grauius reperitur,atque item in aliis. Id quod exemplo declaramus,primùm de Romanis,deinde de Græcis.

Culeus igitur oleo plenus, pendet libras M C C C X X X I I I, & uncias quatuor. Culeus uino plenus,pendet libras M C C C C L X X X I,uncias V,drachmas VI,ſiliquas quatuor. Culeus mellis, pendet libras M M C C X X I I, uncias duas, drachmas V, ſcriptulum unum.

Ligula plena oleo, pendet drachmas duas, ſcriptula item duo, ſiliquas duas. Ligula uini,pendet drachmas tres,ſiliquã unam,grana duo,& duas nonas grani. Ligula mellis,pendet drachmas quatuor,cum dimidia, ſiliquas duas,granum unum, & tertiam grani partem.

Atticæ menſuræ,quibus & medici ſunt uſi interdum.

Metretes ole plena,pendet libras C X:uini,libras C: mellis,C L.

Cyathus olei,pendet unciam unam,drachmas duas:uini,unciam unam,drachmas tres, ſiliquas duas:mellis uncias duas & ſcriptula duo.Ex his facilè quiuis proportione poteſt & alias menſuras æſtimare.

Georgicæ,id eſt ruſticæ menſuræ.

Metretes,idem eſt hic cum Attico in omnibus.

Amphoreus olei,pendet libras X L V,uini L,mellis L X X V.

Chus olei,pendet libras X I,& uncias tres:uini, libras X I I, cum dimidia.mellis, X V I I I, & uncias I X.

Cotyle olei,pendet uncias X I, & drachmas duas:uini, libram unam, & drachmas quatuor:mellis,ſeſquilibram,& drachmas V I.

Oxybaphum olei, pendet uncias I I, drachmas V I, cum dimidia: uini, uncias tres, & drachmam unam:mellis,uncias quatuor,& drachmas V,cum dimidia.

Cyathus olei,pendet unciam unam,drachmas V I I:uini,uncias I I,& ſcriptula I I:mellis, uncias I I I,drachmam unam.

Et hæ menſuræ medicis maximè fuerunt in uſu.

Cotyle olei proportione ſuper tertia ad Atticam, pendet uncias X:uini, uncias undecim, ſcriptula I I,obolum unum,ſiliquam unam:mellis,libram unam, uncias I I I I. drachmas V.ſcriptulum unum.

Oxybaphum olei,pendet uncias V:uini,uncias V cum dimidia, ſcriptulum unum, ſiliquas duas:mellis,uncias V I I I,drachmas duas,ſcriptula duo.

Cyathus olei pender unciam unam,drachmas V, ſcriptulum unum:uini, unciam unam, drachmas ſex,ſcriptula duo,ſiliquas duas,grana duo,& duas tertias grani:mellis, uncias duas,drachmas V I,obolum unum,ſiliquam unam.

Myſtrum olei pendet drachmas tres,ſcriptulum unum: uini,drachmas I I I,ſcriptula I I, grana I I,& duas grani tertias:mellis,drachmas V cum dimidia,ſiliquam unam.

Cochlearium olei pendet drachmam unam,ſcriptula I I:uini,drachmam unam, ſcriptula I I,obolum unum,granum unum,& grani tertiam partem:mellis,drachmas I I.ſcriptula I I,ſiliquam unam.

In aridis uix aliquid certi ſtatui poteſt: niſi quòd modius leuiſsimi tritici pendet libras X X:grauiſsimi,libras X X V I I.Sal cum metallis comparatur.

De ponderibus Romanis.

Libra, quæ & pondo, & as dicitur,ſiue aſsis, inter minora pondera maximum eſt, inter maiora minimum, continet uncias X I I.Fuit autem libra Romana aliquanto maior, quàm

quàm mina Attica, ut ex drachma intelligi potest.

Libra, & pondo, omnia maiora pondera confecerunt Romani: nisi quod interdum à libra libralis, quod unius est libræ, dixerunt. Item bilibris, trilibris, quadrilibris, duarum, trium, & quatuor librarum.

A pondus, dupondius, à duobus ponderibus, quòd unum pondus asſipondium diceba-tur: id ideo, quòd As erat libræ pondus. Et centumpondium, centum librarum.

A pondo quoque, & duapondo, & trepondo, id est tria pondo, facta à ueteribus sunt.

Pondo igitur si solum ponitur, libram notat: si alteri adiicitur ponderis uocabulo, pondus simpliciter significat: ut in his, pondo uncia, pondo semuncia: ut à libra & uncia & aliis, cùm mensuræ sunt, distinguatur.

Libræ partes sunt: uncia, per se: sextans, duæ unciæ: quadrans, tres: triens, quatuor: quincunx, quinq;: semis, sex, quæ etiam selibra dicitur: septunx, septem: bes, octo: dodrans, nouem: dextans, decem: deunx, undecim.

Libra in æquas partes sic diuiditur, in semisses II, trientes III, quadrantes IIII, sextantes VI, sescuncias VIII, uncias XII.

In partes impares hoc modo: In deuncem, & unciam: in dextantem, & sextantem: in dodrantem, & quadrantem: in bessem, & trientem: in septuncem, & quincuncem.

Rursus libra, in alia minora pondera, in has æquales diuiditur partes: in semuncias XXIIII, duellas XXXVI, sicilicos XLVIII, sextulas LXXII, denarios LXXXIIII, uictoriatos CLXVIII, scriptula CCLXXXVIII.

Selibra, siue semis, diuiditur in quadrantes II, sextantes III, sescuncias IIII, uncias VI, semuncias XII, duellas XVIII, sicilicos XXIIII, sextulas XXXVI, denarios XLII, uictoriatos LXXXIIII, scriptula CXLIIII.

Aliæ libræ partes, ex unciæ diuisione colliguntur.

VNCIA secatur in semuncias II, duellas III, sicilicos IIII, sextulas VI, denarios VII, uictoriatos XIIII, scriptula XXIIII.

Semuncia in duellam cum dimidia, sicilicos II, sextulas III, denarios III cum dimidio, uictoriatos VII, scriptula XII.

Duella, in sicilicum unum, & eius tertiam: in sextulas II, denarios II, & eius tertiam: uictoriatos quatuor, cum dimidio, & tertiam dimidii: scriptula VIII.

Sicilicus, in denarium cum dimidio, & eius quartam: uictoriatos III, cum dimidio. scriptula VI.

Sextula, in denarium, & sextam eius: uictoriatos II, ac eius tertiam: scriptulos IIII.

Denarius in uictoriatos II, scriptula III, & tres eius septimas: in sextantes sex, ut Corn. Celsus diuidit, ne obolos Græcè dicat. nam in totidem obolos drachma distribuitur.

Victoriatus, in scriptulum unum cum dimidio, & tres decimas quartas scriptuli.

Scriptulum hoc tempore, scrupulum alii, alii denarium uocant. Scriptuli partes, ex ponderibus Græcorum intelligentur.

De Asse, pro pede.

Pes in spaciis, & continuata quantitate, idem est quod As in ponderibus: usique sunt ueteres Asse & partibus eius, pro pede & eius partibus. Pes igitur diuiditur in uncias, siue pollices XII siue digitos XVI. Spithame Græco uocabulo dicitur mensura digitorum XII.

Palmus digitorum IIII. Reliqua uocabula ex asſis diuisione sunt petenda.

Eodem pacto iugerum metimur, & diuidimus: cuius minima pars, scrupulum dicitur, id est pedes x. & longitudine & latitudine quadratum, ut Varro tradit.

De ponderibus Græcorum, præsertim Atticorum.

Talentum primum duplex fuit, minus & maius, siue paruum & magnum. Paruum continet minas LX, magnum LXXX. Itaque cum talenta Liuius nominat, de magnis ferè, & quidem Atticis, intelligendum est. Fuerunt & alia Talenti genera, ut Babylonium, quod drachmis $\overline{VII}$ ualuit. Agineum $\overline{X}$, Syrium MD, Atticæ drachmæ æstimatione. Fuit & Euboicum, cuius meminit Liuius, quod penè idem cum Attico fuit. Sed

paruum

paruum diuidamus, ex quo facilè magnum poterit æstimari. Talentum igitur Attieum minus distribuitur in minas L X, drachmas V̄I, obolos X̄X̄X̄V̄I, semiobolos L̄X̄X̄I̅I̅, chalcos C̄C̄X̄V̄I, lepta M D V I I.

Mina duplex quoque fuit: uetus, quæ continebat drach. L X X V: & noua Solonis, drach. C. sed apud Liuium noua semper intelligitur. Mina igitur continet drach. C, obolos D C, semiobolos M C C: chalcos, quos quidam æreola transferunt, I̅I̅I̅D C: lepta, quæ minuta uocant, X̄X̄V̄ CC.

Drachma diuiditur in obolos V I, semiobolos X I I, chalcos X X X V I, lepta C C L I I.

Obolus, in semiobolos I I, chalcos V I, lepta X L I I.

Semiobolus, in chalcos tres, lepta X X I.

Chalcus, in lepta V I I, quæ uix diuidi possunt.

Eorundem ponderum medica diuisio, quæ & Græca, cum maiora in minora tribuuntur.

Mina diuiditur in uncias X V I, drach. C X X V I I I, scripula C C C L X X X I I I I, obolos D C C L X V I I I, semiobolos M D X X X V I, siliquas I̅I̅ C C C I I I I, grana siue momenta I̅X̄ C C X V I.

Libra, in uncias XII, drach. X C V I, scripula C C L X X V I I I, obolos D L X X V I, semiobolos M C L I I, siliquas M D C C X X V I I I, grana V̄I D C C C C X I I.

Vncia diuiditur in drach. octo, scripula uigintiquatuor, obolos X L V I I I, semiob. X C V I, siliquas C X L I I I I, grana D L X X V I.

Drachma, in scripula tria, obol. sex, semiob, X I I, siliquas X V I I I, grana L X X I I.

Scripulum in obolos I I, semiob. quatuor, siliquas V I, grana uigintiquatuor.

Obolus, in semiob, I I, siliq. tres, grana X I I.

Semiobolus, in siliquam, cum dimidia, grana V I. Siliqua in grana quatuor.

His etiam ponderibus ueteres medici sunt usi, præsertim ueterinarij & chirurgi.

Mina diuiditur in libram & quadrantem, id est uncias X V, drach. C X I I, & semis, scripula C C C X X X V I I, & semis, obolos D C L X X V.

Libra in uncias X I I. drach. X C, scrip. C C L X X, obolos D X L.

Vncia in drach. V I I, & semissem, scrip. X X I I, & semissem, obolos X L V. Reliqua, ut in superiore ratione.

De numorum, siue pecuniarum ueterum æstimatione, ad nostri temporis precia comparata.

Hoc loco illud tenendum est, nullum ferè fuisse ponderis genus tam Græcis quàm Latinis, quo non uel numus signatus, uel summa quædam rei nummariæ significetur, de qua re deinceps paucis agemus. Et primum de Romanis, deinde de Græcis, atque hæc ad rationem huius temporis accommodabimus.

As, siue libella, sunt denarioli Mediolanenses X I I, quadrantes quatuor, totidem Gallici denarioli, & paulo plus.

Hic illud obseruandum est, cùm apud antiquos millia æris legitur, asses pro ære intelligi debere, hoc est millia assium. Ab asse fit, decussis, id est decem: & centussis, id est centum asses.

Sextans, cuius & Liuius & Plinius meminere, Mediolanenses denariolos duos continet.

Quadrans, siue Teruncius, quem triuncium Plinius uocat, assis quarta est pars, sunt denarioli Mediolanenses tres.

Triens assis pars tertia, id est denarioli I I I I Mediolanenses, semis teruncii, siue quadrantes I I.

Sestertius & numus idem sunt. continet asses I I, & semissem hoc est, quadrantes X Mediolanenses, siue Germanicos cruciatos I I, Gallica uerò æstimatione Turonicos denariolos X, & denarioli semissem, hoc est (ut uocant) solidum regium.

Numus tamen & numisma, est etiam communis cuiusuis monetæ appellatio, siue argentea sit, siue aurea.

Denarius, assibus ualuit Mediolanensibus X, hoc est quaternis sestertiis: monetæ uerò Germanicæ, cruciatis V I I I, & paulo pluris.

Libra, denariis ualuit L X X X I I I, & paulo pluris, hoc est, aureis numis octo, & aurei ferè

rè semisse. Nam denarius Romæ quinta ferè parte grauior fuit, quàm drachma Athenis.

Libra auri, solatis C X I I ferè. maior enim fuit, quàm mina Attica, ut antè diximus. Id quod sic intelligi uelim, uncias Romanas grauiores fuisse Atticis unciis. Quòd si ad denarios etiam spectes, fuerunt & illi drachma Attica grauiores.

Obseruandæ sunt autem formæ loquendi, in Liuio & aliis.

Mille sestertiûm
Mille sestertiûm numûm
Mille numûm
Mille sestertii.

{Hæc enim idem sunt: id est, aurei numi, siue coronati X X V.

Sestertia uerò genere neutro, in plurali numero, mille sestertios significant. Cùm uerò aduerbium numeri quodpiam his adiungitur, centena sunt intelligenda. Decem igitur sestertia, sunt decem millia sestertiûm. Et decies sestertiûm, idem est quod decies centena millia sestertiûm, uel mille sestertia (hoc tempore, uulgò millionem uocant) quæ summa continet aureorum siue coronatorum numûm X X V. Romani enim mille sestertia, & ab eo reliquos numeros ferè per aduerbia eloquebantur: infra mille, nunquam.

Hoc autem loco illud teneri uellim, nos aureum numum intelligere, qui denis, denariis Romanis ualeat: hoc est, libris Mediolanensibus V, quæ fuit æqua eius æstimatio. Ad hanc rationem aut addendo, aut detrahendo, possunt omnia æstimari.

In codice Iustiniani, & apud Isidorum & Lampridium in Alexandri uita, mentio fit solidi. is fuit aureus eius temporis numus. Alioqui apud ueteres, solidi uocabulum non inuenitur, nisi pro integro siue toto. unde & solidum soluere dixerunt.

Victoriatus fuit numus argenteus, uictoria signatus: ualuit asibus Mediolanensibus V. Germanicæ uerò monetæ, batzionem Constantiensem unum.

Fuerunt præterea Romanis alia numorum genera, ut Bigati & Quadrigati dicti, à bigis & quadrigis, quibus erant signati. Item serrati, à serra, monetæ nota. Vnde nos quoque eleganter, scutatos, & solatos, & coronatos, aureos nostros numos appellare possumus, à scuto, sole, & corona: atque etiam capitatos, quæ quarta est scutati pars, à capite.

Fit quoque mentio umbinorum, præsertim à Cicerone pro Font. à scuti umbone, ut puto, quo signati fuerunt: de quorum omnium pretio nihil habeo quod dicam, nisi quod Bigatos & Quadrigatos denarios argenteos uidimus; quos ad denarii pretium accedere existimamus.

Atticæ pecuniæ qua Latini authores sunt usi, æstimatio.

Talentum Atticum minus, ualet ferè numis aureis usitatis & simplicibus, siue coronatis D C. maius, D C C C. nam his ferè usi sunt Latini, præsertim Liuius.

Talentum etiam pro summa non magna inuenitur usurpatum, & quidem aureum: præsertim apud Hebræos, Siculos, & Homerum: hoc est, pro aureo numo, duorũ aut trium coronatorum.

Mina, aureis numis V I I I ferè: quatuor enim drachmis minor fuit quàm libra Romana. Cùm autem Latini authores minæ mẽtionem faciunt, Atticam intelligere debemus, eámq; argenteã, quæ drach. ualuit C. fuit & aurea mina, ut & Hebraicum Talentum, cuiusmodi ea fuere quæ Sabæa Regina, & Rex Hyramus Solomoni obtulerunt, quæ V I I D C C aureis numis singula fuisse existimamus.

Drachma, minor denario Romano fuit: ualet enim obolis V I, asibus uerò ferè octo & semisse. Germ. cruciatis ferè V I I.

A drachma facta sunt aliquot uocabula numorum, ut didrachmum, tridrachmum, tetradrachmum: hoc est, duarum, trium, quatuor drachmarum, Tetradrachmo usus est Liuius lib. 4. de bello Macedonico.

Siclus, qui & stater, & talentum dicebatur, drachmis I I I I ualuit, authore Iosepho: hoc

eſt, tetradrachmo. eo uſi ſunt Hebræi, ut ſtatere Græci.

Stater etiam aureus fuit Athenis, didrachmus: cuiuſmodi fuit etiam aureus numus Romæ, duorum denariorum pondere. Vnde Philippei ſtateres, & Dariei, & Alexandrei: qui ſinguli binos coronatos continebant, & paulo plus.

Obolus, denarios Mediolanenſes XVII, ſiue teruncios V, & denariolos ferè II. Idem ferè eſt obolus, quod Germ. cruciatus. Errauit igitur Donatus, qui in Terentio explicando, obolum putauit eſſe ultimam, hoc eſt minimam monetam.

Ciſtophorus, numus etiam fuit argenteus, cuius crebra fit apud Liuium mentio. minor fuit quàm drachma, ualuit aſsibus Mediolanenſibus ferè VI.

Hæc habuimus, quæ curſim hiſce de rebus traderemus: quæ æqui boni ut faciant lectores, oro.

FINIS.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS PRIMAE



LIBER PRIMVS.

L. FLORI IN EVNDEM EPITOME.

ADuentus Aeneæ in Italiam, & res ab eo gestæ, Ascanij regnum Albæ, & Syluij Aeneæ, ac deinceps Syluiorum regum, primò libro continentur. Numitoris filia à Marte compressa. nati Romulus, & Remus. Amulius obtruncatus. Vrbs à Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Ioui Feretrio lata. In centurias populus diuisus. Fidenates & Veientes uicti. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit. Iano templũ constituit: eiúsque portam, pacatis omnibus circà populis, primus clausit: cum dea Aegeria sibi congressus nocturnos esse simulans, feroces populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petijt. Posthæc trigeminorum pugna. Horatius absolutus. Metij Suffetij supplicium. Alba diruta. Albani in ciuitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad postremũ fulmine Tullus absumptus est. Ancus Marcius cæremonias à Numa institutas renouauit: Latinis uictis, & ad ciuitatem ascitis, montem Auentinum assignauit: Politorium urbem Latinorum bello repetitam, quam prisci Latini occupauerant, diruit: pontem Sublicium in Tyberim fecit: Ianiculum collem urbi addidit: fines imperij protulit: Ostiam condidit. Tarquinius Priscus in Anci amicitiam receptus. Centum additis patrum numerum auxit: Latinos subegit, circum designauit, ludos edidit: Sabinorum bello potitus, equitum centurias ampliauit. Tentandæ scientiæ causa Accij Nauij auguris, consuluisse fertur, an id, de quo cogitaret, effici posset: quod cùm ille fieri posse respondisset, iussisse eum nouacula cotẽ præcidere, idque protinus factum. Sabinos præterea acie uicit: urbem muro circũdedit, cloacas fecit. Seruius Tullius natus ex captiua Corniculana, cui puero in cunis posito caput arsisse traditum est: Veientes atque Hetruscos prælio fudit: censum primus constituit, lustrum condidit: classes, centuriasq; descripsit. Pomœrium protulit: colles urbi, Quirinalem, Viminalem, Esquilinumq; adiecit: templũ Dianæ cum Latinis in Auentino fecit. Lucius Tarquinius Superbus, occiso Seruio eius socero, inuasit regnum. quo die scelerata Tullia per patris iacentis corpus carpentum egit. Armatos circa se ad custodiam corporis sui habuit, Turnũ Herdonium fraude intermit, bellum cum Volscis gessit: & ex eorum præda templum Ioui in Capitolio fecit. Terminus & Iuuentas non addixere: quorum aræ moueri non potuerunt.
B *Filius Sextus Tarquinius dolo Gabios in potestatem suam redegit. Huius filij s Delphos profectus, & consulentibus, quis eorum regnaturus esset Romæ: dictum est, eum regnaturum, qui primus matrem osculatus esset. quod responsum cum ipsi aliter interpretarentur: Iunius Brutus, qui cum ijs profectus erat, prolapsum se simulauit, & terram osculatus est: idq; factum eius euentus rei comprobauit. nam cum impotenter se gerendo Tarquinius Superbus omnes in odium suum adduxisset, ad ultimum propter expugnatam nocturna ui à Sex. filio eius Lucretiæ pudicitiam, quæ uocato patre ad se Tricipitino, & uiro Collatino obtestata, ne inulta mors eius esset, cultro se interemit. Bruti operę maximè expulsus est, cum regnasset annos uigintiquinque. Tunc consules primum creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.*



ACTVRVSNE operæprecium sim, si à primordio vrbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio: nec si sciam, dicere ausim. quippe qui cùm veterem, tum vulgatam esse rem videam, dum noui semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Vtcumque erit, iuuabit tamen rerum gestarum memoriæ principis terrarum populi pro virili parte & meipsum consuluisse. Et si in tanta scriptorũ turba, mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me consoler. Res est præterea & immensi operis, vt quæ supra septuagentesimum annum repetatur: & quæ ab exiguis profecta initiis, eò creuerit, vt iam magnitudine laboret sua: & legentium plerisque haud dubito, quin primæ origines, proximáque originibus, minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc noua, quibus iam pridem præualentis populi vires se ipsæ conficiunt. Ego contrà hoc quoque laboris præmium petam, vt me à conspectu malorũ, quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper certè, dum prisca illa tota mente repeto, auertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum, & si non flectere à vero, solicitum tamen efficere possit. Quæ ante conditam condendámue vrbem, poeticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis tradũtur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur hæc venia antiquitati, vt miscendo humana diuinis, primordia vrbium augustiora faciat. Et si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, & ad deos referre authores: ea belli gloria est populo Romano, vt cum suum, conditorísque sui parentẽ Martem potissimum ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur. Sed hæc & his similia, vtcunque animaduersa, aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animũ, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibúsque artibus, domi militiæque, & partum & auctum imperium sit: labente deinde paulatim disciplina, velut dissidẽtes primò mores sequatur animo: deinde vt magis magísq; lapsi sint, tum ire cœperint præcipites,

Causas affert, quæ se ad res po. Rom. scribendas impulerint.

in-

Vrbium primordia cur ad Deos referantur.

† Desidentes, alias decedentes.

donec ad hæc tempora quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, peruētum est. Hoc illud A *Vtilitas historiæ. Romanæ reip. laus.* est præcipuè in cognitione rerū salubre ac frugiferum, omnis te exempli documēta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdū inceptu, fœdū exitu quod vites. Cæterùm aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla vnquā respublica nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam seræ auaritia luxuriáque immigrauerint: nec vbi tantus, ac tam diu paupertati ac parcimoniæ honos fuerit: adeò quantò rerum minus, tantò minus cupiditatis erat. Nuper diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendíque omnia inuexere. Sed querelæ ne tum quidem gratæ futuræ, cum forsitan necessariæ erunt: ab initio certè tantæ ordiendæ rei absint, cum bonis potius omnibus, votísque ac precationibus deorum dearúmque, si vt poetis nobis quoque mos esset libentius, inciperemus, vt orsis tanti operis successus prosperos darent.



IAM primum omnium satis cōstat, Troia capta in cæteros sæuitum esse Troianos, duobus, Aenea Antenoréque, & vetusti iure hospitii, & quia pacis reddendæque Helenæ semper authores fuerant, omne ius belli Achiuos abstinuisse. *Antenor.* Casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui seditione ex Paphlagonia pulsi, & sedes, & ducem rege Pylæmene ad Troiam amisso, quærebāt, venisse in intimū maris Adriatici sinum: Euganeisque, inter mare alpésque incolebāt, pulsis, Henetos, Troianósq; eas tenuisse terras: & in quem primùm egressi sunt locum, Troia vocatur: pagóq; inde Troia nomen est, gens vniuersa Veneti appellati. *Veneti. Aeneas.* Aeneam ab simili clade domo profugum, sed ad maiora rerum ducentibus fatis, primò in Macedoniam venisse: inde in Siciliam quærentem sedes delatū: ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse. Troia & huic loco nomen est: ibi egressi Troiani, vt quibus ab immenso propè errore nihil præter arma & naues superesset, cum prædam ex agris agerēt, *Latinus rex.* Latinus rex Aborigenésque qui tum ea tenebant loca, ad arcendā vim aduenarum armati ex vrbe atque agris concurrunt. Duplex exinde fama est, alii prælio victum Latinum pacem cum Aenea, deinde affinitatem iunxisse tradunt. alii cum instructæ acies constitissent, priusquam signa canerent, processisse Latinum inter primores, ducémque aduenarum euocasse ad colloquium: percunctatū deinde qui mortales essent, vnde, aut quo casu profecti domo, quídue quærētes in agrū Laurentē exissent? Postquā audierit multitudinē Troianos esse: ducē Aeneam, filiū Anchisæ & Veneris: cremata patria & domo profugos, sedē, condendæque vrbi locum quærere, & nobilitatem admiratum gentis viríque, & animū vel bello, vel paci paratū, dextera data fidē futuræ amicitiæ sanxisse. Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio. ibi B Latinum apud penates deos domesticū publico adiunxisse fœdus, filia Aeneæ in matrimoniū data. ea res vtique Troianis spem affirmat tandem stabili certáque sede finiendi erroris. Oppidum condunt. *Lauinium conditur.* Aeneas ab nomine vxoris Lauinium appellat. breui stirpis quoq; virilis ex nouo matrimonio fuit, cui Ascanium parētes dixere nomen. Bello deinde Aborigines Troianíq; simul petiti. *Turnus.* Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lauinia ante aduentum Aeneæ fuerat, prælatū sibi aduenam ægrè patiens, simul Aeneæ Latinóq; bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit, victi Rutuli: victores Aborigines Troianíque ducem Latinum amisere. Inde Turnus Rutulíque diffisi rebus, ad florentes Hetruscorum opes, *Mezentius.* Mezentiúmque eorum regem confugiunt, qui Cære opulento tum oppido imperitās, iam inde ab initio minime lætus nouæ origine vrbis, & tum nimio plus quàm satis tutum esset accolis, rem Troianam crescere ratus, haud grauatim socia arma Rutulis iunxit. Aeneas aduersus tanti belli terrorem vt animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem iure solùm, sed etiam nomine omnes essent: *Latini.* Latinos vtranque gentem appellauit. nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aeneam cessere. fretúsque his animis coalescentium indies magis duorum populorū Aeneas, quanquam tanta opibus Hetruria erat, vt iam non terras solùm, sed mare etiam per totam Italiæ longitudinem ab alpibus ad fretum Siculū fama nominis sui impleſſet: tamen cum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde prælium Latinis, Aeneæ etiam vltimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcunque eum dici ius fásque est, super Numicum flumen. Iouem Indigetem appellant. *Ascanius.* Nondum maturus imperio Ascanius Aeneæ filius erat, tamen id imperium ei ad puberem ætatem incolume mansit, tantisper tutela muliebri (tanta indoles in Lauinia erat) res Latina & regnum auitum, paternúmque puero stetit. Haud nihil ambigā (quis enim rem tam veterē pro certo affirmet?) hiccine fuerit Ascanius, an maior quàm hic, Creusa matre Ilio incolumi natus, coméſque inde paternæ fugæ, *Iulus.* quē Iulum eundem Iulia gens authorem nominis sui nuncupat. is Ascanius, vbicunque, & quacunque matre genitus (certè natum Aenea constat) abundante Lauinii multitudine, florentem iam (vt tum res erant) atque opulentā vrbem matri, seu nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condidit. quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis longa Alba appellata. *Alba longa conditur.* Inter Lauinium & Albam longam coloniam deductam triginta fermè interfuere anni. tantum tamen opes creuerant, maximè fusis Hetruscis, vt ne morte quidem Aeneæ, nec deinde inter muliebrem tutelam, rudimentúmq; primum puerilis regni mouere arma, aut Mezentius, Hetruscíque, aut vlli alii accolæ ausi sint. *Albula. Syluius.* Pax ita conuenerat, vt Hetruscis Latiníſq; fluuius Albula, quē nunc Tyberim vocant, finis esset. Syluius deinde regnat Ascanii filius, casu quodam in syluis natus. *Aeneas Syluius.* is Aeneam Syluium creat: is deinde Latinum Syluium. ab eo coloniæ aliquot deductæ, Prisci Latini *Latinus Syl.* appellati. mansit Syluius postea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. Latino Alba ortus, Alba

Atys,

A Atys, Ati Capys, Capi Capetus, Capeto Tyberinus, qui in traiectu Albulæ amnis submersus, celebre *& reliqui*
ad posteros nomen flumini dedit. Agrippa inde Tyberini filius, post Agrippam Romulus Syluius à *Albæ reges.*
patre accepto imperio regnat. Auentino fulmine ipse ictus, regnum per manus tradidit. is sepultus
in eo colle, qui nunc est pars Romanæ vrbis, cognomen colli fecit. Proca deinde regnat. is Numito- *Proca.*
rem atque Amulium procreat: Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Syluiæ gentis *Amuli scelus.*
legat. plus tamē vis potuit, quàm voluntas patris, aut verecundia ætatis. pulso fratre, Amulius regnat.
addit sceleri scelus. stirpem fratris virilem interemit: fratris filiæ Rheæ Syluiæ per speciem honoris, *Rhea Syluia.*
cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit. Sed debebatur (vt opinor) fatis
tantæ origo vrbis, maximíque secundum deorum opes imperii principium. vi compressa Vestalis,
cum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia deus autor culpæ honestior erat, Martem incer-
tæ stirpis patrem nuncupat. sed nec dii, nec homines aut ipsam, aut stirpem à crudelitate regia vindi-
cant. sacerdos vincta in custodiā datur, pueros in profluētem aquam mitti iubet. Sorte quadam diui-
nitus super ripas Tyberis effusus lenibus stagnis, nec adiri vsquam ad iusti cursum poterat amnis, &
posse quamuis languida mergi aqua infantes, spem ferentibus dabat. ita velut defuncti regis imperio
in proxima alluuie, vbi nunc ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt, va-
stæ tum in iis locis solitudines erant. Tenet fama, cum fluitantem alueum, quo expositi erant pue-
ri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circà sunt, ad puerilem vagitum
cursum flexisse: eam summissa infantibus adeò mitem præbuisse mammas, vt lingua lambentem pue- *Lupa præbet mammas infantibus.*
ros magister regii pecoris inuenerit: (Faustulo fuisse nomen ferunt) ab eo ad stabula Laurentiæ vxo-
ri educandos datos. Sunt, qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent: in-
de locum fabulæ ac miraculo datum. Ita geniti, ita educati. cum primùm adoleuit ætas, nec in stabulis,
nec ad pecora segnes, venando peragrare saltus. hinc robore corporibus animísque sumpto, iam non
feras tantum subsistere, sed in latrones præda onustos impetum facere, pastoribúsque rapta diuidere:
& cum his, crescente indies grege iuuenum, ferias ac iocos celebrare. Iam tum in Palatino monte Lu- *Lupercal.*
percal hoc fuisse Ludicrum ferunt, & à Palanteo vrbe Arcadica Palantium, deinde Palatinum mon-
tem appellatum. ibi Euadrum, qui ex eo genere Arcadum multis antè tempestatibus ea tenuerat loca, *Euander.*
solenne allatum ex Arcadia instituisse, vt nudi iuuenes Lycæum Pana venerantes, per luxum atque
lasciuiam currerent. quem Romani deinde vocant Inuum. huic deditis ludicro, cum solenne votum
esset, insidiatos ob iram prædæ amissæ latrones, cum Romulus vi se defendisset, Remum cepisse: ca- *Remus capitur.*
ptum regi Amulio tradidisse, vltro accusantes. crimini maximè dabant, in Numitoris agros ab his
impetum fieri: inde eos collecta iuuenum manu hostilem in modum prædas agere. sic Numitori ad
B supplicium Remus deditur. Iam inde ad initio Faustulo spes fuerat, regiā stirpem apud se educari. Nam
& expositos iussu regis infantes sciebat, & tempus, quo ipse eos sustulisset, ad idipsum congruere, sed
rem immaturam, nisi aut per occasionem, aut per necessitatem aperiri noluerat. necessitas prior ve-
nit. ita metu subactus, Romulo rem aperit. Fortè & Numitori, cum in custodia Remū haberet, audis-
sétque geminos esse fratres: comparando eorum ætatem, & ipsam minimè seruilem indolem, tetige-
rat animum memoria nepotum: sciscitandóque eòdem peruenit, vt haud procul esset, quin Remum
agnosceret: * ita vndique regi dolus nectitur. Romulus non cum globo iuuenum (nec enim erat ** uidelicet aliquid deesse.*
ad vim apertam par) sed aliis alio itinere iussis certo tempore ad regiam venire pastoribus, ad re-
gem impetum facit. & à domo Numitoris alia comparata manu adiuuat Remus. ita regem obtrun-
cant. Numitor inter primum tumultum hostes inuasisse vrbem atque adortos regiam dictitans, cum *Romulus fratrem liberat.*
pubem Albanam in arcem præsidio armísque obtinendam aduocasset: posteaquam iuuenes perpe-
trata cæde pergere ad se gratulantes vidit: extemplò aduocato concilio, scelera in se fratris, origi-
nem nepotum, vt geniti, vt educati, vt cogniti essent, cædem deinceps tyranni, séque eius autho-
rem ostendit. Iuuenes per mediam concionem agmine ingressi, cum auum regem salutassent, secu-
ta ex omni multitudine consentiens vox ratum nomen, imperiúmque regi effecit. Ita Numitori Al-
bana permissa re, Romulum Remúmque cupido cepit, in iis locis vbi expositi, vbíque educati erant,
vrbis condendæ: & supererat multitudo Albanorum Latinorúmque. ad id pastores quoque accesse-
rant, qui omnes facilè spem facerent, paruam Albam, paruum Lauinium, præ ea vrbe quæ conde-
retur, fore. Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido, atque inde fœdum
certamen coortum à satis miti principio: quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen *Dissidium inter fratres Re. & Ro.*
facere posset: vt dii in quorum tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen nouæ vrbi daret,
qui conditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad inaugurandum templa
capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures. iámque nunciato augurio, cum duplex *Auguria.*
numerus Romulo se ostendisset, vtrunque regem sua multitudo consalutauerat. tempore illi præce-
pto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, certamine irarum
ad cædem vertuntur. ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum *Remus occiditur.*
nouos transiluisse muros: inde ab irato Romulo (cum verbis quoque increpitans adiecisset: Sic de-
inde, quicunque alius transiliet mœnia mea) interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus: con- *Roma conditur.*
dita vrbs conditoris nomine appellata. Palatinum primum, inquo ipse erat educatus, munit: sacra
diis aliis Albano ritu, Græco, Herculi, vt ab Euandro instituta erant, facit. Herculem in ea loca Ge- *Hercules.*
ryone interempto boues mira specie abegisse memorant, ac prope Tyberim fluuium, quà præ se ar-
mentum agens nando traiecerat loco herbido, vt quietè & pabulo læto reficeret boues, & ipsum
fessum via procubuisse. ibi cum eum cibo vinóque grauatum sopor oppressisset, pastor accola eius

Cacus. loci nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, cum auertere eam prædá vellet: quia, si A agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eò deductura erant: auersos boues eximium quenque pulchritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus, cum gregem perlustrasset oculis, & partẽ abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si fortè eò vestigia ferrent. quæ, vbi omnia foràs versa vidit, nec in partem aliam ferre: confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porrò armentum occœpit. Inde cum actæ boues quædam ad desiderium (vt fit) relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem conuertit. quem cum vadantem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset: ictus claua, fidem pastorum nequicquam inuocans, morte occubuit. *Euander literarum apud Latinos inuentor.* Euander tum ea, profugus ex Peloponneso, authoritate magis quàm imperio regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum rei nouæ inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant. is tum Euander concursu pastorum trepidantium circa aduenam manifestæ reum cædis excitus, postquam facinus facinorísque causam audiuit: habitum formámque viri aliquantum ampliorem, augustiorémque humana intuens, rogitat, qui vir esset. vbi nomen patrémque ac patriam accepit: Ioue nate, Hercules, salue, inquit. te mihi mater veridica interpres deûm aucturum cælestium numerum cecinit: tibíque aram hic dicatum iri, quam opulentissima olim in terris gens maximam vocet, tuóque ritu colat. Dextra Hercules data accipere se omen, impleturúmque fata, ara condita atque dicata, ait: Ibi tum primum boue eximia capta de grege, sacrum, adhibitis ad ministerium dapémque Potitiis ac Pinariis, *Potitij & Pinarij.* quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant, factum. Fortè ita euenit, vt Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta apponerentur: Pinarii extis adesis ad cæteram venirent dapem. inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solennibus vescerentur. Potitii ab Euandro edocti, antistites sacri eius per multas ætates fuerant, donec tradito seruis publicis solenni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum interiit. Hæc tum sacra Romulus vna ex omnibus peregrina *Iura dat Romulus.* suscepit, iam tum immortalitatis virtute partæ, ad quam eum sua fata ducebant, fautor. Rebus diuinis rite perpetratis, vocatáque ad concilium multitudine, quæ coalescere in populi vnius corpus nulla re, præterquam legibus poterat, iura dedit. quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, cum cætero habitu se augustiorem, tum maxi- *Lictores 12.* mè lictoribus duodecim sumptis fecit. Alii ab numero auium, quæ augurio regnum portenderant, eum secutum numerum putant. me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores & hoc genus ab Hetruscis finitimis, vnde sella curulis, vnde toga prætexta sumpta est, numerum quoque ipsum dictum placet: & ita habuisse Hetruscos, quòd ex duodecim populis communiter creato B rege, singulos singuli populi lictores dederint. Crescebat interim vrbs munitionibus, cum alia atque alia appetendo loca, in spem magis futuræ multitudinis, quàm ad id quod tum hominum erat, munirent. deinde, ne vana vrbis magnitudo esset: adiiciendæ multitudinis causa, vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam è terra sibi prolem mentiebantur: *Asylum.* locum qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, Asylum aperit. eò ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber an seruus esset, auida nouarum rerum perfugit. id'que primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. Cum iam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat. *Senatores 100 creantur.* centum creat senatores: siue quia is numerus satis erat: siue quia soli centum erant, qui creari patres possent. Patres certè ab honore, patriciique progenies eorum appellati. Iam res Romana adeò erat valida, vt cuilibet finitimarum ciuitatum bello par es- *Patres & patricij.* set: sed penuria mulierum hominis ætatem duratura magnitudo erat. quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem connubiúmque nouo populo peterent. Vrbes quoque, vt cætera, ex infimo nasci: deinde quas sua virtus ac dii iuuent, magnas opes magnúmque nomen sibi facere: satis scire, origini Romanæ & deos affuisse, & non defuturam virtutem. Proinde ne grauarentur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. Nusquam benignè legatio audita est: adeò simul omnes spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant: à plerisque rogitantibus dimissi, ecquod fœminis quoque asylum aperuissent. id enim demum compar connubium fore. Aegrè id Romana pubes passa, & haud dubiè ad vim spectare res cœpit. cui tempus locúmque aptum vt daret Romulus ægritudinem animi dissimulans, ludos ex industria *Consualia.* parat Neptuno equestri solennes: Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet, quantóque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant: vt rem claram expectatámque facerent. Multi mortales conuenêre studio etiam videndæ nouæ vrbis, maximè proximi quique, Ceninenses, Crustumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. inuitati hospitaliter per domos, cum situm mœniáque & frequentem tectis vrbem vidissent, mirantur tam breui rem Romanam creuisse. *Rapiuntur Sabinæ virgines.* Vbi spectaculi tempus venit, deditæque eò mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis: signóque dato, iuuentus Romana ad rapiendas virgines discurrit. magna pars fortè vt in quem quæque inciderat, raptæ. quasdam forma excellentes primoribus patrum destinatas ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. Vnam longè ante alias specie ac pulchritudine insignem à globo Thalassii cuiusdam raptam ferunt: multísque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem ne quis violaret, Thalassio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, mœsti parentes virginum profugiunt

A fugiunt, incuſantes violati hoſpitii fœdus, deúmque inuocantes, cuius ad ſolenne ludóſque per fas ac fidem decepti veniſſent. Nec raptis aut ſpes de ſe melior, aut indignatio eſt minor. ſed ipſe Romulus circumibat docebátque patrum id ſuperbia factum, qui connubium finitimis negaſſent. illas tamen in matrimonio, in ſocietate fortunarum omnium ciuitatíſque, & (quo nihil charius humano generi ſit) liberûm fore. mollirent modò iras: & quibus ſors corpora dediſſet, darent animos. ſæpe ex iniuria poſtmodum gratiam ortam: eóque melioribus vſuras viris, quòd annixurus pro ſe quiſque ſit, vt cum ſua vice functus officio ſit, parentum etiam patriæque expleat deſiderium. accedebant blanditiæ virorum factum purgantium cupiditate atque amore: quæ maximè ad muliebre ingenium efficaces preces ſunt. Iam admodum mitigati animi raptis erant. At raptarum parentes tum maximè ſordida veſte, lachrymíſque & querelis ciuitates concitabant: nec domi tantum indignationes continebant, ſed congregabantur vndique ad Titum Tatium regem Sabinorum: & legationes, eo quòd maximum Tatii nomen in his regionibus erat, conueniebant. Ceninenſes Cruſtuminíque & Antemnates erant, ad quos eius iniuriæ pars pertinebat: lentè agere iis Tatius Sabiníque viſi ſunt. Ipſi inter ſe tres populi communiter bellum parant. nec Cruſtumini quidem atque Antemnates pro ardore iráque Ceninenſium, ſatis ſe impigrè mouent. ita per ſeipſum nomen Ceninum in agrum Romanum impetum facit. ſed effuſe vaſtantibus fit obuius cum exercitu Romulus, leuíque certamine docet, vanam ſine viribus iram eſſe: exercitum fundit, fugátque: fuſum perſequitur: regem in prælio obtruncat, & ſpoliat. duce hoſtium occiſo, vrbem primo impetu capit. Inde exercitu victore reducto, ipſe cùm factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium aſcendit: ibíque ea cum ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignauit templo Iouis fines, cognoménque addidit deo: Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templúmque iis regionibus, quas modò animo metatus ſum, dedico: ſedem opimis ſpoliis, quæ regibus ducibúſque hoſtium cæſis me authorem ſequentes poſteri ferent. Hæc templi eſt origo, quod primum omnium Romæ ſacratum eſt. ita deinde diis viſum. nec irritam conditoris templi vocem eſſe, qua laturos eò ſpolia poſteros nuncupauit: nec multitudine compotum eius doni vulgari laudem. bina poſtea inter tot annos, tot bella opima parta ſunt ſpolia: adeò rara eius fortuna decoris fuit. Dum ea ibi Romani gerunt, Antemnatium exercitus per occaſionem ac ſolitudinem hoſtiliter in fines Romanos incurſionem facit. raptim & ad hos Romana legio ducta palantes in agris oppreſsit. fuſi ſunt igitur primo impetu & clamore hoſtes: oppidum captum, duplicíque victoria ouantem Romulum Herſilia coniunx precibus raptarum fatigat: orat, vt parentibus earum det veniam, & in ciuitatem accipiat. ita rem coaleſcere concordia poſſe, facilè impetratum. Inde contra Cruſtuminos profectus, bellum inferentes ibi minus etiam quòd alienis cladibus ceciderant animi, certaminis fuit. vtrôque coloniæ miſſæ. plures inuenti, qui propter vbertatem terræ in Cruſtuminum nomina darent. & Romam inde frequenter migratum eſt à parentibus maximè ac propinquis raptarum. Nouiſſimum ab Sabinis bellum ortum, multóque id maximum fuit. nihil enim per iram aut cupiditatem actum eſt. nec oſtenderunt bellum prius, quàm intulerunt: conſilio etiam additus dolus. Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci. huius filiam virginem auro corrumpit Tatius, vt armatos in arcem accipiat. àquam fortè ea tum ſacris extra mœnia petitum ierat. accepti obrutam armis necauere: ſeu vt vi capta potius arx videretur, ſeu prodendi exempli cauſa, ne quid vſquam fidum proditori eſſet. additur fabulæ, quòd vulgò Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo, gemmatóſque magna ſpecie annulos habuerint, pepigiſſe eam, quod in ſiniſtris manibus haberent. eò ſcuta illi pro aureis donis congeſta. Sunt qui eam ex pacto tradendi, quód in ſiniſtris manibus eſſet, decreto arma petiſſe dicant: & fraude viſam agere, ſua ipſam peremptam mercede. tenuere tamen arcem Sabini: atque inde poſtera die, cum Romanus exercitus inſtructus, quod inter Palatinum Capitolinúmque collem campi eſt, compleſſet: non prius deſcenderunt in æquum, quàm ira & cupiditate recuperandæ arcis ſtimulante animos in aduerſum Romani ſubiere. Principes vtrinque pugnam ciebant: ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hoſtius Hoſtilius. hic rem Romanam iniquo loco ad prima ſigna animo atque audacia ſubſtinebat. Vt Hoſtius cecidit, confeſtim Romana inclinatur acies: fuſáque eſt ad veterem portam Palatii. Romulus & ipſe turba fugientium actus, arma ad cælum tollens: Iupiter tuis, inquit, iuſſus auibus hic in Palatino prima vrbi fundamenta ieci, arcem iam ſcelere emptam Sabini habent. inde huc armati ſuperata media valle tendunt. at tu pater deûm hominúmque, hinc ſaltem arce hoſtes: deme terrorem Romanis, fugámque fœdam ſiſte. hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monimentum ſit poſteris, tua præſenti ope ſeruatam vrbem eſſe, voueo. Hæc precatus, veluti ſenſiſſet auditas preces: Hinc, inquit, Romani Iupiter optimus, maximus reſiſtere atque iterare pugnam iubet. reſtitere Romani, tanquam cæleſti voce iuſſi. ipſe ad primores Romulus prouolat. Metius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decurrerat, & effuſos egerat Romanos, toto quantum foro ſpacium eſt. nec procul iam à porta Palatii erat, clamitans: Vicimus perfidos hoſpites, imbelles hoſtes. iam ſciunt longè aliud eſſe virgines rapere, aliud pugnare cum viris. in eum hæc gloriantem cum globo ferociſsimorum iuuenum Romulus impetum facit. ex equo tum fortè Metius pugnabat: eo pelli facilius fuit. pulſum Romani perſequuntur. & alia Romana acies audacia regis accenſa, fundit Sabinos. Metius in paludem ſeſe ſtrepitu ſequentium trepidante equo coniecit. auerterátque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.

Romulus raptas conſolatur. *Ceninenſes vincuntur.* *Capitolium.* *Iupiter Feretrius.* *Antemnates vincuntur.* *Herſiliæ petitio.* *Cruſtimini vincuntur.* *Mittuntur coloniæ.* *Sabinum bellum.* *Proditio.* *Romuli preces.* *Iupiter Stator.* *Sabini funduntur.*

B

Et ille quidem annuentibus ac vocantibus suis, fauore multorum addito animo, euadit. Romani A

Redintegratur prælium. Sabinarum oratio.

Sabiníque in media conualle duorum montium redintegrant prælium. sed res Romana erat superior. Tum Sabinæ mulieres, quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissáque veste, victo malis muliebri pauore, ausæ se inter tela volantia inferre: ex transuerso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras: hinc patres, hinc viros orantes, ne se sanguine nefando soceri generíque respergerent: ne parricidio macularent partus suos: nepotum illi, liberûm hi progeniem. si affinitatis inter vos, si connubii piget, in nos vertite iras. nos causa belli, nos vulnerum ac cædium viris ac parentibus sumus. melius peribimus, quàm sine alteris vestrûm viduæ, aut orbæ, viuemus.

Pax inter Romanos & Sabinos.

Mouet res tum multitudinem, tum duces. silentium & repentina fit quies. inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modò, sed ciuitatem vnam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam. Ita geminata vrbe, vt Sabinis tamen aliquid daretur,

Quirites unde dicti.

Quirites à Curibus appellati. monimentum eius pugnæ, vbi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellarunt. Ex bello tam tristi læta repentè pax chariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit.

Curiæ 30, de raptarũ nominibus appellatæ. Centuriæ 3 equitum.

Itaque cum populum in curias triginta diuideret, nomina earum curiis imposuit. id non traditur, (cum haud dubiè aliquanto numerus maior hoc mulierum fuerit) ætate, an dignitatibus suis virorúmve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent.) Eodem tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis & originis causa incerta est. inde non modò commune, sed concors etiam regnum duobus regibus fuit. Post aliquot annos propinqui regis Tatii legatos Laurentium pulsant. cúmque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia suorum, & preces plus poterant. igitur illorum pœnam in se vertit:

Tatius interficitur.

nam Lauinii, cum ad solenne sacrificium eò venisset, concursu facto, interficitur. eam rem minus ægrè quàm dignum erat, tulisse Romulum ferunt, seu ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria cæsum credebat. Itaque bello quidem abstinuit: vt tamen expiarentur legatorum iniuriæ, regísque cædes, fœdus inter Romam Lauiniúmque vrbes renouatum est. Et cum his quidem insperata pax erat: aliud multo propius, atque in ipsis propè portis bellum ortum.

Fidenates bellum Romanis inferunt.

Fidenates nimis vicinas propè se conualescere opes rati, prius quàm tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupant bellum facere. iuuentute armata immissa, vastatur agri quod inter vrbem ac Fidenas est. Inde ad læuam versi, quia dextra Tyberis arcebat, cum magna trepidatione agrestium populantur. tumultúsque repens ex agris in vrbem illatus, pro nuncio fuit. excitus Romulus (neque enim dilationem pati tam vicinum bellum poterat) exercitum educit: castra à Fidenis mille passuum locat. ibi modico præsidio relicto, egressus omnibus copiis, partem militum locis circa densa ob- B sita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit. cum parte maiore atque omni equitatu profectus, id quod quærebat, tumultuoso & minaci genere pugnæ obequitando ipsis propè portis hostem exciuit. fugæ quoque quæ simulanda erat, eadem equestris pugna causam minus mirabilem dedit. & cum velut inter pugnæ fugæque consilium trepidante equitatu, pedes quoque referret gradum, plenis repentè portis; effusi hostes, impulsa Romana acie, studio instandi sequendíque trahuntur ad locum insidiarum. inde subitò exorti Romani, transuersam inuadunt hostium aciem. addunt pauorem

Fidenates vincuntur.

mota è castris signa eorum, qui in præsidio relicti fuerant. ita multiplici terrore perculsi Fidenates, prius penè quàm Romulus, quíque cum eo equites erant, circumagerent frenis equos, terga vertunt: multóque effusius, quippe vera fuga, qui simulantes paulo antè secuti erant, oppidum repetebant: non tamen eripuere se hosti. Hærens in terga Romanus, prius quàm fores portarum obiicerentur, velut agmine vno irrumpit.

Veientes in fines Romanos excurrunt,

Belli Fidenatis contagione iritati Veientium animi, & consanguinitate. nam Fidenates quoque Hetrusci fuerunt: & quòd ipsa propinquitas loci, si Romana arma omnibus infesta finitimis essent, stimulabat: in fines Romanos excurrerunt, populabundi magis quàm iusti more belli. Itaque non castris positis, non expectato hostium exercitu, raptam ex agris prædam portantes, Veios rediere. Romanus contrà, postquam hostem in agris non inuenit, dimicationi vltimæ instructus intentúsque Tyberim transit. quem postquam castra ponere, & ad vrbem accessurum Veientes audiuere: obuiam egresi, vt potius acie decernerent, quàm inclusi de tectis mœnibúsque dimicarent. ibi viribus nulla parte adiutis, tantum veterani robore exer-

Veientes fusi pacem petunt.

citus rex Romanus vicit: persecutúsque fusos ad mœnia hostes, vrbe valida muris ac situ ipso munita abstinuit. agros rediens vastat, vlciscendi magis, quàm prædæ studio. eáque clade haud minus quàm aduersa pugna subacti Veientes, pacem petitum oratores Romam mittunt. agri parte mulctatis in centum annos induciæ datæ. Hæc fermè Romulo regnante domi militiæque gesta.

Induciæ dãt annorum 100.

quorum nihil absonum fidei diuinæ originis, diuinitatísque post mortem creditæ, fuit: non animus in regno auito recuperando, non condendæ vrbis consilium, non bello ac pace firmandæ. ab illo enim profectu viribus datis tantum valuit, vt in quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. multitudini tamen gratior fuit quàm patribus. longè antè alios acceptissimus militum animis, tre-

Celeres,

centósque armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello solùm, sed etiam in pace habuit. His immortalibus editis operibus, cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet, subitò coorta tempestas cum magno fragore tonitribúsque, tam

Romulus terris ereptus.

denso regem operuit nimbo vt conspectum eius concioni abstulerit. nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes sedato tandem pauore, postquam ex tam turbido die serena & tranquilla lux redit: vbi vacuam sedem regiam vidit: & si satis credebat patribus, qui proximi steterant,

A sublimem raptum procella: tamen velut orbitatis metu icta, mœstum aliquandiu silentium obtinuit. deinde à paucis initio facto, deum deo natum, regem parentémque vrbis Romanæ saluere vniuersi Romulum iubent: pacem precibus exposcunt, vti volens propitius suam semper sospitet progeniem. *Romulus Deus creditur.* Fuisse credo tum quoque aliquos, qui discerptum regem patrum manibus taciti arguerent: manauit enim hæc quoque, sed perobscura fama. Illam alteram admiratio viri & pauor præsens nobilitauit. consilio etiam vnius hominis addita rei dicitur fides. nanque Proculus Iulius solicita ciuitate desiderio regis & infensa patribus, grauis, vt traditur, quamuis magnæ rei author, in concionem prodit. *Proculi Iulij concio.* Romulus, inquit, Quirites parens vrbis huius prima hodierna luce cælo repentè delapsus se mihi obuium dedit, cùm perfusus horrore venerabundúsque astitissem, petens precibus, vt contrà intueri fas esset: Abi, nuntia, inquit, Romanis, cælestes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum sit. proinde rem militarem colant, sciántque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse: hæc, inquit, locutus, sublimis abiit. Mirum, quantum illi viro nuntianti hæc fides fuerit: quámque desiderium Romuli apud plebem exercitúmque facta fide immortalitatis, lenitum sit. Patrum interim animos certamen regni ac cupido versabat. *Patrum de rege creando dissidiũ.* nec dum à singulis, quia nemo magnopere eminebat in nouo populo, peruenerant factiones. inter ordines certabatur. oriundi ab Sabinis, ne, quia post Tatii mortem ab sua parte non erat regnatum in societate æqua, possessionem imperii amitterent, sui corporis creari regem volebant. Romani veteres peregrinum regem aspernabantur. in variis voluntatibus, regem tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta. Timor deinde patres incessit, ne ciuitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circà ciuitatum irritatis animis vis aliqua externa adoriretur: & esse igitur aliquod caput placebat: & nemo alteri concedere, in animum inducebat. itaque rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulísque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociant. decem imperitabant, vnus cum insignibus imperii & lictoribus erat. quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuúmque interuallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. *Interregnum.* Fremere deinde plebs multiplicatam seruitutem. centum pro vno dominos factos. nec vltrà, nisi regem, & ab ipsis creatum videbantur passuri. Cùm sensissent ea moueri patres, offerendum vltrò rati quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa, vt non plus darent iuris quàm detinerent. decreuerunt enim vt cùm populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres authores fierent, hodiéque in legibus magistratibúsque rogandis vsurpatur idem ius, vi ademptum: priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum euentum patres authores fiunt. *Regem populus iubet, Patres authores fiunt* Tum

B interrex concione aduocata, Quod bonum, faustum, felixque sit, inquit, Quirites regem create. ita patribus visum est. patres deinde, si dignum qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis, authores fient. Adeò id gratum plebi fuit, vt ne victi beneficio viderentur, id modò sciscerent, iuberéntque, vt senatus decerneret, qui Romæ regnaret. Inclyta iustitia religióque ea tempestate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat consultissimus vir, vt in illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atque humani iuris. *Numa Pompilius.* Authorem doctrinæ eius, quia non extat alius, falsò Samium Pythagoram edunt: quem Seruio Tullo regnante Romæ centum amplius post annos, in vltima Italiæ ora circa Metapontum Heracleámque & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse constat. *Pythagoras quo tempore vixerit.* ex quibus locis, & si eiusdem ætatis fuisset, quæ fama in Sabinos, aut quo linguæ commercio quenquam ad cupiditatem discendi exciuisset? quóve præsidio vnus per tot gentes dissonas sermone, moribúsque peruenisset? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis: instructúmque non tam peregrinis artibus, quàm disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito numine Numæ patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos rege inde sumpto videbantur: tamen neque se quisquam, nec factionis suæ alium, nec denique patrum aut ciuium quenquam præferre illi viro ausi, ad vnum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt. *Numæ regnum defertur.* Accitus, sicut Romulus augurato in vrbe condenda regnum adeptus est, de se quoque deos consuli iussit. inde ab augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuúmque sacerdotium fuit: deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. augur ad læuam eius capite velato sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem Lituum appellauerunt. *Augurij ritus.* inde vbi prospectu in vrbem agrúmque capto, deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinauit: dextras ad meridiem partes, læuásque ad septentrionem esse dixit: signum contra quod longissimè conspectum oculi ferebant, animo finiuit: tum lituo in læuam manum translato, dextra in capite Numæ imposita, precatus est ita: Iupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ esse, vt tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auspicia quæ mitti vellet. quibus missis, declaratus rex Numa de templo descendit. qui regno ita potitus, vrbem nouam conditam vi & armis, iure eam legibúsque ac moribus de integro condere parat. quibus cùm inter bella assuescere videret non posse (quippe efferatis militia animis) mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellíque fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem: clausus, pacatos circà omneis populos significaret. *Iani templũ pacis belliq; indiciũ.* Bis deinde post Numæ regnum clausus fuit: semel T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: iterum, quòd nostræ ætati dii dederunt vt videremus, post bellum Actiacum ab imperatore Cæsare Augusto, pace, terra, ma-

A

riique parta. Clauſo eo, cùm omnium circà finitimorum ſocietate ac fœderibus iunxiſſet animos, poſitis externorum periculorum curis, ne luxuriarent otio animi, quos metus hoſtium, diſciplináque militaris continuerat: omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſsimam, deorum metum iniiciendum ratus eſt.

Numæ prudens conſilium.

Aegeria Dea.

qui cum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat ſibi cum dea Aegeria congreſſus nocturnos eſſe: eius ſe monitu, quæ acceptiſsima diis eſſent, ſacra inſtituere: ſacerdotes ſuos cuique deorum præficere. atque omnium primùm ad curſum lunæ in duodecim menſes deſcribit annum. Quem, quia tricenos dies ſingulis menſibus luna non explet, deſúntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendo ita diſpenſauit, vt vigeſimoquarto quoque anno ad metam eandem Solis, vnde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.

Annus deſcribitur.

Dierum diſtinctio.

Idem nefaſtos dies faſtóſque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi vtile futurum erat. Tum ſacerdotibus creandis animum adiecit: quanquam ipſe plurima ſacra obibat, ea maximè quæ nunc ad Dialem flaminem pertinent. Sed quia in ciuitate bellicoſa plures Romuli quàm Numæ ſimiles reges putabat fore, iturósque ipſos ad bella, ne ſacra regiæ vicis desererentur, flaminem Ioui aſsiduum ſacerdotem creauit: inſigníque eum veſte, & curuli regia ſella adornauit, huic duos flamines adiecit: Marti vnum, alterum Quirino.

Flamines creantur.

Veſtales uirgines.

Virginéſque Veſtæ legit: Alba oriundum ſacerdotium, & genti conditoris haud alienum. His, vt aſſiduæ templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit: virginitate aliiſque cærimoniis venerabiles ac ſanctas fecit.

Salij.

Salios item duodecim Marti Gradiuo legit, tunicæque pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam æneum pectori tegumen, cæleſtiáque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis ſolennique ſaltatu iuſsit.

Pontifex, & eius authoritas.

Pontificem deinde Numæ Marcium Marci filium ex patribus legit, eíque omnia ſcripta exſignatáque attribuit: quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent: atque vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica priuatáque ſacra pontificis ſcitis ſubiecit: vt eſſet quò conſultum plebs veniret: nequid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinóſque aſciſcendo turbaretur. Nec cæleſtes modò cærimonias, ſed iuſta quoque funebria, placandóſque manes vt idem pontifex edoceret: quæque prodigia fulminibus, alióve quo viſu miſſa ſuſciperentur atque curarentur: ad ea elicienda ex mentibus diuinis Ioui Elicio aram in Auentino dicauit: deúmque conſuluit auguriis quæ ſuſcipienda eſſent.

Iupiter Elicius.

Ad hæc conſultanda procurandáque, multitudine omni à vi & armis conuerſa, & animi aliquid agendo occupati erant, & deorum aſsidua inſidens cura, cum intereſſe rebus humanis cæleſte numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat: vt fides ac iuſiurandum, propulſo legum ac pœnarum metu ciuitatem regerent.

Fides & iuſiurandum.

In regis mores ſe format populus.

B

& cum ipſi ſe homines in regis, velut vnici exempli, mores formarent: tum finitimi etiam populi, qui ante caſtra vrbem poſitam in medio ad ſolicitandam omnium pacem crediderant: in eam verecundiam adducti ſunt, vt ciuitatem totam in cultum verſam deorum, violari ducerent nefas. Lucus erat quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua. quò quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ inferebat, camœnis eum lucum ſacrauit, quòd earum ſibi concilia cum coniuge ſua Aegeria eſſent.

Fidei ſolemne inſtitutum.

Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit. Ad id ſacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iuſsit, manúque ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere: ſignificantes fidem tutandam, ſedémque eius etiam in dextris ſacratam eſſe. Multa alia ſacrificia, locáque ſacris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant, dedicauit. Omnium tamen maximum eius operum fuit tutela per omne regni tempus haud minor pacis, quàm regni. Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace, ciuitatem auxerunt.

Romulus 37 annos, Numa 43 regnauit.

Romulus ſeptem & triginta regnauit annos: Numa tres & quadraginta. Tum valida, tum temperata & belli & pacis artibus erat ciuitas. Numæ morte ad interregnum res rediit.

Tullus Hoſtilius rex creatur.

Inde Tullum Hoſtilium, nepotem Hoſtilii, cuius in infima arce clara pugna aduerſus Sabinos fuerat, regem populus iuſsit, patres authores facti. Hic non ſolùm proximo regi diſsimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viréſque, tum auita quoque gloria animum ſtimulabat. Seneſcere igitur ciuitatem otio ratus, vndique materiam excitandi belli quærebat.

Semina belli inter Romanos & Albanos,

Fortè euenit, vt agreſtes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano prædas inuicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Albæ. vtrinque legati ferè ſub idem tempus ad res repetendas miſsi. Tullus præceperat ſuis, ne quid prius quàm mandata agerent. ſatis ſciebat, negaturum Albanum, ita piè bellum indici poſſe. Ab Albanis ſocordius res acta, excepti hoſpitio ab Tullo blandè ac benignè, comiter regis conuiuium celebrant. tantiſper Romani & res repetiuerant priores: & neganti Albano, bellum in trigeſimum diem indixerant. Hæc renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi poteſtatem, quid petentes venerint, facit. Illi omnium ignari, primùm purgando terunt tempus. Se inuitos quicquam, quod minus placeat Tullo, dicturos, ſed imperio ſubigi. res repetitum ſe veniſſe: ni reddantur bellum indicere iuſſos. Ad hæc Tullus: Nuntiate, inquit, regi veſtro: regem Romanum deos facere teſtes, vter prius populus res repetentes legatos aſpernatus dimiſerit, vt in eum omnes expetant huiuſce clades belli. Hæc nuntiant domum Albani. Et bellum vtrinque ſumma ope parabatur, ciuili ſimillimum bello, propè inter parentes natóſque, Troianam vtranque prolem, cùm Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorum ſtirpe regum oriundi Romani eſſent. Euentus tamen belli minus miſerabilem dimicationem fecit: quòd nec acie certatum eſt, & tectis modò dirutis alterius vrbis, duo populi in vnum confuſi ſunt. Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum fecere. caſtra ab vrbe haud plus quinque millia paſſuum locant,

foſſa

A fossa circundant. fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot secula appellata est, donec cum re nomen quoque vetustate aboleuit. in his castris Cluilius Albanus rex moritur. dictatorem Albani Metium Suffetium creant.

Albani priores in agrum Romanum excurrunt.

Metius Suffetius dictator.

Interim Tullus ferox præcipuè morte regis, magnúmque deorum numen ab ipso capite orsum, in omne nomen Albanum expetiturum pœnas ob bellum impium dictitans, nocte præteritis hostium castris, infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab statiuis exciuit Metium. ducit quàm proximè ad hostem potest. inde legatum præmissum nuntiare Tullo iubet, priusquam dimicent, opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis scire ea se allaturum, quæ nihilominus ad rem Romanam quàm ad Albanã pertineant. haud aspernatus Tullus, tametsi vana afferebantur, suos in aciem educit. exeunt contrà & Albani. Postquam instructi vtrinque stabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. ibi infit Albanus: Iniurias & non redditas res ex fœdere, quæ repetitæ sunt: & ego regem nostrum Cluilium causam huiusce esse belli, audisse videor: nec te dubito Tulle eadẽ præ te ferre. sed si vera potius quàm dictu speciosa dicẽda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinósq; populos ad arma stimulat. neque rectè, an perperã, interpretor: fuerit ista eius deliberatio, qui bellum suscepit. me Albani gerendo bello ducem creauere.

Metij oratio.

Illud te Tulle monitum velim: Hetrusca res, quanta circa nos téque maximè sit, quo propiores vos, hoc magis scis. multum illi terra, plurimum mari pollent. memor esto iam cum signũ pugnæ dabis, has duas acies spectaculo fore: vt fessos confectósq; simul victoré ac victum aggrediantur. Itaque si nos dii amant, quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii seruitiíque aleam imus, ineamus aliquam viam, qua vtri vtris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine vtriusque populi decerni possit. Haud displicet res Tullo, quanquam tum indole animi, tum spe victoriæ ferocior erat. Quærentibus vtrinque ratio initur, cui & fortuna ipsa præbuit materiam. Fortè in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, nec ætate, nec viribus dispares. Horatios Curiatiósque fuisse, satis constat, nec fermè res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, vtrius populi Horatii, vtrius Curiatii fuerint. authores vtrôque trahunt, plures tamen inuenio, qui Romanos Horatios vocent. hos vt sequar, inclinat animus.

Horatij & Curiatij trigemini fratres.

Cum trigeminis agunt reges vt pro sua quisque patria dimicent ferro. ibi imperium fore, vnde victoria fuerit. nihil recusatur, tempus & locus cõuenit. priusquam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos & Albanos est his legibus, vt cuius populi ciues eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt.

Fœdus icitur inter Rom. & Albanos.

Fœderis ritus.

Fœcialis.

Tum ita factum accepimus, nec vllius vetustior fœderis memoria est. fœcialis regem Tullum ita rogauit: Iubésne me rex cum patrepatrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege, Sagmina, inquit, te rex posco. rex ait: Puram

B tollito. fœcialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogauit: Rex, facísne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasa, comitésque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fœcialis erat M. Valerius. is patrempatratum SP. Fusium fecit, verbena caput capillósque tangens (paterpatratus ad iusiurandum patrandum, id est sanciendum fit) fœdus, multísque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit.

Paterpatratus.

Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palàm prima postrema ex illis tabulis ceráve recitata sunt sine dolo malo, vtíque ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. si prior defexit publico consilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis ferito, quãto magis potes pollésque. Id vbi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani, suúmque iusiurandum per suum dictatorem, suósque sacerdotes peregerunt. Fœdere icto, tergemini, sicut conuenerat, arma capiunt. Cum sui vtrosque adhortarentur, deos patrios, patriam ac parentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus: feroces & suopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt.

Tergeminorum pugna de Imperio.

Consederant vtrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quàm curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum. itaque ergo erecti suspensíque in minimè gratum spectaculum animo incenduntur. Datur signum: infestísque armis, velut acies, terni iuuenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: nec his, nec illis periculum suum, sed publicum imperium seruitiúmq; obuersatur animo, futuráque ea deinde patriæ fortuna, quàm ipsi fecissent. Vt primo statim concursu increpuere arma, micantésque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit: & neutrò inclinata spe, torpebat vox, spiritúsque. Consertis deinde manibus, cum iam non motus tantum corporum, agitatióque anceps telorum armorúmque, sed vulnera quoque & sanguis spectaculo essent: duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt. ad quorũ casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice vnius, quem tres Curiatii circunsteterant. Fortè is integer fuit, vt vniuersis solus nequaquam par, sic aduersus singulos ferox: ergo, vt segregaret pugnam eorum, capessit fugam: ita ratus secuturos, vt quemque vulnere affectum corpus sineret. Iam aliquam tum spatii ex eo loco, vbi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis interuallis sequentes, vnum haud procul ab sese abesse. in eum magno impetu rediit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, vti opem ferant fratri, iam Horatius cæso hoste victor secundam pugnam petebat. tunc clamore qualis ex insperato pauentium solet Romani adiuuant militem suum: & ille defungi prælio festinat.

Prius itaque quàm alter qui nec procul aberat, consequi posset, & alterũ Curiatium conficit. Iámque A æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. alterũ intactum ferro corpus, & gemi nata victoria ferocem in certamen tertiũ dabant. alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victúsque fratrum ante se strage, victori obiicitur hosti. nec illud prælium fuit. Romanus exultans:

Romanus uincit.

Duos, inquit, fratrum Manibus dedi: tertium, causam belli huiusce, vt Romanus Albano imperet, dabo. Malè sustinenti arma, gladium supernè iugulo defigit: iacentem spoliat. Romani ouantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo maiore cum gaudio, quo propius metum res fuerat.

Sepeliuntur occisi quo quisque loco occiderat.

Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulchra extant, quo quisque loco cecidit. duo Romana vno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, vt & pugnatum est. Priusquam inde digrederentur, roganti Metio ex fœdere icto quid imperaret, imperat Tullus, vti iuuentutem in armis habeat: vsurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. ita exercitus inde domos abducti. princeps Horatius ibat, tergemina spolia præ se gerens. cui soror virgo, quæ desponsa vni ex Curiatiis fuerat, obuia ante portam Capenam fuit: cognitóque super humeros fratris paludamento sponsi quod ipsa confecerat, soluit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Mouet feroci iuueni animum cõploratio sororis in victoria sua, tantóque gaudio publico.

Horatius sororem suam gladio transfigit.

Stricto itaque gladio simul verbis increpans, transfigit puellam: Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum inquit, oblita fratrum mortuorum, viuíque, oblita patriæ. Sic eat quæcunque Romana lugebit hostem. Atrox visum id facinus patribus, plebíque: sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in ius ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratíque ad vulgus iudicii, ac secundum iudicium supplicii author esset: concilio populi aduocato, Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem, facio.

Duumuiri de Horatij causa iudicant.

lex horrendi carminis erat. Duumuiri perduellionem iudicent. si à duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Hac lege duumuiri creati, qui se absoluere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cùm condemnassent: tum alter ex his, P. Horati tibi perduellionem iudico, inquit. lictor colliga manus. accesserat lictor, iniiciebátque laqueum. tum Horatius authore Tullo clemente legis interprete, Prouoco, inquit. ita de prouocatione certatum ad populum est.

Horatius prouocat ad populum.

Moti homines sunt in eo iudicio, maximè P. Horatio patre proclamante, se filiam iure cæsam iudicare. ni ita esset, patrio iure in filium animaduersurum fuisse. orabat deinde, ne se, quem paulo antè cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. inter hæc senex iuuenem amplexus, spolia Curatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans:

Horatius pater ad Quirites.

Hunccine, aiebat, quem modò decoratum ouantémque victoria incedentem vidistis Quirites, B eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I lictor, colliga manus, quæ paulo antè armatæ imperium populo Romano pepererunt. i, caput obnube liberatoris vrbis huius, arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modò inter illa pila, & spolia hostium: vel extra pomœrium, modò intra sepulchra Curiatiorum. quò enim ducere hunc iuuenem potestis, vbi non sua decora eum à tanta fœditate supplicii vindicent? Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absoluerúntque admiratione magis virtutis, quàm iure causæ.

Cædis manifestæ expiatio summæ iustitiæ exẽplum.

Itaque vt cædes manifesta, aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, vt filium expiaret pecunia publica. is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub iugum misit iuuenem. id hodie publicè quoque semper refectum manet: Sororium tigillum vocant. Horatiæ sepulchrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.

Albani de bello redintegrando cogitant.

Nec diu pax Albana mansit. inuidia vulgi, quòd tribus militibus fortuna publica commissa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit: &, quoniam recta consilia haud bene euenerant, prauis reconciliare popularium animos cœpit. Igitur vt prius in bello pacem, sic in pace bellum quærens, quia suæ ciuitati animorum plus quàm virium cernebat esse, ad bellum palàm atque ex edicto gerendum alios concitat populos, suis per speciem societatis proditionem reseruat.

Fidenates desciscunt à Romanis.

Fidenates colonia Romana, Veientibus sociis consilii assumptis, pacto transitionis Albanorum, ad bellum atque arma incitantur. Cum Fidenæ apertè desciuissent, Tullus Metio, exercitúque eius ab Alba accito, contra hostes ducit. vbi Anienem transiit, ad confluentes collocat castra. Inter eum locum & Fidenas Veientium exercitus Tyberim transierat. Hi & in acie prope flumen tenuere dextrum cornu, in sinistro Fidenates propius montes consistunt. Tullus aduersus Veientem hostem dirigit suos, Albanos contra legionem Fidenatium collocat.

Albani exercitus proditio.

Albano nõ plus animi erat, quàm fidei: nec manere ergo, nec transire apertè ausus, sensim ad montes succedit. Inde vbi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem? fluctuánsque animo vt tereret tempus, ordines explicat. Consilium erat, quà fortuna rem daret, eà inclinare vires. Miraculo primò esse Romanis, qui proximi steterant, vt nudari latera sua sociorum digressu senserunt. inde eques citato equo nuntiat regi, abire Albanos. Tullus in re trepida duodecim vouit Salios, fanáque Pallori, ac Pauori, equitem clara increpans voce, vt hostes exaudirent, redire in prælium iubet. Nihil trepidatione opus esse: suo iussu circunduci Albanum exercitum, vt Fidenatium nuda terga inuadat. Idem imperat, vt hastas equites erigere iubeat. Id factum, magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus intersepsit. qui viderant, id quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit, & audiuerant clara voce dictum. & magna pars Fidenatium, vt qui coloni ad

A loni additi Romanis essent, Latinè sciebant. Itaque ne subitò ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus: fusóque Fidenatium cornu, in Veientem alieno pauore perculsum ferocior redit. nec illi tulere impetum, sed ab effusa fuga flumen obiectum à tergo arcebat. Quò postquam fuga inclinauit, alii arma fœdè iactantes in aquam cæci ruebant: alii, *Funduntur*
dum cunctantur in ripis: inter fugæ pugnæque consilium oppresi.nō alia antè Romana pugna atro *Fidenates.*
cior fuit. Tum Albanus exercitus spectator certaminis deductus in campos. Metius Tullo de- *et Veientes.*
uictos hostes gratulatur. contrà Tullus Metium benignè alloquitur. quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris iungere iubet: sacrificium lustrale in diem posterum parat. Vbi illuxit, paratis omnibus, vt assolet, vocari ad concionem vtrunque exercitū iubet. præcones ab extremo orsi primos exciuere Albanos. hi nouitate etiam rei moti, vt regem Romanum concionantem audirent, proximi constitere. ex composito armata circundatur Romana legio. centurionibus datum negotium erat, vt sine mora imperia exequerentur. Tum ita Tullus infit: Romani, si vnquam antè aliàs
vllo in bello fuit, quod primum diis immortalib. gratias ageretis, deinde vestræ ipsorum virtuti, he- *Tulli cōcio.*
sternum id prælium fuit. dimicatum est enim non magis cum hostibus, quàm (quæ dimicatio maior ac periculosior est) cum proditione ac perfidia sociorum. nam, ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium, & imperii simulatio fuit: vt nec vobis ignorantibus deseri vos, auerteretur à certamine animus: & hostibus circumueniri se à tergo ratis terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est. ducem secuti sunt, vt & vos, si quò ego inde agmen declinare voluissem, fecissetis. Metius ille est ductor itineris huius, Metius idem huius machinator belli, Metius fœderis Romani Albaníque ruptor. audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentum mortalibus dedero. Centuriones armati Metium circumsistunt. rex cætera, vt orsus erat, peragit. Quod bonum, faustum, felixque sit populo Romano, ac mihi, vobísque Albani, populum omnem Albanum Romam traducere, in animo est: ciuitatem dare plebi, primores in patres legere, vnam vrbem, vnam rempub. facere: vt ex vno quodam in duos populos diuisa Albana res est, sic nunc in vnum redeat. Ad hæc, Albana pubes inermis ab armatis septa in variis voluntatibus, communi tamen metu cogente, silentium tenet. tum Tullus, Meti Suffeti, inquit, si ipse discere posses fidem ac fœdera seruare, viuo tibi ea disciplina à me adhibita esset. nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quæ à te violata sunt. vt igitur paulo antè animum inter Fidenatem Romanámque rem ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis. Exinde
duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Metium. Deinde in diuersum iter equi *Metius quadrigis illiga-*
B concitati, lacerum in vtroque curru corpus, quà inhæserant vinculis membra, † portantes. auertère *tus laceratur.*
omnes à tanta fœditate spectaculi oculos. Primum, vltimúmque illud supplicium apud Romanos
exempli parum memoris legum humanarum fuit. in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores pla- *† Portātes,*
cuisse pœnas. Inter hæc iam præmissi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Ro- *auertère o-*
mam. legiones deinde ductæ ad diruendam vrbem. quæ, vbi intrauere portas, non quidem fuit tu- *mnium &c.*
multus ille, nec pauor, qualis captarum esse vrbium solet, cum effractis portis, stratísve ariete mu- *Albani ciues*
ris, aut arce vi capta, clamor hostilis, & cursus per vrbem armatorum omnia ferro, flammáque *Romam tra*
miscet: sed silentium triste, ac tacita mœstitia ita defixit omnium animos, vt præ metu obliti quid re- *ducuntur.*
linquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantésque alii alios, nunc in liminibus sta- *Alba dirui-*
rent, nunc errabundi domos suas, vltimum illud visuri peruagarentur. Vt verò iam equitum cla- *tur.*
mor exire iubentium instabat: iam fragor tectorum quæ diruebantur, vltimis vrbis partibus audiebatur: puluísque ex distantibus locis ortus, velut nube inducta omnia impleuerat: raptim quibus quisque poterat elatis, cum larem ac penates, tectáque, in quibus natus quisque educatúsque esset, relinquentes exirent: iam continens agmen migrantium impleuerat vias: & conspectus aliorum mutua miseratione integrabat lacrymas: vocésque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipuè, cum obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent deos. Egressis vrbem Albanis, Romanus passim publica priuatáque omnia tecta adæquat solo. vnáque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. templis *Templis*
tamen deûm (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum est. Roma interim crescit Albæ rui- *deûm tem-*
nis: duplicatur ciuium numerus: Cælius additur vrbi mons: &, quo frequentius habitaretur, eam *peratur.*
sedem Tullus regiæ capit, ibíque deinde habitauit. Principes Albanorum in patres, vt ea quo-
que pars reipub. cresceret, legit: Tullios, Seruilios, Quintios, Geganeos, Curiatios, Clœlios: tem- *Albanorum*
plúmque ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia vsque ad patrum nostrorum ætatem appel- *principes*
lata est. & vt omnium ordinum viribus aliquid ex nouo populo adiiceretur, equitum decem tur- *in Patres le*
mas ex Albanis legit. legiones & veteres eodem supplemento explenit, & nouas scripsit. Hac *guntur.*
fiducia virium Tullus Sabinis bellum indicit, genti ea tempestate secundum Hetruscos opulentissimæ viris armísque. vtrinque iniuriæ factæ, ac res nequicquam erant repetitæ. Tullus ad Fe-
roniæ fanum mercatu frequenti negotiatores. Romanos comprehensos querebatur: Sabini suos *Belli Sabini*
prius in lucum confugisse, ac Romæ retentos. Hæ causæ belli ferebantur. Sabini haud parum *causæ.*
memores, & suarum virium partem Romæ ab Tatio locatam, & Romanam rem nuper etiam adiectione populi Albani auctam, circūspicere & ipsi externa auxilia. Hetruria erat vicina, proximi Hetruscorum Veientes. inde ob residuas bellorum iras maximè solicitatis ad defectionē animis, voluntarios traxere. & apud vagos quosdam ex inopi plebe etiam merces valuit. publico auxilio nullo adiuti

lo adiuti ſunt.valuítque apud Veientes (nam de cæteris minus mirum eſt) pacta cum Romulo in- A
duciarum fides.Cum bellum vtrinque ſumma ope pararēt,vertíque in eo res videretur,vtri prius ar
ma inferrent,occupat Tullus in agrum Sabinum tranſire. pugna atrox ad ſyluam Malicuſam fuit:

Sabini ſuperantur.

vbi & peditum quidem robore,cæterum æquitatu aucto nuper,plurimum Romana acies valuit.ab
equitibus repente inuectis turbati ordines ſunt Sabinorum.nec pugna deinde illa conſtare,nec fu-
ga explicari ſine magna cæde potuit.Deuictis Sabinis cum in magna gloria , magníſque opibus re-
gnum Tulli,ac tota res Romana eſſet,nunciatum regi,patribúſque eſt,in monte Albano lapidibus

In Albano monte lapidibus pluit,

pluiſſe:quod cum credi vix poſſet,miſsis ad id viſendum prodigium,in conſpectu haud aliter,quàm
cum grandinem venti glomeratam in terras agunt,crebri cecidere cælo lapides , viſi etiam audire
vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco,vt patrio ritu ſacra Albani facerent , quæ velut diis
quoque ſimul cum patria relictis,obliuioni dederant:& aut Romana ſacra ſuſceperant,aut fortunæ

Nouendiale ſacrum.

(vt fit) obirati cultum reliquerant deûm.Romanis quoque ab eodem prodigio nouendiale ſacrum
publicè ſuſceptum eſt:ſeu voce cæleſti ex Albano monte miſſa (nam id quoque traditur) ſeu aru-
ſpicum monitu.manſit certè ſolenne,vt quandocunque idem prodigium nuntiaretur,feriæ per no-

Peſtilentia.

uem dies agerentur. Haud ita multo pôſt peſtilentia laboratum eſt. Vnde cum pigritia militandi
oriretur, nulla tamen ab armis quies dabatur à bellicoſo rege.ſalubriora etiam credente militiæ
quàm domi iuuenum corpora eſſe,donec ipſe quoque longinquo morbo eſt implicitus.tunc adeò
fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces,vt qui nihil antè ratus eſſet minus regium,quàm ſa

Superſtitionibus Rex obnoxius.

cris dedere animum,repentè omnibus,magnis,paruíſque ſuperſtitionib.obnoxius degeret,religio-
nibúſque etiam populum impleret.vulgo iam homines eum ſtatum rerum,qui ſub Numa rege fue-
rat,requirentes,vnam opem ægris corporibus relictam,ſi pax veniáque ab diis impetrata eſſet,cre-
debant.Ipſum regem tradunt,voluentem commentarios Numæ,cum ibi quædam occulta ſolennia
ſacrificia Ioui Elicio facta inueniſſet,operatum his ſacris ſe abdidiſſe:ſed non ritè initum,aut curatū

Tullus fulmine cõflagrauit poſtquã regnaſſet annos 32. Ancus Martius rex creatur.

id ſacrum eſſe,nec ſolùm nullam ei oblatam cæleſtium ſpeciem,ſed ira Iouis ſolicitati praua religio-
ne fulmine ipſum cum domo conflagraſſe. Tullus magna gloria belli regnauit annos duos &
triginta. Mortuo Tullo , res , vt inſtitutum iam inde ab initio erat , ad patres redierat,híque in-
terregem nominauerant:quo comitia habente, Ancum Martium regem populus creauit : patres
fuere autores. Numæ Pompilii regis nepos filia ortus Ancus Martius erat : qui vt regnare cœpit,
& auitæ gloriæ memor , & quia proximum regnum cætera egregium ab vna parte haud ſatis
proſperum fuerat , aut neglectis religionibus , aut prauè cultis : longéque antiquiſsimum ratus
ſacra publica , vt ab Numa inſtituta erant , facere : omnia ea ex commentariis regis pontificem
maximum in Album relata,proponere in publico iubet.inde & ciuibus ocii cupidis,& finitimis B
ciuitatibus facta ſpes,in aui mores atque inſtituta regem abiturum. Igitur Latini , cum quib.

Latini in agrum Romanum excurrunt. Anci regis ingenium.

Tullo regnante ictum fœdus erat,ſuſtulerant animos . & cum incurſionem in agrum Romanum
feciſſent,repetentibus res Romanis ſuperbè reſponſum reddunt, deſidem Romanum regem inter
ſacella & aras acturum eſſe regnum rati. Medium erat in Anco ingenium, & Numæ, & Romuli
memor:& præterquam quòd aui regno magis neceſſariam fuiſſe pacem credebat , cùm in nouo,
tum feroci populo,etiam quòd illi contigiſſet ocium , ſine iniuria id ſe haud facilè habiturum : ten-
tari patientiam,& tentatam contemni:temporáque eſſe Tullo regi aptiora , quàm Numæ : aut ta-

Bellicas ceremonias Ancus inſtituit.

men , quoniam Numa in pace religiones inſtituiſſet,à ſe bellicæ cærimoniæ proderentur : nec ge-
rerentur ſolùm , ſed etiam indicerentur bella aliquo ritu:ius ab antiqua gente Aequicolis , quod
nunc fœciales habent, deſcripſit , quo res repetuntur. Legatus vbi ad fines eorum venit , vnde
res repetuntur,capite velato (filum lanæ velamen eſt) Audi Iupiter , inquit, audite fines (cuiuſ-
cunque gentis ſunt,nominat) audiat fas.ego ſum publicus nuntius populi Romani,iuſtè piéque
legatus venio,verbíſque meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata.inde Iouem teſtem facit : Si ego
iniuſtè,impiéque illos homines,illáſque res dedier nuntio populi Romani mihi expoſco,tum pa-
triæ compotem me nunquam ſinas eſſe. Hæc,cum fines ſupraſcandit,hæc,quicunque ei primus
vir obuius fuerit,hæc,portam ingrediens,hæc,forum ingreſſus,paucis verbis carminis,concipien-
díque iuriſiurandi mutatis,peragit.ſi non deduntur,quos expoſcit,diebus trib,& triginta (tot enim

Belli indicendi ritus.

ſolennes ſunt) peractis,bellum ita indicit: Audi Iupiter,& tu Iuno : Quirine,diíque omnes cæleſtes,
vóſque terreſtres,vóſque inferni audite : Ego vos teſtor,populum illum, (quicunque eſt,nominat)
iniuſtum eſſe,neque ius perſoluere.ſed de iſtis rebus in patria maiores natu conſulemus,quo pacto
ius noſtrum adipiſcamur. Cum his nuntius Romam ad conſulendum redit , confeſtim rex his
fermè verbis patres conſulebat: Quarum rerum,litium, cauſarum condixit paterpatratus populi
Romani Quiritium patripatrato priſcorum Latinorum,hominibúſque priſcis Latinis,quas res
nec dederunt,nec ſoluerunt,nec fecerunt,quas res dari,fieri,ſolui oportuit, dic,inquit ei,quem pri-
mum ſententiam rogabat,quid cenſes ? tum ille : Puro pióque duello quærendas cenſeo,itáque con-
ſentio conſciſcóque. Inde ordine alii rogabantur.quandóque pars maior eorum,qui aderant,in ean-
dem ſententiam ibat,bellum erat conſenſu fieri ſolitum,vt fœcialis haſtam ferratam,aut ſanguineam
præuſtam ad fines eorum ferret , & non minus tribus puberibus præſentibus diceret: Quod po-
puli priſcorum Latinorum , hominéſque priſci Latini aduerſus populum Romanum Quiritium
fecerunt , deliquerunt , quod populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis iuſ-
ſit eſſe , ſenatúſque populi Romani Quiritium cenſuit , conſenſit , conſciuit , vt bellum cum
priſcis Latinis fieret : ob eam rem ego populúſque Romanus populis priſcorum Latinorum,

hominib

A hominibúsque priscis Latinis bellum indico, facióque. Id vbi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitæ res, ac bellum indictum: morémque eum posteri acceperunt. Ancus demandata cura sacrorum flaminibus, sacerdotibúsque aliis, exercitu nouo conscripto, profectus Politorium vrbem Latinorum vi cepit. secutúsque morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant hostibus in ciuitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. & cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cælium montem Albani impleßent? Anentinum nouæ multitudini datum. additi eidem haud ita multo pòst, Tellenis Ficanáque captis, noui ciues.

Augetur res Romana hostib. in ciuitatem acceptis.

Politorium inde rursus bello repetitum, quod vacuum occupauerant prisci Latini. eáque causa diruendæ vrbis eius fuit Romanis, ne hostium semper receptaculum esset. Postremò omni bello Latino Medulliam compulso, aliquandiu ibi marte incerto, varia victoria pugnatum est. nam & vrbs tuta munitionibus, præsidióque firmata valido erat. & castris in aperto positis, aliquoties exercitus Latinus cominus cum Romanis signa contulerat. Ad vltimum omnibus copiis connixus Ancns, acie primum vincit. inde ingenti præda potitus, Romã redit: tum quoque multis millib. Latinorũ in ciuitatem acceptis. quib. vt iungeretur Palatio Auentinum, ad Murtiæ datæ sedes. Ianiculum quoque adiectum, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostium esset. id non muro solũ, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio, tum primùm in Tyberi facto, cõiungi vrbi placuit. Quiritinm quoque fossa, haud paruum munimentum à planioribus aditu locis, Anci regis opus est.

Carcer ædificatur.

Ingenti incremento rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum, discrimine rectè an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciæ media vrbe imminens foro ædificatur. nec vrbs tantum hoc rege creuit, sed etiam ager finésque: sylua Mæsia Veientibus adempta: vsque ad mare imperium prolatum: & in ore Tyberis Hostia vrbs condita: salinæ circa factæ: egregiéque rebus bello gestis, ædes Iouis Feretrii amplificata.

Hostia vrbs conditur.

Lucumo.

Tarquinij vrbs.

Anco regnante Lucumo vir impiger, ac diuitiis potens, Romam commigrauit, cupidine maximè ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat) facultas non fuerat. Demarati Corinthii filius erat. qui ob seditiones domo profugus cùm Tarquiniis fortè consedisset, vxore ibi ducta duos filios genuit. nomina his Lucumo, atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri bonorum omnium hæres: Aruns prior quàm pater moritur, vxore grauida relicta. nec diu manet superstes filio pater. qui cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decesꝭisset, puero post aui mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditũ nomen.

Tanaquil.

Lucumoni contrà omnium hæredi bonorum cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil, summo loco nata, & quæ haud facilè iis, in quibus nata erat, humi- B liora sineret. ea cum innupsisset, spernentibus Hetruscis Lucumonem exule aduena ortum, ferre indignitatem non potuit. oblitáque ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo virum honoratum videret, consilium migrandi ab Tarquiniis cœpit. Roma est ad id potisꝭimum visa. In nouo populo, vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum forti ac strenuo viro. regnasse Tatium Sabinum: accersitum in regnum Numam à Curibus: & Ancum Sabina matre ortum, nobilémque vna imagine Numæ esse: facilè persuadet, vt cupido honorum, & cui Tarquinii materna tantum patria esset. Sublatis itaque rebus, commigrant Romam. Ad Ianiculum fortè ventum erat. ibi ei carpento sedenti cum vxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert: supérque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio diuinitus missa, capiti aptè reponit: inde sublimis abiit.

Augurium.

accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, vt vulgo Hetrusci cælestium prodigiorum mulier. excelsa & alta sperare complexa virum iubet. eam alitem ea regione cæli & eius dei nuntiam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: leuasse humano superpositum capiti decus, vt diuinitus eidem redderet. Has spes cogitationésque secum portantes, vrbem ingreßi sunt. domiciliòque ibi comparato, L. Tarquinium Priscum edidere nomen. Iam & Romanis conspicuum eum nouitas diuitiæque faciebant: & ipse qnoque fortunam benigno alloquio, comitate inuitandi, beneficiísque quos poterat sibi conciliando, adiuuabat: donec in regiam quoque de eo fama perlata est. notitiámque eam breui apud regem, liberaliter dextréque obeundo officia, in familiaris amicítiæ adduxerat iura, vt publicis pariter ac priuatis conciliis bello domísque interesset: & per omnia expertus, posteremò tutor etiam liberis regis testamento institueretur.

Ancus regnauit annos. 24.

Tarquinius regnum affectat.

Regnauit Ancus annos quatuor & viginti, cuilibet superiorum regum belli pacísque & artibus & gloria par. Iam filii prope puberem ætatem erant. eo magis Tarquinius instare, vt quamprimum comitia regi creando fierent. quibus indictis, sub tempus pueros venatum ablegauit. ísque primus & petisse ambitiosè regnum, & orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam. Cum se non rem nouam petere: quippe qui non primus, quod quisquam indignari miraríue posset, sed tertius Romæ peregrinus regnum affectet. & Tatium non ex peregrino solùm, sed etiam ex hoste regem factum. & Numam ignarum vrbis, non petentem in regnum vltrò accitum. se ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse. maiorem partem ætatis eius, qua ciuilibus officiis fungantur homines, Romæ se quàm in vetere patria vixisse. domi militíæque sub haud pœnitẽdo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse. obsequio & obseruantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipso certasse.

Tarquinius rex creatur.

Hæc eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romanus regnare iussit. Ergo virum cætera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem am-

bitio

bitio est.nec minus regni sui firmandi,quàm augendæ reipub.memor,centum in patres legit,qui de- A
inde minorum gentium sunt appellati:factio haud dubia regis,cuius beneficio in curiam venerant.

Minorum gentium Patres 100. Leguntur.

Bellum primum cum Latinis gessit. & oppidum ibi Appiolas vi cepit: prædáque inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat, reuecta, ludos opulentius instructiúsque quàm priores reges fecit. Tum primùm circo,qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. loca diuisa patribus, equitibúsque, vbi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectauere,furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.ludicrum fuit equi,pugilésque ex Hetruria maximè acciti. solennes deinde annui mansere ludi,Romani magníque variè appellati.ab eodem rege & circa forum priuatis ædificanda diuisa sunt loca:porticus,tabérnæque factæ.muro quoque lapideo circũdare vrbem parabat,cum Sabinũ bellum cœptis interuenit.adeóque ea subita res fuit,vt prius Aniené transirent hostes,quàm obuiam ire,ac prohibere exercitus Romanus posset:itáque trepidatum Romæ est.& primò dubia victoria magna vtrinque cæde pugnatum est.reductis deinde in castra hostium copiis,datóque spacio Romanis ad comparandũ deintegro bellum,Tarquinius equitem maximè suis deesse viribus ratus,ad Ramnenses, Titienses, Luceres,quas centurias Romulus scripserat,addere alias constituit,suóque insignes relinquere nomine.id quia inauguratò Romulus fecerat, negare Accius Nauius inclytus ea tẽpestate augur,neque mutari,neque nouum constitui,nisi aues addixissent,posse.ex eo ira regi mota.eludénsque artem(vt ferunt) Agedum,inquit,diuine tu,inaugura,fieri ne possit,quod nunc ego mente concipio.Cum ille in augurio rem expertus profectò futuram dixisset:Atqui hoc animo agitaui,inquit,te nouacula cotem discissurum.cape hæc,& perage quod aues tuæ fieri posse portendunt. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. Statua Accii capite velato,quo in loco res acta est,in comitio in gradibus ipsis ad læuam curiæ fuit.cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant,vt esset ad posteros miraculi eius monimentum. auguriis certè sacerdotióque augurum tantus honos accessit,vt nihil belli domíque postea,nisi auspicatò gereretur:concilia populi,exercitus vocati,summa rerum vbi aues non admisissent,dirimerentur.

Locorum in Circo delectus.

Sabinum bellum.

Accius augur nouacula cotem discecuit.

Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutauit,numero tantum alterum adiecit, vt mille & trecenti equites in tribus centuriis essent.posteriore modo sub hisdem nominibus, qui additi erant,appellati sunt.quas nunc,quia geminatæ sunt,sex vocant centurias. Hac parte copiarum aucta,iterum cum Sabinis confligitur. sed præterquam quòd viribus creuerat Romanus exercitus, ex occulto etiam additur dolus,missis qui magnam vim lignorum in Anienis ripa iacentem,ardentem in flumen conicerent:ventóque iuuante accensa ligna,& pleraque in ratibus impacta sublicis cum hærerent,pontem incendunt.ea quoque res in pugna terrorem attulit Sabinis, effusis eadem fugam impedit.multíque mortales cum hostem effugissent,in flumine ipso periere: B
quorum fluitantia arma ad vrbem cognita in Tyberi,prius penè,quàm nuntiari posset,insignẽ victoriam fecere.Eo prælio præcipua equitum gloria fuit.vtrinque ab cornibus positos,cum iam pelleretur media peditum suorum acies,ita incurrisse ab lateribus ferunt,vt non sisterent modò Sibinas legiones ferociter instantes cedentibus,sed subitò in fugam verterent.montes effuso cursu Sabini petebant,& pauci tenuere.maxima pars,vt antè dictũ est,ab equitibus in flumen acti sunt. Tarquinius instandum perterritis ratus,præda captiuísque Romam missis,spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis,pergit porrò in agrum Sabinum exercitũ inducere.& quanquam malè gesta res erat,nec gesturos melius sperare poterant:tamen quia consulendi res non dabat spaciũ, iere obuiam Sabini tumultuario milite.iterúmque ibi fusi,perditis iam propè rebus,pacem petiere. Collatia,& quicquid circa Collatiam agri erat,Sabinis ademptum.Egerius (fratris hic filius erat regis) Collatiæ in præsidio relictus.deditósque Collatinos ita accipio, eámque deditionis formulam esse.Rex interrogauit,Estísne vos legati oratorésque missi à populo Collatino, vt vos populúmque Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditísne vos populúmque Collatinum,vrbem,agros,aquam,terminos,delubra,vtensilia,diuina humanáque omnia, in meam populíque Romani ditionem?Dedimus.At ego recipio.Sabino bello perfecto,Tarquinius triumphans,Romam redit.inde priscis Latinis bellum fecit. vbi nusquam ad vniuersæ rei dimicationem ventum est.ad singula oppida circunferendo arma nomen omne Latinum domuit.Corniculum,Ficulnea vetus,Cameria,Crustumerium, Ameriola, Medullia,Nomentum,hæc de priscis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida. Pax deinde facta. Maiore inde animo pacis opera inchoata, quàm quanta mole gesserat bella, vt non quietior populus domi esset, quàm militiæ fuisset. nam & muro lapideo,cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, vrbem, quà nondum munierat, cingere parat: & infima vrbis loca circa forum, aliásque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facilè euehebant equas,cloacis è fastigio in Tyberim ductis siccat: & aream ad ædem in Capitolio Iouis, quam vouerat bello Sabino,iam præsagiente animo futuram olim amplitudinem loci,occupat fundamentis.Eo tempore in regia prodigium visu euentúque mirabile fuit.Puero dormienti,cui Seruio Tullio nomẽ fuit,caput arsisse ferunt multorum in conspectu.plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculũ orto excitum regem.& cum quidam familiarium aquam ad restringendum ferret,ab regina retentũ:sedatóque iam tumultu,moueri vetuisse puerum,donec sua sponte experrectus esset.mox cũ somno & flammam abisse. Tũ abducto in secretũ viro Tanaquil: Vidéstne tu puerũ hunc,inquit,quẽ tã humili cultu educamus? scire licet hũc lumẽ quondã columẽ reb.nostris dubiis futurũ.præsidiúmque regiæ afflictæ.proinde materiem ingentis publicè priuatímque decoris omni indulgentia nostra nutriamus.inde puerũ liberũm

Sabini uincuntur.

Sabini iterũ fusi pacem petunt.

Deditionis formula.

Tarquinius triumphans Romam redit.

Latinos domuit.

Muro lapideo Vrbs cingitur.

Prodigium mirabile.

A berûm loco cœptum haberi, erudiríque artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Euenit facile quod diis cordi esset. iuuenis euasit verè indolis regiæ. nec, cum quæreretur gener Tarquinio, quisquam Romanæ iuuentutis vlla arte conferri potuit. filiámque ei suam rex despondit. Hic quacunque de causa tantus illi honos habitus credere prohibet serua natum eum, paruúmque ipsum seruisse. eorum magis sententiæ sum, qui Corniculo capto Seruii Tullii, qui princeps in illa vrbe fuerat, grauidam viro occiso vxorem, cum inter reliquas captiuas cognita esset, ob vnicam nobilitatem ab regina Romana prohibitam ferunt, seruitio partum Romæ edidisse, in Prisci Tarquinii domo. inde tanto beneficio, & inter mulieres familiaritatem auctam, & puerum vt in domo à paruo eductum, in charitate atque honore fuisse. fortunam matris, quòd capta patria in hostium manus venerit, vt serua natus crederetur, fecisse. Duodequadragesimo fermè anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modò, sed apud patres plebémque longe maximo honore Seruius Tullius erat. Tum Anci filii duo & si antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno tutoris fraude pulsos, regnare Romæ aduenam, non modò vicinæ, sed ne Italicæ quidem stirpis, tum impensius his indignitas crescere, si ne ab Tarquinio quidem ad se rediret regnum, sed præceps inde porrò ad seruitia caderet: vt in eadem ciuitate post centesimum ferè annum, quàm Romulus deo prognatus, deus ipse tenuerit regnũ, donec in terris fuerit, id seruus serua natus possideat. tum commune Romani nominis, tum præcipuè id domus suæ dedecus fore, si Anci regis virili stirpe salua, non modò aduenis, sed seruis etiam regnum Romæ pateret. ferro igitur eam arcere contumeliam statuunt. sed & iniuriæ dolor in Tarquinium ipsum magis, quàm in Seruium eos stimulabat: & quia grauior vltor cædis, si superesset, rex futurus erat, quàm priuatus: tum Seruio occiso, quemcũque alium generum delegisset, eundem regni hæredem facturus videbatur. ob hæc ipsi regi insidiæ parantur. Ex pastoribus duo ferocissimi delecti ad facinus, quib. consueti erant vterque agrestib. ferramentis, in vestibulo regiæ quàm potuere tumultuosissimè specie rixæ in se omnes apparitores regios conuertunt. inde cum ambo regem appellarent, clamórque eorum penitus in regiam peruenisset, vocati ad regem pergunt. primò vterque vociferari, & certatim alter alteri obstrepere. coerciti ab lictore, & iussi in vicem dicere, tandem obloqui desistunt. vnus rem ex composito orditur. dum intentus in eum se rex totus auerteret, alter elatã securim in caput deiecit: relictóque in vulnere telo, ambo se foras eiiciunt. Tarquinium moribundum cùm qui circà erant excepissent, illos fugientes lictores cõprehendunt. clamor inde, concursúsque populi, mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiicit: simul quæ curando vulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedulò comparat: simul, si destituat spes, alia præsidia molitur. Seruio properè accito cum penè exan-

B guem virum ostendisset, dextram tenens, orat, ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. Tuum est, inquit, Serui, si vir es, regnum: non eorum qui alienis manib. pessimum facinus fecere. erige te, deósque duces sequere, qui clarum hoc fore caput diuino quondam circumfuso igni portenderunt. nunc te illa cælestis excitet flamma. nunc expergiscere verè. & nos peregrini regnauimus: qui sis, non vnde natus sis, reputa. si tua re subita consilia torpent, at tu mea consilia sequere. Cum clamor impetúsque multitudinis vix sustineri posset, ex superiore parte ædium per fenestras in nouam viam versas (habitabat enim rex ad Iouis Statoris) populum Tanaquil alloquitur, Iubet bono animo esse. sopitum fuisse regem subito ictu, ferrum haud altè in corpus descendisse: iam ad se redisse: inspectum vulnus absterso cruore, omnia salubria esse. confidere propediem ipsum eos visuros. Interim Seruio Tullio iubere populum dicto audientẽ esse: eum iura redditurum, obiturúmque alia regis munia. Seruius cum trabea & lictoribus prodit: ac sede regia sedens alia decernit, de aliis consulturum se regem esse simulat. Itaque per aliquot dies, cum iam expirasset Tarquinius, celata morte per speciem alienæ fungendæ vicis, suas opes firmauit. tum demum palàm facta ex comploratione in regia orta; Seruius præsidio firmo munitus, primus iniussu populi, voluntate patrum regnauit. Anci liberi iam tum comprehensis sceleris ministris, vt viuere regem, & tantas esse opes Seruii nuntiatum est; Suessam Pometiam exulatum ierant. Nec iam publicis magis auxiliis Seruius quã priuatis munire opes. & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquinium fuerat, talis aduersus se Tarquinii liberûm esset, duas filias iuuenib. regiis, Lucio atque Arunti Tarquiniis, iungit. nec rupit tamen fati necessitatẽ humanis cõsiliis, quin inuidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Peropportunè ad præsentis quietẽ status bellũ cum Veientib. (iam enim induciæ exierant) aliísque Hetruscis sumptũ in eo bello, & virtus & fortuna enituit Tullii. fusóque ingẽti hostiũ exercitu, haud dubius rex, seu patrũ, seu plebis animus periclitaretur, Romá rediit. aggreditúrque inde pacis longè maximũ opus: vt quẽadmodũ Numa diuini autor iuris fuisset, ita Seruium conditorẽ omnis in ciuitate discriminis, ordinúmque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit, rẽ saluberrimá tanto futuro imperio: ex quo belli, pacísque munia nõ viritim, vt antè, sed pro habitu pecuniarum fierent. tum classes, centuriásque, & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorũ, vel bello. Ex iis, qui † centũ millium æris, aut maiorẽ censum haberent, L X X X. cõfecit centurias, quadragenas seniorũ ac iuniorũ, prima classis omnes appellati. seniores, ad vrbis custodiá vt præsto essent: iuuenes, vt foris bella gererẽt. arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære, hæc vt tegumẽta corporis essent, tela in hostẽ, hastáq; & gladius. additæ huic classi duæ fabrûm cẽturiæ, quæ sine armis stipẽdia facerẽt. datũ munus, vt machinas in bello ferrent. Secunda classis intra † centũ vsque ad quinque & septuaginta millium censum instituta. & ex his senioribus, iunioribúsque viginti conscriptæ centuriæ:

arma

Tarquinius regnauit annos. 38.

Tarquinio parantur insidiæ.

Tarquinius securi feritur.

Tanaquil Seruium ad regnum capessendum solicitat.

Seruius rex à Patribus creatur.

Ser. Tullius Veientes & Hetruscos uicit.

Seruius ciuitatem in classes diuisit.

Census institutio.

† Valent. 1000. coronatos.

Prima classis.

Secunda classis.

† Val. 750. coron.

Tertia claſſis. † Val. 500. coron. Quarta claſſis. † Val. 250. coron. Quinta claſſis. † Val. 110. coron. Sexta claſſis. Equitū centuriæ ſcribuntur. † Val. 100. coron. † Val. 20. Viritim ſuffragium omnibus datum eſt. † Hæc uerba uidentur ne ſcio quid deſiderare. Tribus unde ſic appellatæ. Luſtrum. Vrbs amplificatur. Pomœrium cur ita uocatum.

arma imperata,ſcutum pro clypeo,& præter loricam omnia eadem. Tertiæ claſsis in † quinquaginta A
millium cenſum eſſe voluit.totidem centuriæ & hæ,eodémque diſcrimine ætatum factæ:nec de ar-
mis quicquã mutatum,ocreæ tantũ ademptæ.In quarta claſſe cenſus † quinque & viginti millium,to
tidem centuriæ factæ:arma mutata,nihil præter haſtam & verutum datũ.Quinta claſsis aucta,centu-
riæ triginta factæ. fundas , lapidéſque miſsiles hi ſecum gerebant.in his accenſi cornicines,tibici-
néſque in tres centurias diſtributi. † vndecim millibus hæc claſsis cenſebatur.Hoc minor cenſus re
liquam multitudinem habuit.Inde vna centuria facta eſt immunis militia.Ita pedeſtri exercitu orna-
to,diſtributóque,equitum ex primoribus ciuitatis XII. ſcripſit centurias.ſex item alias centurias,
tribus ab Romulo inſtitutis,ſub iiſdem , quibus inauguratæ erant,nominibus fecit.ad equos emen-
dos † dena millia æris ex publico data : & quibus equos alerent , viduæ attributæ , quæ † bina mil-
lia æris in annos ſingulos penderent.Hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera. Deinde eſt
honos additus.non enim,vt ab Romulo traditum,cæteri ſeruauerant reges , viritim ſuffragium ea-
dem vi,eodémque iure promiſcuè omnib.datum eſt:ſed gradus facti,vt neque excluſus quiſquam ſuf
fragio videretur,& vis omnis penes primores ciuitatis eſſet.equites enim vocabãtur primi, LXXX.
inde primæ claſis centuriæ primûm peditum vocabantur. † ibi ſi variaret,quod rarò incidebat,vt
ſecundæ claſsis vocarentur:nec ferè vnquã infra ita deſcenderent,vt ad infimos peruenirent. Nec mi
rari oportet,hunc ordinem,qui nunc eſt,poſt expletas quinque & XXX.tribus,duplicato earũ nu-
mero,centuriis iuniorum,ſeniorúmque ad inſtitutã ab Seruio Tullio ſummã non conuenire.quadri-
fariam enim vrbe diuiſa regionibus,collibúſque quæ habitabantur partes, Tribus eas appellauit : vt
ego arbitror,ab tributo.nam eius quoque æqualiter ex cenſu conferendi ab eodem inita ratio eſt.
neque hæ tribus ad centuriarum diſtributionem numerúmque quicquam pertinuere . Cenſu perfe-
cto,quem maturauerat metu legis de incenſis latæ,cum vinculorũ minis mortíſque edixit,vt omnes
ciues Romani equites peditéſque in ſuis quiſque centuriis in campo Martio prima luce adeſſent.
ibi inſtructum exercitum omnem ſue,oue , taurilib. luſtrauit.ídque conditum luſtrum appellatum,
quia in cenſendo finis factus eſt.Millia LXXX.eo luſtro ciuium cenſa dicuntur. Adiicit ſcriptorum
antiquiſsimus Fabius Pictor,eorum qui ferre arma poſſent,eum numerum fuiſſe. Ad eam multitu-
dinem vrbs quoque amplificanda viſa eſt.addit duos colles,Quirinalem, Viminalémque.inde dein-
ceps auget Eſquilias:ibique ipſe,vt loco dignitas fieret,habitat.aggere & foſsis & muro vrbem cir-
cundat:ita pomœrium profert. Pomœrium verbi vim ſolam intuentes,poſt mœnium interpretan-
tur eſſe.eſt autem magis circa murum locus.quem in condendis vrbib.quondam Hetruſci,quà murũ
ducturi erant,certis circà terminis inaugurato conſecrabant.vt neque interiore parte ædificia mœ-
nib.continuarentur,quæ nunc vulgò etiam coniungunt:& extrinſecus puri aliquid ab humano cul- B
tu pateret ſoli.hoc ſpacium,quod neque habitari,neque arari fas erat,non magis quòd poſt murum
eſſet,quàm quòd murus poſt íd,pomœrium Romani appellarunt. & in orbis incremento ſemper,
quantum mœnia proceſſura erant,tantum termini hi conſecrati proferebantur. Aucta ciuitate magni
tudine vrbis,formatis omnibus domi & ad belli & ad pacis vſus,ne ſemper armis opes acquireren-
tur,conſilio augere imperium conatus eſt,ſimul & aliquod addere vrbi decus. Iam tum erat incly-

Dianæ Epheſiæ fanum. Romæ fanũ Dianæ ædificatur. De boue uiſendæ magnitudinis prodigium.

tum Dianæ Epheſiæ fanum,id communiter à ciuitatibus Aſiæ factum fama ferebat.Cùm conſenſum,
deóſque cõſociatos laudaret mirè Seruius inter proceres Latinorum,cum quibus publicè,priuatím-
que hoſpitia amicitiáſque de induſtria iunxerat,ſæpe iterando eadem,perpulit tandem,vt Romæ fa-
num Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent. Ea erat confeſsio,caput rerum Romam
eſſe:de quo toties armis certatũ fuerat.Id quãquàm omiſſum iam ex omniũ cura Latinorum ob rem
toties infeliciter tentatam armis,videbatur,vni ſe ex Sabinis fors dare viſa eſt priuato conſilio impe
rii recuperandi.Bos in Sabinis nata cuidã patrifamiliæ dicitur miranda magnitudine,ac ſpecie (fixa
per multas ætates cornua in veſtibulo templi Dianæ monumentũ ei fuere miraculo) habita, vt erat,
res prodigii loco eſt.& cecinere vates,cuius ciuitatis eam ciuis Dianæ immolaſſet,ibi fore imperiũ.
ídque carmen peruenerat ad antiſtitem fani Dianæ.Sabinus,vt primùm apta dies ſacrificio viſa eſt,
bouem Romam actam deducit ad fanum Dianæ,& ante aram ſtatuit. Ibi antiſtes Romanus cùm
eum magnitudo victimæ celebrata fama mouiſſet,memor reſponſi,Sabinũ ita alloquitur : Quídnam
tu hoſpes paras,inquit,inceſte ſacrificium Dianæ facere?quin tu antè viuo perfunderis flumine?infi-
ma valle præfluit Tyberis.Religione tactus hoſpes,qui omnia,vt prodigio reſponderet euentus,
cuperet ritè facta , extemplò deſcendit ad Tyberim.Intereà Romanus immolat Dianæ bouem.id
mirè gratum regi,atque ciuitati fuit.Seruius,quanquàm iam vſu haud dubiè regnum poſſederat,ta-
men quia interdum iactari voces à iuuene Tarquinio audiebat,ſe iniuſſu populi regnare , concilia-
ta priùs voluntate plebis,agro capto ex hoſtibus viritim diuiſo,auſus eſt ferre ad populum,vellent

Seruius plebis conſenſu rex declaratur.

iuberéntne ſe regnare.tantóque conſenſu,quanto haud quiſquam alius antè rex eſt declaratus.Ne-
que ea res Tarquinio ſpem affectandi regni minuit: imò eo impenſius, quia de agro plebis ad-
uerſum patrum voluntatem ſenſerat agi,criminandi Seruii apud patres,creſcendíque in curia ſibi
occaſionem datam ratus eſt,& ipſe iuuenis ardentis animi,& domi vxore Tullia inquietum animũ
ſtimulante.Tulit enim & Romana regia ſceleris tragici exemplum,vt tædio regum maturior veni-
ret libertas:vltimúmque regnum eſſet,quod ſcelere partum foret.Hic L. Tarquinius Priſci Tarqui-
nii regis filius nepóſue fuerit , parum liquet : pluribus tamen authoribus filium crediderim. fra-
trem habuerat Aruntem Tarquinium,mitis ingenii iuuenem.His duobus,vt antè dictum eſt , duæ
Tulliæ regis filiæ nupſerant , & ipſæ longè diſpares moribus. Fortè ita inciderat,ne duo violenta
ingenia

A ingenia matrimonio iungeretur, fortuna credo populi Romani, quò diuturnius Seruii regnum esset, constituíque ciuitatis mores possent. Angebatur ferox Tullia nihil materiæ in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse, tota in alterum versa Tarquinium, eum mirari, eum virum dicere, ac regio sanguine ortum: spernere sororem, quòd virum nacta muliebri cessaret audacia. Contrahit celeriter similitudo eos, vt ferè fit malum malo aptissimum. sed initium turbandi omnia à fœmina ortum est: ea secretis viri alieni assuefacta sermonibus, nullis verborum contumeliis parcere de viro ad fratrem, de sorore ad virum: & se rectius viduam, & illum cælibem futurum fuisse contendere, quàm cum impari iungi, vt elanguescendum aliena ignauia esset, si sibi eum, quo digna esset, dii dedissent virum, domi se propediem visuram regnum fuisse, quod apud patrem viderat. celeriter adolescentem suæ temeritatis implet. Aruns Tarquinius, & Tullia minor propè continuatis funeribus cùm domos vacuas nouo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis, magis non prohibente Seruio, quàm approbante. Tum verò indies infestior Tullii senectus, infestius cœpit regnum esse. iam enim ab scelere ad aliud spectare mulier scelus: nec nocte, nec interdiu virum conquiescere pati, ne gratuita præterita parricidia essent. Non sibi defuisse cui nupta diceretur, nec cum quo tacita seruiret. defuisse qui se regno dignum putaret, qui meminisset se esse Prisci Tarquinii filium, qui habere, quàm sperare regnum mallet. si tu is es, cui nuptam esse me arbitror, & virum, & regem appello: sin minus, eo nunc peius mutata est res, quòd isthic cum ignauia est scelus. quin accingeris? non tibi ab Corintho, nec ab Tarquiniis, vt patri tuo, peregrina regna moliri necesse est. dii te penates, patriique, & patris imago, & domus regia, & in domo regale solium, & nomen Tarquinium creat, vocátque regem. aut si ad hæc parum est animi, quid frustraris ciuitatem? quid te vt regium iuuenem conspici finis? facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum: deuoluere retrò ad stirpem, fratri similior, quàm patri. His aliísque increpando iuuenem instigat, nec conquiescere ipsa potest: si, cum Tanaquil peregrina mulier tantum moliri potuisset animo, vt duo continua regna, viro, ac deinceps genero dedisset: ipsa regio semine orta, nullum momentum in dando adimendóque regno faceret. His muliebribus instinctus furiis Tarquinius, circumire & prehensare minorum maximè gentium patres, admonere paterni beneficii, ac pro eo gratiam repetere: allicere donis iuuenes: tum de se ingentia pollicendo: tum regis criminibus omnibus locis crescere. Postremò vt iam agendæ rei tempus visum est, stipatus agmine armatorum in forum irrupit: inde omnibus perculsis pauore, in regia sede pro curia sedens, patres in curiam per præconem ad regem Tarquinium citari iussit. Conuenere extemplò: alii iam antè ad hoc præparati: alii metu, ne non venisse, fraudi esset: nouitate ac miraculo attoniti, etiam de Seruio actum rati. Ibi Tarquinius maledicta ab stirpe

Scelerata nuptiæ. Tulliæ scelesta consilia.

Tarquinius ui regnum affectat.

B vltima orsus, Seruium, seruáque natum post mortem indignam parentis sui, non interregno, vt anteà inito, non comitiis habitis, non per suffragium populi, non authoribus patribus, muliebri dolo regnum occupasse. ita natum, ita creatum regem fautorem infimi generis hominum, ex quo ipse sit, odio alienæ honestatis ereptum primoribus agrum sordidissimo cuique diuisisse: omnia onera, quæ communia quondam fuerint, inclinasse in primores ciuitatis: instituisse censum, vt insignis ad inuidiam locupletiorum fortuna esset, & parata: vbi vellet, egentissimis largiretur. Huic orationi Seruius cùm interuenisset, trepido nuntio excitatus, extemplò à vestibulo curiæ magna voce: Quid hoc, inquit, Tarquini rei est? qua tu audacia me viuo vocare ausus es patres? aut in sede considere mea? Cùm ille ferociter ad hæc, Se patris sui tenere sedem, multò quàm seruum potiorem filium regis regni hæredem: satis illum diu per licentiam eludentem insultasse dominis. Clamor ab vtriusque fautoribus oritur, & concursus populi fiebat in curiam: apparebátque regnaturum, qui vicisset. Tum Tarquinius necessitate iam etiam ipsa cogente vltima audere, multo & ætate & viribus validior, medium arripit Seruium: elatúmque è curia, in inferiorem partem per gradus deiicit. inde ad cogendum Senatum in curia redit. fit fuga regis apparitorum, atque comitum. ipse propè exanguis, cùm semianimis regio comitatu domum se reciperet, peruenissétque ad summum Cyprium vicum, ab iis qui missi ab Tarquinio fugientem consecuti erant, interficitur. Creditur, quia non abhorret à cætero scelere, admonitu Tulliæ id factum. carpento certè, id quod satis constat, in forum inuecta, nec reuerita cœtum virorum, euocauit virum è curia: regémque prima appellauit. à quo facessere iussa ex tanto tumultu, cùm se domum reciperet, peruenissétque ad summum Cyprium vicum, vbi Dianium nuper fuit: flectente carpentum dextra in Virbium cliuum, vt in collem Esquiliarum eueheretur, restitit pauidus, atque inhibuit frænos is qui iumenta agebat, iacentémque dominæ Seruium trucidatum ostendit. Fœdum inhumanúmque inde traditur scelus, monumentóque locus est. Sceleratum vicum vocant, quo amens agitantibus furiis sororis, ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur: partémque sanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo, contaminata ipsa respersáque tulisse ad penates suos, viríque sui: quibus iratis, malo regni principio similes propediem exitus sequerentur. Seruius Tullius regnauit annos quatuor & quadraginta, ita vt bono etiam, moderatóque succedenti regi difficilis æmulatio esset. Cæterùm id quoque ad gloriam accessit, quòd cum illo simul iusta, ac legitima regna occiderunt. Idipsum tam mite ac tam moderatum imperium, tamen quia vnius esset, deponere eum in animo habuisse quidam authores sunt, ni scelus intestinum liberandæ patriæ consilia agitanti interuenisset. Inde L. Tarquinius regnare occœpit, cui Superbo cognomen facta indiderunt: quia socerum gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum perisse dictitans: primoresque patrum: quos Seruii rebus fauisse credebat, interfecit. conscius deinde malè quærendi regni ab seipso aduersus se exemplum capi

Seruii & Tarquinii disceptatio.

Tarquinius Seruium è curia deiicit.

Seruius interficitur.

Inhumanũ Tulliæ facinus.

Seruius annos regnauit 44.

b

Tarquinij Superbi mores & res gestæ iam ab initio regni

posse, armatis corpus circumsepsit. neque enim ad ius regni quicquam præter vim habebat: vt qui A neque populi iussu, neque authoribus patribus regnaret. eò accedebat, vt in charitate ciuium nihil spei reponenti metu regnum tutandum esset: quem vt pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat: pérque eam causam occidere, in exilium agere, bonis mulctare poterat. non suspectos modò aut inuisos, sed vnde nihil aliud, quàm prædam sperare posset. Ita patrum præcipuè numero imminuto, statuit nullos in patres legere, quo contemptior paucitate ipsa ordo esset, minúsque per se nihil agi indignarentur. Hic enim regum primus traditum à prioribus morem de omnibus Senatum consulendi soluit. domesticis consiliis rempublicam administrauit: bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit, iniussu populi ac Senatus fecit, diremítque. Latinorum sibi maximè gentem conciliabat, vt peregrinis quoque opibus tutior inter ciues esset. neque hospitia modò cum primoribus eorum, sed affinitates quoque iungebat.

Tarquinius peregrinos metu suorũ sibi conciliat.

Octauio Mamilio Thusculano: is longe princeps Latini nominis erat, si famæ credimus, ab Vlysse deáque Circe oriundus: ei Mamilio filiam nuptum dat: pérque eas nuptias multos sibi cognatos, amicósque eius conciliat. Iam magna Tarquinii authoritas inter Latinorum proceres erat, cùm in diem certam vt ad lucũ Ferentinæ conueniant, indicit: esse, quæ agere de rebus communibus velit. Conueniunt frequẽtes prima luce. ipse Tarquinius diẽ quidem seruauit, sed paulo antè quàm sol occideret, venit. multa ibi toto die in concilio variis iactata sermonibus erant.

Turnus Herdonius in Tarquiniũ inuehitur.

Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat inuectus. Haud mirũ esse, Superbo ei inditum Romæ cognomen (iam enim ita clàm quidã mussitantes, vulgò tamen eum appellabant) an quicquam superbius esse quàm ludificari sic omne nomẽ Latinũ? principibus lõgè ab domo excitis, ipsum, qui concilium indixerit nõ adesse. tentari profectò patientiã, vt si iugum acceperint, obnoxios premat: cui enim non apparere, affectare eum imperiũ in Latinos? Quod si sui bene crediderint ciues, aut si creditum illud & nõ raptum parricidio sit: credere & Latinos. quanquã ne sic quidem alienigenæ deberẽt. sin suos eius pœniteat, quippe qui alii super alios trucidentur, exulatũ eant, bona amittant, quid spei melioris Latinis portendi? si se audiant, domum suam quenque inde abituros: neque magis obseruaturos diem concilii, quàm ipse, qui indixerit, obseruet. Hæc atque alia eòdem pertinentia seditiosus facinorosúsque homo hísque artibus opes domi nactus, cũ maximè dissereret, interuenit Tarquinius. Is finis orationi fuit. Auersi omnes ad Tarquinium salutandum. Qui silentio facto monitus à proximis vt purgaret se, quòd id temporis venisset, disceptatorem ait se sumptum inter patrẽ & filium, cura reconciliandi eos in gratiam, moratum esse. & quia ea res exemisset illum diem, postero die acturum, quæ constituisset. Ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt. dixisse enim, nullam breuiorem esse cognitionem, quàm inter patrem & filium, paucísque transigi verbis posse: ni pareat B patri, habiturum infortunium esse. Hæc Aricinus in regem Romanum increpans ex concilio abiit.

Tarquinius dolo necem Turno machinatur.

Quam rem Tarquinius aliquanto, quàm videbatur, ægriùs ferens, confestim Turno necem machinatur, vt eundem terrorem, quo ciuium animos domi oppresserat, Latinis iniiceret. & quia pro imperio palàm interfici non poterat, oblato falso crimine insontem oppressit. per aduersæ factionis quosdam Aricinos seruum Turni auro corrupit, in diuersorium eius vim magnam gladiorum inferri clàm sineret. ea cùm vna nocte perfecta essent, Tarquinius paulò ante lucem accitis ad se principibus Latinorum, quasi re noua perturbatus, moram suam hesternam, velut deorum quadam prouidentia illatam, ait saluti sibi atque illis fuisse. ab Turno dici sibi in primoribus populorum parari necem, vt Latinorum solus imperiũ teneat. aggressurum fuisse hesterno die in concilio: dilatam rem esse, quòd author concilii abfuerit, quem maximè peteret. inde illam absentis insectationem esse natam, quòd morando spem destituerit. non dubitare, si vera deferantur, quin prima luce, vbi ventum in concilium sit, instructus cum coniuratorum manu, armatúsque venturus sit. dici gladiorum ingentem numerum esse ad eum conuectum. id vanum nécne sit, extemplò sciri posse. rogare eos, vt inde secum ad Turnum veniant. Suspectam fecit rem, & ingenium Turni ferox, & oratio hesterna, & mora Tarquinii, quòd videbatur ob eam differri cædes potuisse. Eunt inclinatis quidem ad credendum animis, tamen nisi gladiis deprehensis, cætera vana existimaturi. vbi est eò ventum, Turnum ex somno excitatum circunsistunt custodes: comprehensísque seruis, qui charitate domini vim parabant, cùm gladii abditi ex omnibus locis diuerticuli protraherentur: enimuero manifesta res visa, iniectæque Turno catenæ: & confestim Latinorum concilium magno cum tumultu aduocatur.

Turnus capitur, & indicta causa neci datur.

ibi tam atrox inuidia orta est, gladiis in medio positis, vt indicta causa nouo genere lethi, deiectus ad caput aquæ Ferentinæ crate supernè iniecta, saxísque congestis, mergeretur. Reuocatis deinde ad concilium Latinis, Tarquinius, collaudatísque, qui Turnum nouantem res pro manifesto parricidio merita pœna affecissent, ita verba fecit:

Tarquinij ad Latinos oratio.

Posse quidem se vetusto iure agere. quòd cùm omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis suis in Romanum cesserit imperium. cæterùm se vtilitatis id magis omnium causa censere, vt renouetur id fœdus: secundáque potius fortuna populi Romani, vt participes Latini fruantur, quàm vrbium excidia, vastationésque agrorum, quas Anco priùs, patre deinde suo regnante, perpessi sint, semper aut expectent, aut patiantur. Haud difficulter persuasum Latinis: quanquam in eo fœdere superior Romana res erat. cæterùm & capita nominis Latini stare, ac sentire cum rege videbant, & Turnus sui cuique periculi, si aduersatus esset, recens erat documentum.

Renouatur fœdus cum Latinis.

Ita renouatum fœdus: indictúmque iunioribus Latinorum, vt ex fœdere die certa ad lucum Ferentinæ armati frequẽtes adessent. Qui vbi ad edictũ Romani regis ex omnibus populis cõuenere: ne ducem suum,

néve

A néve secretum imperium, propriáve signa haberent, miscuit manipulos ex Latinis, Romanísque, vt ex binis singulos faceret, binósque ex singulis. ita geminatis manipulis, centuriones imposuit. Nec vt iniustus in pace rex, ita dux belli prauus fuit. quin ea arte æquasset superiores reges, ni degeneratum in aliis, huic quoque decori offecisset. Is primus Volscis bellum in ducentos amplius post suam ætatem annos mouit: Suessámque Pometiam ex his vi cepit. vbi cum diuendita præda † X L. talenta argenti auríq; recepisset: concepit animo eam amplitudinem Iouis templi, quæ digna deûm hominúmq; rege, quæ Romano imperio, que ipsius etiam loci maiestate esset. captiuam pecuniam in ædificationẽ eius templi seposuit.

Tarquinius Volscis bellum mouit.

† Id est, tantum auri argentique, ut in pecunia fierent 40. talenta: Quæ ualẽt 24000 coron.

Excepit deinde eum lentius spe bellum: quo Gabios propinquam vrbem nequicquam vi adortus, cùm obsidendi quoque vrbem spes pulso à mœnibus adempta esset, postremò minimè arte Romana, fraude ac dolo aggressus est. nam cùm velut posito bello fundamentis templi iaciendis, aliísque vrbanis operibus intentum se esse simularet: Sextus filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se sæuitiam intolerabilem conquerens. Iam ab alienis in suos vertisse superbiam: & liberorum quoq; eum frequentiæ tædere, vt quam in curia solitudinem fecerit, domi quoque faciat, ne quam stirpem, ne quem hæredem regni relinquat. se quidem inter tela & gladios patris elapsum, nihil vsquam sibi tutũ, nisi apud hostes L. Tarquinii credidisse. nam ne errarent, manere his bellum, quod positum simuletur: & per occasionem eum incautos inuasurum. Quòd si apud eos supplicibus locus nõ sit, pererraturum se omne Latium Volscósq; se inde, & Aequos, & Hernicos petiturum: donec ad eos perueniat, qui à patrum crudelibus atq; impiis suppliciis tegere liberos sciant. forsitan etiam ardoris aliquid ad bellum armáque se aduersus superbissimum regem ac ferocissimum populum inuenturum.

Tarquinij filius Sextus Gabios dolo transfugit.

Cum, si nihil morarentur, infensus ira porrò inde abiturus videretur: benignè ab Gabinis excipitur. Vetant mirari, si qualis in ciues, qualis in socios, talis ad vltimum in liberos esset: in seipsum postremò sæuiturum, si alia desint. sibi verò gratum aduentum eius esse: futurúmque credere breui, vt illo adiuuante, ab portis Gabinis sub Romana mœnia bellum transferatur.

Sextus benignè ab Gabinis excipitur.

Inde in consilia publica adhiberi. vbi cùm de aliis rebus assentire se veteribus Gabinis diceret, quibus hæ notiores essent, ipse identidem belli author esset, in eo sibi præcipuam prudentiam assumere: quòd vtriusque populi vires nosset, sciretque inuisam profectò superbiam regiam ciuibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Ita cùm sensim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipse cum promptissimis iuuenum prædatum, atque in expeditiones iret, & dictis factísque omnibus ad fallendum instructis vana accresceret fides, dux ad vltimum belli legitur. ibi cùm inscia multitudine, quid ageretur, prælia parua inter Romam Gabiósque fierent, quibus plerunque Gabina res superior esset: tum certatim summi infimíque Gabinorum

B Sex. Tarquinium dono deûm sibi missum ducem credere. apud milites verò obeundo pericula ac labores, pariter prædam munificè largiendo, tanta charitate esse, vt non pater Tarquinius potentior Romæ, quàm filius Gabiis esset. Itaque postquàm satis virium collectum ad omnes conatus videbat: tum è suis vnum sciscitatum Romam ad patrẽ mittit, quidnam se facere vellet? quandoquidem vt omnia vnus Gabiis posset, ei dii dedissent.

Sextus ad Tarquiniũ mittit nuntium.

Huic nuntio quia credo dubiæ fidei videbatur, nihil voce responsum est. rex velut deliberabundus in hortum ædium transit sequente nuntio filii. ibi inambulans tacitus summa papauerũ capita dicitur baculo decussisse. Interrogando expectandóque responsum nuntius fessus, vt re imperfecta, redit Gabios: quæ dixerit ipse, quæque viderit, refert. seu ira seu odio, seu superbia insita ingenio, nullam eum vocem emisisse: Sexto vbi quid vellet parens, quídve præciperet tacitis ambagibus, patuit: primores ciuitatis, criminando alios apud populum, alios sua ipsos inuidia opportunos interemit.

Summa papauerum capita decutit Tarquinius.

multi palàm, quidam, in quibus minus speciosa criminatio erat futura, clàm interfecti. patuit quibusdam volentibus fuga, aut in exilium acti sunt: absentiúmque bona iuxtà atque interemptorum diuisa fuere. Largitionis inde prædæque & priuati dulcedine commodi, sensus malorum publicorum adimi, donec orba consilio auxilióque Gabina res regi Romano sine vlla dimicatione in manum traditur.

Gabini parent Regi Romano.

Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum Aequorum gente fecit, fœdus cum Thuscis renouauit. Inde ad negotia vrbana animum conuertit. quorum erat primum, vt Iouis templum in monte Tarpeio monumentum regni sui nominísque relinqueret. Tarquinios reges ambos, patrem vouisse, filium perfecisse. & vt libera à cæteris religionibus area esset tota Iouis templíque eius quod inædificaretur, exaugurare fana sacelláque statuit: quæ aliquot ibi à Tatio rege primùm in ipso discrimine aduersus Romulum pugnæ vota, consecrata inaugratáq; posteà fuerant. Inter principia condendi huius operis, mouisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos. nam cùm omniũ sacellorum exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere. idque omen auguriúmq; ita acceptum est, non motam Termini sedem, vnúmque eum deorum non euocatũ sacratis sibi finibus, firma stabiliáque cuncta portẽdere.

Termini nõ mota sedes.

Hoc perpetuitatis auspicio accepto, secutũ aliud magnitudinẽ imperii portendens prodigium est. caput humanũ integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse. quæ visa species haud per ambages arcẽ eam imperii, capútq; rerũ fore portendebat. idq; ita cecinere vates, quíq; in vrbe erant, quósq; ad eam rem consultandã ex Hetruria acciuerant.

Prodigium.

Augebatur ad impẽsas regis animus. itaq; Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmẽ operi destinatæ erãt, vix in fundamenta suppeditauere. Eo magis Fabio, præterquàm quòd antiquior est, crediderim †X L ea sola talenta fuisse: quàm Pisoni, qui †X L millia põdo argenti seposita in eã rem scribit. quam summam pecuniæ, neque ex vnius tum vrbis præda sperandam: & nullius ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exuperaturam. Intentus perficiendo templo, fabris

† 24000. coron.

† 400000 coron.

vndique ex Hetruria accitis, non pecunia ſolùm ad id publica eſt vſus, ſed operis etiam ex plebe. A qui cùm haud paruus & ipſe militiæ adderetur labor, minus tamen plebs grauabatur, ſe tẽpla deûm exædificare manibus ſuis. quæ poſthac & ad alia vt ſpecie minora, ſic laboris aliquantò maioris traducebantur opera, foros in circo faciendos, cloacámque maximam receptaculum omnium purgamentorum vrbis ſub terram agendam. quibus duobus operibus vix noua hæc magnificentia quicquam adæquare potuit. His laboribus exercita plebe, quia & vrbi multitudinem, vbi vſus non eſſet, oneri rebatur eſſe: & colonis mittendis occupari latius imperii fines volebat.

Coloniæ mittuntur.

Signiã Circeióſque colonos miſit, præſidia vrbi futura terra maríque.

Portentum.

Hæc agenti, portentũ terribile viſum, anguis ex colũna lignea elapſus, cùm terrorem fugámque in regiam feciſſet, ipſius regis non tam ſubito pauore perculit pectus, quàm anxiis impleuit curis. Itaque cùm ad publica prodigia Hetruſci tantũ vates adhiberentur, hoc velut domeſtico exterritus viſu, Delphos ad maximè inclytum in terris oraculum mittere ſtatuit. neq; reſponſa ſortium vlli alii cõmittere auſus, duos filios per ignotas ea tẽpeſtate terras, ignotiora maria in Græciã miſit. Titus & Aruns profecti. comes his additus L. Iunius Brutus, Tarquinia

Iunij Bruti ingenium.

ſorore regis natus, iuuenis longè alius ingenio quàm cuius ſimulationem induerat. Is, cùm primores ciuitatis (in quibus fratrem ſuũ ab auunculo interfectum) audiſſet, neque in animo ſuo quicquam regi timendũ, neque in fortuna concupiſcendũ relinquere, ſtatuit contemptu tutus eſſe, vbi in iure parum præſidii eſſet. Ergo ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ, cùm ſe ſuáque prædæ eſſe regi fineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: vt ſub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens aperiretur tẽpore ſuo. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quàm comes, aureum baculũ incluſum corneo cauato ad id baculo tuliſſe donum Apollini dicitur, per ambages, effigiẽ ingenii ſui. Quò poſtquàm ventum eſt, perfectis patris mandatis, cupido inceſsit animos iuuenum ſciſcitandi, ad quem eorum regnum Romanum eſſet venturũ.

Delphicum oraculũ de oſculo matri ferendo.

ex infimo ſpecu vocem redditam ferunt: Imperium ſummum Romæ habebit, qui veſtrûm primus ô iuuenes oſculum matri tulerit. Tarquinii, vt Sextus qui Romæ relictus fuerat, ignarus reſponſi, expérſq; imperii eſſet, rem ſumma ope taceri iubent, ipſi inter ſe vter prior cùm Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permittunt. Brutus aliò ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit: ſcilicet quòd ea communis mater omnium mortalium eſſet. Reditum inde Romam, vbi aduerſus Rutulos bellum ſumma vi parabatur.

Bellum aduerſus Rutulos.

Ardeam Rutuli habebant, gens vt in ea regione atque in ea ætate, diuitiis præpollens. eáque ipſa cauſa belli fuit, quòd rex Romanus, tum ipſe ditari, exhauſtus magnificentia publicorum operum, tum præda delinire popularium animos ſtudebat, præter aliam ſuperbiam regno infeſtos etiam, quòd ſe in fabrorum miniſteriis, ac ſeruili tandiu habitos opere ab rege indignabantur. Tentata res eſt, ſi primo impetu capi Ardea poſſet. vbi id parum B proceſsit, obſidione munitionibúſque cœpti premi hoſtes. In iis ſtatiuis (vt fit) longo magis quàm acri bello ſatis liberi commeatus erant: primoribus tamen magis, quàm militibus. regii quidem iuuenes interdum otium conuiuiis comeſſationibúſque inter ſe terebant. Fortè potantibus his apud Sex.

De uxorum præſtantia certamen in cõuiuio habitum.

Tarquinium, vbi & Collatinus cœnabat Tarquinius Egerii filius, incidit de vxoribus mentio, ſuam quiſque laudare miris modis. inde certamine accẽſo, Collatinus negat verbis opus eſſe. paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum cæteris præſtet Lucretia ſua. quin ſi vigor iuuentæ ineſt, conſcendimus equos? inuiſimúſque præſentes noſtrarum ingenia? Idque cuique ſpectatiſsimum ſit, quod nec opinato viri aduentu occurrerit oculis. incaluerant vino. age ſanè, omnes citatis equis aduolant Romam. quò cùm primis ſe intendentibus tenebris perueniſſent, pergunt inde Collatiam: vbi Lucretiam haudquaquam vt regias nurus, quas in conuiuio luxúque cum æqualibus viderant, tempus terentes, ſed nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem inueniunt.

Lucretia reliquis mulieribus præfertur.

Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit, adueniens vir Tarquiniique excepti benignè. victor maritus comiter inuitat regios iuuenes. ibi Sex. Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim ſtuprandæ capit: tum forma, tum ſpectata caſtitas incitat. tum quidem ab nocturno iuuenili ludo in caſtra redeunt.

Sextus Tarquinius Lucretiæ vim affert.

Paucis interiectis diebus, Sex. Tarquinius inſcio Collatino cum comite vno Collatiam venit. vbi exceptus benignè ab ignaris conſilii, cùm poſt cœnã in hoſpitale cubiculũ deductus eſſet: amore ardens poſtquàm ſatis omnia tuta circà, ſopitíque omnes videbantur, ſtricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, ſiniſtráque manu mulieris pectore oppreſſo, Tace Lucretia, inquit, Sex. Tarquinius ſum. ferrum in manu eſt: moriêre, ſi emiſeris vocem. Cùm pauida è ſomno mulier nullam opem, propè mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem, orare: miſcere precibus minas: verſare in omnes partes muliebrem animum. vbi obſtinatam videbat, & ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus. cum mortua iugulatum ſeruum nudum poſiturum ait, vt in ſordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cùm viciſſet obſtinatam pudicitiam velut victrix libido, profectúſq; inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri eſſet: Lucretia mœſta tanto malo nuntiũ Romam eundem ad patrẽ, Ardeámque ad virum mittit, vt cũ ſingulis fidelibus amicis veniant: ita facto maturatóque opus eſſe, rem atrocẽ incidiſſe.

Lucretia patrem & uirum conuocat.

Sp. Lucretius cum P. Valerio Voleſi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit: cum quo fortè Romã rediens, ab nuntio vxoris erat conuentus. Lucretiam ſedentẽ mœſtã in cubiculo inueniunt. aduentu ſuorum lacrymæ obortæ. quærentíq; viro ſatin' ſaluæ? minimè, inquit. quid enim ſalui eſt mulieri amiſſa pudicitia? veſtigia viri alieni Collatine in lecto ſunt tuo. cæterũ corpus eſt tantũ violatum, animus inſons: mors teſtis erit. ſed date dextras fidémque, haud impunè adultero fore. Sex. eſt Tarquinius, qui hoſtis pro hoſpite priore nocte vi armatus mihi ſibíque, ſi vos viri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gaudium. Dant ordine omnes fidem:

conſolan

A consolantur ægram animi, auertendo noxam ab coacta in authorem delicti. mentem peccare, non corpus: & vnde consilium abfuerit, culpam abesse. Vos, inquit, videritis, quid illi debeatur. ego me & si peccato absoluo, supplicio non libero. nec vlla deinde impudica Lucretiæ exemplo viuet. Cultrum quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit: prolapsáque in vulnus, moribunda cecidit. Conclamant vir paterque. Brutus illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens, Per hunc, inquit, castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vósque dii testes facio, me L. Tarquiniũ Superbum cum scelerata coniuge, & omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi possim, exacturum: nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ passurũ. cultrũ deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio stupentibus miraculo rei, vnde nouum in Bruti pectore ingenium. vt præceptum erat, iurant. totíque ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiæ corpus, in forum deferunt, conciéntque miraculo (vt fit) rei nouæ atque indignitate homines. pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. mouet tum patris mœstitia: tũ Brutus castigator lacrymarum atque inertium querelarum, authórque quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi aduersus hostilia ausos. Ferocissimus quisque iuuenum cum armis voluntarius adest: sequitur & cætera iuuentus. inde pari præsidio relicto Collatiæ ad portas, custodibúsque datis, ne quis eum motum regibus nuntiaret: cæteri armati duce Bruto Romam profecti. vbi eò ventum est, quacunque incedit armata multitudo, pauorem ac tumultum facit. rursus vbi anteire primores ciuitatis vident, quicquid sit, haud temere esse rentur. nec minorem motum animorum Romæ tam atrox res facit, quàm Collatiæ fecerat. Ergo ex omnibus locis vrbis in forum curritur. quò simul ventum est, præco ad tribunum Celerum, in quo tum magistratu fortè Brutus erat, populum aduocauit. Ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingeniíque quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sex. Tarquinii, de stupro infando Lucretiæ & miserabili cæde, de orbitate Tricipitini, cui morte filiæ causa mortis indignior ac miserabilior esset. addita superbia ipsius regis, miseriæque & labores plebis in fossas cloacásque exhauriendas demersæ. Romanos homines victores omnium circà populorum, opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. indigna Seruii Tullii regis memorata cædes: & inuecta corpori patris nefando vehiculo filia, inuocatique vltores parentum dii. His atrocioribúsque, credo aliis quæ præsens rerum indignitas haud quaquam relatu scriptoribus facilia subiicit, memoratis, incẽsam multitudinem perpulit, vt imperium regi abrogaret, exuléſque esse iuberet L. Tarquinium cum coniuge ac liberis. ipse iunioribus qui vltrò nomina dabant lectis armatísque, ad concitandum inde aduersus regem exercitum Ardeam in castra est profectus. imperium in vrbe Lucretio præfecto vrbis iam antè ab rege instituto, reliquit. Inter hunc tumultum Tullia domo profugit: execrantibus quacunque incedebat, inuocantibúsque parentum furias viris mulieribúsque. Harum rerum nuntiis in castra perlatis, cum re noua trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, flexit viam Brutus (senserat enim aduentum) ne obuius fieret, eodémque ferè tempore diuersis itineribus Brutus Ardeam, Tarquinius Romam venerunt. Tarquinio clausæ portæ, exiliumque indictum: liberatorem vrbis læta castra accepere, exactíque inde liberi regis, duo patrem secuti sunt, qui exulatum Cære in Hetruscos ierunt. Sex. Tarquinius Gabios tanquam in suum regnum profectus, ab vltoribus veterum simultatum, quas sibiipse cædibus rapinísque conciuerat, est interfectus. L. Tarquinius Superbus regnauit annos v & xx. Regnatum Romæ ab condita vrbe ad liberatam annos CCXLIIII. Duo consules inde comitiis centuriatis à præfecto vrbis ex commentariis Seruii Tullii creati sunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

Lucretia sibi mortẽ cultro in corde defixo cõsciscit.

Brutus author est arma capiendi aduersus Tyrannos.

B

Imperium Tarquinio abrogatur.

Brutus ab exercitu benignè excipitur.

L. Tarq. Superbus annos regnauit 25.

Anni ab vrbe condita 244.

L. Iunius Brutus & L. Tarquinius Collatinus primi Consules creati.

DECADIS PRIMAE LIBER II.

Brutus iureiurando populum astrinxit, neminem regnare Romæ passurum: Tarquinium Collatinũ collegam suum propter affinitatẽ Tarquiniorum suspectum, coegit consulatu se abdicare, & ciuitate cedere. bona regum diripi iussit: agrum Marti cõsecrauit, qui Cãpus Martius nominatus est. adolescentes nobiles, in quibus suos quoq; & fratris filios, quia coniurauerant de recipiendis regibus, securi percussit: seruo indici, cui Vindicius nomẽ fuit, libertatem dedit: ex cuius nomine uindicta est appellata: Cũ aduersus reges, qui contractis Veientiũ & Tarquiniorum copiis bellũ intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte filio Superbi concurrens mortuus est: eúmq; matronæ annum luxerunt. L. Valerius consul legem de prouocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est. Porsena rex Clusinorum, bello pro Tarquiniis suscepto, cum ad Ianiculum uenisset, ne Tyberim transiret, uirtute Coclitis Horatii prohibitus est. qui, dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Hetruscos sustinuit: & ponte rupto, armatus se in flumen misit: & ad suos tranauit. Alterum accessit uirtutis exemplũ à Mutio: qui, cum ad feriendum Porsenam castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regẽ esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est: dixitq; tales trecentos esse coniuratos in mortẽ ipsius regis. quorum admiratione coactus Porsena pacis conditiones ferre, bellum omisit, acceptis obsidibus. ex quibus uirgo una Clœlia deceptis custodibus per Tyberim ad suos tranauit: & cũ reddita esset, à Porsena honorificè remissa, equestriq; statua donata est. Ap. Claudius ex Sabinis Romã transfugit: ob hoc Claudia tribus adiecta est. Numerus tribuum ampliatus est, ut essent triginta una. Aduersus Tarquinium Superbum cum Latinorum exercitu bellum inferentem A. Posthumius dictator prosperè pugnauit apud lacum Regillum. Plebs, cum propter nexos ob æs alienum Sacrum in montem secessisset, consilio Menenii Agrippæ à seditione reuocata est. Idem Agrippa decessisset, propter paupertatem publico impendio elatus. Tribuni plebis quinque creati sunt, Oppidũ Volscorum Corioli captũ est uirtute & opera Cn. Martii, qui ob hoc Coriolanus uocatus est. T. Latinus uir de plebe, cũ in uisu admonitus esset, ut de quibusdam religionibus ad Senatũ perferret: & neglexisset, amisso filio, debilis factus, posteaquã delatus ad Senatum lectica, eadem illa indicauerat, usu pedum recepto, domũ reuersus est. Cum Cn. Martius Coriolanus, qui in exilium pulsus, dux Volscorum factus exercitum hostium urbi primò admouisset, & missi ad eum



primùm legati: postea sacerdotes frustrà deprecati essent: ne bellũ patriæ inferret: Veturia mater, & Volumnia uxor impetrauerũt ab eo, ut recederet. Lex agraria primùm lata est. Sp. Cassius consularis re ut crimine damnatus est, necatúsque. Oppia uirgo Vestalis ob incestum uiua defossa est. Cum uicini hostes Veientes incommodi magis, quàm graues essent, familia Fabiorum id bellum gerendum depoposcit: misitq; in id trecentos sex armatos: qui ad Cremeram ad unum ab hostibus cæsi sunt: uno impubere domi relicto. Res præterea aduersum Volscos, & Aequos: & Veientes, & seditiones inter patres, plebemque continet. Appius Claudius consul, cum aduersus Volscos contumacia exercitus malè pugnatum esset, decimum quenque militum fuste percussit. A



IBERI iam hinc populi Romani res pace bellóque gestas, annuos magistratus imperiáque legum potentiora quàm hominum peragam. quæ libertas vt lætior esset, proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnarunt, vt haud immeritò omnes deinceps conditores partium corpetæ urbis, quas nouas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur. nec ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit: pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum conuenarúmque plebs transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi aut libertatem aut certè impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari cœpta esset tribunitiis procellis? & in aliena urbe cum patribus serere certamina, priusquam pignora coniugum ac liberorum, charitásque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset: dissipatæ res nondum adultæ discordia forent: quas fouit tranquilla moderatio imperii, eóque nutriendo perduxit, vt bonam frugem libertatis maturis iam viribus ferre possent. libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quàm quod diminutum quicquam ex regia potestate, numeres. omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere.

E consulibus alter tãtùm fasces habebat.

id modò cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente collega fasces habuit: qui non acrior vindex libertatis fuerat, quàm deinde custos fuit. Omnium primùm auidum nouæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, iureiurando adegit, neminem Romæ passuros regnare.

Iureiurando cautũ est neminem Romæ regnaturum.

Conscripti

Rex sacrificulus.

deinde quò plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam expleuit. traditúmque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent. conscriptos videlicet nouum senatum appellabant lectos. Id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendósque patribus plebis animos. Rerum deinde diuinarum habita cura. & quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant. id sacerdotium pontifici subiecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret. ac nescio an nimis vndique eam minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint: consulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen inuisum ciuitati fuit. B

Tarquiniorum etiã nomen populo inuisum.

Nimium Tarquinios regno assuesse, initium à Prisco factum. regnasse deinde Seruium Tullium. ne interuallo quidem facto oblitum tanquam alieni regni Superbum Tarquinium, velut hæreditatem gentis, scelere ac vi repetisse. pulso Superbo, penes Collatinum imperium esse. nescire Tarquinios priuatos viuere. non placere nomen, periculosum libertati esse. Hic primò sensim tentantium animos sermo per totam ciuitatem est datus, sollicitatámque suspicione plebem Brutus ad concionem vocat: ibi omnium primùm iusiurandum populi recitat, neminem regnare passuros, nec esse Romæ vnde periculum libertati foret. id summa ope tuendum esse, neque vllam rem quæ eò pertineat, contemnendam. inuitum se dicere hominis causa: nec dicturum fuisse, ni charitas reipublicæ vinceret. non credere populum Romanum solidam libertatem recuperatam esse. regium genus, regium nomen non solum in ciuitate, sed etiam in imperio esse. id officere, id obstare libertati. Hunc tu, inquit, tua voluntate L. Tarquini remoue metum. meminimus, fatemur: eiecisti reges. absolue beneficium tuum, aufer hinc regium nomen. res tuas tibi non solum reddent ciues tui authore me: sed si quid deest, munificè augebunt. amicus abi, exonera ciuitatem vano forsitan metu. ita persuasum est animis, cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum. Consuli primo tam nouæ rei ac subitæ admiratio incluserat vocem. dicere deinde incipientem primores ciuitatis circumsistunt, eadem multis precibus orant. & cæteri quidem mouebant minus. postquam Sp. Lucretius maior ætate ac dignitate, socer præterea ipsius agere variè, rogando alternis suadendóque cœpit, ut vinci se consensu ciuitatis pateretur: timens consul, ne postmodum priuato sibi eadem illa cum bonorum amissione, additáque alia insuper ignominia, accid[ent]ia abdicauit se consulatu: rebúsque suis omnibus Lauinium translatis, ciuitate cessit.

L. Tarquinius abdicauit se Consulatu.

Brutus ex senatusconsulto ad populum tulit, ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent. collegam sibi comitiis centuriatis creauit P. Valerium, quo adiutore reges eiecerat. Cùm haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit. cæterum id quod non timebant, per dolum ac proditionem propè libertas amissa est.

Romana iuuentus auidior Regiæ licẽtiæ quàm ciuilis libertatis.

Erant in Romana iuuentute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat, æquales sodalésque adolescentium Tarquiniorum, assueti more regio viuere. eam tum æquato iure omnium licentiam quærentes, libertatem aliorum in suam vertisse seruitutem inter se conquerebantur. Regem hominem esse, à quo impetres vbi ius, vbi iniuria opus sit esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci & ignoscere posse: inter amicum atque inimicum discrimen nosse.

Rex.

Leges.

leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quàm potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris. periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia

A nocentia viuere. Ita iam sua sponte ægris animis legati ab regibus superueniunt, sine mentione reditus, bona tantum repetentes. eorum verba postquam in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit, ne nõ reddita belli causa, reddita belli materia & adiumentũ essent. Interim legati cum aliis alia moliri, apertè bona repetentes, clàm recuperandi regni consilia struere: & tanquam ad id, quod agi videbatur, ambientes oobilium adolescentium animos pertentabant. à quibus placidè oratio accepta est. his literas ab Tarquiniis reddunt: & de accipiendis clàm nocte in vrbem regibus colloquuntur.

Coniuratio adolescentũ nobilium de regibus clàm recipiendis.

Vitelliis Aquiliísque fratribus primò commissa res est. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat, iámque ex eo matrimonio adolescentes erant liberi, Titus Tiberiúsque: eos quoque in societatem consilii auunculi assumunt. præterea & nobiles aliquot adolescentes conscii assumpti, quorum vetustate memoria abiit. Interim cum in senatu vicisset senteotia quæ ceosebat reddenda bona: eámque ipsam causam moræ io vrbe haberent legati, quod spatium ad vehicula comparanda à consulibus sumpsissent, quibus regum asportarent res: omne id tempus cum coniuratis consultando absumunt: euincúntque instando, ut literæ sibi ad Tarquinios dareotur, nam aliter qui credituros eos, non vana ab legatis super rebus tantis afferri? Datæ literæ vt pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt, nam cum, pridie quàm legati ad Tarquinios proficiscerentur, & cœnatum fortè apud Vitellios esset, coniuratiqoe ibi remotis arbitris multa inter se de nouo (ut fit) consilio egissent, sermonem eorum ex seruis vnus excepit, qui iam antea id senserat agi: sed eam occasionem, vt literæ legatis darentur, quæ depræhensæ rem coarguere possent, expectabat. postquam datas seosit, rem ad consules detulit. Coosules ad deprehendẽdos legatos coniuratósq; profecti domo, sine tumultu rem omnem oppressere: literarum in primis habita cura, ne interciderent.

Coniuratio detegitur.

proditoribus extemplò in vincula coniectis, de legatis paululum addubitatum est. & quanquam visi sunt commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit. De bonis regiis quæ reddenda antè censuerant, res integra refertur ad patres. illi victi ira vetuere reddi, vetuere in publicum redigi. diripieoda plebi sunt data, vt contacta regia præda spem in perpetuum cum his pacis amitteret. ager Tarquioiorum, qui inter vrbem ac Tyberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit.

Martius cãpus.

Fortè ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi. quem campi fructum, quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet, ita in vadis hæsitantis frumenti aceruos sedisse illitos limo: insulam inde paulatim, & aliis quæ fert temerè flumen eodem inuectis, factam. postea credo additas moles, manúque adiutum, vt tam eminens area, firmáque templis quoque ac porticibus sustinendis esset. Direptis bonis regum, damnati proditores, sumptúmque supplicium, conspectius

Brutus Consul de suis liberis pœnas publicas sumpsit.

B eo quòd pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis consulatus imposuit: & qui spectator erat amouendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. Stabant deligati ad palum nobilissimi iuuenes. sed à cæteris uelut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se auerterant oculos. miserebátque non pœnæ magis homines quàm sceleris, quo pœnam meriti essent. illos eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Iunia, patres, plebem, quicquid deorum hominúmque Romanorum esset, induxisse in animum, vt Superbo quondam regi, tum infesto exuli proderent. Consules in sedem processere suam: misśique lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securíque feriunt: cum inter omne tempus pater, vultúsque & os eius, spectaculo esset, eminente animo patrio ioter publicæ pœnæ ministerium. Secundum pœnam nocentium, vt in vtranque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici, pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille primùm dicitur vindicta liberatus. quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant: Vindicio ipsi nomen fuisse, post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in ciuitatem accepti viderentur.

Vindicius, à quo Vindicta dicta est.

His sicut acta erant, nuntiatis, incensus Tarquinius non dolore solum tantæ ad irritum cadentis spei, sed etiam odio iráque, postquam dolo viam obseptam vidit, bellum apertè moliendum ratus, circumire supplex Hetruriæ vrbes: orare maximè Veientes Tarquinieosésque, ne se ortum eiusdem sanguinis extorrem, egentem ex taoto modò regno cum liberis adolescentibus ante oculos suos perire sinerent. alios peregre in regnum Romam accitos: se regem augentem bello Romanum imperium, à proximis scelerata coniuratione pulsum. eos inter se quia nemo vnus satis dignus regno visos sit, partes regni rapuisse: bona sua diripienda populo dedisse, ne quis expers sceleris esset. patriam se regnúmque suum repetere, & persequi ingratos ciues velle. ferrent opem, adiuuarent: suas quoque veteres iniurias vltum irent: toties cæsas legiones, agrum ademptum.

Tarquinius Hetruscos ad bellum sollicitat.

Hæc mooerunt Veientes. ac pro se quisque Romano saltem duce ignominias demendas, bellóque admissa repetenda, minaciter fremunt. Tarquinienses oomen ac cognatio mouet. pulchrum videbatur suos Romæ regnare. Ita duo duarum ciuitatum exercitus ad repetendum regnum, bellóque persequendos Romanos secuti Tarquinium.

Veientes & Tarquinienses in agrum Roma. duce Tarquinio excurrunt.

Postquam in agrum Romanum ventum est, obuiam hosti consules eunt. Valerios quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Eodem modo primus eques hostium agminis fuit: præerat Aruns Tarquinius filius regis: rex ipse cum legionibus sequebatur. Aruns, vbi ex lictoribus procul consulem esse: deinde iam propius, ac certius facie quoque Brutum cognouit, inflammatus ira, Ille est vir, inquit, qui nos extorres expulit patria. ipse en ille nostris decoratus insignibus, magnificè incedit. dii regum vltores adeste. concitat calcaribus equum, atque in ipsum infestus consulem dirigit. sensit in se iri Brutus. decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus. auidè itaque se certami-

ni offert.adeóque infestis animis cócurrerunt,neuter, dum hostem vulneraret,sui protegendi corpo- A
ris memor, vt contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes hastis moribundi
ex equis lapsi sint. simul & cætera equestris pugna cœpit, neque ita multo pòst & pedites superue-
niunt. Ibi varia uictoria,& velut æquo Marte pugnatum est.dextra vtrinque comua vicere,læua supe-
rata. Veientes vinci ab Romano milite assueti,fusi fugatíque sunt. Tarquiniensis nouus hostis non ste
tit solum, sed etiam ab sua parte Romanum pepulit. Ita cum pugnatum esset, tantus terror Tarqui-
nium atque Hetruscos incessit, vt omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquiniensísque
suas quisque abirent domos. Adiciunt miracula huic pugnæ, silentio proximæ noctis ex sylua Ar-
sia ingentem editam vocem: Syluani vocem eam creditam: hæc dicta, Vno plus Hetruscorum ce-
cidisse in acie: vincere bello Romanum. Ita certè inde abiêre Romani vt victores, Hetrusci pro vi-

Aruns Tarquinius. & Brutus consul mutuis uulneribus morib̃ūdi cadunt.

ctis.nam postquam illuxit, nec quisquam hostium in conspectu erat, P. Valerius cos. spolia legit:
triumphánsque inde Romam rediit. collegæ funus, quanto tum potuit apparatu, fecit.sed multo ma-
ius morti decus publica fuit mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum, vt parentem
eum luxerunt, quod tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuisset. Consuli deinde qui superfuerat, vt sunt
mutabiles uulgi animi, ex fauore uon inuidia modò, sed suspicio etiam cum atroci crimine orta re-
gnum eum affectare, fama ferebat: quia nec collegam subrogauerat in locum Bruti, & ædificabat
in summa Velia.ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. Hæc dicta vulgo creditá-
que cum indignitate angerent consulis animum, vocato ad concilium populo, summisis fascibus
iu concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit. summissa sibi esse imperii insignia:
confessionémque factam, populi quàm consulis maiestatem vímque maiorem esse. Ibi audire
iussi, consul laudare fortunam collegæ, quòd liberata patria in summo honore pro Republica dimi-
cans, matura gloria, necdum se vertente in inuidiam, mortem occubuisset.se superstitem gloriæ suæ
ad crimen atque inuidiam superesse: ex liberatore patriæ ad Aquilios Vitelliósque recidisse. Nun-

Valerius Cos. triumphans redit Romam.

Bruti Cos. funus & luctus.

Affectati regni in suspicionem uenit Valerius Cos.

Oratio Valerij Cos. ad populum.

quam ne ergo, inquit, vlla adeò à vobis spectata virtus erit, vt suspicione violari nequeat? ego me
illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? ego si in ipsa
arce Capitolióque habitarem, metui me crederem posse à ciuibus meis? tam leui momento mea
apud vos fama pendet? adeóne est fundata leuiter fides, vt vbi sim, quàm qui sim, magis referat?
Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ, Quirites: tuta erit vobis Velia. deferam non in pla-
num modo ædes, sed colli etiam subiiciam: vt vos supra suspectum me ciuem habitetis. in Velia ædi-
ficent, quibus melius quàm P. Valerio creditur libertas. Delata confestim materia omnis infra Ve
liam: & vbi nunc vicus publicus est, domus iu infimo cliuo ædificata. Latæ deinde leges, non so-
lum quæ regni suspicione consulem absoluerent, sed quæ adeò iu contrarium verterent, vt popula- B
rem etiam facerent. Inde cognomen factum Publicolæ est. Ante omnes de prouocatione aduersus
magistratus ad populum, sacrandóque cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia inisset.
Gratæ in vulgus leges fuere.quas cum solus pertulisset, vt sua vnius in his gratia esset: tum deinde
comitia collegæ subrogando habuit. Creatus Sp. Lucretius cos. qui magno natu, non sufficienti-
bus iam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. Suffectus in Lucretii lo-
cum M. Horatius Puluillus. Apud quosdam veteres authores non inuenio Lucretium consulem.

Valerius Cos. cur Publicola dictus.

Bruto statim Horatium suggerunt. credo, quia nulla gesta res insignem fecerit consulatum, me-
moria intercidisse. Nondum dedicata erat in Capitolio Iouis ædes. Valerius Horatiúsque coss.
sortiti vter dedicaret: Horatio sorte euenit: Publicola ad Veientium bellum profectus. Aegrius
quàm dignum erat tulere Valerii necessarii, dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. id o-
mnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant: postem iam tenenti consu-
li fœdum inter precationem deûm nuntium incutiunt: mortuum eius filium esse, funestáque fa-
milia dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit:
nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. nihil aliud ad eum nuntium à proposito auersus,
quàm vt cadauer efferri iuberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum. Hæc
post exactos reges domi militiæque gesta primo anno. Inde P. Valerius iterum, T. Lucretius cos.

Dedicatur templum Iouis Capitolini

facti. Iam Tarquinii ad Lartem Porsenam Clusinum regem perfugerant. ibi miscendo consilium
precésque, nunc orabant, ne se oriundos ex Hetruscis, eiusdem sanguinis nominísque, egentes exu-
lare pateretur: nunc monebant etiam, ne orientem morem pellendi reges inultum sineret. satis li-
bertatem ipsam habere dulcedinis, nisi quanta vi ciuitates eam expetant, tanta regna reges defen-
dant: æquari summa infimis, nihil excelsum, nihil quod supra cætera emineat, in ciuitatibus fore:
adesse finem regnis, rei inter deos hominésque pulcherrimæ. Porsena tum regem esse Romæ, tum
Hetruscæ gentis regem, amplum Thuscis ratus, Romam infesto exercitu venit. Non vnquam aliàs
antè tantus terror senatum inuasit: adeò valida res tum Clusina erat, magnúmque Porsenæ nomē. nec
hostes modò timebant, sed suosmetipsi ciues, ne Romana plebs metu perculsa, receptis in vrbem re-
gibus vel cum seruitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab senatu
data. annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum missi, alii iu Volscos, alii Cumas.
salis quoque veudendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumptu ademptum
priuatis: portoriis quoque & tributo plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo essent.
pauperes satis stipendii pendere, si liberos educent. Itaque hæc indulgentia patrum asperis post-
modum rebus in obsidione ac fame, adeò concordem ciuitatem tenuit, vt regium nomen non sum-
mi magis quàm infimi horrerent: nec quisquam vnus malis artibus postea tam popularis esset,

Tarquinij ad Porsenā perfugiunt.

Porsena Romam infesto exercitu uenit.

quàm

A quàm tum bene imperando vniuersus senatus fuit. Cum hostes adessent, pro se quisque in vrbem ex agris demigrant: vrbem ipsam sepiunt præsidiis. alia muris, alia Tyberi obiecto videbantur tuta. pons sublicius iter penè hostibus dedit: ni vnus vir fuisset, Horatius Cocles: (id munimentum illo die fortuna vrbis Romanæ habuit) qui positus fortè in statione pontis, cum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset: trepidámque turbam suorum arma ordinésque relinquere, reprehensans singulos, obsistens, obtestánsque deûm & hominum fidem, testabatur: nequicquam deserto præsidio eos fugere, si transitum pontem à tergo reliquissent: iam plus hostium in Palatio Capitolióque, quàm in Ianiculo fore. Itaque monere, prædicere, vt pontem ferro, igni, quacunque vi possent, interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore vno posset obsisti, excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis: insignísque inter conspecta cedentium pugnæ terga, obuersis cominus ad ineundum prælium armis, ipso miraculo audaciæ obstupefecit hostes. duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Largium ac T. Herminium ambos claros genere factísque. Cum his primam periculi procellam, & quod tumultuosissimum pugnæ erat, parumper sustinuit: deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta, reuocantibus qui rescindebant, cedere in tutum coegit. Circunferens inde minaciter truces oculos ad proceres Hetruscorum, nunc singulos prouocare, nunc increpare omnes: seruitia regum superborum, suæ libertatis immemores, alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, vt prælium incipiant, circunspectant. pudor deinde commouit aciem. & clamore sublato vndique in vnum hostem tela coniiciunt. quæ cum in obiecto cuncta scuto hæsissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu: iam impetu detrudere conabantur virum, cum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus, pauore subito impetum sustinuit. Tum Cocles, Tyberine pater, inquit, te sancte precor, hæc arma & hunc militem propitio flumine accipias. ita sic armatus in Tyberim desiluit: multísque superincidentibus telis, incolumis ad suos tranauit: rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quàm fidei. Grata erga tantam virtutẽ ciuitas fuit. statua in comitio posita: agri quantum vno die circumarauit, datum. priuata quoque inter publicos honores studia eminebant. nam in magna inopia pro domesticis copiis vnusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit. Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda vrbe ad obsidendam versis, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano ripísque Tyberis castra posuit: nauibus vndiq; accitis & ad custodiam, ne quid Romam frumenti subuehi sineret. & vt prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis traiicerent. breuiq; adeò infestum omnem Romanum agrum reddidit, vt non cætera solum ex agris, sed pecus quoq; omne in vrbem compelleretur, neq; quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Hetruscis non metu magis quàm consilio concessum.

Horatij Coclitis uirtus

Pons sublicius abrumpitur.

Horatius Cocles armatus in Tyberim desiluit, & incolumis ad suos tranauit.

Porsena Romam obsidet.

B namq; Valerius consul intentus in occasionem multos simul & effusos improuiso adoriundi, in paruis rebus negligens vltor, grauem se ad maiora vindicem seruabat. itaq; vt eliceret prædatores, edicit suis, postero die frequentes porta Esquilina, quæ auersissima ab hoste erat, expellerent pecus: scituros id hostes ratus, quòd in obsidione & fame seruitia infida trãsfugerent. Et sciere perfugæ indicio: multóq; plures, vt in spem vniuersæ prædæ, flumen traiiciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copiis ad secundum lapidem Gabina via occultum considere iubet: Sp. Largium cum expedita iuuentute ad portã Collinam stare, donec hostis prætereat. deinde se obiicere, ne sit ad flumẽ reditus. consulum alter T. Lucretius porta Næuia cum aliquot manipulis militũ egressus: ipse Valerius Cælio monte cohortes delectas educit. hique primi apparuere hosti. Herminius vbi tumultum sensit, concurrit ex insidiis: versisq; in Lucretiũ Hetruscis, terga cædit. dextra læuáq;, hinc à porta Collina, illinc ab Næuia redditus clamor. ita cæsi in medio prædatores, neq; ad pugnam viribus pares, & ad fugam septis omnibus viis. finisq; ille tam effuse vagãdi Hetruscis fuit. Obsidio erat nihilominus, & frumẽti cum summa caritate inopia: sedendóq; expugnaturum se vrbem, spem Porsena habebat. cum C. Mutius adolescens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum seruientem, cum sub regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus vllis obsessum esse, liberum eundem populum ab iisdem Hetruscis obsideri, quorum sæpe exercitus fuderit. itaq; magno audacíq; aliquo facinore eam indignitatẽ vindicandam ratus, primò sua sponte penetrare in hostium castra constituit: dein metuens, ne si cõsulum iniussu & ignaris omnibus iret, fortè deprehensus à custodibus Romanis retraheretur vt transfuga, fortuna tum vrbis crimen affirmante, senatum adit. Transire Tyberim, inquit, patres, & intrare, si possim, castra hostium volo, non prædo, nec populationũ inuicem vltor. maius, si dii iuuant, in animo est facinus. Approbant patres. abdito intra vestem ferro proficiscitur. vbi eò venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. ibi cum stipendium fortè militibus daretur. & scriba cum rege sedens pari ferè ornatu multa ageret, eúmque milites vulgo adirent. timens sciscitari vter Porsena esset, ne ignorando regem semetipse aperiret quis esset, quò temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. vadentem inde quà per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum concursu ad clamorem facto comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis: destitutus tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quàm metuens. Romanus sum, inquit, ciuis: C. Mutium vocant. hostis hostem occidere volui. nec ad mortem minus animi est, quàm ad cædem fuit. & facere & pati fortia, Romanum est. nec vnus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. proinde in hoc discrimen, si iuuat, accingere: vt in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostémque in vestibulo habeas regiæ. hoc tibi iuuentus Romana indicimus bellum. nullam aciem, nullum prælium timueris. vni tibi, & cum singulis res erit.

Valerij Cos. scitum consilium.

Caeduntur prædatores Hetrusci.

C. Mutius de interficiendo Porsena cogitat.

Scriba pro rege Porsenæ obtruncatur.

A

Cum rex simul ira infensus periculóque conterritus, circundari ignes minitabundus iuberet, nisi expromeret propere, quas insidiarum sibi minas per ambages iaceret: En tibi, inquit, vt sentias quàm vile corpus sit iis qui magnam gloriam petunt. dextrámque accenso ad sacrificium foculo inicit. quam cum velut alienato ab sensu torreret animo: propè attonitus miraculo rex, cum ab sede sua prosiluisset, amouerique ab altaribus iuuenem iussisset: Tu verò abi, inquit, in te magis quàm in me hostilia ausus. iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. nunc iure belli liberum te, intactum inuiolatúmque hinc dimitto. Tum Mutius quasi remunerans meritum, Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos, vt beneficio tuleris à me, quod minis nequisti: trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, vt in te hac via grassaremur. mea prima sors fuit. cæteri, vtcunque ceciderit primi, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt.

Mutius incenso foculo dextram inicit.

Mutium dimissum, cui postea Scæuolæ à clade dextræ manus cognomentum inditum, legati à Porsena Romam secuti sunt. adeò mouerat eum & primi periculi casus, quo nihil se præter errorem insidiatoris texisset: & subeunda dimicatio toties quot coniurati superessent, vt pacis conditiones vltrò ferret Romanis.

Mutius cur Scæuola cognominatus.

Iactatum in conditionibus nequicquam de Tarquiniis in regnum restituendis, magis quia id negare ipse nequiuerit Tarquiniis, quàm quòd negatum iri sibi ab Romanis ignoraret. de agro Veientibus restituendo impetratum: expressáque necessitas obsides dandi Romanis, si Ianiculo præsidium deduci vellent. His conditionibus composita pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porsena, & agro Romano excessit.

Obsides dantur ab Romanis.

Patres C. Mutio virtutis causa trans Tyberim agrum dono dedere, quæ postea sunt Mutia prata appellata. Ergo ita honorata virtute, fœminæ quoque ad publica decora excitatæ Clœlia virgo, vna ex obsidibus, cum castra Hetruscorum fortè haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tyberim tranauit: sospitésque omnes Romam ad propinquos restituit. Quod vbi regi nuntiatum est, primò incensus ira, oratores Romam misit ad Clœliam obsidem deposcendam, alias haud magni facere. deinde in admirationem versus, supra Coclites Mutiósque dicere id facinus esse: & præseferre, quemadmodum, si non dedatur obses, pro rupto se fœdus habiturum: sic deditam, intactam inuiolatámque ad suos remissurum. Vtrinque constitit fides: & Romani pignus pacis ex fœdere restituerunt: & apud regem Hetruscum non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit. laudatámque virginem parte obsidum se donare dixit: ipsa quos vellet, legeret. productis omnibus elegisse impubes dicitur: quod & virginitati decorum, & consensu obsidum ipsorum probabile erat: eam ætatem potissimum liberari ab hoste, quæ maximè opportuna iniuriæ esset.

Clœliæ virginis virtus.

Clœliæ virtus honorata ab hoste.

Pace redintegrata, Romani nouam in fœmina virtutem nouo genere honoris, statua equestri donauere. in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo. B Huic tam pacatæ profectioni ab vrbe regis Hetrusci abhorrens mos traditus ab antiquis vsque ad nostram ætatem inter cætera solennia manet: bonis vendendis, bona Porsenæ regis vendendi. cuius originem moris necesse est aut inter bellum natam esse, neque omissam in pace: aut à mitiore creuisse principio, quàm hic præ se ferat titulus, bona hostiliter vendendi. proximum verò est ex iis quæ traduntur: Porsenam discedentem ab Ianiculo castra opulenta conuecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ aruis commeatu, Romanis dono dedisse: inopi tum vrbe ab longinqua obsidione. ea deinde, ne populo inmisso diriperentur hostiliter, venisse bona: quæ Porsenæ appellata, gratiam muneris magis significante titulo, quàm auctionem fortunæ regiæ, quæ ne in potestate quidem populi Romani esset.

Clœlia equestri statua honoratur.

In bonis vendendis, cur bona Porsenæ regis vendi dicerentur.

Omisso Romano bello Porsena, ne frustra in ea loca exercitus adductus videretur, cum parte copiarum filium Aruntem Ariciam oppugnatum mittit. Primò Aricinos res nec opinata perculerat. accersita deinde auxilia & à Latinis populis, & à Cumis tantum spei fecere, vt acie decernere auderent. Prælio inito adeò concitato impetu se intulerant Hetrusci, vt funderent ipso incursu Aricinos. Cumanæ cohortes arte aduersus vim nisæ, declinauere paululum: effuséque prælatos hostes conuersis signis ab tergo adortæ sunt. Ita in medio propè iam victores cæsi Hetrusci: pars perexigua duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes & fortuna & specie supplicum delati sunt. ibi benignè excepti, diuisique in hospitia. Curatis vulneribus alii profecti domos, nuntii hospitalium beneficiorum: multos Romæ hospitum vrbísque charitas tenuit. his locus ad habitandum datus, quem deinde Thuscum vicum appellarunt.

Porsena Ariciam oppugnatum mittit.

Hetrusci vincuntur.

P. Lucretius inde & P. Valerius Publicola tertiùm consules facti. Eo anno postremùm legati à Porsena de reducendo in regnum Tarquinio venerunt. quibus cum responsum esset, missurum ad regem senatum legatos: missi confestim honoratissimus quisque ex patribus. non quin breuiter reddi responsum potuerit, non recipi reges, ideo potius delectos patrum ad eum missos, quàm legatis eius Romæ daretur responsum: sed vt in perpetuum mentio eius rei finiretur, neu in tantis mutuis beneficiis inuicem animi solicitarentur: cum ille peteret quod contra libertatem populi Romani esset: Romani, nisi in perniciem suam faciles esse vellent, negarent, cui nihil negatum vellent. Non in regno populum Romanum, sed in libertate esse. ita induxisse in animum, hostibus potius, quàm regibus portas patefacere. eam esse voluntatem omnium, vt qui libertati erit in illa vrbe finis, idem vrbi sit. proinde si saluam esse vellet Romam, vt patiatur liberam esse, orare. Rex verecundia victus, Quando id certum atque obstinatum est, inquit, neque ego obtundam, sæpius eadem nequicquam agendo: nec Tarquinios spe auxilii, quod nullum in me est, frustrabor. alium hinc, seu bello opus est, seu quiete, exilio quærant locum, ne quid meam vobiscum pacem distineat. Dictis facta amiciora adiecit. obsidum quod reliquum erat, reddidit. agrum Veientem, fœdere ad Ianiculum icto ademptum, restituit. Tarquinius spe omni reditus

Legatos mittit Porsena de reducendo in regnũ Tarquinio.

A tus incisa, exulatum ad generum Mamilium Octauium Thusculum abiit. Romanis pax fida ita cum Porsena fuit. Consules deinde M. Valerius, P. Posthumius. Eo anno bene pugnatum cum Sabinis, consules triumpharunt. Maiore inde mole Sabini bellum parabant. aduersus eos, & ne quid simul ab Thusculo, vnde & si non apertum, suspectum tamen bellum erat, repentini periculi oriretur, P. Valerius quartùm, T. Lucretius iterum consules facti. Seditio inter belli pacísque authores orta in Sabinis, aliquantum inde virium transtulit ad Romanos. nanque Ap. Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romæ cognomen, cum pacis ipse author à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, ab Regillo magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. His ciuitas data, agérque trans Anienem. vetus Claudia tribus, additis postea nouis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. Appius inter patres lectus haud ita multo pòst in principum dignitatem peruenit. Consules infesto exercitu in agrũ Sabinum profecti, cum ita vastatione, deinde prælio afflixissent opes hostium, vt diu nihil inde rebellionis timere possent, triumphantes Romam redierunt. P. Valerius omnium consensu princeps belli pacísque artibus, anno pòst, Agrippa Menenio, P. Posthumio c o s s. moritur, gloria ingenti, copiis familiaribus adeò exiguis, vt funeri sumptus deesset. de publico est elatus. Luxere matronæ, vt Brutum. Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora ad Auruncos deficiũt. cum Auruncis bellum initum. fusóque ingenti exercitu, qui se ingredientibus fines consulibus ferociter obtulerat, omne Auruncum bellum Pometiam compulsum est. Nec magis post prælium, quàm in prælio cædibus temperatum est. & cæsi aliquanto plures erant quàm capti, & captos passim trucidauerunt. ne ab obsidibus quidem, qui c c c. accepti numero erant, ira belli abstinuit. Et hoc anno Romæ triumphatum. Secuti consules Opiter Virginius, Sp. Cassius Pometiam primò vi, deinde vineis aliísque operibus oppugnauerunt. in quos Aurunci magis iam inexpiabili odio, quàm spe aliqua, aut occasione coorti, cum plures igni quàm ferro armati excurrissent, cæde incendióque cuncta complent: vineis incensis, multis hostium vulneratis & occisis, consulum quoque alterum (sed verum nomen authores non adiiciunt) graui vulnere ex equo deiectum propè interfecerũt. Romam inde malè gesta re reditum. inter multos saucios consul spe incerta vitæ relictus. Interiecto deinde haud magno spatio, quod vulneribus curandis supplendóque exercitui satis esset: tum ira maiore belli, tum viribus etiã auctis Pometiæ arma illata. & cum vineis refectis, aliáq; mole belli iam in eo esset, vt in muros euaderet miles, deditio est facta. cæterum nihilominus fœdè dedita vrbe quàm si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi, sub corona venierunt coloni alii: oppidum dirutum, ager venit. Consules magis ob iras grauiter vltas, quàm ob magnitudinem perfecti belli triumpharunt. Insequens annus Posthumium Cominium & T. Largium c o s s. habuit. Eo anno Romæ cum per

Consules de Sabinis triumpharunt.

Ap. Clausus Sabinus Romam transfugit.

Consules iterum de Sabinis triũpharunt.

Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt.

Aurunci Romanos vincunt.

Aurũci principes securi percutiuntur, alii venierunt.

B ludos ab Sabinorum iuuentute per lasciuiã scorta raperentur, concursu hominum rixa ac propè prælium fuit: paruáque ex re ad rebellionem spectare res videbatur. Supra belli Latini metum id quoque accesserat, quòd triginta iam coniurasse populos concitante Octauio Mamilio satis constabat. In hac tantarum expectatione rerum solicita ciuitate, dictatoris primùm creandi mentio orta. sed nec quo anno, nec quibus consulibus, quia ex factione Tarquinia essent (id quoque enim traditur) parum creditum sit: nec quis primùm dictator creatus sit, satis constat. apud veterrimos tamen authores T. Largium dictatorem primùm, Sp. Cassium magistrum equitum, creatos inuenio. cõsulares legêre. ita lex iubebat, de dictatore creando lata. eo magis adducor vt credam Largium, qui consularis erat, potius quàm M. Valerium, M. filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem & magistrum consulibus appositum. qui si maximè ex ea familia legi dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium spectatæ virtutis & consularem virum legissent. Creato dictatore primùm Romæ, postquam præferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, vt intentiores essent ad dicto parendum. neque enim vt in consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium, neque prouocatio erat: neque vllum vsquam, nisi in cura parendi auxilium. Sabinis etiam creatus Romæ dictator eo magis, quòd propter se creatum crediderant, metum incussit. itaque legatos de pace mittunt. quibus orantibus dictatorem senatúmque, vt veniam erroris hominibus adolescentibus darent: responsum, ignosci adolescentibus posse, senibus non posse, qui bella ex bellis sererent. actum tamen est de pace: impetratáque foret, si quod impensæ factum in bellum erat, præstare Sabini (id enim postulatum erat) in animum induxissent. bellum indictum. tacitæ induciæ quietum annum tenuêre. Consules Seruius Sulpitius, M. Manlius Tullus. nihil dignum memoria actum. T. Ebutius deinde & C. Vetusius. His consulibus Fidenæ obsessæ, Crustumeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos desciuit. nec vltra bellum Latinum gliscens, iam per aliquot annos dilatum. A. Posthumius dictator, T. Ebutius magister equitum magnis copiis peditum equitúmque profecti ad lacum Regillum in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt. & quia Tarquinios esse in exercitu Latinorum auditum est, sustineri ira non potuit, quin extemplò configerent. ergo etiam prælium aliquanto quàm cætera grauius atque atrocius fuit. non enim duces ad regendam modò consilio rem affuere, sed suismetipsis corporibus dimicantes miscuere certamina. nec quisquam procerum fermè hac aut illa ex acie sine vulnere, præter dictatorem Romanum, excessit. In Posthumium prima in acie suos adhortantem instruentémque Tarquinius Superbus, quanquam iam ætate & viribus erat grauior, equum infestus admisit. ictúsque ab latere concursu suorum, receptus in tutum est. Et ad alterum cornu Ebutius magister equitum in Octauium Mamilium impetum dederat. nec fefellit veniens Tusculanum ducem: contra quem & ille concitat equum. tantáque vis infestis venientium hastis fuit, vt brachium Ebutio traiectum sit, Mamilio pe-

Dictator, & magister equitũ tũ primùm creati.

Sabini legatos de pace mittunt.

Bellum Latinum.

Duces ipsi manus conseruere.

ctus

ctus percuſſum. hunc quidem in ſecundam aciem Latini recepere: Ebutius cùm ſaucio brachio tene- A
re telum non poſſet, pugna exceſsit. Latinus dux nihil deterritus vulnere, prælium ciet. & quia ſuos
perculſos videbat, accerſit cohortem exulum Romanorum, cui L. Tarquinii filius præerat. ea quò
maiore pugnabat ira ob erepta bona, patriámque ademptam, pugnam parumper reſtituit. Refe-
rentibus iam pedem ab ea parte Romanis, M. Valerius Publicolæ frater, conſpicatus ferocem iuue-
nem Tarquinium oſtentantem ſe in prima exulum acie, domeſtica etiam gloria accenſus, vt cuius
familiæ decus eiecti reges erant, eiuſdem interfecti forent: ſubdit calcaria equo, & Tarquinium in-
feſto ſpiculo petit. Tarquinius retrò in agmen ſuorum infenſo ceſsit hoſti. Valerium temerè in-
uectum in exulum aciem ex tranſuerſo quidam adortus transfigit: nec quicquam equitis vulne-
re equo retardato, moribundus Romanus labentibus ſuper corpus armis ad terram defluxit. Dicta-
ctor Poſthumius poſtquam cecidiſſe talem virum, exules ferociter citato agmine inuehi, ſuos per-
culſos cedere animaduertit: cohorti ſuæ, quam de electa manu præſidii cauſa circa ſe habebat, dat
ſignum, vt quem ſuorum fugientem viderint, pro hoſte habeant. ita metu ancipiti verſi à fuga
Romani in hoſtem, & reſtituta acies. Cohors dictatoris tum primùm prælium init. integris cor-
poribus animíſque feſſos, adorti exules cedunt. Ibi alia inter proceres coorta pugna. imperator
Latinus vbi cohortem exulum à dictatore Romano propè circumuentam vidit, ex ſubſidiariis ma-
nipulos aliquot in primam aciem ſecum rapit. hos agmine venientes T. Herminius legatus conſpi-
catus, intérque eos inſignem veſte armíſque Mamilium noſcitans, tanto vi maiore, quàm paulò
antè magiſter equitum cum hoſtium duce prælium iniit, vt & vno ictu transfixum per latus occi-
derit Mamilium: & ipſe inter ſpoliandum corpus hoſtis veruto percuſſus, cùm victor in caſtra
eſſet relatus, inter primam curationem expirauerit. Tum ad equites dictator aduolat obteſtans,
vt feſſo iam pedite, deſcendant ex equis, & pugnam capeſſant. dicto paruere: deſiliunt ex equis,
prouolant in primum, & pro anteſignanis parmas obiiciunt. recipit extemplò animum pedeſtris
acies, poſtquàm iuuentutis proceres æquato genere pugnæ ſecum partem periculi ſuſtinentes vi-
Funduntur hoſtes.
dit. tum demum impulſi Latini perculſáque inclinauit acies. equitibus admoti equi, vt perſequi
hoſtem poſſent. ſecuta & pedeſtris acies. Ibi nihil nec diuinæ, nec humanæ opis dictator præter-
mittens, ædem Caſtori vouiſſe fertur: ac pronuntiaſſe militi præmia, qui primus, qui ſecundus
caſtra hoſtium intraſſet. tantúſque ardor fuit, vt eodem impetu, quo fuderant hoſtem, Romani
Romani hoſtium caſtra capiunt: Saturnalia inſtituta.
caſtra caperent. Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum eſt. Dictator & magiſter equitum
triumphantes in vrbem rediêre. Triennio deinde nec certa pax nec bellum fuit. Conſules Q. Clœlius
& T. Lartius. Inde A. Sempronius & M. Minutius. his conſulibus ædes Saturno dedicata: Satur-
nalia inſtitutus feſtus dies. A. deinde Poſthumius & T. Virginius coss. facti. Hoc demum B
anno ad Regillum lacum pugnatum apud quoſdam inuenio. A. Poſthumium, quia collega du-
biæ fidei fuerit, ſe conſulatu abdicaſſe, dictatorem inde factum. Tanti errores implicant tempo-
rum, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, vt nec qui conſules ſecundum quoſdam, nec quid
quoque anno actum ſit, in tanta vetuſtate non rerum modò, ſed etiam authorum digerere poſ-
Tarquinij mors Romæ nunciatur.
ſis. Ap. Claudius deinde & P. Seruilius conſules facti. Inſignis hic annus eſt nuntio Tarqui-
nii mortis. Mortuus eſt Cumis, quò ſe poſt fractas opes Latinorum ad Ariſtodemum tyran-
num contulerat. Eo nuntio erecti patres, erecta plebs, ſed patribus nimis luxurioſa ea fuit læti-
tia. plebi, cui ad eam diem ſumma ope inſeruitum erat, iniuriæ à primoribus fieri cœpere. Eo-
dem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, ſuppleto numero colonorum iterum
Tribus Romæ 31. factæ.
deducta eſt. Romæ tribus vna & xxx factæ Aedes Mercurii dedicata eſt idibus Maiis. Cum
Volſcorum gente Latino bello neque pax, neque bellum fuerat. nam & Volſci comparauerant au-
xilia, quæ mitterent Latinis, ni maturatum ab dictatore Romano eſſet: & maturauit Romanus, ne
prælio vno cum Latino Volſcóque contenderet. Hac ira conſules in Volſcum agrum legiones
duxere. Volſcos conſilii pœnam non metuentes, nec opinata res perculit. armorum immemo-
res obſides dant ccc principum à Cora atque Pometia liberos. ita ſine certamine inde abdu-
Volſcorum perfidia.
ctæ legiones. Nec ita multo pòſt Volſcos leuatis metu, ſuum rediit ingenium. rurſus occul-
tum parant bellum. Hernicis in ſocietatem armorum aſſumptis. legatos quoque ad ſolicitan-
dum Latium paſsim dimittunt. ſed recens ad Regillum lacum accepta clades Latinos ira odióque
eius quicunque arma ſuaderet, ne ab legatis quidem violandis abſtinuit. comprehenſos Volſcos
Romam duxere. ibi traditi conſulibus, indicatúmque eſt, Volſcos Hernicóſque parare bellum Ro-
manis. Relata re ad Senatum, adeò fuit gratum patribus, vt & captiuorum ſex millia Latinis remit-
terent: & de fœdere, quod propè in perpetuum negatum fuerat, rem ad nouos magiſtratus reiice-
rent. Enimuero tum Latini gaudere facto, pacis authores in ingenti gloria eſſe. coronam auream
Ioui donum in Capitolium mittunt. cum legatis, donóque, qui captiuorum remiſsi ad ſuos fuerant,
magna circunfuſa multitudo venit. pergunt domos eorum apud quem quiſque ſeruierant. gratias
agunt liberaliter habiti, cultíque in calamitate ſua, inde hoſpitia iungunt. Nunquam aliàs antè publi-
Ciuilis diſcordia.
cè priuatimque Latinum nomen Romano imperio coniunctius fuit. Sed & bellum Volſcum immi-
nebat, & ciuitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter patres plebémque flagrabat odio, maximè propter
nexos ob æs alienum. Fremebant, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à ciuibus ca-
Inſignis cuiuſdam calamitas.
ptos & oppreſſos eſſe: tutiorémque in bello quàm in pace, inter hoſtes quàm inter ciues libertatem
plebis eſſe: inuidiámque eam ſua ſponte gliſcentem inſignis vnius calamitas accendit. Magno natu
quidam cum omnium maiorum ſuorum inſignibus ſe in forum proiecit. obſita erat ſqualore veſtis,
fœdior

A fœdior corporis habitus pallore ac macie peremptí.ad hoc promissa barba & capilli efferauerant speciem oris. noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse aiebant, aliáque militiæ decora vulgò miserantes eum iactabant. ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus vnde ille habitus? vnde deformitas?cum circumfusa turba esset propè in concionis modum: Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modò caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. id cumulatum vsuris primò se agro paterno auitóque exuisse, deinde fortunis aliis, postremò velut tabem peruenisse ad corpus. ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum & carnificinam esse. inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa auditáque clamor ingens oritur. non iam foro se tumultus continet, sed passim totam vrbem peruadit. nexu vincti, solutíque se vndique in publicum proripiunt, implorant Quiritum fidem. nullo loco deest seditionis voluntarius comes. multis passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui fortè patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt. nec temperatum manibus foret, ni properè consules P. Seruilius, & Ap. Claudius ad comprimendam seditionem interuenissent. At in eos multitudo versa ostentare vincula sua, deformitatémque aliam. hæc se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam. postulare minaciter magis, quàm suppliciter, vt senatum vocarent. curiámque ipsi futuri arbitri, moderatorésque publici consilii circumsistunt. Pauci admodum patrum, quos casus obtulerat, contracti ad consules: cæteros metus non curia modò, sed etiam foro arcebat. nec agi quicquam per infrequentiam poterat senatus. Tum verò eludi atque extrahi se multitudo putare: & patrum qui abessent, non casu, non metu, sed impediendæ rei causa abesse, & consules ipsos tergiuersari: nec dubiè ludibrio esse miserias suas. Iam propè erat, vt ne consulum quidem maiestas coerceret iras hominum, cùm incerti morando, an veniendo plus periculi contraherent, tandem in senatum veniunt. frequentíque tandem curia, non modò inter patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis conueniebat. Appius vehementis ingenii vir, imperio consulari rem agendam censebat: vno aut altero arrepto, quieturos alios. Seruilius lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti, quàm frangi putabat cùm tutius, tum facilius esse. Inter hæc maior alius terror. Latini equites cum tumultuoso aduolant nuntio: Volscos infesto exercitu ad vrbem oppugnandam venire. quæ audita (adeò duas ex vna ciuitate discordia fecerat) longè aliter patres ac plebem affecere. exultare gaudio plebes, vltores superbiæ patrum adesse dicere deos. alius alium confirmare, ne nomina darent: cum omnibus potiùs, quàm solos perituros. patres militarent, patres arma caperent vt penes eosdem pericula belli, penes

B quos præmia essent. At verò curia mœsta ac trepida ancipiti metu, & ab ciue, & ab hoste, Seruilium consulem, cui ingenium magis populare erat, orare, vt tantis circunuentam terroribus expediret rempublicam. Tum consul misso senatu in concionem prodit. ibi curæ esse patribus ostendit, vt consulatur plebi. cæterùm deliberationi de maxima quidem illa, sed tamen parte ciuitatis, metum pro vniuersa republica interuenisse. nec posse, cùm hostes propè ad portas essent, bello præuertisse quicquam: nec, si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede priùs accepta, arma pro patria non cepisse: neque patribus satis decorum, per metum potiùs, quàm postmodum voluntate, afflictis ciuium suorum fortunis consuluisse. Concioni deinde edicto addidit fidem, quo edixit, ne quis ciuem Romanum vinctum aut clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud consules potestas fieret: ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet: liberos, nepotésve eius moraretur. Hoc proposito edicto, & qui aderant nexi, profiteri extemplò nomina: & vndique ex tota vrbe proripientium se ex priuato, cùm retinendi ius creditori non esset, concursus in forum, vt sacramento dicerent, fieri. magna ea manus fuit: neque aliorum magis in Volsco bello virtus atque opera enituit. Consul copias contra hostem educit. paruo dirimente interuallo castra ponit. proxima inde nocte Volsci discordia Romana freti, si qua nocturna transitio proditióve fieri posset, tentant castra. sensere vigiles: excitatus exercitus: signo dato concursum est ad arma. Ita frustrà id inceptum Volscis fuit. reliquum noctis vtrinque quieti datum. postero die prima luce Volsci fossis repletis, vallum inuadunt. Iámque ab omni parte munimenta vellebantur, cùm consul, quanquam cuncti vndique & nexi ante omnes vt signum daret, clamabant, experiendi animos militum causa parumper moratus, postquàm satis apparebat ingens ardor, dato tandem ad erumpendum signo militem auidum certaminis emittit. primo statim in cursu pulsi hostes: fugientibus quoad insequi pedes potuit, terga cæsa. eques vsque ad castra pauidos egit. mox. ipsa castra legionibus circundatis, cùm Volscos inde etiam pauor expulisset, capta direptáque. Postero die ad Suessam Pometiam, quò confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur: captum prædæ datum. inde paulum recreatus egens miles. Consul cum maxima gloria sua victorem exercitum Romam reducit. decedentem Romam Ecetranorum Volscorum legati rebus suis timentes post Pometiam captam, adeunt. His ex senatusconsulto data pax, ager ademptus. Confestim & Sabini Romanos territauere. tumultus enim fuit verius, quàm bellum. Nocte in vrbem nuntiatum est, exercitum Sabinum prædabundum ad Anienem amnem peruenisse: ibi passim diripi atque incendi villas. Missus extemplo eò cum omnibus copiis equitum A. Posthumius, qui dictator bello Latino fuerat. secutus consul Seruilius cum delecta peditum manu. plerosque palantes eques circumuenit. nec aduenienti peditum agmini restitit Sabina legio. fessi tum itinere, tum populatione nocturna, magna pars in villis repleti cibo vinóq;, vix fugæ quod satis esset virium habuere. Nocte vna audito

Consules se ditioni cõprimunt.

Variæ consulum sententiæ.

Tumultuosus nuntius

Populare consulis edictum.

Volscorum exercitus funditur.

Sabini contra Romanos.

Vincuntur Sabini.

A audito, perfectóque bello Sabino, postero die in magna iam spe vndique partæ pacis legati Aurunci senatum adeunt, ni decedatur Volsco agro, bellum indicentes. cum legatis simul exercitus Auruncorum domo profectus erat. cuius fama haud procul iam ab Aricia visi tanto tumultu conciuit Romanos, vt nec consuli ordine patres, nec pacatum responsum arma inferentibus arma ipsi capientes dare possent.

De Auruncis victoria.

Ariciam infesto agmine itur: nec procul inde cum Auruncis signa collata: prælióq; vno debellatum est. Fusis Auruncis victor tot intra paucos dies bellis Romanus promissa consulis, fidémque senatus expectabat: cùm Appius & insita superbia animo, & vt collegæ vanam faceret fidem, quàm asperrimè poterat, ius de creditis pecuniis dicere.

Appij cos. iniquitas.

deinceps & qui antè nexi fuerant, creditoribus tradebantur, & nectebantur alii. Quod vbi cui militi inciderat, collegam appellabat, concursus ad Seruilium fiebat: illius promissa iactabant, illi exprobrabant sua quisque belli merita, cicatricésque acceptas: postulabant, vt referret ad senatum, aut vt auxilio esset consul ciuibus suis, imperator militibus. Mouebant consulem hæc, sed tergiuersari res cogebat. adeò vi alteram causam non collega solùm præceperat, sed omnis factio nobilium. ita medium se gerendo, nec plebis vitauit odium, nec apud patres gratiam iniit. Patres mollem consulem & ambitiosum rati, plebs fallacem. breuíque apparuit, æquasse eum Appii odium.

Certamẽ inter coss.

Certamen consulibus inciderat, vter dedicaret Mercurii ædem. senatus à se rem ad populũ reiecit. vtri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituere, solennia pro pontifice iussit suscipere. populus dedicationem ædis dat M. Lectorio primipili centurioni: quod facilè appareret, non tam ad honorem eius, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quàm ad consulum ignominiam. Sæuire inde vtique consulum alter, patrésque. sed plebi creuerant animi, & longè alia quàm primò instituerant via grassabantur: desperato enim consulum senatúsque auxilio, cùm in ius duci debitorem vidissent, vndique conuolabant: neque decretum exaudiri consulis præ strepitu & clámore poterat: neque cùm decreuisset, quisquam obtemperabat.

Seditio.

vi agebatur, metúsque omnis & periculum libertatis, cùm in conspectu consulis singuli à pluribus violarentur, in creditores à debitoribus verterant. Super hæc timor incessit Sabini belli. delectúque decreto, nemo nomen dedit, furente Appio, & insectante ambitionem collegæ: qui populari silentio rempublicam proderet, & ad id, quod de credita pecunia ius non dixisset, adiiceret, vt ne delectum quidem ex senatusconsulto haberet. non esse tamen desertam omnino rempublicam, neque proiectum consulare imperium. se vnum & suæ & patrum maiestatis vindicem fore. Cùm circunstaret quotidiana multitudo licẽtia accensa, arripi vnum insignem ducem seditionum iussit. ille cùm à lictoribus iam traheretur, prouocauit, nec cessisset prouocationi consul, quia non dubium erat populi iudicium, nisi ægrè victa pertinacia foret consilio magis & authoritate principum, quàm populi clamore adeò supererant animi ad sustinendã inuidiam. Crescere B inde malum in dies nõ clamoribus modò apertis, sed quod multo perniciosius erat, secessione, occultísque colloquiis. Tandẽ inuisi plebi consules magistratu abeunt. Seruilius neutris, Appius patribus mirè gratus. A. Virginius inde, & T. Vetusius consulatum ineunt. Tum verò plebs incerta quales habitura consules esset, cœtus nocturnos pars in Esquiliis, pars in Auentino facere, ne in foro subitis trepidaret consiliis, & omnia temerè ac fortuito ageret. Eam rem consules rati, vt erat, perniciosam, ad patres referunt: sed delatam consulere ordine non licuit. adeò tumultuosè excepta est clamoribus vndique, & indignatione patrum, si, quod imperio consulari exequendum esset, inuidiam eius consules ad senatum reiicerent. profectò si essent in republica magistratus, nullum futurum fuisse Romæ nisi publicum concilium. nunc in mille curias, concionésque, cum alia in Esquiliis, alia in Auentino fiant concilia, dispersam & dissipatam esse rempublicam. vnum Hercule virum (id enim plus esse, quàm cõsulem) qualis Appius Claudius fuerit, momento temporis discussurũ illos cœtus fuisse. Correpti consules cùm quid ergo se facere vellent (nihil enim segnius molliúsve, quàm patribus placeat, acturos) percunctarentur: decernunt, vt delectum quàm acerrimum habeant. otio lasciuire plebem.

Consulibus non paret populus.

Dimisso senatu consules in tribunal ascendunt, citant nominatim iuniores. cùm ad nomen nemo responderet, circunfusa multitudo in concionis modum, negare vltra decipi plebem posse. nunquàm vnum militem habituros, ni præstaretur fides publica. libertatem vnicuique priùs reddendam esse, quàm arma danda, vt pro patria ciuibúsque, non pro dominis pugnent. Consules quid mandatum esset à senatu, videbant: sed eorũ, qui intra parietes curiæ ferociter loquerentur, neminem adesse inuidiæ suæ participẽ. & apparebat atrox cum plebe certamen. priùs itaque, quàm vltima experirentur, senatum iterum consulere placuit. tum verò ad sellas consulũ properè cõuolauere minimus quisque natu patrũ, abdicare consulatu iubentes, & deponere imperium, ad quod tuendũ animus deesset. Vtraque re satis experta, tum demum cõsules: Ne prædictum negetis Patres Conscripti, adest ingens seditio. postulamus, vt ii qui maximè ignauiam increpant, adsint nobis habẽtibus delectum. acerrimi cuiusq; arbitrio, quando ita placet, rem agemus. Redeunt in tribunal, citari nominatim vnum ex iis qui in conspectu erant, dedita opera iubent. cũ staret tacitus, & circa eum aliquot hominum, ne fortè violaretur, constitisset globus, lictorem ad eum consules mittunt. quo repulso, tum verò indignum facinus esse clamitantes, qui patrũ consulibus aderant, deuolant de tribunali, vt lictori auxilio essent.

Mira seditio.

sed ab lictore nihil aliud quàm prehendere prohibito, cùm conuersus in patres impetus esset, consulum intercussu rixa sedata est. in qua tamen sine lapide, sine telo plus clamoris atque irarum, quàm iniuriæ fuerat. Senatus tumultuosè vocatus, tumultuosius consulitur, quæstionem postulantibus iis qui pulsati fuerant, decernente ferocissimo quoque non sententiis magis, quàm clamore & strepitu. tandem cùm iræ resedissent, exprobrantibus consulibus nihilo plus sanitatis in curia, quàm

in foro

A in foro esse, ordine consuli cœpit. Tres fuere sententiæ. P. Virginius rem non vulgabat. de iis tantum, qui fidem secuti P. Seruilii consulis Volsco, Aurunco, Sabinoq; militassent bello, agendum censebat. T. Largius, non id tempus esse, vt merita tantummodo exoluerentur, totam plebem ære alieno demersam esse: nec sisti posse, ni omnibus consulatur. quin si alia aliorum sit conditio, accendi magis discordiam, quàm sedari. Ap. Claudius & natura immitis, & efferatus hinc plebis odio, illinc patrum laudibus: non miseriis, ait, sed licentia tantum concitum turbarum: & lasciuire magis plebem, quàm sæuire. id adeò malũ ex prouocatione natum. quippe minas esse consulũ, non imperium, vbi ad eos qui vnà peccauerint, prouocare liceat. agedum, inquit, dictatorẽ, à quo prouocatio nõ est, creemus. iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor. pulset tum mihi lictorem, qui sciet ius de tergo vitáque sua penes vnum illum esse, cuius maiestatem violauit. Multis, vt erat, horrida & atrox videbatur Appii sententia: rursus Virginii Largiíque, exemplo haud salubres: vtique Largii putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret. medium maximè, & moderatum vtroque consiliũ Virginii habebatur. sed factione, respectúque rerum priuatarum, quæ semper offecêre, officiéntq; publicis consiliis, Appius vicit: ac propè fuit vt dictator ille idem crearetur. quæ res vtique alienasset plebem periculosissimo tempore, cùm Volsci Aequíque & Sabini fortè vnà omnes in armis essent. sed curæ fuit consulibus, & senioribus patrum, vt imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio. M. Valerium dictatorem Volesi filium creant. Plebs & si aduersus se creatum dictatorem videbat, tamen cùm prouocationem fratris lege haberet, nihil ex ea familia triste, nec superbum timebat. edictum deinde à dictatore propositum confirmauit animos, Seruilii ferè consulis edicto conueniens. sed & homini & potestati melius rati credi, omisso certamine nomina dedêre. quantus nunquàm antè exercitus, legiones decem effectæ. ternæ inde datæ consulibus, quatuor dictator vsus. Nec poterat iam bellum differri. Aequi Latinum agrum inuaserant. oratores Latinorum à Senatu petebant, vt aut mitterent subsidium, aut seipsos tuendorum finium causa capere arma sinerent. Tutius visum est, defendi inermes Latinos, quàm pati retractare arma. Vetusius consul missus est. is finis populationibus fuit. Cessere Aequi campis: locóque magis quàm armis freti, summis se iugis montium tutabantur. Alter consul in Volscos profectus, ne & ipse tereret tempus, vastandis maximè agris hostem ad conferenda propiùs castra, dimicandúmque acie exciuit. medio inter castra campo ante suum quisque vallum infestis signis constitere, multitudine aliquantum Volsci superabant. itaque effusi, & contemptim pugnam iniere. Consul Romanus nec promouit aciem: nec clamorem reddi passus, defixis pilis stare suos iussit: vbi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere. Volsci cursu & clamore fessi, cùm se velut stupentibus metu intulissent

B Romanis, postquàm impressionem sensere ex aduerso factam, & ante oculos micare gladios, haud secus quàm si in insidias incidissent, turbati vertunt terga. & ne ad fugam quidem satis virium fuit, quia cursu in prælium ierant. Romani contrà, quia principio pugnæ quieti steterant, vigentes corporibus facilè adepti fessos, & castra impetu ceperunt: & castris exutũ hostem Velitras persecuti, vno agmine victores, cum victis in vrbem irrupêre. plúsque ibi sanguinis promiscuâ omnium generum cæde, quàm in ipsa dimicatione factum. paucis data venia, qui inermes in deditionem venerunt. Dum hæc in Volscis geruntur, dictator Sabinos, vbi longè plurimum belli fuerat, fundit fugátque, exuítque castris. Equitatu immisso mediam turbauerat hostium aciem, qua, dum se cornua latiùs pandunt, parum aptè introrsum ordinibus aciem firmauerant. turbatos pedes inuasit. eodem impetu castra capta, debellatúmque est. Post pugnam ad Regillum lacum non alia illis annis pugna clarior fuit. dictator triumphans vrbem inuehitur, super solitos honores locus in circo ipsi, posterísque ad spectaculum datur, sella in eo loco curulis posita. Volscis deuictis Veliternus ager ademptus: Velitras coloni ab vrbe missi, & colonia deducta. Cum Aequis pòst aliquanto pugnatum est, inuito quidem consule, quia loco iniquo subeundum erat ad hostes. sed milites extrahi rem criminantes, vt dictator, priusquàm ipsi redirent in vrbem, magistratu abiret: irritáque, sicut ante consulis, promissa eius caderent: perpulêre, vt fortè temere in aduersos montes agmen erigeret. id malè commissum ignauia hostium in bonum vertit, qui, priusquàm ad coniectum teli veniretur, obstupefacti audacia Romanorum relictis, castris, quæ munitissimis tenuerant locis, in aduersas valles desiluêre. vbi satis prædæ & victoria incruenta fuit. Ita trifariàm re bello bene gesta, de domesticarum rerum euentu nec patribus, nec plebi cura decesserat. tanta cum gratia, tum arte præparauerant fœneratores, quæ non modò plebem, sed ipsum etiam dictatorem frustrarentur. Nanque Valerius post Vetusii consulis reditum omnium actionum in Senatu primam habuit pro victore populo, retulítq; quid de nexis fieri placeret. quæ cùm reiecta relatio esset, Non placeo, inquit, concordiæ auctor. optabitis mediusfidius propediem, vt mei similes Romana plebs patronos habeat, quod ad me attinet, neq; frustrabor vltra ciues meos, neq; ipse frustra dictator ero. discordiæ intestinæ bellum externum, fecêre vt hoc magistratu egeret respublica. pax foris parta est, domi impeditur. priuatus potiùs, quàm dictator seditioni intero. Ita curia egressus dictatura se abdicauit. apparuit causa plebi, suam vicem indignantẽ magistratu abisse. Itaq; velut persoluta fide, quoniam per eum non stetisset quin præstaretur, decedentẽ domum cum fauore ac laudibus prosecuti sunt. Timor inde patres incessit, ne si dimissus exercitus foret, rursus cœtus occulti coniurationésque fierent. itaq; quanquã per dictatorem delectus habitus esset, tamen quia in consulum verba iurassent, sacramento teneri milites rati, per causam renouati ab Aequis belli educi ex vrbe legiones iussere. quo facto, maturata est seditio. & primò agitatum dicitur de consulum cæde, vt soluerentur sacramento. doctos deinde nullam scelere

Variæ de sedando tumultu sententiæ.

Respectus rerum priuatarum officit publicis consiliis.

Valerius Dictator creatur.

Volsci in fugam versi.

Dictator de Sabinis triumphat.

Dictatoris præclara oratio.

Valerius Dictatura se abdicat.

In Sacrum montẽ plebs ſeceßit.

ſcelere religionem exolui, Sicinio quodam authore iniuſſu conſulum in Sacrum montem ſeceſsiſſe, A trans Anienẽ amnem, tria ab vrbe millia paſſuũ. ea frequentior fama eſt, quàm cuius Piſo author eſt, in Auentinum ſeceſsionem factam eſſe. Ibi ſine vllo duce, vallo foſſáque communitis caſtris, quieti rem nullam niſi neceſſariam ad victum ſumendo, per aliquot dies neque laceſsiti, neque laceſſentes ſeſe tenuêre. pauor ingens in vrbe, metúque mutuo ſuſpenſa erant omnia. timere relicta ab ſuis plebes violentiam patrum, timere patres reſidem in vrbe plebem, incerti manere eam, an abire mallent. quandiu autẽ tranquillam, quæ ſeceſſerit, multitudinem fore? quid futurum deinde, ſi quod externum interim bellũ exiſtat? nullã profectò, niſi in concordia ciuium ſpem reliquã ducere. eam per æqua, per iniqua reconciliandam ciuitati eſſe. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundũ virum, & quòd inde oriundus erat plebi carum. is intromiſſus in caſtra, priſco

Menenii Agrippæ oratio.

illo dicendi & horrido modo nihil aliud, quàm hoc narraſſe fertur: Tempore, quo in homine non, vt nunc, omnia in vnum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuiq; cõſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri: ventrẽ in medio quietum nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conſpiraſſe inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa vnà membra, totúmque corpus ad extremam tabem veniſſe. inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali, quàm alere eum, reddẽtem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemúſque, diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominũ. Agi deinde de concordia cœptum, conceſſúmque in conditiones, vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio aduerſus conſules eſſet: néve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. ita tribuni

Tribuni plebis primum creati.

plebeii creati duo, C. Licinius, & L. Albinus. Hi tres collegas ſibi creauerunt. in his Sicinium fuiſſe ſeditionis authorem, de duobus qui fuerint, minùs conuenit. Sunt qui duos tantùm in Sacro monte creatos tribunos eſſe dicant, ibíq; ſacratam legem latam. Per ſeceſsionem plebis Sp. Caſsius, & Poſthumius Cominius conſulatũ inierunt. his cõſulibus cum Latinis populis ictũ fœdus. ad id feriendum

Fœdus cum Latinis populis.

cõſul alter Romæ manſit, alter ad Volſcũ bellum miſſus, Antiates Volſcos fundit fugátque: cõpulſos in oppidũ Longulam perſecutus, mœnibus potitur. inde protinus Mucamitem Volſcorũ capit. tũ magna vi adortus eſt Coriolos. Erat tum in caſtris inter primores iuuenũ Cn. Martius, adoleſcẽs & conſilio & manu promptus, cui cognomẽ poſteà Coriolano fuit. Cùm ſubitò exercitũ Romanum Coriolos obſidentẽ, atq; in oppidanos, quos intus clauſos habebat, intentũ ſine vllo metu extrinſecus imminẽtis belli Volſcæ legiones profectæ ab Antio inuaſiſſent, eodémq; tempore ex oppido erupiſſent

Martii Coriolani virtus.

hoſtes, fortè in ſtatione Martius fuit. is cum delecta militũ manu, nõ modò impetũ erumpentiũ retudit, ſed per patentẽ portam ferox irrupit: cædéq; in proximo vrbis facta, ignem temerè arreptũ, imminentibus muro ædificiis iniecit. clamor inde oppidanorũ miſtus muliebri puerilíq; ploratu ad terrorem, vt ſolet, primo ortu, & Romanis auxit animũ, & turbauit Volſcos: vtpote capta vrbe, cui ad ferendã opem venerant. B

Corioli oppidum capitur.

Ita fuſi Volſci Antiates, Corioli oppidũ captum. tantúmq; ſua laude obſtitit famæ cõſulis Martius, vt, niſi fœdus cum Latinis columna ænea inſculptũ monumento eſſet, ab Sp. Caſſio vno quia collega abfuerat, ictum: Poſthumum Cominium bellum geſsiſſe cum Volſcis, memoria ceſsiſſet. Eodem anno Agrippa Menenius moritur, vir omni vita pariter patribus ac plebi carus, poſt ſeceſsionem carior plebi factus. Huic interpreti arbitróque concordiæ ciuium legato patrum ad plebem, reductori plebis Romæ in vrbem, ſumptus funeri defuit. extulit eũ plebs ſextantibus col

Annonæ caritas fames.

latis in capita. Conſules deinde T. Geganius, P. Minutius facti. Eo anno, cùm & foris quieta omnia bello eſſent, & domi ſanata diſcordia, aliud multo grauius malum ciuitatem inuaſit, caritas primùm annonæ ex incultis per ſeceſsionem plebis agris: fames deinde, qualis clauſis ſolet. ventúmque ad interitum ſeruitiorum vtique & plebis eſſet, ni conſules prouidiſſent, dimiſsis paſsim ad frumentum coemendum, non in Hetruriam modò dextris ab Hoſtia litoribus, læuóque per Volſcos mari vſque ad Cumas, ſed quæſitum in Sicilia quoque. adeò finitimorum odia longinquis coegerant indigere auxiliis. Frumentum Cumis cùm coemptum eſſet, naues pro bonis Tarquiniorum ab Ariſtodemo tyranno, qui hæres erat, retentæ ſunt. in Volſcis Pomptinóque ne emi quidem potuit. periculum quoque ab impetu hominum ipſis frumẽtatoribus fuit. Ex Hetruſcis frumentum Tyberi venit. eo ſuſtentata eſt plebs. Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volſcos iam mouentes arma peſtilentia ingens inuaſiſſet. ea clade conterritis hoſtium animis, vt etiam vbi ea remiſiſſet, terrore aliquo tenerentur, & Velitis auxere numerum colonorum Romani, & Norbæ in montes nouam coloniam, quæ arx in Pomptino eſſet, miſerunt. M. Minutio deinde, & A. Sempronio conſulibus, magna vis frumenti ex Sicilia aduecta: agitatúmq; in Senatu, quanti plebi daretur. Multi veniſſe tempus premendæ plebis putabant, recuperandíque iura, quæ extorta ſeceſsione ac vi patribus eſſent.

Coriolanus hoſtis Tribunitiæ poteſtatis.

In primis Martius Coriolanus hoſtis tribunitiæ poteſtatis, Si annonam, inquit, veterem volunt, ius priſtinum reddant patribus. cur ego plebeios magiſtratus, cur Sicinium potentem video ſub iugum miſſus, tanquam à latronibus redemptus? egóne has indignitates diutius patiar, quàm neceſſe eſt? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? ſecedat nunc, auocet plebem, patet via in Sacrum montem, alióſque colles: rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum tertio anno rapuêre: fruantur, vtantur annona, quam furore ſuo fecêre. audeo dicere, hoc malo domitos ipſos potiùs cultores agrorũ fore, quàm vt armati per ſeceſsionẽ coli prohibeant. Haud tam facile dictu eſt, faciendúm ne fuerit, quã potuiſſe arbitror fieri, vt cõditionibus laxandi an-

A di annonam, & tribunitiam potestatem, & omnia inuitis iura imposita patres demerent sibi. Et Se-
natui nimis atrox visa sententia est, & ira plebem propè armauit. Fame iam se sicut hostes peti, cibo,
victúque fraudari: peregrinum frumentum, quæ sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore
rapi, nisi Cn. Martio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanæ satis fiat. eum sibi carni-
ficem nouum exortum, qui aut mori, aut seruire iubeat. In exeuntem è curia impetus factus esset,
ni peropportunè Tribuni diem dixissent. Ibi ira est suppressa. Se iudicem quisque, se dominum vitæ *Coriolano*
necísque inimici factum videbat. Contemptim primò Martius audiebat minas tribunitias: auxilii, *dies à Tribu*
non pœnæ ius datum illi potestati: plebísque, non parum tribunos esse. sed adeò coorta erat infensa *nis dicta.*
plebs, vt vnius pœna defungendum esset patribus. Restiterunt tamen aduersa inuidia, vsique sunt
quà suis quisque, quà totius ordinis viribus. Ac primò tentata res est, si dispositis clientibus abster-
rendo singulos à coitionibus, conciliísque, disiicere rem possent. Vniuersi deinde processère (quic-
quid erat patrum, reos diceres) precibus plebem exposcentes: vnum sibi ciuem, vnum Senato-
rem, si innocentem absoluere nollent, pro nocente donarent. Ipse cùm die dicta non adesset, per-
seueratum in ira est. Damnatus absens in Volscos exulatum abiit, minitans patriæ, hostiléſque iam *In exilium*
tum spiritus gerens. Venientem Volsci benignè excepere: benigniúsque in dies colebant, quo ma- *mittitur Co*
ior ira in suos eminebat, crebræque nunc querelæ, nunc minæ percipiebantur. Hospitio vtebatur *riolanus.*
Accii Tullii. Longè is tum princeps Volsci nominis erat, Romanísque semper infestus. Ita cùm
alterum vetus odium, alterum ira recens stimularet, consilia conferunt de Romano bello. Haud fa-
cilè credebant plebem suam impelli posse, vt toties infeliciter tentata arma caperent. multis sæpe
bellis, pestilentia postremò amissa iuuentute, fractos spiritus esse. arte agendum in exoleto iam ve-
tustate odio, vt recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi fortè ex instauratione magni Romæ
parabantur. instaurandi hæc causa fuerat ludis. Manè seruum quidam paterfamiliæ nondum com-
misso spectaculo sub furca cæsum medio egerat circo. cœpti inde ludi, velut ea res nihil ad reli-
gionem pertinuisset. haud ita multo pòst T. Latinio de plebe homini somnium fuit. Visus Iupiter di- *T. Latinij*
cere, sibi ludis præsultatorem displicuisse. nisi magnificè instaurentur hi ludi, periculum vrbi fore. *somnium.*
iret, ea consulibus nuntiaret. Quanquam haud sanè liber erat religione animus, verecundia tamen
maiestatis magistratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. magno illi ea cun-
ctatio stetit. filium nanque intra paucos dies amisit. cuius repentinæ cladis ne causa dubia esset,
ægro animi eadem illa in somnis obuersata species, visa est rogitare, satin' magnam spreti numi-
nis haberet mercedem? maiorem instare, ni eat properè ac nuntiet consulibus. Iam præsentior res
erat: cunctantem tamen, ac prolatantem ingens vis morbi adorta est debilitate subita. tum enim-
B uero deorum ira admonuit. fessus igitur malis præteritis instantibúsque, consilio propinquorum ad-
hibito, cum visa atque audita, & obuersatum toties somno Iouem, minas irásque cælestes repræsen-
tatas casibus suis exposuisset, consensu inde haud dubio omnium qui aderant, in forum ad consules
lectica defertur. inde in curiam iussu consulum delatus, eadem illa cum patribus ingenti omnium ad-
miratione enarrasset, ecce aliud miraculum. qui captus omnibus membris delatus in curiam esset, *Miraculum,*
eum functum officio pedibus suis domum rediisse, traditum memoriæ est. Ludi quàm amplissimi *aut potius*
vt fierent, senatus decernit. Ad eos ludos authore Accio Tullio vis magna Volscorum venit. prius- *cacodæmo-*
quàm committerentur ludi, Tullius, vt domi compositum cum Martio fuerat, ad consules venit. di- *nis illusio.*
cit esse quæ secreto agere de Repub. velit. arbitris remotis, Inuitus, inquit, quod sequius sit, de meis ci- *Acci Tullij*
uibus loquor. non tamen admissum quicquam ab iis, criminatum venio, sed cautum, ne admittant. *ad Coß. ora-*
Nimio plus quàm velim, nostrorum ingenia sunt mobilia. multis id cladibus sensimus, quippe qui *tio.*
non nostro merito, sed vestra patientia incolumes simus. magna hic nunc Volscorum multitudo
est, ludi sunt, spectaculo intenta ciuitas erit. memini quid per eandem occasionem ab Sabinorum iu-
uentute in hac vrbe commissum sit. horret animus, ne quid inconsultè ac temere fiat. hæc nostra, ve-
stráque causa prius dicenda vobis consules ratus sum. Quod ad me attinet, extemplo hinc domum
abirem animo est, ne cuius facti, dictíve contagione præsens violer. Hæc locutus abiit. Consules
cum ad patres rem dubiam sub authore certo detulissent, author magis (vt fit) quàm res ad præca-
uendum vel ex superuacuo mouit. factóque senatusconsulto vt vrbem excederent Volsci, præcones
dimittuntur, qui omnes eos proficisci ante noctem iuberent. Ingens pauor primò discurrentes ad
suas res tollendas in hospitia perculit: proficiscentibus deinde indignatio oborsa, se vt conscelerato
contaminatósq; ab ludis, festis diebus, cœtu quodammodo hominum deorúmque abactos esse. Cum
propè continuato agmine irent, prægressus Tullius ad caput Ferentinum, vt quisque veniret, primo-
res eorum excipiens, querendo, indignandóque, & eos ipsos sedulò audientes secunda iræ verba, &
per eos multitudinem aliam in subiectum viæ campum deduxit. ibi in concionis modum orationem
exorsus: Veteres populi Romani iniurias, cladésque gentis Volscorum, vt omnia, inquit, obliuisca- *Tullij ad*
mini alia, hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, qua per nostram ignominiam lu- *suos ciues o-*
dos commisere? an non sensistis triumphatum hodie de vobis esse? vos omnibus ciuibus, peregrinis, *ratio.*
tot finitimis populis spectaculo abeuntes fuisse? vestras coniuges, vestros liberos traductos per ora
hominum? quid eos, qui audiuere vocem præconis? quid qui vos videre abeuntes? quid eos, qui huic
ignominioso agmini fuere obuii, existimasse putatis? nisi aliquod perfectò nefas esse, quo si intersimus
spectaculo, violaturi simus ludos, piaculúmque merituri: ideo nos ab sede piorum, cœtu, conciliόque
abigi. quid deinde illud non succurrit? viuere nos, quòd maturauimus proficisci? si hæc profectio, &
non fuga est. & hanc vrbem vos non hostium ducitis, vbi si vnum diem morati essetis, moriendum

omnibus fuit. Bellum vobis indictū est magno eorum malo, qui indixere, si viri estis. Ita & sua sponte A irarum pleni, & incitati domos inde digreßi sunt, instigandóque suos quisque populos effecere, vt omne Volscum nomen deficeret.

Volsci à Romanis deficiunt.

Imperatores ad id bellum, de omnium populorum sententia lecti Accius Tullius, & Cn. Martius exul Romanus, in quo aliquanto plus spei repositum, quam spem nequaquam fefellit, vt facile appareret, ducibus validiorem, quàm exercitu rem Romanam esse. Circeos profectus, primum colonos, inde Romanos expulit: liberámque eam vrbem Volscis tradidit: inde in Latinam viam transuersis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Pollustiam, Coriolos, nouella hæc Romanis oppida ademit, inde Lauinium recepit. tunc deinceps Corbionem Veteliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit. postremùm ad vrbem à Pedo ducit, & ad fossas Cluilias quinque ab vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum: custodibus inter populatores missis, qui patritiorum agros intactos seruarent: siue infensus plebi magis, siue vt discordia inde inter patres plebémque oriretur.

Oppida Romanis erepta duce Coriolano.

Quæ profectò orta esset, adeò tribuni iam ferocem per se plebem criminando in primores ciuitatis instigabant: sed externus timor maximum concordiæ vinculum, quamuis suspectos, infensósque inter se iungebat animos. Id modò non conueniebat, quòd senatus, consuléśque nusquam alibi spem, quàm in armis ponebant: plebes omnia quàm bellum malebat. Sp. Nautius iam, & Sext. Furius consules erant. Eos recensentes legiones, præsidia per muros, aliáque in quibus stationes vigiliásque esse placuerat, loca distribuentes multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit: deinde vocare senatum, referre de legatis ad Cn. Martium mittendis coëgit. Acceperunt relationem patres: postquam apparuit labare plebis animos, missíque de pace ad Martium oratores, atrox responsum retulerunt. Si Volscis ager redderetur, posse agi de pace. si præda belli per otium frui velint, memorem se & ciuium iniuriæ, & hospitum beneficii, adnisurum vt appareat exilio sibi iritatos, non fractos animos esse.

Mittuntur legati de pace ad Coriolanum.

Iterum deinde iidem missi, non recipiuntur in castra.

Iterum mittuntur legati.

sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium, traditum est, nihilo magis quàm legatos flexisse animum. Tum matronæ ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniámque vxorem frequentes coëunt. id publicum consilium, an muliebris timor fuerit, parum inuenio. peruicere certè, vt & Veturia magno natu mulier, & Volumnia duos paruos ex Martio ferens filios secum in castra hostium irent: & quam armis viri defendere vrbem non possent, mulieres precibus lacrymísque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nuntiatúmque Coriolano, adesse ingẽs mulierum agmen: primò, vt qui nec publica maiestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animóque religione motus esset, multo obstinatior aduersus lacrymas muliebres erat. dein familiariū quidam qui insignem mœstitia inter cæteras cognouerat Veturiam, inter nurum nepotésque stantem: Nisi me frustrantur, inquit, oculi, mater tibi cõiunxque & liberi adsunt. Coriolanus B propè vt amens, consternatus ab sede sua cum ferret matri obuiæ complexum: mulier in iram ex precibus versa, Sine priusquã complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium venerim: captiua, matéme in castris tuis sim. in hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, vt exulem te, deinde hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? non tibi, quamuis infesto animo & minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit? intra illa mœnia domus ac penates mei sunt? mater, coniunx, liberíque? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem, in libera patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati nec tibi turpius, quàm mihi miserius possum: nec vt sim miserrima, diu futura sum. de his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa seruitus manet.

Veturiæ ad Coriolanū filium grauis oratio.

Vxor deinde ac liberi amplexi, fletúsq; ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæq;, fregêre tandem virum. complexus inde suos, dimittit: ipse retro ab vrbe castra mouit.

Coriolanus muliebri fletu placatur.

Abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum perisse tradunt, alii alio letho. apud Fabium longè antiquissimum authorem, vsque ad senectutem vixisse eundem inuenio. refert certè hanc sæpe eum exacta ætate vsurpasse vocem, Multò miserius seni exilium esse. Non inuiderunt laudes suas mulieribus viri Romani. adeò sine obtrectatione gloriæ alienæ viuebatur. monumento quoque quod esset, templum Fortunæ muliebri ædificatum dedicatúmq; est.

Templũ Fortunæ muliebri ædificatur.

Rediere deinde Volsci adiunctis Aequis in agrum Romanū. sed Aequi Accium Tullium haud vltrà tulere ducem. Hinc ex certamine Volsci, Aequi, ne imperatorem cõiuncto exercitui darent, seditio, deinde atrox prælium ortum. Ibi fortuna populi Romani duos hostiũ exercitus haud minus pernicioso, quàm pertinaci certamine confecit. Consules T. Sicinius, & C. Aquilius. Sicinio Volsci, Aquilio Hernici (nam ii quoque in armis erant) prouincia euenit. eo anno Hernici deuicti: cum Volscis æquo Marte discessum est.

Hernici deuicti.

Sp. Cassius, deinde & Proculus Virginius consules facti. cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ. inde dimidium Latinis, dimidium plebi diuisurus consul Cassius erat. adiiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri à priuatis criminabatur. Id multos quidem patrum, ipsos possessores, periculo rerum suarum terrebat. sed & publica patribus solicitudo inerat, largitione cõsulem periculosas libertati opes struere. Tum primùm lex agraria promulgata est, nunquam deinde vsq; ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata.

Lex Agraria primùm promulgata

Consul alter largitioni resistebat, authoribus patribus, nec omni plebe aduersante: quæ primò cœperat fastidire munus vulgatū à ciuibus isse in socios. sæpe deinde & Virginium consulem in concionibus, velut vaticinantem, audiebat: pestilens collegæ munus esse: agros illos seruitutem iis qui acceperint laturos: regno viam fieri. quid ita enim assumi socios, & nomen Latinum? quid attinuisse, Hernicis pauloantè hostibus capti agri tertiam partem reddi? nisi vt hæ gentes pro Coriolano duce Cassium habeant? Popularis iam esse dissuasor, & intercessor legis agrariæ cœperat. vterque deinde

consul

A consul certatim plebi indulgere. Virginius dicere, passurum se asignari agros, dum ne cui, nisi ciui Romano, asignentur. Cassius, quia in agraria largitione ambitiosus in socios, eóq; ciuibus vilior erat: vt alio munere sibi recôciliaret ciuium animos, iubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id verò haud secus, quàm præsentem mercedem regni aspernata plebs: adeò propter suspicionem insitam regni, velut abundarent omnia, munera eius in animis hominum respuebantur. quem, vbi primùm magistratu abiit, damnatum necatúmque constat. Sunt qui patrem authorem eius supplicii ferant. eum cognita domi causa verberasse ac necasse: peculiúmq; filii Cereri consecrauisse. signum inde factum esse, & inscriptum, Ex Cassia familia datum. Inuenio apud quosdam, idque propius fidem est, à quæstoribus Cæsone Fabio, & L. Valerio diem dictã perduellionis: damnatúmq; populi iudicio, dirutas publicè ædes. ea est area ante Telluris ædem. Cæterum siue illud domesticum, siue publicum fuit iudicium, damnatur Seru. Cornelio, Q. Fabio consulibus. Haud diuturna ira populi in Cassium fuit. dulcedo agrariæ legis ipsa per se dempto authore subibat animos. accensáq; ea cupiditas est malignitate patrum, qui deuictis eo anno Volscis Aequísq; militem præda fraudauêre. quicquid captum ex hostibus est, vendidit Fabius consul, ac redegit in publicum. inuisum erat Fabiũ nomen plebi, propter nouissimũ consulem: tenuere tamen patres, vt cum L. Aemylio Cæso Fabius consul crearetur. eo infestior facta plebes. seditio domestica bellum externum exciuit: bello deinde ciuiles discordiæ intermissæ. vno animo patres ac plebs rebellantes Volscos & Aequos duce Aemylio prospera pugna vicere. plus tamen hostium fuga, quàm prælium absumpsit. adeò pertinaciter fusos insecuti sunt equites. Castoris ædes eodẽ anno Idibus Quintilibus dedicata est. vota erat Latino bello Posthumio dictatore. filius eius duumuir ad id ipsum creatus dedicauit. Solicitati & eo anno sunt dulcedine agrariæ legis animi plebis. tribuni plebis popularem potestatem lege populari celebrabant. patres satis superq; gratuiti furoris in multitudine credentes esse, largitiones, temeritatísque inuitamenta horrebant. acerrimi patribus duces ad resistendum consules fuere. ea igitur pars Reipublicæ vicit. nec in præsens modò, sed in venientem etiam annum M. Fabium Cæsonis fratrem, & magis inuisum alterum plebi accusatione Sp. Cassii, L. Valerium cõsulem dedit. Certatum eo quoq; anno cum tribunis est. vana lex, vaníq; legis authores, iactando irritum munus, facti. Fabiũ inde nomen ingens post tres continuos consulatus, vnóq; velut tenore omnes expertos tribunitiis certaminibus habitũ. itaq; vt bene locatus mansit in ea familia aliquandiu honos. Bellum inde Veiens initum. & Volsci rebellarunt. sed ad bella externa propè superearant vires, abutebantúrque iis inter semetipsos certando. Accessere ad ægras iam omnium mentes prodigia cælestia, propè quotidianas in vrbe, agrísq; ostentantia minas. motiq; ira numinis, causam nullam aliam vates canebant, publicè priuatímq; nunc extis, nunc per aues consulti, quàm haud ritè sacra fieri. qui terrores tamen eò euasere, vt Oppia virgo Vestalis damnata incesti pœnas dederit. Q. Fabius inde, & C. Tullius consules facti. Eo anno non segnior discordia domi, & bellum foris atrocius fuit. Ab Aequis arma sumpta. Veientes agrũ quoq; Romanorum populantes inierunt. quorum bellorum crescente cura, Cæso Fabius, & Sp. Furius consules fiunt. Artonam Latinam vrbem Aequi oppugnabant. Veientes pleni iam populationũ Romam ipsam se oppugnaturos minitabantur. qui terrores, cum cõpescere deberent, auxere insuper animos plebis: redibátq; non sua sponte plebi mos detrectandi militiam, sed Sp. Licinius tribunus plebis, venisse tempus ratus per vltimam necessitatem legis agrariæ patribus iniungendæ, susceperat rem militarem impediendam. cæterum tota inuidia tribunitiæ potestatis versa in authorem est: nec in eum consules acrius, quàm ipsius eius collegæ coorti sunt. auxilióq; eorum delectum consules habẽt. Ad duo simul bella exercitus scribitur: ducendus Fabio in Veientes, in Aequos Furio datur. & in Aequis quidem nihil dignũ memoria gestum est. Fabio aliquanto plus negotii cum ciuibus, quàm cum hostibus fuit. vnus ille vir ipse consul Remp. sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat. nam cum consul præter cæteras imperatorias artes, quas parando gerendóq; bello edidit plurimas, ita instruxisset aciem, vt solo equitatu emisso exercitum hostium funderet, insequi fusos pedes noluit. nec illos, & si non adhortatio inuisi ducis, suum saltem flagitium, & publicum in præsentia dedecus, postmodo periculum, si animus hosti redisset, cogere potuit gradum accelerare. aut si aliud nihil, instare instructos. iniussu signa referunt: mœstiq; (crederes victos) execrantes nunc imperatorem, nunc nauatam ab equite operam, redeunt in castra. Nec huic tam pestilenti exemplo remedia vlla ab imperatore quæsita sunt. adeò excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua ciuẽ regat, quàm qua hostem superent. Consul Romam rediit, non tam belli gloria aucta, quàm irritato exacerbatóque in se militum odio. Obtinuere tamen patres, vt in Fabia gente consulatus maneret. M. Fabium consulem creant: Fabio collega Cn. Manlius datur. Et hic annus tribunum authorem legis agrariæ habuit. Tib. Pontificius fuit. is eandem viam, velut processisset Sp. Licinio, ingressus, delectum paulisper impediit. Perturbatis iterum patribus Ap. Claudius victam tribunitiam potestatem dicere priore anno in præsentia re ipsa, exemplo in perpetuũ: quando inuentum sit, suis ipsam viribus dissolui. neq; enim vnquam defuturũ, qui ex collega victoriam sibi, & gratiam melioris partis bono publico velit quæsitam. & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium cõsulum paratos fore, & vnum vel aduersus omnes satis esse. darent modò & consules, & primores patrum operam, vt, si minus omnes, aliquos tamen ex tribunis Reip. ex senatui conciliarent. Præceptis Appii moniti patres & vniuersi comiter ac benignè tribunos appellare: & consulares, vt cuiq; eorum priuatim aliquid iuris aduersus singulos erat, partim gratia, partim authoritate obtinuere: vt tribunitiæ potestatis vires salubres vellent Reip. esse. quatuórq; tribunorum aduersus vnum moratorem publici commodi auxilio delectum consules

Cassij Cos. mors.

Seditio domestica.

Volsci & Aequi uincuntur.

Aedes Castoris dedicatur.

Prodigia.

B

Vestalis damnata incesti.

Ciuẽ regere, quàm hostem superare difficilius.

habent.Inde ad Veiens bellum profecti,quo vndiq; ex Hetruria auxilia cōuenerant,non tam Veien- A
tium gratia concitata:quàm quòd in ſpem ventū erat,diſcordia inteſtina diſſolui rem Romanā poſſe.
principéſq; in omnium Hetruriæ populorum conciliis fremebāt:æternas opes eſſe Romanas,niſi in-
Seditio labes eſt ciuitatum.
ter ſemetipſos ſeditionibus ſæuiant.id vnum venenum,eam labem ciuitatibus opulentis repertam,vt
magna imperia mortalia eſſent.diu ſuſtentatum id malum,partim patrum conciliis, partim patientia
plebis,iam ad extrema veniſſe:duas ciuitates ex vna factas : ſuos cuique parti magiſtratus, ſuas leges
eſſe,primùm in delectibus ſæuire ſolitos,eoſdem in bello tamen paruiſſe ducibus. qualicunque vrbis
ſtatu,manente diſciplina militari,ſiſti potuiſſe.iam non parendi magiſtratibus morem in caſtra quoq;
Romanum militem ſequi.proximo bello in ipſa acie , in ipſo certamine conſenſu exercitus traditam
vltro victoriam victis Aequis:ſigna deſerta:imperatorem in acie relictum, iniuſſu in caſtra reditum.
profectò ſi inſtetur:ſuo milite vinci Romā poſſe.nihil aliud opus eſſe,quàm indici oſtendíq; bellum:
cætera ſua ſponte fata & deos geſturos.Hæ ſpes Hetruſcos armauerāt, multis inuicem caſibus victos
victoréſq;.C O S S.quoque Romani nihil præterea aliud,quàm ſuas vires,ſua arma horrebant : memo-
riáq; peſsimi proximo bello exempli terrebātur , ne rem cōmitterent eò,vbi duæ ſimul acies timēdæ
Tempus lenit iras.
eſſent.itaq; caſtris ſe tenebant,tam ancipiti periculo auerſi.diem,tempúſq; forſitan ipſum leniturum
iras, ſanitatémq; animis allaturū. Veiens hoſtis Hetruſcíſq; eo magis præpropere agere:laceſſere ad
pugnam primò obequitando caſtris,prouocandóq;:poſtremò vt nihil mouebant,quà conſules ipſos,
quà exercitum increpando.ſimulationem inteſtinæ diſcordiæ remedium timoris inuentum : & con-
ſules magis non confidere , quàm non credere ſuis militibus. nouum ſeditionis genus, ſilentium,
otiúmq; inter armatos.ad hæc in nouitatē generis,originíſq; quà falſa, quà vera iacere. Hæc cum ſub
ipſo vallo portíſq; ſtreperent,haud ægrè cōſules pati.ac imperitæ multitudini nunc indignatio, nunc
pudor pectora verſare,& ab inteſtinis auertere malis,nolle inultos hoſtes,nolle ſucceſſum,non patri-
bus,non conſulibus.externa & domeſtica odia certare in animis.tandem ſuperant externa , adeò ſu-
perbè inſolentérq; hoſtis eludebat.frequentes in prætorium conueniunt,poſcunt pugnam,poſtulant
vt ſignū detur.Conſules velut deliberabundi capita conferunt,diu colloquuntur.pugnare cupiebant,
ſed retrò reuocanda,& addenda cupiditas erat,vt aduerſando remorandóq; incitato ſemel militi ad-
Conſulum cunctatio.
derent impetum.Redditur reſpōſum,immaturam rem agi, nondum tempus pugnæ eſſe:caſtris ſe te-
nerent:edicunt inde,vt abſtineant pugna.ſi quis iniuſſu pugnauerit,vt in hoſtem animaduerſuros.ita
dimiſsis,quo minus cōſules velle credunt,creſcit ardor pugnandi.accendunt inſuper hoſtes ferocius
multo,vt ſtatuiſſe non pugnare conſules cognitum eſt.quippe impune ſe inſultaturos.non credi mi-
liti arma.rem ad vltimū ſeditionis erupturam,finémq; veniſſe Romano imperio. His freti occurſant
portis,ingerunt probra,ægrè abſtinent,quin caſtra oppugnant.Enimuero non vltra cōtumeliam pati B
Romanus poſſe.totis caſtris vndiq; ad conſules curritur.non iam ſenſim,vt antè,per centurionū prin
cipes poſtulant,ſed paſsim omnes clamoribus agunt.Matura res erat,tergiuerſatur tamen Fabius.de-
inde ad creſcentem tumultum,iam metu ſeditionis collega concedente,cùm ſilentium claſsico fecif-
ſet:Ego iſtos Cn.Manli poſſe vincere ſcio,velle ne ſcirem, ipſi fecerunt. itaq; certum atque decretum
eſt,non dare ſignum,niſi victores ſe redituros ex hac pugna iurent,conſulem Romanum miles ſemel
in acie fefellit,deos nunquam fallet.Centurio erat M.Flauoleius inter primores pugnæ flagitator. Vi-
ctor,inquit,M.Fabi reuertar ex acie.ſi fallat,Iouem patrem,Gradiuúmq; Martem, alióſq; iratos inuo-
Exercitus Romanus iurat ſe victorem pugna rediturum.
cat deos.Idem deinceps omnis exercitus in ſe quiſq; iurat. Iuratis datur ſignum, arma capiunt, eunt
in pugnam irarum ſpeiq; pleni.nunc iubent Hetruſcos probra iacere,nunc armatis ſibi quiſq; lingua
promptum hoſtem offerri.Omnium illo die,quà plebis,quà patrū eximia virtus fuit.Fabium nomen,
Fabia gens maximè enituit:multis ciuilibus certaminibus infenſos plebis animos illa pugna ſibi re-
conciliare ſtatuunt. inſtruitur acies. Nec Veiens hoſtis Hetruſcæq; legiones detrectant.propè certa
ſpes erat,nō magis ſecum pugnaturos,quàm pugnauerint cum Aequis.maius quoq; aliquod in tam
irritatis animis,& occaſione ancipiti,haud deſperādum eſſe facinus.res aliter longè euenit. nam non
alio antè bello infeſtior Romanus(adeò hinc cōtumeliis hoſtes,hinc conſules mora exacerbauerant)
prælium iniit.Vix explicandi ordinis ſpatium Hetruſcis fuit,cum pilis inter primam trepidationem
abiectis temerè magis quàm emiſsis pugna iam ad manus,iam ad gladios,vbi Mars eſt atrociſsimus,
venerat.Inter primores genus Fabium inſigne ſpectaculo exemplóq; ciuibus erat. ex his Q.Fabium
(tertio hic anno antè conſul fuerat)principem in confertos Veientes euntem ferox viribus & armo-
rum arte Thuſcus,incautum inter multas verſantem hoſtium manus,gladio per pectus trāſfigit.telo
extracto,præceps Fabius in vulnus abiit.Senſit vtraq; acies vnius viri caſum. cedebátq; inde Roma-
Conſulis ad milites hortatio.
nus:cum M.Fabius conſul tranſiliit iacentis corpus,obiectáq; parma,Hoc iuraſtis,inquit,milites?fu-
gientes vos in caſtra redituros?adeò ignauiſsimos hoſtes magis timetis,quàm Iouem,Martémq;,per
quos iuraſtis?at ego iuratus aut victor reuertar,aut prope te hic Q.Fabi dimicans cadam.conſuli tum
Cæſo Fabius prioris anni conſul,Verbíſne iſtis frater vt pugnent te impetraturum credis? dii impe-
trabunt,per quos iurauere.& nos,vt decet proceres,vt Fabio nomine eſt dignum,pugnando potius,
quàm adhortando accendamus militum animos.Sic in primum infeſtis haſtis prouolant duo Fabii,
totámq; mouerūt ſecum aciem.Prælio ex parte vna reſtituto,nihilo ſegnius in altero cornu Cn.Man-
Anceps pugna.
lius conſul pugnam ciebat.vbi propè ſimilis fortuna eſt verſata.nam vt altero in cornu Q.Fabium,ſic
in hoc ipſum conſulem Manlium iam velut fuſos agentem hoſtes,& impigrè milites ſecuti ſunt:& vt
ille graui vulnere ictus ex acie ceſsit,interfectū rati,gradum retulere:ceſsiſſéntq; loco, ni conſul alter
cum aliquot turmis equitum in eam partem citato equo aduectus, viuere clamitans collegam , ſe vi-
ctorem

A ctorem fuso altero cornu adesse, rem inclinatam sustinuisset. Manlius quoq; ad restituendam aciem se ipse coràm offert. duorum consulum cognita ora accendunt militum animos. simul & vanior iam erat hostium acies, dum abundante multitudine freti subtractã subsidia, mittunt ad castra oppugnanda. in quæ haud magno certamine impetu facto, dum prædæ magis quàm pugnæ memores tererent tempus: triarii Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant, missis ad consules nuntiis quo loco res essent, conglobati ad prætorium redeunt, & sua sponte prælium ipsi renouãt: & Manlius consul reuectus in castra ad omnes portas milite opposito hostibus viã clauserat. ea desperatio Thuscis rabiem magis quàm audaciam accendit. nam cum incursantes quacunq; exitum ostenderet spes, vano aliquoties impetu issent: globus iuuenum vnus in ipsum consulem insignem armis inuadit. prima excepta à circunstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. consul mortifero vulnere ictus cadit, fusique circa omnes. Thuscis crescit audacia. Romanos terror per tota castra trepidos agit. & ad extrema ventum foret, ni legati rapto consulis corpore patefecissent vna porta hostibus viam. ea erumpunt, consternatóq; agmine abeuntes in victorem alterum incidunt consulem. ibi iterum cæsi, fusiq; passim. Victoria egregiè parta, tristis tamen duobus tam claris funeribus. Itaque consul, decernente senatu triumphum, si exercitus sine imperatore triumphare possit, pro eximia eo bello opera facilè passurum respõdit: se familia funesta Q. Fabii fratris morte, Rep. ex parte orba consule altero amisso, publico priuatóq; deformem luctu lauream non accepturum. Omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit. adeò spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. Funera deinde duo deinceps, collegæ fratrísq; ducit. idem in vtroq; laudator, cum cõcedendo illis suas laudes, ipse maximam partem earum ferret. neque immemor eius, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis, saucios milites curandos diuidit patribus. Fabiis plurimi dati: nec alibi maiore cura habiti. inde populares iam esse Fabii: nec hoc vlla, nisi salubri Reipublicæ arte. Igitur nõ patrũ magis quàm plebis studiis Cæso Fabius cum T. Virginio consul factus, neq; bella, neq; delectus, neq; vllam aliam priorem curam agere, quàm vt iam aliqua ex parte inchoata concordiæ spe primo quoque tempore cum patribus coalescerent animi plebis. Itaque principio anni censuit, priusquam quisquam agrariæ legis author tribunus existeret, occuparent patres ipsi suum munus facere: captiuum agrum plebi quàmmaximè æqualiter darent. æquum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. aspernati patres sunt: questi quoq; quidam, nimia gloria luxuriare & euanescere viuidum quondam illud Cæsonis ingenium. nullæ deinde vrbanæ factiones fuere. Vexabantur incursionibus Aequorum Latini. eò cum exercitu Cæso missus, in ipsorum Aequorum agrum depopulandum transit. Aequi se in oppida receperunt, murísq; se tenebant. eo nulla pugna memorabilis fuit. At à Veiente hoste clades

B accepta temeritate alterius consulis. actũmque de exercitu foret, ni Cæso Fabius in tempore subsidio venisset. Ex eo tempore, neq; pax, neq; bellum cum Veientibus fuit. res proximè formam latrocinii venerat. legionibus Romanis cedebant in vrbem: vbi abductas senserant legiones, agros incursabãt, bellum quietem, quietem bello inuicem eludentes. ita neq; omitti tota res, neque perfici poterat. & alia bella aut præsentia instabant, vt ab Aequis Volscísq;, non diutius, quàm recens dolor proximæ cladis trãsisset, quiescẽtibus: aut mox moturos se apparebat Sabinos semper infestos, Hetruriámq; omnem. sed Veiens hostis assiduus magis quàm grauis, contumeliis sæpius quàm periculo animos agitabat: quod nullo tempore negligi poterat, aut auerti aliò sinebat. Tum Fabia gens senatum adit. consul pro gente loquitur: Assiduo magis quàm magno præsidio, vt scitis patres conscripti, bellum Veiens eget. vos alia bella curate: Fabios hostes Veientibus date. authores sumus, tutam ibi maiestatem Romani nominis fore. nostrum id nobis velut familiare bellum priuato sumptu gerere in animo est. Respub. & milite illic, & pecunia vacet. Gratiæ ingentes actæ. Consul è curia egressus comitãte Fabiorũ agmine, qui in vestibulo curiæ senatusconsultum expectantes steterant, domum rediit. iussi armati postero die ad limen cõsulis adesse, domos inde discedunt. Manat tota vrbe rumor: Fabios ad cælum laudibus ferunt, familiam vnam subiisse ciuitatis onus: Veiens bellum in priuatam curam, in priuata arma versum. si sint duæ roboris eiusdem in vrbe gentes: deposcant, hæc Volscos sibi, illa Aequos: populo Romano tranquillam pacem agente, omnes finitimos subigi populos posse. Fabii postera die arma capiunt: quò iussi erant, conueniunt. Consul paludatus egrediens in vestibulo gentem omnem suam instructo agmine videt: acceptus in medium signa ferri iubet. nunquam exercitus neq; minor numero, neque clarior fama & admiratione hominum per vrbem incessit. Sex & c c c milites, omnes patritii, omnes vnius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus, ibant vnius familiæ viribus Veienti populo pestem minitantes. sequebatur turba, propria alia cognatorum sodaliũmq;, nihil medium, nec spem, nec curam, sed immensa omnia voluentiũ animo: alia publica solicitudine excitata, fauore & admiratione stupens. ire fortes, ire felices iubent: inceptis euentus pares reddere: cõsulatus inde ac triumphos, omnia præmia ab se, omnes honores sperare. Prætereuntibus Capitoliũ arcémq; & alia templa, quicquid deorũ oculis, quicquid animo occurrit, precantur vt illud agmen faustum atq; felix mittant: sospites breui in patriã ad parentes restituãt. Incassum missæ preces. infelici via à dextro Iano portæ Carmentalis profecti, ad Cremeram flumen perueniũt. is opportunus visus locus cõmuniendo præsidio. L. Aemylius inde, & C. Seruilius c o s. facti. & donec nil aliud quàm in populationibus res fuit: nõ ad præsidium modò tutandum Fabii satis erant, sed tota regione, qua Thuscus ager Romano adiacet, sua tuta omnia, infesta hostiũ, vagantes per vtrunq; finem fecere. Interuallum deinde haud magnum populationibus fuit: dum & Veientes accito ex Hetruria exercitu præsidium Cremeræ oppugnant: & Romanæ legiones ab L. Aemylio c o s. adductæ

Triarij Romani.

Consul Manlius interficitur.

Funduntur hostes.

Triumphũ recusat Fabius Cos.

Fabia gens bellũ in Veientes sibi deposcit.

Trecẽti sex ex Fabia gẽte milites, patritij omnes

cominus cum Hetruſcis dimicant acie.quanquam vix dirigẽdi aciem ſpatium Veientibus fuit.adeò A
inter primam trepidationem,dum poſt ſigna ordines introeunt, ſubſidiáq; locant, inuecta ſubitò ab
Fuſi Hetruſci pacẽ ſupplices petũt.
latere Romana equitum ala,non pugnæ modò incipiendæ,ſed cõſiſtendi ademit locum. ita fuſi retrò
ad ſaxa Rubra(ibi caſtra habebant)pacem ſupplices petunt.cuius impetratæ ab inſita animis leuitate
ante deductum Cremera Romanum præſidium pœnituit.rurſus cum Fabiis erat Veienti populo ſine
vllo maioris belli apparatu certamen.nec erant incurſiones modò in agros,aut ſubiti impetus incur-
ſantium,ſed aliquoties æquo campo,collatíſq; ſignis certatum:génſq; vna populi Rom. ſæpe ex opu-
lentiſsima,vt tum res erant,Hetruſca ciuitate victoriam tulit.id primò acerbum indignúmq; Veien-
tibus viſum.inde cõſilium ex re natum,inſidiis ferocem hoſtem captandi : gaudere etiam multo ſuc-
ceſſu Fabiis audaciam creſcere.itaq; & pecora prædantibus aliquoties velut caſu incidiſſent,obuiam
acta:& agreſtium fuga vaſti relicti agri:& ſubſidia armatorũ ad arcendas populationes miſſa, ſæpius
Nimia Fabiorũ de ſua virtute fiducia.
ſimulato quàm vero pauore refugerunt.Iámq; Fabii adeò cõtempſerant hoſtem,vt ſua inuicta arma
neq; loco,neq; tempore vllo crederent ſuſtineri poſſe.hæc ſpes adeò prouexit, vt ad cõſpecta procul
à Cremera magno campi interuallo pecora quanquã rara hoſtium apparebant arma , decurrerent.&
cum improuidi effuſo curſu inſidias circa ipſum iter locatas ſuperaſſent,palatíq; paſsim vaga, vt fit
pauore iniecto raperent pecora,ſubitò ex inſidiis cõſurgitur.& aduerſi & vndiq; hoſtes erant.primò
clamor circumlatus exterruit, dein tela ab omni parte accidebant.coeũtibuſque Hetruſcis,iam cõ-
tinenti agmine armatorũ ſepti,quo magis ſe hoſtis inferebat,cogebãtur breuiore ſpatio & ipſi orbem
colligere.quæ res & paucitatem eorũ inſignem,& multitudinem Hetruſcorum,multiplicatis in arcto
ordinibus,faciebat.tum omiſſa pugna quam in omnes partes parem intenderant, in vnum locum ſe
omnes inclinant.eò nixi corporibus armíſq; rupere cuneo viam.duxit via in editum leniter collem.
inde primò reſtitere:mox vt reſpirandi ſuperior locus ſpatiũ dedit, recipiendíq; à pauore tanto ani-
mum,pepulere etiã ſubeuntes:vincebátq; auxilio loci paucitas,ni iugo circummiſſus Veiens, in ver-
Fabii cæſi ad vnũ omnes.
ticem collis euaſiſſet.ita ſuperior rurſus hoſtis factus:Fabii cæſi ad vnum omnes, præſidiúmq; expu-
gnatum.CCCVI periſſe ſatis cõuenit.vnum propè puberem ætate relictum,ſtirpem genti Fabiæ du-
biíſq; rebus populi Rom.ſæpe domi belliq; vel maximum futurũ auxilium.Cum hæc accepta clades
Aduerſus Thuſcos male pugnatũ.
eſſet,iam C.Horatius & T.Menenius COSS.erant.Menenius aduerſus Thuſcos victoria elatos con-
feſtim miſſus.tum quoq; malè pugnatum eſt.& Ianiculum hoſtes occupauere : obſeſſáq; vrbs foret,
ſuper bellum annona premente(tranſierant enim Hetruſci Tyberim)ni Horatius COS.ex Volſcis eſ-
ſet reuocatus.adeóq; id bellum ipſis inſtitit mœnibus , vt primò pugnatum ad Spei ſit æquo marte,
iterum ad portam Collinam.ibi quanquam paruo momento ſuperior Romana res fuit,meliorem ta-
men militem recepto priſtino animo in futura prælia id certamen fecit. A.Virginius & Sp.Seruilius B
COSS.fiunt.poſt acceptam proximam pugnæ cladem Veientes abſtinuere acie.populationes erant,
& velut ab arce Ianiculi paſsim in Romanum agrum impetus dabant.non vſquam pecora tuta , non
agreſtes erant.capti deinde eadem arte ſunt,qua ceperant Fabios.Secuti dedita opera paſsim ad ille-
cebras propulſa pecora præcipitauere in inſidias. quo plures erant , maior cædes fuit. ex hac clade
atrox ira maioris cladis cauſa atq; initiũ fuit. traiecto enim nocte Tyberi,caſtra Seruilii COS. adorti
ſunt oppugnare.inde fuſi magna cæde,in Ianiculum ſe ægrè receperũt.Confeſtim cõſul & ipſe tranſit
Tyberim,caſtra ſub Ianiculo communit. poſtero die luce orta,nonnihil & heſterna felicitate pugnæ
ferox:magis tamen,quòd inopia frumenti,quamuis in præcipitia,dum celeriora eſſent,agebat conſi-
lia.temerè aduerſo Ianiculo ad caſtra hoſtium aciem erexit.fœdiúſq; inde pulſus quàm pridie pepu-
Hetruſci occidione occiſi.
lerat,interuentu collegæ ipſe exercitúſq; eſt ſeruatus.inter duas acies Hetruſci,cum inuicem his atq;
illis terga darent , occidione occiſi. Ita oppreſſum temeritate felici Veiens bellum. Vrbi cum pace
laxior etiam annona rediit,& aduecto ex Campania frumento,& poſtquam timor ſibi cuique futuræ
inopiæ abiit,eo quod abditũ fuerat,prolato.Ex copia deinde otióq; laſciuire rurſus animi : & priſtina
mala poſtquam foris deerant,domi quærere.tribuni plebem agitare ſuo veneno, agraria lege:in reſi-
ſtentes incitare patres,nec in vniuerſos modò, ſed in ſingulos. Q.Conſidius & T.Genutius authores
Tribunorũ de lege agraria contentio.
agrariæ legis T.Menenio diem dicunt. inuidiæ erat amiſſum Cremeræ præſidium , cum haud procul
inde ſtatiua conſul habuiſſet.eam oppreſsit : cum & patres haud minus quàm pro Coriolano annixi
eſſent,& patris Agrippæ fauor haud dum exoleuiſſet.In mulcta temperarunt tribuni:cum capitis an-
quiſiſſent,duo millia æris damnato mulctam edixerunt.ea in caput vertit.negant tuliſſe ignominiam :
ægritudinéq; inde morbo aſſumptum eſſe. Alius deinde reus Sp.Seruilius,vt conſulatu abiit,C.Nau-
Tribunis fortiter reſtitit Sp.Seruilius.
tio & P.Valerio COSS.initio ſtatim anni ab L.Ceditio & T.Statio trib.die dicta,nõ vt Menenius pre-
cibus ſuis aut patrum,ſed cum multa fiducia innocentiæ gratiæque tribunitios impetus tulit. & huic
prælium cum Thuſcis ad Ianiculum erat crimini.ſed feruidi animi vir vt in publico periculo antè,ſic
tum in ſuo,non tribunos modò,ſed plebem oratione feroci refutando , exprobrandóque T.Menenii
damnationẽ mortémq;(cuius patris munere reſtituta quondam plebs , eos ipſos quibus tum ſæuiret
magiſtratus,eas leges haberet)periculum audacia diſcuſsit.iuuit & Virginius collega teſtis produ-
ctus, participando laudes:magis tamen Menenianum (adeò mutauerant animum) profuit iudicium.
Veiens bellum.
Certamine domi finito,Veiens bellum exortum,quibus Sabini arma coniunxerant. P.Valerius COS.
accitis Latinorum Hernicorúmq; auxiliis,cum exercitu Veios miſſus,caſtra Sabina,quæ pro mœni-
bus ſociorum locata erant,cõfeſtim aggreditur:tantámq; trepidationem iniecit,vt dum diſperſi, alii
alia manipulatim excurrunt ad arcendam hoſtiũ vim,ea porta cui ſigna primùm intulerat caperetur.
Intra vallum deinde cædes magis quàm præliũ eſſe.tumultus è caſtris & in vrbem penetrat.tanquam
Veiis

A Veiis captis, ita pauidi Veientes ad arma currunt. pars Sabinis eunt subsidio, pars Romanos toto impetu intentos in castra adoriuntur. paulisper auersi turbatíque sunt. deinde & ipsi vtroq; versis signis resistunt: & eques ab consule immissus Thuscos fundit fugátque. eadémq; hora duo exercitus duæq; potentissimæ & maximæ finitimæ gentes superatæ sunt. Dum hæc ad Veios geruntur, Volsci Aequique in Latino agro posuerant castra, populatíq; fines erant. eos per se ipsi Latini assumptis Hernicis sine Romano aut duce, aut auxilio castris exuerunt. ingenti præda præter suas recuperatas res potiti sunt. missus tamen ab Roma consul in Volscos C. Nautius. mos credo non placebat, sine Romano duce exercitúque socios propriis viribus consiliísque bella gerere. nullum genus calamitatis contumeliæq; non editum in Volscos est: nec tamen perpelli potuere, vt acie dimicarent. L. Furius inde & C. Manlius coss. Manlio Veientes prouincia euenit. non tamen bellatum. induciæ in annos XL. petentibus datæ, frumento stipendióq; imperato. Paci externæ confestim continuatur discordia domi. agrariæ legis tribunitiis stimulis plebs furebat. consules nihil Menenii damnatione, nihil periculo deterriti Seruilii, summa vi resistunt. abeuntes magistratu consules Genutius Trib. pleb. arripuit. L. Aemylius & Opiter Virginius consulatum ineunt. Vopiscum Iulium in quibusdam pro Virginio annalibus consulem inuenio. Hoc anno, quoscunq; consules habuit, rei ad populum Furius & Manlius circumeunt sordidati non plebem magis quàm iuniores patrum. suadent, monent, honoribus & administratione Reipub. abstineant. consulares verò fasces, prætextam curulémq; sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent. claris insignibus velut infulis velatos ad mortem destinari. quòd si consulatus tanta dulcedo sit, iam nunc ita animum inducant: consulatum captum & oppressum ab tribunitia potestate esse. consuli velut apparitori tribunitio omnia ad nutum imperiúmque tribuni agenda esse. si se commouerit, si respexerit patres, si aliud quàm plebem esse in Repub. crediderit: exilium Cn. Martii, Menenii damnationem & mortem sibi proponat ante oculos. His accensi vocibus patres, consilia inde non publica, sed in priuato, seductáq; à plurium conscientia habuere. vbi cum id modò constaret, iure an iniuria eripiendos esse reos, atrocissima quæque maximè placebat sententia: nec author quamuis audaci facinori deerat. Igitur iudicii die, cum plebs in foro erecta expectatione staret, mirari primò quòd non descenderet tribunus: deinde cum iam mora suspectior fieret, deterritum à primoribus credere, & desertam ac proditam causam publicam queri. tandem qui obuersati vestibulo tribuni fuerant, nunciant domi mortuum esse inuentum. quod vbi in totam concionem pertulit rumor: sicut acies funditur duce occiso, ita dilapsi passim alii aliò. præcipuus pauor tribunos inuaserat, quàm nihil auxilii sacratæ leges haberent, morte collegæ monitos. Nec patres satis moderatè ferre lætitiam. adeóque neminem noxæ pœnitebat, vt etiam insontes fecisse videri vellent, palámque ferretur, malo

Veientes & Sabini superantur.

Induciæ Veientibus in annos 40. datæ.

Furius & Manlius cõsulares, rei ad populũ.

Tribunus domi suæ occiditur.

B domandam tribunitiam potestatẽ. Sub hac pessimi exempli victoria delectus edicitur, pauentibúsq; tribunis sine intercessione vlla consules rem peragunt. Tum verò irasci plebs tribunorum magis silentio, quàm consulum imperio: & dicere, actum esse de libertate sua: rursus ad antiqua reditum, cum Genutio vnà mortuam ac sepultam tribunitiã potestatem: aliud agendum, ac cogitandum quo modo resistatur patribus. id autem vnum consilium esse, vt se ipsa plebs, quando aliud nihil auxilii habeat, defendat. quatuor & viginti lictores apparere consulibus, & eos ipsos plebis homines, nihil contemptius, neque infirmius, si sint qui contemnant. sibi quenque ea magna atque horrenda facere. His vocibus alii alios cum incitassent, ad Voleronem Publium de plebe hominẽ, quia quòd ordines duxisset, negaret se militem fieri debere, lictor missus est à cõsulibus. Volero appellat tribunos. cum auxilio nemo esset, consules spoliari hominem, & virgas expediri iubent. Prouoco, inquit ad populum, Volero, quoniam tribuni ciuem Romanum in conspectu suo virgis cædi malunt, quàm ipsi in lecto suo à vobis trucidari. quo ferocius clamitabat, eo infestius circunscindere & spoliare lictor. Tum Volero & præualens ipse, & adiuuãtibus aduocatis repulso lictore, vbi indignantiũ pro se acerrimus erat clamor, eò se in turbam confertissimã recipit clamitans, Prouoco & fidem plebis imploro. adeste ciues, adeste cõmilitones, nihil est quòd expectetis tribunos, quibus ipsis vestro auxilio opus est. Concitati homines veluti ad prœliũ se expediunt: apparebátq; omne discrimen adesse, nihil cuiquã sanctũ non publici fore, non priuati iuris. Huic tantæ tempestati cum se consules obtulissent, facilè experti sunt, parum tutam maiestatem sine viribus esse. violatis lictoribus, fascibus fractis è foro in curiam compelluntur, incerti quatenus Volero exerceret victoriam. Conticescente deinde tumultu, cum senatum vocari iussissent, queruntur iniurias suas, vim plebis, Voleronis audaciam. Multis ferociter dictis sententiis, vicere seniores, quibus ira patrum aduersus temeritatẽ plebis certari non placuit. Voleronem amplexa fauore plebs, proximis comitiis tribunum plebis creat in eum annum, qui L. Pinarium, P. Furium coss. habuit. contráq; omnium opinionem, qui eum vexandis prioris anni consulibus administraturum tribunatum credebãt, post publicam causam priuato dolore habito, ne verbo quidem violatis consulibus rogationem tulit ad populum, vt plebeii magistratus tributis comitiis fierent. Haud parua res sub titulo prima specie minimè atroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret. Huic actioni gratissimæ plebi cum summa vi resisterent patres: nec quæ vna vis ad resistendum erat, vt intercederet aliquis ex collegio, authoritate aut consulum, aut principum adduci posset: res tamen suo ipsa molimine grauis certaminibus in annum extrahitur. Plebs Voleronem trib. reficit. patres ad vltimum dimicationis rati rem venturam, Ap. Claudium Appii filium, iam inde à paternis certaminibus inuisum infestúmque plebi, cõsulem faciunt. collega ei T. Quintius datur. Principio statim anni nihil prius quàm de lege agebatur. sed vt inuentor legis Volero, sic Lectorius collega eius author tum recentior, tum

Plebis indignatio & tumultus.

Parum tuta est sine viribus maiestas

acrior erat. ferocem faciebat belli gloria ingẽs, quòd ætatis huius haud quiſquã manu promptior erat. A
is cum Volero nihil præterquàm de lege loqueretur, inſectatione abſtinens C O S S. ipſe in accuſationem Appii familiæq; ſuperbiſsimæ, ac crudeliſsimæ in plebem Ro. exorſus, cum à patribus nõ C O S. ſed carnificem ad vexandam & lacerandam plebem creatum eſſe contenderet, rudis in militari homine lingua non ſuppetebat libertati animóq;. itaq; deficiente oratione, Quandoquidẽ nõ tam facilè loquor, inquit, Quirites, quàm quod locutus ſum præſto. craſtino die adeſte. ego hic aut in conſpectu veſtro moriar, aut perferam legem. Occupant tribuni templum poſtero die. conſules nobilitáſque ad impediendam legem in concione cõſiſtunt. ſummoueri Lectorius iubet, præterquàm qui ſuffragium ineant. adoleſcentes nobiles ſtabant, nihil credentes viatori. tum ex his prehendi quoſdam Lectorius

Contentio inter Coſ. & Tribunum.

iubet. Conſul Appius negare, ius eſſe tribuno in quenquam, niſi in plebeium: nõ enim populi, ſed plebis eum magiſtratum eſſe: nec illum ipſum ſummouere pro imperio poſſe more maiorũ, quia ita dicatur: Si vobis videtur, diſcedite Quirites. Facilè & contemptim de iure diſſerendo perturbare Lecto

Tribunus ad conſulẽ, cõſul ad Tribunum lictorẽ mittit.

rium poterat. ardens igitur ira tribunus, viatorem mittit ad conſulem: conſul lictorem ad tribunum, priuatum eſſe clamitans, ſine imperio, ſine magiſtratu. violatúſque eſſet tribunus, ni & concio omnis atrox coorta pro tribuno in conſulem eſſet: & concurſus hominum in forum ex tota vrbe concitatæ multitudinis fieret. ſuſtinebat tamen Appius pertinacia tantam tempeſtatem: certatúmque haud incruento prælio foret, ni Quintius C O S. alter conſularibus negotio dato, vt collegam vi, ſi aliter non poſſent, de foro abducerent, ipſe nunc plebem ſæuientem precibus leniſſet: nunc oraſſet tribunos, vt concilium dimitterent: darent iræ ſpatium, non vim ſuam illis tempus adempturum, ſed cõſilium viribus additurum: & patres in populi, & conſulem in patrum fore poteſtate. Aegrè ſedata ab Quintio plebs, multo ægrius conſul alter à patribus. Dimiſſo tandem concilio plebis, ſenatum cõſules habent. vbi cum timor atq; ira inuicem ſententias variaſſent, quo magis ſpatio interpoſito ab impetu ad conſultandum aduocabantur, eo plus abhorrebant à certatione animi: adeò vt Quintio gratias agerent, quòd eius opera mitigata diſcordia eſſet. ab Appio petitur, vt tantam cõſularem maieſtatem eſſe vellet, quanta in concordi ciuitate eſſe poſſet. dum tribuni conſuléſq; ad ſe quiſq; omnia trahant, nihil relictum eſſe virium in medio. diſtractam laceratámq; Rempub. per magiſtratus, magis quorũ in manu ſit, quàm vt incolumis ſit, quæri. Appius cõtrà, teſtari deos atq; homines, Rempub. prodi per metum ac deſeri: non conſulem ſenatui, ſed ſenatũ conſuli deeſſe: grauiores accipi leges, quàm in Sacro mon-

Tributis comitijs tũ primùm creati Tribuni.

te acceptæ ſint. victus tamen patrum conſenſu quieuit. lex ſilentio perfertur. Tum primùm tributis comitiis creati tribuni ſunt: numero etiã additos tres, perinde ac duo antè fuerint, Piſo author eſt. nominat quoq; tribunos, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium. Volſci Aequiq; inter ſeditionem Romanam & bellum coortum, vaſtauerant agros, vt ſi qua ſeceſsio plebis B

In Volſcos & Aequos mittuntur Coſſ.

fieret, ad ſe receptum haberent. cõpoſitis deinde rebus, caſtra retrò mouere. Ap. Claudius in Volſcos miſſus. Quintio Aequi prouincia euenit. Eadem in militia ſæuitia Appii, quæ domi eſſe, eo liberior, quòd ſine tribunitiis vinculis erat. odiſſe plebem plus quàm paterno odio, quòd ſe victum videbat ab

Appij Coſ. ſeuitia.

ea. ſe vnico conſule obiecto aduerſus tribunitiam poteſtatem, perlatam legem eſſe, quam minore conatu nequaquam tanta patrum ſpe, priores impedierant conſules. Hæc ira indignatióq; ferocem animum ad vexandum ſæuo imperio exercitũ ſtimulabat. nec vlla vi domari poterat, tantum certamen animis imbiberant. ſegniter, otioſè, negligenter, contumaciter omnia agere. nec pudor, nec metus coërcebat. ſi citius agi vellet agmen, tardius ſedulò incedere. ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motam remittere induſtriam. præſenti vultus demittere, tacitè prætereuntem execrari: vt inuictus ille odio plebeio animus interdum moueretur, omni nequicquã acerbitate prompta: nihil iam cum militibus ageret, à centurionibus corruptum exercitũ diceret: tribunos plebei, cauillans interdum & Volerones vocaret. Nihil eorũ Volſci neſciebant: inſtabántq; eo magis ſperantes idem certamen animorũ aduerſus Appium habiturũ exercitum Romanũ, quod aduerſus Fabiũ C O S. habuiſſet. cæterum multo Appio quàm Fabio violentior fuit: non enim vincere tantũ noluit, vt Fabianus exercitus, ſed vinci voluit. productus in aciem, turpi fuga petit caſtra: nec ante reſtitit, quàm ſigna inferẽ-

Appianus exercitus odio ducis uinci uoluit

tem Volſcũ munimentis vidit, fœdámq; extremi agminis cædem. tum expreſſa vis ad pugnãdum, vt victor iam à vallo ſummoueretur hoſtis: ſatis tamẽ appareret, capi tantũ caſtra militem Romanũ noluiſſe. alii gaudere ſua clade atq; ignominia. Quibus nihil infractus ferox Appii animus, cum inſuper ſæuire vellet, cõcionémq; aduocaret: concurrunt ad eum legati tribuníq; monentes, ne vtiq; experiri vellet imperiũ, cuius vis omnis in cõſenſu obedientiũ eſſet. negare vulgò milites ſe ad concionẽ ituros. paſsímq; exaudiri voces poſtulantiũ, vt caſtra ex Volſco agro moueantur: hoſtem victorẽ paulo antè propè in portis ac vallo fuiſſe, ingentíſq; mali non ſuſpicionẽ modò, ſed apertam ſpeciem obuerſari ante oculos. Victus tandem (quandoquidem nihil præter tempus noxæ lucrarentur) remiſſa concione iter in ſequentem diem pronuntiari cum iuſsiſſet, prima luce claſsico ſignum profectionis de-

Romanus exercitus in fugam uertitur.

dit. Cùm maximè agmen è caſtris explicaretur, Volſci vt eodem ſigno excitati, nouiſsimos adoriuntur. à quibus perlatus ad primos tumultus, eo pauore ſignáque & ordines turbauit, vt neque imperia exaudiri, neq; inſtrui acies poſſent. nemo vllius niſi fugæ memor: ita effuſo agmine per ſtragem corporũ armorúmq; euaſere, vt prius hoſtis deſiſteret ſequi, quàm Romanus fugere. Tandẽ collectis ex

Appius Cõſul animaduertit in exercitum.

diſsipato curſu militibus, cõſul cùm reuocãdo nequicquã ſuos perſecutus eſſet, in pacato agro caſtra poſuit. aduocatáq; concione, inuectus haud falſò in proditorem exercitũ militaris diſciplinæ, deſertorem ſignorũ, vbi ſigna, vbi arma eſſent, ſingulos rogitans, inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos, ad hoc centuriones duplicarióſque qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſsit. cætera multi-

tudo

A tudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Contra ea in Aequis inter consulem ac militem comitate ac beneficiis certatum est. & natura Quintius erat lenior, & sæuitia infelix collegæ quo is magis gauderet ingenio suo, effecerat. Huic tantæ concordiæ ducis exercitúsque non ausi offerre se Aequi, vagari populabundum hostem per agros passi. nec vllo antè bello latius inde actæ prædæ. ea omnis militi data est. addebantur & laudes, quibus haud minus quàm præmio gaudent militum animi. Tum duci, tum propter ducem patribus quoque placatior exercitus rediit: sibi parentem, alteri exercitui dominum datum ab senatu memorans. Varia fortuna belli, atroci discordia, domi forísque annum exactum, insignem maximè comitia tributa efficiunt: res maior victoria suscepti certaminis quàm vsu. plus enim dignitatis comitiis ipsis detractũ est, patribos ex concilio summouendis, quàm virium aut plebi additum, aut demptum patribus. Turbulentior inde annus excepit, L. Valerio, T. Aemylio cos. tum propter certamina ordinum de lege agraria: tum propter iudiciũ Ap. Claudii. cui acerrimo aduersario legis, caosámque possessorum publici agri, tanquam tertio consuli sustinenti M. Duellius & Cn. Siccius diem dixere. Nunquam antè tam inuisus plebi reus ad iudicium vocatus populi est, plenos soarum, plenus paternarum irarum. patres quoque noo temere pro vllo æquè annixi sunt: propugnatorem senatus, maiestatísq; vindicem suæ ad omnes tribunitios, plebeiósq; oppositũ tumultus, modũ duntaxat in certamine egressum, obiici iratæ plebi. Vnus è patribus ipse Ap. Claudius & tribunos & plebem & suum iudicium pro nihilo habebat. illum non minæ plebis, non senatus preces perpellere vnquam potuere, non modò vt vestem mutaret, aut supplex prehensaret homines, sed ne vt ex consueta quidem asperitate orationis, cum ad populum agenda causa esset, aliquid leniret atque summiteret. idem habitus oris, eadem contumacia in vultu, idem in oratione spiritus erat: adeò vt magna pars plebis Appium nõ minus reum timeret, quàm consulẽ timuerat, semel causam dixit, quo semper agere omnia solitus erat, accusatorio spiritu: adeóque constantia sua & tribunos obstupefecit & plebẽ, vt diem ipsi sua voluntate producerent: trahi deinde rem sinerent. haud ita multũ interim tẽporis fuit: antè tamẽ quàm prædicta dies veniret, morbo moritur. cuius laudationẽ cum tribuni plebis impedire conarẽtur, plebs fraudari solẽni honore supremom diem tanti viri noluit: & laudationẽ tam æquis auribus mortui audiuit, quàm viui accusationem audierat, & exequias frequens celebrauit. Eodem anoo Valerius cos. cum exercitu in Aequos profectus, cum hostem ad præliũ elicere non posset, castra oppugnare est adortus. prohibuit fœda tempestas, cum grandine ac tonitribus cælo deiecta. admirationem deinde auxit, signo receptui dato, adeò tranqoilla serenitas reddita, vt velut numine aliquo defensa castra oppugnare iterum, religio fuerit. omnis ira belli ad populationem agri vertit. Alter consul Aemylius in Sabinis bellum gessit. & ibi, quia hostis mœnibus se tenebat, vastati agri

B sunt. Incendiis deinde non villarum modò, sed etiam vicorum, quibus frequenter habitabatur, Sabini exciti cum prædatoribos occurrissent, ancipiti prælio digressi, postero die retulere castra in tutiora loca. id satis consuli visum, cur pro victo relinqueret hostem, integro inde decedens bello. Inter hæc bella manẽte discordia domi, T. Numitius Priscus, A. Virginius cos. facti. Nõ vltra videbatur latura plebs dilationem agrariæ legis, vltimáque vis parabatur, cum Volscos adesse, fumo ex incendiis villarum, fugáque agrestium cognitũ est. ea res maturam iam seditionem, ac propè erumpentem repressit. Consules coacti extemplo ab senatu ab bellum. educta ex vrbe iuuentute, tranquilliorem cæteram plebem fecerunt. Et hostes quidem nihil aliud, quàm perfusis vano timore Romanis, citato agmine abeunt. Numitins Antium aduersus Volscos, Virginius contra Aequos profectus. ibi ex insidiis propè magna accepta clade, virtus militum rem prolapsam negligentia consulis restituit. Melius in Volscis imperatum est. fusi primo prælio hostes, fugáque in vrbem Antium, vt tum res erant, opulentissimam acti. quam consul oppugnare non ausus, Cenonem aliud oppidum nequaquam tam opulentum ab Antiatibus cepit. Dum Aequi Volscíque Romanos exercitus tenent, Sabini vsque ad portas vrbis populantes incessere. deinde ipsi paucis pòst diebos à duobus exercitibus, vtroque per iram, consule ingresso in fines, plus cladium quàm intulerant, acceperunt. Extremo anno pacis aliquid fuit: sed, vt semper aliàs, solicitæ certamine patrum & plebis. Irata plebs interesse consularibus comitiis noluit, per patres clientésque patrum consules creati, T. Quintius & Q. Seruilius. similem annum priori consules habent, seditiosa initia, bello deinde externo tranquilla. Sabini Crustuminos campos citato agmine transgressi, com cædes & incendium circum Anieoem flumen fecissent, à porta propè Collina mœnibúsque pulsi, ingentes tamen prædas hominum pecorúmque egẽre. quos Seruilius cos. infesto exercitu insecutus, ipsum quidem agmen adipisci æquis locis non potuit: populationem adeò effuse fecit, vt nihil bello intactum relinqueret, multiplicíque capta præda rediret. Et in Volscis respublica egregiè gesta, tum ducis, tum militum opera. Primùm æquo campo signis collatis pugnatum, ingenti cæde vtrinque, plurimo sanguioe. Et Romani, quia paucitas damno sentiendo propior erat, gradum retulissent, ni salubri mendacio consul fugere hostes ab cornu altero clamitans concitasset aciem. impetu facto, dum se putant vincere, vicẽre. Consul metuens, ne nimis instando renouaret certamen, signum receptui dedit. Intercessere pauci dies, velut tacitis induciis vtrinque quiete sumpta: per quos ingens vis hominum ex omnibus Volscis Aequísque populis in castra venit, haud dubitãs, si senserint, Romanos nocte abituros. itaque tertia ferè vigilia ad castra oppugnanda veniũt. Quintius sedato tumultu, quem terror subitus excierat, cum manere in tentoriis quietum militem iussisset, Hernicorum cohortem in stationem educit: cornicines tubicinésque in equos impositos, canere ante vallum iubet, solicitúmque hostem ad lucem tenere. reliquum noctis adeò tranquilla omnia in castris fuere, vt somni quoq; Romanis copia esset. Volscos species armatorum peditum, quos & plures

Mite Quintij Cos. ingenium.

Appio dies dicitur.

Appij ad populũ rei constantia.

Appius morbo moritur.

Prodigium.

Volscorum irruptio.

Ab Aequis clades accepta.

Volsci fusi sunt.

Sabini ad portas urbis usque grassantur.

Irata plebs cõsularibus comitijs nõ interfuit.

Cũ Volscis feliciter pugnatum.

Quintii cõsulis insigne stratagema.

esse & Romanos putabant: fremitus hinnitúsque equorum, qui & insueto sedente equite, & insuper aures agitante sonitu, sæuiebant: intentos velut ad impetum hostium tenuit. Vbi illuxit, Romanus integer satiatúsque somno, productus in aciem, fessum stando & vigiliis Volscum primo impetu perculit. quanquam cessere magis, quàm pulsi hostes sunt: quia à tergo erant cliui, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. Consul vbi ad iniquum locum ventum est, sistit aciem. miles ægrè teneri, clamare & poscere, vt perculsis instare liceat. ferocius agunt equites circumfusi ducibus: vociferantur se ante signa ituros. Dum cunctatur consul virtute militum fretus, loco parum fidens: conclamant se ituros. clamorémq; res est secuta. fixis in terram pilis, quo leuiores in ardua euaderent, cursu subeunt. Volscus effusis ad primum impetum missilibus telis, saxa obiacentia pedibus ingerit in subeuntes: turbatósque ictibus crebris vrget ex superiore loco. Sic propè oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus iam gradum consul increpando simul temeritatem, simul ignauiam, pudore metum excussisset. restitêre primò obstinatis animis: deinde vt obtinentes locum vires ferebant, audent vltrò gradum inferre, & clamore renouato commouent aciem. tum rursus impetu capto enituntur atque exuperant iniquitatem loci. iam propè erat vt in summum cliui iugum euaderent, cum terga hostes dedere: effusóque cursu penè agmine vno, fugientes sequentésque castris incidere. in eo pauore castra capiuntur. qui Volscorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium & Romanus exercitus ductus, paucos circumsessum dies deditur, nulla oppugnantium noua vi, sed quod iam inde ab infelici pugna, castrísque amissis, ceciderant animi.

Volsci terga dedere, & eorũ castra capiuntur.

Antium deditur.

DECADIS PRIMAE LIBER III.

Seditiones de agrarijs legibus factæ. Capitolium: ab exulibus & seruis occupatum, cæsis ijs receptum est. Census bis actus est. priore lustro censa sunt ciuium capita centum: quatuor & uiginti millia, CCXIIII. præter orbos, orbásque: sequenti, CXXXII. millia, CCCCCIX. Cum aduersus Aequos res male gesta esset, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus rustico operi esset, ad bellum gerendum accersitus est. Is uictos hostes sub iugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatus est: ut essent decem, XXXVI. anno à primis tribunis plebis. Petitis per legatos, & allatis Atticis legibus, ad constituendas eas, proponendásque decemuiri pro consulibus sine ullis alijs magistratibus creati: altero & trecentesimo anno, quàm Roma condita erat: & ut à regibus ad consules, ita à consulibus ad decemuiros translatum imperium. ii decem talibus legum positis, cum modestè se in honore gessissent: & ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset, cum complura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, & in tertium annum detinuerunt: donec inuisto eorum imperio finem attulit libido Ap. Claudij: qui cum in amorem uirginis incidisset, summisso, qui eam in seruitutem peteret: necessitatem patri eius Virginio imposuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret, cum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum illaturi ueniret. hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata, montem Auentinum occupauit: coëgitque decemuiros abdicare se magistratu. ex quibus Appius, & unus collegarum, qui præcipue pœnam meruerant, in carcerem coniecti, cæteri in exilium acti. Res præterea contra Sabinos, & Volscos, & Aequos prosperè gestas continet: & parum honestum populi Romani iudicium: qui iudex inter Ardeates & Aricinos sumptus, agrum de quo ambigebatur sibi adiudicauit.

De re agraria certamen.



NTIO CAPTO T. Aemylius & Q. Fabius coss. fiunt. hic erat Fabius, qui vnus extinctæ ad Cremeram genti superfuerat. Iam priore consulatu Aemylius dandi agri plebi fuerat author. Itaque secundo quoque consulatu eius & agrarii se in spem legis erexerant: & tribuni rem contra consules sæpe tentatam, adiutore vtique consule obtineri posse rati, suscipiunt: & consul manebat in sententia sua. possessores & magna pars patrum tribunitiis se iactare actionibus principem ciuitatis, & largiendo de alieno popularem fieri querentes, totius inuidiam rei à tribunis in consulem auerterant. atrox certamen aderat, ni Fabius consilio neutri parti acerbo rem expedisset. T. Quintii ductu & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse, Antium propinquam, opportunam, & maritimam vrbem coloniam deduci posse: ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, ciuitatem in concordia fore. Hæc sententia accepta est. Triumuiros agro dando creat T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim (vt fit) fastidium copia: adeóque pauci nomina dedere, vt ad explendum numerum coloni Volsci adderentur: cætera multitudo poscere Romæ agrum malle, quàm alibi accipere. Aequi à Q. Fabio (is eò cum exercitu venerat) pacem petiere, irritámque eam ipsi subita incursione in agrum Latinum fecere. Q. Seruilius insequenti anno, is enim cum Sp. Posthumio cos. fuit: in Aequos missus, in Latino agro statiua habuit. intra castra quies necessaria morbo implicitum exercitum tenuit. Extractum in tertium annum bellum est, Q. Fabio & T. Quintio coss. Fabio extra ordinem, quia is victor pacem Aequis dederat, ea prouincia data. Qui haud dubia spe profectus famam nominis sui pacaturam Aequos, legatos in concilium gentis missos nuntiare iussit: Q. Fabium cos. dicere, se ex Aequis pacem Romam tulisse, ab Roma Aequis bellum afferre, eadem dextera armata, quam pacatam illis antea dederat. quorum id perfidia & periurio fiat, deos nunc testes esse, mox fore vltores. se tamen, vtcunque sit, etiam nunc, pœnitere sua sponte Aequos, quàm pati hostilia, malle. si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore: sin periurio gaudeant, diis magis iratis quàm hostibus gesturos bellum. Hæc dicta adeò nihil mouerunt quenquam, vt legati propè violati sint, exercitúsque in Algidum aduersus Romanos missus. Quæ vbi Romam sunt nuntiata, indignitas rei magis quàm periculum consulem alterum ab vrbe exciuit. ita duo consulares exercitus ad hostē accessere, acie instructa, vt confestim dimicaret. Sed cum fortè haud multũ diei super esset,

Aequi pacẽ petunt, mox eam irritam faciunt.

In Aequos Q. Fabius consul mittitur.

A esset, vnus ab statione hostium exclamat: Ostentare hoc est Romani, non gerere bellum. in noctem
imminentem aciem instruitis. longiore luce ad id certamen quod instat, nobis opus est. crastino die
oriente sole redite in aciem: erit copia pugnandi, ne timete. His vocibus irritatus miles in diem
posterum in castra reducitur, longam venire noctem ratus, quæ moram certamini faceret. tum qui-
dem corpora cibo somnóque curant. vbi illuxit postero die, prior aliquanto constitit Romana acies,
tandem & Aequi processere. prælium fuit vtrinque vehemens, quod & Romanus ciuiles ira odióque
Atrox pugna inter Romanos et Aequos.
pugnabat: & Aequos conscientia contracti culpa periculi, & desperatio futuræ sibi postea fidei, vl-
tima audere & experiri cogebat. Non tamen sustinuere aciem Romanam Aequi. pulsíque, cum in
fines suos se recepissent, nihilo inclinatioribus ad pacem animis ferox multitudo increpare duces,
quòd in aciem qua pugnandi arte Romanos excellat, commissa res sit. Aequos populationibus in-
cursionibúsque meliores esse: & multas passim manus, quàm magnam molem vnius exercitus, re-
ctius bella gerere. Relicto itaque castris præsidio, egressi tanto cum tumultu inuasere fines Romanos,
Aequi populantur fines Romanos.
vt ad urbem quoque terrorem pertulerint. nec opinata etiam res plus trepidationis fecit, quòd nihil
minus quàm ne victus, ac propè in castris obsessus hostis memor populationis esset, timeri poterat.
agrestésque pauidi incidentes portis non populationem, nec prædonum paruas manus, sed omnia
vano augentes timore, exercitus & legiones adesse hostium, & infesto agmine ruere ad vrbem cla-
mabant. Ab his proximi audita incerta, eóque vaniora ferre ad alios: cursus clamórque vocantium
ad arma, haud multum à pauore captæ vrbis abesse. Fortè ab Algido Quintius c o s. redierat Romam:
id remedium timori fuit: tumultúque sedato, victos timeri increpans hostes, præsidia portis im-
posuit. vocato deinde senatu, cum ex authoritate patrum iustitio indicto profectus ad tutandos fines
esset, Q. Seruilio præfecto vrbis relicto, hostem in agro non inuenit. Ab altero consule res gesta
Aequi graues præda intercipiuntur.
egregiè est. qui quà venturum hostem sciebat, grauem præda, eóque impeditiore agmine inceden-
tem aggressus, funestam ei populationem fecit. pauci hostium euasere ex insidiis, præda omnis re-
cepta est. sic finem iustitio quod quatriduum fuit, reditus Quintii c o s. in vrbem fecit. Census dein-
Census agitur & Lustrum conditur.
de actus, & conditum à Quintio lustrum. Censa ciuium capita centum quatuor & xx millia ccxiiii
dicuntur, præter orbos orbásque. In Aequis nihil deinde memorabile actum. in oppida sua se recepe-
re, vri sua popularíque passi. Consul cùm aliquoties per omnem hostium agrum infesto agmine po-
pulabundus isset, cum ingenti laude prædáque Romam rediit. Consules inde Posthumius Albus, Sp.
Furius. Furios, Fusios scripsere quidam. id admoneo, ne quis immutationem virorum ipsorum esse,
quæ nominum est, putet. Haud dubium erat, quin cum Aequis alter consulum bellum gereret. Ita-
que Aequi ab Ecetranis Volscis præsidium petiere. quo cupidè oblato (adeo ciuitates hæ perpetuo
B in Romanos odio certauere) bellum summa vi parabatur. Sentiunt Hernici, & prædicunt Romanis,
Ecetranum ad Aequos descisse. suspecta & colonia Antium fuit, quòd magna vis hominum inde, cũ
oppidũ captũ esset, confugisset ad Aequos. ísque miles per bellum Aequicum vel acerrimus fuit. Cõ-
Bellum Aequicum.
pulsis deinde in oppida Aequis, ea multitudo dilapsa cum Antium redisset, sua sponte iam infidos co-
lonos Romanis abalienauit. Nec dum matura re, cum defectionem parari delatum ad senatum esset,
datum negotium est consulibus, vt principibus coloniæ Romam excitis, quærerent quidnam rei es-
set. qui cum haud grauatè venissent, introducti à consulibus ad senatum, ita responderunt ad interro-
gata, vt magis suspecti quàm venerant, dimitterentur: Bellum inde haud dubium haberi. Sp. Fu-
rius consulum alter, cui ea prouincia euenerat, profectus in Aequos, Hernicorum in agro popu-
labundum hostem inuenit: ignarúsque multitudinis, quia nusquam vniuersa conspecta fuerat, im-
parem copiis exercitum temerè pugnæ commisit. primo concursu pulsus se in castra recepit. neque is
finis periculi fuit. nanque & proxima nocte & postero die tanta vi castra sunt circumsessa atque oppu
gnata, vt ne nuntius quidem inde mitti Romam posset. Hernici & malè pugnatum, & consulem exer-
Exercitus Romanus ab Aequis obsidetur.
citúmque obsideri, nuntiauerunt: tantúmque terrorem incussere patribus, vt (quæ forma senatuscon-
sulti vltimæ semper necessitatis habita est) Posthumio alteri consulum negotium daretur: videret ne
quid Respubl. detrimenti caperet. Ipsum consulem Romæ manere ad conscribendos omnes qui ar-
ma ferre possent, optimum visum est, proconsulem T. Quintium subsidio castris cum sociali exer-
citu mitti. ad eum explendum Latini Hernicíque, & colonia Antium dare Quintio subitarios mi-
Subitarij milites.
lites (ita tum repentina auxilia appellabant) iussi. Multi per eos dies motus, multíque impetus hinc
atque illinc facti, quia superante multitudine hostes carpere multifariam vires Romanas vt non
suffecturas ad omnia, aggressi sunt. simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populan-
dum agrum Romanum missa, vrbémque ipsam, si qua fortuna daret, tentandam. L. Valerius ad præ-
sidium vrbis relictus, consul Posthumius ad arcendas populationes finium missus. Nihil remis-
sum ab vlla parte curæ aut laboris. vigiliæ in vrbe, stationes ante portas, præsidiáque in muris dis-
posita: & quod necesse erat in tanto tumultu, iustitium per aliquot dies seruatum. Interim in castris
Furius c o s. cum primò quietus obsidionem passus esset, in incautum hostem decumana porta eru-
pit: & cum persequi posset, metu subsistit, ne qua ex parte altera in castra vis fieret. Furium legatum
Ob tumultũ indicitur iustitium.
(frater idem consulis erat) longius extulit cursus: nec suos ille redeuntes persequendi studio, neque
hostium ab tergo incursum vidit. ita exclusus multis sæpe frustra conatibus captis, vt viam sibi ad ca-
stra faceret, acriter dimicans, cecidit. Et consul nuntia circumuenti fratris conuersus ad pugnam,
dum se temerè magis quàm cautè in mediam dimicationem infert, vulnere accepto, ægrè ab cir-
cumstantibus ereptus, & suorum animos turbauit, & ferociores hostes fecit: qui cæde legati,
& consulis vulnere accensi, nulla deinde vi sustineri potuere, cum compulsi in castra Romani rursus
obsidere

obsiderentur, nec spe, nec viribus pares: venissétque in periculum summa rerum, ni T. Quintius peregrinis copiis cum Latino Hernicóque exercitu subuenisset. is intentos in castra Romana Aequos, legatíque caput ferociter ostentantes ab tergo adortus, simul ad signum à se procul editum ex castris eruptione facta, magnam vim hostium circumuenit. Minor cædes, fuga effusior Aequorum in agro fuit Romano. in quos palatos prædam agentes Posthumius aliquot locis, quibus opportuna im posuerat præsidia, impetum dedit. ii vagi dissipato agmine fugientes in Quintium victorem cum saucio consule reuertentem incidere. Tum consularis exercitus egregia pugna consulis vulnus, legati & cohortium vltus est cædem. Magnæ clades vltro citróque illis diebus & illatæ & acceptæ. difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnauerint, ceciderint ue, exacto affirmare numero: audet tamen
Interfectorum numerus. Antias Valerius concipere summas, Romanos cecidisse in Hernico agro .v. Mil. ac ccc. Ex prædatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Posthumio c o s. duo millia cccc cæsos: cæteram multitudinem prædam agentem quæ incidit in Quintium, nequaquam pari defunctam esse cæde: interfecta inde quatuor millia, & exequendo subtiliter numerum, cc ait & xxx.
Prodigia. Inde Romam reditum est, iustitium remissum est. Cælum visum est ardere plurimo igni, portentáque alia aut obseruata oculis, aut vanas exterritis ostentauere species. His auertendis terroribus in triduū
Feriæ indicuntur. feriæ indictæ, per quas omnia delubra pacem deûm exposcentium virorum, mulierúmque turba implebantur. Cohortes inde Latinæ Hernicæque ab senatu gratiis ob impigram militiam actis, remissæ domos. Antiates mille milites, quia serum auxilium post prælium venerant, propè cum ignominia
Pestilens annus. dimissi. Comitia inde habita. creati consules L. Ebutius, P. Seruilius calendis sextilibus, vt tunc principium anni agebatur, consulatum ineunt. Graue tempus, & fortè annus pestilens erat, vrbi agrísque, nec hominibus magis quàm pecori. & auxere vim morbi terrore populationis pecoribus agrestibúsque in vrbem acceptis. ea colluuio mistorum omnis generis animantium, & odore insolito vrbanos, & agrestem confertum in arcta tecta æstu ac vigiliis angebat, ministeriáque inuicem ac contagio ipsa vulgabant morbos. Vix instantes sustinentibus clades repentè legati Hernici nunciant,
Aequi Volscique agrū Hernicū depopulātur. in agro suo Aequos Volscósque coniunctis copiis castra posuisse, inde ingenti exercitu fines suos depopulari. præterquam quòd infrequens senatus indicio erat sociis afflictam ciuitatem pestilentia esse: mœstum etiam responsum tulere, vt per se ipsi Hernici cum Latinis res suas tutarentur: vrbem Romanam subita deûm ira morbo populari. si qua eius mali quies veniat, vt anno ante, vt semper aliâs, sociis opem laturos. Discessere socii, pro tristi nuntio tristiorem domum referentes: quippe quibus per se sustinendum bellum erat, quod vix Romanis fulti viribus sustinuissent. Non diutius se in Hernico hostis continuit. pergit inde infestus in agros Romanos, etiam sine belli iniuria vastatos. Vbi cum obuius nemo ne inermis quidem fieret, pérque omnia non præsidiis modò deserta, sed etiam cultu B
Res Romana quàm male affecta. agresti, transirent: peruenere ad tertium lapidem Gabina via. Mortuus Ebutius erat Romanus consul, collega eius Seruilius exigua in spe trahebat animam: affecti plerique principum, patrum maior pars, militaris ferè ætas omnis, vt non modò ad expeditiones quas in tanto tumultu res poscebat, sed vix ad quietas stationes viribus sufficerent. munus vigiliarum senatores, qui per ætatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant: circuitio ac cura ædilium plebis erat: ad eos summa rerū ac maiestas consularis imperii venerat. Deserta omnia sine capite, sine viribus dii præsides ac fortuna vrbis tutata est:
Vrbis Romæ fortuna. quæ Volscis Aequísque prædonum potius mentem quàm hostium dedit. adeò enim nulla spes non potiundi modò, sed ne adeundi quidem Romana mœnia animos eorum cepit: tectáq; procul visa atque imminentes tumuli auertêre mentes eorum: vt totis passim castris fremitu orto, quid in vasto ac deserto agro inter tabem pecorum hominúmque, desides sine præda tempus tererent, cum integra
In Tusculanum agrum cōuertitur hostilis exercitus. loca, Thusculanum agrum opimum copiis petere possent? signa repente conuellerent: transuersísque itineribus per Lauicanos agros in Thusculanos colles transirent. eò vis omnis tempestásque belli cōuersa est. Interim Hernici Latinique pudore etiam, non misericordia solum, moti, si nec obstitissent communibus hostibus, infesto agmine Romanam vrbem petentibus, nec opem vllam obsessis sociis ferrent, coniuncto exercitu Romam pergunt. vbi cum hostes non inuenissent, secuti famam ac vestigia, obuii fiunt descendentibus à Thusculano in Albanam vallem. ibi haudquaquam æquo prælio pugnatum est. fidésque sua sociis parum felix in præsentia fuit. Haud minor Romæ fit morbo strages, quàm quanta ferro sociorum facta erat. consul qui vnus supererat, moritur. mortui & alii clari viri, M. Valerius, T. Virginius Rutilius augures. Ser. Sulpitius, Curio maximus: & per ignota capita latè va-
Supplicationes ad omnia delubra indicuntur. gata est vis morbi: inópsque senatus auxilii humani, ad deos populum ac vota vertit. iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire, pacémque exposcere deûm. ad id quod sua quenque mala cogebant, authoritate publica euocati, omnia delubra implent. stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cælestium finémque pesti exposcunt. Inde paulatim seu pace deûm impetrata, seu grauiore tēpore anni iam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse cœpere: versísque ani-
Interregnū. mis iam ad publicam curam, cum aliquot interregna exissent, P. Valerius Publicola tertio die quàm interregnum inierat, consules creat L. Lucretium Tricipitinum & T. Veturium Geminum, siue ille Vetusius fuit. Ante diem III. Idus sextiles consulatū ineunt, iam satis valida ciuitate, vt non solùm arcere bellum, sed vltrò etiam inferre posset. Igitur nunciantibus Hernicis, in fines suos transcendisse hostes, impigrè promissum auxilium, duo consulares exercitus scripti. Veturius missus in Volscos ad
Veturius Cōsul Volscos fudit. bellum vltrò inferendum. Tricipitinus populationibus arcendis sociorum agro oppositus, non vltrà quàm in Hernicos procedit. Veturius primo prælio hostes fundit fugátque. Lucretium, dum in Hernicis sedet, prædonum agmen fefellit, supra montes Prænestinos ductum. inde dimissum in campos,

A pos, vastauere agros, Prænestinum Gabinúmque: ex Gabino in Thusculanos flexere colles. vrbi quoque Romæ ingens præbitus terror, magis in re subita, quàm quod in arcendam vim parum virium esset. Q. Fabius præerat vrbi. is armata iuuentute, dispositísque præsidiis tuta omnia ac tranquilla fecit. Itaque hostes præda ex proximis locis rapta appropinquare vrbi non ausi, cum circumacto agmine redirent, quanto longius ab vrbe hostium abscederent, eo solutiore cura in Lucretium incidunt consulem, iam antè exploratis itineribus suis instructum, & ad certamen intentum. Igitur præparatis animis repentino pauore perculsos adorti, aliquanto pauciores multitudinem ingentem fundunt, fugántque & compulsos in cauas valles, cum exitus haud in facili esset, circumueniunt. ibi Volscum nomen propè deletum est XIII millia CCCCLXX cecidisse in acie ac fuga, M.CCL viuos captos, signa XXVII militaria relata, in quibusdam annalibus inuenio, vbi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certè cædes fuit. Victor consul ingenti præda potitus eadem in statiua rediit. tum consules castra coniungunt, & Volsci Aequíque afflictas vires suas in vnum contulere. Tertia illa pugna eo anno fuit, eadem fortuna victoriam dedit, fusis hostibus etiam castra capta. Sic res Romana in antiquum statum rediit: secundæque belli res, extemplo vrbanos motus excitauerunt. C. Terentillus Arsa tribunus plebis eo anno fuit. is consulibus absentibus ratus locum tribunitiis actionibus datum, per aliquot dies patrum superbiam ad plebem criminatus, maximè in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberæ ciuitati inuehebatur. nomine enim tantum minus inuidiosum, re ipsa propè atrocius quàm regium esse. quippe duos pro vno dominos acceptos immoderata, infinita potestate, qui soluti atque effrenati ipsi, omneis metus legum, omniáque supplicia verterent in plebem, quæ ne æterna illis licentia sit, legem se promulgaturum, vt quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. quod populus in se ius dederit, eo consulem vsurum: non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. Qua promulgata lege, cum timerent patres, ne absentibus consulibus iugum acciperent, senatus à præfecto vrbis Q. Fabio vocatur. qui adeò atrociter in rogationem latorémque ipsum est inuectus, vt nihil, si ambo consules infesti circumstarent tribunum, relictum minarum atque terroris sit. Insidiatum eum, & tempore capto adortum rempublicam. si quem similem eius priore anno inter morbum, bellúmque irati dii tribunum dedissent, non potuisse sisti. mortuis duobus consulibus, iacente ægra ciuitate in colluuione omnium rerum, ad tollendum è republica consulare imperium laturum leges fuisse, ducem Volscis, Aequísque ad oppugnandam vrbem futurum. Quid tandem illi non licere? si quid consules superbè in aliquem ciuium, aut crudeliter fecerint, diem dicere: accusare his ipsis iudicibus, quorum in aliquem sæuitum sit, non illum consulare imperium, sed tribunitiam potestatem inuisam, intolerandámque

Volscorum ingens clades.

Secundæ res bellicæ vrbanos motus excitant.

Q. Fabius præfectus vrbis Tribuno plebis restitit.

B facere: quæ pacatam reconciliatámque patribus de integro in antiqua redigi mala. neque illum se deprecari quo minus pergat vt cœperit. Vos, inquit Fabius, cæteri tribuni oramus, vt primùm omnium cogitetis, potestatem istam ad singulorum auxilium, non ad perniciem vniuersorum comparatam esse: tribunos plebis vos creatos, non hostes patribus. nobis miserum, inuidiosum vobis est, desertam rempub. inuadi. non ius vestrum, sed inuidiam minueritis. agite cum collega, vt rem integram in aduentum consulum differat. ne Aequi quidem ac Volsci morbo absumptis priore anno consulibus, crudeli superbóque nobis bello institere. Agunt cum Terentillo tribuni, dilatáque in speciem actione, re ipsa sublata, consules extemplò accersiti. Lucretius cum ingenti præda, maiore multo gloria rediit. & auget gloriam adueniens, exposita omni in campo Martio præda, vt suum quisque per triduum cognitum abduceret. reliqua vendita, quibus domini non extitere. Debebatur omnium consensu consuli triumphus: sed dilata res est, tribuno de lege agente. id antiquius consuli fuit, iactata per aliquot dies tum in senatu res, tum ad populum est. cessit ad vltimum maiestati consulis tribunus, & destitit. Tum imperatori exercituíque honos suus redditus. Triumphauit de Volscis Aequísque: triumphantem secutæ suæ legiones. Alteri consuli datum, vt ouans sine militibus vrbem iniret. Anno deinde insequenti lex Terentilia ab toto relata collegio nouos aggressa consules est. erant consules P. Volumnius, Ser. Sulpitius. Eo anno cælum ardere visum, terra ingenti concussa motu est. bouem locutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum. Inter alia prodigia & carne pluit, quem imbrem ingens numerus auium interuolitando rapuisse fertur: quod intercidit, sparsum ita iacuisse per aliquot dies, vt nihil odor mutaret. Libri per duumuiros sacrorum aditi. pericula à conuentu alienigenarum prædicta, ne qui in loca summa vrbis impetus cædésque inde fierent. inter cætera monitum, vt seditionibus abstineretur. Id factum, ad impediendam legem tribuni criminabantur, ingénsque aderat certamen. Ecce (vt idem in singulos annos orbis volueretur) Hernici nuntiant, Volscos & Aequos, etsi accisæ res sint, reficere exercitus. Antii summam rei positam, Ecetræ Antiates colonos palàm concilia facere: id caput, eas vires belli esse. Vt hæc dicta in senatu sunt, delectus edicitur. consules belli administrationem inter se dispartiri iussi: alteri vt Volsci, alteri vt Aequi prouincia esset. Tribuni coram in foro personare, fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos. iam ne virtute quidem premi libertatẽ populi Ro. sed arte eludi, quia occidione propè occisos Volscos, & Aequos mouere sua spõte arma posse, iam fides abierit: nouos hostes quæri. coloniã fidam propinquã infamem fieri. bellum innoxiis Antiatibus indici, geri cum plebe Romana, quã oneratam armis ex vrbe præcipiti agmine acturi essent, exilio & relegatione ciuiũ vlciscẽtes tribunos. sic ne quid aliud actũ putẽt, victã legẽ esse: nisi dũ integra res sit, dũ domi, dũ togati sint, caueãt: ne possessione vrbis pellantur, ne iugum accipiãt, si animus sit, non defore auxiliũ. consentire omnes tribunos, nullum terrorem externum, nullum periculum esse. cauisse deos priore anno, vt tutò libertas defendi

Præda in cãpo Martio exponitur, vt sua quisque cognita abduceret.

De Volscis & Aequis triumphus.

Portenta.

Libri per duumuiros sacrorũ adeuntur.

Volsci & Aequi reficiunt exercitus.

Tribunorũ aduersus Senatum contentio.

fendi posset. Hæc tribuni. At ex parte altera consules in conspectu eorum positis sellis delectum habebant. eò decurrunt tribuni, concionémque secum trahunt. citati pauci, velut rei experiundæ causa, & statim vis coorta. quencunque lictor iussu consulis prehendisset, tribunus mitti iubebat. neque suum cuique ius modum faciebat: sed virium spe, & manu obtinendum erat quod intenderes. quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu: sic patres in lege quæ per omneis comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant. Initium erat rixæ, cum discedere populum iussissent tribuni, quod patres se summoueri haud sinebant. nec ferè seniores rei intererant: quippe quæ non consilio regenda, sed permissa temeritati audaciæque esset. multum & consules se abstinebant, ne cui in colluuione rerum maiestatem suam contumeliæ offerent. Cæso erat Quintius ferox iuuenis quà nobilitate gentis, quà corporis magnitudine ac viribus. ad ea munera data à diis, & ipse addiderat multa belli decora, facundiámque in foro, vt nemo non lingua, non manu promptior in ciuitate haberetur. Hic cum in medio patrum agmine constitisset, eminens inter alios, velut omnes dictaturas consulatúsque gerens in voce ac viribus suis, vnus impetus tribunitios popularésque procellas sustinebat. hoc duce sæpe pulsi foro tribuni, fusa ac fugata plebs est. qui obuius fuerat, mulctatus nudatúsque abibat: vt satis appareret, sic agi liceret, victam legem esse. Tum propè iam perculsis aliis tribunis, A. Virginius ex collegio vnus Cæsoni capitis diem dicit. atrox ingenium accenderat eo facto magis, quàm conterruerat. eo acrius obstare legi, agitare plebem, tribunos velut iusto persequi bello. accusator pati reum ruere, inuidiǽque flammam ac materiam criminibus suis suggerere: legem interim non tam ad spem perferendi, quàm ad lacessendam Cæsonis temeritatem ferre. Ibi multa sæpe ab iuuentute inconsultè dicta factáque in vnius Cæsonis suspectum incidunt ingenium, tamen legi resistebatur. Et A. Virginius identidem plebi: Ecquid sentitis iam vos Quirites, Cæsonem simul ciuem, & legem quam cupitis, habere non posse? quanquam quid ego legem loquor? libertati obstat, omnes Tarquinios superbia exuperat. expectate dum consul aut dictator fiat, quem priuatum viribus & audacia regnantem videtis. Assentiebantur multi, pulsatos se querentes, & tribunum ad rem peragendam vltrò incitabant. Iam aderat iudicio dies, apparebátque vulgò homines in damnatione Cæsonis libertatem agi credere. tum demum coactus cum multa indignitate prehensabat singulos. sequebantur necessarii, principes ciuitatis. T. Quintius Capitolinus, qui ter consul fuerat, cum multa referret sua familiǽque decora, affirmabat neque in Quintia gente, neque in ciuitate Romana tantam indolem tam maturæ virtutis vnquam extitisse. suum primum militem fuisse, se sæpe vidente pugnasse in hostem. Sp. Furius missum ab Quintio Capitolino sibi eum in dubiis suis rebus, venisse subsidio. neminé vnú esse, cuius magis opera putet rempublicam restitutam. L. Lucretius c o s. anni prioris, recenti gloria nitens, suas laudes participare cum Cæsone, memorare pugnas, referre egregia facinora nunc in expeditionibus, nunc in acie. suadere & monere, iuuenem egregium, instructum naturæ fortunæ omnibus bonis, maximum momentum rerum eius ciuitatis in quancunque venisset, suum quàm alienum mallent ciuem esse. quod offendat in eo, feruorem & audaciam ætatem quotidie auferre. quod desideretur consiliú, id indies crescere. senescentibus vitiis, maturescente virtute, sinerent tantum virum senem in ciuitate fieri. Pater inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet inuidiam, sed veniam errori atque adolescentiæ petendo, sibi qui non dicto, non facto quenquam offendisset, vt condonarent filium, orabat. Sed alii auersabantur preces, aut verecundia, aut metu: alii se suósque mulctatos querentes, atroci responso iudicium suum præferebant. Premebat reum, præter vulgatá inuidiam, crimen vnum: quod M. Volscius Fictor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, testis extiterat, se haud multo pòst quàm pestilentia in vrbe fuerat, in iuuentutem grassantem in Suburra incidisse. Ibi rixam natam esse, fratrémque suum maiorem natu, necdum ex morbo satis validum pugno ictum à Cæsone cecidisse semianimem: inter manus domum ablatum. mortuúmque inde arbitrari. nec sibi rem exequi tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse. Hæc Volscio clamitante adeò cócitati homines sunt, vt haud multum abfuerit, quin impetu populi Cæso interiret. Virginius arripi iubet hominem, & in vincula duci. patritii vi contra vim resistunt. T. Quintius clamitat, cui reo capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem iudicium, eum indemnatum indicta causa non debere violari. Tribunus supplicium negat sumpturum se de indemnato, seruaturum tamen in vinculis esse ad iudicii diem, vt qui hominem necauerit, de eo supplicii sumendi copia populo Romano fiat. Appellati tribuni medio decreto ius auxilii sui expediunt: in vincula coniici vetant: sisti reum, pecuniámque nisi sistatur populo promitti, placere pronuntiant. summam pecuniæ quantam æquum esset promitti, veniebat in dubium. id ad senatum reiicitur. reus dum consulerentur patres, retentus in publico est. vades dare placuit. vnum vadem † iii Mil. æris obligarunt. quot darentur, permissum tribunis est. decem finierút. tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades publicos dedit. Dimissus è foro nocte proxima, iussu consulum, in Thuscos in exilium abiit. Iudicii die cum excusaretur solum vertisse exilii causa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati dimisere conciliú: pecunia à patre exacta crudeliter, vt diuenditis omnibus bonis aliquandiu trans Tyberim veluti relegatus deuio quodam in tugurio viueret. Hoc iudicium, & promulgata lex exercuit ciuitatem. ab externis armis otium fuit. cum velut victores tribuni, perculsis patribus Cæsonis exilio propè perlatam esse crederent legem, & quod ad seniores patrum pertineret, cessissent possessione reipublicæ: iuniores, id maximè quod Cæsonis sodalium fuit, auxere iras in plebem, non minuerunt animos, sed ibi plurimum profectum est, quòd modo quodam temperauere impetus suos. Cum primò

Cæso Quintius primatum Tribunis resistit.

Cæso capitis accersitur.

Principes ciuitatis Cæsonem defendunt,

De ui in ciuem illata Cæso accusatur.

†30 coron.

Cæso primus uades publicos dedit.

Iuniores patrum Cæsonis sodales, tribunis fortiter resistunt de Agraria lege agentibus.

A

B

A mò post Cæsonis exilium lex cœpta ferri est, instructi paratíque cum ingenti clientium exercitu sic tribunos, vbi primum summouentes præbuere causam, adorti sunt, vt nemo vnus inde præcipuum quicquam gloriæ domum inuidiæ ue ferret, mille pro vno Cæsones extitisse plebes quererentur. Mediis diebus, quibus tribuni de lege non agerent, nihil eisdem illis placidius aut quietius erat, benignè salutare, alioqui plebis homines domum inuitare, adesse in foro, tribunos ipsos cætera pati sine interpellatione concilia habere, nunquam vlli neque publicè, neque priuatim truces esse, nisi cum de lege agi cœptum esset. alibi popularis iuuentus erat. Nec cætera modò tribuni tranquillè peregere, sed refecti quoque in insequentem annum, ne voce quidem incommoda, nedum vt vlla vis fieret, paulatim permulcendo, tractandóque mansuefecerant plebem. His per totum annum artibus lex elusa est. Accipiunt ciuitatem placidiore consules C. Claudius Appii filius, & P. Valerius Publicola. Nihil noui nouus annus attulerat. legis ferendæ aut accipiendæ cura ciuitatem tenebat. Quantum iuniores patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contrà tribuni tendebant, vt plebi suspectos eos criminando facerent. coniurationem factam, Cæsonem Romæ esse, interficiendorum tribunorum, trucidandæ plebis consilia inita. id negotii datum ab senioribus patrum, vt iuuentus tribunitiam potestatem è republica tolleret, formáque eadem ciuitatis esset, quæ ante Sacrum montem occupatum fuerat. Et ab Volscis & Aequis statum iam ac propè solenne in singulos annos bellum timebatur, propiúsque aliud nouum malum, nec opinato exortum. Exules, seruíque ad quatuor millia hominum, & quingenti duce Ap. Herdonio Sabino nocte Capitolium atque arcem occupauere. confestim in arce facta cædes eorum, qui coniurare & simul capere arma noluerant, alii inter tumultum præcipites pauore in forum deuolant. alternæ voces, Ad arma, &, Hostes in vrbe sunt, audiebantur. consules & armare plebem, & inermem pati timebant, incerti quod malum repentinum, externum an intestinum, ab odio plebis, an ab seruili fraude vrbem inuasisset. sedabant tumultus, sedando interdum mouebant. nec enim poterat pauida & consternata multitudo regi imperio. dant tamen arma, non vulgo, tantum vt in incerto hoste præsidium satis fidum ad omnia esset. soliciti reliquum noctis, incertíque qui homines, quantus numerus hostium esset, in stationibus disponendis ad opportuna omnia vrbis loca egere. Lux deinde aperuit bellum, ducémque belli. seruos ad libertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat. se miserrimi cuiusque suscepisse causam, vt exules iniuria pulsos in patriam reduceret, & seruitutis graue iugum demeret. id malle populo Romano authore fieri. si ibi spes non sit, se Volscos, & Aequos, & omnia extrema tentaturum, & concitaturum. Dilucere res magis patribus atque consulibus. præter ea tamen, quæ denuntiabantur, ne Veientium, neu Sabinorum id consilium esset, timere. & cum tantum in vrbe hostium esset,

Exules & serui Capitolium & arcem occupant.

B mox Sabinæ Hetruscæque legiones ex composito adessent: tum æterni hostes Volsci & Aequi, non ad populandos, vt antè, fines, sed ad vrbem vt ex parte captam venirent. Multi & varii timores. inter cæteros imminebat terror seruilis, ne suus cuique domi hostis esset, cui nec credere, nec non credendo, ne infestior fieret, fidem abrogare, satis erat tutum. vixque concordia sisti videbatur posse. tantum superantibus aliis ab emergentibus malis, nemo tribunos aut plebem timebat: mansuetum id malum, & per aliorum quietem malorum semper exoriens, túmque esse peregrino terrore sopitum videbatur. At id propè vnum maximè inclinatis rebus incubuit. tantus enim tribunos furor tenuit, vt non bellum, sed vanam imaginem belli ad auertendos ab legis cura plebis animos Capitolium insedisse contenderent: patritiorum hospites clientésque, si perlata lege frustra tumultuatos esse se sentiant, maiore quàm venerint silentio abituros. Concilium inde legi perferendæ habere, auocato populo ab armis. Senatum interim consules habent, alio se maiore à tribunis metu ostendente, quàm quem nocturnus hostis intulerat. Postquàm arma poni, & discedere homines ab stationibus nuntiatum est, P. Valerius, collega senatum retinente, se ex curia proripit, inde in templum ad tribunos venit. Quid hoc rei est, inquit, tribuni? Ap. Herdonii ductu & auspicio rempub. euersuri estis? tam felix vobis corrumpendis fuit, qui seruitia non commouit author? cum hostes supra caput sint, discedi ab armis, legésque ferri placet? Inde ad multitudinem oratione versa: Si vos vrbis Quirites, si vestri nulla cura tangit, at vos veremini deos vestros ab hostibus captos. Iupiter optimus maximus, Iuno regina, & Minerua, alii dii deæque obsidentur, castra seruorum publicos vestros penates tenent. hæc vobis forma sanæ ciuitatis videtur? tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum, curiámque: comitia interim in foro sunt, senatus in curia est: velut cum otium superat, senator sententiam dicit, alii Quirites suffragium ineunt. non quicquid patrum, plebísque est, consules, tribunos, deos, hominésque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domũ Iouis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iisdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ, iube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus exercitus est. primus en ego consul quantum mortalis deum possum, te, ac tua vestigia sequar. Vltimum orationis fuit, se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma. si quis impediat, iam se consularis imperii, iam tribunitiæ potestatis, sacrarúmq; legum oblitũ, quisquis ille sit, vbicunq; sit, in Capitolio, in foro pro hoste habiturũ. iuberent tribuni, quoniã in Ap. Herdonium vetarẽt, in P. Valerium consulẽ sumi arma. ausurũ se in tribunis, quod princeps familiæ suæ ausus in regibus esset. Vim vltimã apparebat futurã, spectaculóq; seditionẽ Romanã hostibus fore: nec lex tamẽ ferri, nec ire in Capitoliũ consul potuit. nox certamina cœpta oppressit. tribuni cessere nocti, timẽtes cõsulũ arma. Amotis inde seditionis authoribus, patres circumire plebẽ, inserẽtésq; se in circulos sermones tempori aptos serere: admonere, vt viderent in quod discrimen rempublicam adduce

Tribunitius furor in lege perferenda.

Valerij Cõsulis ad Tribunos & plebem oratio.

adducerent:non inter patres ac plebem certamen esse.sed simul patres,plebémque arcem vrbis,templa deorum,penates publicos priuatósque hostibus dedi.Dum hæc in foro sedandæ discordiæ causa aguntur,consules interim,ne Sabini,ne Veiens hostis moueretur,circa portas murósque discesserant. A

Thusculani Romanis vltrò suppetias ferunt.

Eadem nocte & Thusculum de arce capta,Capitolióque occupato,& alio turbatæ vrbis statu nuntii veniunt. L.Mamilius Thusculi tum dictator erat.is confestim conuocato senatu,atque introductis nuntiis,magnopere censet,ne expectent,dum ab Roma legati auxilium petentes veniant:periculum ipsum,discriménque,ac sociales deos, fidémque fœderum id poscere. demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam ciuitatem, nunquam parem occasionem daturos deos. Placet ferri auxilium,iuuentus conscribitur,arma dantur.Romam prima luce venientes,procul speciem hostium præbuere. Aequi aut Volsci venire visi sunt. deinde vbi vanus terror abiit, accepti in vrbem agmine in forum descendunt.ibi iam P.Valerius relicto ad portarum præsidia collega, instruebat aciem.authoritas viri mouerat, affirmantis Capitolio recuperato,& vrbe pacata, si se doceri siuissent, quæ fraus à tribunis occulta in lege ferretur, memorem se maiorum suorum, memorem cognominis, quod

Valerius Consul & Thusculani Capitolium oppugnant. Valerius interficitur.

populi colendi velut hæreditaria cura sibi à maioribus tradita esset, concilium plebis non impediturum.hunc ducem secuti nequicquam reclamantibus tribunis, in cliuum Capitolinum erigunt aciem. adiungitur & Thusculana legio. certare socii ciuésque, vtri recuperatæ arcis suum decus facerent. dux vterque suos adhortatur. Trepidare tum hostes:nec vlli satis rei, præterquam loco fidere. trepidantibus inferunt signa Romani sociique.Iam in vestibulum perruperant templi,cum P.Valerius inter primores pugnam ciens interficitur.P. Volumnius consularis vidit cadentem. is dato negotio suis vt corpus obtegerent, ipse in locum vicémque consulis prouolat. præ ardore impetúque tantæ rei sensus non peruenit ad militem. prius vicit, quàm se pugnare sine duce sentiret. Multi exulum

Capitolium recuperatur

cæde sua fœdauere templum,multi viui capti,Herdonius interfectus.Ita Capitolium recuperatum.De captiuis vt quisque liber aut seruus esset,suæ fortunæ à quoque sumptum supplicium est.Thusculanis gratiæ actæ:Capitolium purgatum atque lustratum.In consulis domum plebes quadrantes, vt funere

De Agraria lege contentio.

ampliore efferretur,iactasse fertur.Pace parta,instare tum tribuni patribus,vt P.Valerii fidem exoluerent,instare Claudio,vt collegæ deos manes fraude liberaret,agi de lege sineret,Consul,antequam collegam sibi subrogasset, negare passurum agi de lege.hæ tenuere contentiones vsque ad comitia consulis subrogandi.

Quintius Cæsonis pater, consul creatur.

Decembri mense summo patrum studio L.Quintius Cincinnatus pater Cæsonis consul creatur, qui magistratum statim occiperet.Perculsa erat plebes consulem habitura iratum,potentem fauore patrum,virtute sua tribus liberis,quorum nemo Cæsoni cedebat magnitudine animi,consilium & modum adhibendo,vbi res posceret,priores erant.Is vt magistratum iniit, assiduis concionibus pro tribunali non in plebe coercenda,quàm senatu castiganda,vehementior fuit. cuius ordinis B languore,perpetui iam tribuni plebis,non vt in republica populi Romani,sed vt in perdita domo lingua,criminibúsque regnarent.cum Cæsone filio suo virtutem,constantiam,omnia iuuentutis belli domíque decora pulsa ex vrbe Romana,& fugata esse,loquaces,seditiosos,semina discordiarum,iterum

Quintij consulis in Tribunos vehemens oratio.

atque tertiùm tribunos pessimis artibus regia licentia viuere.Aulus,inquit,ille Virginius, quia in Capitolio non fuit,minus supplicii,quàm Ap. Herdonius meruit? plus hercule aliquanto, qui verè rem æstimare velit.Herdonius,si nihil aliud, hostem se fatendo propè denuntiauit, vt arma caperetis. hic negando bella esse,arma vobis ademit,nudósque seruis vestris & exulibus obiecit. & vos (C.Claudii pace,& P. Valerii mortui loquor) prius in cliuum Capitolinum signa intulistis, quàm hos hostes de foro tolleretis?pudet deorum hominúmque cum hostes in arce,in Capitolio essent,exulum, & seruorum dux profanatis omnibus in cella Iouis optimi maximi habitaret; Thusculi antequam Romæ sumpta sunt arma,in dubio fuit,vtrum L.Mamilius Thusculanus dux, an P.Valerius, & C. Claudius consules Romanam arcem liberarent.& qui antè Latinos, ne pro se quidem ipsis,cum in finibus hostem haberent,attingere arma passi sumus:nunc nisi Latini sua sponte arma sumpsissent,capti & deleti eramus.Hoc est,tribuni,auxilium plebi ferre?inermem eam hosti trucidandam obiicere? scilicet si quis vobis humillimus homo de vestra plebe,quam partem,veluti abruptam à cætero populo, vestrã patriam peculiarémque remp.fecistis: si quis ex his domum suam obsessam à familia armata nuntiaret,ferendum auxilium putaretis. Iupiter optimus maximus, exulum atque seruorum septus armis, nulla humana ope dignus erat?& hi postulant, vt sacrosancti habeantur? quibus ipsi dii neque sacri, neque sancti sunt.at enim diuinis humanísque obruti sceleribus legem vos hoc anno perlaturos dictatis?tum hercule illo die,quo ego consul sum creatus,malè gesta respub.est, peius multo quàm cum P.Valerius consul periit,si tuleritis.Iam primum omnium,inquit,Quirites, in Voscos & Aequos mihi atque collegæ legiones ducere,in animo est.nescio quo fato magis bellentes, quàm pacati propitios habemus deos, quantum periculum ab illis populis fuerit,si Capitolium ab exulibus obsessum sciissent, suspicari de præterito,quàm reipsa experiri,est melius.Mouerat plebem oratio consulis. erecti patres restitutam credebant rempublicam.consul alter comes animosior quàm author, suscepisse collegam priorem actionem tam grauis rei facilè passus,in peragendis consularis officii partem ad se

Tribunorũ & consulis disceptatio.

vendicabat.Tum tribuni eludentes velut vana dicta persequi,quærendo quó nam modo exercitum educturi consules essent,quos delectum habere nemo passurus esset?Nobis verò,inquit Quintius, nihil delectu opus est,cùm,quo tẽpore P.Valerius ad recipiẽdum Capitoliũ arma plebi dedit,omnes in verba iurauerint,conuenturos se iussu consulis,nec iniussu abituros.edicimus itaq;,omnes qui in verba iurastis crastina die armati ad lacum Regillum adsitis, Cauillari tum tribuni, & populum exoluere religion e velle: priuatum eo tempore Quintium fuisse, cum sacramento adacti sint.sed nondum hæc,

A hæc,quæ nunc tenet seculum,negligentia deûm venerat:nec interpretando sibi quisq; iusiurandum, & leges aptas faciebat, sed suos potiùs mores ad ea accommodabat. Igitur tribuni, vt impediendæ rei nulla spes erat,de proferẽdo exercitu agere,eo magis,quòd & augures iussos adesse ad Regillum lacum fama exierat:locúmque inaugurari,vbi auspicato cum populo agi posset: vt quicquid Romæ vi tribunitia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur.omnes id iussuros,quod consules vellent.neque enim prouocationem esse longius ab vrbe mille passuum: & tribunos,si eò veniant, in alia turba Quiritium subiectos fore consulari imperio. Terrebant hæc: sed ille maximus terror animos agitabat,quòd sæpius Quintius dictitabat, se consulum comitia non habiturum.non ita ciuitatem ægram esse, vt consuetis remediis sisti posit. dictatore opus esse Reipub. vt qui se mouerit ad solicitandum statum ciuitatis, sentiat sine prouocatione dictaturam esse.Senatus in Capitolio erat, eò tribuni cum perturbata plebe, veniunt. multitudo clamore ingenti nunc consulum, nunc patrum fidem implorant.nec antè mouerunt de sententia consulem, quàm tribuni se in authoritate patrum futuros esse, polliciti sunt. Tunc referente consule de tribunorum & plebis postulatis, senatusconsulta fiunt:neq; tribuni legem eo anno ferrent, neque consules ab vrbe exercitum educerent.in reliquum magistratus continuari,& eosdem tribunos refici,iudicare senatum contra Rempublicam esse.consules fuere in patrum potestate.tribuni reclamantibus consulibus refecti: patres quoque,ne quid cederent plebi,& ipsi L.Quintium consulem reficiebant. Nulla toto anno vehementior actio consulis fuit. Mirer, inquit;si vana vestra patres conscripti ad plebem authoritas est? vos eleuatis eam,quippe quia plebs senatusconsultum in cõtinuandis magistratibus soluit,ipsi quoque solutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis: tanquam id sit plus posse in ciuitate,plus leuitatis,ac licentiæ habere: leuius enim, vaniúsque profectò est,sua decreta & consulta tollere,quàm aliorum.imitamini patres cõscripti turbam inconsultam: qui exemplo aliis esse debetis,aliorum exemplo peccetis potiùs,quàm alii vestro rectè faciant,dum ego, ne imiter tribunos, nec me contra senatusconsultum renuntiari patiar. Te verò C.Claudi adhortor, vt & ipse populum Romanum hac licentia arceas: & de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, vt non honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, inuidiámque quæ ex continuato eo impenderet, leuatam putem. Communiter inde edicunt, ne quis L.Quintium consulem faceret.si quis fecisset, se id suffragium non obseruaturos. Consules creati Q.Fabius Vibulanus tertiùm, & L.Cornelius Maluginensis. Census actus eo anno.lustrum propter capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit. Q.Fabio,& L.Cornelio consulibus, principio anni statim res turbulentæ. instigabant plebem tribuni. bellum ingens à Volscis,& Aequis Latini atq; Hernici nuntiabãt.Iam Antii Volscorũ legiones esse,& ipsam coloniã

Maiorũ religio.

Quintius non patitur se consulem contra senatuscõsultum creari.

Census agitur sine lustro.

B ingens metus erat defecturam. ægréque impetratum à tribunis,vt bellum præuerti sinerent. Consules inde partiti prouincias. Fabio vt Antium legiones duceret,datum: Cornelius vt Romæ præsidio esset, ne qua pars hostium, qui Aequis mos erat, ad populandum veniret. Hernici & Latini iussi milites dare ex fœdere. duæque partes sociorum in exercitu, tertia ciuium fuit. Postquàm ad diem præstitutum venerunt socii, consul extra portam Capenam castra locat: inde lustrato exercitu Antium profectus, haud procul oppido, statiuísque hostium consedit. Vbi cùm Volsci, quia nondum ab Aequis venisset exercitus, dimicare non ausi, quemadmodum quieti vallo se tutarentur pararent: postero die Fabius non permistam vnam sociorum ciuiúmque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. ipse erat medius cum legionibus Romanis. inde signum obseruare iusit,vt pariter & socii rem inciperent, referréntque pedem, si receptui cecinisset: equites item suæ cuique parti post principia collocat. Ita trifariàm adortus castra circumuenit: & cùm vndique instaret, non sustinentes impetum, Volscos vallo deturbat.transgressus inde munitiones,pauidam turbam inclinatámque in partem vnam castris expellit.inde effusè fugientes eques,cui superare vallum haud facile fuerat,cùm ad id spectator pugnæ astitisset,libero campo adeptus,parte victoriæ fruitur,territos cædendo.Magna & in castris,& extra munimẽta cædes fugientium fuit:sed præda maior,quia vix arma secum efferre hostis potuit.deletúsq; exercitus foret,nisi fugientes syluæ texissent. Dum ad Antium hæc geruntur,interim Aequi robore iuuentutis præmisso, arcem Thusculanam improuisò nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul mœnibus Thusculi considunt,vt distenderent hostium copias. Hæc celeriter Romam, ab Roma in castra Antium perlata mouent Romanos haud secus,quàm si Capitolium captum nuntiaretur. adeò & recens erat Thusculanorũ meritum,& similitudo ipsa periculi reposcere datum auxiliũ videbatur. Fabius omissis omnibus, prædam ex castris raptim Antium conuenit.ibi modico præsidio relicto,citatum agmen Thusculum rapit.nihil præter arma,& quod cocti ad manum fuit cibi,ferre militi licuit.Commeatũ ab Roma consul Cornelius subuehit. Aliquot menses Thusculi bellatum. parte exercitus consul castra Aequorum oppugnabat,partem Thusculanis dederat ad arcem recuperandam. vi nunquam eò subire potuit.fames postremò inde detraxit hostem.quò postquam ventum ad extremum est,inermes nudiq; omnes sub iugum ab Thusculanis missi.hos ignominiosa fuga domum se recipientes, Romanus consul in Algido consecutus,ad vnum omnes occidit. Victor ad Columen (id loco nomen est) exercitu relicto,castra locat.Et alter consul,postquam mœnibus Romanis iam pulso hoste periculum esse desierat,& ipse ab Roma profectus. Ita bifariam consules ingressi hostium fines, ingenti certamine hinc Volscos,hinc Aequos populantur. Eodem anno descisse Antiates,apud plerosque authores inuenio. L.Cornelium consulem id bellum gessisse,oppidúmque cepisse. certum affirmare, quia nulla apud vetustiores scriptores eius rei mentio est, non ausim. Hoc bello perfecto tribunitium domi

Volsci vincuntur.

Arx Thusculana capitur ab Aequis.

Aequi sub iugum missi.

Tribunorũ cũ patribus certamen. bellum patres territat. Clamant, fraude fieri, quòd foris teneatur exercitus: frustrationem eam legis tollendæ esse, se nihilominus rem susceptam peracturos. Obtinuit tamen P. Lucretius præfectus vrbis, vt actiones tribunitiæ in aduentum consulum differrentur. Erat & noua exorta causa motus. A. Cornelius, & Q. Seruilius quæstores M. Volscio, quòd falsus haud dubiò testis in Cæsonem extitisset, diem dixerant. multis enim emanabat indiciis, neque fratrem Volscii, ex quo semel fuerit æger, vnquam non modò visum in publico, sed ne assurrexisse quidem ex morbo multorúmque tabe mensium: nec his temporibus, in quæ testis crimen coniecisset, Cæsonem Romæ visum: affirmantibus, qui vnà meruerant, secum eum tum, frequentémque ad signa sine vllo commeatu fuisse. ni ita esset, multi priuatim ferebant Volscio iudicem. cum ad iudicium ire non auderet, omnes eæ res in vnum congruentes haud magis dubiam damnationem Volscii, quàm Cæsonis Volscio teste fuerat, faciebant. in mora tribuni erant, qui comitia quæstores habere de reó, nisi prius habita de lege essent, passuros negabant. ita extracta vtraque res in consulum aduentum est. Qui vbi triumphantes victore *Triumphantes Coss. urbem ineunt.* cum exercitu vrbem inierunt, quia silentium de lege erat, perculsos magna pars credebant tribunos. at illi (etenim extremum anni iam erat) quartum affectantes tribunatum, in comitiorum disceptationem ab lege certamen auerterant. & cum consules nihilo minus aduersus continuationem tribunatus, quàm si lex minuendæ suæ maiestatis causa promulgata ferretur, tetendissent, victoria certaminis penes tribunos fuit. Eodem anno Aequis pax est petentibus data. Census, res priore anno *Lustrũ conditur.* inchoata, perficitur: idque lustrum ab origine vrbis decimum conditum. Fuerunt censa ciuium capita, centumtrigintaduo millia, CCCCXIX. Consulum magna domi bellíque eo anno gloria fuit: quòd & foris pacem peperere: & domi, etsi non concors, minus tamen quàm aliàs infesta ciuitas fuit. L. Minutius inde, & L. Nautius consules facti duas residuas anni prioris causas exceperunt. Eodem modo consules legem, tribuni iudicium de Volscio impediebant, sed in quæstoribus nouis maior vis, maior authoritas erat. Cum M. Valerio Valerii filio, Volesi nepote quæstor erat T. Quintius Capitolinus, qui ter consul fuerat. is quoniam neque Quintiæ familiæ Cæso, neque Reipub. maximus iuuenum restitui posset, falsum testem, qui dicendæ causæ innoxio potestatem ademisset, iusto ac pio bello persequebatur. Cum Virginius maximè è tribunis de lege ageret, duum mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem: vt, cum edocuissent populum, quid fraudis occultæ ferretur, sinerent deinde suffragium inire. hoc interualli datum res tranquillas in vrbe fecit. Nec diuturnam quietem Aequi dederunt. Qui rupto fœdere, quod dictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad Gracchum Cluilium deferunt. is tum longe princeps in Aequis erat. Graccho duce in *Aequi Lanuuinum agrũ & Thusculanũ populantur.* Lanuuinum agrum, inde in Thusculanum hostili populatione veniunt, plenique prædæ in Algido castra locant. In ea castra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Posthumius legati, ab Roma venerunt questum iniurias, & ex eo fœdere res repetitum. eos Aequorum imperator quæ mandata habeant ab senatu Romano, ad quercum iubet dicere. se alia interim acturum. quercus ingens arbor prætorio imminebat, cuius vmbra opaca sedes erat. Tum ex legatis vnus abiens, & hæc, inquit, sacrata quercus, & quicquid deorum est, audiant fœdus à vobis ruptum: nostrísque & nunc querelis adsint, & mox armis, cum deorum hominúmque simul violata iura exequemur. Romam vt rediere legati, senatus iussit alterum consulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere: alteri populationem finium Aequorum prouinciam dedit. Tribuni suo more impedire delectum. & forsitan ad vltimum *Sabini Romanos fines populãtur.* impedissent, sed nouus subitò additus terror est. Vis Sabinorum ingens propè ad mœnia vrbis infesta populatione venit. fœdati agri, terror iniectus vrbi est. tum plebs benignè arma cepit: reclamantibus frustra tribunis, magni duo exercitus scripti. alterum Nautius contra Sabinos duxit. castrísque ad *Nautius cõsul agrũ Sabinũ vastat.* Eretum positis, per expeditiones paruas plerunque nocturnis incursionibus tantam vastitatem in Sabino agro reddidit, vt comparati ad eam propè intacti bello fines Romani viderentur. Minutio neque fortuna, nec vis animi eadem in gerendo negotio fuit. nam cum haud procul ab hoste castra posuisset, nulla magnopere clade accepta castris se pauidus tenebat. Quod vbi senserant hostes, creuit ex metu alieno (vt fit) audacia: & nocte adorti castra, postquam parum vis aperta profecerat, munitiones postero die circundant. Quæ priusquam vndique vallo obiectæ clauderent exitus, quinque *Minutius cõsul cum exercitu obsidetur.* equites inter stationes hostium emissi, Romam pertulere, consulem, exercitúmque obsideri. Nihil tam nec opinatum, nec tam insperatum accidere potuit. itaque tantus pauor, tanta trepidatio fuit, quanta, si vrbem, non castra hostes obsiderent. Nautium consulem accersunt. in quo cum parum præsidii videretur, dictatorémque dici placeret, qui rem perculsam restitueret: L. Quintius Cincinnatus *L. Quintius Cincinnatus ab opere agresti ad Dictaturam accersitur.* consensu omnium dicitur. Operæpretium est audire, qui omnia præ diuitiis humana spernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant esse, nisi vbi effusè affluant opes. Spes vnica imperii populi Romani L. Quintius trans Tyberim contra eum ipsum locum, vbi nunc naualia sunt, quatuor iugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis seu fossam fodiens bipalio innixus, seu cum araret, operi certè, id quod constat, agresti intentus, salute data inuicem, redditáque, rogatus vt (quod bene verteret ipsi, reíque publicæ) togatus mandata senatus audiret. admiratus, rogitánsque satin' salua essent omnia, togam properè è tugurio proferre vxorem Raciliam iubet. qua simul absterso puluere ac sudore velatus processit. dictatorem eum gratulantes consalutant: in vrbem vocant: qui terror sit in exercitu, exponunt. Nauis Quintio publicè parata fuit, transuectúmque tres obuiam egressi filii excipiunt, inde alii propinqui atque amici, tum patrum maior pars. ea frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus deductus est domum. & plebis concursus ingens fuit: sed ea nequaquam tam læta Quintium vidit, & imperii nimium, & virum in ipso imperio

Magister equitum.

A imperio vehementiorem rata. Et illa quidem nocte nihil, præterquam vigilatum est in vrbe. Postero die dictator cum ante lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit L. Tarquinium patriciæ gentis, sed qui cum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longè Romanæ iuuentutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit, iustitium edicit, claudi tabernas tota vrbe iubet, vetat quenquam priuatæ quicquam rei agere. Tum quicunque ætati militari essent, armati cum cibariis in dies quinque coctis, vallísque duodenis ante solis occasum Martio in campo adessent. quibus ætas ad militandum grauior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallúmque peteret, cibaria coquere iussit. Sic iuuentus discurrit ad vallum petendum. sumpsere, vnde cuique proximum fuit: prohibitus nemo est: impigréque omnes ad edictum dictatoris præstò fuere. Inde composito agmine non itineri magis apto, quàm prælio, si res ita tulisset, legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit. In vtroque agmine quas tempus ipsum poscebat adhortationes erant: adderent gradum, maturato opus esse, vt nocte ad hostem peruenire possent. consulem exercitúmque Romanum obsideri, tertium diem iam clausos esse: quid quæque nox aut dies ferat, incertum esse: puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti. Accelera signifer, sequere miles, inter se quoque gratificantes ducibus clamabant. media nocte in Algidum perueniunt: & vt sensere iam propè hostes esse, signa constituunt. Ibi dictator quantum nocte prospici poterat, equo circumuectus, contemplatúsque qui tractus castrorum, quæque forma esset, tribunis militum imperauit, vt sarcinas in vnum coniici iubeant, militem cum armis vallóque redire in ordines suos. facta, quæ imperauit. Tum quo fuerat ordine in via, exercitum omnem longo agmine circundat hostium castris: & vbi signum datum sit, clamorem omnes tollere iubet: clamore sublato, ante se quemque ducere fossam, & iacere vallum. Edito imperio, signum secutum est, iussa miles exequitur, clamor hostes circumsonat. superat inde castra hostium, & in castra consulis venit: alibi pauorem, alibi gaudium ingens facit. Romani ciuilem esse clamorem, atque auxilium adesse inter se gratulantes, vltro ex stationibus ac vigiliis territant hostem. Consul differendum negat. illo clamore non aduentum modò significari, sed rem ab suis cœptam: mirúmque esse, ni iam exteriore parte castra hostium oppugnentur. itaque arma suos capere, & se subsequi iubet. Nocte initum prælium est, legionibus dictatoris clamore significantibus ab ea quoque parte rem in discrimine esse. Iam se ad prohibenda circundari opera Aequi parabant, cum ab interiore hoste prælio cœpto, ne per media sua castra fieret eruptio, à munientibus ad pugnantes introrsum versi, vacuam noctem operi dedere. pugnatúmque cum consule ad lucem est: luce prima iam circumuallati ab dictatore erant, & vix aduersus vnum exercitum pugnam sustinebant. tum à Quintiano exer-

Aequos circumuallat Dictator.

B citu, qui confestim à perfecto opere ad arma rediit, inuaditur vallum. hic instabat noua pugna, illa nihil remiserat prior. tum ancipiti malo vrgente à prælio ad preces versi, hinc dictatorem, hinc consulem orare, ne in occidione victoriam ponerent, vt inermes se inde abire sinerent. Ab consule ad dictatorem ire iussis, ignominiam infensus addidit. Gracchum Cluilium ducem, principésque alios vinctos ad se adduci iubet, oppido Corbione decedi: sanguinis se Aequorum non egere: licere abire. sed vt exprimatur tandem confessio, subactam domitámque esse gentem, sub iugum abituros. Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, supérque eas transuersa vna deligata, sub hoc iugo dictator Aequos misit. Castris hostium receptis plenis omnium rerum (nudos enim emiserat) prædam omnem suo tantum militi dedit. consularem exercitum, ipsúmque consulem increpans, Carebis, inquit, prædæ parte miles ex eo hoste, cui propè prædæ fuisti. & tu L. Minuti, donec cõsularem animum incipias habere, legatus his legionibus præeris. Ita se Minutius abdicat consulatu, iussúsque ad exercitum manet. Sed adeò tum imperio meliori animus mansuetè obediens erat, vt beneficii magis, quàm ignominiæ hic exercitus memor, & coronam auream dictatori † libræ pondo decreuerit, & proficiscentẽ eum patronũ salutauerit. Romæ à Q. Fabio præfecto vrbis senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, vrbem ingredi iussit. ducti ante currum hostium duces, militaria signa prælata, secutus exercitus præda onustus. epulæ instructæ dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantésque cum carmine triumphali, & solennibus iocis comessantium modo currum secuti sunt. Eo die L. Mamilio. Thusculano approbantibus cunctis ciuitas data est. Confestim se dictator magistratu abdicasset, ni comitia M. Volscii falsi testis tenuissent: ea ne impedirent tribuni, dictatoris obstitit metus. Volscius damnatus Lanuuium exulatũ abiit. Quintius XVI. die dictatura in sex menses accepta se abdicauit. Per eos dies consul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregiè pugnat. ad vastatos agros ea quoque clades accessit Sabinis. Minutio Fabius successor in Algidum missus. Extremo anno agitatum de lege ab tribunis est. sed quia duo exercitus aberant, ne quid ferretur ad populum, patres tenuere. plebes vicit, vt quintùm eosdem tribunos crearent. Lupos visos in Capitolio ferunt à canibus fugatos, ob id prodigium lustratum Capitolium esse. Hæc eo anno gesta. Sequuntur consules, Q. Minutius, M. Horatius Puluillus. Cuius initio anni cum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. vlteriúsque ventum foret, adeò exarserant animis, ni velut dedita opera nocturno impetu Aequorum Corbione amissum præsidium, nuntiatum esset. Senatum cõsules vocant. iubentur subitariũ scribere exercitum, atq; in Algidum ducere. Inde posito legis certamine, noua de delectu contentio exorta. vincebatúrque consulare imperium tribunitio auxilio, cum alius additur terror: Sabinum exercitum prædatum descendisse in agros Romanos, inde ad vrbem venire. is metus perculit, vt scribi militem tribuni sinerent, non sine pactione tamen, vt, quoniam ipsi quinquennium elusi essent, paruúmq; id plebi præsidium foret, decem deinde tribuni plebis crearentur.

Sub iugum mittuntur Aequi.

Minutius iussu dictatoris abdicat se consulatu.

† Val. coro. 108. aut circiter.

Dictator triumphans vrbem ingreditur.

Quintius se dictatura abdicat.

Portentum.

Contentio inter Coss. & tribunos

Expreſsit hoc neceſsitas patribus,id modò excepêre,ne poſtea eoſdem tribunos iuberent. Tribuni- A
tia comitia,ne id quoque poſt bellum,vt cætera,vanum eſſet,extemplo habita. Triceſimoſexto anno
Decem tribuni plebis creantur,
à primis tribunis plebis decem creati ſunt,bini ex ſingulis claſsibus,itáq; cautum eſt vt poſtea crea-
rentur.Delectu deiode habito Minutius contra Sabinos profectus,oō inuenit hoſtem.Horatius,cum
iam Aequi Corbione interfecto præſidio Hortanam etiam cepiſſent,in Algido pugnat.multos mor-
tales occidit,fugat hoſtem non ex Algido modò,ſed à Corbione Hortanáque. Corbionem etiam di-
ruit propter proditum præſidium. Deinde M. Valerius, Sp. Virginius conſules facti. Domi fo-
riſque otium fuit.annona propter aquarum intemperiem laboratum eſt. De Aueotino publicando
lata lex eſt.Tribuni plebis iidem refecti. Hi ſequente anno T.Romulio, & C.Veturio conſulibus le-
gem omnibus concionibus ſuis celebrant.Pudere ſe numeri ſui nequicquam aucti, ſi ea res æquè ſuo
biennio iaceret,ac toto ſuperiore luſtro iacuiſſet.Cum maximè hæc agerent, trepidi nuntii ab Thuſ-
culo veniunt,Aequos in agro Thuſculano eſſe.Fecit pudorem recens eius populi meritum morandi
auxilii.ambo conſules cum exercitu miſsi,hoſtem in ſua ſede io Algido inueniunt. Ibi pugnatum.ſu-
Aequorum magna clades.
pra ſeptem millia hoſtium cæſa:alii fugati,præda parta ingens.eam propter inopiam ærarii, conſules
vendiderunt.inuidiæ tamen res ad exercitum fuit.ea denique tribunis materiam criminandi ad ple-
bem conſules præbuit. Itaque ergo, vt magiſtratu abiere,Sp.Tarpeio,A.Aeternio conſulibus,dies
dicta eſt Romulio ab C.Claudio Cicerone tribuno plebis,Veturio ab L.Halieno ædili plebis.vterque
Conſules damnati,
magna patrum indignatione damnatus:Romulius decem millibus æris, Veturius x v.millibus. Nec
hæc priorum calamitas conſulum ſegniores nouos fecerat conſules, & ſe damnari poſſe aiebant: &
plebem,& tribunos legem ferre non poſſe. Tum abiecta lege, quæ promulgata conſenuerat, tribuni
lenius agere cum patribus. Finem tandem certamioum facerent, ſi plebeiæ leges diſplicereot. at illi
communiter legumlatores,& ex plebe,& ex patribus, qui vtriſque vtilia ferrent: quæque æquandæ
libertatis eſſeot,iinerent creari. Rem non aſpernabantur patres,daturum leges neminem oiſi ex pa-
tribus aiebant. Cum de legibus conueniret, de latore tantum diſcreparet; miſsi legati Athenas Sp.
Mittuntur Albanus Legati, ut Solonis Leges, & aliarum Greciæ ciuitatū instituta describerent.
Poſthumius Albus,A.Manlius,P.Sulpitius Camerinus:iuſsíque ioclytas leges Solonis deſcribere: &
aliarum Græciæ ciuitatū inſtituta,mores,iuráq; ooſcere. Ab externis bellis quietus annus fuit, quie-
tior inſequens P.Curatio,& Sex.Quintilio conſulibus,perpetuo ſilentio tribunorum. quod primo le-
gatorum,qui Athenis ierant,legúmq; peregrinarum expectatio præbuit: deinde duo ſimul mala in-
gentia exorta,fames,peſtilentiáq; fœda homini,fœda pecori.vaſtati agri ſunt:vrbs aſsiduis exhauſta
funeribus,multæ & claræ lugubres domus. Flamen Quirinalis Ser.Cornelius mortuus:augur C.Hora
tius Puluillus.in cuins locum C.Veturium eo cupidius,quia damnatus à plebe erat, augures legêre.
Fames & pestilentia.
mortuus conſul Quintilius: quatuor tribuoi plebis. multiplici clade fœdatus annus. ab hoſte otium B
fuit.Inde conſules C.Menenius,P.Sextius Capitolinus.neq; eo anno quicquam belli externi fuit. do-
mi motus orti.Iam redierant legati cum Atticis legibus.eo intentius inſtabát tribuni,vt tandem ſcri-
bendarum legum ioitium fieret.Placet creari decemuiros ſine prouocatione,& oe quis eo anno alius
magiſtratus eſſet.admiſcerentúrne plebeii, controuerſia aliquandiu fuit. poſtremò conceſſum patri-
bus:modò ne lex Acilia de Auentino,aliæq; ſacratæ leges abrogarentur. Anno trecenteſimo altero,
Ad decemuiros imperij summa trāsfertur.
quàm condita Roma erat,iterum mutatur forma ciuitatis,ab cōſulibus ad decemuiros, quemadmo-
dum ab regibus antè ad conſules venerat,tranſlato imperio.minus inſignis, quia non diuturna, mu-
tatio fuit.læta enim principia magiſtratus eius nimis luxuriauere.eo citius lapſa res eſt,repetitúmque
duobus vti mandaretur conſulum nomen imperiúmq;. Decemuiri creati Ap.Claudius,T.Genutius,
Decemuirorum nomina.
P.Sextius, L.Veturius, C.Iulius, A.Manlius, P.Sulpitius, P.Curiatius, T.Romulius, Sp.Poſthumius.
Claudio & Genutio,quia deſignati conſules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: &
Sextio alteri conſulum prioris anni,quòd eam rem collega inuito ad patres retulerat.his proximi le-
gati tres habiti,qui Athenas ierant:ſimul vt pro legatione tam longinqua præmio eſſet honos: ſimul
peritos legum peregrinarum ad condenda noua iura vſui fore credebant.ſuppleuere cæteri oumerū.
graues quoque ætate electos oouiſsimus ſuffragiis ferunt,quo minus ferociter aliorum ſcitis aduerſa-
rentur.Regimen totius magiſtratus penes Appium erat fauore plebis.adeóq; nouum ſibi ingenium
induerat,vt plebicola repentè,omniſque auræ popularis captator euaderet, pro truci ſæuóq; inſecta-
tore plebis.Decimo die ius populo ſinguli reddebát.eo die penes præfectum iuris faſces duodecim
erant,collegis nouem ſinguli accenſi apparebant. & voica concordia inter ipſos, qui conſenſus pri-
Summa initio decemuirorū æquitas,
uatis interdum inutilis eſſet, ſumma aduerſus alios æquitas erat. Moderationis eorum argumentum
exēplo vnius rei notaſſe,ſatis erit.Cum ſine prouocatione creati eſſent: defoſſo cadauere,domi apud
P.Sextium patriciæ gentis virum inuento prolatóque in concionem,in re iuxtà manifeſta atq; atroci
C.Iulius decemuir diem Sextio dixit,& accuſator ad populum extitit,cuius rei iudex legitimus erat:
diſceſsitq; iure ſuo,vt demptum de vi magiſtratus, populi libertati adiiceret. Cum promptū hoc ius
velut ex oraculo incorruptum pariter ab his ſummi infimíq; ferreot, tum legibus coodendis opera
Dec. tabulæ proponuntur,
dabatur: ingentíque hominum expectatione propoſitis decem tabulis populum ad concionem ad-
uocauerunt:&,quod bonum,fauſtum,felíxq; Reipublicæ, ipſis, liberíſq; eorum eſſet,ire,& legere le-
ges propoſitas iuſſere: ſe,quantum decem hominum ingeniis prouideri potuerit, omnibus ſummis
infimíſque iura æquaſſe.plus pollere multorum ingenia,conſiliáq;.verſarent in animis ſecum vnam-
quanque rem,agitarent deinde ſermonibus:atque in medium, quid in quaque re plus minúſve eſſet,
conferrent.eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium inuaſiſſe, oec iuſ-
ſiſſe latas magis, quàm tuliſſe videri poſſet. Cum ad rumores hominum de vnoquoque legum capite
edito,

A edito,ſatis correctæ viderentur,centuriatis comitiis x tabularum leges perlatæ ſunt:qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatíque eſt iuris. Vulgatur deinde rumor,duas deeſſe tabulas,quibus adiectis abſolui poſſe velut corpus omnis Romani iuris. Ea expectatio,cum dies comitiorum appropinquaret,deſiderium decemuiros iterum creandi fecit. Iam plebs,præterquam quod conſulum nomen haud ſecus quàm regum peroſa erat, ne tribunitium quidem auxilium cedentibus inuicem appellatione decemuiris quærebat. Poſtquàm verò comitia decemuiris creandis in trinum nundinum indicta ſunt,tanta exarſit ambitio,vt primores quoque ciuitatis (metu credo ne tanti poſſeſsio imperii vacuo ab ſe relicto loco haud ſatis dignis pateret) prehenſarent homines,honorem ſumma ope ab ſe impugnatum,ab ea plebe, cum qua contenderant,ſuppliciter petentes. Dimiſſa iam in diſcrimen dignitas ea ætate, híſque honoribus actis, ſtimulabat App.Claudium, neſcires vtrum inter decemuiros, an inter candidatos numerares. propior interdum petendo,quàm gerẽdo magiſtratui erat.criminari optimates,extollere candidatorum leuiſsimum quenq; humillimúmq;. ipſe medius inter tribunitios Duellios Iciliósq; in foro volitare, per illos ſe plebi venditare : donec collegæ quoq;,qui vnicè illi diditi fuerant ad id tempus,coniecere in eum oculos,mirantes quid ſibi vellet : apparere nihil ſynceri eſſe : profectò haud gratuitam in tanta ſuperbia comitatẽ fore : nimium in ordinem ſeipſum cogere, & vulgari cum priuatis, non tam properantis abire magiſtratu,quàm viam ad continuandum magiſtratum quærentis eſſe. Propalàm obuiam ire cupiditati parum auſi,obſecundando mollire impetum aggrediũtur. comitiorum illi habendorũ,quando minimus natu ſit,munus conſenſu iniungunt. ars hæc erat,ne ſemetipſe creare poſſet,quod præter tribunos plebis,& id ipſum peſsimo exemplo,nemo vnquam feciſſet. ille enimuero, quod bene vertat,habiturum ſe comitia profeſſus, impedimentum pro occaſione arripuit. deiectíſq; honore per concionẽ duobus Quintiis, Capitolino & Cincinnato, & patruo ſuo C.Claudio, conſtantiſsimo viro in optimatiũ cauſa,& aliis eiuſdem faſtigii ciuibus,nequaquam ſplendore vitæ pares decemuiros creat,ſe in primis. quod haud ſecus factum improbabãt boni, quàm nemo facere auſurum crediderat. Creati cum eo M.Cornelius Maluginenſis, M.Sergius,L.Minutius, Q.Fabius Vibulanus, Q.Petilius, T.Antonius Merẽda,Cæſo Duellius,Sp.Oppius Cornicen,M.Rabuleius. Ille finis Appio alienæ perſonæ ferendæ fuit. ſuo iam inde viuere ingenio cœpit, nouóſque collegas iam prius quàm inirent magiſtratum, in ſuos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris.inde impotentibus instructi conſiliis,quæ ſecretò ab aliis coquebant,iam haud diſsimulando ſuperbiam,rari aditus, colloquẽtibus difficiles ad idus Maias rem perduxere. Idus tum Maiæ ſolennes ineundis magiſtratibus erant. Initio igitur magiſtratus primum honoris diem denunciatione ingentis terroris inſignem fe-

Maxima in decemuiratus petitione ambitio.

Decemuiri qui creatur.

B cere.nam cum ita priores decemuiri ſeruaſſent,vt vnus faſces haberet,& hoc inſigne regiũ in orbem, ſuam cuiuſque vicem per omnes iret,ſubitò omnes cum duodenis faſcibus prodiere. centum viginti lictores forũ impleuerant,& cum faſcibus ſecures illigatas præferebant. nec attinuiſſe demi ſecurim, cum ſine prouocatione creati eſſent, interpretabantur. decem regum ſpecies erat : multiplicatúſque terror non infimis ſolum, ſed primoribus patrum, ratis cædis cauſam ac principium quæri, vt ſi quis memorem libertatis vocem aut in ſenatu,aut in populo miſiſſet, ſtatim virgæ ſecuréſq; etiam ad cæterorum metum expedirentur. Nam præterquam quòd in populo nihil erat præſidii, ſublata prouocatione, interceſsionem quoque conſenſu ſuſtulerant. cum priores decemuiri appellatione collegæ corrigi reddita ab ſe iura tuliſſent : & quædam quæ ſui iudicii videri poſſent, ad populum reieciſſent. Aliquandiu æquatus inter omnes terror fuit : paulatim totus vertere in plebem cœpit. abſtinebatur à patribus : in humiliores libidinoſe crudeliterq; conſulebatur : hominum, non cauſarum toti erant: vt apud quos gratia vim æqui haberet. iudicia domi conflabant, pronunciabant in foro.ſi quis collegam appellaſſet : ab eo, ad quem venerat, ita diſcedebat, vt pœniteret non prioris decreto ſtetiſſe. Opinio etiam ſine authore exierat,non in præſentis modò temporis eos iniuriam conſpiraſſe,ſed fœdus clandeſtinum inter ipſos iureiurando ictum, ne comitia haberent, perpetuóque decemuiratu poſſeſſum ſemel retinerent imperium.Circumſpectare tum patritiorum vultus plebeii : & inde libertatis captare auram,vnde ſeruitutem timendo,in eum ſtatum rempub.adduxerant.primores patrum odiſſe decemuiros, odiſſe plebem : nec probare quæ fierent, & credere haud indignis accidere : auidè ruendo ad libertatem,in ſeruitutem elapſos,iuuare nolle : cumulare quoque iniurias,vt tædio præſentium conſules duo tandem, & ſtatus priſtinus rerum in deſiderium veniant. Iam & proceſſerat pars maior anni, & duæ tabulæ legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectæ, nec quicquam iam ſupererat, ſi hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatæ eſſent, cur eo magiſtratu reipub.opus eſſet expectabant quàm mox conſulibus creandis comitia edicerentur. Id modò plebs agitabat, quónam modo tribunitiam poteſtatem, munimentum libertatis, rem intermiſſam repararent : cum interim mentio comitiorum nulla fieri : & decemuiri,qui primò tribunitios homines, quia id populare habebatur,circum ſe oſtentauerant plebi,patritiis iuuenibus ſepſerant latera: eorum cateruæ tribunalia obſidebant. Hi ferre agere plebem plebíſque res,cum fortuna,qua quicquid cupitum foret, potentioris eſſet. & iam ne tergo quidem abſtinebatur : virgis cædi alii, alii ſecuri ſubiici : & ne gratuita crudelitas eſſet,bonorum donatio ſequi domini ſupplicium.Hac mercede iuuentus nobilis corrupta non modò non ire obuiam iniuriæ : ſed propalàm licentiam ſuam malle, quàm omnium libertatem. Idus Maiæ venere, nullis ſubrogatis magiſtratibus : priuati pro decemuiris, neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad ſpeciem honoris inſignibus prodeunt.Id verò regnum haud dubiè videri. deploratur in perpetuum libertas, nec vindex quiſquam exiſtit, aut futurus vide-

Decemuirorum tyrannis intoleranda.

Duæ tabulæ prioribus decem additæ.

tur. Nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni cœpti erant à finitimis populis: imperiúmq; ibi esse, vbi non esset libertas, indignabantur. A Sabini magna manu incursionem in agrum Romanum fecere: latéque populati, cum hominum atque pecudum multi prædas egissent, recepto ad Eretum, quod passim vagatum erat, agmine, castra locant: spem in discordia Romana ponentes, eam impedimentum delectui fore. Non nuncii solum, sed per vrbem agrestium fuga trepidationem iniecit. decemuiri consultant quid opus facto sit. destitutis inter patrum & plebis odia addit terrorem insuper alium fortuna. Aequi alia ex parte castra in Algido locant: depopulatúmque inde excursionibus Thusculanum agrum, legati ab Thusculo præsidium orantes, nunciant. Is pauor perculit decemuiros, vt senatum simul duobus circunstantibus vrbem bellis, consulerent. citari iubent in curiam patres, haud ignari quanta inuidiæ immineret tempestas: omnes vastati agri periculorúmque imminentium causas in se congesturos: tentationémque eam fore abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent, imperióque inhibendo acriter in paucos præferocis animi, conatus aliorum comprimerent. Postquam audita vox in foro est præconis, patres in curiam ad decemuiros vocantis: velut noua res, quia intermiserant iamdiu morem consulendi senatus, mirabundam plebem conuertit, quidnam incidisset, cur ex tanto interuallo rem desuetam vsurparent. hostibus bellóque gratiam habendam, quòd solitũ quicquam liberæ ciuitatis fieret. circunspectare omnibus fori partibus senatorem, raróque vsquam noscitare: curiam inde ac solitudinem circa decemuiros intueri, cum & ipsi consensu inuisum imperium: & plebs, quia priuatis ius non esset vocandi senatum, oon conuenire patres, interpretarentur. iam caput fieri libertatem repetentium, si se plebs comitem senatui det, & quemadmodum patres vocati non coeant in senatum, sic plebs abnuat delectum. Hæc fremebat plebes. Patrum haud ferè quisquam in foro, in vrbe rari erant. indignitate rerum cesserant in agros: suarúmq; rerum erant soliciti, amissa publica: tantum ab iniuria se abesse rati, quantum à cœtu congressúque impotentium dominorum se amouissent. Postquam citati non conueniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda, sciscitandúmque, num consulto detrectarent, referunt, senatum in agris esse. Lætius id decemuiris acidit, quàm si præsentes detrectare imperium referrent. iubent acciri omnes, senatúmque in diem posterum indicunt. qui aliquanto spe ipsorum frequentior conuenit. quo facto proditam à patribus plebs libertatem rata, quòd iis qui iam magistratu abissent, priuatísque ius abesset, tanquam iure cogentibus senatus paruisset. Sed magis obedienter ventum in curiam est, quàm obnoxiè dictas sentẽtias accepimus. L. Valerium Potitum proditum memoriæ est, post relationem Ap. Claudii, priusquam ordine sententiæ rogarentur, postulando vt de repub. liceret dicere prohibentibus minaciter decemuiris, proditurum se ad plebem denunciantem tumultum exciuisse. Nec minus ferociter M. Horatium Barbatum isse in certamen, x Tarquinios appellantẽ admonentémque, Valeriis & Horatiis ducibus pulsos reges: nec nominis homines tum pertæsum esse: B quippe quo Iouem appellari, fas sit, quo Romulum conditorem vrbis, deincépsque reges appellatos, quod sacris etiam vt solenne retentum sit. superbiam, violentiámque tum perosos regis. quæ si in rege tum eodem, aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in tot priuatis? viderent, ne vetando in curia liberè homines loqui, extra curiam etiam mouerent vocem. neque se videre qui sibi minus priuato ad concionem populum vocare, quàm illis senatum cogere liceat. vbi vellent, experireotur quanto ferocior dolor in libertate sua vindicanda, quàm cupiditas in iniusta dominatione esset. De bello Sabino eos referre, tanquam maius vllum populo Romano bellum sit, quàm cum iis, qui legum ferendarum causa creati nihil iuris in ciuitate reliquerint: qui comitia, qui annuos magistratus, qui vicissitudinem imperitandi, quod vnum exæquandæ sit libertatis, sustulerint: qui priuati fasces & regium imperium habeant. Fuisse regibus exactis patritios magistratus, creatos posteà post secessionem plebis, plebeios. cuius illi partis essent, rogitare. populares? quid enim eos per populum egisse? optimates? qui anno iam propè senatum non habuerint, tunc ita habeant vt de repub. loqui prohibeant? ne nimium in metu alieno spei ponerent. grauiora quæ patiantur videri iam hominibus, quàm quæ metuant. Hæc vociferante Horatio cum decemuiri nec iræ, nec ignoscendi modum reperirent: nec quò euasura res esset, cernerent: C. Claudii, qui patruus Appii decemuiri erat, oratio fuit precibus quàm iurgio similis, orantis per sui fratris, parentísque eius manes, vt ciuilis potius societatis, in qua natus esset, quàm fœderis nefarie ictr cum collegis meminisset. multo id magis se illius causa orare, quàm reipublicæ. quippe rempub. si à volentibus nequeat, ab inuitis ius expetiturã. sed ex magno certamine magnas excitari fermè iras, earum euentũ se horrere. Cum aliud præterquam de quo retulissent, decemuiri dicere prohiberent: Claudium ioterpellandi verecundia fuit. sententiam igitur peregit, nullum placere senatusconsultum fieri. omnésque ita accipiebant, priuatos eos à Claudio iudicatos: multique ex consularibus verbo assensi sunt. Alia sententia asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ patritios coire ad prodendum interregem iubebat. censendo enim quoscunque magistratus esse qui senatum haberent, iudicabat, quos priuatos fecerat autor nullius senatusconsulti faciendi. Ita labante iam causa decemuirorum, L. Cornelius Maluginensis M. Cornelii decemuiri frater, cum ex consularibus ad vltimum dicendi locum consultò seruatus esset, simulando curam belli, fratrem collegásque eius tuebatur: quónam fato incidisset, mirari se dictitans, vt decemuiros, qui decemuiratum petissent, aut socii, aut hi maximè oppugnarẽt: aut quid ita, cum per tot menses vacua ciuitate nemo iusti, ne magistratus summæ rerum præessent, controuersiam fecerit: nunc demum cum hostes propè ad portas sint, ciuiles discordias serant: nisi quod in turbido minus perspicuum fore putent quid agatur. Cæterùm neminem, maiore cura occupatis animis, verum posse

præiud

Sabini Ro. agrum populantur.

Aequi Thusculanum agrum infestant.

M. Horatij aduersus decemuiros grauis oratio.

C. Claudij oratio.

Varia in curia sententia.

A præiudicium rei tantæ afferre.ſibi placere de eo,quod Valerius Horatiúſque ante idus Maias decem-
uiros abiſſe magiſtratu inſimulent,bellis quæ immineant perfectis, repub.in tranquillum redacta,ſe-
natu diſceptante agi : & iam nunc ita ſeparare Ap.Claudium,vt comitiorum,quæ decemuiris crean-
dis decemuir ipſe habuerit,ſciat ſibi rationem reddendam eſſe, vtrum in vnum annum creati ſint, an
donec leges, quæ deeſſent, perferrentur. in præſentia omnia præter bellum omitti placere. cuius ſi
falſo famam vulgatam, vanáque non nuncios ſolum, ſed Thuſculanorum etiam legatos attuliſſe pu-
tent : ſpeculatores mittendos cenſere, qui certius explorata referant. ſin fides & nunciis & legatis
habeatur, delectum primo quoque tempore haberi : decemuiros quo cuique eorum videatur, exer-
citus ducere : nec rem aliam præuerti. In hanc ſententiam vt diſcederetur, iuniores patrum euince-
bant. Ferociores iterum coorti Valerius Horatiúſque vociferari, vt de repub.liceret dicere : dictu-
ros ad populum, ſi in ſenatu per factionem non liceat. neque enim ſibi priuatos aut in curia, aut in
concione poſſe obſtare : neque ſe imaginariis faſcibus eorum ceſſuros eſſe. Tum Appius iam propè
eſſe ratus, vt, ni violentiæ eorum pari reſiſteretur audacia, victum imperium eſſet : Non erit melius,
inquit,niſi de quo conſulimus, vocem miſiſſe. & ad Valerium negantem ſe priuato reticere,lictorem
accedere iuſsit. Iam Quiritium fidem implorante Valerio à curiæ limine, L.Cornelius complexus
Appium,non cui ſimulabat conſulendo, diremit certamen.factáque per Cornelium Valerio dicendi
gratia quæ vellet, cum libertas non vltra vocem exceſsiſſet, decemuiri propoſitum tenuere.conſula-
res quoque ac ſeniores ab reſiduo tribunitiæ poteſtatis odio, cuius deſiderium plebi multò acrius,
quàm conſularis imperii rebantur eſſe,propè malebant poſtmodum ipſos decemuiros voluntate abi-
re magiſtratu, quàm inuidia eorum exurgere rurſus plebem. ſi leniter ducta res ſine populari ſtrepi-
tu ad conſules rediſſet, aut bellis interpoſitis,aut moderatione conſulum in imperiis exercēdis,poſſe
in obliuionem tribunorum adduci. Silentio patrum edicitur delectus.iuniores cum ſine prouocatio-
ne imperium eſſet,ad nomina reſpondent.Legionibus ſcriptis,inter ſe decemuiri comparabant,quos
ire ad bellum, quos præeſſe exercitibus oporteret. Principes inter decemuiros erant Q.Fabius, &
App.Claudius.bellum domi maius, quàm foris apparebat. Appii violentiam aptiorem rati ad com-
primendos vrbanos motus : in Fabio minus in bono conſtans, quàm gnauum in malitia ingenium
eſſe.hunc enim virum egregium olim domi militiæque,decemuiratus collegæque ita mutauerant, vt
Appii quàm ſui ſimilis mallet eſſe.huic bellum in Sabinis, M.Rabuleio, & Q.Petilio additis collegis,
mandatum. M.Cornelius in Algidum miſſus cum L.Minutio, & T.Antonio, & Cæſone, Duellio, &
M.Sergio : Sp. Oppium Ap. Claudio adiutorem ad vrbem tuendam æquo omnium decemuirorum
imperio decernunt. Nihilo militiæ quàm domi melius reſpub.adminiſtrata eſt. illa modò in ducibus
B culpa, quòd vt odio eſſent ciuibus, fecerant : alia omnis penes milites noxa erat. qui ne quid ductu
atque auſpicio decemuirorum proſperè vſquam gereretur, vinci ſe per ſuum atque illorum dedecus
patiebantur.Fuſi & ab Sabinis ad Eretum,& in Algido ab Aequis exercitus erant.ab Ereto per ſilen- *Romani mi-*
tium noctis profugi propius vrbem inter Fidenas Cruſtumeniámque loco edito caſtra communie- *lites odio de-*
rant.perſecutis hoſtibus nunquam ſe æquo certamine committentes,natura loci ac vallo,non virtute *cemuirorū*
aut armis tutabantur. Maius flagitium in Algido : maior etiam clades accepta : caſtra quoque amiſſa *vinci ſeſe pa-*
erant : exutúſque omnibus vtenſilibus miles Thuſculum ſe fide, miſericordiáque victurus hoſpitum *tiuntur.*
(quæ tamen non fefellerunt) contulerant. Romam tanti erant terrores allati, vt poſito iam decemui-
rali odio patres vigilias in vrbe habendas cenſerent : omnes qui per ætatem arma ferre poſſent, cu-
ſtodire mœnia, ac pro portis ſtationes agere iuberent : arma Thuſculum ad ſupplementum decer-
nerent. decemuiróſque ab arce Thuſculi digreſſos in caſtris militem habere : caſtra alia à Fidenis in
Sabinum agrum transferri : bellóque vltro inferendo deterreri hoſtes à conſilio vrbis oppugnandæ.
Ad clades ab hoſtibus acceptas, duo nefanda facinora decemuiri belli domíque adiiciūt. L.Siccium *L. Siccius*
in Sabinis per inuidiam decemuiralem tribunorum creandorum, ſeceſsioniſque mentiones ad vul- *decemuiro-*
gus militum ſermonibus occultis ſerentem, proſpeculatum ad locum caſtris capiendum mittunt. *rum fraude*
datur negotium militibus, quos miſerant expeditionis eius comites, vt eum opportuno adorti loco *occiditur.*
interficerent. Haud inultum interfecere.nam circa repugnantem aliquot inſidiatores cecidere, cum
ipſe ſe prævalidus pari viribus animo circumuentus tutaretur. Nunciant in caſtra cæteri, præcipita-
tum in inſidias eſſe Siccium egregiè pugnantem, militéſque quoſdam cum eo amiſſos. Primò fides
nunciantibus fuit : profecta deinde cohors ad ſepeliendos qui ceciderant, decemuirorum permiſſu,
poſtquam nullum ſpoliatum ibi corpus, Sicciúmque in medio iacentem, armatúmque omnibus in
eum verſis corporibus videre : hoſtium neque corpus vllum, nec veſtigia abeuntium, profectò ab
ſuis interfectum memorantes retulere corpus.inuidiæque plena caſtra erant, & Romam ferri proti-
nus Siccium placebat, ni decemuiri funus militare ei publica impenſa facere maturaſſent. Sepultus
ingenti militum mœſtitia,peſsima decemuirorum in vulgus fama eſt.Sequitur aliud in vrbe nefas ab
libidine ortum, haud minus fœdo euentu, quàm quòd per ſtuprum cædémque Lucretiæ vrbe re- *Ap.Claudij*
gnóque Tarquinios expulerat : vt non finis ſolum idem decemuiris,qui regibus, ſed cauſa etiam ea- *decēuiri ne-*
dem imperii amittendi eſſet. Ap.Claudium virginis plebeiæ ſtuprandæ libido cœpit. pater virginis *fandum fa-*
L.Virginius honeſtum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti domi militiæque. perinde *cinus.*
vxor inſtituta fuerat, liberíque inſtituebantur. deſponderant filiam L.Icilio tribunitio, viro acri, &
pro cauſa plebis expertæ virtutis. hanc virginem adultam, forma excellentem Appius amore ar-
dens pretio ac ſpe pellicere adortus, poſtquam omnia pudore ſepta animaduerterat, ad crudelem
ſuperbámque vim animum conuertit. M.Claudio clienti negotium dedit, vt virginem in ſeruitutem

assereret: neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias: quòd pater puellæ abesset, A
locum iniuriæ esse ratus. virgini venienti in forum (ibi nanque in tabernis literarum ludi erant) mi-
nister decemuiri libidinis manum iniecit, serua sua natam seruámque appellans esse: sequíque se iu-
bebat, cunctantem vi abstracturum. Pauida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritium
implorantis fit concursus. Virginii patris sponsíque Icilii populare nomen celebratur: notos gratia
eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Iam à vi tuta erat, cum assertor nihil opus esse multi-
tudine cõcitata ait, se iure grassari, non vi. vocat puellam in ius, authoribus qui aderant, vt sequeretur.

Ad tribunal Appij decemuiri uocatur Virginij filia.

ad tribunal Appii peruentum est. notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum authorem argu-
menti, peragit. puellam domi suæ natam, furtóque inde in domum Virginii translatam, suppositam
ei esse. id se indicio compertum afferre: probaturúmque vel ipso Virginio iudice, ad quem maior
pars iniuriæ eius pertineat. interim dominum sequi ancillam, æquum esse. Aduocati puellæ, cum Vir-
ginium reipub. causa dixissent abesse, biduo affuturum, si nunciatum ei sit: iniquum esse, absentem de
liberis dimicare: postulant vt rem integram in patris aduentum differat: lege ab ipso lata vindicias
det secundum libertatem, neu patiatur virginem adultam famæ prius, quàm libertatis periculum
adire. Appius decreto præfatus quàm libertati fauerit, eam ipsam legem declarare, quam Virginii
amici postulationi suæ prætendant. cæterum ita in ea firmùm libertati fore præsidium, si nec caussis,
nec personis variet. in his enim quæ asserantur in libertatem, quia quiuis lege agere posit, id iuris
esse: in ea quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. placere itaque
patrem accersiri: interea iuris sui iacturam assertorem non facere, quin ducat puellam, sisten-
dámque in aduentum eius qui pater dicatur, promittat. Aduersus iniuriam decreti cum multi ma-
gis fremerent, quàm quisquam vnus recusare auderet: P. Numitorius puellæ auunculus, & sponsus,
Icilius interueniunt: datáque inter turbam via, cum multitudo Icilii maximè interuentu resisti posse

Icilius puelle sponsus Appio fortiter resistit.

Appio crederet, lictor decresse ait: vociferantémq; Icilium summouet. Placidum quoque ingenium
tam atrox iniuria accendisset. Ferro hinc tibi summouendus sum Appi, inquit. vt tacitum feras, quod
celari vis. virginem ego hanc sum ducturus, nuptámque pudicam habiturus. proinde omnes colle-
garum quoque lictores conuoca, expediri virgas & secures iube: non manebit extra domum patris
sponsa Icilii: non, si tribunitium auxilium & prouocationem plebi Romanæ, duas arces libertatis
tuendæ ademistis: ideo in liberos quoque nostros coniugésq; regnum vestræ libidini datum est. sæ-
uite in tergum & in ceruices nostras, pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis afferetur, ego præsen-
tium Quiritium pro sponsa, Virginius militum pro vnica filia, omnes deorum hominúmque implo-
rabimus fidem: neque tu istud vnquam decretũ sine cæde nostra referes: postulo Appi, etiam atque
etiam consideres quò progrediare. Virginius viderit de filia, vbi venerit, quid agat. hoc tantum sciat, B
sibi, si huius vindiciis cesserit, conditionem filiæ quærendam esse. me vindicantem sponsam in li-
bertatem vita citius deseret, quàm fides. Concitata multitudo erat, certaménque instare videbatur.
lictores Icilium circunsteterant. nec vltra minas tamen processum est, cum Appius non Virginium
defendi ab Icilio, sed inquietum hominem, & tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis
quærere, diceret: non præbiturum se illi eo die materiam: sed vt iam sciret, non id petulantiæ suæ, sed
Virginio absenti & patrio nomini & libertati datum. ius eo die se non dicturum, neque decretum in-
terpositurum: à M. Claudio petiturum, vt decederet iure suo, vindicaríq; puellam in posterũ diem pa-
teretur. quod nisi pater postero die affuisset, denuntiare se Icilio similibúsq; Icilii, neq; legi suæ latorẽ,
neq; decemuiro constantiã defore: nec se vtiq; collegarum lictores conuocaturũ ad coercendos se-
ditionis authores, contentum se suis lictoribus fore. Cùm dilatum tempus iniuriæ esset, secessissentq;
aduocati puellæ, placuit omniũ primùm fratrem Icilii, filiúmq; Numitorii, impigros iuuenes pergere

Virginius accitur è castris ad tuendam filiæ pudicitiam.

inde recta ad portam: & quantũ accelerari posset, Virginiũ acciri è castris. in eo verti puellæ salutem,
si postero die vindex iniuriæ ad tempus præsto esset. Iussi pergunt, citatísq; equis nuntium ad patrem
perferũt. Cum instaret assertor puellæ vt uindicaret, sponsoréśq; daret: atq; idipsum agi diceret Icilius,
sedulò tempus terens, dum præciperent iter nuntii missi in castra: manus tollere vndiq; multitudo, &
se quisq; paratũ ad spondendum Icilio ostendere. atq; ille lacrymabundus, Gratum est, inquit: crastina
die vestra opera vtar: sponsorum nunc satis est. Ita vindicatur Virginia spondentibus propinquis. Ap
pius paulisper moratus, ne eius rei causa sedisse videretur: postquã omissis rebus aliis præ cura vnius
nemo adibat, domum se recepit: collegísq; in castra scribit, ne Virginio commeatum dent, atq; etiam
in custodia habeant. Improbum consiliũ serum, vt debuit, fuit: & iam cõmeatu sumpto profectus Vir
ginius prima vigilia erat, cum postero die mane de retinendo eo nequicquã literæ redduntur. At in

Virginij sedulitas in tuenda filiæ pudicitia.

vrbe prima luce, cum ciuitas in foro expectatione erecta staret: Virginius sordidatus filiam suã obso-
leta veste comitátibus aliquot matronis cum ingenti aduocatione in forum deducit. circumire ibi &
prænsare homines cœpit: & non orare solùm precariam opem, sed pro debita petere, se pro liberis
eorum ac coniugibus quotidie in acie stare: nec alium virum esse, cuius strenuè ac ferociter facta in
bello plura memorari possent. quid prodesse, si incolumi vrbe, quæ capta vltima timeãtur, liberis suis
sint patienda? Hæc propè cõcionabundus circumĩbat homines. Similia his ab Icilio iactabãtur. comi-
tatus muliebris plus tacito fletu, quàm vlla vox mouebat. Aduersus quæ omnia obstinato animo Ap
pius (tanta vis amentiæ verius quàm amoris mentem turbauerat) in tribunal ascendit: & vltro
querente pauca petitore, quòd ius sibi pridie per ambitionem dictum non esset, priusquam aut

Appij scelerarum iudicium.

ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem
decreto sermonem prætenderit, forsan aliquem verum authores antiqui tradiderunt. quia nus-
quam

A qoam vllum io tanta fœditate decreti verisimilem inuenio: id quod constat, nudum videtur proponendum, decresse vindicias secundum seruitutem. Primò stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquaodiu tenuit. deinde cum M. Claudius circunstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilisque eum mulierum comploratiò excepisset: Virginius intentans in Appium manus, Icilio, inquit, Appi, non tibi filiam despondi: & ad nuptias, non ad stuprum educaui. placet pecudum ferarúmque ritu promiscuè in concubitus ruere? passuríne hæc isti sint, nescio. non spero esse passuros illos qui arma habent. Cum tepelleretur assertor virginis à globo mulierum circunstantiúmque aduocatorum, silentium factum per præconem. Decemuir alienato ad libidinem animo, negat ex hesterno tantum conuicio Icilii violentiáque Virginii, cuius testem P.R. habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere, nocte tota cœtus in vrbe factos esse ad mouendam seditionem. itaque se haud inscium eius dimicationis, cum armatis descendisse, non vt quenquam quietum violaret, sed vt turbantes ciuitatis otium pro maiestate imperii coerceret: proinde quiesse erit melius. I, inquit, lictor, summoue turbam, & da viam domino ad prehendendum mancipium. Cùm hæc intonuisset plenus iræ, multitudo ipsa se sua sponte dimouit, desertáque præda iniuriæ puella stabat. Tum Virginius, vbi nihil vsquam auxilii vidit: Quæso, inquit, Appi, primùm ignosce patrio dolori, si inclementius in te sum inuectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit? vt si falsò pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Data venia, seducit filiam ac nutricem propè Cloacinæ ad tabernas, quibus nunc Nouis est nomen: atque ibi ab lanio cultro abrepto, Hoc te vno, quo possum, ait, modo filia in libertatem vindico. pectus deinde puellæ transfigit. respectánsque ad tribunal: Te, inquit, Appi, tuúmque caput sanguine hoc consecro. clamore ad tam atrox facinus orto excitus Appius, comprehendi Virginium iubet. ille ferro quacunque ibat, viam facere, donec multitudine etiam prosequentium ruente ad portam perrexit. Icilius Numitoriúsque exangue corpus sublatum ostentant populo: scelus Appii, puellæ infelicem formam, necessitatem patris deplorant. sequentes clamitant matronæ, eámne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiæ præmia esse? cæteráque quæ in tali re muliebris dolor, quò est mœstior imbecillo animo, eò miserabilia magis querẽtibus subiicit. Virorum & maximè Icilii vox tota tribunitiæ potestatis ac prouocationis ad populum ereptæ, publicarúmque indignationuoi erat. Concitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionem repetendæ libertatis, Appius nunc vocari Icilium, nunc retractantem arripi: postremò cum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse cum agmine patriciorum iuueoum per turbam vadens, in vincla duci iubet. Iam circa Icilium non solùm multitudo, sed duces quoque multitudinis erant L. Valerius, & M. Horatius. qui repulso lictore,

Virginius filiam cultro transfigit.

B si iure ageret, vindicare se à priuato Icilium aiebant: si vim afferre conaretur, ibi quoque haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium Horatiúmque lictor decemuiri inuadit, franguntur à multitudine fasces. In concionem Appius asceodit, sequuntur Horatius, Valeriúsque. eos concio andit, decemuiro obstrepitur. Iam pro imperio Valerius discedere à priuato lictores iubebat: cum fractis animis, vitæ metuens, in domum se propinquam foro insciis aduersariis capite obuoluto recepit. Sp. Oppius, vt auxilio collegæ esset, in forum ex altera parte irrumpit. videt imperium vi victum. Agitatus deinde consiliis, atque ex omni parte assentiendo, multis authoribus trepidus. senatum postremò vocari iussit. ea res, quòd magnæ parti patrum displicere acta decemuirorum videbantur, spe per senatum finiendæ potestatis eius multitudinem sedauit. Senatus nec plebem irritandam censuit: & multo magis prouidendum, ne quid Virginii aduentus in exercitu motus faceret. itaque missi iuniores patrum in castra, quæ tum in monte Vecilio erant: nuntiant decemuiris, vt omni ope ac seditione milites contineant. vbi Virginius maiorem quàm reliquerat in vrbe, motum exciuit. Nam præterquam quòd agmine propè quadringentorum hominum veniens, qui ab vrbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est: strictum etiam telum, respersúsque ipse cruore tota in se castra conuertit. & togæ multifariam in castris visæ, maioris aliquanto quàm erat, speciem vrbanæ multitudinis fecerant. Quærentibus quid rei esset, flens diu vocem non misit. Tandem vt iam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta vt gesta erant, exposuit. Supinas deinde tendens manus, commilitones appellans orabat, ne quod scelus Ap. Claudii esset, sibi attribuerent: neu se vt parricidam liberûm auersarentur. sibi vitam filiæ sua cariorem fuisse, si liberæ ac pudicæ viuere licitum fuisset. cum velut seruam ad stuprum rapi videret, morte amitti melius ratum, quàm contumelia liberos, misericordia se in speciem crudelitatis lapsum, nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem vlciscendæ mortis eius in auxilio commilitonum habuisset. illis etiam filias, sorores coniugésque esse. nec cum filia sua libidinem Ap. Claudii extinctam esse: sed quò impunitior sit, eò effreoatiorem fore: aliena calamitate documentum datum illis cauendæ similis iniuriæ. quod ad se attineat, vxorem sibi fato ereptam: filiam, quia non vltrà pudica victura fuerit, miseram, sed honestã mortem occubuisse. non esse iam Appii libidini locum in domo sua: ab alia violentia eius eodem se animo suum corpus vindicaturum, quo vindicauerit filiæ: cæteri sibi ac liberis suis consulerent. Hæc Virginio vociferanti succlamabat multitudo, nec illius dolori, nec suæ libertati se defuturos. Et immisti turbæ militum togati cum eadem illa querendo docendóque quantò visa, quàm audita indigniora potuerint videri: simul profligatam iam rem nunciando Romæ esse, insecutósque qui Appium propè interemptum in exilium abisse dicerent: perpulerunt, vt ad arma conclamaretur: velleréntque signa, & Romam proficiscerentur. Decemuiri simul iis quæ videbant, iisque quæ acta Romæ audierant, perturbati, alius in aliam partem castrorum ad sedandos motus dis-

Virginius in castra profectus opem commilitonum implorat.

currunt: & leniter agentibus responsum non redditur. imperio si quis inhiberet, & viros & armatos A

Relictis castris milites Romani Auentinū insidunt.

se esse respondetur. eunt agmine ad vrbem, & Auentinum insidunt, vt quisque occurrerat plebem ad
repetendam libertatem, creandósque tribunos plebis adhortantes. alia vox nulla violenta audita est.
senatum Sp. Oppius habet. nihil placet asperè agi. quippe ab ipsis datum locum seditionis esse. mittuntur tres legati consulares, Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpitius, qui quærerent senatus verbis, cuius
iussu castra deseruissent? aut quid sibi vellent, qui armati Auentinum obsedissent? bellóque auerso ab
hostibus patriam suam cepissent? Non defuit quid responderetur: deerat qui daret responsum, nullo
dum certo duce, nec satis audentibus singulis inuidiæ se offerre. id modò à multitudine cōclamatum
est, vt L. Valerium & M. Horatium ad se mitterent, his se daturos responsum. Dimissis legatis, admonet milites Virginius, in re non maxima paulo antè trepidatum esse, quia sine capite multitudo fuerit: responsúmque, quanquam non inutiliter, fortuito tamen magis consensu, quàm communi con-

Decem tribuni militū creantur in vrbe.

silio esse. placere decem creari, qui summæ rei præessent, militaríque honore tribunos militum appellari. Cum ad eum ipsum primùm is honos deferretur: Melioribus meis vestrísque rebus reseruate, inquit, ista de me iudicia. nec mihi filia in vita honorem vllum iucundum esse patitur: nec in perturbata Repub. eos vtile est præesse vobis, qui proximi inuidiæ sint. si quis vsus mei est, nihilo minor ex
priuato capietur. Ita decem numero tribunos militares creant. Neque in Sabinis quieuit exercitus.
ibi quoque authore Icilio, Numitorióque, secessio ab decemuiris facta est: non minore motu animorum Siccii cædis memoria renouata, quàm quem noua fama de Virginia adeò fœdè ad libidinem petita, accenderat. Icilius vbi audiuit tribunos militum in Auentino creatos, ne comitiorum militarium
prærogatiuam vrbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur: peritus rerum popularium, imminénsque ei potestati, & ipse prius quàm iretur ad vrbem, pari potestate eundem numerum

Alij decem tribuni militum creantur in castris.

ab suis creandum curat. Porta Collina vrbem intrauere sub signis, mediáque vrbe agmine in Auentinum pergunt. ibi coniuncti alteri exercitui xx tribunis militum negotium dederunt, vt ex suo numero duos crearent, qui summæ rerum præessent. M. Oppium, Sex. Manilium creant. Patres soliciti de
summa rerum, cum senatus quotidie esset, iurgiis sæpius terunt tempus, quàm consiliis. Siccii cædes
decemuiris & Appiana libido: & dedecora militiæ obiiciebantur. placebat Valerium Horatiúmque
ire in Auentinum. illi negabant se aliter ituros, quàm si decemuiri deponerent insignia magistratus
eius, quo anno iam antè abissent. Decemuiri querentes se in ordinem cogi, non antequam perlatis legibus, quarum causa creati essent, deposituros imperium se aiebant. Per M. Duellium qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs, contentionibus assiduis nihil transigi, in Sacrum montem ex Auentino
transit: affirmante Duellio non prius quàm deseri vrbem videant, curam in animos patrum descensuram: admoniturum Sacrum montem constantiæ plebis, scituros, quòd sine restituta potestate redigi B
in concordiam res nequeant. Via Nomentana, cui tum Ficulensi nomen fuit, profecti, castra in monte

Relicto Auētino plebs in Sacrum montem secessit.

Sacro locauere, modestiam patrum suorum, nihil violando imitati. Secuta exercitum plebs, nullo qui
per ætatem ire posset retractante: prosequuntur coniuges liberique, cuínam se relinquerent in ea vrbe,
in qua nec pudicitia, nec libertas sancta esset, miserabiliter rogitantes. Cùm vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum nemo esset: vocatis vtique in senatum patribus,
desertum apparuisset forum. plures iam quàm Horatius & Valerius vociferabantur. Quid expectabitis Pa. Conscripti? si decemuiri finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia passuri estis?
Quod autem istud imperium est decemuiri, quod amplexi tenetis? tectis ac parietibus iura dicturi
estis? non pudet lictorum vestrorum maiorem propè numerum in foro conspici, quàm togatorum
aliorum? Quid si hostes ad vrbem veniant, facturi estis? quid si plebs mox vbi parum secessione moueamur, armata veniat? occasúne vrbis vultis finire imperium? atqui aut plebs non est habenda, aut
habendi sunt tribuni plebis. Nos citius caruerimus patriciis magistratibus, quàm illi plebeiis. nouam
inexpertámque eam potestatem eripuere patribus nostris, ne nunc dulcedine semel capti, ferant desiderium: cùm præsertim nec nos temperemus imperiis, quò minus illi auxilii egeant. Cùm hæc ex o-

Decemuiri se in patrum potestate futuros affirmant.

mni parte iactarentur, victi consensu decemuiri futuros se, quando ita videatur, in potestate patrum
affirmant: id modò simul orant ac monent, vt ipsis ab inuidia caueatur: nec suo sanguine ad supplicia
patrum plebem assuefaciant. Tum Valerius Horatiúsque missi ad plebem conditionibus quibus videretur reuocandam, componendásque res, decemuiris quoque ab ira & impetu multitudinis præca-

Legati mittūtur ad plebem reuocādam.

uere iubentur. Profecti gaudio ingenti plebis, in castra accipiuntur: quippe liberatores haud dubiè &
motus initio, & exitu rei: ob hæc iis aduenientibus gratiæ actæ. Icilius pro multitudine verba facit.
idem cum de conditionibus ageretur, quærentibus legatis, quæ postulata plebis essent: composito

Plebis postulata.

iam ante aduentum legatorum consilio ea postulauit, vt appareret in æquitate rerum plus quàm in
armis reponi spei: potestatem enim tribunitiam prouocationémque repetebant, quæ ante decemuiros creatos auxilia plebis fuerant. & ne cui fraudi esset, concisse milites, aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. de decemuirorum modò supplicio atrox postulatum fuit. dedi

Legatorum ad postulata plebis respōsum.

quippe eos æquum censebant, viuósque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea: Quæ consilii fuerunt, adeò æqua postulastis, vt vltro vobis deferenda fuerint. libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandum alios. iræ vestræ magis ignoscendum, quàm indulgendum est:

Scuto magis quàm gladio plebi opus est.

quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis: & prius penè quàm ipsi liberi sitis, dominari iam in aduersarios vultis. Nunquámne quiescet ciuitas nostra suppliciis, aut patrum in plebem Romanam, aut plebis in patres? Scuto vobis magis quàm gladio opus est: satis superque
humilis est, qui iure æquo in ciuitate viuit, nec inferendo iniuriam, nec patiendo. etiam si quando

metuendos

A metuendos vos præbituri estis, cum recuperatis magistratibus, legibúsque vestris iudicia penes vos erunt: de capite nostro fortunísque tunc, vt quæque causa erit, statuetis. nunc libertatem repeti, satis est. Facerent vt vellent permittentibus cunctis, mox redituros se legati rebus perfectis affirmant. Profecti eum mandata plebis patrib. exposuissent: alii decemuiri, quandoquidem præter spem ipsorũ supplicii sui nulla mentio fieret, haud quicquam abnuêre. Appius truci ingenio, & inuidia præcipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio: Haud ignaro, inquit, imminet fortuna. video donec arma aduersariis tradantur, differri aduersus nos certamen. dandus inuidiæ est sanguis: nihil ne ego quidem moror, quo minus decemuiratu abeam. Factum senatusconsultum, vt decemuiri se primo quoque tempore magistratu abdicarent. Q. Furius pontifex maxi. tribunos plebis crearet: & ne cui fraudi esset secessio militum plebísque. His senatusconsultis perfectis, dimisso senatu decemuiri prodeunt in concionem, abdicántque se magistratu ingenti hominum lætitia. Nunciantur hæc plebi. legatos quicquid in vrbe hominum supererat, prosequitur. huic multitudini læta alia turba ex castris occurrit. congratulantur libertatem concordiámque ciuitati restitutam. Legati pro concione: Quod bonum, faustum, felixque sit vobis, reíque publicæ, redite in patriam ad penates, coniuges, liberósque vestros. sed qua hic modestia fuistis, vbi nullius ager in tot usu rerum necessario tantæ multitudini est violatus, eam modestiam ferte in vrbem. in Auentinum ite, vnde profecti estis. ibi felici loco, vbi prima initia inchoastis libertatis vestræ, tribunos plebis creabitis. præsto erit pontifex maximus qui comitia habeat. Ingens assensus alacritásque cuncta approbantium fuit. conuertunt inde signa, profectíque Romam certant cum obuiis gaudio. armati per vrbem silentio in Auentinum perueniũt. ibi extemplò pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creauerunt, omnium primum A. Virginium, inde L. Icilium, & P. Numitorem auunculum Virginiæ, authores secessionis: tum C. Sicinium, progeniem eius, quem primum tribunum plebis creatum in Sacro monte, proditum memoriæ est: & M. Duellium, qui tribunatum insignem ante decemuiros creatos gesserat, nec in decemuiralibus certaminibus plebi defuerat. spe deinde magis quàm meritis electi, M. Titinnius, M. Pomponius, C. Apronius, Ap. Iulius, C. Oppius. Tribunatu inito L. Icilius extemplo plebem rogauit, & plebs sciuit, ne cui fraudi esset secessio ab decemuiris facta. confestim de consulibus creandis cum prouocatione M. Duellius rogationem pertulit. ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant. Per interregem deinde consules creati, L. Valerius, & M. Horatius, qui extemplò magistratum occœperunt: quorum consulatus popularis sine vlla partium iniuria, nec sine offensione fuit. quicquid enim libertati plebis caueretur, id suis decedere opibus credebant. Omniũ primùm, cùm veluti in controuerso iure esset, tenerentúrne patres plebiscitis: legem centuriatis comi-

Decẽuiri abdicãt se magistratu.

Plebs Romã reuersa tribunos plebis creat.

Consules sublato decemuiratu creantur.

B tiis tulere, vt quod tributim plebes iussisset, populum teneret. qua lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de prouocatione, vnicum præsidium libertatis, decemuirali potestate euersam non restituunt modò, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo nouam legem, ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet. qui creasset, eum ius fásque esset occidi: neue ea cædes capitalis noxæ haberetur. & cum plebem hinc prouocatione, hinc tribunitio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis vt sacrosancti viderentur (cuius rei propè iam memoria aboleuerat) relatis quibusdam ex magno interuallo cærimoniis, renouarunt: & cum religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt: sanciendo, vt qui tribunis plebis, ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset: familia ad ædem Cereris, Liberi Liberǽque venũ iret. Hac lege iuris interpretes negant quenquam sacrosanctum esse, sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. itaque ædilem prehendi, ducíque à maiorib. magistratibus: quòd & si non iure fiat (noceri enim ei, cui hac lege non liceat) tamen argumentum esse, non haberi pro sacrosancto ædilem: tribunos vetere iureiurando plebis, cum primùm eam potestatem creauit, sacrosanctos esse. Fuere qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque & prætoribus, quia eisdem auspiciis, quibus consules crearentur, cautum esse: iudicem enim consulem appellari. Quæ refellitur interpretatio: quòd his temporibus nondum consulem iudicem, sed prætorem appellari mos fuerit. Hæ consulares leges fuere. Institutum etiam ab iisdem consulibus: vt senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur: quæ antè arbitrio consulum supprimebantur vitiabantúrque. M. Duellius deinde tribunus plebis plebem rogauit, plebésque sciuit, qui plebem sine tribunis reliquisset, quíque magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Hæc omnia vt inuitis, ita non aduersantibus patriciis transacta: quia nondum in quenquam vnum sæuiebatur. Fundata deinde & potestate tribunitia, & plebis libertate, tum tribuni aggredi singulos tutum maturúmque iam rati, accusatorem primùm Virginium, & Appium reum deligunt. Cùm diem Appio Virginius dixisset, & Appius stipatus patriciis iuuenibus in forum descendisset: redintegrata extemplò est omnibus memoria fœdissimæ potestatis, cum ipsum satellitésque eius vidissent. Tum Virginius, Oratio, inquit, rebus dubiis inuenta est. itaque neque ego accusando apud vos eum, tempus teram à cuius crudelitate vósmetipsi armis vindicastis: nec istum ad cætera scelera impudentiam in defendendo se adiicere patiar. Omnium igitur tibi Appi Claudi, quæ impiè nefariéque per biennium alia super alia es ausus, gratiam facio. vnius tantum criminis, nisi te vindices, iudicem te ab libertate in seruitutem contra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci iubeo. Nec in tribunitio auxilio Appius, nec in iudicio populi vllam spem habebat: attamen & tribunos appellauit; & nullo morante arreptus à viatore, Prouoco, inquit. Audita vox vna uíndex libertatis ex eo missa ore, quo vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant, silentium fecit. Et dum pro se quisque deos

Ne quis magistratus sine prouocatione crearetur.

Qui sint sacrosancti.

In ædem Cereris senatus consulta deferebãtur

Appio Virginius diem dixit.

tandem

A

tandem esse, & non negligere humana fremunt, & superbiæ crudelitatique etsi seras, non leues tamen venire pœnas: prouocare qui prouocationem sustulisset: & implorare præsidium populi, qui omnia iura populi obtriuisset: rapique in vincula egentem iure libertatis, qui liberum corpus in seruitutem addixisset. ipsius Appii inter concionis murmur fidem populi Romani implorantis vox audiebatur.

Appij defensio.

Maiorum merita in Rempub. domi militiæque commemorabat: suum infelix erga plebem Romanam studium, quòd æquandarum legum causa cum maxima offensione patrum consulatu abisset: suas leges, quibus manentibus lator earum in vincula ducatur. cæterum sua propria bona maláque cum causæ dicendæ data facultas sit, tum se experturum. in presentia se communi iure ciuitas ciuem Romanum die dicta postulare, ut dicere liceat, vt iudicium populi Rom. experiri. non ita se inuidiam pertimuisse, vt nihil in æquitate & misericordia ciuium suorũ spei habeat. quòd si indicta causa in vincula ducatur, iterũ se tribunos plebis appellare, & monere ne imitentur quos oderint. quod si tribuni eodem fœdere obligatos se fateantur tollendæ appellationis causa, in quam conspirasse decemuiros criminati sint: ait se prouocare ad populum: implorare leges de prouocatione, & consulares, & tribunitias eo ipso anno latas. quem enim prouocaturum, si hoc indemnato indicta causa non liceat? cui plebeio, & humili præsidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, vtrum nouis legibus dominatio, an libertas firmata sit: & appellatio prouocatióque aduersus iniuriam magistratuum ostentata tantum inanibus literis, an verè data sit. Contra ea Virginius, vnum Ap. Claudium & legum expertem, & ciuilis & humani fœderis esse aiebat. respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum: vbi decemuir ille perpetuus, bonis, tergo, sanguini ciuium infestus, virgas, securésque omnibus minitans, deorum hominúmque contemptor, carnificibus non lictoribus stipatus, iam ab rapinis & cædibus animo ad libidinem verso, virginem ingenuam in oculis populi Romani velut bello captam, à complexu patris abreptam ministro cubiculi sui clienti dono dederit: vbi crudeli decreto, nefandísque vindiciis dexteram patris in filiam armauerit: vbi tollentes corpus semianime virginis, sponsum, auunculúmque in carcerem duci iusserit, stupro interpellato magis, quàm cæde motus. & illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus. Proinde vt ille iterum ac sæpius prouocet, sic se iterum ac sæpius iudicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in seruitutem dederit. si ad iudicem non eat, pro damnato in vincula duci iubere. Vt haud quoquam improbante, sic magno motu animorum, cum tanti viri supplicio suamet plebi iam nimia libertas videretur, in carcerem est coniectus.

In carcerem Appius conijcitur.

tribunus ei diem prædixit. Inter hæc ab Latinis & Hernicis legati gratulatum de concordia patrum ac plebis Romam venerunt, donúmque ob eam Ioui optimo maximo coronam auream in Capitolium tulere parui ponderis, prout res haud opulentæ erant, colebantúrque religiones piè magis quàm magnificè. Iisdem authoribus cognitum est, B Aequos Volscósque summa vi bellum apparare. Itaque partiri prouincias Consules iussi. Horatio Sabini, Valerio Aequi euenere. Cùm ad ea bella delectum edixissent, fauore plebis non iuniores modò, sed emeritis etiam stipendiis pars magna voluntariorum ad nomina danda præsto fuere: eóque non copia modò, sed genere etiam militum veteranis admistis firmior exercitus fuit.

Duodecim tabulæ in æs incisæ in publico proponuntur.

Priusquam vrbem egrederentur, leges decemuirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas in publicò proposuerunt. Sunt qui iussu tribunorum ædiles functos eo ministerio scribant.

C. Claudij pro Appio deprecatio.

C. Claudius, qui perosus decemuirorum scelera, & ante omneis fratris filii superbiæ infestus, Regillum antiquam in patriam se contulerat: is magno iam natu cum ad pericula eius deprecanda redisset, cuius vitia fugerat, sordidatus cum gentilibus clientibúsque in foro prehensabat singulos: orabátque, ne Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, vt carcere & vinculis viderentur digni. virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legumlatorem conditorémque Romani iuris iacere vinctum inter fures nocturnos ac latrones. auerterent ab ira parumper ad cognitionem cogitationémque animos: & potius vnum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quàm propter vnius odium multorum preces aspernarentur. se quoque id generi ac nomini dare, nec cum eo in gratiam redisse, cuius aduersæ fortunæ velit succursum. virtute libertatem recuperatam esse, clementia concordiam ordinum stabiliri posse. Erant quos moueret sua magis pietate, quàm eius pro quo agebat causa. sed Virginius sui potius vt misererentur, orabat, filiæque: nec gentis Claudiæ regnum in plebem sortitæ, sed necessariorum Virginiæ trium tribunorum preces audirent, qui ad auxilium plebis creati, ipsi plebis fidem atque auxilium implorarent. Iustiores hæ lacrymæ videbantur. Itaque spe incisa, priusquam prædicta dies adesset, Appius sibi mortem consciuit.

Appius mortem sibi consciuit.

Subinde arreptus à P. Numitorio Sp. Oppius inuidiæ proximus, quòd in vrbe fuerat, cum iniustæ vindiciæ à collega dicerentur. Plus tamen facta iniuria Oppio, quàm non prohibita inuidiæ fecit. testis productus, qui septem & viginti enumeratis stipendiis, octies extra ordinem donatus, donáque ea gerens in conspectu populi, scissa veste, tergum laceratum virgis ostendit, nihilum deprecans, quin si quam suam noxam reus dicere posset, priuatus in se iterum sæuiret.

Oppius decemuirorum vnus in vincula ducitur.

Oppius quoque ductus in vincula est, & ante iudicii diem finem ibi vitæ fecit. Bona Claudii Oppiíque publicauere. collegæ eorum exilii causa solum verterunt, bona publicata sunt.

Reliqui decemuiri in exilium missi: & eorum bona publicata.

& M. Claudius assertor Virginiæ die dicta damnatus, ipso remittente Virginio vltimam pœnam, dimissus Tybur exulatum abiit: manésque Virginiæ mortuæ, quàm viuæ feliciores per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte tandem quieuerunt. Ingens metus incesserat patres, vultúsque iam iidem tribunorum erant, qui decemuirorum fuerant, cum M. Duellius tribunus plebis inhibito salubriter modo nimiæ potestatis: Et libertatis, inquit, nostræ, & pœnarum ex inimicis satis est. itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quenquam

A quam ſum paſſurus. nam neque vetera peccata repeti iam obliterata placet, cum noua expiata ſint decemuirorum ſupplicijs: & nihil admiſſum iri, quod vim tribunitiam deſideret, ſpondet perpetua conſulum amborum in libertate veſtra euenda cura. Ea primum moderatio tribuni metum patribus dempſit, eadémque auxit conſulum inuidiam: quòd adeò toti plebis fuiſſent, vt patrum ſalutis libertatiſque prior plebeio magiſtratui quàm patricio cura fuiſſet: & antè inimicos ſatietas pœnarum ſuarum cepiſſet, quàm obuiam ituros licentiæ eorum conſules appareret. multíque erant qui mollius conſultum dicerent, quòd legum ab iis latarum patres authores fuiſſent. neque erat dubium, quin turbato Reipublicæ ſtatu tempori ſuccubuiſſent. Conſules rebus vrbanis compoſitis, fundatóque plebis ſtatu, in prouincias diuerſi abiere. Valerius aduerſus coniunctos iam in Algido exercitus Aequorum Volſcorúmque ſuſtinuit conſilio bellum.

Valerius cõſul aduerſus Aequos & Volſcos conſilio bellum ſuſtinuit.

quòd ſi extemplo rem fortunæ commiſiſſet, haud ſcio an (qui tum animi ab decemuirorum infelicibus auſpiciis Romanis hoſtibúſque erant) magno detrimento certamen ſtaturum fuerit. Caſtris mille paſſuum ab hoſte poſitis, copias continebat. hoſtes medium inter biua caſtra ſpatium acie inſtructa complebant: prouocantibúſque ad prælium reſponſum Romanus nemo reddebat. tandem fatigati ſtando, ac nequicquam expectando certamen Aequi Volſcíque poſtquam conceſſum propemodum de victoria credebant: pars in Hernicos, pars in Latinos prædatum abeunt. relinquitur magis caſtris præſidium, quàm ſatis virium ad certamen. Quod vbi ſenſit conſul, reddit illatum antea terrorem, inſtructáque acie vltrò hoſtem laceſsit. vbi illi conſcientia quid abeſſet virium detrectauere pugnam, creuit extemplo Romanis animus, & pro victis habebant pauentes intra vallum. Cum per totum diem ſtetiſſent intenti ad certamen, nocte ceſſere. & Romani quidem pleni ſpei corpora curabant. haudquaquam pari hoſtes animo nuntios paſsim trepidi ad reuocandos prædatores dimittunt: recurritur ex proximis locis, vlteriores non inuenti. Vbi illuxit, egreditur caſtris Romanus, vallum inuaſurus, ni copia pugnæ fieret. & poſtquam multa iam dies erat, neque mouebatur quicquam ab hoſte, iubet ſigna inferri conſul. motáque acie indignatio Aequos & Volſcos inceſsit, ſi victores exercitus vallum potius quàm virtus & arma tegerent. igitur & ipſi efflagitatum ab ducibus ſignum pugnæ accepere. Iamque pars egreſſa portis erat: deincépſque alii ſeruabant ordinem, in ſuum quiſque locum deſcendentes, cum conſul Romanus prius quàm totis viribus fulta conſtaret hoſtium acies, intulit ſigna: adortúſque nec omnes dum eductos, nec qui erant, ſatis explicatis ordinibus, propè fluctuantem turbam trepidantium huc atque illuc, circumſpectantiúmque ſe ac ſuos, addito turbatis mentibus clamore atque impetu, inuadit. Retulere primò pedem hoſtes. deinde cum animos collegiſſent, & vndique duces victis ne ceſſuri eſſent, increparent, reſtituitur pugna. Conſul ex altera parte Romanos

Conſulis ad milites oratio.

B meminiſſe iubebat, illo die primùm liberos pro libera vrbe Romana pugnare, ſibimetipſis victuros, non vt decemuirorum victores præmium eſſent: non Appio duce rem geri, ſed conſule Valerio à liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipſo: oſtenderent prioribus præliis per duces, non per milites ſtetiſſe, ne vincerent: turpe eſſe, contra ciues plus animi habuiſſe, quàm contra hoſtes: & domi, quàm foris, ſeruitutem magis timuiſſe. Vnam Virginiam fuiſſe, cuius pudicitiæ in pace periculum eſſet: vnum Appium ciuem periculoſæ libidinis: at ſi fortuna belli inclinet, omnium liberis ab tot millibus hoſtium periculum fore. Nolle ominari quæ nec Iupiter, nec Mars pater paſſuri ſunt iis auſpiciis conditæ vrbi accidere. Auentini Sacríque montis admonebat, vt vbi libertas parta eſſet paucis antè menſibus eo imperium illibatum referrent: oſtenderéntque, eandem indolem militibus Romanis poſt exactos decemuiros eſſe, quæ ante creatos fuerit: nec æquatis legibus imminutam virtutem populi Romani eſſe. Hæc vbi inter ſigna peditum dicta dedit, aduolat deinde ad equites.

Ad equites conſulis oratio.

Agite iuuenes, inquit, præſtate virtute peditem, vt honore atque ordine præſtatis. primo concurſu pedes mouit hoſtem, pulſum vos immiſsis equis exigite è campo: non ſuſtinebunt impetum: & nunc cunctantur magis, quàm reſiſtunt. Concitant equos, permittúntque in hoſtem pedeſtri iam turbatum pugna: & præruptis ordinibus elati ad nouiſsimam aciem, pars libero ſpatio circumuecti, iam fugam vndiq; capeſſentes, pleroſque à caſtris auertunt, præterequitantéſque abſterrent. peditum acies & conſul ipſe, víſque omnis belli fertur in caſtra: captíſq; cum ingenti cæde maiore præda potitur.

Volſcorum & Aequorũ caſtra expugnantur.

Huius pugnæ fama perlata non in vrbem modò, ſed in Sabinos ad alterum exercitum, in vrbe lætitia modò celebrata eſt: in caſtris animos militum ad æmulandum decus accendit. Iam Horatius eos excurſionibus ſufficiendo, præliíſque leuibus experiundo, aſſuefecerat ſibi potius fidere, quàm meminiſſe ignominiæ decemuirorum ductu acceptæ, paruáque certamina in ſummam totius profecerant ſpei. Nec ceſſabant Sabini feroces ab re priore anno bene geſta laceſſere atque inſtare, rogitantes quid latrocinii modò procurſantes pauci, recurrentéſque tererent tempus? & in multa prælia paruáque carperent ſummam vnius belli? quin illi congrederentur acie? inclinandámque ſemel fortunæ rem darent? Ad id quod ſua ſponte ſatis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur. iam alterum exercitum victorem in vrbem rediturum, ſibi vltro per contumelias hoſtem inſultare. quando autem ſe, ſi tum non ſint, pares hoſtibus fore? Vbi hæc fremere militem in caſtris conſul ſenſit, cõcione aduocata,

Horatij conſulis ad milites oratio.

Quemadmodum, inquit, in Algido res geſta ſit, arbitror vos milites audiſſe. qualem liberi populi exercitum decuit eſſe, talis fuit. conſilio collegæ, virtute militum victoria parta eſt. Quod ad me attinet, id conſilii animíque habiturus ſum, quod vos milites mihi effeceritis. & trahi bellum ſalubriter, & maturè perfici poteſt. ſi trahendum eſt, ego vt in dies ſpes virtúſque veſtra creſcat, eadem qua inſtitui diſciplina efficiam. ſi iam ſatis animi eſt, decerníque placet, agite dum clamorem, qualem in aciem ſublaturi eſtis, tollite hic indicem voluntatis virtutíſque veſtræ.

Poſtquam

Postquam ingenti alacritate clamor est sublatus: quod bene vertat, gesturum se illis morem. Posteróque die in aciem deducturum, affirmat. reliquum diei apparandis armis consumptum est. Postero die simul instrui Romanam aciem Sabini vidêre, & ipsi iam auidi certaminis procedunt. Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambos exercitus, veteris perpetuæque alterum gloriæ, alterum nuper noua victoria elatum. Consilio etiam Sabini vires adiuuere. nam cum æquassent aciem, duo extra ordinem millia, quæ in sinistrum cornu Romanorum in ipso certamine impresionem facerent, tenuere. quæ vbi illatis ex transuerso signis degrauabant propè circumuentum cornu, equites duarum legionum sexcenti ferè ex equis desiliunt, cedentibúsque iam suis prouolant in primum: simúlque & hosti se opponunt: & æquato primùm periculo, pudore deinde animos peditum accendunt. verecundiæ erat, equitem suo alienóque marte pugnare: peditem ne ad pedes quidem digresso equiti parem esse. Vadunt igitur in prælium ab sua parte omissum, & locum ex quo cesserant, repetunt: momentóque non restituta modò pugna, sed inclinatur etiam Sabinis cornu. eques inter ordines peditum tectus se ad equos recipit: transuolat inde in partem alteram suis victoriæ nuntius, simul & in hostes iam pauidos, quippe fuso suæ partis validiore cornu, impetum facit. non aliorum eo prælio virtus magis enituit. Consul prouidere omnia, laudare fortes, increpare sicubi segnior pugna esset. castigati fortium statim virorum opera edebant: tantúmque hos pudor, quantum alios laudes excitabant. Redintegrato clamore vndique omnes connixi hostem auertunt, nec deinde Romana vis sustineri potuit. Sabini fusi passim per agros castra hosti ad prædam relinquunt. ibi non sociorum sicut in Algido res, sed suas Romanus populationibus agrorum amissas recipit. Gemina victoria duobus bifariam præliis parta, malignè senatus in vnum diem supplicationes consulum nomine decreuit. populus iniussu & altero die frequens iit supplicatum. & hæc vaga popularísque supplicatio studiis propè celebratior fuit. Consules ex composito eodem biduo ad vrbem accessere, senatúmque in Martium campum euocauere. vbi cum de rebus ab se gestis agerêt, questi primores patrum, senatum inter milites dedita opera terroris causa haberi. itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, vbi nunc ædes Apollinis est (circum iam tum Apollinarem appellabant) auocauere senatum. vbi cum ingenti consensu patrum negaretur triumphus, L. Icilius tribunus plebis tulit ad populum de triumpho consulum: multis dissuasum prodeuntibus, maximè C. Claudio vociferante, de patribus, non de hostibus consules triumphare velle: gratiámque pro priuato merito in tribunum, non pro virtute honorem peti. nunquàm antè de triumpho, per populum actum, semper æstimationem arbitriúmque eius honoris penes senatum fuisse. ne reges quidem maiestatem summi ordinis imminuisse. ne ita omnia tribuni potestatis suæ implerent, vt nullum publicum cõsilium sinerent esse. ita demum liberam ciuitatem fore, ita æquatas leges, si sua quisque iura ordo, suam maiestatem teneat. in eandem sententiam multa & à cæteris senioribus patrum cum essent dicta, omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primùm sine authoritate senatus populi iussu triumphatum est. Hæc victoria tribunorum plebísque propè in haud salubrem luxuriam vertit, conspiratione inter tribunos facta, vt iidem tribuni reficerentur: & quo sua minus cupiditas emineret, cõsulibus quoq; cõtinuarent magistratũ. cõsensum patrũ causabantur, quo per contumeliã consulum iura plebis labefactata essent. quid futurũ, nondũ firmatis legibus si nouos tribunos per factiones suas consules adorti essent? non enim semper Valerios Horatiósque Coss. fore, qui libertati plebis suas opes postferrent. Forte quadam vtili ad tempus, vt comitiis præesset, potissimum M. Duellio sorte euenit, viro prudenti, & ex continuatione magistratus inuidiam imminentem cernenti. qui cum ex veteribus tribunis negaret vllius se rationem habiturum: pugnaréntque collegæ vt liberas tribus in suffragium mitteret, aut concederet sortem comitiorũ collegis, habituris è lege potius comitia quàm ex volũtate patrũ: iniecta cõtentione Duellius cõsules ad subsellia accitos cũ interrogasset, quid de comitiis cõsularibus in animo haberent, respondissentque se nouos consules creaturos: authores popularis sententiæ, aut populares nactus, in concionẽ cum iis processit. vbi cum consules producti ad populum, interrogatiq; si eos, eos P.R. memor libertatis per illos receptæ domi, memor militiæ rerúmque gestarum consules iterum faceret, quid nam facturi essent? nihil sententiæ suæ mutassent: collaudatis consulibus quod perseuerarent ad vltimum dissimiles decemuirorum esse, comitia habuit. & quinque tribunis plebis creatis, cum præ studiis apertè petentium nouem tribunorum alii candidati tribus non explerent, concilium dimisit: nec deinde comitiorum causa habuit. satisfactum legi aiebat, quæ numero nusquam præfinito tribunis, modò vt relinquerentur, sanciret: & ab iis qui creati essent, cooptari collegas iuberet. recitabátque rogationis carmen, in quo: Si tribunos plebis decem rogabo, si quis vos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: hi tum vtique quos sibi collegas cooptassent, vt illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, vt illi quos hodie tribunos plebei feceritis. Duellius cum ad vltimum perseuerasset, negando xv. tribunos plebis Rempubl. habere posse, victa collegarum cupiditate, pariter patribus plebíque acceptus magistratu abiit. Noui tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem fouerunt: duos etiam patricios consularésque Sp. Tarpeium & A. Aeternium cooptauere. Consules creati, Sp. Herminius, T. Virginius Cælimontanus, nihil magnopere ad patrum aut plebis causam inclinati, otium domi ac foris habuêre. L. Trebonius tribunus plebis infestus patribus, quòd se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditúmque à collegis aiebat: rogationem tulit, vt qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is vsque eo rogaret, dum x tribunos plebis faceret. insectandísq; patribus, vnde Aspero etiam inditũ est cognomen, tribunatũ gessit. Inde M. Geganius Macrinus, & C. Iulius coss. facti, conciones tribunorũ aduersus nobilium iuuentutem

Margin notes: Acerrimum inter Romanos & Sabinos prælium. — Sabinorum castra diripiuntur. — De triũpho consulũ certatur inter patres & populum. — Sine authoritate senatus populi iussu triumpharunt cõsules.

A B

A uentutem ortas, sine insectatione potestatis eius, conseruata maiestate patrum, sedauere: plebem decreto ad bellum Volscorum & Aequorum delectu sustinendo, rem ab seditionibus contiuuere: vrbano quoq; otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias ciuiles externos tollere animos, cura pacis, concordiæ quoque intestinæ causa fuit. Sed alter semper ordo grauis alterius modestiæ erat. quiescenti plebi ab iunioribus patrum iniuriæ fieri cœptæ. vbi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat: deinde ne ipsi quidē inuiolati erant. vtique postremis mensibus cum & per conciones potentiorum iniuria fieret, & vis potestatis omnis aliquanto posteriore anni parte languidior fermè esset: iámque plebs ita in tribunatu ponere aliquid spei, si similes Icilio tribunos haberet: nomine tantū se biennio habuisse. Seniores contrà patrum vt nimis feroces suos credere iuuenes esse, ita malle, si modus excedendus esset, suis quàm aduersariis superesse animos. adeò moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, vt deprimat alium, in difficili est: cauendóque ne metuant homines, metuendos vltro se efficiunt: & iniuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, iniungimus aliis. T. Quintius Capitolinus quartùm, & Agrippa Furius consules inde facti, nec seditionem domi, nec foris bellum acceperunt: sed imminebat vtrunque. Iam non vltra discordia ciuium reprimi poterat, & tribunis & plebe incitata in patres, cum dies alicui nobilium dicta nouis semper certaminibus conciones turbaret. Ad quarum primum strepitum velut signo accepto arma cepere Aequi ac Volsci: simul quod persuaserant iis duces cupidi prædarum: biennio antè delectum indictum haberi non potuisse, abnuente iam plebe imperium. eo aduersus se non esse missos exercitus. dissolui licentia militandi morem, nec pro communi iam patria Romam esse. quicquid irarum simultatúmque cum externis fuerit, in ipsos verti, occæcatos lupos intestina rabie opprimendi occasionem esse. Coniunctis exercitibus Latinum primùm agrum populati sunt: deinde postquam ibi nemo vindex occurrebat, tum verò exultantibus belli authoribus, ad mœnia ipsa Romæ populabundi regione portæ Esquilinæ accessere, vastationem agrorum vrbi per contumeliā ostentantes. vnde postquàm inulti prædam præ se agentes retro ad Corbionem agmine iere, Quintius Cos. ad concionem populum vocauit. ibi in hanc sententiam locutum accipio: Etsi mihi nullius noxæ conscius Quirites sum, tamē cum pudore summo in concionē vestram processi: hoc vos scire, hoc posteris memoriæ traditū iri: Aequos & Volscos vix Hernicis modò pares, T. Quintio quartùm consule ad mœnia vrbis Romæ impunè armatos venisse. hanc ego ignominiam (quanquam iamdiu ita viuitur, is status rerum est, vt nihil boni diuinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem, vel exilio, vel morte, si alia fuga honoris non esset, vitassem. Ergo si viri arma illa habuissent, quæ in portis fuere nostris, capi Roma me consule potuit: satis honorum, satis súperque vitæ

B erat: mori consulem tertiùm oportuit. Quem tandem ignauissimi hostium contempsere? nos consules? an vos Quirites? si culpa in nobis est, auferte imperium indignis: & si id parum est, insuper pœnas expetite. si in vobis, nemo deorum nec hominum sit, qui vestra puniat peccata Quirites, vosmet tantum eorū pœniteat. Non illi vestrā ignauiā contempsere, nec suæ virtuti confisi sunt: quippe toties fusi fugatíque, castris exuti, agro mulctati, sub iugū missi, & se & vos nouère. discordia ordinū est venenū vrbis huius, patrū ac plebis certamina. dū nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus: dū tedet vos patritiorum nos plebeiorū magistratuū, sustulere illi animos. Prò deûm fidē, quid vobis vultis? tribunos plebis cōcupistis, cōcordiæ causa concessimus. decemuiros desiderastis, creari passi sumus. decemuirorū vos pertesum est, coegimus abire magistratu. manente in eosdē priuatos ira vestra, mori atq; exulare nobilissimos viros honoratissimósque passi sumus. tribunos plebis creare iterum voluistis, creastis. consules facere vestrarum partium, etsi patribus videbamus iniquum, patritium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus, auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, scita plebis iniuncta patribus, sub titulo æquandarum legum nostra iura oppressa tulimus & ferimus. Qui finis erit discordiarum? ecquando vnam vrbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Victi nos æquiore animo quiescimus, quàm victores. satísne est, nobis vos metuendos esse? Aduersus nos Auentinum capitur, aduersus nos Sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste propè captas, & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submouit. in nos viri, in nos armati estis. Agite dum, vbi hic curiam circumsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerem impleueritis principibus, hisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam. aut si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros, ferro ignique vastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. At enim communis res per hæc loco est peiore. ager vritur, vrbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem priuatæ res vestræ quo in statu sunt? iam vnicuique ex agris sua damna nunciabuntur. quid est tandem domi, vnde ea expleatis? tribuni vobis amissa reddent ac restituent? vocis verborúmque quantum voletis, ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. sed ex illis concionibus nunquam vestrûm quisquam re fortunáque domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad coniugem & liberos, præter odia, offensiones, simultates publicas priuatásque? à quibus semper non vestra virtute innocentiáque, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules, cum stipendia nobis consulibus, non tribunis ducibus, & in castris non in foro faciebatis, & in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant: præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum, gloriæque simul publicæ, simul priuatæ, triumphantes domum ad penates redibatis: nunc oneratum vestris fortunis hostem abire sinitis. Hærete affixi concionibus, & in foro viuite: sequitur vos necessitas militandi, quam fugitis. Graue erat in Aequos & Volscos proficisci? ante portas est bellum. si inde non pellitur, iam intra mœnia erit, & arcem

Dissidia inter patres & plebem.

Aequi ac Volsci contra Romanos arma capiunt.

Quintij Cos. ad Quirites oratio.

Venenum ciuitatis ordinum discordia.

Ex intestinis dissidijs rem publicā simul & priuatam minui.

arcem & Capitolium ſcandet, & in domos veſtras vos perſequetur. Biennio antè ſenatus delectum A haberi,& educi exercitum in Algidum iuſsit. ſedemus deſides domi, mulierum ritu inter nos altercantes,præſenti pace læti,cernentes ex otio illo breui multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio,ſed me vera pro gratis loqui, & ſi meum ingenium non moneret, neceſsitas cogit. vellem equidem vobis placere Quirites,ſed multò malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita comparatum eſt, vt qui apud multitudinem ſua cauſa loquitur, gratior eo ſit,cuius mens nihil præter publicum commodum videt. niſi fortè aſſentatores publicos, plebicolas iſtos.qui vos nec in armis,nec in otio eſſe ſinunt:veſtra vos cauſa incitare & ſtimulare putatis.concitati aut honori aut quæſtui illis eſtis.& quia in concordia ordinum nullos ſe vſquam eſſe vident,malæ rei ſe quàm nullius,turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt. Quarum rerum ſi vos tædium tandem capere poteſt:& patrum veſtrôſque antiquos mores vultis pro his nouis ſumere,nulla ſupplicia recuſo,niſi paucis diebus hos populatores agrorum noſtrorum fuſos fugatóſque caſtris exuero : & à portis noſtris mœnibúſque ad illorum vrbes hunc belli terrorem,quo nunc vos attoniti eſtis,tranſtulero. Rarò aliâs tribuni popularis oratio acceptior plebi,quàm tunc ſeuerisſimi conſulis fuit. Iuuentus quoque quæ inter tales metus detrectationem militiæ, telum acerrimum aduerſus patres habere ſolita erat,bellum & arma ſpectabat.& agreſtium fuga,ſpoliatique in agris & vulnerati,fœdiora iis quæ ſub iiciebantur oculis nuntiantes,totam vrbem ira impleuere. In ſenatum vbi ventũ eſt,ibi verò in Quintium omnes verſi,vt vnum vindicem maieſtatis Romanæ intueri,& primores patrum dignam dicere concionem imperio conſulari,dignam tot conſulatibus anteactis, dignam vita omni plena honorum ſæpe geſtorum,ſæpius meritorum. alios conſules aut per proditionem dignitatis patrum plebi adulatos,aut acerbè tuendo iura ordinis aſperiorem domando multitudinem feciſſe: T. Quintium orationem memorem maieſtatis patrum concordiæque ordinum,& temporum in primis habuiſſe. orare eum collegámque,vt capeſſerent Rempub. orare tribunos, vt vno animo cum conſulibus bellum ab vrbe ac mœnibus propulſari vellent, plebémque obedientem in re tam trepida patribus præberent,appellare tribunos,communem patriam,auxiliúmque eorũ implorare, vaſtatis agris,vrbe propè oppugnata. Conſenſu omnium delectus decernitur habetúrque. Cùm conſules in concione pronuntiaſſent,tempus non eſſe cauſas cognoſcendi:omnes iuniores poſtero die prima luce in campo Martio adeſſent:cognoſcendis cauſis eorum qui nomina non dediſſent,bello perfecto ſe daturos tempus: pro deſertore futurum, cuius non probaſſent cauſam:omnis iuuentus affuit poſtero die. cohortes ſibi quæque centuriones legerunt,bini ſenatores ſingulis cohortibus præpoſiti. Hæc omnia adeò maturè perfecta accepimus,vt ſigna eo ipſo die à quæſtoribus ex ærario prompta delatáque in campum,quarta diei hora,mota ex campo ſint:exercitúſque nouus,paucis cohortibus veterum militum voluntate B. ſequentibus, manſerit ad decimum lapidem. inſequens dies hoſtem in conſpectum dedit, caſtráque ad Corbionem caſtris ſunt coniuncta. tertio die cum ira Romanos,illos cum toties rebellaſſent, conſcientia culpæ ac deſperatio irritaret, mora dimicandi nulla eſt facta. In exercitu Romano cum duo conſules eſſent poteſtate pari,quod ſaluberrimum in adminiſtratione magnarũ rerum eſt,ſumma imperii concedente Agrippa penes collegam erat.& prælatus ille facilitati ſummittentis ſe comiter reſpondebat,communicando conſilia laudéſque,& æquando imparem ſibi. In acie Quintius dextrum cornu, Agrippa ſiniſtrum tenuit: Sp. Poſthumio Albo legato datur media acies tuenda: legatum alterum P. Sulpitiũ equitibus præficiunt. Pedites ab dextro cornu egregiè pugnauere, haud ſegniter reſiſtentibus Volſcis. P. Sulpitius per mediam hoſtium aciem cum equitatu perrupit. vnde cum eadem reuerti poſſet ad ſuos, priuſquam hoſtis turbatos ordines reficeret,terga impugnare hoſtium ſatius viſum eſt. momentóque temporis in auerſam incurſando aciem ancipiti terrore diſsipaſſet hoſtes,ni ſuo proprio eum prælio equites Volſcorum & Aequorum exceptum aliquandiu tenuiſſent. Ibi verò Sulpitius negare cunctandi tempus eſſe, circumuentos interclusóſque ab ſuis vociferans, ni equeſtre prælium connixi omni vi perficerent,nec fugare equitem, integrum ſatis eſſe. conficerent equos viróſque,ne quis reueheretur inde ad prælium,aut integraret pugnam. non poſſe illos reſiſtere ſibi,quibus conferta peditum acies ceſsiſſet. Haud ſurdis auribus dicta impreſsione vna totum equitatum fudere, magnam vim ex equis præcipitauere: ipſos, equóſque ſpiculis confodere. Is finis pugnæ equeſtris fuit. Tunc adorti peditum aciem,nuntios ad conſules rei geſtæ mittunt,vbi iam inclinabatur hoſtium acies. nuntius deinde vincẽtibus Romanis animos auxit,& referẽtes gradum perculit Aequos. in media primùm acie vinci cœpti,qua præmiſſus equitatus turbauerat ordines. ſiniſtrum deinde cornu ab Quintio conſule pelli cœptum. in dextro plurimum laboris fuit. Ibi Agrippa ætate viribúſque ferox cum omni parte pugnæ melius rem geri,quàm apud ſe videret,accepta ſigna ab ſigniferis ipſe inferre,quædam iacere etiam in confertos hoſtes cœpit. cuius ignominiæ metu concitati milites inuaſere hoſtem. ita æquata ex omni parte victoria eſt. Nuntius tum à Quintio venit, victorem iam ſe imminere hoſtium caſtris,nolle irrumpere antequàm ſciat debellatum & in ſiniſtro cornu eſſe. ſi iam fudiſſet hoſtes,conferret ab ſe ſigna,vt ſimul omnis exercitus præda potiretur. Victor Agrippa cum mutua gratulatione ad victorem collegam, caſtráque hoſtium venit. ibi paucis defendentibus,momentóque fuſis, ſine certamine in munitiones irrumpunt : prædáque ingenti compotem exercitum, ſuis etiam rebus recuperatis,quæ populatione agrorũ amiſſæ erant,reducunt. Triumphum nec ipſos poſtulaſſe, nec delatum iis ab ſenatu , accipio : nec traditur cauſa ſpreti , aut non ſperati honoris. ego quantum in tanto interuallo temporum conijcio,cum Valerio atque Horatio conſulibus, qui præter Volſcos & Aequos Sabini etiam belli perfecti gloriã pepererant,negatus ab ſenatu triumphus eſſet,

verecundiæ

Margin notes: *Vera pro gratis loqui bonum ciuẽ oportet.* — *Quintij Cos. Lau.* — *Maxima in comparando exercitu diligentia.* — *Volſcorum & Aequorum caſtra expugnantur.*

A verecundiæ fuit pro patre dimidia rerum consulibus petere triumphum:ne,etiamsi impetrassent,magis hominum ratio,quàm meritorum habita videretur. Victoriam honestam ex hostibus partam turpe domi de finibus sociorum. iudicium populi deformauit. Aricini atq; Ardeates de ambiguo agro cùm sæpe bello certassent,multis inuicem cladibus fessi iudicem populum Romanum cepere. Cùm ad causam orandam venissent, concilio populi à magistratibus dato, magna contentione actum. iámque editis testibus cùm tribus vocari,& populum inire suffragiũ oporteret, consurgit P.Scaptius de plebe magno natu.Et,si licet,inquit,cõsules de Republica dicere,errare ego populum in hac causa non patiar. Cùm vt vanum eum negarent consules audiendum esse, vociferantémque prodi publicam causam,summoueri iussissent,tribunos appellat. Tribuni,vt ferè semper reguntur à multitudine magis,quàm regunt,dedêre cupidæ audiendi plebi,vt quæ vellet,Scaptius diceret. Ibi infit,annum se tertium & octogesimum agere,& in eo agro de quo agitur,militasse non iuuenem, sed vicesima iam stipendia merentem,cùm ad Coriolos sit bellatum.eò se rem vetustate obliteratam,cæterùm suæ memoriæ infixam afferre.agrum,de quo ambigitur,finium Coriolanorum fuisse,captísque Coriolis iure belli publicum populi Romani factum.mirari se,quónam more Ardeates Ariciníque, cuius agri ius nunquàm vsurpauerint incolumi Coriolana re,eum se à populo Romano,quẽ pro domino iudicẽ fecerint,intercepturos sperent.Sibi exiguum vitæ tempus superesse,non potuisse se tamen inducere in animum, quin quem agrum miles pro virili parte manu cepisset, eum senex quoque voce, qua vna posset,vindicaret.magnopere se suadere populo,ne inutili pudore suam ipse causam damnaret. Consules cùm Scaptium non silentio modò, sed cum assensu etiam audiri animaduertissent : deos, hominésque testantes flagitium ingens fieri, patrum primores accersunt.cum his circumire tribunos, orare,ne pessimum facinus peiore exemplo admitterent, iudices in suam rem litem vertendo, cùm præsertim,etiamsi fas sit, curam emolumenti sui iudici esse, nequaquam tantum agro intercipiendo acquiratur, quantũ amittatur alienandis iniuria sociorum animis.nam famæ quidem ac fidei damna maiora esse,quàm quæ æstimari possent.Hoc legatos referre domum?hoc vulgari?hoc socios audire? hoc hostes?quo cum dolore hos?quo cum gaudio illos? Scaptióne hoc concionali seni assignaturos putarent finitimos populos? clarum hac fore imagine Scaptium nomen:populum Romanum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ personam laturum.quem enim hoc priuatæ rei iudicem fecisse,vt sibi controuersiosam adiudicaret rem?Scaptium ipsum id quidem,etsi præmortui iam sit pudoris,non facturum.Hæc consules,hæc patres vociferantur.sed plus cupiditas, & author cupiditatis Scaptius valet.vocatæ tribus iudicauerunt agrum publicũ populi Romani esse. nec abnuitur ita fuisse,si ad iudices alios itum foret.nunc haud sanè quicquam bona causa eleuatur dedecus iudicii.idque
B non Aricinis Ardeatibúsque,quàm patribus Romanis,fœdius atque acerbius visum.Reliquum anni quietum ab vrbanis motibus & ab externis mansit.

Turpe de finibus sociorum populi Romani iudicium.

Scaptij vanissimi senis oratio.

Famæ & fidei damna æstimari nõ possunt.

DECADIS PRIMAE LIBER QVARTVS.

Lex de connubio patrum, & plebis contentione magna, patribus repugnãtibus perlata est à tribunis plebis. Aliquot annis res populi Romani domi militiæq; per hoc genus magistratus administratæ sunt. Item censores tunc primum creati sunt. Ager Ardeatinus Romani populi iudicio ablatus, missis in eum colonis restitutus est. Cum fame populus Romanus laboraret, Sp. Melius eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus est: & ob id factum conciliata sibi plebe: regnum affectans à C. Seruilio Hala magistro equitum iussu Quintij Cincinnati dictatoris occisus est. L. Minutius index boue aurato donatus est. Legatis Romanis à Fidenatibus occisis, quoniam ob Rempublicam occubuerant, statuæ in rostris positæ sunt. Cornelius Cossus tribunus militum, occiso Tolumnio rege Veientium, opima spolia secunda retulit. Mamercus Aemylius dictator censuræ honore, qui anteà per quinquennium, gerebatur, anni & sex mensium spatio finito, ob eam rem à censoribus notatus est. Fidenæ in potestatem redactæ, eoq; coloni missi sunt. quibus occisis Fidenates cùm defecissent à populo Romano, à Mamerco Aemylio dictatore victi sunt, & Fidenæ captæ. Coniuratio seruorum oppressa est. Posthumius tribunus militum propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipendium ex ærario tum primùm militibus datum est. Res præterea gestas aduersum Volscos & Veientes continet.

HOs secuti M.Genutius & P.Curiatius consules. Fuit annus domi forísque infestus. nam anni principio & de connubio patrum & plebis C.Canuleius tribunus plebis rogationem promulgauit.qua contaminari sanguinem suum patres, confundíque iura gentium rebantur: & mentio primò sensim illata à tribunis,vt alterum ex plebe consulem liceret fieri,eò processit déinde, vt rogationem nouem tribuni promulgarent,vt populo potestas esset,seu de plebe,seu de patribus vellet,cõsules faciendi. Id verò si fieret,nõ vulgari modò cum infimis, sed prorsus auferri à primoribus ad plebem summum imperium credebant.Læti ergo audiere patres, Ardeatium populum ob iniuriam agri abiudicati descisse,& Veientes depopulatos extrema agri Romani, & Volscos Aequósque ob communitam Verruginem fremere.adeò vel infelix bellum ignominiosæ paci præferebãt. His itaq; in maius etiam acceptis,vt inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tribunitiæ, delectus haberi,bellum,armáque vi summa apparari iubent,si quo intentius possit, quàm T.Quintio consule, apparatum sit. Tum C.Canuleius pauca in senatu vociferatus,nequicquã territando consules auertere plebem à cura nouarum legum,nunquàm eos se viuo delectũ habituros, antequàm ea, quæ promulgata ab se collegísq; essent,plebes sciuisset:confestim ad concionem aduocauit.Eodem tempore & consules senatum in tribunum,& tribunus populum in consules incitabat.Negabant consules iam vltra ferri posse furores tribunitios.ventum iam ad finem esse,domi plus belli concitari, quàm foris.

De cõnubio patrum cum plebeijs rogationẽ promulgat Tribunus plebis.

Ardeates desciscunt.

Veiẽtes Romanos fines depopulantur.

Cõsules aduersus tribunos plebis senatum incitant.

A id adeò non plebis, quàm patrum, neq; tribunorum magis, quàm consulum culpa accidere. cuius rei præmium sit in ciuitate, eam maximis semper auctibus crescere, sic pace bonos, sic bello fieri. maximum Romæ præmium seditionum esse: id & singulis vniuersisque semper honori fuisse. Reminiscerentur quam maiestatem senatus ipsi à patribus accepissent, quam liberis tradituri essent: vt quemadmodum plebs gloriari posset, auctiorem ampliorémque esse. finem ergo non fieri, nec futurum, donec quàm felices seditiones, tam honorati seditionum authores essent. Quas, quantásque res C. Canuleium aggressum? colluuione gentium perturbationem auspiciorum publicorum priuatorúmque afferre, ne quid synceri, ne quid incontaminati sit: vt discrimine omni sublato, nec se quisquã, nec suos nouerit. quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi vt ferarum propè ritu vulgẽtur concubitus plebis, patrúmque? vt qui natus sit, ignoret cuius sanguinis, quorum sacrorũ sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. Parum id videri, quòd omnia diuina humanáque turbentur, iam ad consulatum vulgi turbatores accingi. & primò, vt alter consul ex plebe fieret, id modò sermonibus tentasse: nunc rogari, vt seu ex patribus, seu ex plebe velit, populus consules creet: & creaturos haud dubié ex plebe seditiosissimum quenque. Canuleios igitur Iciliósque consules fore. ne id Iupiter optimus maximus sineret, regiæ maiestatis imperium eò recidere, & se millies morituros potiùs, quàm vt tantum dedecoris admitti patiantur. certum habere, maiores quoque, si diuinassent, concedendo omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorem, alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram: primò quamlibet dimicationem subituros fuisse potiùs, quàm eas leges sibi imponi paterentur, quia tum concessum sit de tribunis, iterum cõcessum esse. Finem non fieri posse, in eadem ciuitate tribunos plebis, & patres esse: aut hunc ordinem, aut illum magistratum tollendum esse, potiúsque serò quàm nunquàm obuiam eundum audaciæ temeritatíque. illíne vt impunè primò discordias serentes concitent finitima bella? Déinde aduersus ea quæ concitauerint, armari ciuitatem, defendíque prohibeant? & cùm hostes tantum non accersierint, exercitus conscribi aduersus hostes nõ patiantur? sed audeat Canuleius in senatu proloqui, se, nisi suas leges tanquam victoris patres accipi sinant, delectum haberi prohibiturũ. quid esse aliud, quàm minari se proditurum patriam: oppugnari atque capi passurum? quid eam vocem animorum, non plebi Romanæ, sed Volscis & Aequis & Veientibus allaturam? nónne Canuleio duce se speraturos Capitolium atque arcem scandere posse, si patribus tribuni cum iure ac maiestate adempta, animos etiam eripuerint? Consules paratos esse duces priùs aduersus scelus ciuium, quàm aduersus hostium arma. Cùm maximè hæc in senatu agerentur, Canuleius pro legibus suis, & aduersus consules ita disseruit: Quantopere vos Quirites contemnerent patres, quàm indignos ducerent, qui vna secum vrbe intra eadẽ mœnia viueretis, sæpe equidem & ante videor animaduertisse: nunc tamen maximè, quod adeò atroces B in has rogationes nostras coorti sunt: quibus quid aliud quàm admonemus ciues nos eorum esse, & si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus, quod finitimis externísque dari solet. nos quidem ciuitatem, quæ plus quàm connubium est, hostibus etiam victis, dedimus. Altera nihil noui ferimus, sed id, quod populi est, repetimus atque vsurpamus: vt quibus velit, populus Romanus honores mandet. Quid tandem est, cur cælum ac terras misceant? cur in me impetus modò penè in senatu sit factus? negent se manibus temperaturos? violaturósque denuntient sacrosanctam potestatem? Si populo Romano liberum suffragium datur, vt quibus velit, consulatum mandet: & non præciditur spes plebeio quoque, si dignus summo honore erit, adipiscẽdi summi honoris, stare vrbs hæc non poterit? de imperio actum est? Et périnde hoc valet, plebeiúsne consul fiat, tanquam seruum, aut libertinum aliquis consulem futurum dicat. Ecquid sentitis in quanto contemptu viuatis? Lucis vobis huius partem, si liceat, adimant. quòd spiratis, quòd vocem mittitis, quòd formas hominum habetis, indignantur. quin etiam (si diis placet) nefas aiunt esse consulem plebeium fieri. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur, ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum successisse: nec aut iuris aut maiestatis quicquam habere, quod nõ regibus antè fuerit? en vnquam creditis fando auditũ esse, Numam Pompilium non modò non patritium, sed ne ciuem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum, populi iussu, patribus authoribus Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium non modò Romanæ, sed ne Italicæ quidem gentis, Demarati Corinthii filium, incolam ab Tarquiniis, viuis liberis Anci, regem factum? Seruium Tullium post hunc captiua Corniculana natum, patre nullo, matre serua, ingenio & virtute regnum tenuisse? quid enim de T. Tatio Sabino dicam? quem ipse Romulus parens vrbis in societatem regni accepit? Ergo dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, creuit imperium Romanum. Pœniteat nunc vos plebeii consulis, cùm maiores nostri aduenas reges non fastidierint, & ne regibus quidem exactis clausa vrbs fuerit peregrinæ virtuti. Claudiam certè gentem post reges exactos ex Sabinis non in ciuitatem modò accepimus, sed etiam in patritiorum numerũ. Ex peregrinóne patritius, deinde consul fiat? ciuis Romanus, si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Vtrum tandem nõ credimus fieri posse, vt vir fortis ac strenuus, pace bellóque bonus ex plebe, sit Numæ, L. Tarquinio, Seruio Tullio similis? anne si sit quidem, ad gubernacula Reipublicæ accedere eum patiemur? potiúsque decemuiris teterrimis mortalium, qui tum omnes ex patribus erãt, quàm optimis regum nouis hominibus similes consules sumus habituri? At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid posteà? nulláne res noua institui debet? & quod nõdum est factum, multa enim nondum sunt facta in nouo populo, eáne si vtilia quidem sint, fieri non oportet? Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt, census in ciuitate, & descriptio centuriarum

Canulei tribuni plebs aduersus Coss. orat.

A rum claſsiúmque non erat: ab Seruio Tullio eſt facta. Conſules nunquàm fuerãt: regibus exactis crea
ti ſunt. Dictatoris nec imperium, nec nomen fuerat : apud patres eſſe cœpit. Tribuni plebis, ædiles,
quæſtores nulli erant: inſtitutum eſt vt fierent. Decemuiros legibus ſcribendis intra decem hos an-
nos & creauimus, & è Republica ſuſtulimus. Quis dubitat, quin in æternum vrbe condita, & in im-
menſum creſcente, noua imperia, ſacerdotia, iura gentium, hominúmque inſtituantur? Hoc ipſum ne
connubium patribus cum plebe eſſet, non decemuiri tulerunt paucis his annis peſsimo exemplo pu
blico, cum ſumma iniuria plebis? an eſſe vlla maior, aut inſignior cõtumelia poteſt, quàm partem ci-
uitatis velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid eſt aliud, quàm exilium intra eadem
mœnia, quàm relegationem pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immiſceamur? Cauẽt ne ſocie-
tur ſanguis. quid? hoc ſi polluit nobilitatem iſtam veſtram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sa-
binis, non genere, nec ſanguine, ſed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut poſt
reges exactos iuſſu populi: ſynceram ſeruare priuatis conſiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe,
neque veſtras filias ſororéſque enubere ſinendo è patribus? Nemo plebeius patritiæ virgini vim af-
ferret: patritiorũ iſta libido eſt: nemo inuitum pactioné nuptialem quenquam facere coegiſſet. Ve-
rùm enimuero lege id prohiberi, & cõnubium tolli patrum ac plebis, id demum cõtumelioſum plebi
eſt. cur enim non confertis, ne ſit connubiũ diuitibus ac pauperibus? Quod priuatorũ conſiliorũ vbi-
que ſemper fuit, vt in quam cuique fœminæ conueniſſet domum, nuberet: ex qua pactus eſſet vir do-
mo, in matrimonium duceret: id vos ſub legis ſuperbiſsimæ vincula conücitis, qua dirimatis ſocieta-
tem ciuilem, duáſque ex vna ciuitate faciatis. Cur non ſancitis, ne vicinus patritio ſit plebeius? ne eo-
dem itinere eat? ne idem conuiuium ineat? ne in foro eodem conſiſtat? quid enim in re eſt aliud, ſi ple-
beiam patritius duxerit? ſi patritiam plebeius? quid iuris tandem mutatur? nempe patrem ſequuntur
liberi. nec, quod nos ex cõnubio veſtro petamus, quicquam eſt, præterquàm vt hominum, vt ciuium
numero ſimus. nec vos (niſi in contumeliam ignominiámque noſtram certare iuuat) quod contenda
tis, quicquam eſt. Denique, vtrum tandem populi Romani, an veſtrum ſummum imperium eſt? regi-
bus exactis vtrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta eſt? Oportet licere populo Ro-
mano, ſi velint iubere legem. an vt quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro pœna decer-
netis? & ſimul ego tribunus vocare tribus in ſuffragium cœpero, vt ſtatim conſul ſacramẽto iuniores
adiges? & in caſtra educes? & minaberis plebi, minaberis tribuno? Quid? ſi non quantum iſtæ minæ
aduerſus plebis conſenſum valerent, bis iam experti eſſetis? ſcilicet quia nobis conſultum volebatis,
certamine abſtinuiſtis? an ideo non eſt dimicatum, quòd quæ pars firmior, eadem modeſtior fuit?
Nec nunc erit certamen Quirites. animos veſtros illi tentabunt ſemper, vires non experientur. Itaque
B ad bella iſta, ſeu falſa, ſeu vera ſunt, conſules parata vobis plebs eſt, ſi connubiis redditis, vnam hanc
ciuitatem tandem facitis, ſi coaleſcere, ſi iungi, miſcerique vobis priuatis neceſsitudinibus poſſunt: ſi
ſpes, ſi aditus ad honores viris ſtrenuis & fortibus datur: ſi in conſortio, ſi in ſocietate Reipublicæ eſ-
ſe: ſi, quod æquè libertatis eſt, inuicem annuis magiſtratibus parére, atque imperitare licet. Si hæc im-
pediet aliquis, ferte ſermonibus, & multiplicate fama bella. Nemo eſt nomen daturus, nemo arma ca
pturus, nemo dimicaturus pro ſuperbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in pri-
uata connubii ſocietas eſt. Cùm in concionem & conſules proceſsiſſent, & res à perpetuis orationi-
bus in altercationem vertiſſet, interroganti tribuno, cur plebeium conſulem fieri non oporteret? vt
fortaſſe verè, ſic parum vtiliter in præſens certamen reſpõdit, quod nemo plebeius auſpicia haberet.
ideóque decemuiros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. Plebes ad id maxi-
mè indignatione exarſit, quòd auſpicari tanquam inuiſi diis immortalibus negarentur poſſe. Nec an-
tè finis contentionum fuit, cùm & tribunum acerrimum authorem plebs nacta eſſet, & ipſa cum eo *De patrum*
pertinacia certaret, quàm victi tandem patres vt de cõnubio ferretur conceſſere: ita maximè rati con *cum plebe*
tentionem de plebeiis conſulibus tribunos, aut totam depoſituros, aut poſt bellum dilaturos eſſe, con *cõnubio lex*
tentámque interim connubio plebem paratam delectui fore. Cùm Canuleius victoria de patribus, & *fertur.*
plebis fauore ingens eſſet, accenſi alii tribuni ad certamen, pro rogatione ſua ſumma vi pugnant, &
creſcente in dies fama belli, delectum impediunt. Conſules, cum per ſenatum, intercedentibus tribu-
nis, nihil agi poſſet, conſilia principum domi habebant: apparebat, aut hoſtibus, aut ciuibus, de victo-
ria concedendum eſſe. Soli ex conſularibus Valerius atque Horatius non intererant conſiliis. C. Clau-
dii ſententia conſules armabat in tribunos: Quintiorum, Cincinnatíque & Capitolini ſentẽtiæ abhor-
rebant à cæde, violandíſque quos fœdere icto cum plebe ſacroſanctos accepiſſent. Per hæc cõſilia eò
deducta res eſt, vt tribunos militum conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus ac plebe creari ſine- *Tribuni mi*
rent, de conſulibus creandis nihil mutaretur. eóque contenti tribuni, contenta plebs fuit. Comitia tri- *litum conſu*
bunis conſulari poteſtate tribus creandis indicuntur. quibus indictis, extemplò quicunque aliquid *lari poteſta*
ſeditioſè dixerat, aut fecerat, quàm maximè tribunitii & prehenſare homines, & concurſare toto fo- *te creantur,*
ro candidati cœpere: vt patritios deſperatio primò irritata plebe adipiſcendi honoris, deinde indigna *anno ab vr-*
tio, ſi eum his gerendus eſſet honos, deterreret: poſtremò coacti tamen à primoribus petiere, ne ceſ- *be condi-*
ſiſſe poſſeſsione Reipublicæ viderentur. Euentus eorum comitiorum docuit, alios animos in conten *ta 310.*
tione libertatis dignitatíſque, alios ſecundum depoſita certamina incorrupto iudicio eſſe. tribunos
enim omnes patritios creauit populus, contentus eo, quòd ratio habita plebeiorum eſſet. Hanc mo-
deſtiam æquitatémque & altitudinem animi vbi nunc in vno inueneris, quæ tum populi vniuerſi
fuit? Anno trecenteſimo decimo, quàm vrbs Roma condita erat, primùm tribuni militum pro con-
ſulibus magiſtratum ineunt, A. Sempronius Atratinus, L. Attilius, T. Cæcilius, quorum in magi-

stratu concordia domi, pacem etiam foris præbuit. Sunt qui propter adiectum Aequorum Volscorúmque bello, & Ardeatium defectioni Veiens bellum, quia duo consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatæ legis de consulibus creandis ex plebe: & imperio, & insignib. consularibus vsos. Non tamen pro firmato iam stetit magistratus eius ius, quia tertio mense quàm inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati honore abiere, quòd C. Curiatius, qui comitiis eorum præfuerat, parum rectè tabernaculum cepisset. A

Ardeates, legatos Romam mittunt. Legati ab Ardeatibus Romam venerunt, ita de iniuria querentes, vt si demeretur ea, in fœdere, atque amicitia mansuros restituto agro appareret. Ab senatu responsum est, iudicium populi rescindi ab senatu non posse, præterquam quòd nullo nec exemplo, nec iure fieret, concordiæ etiam ordinum causa. si Ardeates sua tempora expectare velint, arbitriúmque senatui leuandæ iniuriæ suæ permittant, fore, vt postmodum gaudeant se ire moderatos: sciántque patribus æquè curæ fuisse, ne qua iniuria in eos oriretur, ac ne orta, diuturna esset. Ita legati, cum se rem integram relaturos dixissent, comiter dimissi. *Interrex creatur.* Patritii, cum sine curuli magistratu respublica esset, coiere, & interregem creauere. contentio, consuléśne, an tribuni militū crearentur, in interregno rem dies complures tenuit. Interrex ac senatus consulum comitia, tribuni plebis & plebs tribunorum militum vt habeantur, tendunt. Vicerunt patres, quia & plebs patritiis seu hunc, seu illum delatura honorem, frustra certare supersedit: & principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quàm quibus vt indigni præterirentur. tribuni quoque plebis certamen sine effectu in beneficio apud primores patrum reliquere. T. Quintius Barbatus interrex consules creat L. Papyrium Mugilanum, L. Sempronium Atratinum. *Cum Ardeatibus fœdus renouatur.* His consulibus cum Ardeatibus fœdus renouatum est. Idque monumenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inueniuntur. credo, quòd tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus, prætermissa nomina consulum horum. Licinius Macer author est & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inuentos. Et foris, cùm tot terrores à finitimis ostentati essent, & domi otium fuit. Hunc annum, seu tribunos modò, seu tribunis suffectos consules quoque habuit, sequitur annus haud dubiis consulibus, M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintùm c o s s. *Censuræ initium.* Idem hic annus censuræ initium fuit, rei à parua origine ortæ. quæ deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitúmque centuriæ decoris dedecorísque discrimen sub ditione eius magistratus, publicorum ius, priuatorúmque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quòd in populo per multos annos incenso neque differri census poterat: neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam, ac minimè consularem suo proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiæque & tabularum cura, cui arbitrium formulæ censendi subiiceretur. Et patres, quanquam rem paruam, tamen quò plures patritii magistratus in Republic. essent, læti accepere id quod euenit, futurum credo etiam rati, vt mox opes eorum qui præessent, ipsi honori ius maiestatémque adiicerent. & tribuni (id quod tunc erat) magis necessariam, quàm speciosi ministerii prouocationem intuentes, ne paruis quoque rebus incommodè aduersarentur, haud sanè tetendere. Cum à primorib. ciuitatis spretus honor esset, Papyrium Semproniúmque, quorum de consulatu dubitabatur, vt eo magistratu parum solidum consulatum explerent, censui agendo populus suffragiis præfecit. *Primi censores.* Censores ab re appellati sunt. Dum hæc Romæ geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro veterrima societate, renouatóque fœdere recenti auxilium propè euersæ vrbi implorantes. *Factiones quàm perniciosæ.* Frui nanque pace optimo consilio cum populo Romano seruata, per intestina arma non licuit, quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum, quæ fuere, eruntque pluribus populis magis exitio quàm bella externa, quàm fames morbíue, quæque alia in deûm iras velut vltima publicorum malorum vertunt. *Ob virginis nuptias inter Ardeates bellū intestinum.* Virginem plebeii generis maximè forma notam petiere iuuenes: alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui & ipsi eiusdem corporis erant: nobilis alter, nulla re, præterquam forma captus. adiuuabant eum optimatium studia, per quæ domum quoque puellæ certameo partium penetrauit. nobilis superior iudicio matris esse, quæ quàm splendidissimis nuptiis iungi puellam volebat. tutores in ea quoque re partium memores ad suum tendere. Cum res peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est. postulatu audito matris tutorúmque, magistratus secundum parentis arbitrium dant ius nuptiarum. Sed vis potentior fuit. namque tutores inter suæ partis homines de iniuria decreti palàm in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. aduersus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum iniuria iuuenem. fit prælium atrox. Pulsa plebs nihil Romanæ plebi similis, armata ex vrbe profecta colle quodam capto in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit. vrbem quoque omnis etiam expertem antè certaminis, multitudine opificum ad spem prædæ euocata, obsidere parat. nec vlla species, cladísque belli abest, velut contacta ciuitate rabie duorum iuuenum, funestas nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti vtrique domi armorum bellíque est visum. optimates Romanos ad auxilium vrbis obsessæ, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos exciuere. B

Volsci obsidentes Ardeam ab Romanis obsidentur. Priores Volsci duce Aequo Cluilio Ardeam venerunt, & mœnib. hostium vallum obiecere. Quod vbi Romam est nuntiatum, extemplò M. Geganius consul cum exercitu profectus, tria millia passuum ab hoste locum castris cepit, præcipitíque iam die curare corpora milites iubet. quarta deinde vigilia signa profert: cœptúmque opus adeò approperatum est, vt sole orto Volsci firmiore se munimento ab

A to ab Romanis circumuallatos, quàm à se vrbem viderent. & alia parte consul muro Ardeæ brachium iniunxerat, qua ex oppido sui commeare possent. Volscus imperator, qui ad eam diem non commeatu præparato, sed ex populatione agrorum rapto in diem frumento, aluisset militem: postquam septus vallo repentè inops omnium rerum erat, ad colloquium consule euocato, si soluendæ obsidionis causa venerit Romanus, abducturum se inde Volscos ait. Aduersus ea consul, victis conditiones accipiendas esse, non ferendas, respondit: neque vt venerint ad oppugnandos socios populi Romani suo arbitrio, ita abituros Volscos esse. dedi imperatorem, arma poni iubet, fatentes victos se esse, & imperio parêre. aliter tam abeuntibus, quàm manentibus se hostem infensum, victoriam potius ex Volscis, quàm pacem infidam Romam relaturum. Volsci exiguam spem in armis, alia vndique abscissa, cum tentassent: præter cætera aduersa, loco quoque iniquo ad pugnam congressi, iniquiore ad fugam, cum ab omni parte cæderentur, ad preces à certamine versi, dedito imperatore, traditísque armis sub iugum missi, cum singulis vestimentis ignominiæ cladísque pleni dimittuntur. & cùm haud procul vrbe Thusculo consedissent, vetere Thusculanorum odio inermes oppressi dederunt pœnas, vix nuntiis cædis relictis. Romanus consul Ardeæ turbatas seditione res, principibus eius motus securi percussis, bonísque eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit. Demptámque iniuriam iudicii tanto beneficio populi Romani Ardeates credebant. senatui superesse aliquid ad delendum publicæ auaritiæ monumentum videbatur. Consul triumphans in vrbem redit, Cluilio Volscorum duce ante currum ducto, prælatísque spoliis, quibus dearmatum exercitum hostium sub iugum miserat. Aequauit, quod haud facile est, Quintius consul togatus armati gloriam collegæ: qua concordiæ pacísque domesticam curam, iura infimis summísque moderando ita tenuit, vt eum & patres seuerum consulem, & plebs satis comem crediderint: & aduersus tribunos authoritate plura, quàm certamine tenuit. quinque consulatus eodem tenore gesti, vitáque omnis consulariter acta, verendum penè ipsum magis quàm honorem faciebant. eò tribunorum militarium nulla mentio his consulibus fuit. Consules creant M. Fabium Vibulanum, Posthumium Ebutium Cornicinem. Fabius & Ebutius consules, quò maiori gloriæ rerum domi forísque gestarum succedere se cernebant (maximè autem memorabilem annum apud finitimos socios hostésque esse, quòd Ardeatib. in re præcipiti tanta foret cura subuentum) eò impensius, vt delerent prorsus ex animis hominum infamiam iudicii, senatusconsultum fecerunt, vt quoniam ciuitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eò præsidii causa aduersus Volscos scriberentur. Hoc palàm relatum in tabulas, vt plebem tribunósque falleret, iudicij rescindendi consilium initum. consenserant autem vt multo maiore parte

Volsci sub iugũ missi, à Thusculanis occiduntur.

Quintij consulis laus.

Ardeam coloni mittuntur.

B Rutulorum colonorum quàm Romanorum scripta, nec ager vllus diuideretur, nisi is qui interceptus iudicio infami erat: nec vlli prius Romano ibi, quàm omnibus Rutulis diuisus esset, gleba vla agri asignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit. Triumuiri ad coloniam Ardeam dedncendam creati, Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Ebutius Helua. Qui præter minimè populare ministerium agro asignando sociis, quem populus Rom. suum iudicasset, cum plebem offendissent, ne primoribus quidem patrum satis accepti, quòd nihil gratiæ cuiusquam dederant: vexationes, ad populum iam die dicta ab tribunis, coloni ascripti remanendo in colonia, quam testem integritatis iustitiæque habebant, vitauere. Pax domi forísque fuit, & hoc & insequenti anno C. Furio Pacilio, & M. Papyrio Crasso, c o s. Ludi ab decemuiris per secessionem plebis à patribus ex senatusčõsulto voti, eo anno facti sunt. Causa seditionum nequicquam à Petilio quæsita. qui tribunus plebis iterum ea ipsa denuntiando factus, neque vt de agris diuidendis plebi referrent consules ad senatum, peruincere potuit: & cum magno certamine obtinuisset, vt consulerentur patres, consulum an tribunorum placeret comitia haberi, consules creari iussi sunt. ludibrióque erant minæ tribuni denuntiantis se delectum impediturum, cum quietis finitimis neque bello, neque belli apparatu opus esset. Sequitur hanc tranquillitatem rerum annus Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato c o s s. multiplici clade ac periculo insignis, seditionibus, fame, regno propè per largitionis dulcedinem in ceruices accepto. Vnum abfuit bellum externum: quo si aggrauatæ res essent, vix ope deorum omnium res sisti potuisset. Cœpere à fama mala, seu aduersus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum & vrbis, deserto agrorum cultu. nam vtrunque traditur. & patres plebem desidem, & tribuni plebis nunc fraudem, nunc negligentiam consulum accusabant. Postremò perpulere plebem haud aduersante senatu, vt L. Minutius præfectus annonæ crearetur: felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quàm ad curationem ministerii sui: quanquam postremò annonæ quoque leuatæ haud immeritam & gratiam & gloriam tulit. Qui cum multis circa finitimos populos legationibus terra marīq; nequicquam missis (nisi quòd ex Hetruria haud ita multum frumenti aduectum est) & nullum momentum annonæ fecisset: & reuolutus ad dispensationem inopiæ, profiteri cogendo frumentum, & vendere quod vsui menstruo superesset: fraudandóque parte diurni cibi seruitia: criminando inde, & obiiciendo iræ populi frumentarios, acerba inquisitione aperiret magis quàm leuaret inopiam: multi ex plebe spe amissa, potius quàm vt cruciarentur trahendo animam, capitibus obuolutis se in Tyberim præcipitauerunt. Tum Sp. Melius ex equestri ordine, vt illis temporibus, prædiues, rem vtilem pessimo exemplo, peiore consilio est aggressus. frumento nanque ex Hetruria priuata pecunia per hospitum clientiúmque ministeria coempto (quæ credo ipsa res ad leuandam publica cura annonam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere instituit: plebémque hoc munere deli-

Ludi facti.

Annus multiplici clade ac periculo insignis.

Multi ex plebe fame coacti se in Tyberim præcipitãt.

Sp. Melius regnum largitionibus affectat.

A

Humanus animus insatiabilis.

nitam, quacunque incederet conspectus, elatúsq; supra modum hominis priuati, secum trahere, haud dubium consulatum fauore ac spe despondentem. Ipse, vt est humanus animus insatiabilis eo quod fortuna spondet: ad altiora & non concessa tendere: & quoniam consulatus quoque eripiendus inuitis partibus esset, de regno agitare, id vnum dignum tanto apparatu consiliorũ, & certamine, quod ingens exudandum esset, præmium fore. Iam comitia consularia instabant: quæ res eum nec dum compositis maturísve satis consiliis, oppressit. Consul sextùm creatus T. Quintius Capitolinus, minimè opportunus vir nouanti res: collega additur ei Agrippa Menenius, cui Lanato erat cognomen. & L. Minutius præfectus annonæ, seu refectus, seu quoad res posceret, in incertum creatus. nihil enim constat, nisi in libros linteos vtroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minutius eandem reipub. curationem agens, quam Melius priuatim agendam susceperat: cum in vtraque domo genus idem hominum versaretur, rem compertam ad senatum refert: tela in domum Melii conferri, cúmque conciones domi habere: ac non dubia regni consilia esse: tempus agendæ rei nondum stare, cætera iam conuenisse: & tribunos mercede emptos ad prodendam libertatem: & partita ducibus multitudinis ministeria esse. serius se penè, quàm tutum fuerit, ne cuius incerti vanique author esset, ea deferre.

Produntur Sp. Melij de regni ambitione consilia.

Quæ postquam sunt audita, & vndique primores patrum & priores anni consules increparent, quòd eas largitiones, cœtúsque plebis in priuata domo passi essent fieri: & nouos consules, quòd expectassent, donec à præfecto annonæ tanta res ad senatum deferretur: quæ consulem non authorem solum desideraret, sed etiam vindicem: tum T. Quintius, consules immeritò increpari ait: qui constricti legibus de prouocatione ad dissoluendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. opus esse non forti solum viro, sed etiam libero, exolutóque legum vinculis. Itaque se dictatorem L. Quintium dicturum: ibi animum parem tantæ potestati esse. Approbantibus cunctis, primo Quintius abnuere: &, quid sibi vellent, rogitare, qui se ætate exacta tantæ dimicationi obiicerent? Dein cum vndique plus in illo senili animo non consilii modò, sed etiam virtutis esse, quàm in omnibus aliis dicerent, laudibúsque haud immeritis onerarent, & consul nihil remitteret: precatus tandem deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno dedecorive reipublicæ esset, dictator à consule dicitur.

Cincinnatus à consule Dictator dicitur.

ipse deinde C. Seruilium Halam magistrum equitum dicit. Postero die dispositis præsidiis cum in forum descendisset, conuersáque in eum plebs nouitate rei, ac miraculo esset: & Meliani, atque ipse dux eorum in se intentam vim tanti imperii cernerent: expertes consiliorum regni, qui tumultus, quod bellum repens aut dictatoriam maiestatem, aut Quintium post octogesimum annum rectorem reipublicæ quæsisset, rogitarent: missus ab dictatore Seruilius magister equitum ad Melium, Vocat te, inquit, dictator. B

Sp. Melius ad Dictatorē uocatur.

Cum pauidus ille quid vellet, quæreret: Seruiliúsque causam dicendam esse proponeret: criménq; à Minutio delatum ad senatum diluendum: tunc Melius recipere se in cateruam suorum: & primùm circunspectans tergiuersari, postremò cum apparitor iussu magistri equitũ eum duceret, ereptus à circunstantibus, fugiénsque, fidem plebis Romanæ implorare: & opprimi se consensu patrum dicere, quòd plebi benignè fecisset: orare, vt opem sibi vltimo in discrimine ferrent, néve ante oculos suos trucidari sinerent.

Seruilius magister equitum Sp. Melium obtruncat.

Hæc eum vociferantem assecutus Hala Seruilius obtruncat: respersúsque cruore obtruncati, stipatus caterua patriciorum iuuenum dictatori renuntiat: vocatum ad eum Melium repulso apparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere. Tum dictator, Macte virtute, inquit, C. Seruili esto, liberata republica. Tumultuantem deinde multitudinem incerta existimatione facti, ad concionem vocari iussit:

Dictatoris ad populum oratio.

& Melium iure cæsum pronuntiauit: etiamsi regni crimine insons fuerit: qui vocatus à magistro equitum ad dictatorem non venisset, se ad causam cognoscendam consedisse: qua cognita, habiturum fuisse Melium similem causæ fortunam. vim parantem, ne iudicio se committeret, vi coercitum esse. nec cum eo tanquam cum ciue agendum fuisse: qui natus in libero populo inter iura legésque, ex qua vrbe reges exactos sciret: eodémque anno sororis filios regis, & liberos consulis liberatoris patriæ, propter pactionẽ indicatam recipiendorum in vrbem regum, à patre securi esse percussos: ex qua Collatinum Tarquinium consulem nominis odio abdicare se magistratu, atque exulare iussum: in qua de Sp. Casio post aliquot annos propter consilia inita de regno supplicium sumptum: in qua nuper decemuiros bonis, exilio, capite mulctatos ob superbiam regiam: in ea Sp. Melius spem regni conceperit, & quis homo? quanquam nullam nobilitatem, nullos honores, nulla merita cuiquam ad dominationem pandere viam. sed tamen Claudios, Casios consulatibus, decemuiratibus suis, maiorúmque honoribus, splendore familiarum sustulisse animos, quo nefas fuerit Sp. Melium, cui tribunatus plebis magis optandus, quàm sperandus fuerit: frumentarium diuitem bilibre farris sperasse libertatem se ciuium suorum emisse: cibóque obiiciendo ratum victorem finitimorum omnium populum in seruitutem perlici posse: vt quem senatorem concoquere ciuitas vix posset, regem ferret, Romuli conditoris ab diis orti, recepti ad deos, insignia atque imperium habentem. non pro scelere id magis, quàm pro monstro habendum. Nec satis esse sanguine eius expiatum, nisi tecta parietésque, intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur: bonáque contacta pretiis regni mercãdi, publicarentur. Iubere itaque quæstores vendere ea bona, atque in publicum redigere. Domum deinde, vt monumẽto area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplò iussit. id Aequimelium appellatũ est. L. Minutius† boue aurato extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumẽtum Melianum assibus in modios æstimatum plebi diuisit. Hunc Minutium apud quosdam authores transisse à patribus ad plebem, vndecimamque

† Plin. non boue, sed statua donatũ scribit.

A mùmque tribunum plebis cooptatum,seditionem motam ex Meliana fæde cedasse,inuenio.cæterùm vix credibile est,numerum tribunorum patres augeri passos: idque potißimum exemplum à patricio homine introductum: nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certè tentasse. sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum,paucis ante annis lege cautum,ne tribunis collegam cooptare liceret. Q.Cæcilius,Q.Iunius, Sext.Titinnius, soli ex collegio tribunorum neque tulerant de honoribus.Minutii legem: & criminari nunc Minutium,nunc Seruilium apud plebem. queríque indignam necem Melii non destiterant.peruicerunt igitur, vt tribunorum militum potius quàm consulum comitia haberentur: haud dubij, quin sex lectis (tot enim iam creari licebat) & plebeii aliqui profitendo se vltores fore Melianæ cædis,crearentur. Plebs quanquam agitata multis eo anno & variis motibus erat,nec plures quàm tres tribunos consulari potestate creauit.& in iis L.Quintium Cincinnati filium : ex cuius dictaturæ inuidia tumultus quærebatur:prælatus suffragiis Quintio Mamercus Aemylius vir summæ dignitatis,L.Iulium tertium creant.in horum magistratu Fidenæ colonia Romana ad Lartem Tolumnium Veientium regem ac Veientes defecere. maius additum defectioni scelus. C.Fulcinium, C.Iulium Tullum,Sp.Nautium,L.Roscium legatos Romanos , causam noui consilii quærentes,iussu Tolumnii interfecerunt.Leuant quidam regis facinus.in tesserarum prospero iactu vocem eius ambiguam,vt occidi iussisse videretur,à Fidenatibus exceptam, causam mortis legatis fuisse.rem incredibilem : interuentu Fidenatium nouorum sociorum consulentium de cæde ruptura ius gentium,non auersum ab intentione lusus animum : nec deinde in horrorem versum facinus.propius est fidem,obstringi Fidenatium populum,ne respicere spem vllam ab Romanis posset conscientia tanti sceleris,voluisse.Legatorum,qui Fidenis cæsi erant,statuæ publicè in Rostris positæ sunt.Cum Veientibus Fidenatibúsque præterquam finitimis populis ab causa etiam tam nefanda bellum exorsis,atrox dimicatio instabat.Itaque ad curam summæ rerum quieta plebe , tribunísque eius, nihil controuersiæ fuit,qoin consules crearentur,M.Geganius Macerinus tertiùm,& L.Sergius Fidenas : à bello credo,quod deinde gessit,appellatus.hic enim primus cis Anienem cum rege Veientiũ secundo prælio conflixit : nec incruentam victoriam retulit. Maior itaque ex ciuibus amissis dolor, quàm lætitia fusis hostibus fuit.& senatus , vt in trepidis rebus , dictatorem dici Mamercum Aemylium iussit : is magistrum equitum ex collegio prioris anni, quo simul tribuni militum consulari potestate fuerant, L.Quintium Cincinnatum dignum parente iuuenem dixit. Ad delectum à consulibus habitum centuriones veteres belli periti adiecti : & numerus amissorum proxima pugna expletus.Legatos,Quintium Capitolinum,& M.Fabium Vibulanum sequi se dictator iussit. Cùm potestas maior,tum vir quoque potestati par, hostes ex agro Romano trans Anienem submouêre : collésque

Fidenæ à Romanis deficiunt. & Legatos Romanos interficiunt.

Veientes à Sergio Cos. fusi.

B inter Fidenas atque Anienem ceperunt,referentes castra:nec antè in campos digreßi sunt, quàm legiones auxilio Faliscorum venerunt.tum demum castra Hetruscorum pro mœnibus Fidenarum posita. Et dictator Romanus haud procul inde ad confluentes consedit in vtriusque ripis amnis , qua sequi munimento poterat,vallo interposito, postero die in aciem eduxit. Inter hostes fuere variæ sententiæ.Faliscus procul ab domo militiam ægrè patiens,satísque fidens sibi, poscere pugnam. Veienti Fidenatiqoe plus spei in trahendo bello esse. Tolumnius,quanquam suorum magis placebant consilia,ne longinquam militiam non paterentur Falisci, postero die se pugnaturum edicit. Dictatori ac Romanis,quòd detrectasset pugnam hostis,animi accessere. posteróque die iam militibus castra vrbémqoe se oppugnaturos frementibus , ni copia pugnæ fiat, vtrinque acies inter bina castra in medium campi procedunt.Veiens multitudine abundans, qui inter dimicationem castra Romana aggrederentur,post montes circummisit.Trium populorum exercitus ita stetit instructus,vt dextrum corno Veientes, sinistrum Falisci tenerent , medii Fidenates essent. Dictator dextro cornu aduersus Faliscos,sinistro contra Veientem Capitolinus Quintius intulit signa:ante mediam aciem cum equitatu magister equitum processit.Parumper silentium & quies fuit:nec Hetruscis,nisi cogerentur,pugnam inituris:& dictatore arcem Romanam respectante,vt ab auguribus simul aues ritè admisissent, ex composito tolleretur signũ,quod vbi conspexit,primos equites clamore sublato in hostem emisit. secuta peditum acies ingenti vi conflixit.nulla parte legiones Hetruscæ sustinuere impetum Romanorum.eques maximè resistebat.equitúmque longè fortißimus ipse rex ab omni parte effusè sequentibus obequitans Romanis,trahebat certamen.Erat tum inter equites tribunus militum A.Cornelius Cossus eximia pulchritudine corporis,animo ac viribus par,memórque generis quod amplißimum acceptum,maius auctiúsque reliquit posteris. Is cùm ad impetum Tolumnii,quacunque se intendisset,trepidantes Romanas videret turmas,insignémq; eum regio habitu volitantem tota acie cognouisset : Hiccine est,inquit,ruptor fœderis humani,violatórq; gentium iuris?iam ego hanc mactatam victimam (si modò sancti quicquam in terris esse dii volunt) legatorum Manibus dabo. calcaribus subditis infesta cuspide in vnum fertur hostem. quem cum ictum equo deiecisset , confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit , assurgentem ibi regem vmbone resupinat , repetitúmque sæpius cuspide ad terram affixit.tum exangui detracta spolia , capútque abscisum victor spiculo gerens terrore cæsi regis hostes fundit. Itaque equitum quoque fusa acies , quæ vna fecerat anceps certamen. Dictator fugatis legionibus instat:& ad castra compulsos cædit. Fidenatium plurimi locorum notitia effugere in montes. Cossus Tyberim cum equitatu transuectus,ex agro Veientano ingentem detulit prædam ad vrbem.Inter prælium & ad castra Romana pugnatum est aduersus partem copiarum ab Tolumnio,vt antè dictum est, ad castra missam. Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit : intentos deinde hostes in vallum , egressus dextra principali cum triariis repente inuadit.

A. Cornelius Cossus regem Veiẽtium interficit.

Vincuntur Veientes & eorum socij.

A quo pauore iniecto, cædes minor, quia pauciores erant: fuga non minus trepida, quàm in acie fuit.

Dictator triumphans in urbem redijt.

Omnibus locis re bene gesta, dictator senatusconsulto, iussúque populi triumphans in vrbem rediit. Longè maximum triumphi spectaculum fuit Cossus spolia opima regis interfecti gerens. in eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo, canere. Spolia in æde Iouis Feretrii prope Romuli spolia, quæ prima opima appellata sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit. auertérátque in se à curru dictatoris ciuium ora, & celebritatis eius diei fructum propè solus tulerat. Dictator coronam auream † libræ pondo ex publica pecunia populi iussu in Capitolio Ioui donum posuit. Omneis ante me authores secutus, A. Cornelium Cossum tribunum militum secunda spolia opima Iouis Feretrii templo intulisse, exposui. cæterum, præterquam quòd ea rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxerit, nec ducem nouimus, nisi cuius auspicio bellum geritur, titulus ipse spoliis inscriptus illos, méque arguit, consulem ea Cossum cepisse. Hoc ego cum Augustum Cæsarem templorum omnium conditorem aut restitutorem, ingressum ædem Feretrii Iouis, quam vetustate dilapsam refecit, seipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem: propè sacrilegium ratus sum, Cossum spoliorum suorum, Cæsarémque ipsius templi authorem subtrahere testem. qui si ea in re sit error, quòd tam veteres annales, quódque magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem authores: septimo pòst demum anno cum T. Quintio Pœno A. Cornelium Cossum consulem habeant: existimatio communis omnibus est. nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset, quòd imbelle triennium fermè pestilentia inopiáque frugum circa A. Cornelium consulem fuit: adeò, vt quidam annales velut funesti, nihil præter nomina consulum suggerant. tertius ab consulatu Cossi annus tribunum eum militum consulari potestate habet: eodem anno magistrum equitum: quo in imperio alteram insignem edidit pugnam equestrem. ea libera coniectura est. sed (vt ego arbitror) vana versare in omnes opiniones licet. cum author pugnæ recentibus spoliis in sacra sede positis, Iouem propè ipsum, cui vota erant, Romulúmque intuens, haud spernendos falsi tituli testes, sese A. Cornelium Cossum consulem scripserit.

Opima spolia quæ dicantur.

† Val. circiter 108. coron.

Exercitus in agrũ Veientẽ & Faliscum mittuntur.

M. Cornelio Maluginense, L. Papyrio Crasso consulibus, exercitus in agrum Veientem, & Faliscum ducti: prædæ abactæ hominum, pecorúmque, hostis in agris nusquam inuentus, neque pugnandi copia facta. vrbes tamen non oppugnatæ: quia pestilentia populum inuasit. Et seditiones domi quæsitæ sunt, nec motæ tamen, ab Sp. Melio tribuno plebis. qui fauore nominis moturum se aliquid ratus, & Minutio diem dixerat: & rogationem de publicandis bonis Seruilii Halæ tulerat: falsis criminibus à Minutio circumuentum Melium arguens: Seruilio cædem ciuis indemnati obiiciens. quæ vaniora ad populum ipso authore fuere.

Terræ motus.

Cæterùm magis vis morbi ingrauescens curæ erat, terroréśque ac prodigia, maximè quòd crebris motibus terræ ruere in agris nuntiabantur tecta. Obsecratio itaque à populo duumuiris præeuntibus est facta. B

Pestilentior inde annus C. Iulio iterum, & L. Virginio consulibus, tantum metum vastitatis in vrbe agrísque fecit, vt non modò prædandi causa quisquam ex agro Romano non exiret, bellíve inferendi memoria patribus aut plebi esset: sed vltro Fidenates, qui se primò aut oppido, aut montibus, aut muris tenuerant, populabundi descenderent in agrum Romanum.

Fidenates & Veientes populantur agrũ Rom.

deinde Veientium exercitu accito (nam Falisci perpelli ad instaurandum bellum, neq; clade Romanorum, neq; sociorum precibus potuere) duo populi transiere Anienem atq; haud procul Collina porta signa habuere. Trepidatum itaq; nõ in agris magis, quàm in vrbe est. Iulius cõsul in aggere murísq; explicat copias. à Virginio senatus in æde Quirini cõsulitur. dictatorem dici A. Seruiliũ placet, cuiq; Prisco alii, alii Structo fuisse cognomen tradunt. Virginius dum collegam cõsuleret, moratus, permittẽte eo nocte dictatorem dixit. is sibi magistrũ equitum Posthumium Ebutium Heluam dicit. Dictator omnes luce prima extra portã Collinam adesse iubet. quibuscunq; vires suppetebant ad arma ferenda, præsto fuere: signa ex ærario prompta ferũtur ad dictatorẽ. Quæ cùm agerentur, hostes in loca altiora concessere. eò dictator agmine infesto subit. nec procul Nomento signis collatis fudit Hetruscas legiones, cõpulit inde in vrbem Fidenas, vallóq; circundedit.

Vincuntur Veientes & Fidenates.

sed neq; scalis capi poterat vrbs alta & munita: neq; in obsidione vis vlla erat: quia frumentũ non necessitati modò satis, sed copiæ quoq; abundè ex antè conuecto sufficiebat. Ita expugnandi pariter, cogendíq; ad deditionem spe amissa, dictator in locis propter propinquitatẽ notis ab auersa parte vrbis maxime neglecta, quia suapte natura tutissima erat, agere in arcem cuniculum instituit. ipse diuersissimis locis subeundo ad mœnia quadrifariam diuiso exercitu, qui alii aliis succederent ad pugnam, cõtinenti die ac nocte prælio ab sensu operis hostes auertebat: donec perfosso à castris monte erecta in arcem via est. intentísq; Hetruscis ad vanas à certo periculo minas, clamor supra caput hostilis captam vrbem ostendit.

Fidenæ capiuntur.

Eo anno C. Furius Pacilius, & M. Geganius Macerinus censores villam publicam in campo Martio probauerunt: ibíq; primũ census populi est actus. Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum. apud Macrum Licinium inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpitium consules in eum annum edunt. cæterum in tam discrepanti editione & Tubero & Macer libros linteos authores profitentur: neuter tribunos militum eo anno fuisse, traditum à scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubiè sequi linteos placet: & Tubero incertus veri est. sed inter cætera vetustate incõperta, hoc quoq; in incerto positum. Trepidatum in Hetruria est post Fidenas captas, non Veientibus solùm exterritis metu similis excidii, sed etiã Faliscis, memoria initi primò cum iis belli: quanquam rebellantibus non affuerant. Igitur cum duæ ciuitates legatis circa xij. populos missis impetrassent, vt ad Voltumnæ fanũ indiceretur omni Hetruriæ concilium: velut magno inde tumultu imminẽte, senatus Mamercũ Aemyliũ dictatorem iterũ dici iussit.

A b eo

A Ab eo A. Posthumius Tubertus magister equitum est dictus. bellúmque tanto maiore quàm proximo conatu apparatum est, quanto plus erat ab omni Hetruria periculi, quàm ab duobus populis fuerat. Ea res aliquanto expectatione omnium tranquillior fuit. Itaque cum renuntiatum à mercatoribus esset, negata Veientibus auxilia, iussósque suo consilio bellum initum, suis viribus exequi: nec aduersarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram communicati non sint: tum dictator, ne nequicquam creatus esset, materiæ quærẽdæ bello gloriæ adempta, in pace aliquid operis edere, quod monumentum esset dictaturæ, cupiens, censuram minuere parat, seu nimiam potestatem ratus: seu nõ tam magnitudine honoris, quàm diuturnitate offensus. Concione itaque aduocata, Remp. foris gerendam ait, tutáque omnia præstanda, deos immortales suscepisse. se, quod intra muros agendum esset, libertati pop. Rom. consulturum. maximam autem eius custodiam esse: si magna imperia diuturna non essent: & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non posset. Alios magistratus annuos esse: quinquennalem censuram grauem esse: iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios viuere. se legem laturum, ne plus quàm annua ac semestris censura esset. Consensu ingenti populi legem postero die pertulit. Et vt reipsa inquit, sciatis Quirites, quàm mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico. Deposito suo magistratu, modò aliorum magistratui imposito fine alteri, congratulatione ac fauore ingẽti populi domum est reductus. Censores ægrè pasi, Mamercum, quod magistratũ pop. Rom. minuisset, tribu mouerunt, octuplicatóque censu ærarium fecerunt. Quam rem ipsum ingenti animo tulisse ferunt: causam potius ignominiæ intuentem, quàm ignominiam. primores patrum, quanquam diminutum censuræ ius voluissent, exemplo acerbitatis censoriæ offensos quippe cùm se quisque diutius ac sæpius subiectum censoribus fore cerneret, quàm censuram gesturum. Populi certe tanta indignantio coorta dicitur, vt vis à censoribus nullius authoritate, præterquam ipsius Mamerci, deterreri quiuerit. Tribuni plebis asiduis conciooibus prohibendo consularia comitia, cum res propè ad interregnum perducta esset, euicere tandem, vt tribuni militum consulari potestate crearentur. victoriæ præmium, quod petebatur, vt plebeius crearetur, nullũ fuit. omnes patricii creati sunt, M. Fabius Vibulanus, M. Folius, L. Sergius Fideoas. Pestilentia eo anno aliarum rerum otium præbuit. ædes Apollini pro valetudine populi vota est. multa duumuiri ex libris placandæ deũm iræ, auertendæque à populo pestis causa, fecere. magna tamen clades in vrbe agrísque promiscuè hominum pecorúmque pernicie accepta. famem cultoribus agrorum timẽtes, in Hetruriam, Pomptinúmque agrum, & Cumas, postremò in Siciliam quoque frumenti causa misère. Consularium comitiorum nulla mentio habita est. Tribuni militum consulari potestate omnes patricii creati sunt, L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, Sp. Posthomius Albus. Eo anno vis morbi leuata, neque

Censuram minuit Mamercus dictator.

Censores Mamercum tribu mouẽt & ærarium faciunt.

Pestilentia.

B à penuria frumẽti, quia antè prouisum erat, periculũ fuit. Cõsilia ad mouẽda bella in Volscorũ Aequorúmq; conciliis, & in Hetruria ad fanum Voltumnæ agitata. Ibi prolatæ in annũ res: decretóque cautum, ne quod ante concilium fieret: nequicquam Veiente populo querente eandem, qua Fidenæ deletæ sint, imminere Veiis fortunam. Interim Romæ principes plebis iandiu nequicquam imminentes spei maioris honoris, dum foris otium esset, cœtus indicere in domos tribunorum plebis. ibi secreta cõsilia agitare. Queri se à plebe adeò spretos, vt cum per tot annos tribuni militum consulari potestate creentur, nolli vnquam plebeio ab eum honorem aditus fuerit: multum prouidisse suos maiores, qui cauerint, ne cui patricio plebeii magistratus patérent: aut patricios habendos fuisse tribunos plebis. adeò se suis etiam sordere, oec à plebe minus, quàm à patribus contemni. Alii purgare plebem: culpam in patres vertere. eorum ambitione artibúsque fieri, vt obseptum plebi sit ad honorem iter. si plebi respirare ab eorum mistis precibus minísque liceat, memorem eam suorum inituram suffragia esse, & parto auxilio imperium quoque ascituram. Placet tollendæ ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui album vestimentum addere petitionis causa liceret. Parua nunc res, & vix seriò agenda videri posit, quæ tunc ingenti certamine patres ac plebem accendit. Vicere tamen tribuni, vt legem perferrent: apparebátque irritatis animis plebem ad suos studia inclinaturam. quæ ne libera essent, senatusconsultum factum est, vt consularia comitia haberentur. Tumultus causa fuit, quẽ ab Aequis & Volscis, Latini atq; Hernici nũtiarant. T Quintios Lucii filius, Cincinnatus (eidem & Pœno cognomẽ additur) & Cn. Iulius Mento cõsules facti. nec vltrà terror belli est dilatus. Lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, vtrinque validi exercitus profecti in Algidum conuenere. ibique seorsum Aequi, seorsum Volsci castra communiuere, intentiórq; qoàm vnquam ante, muniendi, exercendíque militem cura ducibus erat. eo plus nuntii terroris Romani attulere. Senatui dictatorem dici placuit: quia etsi sæpe victi populi, maiore tamen conatu, quàm aliàs vnquam rebellarent: & aliquantum Romanæ iuuentutis morbo absumptũ erat. ante omnia prauitas consulum, discordiáq; inter ipsos, & certamina io consiliis omnibus terrebant. Sunt qui malè pugnatum ab his consulibus in Algido authores sint, eámque causam dictatoris creandi fuisse. Illud satis constat, ad alia discordes, in vno aduersus patrum voluntatẽ consensisse, ne dicerent dictatorẽ: donec, cũ alia aliis terribiliora afferrentur, nec in authoritate senatus cõsules essent, Q. Seruilius Priscus summis honoribus egregiè vsus, Vos, inquit, tribuni plebis, quooiã ad extrema ventũ est, senatus appellat, vt tanto discrimine reipublicæ dictatorẽ dicere cõsules pro potestate vestra cogatis. Qua voce audita, occasionẽ oblatã rati tribuoi augendæ potestatis, secedunt: próque collegio pronuntiant, placere consules senatui dicto audientes esse: si aduersus consensum amplissimi ordinis vltrà tendant, in viocola se duci eos iussuros. Consules ab tribunis, quàm ab senatu vinci maluerunt: proditum à patribus summi imperii ius, datúmque sub iugum tribunitiæ potestati consulatum memorantes, siqui-

Principes plebis secreta consilia agitant.

Lex sacrata.

Aduersus Aequos & Volscos dictator creatur.

Consules à tribunis coguntur Senatui dicto audientes esse.

dem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules,& (quo quid vlterius priuato timendum foret?) A in vincula etiam duci possent. Sors, vt dictatorem diceret (namque id quidem inter collegas conuenerat) T. Quintio euenit. is A. Posthumium Tubertum, socerum suum seuerissimi imperii virum, dictatorem dixit. ab eo L.Iulius magister equitum est dictus. simul edicitur & iustitium: neque aliud tota vrbe agi, quàm bellum apparari. cognitio vacantium militiæ munere post bellum differtur. ita dubii quoque inclinant ad nomina danda. & Hernicis Latinísque milites imperati. vtrinque enixè obeditum dictatori est. Hæc omnia celeritate ingenti acta. relictóque Cn. Iulio consule ad præsidium vrbis, & L.Iulio magistro equitū ad subita belli ministeria,ne qua res, qua eguissent in castris,moraretur:dictator,præeunte. A Cornelio pontifice maximo,ludos magnos tumultus causa vouit:profectúsque ab vrbe,diuiso cum Quintio cōsule exercitu,ad hostes peruenit.Sicut bina castra hostium paruo inter se spatio distantia viderant,ipsi quoque mille fermè passus ab hoste, dictator Thusculo,cousul Lanuuio propiorem locum castris ceperunt. Ita quatuor exercitus totidem munimenta, planitiem in medio non paruis modò excursionibus ad prælia,sed vel ad explicandas vtrinque acies satis patentem habebant.nec ex quo castris castra collata sunt, cessatum à leuibus præliis est:facilè patiente dictatore,conferendo vires spem vniuersæ victoriæ, tentato paulatim euentu certaminum, suos præcipere.Itaque hostes nulla in prælio iusto relicta spe,noctu adorti castra consulis, rem in casum ancipitis euentus committunt. Clamor subitò ortus non consulis modò vigiles,exercitum deinde omnem,sed dictatorem quoque ex somno exciuit. Vbi præsenti ope res egebant, consul nec animo deficit, nec consilio. pars militum portarum stationes firmant: pars corona vallum cingunt. In alteris apud dictatorem castris quo minus tumultus est, eo plus animaduertitur quid opus facto sit. missum extemplò ad castra subsidium:cui Sp. Posthumius Albus legatus præficitur. ipse parte copiarum paruo circuitu,locum maximè secretum ab tumultu petit,vnde ex nec opinato auersum hostem inuadat.Q.Sulpicium legatum præficit castris:M.Fabio legato assignat equites : nec ante lucem mouere iubet manum,inter nocturnos tumultus moderatu difficilem. Omnia, quæ vel alius imperator prudens & impiger in tali re præciperet,agerétque,præcipit ordine,atque agit.illud eximium consilii,animíque specimen,& neutiquam vulgatæ laudis,quòd vltro ad oppugnanda castra hostium, vnde maiore agmine profectos exploratū fuerat,M.Geganium cum cohortibus delectis misit. qui postquam intentos homines in euentum periculi alieni, pro se incautos neglectis vigiliis stationibúsque est adortus;prius penè cepit castra,quàm oppugnari hostes satis scirent.inde fumo,vt conuenerat, datum signum vbi conspectum ab dictatore est,exclamat, capta hostium castra:nūtiaríq; passim iubet. Et iam lucescebat,omniáque sub oculis erant:& Fabius cum equitatu impetum dederat, & consul eruptionem è castris intrepidos iam hostes fecerat. Dictator autem parte altera, subsidia & secundam B aciem adortus, circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus,hosti vndique obiecerat victorem peditem equitémque. Circumuenti igitur iam in medio ad vnum omnes pœnas rebellionis dedissent,ni Vectius Messius ex Volscis nobilior vir factis quàm genere, iam orbem voluētes suos increpans clara voce:Hic præbituri,inquit,vos telis hostium estis indefensi,inulti?quid igitur arma habetis?aut quid vltro bellum intulistis?in otio tumultuosi,in bello segnes?quid hic stantibus spei est?an deum aliquem protecturum vos,rapturúmq; hinc putatis?ferro via facienda est.hac,qua me prægressum videritis,agite qui visuri domos,parentes,coniuges,liberos estis,ite mecum:non murus,nec vallum,sed armati armatis obstant:virtute pares,necessitate,quæ vltimum ac maximum telum est,superiores estis.Hæc locutum,exequentémq; dicta,redintegrato clamore secuti,dant impressionem,qua Posthumius Albus cohortes obiecerat:& mouerunt victorem,donec dictator pedem iam referentibus suis aduenit:eóque omne prælium versum est. Vni viro Messio fortuna hostium innititur. multa vtrinq; vulnera,multa passim cædes est.Iam ne duces quidem Romani incruēti pugnant. Vnus Posthumius ictus saxo,perfracto capite acie excessit.Nō dictatorē humerus vulneratus, non Fabium pro pè affixum equo femur,non brachiū abscisum consulē ex tam ancipiti prælio summouit. Messiū impetus per stratos cæde hostes cū globo fortissimorū iuuenū extulit ad castra Volscorū,quæ nondū capta erant.eodē omnis acies inclinatur.Consul effusos vsq; ad vallū persecutus,ipsa castra vallúmq; aggreditur.eodem & dictator alia parte copias admouet.non segnior oppugnatio est, quàm pugna fuerat. consulem signum quoque intra vallum iniecisse ferunt, quò milites acrius subirent:repetendóque signo primam impressionem factam. Et dictator prorupto vallo,iam in castra prælium intulerat. Tum abiici arma passim,ac dedi hostes cœpti.castrísque & his captis,hostes,præter senatores, omnes venundati sunt.Prædæ pars,sua cognoscentibus Latinis atque Hernicis reddita:partem sub hasta dictator vendidit, præpositóque consule castris, ipse triumphans inuectus vrbem, dictatura se abdicauit. Egregiæ dictaturæ tristem memoriam faciunt,qui filium ab A. Posthumio, quòd occasione bene pugnandi captus,iniussu discesserit præsidio:victorem securi percussum tradunt.nec libet credere : & licet,in variis opinionibus:& argumento est,quòd imperia Manliana:non Posthumiana,appellata sint: quum qui prior author ram sæui exempli foret,occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit.Imperioso quoque Manlio cognomen inditum:Posthumius nulla tristi nota est insignitus.Cn.Iulius consul ædem Apollinis absente collega sine sorte dedicauit.ægrè id passus Quintius,cum dimisso exercitu in vrbem rediisset,nequicquam in senatu est conquestus. Insigni magnis rebus anno additur, nihil tum ad rem Romanam pertinere visum,quòd Carthaginienses tanti hostes futuri,tum primùm per seditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum traiecere. Agitatum in vrbe ab tribunis plebis,vt tribuni militū cōsulari potestate crearētur:nec obtineri potuit.Consules fiunt L.Papyrius

Ludi magni vouentur.

Quatuor exercitus pari inter se spatio distantes.

Prælium nocturnum.

Dictatoris prudentia.

Vectij Messij Volsci ad suos oratio.

Volscorum castra expugnantur.

Ab A. Posthumio filiū suum securi percussum non esse.

Carthaginienses in Siciliam exercitum traijcere.

pyrius

A pyrius Craſſus, L. Lulius. Aequorum legati fœdus ab ſenatu cum petiſſent, & pro fœdere deditio oſtentaretur, inducias annorum octo impetrauerunt. Volſcorum res ſuper acceptam in Algido cladem, pertinaci certamine inter pacis belliq; authores in iurgia & ſeditiones verſa. Vndique otiũ fuit Romanis. Legem de mulctarum æſtimatione pergratam populo, cum ab tribunis parari conſules vnius ex collegio proditione excepiſſent, ipſi præoccupauerunt ferre.

Lex de mulctarum æſtimatione fertur.

Conſules L. Sergius Fidenas iterum, Hoſtius Lucretius Tricipitinus. Nihil dignum dictu actum his conſulibus. Secuti eos conſules, A. Cornelius Coſſus, T. Quintius Pœnus iterum. Veientes in agrum Romanum excurſiones fecerunt.

Veientes agrum Ro. populātur.

Fama fuit, quoſdam ex Fidenatium iuuentute participes eius populationis fuiſſe: cognitióque eius rei L. Sergio & Q. Seruilio, & Mamerco Aemylio permiſſa. Quidam hoſtiam relegati, quòd cur per eos dies à Fidenis abfuiſſent, parum conſtabat: colonorum additus numerus, agérque iis bello interemptorum aſsignatus. Siccitate eo anno plurimum laboratum eſt: nec cæleſtes modò defuerunt aquæ, ſed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes ſuffecit amnes.

Siccitas.

defectus alibi aquarum circa torridos fontes, riuóſque, ſtragem ſiti pecorum morientium dedit: ſcabie alia abſumpta, vulgatíque contactu in homines morbi: & primò in agreſtes ingruerant ſeruitiáque: vrbs deinde impletur. Nec corpora modò affecta tabo, ſed animos quoque multiplex religio, & pleráque externa inuaſit: nouos ritus ſacrificando, vaticinando inferentibus in domos, quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi, donec publicus iam pudor ad primores ciuitatis peruenit, cernentes in omnibus vicis ſacelliſque peregrina atque inſolita piacula pacis deûm expoſcendæ.

Corpora tabo, animi ſuperſtitione laborabāt.

Datum inde negotium ædilibus, vt animaduerterent, ne qui, niſi Romani dii, neu quo alio more quàm patrio colerentur. Iræ aduerſus Veientes in inſequentem annum C. Seruilio Hala, L. Papyrio Mugilano conſulibus dilatæ ſunt. Tunc quoque ne confeſtim bellum indiceretur, néve exercitus mitterentur, religio obſtitit: fœciales prius mittendos ad res repetendas cenſuere. Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat: induciæque inde, non pax facta quarum & dies exierat, & ante diem rebellauerant. miſſi tamen fœciales: nec eorum, cum more patrum iurati repeterent res, verba ſunt audita.

Miſsi fœciales ad Veientes nõ audiuntur.

Controuerſia inde fuit, vtrum populi iuſſu indiceretur bellum, an ſatis eſſet ſenatusconſultum. Peruicêre tribuni, denuntiando impedituros ſe delectum, vt Quintius conſul de bello ad populum ferret. omnes centuriæ iuſſere. In eo quoque plebs ſuperior fuit, quòd tenuit, ne conſules in proximum annum crearentur.

Pro Coſs. tribuni militum conſulari poteſtate creantur.

Tribuni militum conſulari poteſtate quatuor creati ſunt, T. Quintius Pœnus ex conſulatu, C. Furius, M. Poſthumius, A. Cornelius Coſſus: ex iis Coſſus præfuit vrbi. tres delectu habito profecti ſunt Veios, documentóque fuere, quàm plurium imperium bello inutile eſſet.

Plurium imperium bello inutile.

Tendendo ad ſua quiſque conſilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt ad occaſionem locum hoſti. incertam nanque aciem, ſignũ

B aliis dari receptui, aliis cani iubentibus, inuaſere opportunè Veientes: caſtra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere.

Fugantur Romani.

Plus itaque ignominiæ quàm cladis eſt acceptum. Mœſta ciuitas fuit, vinci inſueta, odiſſe tribunos, poſcere dictatorem: in eo verti ſpes ciuitatis. & cum ibi quoque religio obſtaret, ne poſſet niſi ab conſule dici dictator, augures conſulti, eam religionem exemere. A. Cornelius dictatorem Mamercum Aemylium dixit: & ipſe ab eo magiſter equitum eſt dictus.

Dictator creatur Mamercus paulò antè tribu motus.

adeò ſimul fortuna ciuitatis virtute vera eguit: nihil cenſoria animaduerſio effecit, quo minus regimen rerum ex notata indignè domo peteretur. Veientes re ſecunda elati, miſsis circum Hetruriæ populos legatis, iactando tres duces Romanos ab ſe vno prælio fuſos, cum tamen nullam publici conſilii ſocietatem mouiſſent, voluntarios vndique ad ſpem prædæ adſciuerunt. Vni Fidenatium populo rebellare placuit: & tanquam niſi ab ſcelere bellum ordiri nefas eſſet, ſicut legatorum antea, ita tum nouorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus ſeſe coniungunt.

Fidenates deficiunt à Romanis.

Conſultare inde principes duorum populorum. Veios, an Fidenas ſedem belli caperent. Fidenæ viſæ opportuniores. Itaque traiecto Tyberi Veientes Fidenas tranſtulerunt bellum. Romæ terror ingens erat, accito exercitu ab Veiis, hoſtibus poſitis ad Fidenas, eóque ipſo ab re malè geſta perculſa caſtra locantur ante portam Collinam: & in muris armati diſpoſiti, & iuſtitium in foro, tabernæque clauſæ, fiúntque omnia caſtris quàm vrbi ſimiliora.

Mamerci Aemylij Dictatoris oratio.

Tum trepidam ciuitatem præconibus per vicos dimiſsis dictator ad concionem aduocatam increpuit, quòd animos ex tam leuibus fortunæ momentis ſuſpenſos gererent, vt parua iactura accepta, quæ ipſa non virtute hoſtium, nec ignauia Romani exercitus, ſed diſcordia imperatorum accepta ſit, Veientem hoſtem ſexies victum pertimeſcant: Fidenáſque propè ſæpius captas quàm oppugnatas: eóſdem & Romanos & hoſtes eſſe, qui per tot ſecula fuerint: eoſdem animos, eaſdem corporis vires, eadem arma gerere, ſe quoque eundem dictatorem Mamercum Aemylium eſſe, qui antè Veientium Fidenatiúmque adiunctis Faliſcis ad Nomentum exercitus fuderit: & magiſtrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello tribunus militum Larte Tolumnio rege Veientium in conſpectu duorum exercituum occiſo, ſpolia opima Iouis Feretrii templo intulerit, proinde memores ſecum triumphos, ſecum ſpolia, ſecum victoriam eſſe, cum hoſtibus ſcelus legatorum contra ius gentium interfectorum, cædem in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, ſeptimam infelicem defectionem, arma caperent, ſimul caſtra caſtris coniunxiſſent, ſatis confidere. nec ſceleratiſsimis hoſtibus diuturnum ex ignominia exercitus Romani gaudium fore: & populum Romanum intellecturum, quanto melius de Republica meriti ſint, qui ſe dictatorem tertiùm dixerint, quàm eos qui ob ereptum cenſuræ regnum labem ſecundæ dictaturæ ſuæ impoſuerint. Votis deinde nuncupatis profectus, M. & D. paſſus citra Fidenas caſtra locat, dextra montibus, læua Tyberi amne ſeptus. T. Quintium Pœnum legatum occupare montes iubet, occultúmque id iugum capere, quod ab tergo hoſtibus foret. ipſe poſtero die, cum Hetruſci pleni animorum ac priſtini

A stini diei meliore occasione quàm pugna in aciem processissent, cunctatus parumper dum speculatores referrent, Quintium euasisse in iugum propinquum arci Fidenarum, signa profert: peditúmque aciem instructam pleno gradu in hostem inducit: magistro equitum præcipit, ne iniussu pugnam incipiat: se, cum opus sit, equestri auxilio signum daturum: tum vt memor regiæ pugnæ, memor opimi doni, Romulíque ac Iouis Feretrii, rem gereret. Legiones impetu ingenti confligunt. Romanus odio accensus, impium Fidenatem, prædonem Veientem, ruptores induciarum, cruentos legatorum infanda cæde, respersos sanguine colonorum suorum, perfidos socios, imbelles hostes compellans, factis simul dictísque odium explet. Concusserat primo statim congressu hostem: cum repente patefactis Fidenarum portis, noua erupit acies, inaudita ante id tempus inuisitatáque.

Fidenates ignibus armati exterrere Romanos tentant.

Ignibus armata ingens multitudo, facibúsque ardentibus tota collucens, velut phanatico instincta cursu in hostem ruit: formáque insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit. Tum dictator magistro equitum, equitibúsque, tum ex montibus Quintio accito prælium ciens, ipse in sinistrũ cornu, quod incendio similius quàm prælio territum cesserat flammis, accurrit: claráque voce, Fumóne victi, inquit, velut examen apum loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? non ferro extinguetis ignes? non faces has ipsas pro se quisque, si igni non telis pugnandum est, ereptas vltrò inseretis? agite nominis Romani, ac virtutis patrum vestræque memores: vertite incendium hoc in hostium vrbem: & suis flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis. legatorum hoc vos vestrorum, colonorúmque sanguis, vastatíque fines monent.

Mamerci dictatoris ad milites adhortatio.

Ad imperium dictatoris mota cuncta acies: faces partim emissæ excipiũtur, partim vi eripiũtur: vtraq; acies armatur igni. Magister equitũ & ipse nouat pugnã equestrẽ. freños vt detrahãt equis, imperat: & ipse princeps calcaribus subditis euectus, effreno equo in medios ignes infertur: & alii cõcitati equi libero cursu ferũt equitẽ in hostẽ.

Romani equites frenos equis detraxerunt.

Puluis elatus mistúsq; fumo, lucem ex oculis virorũ equorúmq; aufert. ea quæ militẽ terruerat species, nihil terruit equos. ruinæ igitur similem stragem eques quacunque peruaserat, dedit. Clamor deinde accidit nouus. qui cum vtranque mirabundam in se aciem vertisset, dictator exclamat: Quintium legatum & suos ab tergo hostem adortos. ipse redintegrato clamore infert acrius signa. Cùm duæ acies, duo diuersa prælia circumuentos Hetruscos & à fronte & ab tergo vrgerent, neque in castra retrò, neq; in mõtes, vnde se nouus hostis obiecerat, iter fugæ esset: & equitẽ passim liberi frenis dispulissent equi, Veientium maxima pars Tyberim effusi petunt: Fidenatium qui supersunt, ad vrbem Fidenas tendunt. infert pauidos fuga in mediam cædem: obtruncantur in ripis: alios in aquam compulsos gurgites ferunt: etiam peritos nandi lassitudo & vulnera & pauor degrauant: pauci ex multis tranant. alterum agmen fertur per castra in vrbem: eadem & Romanos sequentes impetus rapit, Quintium maximè, & cum eo digressos modò de montibus, recentissimum ad laborem militem, quia vltimo prælio aduenerat. Hi postquam mi- B
sti hostibus portam intrauere, in muros euadunt: suísque capti oppidi signum ex muro tollunt. quod vbi dictator conspexit, (iam enim & ipse in deserta hostium castra penetrauerat) cupientem militem discurrere ad prædam, spe iniecta maioris in vrbe prædæ, ad portam ducit: receptúsque intra muros, in arcem, quò ruere fugientium turbam videbat, pergit. Nec minor cædes in vrbe quàm in prælio fuit, donec abiectis armis, nihil præter vitam petentes dictatori deduntur.

Fidenatium deditio & vrbis Fidenarũ direptio.

Vrbs castráque diripiuntur. Postero die singulis captiuis ab equite ad centurionem sorte ductis, & quorum eximia virtus fuerat, binis, aliis sub corona venundatis, exercitum victorem opulentúmq; præda triumphans dictator Romam reduxit: iussũque magistro equitum abdicare se magistratu, ipse deinde abdicat die sextodecimo, reddito in pace imperio, quod in bello trepidísque rebus acceperat.

Mamercus dictator triumphãs Romam ingreditur.

Classibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam in annales retulere: rem æquè difficilem atque incredibilem, nec nunc lato satis ad hoc amne: & tum aliquanto, vt à veteribus accepimus, arctiore. nisi in traiectu fortè fluminis prohibendo aliquarum nauium concursum, in maius (vt fit) celebrantes naualis victoriæ vanum titulum appetiuère. Insequens annus tribunos militares cõsulari potestate habuit, A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum.

Veientibus & Aequis dantur induciæ.

Veientibus annorum xx. induciæ datæ, & Aequis triennii, cum plurium annorum petissent. Et ab seditionibus vrbanis otium fuit. Annum insequentem neque bello foris, neque domi seditione insignem, ludi bello voti celebrem & tribunorum militum apparatu, & finitimorum concursu fecere.

Ludi celebres.

Tribuni cõsulari potestate erant, Cl. Crassus, Sp. Nautins Rutilius, T. Sergius Fidenas, Sex. Iulius Tullus. spectaculum comitate etiam hospitum, ad qnod publico consensu venerant, aduenis gratius fuit. Post ludos conciones seditiosæ tribunorum plebis fuerunt, obiurgantium multitudinem, quòd admiratione eorum quos odissent, stupens, in æterno seipsa teneret seruitio: & non modò ad spem consulatus in partem reuocandam aspirare non auderet, sed ne in tribunis quidem militum creandis (quæ communia essent comitia patrum ac plebis) aut sui aut suorum meminisset.

Tribunorũ plebis seditiosæ conciones.

desineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret: eò impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum atque honos speretur. nihil nõ aggressuros homines, si magna conatis magna præmia proponantur: vt quidẽ aliqnis tribunus plebis ruat cæcus in certamina periculo ingenti, fructu nullo: ex quibus pro certo habeat, patres aduersus quos ... cederet, bello inexpiabili se persecuturos: apud plebẽ, pro qua dimicauerit, nihilo se honoratiorem fore: neq; sperandũ neq; postulandũ esse. magnos animos, magnis honoribus fieri. neminem se plebeium contempturum, vbi contemni desissent. experiendam rem denique in vno aut altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori. an portento simile miraculóque sit, fortem ac strenuum virum aliquem existere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum esse, vt tribuni militum consulari potestate & ex plebe crearentur. petisse viros domi militiæq; spectatos: primis annis

A nis sugillatos, repulsos, risui patribus fuisse: desisse postremo præbere ad contumeliam os. nec se videre cur non lex quoq; abrogetur, qua id liceat quod nunquam futurum sit: minorem quippe ruborem fore in iuris iniquitate, quàm si per indignitatem ipsorum prætereantur. Huius generis orationes cum assensu auditæ, incitauere quosdam ad petendum tribunatum militum: alium alia de commodis plebis laturum se in magistratu profitentem. Agri publici diuidendi, coloniarúmque deducendarum ostentatæ spes: & vectigali possessoribus agrorum imposito, in stipendium militum erogandi æris. Captatum deinde tempus ab tribunis militum, quo per discessum hominum ab vrbe, cum patres clandestina denuntiatione reuocati ad diem certam essent, senatusconsultum fieret absentibus tribunis plebis: vt quoniam Volscos in Hernicorum agros prædatum exisse, fama esset, ad rem inspiciendam tribuni militum proficiscerentur, consulariáque comitia haberentur. Profecti Appium Claudium filium decemuiri præfectum vrbis relinquunt, impigrum iuuenem, & iam inde ab incunabilis imbutum odio tribunorum plebísque. tribunis plebis nec cum absentibus iis qui senatusconsultum fecerant, nec cum Appio transacta re, quod contenderent, fuit. Creati consules, C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, sed memoria digna traditur eo anno facta. Vulturnum Hetruscorum vrbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam: Capuámque ab duce eorum Capye, vel (quod propius vero est) à campestri agro appellatam. cepere autem, prius bello fatigatis Hetruscis, in societatem vrbis agrorúmque accepti: deinde festo die grauatos somno epulísque incolas veteres noui coloni nocturna cæde adorti. His rebus actis, consules ii quos diximus, idibus Decembribus magistratum occœpere.

Capua à Samnitibus quo dolo capta.

Iam non solum qui ad id missi erant, retulerant imminere Volscum bellum: sed legati quoque ab Latinis & Hernicis nuntiabant, non antè vnquam Volscos nec ducibus legendis, nec exercitui scribendo intentiores fuisse: vulgò fremere, aut in perpetuum arma bellúmque obliuioni danda, iugúmque accipiendum: aut iis cum quibus de imperio certetur, nec virtute, nec patientia, nec disciplina rei militaris cedendum esse. Haud vana attulere: sed nec perinde patres moti sunt, & C. Sempron[illegible] cui ea prouincia sorte euenit, tanquam constantissimæ rei fortunæ fretus, quòd victoris populi exercitum aduersus victos duxisset, omnia temere ac negligenter egit: adeò vt disciplinæ Romanæ plus in Volsco exercitu, quàm in Romano esset. ergo fortuna, vt sæpe aliàs, virtutem est secuta.

C. Sempronij Cos. temeritas ac negligentia.

Primo prælio quod ab Sempronio incautè inconsultéque commissum est, non subsidiis firmata acie, non equite aptè locato concursum est. clamor indicium primum fuit quò res inclinatura esset, excitatior crebriórque ab hoste sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorem animorum. Eo ferocior illatus hostis vrgere scutis, micare gladiis: altera ex parte nutant circumspectantibus galeæ, & incerti trepidant, appli-

B cántque se turbæ. signa nunc resistentia deseruntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur. Nondum fuga certa, nondum victoria erat. tegi magis Romanus, quàm pugnare. Volscus inferre signa: vrgere aciem: plus cædis hostium videre, quàm fugæ. Iam omnibus locis ceditur, nequicquam Sempronio consule obiurgante atque hortante: nihil nec imperium, nec maiestas valebat: datáque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius decurio equitum labente iam re præsenti animo subuenisset. Qui cum magna voce exclamasset, vt equites qui saluam Remp. vellent esse, ex equis desilirent: omnium turmarum equitibus velut ad consulis imperium motis, Nisi hæc, inquit, armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. sequimini pro vexillo cuspidem meam: ostendite Romanis Volscísq;, neque equitibus vobis vllos equites, nec peditibus esse pedites pares. Cũ clamore comprobata adhortatio esset, vadit alte cuspidẽ gerens. quacunq; incedũt, vi viam faciunt: eò se inferunt obiectis parmis, vbi suorum plurimum laborem vident. restituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit. nec dubium erat, quin si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint.

Romani cedũt Volscis. Sex. Tempanij decurionis militum virtus.

Et cum iam parte nulla sustinerentur, dat signum Volscus imperator, vt parmatis, nouæ cohorti hostiũ locus detur, donec impetu illati ab suis excludantur. quod vbi est factum, interclusi equites: nec prorũpere eâdem quà transierant, posse: ibi maximè confertis hostibus, quà viam fecerant. & consul legionésque Romanæ, cùm quod tegumen modò omnis exercitus fuerat, nusquam viderẽt: ne tot fortissimos viros interclusos opprimeret hostis, tendunt in quencunque casum diuersi. Volsci, hinc consulẽ ac legiones sustinere: altera fronte instare Tẽpanio atq; equitibus. qui cùm sæpe conati nequissent perrũpere ad suos, tumulo quodã occupato, in orbẽ se tutabantur, nequaquã inulti. nec pugnæ finis ante noctẽ fuit. cõsul quoq; nusquã remisso certamine, dũ quicquã superfuit lucis, hostẽ tenuit: nox incertos diremit. tantúsque ab imprudẽtia euentus vtraq; castra tenuit pauor, vt relictis sauciis, & magna parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent. tumulus tamen circumsessus vltra mediam noctem est: quò cùm circum sedentibus nuntiatum esset, castra deserta esse, victos rati suos, & ipsi quenque in tenebris pauor tulit, fugerunt. Tempanius metu insidiarum suos ad lucẽ tenuit: digressus deinde ipse cum paucis speculatum, cum ab sauciis hostibus sciscitãdo cõperisset castra Volscorũ deserta esse, lætus ab tumulo suos deuocat, & in castra Romana penetrat: vbi cũ vasta desertáq; omnia, atq; eandẽ quã apud hostes fœditatẽ inuenisset, prius quàm Volscos cognitus error reduceret, quibus poterat sauciis ductis secũ, ignarus quã regionem consul petisset, ad vrbem proximis itineribus pergit. Iam eò fama pugnæ aduersæ castrorúmque desertorum perlata erat: & ante omnia deplorati erant equites non priuato magis quàm publico luctu: Fabiúsque cõsul terrore vrbi quoque iniecto, stationem ante portas agebat: cum equites procul visi non sine terrore ab dubiis qui nam essent, mox cogniti tantã ex metu lætitiam fecere, vt clamor vrbem peruaderet gratulantium saluos victorésq; redisse equites: & ex mœstis paulo antè domibus quæ cõclamauerant suos,

Romani & Volsci, ambo se victos putãtes, castra deserũt.

ſuos, procurreretur in vias: pauidæque matres ac coniuges, oblitæ præ gaudio decoris, obuiam agmini occurrerent, in ſuos quæque ſimul corpore atque animo vix præ gaudio compotes effuſæ. A Tribunis plebis qui M. Poſthumio & T. Quintio diem dixerant, quòd ad Veios eorum opera malè pugnatum eſſet, occaſio viſa eſt per recens odium Sempronii conſulis renouandæ in eos inuidiæ. itaque aduocata concione cum proditam Veiis Remp. eſſe ab ducibus, proditum deinde, quia illis impunè fuerit, in Volſcis ab conſule exercitum, traditos ad cædem fortiſsimos equites, deſerta fœdè caſtra vociferati eſſent:

Tribunorũ plebis ſeditioſa cõcio. Tempanius à C. Iulio tribuno uocatur.

C. Iulius vnus ex tribunis Tempanium equitem vocari iuſsit. corámque eis, Sexte Tempani, inquit, quæro de te, arbitrerísne C. Sempronium conſulem aut in tempore pugnam iniſſe, aut firmaſſe ſubſidiis aciem? aut vllo boni conſulis functum officio? & túne ipſe victis legionibus Romanis tuo conſilio equitem ad pedes deduxeris? reſtitueríſq; pugnã? excluſo deinde ab acie noſtra tibi atque equitibus num aut conſul ipſe ſubuenerit, aut miſerit præſidiũ? poſtero deniq; die ecquid præſidii vſquam habueris? an tu cohórſque in caſtra veſtra virtute perruperitis? ecquem in caſtris conſulem, ecquem exercitum inueneritis? an deſerta caſtra, relictos ſaucios milites? Hæc pro virtute tua fidéque qua vna hoc bello Reſp. ſtetit, dicenda tibi ſunt hodie. Denique vbi C. Sempronius, vbi legationes noſtræ ſint? deſertus ſis, an deſerueris conſulem exercitúmque? victi denique ſimus, an vicerimus?

Tempanij prudens reſponſio.

Aduerſus hæc Tempanii oratio incompta fuiſſe dicitur: cæterum militariter grauis, non ſuis vana laudibus, non crimine alieno læta. Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio eſſet, non militis de imperatore æſtimationem eſſe, ſed populi Romani fuiſſe, cum eum comitiis conſulem legeret. Itaque ne ab ſe imperatoria conſilia, neu conſulares artes exquirerent: quæ penſitanda quoque magnis animis atque ingeniis eſſent: ſed quod viderit, referre poſſe. Vidiſſe autem ſe prius quàm ab acie intercluderetur, conſulem in prima acie pugnantem, adhortantem, inter ſigna Romana teláque hoſtium verſantem: poſteà ſe ab conſpectu ſuorum ablatum, ex ſtrepitu tamen & clamore ſenſiſſe vſque ad noctem extractum certamen: nec ad tumulum quem ipſe tenuerat, præ multitudine hoſtium credere perrumpi potuiſſe. Exercitus vbi eſſet, ſe neſcire: arbitrari velut ipſe in r[illegible]pida loci præſidio ſe ſuóſque ſit tutatus, ſic conſulem ſeruandi exercitus cauſa loca tutiora caſtris cepiſſe. Nec Volſcorum meliores res eſſe credere, quàm populi Romani fortunam, noctémque omnia erroris mutui impleſſe. Precantémque deinde ne ſe feſſum labore ac vulneribus tenerent, cum ingenti laude non virtutis magis quàm moderationis dimiſſum. Cum hæc agerentur, iam conſul via Lauicana ad fanum Quietis erat. eò miſſa plauſtra iumentáque alia ab vrbe, exercitum affectum prælio ac via nocturna excepere. Paulo pòſt in vrbem eſt ingreſſus conſul, non ab ſe magis enixè amouens culpam, quàm Tempanium meritis laudibus ferens. Mœſtæ ciuitati ab re malè geſta, & iratæ ducibus M. Poſthumius reus obiectus, qui tribunus militum pro conſule ad Veios fuerat, decem millibus æris grauis damnatur. T. Quintium collegam eius, quia & in Volſcis conſul auſpicio dictatoris Poſthumii Tuberti, & ad Fidenas legatus dictatoris alterius Mamerci Aemylii res proſperè geſſerat, totam culpam eius temporis in prædam natum collegam transferentem, omnes tribus abſoluerunt. B profuiſſe ei Cincinnati patris memoria dicitur, venerabilis viri: & exactæ iam ætatis Capitolinus Quintius, ſuppliciter orans, ne ſe breui reliquo vitæ ſpatio tam triſtem nuntium ferre ad Cincinnatum paterentur. Plebs tribunos plebis abſentes Sex. Tempanium, A. Sellium & Antiſtium & Spurilium fecit, quos & pro centurionibus ſibi præfecerant Tempanio authore equites. Senatus cum odio Sempronii conſulare nomen offenderet, tribunos militum conſulari poteſtate creari iuſsit. creati ſunt L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papyrius Mugillanus.

C. Sempronius ab Hortenſio tribuno plebis accuſatur.

Principio ſtatim anni L. Hortenſius tribunus plebis C. Sempronio conſuli anni prioris diem dixit. quem cum quatuor collegæ inſpectante populo Romano orarent, ne imperatorem ſuum innoxium, in quo nihil præter fortunam reprehendi poſſet, vexaret: egrè Hortenſius pati, tentationem eam credens eſſe perſeuerantiæ ſuæ, nec precibus tribunorum quæ in ſpeciem modò iactentur, ſed auxilio confidere reum. Itaque modò ad eum conuerſus, vbi illi patricii ſpiritus, vbi ſubnixus & fides innocentiæ animus eſſet quærebat: ſub tribunitia vmbra conſularem virum delituiſſe. modò ad collegas: Vos autem ſi reum perago, quid acturi eſtis? an erepturi ius populo, & euerſuri tribunitiam poteſtatem plebi? Cum illi & de Sempronio, & de omnibus ſummam populi Romani poteſtatem eſſe dicerent, nec ſe iudicium populi tollere aut velle aut poſſe, ſed

Parentis loco eſſe debet imperator ſuis militibus.

ſi preces ſuæ pro imperatore, qui ſibi parentis eſſet loco, non valuiſſent, ſe veſtem cum eo mutaturos. tum Hortenſius, Non videbit, inquit, plebs Romana ſordidatos tribunos ſuos. C. Sempronium nihil moror, quando hoc eſt in imperio conſecutus, vt tam carus eſſet militibus. nec pietas quatuor tribunorum, quàm Hortenſii tam placabile ad iuſtas preces ingenium pariter plebi patribúſque gratior fuit. Non diutius fortuna Aequis indulſit, qui ambiguam victoriam Volſcorum pro ſua amplexi fuerant. proximo anno Cn. Fabio Vibulano, T. Quintio Capitolini filio Capitolino conſulibus, ductu Fabii, cui ſorte ea prouincia euenerat, nihil dignum memoratu actum. cum trepidam tantùm oſtendiſſent aciem Aequi, turpi fuga funduntur haud magno conſulis decore. itaque

Aequi ab Romanis fuſi.

triumphus negatus. Cæterùm ob Sempronianæ cladis leuatam ignominiam, vt ouans vrbem intraret, conceſſum eſt. Quemadmodum bellum minore quàm timuerant dimicatione erat perfectum: ſic in vrbe ex tranquillo nec opinata moles diſcordiarum inter plebem ac patres exorta eſt, cœpta

Inter plebẽ ac patres exorta diſcordia ob quæſtores.

ab duplicando quæſtorum numero. quam rem, vt præter duos vrbanos quæſtores, duo conſulibus ad miniſteria belli præſtò eſſent, à conſulibus relatam cum & patres ſumma ope approbaſſent: conſulibus tribuni plebis certamen intulerunt, vt pars quæſtorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret. aduerſus quam actionem primò & conſules & patres ſumma ope enixi ſunt.

A sunt. concedendo deinde vt quemadmodum in tribunis consulari potestate creandis vsi sunt, adæquè in quæstoribus liberum esset arbitrium populi: cum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt. Excipiunt omissam tribuni, aliæque subinde, inter quas & agrariæ legis, seditiosæ actiones existunt: propter quos motus cum senatus consules quàm tribunos creari mallet, neque posset per intercessiones tribunitias senatusconsultum fieri: Resp. à consulibus ad interregnum, neque id ipsum (nam coire patricios tribuni prohibebant) sine certamine ingenti redit. Cum pars maior sequentis anni per nouos tribunos plebis & aliquot interreges certaminibus extracta esset, modò prohibentibus tribunis patricios coire ad prodendum interregem, modò interregem interpellantibus, ne senatusconsultum de comitiis consularibus faceret: postremò L. Papyrius Mugillanus proditus interrex castigando nunc patres, nunc tribunos plebis, desertam omissámque ab hominibus Remp. deorum prouidentia curáque exceptam memorabat Veientium induciis, & cunctatione Aequorum stare: vnde si quid increpet terroris, sine patricio magistratu placere Remp. opprimi, non exercitum, non ducem scribendo exercitui esse. an bello intestino bellum externum propulsaturos? quæ si vnum conueniant, vix deorum opibus quin obruatur Romana res, resisti posse: quin illi remittendo de summa quisque iuris mediis copularent concordiam: patres patiendo tribunos militum pro consulibus fieri: tribuni plebis non intercedendo, quo minus quatuor quæstores promiscuè de plebe ac patribus libero suffragio populi fierent. tribunitia primùm comitia sunt habita: creati tribuni consulari potestate omnes patricii, L. Quintius Cincinnatus tertiùm, Sex. Furius Medullinus iterum, M. Manlius, A. Sempronius Atratinus. Hoc tribuno comitia quæstorum habente, petentibúsque inter aliquot plebeios filio Antistii tribuni plebis, & fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilii, nec potestas, nec suffragatio horum valuit: quin quorum patres auósque consules viderant, eos nobilitate præferrent. Furere omnes tribuni plebis, ante omnes Pompilius Antistiúsque repulsa suorum accensi. quídnam id rei esset? non suis beneficiis, non patrum iniuriis, non denique vsurpandi libidine, cùm liceat quod antea non licuerit, si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem quenquam ex plebe factum: non valuisse patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, potestatis sacrosanctæ ad auxilium libertatis creatæ. Fraudem profectò in re esse, & A. Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quàm fidei: eius iniuria queri suos honore deiectos. Itaque cum in ipsum & innocentia tutum, & magistratu in quo tunc erat, impetus fieri non posset, flexere iras in C. Sempronium patruelem Atratini: eíque ob ignominiam Volsci belli adiutore collega M. Canuleio diem dixere. subinde ab eisdem tribunis mentio in senatu de agris diuidẽdis illata est: cui actioni semper acerrimè C. Sempronius restiterat: ratis id quod erat, aut deposita causa leuiorem futurum apud patres reũ,

In creandis quæstoribus prælati sunt patricij.

B aut perseuerante sub iudicii tempus plebẽ offensurũ. aduersæ inuidiæ obiici maluit, & suæ nocere causæ, quàm publicæ deesse: stetítq; in eadem sentẽtia, ne qua largitio cessura in trium gratiam tribunorũ fieret. nec tum agrum plebi, sed sibi inuidiã quæri: se quoq; subiturũ eam tempestatẽ forti animo: nec senatui tanti se ciuem aut quenquam aliũ debere esse, vt in parcendo vni malũ publicũ fiat. Nihilo demissiore animo, cũ dies venit, causa ipse pro se dicta, nequicquam omnia expertis patribus vt mitigarẽt plebẽ, quindecim millibus æris damnatur. Eodẽ anno Posthumia virgo Vestalis de incestu causam dixit, crimine innoxia: ob suspicionẽ propter cultũ amœniorẽ, ingeniúmq; liberius quàm virginẽ decet, parũ abhorrens famã. Ampliatã, deinde absolutã pro collegii sententia pontifex maximus abstinere iocis, colíq; sanctè potius quàm scitè iussit. Eodẽ anno à Capanis Cumæ, quã Græci tum vrbẽ tenebant, capiuntur. Insequens annus tribunos militũ consulari potestate habuit Agrippã Meneniũ Lanatum, P. Lucretiũ Tricipitinũ, Sp. Nautiũ. Annus felicitate populi Romani periculo potius ingenti, quàm clade insignis. Seruitia vrbẽ vt incenderent distantibus locis, cõiurarunt: populóq; ad opẽ passim ferendã tectis intento, vt arcẽ Capitoliúmq; armati occuparent. Auertit nefanda consilia Iupiter: indicióq; duorũ comprehensi sontes pœnas dederunt. indicibus dena millia grauis æris, quæ tum diuitiæ habebãtur, ex ærario numerata, & libertas præmiũ fuit. Bellum inde ab Aequis reparari cœptũ: & nouos hostes Lauicanos consilia cũ veteribus iungere, haud incertis authoribus Romam est allatũ. Aequorum iam velut anniuersariis armis assueuerat ciuitas. Lauicos legati missi cum responsa inde retulissent dubia, quibus ne tunc bellum parari, nec diuturnam pacem fore appareret: Thusculanis negotiũ datum, aduerterent animos, ne quid noui tumultus Lauicis oriretur. Ad insequentis anni tribunos militũ consulari potestate inito magistratu legati ab Thusculo venerunt, L. Sergium Fidenatẽ, M. Papyrium Mugillanum, C. Seruilium Q. Seruilii Prisci filium, quo dictatore Fidenæ captæ fuerant. nuntiabant legati Lauicanos arma cepisse, & cum Aequorum exercitu depopulatos agrum Thusculanum, castra in Algido posuisse. Tum Lauicanis bellum indictum: factóq; senatusconsulto, vt duo ex tribunis ad bellũ proficiscerentur, vnus res Romæ curaret, certamen subito inter tribunos exortum. se quisque belli ducem potiorẽ ferre: curã vrbis vt ingratam ignobilémque aspernari. Cum parum decorũ inter collegas certamẽ mirabundi patres conspicerent, Q. Seruilius, Quando nec ordinis huius vlla, inquit, nec Reip. est verecũdia, patria maiestas altercationẽ istã dirimet: filius meus extra sortem vrbi præerit. bellũ vtinã qui appetũt, cõsideratius cõcordiúsq; quàm cupiũt, gerãt. Delectũ haberi nõ ex toto passim populo placuit: decẽ tribus sorte ductæ sunt. ex his scriptos iuniores duo tribuni ad bellũ duxêre. Cœpta inter eos in vrbe certamina cupiditate eadẽ imperii multò impẽsius in castris accẽdi: nihil sentire idẽ, pro sentẽtia pugnare sua cõsilia velle, sua imperia sola rata esse, cõtẽnere inuicẽ & contemni, donec castigantibus legatis tandẽ ita comparatũ est, vt alternis diebus summã imperii haberẽt. Quæ cum allata Romam essent, dicitur Q. Seruilius ætate & vsu doctus, precatus ab diis immortalibus,

C. Sempronij singularis constantia.

Vestalis ob cultũ amœniorẽ de incestu causam dixit.

Cumæ captæ.

Seruorum coniuratio.

Lauicani & Aequi agrũ Thusculanũ depopulantur.

Inter duces certamen de imperio.

talibus, ne discordia tribunorum damnosior Reip. esset, quàm ad Veios fuisset: & velut haud dubia A
clade imminente, instituisse filio, vt milites scriberet, & arma pararet. Nec falsus vates fuit. nam ductu
L. Sergii, cuius dies imperii erat, loco iniquo sub hostium castris, cùm quia simulato metu receperat

Romani ab Aequis fusi.

se hostis ad vallum, spes vana expugnandi castra eò traxisset, repentino impetu Aequorum per supinam vallem fusi sunt: multíque in ruina maiore quàm fuga oppresi obtruncatíque: castráque eo die ægrè retenta, postero die circumfusis iam magna ex parte hostibus, per auersam portam fuga turpi deseruntur. duces legatíque, & quod circa signa roboris de exercitu fuit, Thusculum petière. Palati alii per agros pasim multis itineribus maioris quàm accepta erat, cladis nuntii Romam contenderunt. Minus trepidationis fuit, quòd euentus timori hominum cógruens fuerat: & quòd subsidia quæ respicerent in re trepida, præparata erant ab tribuno militum: iussúque eiusdem per minores magistratus sedato in vrbe tumultu, speculatores properè missi, nuntiauere Thusculi duces exercitúmq; esse, hostem castra loco non mouisse. & quod plurimum animorum fecit, dictator ex senatusconsulto di-

Q. Seruilius dictator creatur.

ctus Q. Seruilius Priscus, vir cuius prouidentiam in Rep. cum multis aliis tempestatibus antè experta ciuitas erat, tum euentu eius belli, quòd vni certamen tribunorum suspectum ante rem malè gestam fuerat: magistro equitum creato, à quo ipse tribuno militum dictator erat dictus, filio suo, vt tradidêre quidam, (nam alii Halam Seruilium magistrum equitum eo anno fuisse scribunt) nouo exercitu profectus ad bellum, accitis qui Thusculi erant, duo millia passuum ab hoste locum castris cepit. Transierat ex re bene gesta superbia negligentiáque ad Aequos, quæ in Romanis ducibus fuerat. Itaque primo statim prælio cum dictator equitatu immisso ante signos hostium turbasset, legionum inde signa inferri properè iussit: signiferúmque ex suis vnum cunctantem occidit. tantus ardor ad dimican-

Aequi victi, & eorum castra direpta.

dum fuit, vt impetum Aequi non tulerint: victíque acie cum fuga effusa petissent castra, breuior tempore & certamine minor castrorum oppugnatio fuit, quàm prelium fuerat. captis direptísque castris, cum prædam dictator militi concessisset, secutíque fugientem ex castris hostem equites renuntias-

Lauici oppidũ capitur.

sent omnes Lauicanos victos, magnam partem Aequorum Lauicos confugisse: postero die ad Lauicos ductus exercitus: oppidúmque corona circun datum, scalis captum ac direptum est. Dictator exercitu victore Romam reducto, die octauo quàm creatus erat, magistratu se abdicauit. & opportunè

Lauicos deducitur colonia.

senatus priusquàm ab tribunis plebis agrariæ seditiones mentione illata de agro Lauicano diuidendo fierent, censuit frequens coloniam Lauicos deducendam. coloni ab vrbe mille & quingenti missi bina iugera acceperunt. Captis Lauicis, ac deinde tribunis militum consulari potestate Agrippa Menenio Lanato, & L. Seruilio Structo, & P. Lucretio Tricipitino, iterum omnibus his, & Sp. Rutilio Crasso, & insequenti anno A. Sempronio Atratino tertiùm, & duobus iterum M. Papyrio Mugillano, & Sp. Nautio Rutilio, biennium tranquillè externæ res, discordia domi ex agrariis legibus fuit. Tur- B

De agrarijs legibus discordia.

batores vulgi erant Sp. Mecilius quartùm, & Metilius tertiùm tribuni plebis ambo absentes creati. & cum rogationem promulgassent, vt ager ex hostibus captus viritim diuideretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunæ (nec enim fermè quicquam agri, vt in vrbe alieno solo posita, non armis partum erat: nec quod venisset, asignatúmue publicè esset, præterquàm plebs habebat) atrox plebi patribúsque propositum videbatur certamen: nec tribuni militum nunc in senatu, nunc in conciliis priuatis principum cogendis, viam consilii inueniebant. Cùm Ap. Claudius, nepos eius qui decemuir legibus scribendis fuerat, minimus natu ex patrum concilio dicitur dixisse, vetus se ac familiare consilium domo afferre: proauum enim suum Ap. Claudium ostendisse patribus viam vnam dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercesionem. facilè homines nouos authoritate principum de sententia deduci, si temporum interdum potius quàm maiestatis memor adhibeatur oratio. pro fortuna illis animos esse: vbi videant collegas principes agendæ rei gratiam omnem ad plebem præoccupasse, nec locum in ea relictum sibi, haud grauatè acclinaturos se ad causam senatus, per quam voiuersoordini cum primoribus se patrum concilient. Approbantibus cunctis, & ante omneis Q. Seruilio Prisco, quòd oon degenerasset ab stirpe Claudia collaudante iuuenem, negotium datur vt quos quisque posset ex collegio tribunorum ad intercesionem perlicerent. Misso seoatu prehensantur ab principibus tribuni: suadendo, monendo, pollicendóque gratum id singulis priuatim, gratum vniuerso senatui fore, sex ad intercesionem comparauere. Posteróque die cum ex composito relatum ad senatum esset de seditione, quam Mecilius Metiliúsque largitione pessimi exempli concirent: eæ orationes à primoribus patrum habitæ sunt, vt pro se quisque iam nec consilium sibi suppetere diceret: nec se vllam opem cernere aliam vsquam, præter quàm in tribunitio auxilio: in eius potestatis fidem circunuentam Remp. tanquam priuatum inopem confugere, præclarum ipsis potestatíque esse, non ad vexandum senatum, discordiámque ordinum mouendam plus in tribuoatu virium esse, quàm ad resistendum improbis collegis. Fremitus deinde vniuersi senatus ortus, cum ex omnibus partibus curiæ tribuni appellarentur: tum silentio facto ii qui præparati erant gratia principum, quam rogationem à collegis promulgatam senatus censeat dissoluendæ Reip. esse, ei se intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab senatu actæ. Latores rogationis concione aduocata proditores plebis commodorum, ac seruos consularium appellantes, aliáque truci oratione in collegas inuecti, actionem deposuere. Duo bella insequens annus habuisset, quo P. Cornelius Cossus, C. Valerius Potitus, Quintius Cincinnatus, M. Fabius Vibulanus, tribuni militum con-

Volani agrũ Lauicanum populãtur.

sulari potestate fuerunt: ni Veiens bellum religio principum distulisset, quorum agros Tyberis super ripas effusus maximè ruinis villarum vastauit: simul Aequos triennio antè accepta clades prohibuit Volanis, suæ gentis populo præsidium ferre. Excursiones inde in confinem agrum Lauicanum factæ
erant,

A erant, nouísque colonis, bellum illatum. Quam noxam cùm se consensu omnium Aequorum defensuros sperassent, deserti ab suis, ne memorabili quidem bello per obsidionẽ leuémq; vnam pugnam, & oppidum & fines amisere. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, vt rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lauicos coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex authoritate senatus passuros se perferri ostenderunt, discussum est. Volis insequente anno receptis Aequi, coloniáq; eò deducta nouis viribus oppidum firmarũt, tribunis militum Romæ consulari potestate Cn. Cornelio Cosso, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Posthumio Regillensi. huic bellum aduersus Aequos permissum est, prauæ mẽtis homini: quantũ victoria magis, quàm bellum ostendit. Nam exercitu impigrè scripto, ductóq; ad Volas, cùm leuibus præliis Aequorum animos fregisset, postremò in oppidum irrupit: deinde ab hostibus in ciues certamen vertit: & cùm inter oppugnationem prædam militis fore edixisset, capto oppido fidem mutauit. Eam magis adducor vt credam iræ causam exercitui fuisse, quàm quòd in vrbe nuper direpta, coloniáq; noua, minus prædicatione tribuni prædæ fuerit. Auxit eam iram postquam ab collegis accersitus propter seditiones tribunitias in vrbem reuertit, audita vox eius in concione stolida, ac propè vecors: qua Sextio tribuno plebis legem agrariam ferenti, simul Volas quoque vt mitterentur coloni laturum se dicenti: dignos enim esse qui armis cepissent, eorum vrbem agrúmque Volanum esse: malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieuerint. quod auditum non concionem magis, quàm mox patres offendit. & tribunus plebis vir acer, nec infacundus, nactus inter aduersarios superbum ingenium, immodicámque linguam, quam iritando agitandóque in eas impelleret voces, quæ inuidiæ non ipsi tantùm, sed causæ atque vniuerso ordini essent, neminem ex collegio tribunorum militum sæpius quàm Posthumium in disceptationem trahebat. Tum verò secundum tam sæuum atque inhumanum dictum, Auditis, inquit, Quirites, sicut seruis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quàm qui vos vrbe agrísque donatos in colonias mittunt, qui sedem senectuti vestræ prospiciunt, qui pro vestris commodis aduersus tam crudeles superbósque aduersarios depugnant. Incipite deinde mirari, cur pauci iam vestram suscipiant causam. quid vt à vobis sperent? an honores, quos aduersariis vestris potius, quàm populi Romani propugnatoribus datis? Ingemuistis modò voce huius audita. quid id refert? iam si suffragium detur, hunc qui malum vobis minatur, iis qui agros sedésque ac fortunas stabilire volunt, præferetis. Perlata hæc vox Posthumii ad milites, multo in castris maiorem indignationem mouit: prædæne interceptorem fraudatorémque etiam malum minari militibus? Itaque cùm fremitus apertè esset, & quæstor P. Sextius eadem violentia coerceri putaret seditionem posse, qua mota erat: misso ad vociferantem quendam militem lictore, cùm
B inde clamor & iurgium oriretur, saxo ictus turba excedit: insuper increpante qui vulnerauerat, habere quæstorem, quòd imperator esset militibus minatus. Ad hunc tumultum accitus Posthumius asperiora omnia fecit acerbis quæstionibus, crudelibus suppliciis. postremò cum modum iræ nullum faceret, ad vociferationem eorum, quos necari sub crate iusserat, concursu facto, ipse ad interpellantis pœnam vecors de tribunali decurrit. ibi cum summouentes passim lictores centurionésque vexarent turbam, eò indignatio erupit, vt tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur. Quod tam atrox facinus postquam est Romam nuntiatum, tribunis militum de morte collegæ per senatum quæstiones decernentibus tribuni plebis intercedebant. sed ea contentio ex certamine alio pendebat: quòd cura incesserat patres, ne metu quæstionum plebs iráque, tribunos militum ex plebe crearet: tendebántque summa ope, vt consules crearentur. Cum senatusconsultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent consularibus comitiis, res ad interregnum rediit. victoria deinde penes patres fuit. Q. Fabio Vibulano interrege comitia habente, consules creati sunt, A. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus. His consulibus principio anni senatusconsultum factum est vt de quæstione Posthumianæ cædis tribunis primo quóque tempore ad plebem ferrent: plébsque præficeret quæstioni quem vellet. à plebe consensu populi consulibus negotium mandatur. qui summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium, quos sibimetipsos consciisse mortem satis creditum est, transacta re, nequiuere tamen consequi vt non ægerrimè id plebs ferret: iacere tandiu irritas † actiones, quæ de suis cõmodis ferrentur: cum interim de sanguine ac supplicio suo latam legem confestim exerceri, & tantam vim habere. Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus delinimentum animis Volani agri diuisionem obiici: quo facto minuissent desiderium agrariæ legis, quæ possesso per iniuriam agro publico patres pellebat. Tunc hæc ipsa indignitas angebat animos: non in retinendis modò publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse: sed ne vacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi diuidere, mox paucis, vt cætera, futurum prædæ. Eodem anno aduersus Volscos populantes Hernicorum fines, legiones ductæ à Furio cos. cum hostem ibi non inuenissent: Ferentinum, quò magna multitudo Volscorum se contulerat, cepere. minus prædæ quàm sperauerant, fuit: quod Volsci postquàm spes tuendi exigua erat, sublatis rebus nocte oppidum reliquerunt. postero die propè desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus. Annum modestia tribunorũ quietum excepit trib. pleb. L. Icilius, Q. Fabio Ambusto, C. Furio Pacilio coss. Is cum principio statim anni velut pensum nominis familiæque, seditiones agrariis legibus promulgandis cieret: pestilentia coorta, minacior tamen quàm perniciosior, cogitationes hominum à foro certaminibúsq; publicis ad domum curámq; corporum nutriendorum auertit: minúsq; eam damnosam fuisse quàm seditio futura fuerit, credunt. Defuncta ciuitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, pestilentem annum, inopia frugum neglecto cultu agrorũ (vt plerunq; fit) excepit, M. Papyrio

Volani fusi fines & oppidum amisere.

Aequi Volas recipiũt.

Volæ rursus captæ.

Seditiones tribunitiæ.

Castrensis seditio.

Posthumius tribunus militũ ab exercitu suo lapidibus obruitur.

Posthumiana cædes uindicatur.

† sanctiones.

Aduersus Volscos Furius Cos. legiones duxit.

Pestilẽtia seditiones tribunitias inhibet.

Fames. Atratino, C. Nautio Rutilio consulibus. Iam fames, quàm pestilentia tristior erat: ni dimissis circa **A** omnes populos legatis, qui Hetruscum mare, quique Tyberim accolunt, ad frumētum mercandum, annonæ foret subuentū. superbè ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumásq;, legati prohibiti cōmercio sunt: contra ea benignè ab Siculorum tyrannis adiuti. maximos commeatus summo Hetruriæ studio Tyberis deuexit. Solitudinem in ciuitate ægra experti consules sunt: cum in legationes nō plus singulis senatoribus inuenientes, coacti sint binos equites adiicere. Præterquàm ab morbo, annonáque nihil eo biennio intestini, externive incommodi fuit. at vbi hæ sollicitudines discessere, omnia quibus turbari solita erat ciuitas, domi discordia, foris bellum exortum. M. Aemylio, C. Vale- *Aequi bellū parant.* rio Potito, consulibus, bellum Aequi parabant: Volscis, quanquam non publico consilio capessentibus arma, voluntariis mercede secutis militiam. Ad quorum famam hostium (iam enim in Latinum Hernicúmque transcenderant agrum) delectum habentem Valerium consulem M. Menenius tribunus plebis legis agrariæ lator, cum impediret, auxilióque tribuni nemo inuitus sacramento diceret: *Arcem Caruentanā occupant Aequi.* repentè nunciatur, arcem Caruentanam ab hostibus occupatam esse. Ea ignominia accepta cum apud patres inuidiæ Menenio fuit, tum cæteris tribunis iam antè præparatis intercessoribus legis agrariæ, præbuit iustiorem causam resistendi collegæ. Itaque cùm res diu ducta per altercationem esset: consulibus deos hominésque testantibus, quicquid ab hostibus cladis ignominiæque aut iam acceptum esset, aut immineret, culpam penes Menenium fore, qui delectum impediret: Menenio contrà vociferante, si iniusti domini possessione agri publici cederent, se moram delectui nō facere: decreto interposito nouem tribuni sustulerunt certamen: pronuntiaueruntq; ex collegii sententia, C. Valerio consuli se, damnum aliámque coërcitionem aduersus intercessionem collegæ delectus causa detrectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros esse. Hoc decreto consul armatus cum paucis appellantibus *Caruentana arx à C. Valerio recipitur.* tribunum collum torsisset: metu cæteri sacramento dixere. Ductus exercitus ad Caruentanam arcem, quanquam inuisus infestúsque consuli erat, impigrè primo statim aduentu, deiectis qui in præsidio erant, arcem recepit. prædatores ex præsidio per negligentiam dilapsi occasionem aperuere ad inuadendum. Prædæ ex assiduis populationibus, quòd omnia in locum tutum cōgesta erant, fuit aliquantum. venditum sub hasta consul in ærarium redigere quæstores iussit: tum prædicans participē prædæ fore exercitum, cum militiam non abnuisset. Auctæ inde plebis ac militum in cōsulem iræ. itaq; cum ex senatusconsulto vrbem ouans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati: quibus consul increpitus, Menenii celebre nomen laudibus fuit, cum ad omnem mentionem tribuni fauor circumstantis populi plausúque & assensu cum vocibus militum certaret. plúsque ea res, quàm propè solennis militum lasciuia in consulem, curæ patribus iniecit. & tanquam haud dubius inter tribunos militum bonos Menenii, si peteret, consularibus comitiis est exclusus. Creati consules sunt Cn. Cor- **B** nelius Cossus, L. Furius Medullinus iterum. Non aliàs ægriùs plebs tulit tribunicia sibi comitia non *Ex plebeijs quæstores creati.* commissa. eum dolorem quæstoriis comitiis simul ostendit & vlta est, tunc primum plebeiis quæstoribus creatis: ita, vt in quatuor creandis vni patritio C. Fabio Ambusto relinqueretur locus: tres plebeii, Q. Silius, P. Aelius, P. Pipius, clarissimarum familiarū iuuenibus præferrentur. Authores fuisse tam liberi populo suffragii Icilios accipio, ex familia infestissima patribus, tres in eum annum tribunos plebis creatos, multarum magnarúmque rerum molem auidissimo adeò populo ostentantes, cum affirmassent nihil se moturos, si ne quæstoriis quidem comitiis, quæ sola promiscua plebi patribúsque reliquisset senatus, satis animi populo esset ad id, quod tandiu vellent, & per leges liceret. Pro ingenti itaque victoria id fuit plebi: quæsturámque non honoris ipsius finem æstimabant: sed patefa- *Patres indignè ferunt plebeijs honores mandari.* ctus ad consulatum ac triumphos locus nouis hominibus videbatur. Patres contrà, non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere: negare, si ea ita sint, liberos tollendos esse: qui pulsi maiorum loco, cernentésque alios in possessione dignitatis suæ, salii, flaminésq; nusquam aliò, quàm ad sacrificandum pro populo sine imperiis ac potestatibus relinquantur. Irritatis vtriusque partis animis, cum & spiritus plebes sumpsisset, & tres ad popularem causam celeberrimi nominis haberet duces: patres omnia quæstoriis comitiis, vbi vtrunque plebi liceret, similia fore cernentes, tendere ad consulum comitia, quæ nondum promiscua essent. Icilii contrà tribunos militum creādos dicere, & tandem aliquādo impartiendos plebi honores. Sed nulla erat cōsularis actio, quam impediendo id quod *Volsci & Aequi prædantur agrū Latinum.* petebant, exprimerent: cum mira opportunitate Volscos & Aequos prædatum extra fines exisse in agrum Latinum Hernicúmque, affertur. ad quod bellum vbi ex senatusconsulto consules delectū habere occipiunt: obstare tunc enixè tribuni, sibi plebique eam fortunam oblatam memorantes. Tres erant & omnes acerrimi viri, generosique etiam, vt inter plebeios, duo singuli singulos sibi consules asseruandos assidua opera desumunt: vni concionibus data nunc detinenda, nunc concienda plebs. Nec delectum consules, nec comitia quæ petebant, tribuni expediebant. inclinante deinde fortuna *Delectū impediunt tribuni plebis.* ad causam plebis, nuntii veniunt, arcem Caruentanam dilapsis ad prædam militibus qui in præsidio erant, Aequos interfectis paucis custodibus arcis inuasisse: alios recurrentes in arcem, alios palantes in agris cæsos. Ea aduersa ciuitati res vires tribunitiæ actioni adiecit. nequicquam enim tentati vt tum denique desisterent impediendo bello, postquam nō cessere nec publicæ tempestati, nec suæ inuidiæ, peruincunt, vt senatusconsultum fiat de tribunis militum creandis: certo tamen pacto, ne cuius ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset: néve quis reficeretur in annum tribunus plebis: haud dubiè Icilios denotante senatu, quos mercedem seditiosi tribunatus, petere consulatum insimulabant. Tum delectus haberi, bellúmque omnium ordinum consensu apparari cœptum. Consules ambo profecti sint ad arcem Caruentanam, an alter ad comitia habenda subsliterit, incertum diuersi authores faciunt,

A faciunt.illa pro certo habenda, in quibus oon diſſentiunt, ab arce Carueotana cum diu oequicquam oppugnata eſſet,receſſum:Verrugioem in Volſcis eodem exercitu receptam,populationéſq; & prædas & in Aequis & in Volſco agro ingentes factas.Romæ ſicut plebis victoria fuit in eo, vt quæ mallent conitia haberent:ita euentu conitiorum patres vicere.nanque tribuni militum conſulari poteſtate contra ſpem omnium tres patricii creati ſunt,C.Iulius Tullus,Co.Cornelius Coſſus, C.Seruilius Hala.Artem adhibitam ferunt à patriciis,cuius eos Icilii tum quoque inſimulabant,quòd turbam indignorum candidatorum intermiſcendo dignis,tædio ſordium io quibuſdam inſignium populum à plebeiis auertiſſent. Volſcos deinde & Aequos,ſeu Caruentana arx retenta in ſpeni, ſeu Verrugine amiſſum præſidium ad iram cum impuliſſet,fama affertur,ſumma vi ad bellum coortos:caput rerum Antiates eſſe.eorum legatos vtriuſque gentis populos circumiſſe,caſtigantes ignauiam,quòd abditi intra muros populabundos in agris vagari Romanos priore anno,& opprimi Verruginis præſidium paſsi eſſent.iam non exercitus modò armatos,ſed colonias etiam in ſuos fines mitti:nec ipſos modò Romanos ſua diuiſa habere,ſed Ferentinum etiam de ſe captum Hernicis donaſſe. Ad hæc cum inflammarentur anjmi,vt ad quoſque ventum erat,oumerus iuniorum conſcribebatur.Ita omnium populorum iuuentus Antium contracta,ibi caſtris poſitis hoſtem opperiebantur.Quæ vbi tumultu maiore etiani quàm res erat,nuntiatur Romam,ſenatus extemplo(quod in rebus trepidis vltimum conſilium erat)dictatorem dici iuſsit.Quam rem ægrè paſſos,Iulium Corneliúmq; ferunt : magnóq; certamioe animorum rem actam:cum primores patruni nequicquam conqueſti non eſſe in authoritate ſenatus tribunos militum,poſtremò etiam tribunos plebis appellarent,& conſulis quoque ab ea poteſtate vim ſuper tali re inhibitam referrent:tribuni plebis læti diſcordia patrum, nihil eſſe in his auxilii dicerent,qui non ciuium,oon denique hominum numero eſſent. ſiquando promiſcui hooores. communicata Reſpublica eſſet,tum ſe animaduerſuros,ne qua ſuperbia magiſtratuum irrita ſenatuſconſulta eſſent.interim patricii ſoluti legum magiſtratuúmque verecundia,per ſe quoq; tribunitiam poteſtatem agerent.Hæc contentio minimè idoneo tempore,cum tantum belli in manibus eſſet, occupauerat cogitationes hominum:donec vbi diu alternis Iulius Corneliúſque,cum ad id bellum ipſi ſatis idonei duces eſſent,non eſſe æquum,mandatū ſibi à populo eripi honorem,diſſeruere:tum Hala Seruilius Trib.mil.tacuiſſe ſe tandiu ait,non quia incertus ſenteſtiæ fuerit:(quem enim bonum ciuem ſecernere ſua à publicis coofilia?)ſed quia maluerit collegas ſua ſpoote cedere authoritati ſenatus, quàm tribuoitiam poteſtatem aduerſus ſe implorari paterentur. tum quoque ſi res ſineret, libeoter ſedaturum tempus iis fuiſſe ad receptum nimis pertinacis ſententiæ. ſed cum belli neceſsitates non expectent humana conſilia,potiorem ſibi collegarum gratia Rempub. fore. & ſi maneat in ſententia

Volſci & Aequi ſumma vi ad bellum coorti-untur.

Dictatorem creari non patiuntur duo ex tribunis militum.

Seruilius, tertius ex tribunis militū dictatorem dicit.

B ſenatus,dictatorem oocte proxima dicturum:ac ſi quis intercedat,ſenatuſconſulti authoritate ſe fore contentum.Quo facto,cum haud immeritam laudem,gratiámque apud omnes tuliſſet : dictatore P. Cornelio dicto,ipſe ab eo magiſter equitum creatus eſt. Exemplo fuit collegas,eúmque intuentibus, quàm gratia atque honos opportuniora interdum oon cupientibus eſſent.Bellum haud memorabile fuit.vno atque eo facili prælio cæſi ad Antium hoſtes.victor exercitus depopulatus Volſcum agrum. caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum:atque in eo tria millia hominum capta,cæteris Volſcis intra mœnia compulſis,nec defendentibus agros. Dictator bello ita geſto,vt tantum nō defuiſſe fortunæ videretur,felicitate quàm gloria maior io vrbem rediit,magiſtratúque ſe abdicauit. Tribuni militum mentione nulla comitiorum conſularium habita (credo ob iram dictatoris creati) tribunorum militum comitia edixerunt. Tum verò grauior cura patribus inceſsit : quippe cum prodi cauſam ab ſuis cernerent. Itaque ſicut priore anno per indigniſsimos ex plebeiis candidatos omnium etiam dignorum tædium fecerant : ſic tum primoribus patrum ſplendore gratiáque ad petendum præparatis,omnia loca obtinuêre, ne cui plebeio aditus eſſet. quatuor creati ſunt, omnes iam functi eo honore, L.Furius Medullinus, C.Valerius Potitus, Cn. Fabius Vibulanus, C.Seruilius Hala. hic refectus continuato honore, cùm ob alias virtutes, tum ob recentem fauorem vnica moderatione partum. Eo aono,quia tempus induciarum cuoi Veienti populo exierat, per legatos fœcialéſque res repeti cœptæ. quibus venientibus ad fioem legatio Veientium obuiam fuit. petiere, ne prius quàm ipſi ſenatum Romanum adiſſent, Veios iretur. Ab ſenatu impetratum, quia diſcordia inteſtina laborarent Veientes, ne res ab iis repeterentur. tantum abfuit vt ex incommodo alieno ſua occaſio peteretur. Et in Volſcis accepta clades,amiſſo Verrugine præſidio. vbi tantum in tempore fuit momenti, vt, cum precantibus opem militibus,qui ibi à Volſcis obſidebantur, ſuccurri, ſi maturatum eſſet, potuiſſet: ad id venerit exercitus ſubſidio miſſus, vt ab recenti cæde palati ad prædandum hoſtes opprimerentur. Tarditatis cauſa in ſenatu magis fuit, quàm tribunis. qui, quia ſumma vi reſiſtere nuntiabantur, parum cogitauerunt, nulla non virtute ſuperari humanarum virium modum.fortiſsimi milites non tamen oec viui, nec poſt mortē inulti fuere. inſequenti anno, P.& Cn.Corneliis Coſsis,C.Fabio Ambuſto, L.Valerio Potito,tribunis militū conſulari poteſtate, Veiens bellum motum ob ſuperbum reſponſum Veientis ſenatus. qui legatis repetentibus res,ni faceſſerent, properè vrbe finibuſq;, daturos quod Lars Tolumnius dediſſet, reſponderi iuſsit. Id patres ægrè paſsi, decreuere, vt tribuni militum de bello indicendo Veientibus primo quoq; die ad populum ferrent. Quod vbi primò promulgatum eſt,fremere iuueotus,nondum debellatum cum Volſcis eſſe:modò duo præſidia occidione occiſa, & cum periculo retineri : nullum annum eſſe, quo non acie dimicetur : & tanquam pœniteat laboris, nouum bellum cum finitimo populo & potentiſsimo parari, qui omnem Hetruriam ſit coocitaturus. Hæc ſua ſpoote agitata inſuper tribuni plebis accendunt. Maximum bellum patribus

Romani uincunt Volſcos & eorū ſocios.

Volſci amiſſam Verruginem recipiunt interfecto præſidio.

Veientis ſenatus ſuperbum reſpōſum.

cum plebe esse dictitant: eam de industria vexandam militia, trucidandámq; hostibus obiici: eã procul vrbe haberi atq; ablegari: ne domi per otium memor libertatis coloniarúmque, aut agri publici, aut suffragii liberè ferendi consilia agitet. prehensantésq; veteranos, stipendia cuiusque, & vulnera ac cicatrices numerabãt: quid iam integri esse in corpore loci ad noua vulnera accipienda? quid superesse sanguinis qui dari pro republica posset? rogitantes. Hæc cùm in sermonibus, concionibúsq; interdum agitantes, auertissent plebem ab suscipiendo bello, profertur tempus ferundæ legis: quam, si subiecta inuidiæ esset, antiquari apparebat. Interim tribunos militum in Volscum agrũ ducere exercitũ placuit. Cn. Cornelius vnus Romæ relictus. Tres tribuni, postquàm nullo loco castra Volscorum esse, nec commissuros se prælio apparuit, tripartito ad deuastandos fines discessere: Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras. quacunque incessere, latè populati sunt tecta agrósq;, vt distinerent Volscos. Fabius, quòd maximè petebatur, ad Anxur oppugnãdum sine vlla populatione accessit. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt: vrbs prona in paludes. ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. Circummissæ quatuor cohortes cum C. Seruilio Hala, cùm imminentem vrbi collem cepissent: ex loco altiore, quà nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia inuasere. ad quem tumultum obstupefacti, qui aduersus Fabium vrbem infimam tuebantur, locum dedêre scalas admouendi. plenáq; hostium cuncta erant: & in muris diu cædes pariter fugientium ac resistentium armatorũ atque inermium fuit. cogebantur itaq; victi, quia cedentibus spei nihil erat, pugnam inire: cùm pronuntiatum repentè, ne quis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis: quorum ad duo millia & quingenti viui capiuntur. à cætera præda Fabius militem abstinuit, donec collegæ venirent: ab illis quoque exercitibus captũ Anxur dictitans esse, qui cæteros Volscos à præsidio eius loci auertissent. Qui vbi venerũt, oppidũ vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuêre. eáque primùm benignitas imperatorum plebem patribus conciliauit. Additum deinde omnium maximè tempestiuo principum in multitudinem munere, vt ante mentionem vllam plebis tribunorúmue decerneret senatus, vt stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Nihil acceptum vnquam à plebe tanto gaudio traditur. concursum itaque ad curiam esse, prehensatásque exeuntium manus, & patres verè appellatos: effectum esse fatentibus, vt nemo pro tam munifica patria, donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret: cum commoditas iuuaret, rem familiarem saltẽ acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atq; operatũ reipub. esset. tum quod vltrò sibi oblatum esset, non à tribunis plebis vnquam agitatum, non suis sermonibus efflagitatum: id efficiebat multiplex gaudium, cumulatiorémq; gratiam rei. Tribuni plebis communis ordinũ lætitiæ concordiæque soli expertes, negare tam id lætum patribus vniuersis, nec prosperum fore quàm ipsi crederent. consiliũ specie prima melius fuisse quàm vsu appariturum. vnde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur alius largitos. neque id etiam si cæteri ferant, passuros eos, quibus iam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare quàm ipsi militassent: & eosdem in sua stipendia impensas fecisse, & in aliorum facere. His vocibus mouerunt partem plebis. postremò indicto iam tributo, edixerũt etiam tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non cõtulisset. Patres bene cœptam rem perseueranter tueri: conferre ipsi primi. & quia nondum argentum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes, speciosam etiam collationem faciebant. Cum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici ex composito conferre incipiũt. quos cum & à patribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos ciues conspici vulgus hominum vidit, repentè spreto tribunitio auxilio, certamen conferendi est ortum. & lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium noui tribuni militum consulari potestate Veios duxere. Fuere autem tribuni T. Quintius Capitolinus, P. Quintius Cincinnatus, C. Iulius Tullus iterum, A. Manlius, L. Purius Medullinus tertium, M. Aemylius Mamercus. Ab his primùm circumsessi Veii sunt. sub cuius initium obsidionis cum Hetruscorum concilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum esset, parum cõstitit, bellóne publico gentis vniuersæ tuendi Veientes essent. Ea oppugnatio segnior insequenti anno fuit, parte tribunorum exercitúsque ad Volscum auocata bellum.

In Volscos mittuntur tres ex tribunis militum.

Anxur captum.

Stipendium miles de publico tũ primùm accepit.

Nondum argentum signatũ erat.

Veientibus bellum indicitur.

A

B

Tribunos militum consulari potestate is annus habuit C. Valerium Potitum tertiùm, M. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginensem, Cn. Cornelium Cossum, C. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilium iterum. Cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit. Artena inde Volscorum oppidum ab tribunis obsideri cœpta. inde inter eruptionem tentatam compulso in vrbem hoste, occasio data est Romanis irrumpendi, prætérque arcem, cætera capta. in arcem munitam natura globus armatorum concessit. infra arcem cæsi captíque multi mortales. Arx deinde obsidebatur: nec aut vi capi poterat, quia pro spatio loci satis præsidii habebat: aut spem dabat deditionis, omni publico frumento, priusquàm vrbs caperetur, in arcem conuecto. tædióque recessum inde foret, ni seruus arcem Romanis prodidisset. ab eo milites per locum arduum accepti, cepere. à quibus cum custodes trucidarentur, cætera multitudo repentino pauore oppressa, in deditionem venit. Diruta & arce & vrbe Artena, reductæ legiones ex Volscis, omnísque vis Romana Veios conuersa est. Proditori præter libertatem duarum familiarum bona in præmium data. Seruius Romanus vocitatus. Sunt, qui Artenam Veientium, non Volscorum fuisse credant. præbet errorem, quòd eiusdem nominis vrbs inter Cære atque Veios fuit. sed eam reges Romani deleuere. Cæretúmque, non Veientium fuerat. altera hæc nomine eodem in Volsco agro fuit, cuius excidium est dictum.

Artena Volscorum oppidum capitur præter arcem.

Arx proditione serui capitur.

A

DECADIS PRIMAE LIBER V.

In obsidione Veiorum hybernacula militibus facta sunt. ea res cum esset noua, indignationem tribunorum plebis mouit, querentium non dari plebi nec per hyemem militiæ requiem. Equites tum primùm equis suis merere cœperunt. Cum inundatio in lacu Albano facta esset, uates, qui eam rem interpretaretur, ab hostibus captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit: simulachrum Iunonis Romam transtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum, cum Faliscos obsideret, proditos hostium filios parentibus remisit: statimq; deditione facta, Faliscorum uictoriam iustitia consecutus est. Cum alter ex censoribus, Iulius decessisset, in locum eius M. Cornelius suffectus est. nec id postea factum est, quoniam eo lustro à Gallis Roma capta est. Furius Camillus, cum ei dies à L. Apuleio trib. pleb. dicta esset, in exilium abijt. Cum Senones Galli Clusium obsiderent, & legati à Senatu missi ad componendum inter eos, & Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent, hoc facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu petierũt: fusisq; ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem, præter Capitolium, in quod se iuuenes contulerant. maiores natu cum insignibus honorũ, quos quisque gesserat, in uestibulis ædium sedentes occiderunt. & cum per auersam partem Capitolij iam in summum euasissent, proditi clangore anserum, M. Manlij præcipuè opera deiecti sunt. coactis deinde propter famem Romanis despondere, ut mille pondo auri darent, & hoc pretio finem obsidionis emerent, Furius Camillus dictator absens creatus inter pendendum aurum cum exercitu uenit: & Gallos post sextum mensem urbe expulit, cæcidítq;. Aedes Loquutio facta: quo loco ante urbem captam uox audita erat, aduentare Gallos. Dictum est ad Veios migrandum esse, propter incensam & dirutam urbem. quod consilium Camillo authore discussum est. Mouit populum uocis quoq; omen ex centurione auditæ. qui, cum in forum uenisset, manipularijs suis dixerat, Sta miles, hic optimè manebimus.



PACE alibi parta, Romani Veísque in armis erant, tanta ira odióque, vt victis finem adesse appareret. Comitia vtriusque populi longè diuersa ratione facta sunt. Romani auxêre tribunorum militum consulari potestate numerum. octo, quot nunquam antea, creati, M. Aemylius Mamercus iterũ, L. Valerius Potitus tertiùm, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius Varus, M. Iulius Tullus, M. Posthumius, M. Furius Camillus, M. Posthumius Albinus. Veientes contrà, tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum causa erat, regem creauere. Offendit ea res populorum Hetruriæ animos non maiore odio regni, quàm ipsius regis. grauis iam is antea genti fuerat opibus superbiáque, quia solennia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diremisset: cum ob iram repulsæ, quod suffragio XII populorum alius sacerdos ei prælatus esset, artifices, quorũ magna pars ipsius serui erant, ex medio ludicro repentè abduxit. gens itaque ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quód excelleret arte colendi eas, auxilium Veientibus negádum, donec sub rege essent, decreuit. cuius decreti suppressa fama est Veiis propter metum regis, qui à quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe, non noui sermonis authorem habebat. Romanis & si quietæ res ex Hetruria

B nunciabantur, tamen, quia omnibus concilijs eam rem agitari afferebatur, ita muniebant, vt ancipitia munimenta essent. alia in vrbem & contra oppidanorum eruptiones versa: alijs frons in Hetruriam spectans auxilijs, si qua fortè inde venirent, obstruebatur. Cum spes maior imperatoribus Romanis in obsidione, quàm in oppugnatione esset, hybernacula etiam, res noua militi Romano, ædificari cœpta: consiliúmque erat, hyemando continuare bellum. quod postquàm tribunis plebis, iamdiu nullam nouandi res causam inuenientibus, Romam est allatum, in concionem prosiliunt, sollicitant plebis animos, hoc illud esse dictitantes, quód æra militibus sint constituta. nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum fore. vænisse libertatem plebis: remotam in perpetuum, & ablegatam ab vrbe & ab Republica iuuentutem, iam ne hyemi quidem aut tempori anni cedere, ac domos & res inuisere suas. Quam putarent continuatæ militiæ causam esse? nullam profectò aliam inuenturos, quàm ne quid per frequentiam iuuenum eorum, in quibus vires omnes plebis essent, agi de commodis eorum posset. vexari præterea, & subigi multò acrius, quàm Veientes. Quippe illos hyemem sub tectis suis agere, egregiis muris sitúque naturali vrbem tutantes. militem Romanum in opere ac labore, niuibus pruinísque obrutum sub pellibus durare, ne hyemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra maríque sit quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribunitiam potestatem creatam superbos illos consules, neque tristè dictatoris imperium, neque importunos decemuiros iniunxisse seruitutis, vt perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent. quidnam illi consules dictatorésve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sæuam ac trucem fecerint? Sed id accidere haud immeritò. non fuisse ne in octo quidem tribunis militum locum vlli plebeio. Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire: & ne in turba quidem hærere plebeium quenquam: qui, si nihil aliud, admoneat collegas: liberos, & ciues eorum, non seruos militare, quos hyeme saltem in domos ac tecta reduci oporteat, & aliquo tempore anni parentes liberósque ac coniuges inuisere, & vsurpare libertatem, & creare magistratus. Hæc, taliáque vociferantes, aduersarium haud imparem nacti sunt, Ap. Claudium, relictum à collegis ad tribunitias seditiones comprimendas, virum imbutum iam ab iuuenta certaminibus plebeiis: quem authorem aliquot annis antè fuisse memoratum est per collegarum intercessionem tribunitiæ potestatis dissoluendæ. Is tum iam non promptus ingenio tantum, sed vsu etiam exercitatus, talem orationem habuit: Si vnquam dubitatum est, Quirites, vtrum tribuni plebis vestra, an sua causa seditionum semper authores fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari, certum habeo. & cùm lætor tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum quód secundis potissimum vestris rebus hic error est sublatus, & vobis, & propter vos Reipub. gratulor. An est quisquam qui dubitet, nullis iniuriis vestris, si quæ fortè aliquando fuerunt, vnquam æquè quàm munere patrum in plebem, cum æra militantibus constituta sunt, tribunos plebis offensos ac conci-

Octo tribuni militũ cõsulari potestate creati.

Veientes regẽ creauere.

Hybernacula tum primum militibus ædificata.

Tribunitiæ conciones.

Ap. Claudius tribunus plebis resistit.

Ap. Claudij oratio.

tatos eſſe?quid illos aliud aut tum timuiſſe creditis, aut hodie turbare vellet, niſi concordiam ordi- A
num? quam diſſoluendæ maximè tribunitiæ poteſtati rentur eſſe. Sic Hercule tanquam artifices im-
probi opus quærunt: qui & ſemper ægri aliquid eſſe in Republica volunt, vt ſit ad cuius curationem
à vobis adhibeantur. Vtrum enim defenditis, an impugnatis plebem? vtrum militantium aduerſa-
rii eſtis? an cauſam agitis? niſi fortè hoc dicitis, Quicquid patres faciunt, diſplicet: ſiue illud pro
plebe, ſeu contra plebem eſt. Et quemadmodum ſeruis ſuis vetant domini quicquam rei cum alie-
nis hominibus eſſe, paritérque in iis beneficio ac maleficio abſtineri, æquum cenſent: ſic vos inter-
dicitis patribus commercio plebis: ne nos comitate ac munificentia noſtra prouocemus plebem,
nec plebs nobis dicto audiens atque obediens ſit. Quantò tandem, ſi quicquam in vobis non dico
ciuilis, ſed humani eſſet, fauere vos magis: & quantum in vobis eſſet, indulgere potius comitati pa-
trum atque obſequio plebis oportuit? quæ ſi perpetua concordia ſit, quis non ſpondere auſit, maxi-
mum hoc imperium inter finitimos breui futurum eſſe? Atque ego quàm hoc conſilium collega-
rum meorùm, quo abducere infecta re à Veiis exercitum noluerunt, non vtile ſolum, ſed etiam
neceſſarium fuerit, poſtea diſſeram. nunc de ipſa conditione militantium dicere libet. quam oratio-
nem non apud vos ſolum, ſed etiam in caſtris ſi habeatur ipſo exercitu diſceptante, æquam arbitror
videri poſſe. in qua ſi mihiipſi nihil quod dicerem, in mentem venire poſſet, aduerſariorum certè
orationibus contentus eſſem. Negabant nuper danda eſſe æra militibus, quia nunquam data eſſent.
quonam modo igitur nunc indignari poſſunt, quibus aliquid noui adiectum commodi ſit, eis labo-
rem etiam nouum pro portione iniungi? nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emolumentum
fermè ſine impenſa opera eſt. labor voluptáſque diſsimillima natura, ſocietate quadam inter ſe natu-
rali ſunt iuncta. Moleſtè antea ferebat miles, ſe ſuo ſumptu operam Reipublicæ præbere: gaudebat
idem partem anni ſe agrum ſuum colere, quærere vnde domi militiæque ſe ac ſuos tueri poſſet. gau-
det nunc fructui ſibi Rempublicam eſſe, & lætus ſtipendium accipit. æquo igitur animo patiatur ſe
ab domo, ab re familiari, cui grauis impenſa non eſt, paulò diutius abeſſe. an ſi ad calculos eum
Reſpublica vocet, non meritò dicat annua æra habes, annuam operam ede? an tu æquum cenſes,
militia ſemeſtri ſolidum te ſtipendium annuum accipere? Inuitus in hac parte orationis Quirites mo-
ror. ſic enim agere debent qui mercenario milite vtuntur. nos tanquam cum ciuibus agere volu-
mus: agíque tanquam cum patria nobiſcum, æquum cenſemus. Aut non ſuſcipi bellum oportuit:
aut geri pro dignitate populi Romani, & perfici quàm primùm oportet. perficietur autem. ſi vrge-
mus obſeſſos: non antè abſcedimus, quàm ſpei noſtræ finem captis Veiis impoſuerimus. Si her-
cule nulla alia cauſa, ipſa indignitas perſeuerantiam imponere debuit. Decem quondam annos vrbs
oppugnata eſt ob vnam mulierem ab vniuerſa Græcia, quàm procul ab domo? quot terras, quot ma- B
ria diſtans? nos intra viceſimum lapidem, in conſpectu propè vrbis noſtræ annuam oppugnationem
perferre piget: ſcilicet quia leuis cauſa belli eſt: nec ſatis quicquam iuſti doloris eſt, quod nos ad per-
ſeuerandum ſtimulet. Septies rebellarunt, in pace nunquam fidi fuerunt: agros noſtros millies de-
populati ſunt: Fidenates deficere à nobis coëgerunt: colonos noſtros ibi interfecerunt: authores
fuere contra ius gentium cædis impiæ legatorum noſtrorum: Hetruriam omnem aduerſus nos con-
citare voluerunt, hodiéque id moliuntur: res repetentes legatos noſtros haud procul abfuit quin
violarent. Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si nos tam iuſtum odium nihil
mouet, ne illa quidem oro vos mouent? operibus ingentibus ſepta vrbs eſt, quibus intra muros coer-
cetur hoſtis. agrum non coluit, & culta euaſtata ſunt bello. Si reducimus exercitum, quis eſt qui du-
bitet illos non cupiditate ſolùm vlciſcendi, ſed etiam neceſsitate impoſita ex alieno prædandi, cum
ſua amiſerint, agrum noſtrum inuaſuros? non differimus igitur bellum iſto conſilio, ſed intra fines
noſtros accipimus. Quid? illud quod propriè ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis cùm ſti-
pendium extorquere voluerint, nunc conſultum repentè volunt: quale eſt? vallum foſſámque, in-
gentis vtramque rem operis, per tantum ſpatii duxerunt: caſtella primò pauca, poſteà exercitu au-
cto creberrima fecerunt: munitiones non in vrbem modò, ſed in Hetruriam etiam ſpectantes, ſi
qua inde auxilia veniant, oppoſuêre. quid turres? quid vineas teſtudinéſque, & alium oppugnan-
darum vrbium apparatum loquar? cum tantum laboris exhauſtum ſit, & ad finem iam operis tan-
dem peruentum: relinquendáne hæc cenſetis, vt ad æſtatem rurſus nouus deintegro his inſtituen-
dis exudetur labor? quanto eſt minus opera tueri facta? & inſtare, & perſeuerare, defungíque cura?
breuis enim profectò res eſt, ſi vno tenore peragitur, nec ipſi per intermiſsiones has interualláque
lentiorem ſpem noſtram facimus. loquor de opere, & de temporis iactura. Quid? periculi, quod dif-
ferendo bello adimus, num obliuiſci nos hæc tam crebra Hetruriæ concilia de mittendis Veios au-
xiliis patiuntur? vt nunc res ſe habet, irati ſunt, oderunt, negant miſſuros: quantum in illis eſt, ca-
pere Veios licet. quis eſt, qui ſpondeat, eundem, ſi differtur bellum, animum poſteà fore? cum, ſi laxa-
mentum dederis, maior frequentiórque legatio itura ſit: cum, id quod nunc offendit Hetruſcos, rex
creatus Veiis ſpatio mutari interpoſito poſsit, vel conſenſu ciuitatis, vt eo reconcilient Hetruriæ ani-
mos, vel ipſius voluntate regis, qui obſtare regnum ſuum ſaluti ciuium nolit. Videte quot res quàm
inutiles ſequantur illam viam conſilii: iactura operum tanto labore factorum: vaſtatio imminens
finium noſtrorum: Hetruſcum bellum pro Veiente concitatum. Hæc ſunt tribuni conſilia veſtra,
non hercule diſsimilia, ac ſi quis ægro qui curari ſe fortiter paſſus, extemplò conualeſcere poſsit,
cibi gratia præſentis aut potionis, longinquum & forſitan inſanabilem morbum efficiat. Si mediuſ-
fidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad diſciplinam certè militiæ plurimum intererat, inſueſcere
militem

A militem nostrum non solum parta victoria frui: sed, si res etiam lentior sit, pati tædium, & quamuis seræ spei exitum expectare: &, si non sit æstate perfectum bellum, hyemem operiri: nec, sicut æstiuas aues, statim autumno tecta ac recessum circumspicere. Obsecro vos, venādi studium ac voluptas homines per niues ac pruinas in montes syluásque rapit. belli necessitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel lusus ac voluptas elicere solet? adeóne effœminata corpora militum nostrorum esse putamus, adeò molles animos, vt hyemem vnam durare in castris, abesse ab domo non possint? vt tanquam nauale bellum tempestatibus captandis & obseruando tempore anni gerant? non æstus, non frigora pati possunt? erubescent profectò, si quis eis hæc obiiciat: contendéntque, & animis, & corporibus suis virilem patientiam inesse: & se iuxtà hyeme atque æstate bella gerere posse: nec se patrocinium mollitiæ inertiæque mandasse tribunis: & meminisse hanc ipsam potestatem nō in vmbra, nec in tectis maiores suos creasse. Hæc virtute militum vestrorum, hæc Romano nomine sunt digna: non Veios tantum, nec hoc bellum intueri, quod instat: sed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos in posterum quærere. An mediocre discrimen opinionis secuturum ex hac re putatis? vtrum tandem finitimi populum Romanum eum esse putent, cuius si qua vrbs primum illum breuissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde timeat? an hic sit terror nominis nostri, vt exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis ab vrbe circunsessa semel amouere possit? nec finem vllum alium belli quàm victoriam nouerit? nec impetu potius bella, quàm perseuerantia gerat? quæ in omni quidem genere militiæ, maximè tamen in obsidendis vrbibus necessaria est: quarum plerasque munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles, fame, sitíque tempus ipsum vincit atque expugnat: sicut Veios expugnabit: nisi auxilio hostibus tribuni plebis fuerint: & Romæ inuenerint præsidia Veientes, quæ nequicquam in Hetruria quærunt. An est quicquam quod Veientibus optatum æquè contingere possit, quàm vt seditionibus primùm vrbs Romana, deinde velut ex contagione castra impleantur? At hercule apud hostes tanta modestia est, vt non obsidionis tædio, non denique regni, quicquam apud eos nouatum sit: non negata auxilia ab Hetruscis irritauerint animos. morietur enim extemplo, quicunque erit seditionis author: nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud vos impunè dicuntur. fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. authores signa relinquendi, & deserendi castra, non vni aut alteri militi, sed vniuersis exercitibus, palàm in concione audiuntur. adeò quicquid tribunus plebis loquitur, & si prodendæ patriæ, dissoluendæque Reipublicæ est, assuestis audire: & dulcedine potestatis eius capti, quælibet sub ea scelera latère sinitis. Reliquum est, vt quæ hic vociferantur, eadem in castris & apud milites agant, & exercitus corrumpant, ducibúsque parère non patiantur: quoniam ea demum Romæ libertas est, non senatus, non
B magistratus, non leges, non mores maiorū, non instituta patrum, non disciplinam vereri militiæ. Par iam etiam in concionibus erat Appius tribunis plebis, cum subitò, vnde minimè quis crederet, accepta calamitas apud Veios, & superiorem Appium in causa, & concordiam ordinum maiorem, ardorémque ad obsidendos pertinacius Veios fecit. Nam cum agger promotus ad vrbem, vineæque tantùm nō iam iniunctæ mœnibus essent, dum opera interdiu fiunt intentius, quàm nocte custodiuntur, patefacta repentè porta, ingens multitudo facibus maximè armata ignes coniecit: horæque momento simul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus incendium hausit: multíque ibi mortales nequicquam opem ferentes, ferro ignique absumpti sunt. Quod vbi Romam est nuntiatum, mœstitiam omnibus, senatui curam metúmque iniecit, ne tum verò sustineri nec in vrbe seditio, nec in castris posset, & tribuni plebis velut ab se victæ Reipublicæ insultarent: cùm repentè, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt: factâq; dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Quibus cum amplissimis verbis gratiæ ab senatu actæ essent, famáque ea forum atque vrbem peruasisset, subitò ad curiam concursus fit plebis. pedestris ordinis se aiunt nunc esse, operámque Reipublicæ extra ordinem polliceri, seu Veios, seu quò aliò ducere velint. si Veios ducti sint, negant se inde prius, quàm capta vrbe hostium, redituros esse. Tum verò iam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est. non enim sicut equites, dato magistratibus negotio, laudari iussi: neque aut in curiam vocati, quibus responsum daretur, aut limine curiæ continebatur senatus: sed pro se quisque ex superiore loco ad multitudinem in comitio stantem, voce manibúsque significare publicam lætitiam. beatam vrbem Romanam, & inuictam, & æternam illa concordia dicere: laudare equites, laudare plebem: diem ipsum laudibus ferre: victam esse fateri comitatem benignitatémque senatus. certatim patribus plebísque manare gaudio lacrymæ, donec reuocatis in curiam patribus, senatusconsultum factum est, vt tribuni militares concione aduocata peditibus equitibúsque gratias agerent: memorem pietatis eorum erga patriam dicerent senatū fore. placere autem omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere: & equis certus numerus æris est assignatus. Tum primùm equis merere equites cœperunt. Voluntarius ductus exercitus Veios, non amissa modò restituit opera, sed noua etiam instituit. ab vrbe commeatus intentiore quàm antea subuehi cura, ne quid tam benemerito exercitui ad vsum deesset. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit, C. Seruilium Halam tertiùm, Q. Seruilium, P. Virginium, Q. Sulpitium, A. Manlium iterū, M. Sergium iterum. His tribunis dum cura omniū in Veiens bellum intentata est, neglectum Anxuri præsidium vagationibus militum, & Volscos mercatores vulgò receptando, proditis repentè portarum custodibus oppressum est. minus militum periit, quia præter ægros lixarum in modum omnes per agros vicinásque vrbes negotiabantur. Nec Veiis melius gesta res, quod tum caput omnium curarum publicarum erat. nam & duces Romani plus inter

Veij Romanorū munimēta incēderunt.

Equites tum primùm equis suis merere cœperunt.

Neglectum Anxuri præsidium opprimitur.

Duces Romani inter se dissentiunt.

A se irarum, quàm aduersus hostes animi habuerunt: & auctum est bellum aduentu repentino Capenatium atque Faliscorum. Hi duo Hetruriæ populi, quia proximi regione erant, deuictis Veiis, bello quoque Romano se proximos fore credentes: Falisci propria etiam causa infesti, quòd Fidenati bello se iam antea immiscuerant, per legatos vltrò citróque missos iureiurando inter se obligati, cum exercitibus nec opinatò ad Veios accessere. Fortè ea regione, qua M. Sergius tribunus militum præerat, castra adorti sunt: ingentémque terrorem intulêre, quia Hetruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant. eadem opinio Veientes in vrbe concitauit. Ita ancipiti prælio castra Romana oppugnabantur. concursantésque, cùm huc atque illuc signa transferrent: nec Veientem satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere iam vim, ac tueri se ab exteriore poterant hoste. vna spes erat, si ex maioribus castris subueniretur, vt diuersæ legiones, aliæ aduersus Capenatem ac Faliscum, aliæ contra eruptionem oppidanorum pugnarent. Sed castris præerat Virginius priuatim Sergio inuisus infestúsque. is cum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, vtrinque inuehi hostem nuntiaretur, in armis milites tenuit: si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Huius arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste, quàm vincere per ciuem maluit. Diu in medio cæsi milites, postremò desertis munitionibus perpauci in maiora castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt. vbi cum omnem culpam in collegam inclinaret, acciri Virginium ex castris, intereà præesse legatos placuit. Acta deinde in senatu res est, certatúmque inter collegas maledictis. pauci Reipublicæ, huic atque illi, vt quosque studium priuatim aut gratia occupauerunt, adsunt. primores patrum siue culpa, siue infelicitate imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset, censuere non expectandum iustum tempus comitiorum, sed extemplò nouos tribunos militum creandos esse, qui Calendis Octobribus magistratum occiperent. In quam sententiam cum pedibus iretur, cæteri tribuni militum nihil contradicere. at enimuerò Sergius Virginiúsque, propter quos pœnitere magistratum eius anni senatum apparebat: primò deprecari ignominiam, deinde intercedere senatusconsulto. negare se ante Idus Decembres, solennem ineundis magistratibus diem, honore abituros esse. Inter hæc tribuni plebis, cum in concordia hominum secundísque rebus ciuitatis inuiti silentium tenuissent, feroces repentè minari tribunis militum, nisi in authoritate senatus essent, se in vincula eos duci iussuros esse.

C. Seruilij grauis oratio ad tribunos plebis.

Tum C. Seruilius Hala trib. milit. Quod ad vos attinet, tribuni plebis, minásque vestras, næ ego libenter experirer quàm non plus in his iuris quàm in vobis animi esset. sed nefas est tendere aduersus authoritatem senatus. proinde & vos desinite inter nostra certamina locum iniuriæ quærere, & collegæ aut facient quod censet senatus: aut si pertinacius tendent, dictatorem extemplò dicam, qui eos abire magistratu cogat. Cùm omnium assensu comprobata oratio esset, gauderéntque patres, sine B tribunitiæ potestatis terriculis innentam esse aliam vim maiorem ad coërcendos magistratus, victi

Tribuni militum abdicāt se magistratu, & noui creantur.

consensu omnium, comitia tribunorum militum habuere, qui Calendis Octobribus magistratum occiperent: séque eam ante diem magistratu abdicauêre. L. Valerio Potito quartùm, M. Furio Camillo iterum, M. Aemylio Mamerco tertiùm, Cn. Cornelio Cosso iterum, C. Fabio Ambusto, L. Iulio Tullo, Tribunis militum consulari potestate, multa domi militiæque gesta. Nam & bellum multiplex fuit eodem tempore, & ad Veios, & ad Capenam, & ad Falerios, & in Volscis, vt Anxur ab hostibus recuperaretur: & Romæ simul delectu, simul tributo conferendo laboratum est: & de tribunis plebis cooptandis contentio fuit: & haud paruum motum duo iudicia eorum, qui paulo antè consulari potestate fuerant, exciuere.

Multiplici bello occupati Romani domesticis exercentur seditionibus.

Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi: nec iuniores modò conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, vt vrbis custodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat: eáque tributo conferebatur Inuitis conferentibus qui domi remanebant, quia tuentibus vrbem opera quoque militari laborandum seruiendúmque Reipub. erat. Hæc per se grauia, indigniora vt viderentur, tribuni plebis seditiosis concionibus faciebant: ideo æra militibus constituta esse arguendo, vt plebis partem militia, partem tributo conficerent. Vnum bellum annum iam tertium trahi, & consultò malè geri, vt diutius gerant. in quatuor deinde bella vno delectu exercitus scriptos, & pueros quoque ac senes extractos. Iam nō æstatis nec hyemis discrimen esse, ne vlla quies vnquam miseræ plebi sit: quæ nunc etiam vectigalis ad vltimum facta sit, vt cum confecta labore, vulneribus, postremò ætate corpora retulerint, incultáq; omnia diutino dominorū desiderio domi inuenerint, tributum ex affecta re familiari pendant: æráq; militaria velut fœnere accepta, multiplicia Reipub. reddant. Inter delectū tributúmq;, & occupatos animos maiorū rerum curis, comitiis tribunorū pleb. numerus expleri nequiit. Pugnatū inde in loca vacua, vt patricii cooptarentur. postquā obtineri non poterat, tamen labefactandæ legis tribunitiæ causa effectū est, vt cooptarentur tribuni plebis C. Lacerius & M. Acutius, haud dubiè patriciorum opibus. Fors ita tulit, vt eo anno trib. pl. C. Trebonius esset, qui nomini ac familiæ debitum præstare videretur Trebnniæ legis patrocinium. is quod petissent patres quidam primo incepto repulsi, tamen tribunos militum expugnasse vociferans, legem Treboniam sublatam, & cooptatos tribunos plebis non suffragiis populi, sed imperio patriciorum, & eò deuolui rem, vt aut patricii, aut patriciorum assectæ habendi tribuni plebis sint, eripi sacratas leges, extorqueri tribunitiam potestatem; id fraude patriciorum, scelere ac proditione collegarum factum arguere.

Sergio, Virginioq; tribunis militū dies dicitur à tribunus plebis.

Cùm arderent inuidia, non patres modò, sed etiam tribuni plebis, cooptati pariter, & qui cooptauerant: tum ex collegio tres, P. Curiatius, M. Metilius, & M. Minutius, trepidi rerum suarum in Sergium, Virginiúmque prioris anni tribunos militares incurrunt: in eos ab se iram plebis inuidiámque die dicta auertunt. Quibus

A bus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia, longinquitásque belli sit grauis: qui clade ac-
cepta ad Veios doleant: qui amissis liberis, fratribus, propinquis, affinibus lugubres domos ha-
beant: iis publici priuatíque doloris exequendi ius potestatémque ex duobus noxiis capitibus datā
ab se memorant. omnium nanque malorum in Sergio Virginióque causas esse: nec id accusatorem
magis arguere, quàm fateri reos: qui noxii ambo, alter in alterum causam conferant: fugam Sergii
Virginius, Sergius proditionem increpans Virginii. quorum adeò incredibilem amentiam fuisse,
vt multo verisimilius sit compacto eam rem, & communi fraude patriciorum actam. Ab his & prius
datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi causa: & nunc proditum exercitum:
tradita Faliscis Romana castra. omnia fieri, vt consenescat ad Veios iuuentus: nec de agris, nec de
aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni, frequentiáque vrbana celebrare actiones, & resiste-
re conspirationi patriciorum possint. Præiudicium iam de reis & ab senatu, & à populo Romano, &
ab ipsorum collegis factum esse. nam & senatusconsulto eos ab Repub. remotos esse: & recusantes ab-
dicare se magistratu, dictatoris metu ab collegis coercitos esse: & populum Romanum tribunos creas-
se, qui non Idibus Decembribus die solenni, sed extemplò Cal. Octobribus magistratum occiperent:
quia stare diutius Respub. his manentibus in magistratu non posset. Et tamen eos tot iudiciis confos-
sos, prædamnatósque venire ad populi iudicium: & existimare defunctos se esse: satísque pœnarum
dedisse, quòd duobus mensibus citius priuati facti sint: neque intelligere, nocendi sibi diutius tum
potestatem ereptam esse, non pœnam irrogatam. quippe & collegis abrogatum imperium, qui certè
nihil deliquissent. illos repeterent animos Quirites: quos recenti clade accepta habuissent, cum fuga
trepidum, plenum vulnerum ac pauore incidentem portis exercitum viderint, non fortunam, aut
quenquam deorum, sed hos duces accusantem. Pro certo se haberent, neminem in concione stare,
qui illo die non caput, domum, fortunásque L. Virginii ac M. Sergii sit execratus detestatúsque. mi-
nimè conuenire, quibus iratos quisque deos precatus sit in iis sua potestate, cum liceat & oporteat,
non vti. nunquam deos ipsos admouere nocentibus manus: satis esse, si occasione vlciscendi læsos ar-
ment. His orationibus incitata plebs † denis millibus æris grauis reos condemnat: nequicquam Ser-
gio Martem communem belli, fortunámq; accusante: Virginio deprecante, ne infelicior domi, quàm
militiæ esset. In hos versa ira populi cooptationes tribunorum, fraudísque contra legem Treboniam
factæ memoriam obscuram fecit. Victores tribuni vt præsentem mercedem iudicii plebes haberet,
legem agrariam promulgant, tributúmque conferri prohibent: cum tot exercitibus stipendio opus
esset, résque militia ita prosperè gererentur, vt nullo bello veniretur ad exitum spei. nanque Veiis ca-
stra, quæ amissa erant, recuperata castellis præsidiísque firmantur. Præerant tribuni militum, M. Ae-
B mylius, & Q. Fabius. à M. Furio in Faliscis, & Cn. Cornelio in Capenate agro hostes nulli extra mœnia
inuenti: prædæ actæ: incendiísque villarum ac frugum vastati fines: oppida nec oppugnata, nec obsessa
sunt. At in Volscis depopulato agro Anxur nequicquam oppugnatum, loco alto situm: & postquam
vis irrita erat, vallo fossáque obsideri cœptum. Valerio Potito Volsci prouincia euenerat. Hoc statu
militarium rerum, seditio intestina maiore mole coorta, quàm bella tractabantur. & cum tributum
conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æráque militaria flagita-
ret miles, haud procul erat, quin castra quoque vrbanæ seditionis contagione turbarentur. Inter has
iras plebis in patres, cùm tribuni plebis nunc illud tempus esse dicerent stabiliendæ libertatis, & ab
Sergiis Virginiísque ad plebeios viros fortes ac strenuos transferendi summi honoris: non tamen vl-
tra processum est, quàm vt vnus ex plebe vsurpandi iuris causa, P. Licinius Caluus tribunus militum
consulari potestate crearetur. cæteri patricii creati: P. Manlius, & P. Titinius. P. Melius, L. Furius Me-
dullinus, L. Popilius Volscus. Ipsa plebes mirabatur se tantam rem obtinuisse, non is modò qui crea-
tus erat, vir nullis antè honoribus vsus, vetus tantum senator, & ætate iam grauis. Nec satis constat,
cur primus ac potissimus ad nouum delibandum honorem sit habitus. Alii Cn. Cornelii fratris, qui
tribunus militum priore anno fuerat, tripléxque stipendium equitibus dederat, gratia extractum ad
tantum honorem credunt. alii orationem ipsum tempestiuam de concordia ordinum, patribus ple-
bíque gratam habuisse. Hac victoria comitiorum exultantes tribuni plebis, quod maxime Rempubli-
cam impediebat, de tributo remiserunt. collatum obedienter missúmque ad exercitum est. Anxur in
Volscis breui receptum est, neglectis die festo custodiis vrbis. Insignis annus hyeme gelida ac niuo-
sa fuit: adeò vt viæ clausæ, Tyberis innauigabilis fuerit. Annona ex antè conuecta copia nihil muta-
uit. Et quia P. Licinius vt cœperat haud tumultuosè magistratum maiore gaudio plebis, quàm indi-
gnatione patrum, ita etiam gessit: dulcedo inuasit proximis comitiis tribunorum militum plebeios
creandi. vnus M. Veturius ex patriciis candidatis locum tenuit. plebeios alios tribunos militum con-
sulari potestate omnes ferè centuriæ dixere, L. Titinium, P. Menenium Racilium, Cn. Genutium, L.
Attilium. tristem hyemem, siue ex intemperie cæli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia
qua de causa, grauis pestiléns que omnibus animalibus æstas excepit. cuius insanabili pernicie quando
nec causa, nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt. duumuiri sacris faciun-
dis, lectisternio tunc primùm in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem Latonámq; & Dianam,
Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quàm amplissimè tum apparari lectis poterat, stratis
placauere. priuatim quoque id sacrum celebratum est. tota vrbe patentibus ianuis, promiscuóque vsu
rerum omnium in propatulo posito, notos ignotósque passim aduenas in hospitium ductos ferunt:
& cum inimicis quoque benignè ac comiter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum: vin-
ctis quoque dempta in eos dies vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent,

Sergius & Virginius denis millibus æris grauis damnantur.

† Vel. 100 coron.

Lex agraria promulgatur, & tributum conferri prohibetur.

Seditio intestina.

P. Licinius primus ex plebe tribunus militum cōsulari potestate creatur.

Anxur recipitur à Romanis.

Plebeij patricijs prælati.

Aestas pestilens.

Libri Sibyllini consulũtur.

Lectisterniũ tũc primùm Romæ factum.

A

vinciri. Interim ad Veios terror multiplex fuit, tribus in vnum bellis collatis. nanque eodem quo antea modo circa munimenta, cum repentè Capenates Falíscíque subsidio venissent, aduersus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum est. ante omnia adiuuit memoria damnationis Sergii ac Virginii. itaque maioribus castris, vnde antea cessatum fuerat, breui spatio circumductæ copiæ, Capenates in vallum Romanum versos ab tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta & Faliscis intulit terrorem, trepidantésque eruptio ex castris opportunè facta auertit. repulsos deinde insecuti victores, ingentem ediderunt cædem. Nec ita multo pòst iam palantes, veluti fortè oblati, populatores Capenatis agri reliquias pugnæ absumpsere. & Veientium refugientes in vrbem, multi ante portas cæsi, dum præ metu ne simul Romanus irrumperet, obiectis foribus extremos suorum exclusere. Hæc eo anno acta. Et iam comitia tribunorum militum aderant, quorum propè maior patribus quàm belli cura erat: quippe non communicatum modò cum plebe, sed propè amissum cernentibus summum imperium: itaque clarissimis viris ex composito præparatis ad petendũ, quos prætereundi verecundiã crederẽt fore: nihilominus ipsi perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modò, sed deos etiam excipiebant, in religionem vertentes comitia biennio habita. priore anno intolerandam hyemem, prodigiísque diuinis similem coortam, proximo non prodigia, sed iam euentus, pestilentiam agris vrbíque illatam, haud dubia ira deûm, quos pestis eius arcendæ causa placandos esse, in libris Fatalibus inuentum sit. comitiis, auspicatò quæ fierent, indignum diis visum honores uulgari, discriminàque gentium confundi. Præterquam maiestate petentium, religione etiam attoniti homines, patricios omnes, partem magnam honoratissimum quenque, tribunos militum consulari potestate creauere, L. Valerium Potitum quintùm, M. Valerium, Maximum, M. Furium Camillum tertiùm, L. Furium Medullinum tertiùm. Q. Seruilium Fidenatem iterum, Q. Sulpitium Camerinum iterum. His tribunis ad Veios nihil admodum memorabile actum est. tota vis in populationibus fuit. duo summi imperatores, Potitus à Valeriis, Camillus à Capena prædas ingentes egère, nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igni noceri posset.

Prodigia.

Prodigia interim multa nuntiari, quorum pleraque, & quia singuli authores erant, parum credita, spretáque: & quia hostibus Hetruscis, per quos ea procurarent, aruspices non erant. In vnum omnium curæ versæ sunt, quòd lacus in Albano nemore sine vllis cælestibus aquis, causâue qua alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam creuit. Quídnam eo dii portenderent prodigio, missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum. sed propior interpres

Senioris cuiusdã Veientis vaticinium.

fatis oblatus senior quidam Veiens, qui inter cauillantes in stationibus ac custodiis milites Romanos Hetruscósque, vaticinantis in modum cecinit, priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, nunquàm potiturum Veiis Romanum. quod primò velut temerè iactum sperni, agitari deinde sermonibus cœptum est, donec vnus ex statione Romana percunctatus proximum oppidanorum (iam per B longinquitatem belli commercio sermonum facto) quísnam is esset qui per ambages de lacu Albano iáceret: postquam audiuit aruspicem esse, vir haud intacti religione animi, causatus de priuati portenti procuratione, si operæ illi esset, consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. cúmque progressi ambo à suis longius essent inermes, sine vllo metu, præualens iuuenis Romanus senem infirmum in conspectu omnium raptum nequicquam tumultuantibus Hetruscis, ad suos transtulit. qui cum perductus ad imperatorem, inde Romàm ad senatum missus esset, sciscitantibus quídnam id esset, quod de lacu Albano docuisset: respondit, profectò iratos deos Veienti populo illo fuisse die, quo sibi eam mentem obiecissent, vt excidium patriæ fatale proderet, itaque quæ tum cecinerit diuino spiritu instinctus, ea se nec vt indicta sint, reuocare posse: & tacendo forsitan quæ dii immortales vulgari velint, haud minus quàm celanda effando, nefas contrahi. Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina Hetrusca traditum esse, vt quando aqua Albana abundasset, tum si eam Romanus ritè emisisset, victoriam de Veientibus dari: antequam id fiat, deos mœnia Veientium deserturos non esse. Exequebatur inde quæ solennis deriuatio esset. Sed authorem leuem, nec satis fidum super tanta re patres rati, decreuere legatos, sortésque oraculi Pythici expectandas. Priusquàm à Delphis oratores redirent, Albaníue prodigii piacula inuenirentur, noui tribuni militum consulari potestate, L. Iulius Tullus, L. Furius Medullinus quartùm, L. Sergius Fidenas, A. Posthumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manilius, magistratum inierunt.

Tarquinienses agrũ Romanum depopulantur.

Eo anno Tarquinienses, noui hostes exorti. quia multis simul bellis, Volscorum ad Anxur, vbi præsidium obsidebatur: Aequorum ad Lauicos, qui Romanam ibi coloniam oppugnabant. ad hoc Veienti quoque, & Falisco, & Capenati bello occupatos videbant Romanos: nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus patrũ ac plebis, inter hæc locum iniuriæ rati esse, prædatum in agrum Romanum cohortes expeditas mittunt. aut enim passuros inultam eam iniuriam Romanos, ne nouo bello se onerarent: aut exiguo, eóque parum valido exercitu persecuturos. Romanis indignitas maior, quàm cura populationis Tarquiniensium fuit. eò nec magno conatu suscepta, nec in longũ dilata res est. A. Posthumius, & L. Iulius non iusto delectu (etenim ab tribunis plebis impediebantur) sed propè voluntariorum quos adhortando incitauerant, coacta manu per agrum

Tarquinienses opprimũtur.

Cæretem obliquis tramitibus egressi, redeuntes à populationibus, grauésque præda Tarquinienses oppressère. multos mortales obtruncant, omnes exuunt impedimentis. & receptis agrorum suorum spoliis, Romam reuertuntur. Biduum ad recognoscendas res datum dominis: tertio incognita (erant autem ea pleraque hostium ipsorum) sub hasta venière. quódque inde redactum, militibus est diuisum.

Responsum Delphicũ.

Cætera bella, maximéq; Veiens, incerti exitus erant. Iámq; Romani desperata ope humana, fata & deos spectabant, cùm legati ab Delphis venerunt, sortem oraculi afferentes congruentẽ responso captiui vatis. Romane, aquam Albanam caue lacu contineri, caue in mare manare suo flumine sinas.

emissam

A emissam per agros rigabis, dissipatámq; riuis extingues. tum tu insiste audax hostium muris, memor quam per tot annos obsides vrbem, ex ea tibi his, quæ nunc panduntur, fatis victoriam datam. bello perfecto donum amplum victor ad mea templa portato: sacráque patria, quorum omissa cura est, instaurata, vt assolet, facito. Ingens inde haberi captiuus vates cœptus, eúmque adhibere tribuni militum Cornelius, Posthumiúsque ad prodigii Albani procurationem, ac deos ritè placandos cœpere. inuentúmque tandem est, vbi neglectas cærimonias, intermissúmue solenne dii arguerent, nihil profectò aliud esse, quàm magistratus vitio creatos, Latinas, sacrúmque in Albano monte non ritè concepisse. vnam expiationem eorum esse, vt tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, & interregnum iniretur. Ea ita facta sunt ex senatusconsulto.

Interreges tres creantur.

Interreges tres deinceps fuere, L. Valerius, Q. Seruilius Fidenas. M. Furius Camillus. nunquam desitum interim turbari, comitia interpellantibus tribunis plebis, donec conuenisset prius, vt maior pars tribunorum militum ex plebe crearetur. Quæ dum aguntur, concilia Hetruriæ ad fanum Voltumnæ habita. postulantibúsque Capenatibus ac Faliscis, vt Veios communi animo consilioque omnes Hetruriæ populi ex obsidione eriperent, responsum est: antea se id Veientibus negasse, quia vnde consilium non petissent super tanta re, auxilium petere non deberent: nunc iam pro se fortunam suam illis negare. maximè in ea parte Hetruriæ gentem inusitatam, nouos accolas Gallos esse, cum quibus nec pax satis fida, nec bellum pro certo sit. sanguini tamen nominíque, & præsentibus periculis consanguineorum id dari, vt si qui iuuentutis suæ voluntarii ad id bellum eant, non impediant.

Galli noui accolæ Hetruriæ.

Eum magnum aduenisse hostium numerum, fama Romæ erat. eóque mitescere discordiæ intestinæ metu communi, vt fit, cœptæ. Haud inuitis patribus P. Licinium Caluum prærogatiua tribunum militum non petentem creant, moderationis expertæ in priore magistratu virum, cæterum iam tum exactæ ætatis, omnésque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genutium, L. Attilium: qui priusquam renunciarentur, iure vocatis tribubus permissu interregis P. Licinius Caluus ita verba fecit:

P. Licinij Calui oratio.

Omen concordiæ Quirites, rei maximè in hoc tempus vtilis, memoria nostri magistratus vos his comitiis petere in sequentem annum video: si & collegas eosdem reficitis, etiam vsu meliores factos, me iam non eundem, sed vmbram noménque P. Licinii relictum videtis. vires corporis affectæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus. En vobis, inquit, iuuenem, filium tenens, effigiem atque imaginem eius, quem vos antea tribunum militũ ex plebe primùm fecistis, hunc ego institutum disciplina mea, vicarium pro me Reipub. do dicóque: vósq; quæso Quirites delatum mihi vltrò honorem huic petenti, meísque pro eo adiectis precibus mandetis. Datum id petenti patri, filiúsque eius P. Licinius Tr. mil. consulari potestate cum iis quos suprà scripsimus, declaratus.

B Titinius Genutiúsque Tr. mil. profecti aduersus Faliscos Capenatésque, dum bellum maiore animo gerunt, quàm cõsilio, præcipitauere se in insidias. Genutius morte honesta temeritatem luens, ante signa inter primores cecidit.

Duces Romani precipitauere se in insidias.

Titinius in editum tumulum ex multa trepidatione militibus collectis, aciem restituit: nec se tamen æquo loco hosti commisit. Plus ignominiæ erat quàm cladis acceptum. quæ propè in cladẽ ingentem vertit: tantũ inde terroris non Romæ modò, quò multiplex fama peruenerat, sed in castris quoque fuit ad Veios. ægrè ibi miles retentus à fuga est, cum peruasisset castra rumor, ducibus exercitúque cæso victorem Capenatem ac Faliscum, Hetruriæque omnem iuuentutem haud procul inde abesse. His tumultuosiora Romæ. iam castra ad Veios oppugnari, iam partem hostium tendere ad vrbem agmine infesto crediderant: concursúmque in muros est, & matronarum quas ex domo conciuerat publicus pauor, obsecrationes in templis factæ: precibúsq; ab diis petitum, vt exitium ab vrbis tectis templísque ac Romanis mœnibus arcerent, Veiósque eum auerterẽt terrorem, si sacra renouata ritè, si procurata prodigia essent. Iam ludi Latinæq; instaurata erant: ex lacu Albano aqua emissa in agros, Veiosque fata appetebant. Igitur fatalis dux ad excidium illius vrbis seruandæq; patriæ, M. Furius Camillus dictator dictus, magistrum equitum P. Cornelium Scipionem dixit.

M. Furius Camillus dictator creatur.

Omnia repentè mutauerat imperator mutatus. alia spes, alius animus hominũ, fortuna quoq; alia vrbis videri. Omnium primùm in eos qui à Veiis in illo pauore fugerant, more militari animaduertit, efficítq; ne hostis maximè timendus militi esset. deinde indicto delectu in diem certam, ipse interim Veios ad confirmandos militum animos intercurrit: inde Romam ad scribendum nouum exercitum redit, nullo detrectante militiam. peregrina etiam iuuentus, Latini Hernicíque operam suam pollicentes ad id bellum venere. quibus cum gratias in senatu egisset dictator, satis iam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto vouit Veiis captis se facturum: ædémque Matutæ matris refectam dedicaturum, iam antè ab rege Seruio Tullio dedicatam.

Aedes sacra Matutæ.

Profectus cum exercitu ab vrbe expectatione hominum maiore quàm spe, in agro primùm Nepesino cum Faliscis & Capenatibus signa confert. omnia ibi summa ratione consilióque acta, fortuna etiam, vt fit, secuta est. non prælio tantum fudit hostes, sed castris quoque exuit: ingentíque præda est potitus: cuius pars maxima ad quæstorẽ redacta est: haud ita multum militi datum.

Falisci & Capenates vincuntur.

Inde ad Veios exercitus ductus, densioráque castella facta: & à procursationibus, quæ multæ temerè inter murum ac vallum fiebant, edicto ne quis iniussu pugnaret, ad opus milites traducti. operũ fuit omnium longè maximũ ac laboriosissimum. cuniculus in arcem hostiũ agi cœptus. quod ne intermitteretur opus, neu sub terra continuus labor eosdẽ conficeret: in partes sex munitorũ numerum diuisit. senæ horæ in orbem operi attributæ sunt. nocte ac die nunquam antè omissum, quàm in arcem viam facerent. Dictator, cùm iam in manibus videret victoriam esse: vrbem opulentissimam capi: tantúmque prædæ fore, quantum non omnibus in vnum collatis antè bellis fuisset: ne quam inde aut militum iram ex malignitate prædæ partitæ, aut inuidiam

apud

apud patres ex prodiga largitione caperet: literas ad senatum misit. Deûm immortalium benignitate, A
suis consiliis, patientia militum Veios iam fore in potestate populi Romani. quid de præda faciendum censerent? Duæ senatum distinebant sententiæ. senis P. Licinii, quem primùm dixisse à filio in-

De Veiorũ prædæ diuidendæ uaria in Senatu sententia.

terrogatum ferunt, edici palàm placere populo, vt qui particeps esse prædæ vellet, in castra Veios iret. altera Ap. Claudii, qui largitionem nouam, prodigam, inæqualem, inconsultam arguens, si semel nefas ducerent captam ex hostibus in ærario exhausto bellis pecuniam esse, author erat stipendii ex ea pecunia militi numerandi: vt eo minus tributi plebes conferret. eius enim doni societatem sensuras æqualiter omnium domos: non auidas in direptiones manus otiosorum vrbanorum prærepturas fortium bellatorum præmia esse: cum ita fermè eueniat, vt segnior sit prædator: vt fortissimus quisque laboris periculíque præcipuam petere partem soleat. Licinius contrà suspectam & inuisam semper eam pecuniam fore aiebat: causásque criminum ad plebem, seditionum inde, ac legum nouarum præbituram, satius igitur esse, reconciliari eo dono plebis animos: exhaustis atque exinanitis tributo tot annorum succurri; & sentire prædæ fructum ex eo bello, in quo propè consenuerint. gratius id fore, lætiúsque, quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit, quàm si multiplex alterius arbitriò accipiat. ipsum dictatorem fugere inuidiam ex eo crimináque, eò delegasse ad senatum: senatum quoque debere reiectam rem ad se permittere plebi, ac pati habere, quod cuique fors belli dederit. Hæc tutior visa sententia est, quæ popularem senatum faceret. Edictum itaque est, ad prædá Veientem quibus videretur, in castra ad dictatorem proficiscerentur. ingens profecta multitudo repleuit castra.

Camilli dictatoris preces.

Tum dictator auspicatò egressus, cum edixisset vt arma milites caperent: Tuo ductu, inquit, Pythice Apollo, tuóque numine instinctus pergo ad delendam vrbem Veios: tibíque hinc decimam partem prædæ voueo. te simul Iuno regina, quæ nunc Veios colis. precor: vt nos victores in nostram, tuámque mox futuram vrbem sequare: vbi te dignum amplitudine tua templum accipiat. Hæc precatus, superante multitudine ab omnibus locis vrbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruẽtis periculi sensus esset. Veientes ignari se iam ab suis vatibus, iã ab externis oraculis proditos, iam in partem prædæ suæ vocatos deos, alios votis ex vrbe sua euocatos hostium templa nouásque sedes spectare, séque vltimum illum diem agere, nihil minus timentes, quàm subrutis cuniculo mœnibus arcem iam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt, mirantes quídnam id esset, quòd cum tot per dies nemo se ab stationibus Romanis mouisset, tum velut repentino ictu furore improuidi currerent ad muros.

Fabula.

Inseritur huic loco fabula: immolante rege Veientium, vocem aruspicis dicentis, qui eius hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo mouisse Romanos milites, vt adaperto cuniculo exta raperent, & ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam an-

Rebus antiquis quantũ fidei habendum.

tiquis si quæ similia veri sint: pro veris accipiantur, satis habeam. hæc ad ostentationem scenæ gaudentis miraculis aptiora, quàm ad fidem, neque affirmare, neque refellere operæ pretium est. B

Veiorum expugnatio.

Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus, in æde Iunonis, quæ in Veientana arce erat, armatos repentè edidit. & pars auersos in muris inuadunt hostes: pars claustra portarum reuellunt: pars, cum ex tectis saxa tegulæque à mulieribus ac seruitiis iacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac pauentium vocibus: mısto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis deiectis ex muro vndique armatis, patefactísque portis, cum alii agmine irruerent, alii desertos scanderent muros, vrbs hostibus impletur: omnibus locis pugnatur. Deinde multa iam edita cæde, senescit pugna: & dictator præcones edicere iubet, vt ab inermi abstineatur. Is finis sanguinis fuit. dedi inde inermes cœpti. & ad prædam miles permissu dictatoris discurrit. quæ cum ante oculos eius aliquantum

Camilli dictatoris preces.

spe atque opinione maior, maiorísque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cælum tollens precatus esse, vt si cui deorum, hominúmque nimia sua fortuna, populíque Romani videretur, vt eam inuidiam lenire quàm minimo suo priuato incommodo, publicóque Romani populi liceret. conuertentem se inter hanc venerationem, traditur memoriæ, prolapsum cecidisse: ídque omen pertinuisse posteà euẽtu rem coniectantibus visum ad damnationẽ ipsius Camilli: captæ deinde vrbis Romanæ, quod post paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies cæde hostiũ, ac direptione vrbis opulentissimæ est consumptus. Postero die libera corpora dictator sub corona vendidit. ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis. & quod retulere secum prædæ, nec duci, qui ad senatum, malignitatis authores quærendo, rem arbitrii sui reiecisset: nec senatui, sed Liciniæ familiæ, ex qua filius ad senatum retulisset, pater tam popularis sententiæ author fuisset: acceptum referebant. Cum iam humanæ opes asportatæ, egestæq; à Veiis essent, amoliri tum deûm dona ipsósque deos, sed colentiũ magis, quàm rapientium modo, cœpere. nanque delecti ex omni exercitu iuuenes, purè lautis corporibus, candida veste,

Quanta religione Iuno Veijs Romam deportata sit.

quibus deportanda Romam regina Iuno assignata erat, venerabundi templum iniere, primò religiosè admouentes manus: quòd id signum more Hetrusco nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus. deinde cum quidã seu spiritu diuino tactus, iuuenili ioco, Visne Romam ire Iuno? annuisse cæteri Deam conclamauerunt. inde fabulæ adiectũ est, vocem quoq; dicentis, Velle, auditam. motá certè sede sua parui molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus leuẽ ac facilẽ translatu fuisse: integrámque in Auentinum æternam sedem suam, quò vota Romani dictatoris vocauerant, perlatá. vbi templum ei posteà idem, qui vocauerat, Camillus dedicauit. Hic Veiorum occasus fuit, vrbis opulentissimæ Hetrusci nominis, magnitudinem suam vel vltima clade indicantis: quòd decẽ æstates hyemésque continuas circumsessa, cum plus aliquáto cladiũ intulisset quàm accepisset, postremò iam fato quoq; vrgente, operibus tamẽ, nõ vi expugnata est. Romã vt nuntiatũ est Veios captos: quanquam & prodigia procurata fuerát, & vatũ respõsa, & Pythicæ sortes notæ: & quantũ humanis adiuuari cõ-

siliis

A filiis potuerat res, ducem M. Furium maximum imperatorum omnium legerant: tamē quia tot annis variè ibi bellatum erat, multæque clades acceptæ, velut ex insperato immensum gaudium fuit. & priusquàm senatus decerneret, plena omnia templa Romanorum matrū gratias diis agentium erant. senatus in quatriduum, quot dierum nullo antè bello, supplicationes decernit. Aduentus quoque dictatoris omnibus ordinibus obuiam effusis celebratior, quàm vllius vnquam antea fuit: triumphúsq; omnem consuetum honorandi illius diei modum aliquantum excessit. maximè conspectus ipse est, curru equis albis iuncto vrbem inuectus: parúmque id non ciuile modò, sed humanum etiam visum. Iouis, Solísque equis æquiparatum dictatorem in religionem etiam trahebant. triumphúsque ob eam vnam maximè rem clarior, quàm gratior fuit. Tum Iunoni reginæ templum in Auentino locauit, dedicauítque Matutæ matris. atque his diuinis humanísque rebus gestis, dictatura se abdicauit. Agi deinde de Apollinis dono cœptum. cui se decimam vouisse prædæ partem cum diceret Camillus, pontifices soluendum religione populum censerent: haud facilè inibatur ratio iubendi referre prædam populum, vt ex ea pars debita in sacrum secerneretur. tandem eò, quod leuissimum videbatur, decursum est, vt qui se domúmque religione exolure vellet, cum sibimetipse prædam æstimasset suam, decimæ pretium partis in publicum deferret: vt ex eo donum aureum dignum amplitudine templi, ac numine dei ex dignitate populi Romani fieret. ea quoque collatio plebis animos à Camillo alienauit. Inter hæc pacificatum legati à Volscis, & Aequis venerunt. impetratáque pax, magis vt fessa tam diutino bello acquiesceret ciuitas, quàm quòd digni peterent. Veiis captis, sex tribunos militum consulari potestate insequens annus habuit, duos P. Cornelios, Cossum & Scipionem, M. Valerium Maximum iterum, C. Fabium Ambustum iterum, L. Furium Medullinum quintùm, Q. Seruilium tertiùm. Corneliis Faliscum bellum, Valerio ac Seruilio Capenas sorte euenit. ab iis non vrbes vi aut operibus tentatæ, sed ager est depopulatus: prædæque rerum agrestium actæ: nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatem populū subegit. pax petentibus data. In Faliscis bellum restabat. Romæ interim multiplex seditio erat, cuius leniendæ causa coloniam in Volscos, quò tria millia ciuium Romanorum scriberentur, deducēdam censuerant. triumuiríq; ad id creati terna iugera, & septunces viritim diuiserant. Ea largitio sperni cœpta: quia spei maioris auertendæ solatium obiectum censebāt. cur enim relegari plebem in Volscos? cum pulcherrima vrbs Veii agérque Veientanus in conspectu sit, vberior ampliórq; Romano agro? vrbē quoq; vrbi Romæ vel situ, vel magnificētia publicorū priuatorúmq; tectorū ac locorū præponebant. quin illa quoq; actio mouebatur, quæ post captā vtiq; Romā à Gallis celebratior fuit, transmigrandi Veios. cæterū partē plebis, partē senatus destinabant habitandos Veios: duásque vrbes communes Reipub. incoli à Romano populo posse. Aduersus quæ

B cum optimates ita tenderent, vt morituros se citius dicerent in conspectu populi Romani, quàm quicquam earum rerum rogaretur: quippe nunc in vna vrbe tantum dissensionum esse, quid in duabus vrbibus fore? victámne vt quisquam victrici patriæ præferret? sinerétque maiorem fortunam captis esse Veiis, quàm incolumibus fuerit? postremò se relinqui à ciuibus in patria posse: vt relinquant patriam atque ciues, nullam vim vnquam subacturum: & T. Sicinium (is enim ex tribunis plebis rogationis eius lator erat) conditorem Veios sequantur, relicto deo Romulo, dei filio, parente & authore vrbis Romæ. Hæc cum fœdis certaminibus agerentur, (nam partem tribunorum plebis patres in suam sententiam traxerant) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quàm quòd vbi rixæ committendæ causa clamor ortus esset, principes senatus primi turbæ offerentes se, peti, feriri, atque occidi iubebant. ab horum ætatibus dignitatibúsque & honoribus violandis dum abstinebatur, & ad reliquos similes conatus verecundia iræ obstabat. Camillus identidem omnibus locis concionabatur. haud mirum id quidem esse: furere ciuitatem, quæ damnata voti omnium rerum potiorem curam, quàm religione se exoluendi, habeat. nihil de collatione dicere stipis verius, quàm decimæ: quando ea se quisque priuatim obligauerit, liberatus sit populus. enimuerò illud se tacere, suam conscientiam non pati: quòd ex ea tantùm præda, quæ rerum mouentium sit, decima designetur: vrbis, atque agri capti, quæ & ipsa voto contineatur, mentionem nullam fieri. Cùm ea disceptatio anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset, adhibito Camillo; visum collegio, quod eius ante conceptum votum Veientium fuisset, & post votum in potestatem populi Romani venisset, eius partem decimā Apollini sacram esse. ita in æstimationem vrbs agérque venit: pecunia ex ærario prompta, & tribunis militum consularibus vt aurum ex ea coemerent, negotium datum. cuius cum copia non esset, matronæ cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ tribunis militum aurum & omnia ornamenta sua, in ærarium detulerunt. Grata ea res, vt quæ maximè senatui vnquam fuit: honorémque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum: vt pilento ad sacra ludósque, carpentis festo profestóque vterentur. Pondere ab singulis auri accepto, † æstimatóque, vt pecuniæ soluerentur, crateram auream fieri placuit: quæ donum Apollini Delphos portaretur. Simul ab religione animos remiserunt, integrant seditionem tribuni plebis: incitatur multitudo in omnes principes, ante alios in Camillum. eum prædam Veientanam publicando sacrandóque ad nihilum redegisse. absentes ferociter increpant: præsentium, cum se vltro iratis offerrent, verecundiam habent. Simul extrahi rem ex eo anno viderūt, tribunos plebis latores legis in annum eosdem reficiunt. & patres hoc idem de intercessoribus legis annisi. ita tribuni plebis magna ex parte iidem refecti. Comitiis tribunorum militum patres summa ope euicerunt, vt M. Furius Camillus crearetur. propter bella simulabant parari ducem, sed rogationi tribunitiæ aduersarius quærebatur. cum Camillo creati tribuni militum consulari potestate, L. Furius Medullinus sextùm, C. Aemylius, L. Valerius Publicola, Sp Posthu.

Supplicationes in quatriduum decernuntur.

Camilli triumphus clarior, quàm gratior.

Volsci & Aequi pacē impetrant.

Capenates bello subacti pacem petunt.

Seditio in Vrbe.

Mira religionis obseruatio.

Matronarū religio & liberalitas.

Matronis honos decernitur.

† Plutarch. in Camill. scribit 8. talenta fuisse, quæ valent 4800. cor.

Seditio in Vrbe integratur.

Camillo in Faliſcos bellum mandatur.

Poſthumius, P. Cornelins iterum. Principio anni tribuni plebis nihil monerunt: donec M. Furius A Camillus in Faliſcos, cui id bellum mandatum erat, proficiſceretur: differendo deinde elanguit res. & Camillo, quem aduerſarium maximè metuerant, gloria in Faliſcis creuit. Nam cum primò mœnibus ſe hoſtes tenerent, tutiſsimum id rati, populatione agrorum, atque incendiis villarum coegie eos egredi vrbe, ſed timor longius progredi prohibuit. mille ferè paſſuum ab oppido caſtra locant: nulla re alia fidentes ea ſatis tuta eſſe, quàm difficultate aditus, aſperis confragoſiſque circa, & partim arctis, partim arduis viis. Cæterùm Camillus captiuum indicem ex agris ſecutus ducem, caſtris multa nocte motis, prima luce aliquanto ſuperioribus locis ſe oſtendit. trifariam Romani muniebant. alius exercitus prælio intentus ſtabat. ibi impedire opus conatos hoſtes fundit, fugátque. tantúmque inde pauoris Faliſcis iniectum eſt, vt effuſa fuga caſtra ſua, quæ propiora erant, prælati, vrbem peterent. multi cæſi vulneratíque, priuſquam pauentes portis inciderent. caſtra capta: præda ad quæſtores redacta cum magna militum ira. ſed ſeueritate imperii victi, eandem virtutem & oderant, & mirabantur.

Faliſcorum caſtra expugnantur.

Faliſcorum urbs obſidetur.

Obſidio inde vrbis, & munitiones, & interdum per occaſionem impetus oppidanorum in Romanas ſtationes præliáque parua fieri: & teri tempus, neutrô inclinata ſpe: cum frumentum, copiæque aliæ ex antè connecto largius obſeſsis quàm obſidentibus ſuppeterent. videbatúrque æquè diuturnus futurus labor ac Veiis fuiſſet: ni fortuna imperatori Romano ſimul & cognitæ rebus bellicis virtutis ſpecimen & maturam victoriam dediſſet.

Magiſtri cuiuſdam puerorum ſceleſtum conſilium.

Mos erat Faliſcis, eodem magiſtro liberorum & comite vti: ſimúlque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet, vnius curæ demandabantur. principum liberos, ſicut ferè fit, qui ſcientia videbatur præcellere, erudiebat. Is cùm in pace inſtituiſſet pueros ante vrbem luſus exercendíque cauſa producere: nihil eo more per belli tempus intermiſſo, dum modò breuioribus modò longioribus ſpatiis trahendo eos à porta luſu, ſermonibúſque variatis longius ſolito, vbi res dedit, progreſſus inter ſtationes eos hoſtium, caſtráque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. ibi ſceleſto facinori ſceleſtiorẽ ſermonem addidit: Falerios ſe in manus Romanis tradidiſſe: quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum ſint, in poteſtatem dediderit.

Camilli iuſtitia.

Quæ vbi Camillus audiuit. Non ad ſimilem, inquit, tui nec populum, nec imperatorem ſceleſtus ipſe cum ſceleſto munere veniſti. nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit hnmano, ſocietas non eſt: quam ingenerauit natura, vtriſque eſt eritque. ſunt & belli, ſicut pacis iura: iuſtéque ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. arma habemus non aduerſum eã ætatẽ, cui etiã captis vrbibus parcitur: ſed aduerſus armatos, & ipſos, qui nec læſi, nec laceſsiti à nobis, caſtra Romana ad Veios oppugnarunt. eos tu, quantum in te fuit, nouo ſcelere viciſti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Veios vincam. Denudatum deinde eum manibus poſt tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit, virgáſque eis, quibns proditorem agerent in vrbem verberantes, dedit. Ad quod B ſpectaculum concurſu populi primùm facto, deinde à magiſtratibus de re noua vocato ſenatu, tanta mutatio animis eſt iniecta, vt qui modò efferati odio iráque Veientium exitum, penè quàm Capenatium pacem mallent, apud eos pacem vninerſa poſceret ciuitas. fides Romana, iuſtitia imperatoris, in foro & curia celebrantur: conſenſúque omnium legati ad Camillum in caſtra, atque inde permiſſu Camilli Romam ad ſenatum, qui dederent Falerios, proficiſcuntur. introducti ad ſenatum ita locuti traduntur:

Faliſcorum legatorum oratio in ſenatu habita, in qua ſe pop. Romano dedunt.

Patres conſcripti, victoria cui nec deus, nec homo quiſquam inuideat, victi à vobis & imperatore veſtro dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulchrius eſt, melins nos ſub imperio veſtro, quàm legibus noſtris victuros. Euentu huius belli duo ſalutaria exẽpla prodita humano generi ſunt. vos fidem in bello, quàm præſentem victoriam maluiſtis: nos fide prouocati, victoriam vltrò detulimus: ſub ditione veſtra ſumus. mittite qui arma, qui obſides, qui vrbem patentibus portis accipiant: nec vos fidei noſtræ, necnon imperii veſtri pœnitebit. Camillo & ab hoſtibus, & à ciuibus gratiæ actæ, Faliſcis in ſtipendium militum eius anni, vt populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. Pace data, exercitus Romam reductus. Camillus meliore multò laude, quàm cùm triumphantem albi per vrbem vexerant equi, inſignis iuſtitia fidéque hoſtibus victis cùm in vrbem rediſſet, tacitè eius verecundiam non tulit ſenatus, quin ſine mora voti liberaretur: craterámque auream donum Apollini Delphos legati qui ferrent,

Legati Delphos miſſi & à Liparenſibus capti religionis ergò liberantur.

L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius miſsi longa vna naue, haud procul freto Siculo à piratis Liparenſium excepti deuehuntur Liparas. mos erat ciuitatis, velue publico latrocinio partam prædam diuidere. Fortè eo anno in ſummo magiſtratu erat Timaſitheus quidam Romanis vir ſimilior, quàm ſuis, qui legatorum nomen, donúmque & deum cui mitteretur, & doni cauſam veritus ipſe, multitudinem quoque, quæ ſemper fermè regenti eſt ſimilis, religionis iuſtæ impleuit: adductóſque in publicum hoſpitium legatos, cum præſidio etiam nauium Delphos proſecutus, Romam inde hoſpites reſtituit. hoſpitium cum eo ſenatuſconſulto eſt factum: donáque publicè data.

In Aequis uariè bellatum.

Eodem anno in Aequis variè bellatum: adeò vt in incerto fuerit & apud ipſos exercitus, & Romæ, viciſſent, victíne eſſent. Imperatores Romani fuere ex tribunis militum C. Aemylius, Spurius Poſthumius. primò rem communiter geſſerunt: fuſis inde acie hoſtibus, Aemylium præſidio Verruginem obtinere placuit, Poſthumium fines vaſtare.

Romani fugantur ab Aequis.

ibi eum in compoſito agmine negligentius ab re bene geſta euntem adorti Aequi, terrore iniecto in proximos compulere tumulos: pauórque inde Verruginem etiam ad præſidium alterum eſt perlatus. Poſthumius ſuis in tutum receptis, cum concione aduocata terrorem increparet, ac fugam: fuſos eſſe ab ignauiſsimo & fugaciſsimo hoſte: conclamat vniuerſus exercitus, meritò ſe ea audire. & fateri admiſſum flagitium: ſed eoſdem correcturos eſſe, neque diuturnum id gaudium hoſtibus fore: poſcentes vt confeſtim inde ad caſtra hoſtium duceret (in cõſpectu erant poſita in plano) nihil pœnæ recuſabant, ni ea ante noctẽ expugnaſ

pugnaſ

A pugnassent. Collaudatos corpora curare, paratósque esse quarta vigilia iubet. & hostes nocturnam fugam ex tumulo Romanorum vt ab ea via, quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuere obuii: præliúmque ante lucem (sed luna pernox erat) commissum est: & haud incertius diurno prælium fuit. Sed clamor Verrugiuem perlatus, cum castra Romana crederent oppugnari, tantum iniecit pauoris, vt nequicquam retinente atque obsecrante Aemylio, Thusculum palati fugerent. inde fama Romam perlata est, Posthumium, exercitúmque occisum. Qui vbi prima lux metum insidiarum effusè sequentibus sustulit: cùm perequitasset aciem promissa repetens, tantum iniecit ardoris, vt non vltrà sustinuerint impetum Aequi. cædes inde fugientium, qualis vbi ira magis quàm virtute res geritur, ad perniciem hostium facta est. tristémque ab Thusculo nuntium nequicquam exterrita ciuitate literæ à Posthumio laureatæ sequuntur: victoriam populi Romani esse: Aequorum exercitum deletum. Tribunorum plebis actiones quia nondum inuenerant finem, & plebs continuare latoribus legis tribunatum, & patres reficere intercessores legis anuisi sunt. sed plus suis comitiis plebs valuit. quem dolorem vlti patres sunt, senatusconsulto facto vt consules, inuisus plebi magistratus, crearentur. annum post quintum decimum creati consules L. Lucretius Flauus, Seruius Sulpitius Camerinus. Principio huius anni ferociter, quia nemo ex collegio intercessurus erat, coortis ad perferendam legem tribunis plebis, nec segnius ob id ipsum consulibus resistentibus, omníque ciuitate in vnam eam curam conuersa, Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Aequi expugnane. colonorum pars maxima incolumis, quia nocte proditione oppidum captum liberam per auersa vrbis fugam dederat, Romam perfugère. L. Lucretio consuli ea prouincia euenit. is cum exercitu profectus, acie hostes vicit: victórque Romam ad maius aliquanto certamen rediit. dies dicta erat tribunis plebis biennii superioris A. Virginio, & Q. Pomponio: quos defendi patrum consensu, ad fidem senatus pertinebat. neque enim eos aut vitæ vllo crimine alio, aut gesti magistratus quisquam arguebat, præterquam quòd gratificantes patribus rogationi tribunitiæ intercessissent. vicit tamen gratiam senatus plebis ira: & pessimo exemplo innoxii denis millibus grauis æris condemnati sunt. id ægrè passi patres. Camillus palàm sceleris plebem arguere: quæ iam in suos versa nõ intelligeret se prauo iudicio de tribunis intercessionem sustulisse: intercessione sublata, tribunitiam potestatem euertisse. Nam quod illi sperarent effrenatam licentiam eius magistratus patres laturos, falli eos. si tribunitia vis tribunitio auxilio repelli nequeat, aliud telum patres inuenturos esse. consulésque increpabat, quòd fide publica decipi tribunos eos taciti tulissent, qui senatus authoritatem secuti essent. Hæc propalàm concionabundus in dies magis augebat iras hominum. senatum verò incitare aduersus legem haud desistebat: ne aliter descenderent in forum, cum dies ferendæ legis venisset,

B quàm vt qui meminissent sibi pro aris, focísque, & deûm templis, ac solo in quo nati essent, dimicandum fore. nam quod ad se priuatim attineat: si suæ gloriæ sibi inter dimicationem patriæ meminisse sit fas, sibi amplum quoque esse, vrbem ab se captam frequentari: quotidie se frui monimento gloriæ suæ: & ante oculos habere vrbem latam in triumpho suo: insistere omnes vestigiis laudum suarum. sed nefas ducere desertam, ac relictam ab diis immortalibus incoli vrbem: & in captiuo solo habitare populum Romanum: & victrice patria victam mutari. His adhortationibus principis concitati patres, senes iuuenésque, cum ferretur lex, agmine facto in forum venerunt: dissipatíque per tribus, suos quisque tribules prehensantes orare cum lacrymis cepere, ne eam patriã, pro qua fortissimè felicissiméque ipsi ac patres eorum dimicassent, desererent: Capitolium, ædem Vestæ, cætera circà tẽpla deorum ostentantes: ne exulem, extorrem populum Romanum ab solo patrio, ac diis penatibus in hostium vrbem agerent: eóque rem abducerene, vt melius fuerit non capi Veios, ne Roma desereretur. Quia non vi agebant, sed precibus, & inter preces multa deorum mentio erat, religiosum parti maximæ fuit: & legem vnam plures tribus antiquarunt, quàm iusserunt. adeòque ea victoria læta patribus fuit, vt postero die referentibus consulibus senatusconsultum fieret, vt agri Veientani septena iugera plebi diuiderentur: nec patribus familiæ tantum, sed vt omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur: velléntque in eam spem liberos tollere. Eo munere delinita plebe nihil certatum est, quo minus consularia comitia haberentur. creati consules L. Valerius Potitus, M. Manlius, cui Capitolino posteà fuit cognomen. Hi consules magnos ludos fecere, quos M. Furius dictator vouerat Veienti bello. eodem anno ædes Iunonis reginæ ab eodem dictatore; eodémque bello vota dedicatur: celebratámque dedicationem ingenti matronarum studio tradunt. Bellum haud memorabile in Algido cum Aequis gestum est, fusis hostibus prius penè quàm manus consererent. Valerio, quòd perseuerantior cædendis in fuga fuit, triumphus: Manlio, vt ouans ingrederetur vrbem, decretum est. Eodem anno nouum bellum cum Volsiniensibus exortum: quò propter famam, pestilentiámque in agro Romano ex siccitate caloribúsque nimiis ortam, exercitus duci nequiuit. ob quæ Volsinienses Salpinatibus adiunctis superbia elati vltro agros Romanos incursauere. bellum inde duobus populis indictum. C. Iulius censor decessit: in eius locum M. Cornelius suffectus. quæ res postea religioni fuit: quia eo lustro Roma est capta: nec deinde vnquam in demortui locum censor sufficitur: consulibúsque morbo implicitis placuit per interregnum renouari auspicia. itaque cum ex senatusconsulto consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Fulius Camillus: qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum interregem prodidit. ab eo creati sex tribuni militum consulari potestate: vt etiam si cui eorum incommoda valetudo fuisset, copia magistratuum Reipub. esset. Calendis Quintilibus magistratum occœpere L. Lucretius, Seruius Sulpicius, M. Aemylius, L. Furius Medullinus septimum, Agrippa Furius, C. Aemylius iterum. Ex his L. Lucretio, & C. Aemylio Volsinienses

Aequi funduntur.

Hoc anno imperiũ redijt ad consules.

Patres prehensant plebem.

Patrum precibus plebs flectitur.

Ager Veientanus plebi diuiditur.

Ludi magni fiunt.

Tribuni militum consulari potestate creantur.

A

ſinienſes prouincia euenit: Salpinates Agrippæ Furio, & Seruio Sulpitio. Prius cum Volſinienſibus pugnatum eſt. bellum numero hoſtium inde, certamine haud ſanè aſperum fuit. fuſa concurſu primo acies in fugam, millia octo armatorum ab equitibus interclusa, poſitis armis in deditionem venerunt. Eius belli fama effecit, ne ſe pugnæ committerent Salpinates: mœnibus armati ſe tutabantur. Romani prædas paſsim & ex Salpinati agro, & ex Volſinienſi, nulla eam vim arcente, egerunt: donec Volſinienſibus feſsis bello, ea conditione, vt res populo Romano redderent, ſtipendiúmque eius anni exercitui præſtarent, in viginti annos induciæ datæ. Eodem anno M. Cæditius de plebe nuntiauit tribunis, ſe in Noua via, vbi nunc ſacellum eſt, ſupra ædem Veſtæ vocem noctis ſilentio audiſſe clariorem humana, quæ magiſtratibus dici iuberet, Gallos aduentare. Id (vt fit) propter authoris humilitatem ſpretum: & quòd longinqua, eóque ignotior gens erat. Neque deorum modò monita ingruente fato ſpreta: ſed humanam quoque opem, quæ vna erat, M. Furium ab vrbe amouêre. qui die dicta ab L. Apuleio tribuno plebis, propter prædam Veientanam, filio quoque adoleſcente per idem tempus orbatus, cùm accitis domum tribulibus, & clientibus, quæ magna pars plebis erat, percunctatus animos eorum, reſponſum tuliſſet, ſe collaturos quanti damnatus eſſet, abſoluere eum non poſſe: in exilium abiit: precatus ab diis immortalibus, ſi innoxio ſibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore deſiderium ſui ciuitati ingratæ facerent. abſens quindecim millibus grauis æris damnatur. Expulſo ciue, quo manente, ſi quicquam humanorum certi eſt, capi Roma, nō potuerat: aduentante fatali vrbis clade, legati ab Cluſinis veniunt, auxilium aduerſus Gallos petentes. Eam gentem traditur fama dulcedine frugum, maximéque vini noua tum voluptate captam, Alpes tranſiiſſe: agróſque ab Hetruſcis antè cultos poſſediſſe: & inuexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis cauſa Aruntem Cluſinum, ira corruptæ vxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe præpotente iuuene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita eſſet, nequirent. hunc tranſeuntibus Alpes ducem, authorémque Cluſium oppugnandi fuiſſe. Equidem haud abnuerim, Cluſium Gallos ab Arunte, ſeu quo alio Cluſino adductos: ſed eos qui oppugnauerint Cluſium, non fuiſſe qui primi Alpes tranſierint, ſatis conſtat. ducentis quippe annis antè, quàm Cluſium oppugnarent, vrbémque Romam caperent, in Italiam Galli tranſcenderunt: nec cum his primùm Hetruſcorum, ſed multò antè cum iis, qui inter Apenninum, Alpéſque incolebant, ſæpe exercitus Gallici pugnauere. Thuſcorum ante Romanum imperium latè terra, maríque opes patuere. mari ſupero inferóque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quòd alterum Thuſcum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria Thuſcorum colonia vocauere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant. Ii in vtrunque mare vergenteis incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare: poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſsis: quæ B trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, vſque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo eſt, maximè Rhetis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent. De tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit. ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunáque cùm ſua tum publica præpollens: quòd in imperio eius Gallia adeò frugum hominúmque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Belloueſum ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedes, oſtendit. quantum ipſi vellent numerum hominum, excirent, ne qua gens arcere aduenientes poſſet. Tum Sigoueſo ſortibus dati Hercinii ſaltus. Belloueſo haud paulo lætiorem in Italiam viam dii dabant. Is, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, exciuit. profectus ingentibus peditum equitúmque copiis, in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant, quas inexuperabiles viſas haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria ſit, niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi cùm velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circunſpectaréntque quánam per iuncta cælo iuga in alium orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit, quòd allatum eſt, aduenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari. Maſsilienſes erant hi, nauibus à Phocide profecti. id Galli fortunæ ſuæ omen rati adiuuere, vt quem primum in terram egreſsi occupauerant locum, patentibus ſyluis communirent. ipſi per Taurinos ſaltúſque Iuliæ Alpis tranſcenderunt: fuſiſque acie Thuſcis, haud procul Ticino flumine, cùm, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognominem Inſubribus pago Heduorum: ibi omen ſequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Alia ſubinde manus Germanorum Elitouio duce veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu fauente Belloueſo cum tranſcendiſſet Alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes ſunt, locos tenuere Libui, conſidunt. poſt hos Salluuii, qui prope antiquam gentem Leuos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apenninum. deinde Boii, Lingonéſque tranſgreſsi, cum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Hetruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt: intra Apenninum tamen ſeſe tenuere. Tum Senones recentiſsimi aduenarum ab Vfente flumine vſque ad Aheſim fines habuere. hanc gentem Cluſium, Romámque inde veniſſe comperio: id parum certum eſt, ſolámne, an ab omnibus Ciſalpinorum Gallorum populis adiutam. Cluſini nouo bello exterriti, cum multitudinem, tum formas hominum inuſitatas cernerent, & genus armorum: audiréntque ſæpe ab iis cis Padum, vltráque, legiones Hetruſcorum fuſas: quanquam aduerſus Romanos nullum eis ius ſocietatis amicitiæve erat, niſi quòd Veientes cōſanguineos aduerſus populum Rom. non defendiſſent,

legatos

Volſinienſibus induciæ in annos 20 datæ.

Vox humana clarior noctis ſilentio auditur.

M. Furius in exilium abit.

Galli cur Alpes tranſierint.

Vnde nomina ſupero & infero mari ſint indita.

Rheti.

De tranſitu Gallorum in Italiam.

Mediolanũ quo tempore conditũ.

A legatos Romam qui auxilium ab ſenatu peterent, miſere. De auxilio nihil impetratum. legati tres, M.Fabii Ambuſti filii miſsi, qui ſenatus, populíque Romani nomine agerent cum Gallis, ne à quibus nullam iniuriam accepiſſent, ſocios populi Romani, atque amicos oppugnarent. Romanis eos bello quoque, ſi res cogat, tuendos eſſe: ſed melius viſum bellum ipſum amoueri, ſi poſſet: & Gallos nouam gentem pace potiùs cognoſci, quàm armis.

Legati mittuntur à Romanis ad Gallos.

Mitis legatio, ni præferoces legatos, Gallíſque magis quàm Romanis ſimiles habuiſſet. quibus, poſtquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur reſponſum. Etſi nouum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes eſſe, quorum auxilium à Cluſinis in re trepida ſit imploratum. & quoniam legatione aduerſus ſe maluerint, quàm armis tueri ſocios, ne ſe quidem pacem, quam illi afferant, aſpernari, ſi Gallis egentibus agro, quem latius poſsideant quàm colant Cluſini, partem finium concedant: aliter pacem impetrari non poſſe. & reſponſum coram Romanis ſe accipere velle: & ſi negetur ager, coram iiſdem Romanis dimicaturos, vt nuntiare domum poſſent quantum Galli virtute cæteros mortales præſtarent. Quódnam id ius eſſet, agrum à poſſeſſoribus petere, aut minari arma, Romanis quærentibus, ecquid in Hetruria rei Gallis eſſet? cum illi ſe in armis ius ferre, & omnia fortium virorum eſſe ferociter dicerent, accenſis vtrinque animis ad arma diſcurritur, & prælium conſeritur.

In armis ius ferri.

ibi, iam vrgentibus Romanam vrbem fatis, legati contra ius gentium arma capiunt. nec id clàm eſſe potuit, cum ante ſigna Hetruſcorum tres nobiliſsimi fortiſsimíque Romanæ iuuentutis pugnarent. tantum eminebat peregrina virtus. quinetiam Q.Fabius euectus extra aciem equo, ducem Gallorum ferociter in ipſa ſigna Hetruſcorum incurſantem, per latus transfixum, haſta occîdit. ſpoliáque eius legentem Galli agnouere, pérque totam aciem Romanum legatum eſſe, ſignum datum eſt.

Q. Fabius Legatus ducem Gallorum haſta occidit.

Omiſſa inde in Cluſinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Erant, qui extemplò Romam eundum cenſerent. vicere ſeniores, vt legati prius mitterentur queſtum iniurias, poſtulatúmque, vt pro iure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum cum ea, ſicut erant mandata, expoſuiſſent, ſenatui nec factum placebat Fabiorum, & ius poſtulare barbari videbantur. ſed ne id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris, ambitio obſtabat.

Galli Legatos Romam mittunt.

itaque ne penes ipſos culpa eſſet cladis fortè Gallico bello acceptæ, cognitionem de poſtulatis Gallorum ad populum reiiciunt. vbi tanto plus gratia atque opes valuere, vt quorum de pœna agebatur, tribuni militum conſulari poteſtate in inſequentem annum crearentur. quo facto, haud ſecus quàm dignum erat, infenſi Galli bellum propalàm minantes, ad ſuos redeunt.

Tribuni militum cum tribus Fabiis creati, P.Sulpitius Longus, Q.Seruilius quartùm, P.Seruilius Maluginenſis. Cum tanta moles mali inſtaret (adeò occæcat animos fortuna, vbi vim ſuam ingruentem refringi non vult) ciuitas, quæ aduerſus Fidenatem ac Veientem hoſtem, alióſque finitimos

Occæcat animos fortuna.

B populos vltima experiens auxilia, dictatorem multis tempeſtatibus dixiſſet: ea tunc inuſitato atque inaudito hoſte, ab Oceano terrarúmque vltimis oris bellum ciente, nihil extraordinarii imperii aut auxilii quæſiuit. Tribuni, quorum temeritate bellum contractum erat, ſummæ rerum præerant: delectúmque nihilo accuratiorem, quàm ad media bella haberi ſolitus erat, extenuantes etiam famam belli, habebant.

Galli Romã infeſti petunt.

Interim Galli, poſtquam accepêre, vltro honorem habitum violatoribus iuris humani, eluſámque ſuam legationem eſſe, flagrantes ira, cuius impotens eſt gens, confeſtim ſignis conuulſis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum exterritæ vrbes ad arma concurrerent, fugáque agreſtium fieret, Romam ſe ire magno clamore ſignificabant: quacunque ibant, equis, viríſque longè ac latè fuſo agmine immenſum obtinentes loci. Sed antecedente fama, nuntiíſque Cluſinorum, deinceps inde aliorum populorum plurimum terroris Romam celeritas hoſtium tulit. quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto, ægrè ad vndecimum lapidem occurſum eſt, qua flumen Allia Cruſtuminis montibus prealto defluens alueo haud multum infra viam Tyberino amni miſcetur. Iam omnia contrà, circáque hoſtium plena erant, & nata in vanos tumultus gens, truci cantu, clamoribúſque variis, horrendo cuncta compleuerant ſono. Ibi tribuni militum non loco caſtris antecapto, non præmunito vallo, quò receptus eſſet, non deorum ſaltem, ſi non hominum memores, nec auſpicatò, nec litatò inſtruunt aciem diductam in cornua, ne circumueniri multitudine hoſtium poſſent. nec tamen æquari frontes poterant, cum extenuando, infirmam & vix cohærentem mediam aciem haberent. paulum erat ab dextera editi loci, quem ſubſidiariis repleri placuit. eáque res vt initium pauoris ac fugæ, ſic vna ſalus fugientibus fuit. nam Brennus regulus Gallorum in paucitate hoſtium artem maximè timẽs, ratus ad id captum ſuperiorem locum, vt vbi Galli cum acie legionum recta fronte concurriſſent, ſubſidia in auerſos tranſuerſóſq; impetum darent, ad ſubſidiarios ſigna conuertit: ſi eos loco depuliſſet, haud dubius facilem in æquo campi tantum ſuperanti multitudini victoriam fore. adeò non fortuna modò, ſed ratio etiam cum Barbaris ſtabat.

Brẽnus Gallorum rex.

In altera acie nihil ſimile Romanis, non apud duces, non apud milites erat. pauor fugáque occupauerat animos: & tanta hominum obliuio, vt multo maior pars Veios in hoſtium vrbem, cum Tyberis arceret, quàm recto itinere Romam ad coniuges ac liberos fugerent. Parumper ſubſidiarios tutatus eſt locus. in reliqua acie ſimul eſt clamor proximis ab latere, vltimis ab tergo auditus, ignotum hoſtem prius penè quàm viderent, non modò non tentato certamine, ſed ne clamore quidem reddito, integri intactíq; fugerunt. nec vlla cædes pugnantium fuit. terga cæſa ſuomet ipſorum certamine in turba impedientium fugam.

Galli Romanos in fugã uertunt.

circa ripam Tyberis, quò armis abiectis totum ſiniſtrum cornu defugit, magna ſtrages facta eſt: multóſque imperitos nandi, aut inualidos graues loricis, aliíſq; tegminibus hauſere gurgites. maxima tamen pars incolumis Veios perfugit, vnde nõ modò præſidii quicquam, ſed ne nuntius quidem cladis Romam eſt miſſus. ab dextro cornu, quod procul à flumine, &

Galli tam repentè victos fuisse Romanos admirãtur.

magis sub monte steterat: Romam omnés petiere, & ne clausis quidem portis vrbis in arcem confu- A
gerunt. Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit. & ipsi pauore defixi primùm steterunt, velut ignari quid accidisset: deinde insidias vereri: postremò cæsorum spolia legere, armorúmque cumulos, vt mos eis est, coaceruare. Tum demum postquàm nihil vsquam hostile cernebatur, viam ingressi haud multò ante solis occasum ad vrbem Romam perueniunt. vbi cùm prægressi equites non portas clausas, non stationẽ pro portis excubare, non armatos esse in muris retulissent, aliud priori simile miraculum eos sustinuit. noctémque veriti, & ignotæ situm vrbis, inter Romam atque Anienem consedere, exploratoribus missis circa mœnia aliásque portas, quænam hostibus in perdita re consilia essent.

Romani despõdent animos aduentu Gallorũ.

Romani, cum pars maior ex acie Veios petisset quàm Romam, nemo superesse quenquam præter eos, qui Romam refugerant, credere: complorati omnes pariter viui mortuíque totam propè vrbem lamentis impleuerunt. Priuatos deinde luctus stupefecit publicus pauor, postquam hostes adesse nuntiatum est. mox vlulatus cantúsque dissonos vagantibus circa mœnia turmatim barbaris audiebant. omne inde tempus suspensos ita tenuit animos vsque ad lucem alteram, vt identidem iam in vrbem futurus videretur impetus primo aduentu, quo accesserãt ad vrbem. mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilii foret. deinde sub occasum solis, quia haud multum diei supererat, ante noctem rati se inuasuros: tum in noctem dilatum consiliũm esse, quò plus pauoris inferrẽt. postremò lux appropinquans exanimare. timoriq; perpetuò ipsum malum continens fuit, cùm signa infesta portis sunt illata. nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die similis illi, quæ ad Alliam tam pauidè fugerat, ciuitas fuit.

Romanorũ in rebus desperatis cõsilium.

nam cùm defendi vrbem posse, tam parua relicta manu spes nulla esset, placuit cum coniugibus ac liberis iuuentutem militarem, senatúsque robur in arcem, Capitoliúmque concedere: armísque, & frumẽto collatis, ex loco inde munito deos hominésq; & Romanum nomen defendere. flaminem, sacerdotésque Vestales, sacra publica à cæde, ab incendiis procul auferre: nec antè deseri cultũ eorum, quàm non superessent qui colerent. Si arx, Capitoliũmq; sedes deorum, si senatus caput publici consilii, si militaris iuuentus superfuerit imminẽti ruinæ vrbis, facilem iacturam esse seniorũ, relictæ in vrbe vtique perituræ turbæ. & quo id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularésque simul se cum illis palàm dicere obituros: nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, oneraturos inopiam armatorum. Hæc inter seniores morti destinatos iactata solatia. Versæ inde adhortationes ad agmen iuuenum. quos in Capitolium, atque in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum iuuentæque vrbis per trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis, quæcunque reliqua esset, fortunam. digredientibus qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab iis, qui captæ vrbis non superesse statuerant exitio,
cùm ipsa res speciésque miserabilis erat, tum muliebris fletus, & concursatio incerta, nunc hos nunc B
illos sequentium rogantiúmque viros natósque, cui se fato darent: nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant. magna pars tamen earum in arcem suos persecutæ sunt, nec prohibente vllo, nec vocante: quia, quod vtile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia maximè plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumẽti poterat, ex vrbe effusa velut agmine vno iam petiit Ianiculũ. inde pars per agros dilapsi, pars vrbes petunt finitimas, sine vllo duce, aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exequentes. Flamen interim Quirinalis virginésque Vestales omissa rerum suarũ cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asseruaturus custodia esset, optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, vbi nunc despui religio est, defodere. cætera inter se onere partito ferunt via quæ

L. Albini pietas.

Sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo cliuo eas cum L. Albinus de plebe Romana homo conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehẽs inter cæteram turbam, quæ inutilis bello vrbe excedebat, saluo etiam tunc discrimine diuinarum humanarúmq; rerum, irreligiosum ratus sacerdotes publicos sacráque populi Rom. pedibus ire, ferriq; se ac suos in vehiculo conspici, descendere vxorem ac pueros iussit, virgines sacráque in plaustrum imposuit: & Cære, quò iter sacerdotibus erat, peruexit. Romæ interim satis iam omnibus, vt in tali re, ad tuendam arcem compositis,

Turba Seniorum Romanorũ Gallos obstinato ad mortẽ animo expectat.

turba seniorum domos regressa, aduentum hostium obstinato ad mortem animo expectabat. qui eorum curules gesserant magistratus, vt in fortunæ pristinæ honorúmque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est, thensas ducentibus, triumphantibúsve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Sunt, qui M. Fabio pontifice maximo præfante carmen deuouisse eos se pro patria, Quiritibúsque Romanis tradant. Galli & quia interposita nocte à contentione pugnæ remiserant animos, & quòd nec in acie ancipiti vsquam certauerant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant vrbem, sine ira, sine ardore ani-

Galli Romã patente Collina porta ingrediuntur, & deprædantur.

morum ingressi postero die vrbem patente Collina porta in forum perueniunt, circunferentes oculos ad templa deûm, arcémque solam belli speciem tenentem. inde modico relicto præsidio, ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret, dilapsi ad prædam vacuis occursu hominum viis, pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt, pars vltima, velut ea demum intacta & referta præda, petunt. inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in forũ ac propinqua foro loca conglobati redibant: vbi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, maior propè cunctatio tenebat aperta quàm clausa inuadendi. adeò haud secus quàm venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros præter ornatum habitúmque humano augustiorem: maiestate etiam, quam vultus grauitásque oris præ se ferebat, simillimos diis. Ad eos velut simulachra versi cum starent, M. Papyrius vnus ex his dicitur Gallo barbam suam, vt tum omnibus

promissa

A promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram mouisse: atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos. Post principum cædem nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis inijci ignes. Cæterum, seu non omnibus delendi vrbem libido erat, seu ita placuerat principibus Gallorum, & ostentari quædam incendia terroris causa, si compelli ad deditionem caritate ædium suarum obsessi possent: & non omnia concremari tecta, vt quodcunque superesset vrbis, id pignus ad flectendos hostium animos haberent: nequaquam perinde atque in capta vrbe prima die aut passim, aut latè vagatus est ignis. Romani ex arce plenam hostium vrbem cernentes, vagósque per vias omnes cursus, cum alia atque alia parte noua aliqua clades oriretur, non mentibus solum concipere, sed ne auribus quidem, atque oculis satis constare poterant. quocunque clamor, sonitus hostium, mulierum puerorúmque ploratus, sonitus flammæ, & fragor ruentium tectorum auertisset, pauentes ad omnia animos oráque & oculos flectebant, velut ad spectaculum à fortuna positi occidentis patriæ, nec vllius rerum suarum relicti, præter quàm corporum vindices: tantò ante alios miserandi magis, qui vnquam obsessi sunt, quòd interclusi à patria obsidebantur, omnia sua cernentes in hostium potestate. Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit. Lux deinde noctem inquietam insecuta est. nec vllum erat tempus, quod à nouæ semper cladis alicuius spectaculo cessaret. nihil tamen tot onerati atque obruti malis flexerunt animos, quin & si omnia flammis ac ruinis æquata vidissent, quamuis inopem paruúmque, quem tenebant, collem libertati relictum virtute defenderent: & iam cum eadem quotidie acciderent, velut assueti malis abalienauerant ab sensu rerum suarum animos, arma tantum, ferrúmque in dextris velut solas reliquias spei suæ intuentes. Galli quoque per aliquot dies in tecta modò vrbis nequicquam bello gesto, cum inter incendia ac ruinas captæ vrbis nihil superesse præter armatos hostes viderent: nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur: experiri vltima, & impetum facere in arcem, statuunt. Prima luce signo dato multitudo omnis in foro instruitur: inde clamore sublato, ac testudine facta subeunt. aduersus quos Romani nihil temerè, nec tepidè, ad omnes aditus stationibus firmatis, quà signa ferri videbant, eà robore virorum opposito scandere hostem sinunt: quo successerit magis in arduum, eò pelli posse per procliue facilius rati. medio ferè cliuo restitêre: atque inde ex loco superiore, qui propè sua sponte in hostem inferebat, impetu facto, strage ac ruina fudere Gallos: vt nunquam posteà nec pars, nec vniuersi tentauerint tale pugnæ genus. Omissa itaq; spe per vim atque arma subeundi, obsidionem parant: cuius ad id tempus immemores, & quod in vrbe fuerat frumentum, incendiis vrbis absumpserant, & ex agris per ipsos dies raptum omne Veios erat. Igitur exercitu diuiso, partim per finitimos populos prædari placuit, partim obsideri ar-

Galli Romanos in ædiũ vestibulis sedentes trucidant.

Galli dũ in arcem impetum faciũt, à Romanis funduntur.

B cem, vt obsidentibus frumentum populatores agrorum præberent. Proficiscentes Gallos ab vrbe ad Romanam experiendam virtutem, fortuna ipsa Ardeam, vbi Camillus exulabat, duxit. Qui mœstior ibi fortuna publica quàm sua, cum diis hominibúsq; accusandis senesceret, indignando mirandóque vbi illi viri essent, qui secum Veios Faleriósque cepissent, qui alia bella fortius semper quàm felicius gessissent, repentè audit Gallorum exercitum aduentare, atqne de eo pauidos Ardeates consultare. Nec secus quàm diuino spiritu tactus, cum se in mediam concionem intulisset, abstinere suetus antè talibus conciliis: Ardeates, inquit, veteres amici, noui etiam ciues mei, quãdo & vestrum beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea, nemo vestrûm conditionis meæ oblitum me huc processisse putet. sed res, ac periculum commune cogit, quod quisque possit in re trepida præsidii, in medium cõferre. & quando ego vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessauero? aut vbi vsus erit mei vobis, si in bello non fuerit? hac arte in patria steti, & inuictus bello in pace ab ingratis ciuibus pulsus sum. Vobis autem Ardeates fortuna oblata est, & pro tantis pristinis populi Romani beneficiis, quanta ipsi meministis (nec enim exprobranda apud memores sunt) gratiæ referendæ: & huic vrbi decus ingens belli ex hoste communi pariendi. Quæ effuso agmine aduentat, gens est, cui natura corpora, animósq; magna magis quàm firma dederit. eo in certamẽ omne plus terroris quàm virium ferunt. argumẽto sit clades Romana: patentem cepere vrbem: ex arce Capitolióq; his exigua resistitur manu. iam obsidionis tædio victi abscedunt, vagíq; per agros palantur. cibo, vinóque raptim hausto repleti, vbi nox appetit, prope riuos aquarum sine munimento, sine stationibus ac custodiis passim ferarum ritu sternuntur. nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti. Si vobis in animo est, tueri mœnia vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri, prima vigilia capite arma frequentes: me sequimini ad cædem, non ad pugnam. nisi victos somno velut pecudes trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui. Aequis iniquísque persuasum erat, tantum bello virum neminem vsquam ea tempestate esse. concione dimissa corpora curant, intenti quàm mox signũ daretur. quo dato primæ noctis silentio ad portas cum Camillo præstò fuere. egressi haud procul vrbe, sicut prædictum erat, castra Gallorum intuta neglectáq; ab omni parte nacti, cum ingenti clamore inuadunt. nusquam prælium, omnibus locis cædes est: nuda corpora, & soluta somno trucidantur. extremos tamen pauor cubilibus suis excitos, quæ aut vnde vis esset ignaros, in fugam, & quosdam in hostem ipsum improuidos tulit. magna pars in agrum Antiatem delati, incursione ab oppidanis in palatos facta, circumueniuntur. Similis in agro Veienti Thuscorum facta strages est. qui vrbis iam propè quadringentesimum annum vicinæ oppressæ ab hoste inusitato inauditóq; adeò nihil miserti sunt, vt in agrum Romanum eo tempore incursiones facerent, plenique prædæ Veios etiam præsidiúmque, & spem vltimam Romani nominis in animo habuerint oppugnare. Viderant eos milites Romani vagantes per agros, & congregatos agmine prædam præ se agentes, & castra

Camilli oratio ad Ardeates.

Ardeates duce Camillo Gallorũ castra inuadunt, eósque trucidant.

Thusci opprimũtur à Romanis.

cernebant haud procul Veiis posita.inde primùm miseratio sui, deinde indignitas, atque ea ira animos cepit,Hetruscéisne etiam,à quibus bellum Gallicum in se auertissent,ludibrio esse clades suas. vix temperauere animis,quin extemplò impetum facerent: compresśique à Ceditio centurione, quem sibimetipsi præfecerant, rem in noctem sustinuere.tantùm par Camillo defuit author, cætera eodem ordine, eodémque fortunæ euentu gesta. quin etiam ducibus captiuis, qui cædi nocturnæ superfuerant, ad aliam manum Thuscorum ad Salinas profecti nocte insequenti ex improuiso maiorem cædem edidere, duplicíque victoria ouantes Veios redeunt. Romæ interim plerunque obsidio segnis, & vtrinque silentium esse,ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium euadere inter stationes posset:cum repentè iuuenis Romanus admiratione in se ciues,hostésque conuertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ.ad id faciendum C.Fabius Dorsuo,Gabino cinctu, sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cuiusquam, terrorémve motus in Quirinalem collem peruenit. ibíque omnibus solenniter peractis, eadem reuertens similiter constanti vultu graduq́; satis sperans propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos redit: seu attonitis Gallis miraculo audaciæ,seu religione etiam motis,cuius haudquaquam negligens gens est. Veiis interim non animi tantum indies, sed etiam vires crescebant: nec Romanis solùm eò conuenientibus ex agris, qui aut prælio aduerso aut clade captæ vrbis palati fuerant,sed etiam ex Latio voluntariis confluentibus,vt in parte prædæ essent. Maturum iam videbatur, repeti patriam, eripíque ex hostium manibus: sed corpori valido caput deerat. locus ipse admonebat Camilli,& magna pars militum erat,qui ductu auspicióque eius res prosperè gesserant.& Cæditius negare se commissurum cur sibi aut deorum aut hominum quisquam imperium finiret potius,quàm ipse memor ordinis sui posceret imperatorem. Consensu omnium placuit ab Ardea Camillum acciri,sed antea consulto Senatu,qui Romæ esset.adeò regebat omnia pudor, discrimináque rerum propè perditis rebus seruabant. Ingenti periculo transeundum per hostium custodias erat.ad eam rem Pontius Cominius impiger iuuenis operam pollicitus,incubans cortici secundo Tyberi ad vrbem defertur: inde quà proximum fuit à ripa per præruptum,eóque neglectum hostium custodiæ saxum in Capitolium euadit, & ad magistratus ductus mandata exercitus edit. Accepto inde Senatus decreto, vt & comitiis curiatis reuocatus de exilio iussu populi Camillus dictator extemplò diceretur, militésque haberent imperatorem quem vellent, eadem digressus nuntius Veios contendit: missíque Ardeam legati ad Camillum, Veios eum perduxere: seu quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quàm comperit legem latam.quòd nec iniussu populi mutari finibus posset,nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere,lex curiata lata est, dictatórque absens dictus. Dum hæc Veiis agebantur,interim arx Romæ capitoliúmque in ingenti periculo fuit.nanque Galli seu vestigio notato humano,quà nuntius à Veiis peruenerat,seu sua sponte animaduerso ad Carmentis saxum æscensu æquo,nocte sublustri cum primo inermem, qui tentaret viam, præmisissent, tradentes inde arma, vbi quid iniqui esset, alterni innixi, subleuantésque inuicem,& trahentes alii alios,prout postularet locus,tanto silentio in summum euasere, vt non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent.anseres non fefellere,quibus sacris Iunoni in summa inopia cibi tamen abstinebatur. quæ res saluti fuit.nanque clangore eorum,alarúmque crepitu excitus. M.Manlius,qui triennio antè consul fuerat,vir bello egregius, armis arreptis simul ad arma cæteros ciens vadit. & dum cæteri trepidant,Gallum,qui iam in summo constiterat, vmbone ictum deturbat. cuius casus prolapsi cum proximos sterneret,trepidantes alios armísque omissis saxa,quibus adhærebant,manibus amplexos trucidat.iámque & alii congregati telis, missilibúsque saxis proturbare hostes, ruináque tota prolapsa acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu reliquum noctis,quantum in turbatis mentibus poterat, cùm præteritum quoque periculum solicitaret, quieti datum est. Luce orta vocatis clasśico ad concilium militibus ad tribunos, cùm & rectè & perperam facto pretium deberetur: Manlius primùm ob virtutem laudatus,donatúsque non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari: cui vniuersi selibras farris,& quartarios vini ad ædes eius quæ in arce erant, contulerunt: rem dictu paruam: cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis: cum se quisque victu suo fraudans detractum corpori atque vsibos necessariis ad honorem vnius viri conferret. Tum vigiles eius loci,quà fefellerat ascendens hostis,citati: & cùm in omnes more militari se animaduersurum P.Sulpitius tribunus militum pronuntiasset,consentiente clamore militum in vnum vigilem cóiicientium culpam,deterritus à cæteris abstinuit: reum haud dubium eius noxæ approbātibus cunctis de saxo deiecit. Inde intentiores vtrinque custodiæ esse: & apud Gallos,quia vulgatum erat,inter Veios Romámque nuntios commeare: & apud Romanos, ob nocturni periculi memoriam. Sed ante omnia obsidionis bellíque mala fames vtrinque exercitum vrgebat: Gallos pestilentia etiam, cum loco iacente inter tumulos castra habentes,tum ab incendiis torrido & vaporis pleno,cinerémque nō puluerem modò ferente,cum quid venti motum esset,quorum intolerantisśima gens est, humoríque ac frigori assueta:tum æstu & angore vexati, vulgatis velut in pecora morbis morerentur. Iam pigritia singulos sepeliēdi,promiscoè aceruatos cumulos hominum vrebant: bustorúmque inde Gallicorum nomine insignem locum fecere. Induciæ deinde cum Romanis factæ,& colloquia permissu imperatorum habita: in quibus cum identidem Galli famem obiicerent, eáque necesśitate ad deditionem vocarent,dicitur auertendæ eius opinionis causa multis locis panis de Capitolio iactatus esse in hostium stationes. Sed iam neque disśimulari, neque ferri vltrà fames poterat: itaque dum dictator delectum

Thuscorum alia strages

C. Fabius Dorsuo per medios hostes Quirinalem collem sacra peracturus adyt.

Camillus decreto Senatus ab exilio reuocatur, & dictator creatur.

Galli nocte sublustri in arcem clàm contendunt.

Anseres clãgore & alarum crepitu M. Manliũ excitant.

Manlius ob arcem seruatam quo munere donatus sit.

Fames. Pestilentia.

Induciæ Gallorũ cũ Romanis.

A delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium à Veiis abducere exercitũ iubet: parat, instruitque quibus haud impar adoriatur hostes: interim Capitolinus exercitus stationibus vigiliísque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis, cum famem vnam natura vinci non fineret: diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret, postremò spe quoque iam, non solum cibo deficiente, & cum stationes procederent propè obruentibus infirmum corpus armis, vel dedi, vel redimi se quacunque pactione possent, iussit: iactantibus non obscurè Gallis, haud magna mercede se adduci posse vt obsidionem relinquant. Tum senatus habitus, tribuníſque militum negotium datum, vt paciscerentur. Inde inter P. Sulpitium tribunum militum, & Brennum Regulum Gallorum colloquio transacta res est, & † mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum. Rei fœdissimæ per se, adiecta indignitas est: pondera ab Gallis allata iniqua: & tribuno recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius: auditáque intoleranda Romanis vox, Væ victis esse. Sed diíque & homioes prohibuere redemptos viuere Romanos. nam forte quadam, prius quàm infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, dictator interuenit: auferrique aurum de medio, & Gallos submoueri iubet. cum illi renitentes pactos dicerent sese, negat eam pactionem ratam esse, quæ postquàm ipse dictator creatus esset, iniussu suo ab inferioris iuris magistratu facta esset: denuntiátque Gallis, vt se ad prælium expediant: suos in aceruum coniicere sarcinas, & arma aptare, ferróque non auro recuperare patriam iubet, in conspectu habentes fana deũm, & coniuges, & liberos, & solum patriæ deforme belli malis, & omnia quæ defendi repetíque & vlcisci fas sit. Instruit deinde aciem, vt loci natura patiebatur, in semirutæ solo vrbis, & natura inæquali: & omnia quæ arte belli secunda suis eligi præpararíve poterant, prouidit. Galli noua re trepidi arma capiunt, iráque magis quàm consilio io Romanos iocurrunt. Iam verterat fortuna, iam deorum opes humanáque consilia rem Romanam adiuuabant. Igitur primo concursu haud maiore momento fusi Galli sunt, quàm ad Alliam vicerant. Iustiore altero deinde prælio ad octauum lapidem Gabina via, quò se ex fuga contulerant, eiusdem ductu auspicióque Camilli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit, castra capiuntur, & ne nuntius quidem cladis relictus. Dictator, recuperata ex hostibus patria, triumphans in vrbem redit: intérque iocos militares quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditórq; alter vrbis haud vanis laudibus appellatur. Seruatam deinde bello patriam iterum in pace haud dubiè seruauit, cum prohibuit migrari Veios: & tribunis rem intentius agentibus post incensam vrbem, & per se inclinata magis plebe ad id cõsilium. eáque causa fuit non abdicandæ post triumphum dictaturæ, senatu obsecrante ne Rempublicam in incerto relinqueret statu. Omnium primum, vt erat diligentissimus religionum cultor, quæ ad deos immortales pertinebant, retulit: &

Quo pretio Romani sese à Gallis redemerint.

† 112000 coron. aut paulò amplius.

Galli à Camillo fusi.

Camillus triumphans in vrbẽ redit.

Camillus religionũ cultor diligentissimus.

B senatusconsultum facit, fana omnia quòd ea hostes possedissent: restituerentur, terminarentur expiarentúrque: expiatióque eorum in libris per duumuiros quæreretur. cum Cæretibus publicè hospitium fieret,;quòd sacra populi Romani ac sacerdotes recepissent, beneficióque eius populi non intermissus honos deũm immortalium esset. ludi Capitolini fierent, quòd Iupiter optimus maximus suam sedem atque arcem populi Romani io re trepida tutatus esset: collegiúmque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atq; arce habitarent. Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectáque esset, mentio illata, iussúmque templum in Noua via Locutio fieri. Aurum quod Gallis ereptum erat, quódque ex aliis templis inter trepidationem in Iouis cellam collatum, cùm in quæ referri oporteret, confusa memoria esset, sacrum omne iudicatum, & sub Iouis sella poni iussum. Iam antè in eo religio ciuitatis apparuerat, quòd cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis confieret, à matronis collatum acceperant, vt sacro auro abstineretur. Matronis gratiæ actæ, honósque additus, vt earum sic vt virorum, post mortem solennis laudatio esset. Iis peractis quæ ad deos pertinebant, quæque per senatum agi poterant: tum demum agitantibus tribunis plebem assiduis concionibus, vt relictis ruinis in vrbem paratam Veios transmigrareot: in concionem, vniuerso senatu prosequente, ascendit, atque ita verba fecit: Adeò mihi acerbæ sunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, vt nec tristissimi exilii solatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quàm quòd procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc oon, nisi me senatusconsulto populíque iussu reuocaretis, rediturus vnquam fuerim: nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit. quippe vt in sua sede maneret patria, id agebatur: non vt ego vtique in patria essem. & nunc quiescerem & tacerem libenter, nisi hæc quoque pro patria dimicatio esset: cui deesse quoad vita suppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim repetiimus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus? & cùm victoribus Gallis capta tota vrbe, Capitolium tamen atque arcem diíque & homines Romani tenuerint, habitauerint: victoribus Romanis recuperata vrbe arx quoque & Capitolium deseretur? & plus vastitatis huic vrbi secunda nostra fortuna faciet, quàm aduersa fecerit? Equidem si nobis cum vrbe simul positæ traditæq; per manus religiones nullæ essent: tamen tam euidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res, vel aduersas: inuenietis omnia prosperè euenisse sequentibus deos, aduersa spernentibus. Iam omnium primum Veiens bellum, per quot anoos, quanto labore gestum? noo antè cepit finem, quàm monitu deorum aqua ex lacu Albaoo emissa est. Quid hæc tandem vrbis nostræ clades noua? num antè exorta est, quàm spreta vox cælo emissa de aduentu Gallorum? quàm gentium ius ab legatis nostris violatum? quàm à nobis, cum vindicari deberet, eadem negligentia deorum prætermissum? Igitur victi captíque ac redempti tantum

Locutio tẽplum fieri iussum.

Matronis post mortẽ solennis laudatio quando primum concessa.

Camilli oratio aduersus tribunos plebis, qua suadet non deserendã esse Romam ut Veios migretur.

pœnarum diis hominibúsque dedimus,vt terrarum orbi documento essemus.aduersæ deinde res ad- A
monuerunt religionum.Confugimus in Capitolium ad deos,ad sedem Iouis optimi maximi. sacra in
ruina rerum nostrarum alia terræ celauimus , alia auecta in finitimas vrbes amouimus ab hostium
oculis : deorum cultum deserti ab diis hominibúsque,tamen non intermisimus. reddidere igitur pa-
triam, & victoriam, & antiquum belli decus amissum : & in hostes qui cæci auaritia in pondere auri
fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem,fugámque, & cædem. Hæc culti neglectíque numi-
nis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis Quirites quãtum vixdum ex nau-
fragiis prioris culpæ cladísque emergentes paremus nefas?Vrbem auspicatò inauguratóq; cõditam
habemus : nullus locus in ea non religionum deorúmque est plenus : sacrificiis solennibus non dies
magis stati quàm loca sunt,in quibus fiant.hos omnes deos publicos priuatósque Quirites deserturi
estis?quàm par vestrum factum est,quod in obsidione nuper in egregio adolescẽte C.Fabio non mi-
nore hostium admiratione quàm vestra conspectum est ? cum inter Gallica tela digressus ex arce so-
lenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit.An gentilitia sacra ne in bello quidem intermitti,publica
sacra & Romanos deos etiam in pace deseri placet?& pontifices flaminésque negligentiores publi-
carum religionum esse,quàm priuatus in solenni gentis fuerit?Forsitan aliquis dicat,aut Veiis ea nos
facturos,aut huc inde missuros sacerdotes nostros,qui faciant : quorum neutrum fieri saluis cærimo-
niis potest : & ne omnia generatim sacra,omnésque percenseam deos in Iouis epulo,num alibi,quàm
in Capitolio puluinar suscipi potest?Quid de æternis Vestæ ignibus, signóque, quod imperii pignus
custodia eius templi tenetur, loquar ? quid de ancilibus vestris, Mars Gradiue, túque Quirine pater?
hæc omnia in profano deseri placet sacra, æqualia vrbi, quædam vetustiora origine vrbis ? Et videte
quid inter nos ac maiores intersit : illi sacra quædam in monte Albano Lauinióque nobis facienda
tradiderunt. An ex hostium vrbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit,hinc sine piacu-
lo in hostium vrbem Veios transferemus?Recordamini agitédum, quoties sacra instaurentur , quia
aliquid ex patrio ritu negligentia casúve prætermissum est. Modò quæ res post prodigium Albani la-
cus,nisi instauratio sacrorum auspiciorúmque renouatio affectæ Veienti bello Reipublicæ remedio
fuit?At etiam tanquam veterum religionum memores, & peregrinos deos transtulimus Romam, &
instituimus nouos.Iuno regina transuecta à Veiis nuper in Auentino quàm insigni ob excellens ma-
tronarum studium, celebríque dedicata est die?Locutio templum propter cælestem vocem exaudi-
tam in Noua via iussimus fieri : Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus : collegiúmque ad id
nouum authore senatu condidimus. Quid horum opus fuit suscipi, si vnà cum Gallis vrbem Roma-
nam relicturi fuimus?si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis ? si ab hosti-
bus metu retenti sumus?De sacris loquimur,& de templis : quid tandem de sacerdotibus ? nónne in B
mentem venit, quantum piaculi committatur ? Vestalibus nempe vna illa sedes est , ex qua eas nihil
vnquam præterquàm vrbs capta mouit. flamini diali noctem vnam manere extra vrbem nefas est,
hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes?& Vestales tuæ te deserent Vesta?& flamen per-
egrè habitando,in singulas noctes tantum sibi reíque publicæ piaculi contrahet?Quid alia,quæ auspi-
catò agimus omnia ferè intra pomœrium,cui obliuioni,aut cui negligentiæ damus?Comitia curiata,
quæ rem militarem continent : comitia centuriata,quibus consules tribunósque militares creatis:vbi
auspicatò, nisi vbi adsolent, fieri possunt ? Veiósne hæc transferemus ? an comitiorum causa populus
tanto incommodo in desertam hanc ab diis hominibúsque vrbem conueniet ? Sed res ipsa cogit va-
statam incendiis ruinísque relinquere vrbem, & ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædifican-
do inopem plebem vexare. Hanc autem iactari magis causam, quàm veram esse, vt ego non dicam,
apparere vobis Quirites puto, qui meministis ante Gallorum aduentum saluis tectis publicis priua-
tisq;,stante incolumi vrbe,hanc eandem rem actam esse,vt Veios transmigraremus. Et videte quan-
tum inter meam sententiam vestrámq; intersit tribuni : vos etiam si tunc faciendum non fuerit,nunc
vtique faciendum putatis : ego contrà (nec id mirati sitis prius, quàm quale sit audieritis) etiam si
tunc migrandum fuisset incolumi tota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem : quippe
tum causa nobis in vrbem captam migrandi victoria esset , gloriosa nobis ac posteris nostris : nunc
hæc migratio nobis misera ac turpis,Gallis gloriosa est.non enim reliquisse victores,sed amisisse victi
patriam videbimur. hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbs, hoc circumsessum Capitolium necessitatis
imposuisse,vt desereremus penates nostros,exiliúmque ac fugam nobis ex eo loco consciscetremus,
quem tueri non possemus ? & Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non vide-
buntur potuisse?Quid restat,nisi vt si iam nouis copiis veniant, (constat enim vix credibilem multi-
tudinem esse) & habitare in capta ab se,deserta à vobis hac vrbe velint sinatis?Quid si non Galli hoc,
sed veteres hostes vestri, Aequi, Volscíve faciant,vt commigrent Romam ? velitísne illos Romanos,
vos Veientes esse?non malitis hanc solitudinem vestram, quàm vrbem hostium esse ? non equidem
video quid magis nefas sit. Hæc scelera , quia piget ædificare , hæc dedecora pati parati estis ? Si
tota vrbe nullum melius, ampliúsve tectum fieri posit, quàm casa illa conditoris est, nostri non in
casis ritu pastorum agrestiúmque habitare est satius inter sacra penatésque vestros, quàm exulatum
publicè ire ? Maiores nostri conuenæ,pastorésq;, cum in his locis nihil præter syluas paludésque esset,
nouam vrbem tam breui ædificarunt.nos Capitolio,arce incolumi, stantibus templis deorum ædifi-
care incensam piget ? & quod singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico in-
cendio vniuersi recusamus facere?Quid tandem,si fraude, si casu Veiis incendium ortum sit,ventóq;
(vt fieri potest) diffusa flamma magnam partem vrbis absumat : Fidenas inde aut Gabios, aliánve
quam

A quam vrbem quæsituri sumus,quò trāsmigremus?adeò nihil tenet solum patriæ?nec hæc terra quam matrem appellamus?sed in superficie tignisque charitas nobis patriæ pendet?Et quidem fatebor vobis,& si minus iniuriæ vestræ quàm meæ calamitatis meminisse iuuat: cùm abessem, quotiescunque patria in mentem veniret,hæc omnia occurrebant,colles,campique,& Tyberis,& assueta oculis regio,& hoc cælum,sub quo natus educatúsque essem.quæ vos Quirites nunc moneant potius charitate sua,vt maneatis in sede vestra, quàm postea cum reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa dii hominésque hunc vrbi condendæ locum elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum vrbis natum vnicè locum. argumento est ipsa magnitudo tam nouæ vrbis.trecentesimus sexagesimusquintus annus vrbis Quirites agitur.inter tot veterrimos populos tandiu bella geritis,cum interea,ne singulas loquar vrbes, non coniuncti cum Aequis Volsci,tot tam valida oppida,non vniuersa Hetruria tantum terra marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod cum ita sit,quæ (malum) ratio est expertis alia experiri,cum iam vt virtus vestra transire aliò posit, fortuna certè loci huius transferri non posit?Hic Capitolium est,vbi quondam capite humano inuento responsum est,eo loco caput rerum summámque imperii fore.hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuuentas Terminúsq; maximo gaudio patrum nostrorum moueri se non passi.hîc Vestæ ignes, hîc ancilia cælo demissa, hîc omnes propitii manentibus vobis dii. Mouisse eos Camillus cùm alia oratione, tum ea quæ ad religiones pertinebat, maximè dicitur. sed rem dubiam decreuit opportunè vox emissa, quòd cùm senatus pòst paulò de his rebus in curia Hostilia haberetur, cohortésque ex præsidiis reuertentes, fortè agmine forum transirent, centurio in comitio exclamauit: Signifer, statue signum, hic manebimus optimè. Qua voce audita,& senatus accipere se omen ex curia egressus conclamauit,& plebs circunfusa approbauit. Antiquata deinde lege, promiscuè vrbs ædificari cœpta. tegula publicè præbita est: saxi materiæq; cædendæ vnde quisque vellet ius factum, prædibus acceptis eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui aliénique discrimine, in vacuo ædificant. ea est causa, vt veteres cloacæ primò per publicum ductæ, nunc priuata passim subeant tecta: formáque vrbis sit occupatæ magis quàm diuisæ similis.

Centurionis vox pro omine accepta.

Cur vicos non direxerint Romani.

B

DECADIS PRIMAE LIBER VI.

Res aduersus Aequos & Volscos & Hetruscos prosperè gestas continet. Quatuor tribus additæ sunt: Stellatina, Sabbatina, Promentina, Arniensis. M. Manlius, qui Capitolium à Gallis defenderat, cum obstrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio deiectus est. in cuius notam S. C. factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset. C. Licinius, & L. Sextius trib. pleb. legem promulgarunt, ut consules etiam ex plebe fierent, qui ex patribus creabantur. eam legem cum magna contentione repugnantibus patribus, cum iidem tribuni plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt. & primus omnium ex plebe cōsul L. Sextius creatus est. Lata est altera lex, ne cuiquam plus quingentis iugeribus agri liceret possidere.



VAE ab condita vrbe Roma ad captam eandem vrbem Romani sub regibus primùm, consulibus deinde ac dictatoribus, decemuirísque ac tribunis consularibus gessere foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui: res cùm vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex interuallo loci vix cernuntur: tum quòd perraræ per eadem tempora literæ fuere, vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quòd etiam si quæ in commentariis pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa vrbe pleræque interiere. clariora deinceps certioráque ab secunda origine, velut ab stirpibus lætius feraciúsque renatæ vrbis, gesta domi militiæque exponentur. Cæterùm primo quo adminiculo erecta erat, eodem innixa M. Furio principe stetit: neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto passi sunt. Comitia in insequentem annum tribunos habere, quorum in magistratu capta vrbs esset, non placuit: res ad interregnum rediit. Cum ciuitas in opere ac labore assiduo reficiendæ vrbis teneretur, interim Q. Fabio, simul primùm magistratu abiit, ab C. Martio tribuno plebis dicta dies est, quòd legatus in Gallos, ad quos missus erat orator, contra ius gentium pugnasset. cui iudicio eum mors adeò opportuna, vt voluntariam magna pars crederet, subtraxit. Interregnum iniit P. Cornelius Scipio interrex: & post eum M. Furius Camillus iterum. is tribunos militum consulari potestate creat, A. Valerium Publicolam iterum, L. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Aemylium, L. Posthumium. Ii ex interregno cum extemplò magistratū iniissent, nulla de re prius quàm de religionibus senatum consuluêre. In primis fœdera, ac leges (erant autem eæ duodecim tabulæ, & quædam regiæ leges) conquiri, quæ comparerent, iusserunt. alia ex eis edita etiam in vulgus. quæ autem ad sacra pertinebant, à pontificibus maximè, vt religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diémque ad xv. Calendas Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœdè pugnatum: à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignémque rei nulli publicè priuatímque agendæ fecerunt. Quidam, quòd postridie idus Quintiles non litasset Sulpitius

Priorum librorum epilogus.

Interregnū.

Dies religiosi.

A

tribunus militum, neque inuenta pace deûm post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie idus rebus diuinis supersederi iussum: inde vt postridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum putant. Nec diu licuit quietis consilia erigendæ ex tam graui casu Reipublicæ secum agitare. Hinc Volsci veteres hostes ad extinguendum nomen Romanum arma ceperant. Hinc Hetruriæ principum ex omnibus populis coniurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores afferebant. nouus quoque terror accesserat defectione Latinorum Hernicorúmque, qui post pugnam ad lacum Regillum factam, per annos propè centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant. Itaque cum tanti vndique terrores circumstarent, apparerétque omnibus non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios nomen Romanum laborare: placuit eiusdem auspiciis defendi Rempublicam, cuius recuperata esset: dictatorémque dici M. Furium Camillum.

Camillus dictator creatur.

is dictator C. Seruilium Halam magistrum equitum dixit. iustitióque indicto, delectum iuniorum habuit: ita vt seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua iuratos centuriaret. Exercitum conscriptum armatúmque trifariam diuisit. partem vnam in agro Veiente Hetruriæ opposuit. alteram ante vrbem castra locare iussit: tribunus militum his A. Manlius, illis qui aduersus Hetruscos mittebantur, L. Aemylius præpositus. tertiam partem ipse ad Volscos duxit: nec procul ab Lanuuio (Admetium is locus dicitur) castra oppugnare est adortus. quibus ab contemptu, quòd propè omnem deletam à Gallis Romanam iuuentutem crederent, ad bellum profectis, tantùm Camillus auditus imperator terroris intulerat, vt vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sepirent, ne quà intrare ad munimenta hostis posset. Quod vbi animaduertit Camillus, ignem in obiectam sepem coniici iussit. & fortè erat vis magna venti versa in hostem. itaque non aperuit solùm incendio viam, sed flammis in castra tendentibus, vapore etiam ac fumo, crepitúque viridis materiæ flagrantis ita consternauit hostes, vt minor moles superantibus vallum in castra Volscorum Romanis fuerit, quàm transcendentibus sepem incendio absumptam fuerat.

Volsci vincuntur.

Fusis hostibus, cæsisque, cum castra impetu cepisset dictator, prædam militi dedit, quò minus speratam minimè largitore duce, eò militi gratiorem. persecutus deinde fugientes, cum omnem Volscum agrum depopulatus esset, ad deditionẽ Volscos septuagesimo demum anno subegit.

Volscorum deditio.

Aequos vicit Camillus & eorũ vrbem cepit.

Victor ex Volscis in Aequos transiit, & ipsos bellum molientes, exercitum eorum ad Bolas oppressit: nec castra modò, sed vrbem etiam aggressus, impetu primo cepit. Cùm in ea parte, in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna esset, aliam in partem terror ingens ingruerat. Hetruria propè omnis armata Sutrium socios populi Romani obsidebat. quorum legati opem rebus affectis orantes cùm senatum adissent, decretum tulere, vt dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret. cuius spei moram cum pati fortuna obsessorum non potuisset. confectáque paucitas oppidanorum opere, B vigiliis vulneribúsque, quæ semper eosdem vrgebant: per pactionem vrbe hostibus tradita, inermes cum singulis emissi vestimentis, miserabili agmine penates relinqueret:

Hetrusci Sutriũ capiũt.

eo fortè tempore Camillus cum exercitu Romano interuenit. cui cum se mœsta turba ad pedes prouoluisset, principúmque orationem necessitate vltima expressam, fletus mulierum ac puerorum, qui exilii comites trahebantur, excepisset: parcere lamentis Sutrinos iussit: Hetruscis se luctum lacrymásque ferre. Sarcinas inde deponi, Sutrinósque ibi considere modico præsidio relicto, arma secum militem ferre iubet. ita expedito exercitu, profectus ad Sutrium, id quod rebatur, soluta omnia rebus (vt fit) secundis inuenit: nullam stationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hostium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Hetrusci passim trucidantur ab nouo hoste, neque se conglobandi coeundíque in vnum, aut arma capiendi datur spatium.

Sutriũ à Camillo recipitur victis Hetruscis.

cum pro se quisque tenderent ad portas, si qua fortè se in agros eiicere possent, clausas (id enim primùm dictator imperauerat) portas inueniunt. Inde alii arma capere, alii quos fortè armatos tumultus occupauerat, conuocare suos vt prælium inirent. quod accensum ab desperatione hostiũ fuisset, ni præcones per vrbem dimissi, poni arma, & parci inermi iussissent, nec præter armatos quenquam violari. Tum etiam quibus animi in vltima obstinati ad decertandum fuerant: postquã data spes vitæ est; iactare passim arma: inermésq; quod tutius fortuna fecerat, se hosti offerre. Magna multitudo in custodias diuisa: oppidum ante noctem redditum Sutrinis inuiolatum, integrúmque ab omni clade belli: quia non vi captum, sed traditum per conditiones fuerat.

Camilli triumphus.

Camillus in vrbem triumphans rediit, trium simul bellorum victor. longè plurimos captiuos ex Hetruscis ante currum duxit. quibus sub hasta venundatis, tantum æris redactũ est, vt pretio pro auro matronis persoluto, ex eo quod supererat, tres pateræ aureæ factæ sint: quas cum titulo nominis Camilli ante Capitolium incensum in Iouis cella constat ante pedes Iunonis positas fuisse. Eo anno in ciuitatem accepti, qui Veientium Capenatiúmque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agérque iis nouis ciuibus assignatus. reuocati quoque in vrbem senatusconsulto à Veiis, qui ædificandi Romæ pigritia, occupatis ibi vacuis tectis Veios se cõtulerant. & primò fremitus fuit aspernantium imperium. dies deinde præstituta, capitalísq; pœna, qui non remigrasset Romam, ex ferocibus vniuersis singulos metu suũ quenque obedientes fecit. Et Roma cùm frequentia crescere, tùm tota simul exurgere ædificiis: & Republica impensas adiuuante, & ædilibus velut publicũ exigentibus opus, & ipsis priuatis (admonebat enim desiderium vsus) festinantibus ad effectũ operis. intráq; annum noua vrbs stetit.

Intra annũ Roma instaurata est.

Exitu anni comitia tribunorum militum consulari potestate habita. Creati, T. Quintius Cincinnatus, Q. Seruilius Fidenas quintùm, Iulius Tullus, L. Aquilius Coruus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpitius Ruffus. Exercitum alterum in Aequos, non ad bellum (victos nanque se fatebantur) sed ab odio ad peruastandos fines, ne quid ad noua consilia

A relinquerent virium, duxere: alterum in agrum Tarquiniensem. ibi oppida Hetruscorum Cortuosa & Contenebra vi capta, dirutáque. Ad Cortuosam nihil certaminis fuit. improuiso adorti, primo clamore atque impetu cepere. direptum oppidum atque incensum est. Contenebra paucos dies oppugnationem sustinuit: labórque continuus non die, non nocte remissus, subegit eos. cùm in sex partes diuisus exercitus Romanus senis horis in orbem succederet prælio, oppidanos eosdem integro semper certamini paucitas fessos obiiceret: cessere tandem, locúsque inuadendi vrbem Romanis datus est. Publicari prædam tribunis placebat, sed imperium quàm consilium segnius fuit. dum cunctantur, iam militum præda erat, nec nisi per inuidiam adimi poterat. Eodem anno, ne priuatis tantum operibus cresceret vrbs, Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia vrbis conspiciendum. Iam & tribuni plebis, ciuitate ædificando occupata, conciones suas frequentare legibus agrariis conabantur. ostentabatur in spem Pomptinus ager, tum primùm post accisas à Camillo Volscorum res possessionis haud ambiguæ. Criminabantur multò eum infestiorem agrum ab nobilitate esse, quàm à Volscis fuerit. ab illis enim tantum, quoad vires & arma habuerunt, incursiones eò factas. nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec nisi antequàm omnia præripiant, diuisus sit, locum ibi plebi fore. Haud magnopere plebem mouerant, & infrequentem in foro, propter ædificandi curam, & eandem exhaustam impensis, eóque agri immemorem, ad quem instruendum vires non essent. In ciuitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade superstitiosis principibus, vt renouarentur auspicia, res ad interregnum rediit. Interreges deinceps, M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpitius Camerinus, L. Valerius Potitus. hic demum tribunorum militum consulari potestate comitia habuit. L. Papyrium, Cn. Sergium, L. Aemylium iterum, L. Licinium, M. Menenium, L. Valerium Publicolam tertiùm, creat. hi ex interregno magistratum occœpere. Eo anno ædes Martis Gallico bello vota, dedicata est à T. Quintio duumuiro sacris faciundis. Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ, Stellatina, Pomatina, Sabbatina, Arniensis: eæque triginta quinque tribuum numerum explcuere. De agro Pomptino ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem iam populum, nobiliorémque ad cupiditatem agri, quàm fuerat. Et de Latino Hernicóque bello mentio facta in senatu, maioris belli cura, quòd Hetruria in armis erat, dilata est. Res ad Camillum tribunum militum consulari potestate rediit: collegæ additi quinque, Sergius Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius Fidenas sextùm, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Puluillus, P. Valerius. Principio anni auersæ curæ hominum sunt à bello Hetrusco: quod fugientium ex agro Pomptino agmen repentè illatum in vrbem, attulit, Antiates in armis esse, Latinorúmque populos iuuentutem suam misisse ad id bellum, eo abnuentes publicum

Cortuosa diripitur. Contenebra expugnatur.

Capitolium saxo quadrato substruitur.

Inter regnum.

Aedes Martis dedicatur.

Quatuor tribus ex nouis ciuibus additæ.

B fuisse consilium: quòd non prohibitos tantummodo, voluntarios dicerent militare, vbi vellent. Desierant iam vlla contemni bella. itaque senatus diis agere gratias, quòd Camillus in magistratu esset. dictatorem quippe dicendum eum fuisse, si priuatus esset: & collegæ fateri regimen omnium rerum vbi quid bellici terroris ingruat, in viro vno esse: sibíque destinatum in animo esse, Camillo summittere imperium: nec quicquam de maiestate sua detractum credere, quod maiestati eius viri concessissent. Collaudatis ab senatu tribunis, & ipse Camillus confusus animo gratias egit. Ingens inde ait onus à populo Romano sibi, qui se dictatorem iam quartùm creasset, magnum à senatu talibus de se iudiciis eius ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obsequio iniungi. itaque si quid laboris vigiliarúmque adiici possit, certamen secum ipsum annisurum, vt tanto de se consensu ciuitatis opinionem, quæ maxima sit, etiã cõstantem efficiat. Quod ad bellum atq; Antiates attineat, plus ibi minarum, quàm periculi esse: se tamen, vt nihil timendi, sic nihil contemnendi authorem esse. Circunsederi vrbem Romanã ab inuidia & odio finitimorum: itaq; & ducibus pluribus & exercitibus administrandam Rempublicam esse. Te, inquit, P. Valeri socium imperii consiliíque legiones mecum aduersus Antiatem hostem ducere placet: te Q. Seruili altero exercitu instructo paratóque in vrbe castra habere, intentum, siue Hetruria se interim, vt nuper, siue noua hæc cura, Latini atque Hernici mouerint. pro certo habeo ita rem gesturum, vt patre, auo, téque ipso ac sex tribunatibus dignum est. tertius exercitus ex causariis senioribúsque à L. Quintio scribatur, qui vrbi mœnibúsque præsidio sit. L. Horatius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poscent, prouideat. Te Sergi Corneli, præsidem huius publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium vrbanarum, collegæ facimus. Cunctis in partes muneris sui benignè pollicentibus operam, Valerius socius imperii lectus adiecit M. Furium sibi pro dictatore, séque ei pro magistro equitum futurum: proinde quam opinionem de vnico imperatore, eam spem de bello haberent. Se verò bene sperare patres & de bello & de pace vniuersáque respublica erecti gaudio fremunt: nec dictatore vnquam opus fore reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus iunctos animis, parêre atque imperare iuxtà paratos, laudémque conferentes potius in medium, quàm ex communi ad se trahentes. Iustitio indicto, delectúque habito, Furius ac Valerius ad Satricum profecti, quò non Volscorum modò iuuentutem Antiates ex noua sobole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorúmque conciuerant ex integerrimis diutina pace populis: itaque nouus hostis veteri adiunctus, commouit animos militis Romani. Quod vbi aciem iam instruenti Camillo centuriones renuntiauerunt, turbatas militum mentes esse: segniter arma capta, cunctabundósque & resistentes egressos castris esse: quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos: & ægrè inermem tantam multitudinem, nedum armatam sustineri posse: In equum insilit, & ante signa obuersus in aciem, ordines interequitans: Quæ tristitia milites hæc, quæ insolita cunctatio est?

Camillus collegis imperium communicat.

Camilli oratio ad milites hostium multitudine perterritos. hostem, an me, an vos ignoratis? hostis est: quid aliud quàm perpetua materia virtutis gloriæque A vestræ? vos contrà, me duce (vt Falerios Veiósque captos, & in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam) modò trigeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis & Aequis & ex Hetruria egistis. an me, quòd non dictator vobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? neque ego maxima imperia in vos desidero: & vos in me nihil præter me ipsum intueri decet. neque enim dictatura mihi vnquam animos fecit, vt ne exilium quidem ademit. Iidem igitur omnes sumus: & cum eadem omnia in hoc bellum afferamus, quæ in priora attulimus, eundem euentum belli expectemus. simul concurreritis, quod quisque didicit ac consueuit, faciet: vos vincetis, illi fugient. Dato deinde signo, ex equo desilit: & proximum signiferum manu arreptum secum in hostem rapit: Infer miles, clamitans, signum. Quod vbi videre ipsum Camillum iam ad munera corporis senecta inualidum vadentem in hostes, procurrunt pariter omnes clamore sublato, Sequere imperatorem, pro se quisque clamantes. emissum etiam signum Camilli iussu in hostium aciem ferunt: idque vt repeteretur, concitatos antesignanos. Ibi primùm pulsum Antiatem, terroremque non in primam tantùm aciem, sed etiam ad subsidiarios perlatum. nec vis tãtum militum mouebat excitata præsentia ducis, sed quòd Volscorum animis nihil terribilius erat, quàm ipsius Camilli fortè oblata species. ita quocunque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat. maximè id euidens

Camillus quàm formidabilis hostibus. fuit, cum in læuum cornu propè iam pulsum arrepto repentè equo cum scuto pedestri aduectus, conspectu suo prælium restituit, ostentans vincentem cæteram aciem. Iam inclinata res erat, sed turba hostium & fuga impediebat & longa cæde conficienda multitudo tanta fesso militi erat, cum repentè ingentibus procellis fusus imber, certam magis victoriam quàm prælium diremit. Signo deinde re-

Volsci à sociis deserti, Satrici mœnibus se includunt. ceptui dato, nox insecuta quietis Romanis perfecit bellum. Latini nanque & Hernici relictis Volscis domos profecti sunt, malis consiliis pares adepti euentus. Volsci vbi se desertos ab eis videre, quorum fiducia rebellauerant, relictis castris, mœnibus Satrici se includunt. quos primò Camillus vallo circundare & aggere atque operibus oppugnare est adortus. Quæ postquàm nulla eruptione impediri videt: minus esse animi ratus in hoste, quàm vt in eo tam lentæ spei victoriam expectaret: cohortatus milites, ne tanquam Veios oppugnantes in opere longinquo sese tererent, victoriam in manibus esse: ingenti militum alacritate mœnia vndique aggressus scalis oppidum cepit. Volsci abiectis

Satricum expugnatur. armis sese dediderunt. Cæterùm animus ducis rei maiori, Antio imminebat. id caput Volscorum, eam fuisse originem proximi belli. sed quia nisi magno apparatu: tormentis machinisque tam valida vrbs capi non poterat: relicto ad exercitum collega, Romam est profectus, vt senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter sermonem eius (credo rem Antiatem diuturniorem manere diis cordi fuisse) legati ab Nepete ac Sutrio auxilium aduersus Hetruscos petentes veniunt, breuem occasionem B esse ferendi auxilii memorantes. eò vim Camilli ab Antio fortuna auertit. nanque cum ea loca opposita Hetruriæ, & velut claustra inde portæque essent: & illis occupandi ea cum quid noui molirentur, & Romanis recuperandi tuendíque cura erat. Igitur senatui cum Camillo agi placuit, vt omisso Antio bellum Hetruscum susciperet. legiones vrbanæ, quibus Quintius præfuerat, ei decernuntur: quanquam expertum exercitum assuetúmque imperio qui in Volscis erat, mallet, nihil recusanit: Valerium tantummodo imperii socium depoposcit. Quintius, Horatiúsque successores Valerio in Volscis missi. Profecti ab vrbe Sutrium Furius & Valerius partem oppidi iam captam ab Hetruscis inuenere: ex parte altera interseptis itineribus ægrè oppidanos vim hostium abs se arcentes. tum Romani auxilii aduentus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hostes sociósque & in præsentia rem inclina-

Camillus Sutrium recipit fusis Hetruscis. tam sustinuit, & spatium ad opem ferendam dedit. Itaque diuiso exercitu, Camillus collegam eam in partem circunductis copiis quam hostes tenebant, mœnia aggredi iubet: non tanta spe scalis capi vrbem posse, quàm vt auersis eò hostibus, & oppidanis iam oppugnando fessis laxaretur labor, & ipse spatium intrandi sine certamine mœnia haberet. Quod cum simul vtrinque factum esset, ancépsque terror Hetruscos circunstaret: & mœnia summa vi oppugnari, & intra mœnia esse hostem viderent porta se, quæ vna fortè non obsidebatur, trepidi vno agmine eiecere. magna cædes fugientium & in vrbe & per agros est facta. plures à Furianis intra mœnia cæsi: Valeriani expeditiores ad persequendos fuere: nec ante noctem, quæ conspectum ademit, finem cædendi fecere. Sutrio recepto, restitutóque sociis, Nepete exercitus ductus, quod per deditionem acceptum iam totum Hetrusci habebant.

Nepete per deditionem acceptũ Hetrusci tenebant. Videbatur plus in ea vrbe recipienda laboris fore, non in eo solum quòd tota hostium erat, sed etiam quòd parte Nepesinorum prodente ciuitatem facta erat deditio. mitti tamen ad principes eorum placuit, vt secernerent se ab Hetruscis: fidémque quam implorassent ab Romanis, ipsi præstarent. Vnde cum responsum allatum esset, nihil suæ potestatis esse: Hetruscos mœnia, custodiásque portarum tenere: primò populationibus agri terror est oppidanis admotus: deinde postquàm deditionis quàm societatis fides sanctior erat, fascibus sarmentorum ex agro collatis ductus ad mœnia exercitus, complétisque fossis scalæ admotæ, & clamore primo impetúque oppidum capitur. Nepesinis inde edi-

Nepete à Camillo recipitur cæsis Hetruscis. ctum, vt arma ponant, parcíque iussum inermi. Hetrusci pariter armati atque inermes cæsi. Nepesinorum quoque authores deditionis securi percussi: innoxiæ multitudini redditæ res, oppidúmque cum præsidio relictum. Ita duabus sociis vrbibus ex hoste receptis, victorẽ exercitum tribuni cum magna gloria Romam reduxerunt. Eodem anno ab Latinis Hernicisque res repetitæ, quæsitúmque cur per eos annos militem ex instituto non dedissent. Responsum frequenti vtriusque gentis concilio est, nec culpam in eo publicam, nec consilium fuisse, quòd suæ iuuentutis aliqui apud Volscos militauerint: eos tamen ipsos praui consilii pœnam habere, nec quenquã ex his reducem esse. militis autẽ non dati causam,

A causam, terrorem assiduum à Volscis fuisse: quam pestem adhærentem lateri suo tot super alia aliis bellis exhauriri nequisse. Quæ relata patribus magis tempus, quàm causam non visa belli habere. Insequenti anno A. Manlio, P. Cornelio, T. & L. Quintiis Capitolinis, L. Papyrio Cursore tribunis consulari potestate, graue bellum foris, grauior domi seditio exorta: bellum à Volscis adiuncta Latinorum atque Hernicorum defectione: seditio, vnde minimè timeri potuit, à patriciæ gentis viro & inclytæ famæ M. Manlio Capitolino: qui nimius animis cum alios principes sperneret, vni inuideret, eximio simul honoribus atque virtutibus M. Furio: ægrè ferebat solum eum in magistratibus, solum apud exercitus esse: tantum iam eminere, vt iisdem auspiciis creatos non pro collegis, sed pro ministris habeat: cum interim, si quis verè æstimare velit, à M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi à se prius Capitolium atque arx seruata esset: & ille inter aurum accipiendum, & spem pacis solutis animis Gallos aggressus sit: ipse armatos capientésque arcem depulerit: illius gloriæ pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint, suæ victoriæ neminem omnium mortalium socium esse. His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens & impotens, postquàm inter patres, non quantum æquum censebat, excellere suas opes animaduertit: primùm omnium ex patribus popularis factus, cùm plebeiis magistratibus consilia communicare, criminando patres, alliciendo ad se plebem, iam aura non consilio ferri, famæque magnæ malle quàm bonæ esse: & non contentus agrariis legibus, quæ materia semper tribunis plebis seditionum fuisset, idem moliri cœpit acriores: quippe æris alieni stimulos esse, qui non egestatem modò atque ignominiam minentur, sed neruo ac vinculis corpus liberum territent: & erat æris alieni magna vis, res damnosissima etiam diuitibus, ædificando contracta. Bellum itaque Volscum graue per se, oneratum Latinorum atq; Hernicorum defectione in speciem causæ iactatum, vt maior potestas quæreretur. sed noua consilia Manlii magis compulere senatum ad dictatorem creandum. creatus A. Cornelius Cossus magistrum equitum dixit T. Quintium Capitolinum. Dictator etsi maiorem dimicationem propositam domi, quàm foris cernebat: tamen seu quia celeritate ad bellum opus erat, seu victoria triumphóque dictaturæ ipsi vires se additurum ratus, delectu habito in agrum Pomptinum, quò à Volscis exercitum iudictum audierat, pergit. Non dubito præter satietatem tot iam libris assidua bella cum Volscis gesta legentibus, illud quoque succursurum, quod mihi percensenti propiores temporibus harum rerum authores miraculo fuit, vnde toties victis Volscis & Aequis suffecerint milites. quod cum ab antiquis tacitum prætermissúmq; sit, cuius tandem ego rei, præter opinionem, quæ sua cuique coniectanti esse potest, author sim? Simile veri est, aut interuallis bellorum, sicut nunc in delectibus fit Romanis, alia atque alia sobole iuniorum ad bella instauranda toties vsos esse: aut non ex iisdem semper

B populis exercitus scriptos: quanquam eadem semper gens bellum intulerit: aut innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quæ nunc vix seminario exiguo militum relicto seruitia Romana ab solitudine vindicant. Ingens certè (quod inter omnes authores conueniat) quanquam nuper Camilli ductu atque auspicio accisæ res erant, Volscorum exercitus fuit. ad hoc Latini Hernicíque accesserant, & Circeiensium quidam, & coloni etiam à Velitris. Romanus dictator castris eo die positis, postero cum auspicatò prodisset, hostiáque cæsa pacem deûm adorasset, lætus ad milites iam arma ad propositum pugnæ signum, sicut edictum erat, luce prima capientes processit. Nostra victoria est, milites, inquit, si quid dii vatésque eorum in futurum vident. itaque vt decet certæ spei plenos, & cum imparibus manus conserturos, pilis ante pedes positis, gladiis tantùm dextram armemus: ne procurri quidem ab acie velim, sed obnixos vos stabili gradu impetum hostium excipere. vbi illi vana iniecerint missilia, & effusi stantibus vobis se intulerint, tum micent gladii, & veniat in mentem vnicuique deos esse, qui Romanum adiuuent: deos, qui secundis auibus in prælium miserint. Tu Quinti equitem intentus ad primum initium moti certaminis teneas: vbi hærere iam aciem collato pede videris, tum terrorem equestrem occupatis alio pauore infer: inuectúsque ordines pugnantium dissipa. Sic eques, sic pedes, vt præceperat, pugnant. nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem. Multitudo hostium nulli rei præter quàm numero freta & oculis, vtramque metiens aciem, temere prælium iniit, temere omisit: clamore tantum, missilibúsque telis, & primo pugnæ impetu ferox gladios & collatum pedem & vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit. Impulsa frons prima, & trepidatio subsidiis illata, & suum terrorem intulit eques. rupti inde multis locis ordines, motáque omnia, & fluctuanti similis acies erat. deinde postquàm cadentibus primis iam ad se quisque peruenturam cædem cernebat, terga vertunt. instare Romanus: & donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit. Postquam iactari arma passim, fugáque per agros spargi aciem hostium, animaduersum est: tum equitum turmæ emissæ, dato signo ne in singulorum morando cæde spatium ad euadendum interim multitudini darent: satis esse missilibus ac terrore impediri cursum, obequitandóque agmen teneri, dum assequi pedes & iusta cæde conficere hostem posset. fugæ, sequendíque non ante noctem finis fuit: capta quoque ac direpta eodem die castra Volscorum, prædáque omnis, præter libera corpora, militi concessa est. pars maxima captiuorum ex Latinis atque Hernicis fuit: nec hominum de plebe, vt credi posset mercede militasse, sed principes quidam iuuentutis inuenti, manifesta fides publica ope Volscos hostes adiutos. Circeiensium quoque quidam cogniti, & coloni à Velitris: Romámque omnes missi percunctantibus primoribus patrum eadem, quæ dictatori, defectionem sui quisque populi haud perplexè indicauere. Dictator exercitum in statiuis tenebat, minimè dubius bellum cum his populis patres iussuros: cum maior domi exorta moles, coegit acciri Romam eũ, gliscēte in dies seditione, quam solito magis metuend

M. Manlius Capitolinus seditionis author.

A. Cornelius Cossus dictator creatur.

Vnde Volscis & Aequis toties victis suffecerint milites.

Numerosus Volscorum exercitus.

Cornelij dictatoris oratio ad milites.

Volsci terga vertunt: eorum castra direpta.

Dictator Romam accitur ad opprimendam seditionem.

metuendam author faciebat. non enim iam orationes modò M. Manlii, sed facta popularia in speciem, tumultuosa eadem qua mente fierent, intuenda erant. Centurionem nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniæ cum duci vidisset, medio foro cum caterua sua accurrit, & manum iniecit: vociferatúsque de superbia patrum, ac crudelitate fœneratorum, & miseriis plebis, virtutibus eius A

Manlij Capitolini popularis liberalitas.

viri fortunáque, Tum verò ego, inquit, nequicquam hac dextra Capitolium arcémque seruauerim, si ciuem commilitonémque meum tanquam Gallis victoribus captum in seruitutem ac vincula duci videam. inde rem creditori palàm populo soluit: libráque & ære liberatum emittit, deos atque homines obtestantem vt M. Manlio liberatori suo, parenti plebis Romanæ, gratiam referant. acceptus extemplò in tumultuosam turbam & ipse tumultum augebat, cicatrices acceptas Veienti, Gallico, aliísque deinceps bellis ostentans: se militantem, se restituentem euersos penates multiplici iam sorte exoluta, mergentibus semper sortem vsuris obrutum fœnore esse: videre lucem, forum, ciuium ora, M. Manlii opera: omnia parentum beneficia ab illo se habere: illi deuouere corporis vitæque ac sanguinis quod supersit: quodcunque sibi cum patria, penatibus publicis ac priuatis iuris fuerit, id cum vno homine esse. His vocibus instincta plebes cum iam vnius hominis esset, addita alia commotioris ad omnia turbanda consilii res. fundum in Veienti, caput patrimonii, subiecit præconi, Ne quem vestrûm, inquit, Quirites, donec quicquam in re mea superetit, iudicatum addictúmue duci patiar. Id verò ita accendit animos, vt per omne fas ac nefas secuturi vindicē libertatis viderētur. ad hoc domi concionantis in modum sermones pleni criminum in patres: inter quos cum omisso discrimine vera an vana iaceret, thesauros Gallici auri occultari à patribus iecit: nec iam possidendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam quoque publicam auertant: ea res si palàm fiat, exolui plebem ære alieno posse. Quæ vbi obiecta spes est, enimuero indignum facinus videri, cum conferendum ad redimendam ciuitatem è Gallis aurum fuerit, tributo collationem factam: idem aurum ex hostibus captum in paucorum prædam cessisse. itaque exequebantur quærendo vbi tantæ rei furtum occultaretur: differentéque, & tempore suo se indicaturum dicente, cæteris omissis eò versæ erant omnium curæ: apparebátque nec veri indicii gratiam mediam, nec falsi offensionem fore. Ita suspensis rebus dictator accitus ab exercitu, in vrbem venit. postero die senatu habito, cum satis periclitatus voluntates hominum discedere senatum ab se vetuisset: stipatus ea multitudine sella in comitio

Dictator viatorem ad M. Manliū misit.

posita viatorem ad M. Manlium misit: qui dictatoris iussu vocatus, cum signum suis dedisset adesse certamen, agmine ingenti ad tribunal venit. hinc senatus, hinc plebs suum quisque intuentes ducem, velut in acie constiterant. Tum dictator silentio facto, Vtinam, inquit, mihi patribúsque Ro-

Dictatoris oratio in M. Manliū.

manis ita de cæteris rebus cum plebe conueniat: quemadmodum quod ad te attinet, eámque rem quam de te sum quæsiturus, conuenturum satis confido. Spem factam à te ciuitati video, fide incolumi B ex thesauris Gallicis, quos primores patrum occultent, creditum solui posse: cui ego rei tantum abest vt impedimento sim, vt contrà te, M. Manli adhorter: liberes fœnore plebem Romanam: & istos incubantes publicis thesauris ex præda clandestina euoluas. quod nisi facis, siue vt & ipse in parte prædæ sis, siue quia vanum indicium est, in vincla te duci iubebo, nec diutius patiar à te multitudinem fal-

M. Manlij responsio.

laci spe concitari. Ad ea Manlius nec se fefellisse ait non aduersus Volscos toties hostes, quoties patribus expediat: nec aduersus Latinos Hernicósq;, quos falsis criminibus in arma agant: sed aduersus se ac plebem Romanam dictatorem creatum esse: iam omisso bello, quod simulatum sit, in se impetum fieri: iam dictatorem profiteri patrocinium fœneratorum aduersus plebem: iam sibi ex fauore multitudinis crimen & perniciem quæri. Offendit, inquit, te A. Corneli, vósque patres conscripti, circumfusa turba lateri meo? quin eam diducitis à me singuli vestris beneficiis? intercedendo, eximendo de neruo ciues vestros, prohibendo iudicatos addictósque duci, ex eo quod affluit opibus vestris sustinendo necessitates aliorum? Sed quid ego vos de vestro impendatis hortor? sortem aliam ferte, de capite deducite quod vsuris pernumeratum est: iam nihilo mea turba, quàm vllius conspectior erit. At enim quid ita solus ego ciuium curam ago? nihilo magis quod respondeam habeo, quàm si quæras quid ita solus Capitolium arcémque seruarim: & tum vniuersis quam potui, opem tuli, & nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. cur enim quæritis quod scitis? cur quod in sinu vestro est, excuti iubetis potius, quàm ponatis? nisi aliqua fraus subest. quo magis argui præstigias iubetis vestras, eo plus vereor ne abstuleritis obseruantibus etiam oculos. Itaque non ego vobis vt indicem prædas vestras, sed vos id cogendi estis, vt in medium proferatis. Cùm mittere ambages dictator iuberet, & aut peragere verum indicium cogeret, aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus, oblatæque vani furti inuidiæ: negantem arbitrio inimicorum se

M. Manlius in vincula à dictatore duci iubetur.

locuturum, in vincula duci iussit. Arreptus à viatore, Iupiter, inquit, optime maxime, Iunóque regina, ac Minerua, cæteríque dii deæque, qui Capitolium arcémq; incolitis, siccine vestrum militem ac præsidem sinitis vexari ab inimicis? hæc dextra, qua Gallos fudi à delubris vestris, iam in vinculis & catenis erit? Nullius nec oculi, nec aures indignitatē ferebant: sed inuita sibi quædā patientissima insti imperii ciuitas fecerat: nec aduersus dictatoriā vim aut tribuni plebis, aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebāt. Coniecto in carcerē Manlio, satis cōstat magnā partē plebis vestem mutasse, multos

Dictatoris triumphus.

mortales capillū ac barbā promisisse, obuersatamq; vestibulo carceris mœstā turbā. Dictator de Volscis triūphauit: inuidíæq; magis triūphus, quàm gloriæ fuit. quippe domi, nō militiæ partū eū: actúmque de ciue, non de hoste fremebāt: vnum defuisse tantùm superbiæ, quòd non M. Manlius ante currū sit ductus. Iámque haud procul seditione res erat: cuius leniendæ causa postulante nullo largitor voluntarius repentè senatus factus, Satricum coloniam duo millia ciuiū Romanorum deduci iussit. bina

rugera

A iugera & semisses agri assignati. Quod cum & parum & paucis datum, & mercedem esse prodendi M. Manlii interpretarentur, remedio irritatur seditio: & iam magis insignis sordibus & facie reorum turba Manliana erat: amotúsque post triumphum abdicatione dictaturæ terror & linguam & animos liberauerat hominum. audiebantur itaque propalàm voces exprobrantium multitudini, quòd defensores suos in præcipitem semper locum fauore tollat, deinde in ipso discrimine periculi destituat. sic Sp. Cassium in agros plebem vocantem, sic Sp. Melium ab ore ciuium famem suis impensis propulsantem oppressos: sic M. Manlium mersam & obrutam fœnore partem ciuitatis in libertatem ac lucem extrahentem proditum inimicis. saginare plebem populares suos vt iugulentur. hoccine patiendum fuisse, si ad nutum dictatoris non responderit vir consularis? fingerent mentitum antè, atque ideò non habuisse quod tum responderet: cui seruo vnquam mendacii pœnam vincula fuisse? Non obseruatam esse memoriam noctis illius, quæ penè vltima atque æterna nomini Romano fuerit: non speciem agminis Gallorum per Tarpeiam rupem scandentis: non ipsius M. Manlii, qualem eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso penè Ioue erepto ex hostium manibus vidissent. selibrísne farris gratiam seruatori patriæ relatam? & quem propè cælestem; cognomine certè Capitolino Ioui parem fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? adeò in vno omnibus satis auxilii fuisse, nullam opem in tam multis vni esse? Iam ne nocte quidem turba ex eo loco dilabebatur: refracturósque carcerem minabantur: cum remisso, id quod erepturi erant, ex senatusconsulto Manlius vinculis liberatur. quo facto non seditio finita, sed dux seditioni datus est. per eosdem dies Latinis & Hernicis, simul colonis Circeiensibus, & à Velitris purgantibus se Volsci crimine belli, captiosósque repetentibus vt suis legibus in eos animaduerterent, tristia responsa reddita: tristiora colonis, quòd ciues Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia iniissent. Non negatum itaque tantùm de captiuis: sed, in quo ab sociis tamen temperauerant, denuntiatum senatus verbis, facesserent propè ex vrbe ab ore atque oculis populi Romani: ne nihil eos legationis ius, externo non ciui comparatum, tegeret. Recrudescente Manliana seditione, sub exitu anni comitia habita, creatique tribuni militum consulari potestate Sergius Cornelius Maluginensis secundùm, P. Valerius Potitus iterum, M. Furius Camillus quintùm, Seruius Sulpitius Rufus iterum, C. Papyrius Crassus, T. Quintius Cincinnatus secundùm. Cuius principio anni & patribus & plebi peropportunè externa pax data: plebi, quòd non auocata delectu spem cepit, dum tam potentem haberet ducem, fœnoris expugnandi: patribus, ne quo externo terrore auocarentur animi ab sanandis domesticis malis. Igitur cum pars vtraque acrior aliquanto coorta esset, iam in propinquum certamen aderat: & Manlius aduocata domum plebe cum principibus no-

B uandarum rerum interdiu noctúque consilia agitat, plenior aliquanto animorum irarúmque, quàm anteà fuerat, iram accenderat ignominia recens in animo ad contumeliam inexperto. spiritus dabat, quòd nec ausus esset idem in se dictator, quod in Sp. Melio Cincinnatus Quintius fecisset: & vinculorum suorum inuidiam non dictator modò abdicando dictaturam fugisset, sed ne senatus quidem sustinere potuisset. His simul inflatus, exacerbatúsque, iam per se accensos incitabat plebis animos: Quousque tandem ignorabitis vires vestras, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit? numerate saltem quot ipsi sitis, quot aduersarios habeatis: si singuli singulos aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quàm illos pro dominatione certaturos. quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc aduersus vnum hostem eritis. ostendite modò bellum, pacem habebitis. videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent. audendum est aliquid vniuersis, aut omnia singulis patienda. Quousq; me circunspectabitis? ego quidem nulli vestrûm deero. ne fortuna mea desit, videte. ipse vindex vester vbi visum inimicis est, nullus repentè fui, & vidistis in vincula duci vniuersi eum qui à singulis vobis vincula depuleram. quid sperem, si plus in me audeant inimici? an exitum Cassii Meliíque expectem? bene facitis quòd abominamini: dii prohibebunt hæc: sed nunquam propter me de cælo descendent: vobis dent mentem oportet, vt prohibeatis: sicut mihi dederunt armato togatóque, vt vos à barbaris hostibus, à superbis defenderem ciuibus. Tam paruus animus tanti populi est, vt semper vobis auxilium aduersus inimicos satis sit? nec vllum, nisi quatenus imperari vobis sinatis, certamen aduersus patres noritis? nec hoc natura insitum vobis est, sed vsu possidemini. cur enim aduersus externos tantum animorum geritis, vt imperare illis æquum censeatis? quia consuestis cum eis pro imperio certare, aduersus hos tentare magis, quàm tueri libertatem. tamen qualescunque duces habuistis, qualescunque ipsi fuistis, omnia adhuc quantacunque petistis, obtinuistis, seu vi, seu fortuna vestra. tempus est etiam maiora conari, experimini modò & vestram felicitatem, & me (vt spero) feliciter expertum: minore negotio qui imperet patribus imponetis, quàm qui resisterent imperantibus, imposuistis. Solo æquandæ sunt dictaturæ consulatúsque, vt caput attollere Romana plebes possit. Proinde adeste, prohibete ius de pecuniis dici. ego me patronum profiteor plebis, quod mihi cura mea & fides nomen induit. vos si quo insigni magis imperii honorísue nomine vestrum appellabitis ducem, eo vtemini potentiore ad obtinenda ea quæ vultis. Inde de regno agendi ortum initium dicitur: sed nec cum quibus, nec quem ad finem consilia peruenerint, sat planum traditur. At in parte altera senatus de secessione in domum priuatam plebis, fortè etiam in arce positâ, & imminenti mole libertati agitat. magna pars vociferantur, Seruilio Hala opus esse, qui non in vincula duci iubendo irritet publicum hostem, sed vnius iactura ciuis finiat intestinum bellum. decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eandem habentem, vt videant magistratus, ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii respublica detrimenti capiat. Tum tribuni consulari potestate tribuniq; plebis (nam & quia eundem

Plebis ob Manliū uinctum indignatio.

Manlius uinculis liberatur.

Latinis & Hernicis tristia responsa à Senatu redduntur.

Seditiosa M. Manlij oratio ad plebem.

Manlius regnum affectat.

Senatus de opprimendis Manlij consilijs agitat.

eundem & ſuæ poteſtatis quem libertatis omnium finem cernebant, patrum authoritati ſe dedide- A
tant) hi tum omnes quid opus facto ſit, conſultant. Cum præter vim & cædem nihil cuiquam oc-
enrreret, eam autem ingentis dimicationis fore appareret: tum M. Menenius & Q. Publius trib. pl.
Quid patrum & plebis certamen facimus, quod ciuitatis eſſe aduerſus vnum peſtiferum ciuem de-
bet? quid cum plebe aggrediniur eum, quem per ipſam plebem tutius aggredi eſt, vt ſuis ipſe one-
ratus viribus ruat? diem dicere ei, nobis in animo eſt. nihil minus populare quàm regnum eſt. ſi-
mul multitudo illa non ſecum certari viderint, & ex aduocatis iudices facti erunt, & accuſatores de
plebe, patricium reum intuebuntur, & regni crimen in medio: nulli magis quàm libertati faue-
bunt ſuæ. Approbantibus cunctis, diem Manlio dicunt. quod vbi eſt factum, primò commota plebs
eſt, vtique poſtquam ſordidatum reum videront: nec cum eo non modò patrum quenquam, ſed ne
cognatos quidem aut affines, poſtremò ne fratres quidem A. & T. Manlios: quòd ad eum diem nun-
quam vſu veniſſet, vt in tanto diſcrimine non & proximi veſtem mutarent. Appio Claudio in vincu-
la ducto, C. Claudium inimicum, Claudiámque omnem gentem ſordidatam fuiſſe. conſenſu opprimi
popularem virom, quòd primus à patribus ad plebem defeciſſet. Cum dies venit, quæ præter cœtus
multitudinis ſeditioſáſque voces & largitionem & fallax indicium, pertinentia propriè ad regni cri-
men, ab accuſatoribus obiecta ſint reo, apud neminem authorem inuenio. nec dubito haud parua fuiſ-
ſe, cum damnandi mora plebi non in cauſa, ſed in loco fuerit. Illud notandum videtur, vt ſciant homi-
nes quæ & quanta decora fœda cupiditas regni, non ingrata ſolum, ſed inuiſa etiam reddiderit. Homi
nes propè cccc. produxiſſe dicitur, quibus ſine fœnore expenſas pecunias tuliſſet, quorum bona ve-
nire, quns duci additos prohibuiſſet. ad hæc decora quoq; belli nnn commemoraſſe tantum, ſed pro-
tuliſſe etiam conſpicienda, ſpolia hoſtium cæſorum ad xxx. dona imperatorum ad xl. in quibus inſi-
gnes duas murales coronas, ciuicas octo. ad hoc ſeruatos ex hoſtibus ciues produxiſſe, inter quos C.
Seruilium magiſtrum equitum abſentem nominatum. & cum ea quoque quæ bello geſta eſſent, pro
faſtigio rerom oratione etiam magnifica facta dictis æquando memoraſſet: nudaſſe pectus inſigne ci-
catricibus bello acceptis: & identidem Capitolium ſpectans, Iouem deóſque alios deuocaſſe ad auxi-
lium fortunarum ſuarum: precatúſque eſſe vt quam mentem ſibi Capitolinam arcem protegenti ad
ſalutem populi Romani dediſſent, eam populo Romano in ſuo diſcrimine darent: & oraſſe ſingulos
vniuerſóſque vt Capitolium atque arcem intuentes, vt ad deos immortales verſi de ſe iudicarent. In
campo Martio cum centuriatim populus citaretur, & reus ad Capitolinm manus tendens ab homi-
nibus ad deos preces auertiſſet: apparuit tribunis, niſi oculos quoque hominum liberaſſent à tanti
memoria decoris, nunquã fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locũ. ita producta die,
in Petelinum lucum extra portam Flnmentanam, vnde conſpectus in Capitoliũ non eſſet, concilium B
populi indictum eſt. ibi crimen valuit, & obſtinatis animis triſte iudicinm, inuiſúmque etiam iudi-
cibus factum. ſunt qui duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos, authores ſint. Damna-
tum tribuni de ſaxo Tarpeio deiecerunt: locúſque idem in vno homine & eximiæ gloriæ monimen-
tum, & pœnæ vltimæ fuit. Adiectæ mortuo notæ ſunt. publica vna, quòd cum domus eius fuiſſet, vbi
nunc ædes atque officina Monetæ eſt, latum ad populum eſt, ne quis patricius in arce, aut Capitolio
habitaret. gentilitia altera, quòd gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde M. Manlius vo-
caretur. Hunc exitum habuit vir, niſi in libera ciuitate natus eſſet, memorabilis. Populum breui
poſtquam periculum ab eo nullum erat, per ſeipſas recordantem virtutes deſiderium eius tenuit. pe-
ſtilentia etiam breui conſecuta, nullis occurrentibus tantæ cladis cauſis, ex Manliano ſupplicio ma-
gnæ parti videri orta. violatum Capitolium eſſe ſanguine ſeruatoris. nec diis cordi fuiſſe pœnam eius
oblatam propè oculis ſuis, à quo ſua templa erepta è manibus hoſtium eſſent. Peſtilentiam, inopiam
frugum, & vulgatam vtriuſque mali famam, anno inſequente multiplex bellum excepit, L. Valerio
IIII, A. Manlio III, Ser. Sulpitio III, L. Lucretio, L. Aemylio III, M. Trebonio, tribunis militum
conſulari poteſtate. Hoſtes noui, præter Volſcos velut ſorte quadam propè in æternum exercendo
Romano militi datos, Circeióſque & Velitras colonias iamdiu mnlientes defectionem, & ſuſpe-
ctum Latium, Lanuuini etiam, quæ fideliſſima vrbs fuerat, ſubitò exorti. Id patres rati contemptu
accidere, quòd Veliternis ciuibus ſuis tamdiu impunita defectio eſſet, decreuerunt vt primo quo-
que tempore ad populum ferretur de bello eis indicendo. ad quam militiam quò paratior plebes eſ-
ſet, quinqueuiros Pomptino agro diuidendo, & triumuiros Nepete coloniæ deducendæ creauerunt.
Tum vt bellum iuberent, latum ad populum eſt: & nequicquam diſſuadentibus tribunis plebis, o-
mnes tribus bellum iuſſerunt. Apparatum eo anno bellum eſt, exercitus propter peſtilentiam non
eductus: eáque cunctatio colonis ſpatium dederat deprecandi ſenatum, & magna hominum pars
eò, vt legatio ſupplex Romam mitteretur, inclinabat: ni priuato (vt fit) periculo publicum implicitum
eſſet, authoréſq; defectionis ab Romanis, metu ne ſoli crimini ſubiecti piacula iræ Romanorum dede
rentur, auertiſſent colonias à cõſiliis pacis. neq; in ſenatu ſolũ per eos legatio impedita eſt, ſed magna
pars plebis incitata, vt prædatum in agrum Romanum exirent. hæc noua iniuria exturbauit omnem
ſpem pacis. De Prænestinorum quoque defectione eo anno primùm fama exorta: arguentibúſq; eos
Thuſculanis, & Gabinis, & Labicanis, quorũ in fines incurſatũ erat, ita placide ab ſenatu reſpõſum eſt,
vt minus credi de criminibus, quia nollẽt ea vera eſſe, appareret. Inſequẽti anno Sp. & L. Papyrii noui
tribuni militũ cõſulari poteſtate Velitras legiones duxêre, quatuor collegis Ser. Cornelio Maluginẽſe
IIII, Q. Seruilio, C. Sulpitio, L. Aemylio quartùm, tribunis ad præſidiũ vrbis, & ſi qui ex Hetruria noui
motus nuntiarẽtur (omnia enim inde ſuſpecta erãt) relictis. Ad Velitras aduerſus maiora penè auxilia
Præne

Tribuni plebis diem M. Manlio dicunt.

Quæ ita Manlij decora cupiditas regni omnibus inuiſa reddiderit.

M. Manlius damnatus de ſaxo. Tarpeio deijcitur.

Mãlio mortuo adiectæ etiam notæ.

Peſtilentia.

A Prænestinorum, quàm ipsam colonorũ multitudinem secundo prælio pugnatũ est: ita vt propinquitas vrbis hosti & causa maturioris fugæ, & vnum ex fuga receptaculum esset. Oppidi oppugnatione tribuni abstinuêre, quia & anceps erat: nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Literæ Romam ad senatum cum victoriæ nuntiis acriores in Prænestinum, quàm in Veliternum hostem missæ. Itaque ex senatusconsulto, populíque iussu, bellum Prænestinis indictum: qui coniuncti Volscis anoo insequente Satricum coloniam populi Romani pertinaciter à colonis defensam vi expugnarunt, fœdéque in captis exercuere victoriam. Eam rem ægrè passi Romani, M. Furium Camillum VII tribunum militum creauere. additi collegæ, A. & L. Posthumii Regillenses, ac L. Furins cum L. Lucretio, & M. Fabio Ambusto. Volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum. adiutor ex tribunis sorte L. Furius datur, oon tam è Republ. quàm vt collegæ materia ad omnem laudem esset: & publicè, quòd rem temeritate eius prolapsam restituit: & priuatim, quòd ex errore gratiam potius eius sibi qnàm suam gloriam petiit. Exactæ iam ætatis Camillus erat: comitiísque iurare parato io verba excusandæ valetudini solita consensus popnli restiterat. sed vegetum ingenium iu viuido pectore vigebat virebátque integris sensibus, & ciuiles iam res haud magnopere obeuntem bella excitabant. Quatuor legionibus quaternûm millium scriptis, exercitu indicto ad portam Esquilinam in posteram diem, ad Satricum profectus. ibi eum expugnatores colooiæ haudquaquam perculsi, fidentes militum numero, quo aliquantum præstabant, opperiebantur, postquam appropinquare Romanos senserunt, extemplò in aciem procedunt, nihil dilaturi quin periculum summæ rerum facerent. ita paucitati hostium nihil artes imperatoris vnici, quibns solis confiderent, profuturas esse. Idem ardor & in Romano exercitu erat, & in altero duce: nec præsentis dimicationis fortunam vlla res, præterquam vnius viri consilium atque imperium morabatur, qui occasionem iuuandarum ratione virium trahendo bello quærebat. eo magis hostis instare: nec iam pro castris tantùm suis explicare aciem, sed procedere in medium campi, & vallo prope hostium signa inferendo, superbam fiduciam virium ostentare. Id ægrè patiebatur Romanus miles: multò ægrius alter ex tribunis militum L. Furius, ferox cùm ætate & ingenio, tum multitudinis ex incertissimo sumentis animos spe inflatus. hic per se iam milites incitatos insuper instigabat eleuando, qua vna poterat, ætate, authoritatem collegæ: iuuenibus bella data dictitans, & cum corporibus vigere & deflorescere animos. cunctatorem ex acerrimo bellatore factum: & qui adueniens castra vrbésque primo impetu capere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere: quid accessurum suis, decessurúmve hostium viribus sperantem? quam occasionem? quod tempus? quem insidiis instruentem locum? frigere ac torpere senis consilia. sed Camillo tum vitæ satis, tum gloriæ esse. quid attinere cum mortali corpore

B vno, ciuitatis, quam immortalem esse deceat, pati consenescere vires? His sermonibus tota in se auerterat castra. & cum omnibus locis posceretur pugna: Sustinere, inquit, M. Furi non possumus militum impetum: & hostis, cuius animos cunctando auximus, iam minimè toleranda superbia insultat. cede vnus oomnibus, & pátere te vinci consilio, vt maturius bello vincas. ad ea Camillus: Quæ bella suo vnins auspicio gesta ad eam diem essent, negare in eis neque se, neque populum Romanum aut consilii sui, aut fortunæ pœnituisse. nunc scire se collegam habere iure imperióque parem, vigore ætatis præstantem, itaque se quod ad exercitum attineat, regere consuesse, oon regi. collegæ imperium se non posse impedire. diis bene iuuantibns ageret, quod è republica duceret. ætati suæ se veniam etiam petere, ne in prima acie esset. quæ senis munia in bello sint, iis se non defuturum. Id à diis immortalibus precari, ne qui casus suum consilium laudabile efficiat. Nec ab hominibus salutaris sententia, oec à diis tam piæ preces auditæ sunt: primam aciem author pugnæ instruit, subsidia Camillos firmat, validámque stationem pro castris opponit. ipse edito loco spectator intentus in euentu alieni consilii constitit. Simul primo concursu concrepuere arma, hostis dolo, non metu pedem retulit. Lenis à tergo cliuus erat inter aciem & castra: & quòd multitudo suppeditabat, aliquot validas cohortes in castris armatas instructásque reliquerant, quæ inter commissum iam certamen, vbi vallo appropinquasset hostis, erumperent. Romanus cedentem hostem effusè sequendo in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit. versus itaqne in victorem terror, & nouo hoste, & supina valle Romanam inclinauit aciem. Instant Volsci recentes, qui è castris impetum fecerant: integrant & illi pugnam, qoi simulata cesserant fuga. Iam non recipiebat se Romanus miles, sed immemor recentis ferociæ veterísque decoris, terga passim dabat, atque effuso cursu castra repetebat: cum Camillus sublatus à circumstantibus in equum, & raptim subsidiis oppositis, Hæc est, inquit, milites pugna quam poposcistis? quis homo, quis deus est, quem accusare possitis? vestra illa temeritas, vestra ignauia hæc est. secuti alium ducem, sequimini nuoc Camillum: &, qnod ductu meo soletis, vincite. quid vallum & castra spectatis? neminem vestrûm illa, oisi victorem, receptura sunt. Pudor primò tenuit effusos: inde vt circumagi signa, obuertíque aciem viderunt in hostem, & dux præterquàm quòd tot insignis triumphis etiam ætate venerabilis inter prima signa, vbi plurimus labor periculúmque erat, se offerebat: increpare singuli se qoisque & alios, & adhortatio inuicem totam alacri clamore peruasit aciem. Neque alter tribunus rei defuit: sed missus à collega restituente peditum acié ad equites, non castigando (ad quam rem leuiorem authorem eum culpæ societas fecerat) sed ab imperio totus ad preces versus, orare singulos vniuersósque: vt se reum fortunæ eius diei crimine eximerent. Abnuente ac prohibente collega, temeritatis me omnium potius socium, quàm vnius prudentiæ dedi. Camillus iu vtraque vestra fortuna suam gloriam videt: ego ni restituitur pugna (quod miserrimum est) fortunam cum omnibus, infamiã solus sentiam. Optimum visum est in fluctuantem aciem

Ad Veliteras feliciter pugnatũ est a Romanis.

Volscum bellum Camillo decernitur.

Camillus ad Satricum cũ quatuor legionibus proficiscitur.

L. Furius Camilli collega cunctationis impatiens.

Fugientem exercitũ Camillus excipit.

A

aciem tradi equos,& pedeſtri pugna inuadere hoſtem.eunt inſignes armis animíſq;,qua premi parte maximè peditum copias vident: nihil neque apud duces, neque apud milites remittitur à ſummo certamine animi.

Volſci uincuntur uirtute Camilli.

Senſit ergo euentus virtutis enixæ opem:& Volſci,qua modò ſimulato metu ceſſerant,ea in veram fugam effuſi,magna pars & in ipſo certamine,& pòſt in fuga cæſi: cæteri in caſtris, quæ capta eodem impetu ſunt, plures tamen capti, quàm occiſi. Vbi in recenſendis captiuis cum Thuſculani aliquot noſcitarentur, ſecreti ab aliis ad tribunos adducuntur: percunctantibúſque faſsi publico conſilio ſe militaſſe. Cuius tam vicini belli metu Camillus motus, extemplò ſe Romam captiuos ducturum ait,ne patres ignari ſint Thuſculanos ab ſocietate deſciſſe:caſtris exercituíque interim, ſi videatur,præſit collega. documento vnus dies fuerat,ne ſua conſilia melioribus præferret. nec tamē aut ipſi,aut in exercitu cuiquam ſatis placato animo Camillus laturus culpam eius videbatur, qua data in tam præcipitem caſum reſpublica eſſet.& tum in exercitu, tum Romæ conſtans omnium fama erat,cùm varia fortuna in Volſcis geſta res eſſet: aduerſæ pugnæ fugæque in L.Furio culpam,ſecundæ decus omne penes M.Furium eſſe. Introductis in ſenatum captiuis,cum bello perſequendos Thuſculanos patres cenſuiſſent, Camillóque id bellum mandaſſent: adiutorem ſibi ad eam rem vnum petit: permiſſóque vt ex collegis optaret,quem vellet,contra ſpem omnium L.Furium optauit.

Camilli inſignis candor erga Collegam L.Furium.

Qua moderatione animi cùm collegæ leuauit infamiam,tum ſibi gloriam ingentem peperit. Nec fuit cum Thuſculanis bellum. pace conſtanti vim Romanam arcuerunt, quam armis non poterant.

Qua arte Thuſculani fidos ſe Romanis ſocios ſemper fuiſſe oſtenderunt.

Intrantibus fines Romanis,non demigratum ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermiſſus: patentibus portis vrbis togati obuiā frequētes imperatoribus proceſſere: cómeatus exercitui comiter in caſtra ex vrbe & ex agris deuehitur. Camillus caſtris ante portas poſitis, eadémne forma pacis, quæ in agris oſtētaretur,etiā intra mœnia eſſet, ſcire cupiēs, ingreſſus vrbē, vbi patētes ianuas, & tabernis apertis propoſita omnia in medio vidit, intentóſq; opificeſ ſuo quemq; operi,& ludos literarū ſtrepere diſcentiū vocibus: ac repletas ſemitas inter vulgus aliud puerorum & mulierū huc atque illuc euntiū, quà quenque ſuorum vſuum cauſæ ferrent: nihil vſquam non pauidis modò, ſed ne mirantibus quidem ſimile circumſpiciebat, omnia inquirens oculis, ubínam bellum fuiſſet. adeò nec amotæ rei vſquam,nec oblatæ ad tempus veſtigium vllum erat: ſed ita omnia conſtanti tranquilla pace, vt eò vix fama belli perlata videri poſſet. Victus igitur patientia hoſtium, ſenatum eorum vocari iuſsit.

Camilli oratio ad Thuſculanos.

Soli adhuc, inquit, Thuſculani vera arma, veráſque vires, quibus ab ira Romanorum veſtra tutaremini, inueniſtis. ite Romā ad ſenatū. æſtimabunt patres, vtrum plus antè pœnæ, an nūc veniæ meriti ſitis. nō præcipiam gratiam publici beneficii. deprecandi poteſtatem à me habueritis, precibus euentum veſtris ſenatus, quem videbitur dabit. Poſtquam Romam Thuſculani venerunt, ſenatúſque paulo antè fidelium ſociorum mœſtus in veſtibulo curiæ eſt conſpectus: moti extemplò patres, vocari eos iam tum

B

hoſpitaliter magis, quàm hoſtiliter iuſſere.

Thuſculani dictatoris in Senatu oratio.

Dictator Thuſculanus ita verba fecit: Quibus bellum indixiſtis, intuliſtiſque, patres conſcripti, ſicut nunc videtis nos ſtantes in veſtibulo curiæ veſtræ, ita armati paratíque obuiam imperatoribus legionibúſque veſtris proceſsimus. hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, erítque ſemper, niſi ſi quando à vobis, proque vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus veſtris, & exercitibus, quòd oculis magis quàm auribus crediderūt: & vbi nihil hoſtile erat, ne ipſi quidem fecerunt, pacem quam nos præſtitimus, eam à vobis petimus: bellum eò, ſic vbi eſt, auertatis precamur. In nos quid arma polleant veſtra, ſi patiendo experiundum eſt, inermes experiemur: hæc mens noſtra eſt, dii immortales faciant, tam felix quàm pia. Quòd ad crimina attinet, quibus moti bellum indixiſtis: & ſi reuicta rebus, verbis confutare nihil attinet, tamen etiamſi vera ſint, vel fateri nobis ea, cum tam euidenter pœnituerit, tutum cenſemus. peccetur in vos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat. Tantum ferè verborum ab Thuſculanis factum.

Thuſculani pacem, deinde ciuitatē impetrauerunt.

pacem in præſentia, nec ita multò pòſt ciuitatem etiam impetrauerunt. ab Thuſculo legiones reductæ. Camillus conſilio & virtute in Volſco bello, felicitate in Thuſculana expeditione, vtrobique ſingulari aduerſus collegam patientia & moderatione inſignis, magiſtratu abiit: creatis militaribus tribb. in inſequentē annum L.& P. Valeriis, Lucio v, Publio III,& C.Sergio III, Licinio Menenio II, P, Papyrio, Sergio Cornelio Maluginenſe. Cenſoribus quoque eguit annus, maxime propter incertam famam æris alieni, aggrauantibus ſummam etiam inuidiæ eius tribunis plebis, cum ab iis eleuaretur, quibus fide magis quàm fortuna debentium laborare creditum videri expediebat.

Cenſores creantur.

Creati cenſores, C.Sulpitius Camerinus, Sp.Poſthumius Regillenſis. cœptáque iam res morte Poſthumii, quia collegam ſuffici cenſori religio erat, interpellata eſt. igitur cùm Sulpitius abdicaſſet ſe magiſtratu, cenſores alii vitio creati non geſſerunt magiſtratum. tertios creari, velut diis non accipientibus in eum annum cenſuram, religioſum fuit.

Tribunorū ſeditio.

Eam verò ludificationem plebis tribuni ferendam negabant. Fugere. ſenatum, teſtes, tabulas publicas, cenſus cuiuſque, quia nolint conſpici ſummam æris alieni, quæ indicatura ſit demerſam partem à parte ciuitatis: cùm interim obæratam plebem obiectari aliis atque aliis hoſtibus, paſsim iam ſine vllo diſcrimine bella quæri: ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Thuſculum legiones ductas. Latinis, Hernicis, Præneſtinis, iam intentari arma, ciuium magis quàm hoſtium odio, vt in armis terant plebem: nec reſpirare in vrbe, aut per otium libertatis meminiſſe ſinant: aut conſiſtere in concione, vbi aliquando audiant vocem tribunitiam de leuando fœnore,& fine aliarum iniuriarum agentem. Quod ſi ſit animus plebi memor patrum libertatis, ſe nec addici quenquam ciuem Romanum ob creditam pecuniam paſſuros: neque delectum haberi, donec inſpecto ære alieno, initáque ratione minuendi eius, ſciat vnuſquiſque quid ſui, quid alieni ſit: ſuperſit ſibi liberum corpus, an id quoque neruo debeatur. Merces ſeditionis propoſita confeſtim ſeditionem excitauit. nam & addicebantur multi, &

ad Præ

A ad Præneſtini famam belli nouas legiones ſcribendas patres cenſuerant. quæ vtraque ſimul auxilio tribunitio,& conſenſu plebis impediri cœpta. nam neque duci addictos tribuni ſinebant, neque iuniores nomina dabant,cùm patribus minor præſens cura creditæ pecuniæ iuris exequendi,quàm delectus eſſet:quippe iam à Præneſte profectos hoſtes in agro Sabino conſediſſe, nunciabatur: interim tribunos plebis fama ea ipſa irritauerat magis ad ſuſceptum certamen, quàm deterruerat.neque aliud ad ſeditionem extinguendam in vrbe,quàm propè illatum mœnibus ipſis bellum valuit. Nam cùm eſſet Præneſtinis nunciatum,nullum exercitum conſcriptum Romæ, nullum ducem certum eſſe, patres ac plebem in ſemetipſos verſos: occaſionem rati duces eorum,raptim agmine facto peruaſtatis protinus agris ad portam Collinam ſigna intulere. Ingens in vrbe trepidatio fuit, conclamatum ad arma,concurſúmque in muros atque portas eſt:tandémque ab ſeditione ad bellum verſi, dictatorem T.Quintium Cincinnatum creauere.Is magiſtrum equitum A.Sempronium Atratinum dixit.Quod vbi auditum eſt, (tantus eius magiſtratus terror erat) ſimul hoſtes à mœnibus receſſere, & iuniores Romani ad edictum ſine detrectatione cōuenere.Dum conſcribitur Romæ exercitus, caſtra interim hoſtium haud procul Allia flumine poſita.inde agrum latè populantes, fatalem ſe vrbi Romanæ locum cepiſſe inter ſe iactabant:ſimilem pauorem inde ac fugam fore, ac bello Gallico fuerit. etenim ſi diem contactum religione, inſignémque nomine eius loci timeant Romani, quanto magis Alliensi dic Alliam ipſam monumentum tantæ cladis reformidaturos? ſpecies profectò his ibi truces Gallorum,ſonúmque vocis,in oculis atque in auribus fore.Has inanium rerum inanes ipſas voluentes cogitationes,fortunæ loci delegauerant ſpes ſuas. Romani contrà, vbicunque eſſet Latinus hoſtis, ſatis ſcire eum eſſe,quem ad Regillum lacum deuictum,centum annorum pace obnoxia tenuerint.locum inſignem memoria cladis irritaturum ſe potius ad delendam memoriam dedecoris, quàm vt timorem faciat,ne qua terra ſit nefaſta victoriæ ſuæ.quin ipſi Galli ſi offerantur,illo loco ſe ita pugnaturos, vt Romæ pugnauerint in repetenda patria,vt poſtero die ad Gabios:tunc cum effecerint,ne quis hoſtis qui mœnia Romana intraſſet,nuntiū ſecundæ aduerſæque fortunæ domum perferret. His vtrinq; animis ad Alliam ventum eſt. Dictator Romanus, poſtquàm in conſpectu hoſtes erant inſtructi, intentique, Vidéſne tu, inquit, A.Semproni, loci fortuna illos fretos ad Alliam conſtitiſſe? nec illis dii immortales certioris quicquam fiduciæ, maioríſve quod ſit auxilii, dederint. at tu fretus armis animíſque,concitatis equis inuade mediam aciem: ego cum legionibus in turbatos, trepidantéſque inferam ſigna.Adeſte dii teſtes fœderis,& expetite pœnas debitas ſimul vobis violatis, nobíſque per veſtrum numen deceptis.Non equitem,nō peditem ſuſtinuere Præneſtini. primo impetu ac clamore diſsipati ordines ſunt:deinde,poſtquam nullo loco conſtabat acies,terga uertunt: conſternatique,&

B præter caſtra etiam ſua pauore prælati,non prius ſe ab effuſo curſu ſiſtunt, quàm in conſpectu Præneſte fuit.ibi ex fuga diſsipati locum,quem tumultuario opere communirent,capiunt: ne, ſi intra mœnia ſe recepiſſent,extemplò vreretur ager,depopulatíſque omnibus obſidio vrbi inferretur.Sed poſtquam direptis ad Alliam caſtris victor Romanus aderat, id quoque munimentum relictum: & vix mœnia tuta rati,oppido ſe Præneſte includunt. Octo præterea oppida erant ſub ditione Præneſtinorum. ad ea circumlatum bellum: deincépſque haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus. ea quoque expugnatæ. tum ad caput belli Præneſte ventum. id non vi, ſed per deditionem receptum eſt. T.Quintius ſemel acie victor, binis caſtris hoſtium, nouem oppidis vi captis, Præneſte in deditionem accepto, Romam reuertit: triumphánſque ſignum Præneſte deuectum Iouis imperatoris in Capitolium tulit. dedicatum eſt inter cellam Iouis ac Mineruæ: tabuláque ſub eo fixa, monumentum rerum geſtarum his fermè inciſa literis fuit: Iupiter, atque diui omnes hoc dederunt, vt T.Quintius dictator oppida nouem caperet. Die xx, quam creatus erat,dictatura ſe abdicauit.Comitia inde habita tribunorum militum conſulari poteſtate: quibus æquatus patriciorum plebeiorúmque numerus. Ex patribus creati, P.& C.Manlii cum L.Iulio: plebes C.Sextilium, M.Albinum, L.Antiſtium dedit. Manlius, quòd genere plebeios, gratia Iulium anteibant, Volſci prouincia ſine ſorte,ſine comparatione extra ordinem data: cuius & ipſos poſtmodo, & patres, qui dederant, pœnituit. Inexploratò pabulatum cohortes miſêre.quibus velut circumuentis, cùm id falsò nunciatum eſſet,dum præſidio vt eſſent, citati feruntur, ne authore quidem aſſeruato, qui eos hoſtis Latinus pro milite Romano fruſtratus erat,ipſi in inſidias præcipitauere.ibi dum iniquo loco ſola virtute militum reſtantes cæduntur,cædúntque, caſtra interim Romana iacentia in campo ab altera parte hoſtes inuaſere. Ab ducibus vtrobique proditæ temeritate atque inſcitia res. quicquid ſuperfuit fortunæ populi Romani, id militum etiam ſine rectore ſtabilis virtus tutata eſt. Quæ vbi Romam ſunt relata, primùm dictatorem dici placebat: deinde, poſtquam quietæ res ex Volſcis afferebantur, & apparuit neſcire eos victoria & tempore vti, reuocati etiam inde exercitus ac duces: otiúmque inde,quantum à Volſcis,fuit.id modò extremo anno tumultuatum,quòd Præneſtini concitatis Latinorum populis rebellarunt. Eodem anno etiam ipſis querentibus penuriam hominum, noui coloni aſcripti. Rebúſque haud proſperis bello domeſtica quies, quam tribunorum militum ex plebe gratia maieſtáſque inter ſuos obtinuit, ſolatium fuit. Inſequentis anni principia ſtatim ſeditione ingenti arſere, tribunis militum conſulari poteſtate, Sp.Furio, Q.Seruilio ſecundùm, Licinio Menenio tertiùm, P. Clœlio,M.Horatio,L.Geganio. Erat autem & materia & cauſa ſeditionis æs alienum: cuius noſcendi gratia Sp.Seruilius Priſcus, Q.Clœlius Siculus cenſores facti,ne rem agerent, bello impediti ſunt. nanque trepidi nuntii primò, fuga deinde ex agris, legiones Volſcorum ingreſſas fines,popularíſque paſſum Romanum agrum, attulere. In qua trepidatione tantum abfuit, vt ciuilia certamina terror

Præneſtini agro Sabino deinde Romano peruaſtato ad portam Collinā ſigna intulere.

T.Quintius Cincinnatus dictator creatur.

Præneſtini ad Alliā caſtra poſuerunt.

Præneſtini terga uertunt.

Octo Præneſtinorum oppida capiuntur.

Velitræ expugnantur.

Præneſte per deditionem recipitur.

Romanorū caſtra Volſci dolo inuadunt.

Volſci agrū Romanū populantur.

externus cohiberet, vt cõtrà eo violentior tribunitia potestas impediendo delectui esset: donec conditiones impositæ patribus, ne quis quoad bellatum esset, tributum daret, aut ius de pecunia credita diceret. eo laxamento plebi sumpto, mora delectui non est facta. Legionibus nouis scriptis, placuit duos exercitus in agrum Volscum legionibus diuisis duci. Sp. Furius, M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Q. Seruilius & L. Gegánius læua ad montes Ecetram pergunt. Neutra parte hostis obuius fuit: populatióque non illi vagæ similis, quam Volscus latrocinii more discordia hostium fretus, & virtutem metuens per trepidationem raptim fecerat: sed ab iusto exercitu iusta ira facta, spatio quoque temporis grauior. quippe à Volscis timentibus, ne interim exercitus ab Roma exiret, incursiones in extrema finium factæ erant: Romano contrà etiam in hostico morandi erat causa, vt hostem ad certamen eliceret. Itaque omnibus passim tectis agrorum, vicísque etiam quibusdam exustis, non arbore frugifera, non satis in spem frugum relictis, omni, quæ extra mœnia fuit, hominum pecudúmque præda abacta, Romam vtrinque exercitus reducti. Paruo interuallo ad respirandum debitoribus dato, postquam quietæ res ab hostibus erant, celebrari de integro iurisdictio: & tantum abesse spes veteris leuandi fœnoris, vt tributo nouum fœnus contraheretur in murum à censoribus locatum saxo quadrato faciundum. cui succumbere oneri coacta plebes: quia quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis. Tribunos etiam militares patricios omneis coacta principum opibus fecit, L. Aemylium, P. Valerium IIII, C. Veturium, Ser. Sulpitium, L. & C. Quintios Cincinnatos. Iisdem opibus obtinuere, vt aduersus Latinos, Volscósque, qui coniunctis legionibus ad Satricum castra habebant, nullo impediente omnibus iunioribus sacramento adactis, tres exercitus scriberent: vnum, ad præsidium vrbis: alterum, qui si qui alibi motus extitisset, ad subita belli mitti posset. tertium longè validissimum P. Valerius, & L. Aemylius ad Satricum duxere. vbi cum aciem instructam hostium loco æquo inuenissent, extemplò pugnatum: & vt nondum satis claram victoriam, sic prosperæ spei pugnam imber ingentibus procellis fusus diremit. Postero die iterata pugna: & aliquandiu æqua virtute fortunáque Latinæ maximè legiones longa societate militiam Romanam edoctæ, restabant. eques immissus ordines turbauit: turbatis signa peditum illata: quantúmque Romana se inuexit acies, tantum hostes gradu demoti. & vt semel inclinauit pugna, iam intolerabilis Romana vis erat. Fusi hostes cum Satricum, quod duobus millibus inde aberat, non castra peterent, ab equite maximè cæsi. castra capta, direptáque. Ab Satrico nocte, quæ prælio proxima fuit, fugæ simili agmine petunt Antium: & cum Romanus exercitus propè in vestigiis sequeretur, plus tamen timor, quàm ira celeritatis habuit. prius itaque mœnia intrauere hostes, quàm Romanus extrema agminis carpere aut morari posset. inde aliquot dies vastando agro absumpti, nec Romanis satis instructis apparatu bellico ad mœnia aggredienda, nec illis ad subeundum pugnæ casum. Seditio tum inter Antiates Latinósque coorta, cum Antiates victi malis, subactique bello, in quo & nati erant & consenuerant, deditionem spectarent: Latinos ex diutina pace noua defectio recentibus adhuc animis ferociores ad perseuerandum in bello faceret. finis certaminis fuit, postquam vtrisque apparuit, nihil per alteros stare quo minus incœpta persequerentur. Latini profecti à societate pacis, vt rebantur, inhonestæ sese vindicauerunt. Antiates incommodis arbitris salutarium consiliorum remotis, vrbem agrósque Romanis dedunt. Ira & rabies Latinorum, quia nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, eò erupit, vt Satricum vrbem, quæ receptaculum primum eis aduersæ pugnæ fuerat, igni concremarent. nec aliud tectum eius superfuit vrbis, cum faces pariter sacris profanísque inicerent, quàm matris Matutæ templum. inde eos nec sua religio, nec verecundia deûm arcuisse dicitur, sed vox horrenda edita templo cum tristibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amouissent. incensos ea rabie impetus Thusculum tulit, ob iram, quòd deserto communi concilio Latinorum non in societatem modò Romanam, sed etiam in ciuitatẽ se dedissent. patentibus portis cùm improuisò incidissent, primo clamore oppidum præter arcem captum est. in arcem oppidani refugêre cum coniugibus ac liberis: nuntiósque Romam, qui certiorem de suo casu senatum facerẽt, misere. Haud segnius, quàm fide populi Romani dignum fuit, exercitus Thusculum ductus. L. Quintius, & Seruius Sulpitius tribuni militum duxere. clausas portas Thusculi, Latinósque simul obsidentium atque obsessorum animo hinc mœnia tueri vident, illinc arcem oppugnare, terrere vnà ac pauere. aduentus Romanorum mutauerat vtrinsque partis animos. Thusculanos ex ingenti metu in summam alacritatem: Latinos ex propè certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur, in exiguam de se ipsis spem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Thusculanis: excipitur aliquanto maiore ab exercitu Romano. vtrinque vrgentur Latini: nec impetus Thusculanorum decurrentium ex superiore loco sustinent: nec Romanos subeuntes mœnia, molientésque obices portarum arcere possunt. scalis prius mœnia capta: inde effracta claustra portarum. & cum anceps hostis & à fronte & à tergo vrgeret: nec ad pugnam vlla vis, nec ad fugam loci quicquam superesset, in medio cæsi ad vnum omnes. Recuperato ab hostibus Thusculo, exercitus Romam est reductus. Quanto magis prosperis eo anno bellis tranquilla omnia foris erant, tanto in vrbe vis patrum in dies miseriæque plebis crescebant, cum eo ipso quod necesse erat solui, facultas soluendi impediretur. itaque cùm iam ex re nihil dari posset, fama & corpore iudicati atque addicti creditoribus satisfaciebant, pœnáque in vicem fidei cesserat. adeò ergo obnoxios summiserant animos non infimi solum, sed principes etiam plebis, vt non modò ad tribunatum militum inter patricios petendum, quod tanta vi vt liceret tetenderant: sed ne ad plebeios quidem magistratus capessendos, petendósque vlli viro acri, experientique animus esset: possessionémque

Romani fines Volscorum depraedantur.

Aduersus Latinos & Volscos tres exercitus scribuntur.

Latini Volscíq; funduntur.

Antiates vrbem agrosq; suos Romanis dedunt. Volsci Satricum igni concremãt.

Thusculũ à Volscis præter arcem capitur.

Thusculũ recipitur Volscis ad vnũ cæsis omnibus.

Plebs ære alieno oppressa, omnia patribus concedebat.

A

B

A némque honoris vsurpati modò è plebe per paucos annos, recuperasse in perpetuum patres viderentur. Ne id nimis lætum parti alteri esset, parua (vt plerunque solet) rem ingentem moliundi causa interuenit.

Parua causa rem ingentem moliundi sæpe interuenit.

M.Fabii Ambusti potentis viri cùm inter sui corporis homines, tum etiam ad plebem, quòd haudquaquam inter id genus contemptor eius habebatur: filiæ duæ nuptæ, Ser.Sulpitio maior, minor C.Licinio Stoloni erat, illustri quidem viro, tamen plebeio: eáque ipsa affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat. Fortè ita incidit, vt in Ser.Sulpitii tribuni militum domo sorores Fabiæ cum inter se (vt fit) sermonibus tempus tererent, lictor Sulpitii cum is de foro se domum reciperet, forem (vt mos est) virga percuteret. cum ad id moris eius insueta expauisset minor Fabia, risui sorori fuit miranti ignorare id sororem. Cæterùm is risus stimulos paruis mobili rebus animo muliebri subdidit. frequentia quoque prosequentium rogantiúmque nunquid vellet? credo fortunatum matrimonium ei sororis visum: suíque ipsam malo arbitrio, quo à proximis quisque minimè anteiri vult, pœnituisse. confusam eam ex recenti morsu animi cum pater fortè vidisset, percunctatus satin' saluæ? auertentem causam doloris, quippe nec satis piam aduersus sororem, nec admodum in virum honorificam, elicuit comiter sciscitando vt fateretur eam esse causam doloris, quòd iuncta impari esset, nupta in domo, quam nec honos, nec gratia intrare posset. consolans inde filiam Ambustus, bonum animum habere iussit: eosdem propediem domi visuram honores, quos apud sororem viderat. Inde consilia inire cum genero cœpit, adhibito L.Sextio strenuo adolescente, & cuius spei nihil præter genus patricium deesset. Occasio videbatur rerum nouandarum propter ingentem vim æris alieni, cuius leuamen mali plebes, nisi suis in summo imperio locatis nullum speraret. accingendum ad eam cogitationem esse, conando agendóque iam eò gradum fecisse plebeios. vnde si porrò annitantur, peruenire ad summa, & patribus æquari tam honore quàm virtute possent. In præsentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magistratu sibimetipsi viam ad cæteros honores aperirent. creatíque tribuni C.Licinius & L.Sextius promulgauere leges omnes aduersus opes patriciorum, & pro commodis plebis: vnam de ære alieno, vt deducto eo de capite quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur. alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret. tertiam, ne tribunorũ militum comitia fierent, consulúmque vtique alter ex plebe crearetur. cuncta ingentia & quæ sine certamine maximo obtineri non possent.

Tribuni plebis leges aduersus opes patriciorum promulgãt.

Omniũ igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniæ, honorum discrimine proposito, conterriti patres cum trepidassent, publicis priuatísque consiliis nullo remedio alio præter expertam multis iam antè certaminibus intercessionem inuento, collegas aduersus tribunitias rogationes comparauerunt. qui vbi tribus ad suffragium ineuudum citari à Licinio Sextióque viderunt,

Tribuni alii aliis intercedunt.

B stipati patrum præsidiis nec recitari rogationes, nec solẽne quicquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt. Iámque frustra sæpe concilio aduocato, cum pro antiquatis rogationes essent: Bene habet, inquit, Sextius, quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. agitedum, comitia indicite patres tribunis militum creandis. faxo ne iuuet vox ista, veto, qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis. Haud irritæ cecidere minæ: comitia præter ædilium tribunorúmque plebis nulla sunt habita, Licinius Sextiúsque tribuni plebis refecti nullos curules magistratus creari passi sunt. eáque solitudo magistratuum, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus per quinquennium vrbem tenuit.

Per quinquenniũ comitia tribunorum militum sublata sunt.

Alia bella opportunè quieuere: Veliterni coloni gestientes otio, quòd nullus exercitus Romanus esset, & agrum Romanum aliquoties incursauere, & Thusculum oppugnare adorti sunt. eáque res Thusculanis veteribus sociis, nouis ciuibus opem orantibus, verecundia maximè non patres modò, sed etiam plebem mouit: remittentibus tribunis plebis comitia per interregem sunt habita: creatíque tribuni militum L.Furius, A.Manlius, Ser.Sulpitius, Ser.Cornelius, A.& C. Valerii haudquaquam tam obedientem in delectu, quàm in comitiis plebem habuere: ingentíque contentione exercitu scripto profecti non ab Thusculo modò submouere hostem, sed intra suamet ipsum mœnia compulere. obsidebantúrque haud paulo vi maiore Velitræ, quàm Thusculum obsessum fuerat: nec tamen ab eis, à quibus obsideri cœptæ erant, expugnari potuere.

Velitræ obsidentur.

antè noui creati sunt tribuni militum Q.Seruilius, C.Veturius, A.& M.Cornelii, Q.Quintius, M.Fabius, nihil ne ab his quidem tribunis ad Velitras memorabile factum. in maiore discrimine domi res vertebantur. nam præter Sextium Liciniúmque latores legum iam octauùm tribunos plebis refectos, Fabius quoque tribunus militum Stolonis socer quarum legum author fuerat, earum suasorem se haud dubium ferebat.

Sextius & Licinius octauùm tribuni plebis refecti.

& cum octo ex collegio tribunorum plebis primò intercessores legum fuissent, quinque soli erant: & (vt fermè solent, qui à suis desciscunt) capti, & stupentes animi vocibus alienis id modò, quod domi præceptũ erat, intercessioni suæ prætendebant: Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse, in aduentum militum comitia differri debere, vt vniuersa plebes de suis commodis suffragium ferret. Sextius Liciniúsque cum parte collegarum, & vno ex tribunis militum Fabio, artifices iam tot annorum vsu tractandi animos plebis, primores patrum productos interrogando de singulis, quæ ferebantur ad populum, fatigabant: Auderéntne postulare, vt cum bina iugera agri plebi diuiderentur, ipsis plus quingenta iugera habere liceret? vt singuli propè trecentorum ciuium possiderent agros, plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus patêret ager? an placeret fœnore circumuentam plebem, ni potius quàm sortem creditum soluat, corpus in neruum ac supplicia dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobiles domos? & vbicunque patricius habitet, ibi carcerem priuatum esse? Hæc indigna miserandáque auditu cum apud timentes sibimetipsos maiore audientium

Tribunitiæ actiones aduersus patriciorũ potentiam.

indignatione quàm sua increpuissent: atqui nec agros occupandi modum, nec fœnore trucidandi **A** plebem alium patribus vnquam fore affirmabant, nisi alterum ex plebe consulem custodem suæ libertatis plebs fecisset. contemni iam tribunos plebis, quippe quæ potestas iam suam ipsa vim frangat intercedendo: non posse æquo iure agi, vbi imperium penes illos, penes se auxilium tantum sit: nisi imperio communicato nunquam plebem in parte pari Reipublicæ fore: nec esse quod quisquam satis putet, si plebeiorum ratio comitiis consularibus habeatur: nisi alterum consulem vtique ex plebe fieri necesse sit, neminem fore. an iam memoria exisse, cum tribunos militum ideirco potius quàm consules creari placuisset, vt & plebeiis patêret summus honos? IIII. & XL. annis neminem ex plebe tribunum militum creatum esse, qui crederent? duobus ne in locis sua voluntate impertituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare soliti sint? & ad consulatum viam fieri passuros, qui tribunatum septum tamdiu habuerint? lege obtinendum esse, quod comitiis per gratiam nequeat: & seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus: quoniam in certamine relictus, præmium semper potentioris futurus sit. nec iam posse dici id, quod antea iactare soliti sint, non esse in plebeiis idoneos viros ad curules magistratus. nunquid enim socordius, aut segnius Rempulicam administrari post P. Licinii Calui tribunatum, qui primus ex plebe creatus sit: quàm per eos annos gesta sit, quibus præter patricios nemo tribunus militum fuerit? quin contrà patricios aliquot damnatos post tribunatum, neminem plebeium. quæstores quoque, sicut tribunos militum, paucis antè annis ex plebe cœptos creari: nec vllius eorum populum Romanum pœnituisse. consulatum superesse plebeiis: eam esse arcem libertatis, id columen: si eò peruentum sit, tum populum Romanum verè exactos ex vrbe reges, & stabilem libertatem suam existimaturum. quippe ex illa die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda.

Promulgata rogatio ut pro duũuiris sacris faciundis decẽuiri creentur.

Huius generis orationes vbi accipi vidêre, nouam rogationem promulgant, vt pro duumuiris sacris faciundis decemuiri creentur: ita vt pars ex plebe, pars ex patribus fiat: omniúmque earum rogationum comitia in aduentum eius exercitus differunt, qui Velitras obsidebat. Prius circumactus est annus, quàm à Velitris reducerentur legiones. ita suspensa de legibus res ad nouos tribunos militum dilata. nam plebis tribunos eosdem, duos vtique qui legum latores erant, plebes reficiebat. tribuni militum creati T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpitius, Sp. Seruilius, L. Papyrius, L. Veturius. Principio statim anni ad vltimam dimicationem de legibus ventum: & cum tribus vocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi patres ad duo vltima auxilia, summum imperium, summúmque ad ciuem decurrunt.

Camillus dictator dicitur aduersus uim tribunitiam.

dictatorem dici placet. dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Aemylium cooptat. Legum quoque latores aduersus tantum apparatum aduersariorum **B** & ipsi causam plebis ingentibus animis armant: concilióque plebis indicto, tribus ad suffragium vocant. cum dictator stipatus agmine patriciorum plenus iræ minarúmque consedisset, atque ageretur res solito primùm certamine inter se tribunorum plebis ferentium legem, intercedentiúmque: & quanto iure potentior intercessio erat, tantum vinceretur fauore legum ipsarum latorúmque: & vti rogassent, primæ tribus dicerent.

Camilli oratio.

Tum Camillus. Quandoquidem, inquit, Quirites iam vos tribunitia libido, non potestas regit, & intercessionem secessione quondam plebis partam, nobis eadem vi facitis irritam, qua peperistis: non Reipublicæ magis vniuersæ, quàm vestra causa dictator intercessioni adero: euersúmq; vestrum auxilium imperio tutabor. itaque si C. Licinius & L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, nihil patricium magistratum inseram concilio plebis. si aduersus intercessionem tanquam captæ ciuitati leges imponere tendent, vim tribunitiam à se ipsa dissolui non patiar. Aduersus ea cum contemptim tribuni plebis rem nihilo segnius peragerent: tum percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem emouerent, misit. & addidit minas: si pergerent, sacramento omnes iuniores adacturum, exercitum extemplo ex vrbe deducturum. Terrorem ingentem incusserat plebi, ducibus plebis accendit magis certamine animos, quàm minuit, sed re neutrò inclinata, magistratu se abdicauit:

Camillus abdicat se magistratu.

† Val. 5000 coron.

seu quia vitio creatus erat, vt scripsere quidam: seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebs sciuit, vt si M. Furius pro dictatore quid egisset, † quingentûm millium æris ei mulcta esset. Sed auspiciis magis quàm noui exempli rogatione deterritum vt potius credam, cùm ipsius viri facit ingenium, tum quòd ei suffectus est extemplò P. Manlius dictator: quem quid creari attinebat ad id certamen, quo M. Furius victus esset? & quod eundem M. Furium dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certè factum priore anno in se imperium repetiturum: simul quòd eo tempore, quo promulgatum de mulcta eius traditur, aut & huic rogationi, qua se in ordinem cogi videbat, obsistere potuit: aut ne illas quidem propter quas & hæc lata erat, impedire: & quoad vsque ad memoriam nostram tribunitiis consularibúsque certatum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit.

C. Licinius plebeius magister equitum dicitur.

Inter priorem dictaturã abdicatam, nouámq; à Manlio initam ab tribunis velut per interregnum concilio plebis habito, apparuit quæ ex promulgatis plebi, quæ latoribus gratiora essent. nam de fœnore atque agro rogationes iubebant, de plebeio consulatu antiquabant. & perfecta vtraque res esset, ni tribuni se in omnia simul consulere plebem dixissent. P. Manlius deinde dictator rem in causam plebis inclinauit, C. Licinio qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto.

Licinius Sextiusq; cõtinuari sibi tribunatum recusant.

Id ægrè patres passos accipio: dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud patres excusare solitum, simul negantem magistri equitum maius, quàm tribuni consularis imperium esse. Licinius Sextiúsq;, cum tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, vt negando iam sibi velle continuari honorem acerrimè accenderent ad id quod dissimulando petebant,

A petebant, plebem. nonum se annum iam velut in aciem aduersus optimates maximo priuatim periculo, nullo publico emolumento stare: consenuisse iam secum & rogationes promulgatas, & vim omnem tribunitiæ potestatis. primò intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse: deindè ablegatione iuuentutis ad Veliternum bellum: postremò dictatorium fulmen in se intentatum. iam nec collegas, nec bellum, nec dictatorem obstare, quippe qui etiam omen plebeio consuli, magistro equitum ex plebe dicendo dederit. se ipsam plebem, & commoda morari sua. liberam vrbem ac forum à creditoribus, liberos agros ab iniustis possessoribus extemplo, si velit, habere posse. quæ munera quando tandem satis grato animo æstimaturos, si inter accipiendas de suis commodis rogationes spem honoris latoribus earum incidant? non esse modestiæ populi Romani id postulare, vt ipse fœnore leuetur: & in agrum iniuria possessum à potentibus inducatur: per quos ea consecutus sit, senes tribunitios non sine honore tantùm, sed etiam sine spe honoris relinquat. Proinde ipsi primùm statuerent apud animos quid vellent. deinde comitiis tribunitiis declararent voluntatem. si coniunctim ferre ab se promulgatas rogationes vellent, esse quod eosdem reficerent tribunos plebis. perlaturos enim quæ promulgauerint. sin quod cuique priuatim opus sit, id modò accipi velint: opus esse nihil inuidiosa continuatione honoris. nec se tribunatum, nec illos ea quæ promulgata sint, habituros. Aduersus tam obstinatam orationem tribunorũ cum præ indignitate rerum stupor, silētiúmque inde cæteros patrum defixisset: Ap. Claudius Crassus nepos decemuiri dicitur odio magis iráque, quàm spe, ad dissuadendum processisse: & locutus in hanc ferè sententiam esse: Neque nouum, neque inopinatum mihi sit, Quirites, si quod vnum familiæ nostræ semper obiectum est ab seditiosis tribunis, id nunc ego quoq; audiam: Claudiæ genti iam inde ab initio nil antiquius in repub. patrum maiestate fuisse: semper plebis commodis aduersatos esse. quorum alterum neque nego, neque inficias eo: nos, ex quo asciti sumus simul in ciuitatem & patres, enixè operam dedisse, vt per nos aucta potius, quàm imminuta maiestas earum gentium, inter quas nos esse voluistis, dici verè posset. illud alterum pro me maioribúsque meis contēdere ausim Quirites (nisi quæ pro vniuersa rep. fiant, ea plebi tanquam aliam incolēti vrbem aduersa quis putet) nihil nos neque priuatos, neque in magistratibus quod incommodum plebi esset, scientes fecisse: nec vllum factum, dictúmve nostrum contra vtilitatē vestram, & si quædam contra voluntatem fuerint, verè referri posse. An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed vnus Quiritium quilibet, qui modò me duobus ingenuis ortum, & viuere in libera ciuitate sciam, reticere possim? L. illum Sextium & C. Licinium perpetuos (si diis placet) tribunos tantum licentiæ nouem annis, quibus regnant, sumpsisse, vt vobis negent potestatem liberam suffragii non in comitiis, non in legibus iubendis se permissuros esse? sub conditione,

Appij Claudij oratio in tribunos.

B inquit, nos reficietis decimùm tribunos. quid est aliud dicere? quod petunt alii, nos adeò fastidimus, vt sine mercede magna non accipiamus. sed quæ tandem ista merces est, qua vos semper tribunos plebis habeamus? vt rogationes, inquit, nostras, seu placent, seu displicent, seu vtiles, seu inutiles sunt, omnes coniunctim accipiatis. Obsecro vos Tarquinii Tribuni plebis, putate me ex media concione vnum ciuem succlamare. bona venia vestra liceat ex his rogationibus legere, quas salubres nobis censemus esse: antiquare alias. Non, inquit, licebit. tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, iubeas: & hoc portenti non fiat in vrbe Romana, vti L. Sextium atque hunc C. Licinium consules, quod indignaris, quod abominaris videas. aut omnia accipe: aut nihil fero. vt si quis ei, quem vrgeat fames, venenum ponat cum cibo, & aut abstinere eo quòd vitale sit, iubeat, aut mortiferum vitali admisceat. Ergo si esset libera hæc ciuitas, non tibi frequentes succlamassent? abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis. quid si tu non tuleris, quod commodum est populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Si quis patricius, si quis (quod illi volunt inuidiosius esse) Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero: quis vestrûm Quirites ferret? nunquámne vos res potius, quàm authores spectabitis? sed omnia semper, quæ magistratus ille dicet, secũdis auribus, quæ ab nostrûm quo dicentur, aduersis accipietis? At hercule sermo est minimè ciuilis. Quid? Rogatio qualis est, quam à vobis antiquatam indignantur? sermoni Quirites simillima. consules, inquit, rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat. an aliter rogat, qui vtique alterum ex plebe fieri consulem iubet: nec duos patricios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Hetruscum fuit, cùm Porsena Ianiculum insedit: quale Gallicum modò, cùm præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant: & consulatum cum hoc M. Furio, aut quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret: possetísne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune honores vocare? vt duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, vtrunque ex patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? parum est, si cuius pars tua nulla adhuc fuit, in partem eius venis, nisi partem petendo totum traxeris? Timeo, inquit, ne si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebeium. Quid est dicere aliud? quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi quos non vultis, imponam. quid sequitur, nisi vt ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis vnus petierit plebeius, & lege se, non suffragio creatum dicat? Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quærunt: & ita maxima sunt adepturi, vt nihil ne pro minimis quidem debeant, & occasionibus potius quàm virtute petere honores malunt. Est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat? qui certos sibi vni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse? qui se arbitrio vestro eximat? qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serua pro liberis faciat? omitto Licinium Sextiúmque, quorum annos in perpetua potestate tanquam regum in Capitolio

numeratis: quis est hodie in ciuitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quàm nobis ac liberis nostris fiat? si quidem nos ne cum volueritis quidem creare interdum poteritis, istos etiam si nolueritis, necesse sit. De indignitate satis dictum est (etenim dignitas ad homines pertinet) quid de religionibus atque auspiciis, quæ propria deorum immortalium contemptio atque iniuria est, loquar? auspiciis hanc vrbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis est qui ignoret? penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? nempe penes patres. nam plebeius quidem magistratus nullus auspicatò creatur: nobis adeò propria sunt auspicia, vt non solùm quos populus creat patricios magistratus, non aliter quàm auspicatò creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicatò interregem prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud quàm tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando à patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. quid enim est, si pulli non pascentur? si ex cauea tardius exierint? occinuerit auis? parua sunt hæc. sed parua ista non contemnendo maiores nostri, maximam hanc rem fecerunt. nunc nos tanquam iam nihil pace deorum opus sit, omnes cærimonias polluimus. vulgo ergo pontifices, augures, sacrificuli reges creentur: cuilibet apicem dialem, dum modò homo sit, imponamus: tradamus ancilia, penetralia, deos deorúmque curam, quibus nefas est: non leges auspicatò ferantur, non magistratus creentur: nec centuriatis, nec curiatis comitiis patres authores fiant: Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in vrbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. tanta dulcedo est ex alienis fortunis prædandi: nec in mentem venit altera lege solitudines vastas in agris fieri, pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Omnium rerum causa vobis antiquandas censeo istas rogationes. quod faxitis, deos velim fortunare. Oratio Appii ad id modò valuit, vt tempus rogationum inbendarum proferretur. Refecti decimùm iidem tribuni Sextius & Licinius de decemuiris sacrorum ex parte de plebe creandis pertulere. creati quinque patrum, quinque plebis: gradúque eo iam via facta ad consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebes cessit patribus, vt in præsentia consulum mentione omissa, tribuni militum crearentur. creati A. & M. Cornelii iterum. M. Geganius, P. Manlius, L. Veturius, P. Valerius VI. Cùm præter Velitrarum obsidionem, tardi magis rerum exitus quam dubii, quietæ externæ res Romanis essent: fama repens belli Gallici allata perpulit ciuitatem, vt M. Furius dictator quintùm diceretur. is T. Quintium Pœnum magistrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen, author est Claudius: inclytámque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo prouocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum cæsum torque spoliauit, tum pugnatam. Pluribus authoribus magis adducor, vt credam decem haud minus post annos ea acta: hoc autem anno in Albano agro cum Gallis dictatore M. Furio signa collata. nec dubia, nec difficilis Romanis, quanquam ingentem Galli terrorem memoria pristinæ cladis attulerant, victoria fuit. multa millia Barbarorum in acie, multa captis castris cæsa. palati alii Apuliam maximè petentes, cùm fuga se longinqua, tum quòd passim eos simul pauor terrórque distulerant, ab hoste sese tutati sunt. Dictatori consensu patrum, plebisque triumphus decretus. Vix dum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit: & per ingentia certamina dictator senatúsque victus, vt rogationes tribunitiæ acciperentur: & comitia consulum aduersa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus COS. factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit: quia patricii se authores futuros negabant, prope secessionem plebis res, terribilésque alias minas ciuilium certaminum venit: cum tamen per dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessúmque ab nobilitate plebi de consule plebeio: à plebe nobilitati de prætore vno, qui ius in vrbe diceret, ex patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, cum dignam eam rem senatus censeret esse, meritóque id, si quando vnquam aliàs, deûm immortalium causa libenter facturos fore, vt ludi maximi fierent, & dies vnus ad triduum adiiceretur: recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum à patriciis est iuuenibus, se id honoris, deûm immortalium causa libenter acturos, vt ædiles fierent. quibus cum ab vniuersis gratiæ actæ essent, factum senatusconsultum, vt duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres authores omnibus eius anni comitiis fierent.

Decēuiri sacrorum partim ex plebe, partim ex patriciis creantur.

Cum Gallis ad Anienem pugnatum.

Galli victi in Albano agro.

L. Sextius de plebe primus Consul factus.

Prætor vrbanus ex patribus creatur.

Duo ædiles ex patribus facti.

A

B

DECADIS PRIMAE LIBER VII.

Duo noui magistratus adiecti sunt, prætura & ædilitas curulis. Pestilentia ciuitas laborauit, eámque insignem fecit mors Furii Camilli. cuius remedium & finis cum per nouas religiones quæreretur, ludi scenici tunc primùm facti sunt. Cum dies L. Manlio dicta esset à M. Pomponio tribuno plebis propter delectum acerbè factum, & ob T. Manlium filium relegatū sine ullo crimine: adolescens ipse, cuius relegatio patri obiiciebatur, uenit in cubiculum tribuni, strictóque gladio coegit eum in uerba sua iurare, non perseueraturum se in accusatione. tunc omnia perniciosa omissa sunt. In patentem uoraginem urbis Romæ Curtius armatus equo se præcipitauit, eáque expleta est. Manlius adolescens qui patrē à tribunitia uexatione liberauerat, contra Gallum prouocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit: quam ipse postea tulit, & ex eo Torquatus est nuncupatus. Duæ tribus additæ, Pontina & Publicia. Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est, quòd plus quingentorum iugerum agri possideret. M. Valerius tribunus militum Gallum, à quo prouocatus erat, insidente galeæ coruo, & unguibus, rostróque infestante hostem, interemit: & ex eo Coruini nomen accepit, cōsulq; proximo anno creatus est ob uirtutem, cum XXIII ageret annum. Amicitia cum Carthaginiensibus iuncta. Campani, cum urgerentur à Samnitibus bello, auxilio aduersus eos à senatu petito, cum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt. ob quam causam ea quæ populi Romani facta essent,

A *essent, defendi bello aduersus Samnites placuit. Cum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus, in magno discri-*
mine esset, P. Decij tribuni militum opera seruatus est. qui occupato colle super id iugum, in quo Samnites sederant, occasionem con-
suli in æquiorem locum euadendi dedit: ipse ab hostibus circumsessus erupit. Milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti,
cum de ea occupanda urbe conspirassent, & detecto consilio, metu supplicij à populo Romano defecissent, per M. Valerium Corui-
num dictatorem, qui consilio suo eos à furore reuocauerat, patriæ restituti sunt.


NNVS hic erit insignis noui hominis consulatu, insignis nouis duobus magistra-
tibus, prætura, & curuli ædilitate. hos sibi patricii quæsiuere honores pro concesso
plebi altero consulatu. Plebes consulatum L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit:
patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & P.
Cornelio Scipioni suarum gentium viris gratia campestri ceperunt. L. Sextio colle-
ga ex patribus datus Lucius Aemylius Mamercus. Principio anni & de Gallis,
quos primò palatos per Apuliam congregari iam fama erat, & de Hernicorum de-
fectione agitata mentio. Cùm de industria omnia, ne quid per plebeium consulem ageretur, profer-
rentur: silentium omnium rerum, ac iustitio simile otium fuit: nisi quòd non patientibus tacitum tri-
bunis, quòd pro consule vno plebeio tres patricios magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam
consules sedentes nobilitas sibi sumpsisset, prætorem quidem etiam iura reddentem, & collegam
consulibus, atque iisdem auspiciis creatum: verecundia inde imposita est senatui ex patribus iuben-
di ædiles curules creari. primò vt alternis annis ex plebe fierent, conuenerat: posteà promiscuum
fuit. Inde L. Genutio, & Q. Seruilio COSS. & ab seditione, & à bello quietis rebus, ne quando à metu
ac periculis vacarent, pestilentia ingens orta. censorem, ædilem curulem, tres tribunos plebis mor- *Pestilentia.*
tuos ferunt, pro portione & ex multitudine alia multa funera fuisse. maximéque eam pestilentiam
insignem mors quàm matura, tam acerba M. Furii fecit. Fuit enim verè vir vnicus in omni fortuna, *M. Furij Ca*
princeps pace bellóque, prius quàm exulatum iret: clarior in exilio vel desiderio ciuitatis, quæ capta *milli mors,*
absentis implorauit opem: vel felicitate, qua restitutus in patriam, secum patriam ipsam restituit. *& laudes.*
par deinde per quinque & triginta annos (tot enim postea vixit) titulo tantæ gloriæ fuit, dignúsque
habitus, quem secundum à Romulo conditorem vrbis Romæ ferrent. Et hoc, & insequenti anno T.
Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone consulibus pestilentia fuit. eo nihil dignum memoria actum, nisi
quòd pacis deûm exposcendæ causa tertiò tum post conditam vrbem lectisternium fuit. & cùm vis *Lectister-*
morbi, nec humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque *nium.*
scenici, noua res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placa- *Ludi sceni-*
mina instituti dicuntur. Cæterùm parua quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipsa peregrina res *ci tum pri-*
B fuit. sine carmine vllo, sine imitandorum carminum actu ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis *mùm insti-*
modos saltantes haud indecoros motus more Thusco dabant. imitari deinde eos iuuentus simul in- *tuti.*
conditis inter se iocularia fundentes versibus cœpere: nec absoni à voce motus erant. Accepta itaq;
res, sæpiúsque vsurpando excitata. vernaculis artificibus, quia hister Thusco verbo ludio vocaba-
tur, nomen histrionibus inditum: qui non sicut ante fescennino versu similem incompositum teme- *Histriones*
rè, ac rudem alternis iaciebant: sed impletas modis satyras descripto iam ad tibicinem cantu, mo- *unde dicti.*
túque congruenti peragebant. Liuius post aliquot annos, qui ab satyris ausus est primus argumento
fabulam serere, idem (scilicet id quod omnes tum erant) suorum carminum actor dicitur, cùm sæ-
pius reuocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset,
canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis vsus impediebat. inde ad manum
cantari histrionibus cœptum, diuerbiáque tantum ipsorum voci relicta. Postquam lege hac fabula-
rum ab risu, ac soluto ioco res auocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, iuuentus histrioni-
bus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare cœpit, quæ
inde exodia postea appellata, consertáque fabellis potissimum Atellanis sunt. quod genus ludorum *Exodia.*
ab Oscis acceptum tenuit iuuentus: nec ab histrionibus pollui passa est. eo institutum manet, vt
actores Atellanarum nec tribu moueantur, & stipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant. In- *Atellanæ fa*
ter aliarum parua principia rerum ludorum quoq; prima origo ponenda visa est, vt appareret quàm *bellæ.*
ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit. nec tamen ludorum
primum initium procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis leua-
uit. quin etiam cum medios fortè ludos circus Tyberi superfuso irrigatus impedisset, id verò velut
auersis iam diis, aspernantibúsque placamina iræ, terrorem ingentem fecit. Itaque C. Genutio, L. Ae-
mylio Mamerco secundùm consulibus, cum piaculorum magis conquisitio animos, quàm corpora
morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab dicta-
tore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus dictatorem claui figendi causa dici iussit. dictus L. *Claui figẽdi*
Manlius Imperiosus, L. Pinarium magistrum equitum dixit. Lex vetusta est priscis literis, verbísque *causa dicta-*
scripta, vt qui prætor maximus sit, Idibus Septembribus clauum pangat. fixus fuit dextro lateri ædis *tor creatur*
Iouis optimi maximi ea ex parte qua Mineruæ templum est. eum clauum, quia raræ per ea tempora *L. Manlius.*
literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia nu-
merus Mineruæ inuentum sit. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo
Nortiæ Hetruscæ deæ comparêre, diligens talium monimentorum author Cintius affirmat. M. Hora-
tius consul ex lege templum Iouis optimi maximi dedicauit anno post reges exactos. à consulibus
postea ad dictatores, quia maius imperium erat, solenne claui figendi translatum est. Intermisso de-
inde more, digna etiam per se visa est res, propter quam dictator crearetur. qua de causa creatus L.

Manlius dictator ob delectum acerbum habitũ magistratu se abdicare cogitur. Manlio dies dicitur.

Manlius, perinde ac Reipublicæ gerendæ, ac non soluendæ religio ne gratia creatus esset, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo iuuentutem agitauit: tandémque omnibus in eum tribunis plebis coortis, seu vi, seu verecundia victus, dictatura abiit. neque eo minus principio insequentis anni Q. Seruilio Hala, L. Genutio secundùm c o s s. dies Manlio dicitur à M. Pomponio tribuno plebis. acerbitas in delectu, non damno modò ciuium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, inuisa erat. & ante omnia inuisum ipsum ingenium atrox, cognoménque Imperiosi graue liberæ ciuitati ab ostentatione sæuitiæ ascitum, quam non magis in alienis, quàm in proximis, ac sanguine ipso suo exerceret. criminique ei tribunus inter cætera dabat, quòd filium iuuenem nullius probri compertum, extorrem vrbe, do- A

Manlius in filium crudelis fuisse accusatur.

mo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum in opus seruile, propè in carcerem atque in ergastulum dederit: vbi summo loco natus dictatorius iuuenis quotidiana miseria disceret, verè imperioso patre se natum esse. at quam ob noxam? quia infacundior sit, & lingua impromptus. quod naturæ damnum vtrum nutriendum patri, si quicquam in eo humani esset, an castigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisse? ne mutas quidem bestias minus alere, ac fouere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. at hercule L. Manlium malum malo augere filii, & tarditatem ingenii insuper premere: & si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti, & rustico cultu inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationibus, quàm ipsius iuuenis irritatus est animus. quin contrà se quoque parenti causam inuidiæ atque criminum esse ægrè passus, vt omnes dii hominésque scirent, se parenti opem latam quàm inimicis eius malle, capit consilium rudis quidem atque agrestis animi, & quanquam non ciuilis exempli, tamen pietate laudabile. In-

Manlij filij in patrẽ pietas.

scientibus cunctis cultro succinctus, mane in vrbem atque à porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit: ianitori opus esse sibi domino eius conuento extemplò ait, nuntiaret T. Manlium Lucii filium esse. mox introductus (etenim percitum ira in patrem spes erat aut criminis aliquid noui, aut consilii ad rem agendam deferre) salute accepta redditáque, esse ait quæ cum eo agere arbitris remotis velit. procul inde omnibus abire iussis, cultrum stringit: & super lectum stans ferro intento, nisi quæ ipse concepisset verba iuraret, se patris eius accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum, se eum extemplò transfixurum minatur. pauidus tribunus (quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum inermem, illum prævalidum iuuenem, &, quod haud minus timendum erat, stolidè ferocem viribus suis cerneret) adiurat in quæ adactus est verba. & præ se deinde tulit, ea vi subactum se incœpto destitisse. nec perinde vt maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tam crudeli & superbo reo potestatem fieri. ita ægrè habuit filium id pro parente ausum: eóque id laudabilius erat, quòd animum eius tanta acerbitas patria nihil à pietate auertisset. Itaque B

Tribuni militum ad legiones, suffragio tum primùm facti.

non patri modò remissa causæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit. & cùm eo anno primùm placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea sicut nunc, quos rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandum gratiam meritis, vt qui rure, & procul cœtu hominum iuuentam egisset. Eodem anno seu motu terræ, seu qua vi alia forum medium fermè specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur: neque eam voraginem coniectu terræ, cum pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quàm deûm monitu quæri cœptum, quo plurimùm populus Romanus posset. id enim illi loco di-

M. Curtius armatus equo insidens se in specũ demisit.

candum vates canebát, si Rempublicam Romanam perpetuam esse vellent. tum M. Curtium iuuenem bello egregium castigasse ferunt, dubitantes an vllum magis Romanum bonum, quàm arma virtúsque esset. Silentio facto templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliúmque intuentem, & manus nunc in cælum, nunc in patentes terræ hiatus ad deos manes porrigentem se deuouisse: equo deinde quàm poterat maximè exornato insidentem armatum se in specum immisisse, donáque ac fru-

Lacus Curtius.

Famæ rerũ standum est, ubi uetustas fidem derogat.

ges super eum à multitudine virorum ac mulierum congestas: lacúmque Curtium nõ ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. cura nõ deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret. nunc famæ rerum standum est, vbi certam derogat vetustas fidem. & lacus nomen ab hac recentiore insignius fabula est. post tanti prodigii procurationem eodem anno de Hernicis consultus senatus, cùm fœciales ad res repetendas nequicquam misisset, primo quoque die ferendum ad populum de bello indicendo Hernicis censuit: populúsque id bellum frequens iussit. L. Genutio consuli ea prouincia sorte euenit. In expectatione ciuitas erat, quòd primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset: deinde vt eueniret res, ita communicatos honores prosperè, aut secus con-

Genutius cõsul plebeius cum exercitu occisus.

sultò habitura. Fortè ita tulit casus, vt Genutius ad hostes magno conatu profectus, in insidias præcipitaretur: legionibus nec opinatò pauore fusis, consul circumuentus ab insciis quem interfecissent, occideretur. Quod vbi est Romam nuntiatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti patres, quantum feroces infelici consulis plebeii ductu, fremunt omnibus locis: irent, crearent consules ex plebe, transferrent auspicia, quò nefas esset. potuisse patres plebiscito pelli honoribus suis, num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia: quæ vt primùm contacta sint ab eo, à quo nec ius nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde turbato gentium iure comitia haberentur. His vocibus curia & forum personat.

Ap. Claudius dictator creatur.

App. Claudium, quia dissuaserat legem, maiore nunc authoritate euentum reprehensi ab se consilii incusantem, dictatorem consensu patriciorum Seruilius consul dicit: delectúsque & iustitium indictum. Priusquam dictator legionésque nouæ in Hernicos venirent, ductu C. Sulpitii legati res per occasionem gesta egregiè est. In Hernicos morte consulis contemptim ad castra Romana

A Romana cum haud dubia expugnandi spe succedentes hortante legato, & plenis iræ atque indignitatis militum animis eruptio est facta. multum ab spe adeundi valli res Hernicis abfuit, adeò turbatis inde ordinibus abscessere. Dictatoris deinde aduentu nouus veteri exercitus iungitur, & copiæ duplicantur. & pro concione dictator laudibus legati, militúmque quorum virtute castra defensa erant, simul audientibus laudes meritas tollit animos, simul cæteros ad æmulandas virtutes acuit. Neque segnius ad hostes bellum apparatur, qui & parti ante decoris memores, neque ignari auctarum virium hostis, suas quoque vires augent. omne Hernicum nomen, omnis militaris ætas excitur. quadringentariæ octo cohortes, lecta robora virorum scribuntur. hunc eximium florem iuuentutis eò etiam, quòd vt duplex acciperent stipendium, decreuerant, spei animorúmque impleuere. immunes quoque operum militarium erant, vt in vnum pugnæ laborem reseruati plus sibi, quàm pro virili parte annitendum scirent. extra ordinem etiam in acie locati, quo conspectior virtus esset.

Summo studio bellū apparant Hernici.

Duum millium planities castra Romana ab Hernicis dirimebat. ibi pari fermè vtrinq; spatio in medio pugnatum est. primo stetit ambigua spe pugna, nequicquam sæpe conatis equitibus Romanis impetu turbare hostium aciem. postquàm equestris pugna effectu, quàm conatibus vanior erat, consulto prius dictatore equites; permissu deinde eius relictis equis clamore prouolant ante signa, & nouam integrant pugnam. neque sustineri poterant, ni extraordinariæ cohortes pari corporum, animorúmque robore se obiecissent. Tunc inter primores duorum populorum res geritur. quicquid hinc, aut illinc communis Mars bello aufert, multiplex quàm pro numero damnum est: vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, euentum suum in virtute aliena ponit. multi vtrinque cadunt, plures vulnera accipiunt. Tandem equites alius alium increpantes, quid deinde restaret quærendo, si neque ex equis pepulissent hostem, neque pedites quicquam momenti facerent, quam tertiam expectarent pugnam? quid ante signa feroces prosiluissent? & alieno pugnarent loco? His inter se vocibus concitati clamore renouato, inferunt pedem: & primùm gradu mouerunt hostem, deinde pepulerunt, postremò iam haud dubiè auertunt: neque tam vires pares quæ superauerit res, facile dictu est, nisi quòd perpetua fortuna vtriusque populi & extollere animos, & minuere potuit.

Acris pugna Romanorū & Hernicorum.

Vsque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur: castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere. diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset: eo in noctem tractum erat certamen. Postera die deserta fuga castra Hernicorum, & saucii relicti quidam inuenti: agménque fugientium ab signis, cum præter mœnia eorum infrequentia signa conspecta essent, fusum ac per agros trepida fuga palatum est. nec Romanis incruenta victoria fuit. quarta pars militum amissa: &, vbi haud minus iacturæ fuit, aliquot equites Romani cecidere.

Fugantur Hernici.

B Insequenti anno cum L. Sulpitius & C. Licinius Caluus consules in Hernicos exercitum duxissent, neque inuentis in agro hostibus, Ferentinum vrbem eorum vi cepissent, reuertentibus inde eis Tyburtes portas clausere. ea vltima fuit causa, cum multæ antè querimoniæ vltro citróq; iactatæ essent, cur per fœciales rebus repetitis bellum Tyburti populo indiceretur. Dictatorem T. Quintium Pœnum eo anno fuisse satis constat, & magistrum equitum Sergium Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum causa & ab Licinio consule dictum scribit, quia collega comitia bello præferre festinante vt continuaret consulatum, obuiam eundum prauæ cupiditati fuerit. Quæsita ea propriæ familiæ laus, leuiorem authorem Licinium facit. eum mentionem eius rei in vetustioribus annalibus nullam inueniam. magis vt belli Gallici causa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus.

Tyburtibus bellum indicitur.

eo certè anno Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. Dictator, cum tumultus Gallici causa iustitium edixisset, omnes iuniores sacramento adegit, ingentíque exercitu ab vrbe profectùs, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. prælia de occupando ponte crebra erant: nec qui potirentur, incertis viribus satis discerni poterat.

Galli ad tertium lapidē castra habuere.

tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit: & quantum maxima voce potuit, Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, vt noster duorum euentus ostendat vtra gens bello sit melior. Diu inter primores iuuenum Romanorum silentium fuit, cum & abnuere certamen vererentur, & præcipuam sortem periculi petere nollent. tum T. Manlius L. filius, qui patrem à vexatione tribunitia vindicauerat, ex statione ad dictatorem pergit. Iniussu tuo, inquit, imperator extra ordinem nunquam pugnauerim, non si certam victoriam videam. si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeò ferox præsultat hostium signis, me ex ea familia ortum: quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit. Tum dictator, Macte virtute, inquit, hac pietate in patrem patriámque T. Manli esto: perge, & nomen Romanum inuictum iuuantibus diis præsta.

Gallus quidam fortissimum e Romanis virū ad certamen prouocat.

T. Manlius cū Gallo pugnat.

Armant inde iuuenem æquales: pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. armatum adornatúmque aduersus Gallum stolidè lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exerentem, producunt. Recipiunt inde se ad stationem, & duo in medio armati spectaculi magis more, quàm lege belli destituuntur, nequaquam visu ac specie æstimantibus pares. corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictísque & auro cælatis refulgens armis. media in altero militaris statura, modicáque in armis habilibus magis quàm decoris species: non cantus, non exultatio, armorúmque agitatio vana, sed pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Vbi constitere inter duas acies tot circa mortalium animis spe metúque pendentibus: Gallus velut moles supernè imminens proiecto læua scuto in aduenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti

sonitu ensem deiecit. Romanus mucrone surrecto, cum scutum scuto imum perculisset, totóque cor- A
pore interior periculo vulneris factus insinuasset se inter corpus, armáque vno alteróque subinde ictu ventrem atque inguina hausit, & in spatium ingens ruentem porrexit hostem. iacentis inde

T. Manli⁹ Gallum u necat, & à torque detracto Torquatus appellatur.

corpus ab omni alia vexatione intactum vno torque spoliauit, quem respersum cruore, collo circundedit suo. Defixerat pauor cum admiratione Gallos. Romani alacres ab statione obuiam militi suo progressi, laudantes gratulantésque ad dictatorem perducunt. inter carminum propemodum incondita quædam militariter ioculantes, Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiam, familiæque honori fuit, dictator coronam auream addidit donum, mirísque pro concione eam pugnam laudibus tulit. Et hercle, tanti ea ad vniuersi belli euentum momenti dimicatio fuit,

Galli relictis trepidè castris in Tyburtem agrũ transeunt.

vt Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepidè castris, in Tyburtem agrum, atque inde societate belli facta, commeatúque benignè ab Tyburtibus adiutus, mox in Campaniam transierit. Ea fuit causa cur proximo anno C. Petilius Balbus cos. cùm collegæ eius M. Fabio Ambusto Hernici prouincia euenisset, aduersus Tyburtes iussu populi exercitum duceret. ad quorum auxilium cum Galli ex Campania redissent, fœdæ populationes in Lauicano, Thusculanóque, & Albano agro haud dubiè Tyburtibus ducibus sunt factæ. Et cum aduersus Tyburtem hostem duce cos. contenta Res-

Aduersus Gallos Q. Seruilius Hala dictator creatur.

publ. esset, Gallicus tumultus dictatorem creari coegit. creatus Q. Seruilius Hala T. Quintium magistrum equitum dixit: & ex authoritate patrum, si prosperè id bellum euenisset, ludos magnos vouit. Dictator ad continendos proprio bello Tyburtes, consulari exercitu iusso manere, omnes iuniores nullo detrectante militiam sacramento adegit. Pugnatum haud procul porta Collina est to-

Cum Gallis pugnatũ est non procul à porta Collina.

tius viribus vrbis, in conspectu parentum coniugúmque ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamenta animi, tum subiecta oculis simul verecundia, misericordiáque militem accendebant. Magna vtrinque edita cæde, auertitur tandem acies Gallorum. fuga Tybur sicut arcem belli Galliei petunt. palati à cos. Petilio haud procul Tybure excepti, egressis ad opem ferendam Ty-

Galli Tybur fuga se recipiunt.

burtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Egregiè cùm ab dictatore, tum ab cos. gesta est res. Et cos. alter Fabius præliis primùm paruis, postremò vna insigni pugna cum hostes totis ador-

Fabius Cos. Hernicos deuicit.

ti copiis essent, Hernicos deuincit. Dictator coss. in senatu, & apud populum magnificè collaudatis, & suarum quoque rerum illis remisso honore, dictatura se abdicauit. Petilius de Gallis Tyburtibúsque geminum triumphum egit. Fabio satis visum, vt ouans vrbem iniret. Irridere Petilii triumphum Tyburtes: vbi enim eum secum acie conflixisse? spectatores paucos fugæ trepidationísque Gallorum extra portas egressos, postquam in se quoque fieri impetum viderint, & sine discrimine obuios cædi, recepisse se in vrbem. eam rem triumpho dignam visam Romanis? ne nimis mirum magnúmque censerent, tumultum exciere in hostium portis, maiorem ipsos trepidationem ante B
mœnia sua visuros. Itaque insequenti anno M. Popilio Lenate, Cn. Manlio coss. primo silentio no-

Tyburtes primo noctis silentio ad urbis Romæ mœnia ueniunt.

ctis ab Tybure agmine infesto profecti ad vrbem Romam venerunt. terrorem repentè ex somno excitatis subita res, & nocturnus pauor præbuit, ad hoc multorum inscitia, qui, aut vnde hostes aduenissent. conclamatum tamen celeriter ad arma est, & portæ stationibus, muríque præsidiis firmati. & vbi prima lux mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium, quàm Tyburtem hostem ostendit, duabus portis egressi consules, vtrinque aciem subeuntium iam muros aggrediuntur. apparuítque occasione magis, quàm virtute fretos venisse: adeò vix primum impetum Romanorum sustinuere. quin etiam bono fuisse Romanis aduentum eorum, constabat, orienténique iam seditionem inter patres, & plebem metu tam propinqui belli compressam. Alius aduentus hostium fuit proximo bello agris, quàm vrbi terribilior. Populabundi Tarquinienses fines Romanos maximè

Tarquinienses agrũ Romanum populantur.

qua ex parte Hetruriam adiacent, peragrauere: rebúsque nequicquam repetitis, noui consules C. Fabius, & C. Plautius iussu populi bellum indixere: Fabióque ea prouincia, Plautio Hernici euenere. Gallici quoque belli fama increbrescebat: sed inter multos terrores solatio fuit pax Latinis petentibus data, & magna vis militum ab iis ex fœdere vetusto, quod multis intermiserant annis, accepta. quo præsidio cum fulta res Romana esset, leuius fuit, qnòd Gallos mox Præneste venisse, atque inde circa Pedum consedisse, auditum est. Dictatorem dici C. Sulpitium placuit: consul ad id

In Gallos C. Sulpitius dictator creatur.

accitus C. Plautius dixit. magister equitum dictatori additus M. Valerius. Hi robora militum ex duobus consularibus exercitibus electa aduersus Gallos duxerunt. Lentius id aliquanto bellum, quàm parti vtrique placebat, fuit, cum primo Galli tantum auidi certaminis fuissent: deinde Romanus miles ruendo in arma, ac dimicationem, aliquantum Gallicam ferociam vinceret. dictatori neutique placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ se committere aduersus hostem, quem tempus deteriorem in dies, & locus alienus faceret, sine præparato commeatu, sine firmo munimento morantem: ad hoc iis animis corporibúsque, quorum omnis in impetu vis esset, parua eadem languesceret mora. His consiliis dictator bellum trahebat, grauémque edixerat pœnam, si quis iniussus in hostem pugnasset. milites ægrè id patientes, primò in stationibus vigiliísque inter se dictato-

Dictatoris cunctationẽ egerrimè ferũt milites.

rem sermonibus carpere, interdum patres communiter increpare, quòd non iussissent per consules geri bellum: electum esse eximium imperatorem, vnicum ducem, qui nihil agenti sibi de cælo deuolaturam in sinum victoriam censeat. eadem deinde hæc interdiu propalàm, ac ferociora his iactare: se iniussu imperatoris aut dimicaturos, aut agmine Romam ituros: immiscerí que militibus centuriones: nec in circulis modò fremere, sed iam in principiis ac prætorio in vnum sermones confundi: atque in concionis magnitudinem crescere turba, & vociferari ex omnibus locis, vt extemplò ad dictatorem iretur: verba pro exercitu faceret Sex. Tullius, vt virtute eius dignum esset.

Septim

A Septimùm primum pilum iam Tullius ducebat, neque erat in exercitu, qui quidem pedestria stipendia fecisset, vir factis nobilior. is præcedens militum agmen, ad tribunal pergit. mirantique Sulpitio, non turbam magis quàm turbæ principem Tullium imperiis obedientissimum militum, Scilicet dictator, inquit, condemnatum se vniuersus exercitus à te ignauiæ ratus, & propè ignominiæ causa destitutum, sine armis, orauit me vt suam causam apud te agerem. Equidem sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœdè amissa obiici nobis possent, tamen hoc à te impetrari æquum censerem, vt nos virtute culpam nostram corrigere, & abolere flagitii memoriam noua gloria patereris. etiam ad Alliam fusæ legiones eandem quam per pauorem amiserant patriam, profectæ postea ab Veiis virtute recuperauere. nobis deûm benignitate, felicitate tua, populíque Romani, & res & gloria est integra: quanquam de gloria vix dicere ausim, si nos & hostes haud secus quàm fœminas abditos intra vallum omnibus contumeliis eludunt: & tu imperator noster, quod ægrius patimur, exercitum tuum sine animis, sine armis, sine manibus iudicas esse: & prius quàm expertus nos esses, de nobis ita desperasti, vt te mancorum ac debilium ducem iudicares esse. quid enim aliud esse causæ credamus, cur veteranus dux fortissimus bello compressis, quod aiunt, manibus sedeas? vtcunque enim se habeat res, te de nostra virtute dubitasse videri, quàm nos de tua verius est. Sin autem non tuum istuc, sed publicum est consilium, & consensus aliquis patrum, non Gallicum bellum nos ab vrbe, à penatibus nostris ablegatos tenet: quæso vt quæ dicam, non à militibus imperatori dicta censeas, sed à plebe patribus: quæ, sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat milites nos esse, non seruos vestros? ad bellum, non in exilium missos? Si quis det signum, in aciem educat, vt viris ac Romanis dignum sit pugnaturos: si nihil armis opus sit, otium Romæ potius quàm in castris acturos. hæc dicta sint patribus. Te imperator milites tui oramus, vt nobis pugnandi copiam facias: tum vincere cupimus, tum duce te vincere: tibi lauream insignem deferre, tecum triumphantes vrbem inire: tuum sequentes currum Iouis Opt. Max. templum gratantes ouantésque adire. Orationem Tullii exceperunt preces multitudinis: & vndique vt signum daret, vt capere arma iuberet, clamabant. Dictator quanquam rem bonam exemplo haud probabili actam censebat, tamen facturum quod milites vellent se recepit: Tulliúmque secretò, quænam hæc res sit, aut quo acta more, percunctatur. Tullius magnopere à dictatore petere, ne se oblitum disciplinæ militaris, ne sui, néue imperatoriæ maiestatis crederet: multitudine concitatæ, quæ ferme authoribus similis esset, non subtraxisse se ducem: ne quis alius, qualem mota creare multitudo soleret, existeret. nam se quidem nihil non arbitrio imperatoris acturum. Illi quoque tamen videndum magnopere esse, vt exercitum in potestate haberet: differri non posse:

Sex. Tullij oratio ad Dictatorem militum nomine.

Dictator Sex. Tullium secretò alloquitur.

B adeò concitatos animos ipsos sibi locum ac tempus pugnandi sumpturos, si ab imperatore non detur. Dum hæc loquuntur, iumenta fortè pascentia extra vallum Gallo abigenti duo milites Romani ademerunt. in eos saxa coniecta à Gallis: deinde ab Romana statione clamor ortus, ac procursum vtrinque est. Iámque haud procul iusto prælio res erant, ni celeriter diremptum certamen per centuriones esset. Affirmata certè eo casu Tullii apud dictatorem fides est. nec recipiente iam dilationem re, in posterum diem edicitur acie pugnaturos. Dictator tamen, vt qui magis animis quàm viribus fretus, ad certamen descenderet, omnia circunspicere atque agitare cœpit, vt arte aliqua terrorem hostibus incuteret. solerti animo rem nouam excogitat: qua deinde multi nostri atque externi imperatores, nostra quoque quidam ætate vsi sunt. mulis strata detrahi iubet: binísque tantum centunculis relictis, agasones partim captiuis, partim ægrorum armis ornatos imponit. his ferè mille effectis, centum admiscet equites: & nocte super castra in montes euadere, ac syluis se occultare iubet, neque inde antè moueri, quàm ab se acciperent signum. ipse vbi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit sedulò, vt aduersus montes consisteret hostis. Instructo iam vani terroris apparatu, qui quidē terror plus penè veris viribus profuit: primò credere duces Gallorum non descensuros in æquum Romanos: deinde vbi digressos repentè viderunt, & ipsi auidi certaminis in prælium ruunt: priúsque pugna cœpit, quàm signum ab ducibus daretur. Acrius inuasere Galli dextrum cornu: neque sustineri potuissent, ni fortè eo loco dictator fuisset, Sex. Tullium nomine increpans: rogitánsque, siccine pugnaturos milites spopondisset? vbi illi clamores sint arma poscentium? vbi minæ iniussu imperatoris prælium inituros? en ipsum imperatorem clara voce vocare ad prælium, & ire armatum ante prima signa. ecquis sequeretur eorum, qui modò ducturi fuerint? in castris feroces, in acie pauidi. Vera audiebant: itaque tantos pudor stimulos admouit, vt ruerent in hostium tela alienatis à memoria periculi animis. hic primò impetus propè vecors turbauit hostes: eques deinde emissus turbatos auertit. Ipse dictator postquam labantem vna parte vidit aciem, signa in læuum cornu confert, quò turbam hostium congregari cernebat: & iis, qui in monte erant, signum quod conuenerat, dedit. Vbi inde quoque nouus clamor ortus, & tendere obliquo monte ad castra Gallorum visi sunt: tum metu, ne excluderentur, omissa pugna est, cursúque effuso ad castra ferebantur. vbi cum occurrisset eis M. Valerius magister equitum, qui profligato dextro cornu obequitabat hostium munimentis, ad montes syluásque vertunt fugam: plurimíque ibi à fallaci equitum specie, agasonibúsque excepti sunt: & eorum, quos pauor pertulerat in syluas, atrox cædes post sedatum prælium fuit. Nec alius post M. Furium, quàm C. Sulpitius iustiorem de Gallis egit triumphum. auri quoque ex Gallicis spoliis satis magnum pondus saxo quadrato septum in Capitolio sacrauit. Eodem anno & à coss. vario euentu bellatum. nam Hernici à C. Plautio deuicti, subactíque sunt. Fabius collega eius incautè atque inconsultè aduersus Tarquinienses pugnauit, nec in acie tantū

Qua arte dictator hostibus terrorē incussit.

Dictatoris ad milites hortatio.

Galli vincūtur.

C. Plautius Cos. Hernicos deuicit.

ibi

Tarquinienses 307 milites Romanos captos immolarũt.

ibi cladis acceptum, quàm quòd CCCVII milites Romanos captos Tarquinienses immolarunt. qua A fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Romani insignior fuit. accessit ad eam cladem & vastatio Romani agri, quam Priuernates, Veliterni deinde incursione repentina fecerunt. Eodem anno duæ tribus Pomptina, & Publicia additæ. Ludi votiui, quos M. Furius dictator vouerat, facti.

De ambitu lex primum promulgatur.

& de ambitu à C. Petilio tribuno plebis authoribus patribus tum primùm ad populum latum est: eáque rogatione nouorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant. Haud æquè patribus læta insequenti anno C. Martio, Cn. Manlio coss. de vnciario fœnore à M. Duellio, L. Menenio tribunis plebis rogatio est perlata: & plebs aliquanto eam cupidiùs sciuit, accepítque. Ad bella noua priore anno destinata Falisci quoque hostes exorti duplici crimine, quòd & cum Tarquiniensibus iuuentus eorum militauerat: & eos, qui Falerios perfugerant, cum malè pugnatum est, repetentibus fœcialibus Romanis non reddiderant. ea prouincia Cn. Manlio obuenit. Martius exercitum in agrum Priuernatem, integrum pace longinqua induxit: militémque præda impleuit. ad copiam rerum addidit munificentiam, quòd nihil in publicum secernendo augenti rem priuatam militi fauit. Priuernates cum ante mœnia sua castris permunitis consedissent: vocatis ad concionem militibus, Castra nunc, inquit, vobis hostium, vrbémque prædæ do: si mihi pollicemini vos fortiter in acie operam nauaturos: nec prædæ magis, quàm pugnæ paratos esse. Signum poscunt ingenti clamore: celsique & spe haud dubia feroces in prælium vadunt. ibi ante signa Sex. Tullius, de quo antè dictum est, exclamat: Aspice imperator, inquit, quemadmodum exercitus tuus tibi promissa præstet: pilóque posito, stricto gladio in hostem

Priuernates uincũtur & eorum urbs in deditionẽ accipitur.

impetum facit: sequuntur Tullium antesignani omnes: primóque impetu auertere hostem: fusum inde ad oppidum persecuti, cum iam scalas mœnibus admouerent, in deditionem vrbem acceperunt. triumphus de Priuernatibus actus. ab altero cos. nihil memorabile gestum: nisi quòd legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manu mitterentur, tulit. patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum esset, authores fuerunt. Cæterum tribuni plebis non tam lege quàm exemplo moti, ne quis postea populum seuocaret, capite sanxerunt. nihil enim non per milites iuratos in consulis verba, quamuis perniciosum populo, si id liceret, fieri posse.

C. Licinius Stolo sua ipsius Lege damnatur.

Eodem anno C. Licinius Stolo à M. Popilio Lenate sua lege † decem millibus æris est damnatus, quòd mille iugerum agri cum filio possideret, emancipandóque filium, fraudem legi fecisset. Noui coss. inde M. Fabius Ambustus II. & M. Popilius Lenas II. duo bella habuere: facile alterum cum Tyburtibus, quòd Lenas gessit: qui hoste in vrbem compulso, agros vastauit.

† 100. coro.

Quo astu Falisci prima pugna Romanos fuderunt.

Falisci, Tarquinienséque alterum consulem prima pugna fuderunt. inde terror maximus fuit, quòd sacerdotes eorum facibus ardentibus, anguibúsque prælatis incessu furiali militem Romanum insueta turbauerunt specie: & tunc quidem velut lymphati, & attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt. deinde vbi consules legatíque ac tribuni, puerorum ritu vana miracula pauentes irridebant, increpabántque, vertit animos repentè pudor: & in ea ipsa, quæ fugerant, velut cæci ruebant. discusso itaque vano apparatu hostium, cum in ipsos armatos se intulissent, auerterunt totam aciem: castrísque etiam eo die potiti, præda ingenti parta victores reuerterunt, militaribus iocis cùm apparatum hostium, tum suum increpantes pauorem. B

Faliscos & Tarquinienses Romani uincunt.

Concitatur deinde omne nomen Hetruscum, & Tarquiniensibus Faliscísque ducibus ad Salinas perueniunt. aduersus eum terrorem dictator C. Martius Rutilius primus de plebe dictus, magistrum equitum item de plebe C. Plautium dixit.

Dictator ac magister equitum tum primum de plebe dicti.

Id verò patribus indignum videri, etiam dictaturam iam in promiscuo esse: omníque ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur, pararetúrve. eo promptius cuncta ferente dictatore populus iussit. profectus ab vrbe vtraque parte Tyberis, ratibus exercitu quocunque fama hostium ducebat traiecto, multos populatores agrorum vagos, palantes oppressit: castra quoque nec opinatò aggressus, cepit. & octo millibus hostium captis, cæteris aut cæsis, aut ex agro Romano fugatis, sine authoritate patrum populi iussu triumphauit.

Dictator plebeius triumphat de Faliscis & Tarquiniẽsibus.

Interregnũ.

Quia nec per dictatorem plebeium, nec per consulem, comitia consularia haberi volebant: & alter consul Fabius bello retinebatur: res ad interregnum redit. Interreges deinceps Q. Seruilius Hala, M. Fabius, Cn. Manlius, C. Fabius, C. Sulpitius, L. Aemylius, Q. Seruilius, M. Fabius Ambustus. In secundo interregno orta contentio est, quòd duo patricii consules creabantur: intercedentibúsque tribunis, interrex Fabius aiebat in duodecim tabulis legem esse, vt quodcunque postremùm populus iussisset, id ius ratúmque esset, iussum populi & suffragia esse. Cùm intercedendo tribuni nihil aliud, quàm vt differrent comitia, valuissent: duo patricii consules creati sunt C. Sulpitius Peticus tertiùm, M. Valerius Publicola: eodémque die magistratum inierunt. Quadringentesimo anno quàm vrbs Romana condita erat, quinto tricesimo quàm à Gallis recepta, ablato post nonum annum à plebe consulatu, patricii consules ambo ex interregno magistratum iniere C. Sulpitius Peticus tertiùm, M. Valerius Publicola.

Empulũ ex Tyburtibus capitur.

Empulum eo anno ex Tyburtibus haud memorando certamine captum: siue duorum consulum auspicio bellum ibi gestum est, vt scripsere quidam: seu per idem tempus Tarquiniensium quoque sunt vastati agri ab Sulpitio consule, quo Valerius aduersus Tyburtes, legiones duxit.

Inter patres & plebẽ de Consularibus comitijs dissensio.

Domi maius certamen consulum cum plebe ac tribunis erat. fidei iam suæ, non solum virtutis ducebant esse, vt accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare. quin aut toto cedendum esse: si plebeius magistratus fiat consulatus: aut possidendum totum, quam possessionem integram à patribus accepissent. Plebs contrà fremit. quid se viuere? quid in parte ciuium censeri? si quod duorum hominum virtute L. Sextii, ac C. Licinii partum sit, id obtinere vniuersi non possint?

vel

A vel reges, vel decemuiros, vel si quod tristius sit imperii nomen, patiendum esse potius, quàm ambos patricios coss. videant, nec inuicem pareatur atque imperetur, sed pars altera in æterno imperio locata plebem nusquam aliò natam quàm ad seruiendum putet. Non desunt tribuni authores turbarum: sed inter concitatos per se omnes vix duces eminent. Aliquoties frustra in campum descensum cum esset, multique per seditiones acti comitiales dies: postremò victa perseuerantia coss. plebis eò dolor erupit, vt tribunos actum esse de libertate vociferantes: relinquendúmque non campum iam solùm, sed etiam vrbem captam atque oppressam regno patriciorum, mœsta plebs sequeretur. Consules relicti à parte populi per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt creati consules ambo patricii M. Fabius Ambustus tertiùm, T. Quintius. In quibusdam annalibus pro T. Quintio M. Popilium cos. inuenio. Duo bella eo anno prosperè gesta: cum Tyburtibúsque ad deditionem pugnatum: Sassula ex his vrbs capta. cæteráque oppida eandem fortunam habuissent, ni vniuersa gens positis armis in fidem consulis venisset. triumphatum de Tyburtibus: alioquin mitis victoria fuit. In Tarquinienses acerbè sæuitum, multis mortalibus in acie cæsis: ex ingenti captiuorum numero, CCCLVIII delecti nobilissimus quisque, qui Romam mitteretur: vulgus aliud trucidatum. nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. medio in foro omnes virgis cæsi ac securi percussi. id pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis pœnæ hostibus redditum. Res bello bene gestæ, vt Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. legatis eorum comiter ab senatu responsum: fœdere in societatem accepti. Non eadem domi quæ militiæ fortuna erat plebi Romanæ. nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura erat, sorte ipsa obruebantur inopes: nexúmque inibant. eo nec patricios ambo consules, nec comitiorum curam, publicáue studia præ priuatis incommodis plebs ad animum admittebat. Consulatus vterque apud patricios manet. Consules creati, C. Sulpicius Peticus quartùm, M. Valerius Publicola iterum. In bellum Hetruscum intentam ciuitatem, quia Cæritem populum misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus adiunctum fama ferebat, legati Latini ad Volscos cõuertere, nuntiantes exercitum conscriptũ armatúmq; iam suis finibus imminere: inde populabundos in agrum Romanum venturos esse. Censuit igitur senatus, neutram negligendam rem esse. vtroque legiones scribi: consulésque sortiri prouincias iussit. Inclinauit deinde pars maior curæ in Hetruscum bellum: postquam literis Sulpitii consulis, cui Tarquinii prouincia euenerat, cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas Salinas: prædæque partem in Cæritum fines auectam, & haud dubiè iuuentutem eius populi inter prædatores fuisse. Itaque Valerium consulem Volscis oppositum, castráque ad finem Thusculanum habentem, reuocatum inde senatus dictatorem dicere iussit. T. Manlium Lucii filium dixit. Is, cum sibi magistrum equitum A.

B Cornelium Cossum dixisset, consulari exercitu contentus, ex authoritate patrum ac populi iussu Cæritibus bellum indixit. Tum primùm Cærites tanquam in verbis hostium vis maior ad bellum significandum, quàm in suis factis, qui per populationem Romanos lacessierant, esset, verus belli terror innasit: & quàm non suarum virium ea dimicatio esset, cernebant: pœnitebátque populationis. & Tarquinienses execrabantur defectionis authores, nec arma, aut bellum quisquam apparare, sed pro se quisque legatos mitti iubebat ad petendam erroris veniam. Legati senatum cum adissent, ab senatu reiecti ad populum, deos rogauerunt, quorum sacra bello Gallico accepta ritè procurassent, vt Romanos florentes ea sui misericordia caperet, quæ se rebus adfectis quondam populi Romani cepisset, conuersique ad delubra Vestæ hospitium flaminum, vestaliúmque ab se castè ac religiosè cultum, inuocabant. Eáne meritos crederet quisquam, hostes repentè sine causa factos? aut si quid hostiliter fecissent, consilio id magis, quàm furore lapsos fecisse? vt sua vetera beneficia, locata præsertim apud tam gratos, nouis corrumperent maleficiis? florentémque populum Romanum ac felicissimum bello sibi desumerent hostem, cuius afflicti amicitiam cepissent? ne appellarent consilium, quæ vis ac necessitas appellanda esset. Transeuntes agmine infesto per agrum suum Tarquinienses, cum præter viam nihil petissent, traxisse quosdam agrestium populationis eius, quæ sibi crimini detur, comites. eos, seu dedi placeat, dedere se paratos esse: seu supplicio affici, daturos pœnas. Cære sacrarium populi Romani, diuersorium sacerdotum ac receptaculum Romanorum sacrorum, intactum inuiolatúmque crimine belli, hospitio Vestalium cultúsque diis darent. Mouit populum non tam causa præsens, quàm vetus meritum, vt maleficii quàm beneficii potius immemores essent. itaque pax populo Cæriti data: induciásque in centum annos factas in senatusconsulta referri placuit. In Faliscos eodem noxios crimine vis belli conuersa est: sed hostes nusquam inuenti. Cùm populatione peragrati fines essent, ab oppugnatione vrbium temperatum: legionibúsque Romam reductis, reliquum anni muris turribúsque reficiendis consumptum. & ædes Apollinis dedicata est. Extremo anno comitia consularia certamen patrum ac plebis diremit, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum Liciniam legem haberentur: dictatore obstinato tollere potius totum è Republ. consulatum, quàm promiscuum patribus ac plebi facere. Prolatandis igitur comitiis, cum dictator magistratu abisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde patribus plebem interreges cum accepissent, ad vndecimũ interregem seditionibus certatum est. Legis Liciniæ patrociniũ tribuni iactabant: propior dolor plebi fœnoris ingrauescentis erat: curæque priuatæ in certaminibus publicis erumpebant. quorũ tædio patres L. Cornelium Scipionẽ interregẽ cõcordiæ causa obseruare legẽ Liciniam comitiis consularibus iussere. P. Valerio Publicolæ datus è plebe collega C. Martius Rutilius. Inclinatis semel in concordiam animis, noui consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere vnanimos videbatur, leuare agressi, solutionẽ alieni æris in publicam curam verterunt: quinqueuiris creatis, quos

Tyburtes se dediderè Romanis.

In Tarquinienses uictos acerbè sæuitum, ob immolatos milites Romanos.

T. Manlius dictator Cæritibus bellum indixit.

Legati Cæritum errores ueniam petunt.

Ceritibus pax data.

Aedes Apollinis dedicata.

Interregnũ.

Consulũ alter de plebe creatur.

Quinque uiri Menſarij creantur. quos menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarunt. Meriti æquitate curâque ſunt, vt per omnium A annalium monumenta celebres nominibus eſſent. fuere autem C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papyrius, Q. Publius, & T. Aemylius, qui rem difficilimam tractatu, & plerunque parti vtrique ſemper certè alteri grauem, cùm alia moderatione, tum impendio magis publico, quàm iactura ſuſtinuerunt. tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum quàm facultatibus, aut ærarium menſis cum ære in foro poſitis, diſſoluit, vt populo prius caueretur: aut æſtimatio æquis rerum pretiis liberauit, vt non modò ſine iniuria, ſed etiam ſine querimoniis partis vtriuſque exhauſta vis ingens æris alieni. *Terrore uano belli Hetruſci dictator C. Iulius dicitur.* Terror inde vanus belli Hetruſci, cum coniuraſſe duodecim populos fama eſſet, dictatorem dici coegit. dictus in caſtris (eò enim ad conſules miſſum ſenatuſconſultum eſt) C. Iulius: cui magiſter equitum adiectus L. Aemylius. Cæterùm foris tranquilla omnia fuere. Tentatum domi per dictatorem, vt ambo patricii conſules crearentur, rem ad interregnum perduxit. *Interregnū.* duo interreges C. Sulpitius, & M. Fabius interpoſiti obtinuere, quod dictator fruſtra tetenderat: mitiore iam plebe ob recens meritum leuati æris alieni, vt ambo patricii conſules crearentur. creati ipſe C. Sulpitius Peticus, qui prior interregno abiit: & T. Quintius Pœnus. quidam Cæſonem cognomen Quintio adiiciunt. Ad bellum ambo profecti: Faliſcum Quintius, Sulpitius Tarquinienſe, nuſquam acie congreſſo hoſte, cum agris magis quàm cum hominibus vrendo populandóque geſſerunt bella, cuius lentæ velut tabis ſenio victa vtriuſque pertinacia populi eſt, vt primùm à conſulibus, dein permiſſu eorum ab ſenatu inducias peterent, in quadraginta annos impetrauerunt. *Faliſci & Tarquinienſes inducias in 40. annos impetrant.* Ita poſita duorum bellorum quæ imminebant, cura, dum aliqua ab armis quies eſſet: quia ſolutio æris alieni multarum rerum mutauerat dominos, cenſum agi placuit. cæterum, cùm cenſoribus creandis indicta comitia eſſent: profeſſus ſe petere cenſuram C. Martius Rutilius, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbauit. *Cenſorum alter è plebe creatur.* quod videbatur quidem tempore alieno feciſſe: quia ambo tum fortè patricii conſules erant, qui rationem eius ſe habituros negabant. ſed & ipſe conſtantia inceptum obtinuit, & tribuni omni vi recuperando ius conſularibus comitiis amiſſum, adiuuerunt. & cùm ipſius viri maieſtas nullius honoris faſtigium non æquabat, tum per eundem, qui ad dictaturam aperuiſſet viam, cenſuram quoque in partem vocari plebs volebat. Nec variatum comitiis eſt, quin cum Manlio Næuio cenſor Martius crearetur. *Dictator cur hoc anno dictus ſit.* Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, ſed ne Licinia lex comitiis conſularibus obſeruaretur. Magiſter equitum dictatori additus Q. Seruilius, nec tamen dictatura potentiorem eum conſenſum patrum conſularibus comitiis fecit, quàm cenſoriis fuerat. M. Popilius Lenas à plebe conſul, à patribus L. Cornelius Scipio datus. Fortuna quoque illuſtriorem plebeium conſulem fecit. *Galli in agro Latino caſtra habebant.* nam cum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino caſtra poſuiſſe nuntiatum eſſet: Scipione graui morbo implicito, Galli- B cum bellum Popilio extra ordinem datum. Is impigrè exercitu ſcripto, cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores iuſſiſſet, ſignáque eódem quæſtores ex ærario deferre: quatuor expletis legionibus, quod ſuperfuit militum, P. Valerio Publicolæ prætori tradidit: author patribus ſcribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli euentus ſubſidium Reipubl. eſſet. Ipſe iam ſatis omnibus inſtructis, comparatíſque, ad hoſtem pergit. cuius vt prius noſceret vires, quàm periculo vltimo tentaret: in tumulo, quem proximum caſtris Gallorum capere potuit, vallum ducere cœpit. Geus ferox, & ingenii auidi ad pugnam, cùm procul viſis Romanorum ſignis, vt extemplò prælium initura explicuiſſet aciem: poſtquam neque in æquum dimitti agmen vidit, & cùm loci altitudine, tum vallo etiam tegi Romanos, perculſos pauore rata, ſimul opportuniores, quòd intenti tum maxime operi eſſent, truci clamore aggreditur. Ab Romanis nec opus intermiſſum, (triarii erant, qui muniebant) & ab haſtatis principibúſque, qui pro munitoribus intenti armatíque ſteterant, prælium initum. *Acre cum Gallis prælium.* Præter virtutem locus quoque ſuperior adiuuit, vt pila omnia haſtæque non tanquam ex æquo miſſa, vana (quod plerunque fit) caderent, ſed omnia librata ponderibus figerentur. oneratíque telis Galli, quibus aut corpora transfixa, aut prægrauata in hærentibus gerebant ſcuta, cum curſu penè in aduerſum ſubiſſent, primò incerti reſtitere: dein cum ipſa cunctatio & his animos minuiſſet, & auxiſſet hoſti, impulſi retro ruere alii ſuper alios, ſtragémque inter ſe cæde ipſa fœdiorem dare. adeò præcipiti turba obtriti plures, quàm ferro necati. Necdum certa Romanis victoria erat. alia in campum digreſsis ſupererat moles. nanque multitudo Gallorum ſenſum omnem talis damni exuperans, velut noua rurſus exoriente acie, integrum militem aduerſus victorem hoſtem ciebat. ſtetítque ſuppreſſo impetu Romanus, & quia iterum feſsis ſubeunda dimicatio erat, & quòd conſul, dum inter primores incautus agitat, læuo humero matari propè traiecto, ceſſerat parumper ex acie. Iámque omiſſa cunctando victoria erat, cum conſul vulnere alligato, reuectus ad prima ſigna, Quid ſtas miles? inquit. non cum Latino Sabinóque hoſte res eſt, quem victum armis ſocium ex hoſte facias. in belluas ſtrinximus ferrum: hauriendus aut dandus eſt ſanguis. propuliſtis à caſtris, ſupina valle præcipites egiſtis, ſtratis corporibus hoſtium ſuperſtatis, complete eadem ſtrage campos, qua montes repleſtis. nolite expectare, dum ſtantes vos fugiant. inferenda ſunt ſigna, & vadendum in hoſtem. His adhortationibus iterum coorti pelluut loco primos manipulos Gallorum, cuneis deinde in medium agmen perrumpunt. *Galli uincuntur.* Inde Barbari diſsipati, quibus nec certa imperia, nec duces eſſent, vertunt impetum in ſuos: fuſique per campos, & præter caſtra etiam ſua fuga prælati, quod editiſsimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petune. Conſul non vltra caſtra inſecutus, quia & vulnus degrauabat, & ſubiicere exercitum pugna feſſum nouo labori nolebat, à perſequendo hoſte continuit, tumulis ab hoſte occupatis. Præda omni

A omni castrorum militi data, victorem exercitum, opulentúmque Gallicis spoliis Romam reduxit. moram triumpho vulnus consulis attulit. eadémque causa dictatoris desiderium senatui fecit, vt esset qui ægris consulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magistro equitum P. Cornelio Scipione, reddidit patribus possessionem pristinam consulatus. ipse ob id meritum ingenti patrum studio creatus consul, collegam Ap. Claudium Crassum dixit. Priusquam inirent noui consules magistratum, triumphus à Popilio de Gallis actus magno fauore plebis: mussantésque inter se rogitabant, num quem plebeii consulis pœniteret? simul dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem consulatum priuata cupiditate, quàm publica iniuria fœdiorem, cepisset, vt se ipse consulem dictator crearet.

Popilius de Gallis triumphat.

Annus multis variísque motibus fuit insignis. Galli ex Albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiuerant, per campos maritimáque loca vagi populabantur. Mare infestum classibus Græcorum erat: oráque litoris Antiatis, Laurénsque tractus, & Tyberis hostia: vt prædones maritimi cum terrestribús congressi, ancipiti semel prælio decertarint, dubiíq; discesserint in castra Galli, Græci retrò ad naues, victos se, an victores putarent.

Mare infestum classibus Græcorum.

Inter hos longè maximus extitit terror, concilia populorum Latinorum ad lucum Ferentinæ habita: responsúmque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent. Latinos pro sua libertate potius, quàm pro alieno imperio laturos arma. Inter duo simul bella externa defectione etiam sociorum senatus anxius, cùm cerneret metu tenendos, quod fides non tenuisset; extendere omnes imperii vires consules delectu habendo iussit. ciuili quippe standum exercitu esse, quando sociales cœtus desereret. Vndique non vrbana tantum, sed etiam agresti iuuentute decem legiones scriptæ dicuntur, quaternûm millium & ducenorum peditum, equitúmque trecenorum: quem nunc nouum exercitum, si qua externa vis ingruat, hæ vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractæ in vnum haud facilè efficiant. adeò in quæ laboramus sola creuimus, diuitias luxuriámque.

Decẽ Legiones scribuntur à Coss.

Inter cætera tristia eius anni consul alter Ap. Claudius in ipso belli apparatu moritur, redierántque res ad Camillum: cui vnico consuli vel ob aliam dignationem haud subiiciendam dictaturæ, vel ob omen faustum ad Gallicum tumultum cognominis, dictatorem arrogari, haud satis decorum visum est patribus.

Camillus cõsul unicus.

Consul duabus legionibus vrbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore diuisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi bellum extra sortem sumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcósque arcere litoribus iussit. & cum in agrum Pomptinum descendisset, quia neque in campis congredi nulla cogente re volebat, & prohibendo populationibus, quos rapto viuere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem: locum idoneum statiuis delegit.

Bellũ Gallicum.

Vbi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atque armis insignis: quatiensque scutum hasta, cùm silentium fe-

B cisset, prouocat per interpretem vnum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius tribunus militum, adolescens qui haud indigniorem eo decore se quàm T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito deorum factum. nanque conserenti iam manum Romano coruus repentè in galea consedit in hostem versus. quod primò vt augurium cælo missum, lætus accepit tribunus: precatus deinde si diuus, si diua esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset. dictu mirabile: tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os oculósque hostis rostro & vnguibus appetit: donec territum prodigii talis visu, oculísque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. coruus è conspectu elatus, orientem petit.

M. Valerius cũ Gallo singulari pugna certans à coruo galeæ insidenti iuuatur.

Hactenus quietæ vtrinque stationes fuere. Postquam spoliare corpus cæsi hostis tribunus cœpit, nec Galli se statione tenuerunt, & Romanorum cursus ad victorem etiam ocyor fuit. ibi circa iacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox concitatur. Iam non manipulis proximarum stationum, sed legionibus vtrinque effusis res geritur.

Gallo victo atrox pugna concitatur.

Camillus lætum militem victoria tribuni, lætum tam præsentibus ac secundis diis, ire in prælium iubet. ostentansque insignem spoliis tribunum, hunc imitare miles, aiebat: & circa iacentem ducem sterne Gallorum cateruas. Dii hominesque illi affuere pugnæ: depugnatúmque haud quaquam certamine ambiguo cum Gallis est: adeò duorum militum euentum, inter quos pugnatum erat, vtraque acies animis præceperat. Inter primos, quorum concursus alios exciuerat, atrox prælium fuit: alia multitudo, priusquam ad coniectum teli veniret, terga vertit. primò per Volscos Faleroúmq; agrum dissipati sunt: inde Apuliam ac mare inferum petierunt.

Galli terga uertunt.

Consul concione aduocata laudatum tribunum decem bobus auréaque corona donat. ipse iussus ab senatu bellum maritimum curare, cum prætore iunxit castra. ibi, quia res trahi segnitia Græcorum non committentium se in aciem videbatur, dictatorem comitiorum causa T. Manlium Torquatum ex authoritate senatus dixit. Dictator magistro equitum A. Cornelio Cosso dicto consularia comitia habuit, æmulúmque decoris sui absentem M. Valerium Coruinum (id enim illi deinde cognominis fuit) summo fauore populi treis & viginti natum annos consulem renuntiauit. collega Coruino de plebe M. Popilius Lenas IIII. consul futurus datus est. Cum Græcis à Camillo nulla memorabilis gesta res. nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Postremò cum litoribus arcerentur, aqua etiam præter cætera necessaria vsui deficiente, Italiam reliquere. Cuius populi ea, cuiúsque gentis classis fuerit, nihil certi est. maximè Siciliæ fuisse tyrannos crediderim. nam vlterior Græcia ea tempestate intestino fessa bello, iam Macedonum opes horrebat.

Nec Græcus terra, nec Romanus mari tum tẽporis bellator erat.

Exercitibus dimissis, cum & foris pax, & domi concordia ordinum otium esset, ne nimis lætæ res essent, pestilentia ciuitatem adorta coegit senatum imperare decemuiris, vt libros Sibyllinos inspicerent: eorúmque monitu lectisternium fuit. Eodem anno Satricum ab Antiatibus colonia deducta, restitut

Pestilentia. Lectisternium.

Cum Carthaginiensibus fœdus ictum.

restitutáque vrbs quam Latini diruerant. Et cum Carthaginiensibus legatis Romæ fœdus ictum, cùm A amicitiam ac societatem petentes venissent. Idem otium domi forísque mansit, T. Manlio Torquato, C. Plautio secundùm coss. semunciarum tantum ex vnciario fœnus factum, & in pensiones æquas triennii, ita vt quarta præsens esset, solutio æris alieni dispensata est. & sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publica priuatis difficultatibus potior ad curam senatui fuit. leuatæ maximæ res, quia tributo ac delectu supersessum. Tertio anno post Satricum restitutum à Volscis, M. Valerius Coruinus secundùm consul cum C. Petilio factus, cum ex Latio nuntiatum esset, legatos ab Antio circumire populos Latinorum ad concitandum bellum: priusquam plus hostium fieret, Volscis arma inferre iussus, ad Satricum exercitu infesto pergit. quò cùm Antiates aliíque Volsci præparatis iam antè, si quid ab

Volsci victi.

Roma moueretur, copiis occurrissent, nulla mora inter iufensos diutino odio dimicãdi facta est. Volsci ferocior ad rebellandum quàm ad bellandum gens, certamine victi, fuga effusa Satrici mœnia petunt. & ne in muris quidem satis firma spe, cum corona militum cincta iam scalis caperetur vrbs, ad

Satricum diruitur.

quatuor millia præter multitudinem imbellem, sese dedidere. oppidum dirutum atque incensum. ab æde tantum matris Matutæ abstinuere ignem. præda omnis militi data, extra prædam quatuor millia deditorum habita. eos vinctos consul ante currum triumphans egit: venditis deinde, magnam pecuniam iu ærarium redegit. Sunt qui hanc multitudinem captiuam seruorum fuisse scribant: ídque magis verisimile est, quàm deditos venisse. Hos consules secuti sunt M. Fabius Dorsuo, Ser. Sulpitius Ca-

Auruncum bellum.

merinus. Auruncum inde bellum ab repentina populatione cœptum. metúque, ne id factum populi vnius consilium omnis uominis Latiui esset, dictator velut aduersus armatum iam Latium L. Furius creatus, magistrum equitum Cn. Manlium Capitolinum dixit. & cùm (quod per magnos tumultus fieri solitum erat) iustitio indicto delectus sine vacationibus habitus esset: legiones quantum maturari potuit, in Auruncos ductæ. ibi prædonum magis, quàm hostium animi inuenti. prima itaque acie debellatum est. Dictator tamen, quia & vltrò bellum intulerant, & sine detrectatione se certamini

Aedes Iunoni Monetæ mouetur.

offerebant: deorum quoque opes adhibendas ratus inter ipsam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouit. cuius damnatus voti, cùm victor Romam reuertisset, dictatura se abdicauit. Senatus duumuiros ad eandem ædem pro amplitudine P. R. faciendam creari iussit. locus in arce destinatus, quæ area ædiũ M. Manlii Capitolini fuerat. Consules dictatoris exercitu ad bellum Volscum vsi, Soram ex hostibus, incautos adorti ceperunt. Anno postquam vota erat, ædes Monetæ dedicatur, C. Martio Rutilio III, T. Manlio Torquato II cos. Prodigium extemplò dedicationem secutum, simile vetusto montis

Dictator feriarum constituendarũ causa creatur.

Albani prodigio. nanque & lapidibus pluit, & nox interdiu visa intendi. librísque inspectis, cùm plena religione ciuitas esset, senatui placuit, dictatorem feriarum constituendarum causa dici. dictus P. Valerius Publicola, magister equitum ei Q. Fabius Ambustus datus est. Non tribus tantùm supplica- B tum ire placuit, sed finitimos etiam populos: ordóque iis, quo quisque die supplicarent, statutus. Iudicia eò anno populi tristia in fœneratores facta. quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. Et res

Interregnũ.

haud vlla insigni ad memoriam causa ad interregnum rediit. Ex interregno, vt id actum videri posset, ambo patricii consules creati sunt, M. Valerius Coruinus III, A. Cornelius Cossus. Maiora iam hinc bella & viribus hostium, & longinquitate, vel regionum, vel temporum spatio, quibus bellatum est, dicentur. nanque eo anno aduersus Samnites, gentem opibus, armísque validam mota arma. Samnitium bellum ancipiti Marte gestum. Pyrrhus hostis, Pyrrum Pœni secuti. quanta rerum moles? quoties in extrema periculorum ventum? vt in hanc magnitudinem, quæ vix sustinetur, erigi imperium posset? Belli autem causa cum Samnitibus Romanis, cùm societate amicitiáque iuncti essent, extrinsecus ve-

Samnitium bellum quibus de causis susceptũ sit.

nit, non orta inter ipsos est. Samnites Sidicinis iniusta arma, quia viribus plus poterant cum intulissent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis sese coniungunt. Campani magis nomen ad præsidium sociorum, quàm vires cùm attulissent, fluentes luxu ab duratis vsu armorum in Sidicino pulsi agro, in se deinde molem omnem belli verterunt. nanque Samnites omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum, Campanos adorti, vnde æquè facilius victoria, prædæ atque gloriæ plus es-

Tifata colles.

set: Tifata imminentes Capuæ colles cum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem quæ Capuam Tifatáque interiacet. ibi rursus acie dimicatum: aduersóque prælio Campani inter mœnia compulsi, cùm robore iuuentutis suæ acciso, nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium. Legati introducti in senatum, maximè in hanc sententiam locuti

Legatorum Campanorum oratio in senatu.

sunt: Populus nos Campanus legatos ad vos P. C. misit, amicitiam in perpetuum, auxilium præsens à vobis petitum. quam si secundis rebus nostris petissemus, sicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta esset. tum enim, vt qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subiecti atque obnoxii vobis minus essemus. nunc misericordia vestra conciliati, auxilióque in dubiis rebus defensi, beneficium quoque acceptum colamus oportet, ne ingrati, atque omni ope diuina humanáque indigni videamur. Neque hercule, quòd Samnites priores amici sociíque vobis facti sunt, ad id valere arbitror, ne nos in amicitiam suscipiamur: sed vt vetustate, & gradu honoris nos præstent. neque enim fœdere Samnitium, ne qua noua iungeretis fœdera, cautum est. Fuit quidẽ apud vos semper satis iusta causa amicitiæ, velle eum vobis amicum esse, qui vos appeteret. Campani, etsi fortuna præsens magnifice loqui prohibet, non vrbis amplitudine, non agri vbertate vlli populo, præterquàm vobis cedentes, haud parua (vt arbitror) accessio bonis rebus vestris, in amicitiam venimus vestram. Aequis, Volscísque æternis hostibus huius vrbis, quandocunque se mouerint, ab tergo erimus: & quod vos pro salute nostra priores feceritis, id nos pro imperio vestro, & gloria semper faciemus. Subactis iis gentibus, quæ inter nos vósque sunt, quod propediem futurũ spondet & virtus

&

A & fortuna vestra, continens imperium vsque ad nos habebitis. Acerbum & miserum est, quod fateri nos fortuna nostra cogit. Eo ventum est Patres Conscripti, vt aut amicorum aut inimicorũ Campani simus. si defenditis, vestri: si deseritis, Samnitium erimus. Capuam ergo, & Campaniam omnem vestris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam, vestrúmque auxilium æquum est patêre: iis tamen maximè, qui eam implorantibus aliis auxilium dum supra vires suas præstant, omnes ipsi in hanc necessitatem venerunt. quanquam pugnauimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cùm videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & vbi conflagrassent Sidicini, ad nos traiecturum illud incendium esse. Nec enim nunc, quia dolent iniuriam acceptam Samnites, sed quia gaudent oblatam sibi esse causam, oppugnatum nos veniunt. An si vltio iræ hæc, & non occasio cupiditatis explendæ esset, parum fuit quòd semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere? Quæ est ista tam infesta ira, quam per duas acies fusus sanguis explere non potuerit? Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum actas, incendia villarum, ac ruinas, omnia ferro igniq; vastata. Hiscine ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda est: ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere vrbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed vos potiùs Romani beneficio vestro occupate eam, quàm illos habere per maleficium sinatis. Non loquor apud recusantem iusta bella populum. Sed tamen si ostenderitis auxilia vestra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. Vsque ad nos contemptus Samnitium peruenit, suprà non ascendit. Itaque vmbra vestri auxilii Romani tegi possumus: quicquid deinde habuerimus, quicquid ipsi fuerimus, vestrum id omne existimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua vrbs frequentabitur: conditorum, parentum, deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia vestra erit, quæ nos obsequio erga vos fidéque superet. Annuite Patres Conscripti nutum noménque vestrum inuictum Campanis, & iubete sperare incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis prosequente creditis nos illinc profectos? quàm omnia votorum lacrymarúmque plena reliquisse? in qua nunc expectatione senatum, populúmque Campanum, coniuges, liberósque nostros esse? stare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem prospectantes certum habeo, quid illis nos Patres Conscripti solicitis ac pendentibus animis renuntiare iubeatis. Alterum responsum salutem, victoriam, lucem ac libertatem: alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde vt aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam vllis futuris nobis consulite. Summotis deinde legatis, cùm consultus senatus esset, etsi magnæ parti vrbs maxima opulentissimáque Italiæ vberrimus ager, maríque propinquus ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videbatur: tamen tanta vtilitate fides antiquior fuit, respondítq; ita ex

Consulis responsum ad legatos Cãpanos.

B authoritate senatus consul: Auxilio vos Campani dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere iuncti sunt. Itaque arma deos priùs, quàm homines violatura, aduersus Samnites vobis negamus: legatos sicut fas iúsque est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat. Ad ea princeps legationis (sic enim domo mandatum attulerat) quandoquidem, inquit, nostra tueri aduersus vim atq; iniuriam iusta vi non vultis, vestra certè defendetis. itaque populum Campanum, vrbémq; Capuam, agros, delubra deûm, diuina humanáque omnia in vestram Patres Conscripti populíque Romani ditionem dedimus, quicquid deinde patiemur, dediticii vestri passuri. Sub hæc dicta omnes manus ad Cos. tendentes, pleni lacrymarum in vestibulo curiæ procubuerunt. Commoti patres vice fortunarum humanarum, si ille præpotens opibus populus, luxuria superbiáque clarus, à quo paulo antè auxilium finitimi petissent, adeò infractos gereret animos, vt se ipse suáque omnia potestatis alienæ faceret: tum iam fides agi visa, deditos non prodi, nec facturum æqua Samnitium populum censebant, si agrum vrbémque per deditionem factam populo Romano oppugnarent. legatos itaque extemplò mitti ad Samnites placuit. data mandata, vt preces Campanorum, responsum senatus amicitiæ Samnitium memor, deditionem postremò factam, Samnitibus exponerent: peterent pro societate amicitiáque, vt dediticiis suis parcerent: neque in eum agrum, qui populo Romano factus esset, hostilia arma inferrent. si leniter agendo parum proficerent, denuntiarẽt Samnitibus populi Romani senatúsq; verbis, vt Capua vrbe Campanóque agro abstinerent. Hæc legatis agentibus in consilio Samnitium, adeò est ferociter responsum, vt non solùm gesturos se esse dicerent id bellum, sed magistratus eorum è curia egressi stantibus legatis præfectos cohortium vocarent. iísque clara voce imperarent, vt prædatum in agrum Campanum extemplò proficiscerentur. Hac legatione Romam relata, positis omnium aliarum rerum curis, patres fœcialibus ad res repetendas missis, bellóque quia non redderentur, solenni more indicto, decreuerunt, vt primo quoque tempore de ea re ad populum ferretur. iussúque populi consules ambo cum duobus ab vrbe exercitibus profecti. Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium: ille ad montem Gaurum, hic ad Satriculam castra ponunt. Priori Valerio Samnitium legiones (eò nanque omnem belli molem inclinaturam censebant) occurrit. simul in Campanos stimulabat ira, tam promptos nunc ad ferenda, nunc ad accersenda aduersus se auxilia. Vt verò castra Romana viderunt, ferociter pro se quisque signum duces poscere, affirmare eadem fortuna Romanum Campano laturũ opem, qua Campanus Sidicino tulerit. Valerius leuibus certaminibus tentandi hostis causa haud ita multos moratus dies, signũ pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus. Ne nouum bellum eos, nouúsque hostis terreret. quicquid ab vrbe longius proferrent arma, magis magísque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorúmque cladibus Samnitium æstimarent virtutem. qualescunque inter se certauerint, necesse fuisse alteram partem vinci. Campanos

Cãpani sese Romanis dedunt.

Ad Samnites mittunt legati Romani.

Samnitibus bellum indicitur.

Valerij Cos. ad milites oratio.

quidem haud dubiè magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiáque sua, quàm vi hostium victos esse. A
Quid autem esse duo prospera in tot seculis bella Samnitium aduersus tot decora populi Romani, qui triumphos penè plures quàm annos ab vrbe condita numeret? qui omnia circa se, Sabinos, Hetruriam, Latinos, Hernicos, Aequos, Volscos, Auruncos, domita armis habeat? qui Gallos tot prœliis cæsos, postremò in mare ac naues fuga compulerit? Cum gloria belli ac virtute sua quenque fretos ire in aciem debere: tum etiam intueri cuius ductu auspicióque ineunda pugna sit: vtrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers? an qui & ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat? Facta mea, non dicta vos milites, inquit, sequi volo: nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à me petere. Non factionibus modò, nec per conciones vsitatas nobilibus, sed hac dextra mihi tres consulatus summámque laudem peperi. Fuit cùm hoc dici poterat, Patricius enim eras, & à liberatoribus patriæ ortus: & eodem anno familia ista consulatum, quo vrbs hæc consulem habuit. Nunc iam nobis patribus, vobísq; plebeiis promiscuus consulatus patet: nec generis, vt antè, sed virtutis est præmium. proinde summum quódque spectate milites decus. Non si mihi nouum hoc Coruini cognomen diis authoribus homines dedistis, Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. semper ego plebem Romanam militiæ domíque, priuatus, in magistratibus paruis magnísq;, æquè tribunus ac COS. eodem tenore per omnes deinceps consulatus colo atque colui. Nunc quod instat, diis bene iuuantibus nouum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite. Non aliàs militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud grauatè munia obeundo. in ludo præterea militari, cum velocitatis viriúmq; inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem: nec quenquam aspernari, parem qui se offerret: factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quàm suæ dignitatis memor: & quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat. Itaque vniuersus exercitus incredibili alacritate adhortationem prosecutus ducis, castris egreditur. Prælium vt quod maximè vnquam, pari spe, vtrinque æquis viribus cum fiducia sui, sine contemptu hostium commissum est. Samnitibus ferociam augebant nouæ res gestæ, & paucos ante dies geminata victoria. Romanis contrà, quadringentorũ annorum decora, & conditæ vrbi æqualis victoria. vtrísque tamen nouus hostis curam addebat. pugna indicio fuit, quos gesserint animos. nanque ita conflixerunt, vt aliquandiu in neutram partem inclinaret acies. Tum consul trepidationem iniiciendam ratus, quando vi pelli non poterant: equitibus immissis turbare prima signa hostium conatur. quos vbi nequicquã tumultuantes in spatio exiguo voluere turmas vidit, nec posse aperire in hostes viam, reuectus ad antesignanos legionum, cùm desiluisset ex equo, Nostrum, inquit, peditum illud milites est opus: agitedum, vt me videritis, quacunque incessero, in aciem hostiũ ferro B
viam facientem, sic pro se quisque obuios sternite. illa nunc omnia, qua nunc erectæ micant hastæ, patefacta strage vasta cernetis: Hæc dicta dederat, cùm equites consulis iussu discurrunt in cornua, legionibúsque in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium consul inuadit hostem: & cum quo fortè contulit gradum, obtruncat. hoc spectaculo accensi, dextra læuáque ante se quisque memorandum prælium ciet. stant obnixi Samnites, quanquã plura accipiunt quàm inferunt vulnera. Aliquandiu iam pugnatum erat: atrox cædes circa signa Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat: adeò morte sola vinci destinauerant animis. Itaque Romani cùm effluere iam lassitudine vires sentirent, & diei haud multum superesse, accensi ira concitant se in hostem. Tum primùm referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit, tum capi, occidi Samnis. nec superfuissent multi, ni nox victoriam magis quàm prælium diremisset. & Romani fatebantur nunquam cum pertinaciore hoste conflictum. & Samnites, cum quæreretur quænam prima causa tam obstinatos mouisset in fugam, oculos sibi Romanorum ardere visos aiebant, vesanósque vultus & furentia ora. inde plusquam ex alia vlla re terroris ortum. Quem terrorem non pugnæ solum euentu, sed nocturna profectione confessi sunt. Postero die vacuis hostium castris Romanus potitur, quò se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit. Cæterùm hoc gaudium magna propè clade in Samnio fœdatum est. nam ab Satricula profectus Cornelius Cos. exercitum incautè in saltum caua valle peruium, circáque insessum ab hoste induxit: nec prius quàm recipi tutò signa non poterant, imminentẽ capiti hostem vidit. Dum id moræ Samnitibus est, quo ad totum in vallem infimam demitteret agmen, P. Decius tribunus militum conspicit vnum editum in saltu collem, imminentem hostium castris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. itaque consuli territo animi, Vidésne tu, inquit, A. Corneli cacumen illud supra hostem? arx illa est spei salutísque nostræ, si eam, quam cæci reliquere Samnites, impigrè capimus. nec tu mihi plus, quàm vnius legionis principes hastatósque dederis: cum quibus vbi euasero in summum, perge hinc omni liber metu: téque & exercitum serua. neque enim moueri hostis subiectus nobis ad omnes ictus sine sua pernicie poterit. nos deinde aut fortuna populi Romani, aut nostra virtus expediet. Collaudatus à consule, accepto præsidio vadit occultus per saltus: nec prius ab hoste est visus, quàm loco quem petebat appropinquauit. Inde admiratione pauentibus cunctis, cùm omnium in se vertisset oculos: & spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum, & ipse in summo constitit vertice. Samnites dum huc illuc signa vertunt: vtriusque rei omissa occasione, neque insequi consulem, nisi per eandem vallem, in qua paulo antè subiectum eum telis suis habuerant, possunt: nec erigere agmen in captum super se ab Decio tumulum. sed cùm ira in hos magis, qui fortunam gerendæ rei eripuerant, tum propinquitas loci, atque ipsa paucitas incitat: & nunc circundare vndique collem armatis volunt, vt à consule Decium intercludant: nunc viam patefacere, vt digressos

Valerij Cos. laudes.

Atrox prælium Romanorum & Samnitiũ.

Samnites vincuntur.

Samnitiũ castra spoliantur.

Cornelius Cos. exercitum suum in loca ab hostibus infessa induxit.

A digressos in vallem adoriantur. incertos quid agerent, nox oppressit. Deciū primùm spes tenuit, cum subeuntibus in aduersum collem ex superiore loco se pugnaturum: deinde admiratio incessit, quòd nec pugnam inirent, nec si ab eo consilio iniquitate loci deterrerentur, opere se valloque circundarent. Tum centurionibus ad se vocatis: Quænam illa inscitia belli ac pigritia est? aut quónam modo isti ex Sidicinis Campanísq; victoriam pepererunt? huc atque illuc signa moueri, ac modò in vnum conferri, modò educi videtis. opus quidem incipit nemo: cum iam circundati vallo potuerimus esse. Tum verò nos similes istorum simus, si diutius hic moremur, quàm commodum sit. agitedum, ite mecum, ut dum lucis aliquid superest, quibus locis præsidia ponant, quà pateat hinc exitus, exploremus. Hæc omnia sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustrauit. Vigiliis deinde dispositis, cæteris omnibus tesseram dari iubet: vbi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent. Quò vbi, sicut edictum erat, taciti conuenerunt: Hoc silentium milites, inquit, omisso militari assensu, in me audiendo seruandum est. vbi sententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis. quæ pars maior erit, eo stabitur consilio. Nunc quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumuenit hostis. virtute cepistis locum: virtute hinc oportet euadatis. veniendo huc exercitum egregium populi Romani seruastis: erumpendo hinc vosmetipsos seruate. digni estis qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam vsus non sit: hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non antè viderit, quàm captum à nobis: nos tam paucos tot ipse millibus hominum nec ascensu arcuerit: nec tenentes locum, cum diei tantum superesset, vallo circundederit. quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum oportet fallatis: immo necesse est. in eo enim loco res sunt nostræ, vt ego uobis magis necessitatis vestræ index, quàm consilii author sim. neque enim maneatis, an abeatis hinc, deliberari potest, cum, præter arma & animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit: fame & siti moriendum sit, si plus quàm viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo vna est salus, erumpere hinc, atque abire. id aut interdiu, aut nocte faciamus oportet. Ecce hoc aliud minus dubium. quippe si lux expectetur, quæ spes est, non vallo perpetuo fossáque nos septurum hostem? qui nunc in corporibus suis subiectis vndique cinxerit, vt videtis, collem. atque si nox opportuna est eruptioni, sicut est, hæc profectò noctis aptissima hora est. signo secundæ vigiliæ conuenistis, quod tempus mortales somno altissimo premit. per corpora sopita vadetis, vel silentio incautos fallentes, vel sentientibus clamore subitò pauorem iniecturi. me modò sequimini, quem secuti estis. ego eandem, quæ

B duxit huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria videntur, agitedum, in dextram partem pedibus transite. Omnes transierunt, vadentémque per intermissa custodiis loca Decium secuti sunt. Iam euaserant media castra, cùm superscandens vigilum strata somno corpora miles offenso scuto præbuit sonitum. quo excitatus vigil, cùm proximum mouisset, erectíque alios concitarent ignari ciues an hostes essent: præsidium erumperet, an consul castra cepisset: Decius, cum non fallerent, clamorem tollere iussis militibus, torpidos somno insuper pauore exanimat: quo præpediti nec arma impigrè capere, nec obsistere, nec insequi poterant. Inter trepidationem tumultúmque Samnitium, præsidium Romanum, obuiis custodibus cæsis, ad castra consulis peruadit. Aliquantum supererat noctis: iámque in tuto videbantur esse, cum Decius, Macti virtute, inquit, milites Romani este. vestrum iter ac reditum omnia secula laudibus ferent. sed ad conspiciendam tantam virtutem, luce ac die opus est: nec vos digni estis quos cum tantâ gloria in castra reduces silentium ac nox tegat. hic lucem quieti opperiamur. Dictis obtemperatum. atque vbi primùm illuxit, præmisso nuntio ad consulem, in castra ingenti gaudio concitantur: & tessera data, incolumes reuerti qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo obiecissent, pro se quisque obuiam effusi laudant, gratulantur, singulos vniuersósque seruatores suos vocant: diis laudes gratésque agunt, Decium in cælum ferunt. Hic Decii castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, coniectis in eum omnium oculis, & omni honore tribunum consuli æquantibus. Vbi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem conuocat: orsúsque meritas Decii laudes, interfante ipso Decio, distulit concionem: qui author omnia posthabendi, dum occasio in manibus esset, perpulit consulem, vt hostes & nocturno pauore attonitos, & circa collem castellatim dissipatos aggrederetur. credere etiam aliquos ad se sequendum emissos, per saltum vagari. Iussæ legiones arma capere: egressæque castris, cum per exploratores notior iam saltus esset, via patentiore ad hostem ducuntur. quem incautum improuiso adortæ, cum palati passim Samnitium milites, plerique inermes, nec coire in unum, nec arma capere, nec recipere intra vallum se possent, pauentem primùm intra castra compellunt: deinde castra ipsa turbatis stationibus capiunt. perfertur circa collem clamor: fugátq; ex suis quenque præsidiis. ita magna pars absenti hosti cessit. quos intra vallū egerat pauor (fuere autem ad xxx. millia) omnes cæsi, castra direpta. Ita rebus gestis cos. aduocata concione, P. Decii non cœptas solum antè, sed cumulatas noua uirtute laudes peragit: & præter militaria alia dona aurea corona eum, & centum bobus, eximióque vno albo opimo auratis cornibus donat. Milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bobus, binísque priis tunicis donati. Secundum consulis donationem legiones gramineam coronam obsidialem clamore donum approbantes, Decio imponunt. altera corona eiusdem honoris index à præsidio suo imposita est. His decoratus insignibus, bouem eximium Marti immolauit, centum boues militibus

Decij tribuni militum ad centuriones oratio.

Decij ad milites oratio.

Decius per media hostium castra cum suis saluus euasit.

Decij castrēsis triūphus.

Samnitium castra direpta, cæsis ad xxx. milia hostibus.

Decius mulctus d[illegible] & laudibus cumulatur

dono dedit, qui secum in expeditione fuerant. iisdem militibus legiones libras farris, & sextarios vini contulerunt. omniáque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur. Tertia pugna ad Suessulam commissa est: qua fugatus à M. Valerio Samnitium exercitus, omni robore iuuentutis domo accito, certamine vltimo fortunam experiri statuit. Ab Suessula nuntii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium c o s. opem oratum veniunt. Confestim signa mota: relictísque impedimentis castrorum valido præsidio, raptim agitur agmen: nec procul ab hoste locum exiguum, vt quibus præter equos cæterorum iumentorum calonúmque turba abesset, castris cepit. Samnitium exercitus, velut haud vlla mora pugnæ futura esset, aciem instruit. deinde postquam nemo obuius ibat, infestis signis ad castra hostiũ succedit. ibi vt militem in vallo vidit, missique ab omni parte exploratum, quàm in exiguum orbem contracta castra essent, paucitatem inde hostium colligentes, retulerunt: fremere omnis acies, complendas esse fossas, scindendúmque vallum, & in castra irrumpendum. transactúmque ea temeritate bellum foret, ni duces continuissent impetum militum. Cæterùm quia multitudo sua commeatibus grauis, & prius sedendo ad Suessulam, & tunc certaminis mora, haud procul ab rerum omnium inopia esset, placuit dum inclusus paueret hostis, frumentatum per agros militem duci. interim & Romano, qui expeditus quãtum humeris inter arma geri posset, frumenti secum attulisset, defutura omnia. Consul palatos per agros cùm vidisset hostes, stationes infrequentes relictas, paucis milites adhortatus ad castra oppugnanda ducit. quæ cum primo clamore atque impetu cepisset, pluribus hostium in tentoriis suis, quàm in portis valloque cæsis, signa captiua in vnum locum conferri iussit. relictísque duabus legionibus, custodiæ & præsidii causa, graui edicto monitis, vt donec ipse reuertisset, præda abstinerent: profectus agmine instructo, cum præmissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit. nam neque quo signo coirent inter se, neque vtrum castra peterent, an longiorem intenderẽt fugam, territis constare poterat. tantúmque fugæ ac formidinis fuit, vt ad x l millia scutorum, nequaquam tot cæsis, & signa militaria cum iis, quæ in castris capta erant, ad c l x x ad consulem deferrentur. Tum in castra hostium reditum: ibique omnis præda militi data. Huius certaminis fortuna & Faliscos, cum in induciis essent, fœdus petere ab senatu coegit: & Latinos iam exercitibus comparatis ab Romano in Pelignum vertit bellum. Neque ita rei gestæ fama Italiæ se finibus tenuit: sed Carthaginienses quoq; legatos gratulatum Romam misere cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur. fuit † pondo x x v. Consules ambo de Samnitibus triumpharunt, sequente Decio insigni cum laude, donísque: cum incondito militari ioco haud minus tribuni celebre nomen, quàm consulum esset. Campanorum deinde, Suessanorúmque auditæ legationes: precantibúsque datum, vt præsidium eò in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur. Iam tum minimè salubris militari disciplinæ Capua. instrumento omnium voluptatum delinitos militum animos auertit à memoria patriæ. inibantúrque consilia in hybernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent: neque immeritò suum ipsorum exemplum in eos versurum. Cur autem potius Campani agrum Italiæ vberrimũ, dignam agro vrbem, qui nec se, nec sua tutari possint, quàm victor exercitus haberet, qui suo sudore ac sanguine inde Samnites depulisset? An æquum esse, deditios suos illa fertilitate atque amœnitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido circa vrbem solo luctari: aut in vrbe insidentem labem crescentis in dies fœnoris pati? Hæc agitata occultis coniurationibus, necdum vulgata in omnes consilia inuenit nouus c o s. C. Martius Rutilius: cui Campania sorte prouincia euenerat, Q. Seruilio collega ad vrbem relicto. Itaque cum omnia ea, sicut gesta erant, per tribunos cõperta & ætate haberet, & vsu doctus: quippe qui iam quartùm c o s. esset, dictatórque & censor fuisset: optimum ratus, differendo spem quandocunq; vellent consilii exequendi, militarem impetum frustrari, rumorem dissipat in iisdem oppidis & anno pòst præsidia hybernatura. diuisa enim erant per Campaniæ vrbes, manauerántque à Capua consilia in exercitum omnem. Eo laxamento cogitationibus dato, quieuit in præsentia seditio. consul educto in æstiua milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit, aliis emerita dicendo stipendia esse: alios graues iam ætate, aut viribus parum validos. quidam in cõmeatus mittebantur, singuli primò, deinde & cohortes quædam, quia procul ab domo ac rebus suis hybernassent. per speciem etiam militarium vsuum cum alii aliò mitterẽtur, magna pars ablegati. quam multitudinem consul alter Romæ, prætórque alias ex aliis fingendo moras retinebat. & primò quidem ignari ludificationis, minimè inuiti domos reuisebant. postquam neque reuerti ad signa primos, nec fermè alium quàm qui in Campania hybernassent, præcipuéque ex iis seditionis authores mitti viderunt: primùm admiratio, deinde haud dubius timor incessit animos, consilia sua emanasse, iam quæstiones, iam iudicia, iam occulta singulorum supplicia, impotẽsque & crudele consulum ac patrum in se regnum passuros. Hæc qui in castris erant, occultis sermonibus serunt, neruos coniurationis eiectos arte consulis cernentes. Cohors vna, cùm haud procul Anxure esset, ad Lautulãs saltu angusto inter mare ac montes cõsedit, ad excipiendos quos consul aliis atque aliis (vt antè dictum est) causis mittebat. Iam valido admodum numero manus erat, nec quicquã ad iusti exercitus formam, præter ducem, deerat. incompositi itaque prædantes in agrum Albanum perueniũt, & sub iugo Albæ Longæ castra vallo cingunt. perfecto inde opere, reliquum diei de imperatore sumendo sententiis decertant, nulli ex præsentibus satis fidentes. quem autem ab Roma posse acciri? quem patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat, aut cui ex iniuria insanientis exercitus causa rectè committatur? Postero die cùm eadem deliberatio teneret, ex prædatoribus vagis quidam compertum

Samnitium exercitus à M. Valerio Cos. fugatus.

Sãnites uincuntur.

Carthaginienses legatos gratulatum Romã misere.

†Val. 2600 coron.

Triumphus de Samnitibus.

Capua uoluptatum omnium magistra.

Milites Romani de occupanda Capua clàm ineunt consilia.

Coniuratorum exercitus colligitur.

A

B

A tum attulerunt, T. Quintium in Thusculano agrum colere, vrbis honorúmque immemorem. Patriciæ hic vir gentis erat, cui cum militiæ magna cum gloria actæ finem pes alter ex vulnere claudus fecisset, ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Nomine audito, extemplò agnouere virum: & quod bene verteret, acciri iusserunt. sed parum spei erat, voluntate quicquam facturum. vim adhiberi ac metum placuit. Itaque silentio noctis, cùm tectum villæ, qui ad id missi erant, intrassent, somno graui Quintium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem, aut, vbi restitaret, mortem, ni sequeretur, denuntiantes, in castra pertraxerunt. Imperator extemplò aduenienti appellatus: insigniáque honoris exterrito subitæ rei miraculo deferunt, & ad vrbem ducere iubent. Suo magis inde impetu, quàm consilio ducis conuulsis signis, infesto agmine ad lapidem octauum viæ, quæ nunc Appia est, perueniunt: issséntque confestim ad vrbem, ni venire contra exercitum, dictatorémque aduersus se M. Valerium Coruinum dictum, audissent, & magistrum equitum L. Aemylium Mamercum. Vbi primùm in conspectum ventum est, arma, signáque agnouere: extemplò omnibus memoria patriæ iras permulsit. nondum erant tam fortes ad sanguinem ciuilem: nec præter externa nouerant bella: vltimáque rabies secessio ab suis habebatur. Itaque iam duces, iam milites vtrinque congressus quærere ad colloquia. Quintius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum aduersus patriam: Coruinus omnes charitate ciues, præcipuè milites, & ante alios suum exercitum complexus, ad colloquium processit. cognito ei extemplò haud minor ab aduersariis verecundia, quàm ab suis silentium datum: Deos, inquit, immortales, milites, vestros publicos, meósq; ab vrbe proficiscens ita adoraui, veniámque supplex poposci, vt mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam darent: satis fuit, erítque vnde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. quòd deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, eius me compotem voti vos facere potestis: si meminisse vultis non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles, quos cernitis, patriæ vestræ esse: si hunc exercitum ciuium vestrorum: si me consulem vestrum, cuius ductu auspicióque priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Valerius Coruinus, milites: cuius vos nobilitatem beneficiis erga vos, non iniuriis sensistis: nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis S.C. author: in omnibus meis imperiis in me seuerior, quàm in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam maiestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt: is eram natus, id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, vt potuerim treis & viginti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solum plebi. Quod meum factum, dictúmve consulis grauius, quàm tribuni audistis? eodem tenore duos insequentes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur: vt neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior, quàm

Coniurati Quintiũ ducẽ sibi vi adhibita præficiunt.

Valerius Coruinus dictator dicitur aduersus coniuratos.

Dictatoris ad coniuratos oratio.

B in vos, horreo dicere hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum, quàm in vos ego. istinc signa canent, istinc clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum est. inducite in animum, quod non induxerunt patres auique vestri: non illi, qui in Sacrum montem secesserunt: non hi, qui posteà Auentinum insederunt. expectate dum vobis singulis, vt olim Coriolano, matres coniugésq; crinibus passis obuiæ ab vrbe veniant. tum Volscorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieuerunt: vos Romanus exercitus non destiteritis impio bello? T. Quinti, quocunque istic loco seu volens, seu inuitus constitisti, si dimicandum erit, tum tu in nouissimos te recipito: fugeris etiam honestius, tergúmque ciui dederis, quàm pugnaueris contra patriam. nunc ad pacificandum bene atque honestè inter primos stabis, & colloquii huius salutaris interpres fueris. postulate æqua, & ferte: quanquam vel iniquis standum est potius, quàm impias inter nos conseramus manus. T. Quintius plenus lacrymarum, ad suos versus, Me quoque, inquit, milites, si quis vsus mei est, meliorem pacis, quàm belli habetis ducem. Non enim illa modò Volscus aut Samnis, sed Romanus verba fecit, vester consul, vester imperator milites: cuius auspicia pro vobis experti, nolite aduersus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum infestius, & alios duces senatus habuit: qui maximè vobis suis militibus parceret, cui plurimum vos imperatori vestro crederetis, eum elegit. pacem, etiam qui vincere possunt, volunt. quid nos velle oportet? quin omissis ira & spe fallacibus authoribus, nos ipsos nostráque omnia cognitæ permittimus fidei? Approbantibus clamore cunctis, T. Quintius ante signa progressus, in potestate dictatoris milites fore dixit: orauit, vt causam miserorum ciuium susciperet: susceptámque eadem fide, qua Rempublicam administrare solitus esset, tueretur. sibi se priuatim nihil cauere: nolle alibi, quàm in innocentia spem habere. militibus cauendum, quod apud patres semel plebi, iterum legionibus cautum sit, ne fraudi secessio esset. Quintio collaudato, cæteris bonum animum habere iussis, dictator equo citato ad vrbem reuectus, authoribus patribus tulit ad populum in luco Petilino, ne cui militum fraudi secessio esset. orauit etiam bona venia Quirites, ne quis eam rem ioco, seriòve cuiquam exprobraret. Lex quoque sacrata militaris lata est, ne cuius militis scripti nomen, nisi ipso volente deleretur: additúmque legi, ne quis, vbi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. id propter P. Salonium postulatum est ab coniuratis: qui alternis propè annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primi pili appellant. huic infensi milites erant, quòd semper aduersatus nouis consiliis fuisset, & ne particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent. Itaque cum hoc vnum propter Salonium ab senatu non impetraretur, tum Salonius obtestatus Patres Conscriptos, ne suum honorem pluris, quàm cõcordiam ciuitatis æstimarent, perpulit vt id quoque ferretur. Aequè impotens postulatum fuit, vt de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur, quòd aduersati coniurationi fuissent. Præter hæc inuenio apud quosdam, L. Genutium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret. Item

T. Quintij coniuratorũ ducis ad suos oratio.

Cõiurati in potestate dictatoris se fore dicunt.

Pacis leges inter patres & coniuratos.

aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus vno anno gereret, vtique liceret consules ambos plebeios creari. quæ si omnia concessa sunt plebi, apparet haud paruas vires defectionem habuisse. Aliis annalibus proditum est, neque dictatorem Valerium dictum, sed per consules omnem rem actam: neque antequam Romam veniretur, sed Romæ eam multitudinem coniuratorum ad arma consternatam esse: nec in T. Quintii villam, sed in ædes C. Manlii nocte impetum factum: cúmque à coniuratis comprehensum, vt dux fieret: inde ad quartum lapidem profectos loco munito consedisse: nec ab ducibus mentionem cōcordiæ ortam, sed repentè, cum in aciem armati exercitus processissent, salutationem factam: & permistos dextras iungere, ac complecti inter se lacrymantes milites cœpisse: coactósque consules, cum viderent auersos à dimicatione militum animos, retulisse ad patres de concordia reconcilianda. adeò nihil, præterquam seditionem fuisse, eámque compositam, inter antiquos authores constat. Et huius fama seditionis, & susceptū cum Samnitibus graue bellum, aliquot populos ab Romana societate auertit, & præter Latinorum infidum iam diu fœdus, Priuernates etiam Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas incursione subita depopulati sunt. A

Variāt annales de hac coniuratione.

Priuernates colonias Romanas depopulantur.

DECADIS PRIMAE LIBER VIII.

Latini cum Campanis defecerunt, & missis legatis ad senatum conditionem tulerunt: ut, si pacem habere uellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium suum, quòd contra edictum pugnauerat aduersum Latinos, quamuis prosperè pugnasset, securi percussit. Laborantibus Romanis, P. Decius tunc cum Manlio deuouit se pro exercitu: & concitato equo cùm in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis uictoriam restituit. Latini in deditionem uenerunt. T. Manlio in urbem reuerso, nemo ex iuuentute obuiam processit. Minutia uirgo Vestalis incesti damnata est. Ausonibus uictis, in oppidum Cales colonia deducta est. Item Fregellæ coloniæ deductæ sunt. Veneficium complurium matronarum deprehensum: quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de Veneficio tunc primùm constituta est. Priuernatibus, cum rebellassent, uictis ciuitas data est. Palæpolitani uicti bello: & obsidione in deditionem uenerunt. Q. Publio, qui eos obsederat, primùm imperium prolatum, & per consules et decretum triumphus. Plebs nexu liberata est propter Lucij Papyrij creditoris libidinem, qui C. Publio debitori suo stuprum inferre uoluerat. Cum L. Papyrius dictator reuersus in urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius magister equitum occasione rei bene gerendæ inuitatus, contra edictum eius præliatus est, qui prosperè aduersus Samnites pugnauit. ob eam causam cum dictator de magistro equitum supplicium sumpturus uideretur, Fabius Romam profugit: & cum causa parum proficeret, populi precibus donatus est. Res præterea contra Samnites prosperè gestas continet.



Am coss. erant C. Plautius II, L. Aemylius Mamercus, cum Setini Norbaníque Romam nuntii defectionis Priuernatium cum querimoniis acceptæ cladis uenerunt. Volscorum item exercitum duce Antiati populo consedisse ad Satricum, allatum est. vtrunque bellum Plautio forte euenit. Prius ad Priuernū profectus, extemplo acie conflixit. haud magno certamine deuicti hostes: oppidum captum, redditúmque Priuernatibus, præsidio valido imposito: agri partes duæ ademptæ. Inde victor exercitus Satricū contra Antiates ductus. Ibi magna vtrinque cæde atrox prælium fuit, & cùm tempestas eos neutrò inclinata spe dimicantes diremisset, Romani nihil eo certamine tam ambiguo fessi, in posterum diem prælium parant. Volscis recensentibus quos viros in acie amisissent, haudquaquam idem animus ad iterandum periculum fuit. nocte pro victis Antium agmine trepido, sauciis, ac parte impedimentorum relicta, abierunt. Armorum magna vis tum inter cæsa corpora hostium, tum in castris inuenta est. ea Luæ matri dare se consul dixit, finésque hostium vsque ad oram maritimam est depopulatus. Alteri consuli Aemylio ingresso Sabellum agrum, non castra Samnitium, non legiones vsquam oppositæ. ferro ignique vastantem agros legati Samnitium pacem orantes adeunt, à quo reiecti ad senatum, potestate facta dicendi, positis ferocibus animis, pacem sibi ab Romanis, belliq; ius aduersus Sidicinos petierunt. quæ se eo iustius petere, quòd in amicitiam populi Romani secundis suis rebus, non aduersis, vt Campani venissent: & aduersus Sidicinos sumerent arma, suos semper hostes, populi Romani nunquam amicos: qui nec, vt Samnites, in pace amicitiam, nec, vt Campani, auxilium in bello petissent, nec in fide populi Romani, nec in ditione essent. Cum de postulatis Samnitium T. Aemylius prætor senatum consuluisset, reddendúmque his fœdus Patres censuissent, prætor Samnitibus respondit: Nec, quo minus perpetua amicitia esset, per populum Romanum stetisse: nec contradici quin quoniam ipsos belli culpa sua contracti tædium ceperit, amicitia de integro reconcilietur. Quod ad Sidicinos attinet, nihil intercedi, quo minus Samniti populo pacis bellique liberum arbitrium sit. Fœdere icto cum domum reuertissent, extemplò inde exercitus Romanus ductus, annuo stipendio & trium mensium frumento accepto, quod pepigerat consul, vt tempus induciis daret, quoad legati redissent. Samnites copiis iisdem, quibus vsi aduersus Romanum bellum fuerant, contra Sidicinos profecti haud in dubia spe erant maturè vrbis hostium potiundæ. Tum ab Sidicinis deditio prius ad Romanos cœpta fieri est. deinde postquam patres vt seram eam, vltimáque tandem necessitate expressam aspernabantur, ad Latinos iam sua sponte in arma motos facta est. ne Campani quidem (adeò iniuriæ Samnitium, quàm beneficii Romanorum memoria præsentior erat) his se armis abstinuere. Ex his tot populis ingens exercitus duce Latino fines Samnitium ingressus, plus populationibus quàm præliis cladium fecit. & quanquam superiores certaminibus Latini erant: haud inuiti, ne sæpius dimicandum foret, agro hostium excessere. Id spatium B

Priuernates deuicti.

Volsci fuga se eripiunt.

Samnitium legati pacē orant.

Fœdus icitur cū Samnitibus.

Sānites Romam legatos mittunt.

Samnit

A Samnitibus datum eſt Romam legatos mittendi. qui cum adiiſſent ſenatum, conqueſti eadem ſe fœderatos pati, quæ hoſtes eſſent paſsi, precibus infimis petiere, vt ſatis ducerent Romani victoriam, quam Samnitibus ex Campano Sidicinóque hoſte eripuiſſent, ne vinci etiam ſe ab ignauiſsimis populis ſinerent. Latinos Campanóſq;, ſi ſub ditione populi Romani eſſent, pro imperio arcerent Samniti agro. ſin imperium abnuerent, armis coërcerent. Aduerſus hæc reſponſum anceps datum, quia fateri pigebat in poteſtate ſua Latinos iam non eſſe, timebántqne ne arguendo abalienarent. Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent. itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos: in fœdere Latino nihil eſſe, quod bellare cum quibus ipſi velint, prohibeantur. Quod reſponſum, ſicut dubios Samnites quidnam facturum Romanum cenſerent, dimiſit, ita Campanos metu abalienauit: Latinos, velut nihil iam non concedentibus Romanis, ferociores fecit. Itaque per ſpeciem aduerſus Samnites belli parandi crebra concilia indicentes, omnibus conſultationibus inter ſe principes occultè Romanum coquebant bellum. huic quoque aduerſus ſeruatores ſuos bello Campanus aderat. Sed quanquam omnia de induſtria celabantur, priúſq; quàm mouerentur Romani, tolli ab tergo Samnitem hoſtem volebant: tamen per quoſdam priuatis hoſpitiis neceſsitudinibúſque coniunctos indicia coniurationis eius Romam emanarunt. iuſsíſque ante tempus conſulibus abdicare ſe magiſtratu, quo maturius noui conſules aduerſus tantam molem belli crearentur: religio inceſsit ab eis, quorum imminutum imperium eſſet, comitia haberi. itaque interregnum initum. duo interreges fuerunt, M. Valerius ac M. Fabius. Creauere conſules T. Manlium Torquatum, III, P. Decium Murem. Eo anno Alexandrum Epiri regem in Italiam claſſe appuliſſe conſtat. quod bellum, ſi prima ſatis proſpera fuiſſent, haud dubiè ad Romanos perueniſſet. Eadem ætas rerum magni Alexandri eſt, quem ſorore huius ortum, in alio tractu orbis inuictum bellis iuuenem fortuna morbo extinxit. Cæterùm Romani, etſi defectio ſociorum nominíſque Latini haud dubia erat: tamen tanquam de Samnitibus, non de ſe curam agerent, decem principes Latinorum Romam euocauerunt, quibus imperarent quæ vellent. Prætores tum duos Latini habebant, L. Annium Setinum, & L. Numitium Circeienſem, ambo ex Coloniis Romanis: per quos præter Signiam Velitráſque & ipſas colonias Romanas, Volſci etiam exciti ad arma erant. eos nominatim euocari placuit. Haud cuiquam dubium erat ſuper qua re accirentur. itaque concilio prins habito prætores quàm Romam proficiſcerentur, euocatos ſe ab ſenatu docent Romano, & quæ actum iri ſecum credant, quídnam ad ea reſponderi placeat, referunt. Cùm aliud alii cenſerent, tum Annius: Quanquam ipſe ego retuli quid reſponderi placeret, tamen magis ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quàm quid loquendum ſit. facile erit, explicatis conſiliis, accom-
B modare rebus verba. Nam ſi etiam nunc ſub vmbra fœderis æqui ſeruitutem pati poſſumus, quid abeſt quin proditis Sidicinis non Romanorum ſolum, ſed Samnitium quoque dicto pareamus? reſpondeamúſque Romanis, nos, vbi innuerint, poſituros arma. Sin autem tandem libertatis deſiderium remordet animos: ſi fœdus eſt, ſi ſocietas æquatio iuris eſt: ſi conſanguineos nos Romanorum eſſe, quod olim pudebat, nunc gloriari licet: ſi ſocialis illis exercitus is eſt, quo adiuncto duplicent vires ſuas, quem ſecernere ab ſe coss. bellis propriis ponendis ſumendíſque nolint: cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis COS. datur? vbi pars virium, ibi & imperii pars eſt. Eſt quidem nobis hoc per ſe haud nimìs amplum: quippe concedentibus Romam caput Latio eſſe: ſed vt amplum videri poſſet, diuturna patientia fecimus. Atqui ſi quando vnquam conſociandi imperiis, vſurpandæ libertatis tempus optaſtis: en hoc tempus adeſt, & virtute veſtra, & deûm benignitate vobis datum. Tentaſtis patientiam negando militem. quis dubitat exarſiſſe eos, cùm plus ducentorum annorum morem ſolueremus? pertulerunt tamen hunc dolorem. bellum noſtro nomine cum Pelignis geſsimus. qui ne noſtrorum quidem finium per nos tuendorum ius antea dabant, nihil interceſſerunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab ſe ad nos deſciſſe, exercitus nos parare aduerſus Samnites fœderatos ſuos audierunt: nec mouerunt ſe ab vrbe. vnde hæc illis tanta modeſtia, niſi à conſcientia virium & noſtrarum & ſuarum? Idoneos anthores habeo, querentibus de nobis Samnitibus ita reſponſum ab ſenatu Romano eſſe, vt facile appareret ne ipſos quidem iam poſtulare vt Latium ſub Romano imperio ſit. vſurpate modò poſtulando eo, quod illi vobis taciti cócedunt. Si quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipſe audiente non populo Romano modò ſenatúque, ſed Ioue ipſo, qui Capitolinm incolit, profiteor me dicturum, vt ſi nos in fœdere ac ſocietate eſſe velint, COS. alterum ab nobis ſenatúſque partem accipiant. Hæc firociter non ſuadenti ſolum, ſed pollicenti, clamore & aſſenſu omnes permiſerunt, vt ageret dicerétque, quæ è repub. nominis Latini, fidéque ſua viderentur. Vbi eſt Romam ventum, in Capitolio ei ſenatus datus eſt. Ibi cùm T. Manlius COS. egiſſet cum eis ex authoritate patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent: Annius, tanquam victor armis Capitolium cepiſſet, non legatus iure gentium tutus loqueretur: Tempus erat, inquit, T. Manli, vóſque P.C. tandem iam vos nobiſcum nihil pro imperio agere, cum florentiſsimum deûm benignitate nunc Latium armis viríſque, Samnitibus bello victis, Sidicinis Campaníſque ſociis, nunc etiam Volſcis adiunctis, videretis: colonias quoque veſtras Latinum Romano prætuliſſe imperium. ſed quoniam vos regno impotenti finem vt imponatis, non inducitis jn animum: nos quanquam armis poſſumus aſſerere Latium in libertatem, conſanguinitati tamen hoc dabimus, vt conditiones pacis feramus æquas vtríſque: quoniam vires quoque æquari diis immortalibus placuit. COS. alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet: ſenatus partem æquam ex vtraque gente eſſe: vnum populum, vnam rempub. fieri. & vt imperii eadem ſedes ſit, idémque omnibus nomen: quoniam

Latinorum de bello Romanis inferendo occulta conſilia.

Alexander Epiri rex claſſe in Italiam appulit.

Aetas magni Alexandri.

Decèm principes Latinorum Romam euocantur.

Annij Latinorum prætoris ad ſuos oratio.

Annij Latinorũ prætoris in ſenatu oratio.

Consulis T. Manlij responsio.

ab alterutra parte concedi necesse est: quod vtrisque bene vertat, sit hæc sanè patria potior, & Romani omnes vocemur. Fortè ita accidit, vt parem ferociæ huius & Romanı Cos. T. Manlium haberent: qui adeò non tenuit iram, vt si tanta dementia Patres Conscriptos cepisset, vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum venturum se esse palàm diceret, & quemcunque in curia Latinum vidisset, sua manu interempturum. & conuersus ad simulachrum Iouis, Audi Iupiter hæc scelera, inquit, audite ius fásque. Peregrinos coss. & peregrinum senatum in tuo Iupiter augurato templo captus, atque ipse oppressus visurus es? hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris Latini, hæc L. Tarquinius vobiscum postea fecit? non venit in mentem pugna apud Regillum lacum? adeo & cladium vestrarum veterum, & beneficiorum nostrorum erga vos obliti estis? Cum consulis vocem subsecuta patrum indignatio esset, proditur memoriæ, aduersus crebram implorationem deûm, quos testes fœderum sæpius inuocabant coss. vocem Annii spernentis numina Iouis Romani auditam. certè cum commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite grauiter offenso impactus imo ita est saxo, vt sopiretur. Exanimatum authores quoniam non omnes sunt, mihi quoque in incerto relictum sit: sicut inter fœderum ruptorum testationẽ ingenti fragore cæli procellam effusam. nam & vera esse, & aptè ad repræsentandam iram deûm ficta, possunt. Torquatus missus ab senatu ad dimittendos legatos, cum iacentem Annium vidisset, exclamat, ita vt populo patribúsq; audita vox pariter sit: Bene habet, dii pium mouete bellum. est cæleste numen, es magne Iupiter. haud frustra te patrem deûm hominúmque hac sede sacrauimus. Quid cessatis Quirites, vósque patres conscripti arma capere diis ducibus? sic stratas legiones Latinorum dabo, quemadmodum legatum iacentem videtis. Assensu populi excepta vox consulis tantum ardoris animis fecit, vt legatos proficiscentes cura magistratuũ magis, qui iussu consulis prosequebantur, quàm ius gentium ab ira impetúque hominum tegeret. Consensit & senatus bellum: consuléſque duobus scriptis exercitibus per Marsos Pelignósque profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quò iam Latini sociique conuenerant, castra locant. Ibi in quiete vtrique consuli eadem dicitur visa species viri maioris quàm pro humano habitu augustiorísque, dicentis: Ex vna acie imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus matríque Terræ deberi: vtrius exercitus imperator legiones hostium súperque eas se deuouisset, eius populi partísque victoriam fore. Hos vbi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit auerruncandæ deûm iræ victimas cædi: simul vt si extis eadem quæ somno visa fuerant, portenderentur, alteruter consulum fata impleret. Vbi responsa aruspicum insidenti iam animo tacitæ religioni congruerunt, tum adhibitis legatis tribunísque, & imperiis deûm propalàm expositis, ne mors voluntaria cõsulis exercitum in acie terreret: comparant inter se, vt ab vtra parte cedere Romanus exercitus cœpisset, inde se consul deuoueret pro populo Romano, Quiritibúsq;. Agitatum etiam in concilio est, vt si quando vnquam seuero vllum imperio bellum administratũ esset, tunc vti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. Curam acuebat, quòd aduersus Latinos bellandum erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes. milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis compares collegæque iisdem præsidiis, sæpe iisdem manipulis permisti fuerant. Per hæc ne quo errore milites caperentur, edicunt consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Fortè inter cæteros turmarũ præfectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius Cos. filius super castra hostium cum suis turmalibus euasit, vt vix teli iactu ab statione proxima abesset. ibi Thusculani erant equites, præerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos, tum factis clarus. is vbi Romanos equites, insignémque inter eos præcedentem consulis filium (nam omnes inter se vtique illustres viri noti erant) cognouit: Vnáne, ait, turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? Aderunt in tempore, Manlius inquit, & cum illis aderit Iupiter ipse fœderum à vobis violatorũ testis, qui plus potest polléque. Si ad Regillum lacum, ad satietatem vestram pugnauimus, hic quoque efficiemus profectò, ne nimis acies vobis, & collata signa nobiscum cordi sint. Ad ea Geminius paululum ab suis equo prouectus: Vísne igitur dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moueatis, interea tu ipse congredi mecum, vt nostro duorum iam hinc euentu cernatur quantum eques Latinus Romano præstet? Mouet ferocem animũ iuuenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexuperabilis vis fati. oblitus itaque imperii patrii, consulúmq; edicti, præceps ad id certamen agitur, quo vinceret, an vinceretur, haud multum interesset. equitibus cæteris velut ad spectaculum summotis, spatio quod vacui interiacebat campi, aduersos cõcitant equos: & cum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans ceruicem equi elapsa est. circumactis deinde equis cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. ad cuius vulneris sensum cùm equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmáq; innixum, attollentem se à graui casu Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit, spoliísque lectis ad suos reuectus, cum ouante gaudio turma in castra, atque inde ad prætorium ad patrem tendit: ignarus fati futuríque, laus an pœna merita esset. Vt me omnes, inquit, pater tuo sanguine ortum verè ferrent, prouocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto. Quod vbi audiuit consul, extemplò filium auersatus, concionẽ classico aduocari iussit. quæ vbi frequens conuenit: Quandoquidem, inquit, tu T. Manli neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti: & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti; méque in eam necessitatem adduxisti, vt aut Reipublicæ mihi, aut mei meorúmque obliuis-

Cõsul vterque aduersus Sãnites mittitur.

Spectrũ per quietẽ vtrique Consuli visum.

Ne quis extra ordinẽ pugnaret, edicitur.

Latinus Romanum T. Mãliũ Cos. filium ad singularem pugnam prouocat.

Romanus Latinũ vincit.

Manlij Cos. ad filiũ oratio.

A obliuiscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quàm Respubl. tanto suo damno nostra peccata luat. triste exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti erimus. Me quidem cùm ingenita charitas liberûm, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te mouet: sed cùm aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam pœna restituas. I lictor, deliga ad palum. Exanimati omnes tam atroci imperio: nec aliter quàm in se quisque districtam cernentes securim, metu magis quàm modestia quieuère. Itaque velut emerso ab admiratione animo cùm silentio defixi stetissent: repentè postquam ceruice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces sunt, vt neque lamentis, neque execrationibus parcere tur: spoliisque contectum iuuenis corpus, quantum militaribus studiis funus vllum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur: Manlianáque imperia non in præsentia modò horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent. Fecit tamen atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem: & præterquã quòd custodiæ vigiliæque & ordo stationum intentioris vbique curæ erant, in vltimo etiam certamine, cùm descẽsum in aciem est, ea seueritas profuit. fuit enim ciuili maximè bello pugna similis. adeò nihil apud Latinos dissonum ab Romana Republica, præter animos, erat. Clypeis antea Romanis vsi sunt: deinde postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecère: & quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse. postremò in plures ordines instruebantur. ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Prima acies hastati erant manipuli quindecim, distantes inter se modicum spatium: manipulus leueis vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat: leues autem, qui hastam tantum gæsáque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen. hos sequebantur scutati omnes, insignibus maximè armis. hoc XXX manipulorum agmen ante pilanos appellabant, quia sub signis iam alii quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat: earum vnamquanque primum pilum vocabant. tribus ex vexilis constabat. vexillum CLXXXVI. homines erant. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum. eò & in postremam aciem reiiciebantur. Vbi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant. tum principum pugna erat. hastati sequebantur. triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas suberecta cuspide in terra fixas, haud secus quàm vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque hand satis prosperè esset pugnatum à prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad triarios rediisse, cum laboratur, prouerbio increbruit. Triarii consurgentes, vbi interualla ordinum suorum principes & hastatos recepissent, extemplò compresis ordinibus velut claudebant vias: vnóque continente agmine, iam nulla spe pòst relicta, in hostem incedebant. id erat formidolosissimum hosti, cum velut victos insecuti nouam repentè aciem exurgentem, auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. alterum tantum ex Latino delectu adiiciebatur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodémque ordine instruxerant aciem. nec vexilla cum vexillis tantùm, vniuersi hastati cum hastatis, principes cum principibus, sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebat. Duo primipili ex vtraque acie inter triarios erant: Romanus corpore haud quaquam satis validus, cæterum strenuus vir peritúsque militiæ: Latinus viribus ingens, bellatórque primus: notissimi inter se, quia semper pares ordines duxerunt. Romano haud satis fidenti viribus iam Romæ permissum erat ab coss. vt subcenturionem sibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab vno destinato hoste. isque iuuenis in acie oblatus, ex centurione Latino victoriam tulit. Pugnatum est haud procul radicibus Vesuuii montis, qua via ad Veserim ferebat. Romani coss. prius quàm educerent in aciem, immolauerunt. Decio caput iecinoris à familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam diis hostiam esse: Manliũm egregiè litasse. Atqui bene habet, inquit Decius, si ab collega litatum est. Instructis, sicut antè dictum est, ordinibus, processere in aciem: Manlius dextro, Decius læuo cornu præerat. primò vtrinque æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab læuo cornu hastati Romani non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepère. In hac trepidatione Decius cos. M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope Valeri opus est. agedum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subiectum pedibus stantem sic dicere: Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles, dii Indigetes, diui quorum est potestas nostrorum, hostiúmque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto feróque, vti populo Romano Quiritium vim victoriámque prosperetis: hostésque populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliáque hostium mecum diis Manibus Tellurique deuoueo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet: maturéque collegæ se deuotum pro exercitu nunciare. ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab vtraq; acie aliquàto augustior humano visu, sicut cælo missus, piaculũ omnis deorũ

Manlius filium securi feriri iubet.

Manliana imperia.

Latini pera similes Romanis in rebus bellicis.

Ordo militaris.

Ad triarios res rediit, unde natum sit prouerbium.

Decius se pro exercitu diis Manibus deuouet.

i 5

iræ, qui pestem ab suis auersam in hostes ferret. Ita omnis terror, pauórque cum illo latus, signa pri- A
mo Latinorum turbauit: deinde in totam penitus aciem peruasit. Euidentissimum id fuit, quòd qua-
cunque equo inuectus est, ibi haud secus quàm pestifero sidere icti pauebant: vbi verò corruit obru-
tus telis, inde iam haud dubiè consternatæ cohortes Latinorum fugam ac vastitatem latè fecerunt.
Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primo signo dato coorti, pugnam integram
ediderunt. nam & rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderántque vires hastatis ac principi-
bus: & triarii genu dextro innixi nutum cos. ad consurgendum expectabant. procedente deinde
certamine cùm aliis partibus multitudo superaret Latinorum, Manlius cos. audito euentu collegæ,
cùm, vt ius fásque erat, lacrymis non minus quàm laudibus debitis prosecutus tam memorabilem
mortem esset, paulisper addubitauit an consurgendi iam triariis tempus esset: deinde melius ratus
integros eos ad vltimum discrimen seruari, accensos ab nouissima acie ante signa procedere iubet.

Atrox pugna.

Qui vbi subière, extemplò Latini, tanquam idem aduersarii fecissent, triarios suos excitauerunt: qui
aliquandiu pugna atroci cùm & semetipsi fatigassent, & hastas aut præfregissent, aut hebetassent,
pellerent vi tamen hostem, debellatum iam rati, peruentúmque ad extremam aciem: tum cos. tria-
riis, Consurgite, nunc, inquit, integri aduersus fessos, memores patriæ parentúmque & coniugum
ac liberorum, memores cos. pro vestra victoria morte occubantis. Vbi triarii consurrexerunt integri,
refulgentibus armis, noua ex improuiso exorta acies, receptis in interualla ordinum antepilanis,

Latini vincuntur.

clamore sublato principia Latinorum perturbant: hastísque ora fodientes primo robore virorum
cæso, per alios manipulos velut inermes propè intacti euasere: tantáque cæde perrupere cuneos, vt
vix quartam partem relinquerent hostium. Samnites quoque sub radicibus montis procul instructi
præbuêre terrorem Latinis. Cæterùm inter omnes ciues sociósque præcipua laus eius belli penes
coss. fuit: quorum alter omnes minas periculáque ab deis superis inferísque in se vnum vertit: al-
ter ea virtute, eóque consilio in prælio fuit, vt facilè conuenerit inter Romanos Latinósque, qui eius
pugnæ memoriam posteris tradiderunt, vtrius partis T. Manlius dux fuisset, eius futuram haud du-
biè fuisse victoriam. Latini ex fuga se Minturnas contulerunt. castra secundum prælium capta, mul-

Castra Latinorum capta.

tíque mortales ibi viui oppressi, maximè Campani. Decii corpus ne eo die inueniretur, nox quæ-
rentes oppressit: postero die inuentum inter maximam hostium stragem coopertum telis: funúsque

Cæremoniæ quædam in deuouendis hostibus seruatæ.

par morti, celebrante collega, factum. Illud adiiciendum videtur, licere consuli, dictatorique, &
prætori, cùm legiones hostium deuoueant, non vtique se, sed quem velit ex legione Romana scri-
pta ciuem deuouere. si is homo qui deuotus est moritur, probè factum videri: ni moritur, tum si-
gnum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi. vbi illud signum
defossum erit, eò magistratum Romanum descendere fas non esse. sin autem sese deuouere volet, si- B
cuti Decius deuouit: ni moritur, neque suum, neque publicum diuinum purè faciet, qui sese deuo-
uerit. Vulcano arma, siue cui alii diuouere volet: siue hostia, siue quo alio volet: ius esto. Telo, su-
per quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est: si potiatur, Marti suouetaurilibus pia-
culum fieri Hæc etsi omnis diuini humaníque moris memoria aboleuit, noua peragrináque omnia
priscis ac patriis præferendo: haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, vt tradita nuncupatáque sunt,
referre. Romanis post prælium demum factum Samnites venisse subsidio, expectato euentu pugnæ,
apud quosdam authores inuenio. Latinis quoque ab Lauinio auxilium, dum deliberando terunt tem-
pus, victis demum ferri cœptum. & cum iam portis prima signa, & pars agminis esset egressa, nun-
tio allato de clade Latinorum, cùm conuersis signis retrò in vrbem rediretur, prætorem eorum no-
mine Millionium dixisse ferunt, pro paulula via magnam mercedem Romanis esse soluendam. Qui
Latinorum pugnæ superfuerant, multis itineribus dissipati cùm se in vnum conglobassent, Vescia

Latini Vesciam se recipiunt.

vrbs eis receptaculum fuit. Ibi in conciliis Numisius imperator eorum, affirmando communem verè
Martem belli, vtranq; aciem pari cæde prostrauisse, victoriæq; nomẽ tantùm penes Romanos esse, cæ-
teram pro victis fortunam & illos gerere: funesta duo consulum prætoria, alterũ parricidio filii, alterũ
consulis deuoti cæde trucidatum exercitum omnem: cæsos hastatos principésque, stragem & ante si-
gna & post signa factam: triarios postremò rem restituisse. Latinorũ etsi pariter accisæ copiæ sint, tamẽ
supplemento vel Latium propius esse, vel Volscos, quàm Romam. Itaq; si videatur eis, se ex Latinis
& ex Volscis populis iuuentute properè excita, rediturum infesto exercitu Capuam esse: Romanós-
que nihil tum minus quàm prælium expectantes, nec opinato aduentu perculsurum. Fallacibus li-

Nouum exercitum Latini conscribunt.

teris circa Latium noménque Volscum missis, quia qui non interfuerunt pugnæ, ad credendum te-
mere faciliores erant, tumultuarius vndíque exercitus raptim conscriptus conuenit. Huic agmini
Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam Minturnásque is locus est) occurrit. priùs quàm ca-
stris locus caperetur, sarcinis vtrinque in aceruum coniectis, pugnatum debellatúmque est. adeò
enim accisæ res sunt, vt consuli victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti dederent

Latini victi sese Cos. Torquato dediderunt.

se omnes Latini: deditionémque eam Campani sequerentur. Latium Capuáque agro mulctati. Lati-
nus ager Priuernati addito agro: & Falernus, qui populi Campani fuerat, vsque ad Vulturnum flu-
men plebi Romanæ diuiditur. bina in Latino iugera, ita vt dodrantem ex Priuernati complerent, da-
ta: terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis. Extra pœnam fuêre Latinorum
Laurentes, Campanorúm equites, quia non desciuerant. Cum Laurentibus renouari fœdus iussum.
renouatúrque ex eo quotannis post diem decimum Latinarum. equitibus Campanis ciuitas data:
monumentóque vt esset, æneam tabulam in æde Castoris Romæ fixerunt. vectigal quoque eis Cam-
panus populus iussus pendere in singulos quotannis (fuere autem mille, & sexcenti) denarios

nummos

A nummos † quadringenos quinquagenos. Ita bello gesto, præmiis pœnáque pro cuiusque merito persolutis, T. Manlius Romam rediit. cui venienti seniores tantum obuiam exisse constat: iuuentutem & tunc & omni vita deinde auersatam eum execratámque. Antiates in agrum Hostiensem, Ardeatem, Solonium incursiones fecerunt. Manlius cos. quia ipse per valetudinem id bellum exequi nequierat, dictatorem L. Papyrium Crassum, qui tum forte erat prætor, dixit: ab eo magister equitum L. Papyrius Cursor dictus. Nihil memorabile aduersus Antiates ab dictatore gestum est, cùm aliquot menses statiua in agro Antiati habuisset. Anno insigni victoria de tot ac tam potentibus populis, ad hoc consulum alterius nobili morte, alterius sicut truci, ita claro ad memoriam imperio, successere coss. T. Aemylius Mamercus, & Q. Publius Philo: neque in similem materiam rerum, & ipsi aut suarum rerum, aut partium in republica magis, quàm patriæ memores. Latinos ob iram agri amissi rebellantes in campis Fenectanis fuderunt, castrísque exuerunt. Ibi Publio, cuius ductu auspicióque res gestæ erant, in deditionem accipiente Latinos populos, quorum ibi iuuentus cæsa erat, Aemylius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tybur, Prænestinus, Veliternúsque populus: venerant & ab Lanuuio, Antióque auxilia. Vbi cùm prælijs quidem superior Romanus esset, ad vrbem ipsam Pedum, castráque sociorum populorum, quæ vrbi adiuncta erant, integer labor restaret: bello infecto repentè omisso consul, quia collegæ decretum triumphum audiuit, ipse quoque triumphi ante victoriam flagitator Romam rediit. Qua cupiditate offensis patribus, negantibúsque nisi Pedo capto aut dedito triumphum, hinc alienatus ab senatu Aemylius seditiosis tribunatibus similem deinde consulatum gessit. Nam neque quoad fuit consul, criminari apud populum patres destitit, collega haudquaquam aduersante: quia & ipse de plebe erat. materiam autem præbebat criminibus ager in Latino Falernóque agro malignè plebi diuisus. & postquàm senatus finire imperium consulibus cupiens, dictatorem aduersus rebellantes Latinos dici iussit: Aemylius, cuius tum fasces erant, collegam dictatorem dixit: ab eo magister equitum Iunius Brutus dictus. Dictatura popularis & orationibus in patres criminosis fuit: & quod tres leges secundissimas plebi, aduersas nobilitati tulit: vnam, vt plebiscita omnes Quirites tenerent: alteram: vt legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres authores fierent: tertiam, vt alter vtique ex plebe, cum eò ventum sit vt vtrumq; plebeium fieri liceret, censor crearetur. plus eo anno domi acceptum cladis ab consulibus, ac dictatore, quàm ex victoria eorum, bellicísque rebus foris auctum imperium patres credebant. Anno insequenti L. Furio Camillo, C. Mænio coss. quo insignitius omissa res Aemylio superioris anni cos. exprobraretur: Pedum armis, virísque, & omni vi expugnandum ac delendum senatus fremit: coactíque noui consules omnibus eam rem præuerti, proficiscuntur. Iam

B Latio is status erat rerum, vt neque bellum, neque pacem pati possent. ad bellum opes deerant: pacem ob agri adempti dolorem aspernabantur. medijs consiliis standum videbatur, vt oppidis se tenerent: ne lacessitus Romanus causam belli haberet: & si cuius oppidi obsidio nunciata esset, vndique ex omnibus populis auxilium obsessis ferretur. Neque tamen nisi admodum à paucis populis Pedani adiuti sunt. Tyburtes, Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum peruenere. Aricinos, Lanuuinósque, & Veliternos Antiatibus Volscis se coniungentes ad Asturæ flumen Mænius improuiso adortus fudit. Camillus ad Pedum cum Tyburtibus maximè valido exercitu maiore mole, quam quam æquè prospero euentu pugnat. Tumultum maximè repentina inter prælium eruptio oppidanorum fecit: in quos parte exercitus conuersa Camillus non compulit solùm eos intra mœnia, sed eodem etiam die, cum ipsos auxiliáque eorum perculisset, oppidum scalis cepit. Placuit inde iam maiore conatu animóque ab vnius expugnatione vrbis ad perdomandum Latium victorem circunducere exercitum. nec quieuère, ante quàm expugnando, aut in deditionem accipiendo singulas vrbes, Latium omne subegère. Præsidiis inde dispositis per recepta oppida, Romam ad destinatum omnium consensu triumphum decessere. additus triumpho honos, vt statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Prius quàm comitiis in insequentem annum consules rogarent, Camillus de Latinis populis ad senatum retulit, atque ita disseruit: P. C. quod bello armísque in Latio agendum fuit, id iam deûm benignitate, ac virtute militum ad finem venit. cæsi ad Pedum Asturámque sunt exercitus hostium: oppida Latina omnia, & Antium ex Volscis, aut vi capta, aut recepta in deditionem præsidiis tenentur vestris. Reliqua consultatio est, quoniam rebellando sæpius nos solicitant, quónam modo perpetua pace quietos obtineamus. dii immortales, ita vos potentes huius consilii fecerunt, vt sit Latium deinde, an non sit, in vestra manu posuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum vel sæuiendo, vel ignoscendo potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos, victósque? licet delere omne Latium: vastas inde solitudines facere, vnde sociali egregio exercitu per multa bella magnáque sæpe vsi estis. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, victos in ciuitatem accipiendo? materia crescendi per summam gloriam suppeditat. certè id firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus est, quicquid statuere placet. tot populos inter spem metúmque suspensos animi habetis: & vestram itaque de eis curam quamprimùm absolui, & illorum animos, dum expectatione stupent, seu pœna, seu beneficio præoccupari oportet. Nostrum enim fuit efficere vt omnium rerum vobis ad consuleodũ potestas esset. vestrum est decernere quod optimum vobis, reíque publicæ sit. Principes senatus relationem consulis de summa rerum laudare: sed cùm aliorum causa alia esset, ita experiri posse consilium dicere, vt pro merito cuiusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de singulis, decretúmque. Lanuuinis ciuitas data: sacráque sua reddita cum eo, vt ædes lucúsque

† Val. 45. cor. Quod si legas ut Glareano placet, quadragenos quinos. Val. 4. coro. cum 5. denar.

T. Manlio Romam redeunti iuuentus obuiam non exijt.

Latini rebellantes fusi.

Tres leges tulit dictator aduersas nobilitati.

Latini nec bellum, nec pacem pati poterant.

Pedum reliquáque Latij oppida expugnantur.

Triumphãt de Latinis ambo coss.

Camilli in senatu oratio de rebus Latinis.

Quid de singulis Latij populis decreuerit Senatus.

lucúsque Sospitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset. Aricini, A Nomentaníque, & Pedani eodem iure, quo Lanuuini in ciuitatem accepti. Thusculanis seruata ciuitas, quam habebant: criménqua rebellionis à publica fraude in paucos authores versum. In Veliternos veteres ciues Romanos, quòd toties rebellassent, grauiter sæuitum: & muri deiecti: & senatus inde abductus: iussíquetrans Tyberim habitare: vt eius, qui cis Tyberim deprehensus esset,

†10000 æron.

vsque ad † mille pondo clarigatio esset: nec priusquàm ære persoluto, is qui cepisset extra vincula captum haberet. in agrum senatorum coloni missi: quibus ascriptis, speciem antiquæ frequentiæ Velitræ recepetunt. Et Antium noua colonia missa, cum eo, vt Antiatibus permitteretur, si & ipsi ascribi coloni vellent. naues inde longæ abactæ: interdictúmque mari Antiati populo est, & ciuitas data. Tyburtes, Prænestiníque agro mulctati: neque ob recens tantum rebellionis commune cum aliis Latinis crimen, sed quòd tædio imperii Romani cum Gallis gente efferata arma quondam consociassent. Cæteris Latinis populis connubia commerciáque, & consilia inter se ademerunt. Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent: Fundanísque, & Formianis, quòd per fines eorum tuta pacatáque semper fuisset vita, ciuitas sine suffragio data. Cumanos, Suessulanósque eiusdem iuris conditionísque, cuius Capuam esse placuit. Naues Antiatium partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrísque earum suggestum in foro extructum adornari pla-

Rostra unde dicta.

cuit: Rostráque id templum appellatum. C. Sulpitio Longo, P. Aelio Pæto coss. cum omnia non opes magis Romanæ, quàm beneficiis parta gratia bona pace obtineret, inter Sidicinos, Auruncósque bellum ortum. Aurunci à T. Manlio cos. in deditionem accepti, nihil deinde mouerant: eo petendi auxilii ab Romanis causa iustior fuit. sed prius quàm consules ab vrbe (iusserat enim senatus) defendendi Auruncos exercitum educerent, fama affertur, Auruncos metu oppidum deseruisse, profugósque cum coniugibus ac liberis Suessam communisse: quæ nunc Aurunca appellata, mœnia antiqua eorum, vrbémque ab Sidicinis deletam. Ob ea infensus consulibus senatus: quorum cunctatione proditi socii essent, dictatorem dici iussit. dictus C. Claudius Regillensis, magistrum equitum C. Claudium Hortatorem dixit. Religio inde iniecta de dictatore: & cum augures vitio creatum

Minutia Vestalis viua humi defossa.

videri dixissent, dictator magistérque equitum se magistratu abdicarunt. Eo anno Minutia Vestalis suspecta primò propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud pontifices ab indice seruo, cùm decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiámque in potestate habere: facto iudicio viua sub terram ad portam Collinam dextra via stratam defossa Scelerato campo. credo ab incesto id ei lo-

Q. Publius Philo primus de plebe prætor factus.

co nomen factum. Eodem anno Q. Publius Philo prætor primùm de plebe auersante Sulpitio cos. qui negabat rationem eius se habiturum, est factus: senatu, cum in summis imperiis id non obtinuisset, minus in prætura intendente. Insequens annus L. Papyrio Crasso, Cæsone Duellio coss. Ausonum B magis nouo quàm magno bello fuit insignis. ea gens Cales vrbem incolebat: Sidicinis finitimis ar-

Ausones victi.

ma coniunxerat: vnóque prælio haud sanè memorabili duorum populorum exercitus fusus, propinquitate vrbium & ad fugam pronior, & in fuga ipsa tutior fuit. nec tamen omissa eius belli cura patribus: quia toties iam Sidicini aut ipsi mouerant bellum, aut mouentibus auxilium tulerant, aut causa armotum fuerant. Itaque omni ope annixi sunt, vt maximum ea tẽpestate imperatorem M. Valerium Coruinum cos. IIII facerent: collega additus Coruino M. Attilius Regulus. & ne fortè casu erraretur, petitum ab consulibus, vt extra sortem Coruini ea prouincia esset. Exercitu victore à superioribus consulibus acceepto ad Cales, vnde bellum ortum erat, profectus cùm hostes ab superioris etiam certaminis memoria pauidos clamore atque impetu primo fudisset, mœnia ipsa oppugnare est aggressus: & militum quidem is erat ardor, vt iam inde cum scalis succedere ad muros vellent, euasurósque contenderent. Coruinus, quia id arduum factu erat, labore militum potius, quàm periculo peragere inceptum voluit. itaque aggerem & vineas egit, turrésque muro admouit: quarum vsum fortè oblata opportunitas præuertit. námque M. Fabius captiuus Romanus cùm per negligentiam custodum festo die vinculis ruptis per mutum inter opera Romanorum religata ad pinnam muri reste suspensus manibus se demisisset, perpulit imperatorem vt vino epulísque sopitos hostes

Cales Ausonum oppidum expugnatur.

aggrederetur. nec maiore certamine capti cum vrbe Ausones sunt, quàm acie fusi erant. præda capta ingens est: præsidióque imposito Calibus, reductæ Romam legiones. cos. ex S. C. triumphauit: & ne Attilius expers gloriæ esset, iussi ambo coss. aduersus Sidicinos ducere exercitum: dictatorem ante ex senatusconsulto comitiorum habendorum causa dixerunt L. Aemylium Mamercum: is magistrum equitum Q. Publium Philonem dixit. Dictatore comitia habente coss. creati sunt T. Veturius, Sp. Posthumius. Et si belli pars cum Sidicinis restabat: tamen vt beneficio præuenirent

Colonia Cales deducta.

desiderium plebis, de colonia deducenda Cales retulerunt: factóque S. C. vt duo millia quingenti homines eò scriberentur, triumuiros coloniæ deducendæ, agróque diuidundo creauerunt, Cæsonem Duellium, T. Quintium, M. Fabium. Noui deinde coss. à veteribus exercitu accepto, ingressi hostium fines populando vsque ad mœnia atque vrbem peruenerunt. Ibi, quia ingenti exercitu comparato Sidicini & ipsi pro extrema spe dimicaturi enixè videbantur, & Samnium fama erat conciri ad bellum: dictator ab consulibus ex authoritate senatus dictus P. Cornelius Ruffinus: magister equitum M. Antonius. Religio deinde incessit vitio eos creatos: magistratuque se abdicauerunt: & quia

Pestilentia.

Interregnũ.

pestilentia insecuta est, velut omnibus eo vitio contactis auspiciis, res ad interregnum rediit. ab interregno inito per quintum demum interregem M. Valerium Coruinum creati coss. L. Cornelius

Gallici belli fama.

iterum, & Cn. Domitius. Tranquillis rebus fama Gallici belli pro tumultu valuit, vt dictatorem dici placeret. Dictus M. Papyrius Crassus, & magister equitum P. Valerius Publicola. à quibus

cum

A cum delectus intentius, quàm aduersus finitima bella haberetur, exploratores missi attulerunt quieta omnia apud Gallos esse. Samnium quoque iam alterum annum turbari nouis consiliis suspectum erat: eò ex agro Sidicino exercitus Romanus non est deductus. cæterum Samnites bellum Alexandri Epeirensis in Lucanos traxit. qui duo populi aduersus regem excursionem à Pæsto facientem signis collatis pugnauerunt. eo certamine superior Alexander, incertum qua fide culturus, si perinde cætera processissent, pacem cum Romanis fecit. Eodem anno census actus, nouíque ciues censi: tribus propter eos additæ, Mecia & Scaptia: censores addiderunt, Publius Philo, Sp. Posthumius. Romani facti Acerrani lege ab L. Papyrio prætore lata, qua ciuitas sine suffragio data. Hæc eo anno domi militiǽque gesta. Fœdus insequens annus seu intemperie cæli, seu humana fraude fuit. M. Claudio Marcello, T. Valerio coss. Flaccum, Potitúmque variè in annalibus cognomen consulis inuenio: cæterum in eo parui refert, quid veri sit. illud peruelim (nec omnes authores sunt) proditum falsò esse, venenis absumptos, quorum mors infamem annum pestilentia fecerit. sicut proditur tamen res, ne cui authorum fidem abrogauerim, exponenda est. Cùm primores ciuitatis similibus morbis, eodémque fermè omnes euentu morerentur: ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum ædilem curulem indicaturam se causam publicæ pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset haud futurum noxæ indicium. Fabius confestim res ad coss. consules ad senatum referunt: consensúque ordinis fides indici data. Tum patefactum, muliebri fraude ciuitatem premi: matronásque ea venena coquere: & si sequi extemplò velint, manifestò deprehendi posse. Secuti indicem & coquentes quasdam medicamenta, & recondita alia inuenerunt. quibus in forum delatis, & ad viginti matronis, apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis: duæ ex eis Cornelia ac Sergia, patriciæ vtraque gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere iussæ, vt se falsum commentam arguerent: spatio ad colloquendum sumpto, cum summoto populo in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent: haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento suametipsæ fraude omnes interierunt, comprehensæ extemplò earũ comites magnum numerum matronarum indicauerunt: ex quibus ad CLXX damnatæ. Neq; de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est. prodigii ea res loco habita: captísque magis mentibus, quàm consceleratis similis visa. Itaque memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clauum ab dictatore fixum, alienatásque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse, dictatorem claui figendi causa creari placuit. creatus Cn. Quintilius magistrum equitum L. Valerium dixit: qui fixo clauo, magistratu se abdicarunt. Creati coss. L. Papyrius Crassus iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volscis Fabraterni, & Lucani Romam venerunt, orantes vt in fidem reciperentur: si à Sam-

B nitium armis defensi essent, se sub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros. Missi tum ab senatu legati: denuntiatúmque Samnitibus, vt eorum populorum finibus vim abstinerent. valuítque ea legatio, non tam quia pacem volebant Samnites, quàm quia nondum parati erant ad bellum. Eodem anno Priuernas bellum initum: cuius socii Fundani, dux etiam Fundanus fuit Vitruuius Vaccus, vir non domi solùm, sed etiam Romæ clarus. ædes fuere in Palatio, eius quæ Vacci prata diruto ædificio, publicatóque solo appellata. aduersus hunc vastantem effusè Setinum Norbanúmque & Coranum agrum L. Papyrius profectus, haud procul castris eius consedit. Vitruuio nec vt vallo se teneret aduersus validiorem hostem sana constare mens, nec vt longius à castris dimicaret, animus suppetere. vix tota extra portam castrorum explicata acie, fugam magis retro, quàm prælium aut hostem spectante milite, sine consilio, sine audacia depugnat, & vt leui momento, nec ambiguè est victus: ita breuitate ipsa loci, facilíque receptu in tam propinqua castra, haud ægrè militem à multa cæde est tutatus: nec ferè quisquam in ipso certamine, pauci in turba fugæ extremæ, cùm in castra ruerent, cæsi, primísque tenebris Priuernum inde petitum agmine trepido, vt muris potius, quàm vallo se tutarentur. A Priuerno Plautius alter consul, peruastatis passim agris, prædáque abacta, in agrum Fundanum exercitum inducit: ingredienti fines senatus Fundanorum occurrit: negant se pro Vitruuio sectámque eius secutis precatum venisse, sed pro Fundano populo: quem extra culpam belli esse, ipsum Vitruuium iudicasse, cùm receptaculum fugæ Priuernum habuerit, nõ patriam Fundos. Priuerni igitur hostes populi Romani quærendos persequendósque esse, qui simul à Fundanis ac Romanis vtriusque patriæ immemores defecerint. Fundanis pacem esse, & animos Romanos, & gratam memoriam acceptæ ciuitatis: orare se consulem vt bellum ab innoxio populo abstineat: agros, vrbem, corpora ipsorum coniugúmque ac liberorum suorum, in potestate populi Romani esse, futuráque. Collaudatis Fundanis consul, literísque Romam missis in officio Fundanos esse, ad Priuernum flexit iter. Prius animaduersum in eos, qui capita coniurationis fuerant, à consule scribit Claudius: ad CCCL ex coniuratis vinctos Romam missos: eámque deditionem ab senatu non acceptã, quòd egentium atque humilium pœna defungi velle Fundanum populum censuerint. Priuernum duobus consularibus exercitibus cùm obsideretur, alter consul comitiorum causa Romam reuocatus. Carceres eo anno in circo primùm statuti. Nondum perfunctos cura Priuernatis belli, tumultus Gallici fama atrox inuasit, haud fermè vnquam neglecta patribus. Extemplò igitur consules noui L. Aemylius Mamercus, & Cn. Plautius eo ipso die Cal. Quintilibus, quo magistratus inierunt, comparare inter se prouincias iussi: & Mamercus, cui Gallicum bellum euenerat, scribere exercitum sine vlla vacationis venia. quin opificum quoque vulgus, & sellularii, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur: Veiósque ingens exercitus contractus, vt inde obuiam Gallis iretur. longius discedi, ne alio itinere hostis falleret ad vrbem incedens, non placuit. Paucos deinde post dies

satis

Alexander Epeirensis rex.

Census agitur.

Veneficium quarundam matronarũ proditur.

Veneficæ ad 170. damnatæ.

Dictator claui figẽdi causa creatur.

Priuernas bellum.

Fundani pacem petunt.

Carceres in circo primùm statuti.

Gallici tumultus fama.

satis explorata temporis eius quiete, à Gallis Priuernum omnis conuersa vis. Duplex inde fama est, A alii vi captam vrbem, Vitruuiúmque viuum in potestatem venisse: alii priusquam vltima adhiberetur vis, ipsos se in deditionem consulis caduceum præferentes permisisse, authores sunt: Vitruuiúmq; ab suis traditum. *De Priuernatibus uictis uariant scriptores.* Senatus de Vitruuio Priuernatibúsque consultus eos. Plautium dirutis Priuerni muris, præsidióque valido imposito, ad triumphum accersit. Vitruuium in carcerem asseruari iussit quoad consul redisset, tum verberatum necari: ædes eius quæ essent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sango censuerunt consecranda: quódque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello Sangi versus ædem Quirini. De senatu Priuernate ita decretum, vt qui senator Priuerni post defectionem ab Romanis mansisset, trans Tyberim lege eadem qua Veliterni, habitaret. His ita decretis, vsque ad triumphum Plautii silentium de Priuernatibus fuit: post triumphum cos. necato Vitruuio, sociísque eius noxæ, apud satiatos iam suppliciis nocentium tutam mentionem de Priuernatibus ratus, quo iam authores defectionis, inquit, meritas pœnas & ab diis immortalibus, & à vobis habent P.C. quid placet de innoxia multitudine fieri? *De Priuernatibus quid statuendum esset. senatus consulitur.* equidem & si meæ partes exquirendæ magis sententiæ, quàm dandæ sunt: tamen cum videam Priuernates vicinos Samnitibus esse, vnde nunc nobis incertissima pax est, quàm minimum irarum inter nos illósque relinqui velim. Cum ipsa per se res anceps esset: prout cuiusque ingenium erat atrocius, mitiúsve suadentibus: tum incertiora omnia vnus ex Priuernatibus legatis fecit, magis conditionis in qua natus esset, quàm præsentis necessitatis memor: *Priuernatis legati liberius responsum.* qui interrogatus à quodam tristioris sententiæ authore, quam pœnam meritos Priuernates censeret: eam, inquit, quam merentur qui se libertate dignos censent. cuius cum feroci responso infestiores factos videret consul eos, qui antè Priuernatium causam impugnabant: vt ipse benigna interrogatione mitius responsum eliceret: Quid, si pœnam, inquit, remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? Si bonam dederitis, inquit, & fidam, & perpetuam: si malam, haud diuturnam. Tum verò minari, nec id ambiguè, Priuernatem quidam, & illis vocibus ad rebellandum incitari pacatos populos. pars melior senatus ad meliora responsa trahere, & dicere, viri, & liberi, vocem auditam: an credi posse vllum populum, aut hominem denique in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius quàm necesse sit mansurum? ibi pacem esse fidam, vbi voluntarii pacati sint: neque eo loco, vbi seruitutem esse velint, fidem sperandam esse. In hanc sententiam maximè consul ipse inclinauit animos: identidem ad principes sententiarum consulares, vti exaudiri posset è pluribus, dicendo, eos demum, qui nihil præterquàm de libertate cogitant, dignos esse qui Romani fiant. Itaque & in senatu causam obtinuere: & ex authoritate patrum latum ad populum est, vt Priuernatibus ciuitas daretur. *Priuernatibus ciuitas datur.* Eodem anno Anxur trecenti in coloniá missi sunt: bina iugera agri acceperunt. secutus est annus nulla re belli, domíue insignis, P. Plautio Proculo, B P. Cornelio Scapula coss. præterquam quòd Fregellas (Signiorum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia deducta: & populo visceratio data à M. Flauio in funere matris. *Visceratio data populo à M. Flauio.* Erant qui per speciem honorandæ parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quòd eum die dicta ab ædilibus crimine stupratæ matris familiæ absoluisset. Data visceratio in præteritam iudicii gratiam, honoris etiam ei causa fuit: tribunatúque plebis proximis comitiis absens præsentibus præfertur. *Palepolis* Palæpolis fuit haud procul inde, vbi nunc Neapolis sita est: duabus vrbibus populus idem habitabat, Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboica originem trahunt. Classe, qua aduecti ab domo fuerant, multum in ora maris eius, quod accolunt, potuere. Primò in insulas Aenariam, & Pithecusas egressi, deinde in continentem ausi sedes transferre. Hæc ciuitas cùm suis viribus, tum Samnitium infida aduersus Romanos societate freta, siue pestilentiæ, quæ Romanam vrbem adorta nuntiabatur, fidens, multa hostilia aduersus Romanos agrum Campanum Falernúmque incolentes fecit. igitur L. Cornelio Lentulo, Q. Publio Philone iterum coss. fœcialibus Palæpolim ad res repetendas missis, cùm relatum esset à Græcis, gentis lingua magis strenua quàm factis, ferox responsum: ex authoritate patrum populus Palæpolitanis bellum fieri iussit. Inter coss. prouinciis comparatis, bello Græci persequendi Publio euenerunt. Cornelius altero exercitu Samnitibus, si quà se mouerent, oppositus. fama autem erat, defectioni Campanorum imminentes admoturos castra. ibi optimum visum Cornelio, statiua habere. Ab vtroque consule exiguam spem pacis cum Samnitibus esse, certior fit senatus. Publius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium magis, Nolanis cogentibus, quàm voluntate Græcorum, recepta Palæpoli miserat. Romæ compertum est delectum indictum à magistratibus: vniuersum Samnium erectum, ac vicinos populos. Priuernatem Fundanúmque & Formianum, haud ambiguè sollicitari. *Ad Samnites mittuntur legati* Ob hæc cùm legatos mitti placuisset prius ad Samnites, quàm bellum fieret. responsum redditur à Samnitibus ferox. vltro incusabant iniurias Romanorum: neque eo neglegentius ea, quæ ipsis obiicerentur, purgabant. Haud vllo publico consilio, auxilióue iuuari Græcos: nec Fundanum, Formianúmve à se sollicitatos. quippe minimè pœnitere se virium suarum, si bellum placeat. Cæterùm non posse dissimulare, ægrè pati ciuitatem Samnitium, quòd Fregellas ex Volscis captas dirutásque ab se restituerit Romanus populus, coloniámque in Samnitiũ agro imposuerit, quam coloni eorum Fregellas appellent. eam se contumeliam iniuriámque, ni sibi ab iis qui fecerint demàtur, ipsos omni vi depulsuros esse. Cùm Romanus legatus ad disceptandum eos ad communes socios atque amicos vocaret: Quid perplexè agimus, inquit? nostra certamina Romani, non verba legatorum, nec hominum quisquam disceptator, sed campus Campanus, in quo concurrendum est, & arma, & communis Mars belli decernet. Proinde inter Capuam Suessulámque castra castris conferamus: & Samnis Romanus ne imperio Italiá regat, decernamus. Legati

Romanorum

A Romanorum cùm se non quo hostis vocasset, sed quò imperatores sui duxissent, ituros esse respondissent: iam Publius inter Palæpolim Neapolímque loco opportunè capto, diremerat hostibus societatem auxilii mutui: qua vt quisque locus premeretur, inter se vsi fuerant. Itaque cum & comitiorum dies instaret, & Publium imminentem hostium muris auocari ab spe capiendæ in dies vrbis haud è republica esset. actum cum tribunis est, ad populum ferrent, vt cum Publius Philo Consulatu abisset, proconsul rem gereret quoad debellatum cum Græcis esset. L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samnium iam ingressum reuocari ab impetu belli placebat, literæ missæ, vt dictatorem comitiorum causa diceret. dixit M. Claudium Marcellum: ab eo magister equitum dictus Sp. Posthumius.

Dictator comitiorū causa dictus est.

Nec tamen ab dictatore comitia sunt habita: quia vitióne creatus esset, in disquisitionem venit. consulti augures, vitiosum videri dictatorem pronuntiauerunt. Eam rem tribuni suspectam infamémque criminando fecerunt. nam neque facile fuisse id vitium nosci, cum consul oriente nocte silentio diceret dictatorem: neque ab consule cuiquam publicè priuatímve de ea re scriptum esse: nec quenquam mortalium extare, qui se vidisse aut audiuisse, quid dicat, quod auspicium dirimeret: neque augures diuinare Romæ sedentes potuisse, quid in castris consuli vitii obuenisset. cui non apparere, quòd plebeius dictator sit, id vitium auguribus visum? Hæc, aliáque ab tribunis nequicquam iactata, tamen ad interregnum res redit: dilatísque alia atque alia de causa comitiis, quartusdecimus demum interrex Lucius Aemylius coss. creat. C. Petilium, L. Papyrium Mugilanum Cursorem in aliis annalibus inuenio.

Interregnū.

Eodem anno Alexandriam in Aegypto proditum conditam: Alexandrúmque Epeiri regem ab exule Lucano interfectū, sortes Dodonæi Iouis euētu affirmasse. Accito ab Tarentinis in Italiā data dictio erat, caueret Acherusiam aquam, Pandosiámque vrbem: ibi fatis eius terminum dari. eóque ocyus transmisit in Italiam, vt quàm maximè procul abesset vrbe Pandosia in Epeiro, & Acheronte amni, quem ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit Thesprotius sinus.

Alexandria in Aegypto conditur.

Cæterùm (vt fermè fugiendo in media fata ruitur) cum sæpe Brutias Lucanásque legiones fudisset: Heracleam Tarentinorum coloniam, Consentiam ex Lucanis, Sipontúmque, Brutiorum coloniam Acerinam, alias inde Messapiorum ac Lucanorum cepisset vrbes: & trecentas familias illustres in Epeirum, quas obsidum numero haberet, misisset, haud procul Pandosia vrbe imminente Lucanis ac Brutiis finibus, treis tumulos aliquantum inter se distantes insedit, ex quibus incursiones in omnem partem agri hostilis faceret: & ducentos fermè Lucanorum exules circa se pro fidis habebat, vt pleraque eius generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. imbres côntinui campis omnibus inundantes cum interclusissent trifariam exercitum à mutuo inter se auxilio, duo præsidia, quæ sine rege erant, improuiso hostium aduentu opprimuntur: deletísque eis, ad ipsius obsidionem omnes

Lucanorum mutabilis cū fortuna fides.

B conuersi. inde ab Lucanis exulibus ad suos nuntii missi sunt: pactóque reditu, promissum est regem aut viuum, aut mortuum in potestatem daturos. Cæterùm cum delectis ipse egregium facinus ausus, per medios erumpit hostes, & ducem Lucanorum cominus congressum obtruncat: contrahénsque suos ex fuga palatos, peruenit ad amnem ruinis recentibus pontis, qnem vis aquæ abstulerat, indicantem iter. quem cum incerto vado transiret agmen, fessus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis, Iure Acheros vocaris, inquit. Quod vbi ad aures accidit regis, adiecit exemplò animum fatis suis: substitítque dubius, an transiret, Tum Sotimus minister ex regiis pueris, quid in tanto discrimine periculi cunctaretur, interrogans, indicat Lucanos insidiis quærere locum. quos vbi respexit rex procul grege facto venientes, stringit gladium, & per medium amnem transmittit equum. iámque in vadum egressum, eminus veruto Lucanus exul transfigit. lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostium præsidia.

Alexander Epirorū rex occiditur.

Ibi fœda laceratio corporis facta. nanque præciso medio, partem Consentiam misere: pars ipsis retenta ad ludibrium: quæ cum iaculis saxísque procul incesseretur, mulier vna vltra humanarum irarum fidem sæuienti turbæ immista, vt parumper sustinerent precata, flens ait virum sibi liberósque captos apud hostes esse: sperare, corpore regio vtcunque mulctato, se suos redempturam. Is finis lacerationi fuit: sepultúmque Consentiæ quod membrorum reliquum fuit, cura mulieris vnius: ossáque Metapontum ad hostes remissa: inde Epeirum deuecta ad Cleopatram vxorem, sororémque Olympiadem: quarum mater Magni Alexandri altera, soror altera fuit. Hæc de Alexandri Epeirensis tristi euentu. quanquam Romano bello fortuna eum abstinuit, tamen quia in Italia bella gessit, paucis dixisse satis sit. Eodem anno lectisternium Romæ quinto post conditam vrbem iisdem, quibus antè, placandis habitum est diis.

Lectisternium habetur.

Noui deinde consules iussu populi cum misissent qui indicerent Samnitibus bellum, & ipsi maiore conatu quàm aduersus Græcos cuncta parabant, & alia noua nihil tum animo tale agitantibus accesserunt auxilia. Lucani atque Appuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem venerunt, arma virósque ad bellum pollicentes: fœdere ergo in amicitiam accepti.

Lucani & Appuli fœdere in amicitiam accipiuntur.

Eodem tempore etiam in Samnio res prosperè gesta, tria oppida in potestatem venerunt, Alife, Callife, Ruffrium: aliúsque ager primo aduentu coss. longe latéque est peruastatus. Hoc bello tam prosperè commisso, alteri quoque bello, quo Græci obsidebantur, iam finis aderat. nam præterquàm quod interseptis munimentis hostium pars parti abscissa erat, fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis testis territabat, patiebantur: & velut capti à suismetipsis præsidiis indigna iam liberis quoque ac coniugibus, & quæ captarum vrbium extrema sunt, patiebantur. Itaque cum & à Tarento, & à Samnitibus fama esset, noua auxilia ventura, Samnitium plus quàm vellent intra mœnia esse rebantur: Tarentinorum iuuentutem Græci; Græcos haud minus per quos Samniti Nolanóque, quàm vt Romanis hostibus resisterent, expectabant. Postremò leuissimum malorum

deditio

deditio ad Romanos visa. Charilaus & Nymphius principes ciuitatis, communicato inter se consilio, partes ad rem agendam diuisere, vt alter ad imperatorem Romanorum transfugeret, alter subsisteret ad præbendam opportunam consilio vrbem. A

Palæpolitani se dedunt Cos. Romano.

Charilaus fuit, qui ad Philonem venit: &, quod bonum, faustum, felix Palæpolitanis, populóque Romano esset, tradere se ait mœnia statuisse. eo facto vtrum ab se prodita, an seruata patria videatur, in fide Romana positum esse: sibi priuatim nec pacisci quicquam, nec petere: publicè petere quàm pacisei magis, vt si successisset inceptum, cogitaret populus Romanus potius cum quanto studio periculóque reditum in amicitiam suam esset, quàm qua stultitia & temeritate de officio decessum. Collaudatus ab imperatore, tria millia militum ad occupandam eam partem vrbis, quam Samnites insidebant, accepit: præsidio ei L. Quintius tribunus militum præpositus. Eodem tempore & Nymphius prætorem Samnitium arte aggressus perpulerat, vt quoniam omnis Romanus exercitus aut circa Palæpolim, aut in Samnio esset, sineret se classe circumuehi ad Romanum agrum: non oram modò maris, sed ipsi vrbi propinqua loca depopulaturum. sed vt falleret, nocte proficiscendum esse, extemplóque naues deducendas. Quod quò maturius fieret, omnis iuuentus Samnitium præter necessarium vrbis præsidium ad litus missa. Vbi dum Nymphius in tenebris & multitudine semetipsa impediente, sedulò aliis alia imperia turbans terit tempus, Charilaus ex composito ab sociis in vrbem receptus, cum summa vrbis Romano milite implesset, tolli clamorem iussit: ad quē Græci signo accepto à principibus, quieuere: Nolani per auersam partem vrbis via Nolam ferente effugiunt.

Nolani & Samnites fraude ex Palæpoli eiecti.

Samnitibus exclusis ab vrbe, vt expeditior in præsentia fuga, ita fœdior, postquàm periculo euaserunt, visa: quippe qui inermes nulla rerum suarum non relicta inter hostes, ludibrium non externis modò, sed etiam popularibus, spoliati atque egentes domos rediere. Haud ignarus opinionis alterius, qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur: cum authoribus hoc dedi, quibus dignius credi est. tum fœdus Neapolitanum (eò enim deinde summa rei Græcorum venit) similius vero facit ipsos in amicitiam redisse. Publio triumphus decretus, quòd satis credebatur obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primùm contigere, prorogatio imperii non ante in vllo facta, & acto honore triumphus. Aliud subinde bellum cum alterius oræ Græcis exortum.

Tarentini.

nanque cum Tarentini rem Palæpolitanam vana spe auxilii aliquandiu sustinuissent, postquam Romanos vrbe potitos accepere, velut destituti, ac non qui ipsi destituissent, increpare Palæpolitanos: ira atque inuidia in Romanos furere: eo etiam quòd Lucanos & Appulos (nam vtraque eo anno societas cœpta est) in fidem populi Romani venisse allatum est. quippe propemodum peruentum ad se esse: iámque in eo rem fore, vt Romani aut hostes, aut domini habendi sint. discrimen profectò rerum suarum in bello Samnitium, euentúque eius verti: eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis validam, quando Lucanus defecerit: quem reuocari adhuc, impellíque ad abolendam societatem Romanam posse, si qua ars serendis discordiis adhibeatur. B Hæc consilia cum apud cupidos rerum nouandarum valuissent, ex iuuentute quidam Lucanorum pretio asciti, clari magis inter populares quàm honesti, inter se mulctati ipsi virgis, cum corpora nuda intulissent in ciuium cœtum, vociferati sunt se, quòd castra Romana ingredi ausi essent, à coss. virgis cæsos, ac propè securi percussos esse.

Qua arte Lucrini à Romanis defecerunt.

Deformis suapte natura res, cum speciem iniuriæ magis quàm doli præ se ferret, concitati homines cogunt clamore suo magistratus senatum vocare: & alii circunstantes concilium bellum in Romanos poscunt: alii ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt: tumultúque etiam sanos consternante animos decernitur, vt societas cum Samnitibus renouetur, legatíq; ad eam rem mittantur. Repentina res, quia quàm causam nullam, tam ne fidem quidem habebat: coacti à Samnitibus & obsides dare, & præsidia in loca munita accipere, cæci fraude & ira nihil recusarunt. Dilucere deinde breui fraus cœpit, postquàm criminum falsorum authores Tarentum commigrauere: sed amissa omni de se potestate, nihil vltra quàm vt pœniteret frustra, restabat. Eo anno plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quòd necti desierunt. mutatum autem ius ob vnius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem.

L. Papyrii fœneratoris libido & crudelitas.

L. Papyrius is fuit, cui cùm se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset: quæ ætas formáque misericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis eius fructum aduentitium crediti ratus, primò perlicere adolescentem sermone incesto est conatus: dein postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: postremò cum ingenuitatis magis, quàm præsentis conditionis memorem videret, nudari iubet, verberáque afferri. Quibus laceratus iuuenis, cùm se in publicum proripuisset, libidinem crudelitatémque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum cùm ætatis miseratione atque indignitate iniuriæ accensa, tum suæ conditionis, liberúmque suorum respectu, in forum, atque inde agmine facto ad curiam concurrit. & cum coss. tumultu repentino coacti senatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus laceratum iuuenis tergum procumbentes ad singulorum pedes ostentabant. Victum eo die ob impotentem iniuriam vnius ingens vinculum fidei: iussíque coss. ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in neruo teneretur: pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium esset. ita nexi soluti: cautúmque in posterum, ne necterentur.

Cautū ne debitoris corpus obnoxiū esset.

Eodem anno cùm satis per seipsum Samnitium bellum, & defectio repens Lucanorum, authorésque defectionis Tarentini solicitos haberent patres, accessit vt & Vestinus populus Samnitibus sese cōiungeret. Quæ res, sicut eo anno sermonibus magis passim hominū iactata, quàm in publico vllo concilio est: ita insequentis anni coss. L. Furio Camillo iterum, Iunio Bruto Scæuæ, nulla prior potiórque visa est, de qua ad senatum referrent. & quanquam noua res erat, tamen tanta cura patres incessit, vt pariter eam susceptam neglectámque timerent: ne aut

A aut impunitas eorum lasciuia superbiáque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo atque ira concirent finitimos populos. Et erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marsi Pelignique & Marrucini: quos si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. Vicit tamen pars, quæ in præsentia videri potuit maioris animi, quàm consilii: sed euentus docuit, fortes fortunam iuuare. Bellum ex authoritate patrum populus aduersus Vestinos iussit. Prouincia ea Bruto, Samnium Camillo sorte euenit. Exercitus vtróque ducti, & cura tuendorum finium hostes prohibiti coniungere arma. Cæterum alterum Cos. L. Furium, cui maior moles rerum imposita erat, morbo graui implicitum fortuna bello subtraxit: iussúsque dictatorem dicere rei gerendæ causa, longè clarissimum bello ea tempestate dixit L. Papyrium Cursorem, à quo Q. Fabius Maximus Rutilianus magister equitum est dictus: par nobile rebus in eo magistratu gestis, discordia tamen, qua propè ad vltimum dimicationis ventum est, nobilius. Ab altero consule in Vestinis multiplex bellum, nec vsquam vario euentu gestum est. nam & peruastauit agros, & populando atque vrendo tecta hostium satáque, in aciem inuitos extraxit: & ita prælio vno accidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo, vt non in castra solùm refugerent hostes, sed iam ne vallo quidem ac fossis freti dilaberentur in oppida, situ vrbium mœnibúsque se defensuri. Postremò oppida quoque vi expugnare adortus, primò Cutinam ingenti ardore militum aut vulnerum ira, quòd haud ferè quisquam integer prælio excesserat, scalis cepit: deinde Cingiliam. vtriusque vrbis prædam militibus, quòd eos neque portæ, neque muri hostium arcuerant, concessit. In Samnium incertis itum auspiciis est: cuius rei vitium non in belli euentum, quod prosperè gestum est, sed in rabiem atque iras imperatorum vertit. Namque Papyrius dictator à pullario monitus, cùm ad auspicium repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denuntiauit, vt sese loco teneret, neu absente se cum hoste manum consereret. Fabius cùm post profectionem dictatoris per exploratores comperisset, perinde omnia soluta apud hostes, ac si nemo Romanus in Samnio esset: seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse: seu occasione bene gerendæ rei inductus, exercitu instructo paratóque profectus ad Imbrinium (ita vocant locum) acie cum Samnitibus conflixit. Ea fortuna pugnæ fuit, vt nihil relictum sit, quo si affuisset dictator, res melius geri potuerit: non dux militi, non miles duci defuit. Eques etiam authore L. Cominio Tribuno militum, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterat hostium agmen, detraxit frænos equis: atque ita concitatos calcaribus permisit, vt sustinere eos nulla vis posset. per arma, per viros latè stragem dedère. Secutus pedes impetum equitum, turbatis hostibus intulit signa. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur. Authores habeo, bis cum hoste signa collata dictatore absente, bis rem egregiè gestam. Apud antiquissimos scriptores vna

Bellum Vestinum.

L. Papyrius Cursor dictator creatur.

Vestini vincuntur.

Magister equitum absente dictatore cũ Samnitibus prosperè pugnauit.

B hæc pugna inuenitur. In quibusdam annalibus tota res prætermissa est. Magister equitum, vt ex tanta cæde multis potitus spoliis, congesta in ingentem aceruum hostilia arma subdito igne concremauit: seu votum id deorum cuipiam fuit: seu credere libet Fabio authore factum, ne suæ gloriæ fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet, aut spolia in triumpho ferret. Literæ quoque de re prosperè gesta ad senatum non ad dictatorem missæ, argumentum fuere minimè cum eo communicantis laudem. Ita certè dictator id factum accepit, vt lætis aliis victoria parta præ se ferret iram tristitiámque. Misso itaque repentè senatu, se ex curia proripuit: tum verò non Samnitium magis legiones, quàm maiestatem dictatoriam & disciplinam militarem à magistro equitum victam & euersam dictitans, si illi impunè spretum imperium fuisset. Itaque plenus minarum iræque, profectus in castra cùm maximis itineribus isset, non tamen præuenire famam aduentus sui potuit. præcurrerant enim ab vrbe, qui nuntiarent dictatorem auidum pœnæ venire, alternis penè verbis T. Manlii facta laudantem. Fabius concione extemplò aduocata, obtestatus milites est, vt qua virtute Rempublicam ab infestissimis hostibus defendissent, eadem se, cuius ductu auspicióque vicissent, ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire amentem inuidia, iratum virtuti alienæ felicitatíque furere, quòd se absente Respublica egregiè gesta esset: malle, si mutare fortunam posset, apud Samnites, quàm Romanos victoriam esse. Imperium dictitare spretum, tanquam non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum doleat: & tunc inuidia impedire virtutem alienam voluisse, cupidissimísque arma ablaturum fuisse militibus, ne se absente moueri possent: & nunc id furere, id ægrè pati, quòd sine L. Papyrio non inermes, non manci milites fuerint, quòd se Q. Fabius magistrum equitum duxerit, ac non accensum dictatoris. Quid illum facturum fuisse, si quod belli casus ferunt, Marsque communis, aduersa pugna euenisset: qui sibi deuictis hostibus, Republica bene gesta, ita vt non ab illo vnico duce melius geri potuerit, supplicium magistro equitum, & tunc victori minetur? Neque illum magistro equitum infestiorem quàm tribunis militum, quàm centurionibus, quàm militibus esse: si posset, in omnes sæuiturum fuisse: quia id nequeat, in vnum sæuire: etiam inuidiam tanquam ignem summa petere, in caput consilii, in ducem incurrere. Si se simul cum gloria rei gestæ extinxisset, tunc victorem velut in capto exercitu dominantem, quicquid licuerit in magistro equitum, in militibus ausurum. Próinde adessent in sua causa omnium libertati. si consensum exercitus eundem, qui in prælio fuerit, in tuenda victoria videat, & salutem vnius omnibus curæ esse: inclinaturum ad clementiorem sententiam animum. postremò se vitam, fortunásque suas illorum fidei virtutique permittere. Clamor è tota concione ortus, vti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum saluis legionibus Romanis. Haud multò pòst dictator aduenit: classicóque extemplò ad concionem aduocauit. Tum silentio facto, præco Q. Fabium magistrum equitum citauit. Qui simul ex inferiore loco ad tribunal accessit. Tum Dictator, Quæro, inquit, de te Q. Fabi, cum summum

Dictator præ se fert iniussu suo pugnatũ fuisse.

Magister equitum milites ad se tuẽdum contra dictatoris obtestatur.

Dictatoris interrogatio ad magistrum equitum.

imperium dictatoris sit, pareántque ei c o s s. regia potestas, prætores iisdem auspiciis quibus c o s s. A
creati, æquum censeas necne, magistrum equitum dicto audientem esse? itémque illud interrogo, cùm me incertis auspiciis profectum ab domo scirem, vtrum mihi turbatis religionibus Respublica in discrimen committenda fuerit? an auspicia repetenda, ne quid dubiis diis agerem? Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magister equitum solutus ac liber potuerit esse? Sed quid ego hæc interrogo? cùm, si ego tacitus abiissem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua sententia fuerit. quin tu respondes, vetuerímne te quicquam rei me absente agere? vetuerímne signa cum hostibus conferre? quo tu imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, aduersus morem militarem, disciplinámque maiorum, & numen deorum ausus es cum hoste confligere? Ad hæc, quæ interrogatus es, responde: extra ea caue vocem mittas. Accede lictor. Aduersus quæ singula Q. Fabio cum respondere haud facile esset, & nunc quereretur eundem accusatorem capitis sui, ac iudicem esse: modò vitam sibi eripi citius, quàm gloriam rerum gestarum posse vociferaretur: purgarétque se inuicem, atque vltro accusaret: tunc

Dictator spoliari magistrũ equitũ iubet, virgas & secures expediri.

Papyrius redintegrata ira, spoliari magistrum equitum, ac virgas & secures expediri iussit. Fabius fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus ad triarios tumultum iam in concionem miscentes sese recepit. inde clamor in totam concionem est perlatus: alibi preces, alibi minæ audiebantur. qui proximi fortè tribunali steterant, quia subiecti oculis imperatoris noscitari poterant, orabant vt parceret magistro equitum: neu cum eo exercitum damnaret. extrema concio, & circa Fabium globus increpabant inclementem dictatorem. nec procul seditione aberant: ne tribunal qui-

Ad triarios se recepit Fabius magister equitũ.

dem satis quietum erat. legati circunstantes sellam orabant, vt rem in posterum diem differret, & iræ suæ spatium, & concilio tempus daret: satis castigatam adolescentiam Fabii esse: satis deformatam victoriam: ne ad extremum finem supplicii tenderet: neu vnico iuueni, neu patri eius clarissimo viro, neu Fabiæ genti eam inureret ignominiam. cum parum precibus, parum causa proficerent, intueri sæuientem concionem iubebant: ita irritatis militum animis subdere ignem, ac materiam seditioni, non esse ætatis, non prudentiæ eius: neminem id Q. Fabio pœnam deprecanti suam vitio versurum, sed dictatori, si occæcatus ira infestam multitudinem in se prauo certamine mouisset. Postremò ne id se gratiæ dare Q. Fabii crederet, se iusiurandum dare paratos esse: non videri è Republica in Q. Fabium eo tempore animaduerti. His vocibus cùm in se magis incitarent dictatorem, quàm magistro equitum placarent, iussi de tribunali descendere legati: & silentio nequicquam per præconem tentato, cùm præ strepitu ac tumultu nec ipsius dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur, nox velut in prælio certamini finem facit. magister equitum iussus postero die adesse, cum omnes affirmarent infestius Papyrium exarsurum, agitatum contentione ipsa, exacerbatúmque, B

Fabius Romam profugit.

clàm ex castris Romam profugit: & patre authore M. Fabio, qui ter iam c o s. dictatórque fuerat, vocato extemplò senatu cum maximè conquereretur apud patres vim atque iniuriam dictatoris, repentè strepitus ante curiam lictorum submouentium auditur: & ipse infensus aderat, postquam comperit profectum ex castris, cum expedito equitatu secutus. Iterata deinde contentio: & prehendi

Dictator Fabium Romã persequitur.

Papyrius Fabium iussit. vbi cum deprecantibus primoribus patrum, atque vniuerso senatu perstaret in incœpto immitis animus: tum pater M. Fabius, Quandoquidem, inquit, apud te nec authoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitásque magistri equitum à te ipso nominati valet: nec preces, quæ sæpe hostem mitigauêre, quæ deorum iras placant: tribunos ple-

Ad populũ prouocat Fabij pater.

bis appello, & prouoco ad populum: eúmque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus iudicium iudicem fero, qui certè vnus plus quàm tua dictatura potest pollétque. videro cessurúsne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit. Ex curia in concionem itur, quò cum paucis dictator, cum omni agmine principum magister equitum cùm ascendisset, deduci eum de rostris Papyrius in partem inferiorem iussit. secutus pater, Bene agis, inquit, cum eò nos deduci iussisti, vnde & priuati vocem mittere possemus. Ibi primò non tam perpetuæ orationes, quàm altercatio exau-

Fabij senis oratio in dictatoris crudelitatem.

diebantur. vicit deinde strepitum vox & indignatio Fabii senis, increpantis superbiam crudelitatémque Papyrii: se quoque dictatorem Romæ fuisse, nec à se quenquam ne plebis quidem hominem, non centurionem, non militem violatum. Papyrium tanquam ex hostium ducibus, sic ex Romano imperatore victoriam & triumphum petere. Quantum interesset inter moderationem antiquorum, & nouam superbiam crudelitatémque. dictatorem Quintium Cincinnatum in L. Minutium c o s. ex obsidione à se ereptum non vltrà sæuisse, quàm vt legatum eum ad exercitum pro c o s. relinqueret. M. Furium Camillum in L. Furio, qui contempta sua senectute & authoritate, fœdissimo cum euentu pugnasset, non solum in præsentia moderatum iræ esse, ne quid de collega secus populo aut senatui scriberet: sed cùm reuertisset, potissimum ex tribunis consularibus habuisse, quem ex collegis optione ab senatu data socium sibi imperii delegerit. Nam populi quidem, penes quem potestas omnium rerum esset, nec iram quidem vnquam atrociorem fuisse in eos, qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quàm vt pecunia eos mulctaret: capite anquisitum ob rem bello malè gestam de imperatore nullum ad eam diem esse. nunc ducibus populi Romani, quæ ne victis quidem bello fas fuerit virgas & secures victoribus, & iustissimos meritis triumphos intentari. Quid enim tandem passurum fuisse filium suum, si exercitum amisisset? si fusus, fugatus, castris exutus fuisset? quò vltra iram violentiámque eius excessuram fuisse, quàm vt verberaret, necaretque? Quàm conueniens esse propter Q. Fabium ciuitatem in lætitia, victoria, supplicationibus, ac gratulationibus esse: eum, propter quem deûm delubra pateant, aræ sacrificiis fument, honore, donis cumulentur,

A le ntur, n udatum virgis lacerari in conspectu populi Romani, intuentem Capitolium atque arcem, deósque ab se duobus prælus haud frustra aduocatos?quo id animo exercitum, qui eius ductu auspicijsque vicisset,laturum?quem luctum in castris Romanis,quam lætitiam inter hostes fore?Hæc simul iurgans,querens,deûm hominúmque fidem obtestans, & complexus filium plurimis cum lacrymis agebat. Stabat cum eo senatus maiestas,fauor populi,tribunitium auxilium,memoria absentis exercitus. Ex parte altera imperium inuictum populi Romani, & disciplina rei militaris, & dictatoris edictum pro numine semper obseruatum. & Manliana imperia, & posthabita filii charitas publicæ vtilitati iactabantur. Hoc etiam L.Brutum conditorem Romanæ libertatis antea in duobus liberis fecisse. nunc patres comes, & senes faciles de alieno imperio spreto, tanquam rei paruæ disciplinæ militaris euersæ iuuentuti gratiam facere. se tamen perstaturum in incœpto : nec ei, qui aduersus dictum suum turbatis religionibus, ac dubiis auspiciis pugnasset, quicquam ex iusta pœna remissurum. Maiestas imperii perpetua ne esset, non esse in sua potestate : L.Papyrium nihil de eius iure diminuturum. optare, ne potestas tribunitia inuiolata ipsa violet intercessione sua Romanum imperium, neu populus Romanus in se potissimum dictatorem & ius dictaturæ extinguat. Quod si fecisset, non L.Papyrium, sed tribunos, sed prauum populi iudicium nequicquam posteros accusaturos: cùm polluta semel militari disciplina non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati,non legatus Cos.non magister equitum dictatoris pareat imperio : nemo hominum,nemo deorum verecundiam habeat, non edicta imperatorum, non auspicia obseruentur : sine commeatu vagi milites in pacato, in hostico errent, immemores sacramenti, licentia sola se vbi velint, exauthorent: infrequentia deserant signa, neque conueniant ad edictum : nec discernant interdiu nocte, æquo iniquo loco,iussu iniussu imperatoris pugnent : & non signa, non ordines seruent : latrocinii modò cæca, & fortuita pro solenni & sacrata, militia sit. Horum criminum vos reos in omnia secula offerte tribuni plebis : vestra obnoxia capita pro licentia Q.Fabii obiicite. Stupentes tribunos, & suam iam vicem magis anxios, quàm eius cui auxilium ab se petebatur : liberauit onere consensus populi Romani ad preces & obtestationem versus, vt sibi pœnam magistri equitum dictator remitteret. tribuni quoque inclinatam rem in preces subsecuti, orare dictatorem insistunt, vt veniam errori humano, veniam adolescentiæ Q.Fabii daret : satis eum pœnarum dedisse. iam ipse adolescens, iam pater M. Fabius contentionis obliti, procumbere ad genua, & iram deprecari dictatoris. Tum dictator silentio facto, Bene habet, inquit, Quirites. vicit disciplina militaris : vicit imperii maiestas : quæ in discrimine fuerunt, an vlla post hanc diem essent.non noxæ eximitur Q.Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnauit : sed noxæ damnatus,donatur populo Romano : donatur tribunitiæ potestati,

Quæ flarêt cum Fabio. Quæ pro dictatore facerent.

Ad preces conuertitur populus pro liberãdo Fabio.

Dictator populi precibus donat Fabium.

B precarium non iustum auxilium ferenti. Viue Q.Fabi, felicior hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quàm qua paulo antè exultabas victoria : viue id facinus ausus, cuius tibi ne parens quidem, si eodem loco fuisset, quo fuit L.Papyrius, veniam dedisset. Mecum vt voles, reuertêris in gratiam : populo Romano,cui vitam debes, nihil maius præstiteris, quàm si hic tibi dies satis documenti dederit, vt bello ac pace pati legitima imperia posis. Cùm se nihil morari magistrum equitum pronunciasset, digressum eum templo lætus senatus, lætior populus, circunfusi, ac gratulantes hinc magistro equitum,hinc dictatori prosecuti sunt.firmatúmque imperium militare haud minus periculo Q.Fabii,quàm supplicio miserabili adolescentis Manlii videbatur. Fortè ita eo anno euenit, vt quotiescunque dictator ab exercitu recessit, hostes in Samnio mouerentur. cæterùm in oculis exemplum erat Q.Fabius M.Valerio legato, qui castris præerat, ne quam vim hostium magis, quàm trucem dictatoris iram timeret. Itaque frumentatores cùm circumuenti ex insidiis cæsi loco iniquo essent,creditum vulgo est, subueniri eis ab legato potuisse, ni tristia edicta exhorruisset. ea quoque ira alienauit à dictatore militum animos iam antè infensos, quòd implacabilis Q.Fabio fuisset : & quod suis precibus negasset, eius populo Romano veniam dedisset. Postquam dictator præposito in vrbe L.Papyrio Crasso magistro equitum, Q.Fabio vetito quicquam pro magistratu agere, in castra rediit : neque ciuibus satis lætus aduentus eius fuit,nec hostibus quicquam attulit terroris.Namque postero die seu ignari venisse dictatorem, seu adesset, an abesset, parui facientes, instructa acie ad castra accesserunt. Cæterùm tantum momenti in vno viro L.Papyrio fuit, vt si ducis consilia fauor subsecutus militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum sit : ita instruxit aciem loco, ac subsidiis : ita omni arte bellica firmauit. Cessatum à milite ac de industria, vt obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est. Plures Samnitium cecidere : plures Romani vulnerati sunt. Sensit peritus dux quæ res victoriæ obstaret : temperandum ingenium suum esse, & seueritatem miscendam comitati. itaque adhibitis legatis ipse circum saucios milites inserens in tentoria caput, singulos vt sese haberent rogitans, curam eorum nominatim legatis, tribunisque, & præfectis demandabat : rem per se popularem ita dexter egit : vt medendis corporibus animi multo prius militum imperatori reconciliarentur : nec quicquam ad salubritatem efficacius fuerit, quàm quod grato animo ea cura accepta est. Refecto exercitu cum hoste congressus haud dubia spe sua militúmque, ita fudit fugauítque Samnites, vt ille vltimus eis dies conferendi signa cum dictatore fuerit. Incessit deinde quà duxit prædæ spes, victor exercitus : perlustrauítque hostium agros, nulla arma, nullam vim nec apertam, nec insidiis expertus. Addebat alacritatem, quòd dictator prædam omnem edixerat militibus : nec ira magis publica, quàm priuatum compendium in hostem acuebat. His cladibus subacti Samnites, pacem à dictatore petiêre : cum quo pacti, vt singula vestimenta militibus, & annuum stipendium darent.cùm ire ad senatum iussi essent,secuturos se dictatorem responderunt,

Samnites ad Romanorũ castra pugnaturi accedunt.

Dubia uictoria.

Sãnites fusi.

Samnites pacem à dictatore petunt.

A vnius eius fidei virtutíque cauſam ſuam commendantes. ita deductus ex Samnitibus exercitus. Dictator triumphans vrbem eſt ingreſſus: & cùm ſe dictatura abdicare vellet, iuſſu patrum prius quàm abdicaret, c o s s. creauit C.Sulpitium Longum iterum, Q. Aemylium Cæretanum. Samnites infecta pace, quia de conditionibus agebatur, inducias annuas ab vrbe retulerunt. nec earum ipſarum ſancta fides fuit: adeò poſtquam Papyrium abiſſe magiſtratu nuntiatum eſt, arrecti ad bellandum animi ſunt. C.Sulpitio, Quinto Aemylio (Aulium quidam annales habent) c o s s. ad defectionem Samnitium Apulum nouum bellum acceſſit. vtróque exercitus miſſi: Sulpitio Samnites, Apuli Aemylio ſorte euenerunt. Sunt qui non ipſis Apulis bellum illatum, ſed ſocios eius gentis populos ab Samnitium vi atque iniuriis defenſos ſcribant. Cæterùm fortuna Samnitium vix à ſeipſis eo tempore propulſantium bellum, propius vt ſit vero facit, non Apulis ab Samnitibus arma illata, ſed cum vtraque ſimul gente bellum Romanis fuiſſe. Nec tamen res vlla memorabilis acta: ager Apulus, Samniúmq; euaſtatum: hoſtes nec hic, nec illic inuenti. Romæ nocturnus terror ita ex ſomno trepidam repentè ciuitatem exciuit, vt Capitolium atque arx, mœniáque & portæ plena armatorum fuerint. & cum concurſatum clamatúmque ad arma omnibus locis eſſet, prima luce nec author, nec cauſa terroris comparuit. Eodem anno de Thuſculanis Flauia rogatione populi fuit iudicium. M.Flauius Tribunus plebis tulit ad populum, vt in Thuſculanos animaduerteretur: quorum ope ac conſilio Veliterni Priuernatéſque populo Romano bellum feciſſent. Populus Thuſculanus cum coniugibus ac liberis Romam venit: ea multitudo veſte mutata, & ſpecie reorum tribus circuit, genibus ſe omnium aduoluens. Plus itaque miſericordia ad pœnæ veniam impetrandam, quàm cauſa ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem. Polliæ ſententia fuit, puberes verberatos necari: coniuges liberóſque ſub corona lege belli venire: memoriámque eius iræ Thuſculanis in pœnæ tam atrocis authores manſiſſe ad patrum ætatem conſtat: nec quenquam fermè ex Pollia tribu candidatum Papyriam ferre ſolitum. Inſequenti anno Q.Fabio, L.Fuluio Coss. A.Cornelius Aruina dictator, & M.Fabius Ambuſtus magiſter equitum metu grauioris in Samnio belli (conducta enim pretio à finitimis iuuentus dicebatur) intentiore delectu habito, egregium exercitum aduerſus Samnites duxerunt: caſtra in hoſtico incurioſè ita poſita, tanquam procul abeſſet hoſtis: cùm ſubitò aduenere Samnitium legiones tanta ferocia, vt vallum vſque ad ſtationem Romanam inferrent. nox iam appetebat: id prohibuit munimenta adoriri: nec diſſimulabant orta luce poſtero die facturos. Dictator vbi propiorem ſpe dimicationem vidit, ne militum virtuti damno locus eſſet, ignibus crebris relictis, qui conſpectum hoſtium fruſtrarentur, ſilentio legiones educit: nec tamen fallere propter propinquitatem caſtrorum potuit. eques extemplò inſecutus, ita inſtitit agmini, vt donec luceſceret, prælio abſtineret: nec pedeſtres quidem copiæ ante lucem caſtris egreſſæ. B Eques luce demum auſus incurſare in hoſtem, carpendo nouiſſimos, premendóque iniquis ad tranſitum locis agmen detinuit. interim pedes equitem aſſecutus, & totis iam copiis Samnis vrgebat. Tum dictator poſtquam ſine magno incommodo progredi non poterat, eum ipſum, in quo conſtiterat, locum caſtris dimetari iuſſit. Id verò circumfuſo vndique equitatu, vt vallum peteretur, opúſque inciperet, fieri non poterat. Itaque vbi neque eundi, neque manendi copiam eſſe videt, inſtruit aciem impedimentis ex agmine remotis: inſtruunt contrà & hoſtes, & animis & viribus pares. auxerat id maximè animos, quòd ignari loco iniquo non hoſti ceſſum, velut fugientes ac territos terribiles ipſi ſecuti fuerant. Id aliquandiu æquauit pugnam, iam pridem deſueto Samnite clamorem Romani exercitus pati. At herculè illo die ab hora diei tertia ad octauam ita anceps dicitur certamen ſtetiſſe, vt neque clamor, vt primò ſemel concurſu eſt ſublatus, iteratus ſit: neque ſigna promota loco, retróve recepta: neque recurſum ab vlla ſit parte. in ſuo quiſque gradu obnixi, vrgentes ſcutis ſine reſpiratione ac reſpectu pugnabant. fremitus æqualis, tenórque idem pugnæ in defatigationem vltimam, aut noctem ſpectabat. Iam viris vires, iam ferro ſua vis, iam conſilia ducibus deerant, cum ſubitò Samnitium equites cum turma vna longius profecta accepiſſent impedimenta Romanorum procul ab armatis ſine præſidio, ſine munimento ſtare, auditate prædæ impetum faciunt. Quod vbi dictatori trepidus nuntius attulit: Sine modò, inquit, ſeſe præda præpediant. alii deinde ſuper alios diripi paſſim, ferríque fortunas militum vociferabantur. Tum magiſtro equitum accito, Vides tu, inquit, M.Fabi, ab hoſtium equite omiſſam pugnam? hærent impediti impedimentis noſtris: aggredere (quod inter prædandum omni multitudini euenit) diſſipatos: raros equis inſidentes, raros quibus ferrum in manu ſit, innenies: equóſq; dum præda onerant, cæde inermes, cruentámque illis prædam redde. mihi legiones, peditúmque pugna curæ erunt: penes te equeſtre ſit decus. Equitum acies qualis quæ eſſe inſtructiſſima poteſt, inuecta in diſſipatos impeditóſque hoſtes, cæde omnia replet. inter ſarcinas omiſſas repentè obiacentes pedibus fugientium, conſternatorúmque equorum neque pugnæ, neque fugæ ſatis potentes cæduntur. Tum deleto propè equitatu hoſtium, M.Fabius circunductis paululum alis ab tergo pedeſtrem aciem adoritur. clamor inde nouus accidens & Samnitium animos terruit: & dictator, vbi reſpectantes hoſtium anteſignanos, turbatáque ſigna, & fluctuantem aciem vidit, tum appellare, tum adhortari milites, tribunos, principeſque ordinum nominatim ad iterandam ſecum pugnam vocare. Nouato clamore ſigna inferuntur: & quicquid progrediebantur, magis magiſque turbatos hoſtes cernebant. Eques ipſe iam primis erat in conſpectu: & Cornelius reſpiciens ad manipulos militum, quod manu, quod voce poterat, monſtrabat: vexilla ſe ſuorum, parmáſque cernere equitum. Quod vbi auditum, ſimúlque viſum eſt, adeò repentè laboris per diem penè totum tolerati,

Samnitium defectio.

Nocturnus terror Romæ.

De Thuſculanis iudiciũ populi.

A. Cornelius dictator aduerſus Sãnites creatur.

Sãnites iniquo loco Romanos adoriuntur.

Anceps certamen.

A tolerati, vulnerúmque obliti sunt, vt haud secus quàm situm integri è castris signum pugnæ accepissent, concitauerint se in hostem. nec vltrà Samnis tolerare terrorem equitum peditúmque vim potuit: partim in medio cæsi, partim in fugam dissipati sunt. pedes restantes, ac circumuentos cæcidit: ab equite fugientium strages est facta: inter quos & ipse imperator cecidit. Hoc demum prælium Samnitium res ita infregit, vt omnibus conciliis fremerent, minimè id quidem mirum esse, si impio bello, & contra fœdus suscepto, infestioribus meritò diis quàm hominibus, nihil prosperè agerent: expiandum id bellum magna mercede, luendúmque esse. id referre tantum, vtrum supplicia noxio paucorum, an omnium innoxio præbeant sanguine: audebántque iam quidam nominare authores armorum. vnum maximè nomen per consensum clamantium Brutuli Papii exaudiebatur. Vir nobilis, poténsque erat, haud dubiè proximarum induciarum ruptor. de eo coacti referre prætores decretum fecerunt, vt Brutulus Papius Romanis dederetur: & cum eo præda omnis Romana, captiuíque vt Romam mitterentur: quæque res per fœciales ex fœdere repetitæ essent, secundum ius fásque restituerentur. Fœciales Romam vt censuerunt missi: & corpus Brutuli exanime: ipse morte voluntaria ignominiæ se, ac supplicio subtraxit. placuit cum corpore bona quoque eius dedi: nihil tamen earum rerum præter captiuos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum est: cæterarum rerum irrita fuit deditio. dictator ex Senatus Consulto triumphauit. Hoc bellum à COSS. bellatum quidam authores sunt, eósque de Samnitibus triumphasse: Fabium etiam in Apuliam processisse, atque inde magnas prædas egisse. nec discrepat, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit. id ambigitur, bellíne gerendi causa creatus sit, an vt esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor graui morbo fortè implicitus erat: signum mittendis quadrigis daret, functúsque eo haud sanè memorandi imperii ministerio, se dictatura abdicaret. nec facile est aut rem rei, aut authorem authori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsísque imaginum titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorúmque fallente mendacio trahunt: inde certè & singulorum gesta, & publica monimenta rerum confusa. nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo authore stetur.

Samnites uicti.

Sãnites Romanis dedũt Brutulũ defectionis authorem.

Brutulus mortem sibi consciscit.

Vitiatur rerum memoria funebribus laudibus.

DECADIS PRIMAE LIBER NONVS.

Titus Veturius, & Sp. Posthumius apud Caudinas Furcas, deducto in locũ iniquũ exercitu, cum nulla spes euadendi esset, fœdere cum Samnitibus facto, & sexcentis equitibus Romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub iugum mitterentur. iidemq́; authore Sp. Posthumio Cos. qui in senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat, publica fides liberaretur: cum duobus tribunis plebis, & omnibus qui per fœdus spoponderant, dediti Samnitibus non sunt recepti. nec etiam multò pòst fusis à Papyrio Cursore Samnitibus, & sub iugum missis, receptisq́; sexcentis equitibus Romanis, qui obsides dati erant, pudor priorũ flagitij abolitus. Tribus duæ adiectæ sunt, Vfentina, & Falerina. Suessa, & Pontiæ coloniæ deductæ sunt. Ap. Claudius Censor Aquam Claudiam perduxit; uiam strauit, quæ Appia uocata est: libertinorum filios in senatu legit, ideoq́; quoniam is ordo uidebatur inquinatus indignis, sequentis anni consules in senatu legendo obseruauerunt, quemadmodum antè per proximos censores obseruatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Hetruscos, Vmbros, Marsos, Pelignos, Aequos, & Samnites, quibus fœdus erat restitutum, prosperè gestas continet. Flauius Scriba libertino patre natus ædilis curulis fuit, per forensem factionem creatus: quæ cum comitia & campum turbaret, & in iis propter nimias uires dominaretur, à Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, eaq́; res Fabio Maximo nomen dedit.

B



Equitur hunc annum nobilis clade Romana Caudina pax, T. Veturio Caluino, Sp. Posthumio COSS. Samnites eo anno imperatorem Caium Pontium Herennii filium habuerunt, patre longè prudentissimo natum, primum ipsum bellatorem ducémque. Is, vbi legati, qui ad dedendas res missi erant, pace infecta redierunt: Ne nihil actum, inquit, hac legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cælestium fuit. Satis scio, quibuscunque diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant, iis non fuisse cordi tam superbè ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim vltra fieri ad placandos deos, mitigandósque homines potuit, quàm quod nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli iure nostræ videbantur, remisimus: authores belli, quia viuos non potuimus, perfunctos iam fato dedimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portauimus. Quid vltra tibi Romane, quid fœderi, quid diis arbitris fœderis debeo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum iudicem feram? neminem neque populum, neque priuatum fugio. Quòd si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam: & precabor, vt iras suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint: quorum sæuitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditionem exatient: placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem, laniandáque viscera nostra præbuerimus. Iustum est bellum Samnites, quibus necessarium: & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Proinde cum rerum humanarum maximum momentum sit, quàm propitiis rem, quàm aduersis agant diis: pro certo habete, priora bella aduersus deos magis, quàm homines gessisse: hoc, quod instat, ducibus ipsis diis gesturos. Hæc non læta magis, quàm vera vaticinatus, exercitu educto circa Caudium castra quàm potest occultissimè locat: inde ad Calatiam, vbi iam COSS. Romanos, castráque esse audiebat, milites decem

Caij Pontij Samnitium imperatoris oratio.

Samnites ad Caudium castra locant.

A pastorum habitu mittit, pecoráq; diuersos alium alibi haud procul Romanis pa ſcere iubet præſidiis: vbi inciderint in prædatores, vt idem omnibus ſermo conſtet: legiones Samnitium in Apulia eſſe, Luceriam omnibus copiis circumſedere: nec procul abeſſe, quin vi capiant. Iam & is etiam rumor antè de induſtria vulgatus venerat ad Romanos, ſed fidem auxere captiui, eo maximè, quòd ſermo inter omnes congruebat. Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus ſociis: ſimul ne Apulia omnis ad præſentem terrorem deficeret. ea modò, quà ireut, conſultatio fuit. Duæ ad Luceriam ferebant viæ, altera præter oram ſuperi maris patens apertáque, ſed quanto

Furcularum Caudinarũ deſcriptio.

tutior, tanto ferè longior: altera per Furculas Caudinas breuior. ſed ita natus locus eſt. ſaltus duo alti anguſti ſyluoſique ſunt, montibus circa ſe perpetuis inter ſe iuncti: iacet inter eos ſatis patens clauſus in medio campus, herbidus, aquoſúſque, per quem medium iter eſt. ſed antè quàm venias ad eum, intrandæ primæ anguſtiæ ſunt, & aut eadem, qua te inſinuaueris, retrò via repetenda: aut ſi ire porrò pergas, per alium ſaltum arctiorem, impeditioremque euadendum. In eum campum via alia per cauam rupem Romani demiſſo agmine, cum ad alias anguſtias protinus pergerent, ſeptas deiectu arborum ſaxorúmque ingentium obiacentem molem inuenére. cum fraus hoſtilis apparuiſſet, præſidium etiam in ſummo ſaltu conſpicitur: citati inde retrò, quà venerant, pergunt repetere viam:

Interceptus Romanus exercitus.

eam quoque clauſam ſua obice, armíſque inueniunt. ſiſtunt inde gradum ſine vllius imperio, ſtupórque omnium animos, ac velut torpor quidam inſolitus membra tenet: intuentéſque alii alios, cum alterum quiſque magis mentis compotem ac conſilii ducerent, diu immobiles ſilent. deinde vbi prætoria conſulum erigi videre, & expedire quoſdam vtilia operi, quanquam ludibrio fore munientes perditis rebus, ac ſpe omni adempta cernebant: tamen ne culpam malis adderent, pro ſe quiſque nec hortante vllo, nec imperante ad muniendum verſi, caſtra propter aquam vallo circundant, ſua ipſi opera, laborémque irritum, præterquam quòd hoſtes ſuperbè increpabant, cum miſerabili confeſsione eludentes. ad C O S S. mœſtos ne aduocantes quidem in conſilium, quando nec conſilio nec auxilio locus eſſet, ſua ſponte legati, ac tribuni conueniunt, militéſque in prætorium verſi, opem, quam vix dii immortales ferre poterant, ab ducibus expoſcunt. Querentes magis, quàm conſultantes nox oppreſsit. cùm pro ingenio quiſque fremerent: alius, per obices viarum, alius, per diuerſa montium, per ſyluas, quà ferri arma poterant, eamus: modò ad hoſtem peruenire liceat, quem per annos iam propè triginta vincimus, omnia æqua ac plana erunt Romano in perfidum Samnitem pugnanti. alius, Quò, aut qua eamus? num montes moliri ſede ſua paramus? dum hæc imminebunt iuga, qua tu ad hoſtem venies? armati, inermes, fortes, ignaui pariter omnes capti atque victi ſumus. ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus eſt hoſtis: ſedens bellum conficiet. His inuicem ſermonibus quà cibi, quà quietis immemor, nox traducta eſt. Ne Samnitibus B

Herennius Pontius imperatoris Samnitium pater conſilitur: eius reſponſa.

quidem conſilium in tam lætis ſuppetebat rebus. itaque vniuerſi Herennium Pontium patrem imperatoris per literas conſulendum cenſent. Iam is grauior annis non militaribus ſolum, ſed ciuilibus quoque abſceſſerat muneribus: in corpore tamen affecto vigebat vis animi, conſiliíque. Is vbi accepit ad Furculas Caudinas inter duos ſaltus clauſos exercitus Romanos, conſultus ab nuntio filii, cenſuit omnes inde quàm primum inuiolatos dimittendos. quæ vbi ſpreta ſententia eſt, iterúmque eodem remeante nuntio conſulebatur, cenſuit ad vnum omnes interficiendos. Quæ vbi tam diſcordia inter ſe velut ex ancipiti oraculo reſponſa data ſunt: quanquam filius ipſe in primis iam animum quoque patris conſenuiſſe in affecto corpore rebatur: tamen conſenſu omnium victus eſt, vt ipſum in conſilium acciret. Nec grauatus ſenex, plauſtro in caſtra dicitur aduectus: vocatúſque in conſiliũ, ita fermè locutus eſſe, vt nihil ſententiæ ſuæ mutaret, cauſas tantum adiiceret. Priore ſe conſilio, quod optimum duceret, cum potentiſsimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiámque: altero conſilio, in multas ætates, quibus amiſsis duobus exercitibus, haud facile receptura vires Romana res eſſet, bellum differre. tertium nullum conſilium eſſe. Cùm filius aliíque principes percunctando exquirerent, quid ſi media via conſilium caperetur? vt & dimitterentur incolumes, & leges iis iure belli victis imponerentur? Iſta quidem ſententia, inquit, ea eſt, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit: ſeruate modò, quos ignominia irritaueritis. Ea eſt Romana gens, quæ victa quieſcere neſciat: viuet ſemper in pectoribus illorum quicquid iſtuc præſens neceſsitas inuſſerit: neque eos ante multiplices pœnas expetitas à vobis quieſcere ſinet. Neutra ſententia accepta, Herennius domum è caſtris eſt auectus. Et in caſtris Romanis cum fruſtra multi conatus ad erumpendum capti eſſent, & iam omnium rerum inopia eſſet, victi neceſsitate legatos mittunt, qui primum pacem æquam peterent: ſi pacem nõ impetrarent, vti prouocarent ad pugnam. Tum Pontius debellatum eſſe reſpondit: & quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri ſcirent, inermes cum ſingulis veſtimentis ſub iugum miſſurum: alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus

Pacis conditiones inter Samnites & Romanum exercitum.

fore: ſi agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, ſuis deinde legibus Romanũ ac Samnitem æquo fœdere victurum. His cõditionibus paratum ſe eſſe fœdus cum C O S S. ferire: ſi quid eorum diſpliceat, legatos iam redire ad ſe vetuit. Hæc cum legatio renuntiaretur, tantus gemitus omnium ſubitò exortus eſt, tantáq; mœſtitia inceſsit, vt non grauius accepturi viderẽtur, ſi nuntiaretur omnibus eo loco mortem oppetendam eſſe. Cum diu ſilentium fuiſſet, nec C O S S. aut pro fœdere tam turpi, aut contra fœdus tam neceſſarium hiſcere poſſent: tum L. Lentulus, qui tum princeps legatorum virtute atq; honoribus erat: Patrem meum, inquit, C O S S. ſæpe audiui memorãtem, ſe in Capitolio vnum

L. Lentuli oratio.

non fuiſſe authorẽ ſenatui redimendæ auro a Gallis ciuitatis, quando nec foſſa vallóq; ab ignauiſsimo ad opera ac muniendum hoſte clauſi eſſent: & erumpere ſi nõ ſine periculo magno, tamen ſine certa pernicie

A pernicie possent. Quod si vt illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpe modò obsessi in obsideutes eruperunt) ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset, non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor: & me vel deuouere pro populo Romano legionibúsque, vel in medios me mittere hostes paratus sum. sed hic patriam video: hic quicquid Romanarũ legionum est: quæ nisi pro se ipsis ad mortem ruere volunt, quid habent quòd morte sua seruent? tecta vrbis dicat aliquis, & mœnia, & eam turbam, à qua vrbs incolitur. imò hercule produntur magis omnia deleto hoc exercitu, non seruantur. quis enim ea tuebitur? imbellis videlicet atq; inermis multitudo? tam hercule, quàm à Gallorum impetu defendit. an à Veiis exercitum, Camillúmq; ducem implorabunt? Hic omnes spes opésq; sunt: quas seruando, patriam seruamus: dedendo ad necem, patriam deserimus, ac prodimus. At fœda atque ignominiosa deditio est: sed ea charitas patriæ est, vt tam ignominia eam, quàm morte nostra, si opus sit, seruemus. Subeatur ergo ista quantacunq; est indignitas: & pareatur necessitati, quam ne dii quidem superant. Ite c o s s. redimite armis ciuitatem, quam auro maiores vestri redemerunt. c o s s. profecti ad Pontium in colloquiũ, cùm de fœdere victor agitaret, negarunt iniussu populi fœdus fieri posse: nec sine fœcialibus, cærimoniáq; alia solenni. Itaq; non vt vulgò credunt, Claudiúsq; etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per sponsionẽ facta est. Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, vbi precatione res transigitur? per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum à fœcialibus porcus feriatur? Spoponderunt c o s s. legati, quæstores, tribuni militum: nomináque omnium, qui spoponderunt, extant: vbi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fœcialium non extarent. & propter necessariam fœderis dilationem obsides etiam D C equites imperati: qui capite luerent, si pacto nõ staretur. tempus inde statutum tradendis obsidibus, exercitúque inermi mittendo. Redintegrauit luctum in castris Consulum aduentus, vt vix ab iis abstinerent manus, quorum temeritate in eum locum deducti essent: quorũ ignauia fœdius inde, quàm venissent, abituri. illis non ducem locorum, nõ exploratorem fuisse: belluarum modo cæcos in foueam missos. alii alios intueri: contemplari arma mox tradenda, & inermes futuras dextras, obnoxiáque corpora hosti. Proponere sibimetipsi ante oculos iugum hostile, & ludibria victoris, & vultus superbos, & per armatos inermium iter. inde fœdi agminis miserabilem viam, per sociorum vrbes reditum in patriam, ac parentes: quò sæpe ipsi, maioresque eorum triumphantes venissent. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos: sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre: sibi nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos datos. Hæc frementibus hora fatalis ignominiæ aduenit, omnia tristiora experiundo factura, quàm quæ præceperant animis.

Coss. cũ Põtio de fœdere agitant.

Non fœdere, sed per sponsionem pax Caudina facta.

Militum Romanorũ indignatio.

B Iam primùm cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire iussi: & primi traditi obsides, atq; in custodiam abducti. Tum à c o s s. abire lictores iussi: paludamentáque detracta tantam inter ipsos, qui paulo antè eos execrantes, dedendos lacerandósq; censuerant, miserationem fecit, vt suæ quisque cõditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ maiestatis velut ab nefando spectaculo auerteret oculos. Primi c o s s. propè seminudi sub iugum missi: tum vt quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus: tum deinceps singulæ legiones. circunstabant armati hostes exprobrantes, eludentésq;: gladii etiam plerisque intentati: & vulnerati quidam, necatíque, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. ita traducti sub iugum, & (quod penè grauius erat) per hostium oculos, cùm ex saltu euasissent, etsi velut ab inferis extracti, tum primùm lucem aspicere visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Itaque cùm ante noctem Capuam peruenire possent, incerti de fide sociorum, & quòd pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua omnium egena corpora humi prostrauerunt. Quod vbi est Capuam nuntiatum, euicit miseratio iusta sociorum, superbiam ingenitam Campanis. confestim insignia sua c o s s. fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benignè mittunt: & venientibus Capuam cunctus senatus populúsque obuiam egressus, iustis omnibus hospitalibus, priuatísq; & publicis fungitur officiis: neq; illis sociorum comitas, vultúsq; benigni, & alloquia nõ modò sermonem elicere, sed ne vt oculos quidem attollerent, aut consolantes amicos contrà intuerentur, efficere poterant. adeò super mœrorem pudor quidam effugere colloquia & cœtus hominum cogebat. Postero die cùm iuuenes nobiles missi à Capua vt proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, reuertissent: vocatíque in curiam percunctantibus maioribus natu multo sibi mœstiores & abiectiores animi visos referrent, adeò silens, ac propè mutum agmeu incessisse: tacere indolem illam Romanam: ablatósq; cum armis animos nõ reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quenquã præ metu potuisse: tanquam ferentibus adhuc ceruicibus iugum, sub quod emissi essent. Habere Samnites victoriam non præclaram solùm, sed etiam perpetuam: cepisse enim eos nõ Romam, sicut antè Gallos: sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem, ferociámq;. Cum hæc dicerentur, audirentúrq;, & deploratũ penè Romanum nomen in consilio sociorum fidelium esset: dicitur Offilius Calauius, Ouii filius, clarus genere factísq;, tum etiam ætate verendus, longè aliter se habere rem dixisse: silentium illud obstinatum, fixósq; in terram oculos, & surdas ad omnia solatia aures & pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse. aut se Romana ignorare ingenia: aut silentiũ illud Samnitibus flebiles breui clamores gemitúsq; excitaturũ: Caudinæq; pacis aliquanto Samnitibus quàm Romanis tristiorem memoriam fore. quippe suos quenq; eorum animos habiturum, vbicunq; congressuri sint: saltus Caudinos nõ vbiq; Samnitibus fore. Iam & Romæ sua infamis clades erat. obsessos primum audierunt: tristior deinde ignominiosæ pacis magis, quàm periculi nuntius fuit. Ad famam

Consules cũ exercitu sub iugum missi.

Cãpani Romanos benignè excipiunt.

Offilij Calauij Campani de Romanorum silentio indicium.

Ingens luctus Romæ ob deditionem tam fœdè factam.

A obsidionis delectus haberi cœptus erat: dimissus deinde auxiliorũ apparatus, postquam deditionem tam fœdè factam acceperunt, extemplóq; sine vlla publica authoritate concessum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ: iustitiúmq; in foro sua sponte cœptum, prius quàm indictum: laticlaui, annuli aurei positi, pœnè mœstior exercitu ipso ciuitas esse: nec ducibus solùm atq; authoribus, sponsoribúsq; pacis irasci, sed innoxios etiam milites odisse, & negare vrbe tectísve accipiendos. Quam concitationem animorũ fregit aduentus exercitus, etiam iratis miserabilis. non enim tanquam in patriam reuertẽtes ex insperato incolumes, sed captorum habitu vultúq; ingressi sero in vrbem, ita se in suis quisq; tectis abdiderunt, vt postero atq; insequentibus diebus nemo eorũ forum aut publicum aspicere vellet. Consules in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum senatusconsulto est, vt dictatorem dicerent comitiorum causa. Q. Fabium Ambustum dixerũt, & P. Aelium Petum magistrum equitum. quibus vitio creatis suffecti M. Aemylius Pappus dictator, L. Valerius Flaccus magister equitum: nec per eos comitia habita. & quia tædebat populum omniũ magistratuũ eius anni, res ad interregnum rediit. interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerins Coruinus. is coss. creauit Q. Publium Philonem, & L. Papyrium Cursorem iterũ, haud dubio cõsensu ciuitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent. Quo creati sunt die, eo (sic enim placuerat patribus) magistratũ inierũt, solennibúsq; S C perfectis, de pace Caudina retulerunt. & Publius, penes quem fasces erãt, Dic Spuri Posthumi, inquit. Qui vbi surrexit, eodem illo vultu, quo sub iugum missus erat: Haud sum ignarus, inquit c o s s. ignominiæ, non honoris causa me primum excitatũ, iussúmq; dicere non tanquam senatorẽ, sed tanquam reum quà infelicis belli, quà ignominiosæ pacis. ego tamen, quãdo neque de noxa nostra, neqne de pœna retulistis, omissa defensione, quæ non difficillima esset apud haud ignaros fortunarum humanarum, necessitatúmq;, sententiã de eo, de quo retulistis, paucis peragam: quæ sententia testis erit, mihíne, an legionibus vestris pepercerim, cum me seu turpi, seu necessaria sponsione obstrinxi: qua tamen, quando iniussu populi facta est, non tenetur populus Romanns: nec quicquam ex ea, præterquam corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per fœciales nudi vinctíq;, exoluamus religione populũ, si qua obligauimus, ne qnid diuini humanive obstet, quo minus iustum piúmq; de integro ineatur bellum. interea c o s s. exercitum scribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hostium fines, quàm omnia iusta in deditionem nostam perfecta erunt. Vos dii immortales precor, quæsóq;, si vobis nõ fuit cordi Sp. Posthumium, T. Veturium c o s s. cum Samnitibus prosperè bellum gerere: at vos satis habeatis, vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctósq; hostibus deditos, omnem iram hostiũ nostris capitibus excipientes, nouos c o s s. legionésq; Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, vt omnia ante nos Consules bella gesta sunt. Quæ vbi dixit, tanta simul admiratio miseratióq; viri incessit homines, vt B modò vix crederent illum eundem esse Sp. Posthumiũ, qui author tam fœdæ pacis fuisset: modò miserarentur, quòd vir talis etiam præcipuum apud hostes suppliciũ passurus esset ob iram diremptæ pacis.

Sp. Posthumij, qui sub iugum missus erat cõsul, oratio.

Deditioni intercedunt Tribuni plebis.

cum omnes laudibus modò prosequentes virum in sententiã eius pedibus irent, tentata paulisper intercessio est ab L. Liuio, & Q. Melio Tribb. pleb. qui neq; exolui religione populum aiebant deditione sua, nisi omnia Samnitibus qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo, quòd spondendo pacem, seruassent exercitũ populi Rom. pœnam vllam meritos esse: neq; ad extremũ cum sacrosancti essent, dedi hostibus, violarive posse.

Posthumij aduersus tribunos plebis oratio.

Tum Posthumius, Interea dedite, inquit, profanos nos, quos salua religione potestis: dedetis deinde & istos sacrosanctos, cum primùm magistratu abierint: sed, si me audiatis, prius quàm dedantur, hic in comitio virgis cæsos, hanc iam vt intercalatæ pœnæ vsuram habeant. Nam quòd deditione nostra negant exolui religione populum, id istos magis ne dedantur, quàm quia ita se res habeat, dicere, quis adeò iuris fœcialium expers est, qui ignoret? neqne ego inficias eo patres conscripti, tam sponsiones, quàm fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: sed iniussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat. An si eadem superbia, qua sponsionẽ istam expresserunt nobis Samnites, coëgissent nos verba legitima dedentiũ vrbes nuncupare, deditum populum Romanũ vos tribuni diceretis? & hanc vrbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitiũ esse? omitto deditionem, quoniã de sponsione agitur. Quid tandem, si spopondissemus vrbem hanc relicturũ populum Romanũ? si incensurũ? si magistratus, si senatum, si leges non habiturũ? si sub regibus futurum? Dii meliora, inqnis. atqui non indignitas rerum sponsionis vinculum leuat. Si quid est, in quod obligari populus posit, in omnia potest. & ne illud quidem, quod quosdam forsitan moueat, refert, c o s. an dictator, an prætor spoponderit. & hoc ipsi etiã Samnites iudicanerunt. quibus nõ fuit satis c o s s. spondere, sed legatos, quæstores, tribunos militũ spondere coegerunt. Nec à me nunc quisquam quæsiuerit quid ita spoponderim: cùm id nec consulis ius esset, nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrii: nec pro vobis, qui nihil mandaueratis, possem. Nihil ad Caudium patres conscripti humanis consiliis gestum est: dii immortales & vestris, & hostium imperatoribus mentem ademerunt. nec nos in bello satis cauimus: & illi malè partam victoriam malè perdiderunt: dnm vix locis, quibus vicerant, credunt: dum quacunque conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad cõsultandum accersunt, mittere Romam legatos? cum senatu, cum populo de pace ac fœdere agere? tridui iter expeditis erat. interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem afferrent. ea demum sponsio esset, quã populi iussu spopõdissemus. sed neq; vos tulissetis, nec nos spopondissemus: nec fas fuit alium rerum exitum esse, quàm vt & illi velut somnio lætiore, quàm quod mentes eorũ capere possent, nequicquã eluderentur: & nostrũ exercitum

eadem

A eadem quæ impedierat fortuna, expediret: vanam victoriam vanior irritam faceret pax: sponsio interponeretur, quæ neminem præter sponsorem obligaret. Quid enim vobiscum patres conscripti? quid cum populo Romano actum est? quis vos appellare potest? quis se à vobis dicere deceptum? hostis? an ciuis? hosti nihil spopondistis: ciuem neminem spondere: pro vobis iussistis. nihil ergo vobis, nec nobiscum est, quibus nihil mandastis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus rei satis locupletes in id, quod nostrũ est: in id, quod præstare possumus, corpora nostra, & animos: in hæc sæuiant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet, consulite vtrum præsens deditio eorum fieri possit, an in diem differatur: nos interim T. Veturi, vósque cæteri vilia hæc capita luendæ sponsionis feramus, & nostro supplicio liberemus Romana arma. Mouit patres conscriptos tum causa, tum author: nec cæteros solum, sed tribunos etiam plebis, vt se in senatus dicerent fore potestate. magistratu inde se extemplò abdicauerunt: tradit íque fœcialibus cum cæteris Caudium ducendi. Hoc facto senatusconsulto, lux quædam affulsisse ciuitati visa est. Posthumius in ore erat: eum laudibus ad cælum ferebãt: deuotioni P. Decii cos. aliis claris facinoribus æquabant. emersisse ciuitatem ex obnoxia pace, illius consilio & opera, ipsum se cruciatibus & hostium iræ offerre, piaculáque pro populo dare Romano. arma cuncti spectant, & bellum. en vnquam futurũ, vt congredi armatis cum Samnite liceat? In ciuitate ira odióque ardente delectus omniũ propè voluntariorũ fuit, rescriptæ ex eodem milite nouæ legiones, ductúsq; ad Caudium exercitus. Prægressi fœciales vbi ad portam venere, vestẽ detrahi pacis sponsoribus iubent, manus post tergum vinciri. Cùm apparitor verecũdia maiestatis Posthumium laxè vinciret, Quin tu, inquit, adducis lorum, vt iusta fiat deditio? Tum vbi in cœtum Samnitium, & ad tribunal ventum Pontii est, A. Cornelius Aruina fœcialis ita verba fecit. Quandoquidem hiee homines iniussu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atq; ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo. Hæc dicenti fœciali, Posthumius genu femur quanta maximè poterat vi perculit, & clara voce ait, se Samnitem ciuem esse, illũ legatum, fœcialẽ à se contra ius gentium violatum, eo iustius bellum gesturos. Tùm Pontius, Nec ego istam deditionem accipiã, inquit, nec Samnites ratã habebunt. quin tu Spuri Posthumi, si deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti populo omnes, quos in potestate habuit, aut pro iis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum victori cum qua potes fide restituis? populum Romanum appello, quem si sponsionis ad furculas Caudinas factæ pœnitet, restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt. nemo quenquam deceperit. omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in castra sua: quicquid pridie habuerunt, quàm in colloquium est ventum, habeant. tum bellum, & fortia consilia placeant: tunc sponsio & pax repudietur. ea verò fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum. nec populus Romanus consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Nunquámne causa desiet, cur victi pacto non stetis? obsides Porsenæ dedistis, furtim eos subduxistis, auro ciuitatẽ à Gallis redemistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. pacem nobiscum pepigistis, vt legiones vobis captas restitueremus: eam pacẽ irritam facitis, & semper aliquam fraudi speciẽ iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace legiones seruatas? pacem sibi habeat, legiones captas victori restituat. hoc fide, hoc fœderibus, hoc fœcialibus cæremoniis dignum erat, vt tu quidem, quod petisti, per pactionem habeas tot ciues incolumes? ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam? hoc tu A. Corneli, hoc vos fœciales iuris gentibus dicitis? Ego verò istos, quos dedi simulatis, nec accipio: nec dedi arbitror, nec moror quo minus in ciuitatem obligatam sponsione commissa iratis omnibus diis, quorum eluditur numen, redeant. gerite bellum, quando Sp. Posthumius modò legatum fœcialem genu perculit, ita dii credent Samnitem ciuem Posthumium non ciuem Romanum esse, & à Samnite legatum Romanum violatum, eo vobis iustum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? & vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere? I lictor, deme vincla Romanis: moratus sit nemo, quo minus vbi visum fuerit, abeant. Et illi quidem forsitan & publica, sua certè liberata fide, ab Caudio in castra Romana inuiolati redierunt. Samnitibus pro superba pace infestissimum cernentibus renatum bellum, omnia que deinde venerunt, non in animis solum, sed propè in oculis esse: & serò ac nequicquam laudare senis Pontii vtraque consilia, inter quæ se media lapsos victoriæ possessionem pace incerta mutasse, & beneficii & maleficii occasione amissa, pugnaturos eum eis, quos potuerint in perpetuum vel inimicos tollere, vel amicos facere. adeóque nullo dum certamine inclinatis viribus post Caudinam pacem animi mutauerant, vt clariorem inter Romanos deditio Posthumium, quàm Pontium incruenta victoria inter Samnites faceret, & geri posse bellum Romani pro victoria certa haberent, Samnites simul rebellasse & vicisse crederent Romanum. Inter hæc Satricani ad Samnites defecerunt, & Fregellæ colonia nec opinato aduentu Samnitium (fuisse & Satricanos cum iis satis constat) nocte occupata est. timor inde mutuus vtrosque vsque ad lucem quietos tenuit: lux pugnæ initium fuit. quam aliquandiu æquam, & quia pro aris ac focis dimicabatur, & quia ex tectis adiuuabat imbellis multitudo, tamen Fregellani sustinuerunt. Fraus deinde rem inclinauit, quòd vocem audiri præconis passi sunt, incolumem abiturum qui arma posuisset. ea spes remisit à certamine animos, & passim arma iactari cœpta. Pertinacior pars armata per auersam portam erupit, tutiórque eius audacia fuit, quàm incautus ad credendum cæteris pauor: quos circundatos igni, nequicquam deos fidémque inuocantes, Samnites concremauerunt. coss. inter se partiti prouincias, Papyrius in Apuliam ad Luceriam pergit, vbi equites Romani obsides ad Caudium dati custodie-

Conss. reliquique sponsores Caudinæ pacis Samnitibus per fœciales deduntur.

Fœcialis A. Cornelij oratio.

Pontii Samnitium imperatoris responsio.

B

Deditos non accipit Pontius.

Satricani ad Samnites deficiunt.

Fregellanos Sãnites igni circundatos exusserunt.

bantur: Publius in Samnio substitit aduersus Caudinas legiones. Distendit ea res Samnitium animos, quod nec ad Luceriam ire, ne à tergo instaret hostis, nec manere, ne Luceria interim amitteretur, satis audebant. optimum visum est committere rem fortunæ, & transigere cum Publio certamen. itaque in aciem copias ducunt. aduersus quos Publius cos. cum dimicaturus esset, prius alloquendos milites ratus, concionem aduocari iussit. cæterum sicut ingenti alacritate ad prætorium concursum est, ita præ clamore poscentium pugnam nulla adhortatio imperatoris audita est, suus cuique animus memor ignominiæ adhortator aderat. Vadunt igitur in prælium vrgentes signiferos: & ne mora in concursu pilis emittendis, stringendísque inde gladiis esset, pila velut dato ad id signo abiiciunt, strictísque gladiis cursu in hostem feruntur. nihil illic imperatoriæ artis ordinibus, aut subsidiis locandis fuit: omnia ira militaris propè vesano impetu egit. Itaque non fusi modò hostes sunt, sed ne castris quidem suis fugam impedire ausi, Apuliam dissipati petiere: Luceriam tamen coacto rursus in vnum agmine est peruentum. Romanos ira eadem, quæ per mediam aciem hostium tulerat, & in castra pertulit. ibi plus quàm in acie sanguinis ac cædis factum, prædæque pars maior ira corrupta. Exercitus alter cum Papyrio cos. locis maritimis peruenerat Arpos per omnia pacata, Samnitium magis iniuriis & odio, quàm beneficio vllo populi Romani. iam Samnites ea tempestate in montibus vicatim habitantes, campestria & maritima loca, contempto cultorum molliore, atque euenit, ferè locis simili genere, ipsi montani atque agrestes depopulabantur. quæ regio si fida Samnitibus fuisset, aut peruenire Arpos exercitus Romanus nequisset, aut interiecta inter Romam & Arpos penuria rerum omnium, exclusos à commeatibus absumpsisset. Tum quoque profectos inde ad Luceriam iuxtà obsidentes obsessósque inopia vexauit: omnia ab Arpis Romanis suppeditabantur, cæterùm adeò exiguè, vt militi occupato stationibus vigiliísque & opere, eques folliculis in castra ab Arpis frumentum veheret, interdum occursu hostium cogeretur abiecto ex equo frumento pugnare. & obsessis prius quàm alter cos. victore exercitu aduenit, & commeatus ex montibus Samnitium inuecti erant, & auxilia intromissa. Arctiora omnia aduentus Publii fecit, qui obsidione delegata in curam collegæ, vacuus per agros cuncta infesta commeatibus hostium fecerat. Itaque cùm spes nulla esset diutius obsessos inopiam laturos, coacti Samnites, qui ad Luceriam castra habebant, vndique contractis viribus signa cum Papyrio conferre. Per id tempus parantibus vtrísque se ad prælium, legati Tarentini interueniunt, denuntiantes Samnitibus, Romanísque, vt bellum omitterent: per vtros stetisset, quo minus discederetur ab armis, aduersus eos se pro alteris pugnaturos. Ea legatione Papyrius audita, perinde ac motus dictis eorum, cum collega se communicaturum respondit: accitóque eo cùm tempus omne in apparatu consumpsisset, collocutus de re haud dubia, signū pugnæ proposuit. Agentibus diuina humanáque, quæ assolent cùm acie dimicandum est, coss. Tarentini legati occursare, responsum expectantes. quibus Papyrius ait: Auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nuntiat, litatum præterea est egregiè. authoribus diis, vt videtis, ad rem agēdam proficiscimur. Signa inde ferre iussit, & copias eduxit, vanissimam increpans gentem, quæ suarum impotens rerum præ domesticis seditionibus discordiísque, aliis modum pacis ac belli facere æquum censeret. Samnites ex parte altera cùm omnem curam belli remisissent, quia vt pacem verè cupiebant, aut expediebat simulare vt Tarentinos sibi conciliarent, cùm instructos repentè ad pugnam Romanos conspexissent, vociferari se in authoritate Tarentinorum manere, nec descendere in aciem, nec extra vallum arma ferre: deceptos potius quodcunque casus ferat passuros, quàm vt spreuisse pacis authores Tarentinos videantur. Accipere se omen coss. aiunt, & eam precari mentem hostibus, vt ne vallum quidem defendant: ipsi inter se partitis copiis succedunt hostium munimentis, & simul vndique adorti, cum pars fossas explerent, pars vellerent vallum, atque in fossas proruerent: nec virtus modò insita, sed ira etiam exulceratos ignominia stimularet animos, castra inuasere: & pro se quisque, non hæc furculas, nec Caudium, nec saltus inuios esse, vbi errorem fraus superbè vicisset, sed Romanam virtutem, quam nec vallum, nec fossæ arcerent, memorantes: cædunt pariter resistentes, fusósque, inermes atque armatos, seruos, liberos, puberes, impuberes, homines, iumentáque. nec vllum superfuisset animal, ni coss. receptui signum dedissent, auidósq; cædis milites è castris hostium, imperio ac minis expulissent. Itaque apud infensos ob interpellatam dulcedinem iræ confestim oratio habita est, vt doceretur miles minimè cuiquam militum coss. odio in hostes cessisse, aut cessuros: quin duces sicut belli, ita insatiabilis supplicii futuros fuisse, ni respectus equitum sexcentorum, qui Luceriæ obsides tenerentur, præpedisset animos: ne desperata venia hostes cæcos in supplicia eorum ageret, perdere prius, quàm perire, optantes. Laudare ea milites, lætaríque, obuiam itum iræ suæ esse, fateri omnia patienda potius, quàm proderetur salus tot principum Romanæ iuuentutis. Dimissa concione consilium habitum, omnibúsne copiis Luceriam premerent, an altero exercitu & duce Apuli circà, gens dubiæ ad id voluntatis, tentarentur. Publius cos. ad peragrandam profectus Apuliam, aliquot expeditione vna populos aut vi subegit, aut conditionibus in societatem accepit. Papyrio quoq;, qui obsessor Luceriæ restiterat, breui ad spem euentus respondit. nam infestis omnibus viis, per quas commeatus ex Samnio subuehebatur, fame domiti Samnites qui Luceriæ in præsidio erant, legatos misere ad cos. Romanum, vt receptis equitibus, qui causa belli essent, absisteret obsidione. His Papyrius ita respondit. Debuisse eos Pontium Herennii filium, quo authore Romanos sub iugum misissent, consulere quid victis patiendum censeret. cæterùm, quoniam ab hostibus in se æqua statui, quàm in se ipsi ferre maluerint, nuntiare Luceriam iussit, arma, sarcinas, iumenta, multitudinem omnem imbellem intra mœnia relinquerent, militem se cum singulis vestimentis sub iugum missurum, vlciscentem illatam, non nouam inferentem

Samnites à Publio Cos. fusi.

Samnitium castra direpta.

Legati Tarentini.

Samnitium magna strages.

Publius Cos. aliquot Apuliæ populos subigit.

A inferentem ignominiam. Nihil recusatum. septem millia militum sub iugum missa, prædáque ingens Luceriæ capta, receptis omnibus signis, armísque, quæ ad Caudium amiserant: &, quod omnia superabat gaudia, equitibus recuperatis, quos pignora pacis custodiendos Luceriam Samnites dederant.

Septem millia militum Samnitium sub iugum missa.

Haud fermè alia mutatione subita rerum clarior victoria populi Romani est. siquidem etiam (quod quibusdam in annalibus inuenitur) Pontius Herennii filius, Samnitium imperator, vt expiaret c o s s. ignominiam. sub iugum cum cæteris est missus. Cæterùm id minus miror, obscurum esse de hostium duce dedito, missóque sub iugum. id magis mirabile est, ambigi Luciúsne Cornelius dictator cum L. Papyrio Cursore magistro equitum eas res ad Caudium, atque inde Luceriam gesserit, vltórque vnicus Romanæ ignominiæ haud sciam an iustissimo triumpho ad eam ætatem secundum Furium Camillum triumphauerit, an c o s. Papyrii præcipuum id decus sit. Sequitur hunc errorem alius error, Cursórne Papyrius proximis comitiis cum Q. Aemylio Cæretano iterum ob rem bene gestam Luceriæ continuato magistratu consul tertiùm creatus sit: an L. Papyrius Mugilanus, & in cognomine erratum sit.

Aemylius Cos. Ferētanos debellauit.

Conuenit iam inde per consules reliqua belli perfecta. Aemylius cum Ferentanis vno secundo prælio debellauit: vrbémque ipsam, quò se fusa contulerat acies, obsidibus imperatis in deditionem accepit. Pari fortuna consul alter cum Satricanis, qui ciues Romani post Caudinam cladem ad Samnites defecerant, præsidiúmque eorum in vrbem acceperant, rem gessit, nam cum ad mœnia Satrici admotus esset exercitus: legatísque missis ad pacem cum precibus petendam, triste responsum ab Consule redditum esset, nisi præsidio Samnitium interfecto, aut tradito, ne ad se remearent: plus ea voce, quàm armis illatis terroris colonis iniectum.

Satricum obsidet Papyrius consul.

Itaque subinde cum exequerentur quærendo à consule legati, quónam se pacto paucos, & infirmos crederet, præsidio tam valido & armato vim allaturos? ab iisdem consilium petere iussi, quibus authoribus præsidium in vrbem accepissent, discedunt: ægréque impetrato vt de ea re consuli senatum, responsáque ad se ferri sineret, ad suos redeunt. Duæ factiones senatum distinebant: vna, cuius principes erant defectionis à populo Romano authores: altera, fidelium ciuium. certatum ab vtrísque tamen est, vt ad reconciliandam pacem consuli opera nauaretur. Pars altera, cùm præsidium Samnitium, quia nihil satis præparati erat ad obsidionem tolerandam, excessurum proxima nocte esset, nuntiare consuli satis habuit, qua noctis hora, quámque per portam, & quam in viam egressurus hostis foret. altera, quibus inuitis descitum ad Samnites erat, eadem nocte portam etiam c o s. aperuerunt, armatósque clam hoste in vrbem acceperunt. ita duplici proditione & præsidium Samnitium insessis circa viam syluestribus locis, nec opinatò oppressum est: & ab vrbe plena hostium clamor sublatus, momentóque vnius horæ Samnis cæsus, Satricanus captus: & omnia in potestate c o s. erant. qui quæstione habita, quorum opera defectio esset facta: quos sontes comperit, virgis cæsos securi percussit: præsidióque valido imposito, arma Satricanis ademit.

Satricum cōsul ingressus, Samnitibus cæsis de Satricanis sontibus pœnas sumit.

B Inde ad triumphum decessisse Romam Papyrium Cursorem scribunt, qui eo duce Luceriam receptam, Samnitésque sub iugum missos, authores sunt. & fuit vir haud dubiè dignus omni bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens.

Papyrij Cursoris laus.

præcipua pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit: victorémque cursu omnium ætatis suæ fuisse ferunt: & seu virium vi, seu exercitatione multa, cibi viníque eundem capacissimum: nec cum vllo asperiorem, quia ipse inuicti ad laborem corporis esset, fuisse militiam pediti pariter equitique. equites etiam aliquando ausos ab eo petere, vt sibi pro re bene gesta laxaret aliquid laboris. quibus ille: Ne nihil remissum dicatis, remitto, inquit, ne vtique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis. & vis erat in eo viro imperii ingens pariter in socios, ciuésque. Prænestinus prætor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem: quem cùm inambulans ante tabernaculum vocari iussisset: lictorem expedire securim iussit. ad quam vocē exanimi stante Prænestino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus: perfusúmque vltimi supplicii metu, mulcta dicta dimisit. Haud dubiè illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo vnus erat vir, quo magis innixa res Romana staret: quin eum parem destinarát animis magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam vertisset.

Digreßio, qua quærit Liuius, an Alexandro magno, si Italiam petiisset, Romana virtus resistere potuisset.

Nihil minus quæsitum à principio huius operis videri potest, quàm vt plus iusto ab rerum ordine declinarem, varietatibúsque distinguendo opera, & legentibus velut diuerticula amœna, & requiem animo meo quærerē: tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus sæpe tacitis cogitationibus voluit animum, eas euocat in medium, vt quærere libeat, quínam euentus Romanis rebus si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit. Plurimū in bello pollere videntur, militū copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana maximè in res bellicas potens. Ea & singula intuenti, & vniuersa, sicut ab aliis regibus gentibúsque, ita ab hoc quoque facilè præstant inuictum Romanum imperium. Iam primùm, vt ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum. sed clariorem tamen eum facit, quòd vnus fuit, quòd adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit. Vt alios reges claros ducésque omittam, magna exempla casuum humanorum, Cyrum, quem maximè Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut Magnum modò Pompeium, vertenti præbuit fortunæ?

Cyrus.

Recenseam duces Romanos, nec omnes omniū ætatum, sed ipsos eos cum quibus coss. aut dictatoribus Alexandro fuit bellandū: M. Valerium Coruinum, C. Martium Rutilium, C. Sulpitium, T. Manlium Torquatum, Q. Publium Philonem, L. Papyrium Cursorem, Q. Fabium Maximum, duos Decios, L. Volumnium, Marcum Curium. deinceps ingentes sequuntur viri: si Punicum Romano præuertisset bellum, seniórque in Italiam traiecisset. Horum in quolibet tum indoles eadem quæ in Alexandro erat animi ingeniíq;, tum disciplina militaris iam inde ab initiis vrbis tradita per manus, in artis perpetuis

Principes Romani, quibus cum fuisset Alexandro bellandum.

præcep

præceptis ordinatæ modum venerat. Ita reges geſſerant bella: ita deinde exactores regum Iunii, A Valeriíque, ita deinceps Fabii, Quintii, Cornelii: ita Furius Camillus, quem iuuenes duo quibus cum Alexandro dimicandum erat, ſenem viderant. Militaria opera pugnando obeunti Alexandro (nam ea quoque haud minus clarum eum faciunt) ceſsiſſet videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Coruinus, inſignes antè milites, quàm duces? ceſsiſſent Decii deuotis corporibus in hoſtem ruentes? ceſsiſſet Papyrius Curſor illo corporis robore, illo animi? victus eſſet conſiliis iuuenis vnius, ne ſingulos nominem, ſenatus ille? quem qui ex regibus conſtare dixit, vnus

Romanum Senatum ex regibus conſtare quiſpiã dixit.

Darius.

veram ſpeciem Romani ſenatus cepit. Id verò erat periculum, ne ſolertius quàm quiuis vnus ex iis quos nominaui, caſtris locum caperet, commeatus expediret, ab inſidiis præcaueret: tempus pugnæ eligeret, aciem inſtrueret, ſubſidiis firmaret. non iam cum Dario rem eſſe dixiſſet, quem mulierum ac ſpadonum agmen trahentem inter purpuram atque aurum eneruatum fortunæ ſuæ apparatibus, prædam verius quàm hoſtem, nihil aliud quàm bene auſus vana contemnere, incruentus deuicit. Longè alius Italiæ, quàm Indiæ, per quam temulento agmine comeſſabundus inceſsit, viſus illi habitus eſſet, ſaltus Apuliæ ac montes Lucanos cernenti, & veſtigia recentia domeſticæ cladis,

Alexandri dedecora.

vbi auunculus eius nuper, Epeiri rex Alexander abſumptus erat. Et loquimur de Alexandro nondum merſo ſecundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit. qui ſi ex habitu nouæ fortunæ, nouíque, vt ita dicam, ingenii, quod ſibi victor induerat, ſpectetur, Dario magis ſimilis quàm Alexandro in Italiam veniſſet, & exercitum Macedoniæ oblitum degenerantémque iam in Perſarum mores adduxiſſet. Referre in tanto rege piget ſuperbam mutationem veſtis, & deſideratas humi iacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graues, nedum victoribus, & fœda ſupplicia, & inter vinum & epulas cædes amicorum, & vanitatem ementiendæ ſtirpis. Quid ſi vini amor in dies fieret acrior? quid ſi trux ac præferuida ira? (nec quicquam dubium inter ſcriptores refero) nulláne hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id verò periculum erat, quòd leuiſsimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ fauent, dictitare ſolent, ne maieſtatem nominis Alexandri, quem ne fama quidem illis notum arbitror fuiſſe, ſuſtinere non potuerit populus Romanus, & aduerſus quem Athenis, in ciuitate fracta Macedonum armis, cernente tum maximè propè fumantes Thebarum ruinas, concionari liberè auſi ſint homines (id quod ex monumentis orationum patet) aduerſus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam miſſurus fuerit. Quantalibet magnitudo hominis concipiatur animo, vnius tamen ea magnitudo hominis erit, collecta paulo plus decem annorum felicitate: quam qui eo extollunt, quòd populus Romanus & ſi nullo bello, multis tamen præliis victus ſit, Alexandro nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit, non intelligunt ſe hominis res geſtas, & eius iuuenis, cum populi iam octingenteſimum bellantis annum B rebus conferre. miremur, ſi cum ex hac parte ſecula plura numerentur, quàm ex illa anni: plus in tam longo ſpatio, quàm in ætate XIII annorum fortuna variauerit. Quin tu hominis cum homine, & ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers? Quot Romanos duces nominem, quibus nunquam aduerſa fortuna pugnæ fuit? paginas in annalibus magiſtratuum, faſtíſque percurrere licet, conſulum, dictatorúmque, quorum nec virtutis, nec fortunæ vllo die populum Romanum pœnituit. Et quo ſint mirabiliores, quàm Alexander, aut quiſquam alius rex, denos, vicenóſque dies quidam dictaturam, nemo pluſquam annum conſulatum geſsit. ab Tribb. pl. delectus impediti ſunt, poſt tempus ad bella ierunt: ante tempus, comitiorum cauſa reuocati ſunt: in ipſo conatu rerum circumegit ſe annus: collegæ nunc temeritas, nunc prauitas impedimento, aut damno fuit: malè geſtis rebus alterius ſucceſſum eſt: tironem, aut mala diſciplina inſtitutum exercitum acceperunt. At herculè reges non liberi ſolùm impedimentis omnibus, ſed domini rerum temporúmque, trahunt conſiliis cuncta,

Alexandri cum Romanis ducibus cõparatio.

non ſequuntur. Inuictus ergo Alexander cum inuictis ducibus bella geſsiſſet, & eadem fortunæ pignora in diſcrimen detuliſſet, immo etiam eo plus periculi ſubiſſet, quòd Macedones vnum Alexandrum habuiſſent, multis caſibus non ſolùm obnoxium, ſed etiam offerentem ſe: Romani multi fuiſſent Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares, quorum ſuo quiſque fato ſine publico diſcrimine viueret, moreretúrque. Reſtat vt copiæ copiis comparentur vel numero, vel militum genere, vel multitudine auxiliorum. Cenſebantur eius ætatis luſtris ducena quinquagena millia capitum. Itaque in omni defectione ſociorum Latini nominis vrbano propè delectu decem ſcribebãtur legiones. quaterni, quinÍque exercitus ſæpe per eos annos, in Hetruria, in Vmbria, Gallis hoſtibus adiunctis, in Samnio: in Lucanis gerebant bellum. Latium deinde omne cum Sabinis, & Volſcis, & Aequis, & omni Campania, & parte Vmbriæ Hetruriæque, & Picentibus, & Marſis, Pelignííque ac Veſtinis atque Apulis, adiunctáque omni ora Græcorum inferi maris à Thuriis Neapolim & Cumas, & inde Antio atque Hoſtia tenus Samnites, aut ſocios validos Romanis, aut fractos bello inueniſſet hoſtes. Ipſe traieciſſet mare cum veteranis Macedonibus, non plus triginta millibus hominũ, & quatuor millibus equitũ, maximè Theſſalorum. hoc enim roboris erat. Perſas, Indos, aliáſq; ſi adiunxiſſet gentes, impedimentũ maius quàm auxilium traheret. Adde, quòd Romanis ad manũ domi ſupplementũ

Arma cum armis confert.

eſſet: Alexandro (quod poſtea Annibali accidit) alieno in agro bellanti exercitus conſenuiſſet. Arma, clypeus, ſariſſæq; illis: Romano ſcutũ, maius corpori tegumentũ, & pilũ, haud paulo quàm haſta vehementius ictu miſſúq; telũ. ſtatarius vterq; miles, ordines ſeruans: ſed illa phalanx immobilis, & vnius generis: Romana acies diſtinctior, ex pluribus partibus conſtans: facilis partienti quacunque opus eſſet, facilis iungenti. Iam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior? Vno prælio victus Alexander, bello victus eſſet. Romanum, quem Caudium, quem Cannæ non fregerunt,

quæ

A quæ fregiſſet acies? Næ ille ſæpe, etiam ſi prima proſperè euenisſent, Perſas & Indos, & imbellem Aſiam quæſiſſet, & cum fœminis ſibi bellum fuiſſe dixiſſet, quod Epeiri regem Alexandrum mortifero vulnere ictum dixiſſe ferunt, ſortem bellorũ in Aſia geſtorum ab hoc ipſo iuuene cum ſua conferentem. Equidem cum per annos quatuor & viginti primo Punico bello claſsibus certatum cum Pœnis recordor, vix ætatem Alexandri ſuffecturam fuiſſe reor ad vnum bellum. & forſitan cum & fœderibus vetuſtis iuncta Punica res Romanæ eſſet, & timor par aduerſus communem hoſtem duas potentiſsimas armis viríſque vrbes armaret, ſimul Punico Romanóque obrutus bello eſſet. Non quidem Alexandro duce, nec integris Macedonum rebus: ſed experti tamen ſunt Romani Macedonem hoſtem aduerſus Antiochum, Philippum, & Perſen, non modò cum clade vlla, ſed ne cum periculo quidem ſuo. abſit inuidia verbo, & ciuilia bella ſileant. nunquam ab equite hoſte, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis vtique, nunquam iniquis locis laborauimus. Equitem, ſagittas, ſaltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere poteſt. mille acies grauiores quàm Macedonum atque Alexandri, auertit, auertétque, modò ſit perpetuus huius qua viuimus pacis amor, & ciuilis cura concordiæ. M. Follius Flaccina inde, & L. Plautius Venox c o s s. facti. Eo anno ab frequentibus Samnitium populis de fœdere renouando legati cùm ſenatum humi ſtrati mouiſſent, reiecti ad populum haudquaquam tam efficaces habebant preces. itaque de fœdere negatum: induciæ biennii cum per aliquot dies fatigaſſent ſingulos, precibus impetratæ.

Induciæ bienij Samnitibus datæ.

Et ex Apulia Theanenſes Canuſiníque populationibus feſsi, obſidibus L. Plautio c o s. datis in deditionem venerunt. Eodem anno primùm præfecti Capuæ creari cœpti, legibus ab L. Furio prætore datis: cum vtrunque ipſi pro remedio ægris rebus diſcordia inteſtina petiſſent. Et duæ Romæ additæ tribus, Vfentina ac Falerina.

Duæ tribus Romæ additæ.

Inclinatis ſemel in Apulia rebus, Theates quoque Apuli ad nouos c o s s. C. Iunium Bubulcum, Q. Aemylium Barbulam fœdus petitum venerunt. pacis per omnem Apuliam præſtandæ populo Romano authores, id audacter ſpondendo impetrauerunt, vt fœdus daretur: neque vt æquo tamen fœdere, ſed in ditione populi Romani eſſent. Apulia perdomita (nam Tarento quoque valido oppido Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum.

Apulia perdomita.

inde repentino aduentu Aemylii c o s. Nerulum vi captum. Et poſtquam res Capuæ ſtabilitas Romana diſciplina fama per ſocios vulgauit, Antiatibus quoque, qui ſe ſine legibus certis, ſine magiſtratibus agere querebantur: dati ab ſenatu ad iura ſtatuenda ipſius coloniæ patroni: nec arma modo, ſed iura etiam Romana latè pollebant. C. Iunius Bubulcus, & Q. Aemylius Barbula c o s s. exitu anni non c o s s. ab ſe creatis, Sp. Nautio & M. Popilio, cæterum dictatori L. Aemylio legiones tradiderunt. Is cum L. Fuluio magiſtro equitum Satriculam oppugnare adortus, rebellandi cauſam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis.

B hinc Samnis magno exercitu coacto ad eximendos obſidione ſocios haud procul caſtris Romanorum caſtra poſuit.

Samnites rebellarunt.

hinc Satricani magno cum tumultu patefactis repentè portis in ſtationes hoſtium incurrerunt. Inde pars vtraque ſpe alieni magis auxilii, quàm viribus freta ſuis, iuſto mox prælio inito Romanos vrgent. & quanquam anceps dimicatio erat, tamen vtrinque tutam aciem dictator habuit: quia & locum haud facilem ad circunueniendum cepit, & diuerſa ſtatuit ſigna, infeſtior tamen in erumpentes inceſsit: nec magno certamine intra mœnia compulit. tum totam aciem in Samnites obuertit. ibi plus certaminis fuit. Victoria ſicut ſera, ita nec dubia, nec varia fuit. Fuſi in caſtra Samnites, extinctis nocte ignibus tacito agmine abeunt: & ſpe abiecta Satriculæ tuendæ, Pliſtiam ipſi ſocios Romanorum, vt parem dolorem hoſti redderent, circunſidunt.

Samnites fuſi ad Satriculam.

Anno circumacto, bellum deinceps ab dictatore Q. Fabio geſtum eſt. c o s s. noui, ſicut ſuperiores, Romæ manſerunt: Fabius ad accipiendum ab Aemylio exercitum, ad Satriculam cum ſupplemento venit. neque enim Samnites ad Pliſtiam manſerant: ſed accitis ab domo nouis militibus, multitudine freti caſtra eodem quo antè loco poſuerunt, laceſſentéſque prælio Romanos auertere ab obſidione conabantur. Eo intentius dictator in mœnia hoſtium verſus, id bellum tanti ducere, quod vrbem oppugnabat: ſecurior ab Samnitibus agere, ſtationibus modò oppoſitis, ne qua in caſtra vis fieret. eo ferocius adequitare Samnites vallo, neque otium pati. & cùm iam propè in portis caſtrorum eſſet hoſtis, nihil conſulto dictatore magiſter equitum Q. Aemylius Ceretanus magno tumultu cum omnibus turmis equitum euectus, ſummouit hoſtem. tum in minimè pertinaci genere pugnæ ſic fortuna exercuit opes, vt inſignis vtrinque clades, & clara ipſorum ducum ederet funera. prior Samnitium imperator ægrè patiens, quòd tam ferociter adequitaſſet, inde ſe fundi fugaríque, orando hortandóque equites prælium integrauit. In quem inſignem inter ſuos cientem pugnam magiſter equitum Romanus infeſta cuſpide ita permiſit equum, vt vno ictu exanimem equo præcipitaret: nec vt fit, ad ducis caſum perculſa magis, quàm iritata eſt multitudo omnis.

Samnitium ducem magiſter equitum interficit.

Qui circà erant, in Aemylium temere inuectum per hoſtium turmas tela coniecerunt, fratríque præcipuum decus vlti Samnitium imperatoris dederunt. Is victorem detractum ex equo magiſtrum equitum plenus mœroris atque iræ trucidauit: nec multùm abfuit, quin corpore etiam, quia inter hoſtiles ceciderat turmas, Samnites potirentur.

Magiſter equitum trucidatur.

ſed extemplò ad pedes deſcenſum ab Romanis eſt: coactíque idem Samnites facere, & repentina acies circa corpora ducum pedeſtre prælium iniit. quo haud dubiè ſuperat Romanus, recuperatúmque Aemylii corpus miſta cum dolore lætitia victores in caſtra referunt. Samnites duce amiſſo, & per equeſtre certamen tentatis viribus, omiſſa Satricula, quam nequicquam defendi rebantur, ad Pliſtiæ obſidionem redeunt: intraque paucos dies Satricula Romanus per deditionem, Pliſtia per vim Samnis potitur.

Satricula deditur.

Mutata inde belli ſedes eſt. ad Soram è Samnio Apuliáque traductæ legiones. Sora ad Samnites defecerat, interfectis colonis Romanorum. Quò cum prior

Sora deficit ad Samnites.

Roman

Romanus exercitus ad vlciſcendam ciuium necem, recuperandámque coloniam magnis itineribus A perueniſſet, & ſparſi per vias ſpeculatores ſequi legiones Samnitium, nec iam procul abeſſe alii ſuper alios nuntiarent, obuiam itum hoſti, atque ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum eſt. non cædes, non fuga alterius partis, ſed nox incertos victi, victores ne eſſent, diremit. Inuenio apud quoſdam, aduerſam eam pugnam Romanis fuiſſe: atque in ea cecidiſſe Q. Aemylium magiſtrum equitum. Suffectus in locum Aemylii C. Fabius magiſter equitum cum exercitu nouo ab Roma aduenit: & per præmiſſos nuntios conſulto dictatore, vbi ſubſiſteret, quóve tempore, & qua ex parte hoſtem aggrederetur, ſubſtitit occultus ad omnia ſatis exploratis conſiliis. Dictator cum per aliquot dies poſt pugnam continuiſſet ſuos intra vallum, obſeſsi magis quàm obſidentis modo, ſignum repentè pugnæ propoſuit. & efficacius ratus ad accendendos virorum fortium animos nullam alibi, quàm in ſemetipſo cuiquam relictam ſpem, de magiſtro equitum, nouóque exercitu militem celauit: & tanquam nulla, niſi in eruptione ſpes eſſet: Locis, inquit, anguſtis milites deprehenſi, niſi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus. ſtatiua noſtra munimento ſatis tuta ſunt, ſed inopia eadem infeſta. nam & circà omnia defecerunt, vnde ſubuehi commeatus poterant: & ſi homines iuuare velint, iniqua loca ſunt. Itaque non fruſtrabor ego vos caſtra hic relinquendo, in quæ infecta victoria, ſicut priſtino die, vos recipiatis, armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debent. caſtra habeant, repetántque, quibus operæ eſt trahere bellum: nos omnium rerum reſpectum, prætérquàm victoriæ, nobis abſcindamus. ferte ſigna in hoſtem: vbi extra vallum agmen exceſſerit, caſtra quibus imperatum eſt, incendant: damna veſtra milites omnium circà, qui defecerunt, populorum præda ſarcientur. Ex oratione dictatoris, quæ neceſsitatis vltimæ index erat, milites accenſi vadunt in hoſtem: & reſpectus ipſe ardentium caſtrorum, quanquam proximis tantum (ita enim iuſſerat dictator) ignis eſt ſubditus, haud paruum fuit irritamentum. Itaque velut vecordes illati ſigna primo impetu hoſtium turbant: & in tempore poſtquam ardentia procul vidit caſtra magiſter equitum (id conuenerat ſignum) hoſtium terga inuadit, ita circumuenti Samnites, quà poteſt quiſque, fugam per diuerſa petunt. Ingens multitudo in vnum metu conglobata, ac ſemetipſam turba impediens in medio cæſa. caſtra hoſtium capta direptáque, quorum præda onuſtum militem in Romana caſtra dictator reducit, haudquaquam tam victoria lætum, quàm quòd præter exiguam deformatam incendio partem, cætera contra ſpem ſalua inuenit. Ad Soram inde reditum, nouíque coss. M. Petilius, C. Sulpitius exercitum ab dictatore Fabio accipiunt, magna parte veterum militum dimiſſa, nouíſque cohortibus in ſupplementum adductis. Cæterùm cum propter difficilem vrbis ſitum nec oppugnandi ſatis certa ratio iniretur, & aut tempore longinqua, aut præceps periculo victoria eſſet, Soranus transfuga clàm ex oppido profectus, cùm ad vigiles Romanos penetraſſet, duci ſe extemplò ad conſules iubet: deductúſque, traditurum vrbem promittit. viſus inde, cùm quónam modo id præſtaturus eſſet, percunctantes doceret, haud vana afferre, perpulit propè adiuncta mœnibus Romana caſtra, vt ſex millia ab oppido remouerentur. fore vt minus intentæ in cuſtodiam vrbis diurnæ ſtationes, ac nocturnæ vigiliæ eſſent ipſe inſequenti nocte ſub oppido ſylueſtribus locis cohortibus inſidere iuſsis, decem milites delectos ſecum per ardua, ac propè inuia in arcem ducit, pluribus quàm pro numero virorum miſsilibus telis eò collatis. ad hæc ſaxa erant, & temerè iacentia (vt fit) in aſpretis: & de induſtria etiam, quò locus tutior eſſet, ab oppidanis congeſta. vbi cùm conſtituiſſet Romanos, ſemitámque anguſtam & arduam erectam ex oppido in arcem oſtendiſſet: Hoc quidem aſcenſu, inquit, vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint: vos & decem numero, & quod plus eſt, Romani, Romanorúmque fortiſsimi viri eſtis, & locus pro vobis, & nox erit, quæ omnia ex incerto maiora territis oſtentat. ego iam terrore omnia implebo, vos arcem intenti tenete. decurrit inde quanto maximè poterat cum tumultu, ad arma, & prò veſtram fidē ciues clamitans, Arx ab hoſtibus capta eſt. defendite, ite. hæc incidens principum foribus, hæc obuiis, hæc excurrentibus in publicum pauidis increpat. Acceptum ab vno pauorem, plures per vrbem ferunt. Trepidi magiſtratus, miſsis ad arcem exploratoribus, cùm tela & armatos tenere arcem multiplicato numero audirent, auertunt animos à ſpe recuperandæ arcis. fuga cuncta complentur, portæque à ſemiſomnis, ac maxima parte inermibus refringuntur: quarum per vnam præſidium Romanum clamore excitatum irrumpit, & concurſantes per viam pauidos cædit. Iam Sora capta erat, cùm coss. prima luce aduenere, & quos reliquos fortuna ex nocturna cæde ac fuga fecerat, in deditionem accipiunt. ex his ccxxv, qui omnium conſenſu deſtinabantur, & infandæ colonorum cædis & defectionis authores, vinctos Romam deducunt. Cæteram multitudinem incolumem præſidio impoſito Soræ relinquunt: omnes, qui Romam deducti erant, virgis in foro cæſi, ac ſecuri percuſsi ſummo gaudio plebis: cuius maximè intererat, tutam vbique, quæ paſsim in colonias mitteretur, multitudinem eſſe. coss. ab Sora profecti, in agros atque vrbes Auſonum bellum intulerunt, mota nanque omnia aduentu Samnitium, cùm apud Lautulas dimicatum eſt, fuerant, coniurationéſque circa Campaniam paſsim factæ. nec Capua ipſa crimine caruit. quin Romam quoq; & ad principum quoſdam inquirendos ventū eſt. cæterùm Auſonum gens proditione vrbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit. Auſona, & Minturnæ, & Veſtina vrbes erant, ex quibus principes iuuentutis duodecim numero in proditionem vrbium ſuarum coniurati ad conſules veniunt. docent, ſuos iampridem exoptantes Samnitium aduentum, ſimul ad Lautulas pugnatum audierunt, pro victis Romanos habuiſſe, iuuentute & armis Samnites iuuiſſe. fugatis inde Samnitibus, incerta pace agere, nec claudentes portas Romanis, nec acceſſant bellum, & obſtinatos claudere, ſi exercitus admoueatur, in ea fluctuatione animorum opprimi incautos poſſe. His authoribus mota

Ancipiti prælio cum Samnitibus ad Lautulas dimicatū eſt.

Dictatoris ad milites oratio.

Samnites uicti, & eorū caſtra direpta.

Soranus trāſfuga ſpē capiendæ Soræ Coss. facit.

Sora capta.

Soranæ defectionis authores capite mulctantur.

Auſonum gens in poteſtatem pop. Romani uenit.

B

A mota propius castra: misśique eodem tempore circa tria oppida milites: partim armati, qui occulti propinqua mœnibus insiderent loca: partim togati, tectis veste gladiis, qui sub lucem apertis portis vrbes ingrederentur. ab iis simul custodes trucidari cœpti: simul datum signum armatis, vt ex insidiis concurrerent. ita portæ occupatæ, triáque oppida eadem hora, eodémque consilio capta. sed quia absentibus ducibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit: deletáque Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset. Eodem anno prodito hostibus Romano præsidio, Luceria Samnitium facta: nec diu proditoribus impunita res fuit. haud procul inde exercitus Romanus erat: cuius primo impetu vrbs sita in plano capitur. Lucerini ac Samnites ad internecionem cæsi. eóque ira processit, vt Romæ cum de colonis mittendis Luceriam consuleretur senatus, multi delendam vrbem censerent. præter odium, quod execrabile in bis captos erat, longinquitas quoque abhorrrere à relegandis tam procul ab domo ciuibus inter tam infestas gentes cogebat. vicit tamen sententia, vt mitterentur coloni. duo millia & quingenti missi. Eodem anno, cùm omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ principum coniurationes patefactæ. de quibus cum ad senatum relatum esset, haudquaquam neglecta res est. quæstiones decretæ: dictatorémque quæstionibus exercendis dici placuit. C. Mænius dictus. is M. Follium magistrum equitum dixit. Ingens erat magistratus eius terror. Itaque siue timore eius, seu conscientia, Calauios, Ouium Nouiúmq; (ea capita coniurationis fuerant) prius quàm nominarentur apud dictatorem, mors haud dubiè ab ipsis conscita iudicio subtraxit. Deinde vt quæstioni Campanæ materia decessit, versa Romam interpretando res. nõ nominatim, qui Capuæ, sed in vniuersum, qui vsquam coissent, coniurassentve aduersus Romanum populum, quæri senatum iussisse: & coitiones honorum adipiscendorum causa factas. aduersus Remp. esse: latiórque & re & personis quæstio fieri: haud abnuente dictatore sine fine vlla quæstionis suæ ius esse. postulabantur ergo nobiles homines: appellantibúsque tribunos nemo erat auxilio, quin nomina reciperentur. inde nobilitas, nec ii modò in quos crimen intendebatur, sed vniuersi simul negare nobilium id crimẽ esse, quibus, si nulla obstetur fraude, pateat via ad honorem, sed hominum nouorum. ipsos adeò dictatorem magistrúmque equitum, reos magis quàm quæstores idoneos eius criminis esse. intellecturósque ita id esse, simul magistratu abissent. Tum enimuerò Mænius iam famæ magis quàm imperii memor, progressus in concionem, ita verba fecit: Et omnes anteactæ vitæ vos conscios habeo Quirites, & hic ipse honos delatus ad me testis est innocentiæ meæ. neque enim quod sæpe aliàs, quia ita tempora postulabant Reipub. qui bello clarissimus esset, sed qui maximè procul ab his coitionibus vitam egisset, dictator deligẽdus exercendis quæstionibus fuit. Sed quoniam quidam nobiles homines (qua de causa vos existimare, quàm me pro magistratu quicquam incompertum dicere melius est) primum ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt: dein postquam ad id parum potentes erant, ne causam dicerent, in præsidia aduersariorum, appellationẽ & tribunitium auxilium, patricii confugerunt: postremò repulsi inde (adeò omnia tutiora, quàm vt innocentiam suam purgarent, visa) in nos irruerunt, & priuatis dictatorem poscere verecundiæ non fuit: vt omnes dii hominésque sciant, ab illis, etiam quæ nõ possint, tentari, ne rationem vitæ reddant, me obuiam ire crimini, & offerre me inimicis reum, dictatura me abdico. Vos quæso coss. si vobis datũ ab senatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Follium quæstiones exerceatis: vt appareat innocentia nostra nos, nõ maiestate honoris tutos à criminibus istis esse. Abdicat inde se dictatura, & post eum confestim Follius magisterio equitum: primíque apud coss. (iis enim ab senatu mandata res est) rei facti, aduersus nobilium testimonia egregiè absoluuntur. P. etiam Philo multiplicatis summis honoribus post res tot domi bellóq; gestas, cæterum inuisus nobilitati, causam dixit, absolutúsq; est. Nec diutius (vt fit) quàm dum recens erat, quæstio per clara nomina reorũ viguit. inde labi cœpit ad viliora capita, donec coitionibus factionibúsque, aduersus quas comparata erat, oppressa est. Earum fama rerum, magis tamen spes Campanæ defectionis, in quam coniuratum erat, Samnites in Apuliam versos rursus ad Caudium reuocauit: & inde ex propinquo, si qui motus occasionẽ aperiret, Capuam Romanis eriperent. Eò coss. cum valido exercitu venerunt. & primò circa saltus, cùm vtrinq; ad hostem iniqua via esset, cunctati sunt. deinde Samnites per aperta loca breui circuitu in loca plana, Campanos campos, agmen demittunt. ibíque primùm castra in conspectu hostibus data: deinde leuibus prœliis, equitum sæpius quàm peditum vtrinq; periculum factum. nec aut euentus eorum Romanum, aut mora, qua trahebant bellum, pœnitebat. Samnitium contrà ducibus, & carpi paruis quotidie damnis, & senescere dilatione belli vires suæ videbantur. itaque in aciem procedunt, equitibus in cornua diuisis: quibus præceptum erat, intẽtiores ad respectum castrorum, ne qua eò vis fieret, quàm ad prœlium starent: aciem pedite tutam fore. coss. Sulpicius in dextro, Petilius in læuo cornu consistunt. dextra pars, qua & Samnites raris ordinibus, aut ad circumeundos hostes, aut ne ipsi circumirentur, constiterant. latius patefacta stetit. sinistris, præterquàm quòd confertiores steterant, repentino consilio Petilii cõs. additæ vires: qui subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longinris pugnæ casus reseruabantur, in primã aciem extemplò emisit: vniuersisq; hostẽ primo impetu viribus impulit. Commota pedestri acie Samnitiũ, eques in pugnã succedit. in hũc transuerso agmine inter duas acies se inferentẽ Romanus equitatus cõcitat equos: signáq; & ordines peditũ atq; equitũ cõfundit, donec vniuersam ab ea parte auertit aciẽ. In eo cornu nõ Petilius solus, sed Sulpicius etiã hortator affuerat, auectus ab suis nondũ cõsertis manus, ad clamorẽ ab sinistra parte prius exortũ. vnde haud dubiã victoriã cernẽs, cùm ad suũ cornu tẽderet cũ mille ducẽtis viris, dissimilẽ ibi fortunã inuenit: Romanos loco pulsos, victorẽ hostẽ signa in perculsos inferẽtẽ. cæterũ omnia mutauit repẽtè cõsulis aduẽtus. nã & cõspectu ducis refectus militum

Luceria ad Samnites desi ii, mox recipitur.

C. Menius dictator creatur, vt de occultis coniurationibus quæreret.

Menij dictatoris oratio aduersus nobiles.

Menius abdicat se dictatura, & reus factus absoluitur.

Samnites ad Caudiũ ex Apulia redeunt.

Samnites in eunt pugnã aduersus Romanos.

militum est animus: & maius quàm pro numero auxilium aduenerat, fortes viri: & partis alterius A victoria audita, mox visa etiam, prælium restituit. tota deinde iam vincere acie Romanus, & omisso certamine, cædi capíque Samnites: nisi qui Maleuentum, cui nunc vrbi Beneuentum nomen est, perfugerunt.

Samnites cæsi aut capti ad triginta millia.

Ad triginta millia cæsa aut capta Samnitium, proditum memoriæ est. coss. egregia victoria parta, protinus inde ad Bouianum oppugnandum legiones ducunt, ibíque hyberna egerunt, donec ab nouis coss. L. Papyrio Cursore quintùm, C. Iunio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Petilius cum M. Follio magistro equitum exercitum accepit. Is cum audisset arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omisso Bouiano ad Fregellas pergit. vnde post nocturnam Samnitium fugam sine certamine receptis Fregellis, præsidióque valido imposito, in Campaniam reditum, maximè ad Nolam armis repetendam. eo se intra mœnia sub aduentum dictatoris, & Samnitium omnis multitudo, & Nolana agrestis, contulerant. Dictator vrbis situ circumspecto, quo apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia (& frequenter ibi habitatur) circumiecta muris incendit. nec ita multo pòst, siue à Petilio dictatore, siue ab C. Iunio cos. (nam vtrunque traditur) Nola est capta.

Nola capta à Romanis.

Qui captæ decus Nolæ ad cos. trahunt, adiiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas: Petilium autem pestilentia orta claui figendi causa dictatorem dictum. Suessa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ sunt. Suessa, Auruncorum fuerat: Volsci Pontias insulam sitam in conspectu litoris sui incoluerant. & in tertiam Casinum vt deducerentur coloni, s c. factum est. sed III viros creauere, ac misere colonorum quatuor millia. Insequentes coss. M. Valerius, P. Decius. Profligato ferè Samnitium bello, prius quàm ea cura decederet patribus Romanis, Hetrusci belli fama exorta est: nec erat ea tempestate gens alia, cuius secundum Gallicos tumultus arma terribiliora essent, cùm propinquitate agri, tum multitudine hominum.

Ob Hetrusci belli famam C. Iunius Bubulcus dictator creatur.

Itaque altero cos. in Samnio reliquias belli persequente, P. Decius, qui grauiter æger Romæ restiterat, authore senatu dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit. Is, prout rei magnitudo postulabat, omnes iuniores sacramento adigit: arma, quæque alia res poscit, summa industria parat. nec tantis apparatibus elatus, de inferendo bello agitat: quieturus haud dubiè, nisi vltrò arma Hetrusci inferrent. Eadem in comparando cohibendóque bello consilia & apud Hetruscos fuere. neutri finibus egressi.

Ap. Claudius censor uiam (quæ Appia dicta est) muniuit.

Et censura clara eo anno Appii Claudii, & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad posteros nomen Appii, quòd viam muniuit, & aquam in vrbem duxit: eáque vnus perfecit, quia ob infamem atque inuidiosam senatus lectionem verecundia victus collega, magistratu se abdicauerat. Appius iam inde antiquitus insitam pertinaciam familiæ gerendo, solus censuram obtinuit. Eodem Appio authore Potitia gens, cuius ad aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos ministerii delegandi causa solennia eius sacri docuerat. Traditur inde dictu mirabile, & quod dimouendis statu suo sacris religionem facere posset, cum duodecim familiæ ea tempestate Potitio- B rum essent, puberes ad triginta, omnes intra annum cum stirpe extinctos: nec nomen tantùm Potitiorum interiisse, sed censorem etiam Appium memori deûm ira post aliquot annos luminibus captum. Itaque coss. qui eum annum secuti sunt, C. Iunius Bubulcus III, & Q. Aemylius Barbula iterum, initio anni questi apud populum, deformatum ordinem praua lectione senatus, qua potiores aliquot lectis præteriti essent, negauerunt eam lectionem se, quæ sine recti prauíque discrimine ad gratiam ac libidinem facta esset obseruaturos. & senatum extemplò citauerunt eo ordine, qui ante censores Appium Claudium & C. Plautium fuerat.

Duo imperia per populum dari cœpta.

Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraq; pertinentia ad rem militarem: vnum, vt tribuni militum in quatuor legiones à populo crearentur. quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum fermè fuerant beneficia. tulere eam rogationem Tribb. pl. L. Atilius, C. Martius: alterum, vt II viros nauales classis ornandæ reficiendæque causa idem populus iuberet. Lator huius plebiscit fuit M. Decius Trib. pl. Eiusdem anni rem dictu paruā præterirem, ni ad religionē visa esset pertinere.

Tibicines omnes Tybur abierunt.

Tibicines, quia prohibiti à proximis censoribus erant in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægrè passi Tybur vno agmine abierunt: adeò, vt nemo in vrbe esset, qui sacrificiis præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum, legatósque Tybur miserunt, vt darent operam vt hi homines Romanis restituerentur. Tyburtini benignè polliciti, primùm accitos in curiam hortati sunt, vt reuerterentur Romam: postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum, eos aggrediuntur.

Quo astu tibicines Romam deportati sunt.

Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa inuitant, & vino, cuius auidum fermè genus est, oneratos sopiunt: atque ita in plaustra somno victos coniiciunt, ac Romam deportant: nec prius sensere, quàm plaustris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppresit. Tunc concursus populi factus, impetratóque vt manerent, datum, vt triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac quæ nunc solennis est, licentia per vrbem vagarentur: restitutúmque in æde vescendi ius iis, qui sacris præcinerent. Hæc inter duorum ingentium bellorum curam gerebantur.

Cluuia præsidium Romanum à Samnitibus in deditionem accipitur.

Cluuia recipitur.

Consules inter se prouincias partiti, Iunio Samnites, Aemylio nouum bellum Hetruria sorte obuenit. In Samnio Cluuiam præsidiū Romanum, quia nequiuerat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites, verberibúsque fœdum in modum laceratos occiderant deditos. Huic infensus crudelitati Iunius, nihil antiquius oppugnatione Cluuiana ratus, quo die aggressus est mœnia, vi cepit, atque omnes puberes interfecit. Inde victor exercitus Bouianum ductus. caput hoc erat Pentrorum Samnitium, longè ditissimum atq; opulentissimum armis virísque. Ibi quia haud tantum irarum erat, spe prædæ milites accensi, oppido potiuntur. minus itaque sæuitum in hostes est: prædæ plus penè, quàm ex omni Samnio vnquam egestum, benignéque omnis militi concessa. & postquam præpotentem armis Romanum nec acies subsistere vllæ, nec castra, nec vrbes poterant, omnium principū in Samnio eò curæ sunt intentæ, vt insidiis quæreretur locus, si qua

licentia

A licentia populando effusus exercitus excipi ac circomueniri posset. Transfugæ agrestes, & captiui quidam, pars fortè, pars consilio oblati coogrueotia ad consulem afferentes, quæ & vera erant, pecotis vim ingentem in saltum auium compulisam esse, perpuleruot vt prædatum eò expeditæ ducerentur legiones. Ibi iogens hostium exercitus itinera occultus insederat, & postquàm intrasse Romanos vidit saltum, repentè exortus cum clamore ac tumultu incautos inuadit. & primò noua res trepidationem fecit, dum arma capiunt, sarcinas congeruot in medium. dein, postquàm vt quisque liberaoerat se onere, aptaueràtque armis, ad signa vndique coibant, & notis ordinibus in veteri disciplina militiæ iam sine præcepto vllius sua sponte struebatur acies, consul ad ancipitem maximè pugnam aduectus, desilit ex equo, & Iouem, Martémque, atque alios testatur deos, se oullam suam gloriam inde, sed prædam militi quærentem, in eum locum deuenisse: oeq; in se aliud, quàm oimiam ditaodi ex hoste militis curam reprahendi posse. ab eo se dedecore nullam rem aliam, quàm virtutem militum vindicaturam. conniterẽtut modò vno animo omnes inuadere hostem victum acie, castris exutum, nudatum vrbibus, vltimam spem furto insidiarum tentantem, & loco non armis fretum. Sed quem esse iam virtuti Romanæ inexpugnabilem locum? Fregellana arx, Soranáque, & vbicunque iniquo successum erat loco, memorabantur. His accensus miles, omnium immemor difficultatum, vadit aduersus imminentem hostium aciem. vbi paulum laboris fuit, dum in aduersum cliuum erigitur agmen. cæterùm postquàm prima signa planitiem suoimam ceperunt, sensitque acies æquo se iam institisse loco, versus extemplò est terrot in insidiatores, easdémque latebras, quibus se pauloantè texerant, palati atque inermes fuga repetebát, sed loca difficilia hosti quæsita ipsos tum sua fraude impediebaot. itaque ergo perpaucis effugium patuit. Cæsa ad viginti millia hominum, victórq; Romanus ad oblatam vltro ab hoste prædam pecorum discurrit. Dum hæc geruntur in Samnio, iam omoes Hetruriæ populi, prætet Aretinos, ad arma ierant, ab oppugnando Sutrio, quæ vrbs socia Romanis velut claustra Hetruriæ erat, ingens orsi bellum. Eò alter Coosul Aemylius cum exercitu ad liberandos obsidione socios venit. Aduenientibus Romanis Sutrini commeatus benignè in castra ante vrbem posita aduexere. Hetrusci diem primum, consultaodo maturarent, traherentne bellum, traduxerunt. Postero die, vbi celeriora quàm tutiora consilia magis placuere ducibus, sole orto signum pugnæ propositum est: armatiq; in aciem procedunt. Quod postquam coosuli nuntiatum est, extemplò tesseram dari iubet, vt prandeat miles, firmatísque cibo viribus arma capiat. dicto paretur. Consul vbi armatos paratósq; vidit, signa extra vallum proferri iussit, & haud procul hoste instruxit aciem. Aliquandiu iotenti vtrinque steterunt, expectantes vt ab aduersariis clamor & pugna inciperet. & prius sol meridie se inclinauit, quàm telum hinc aut illinc emissum est. inde, ne infecta re abiretur, clamor ab Hetruscis

Romanos ex insidijs adoriuntur Samnites.

Samnitiũ viginti millia cæduntur.

Hetruscum bellum.

B oritur, concinúntque tubæ, & signa inferuntur. Nec segnius à Romanis pugna initur. concurrunt infensis animis. numero hostis, virtute Romanus superat. anceps prælium multos vtrinque, & fortissimum quenque absumit. nec prius inclinata res est, quàm secunda acies Romana ad prima signa, integri fessis successerunt. Hetrusci, quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit, ante signa circáque omnes ceciderunt. nullo vnquam prælio fugæ minus, nec plus cædis fuisset, ni obstinatos mori Thuscos nox texisset: ita, vt victores prius quàm victi pugnandi finem facerent. Post occasum solis signum receptui datum est: nocte ab vtroque in castra reditum. Nec deinde quicquá eo anno rei memoria dignæ apud Sutrium gestum est: quia & ex hostium exercitu prima tota acies deleta vno prælio fuerat, subsidiariis modò relictis, vix quod satis esset ad castrorum præsidium. & apud Romanos tantum vulnerum fuit, vt plures post prælium saucii decesserint, quàm ciciderant in acie. Q. Fabius insequentis aoni Consul, bellum ad Sutrium excepit. collega Fabio C. Martius Rutilius datus est. cæterùm & Fabius supplemeotum ab Roma adduxit: & oouus exercitus domo accitus Hetruscis venit. Permulti iam anni erant, cùm intet patricios magistratus, tribuoósque nulla certamina fuerant: cùm ex ea familia, quæ velut fatalis tum tribunis ac plebi erat, certamen oritur. App. Claudius censor circumactis decem & octo mensibus, quod Aemylia lege fioitum censuræ spatium temporis erat, cùm C. Plautius collega eius magistratu se abdicasset, nulla vi compelli vt abdicaret, potuit. P. Sempronius erat Tribunus plebis, qui finiendæ censuræ intra legitimum tempus actionem susceperat, non popularem magis quàm iustam, nec in vulgus, quàm optimo cuique gratiorem. Is cum identidem legem Aemyliam recitaret, authorémq; eius Mamercum Aemylium dictatorem laudibus ferret: qui quinquennalem antè censuram, & longinquitate potestatem dominantem intra sex mensium & anni coegisset spatium: Dic agedum, inquit, Ap. Claudi, qoídnam facturus fueris, si eo tempore quo C. Furius & M. Geganios censores fuerunt, censor fuisses? Negare Appius interrogationem tribuni magnopere ad causam pertinere suam. nam etsi tenuerit lex Aemylia eos censores, quorũ in magistratu lata esset: quia post illos censores creatos eam legem populus iussisset, quódque postremum iussisset, id ius ratúmqoe esset: non tamen aut se, aut eorũ quenquam, qui post eam legem latam creati censores essent, teneri ea lege potuisse. Hæc sine vllius assensu cauillante Appio, En, inquit, Quirites illius Appii progenies, qui decemuir in annũ creatus, altero anoo se ipse creauit: tertio nec ab se, nec ab vllo creatus: priuatus fasces & imperium obtinuit: nec antè cõtinuando abstitit magistratu, quàm obruerent eum malè parta, malè gesta, malè retenta imperia. hæc est eadem familia Quirites, cuius vi atque iniuriis compulsi extorres patria Sacrum montem cepistis. hæc, aduersus quam tribunitium auxilium vobis comparastis: hæc, propter quam duo exercitus Auentinum insedistis. hæc, quæ fœnebres leges. hæc, quæ agrarias semper impugnauit. hæc cõnubia patrum & plebis interrupit. hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit. hoc est nomen multò, quàm Tarquiniorũ, iosestius vestræ libertati. Itáne tan-

Anceps prælium nox dirimit.

Inter Appium & tribunos plebis certamẽ oritur.

Sempronij trib. pleb. in Appium oratio.

dem Appi Claudi, cum centesimus iam annus sit ab Mamerco Aemylio dictatore, tot censores fuerint A nobilissimi fortissimíque viri, nemo eorum duodecim tabulas legit? nemo id ius esse, quod postremò populus iussisset, sciuit? immò verò omnes sciuerunt. ideo Aemyliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, qua primùm censores creati erant, quia hanc postremùm iusserat populus: & quia vbi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat noua. An hoc dicis Appi? non teneri Aemylia lege populum? an populum teneri, te vnum extra legem esse? Tenuit Aemylia lex violentos illos censores, C. Furium & M. Geganium. qui quid iste magistratus in Republica malè facere posset, indicarunt, cùm ira finitæ potestatis, Mamercum Aemylium principem ætatis suæ belli domíque, ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spatium. Tenet C. Plautium collegam tuum, iisdem auspiciis, eodem iure creatum. An hunc non vt qui optimo iure censor creatus esset, populus creauit? vt vnus eximius es in quo hoc præcipuum ac singulare valeat? quem tu regem sacrificiorum crees? amplexus regni nomen, vt qui optimo iure rex Romæ creatus sit, creatũ se dicet. quem semestri dictatura, quem interregno quinque diebus contentum fore putes? quem claui figendi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees? Quàm isti stolidos ac socordes videri creditis eos, qui intra vicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicauerunt? aut qui vitio creati abierunt magistratu? Quid ego antiqua repetam? nuper intra decem annos C. Mænius dictator, quia cùm quæstiones seuerius quàm quibusdam potentibus tutum erat, exerceret, cõtagio eius, quod quærebat, ipsi criminis obiectata ab inimicis est, vt priuatus obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit. Nolo ego istam in te modestiam: ne degeneraueris à familia imperiosissima & superbissima: non die, non hora citius, quàm necesse est, magistratu abieris, modò ne excedas finitum tempus. satis est, aut diem aut mensem censuræ adiicere. Triennium, inquit, & sex menses vltrà quàm licet Aemylia lege, censuram geram, & solus geram. hoc quidem iam regno simile est. An collegam subrogabis? quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est. pœnitet enim, quòd antiquissimum solenne, & solum ab ipso, cui fit, institutum deo, ab nobilissimis antistitibus eius sacri ad seruorum ministerium religiosus censor deduxisti: gens antiquior originibus vrbis huius, hospitio deorum immortalium sancta, propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe extincta est: nisi vniuersam Rempublicam eo nefario obstrinxeris: quod ominari etiam reformidat animus. Vrbs eo lustro capta est, quo, demortuo collega C. Iulio censore L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogauit. & quanto modestior illius cupiditas fuit, quàm tua Appi? nec solus, nec vltra finitum lege tempus L. Papyrius censuram gessit. tamen neminem inuenit qui se posteà authorem sequeretur. omnes deinceps censores post mortem collegæ se magistratu abdicarunt. Te nec quòd dies exit censuræ, nec quòd collega magistratu abiit, nec lex, nec pudor coercet: virtutẽ in superbia, in audacia, B in contemptu deorum hominúmque ponis. Ego te Appi Claudi pro istius magistratus maiestate ac verecundia, quem gessisti, non modò manu violatum, sed ne verbo quidem inclementiori à me appellatum vellem: sed & hæc quæ adhuc egi, peruicacia tua & superbia coegit me loqui: & nisi Aemyliæ legi parueris, in vincula duci iubebo: nec cùm ita comparatum à maioribus sit, vt comitiis censoriis, nisi duo confecerint legitima suffragia, non renuntiato altero comitia differantur: ego te, qui solus censor creari non possis, solum censuram gerere patiar. Hæc, taliáque cùm dixisset, prehendi censorem & in vincula duci iussit. Approbantibus sex tribunis actionem collegæ, tres appellanti Appio auxilio fuerunt: summáq; inuidia omniũ ordinum solus censuram gessit. Dum ea Romæ geruntur, iam Sutrium ab Hetruscis obsidebatur: consulíque Fabio imis montibus ducenti ad ferendam opem sociis, tentandásque munitiones, si qua posset, acies hostium instructa occurrit. quorum ingentem multitudinem cùm ostenderet subiecta latè planities: Consul, vt loco paucitatem suorum adiuuaret, flectit paululum in cliuos agmen: (aspreta erant strata saxis) inde signa in hostem obuertit. Hetrusci omnium, præterquã multitudinis suæ, qua sola freti erant, immemores, prælium ineunt adeò raptim & auidè, vt abiectis missilibus, quo celerius manus consererent, stringerent gladios vadentes in hostem. Romanus contrà, nunc tela, nunc saxa, quibus eos affatim locus ipse armabat, ingerere. igitur scuta, galeæque ictæ, cùm etiam quos non vulnerauerant, turbarent: neque subire erat facile ad propiorem pugnam: neque missilia habebant, quibus eminus rem gererent: stantes, & expositos ad ictus cùm iam satis nihil tegeret: quosdam etiam pedem referentes fluctuantésq;, & instabilem aciem redintegrato clamore strictis gladiis hastati & principes inuadunt. eum impetum non tulerunt Hetrusci, versísque signis fuga effusa castra repetunt. Sed equites Romani præuecti per obliqua campi cùm se fugientibus obtulissent, omisso ad castra itinere, montes petunt. Inde inermi penè agmine, ac vexato vulneribus, in syluam Ciminiam penetratum. Romanus multis millibus Hetruscorum cæsis, duodequadraginta signis militaribus captis, castris etiam hostium cum præda ingenti potitur. Tum de persequendo hoste agitari cœptum. Sylua erat Ciminia magis tum inuia atque horrenda, quàm nuper fuere Germanici saltus: nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud ferè quisquam præter ducem ipsum audebat. aliis omnibus cladis Caudinæ nondum memoria aboleuerat. Tum ex iis qui aderant, consulis frater (M. Fabium, Cæsonem alii, C. Claudium quidam matre eadem qua cos. genitum, tradunt) speculatum se iturum professus, breuíque omnia certa allaturũ. Cære educatus apud hospites, Hetruscis inde literis eruditus erat: linguámque Hetruscam probè nouerat. Habeo authores, vulgò tum Romanos pueros, sicut nunc Græcis, ita Hetruscis literis erudiri solitos. sed propius est vero, præcipuum aliquid fuisse in eo, qui se tam audaci simulatione hostibus immiscuerit. seruus ei dicitur comes vnus fuisse, nutritus vnà, eóque haud ignarus linguæ eiusdem. nec

Sutrium ab Hetruscis obsessum.

Hetrusci Romanos adoriuntur.

Hetrusci in fugam versi cæduntur.

Sylua Ciminia.

Romani pueri literis Hetruscis erudiebantur.

quicquam

A quicquam aliud proficiscentes, quàm summatim regionis, quæ intranda erat, naturam, ac nomina principum in populis accepere, ne qua inter colloquia insigni nota hæsitantes deprehendi possent: iere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gæsisque binis armati. Sed neque commercium linguæ, nec vestis armorúmve habitus sic eos texit, quàm quod abhorrebat à fide, quenquam externum Ciminios saltus intraturum. Vsque ad Camertes Vmbros penetrasse dicuntur. ibi, qui essent, fateri Romanum ausum: introductúmque in senatum, consulis verbis egisse de societate amicitiáque: atque inde comi hospitio acceptum, nuntiare Romanis iussum: commeatum exercitui dierũ triginta præstò fore, si ea loca intrasset: iuuentutémque Camertium Vmbrorum in armis paratam imperio futuram. Hæc cum relata consuli essent, impedimentis prima vigilia præmissis, legionibus post impedimenta ire iussis, ipse substitit cum equitatu: & luce orta postero die obequitauit stationibus hostium, quæ extra saltum dispositæ erant. & cum satis diu tenuisset hostem, in castra sese recepit: portáque altera egressus, ante noctem agmen assequitur. postero die, luce prima, iuga Ciminii montis tenebat: inde contemplatus opulenta Hetruriæ arua, milites emittit. Ingenti iam abacta præda, tumultuariæ agrestium Hetruscorum cohortes repentè à principibus regionis eius cõcitatæ Romanis occurrunt, adeò incompositæ, vt vindices prædarum propè ipsi prædæ fuerint. Cæsis fugatísque iis, latè depopulato agro victor Romanus, opulentúsque rerum omnium copia, in castra rediit. Eò fortè quinque legati cum duobus Tribb. pleb. venerant, denuntiatũ Fabio senatus verbis, ne saltum Ciminiũ, trãsiret. lætati serius se, quàm vt impedire bellum possent, venisse, nuntii victoriæ Romam reuertuntur. Hac expeditione consulis motum latius erat, quàm profligatum bellum. vastationem nanque sub Ciminii montis radicibus iacens ora senserat: conciuerátque indignatione non Hetruriæ modò populos, sed Vmbriæ finitima. itaque quantus nõ vnquam antea, exercitus ad Sutrium venit: neq; è syluis tantummodo promota castra, sed etiam auiditate dimicandi quàm primum in campos delata acies: deinde instructa primò suo stare loco, relicto hostibus ad instruendum contrà spatio. deinde postquã detrectare hostem sensere pugnam, ad vallum subeunt. vbi postquam stationes quoque receptas intra munimenta sensere, clamor repentè circa duces ortus, vt eò sibi è castris cibaria eius diei deferri iuberent, mansuros se sub armis: & aut nocte, aut certè luce prima castra hostium inuasuros. Nihilo quietior Romanus exercitus imperio ducis cõtinetur. decima erat ferè diei hora, cum cibum capere consul milites iubet, præcipit vt in armis sint, quacunque diei noctísve hora signum dederit. paucis milites alloquitur, Samnitium bella extollit: eleuat Hetruscos: nec hostem hosti, nec multitudinem multitudini comparandam ait esse: præterea telum aliud occultum scituros in tempore, interea taceri opus esse. His ambagibus prodi simulabat hostes, quo animus militum multitudine territus restitueretur:

Hetruscus exercitus ad Sutrium cogitur.

B & quòd sine munimẽto consederant, verisimilius erat quod simulabatur. Curati cibo corpora quieti dant, & quarta ferè vigilia sine tumultu excitati arma capiunt. dolabræ calonibus diuiduntur ad vallum proruendum, fossásq; implendas. intra munimenta instruitur acies: delectæ cohortes ad portarũ exitus collocãtur. dato deinde signo paulo ante lucem, quòd æstiuis noctibus sopitæ maximè quietis tẽpus est, proruto vallo erupit acies: stratos passim inuadit hostes: alios immobiles, alios semisomnos in cubilibus suis, maximam partem ad arma trepidantes cædes oppressit. paucis armandi se datum spatium est. eos ipsos non signũ certum, non ducem sequentes fundit Romanus, fugatósq; persequitur. ad castra, ad syluas diuersi tendebant. syluæ tutius dedere refugium. nam castra in campis sita eodem die capiuntur. aurum argentúmq; iussum referri ad consulem. cætera præda militis fuit. Cæsa aut capta eo die hostium millia ad sexaginta. Eam tam claram pugnam trans Ciminiam syluam ad Perusiam pugnatam, quidam authores sunt: metúq; in magno ciuitatẽ fuisse, ne interclusus exercitus tam infesto saltu coortis vndiq; Thuscis Vmbrísque opprimeretur. Sed vbicunq; pugnatum est, res Romana superior fuit: itaq; à Perusia, & Cortona, & Arretio, quæ fermè capita Hetruriæ populorum ea tempestate erant, legati pacem fœdúsque ab Romanis petentes, inducias in triginta annos impetrauerunt. Dum hæc in Hetruria geruntur, c o s. alter C. Martius Rutilius Allifas de Samnitibus vi cepit. multa alia castella, vicíque, aut deleta hostiliter, aut integra in potestatem venere. Per idem tempus & classis Romana à P. Cornelio, quem senatus maritimæ oræ præfecerat, in Campaniam acta, cum appulsa Pompeios esset: socii inde nauales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti, proximis raptim vastatis, vnde reditus tutus ad naues esset: dulcedine (vt fit) prædæ longius progressi, exciuere hostes. palatis per agros nemo obuius fuit, cùm occidione occidi possent, redeuntes agmine incauto haud procul nauibus assecuti agrestes exuerunt præda, partem etiam occiderunt: quæ superfuit cædi trepida multitudo, ad naues compulsa est. Profectio Q. Fabii trans Ciminiam syluam quãtum Romæ terrorem fecerat, tam lætam famam in Samnium ad hostes tulerat: interclusum Romanũ exercitum obsideri: cladísq; imaginem Furculas Caudinas memorabant. eadẽ temeritate auidam vlteriorũ sem per gentem in saltus inuios deductam, septam nõ hostium magis armis, quàm locorum iniquitatibus esse. Iam gaudium inuidia quadam miscebatur: quòd belli Romani decus ab Samnitibus fortuna ad Hetruscos auertisset. itaq; armis, virísq; ad obterendum C. Martium c o s. cõcurrunt: protinus inde Hetruriam per Marsos ac Sabinos petituri, si Martius dimicandi potestatẽ non faciat. Obuius iis c o s. fuit, dimicatum prælio vtrinq; atroci, atq; incerto euentu est: & cum anceps cædes fuisset, aduersæ tamen rei fama in Romanos vertit, ob amissos quosdam equestris ordinis, tribunósque militum, atque vnum legatum, & (quod insigne maximè fuit) consulis ipsius vulnus. Ob hæc etiam aucta fama (vt solet) ingens terror patres inuasit: dictatorémque dici placebat: nec quin Cursor Papyrius diceretur, in quo tum summa rei bellicæ ponebatur, dubium cuiquam erat: sed nec in Samnium nuntium perferri

Romani intra munimẽta instructa acie Hetruscos paulo ante lucẽ inuadunt.

Cæsa aut capta Hetruscorum millia ad sexaginta.

Hetrusci inducias in 30 annos impetrant.

Cum Samnitibus ancipiti marte pugnatum.

omnibus infestis tutò posse:nec viuere Martium c o s.satis fidebant. Alter c o s.Fabius infestus priuatim Papyrio erat:quæ ne ira obstaret bono publico,legatos ex consularium numero mittendos ad eum senatus censuit:qui sua quoque eum,non publica solum authoritate mouerent,vt memoriam simultatum patriæ remitteret. Profecti legati ad Fabium c o s.cum s c.tradidissent,adiecissentque orationem conuenientem mandatis, consul demissis in terram oculis, tacitus ab incertis quidnam esset acturus legatis recessit.nocte deinde silentio(vt mos est)L. Papyrium dictatorem dixit, cui cùm ob animum egregiè victum legati gratias agerent,obstinatum silentium obtinuit:ac sine responso ac mentione facta sui,legatos dimisit:vt appareret insignem dolorem ingenti comprimi animo. Papyrius C.Iunium Bubulcum magistrum equitum dixit:atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffudit,qood Faucia curiæ fuit principium duabus insignis cladibus,captæ vrbis, & Caudicæ pacis: quod vtroque anno eiusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est,abominandam eam curiam facit. Dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem,& profectus cum legionibus ad terrorem traducti syluam Ciminiam exercitus nuper scriptis, ad Longulam peruenit:acceptisq; à Martio c o s.veteribus militibus,in aciem copias eduxit. nec hostes detrectare visi pugnam.instructos deinde,armatósque,cum ab neutris prælium inciperetur, nox oppressit. Quieti aliquandiu,nec suis diffidentes viribus,nec hostem spernentes, statiua in propinquo habuere. Nam & cum Vmbrorum exercitu acie depugnatum est.fusi tamen magis quàm cæsi hostes, quia cœptam acriter non tolerarunt pugnam, & ad Vadimonis lacum, Hetrusci lege sacrata coacto exercitu,cùm vir virum legisset,quantis nunquam aliàs antè simul copiis, simul animis dimicarunt. tantóq; irarum certamine res gesta est,vt ab neutra parte emissa sint tela.gladiis pugna cœpit, & acerrimè commissa ipso certamine,quod aliquandiu anceps fuit, accensa est, vt non cum Hetruscis toties victis,sed cum aliqua noua gente videretur dimicatio esse. nihil ab vlla parte mouetur fugæ, cadunt ante signani:& ne nudentur propugnatoribus signa,fit ex secūda prima acies. ab vltimis deinde subsidiis cietur miles,adeóq; ad vltimum laboris ac periculi ventum est, vt equites Romani omissis equis ad primos peditum per arma, per corpora euaserint. ea velut noua inter fessos exorta acies turbauit signa Hetruscorum.secuta deinde impetum eorum,vtcúque affecta fuerat, cætera multitudo tandem perrumpit ordines hostium. Tunc vinci pertinacia cœpta,& auerti manipuli quidam:& vt semel dedere terga,etiam certiorem capessere fugam. Ille primum dies fortuna veteri abundantes Hetruscorum fregit opes.cæsum in acie quod roboris fuit,castra eo impetu capta,direptaq;. Pari subinde periculo,gloriæq; euentu bellum in Samnitibus erat,qui præter cæteros belli apparatus,vt acies sua fulgeret nouis armorum insignibus,fecerunt. duo exercitus erant:scuta alterius auro, alterius argento cælauerunt. Forma erat scuti:summum latius qua pectus atq; humeri teguntur,fastigio æquali:ad imum cuneatior,mobilitatis causa:spongia pectori tegumentum:& sinistrum crus ocrea tectum. galeæ cristatæ,quæ speciem magnitudini corporum adderent.tunicæ auratis militibus versicolores, argētatis linteæ candidæ. his dextrum cornu datum : illi in sinistro consistunt. Notus iam Romanis apparatus insignium armorū fuerat:doctíque à ducibus erant,horridum militem esse debere,non cælatum auro argentóq;,sed ferro & animis fretum. quippe illa prædam verius quàm arma esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera. virtutem esse militis decus, & omnia illa victoriam sequi: & ditem hostem quamuis pauperis victoris præmiū esse. His Cursor vocibus instinctos milites in prælium ducit,dextro ipse cornu consistit: sinistro præfecit magistrum equitum. Simul est concursum, ingens fuit cum hoste certamen : non segnius inter dictatorem & magistrum equitum, ab vtra parte victoria inciperet. prior fortè Iunius commouit hostem, læuo dextrum cornu,sacratos more Samnitium milites,eóq; candida veste,& paribus candore armis insignes. eos se orco mactare Iunius dictitans,cum intulisset signa,turbauit ordines,& haud dubiè impulit aciem. Quod vbi sensit dictator, Ab læuóne cornu victoria incipiet?inquit:& dextrum cornu,dictatoris acies alienam pugnam sequetur, non partem maximam victoriæ trahet?concitat milites. Nec peditum virtuti equites, aut legatorum studia ducibus cedunt. M. Valerius à dextro, P. Decius ab læuo cornu ambo consulares, ad equites in cornibus positos euehuntur:adhortatiq; eos,vt partem secum capesserēt decoris, in transuersa latera hostium incurrunt. is nouus additus terror cùm ex parte vtraq; circumuasisset aciem,& ad terrorem hostium legiones Romanæ redintegrato clamore intulissent gradum. tum fuga à Samnitibus cœpta. Iam strage hominum,armorúmque insignium campi repleri. ac primò pauidos Samnites castra sua accepēre:deinde ne ea quidem retenta.captis direptísque ante noctem iniectus ignis. Dictator ex s c triumphauit. cuius triumpho longè maximam speciem captiua arma præbuere. tantum magnificentiæ visum in iis,vt aurata scuta dominis argētariorum ad forum ornandum diuiderentur. inde natum initium dicitur fori ornandi ab ædilibus,cum thensæ ducerētur. Et Romani quidem ad honorē deûm insignibus armis hostium vsi sunt:Campani ab superbia & odio Samnitium gladiatores,quod spectaculum inter epulas erat,eo ornatu armarunt, Samnitiúmque nomine appellarunt. Eodem anno cum reliquis Hetruscorum ad Perusiam,quæ ipsa induciarum fidem ruperat, Fabius c o s.nec dubia, nec difficili victoria dimicat. Ipsum oppidum(nam ad mœnia victor accessit)cepisset: ni legati dedentes vrbem exissent. Præsidio Perusiæ imposito, legationibus Hetruriæ amicitiam petentibus præ se Romam ad senatum missis, c o s. præstantiore etiam quàm dictator victoria triumphans, vrbem est inuectus. Quin etiam deuictorum Samnitium decus magna ex parte ad legatos, P. Decium & M. Valerium,est versum:quos populus proximis comitiis ingenti cōsensu c o s. alterum, alterum prætorē declarauit. Fabio ob egregiè perdomitam Hetruriam continuatur consulatus : Decius collega datur.

Valerius

Fabius Cos. L. Papyriū dictatorem, quàuis inimicū dixit.

Ad Vadimonis lacum cū Hetruscis acriter pugnatum est.

Hetrusci in fugam vertuntur.

Samnites auro & argēto scuta cælauerunt.

Cum Samnitibus pugnatur.

Sānites vincūtur, & eorū castra diripiuntur.

Perusia in deditionem accepta. Fabius de Hetruscis triūphat. Fabio cōtinuatur consulatus.

A

B

A Valerius prætor quartùm creatus. c o s. partiti prouincias. Hetruria Decio, Samnium Fabio euenit. Is profectus ad Nuceriam, Allifates, iam tum pacem petentes, quòd vti ea cùm daretur noluissent, aspernatus, oppugnando subegit. Cum Samnitibus acie dimicatum. haud magno certamine hostes victi. neque eius pugnæ memoria tradita foret, ni Marsi eo primùm prælio cum Romanis bellassent. Secuti Marsorum defectionem Peligni, eandem fortunã habuerunt. Decio quoq; alteri c o s. secunda belli fortuna erat. Tarquinienses metu subegerat frumentum exercitui præbere, atq; inducias in x l. annos petere. Volsiniensium castella aliquot vi cepit: quædam ex iis diruit, ne receptaculo hostibus essent. circumferendóq; passim bello tantum terrorem sui fecit, vt nomen omne Hetruscum fœdus à c o s. peteret. ac de eo quidem nihil impetratum. induciæ annuæ datæ. stipendium exercitui Romano ab hoste in eum annum pensum, & binæ tunicæ in militem exactæ. ea merces induciarum fuit. Tranquillas res iam Hetruscis turbauit repentina defectio Vmbrorum, gentis integræ à cladibus belli, nisi quòd transitum exercitus ager senserat. ii concitata omni iuuentute sua, & magna parte Hetruscorum ad rebellionem compulsa, tantum exercitum fecerant, vt relicto post se in Hetruria Decio, ad oppugnandam inde Romam ituros, magnificè de se, ac contemptim de Romanis loquentes, iactarent. Quod inceptum eorum vbi ad Decium c o s. perlatum est, ad vrbem ex Hetruria magnis itineribus pergit: & in agro Papiniensi ad famam intentus hostium consedit. Nec Romæ spernebatur Vmbrorũ bellum: & ipsæ minæ metum fecerant expertis à Gallica clade quàm intutam vrbem incolerent. Itaq; legati ad Fabium c o s. missi sunt: vt, si quid laxamenti à bello Samnitium esset, in Vmbriam properè exercitum duceret. Dicto paruit c o s. magnísq; itineribus ad Meuaniam, vbi tum copiæ Vmbrorum erant, perrexit. Repens aduentus cos. quem procul Vmbria in Samnio bello alio occupatum credide rant, ita exterruit Vmbros, vt alii recedendum ad vrbes munitas, quidam bellum omittendum censerent. Plaga vna (Materinam ipsi appellant) non continuit modò cæteros in armis, sed confestim ad certamen egit. castra vallantem Fabium adorti sunt. Quos vbi effusos ruere in munimenta consul vidit, reuocatos milites ab opere, prout loci natura tempúsq; patiebatur, ita instruxit: cohortatus prædicatione vera quà in Thuscis, quà in Samnio partorũ decorum, exiguam appendicem Hetrusci belli cõficere iubet: & vocis impiæ pœnas expetere, qua se vrbem Romanam oppugnaturos minati sunt. Hæc tanta sunt alacritate militum audita, vt clamor sua sponte ortus loquentem interpellauerit ducem. ante imperium deinde concentu tubarum ac cornuum, cursu effuso in hostem feruntur: nõ tanquam in viros, aut armatos incurrunt. mirabilia dictu: signa primò eripi cœpta signiferis: deinde ipsi signiferi trahi ad consulem, armatiq; milites ex acie in aciem transferri. & sicubi est certamen, scutis magis quàm gladiis geritur res. vmbonibus, incussáq; ala sternuntur hostes. plus capitur hominum,

Marsos & Pelignos Fabius uincit.

Vmbri à Romanis desciscunt.

B quàm cæditur: atq; vna vox ponere arma iubentium per totam fertur aciem. Itaq; inter ipsum certamen facta deditio est à primis authoribus belli. postero insequentibúsq; diebus & cæteri Vmbrorũ populi deduntur. Ocriculani spõsione in amicitiam accepti. Fabius alienæ sortis victor belli, in suam prouinciam exercitum reduxit. itaq; ei ob res tam feliciter gestas, sicut priore anno populus continuarat consulatũ: ita senatus in insequentem annum, quo Ap. Claudius, L. Volumnius c o s s. fuerunt, prorogauit maximè Appio aduersante, imperium. Appium censorem petisse consulatum, comitiáq; eius ab L. Furio Trib. pleb. interpellata, donec se censura abdicauit, in quibusdam annalibus inuenio. Creatus consul, cùm collegæ nouum bellum Salentini hostes decernerẽtur, Romæ mansit, vt vrbanis artibus opes augeret, quando belli decus penes alios esset. Volumniũ prouinciæ haud pœnituit. multa secunda prælia fecit: aliquot vrbes hostium vi cepit. prædæ erat largitor, & benignitatẽ per se gratam comitate adiuuabat, militémque iis artibus fecerat & periculi & laboris auidum. Q. Fabius proconsul ad vrbem Allifas cum Samnitium exercitu signis collatis confligit. minimè ambigua res fuit. Fusi hostes, atq; in castra cõpulsi. nec castra forent retenta, ni exiguum superfuisset diei: ante noctem tamen sunt circumsessa, & nocte custodita, ne quis elabi posset. postero die vix dum luce certa, deditio fieri cœpta: & pacti, qui Samnitium forent, vt cum singulis vestimentis emitterentur. hi omnes sub iugum missi. sociis Samnitiũ nihil cautum. ad septem millia sub corona veniêre. qui se ciuem Hernicum dixerat, seorsum in custodia habitus. eos omnes Fabius Romam ad senatũ misit. & cum quæsitum esset, delectu, an voluntarii pro Samnitibus aduersus Romanos bellassent, per Latinos populos custodiendi dantur. Iussiq; eam integram rem noui c o s s. P. Cornelius Aruina, Q. Martius Tremulus (ii enim iam creati erant) ad senatum referre. Id ægrè passi Hernici, concilium populorũ omnium habentibus Anagninis in circo, quem Maritimum vocant: præter Alatrinatem Ferentinatémque, & Verulanum, omnes Hernici nominis populo Romano bellum indixerunt. In Samnio quoq;, quia decesserat inde Fabius, noui motus exorti. Calatia & Sora, præsidiáque quæ in iis Romana erant, expugnata: & in captiuorum corpora militum fœdè sæuitum. itaq; eò P. Cornelius cum exercitu missus. Martio noui hostes (iam enim Anagninis Hernicísq; aliis bellum iussum erat) decernuntur. Primò ita omnia opportuna loca hostes inter consulum castra interceperunt, vt peruadere expeditus nuntius non posset, & per aliquot dies incerti rerum omniũ, suspensiq; de statu alterius, vterq; consul ageret, Romámq; is metus manaret: adeò, vt omnes iuniores sacramento adigerentur, atq; ad subita rerum duo iusti scriberentur exercitus. Cæterùm Hernicum bellum nequaquam pro præsenti terrore ac vetustate gentis gloriæ fuit. nihil vsquam dictu dignũ ausi, trinis castris intra paucos dies exuti, triginta dierum inducias, ita vt ad senatũ Romam legatos mitterent, pacti sunt bimestri stipendio frumẽtóq;, & singulis in militem tunicis. Ab senatu ad Martium reiecti: cui s c permissum de Hernicis erat: isq; gentem in deditionem accepit. Et in Samnio alter c o s. superior viribus, locis impeditior erat. omnia

Vmbri se dedunt Romanis.

Volumnius consul cũ Salentinis prosperè bellum gessit.

Fabius proconsul Sãnites fudit.

Hernici populo Romano bellũ indicunt.

Hernici uicti à Martio Cos. & in deditionem accepti.

itinera obſepſerant hoſtes:ſaltúſq; peruios ceperát,ne qua ſubuehi commeatus poſſent.neq; eos,cum A
quotidie ſigna in aciem conſul proferret,elicere ad certamen poterat : ſatíſq; apparebat neq; Samni-
tem certamen præſens,nec Romanum dilationem belli laturum. Aduentus Martii, qui Hernicis ſub-
actis maturauit collegæ venire auxilio,moram certaminis hoſti exemit.nam, vt qui ne alteri quidem
exercitui ſe ad certamen credidiſſent pares,coniungi vtiq; paſsi duos conſulares exercitus,nihil cre-
Samnites Martiũ Coſ. aggrediuntur. derent ſupereſſe ſpei:aduenientem incompoſito agmine Martium aggrediuntur.Raptim collatæ ſar-
cinæ in medium:& prout tempus patiebatur, inſtructa acies. clamor primùm in ſtatiua perlatus, de-
inde conſpectus procul puluis,tumultum apud alterũ conſulem in caſtris fecit,isque confeſtim arma
capere iuſsis,raptímque eductis in aciem militibus, tranſuerſam hoſtium aciem, atq; alio certamine
occupatam inuadit:clamitans ſummum flagitium fore,ſi alterum exercitum vtriuſque victoriæ com-
potem ſinerent fieri,nec ad ſe ſui belli vindicarent decus,quà impetum dederat, perrumpit : aciémq;
per mediam in caſtra hoſtium tendit,& vacua defenſoribus capit, atq; incendit. Quæ vbi flagrantia
Martianus miles conſpexit,& hoſtes reſpexere,tum paſsim fuga cœpta Samnitium fieri : ſed omnia
Samnitium cæſa triginta millia. obtinet cædes : nec in vllam partem tutum perſugium eſt. Iam triginta millibus hoſtiũ cæſis,ſignum
receptui conſules dederant:colligebántq; in vnũ copias,inuicem inter ſe gratantes:cùm repentè viſæ
procul hoſtium nouæ cohortes,quæ in ſupplementũ ſcriptæ fuerant,integrauere cædem. in quas nec
iuſſu conſulum,nec ſigno accepto victores vadunt,malo tyrocinio imbuendum Samnitem clamitan-
tes.Indulgent c o s s.legionum ardori,vt qui probè ſcirent nouum militem hoſtium inter perculſos
Samnitium nouæ cohortes fuſæ. fuga veteranos ne tentando quidem ſatis certamini fore. nec eos opinio feſellit.omnes Samnitiũ co-
piæ veteres,nouæq; montes proximos fuga capiũt.eò & Romana erigitur acies:nec quicquam ſatis
tuti loci victis eſt:& de iugis,quæ ceperant,funduntur.iámq; vna voce omnes pacem petebãt. Tum
trium menſium frumẽto impetrato,& annuo ſtipendio,ac ſingulis in militem tunicis,ad ſenatũ pacis
oratores miſsi. Cornelius in Samnio relictus.Martius de Hernicis triumphans in vrbem rediit. ſta-
tuáque equeſtris in foro decreta eſt , quæ ante templum Caſtoris poſita eſt. Hernicorũ tribus popu-
lis, Alatrinati, Verulano,Ferentinati,quia maluerunt quàm ciuitatẽ,ſuæ leges redditæ:connubiúmq;
inter ipſos,quod aliquandiu Hernicorum ſoli habuerunt, permiſſum. Anagninis, quíq; arma Roma-
nis intulerant,ciuitas ſine ſuffragii latione data:concilia,connubiáq; adempta:& magiſtratibus, præ-
Salutis ædes extructa. terquam ſacrorum curatione interdictum. Eodem anno ædes Salutis à C.Iunio Bubulco cenſore lo-
cata eſt:quam c o s.bello Samnitium vouerat.ab eodem collegáque eius M.Valerio Maximo viæ per
Cũ Carthaginienſibus fœdus tertiò renouatum. agros publica impenſa factæ. Et cum Carthaginienſibus eodem anno fœdus tertiò renouatum:lega-
tiſq; eorum,qui ad id venerant,comiter munera miſſa. Dictatorem idem annus habuit P.Cornelium
Scipionem,cum magiſtro equitum P.Decio Mure.ab iis,propter quæ creati erant,comitia conſularia B
habita,quia neuter c o s s.potuerat bello abeſſe.Creati c o s s.L.Poſthumius,T.Minutius.Hos c oss.
Piſo Q.Fabio & P.Decio ſuggerit.biennio exempto,quo Claudium Volumniúmq; ,& Corneliũ cum
Martio c o s s.factos tradidimus:memoriáne fugerit in annalibus digerendis,an conſultò binos con-
In Samnium mittuntur ambo Coſſ. ſules falſos ratus tranſcẽderit,incertum eſt. Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Sam-
nitium incurſiones factæ. itaque ambo c o s s.in Samnium miſsi, cum diuerſas regiones, Tifernum
Poſthumius,Bouianum Minutius petiſſent:Poſthumii prius ductu ad Tifernum pugnatũ. Alii haud
dubiè Samnites victos,ac triginta millia inde hominum capta tradunt : alii Marte æquo diſceſſum,&
Poſthumium metum ſimulantem nocturno itinere clàm in montes copias abduxiſſe : hoſtes ſecutos
duo millia inde locis munitis & ipſos conſediſſe.Conſul,vt ſtatiua tuta,copioſáq; (vt ita erant) petiiſſe
videretur:poſtquàm & munimẽtis caſtra firmauit,& omni apparatu rerum vtilium inſtruxit : relicto
firmo præſidio vigilia tertia,qua duci proximè poteſt, expeditas legiones ad collegam, & ipſum ad-
uerſus alios ſedentem,ducit.ibi authore Poſthumio Minutius cum hoſtibus ſigna confert:& cum an-
ceps prælium in multum diei proceſſiſſet, tum Poſthumius integris legionibus deſeſſam iam aciem
hoſtium improuiſo inuadit.itaq; cùm laſſitudo ac vulnera fugam quoq; præpediſſent,occidione oc-
ciſi hoſtes:ſigna vnũ & viginti capta:atq; inde ad caſtra Poſthumii perrectum. ibi duo victores exer
citus perculſum iam fama hoſtem adorti fundunt fugantq;:ſigna militaria ſex & viginti capta,& im
Samnites victi. perator Samnitium Statius Cellius, multíq; alii mortales,& caſtra vtraq; capta:& Bouianum,vbi po
ſtero die cœptum oppugnari , breui capitur.magnáq; gloria rerum geſtarum conſules triumpharũt.
Minutium cos.cum vulnere graui relatum in caſtra mortuũ , quidam authores ſunt, & M.Fuluium in
locum eius conſulem ſuffectum:& ab eo,cum ad exercitum Minutii miſſus eſſet, Bouianum captum.
Eodem anno Sora, Arpinum, Conſentia, recepta ab Samnitibus. Herculis magnum ſimulachrum in
Samnites de pace legatos Romam miſere. Capitolio poſitum, dedicatúmq;. P.Sulpitio Auerrione, P.Sempronio Sopho c o s s. Samnites, ſeu
finem, ſeu dilationem belli quærentes,legatos de pace Romam miſere.quibus ſuppliciter agentibus
reſponſum eſt,niſi ſæpe bellum parantes pacem petiſſent Samnites,oratione vltro citróque habita, de
pace tranſigi potuiſſe.nunc,quãdo verba vana ad id locorum fuerint,rebus ſtandum eſſe. P.Sempro-
nium c o s.cũ exercitu breui in Samnio fore:eum ãd bellum pacémne inclinent animi,falli non poſſe:
comperta omnia ſenatui relaturum : decedentem ex Samnio c o s. legati ſequerentur. Eo anno cum
Fœdus antiquum Samnitibus redditum. pacatum Samnium exercitus Romanus benignè præbito commeatu peragraſſet , fœdus antiquum
Samnitibus redditũ. Ad Aequos inde veteres hoſtes,cæterùm per multos annos ſub ſpecie infidæ pa-
cis quietos, verſa arma Romana:quòd incolumi Hernico nomine miſsitauerát ſimul cum iis Samniti
auxilia,& poſt Hernicos ſubactos vniuerſa propè gens ſine diſsimulatione conſilii publici ad hoſtes
deſciuerat:& poſtquam icto Romæ cum Samnitibus fœdere fœciales venerant res repetitum, tenta-
tionem

A tionem aiebant esse, vt terrore incusso belli, Romanos se fieri paterētur. quod quantopere optandum foret, Hernicos docuisse: cùm quibus licuerit, suas leges Romanæ ciuitati præoptauerint: quibus legendi quid mallent copia non fuerit, pro pœna necessariam ciuitatem fore. Ob hæc vulgo in conciliis iactata, populus Romanus bellum fieri Aequis iussit. Consulésque ambo ad nouum profecti bellum, quatuor millia à castris hostium consederunt. Aequorum exercitus (vt qui suo nomine per multos annos imbelles egissent) tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio trepidare. alii exeundum in aciem, alii castra tuenda censent: mouet plerosque vastatio futura agrorum, ac deinceps cum leuibus præsidiis vrbium relictarum excidia. itaque postquam inter multas sententias vna, quæ omissa cura communium ad respectum suarum quenque rerum auertisset, audita vt prima vigilia diuersi è castris ad deportanda omnia, tuendásque mœnibus in vrbes abirent: cuncti eam sententiam ingenti assensu accepere. Palatis hostibus per agros, prima luce Romani signis prolatis in acie consistunt: & vbi nemo obuius ibat, pleno gradu ad castra hostium tendunt. cæterùm postquam ibi neq; stationes pro portis, nec quenquam in vallo, nec fremitum consuetum castrorum animaduerterunt, insolito silentio moti, metu insidiarũ subsistunt. transgressi deinde vallum cum deserta omnia inuenissent, pergunt hostem vestigiis sequi. sed vestigia in omnes æquè ferentia partes, vt in dilapsis passim, primò errorem faciebant, pòst per exploratores cōpertis hostium cōsiliis ad singulas vrbes circumferendo bello vnum & quadraginta oppida intra dies sexaginta omnia oppugnando ceperunt: quorũ pleraq; diruta, atq; incensa, noménq; Aequorum propè ad internecionē deletum. De Aequis triumphatum, exemplóq; eorũ clades fuit, vt Marrucini, Marsi, Peligni, Ferentini mitterent Romam oratores pacis petendæ, amicitiæq;. iis populis fœdus petentibus datum. Eodem anno C. Flauius Cn. filius scriba, patre libertino humili fortuna ortus, cæterùm callidus vir & facūdus, ædilis curulis fuit. Inuenio in quibusdam annalibus, cùm appareret ædilibus, fieriq; se pro tribu ædilem videret, neque eius accipi nomen, quod scriptū faceret, tabulam posuisse, & iurasse se scriptum nō facturum. quem aliquanto antea desisse scriptū facere arguit Macer Licinius, tribunatu antè gesto, triumuiratibúsq;, nocturno altero, altero coloniæ deducendæ. Cæterùm (id quod haud discrepat) contumacia aduersus contemnentes humilitatem suam nobilés certauit. ciuile ius repositum in penetralibus pontificū euulgauit, fastósq; circa forum in albo proposuit, vt quando lege agi posset sciretur. ædem Concordiæ in area Vulcani summa inuidia nobiliũ dedicauit, coactúsq; consensu populi Cornelius Barbatus Pontifex Maximus verba præire, cùm more maiorum negaret, nisi c o s. aut imperatorem posse templum dedicare. Itaq; ex authoritate senatus latum ad populum est, ne quis templum, arámve iniussu senatus, aut Trib. pl. partis maioris dedicaret. Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit aduersus superbiā no-

B bilium plebeiæ libertatis, referam. Ad collegam ægrum visendi causa Flauius cum venisset, cōsensuq; nobilium adolescentium, qui ibi assidebant, assurrectum ei non esset, curulem afferri sellam eò iussit, ac sede honoris sui anxios inuidia inimicos spectauit. Cæterùm Flauiū dixerat ædilem forensis factio, Ap. Claudii censura vires nacta, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinauerat, & posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat quas petierat opes vrbanas: humilibus per omnes tribus diuisis, forum & campum corrupit. tantúmque Flauii comitia indignitatis habuerunt, vt pleriq; nobilium annulos aureos, & phaleras deponerent. Ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas: aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius & P. Decius censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanásque eas appellauit, adeóque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione páreret. Ab eodem institutum dicitur, vt equites Idibus quintilibus transueherentur.

Aequis bellum indicatur.

Aequorum vnũ & quadraginta oppida à Romanis capta.

C. Flauius patre libertino ortus ædilis curulis factus ciuile ius euulgauit.

Flauij insigne factum aduersus nobiliū superbiam.

In duas partes ciuitas discessit.

Q. Fabius unde Maximi cognomē sibi peperit.

DECADIS PRIMAE LIBER DECIMVS.

Coloniæ deductæ sunt Sora & Alba. Carseoli Marsi in deditionem accepti sunt. Collegium augurum ampliatum est, ut essent nouem, cum antea quaterni fuissent. Lex de prouocatione ad populum à Valerio consule tunc primùm lata est. Duæ tribus adiectæ sunt, Aniensis & Terentiana. Samnitibus bellum indictum, & aduersus eos prosperè pugnatum est. Cùm aduersus Hetruscos, Vmbros, Samnites, Gallos, P. Decio & Q. Fabio ducibus pugnaretur, Romanusq; exercitus in maximo esset discrimine, P. Decius secutus exemplum patris, deuouit se pro exercitu, & morte sua victoriam eius pugnæ populo Romano dedit. Papyrius Cursor Samnitium exercitum, qui iureiurando astrictus fuerat, quo maiore constantia uirtutis in aciem descenderet, fudit. Census actus est: lustrum conditum. censa sunt ciuium capita ducenta sexaginta duo millia, & trecenta uiginti duo.



L Vcio Genutio, Ser. Cornelio c o s s. ab externis fermè bellis otium fuit. Soram atque atq; Albam coloniæ deductæ. Albam in Aequos sex millia colonorum scripta. Sora agri Volsci fuerat: sed possederant Samnites. eò quatuor millia hominum missa. Eodem anno Arpinatibus, Trebulanísq; ciuitas data. Frusinates tertia parte agri damnati, quòd Hernicos ab eis solicitatos compertum: capitáq; cōiurationis eius, quæstione ab c o s s. ex S.C. habita, virgis cæsi ac securi percussi. Tamen ne prorsus imbellem agerent annum, parua expeditio in Vmbria facta est: quòd nuntiabatur ex spelunca quadam excursiones armatorū in agros fieri. In eam speluncam penetratū cum signis est: & ex eo loco obscuro multa vulnera accepta, maximéque lapidum ictu, donec altero specus eius ore (nam peruius erat) inuento, vtræq; fauces congestis lignis accensæ. ita intus fumo ac vapore ad duo millia armatorū ruentia nouissimè in ipsas flāmas, dum euadere tendunt, absumpta. M. Liuio Dentre,

Coloniæ deductæ.

In Vmbria pugnatū est.

Aequorum redintegratur bellum.

Aequos subegit C. Iunius dictator.

& C. Aemylio c o s s. redintegratum Aequorũ bellum. Coloniam ægrè patientes velut arcem suis finibus impositã, summa vi expugnare adorti, ab ipsis colonis pelluntur. Cæterùm tantum Romæ terrorem fecere, quia vix credibile erat, tam affectis rebus solos per se Aequos ad bellum coortos, vt tumultus eius causa dictator diceretur C. Iunius Bubulcus cum M. Titinio magistro equitũ. profectus, primo congressu Aequos subegit. ac die octauo triumphãs in vrbem cùm rediisset, ædem Salutis, quã c o s. vouerat, censor locauerat, dictator dedicauit. Eodem anno classis Græcorũ Cleonymo duce Lacedæmonio ad Italiæ litora appulsa, Thurias vrbem in Salentinis cepit. Aduersus hunc hostem cos. Aemylius missus, prælio vno fugatum compulit in naues. Thuriæ redditæ veteri cultori: Salentinóq; agro pax parta. Iunium Bubulcũ dictatorem missum in Salentinos, in quibusdam annalibus inuenio: & Cleonymum prius, quàm confligendum ei esset cum Romanis, Italia excessisse. circumuectus inde Brundusii promontorium, medióq; sinu Hadriatico ventis latus, cùm læua importuosa Italiæ litora, dextra Illyrici Liburníq; & Istri, gẽtes feræ & magna ex parte latrociniis maritimis infames terrerẽt,

Ad litora Venetorum classis Græcorum peruenit.

penitus ad litora Venetorũ peruenit. expositis paucis qui loca explorarẽt, cùm audissent tenue prætentum litus esse, quod trãsgressis, stagna ab tergo sint irrigua æstibus maritimis, agros haud procul proximos campestres cerni: vlteriora colles videri esse, ostium fluminis prealti, quò circũagi naues in stationem tutam vidisse (Meduacus amnis erat) eò inuectam classem subire flumine aduerso iussit. Grauissimas nauium non pertulit alueus fluminis. in leuiora nauigia transgressa multitudo armatorũ ad frequentes agros tribus maritimis Patauinorum vicis colentibus eam oram peruenit. Ibi egressi leui præsidio nauibus relicto, vicos expugnant, inflammãt tecta, hominũ pecudúmq; prædas agunt,

Patauini & Veneti classem Græcorũ fuderũt.

& dulcedine prædandi longius vsq; à nauibus procedunt. Hæc vbi Patauium sunt nuntiata (semper autem eos in armis accolæ Galli habebant) in duas partes iuuentutem diuidunt. altera in regionẽ, qua effusa populatio nuntiabatur: altera, ne cui prædonum obuia fieret, altero itinere ad stationem nauiũ (millia antẽ x i i i i. ab oppido aberat) ducta. In naues paruas custodibus interemptis impetus factus: territíq; nautæ coguntur naues in alteram ripam amnis traiicere: & in terra prosperũ æquè in palatos prædatores prælium fuerat: refugientibúsq; ad stationem Græcis, Veneti obsistũt. Ita in medium circumuenti hostes, cæsiq;: pars capti, classem indicant, regémq; Cleonymum tria inde millia abesse. Ibi captiuis proximo vico in custodiam datis, pars fluuiatiles naues ad superanda vada stagnorum aptè planis alueis fabricatas, pars captiua nauigia armatis complent. profectíq; ad classem, immobiles naues, & loca ignota plus quàm hostem timentes circumuadunt: fugiẽtésq; in altum, ac nusquam repugnantes, vsq; ad ostium amnis persecuti, captis quibusdam, incensisq; nauibus hostiũ, quas trepidatio in vada intulerat, victores reuertuntur. Cleonymus vix quinta parte nauium incolumi, nulla regione maris Hadriatici prosperè adita, discessit. rostra nauium, spoliáq; Laconũ in æde Iunonis veteri fixa, B multi supersunt qui viderunt. Patauii monimentum naualis pugnæ eo die, qua pugnatũ est, quotannis solenni certamine nauiũ in flumine oppidi medio exercetur. Eodem anno Romæ cum Vestinis petentibus amicitiam ictum est fœdus. Multiplex deinde exortus terror. Hetruriam rebellare ab Arretinorum seditionibus motu orto nuntiabatur: vbi Liciniũ genus præpotens, diuitiarũ inuidia pelli armis cœptum. simul Marsos agrum vi tueri: in quem colonia Carseoli deducta erat, quatuor millibus

M. Valerius Maximus dictator Marsos fudit, & eorum oppida cepit.

Hetrusci absente dictatore Magistrum equitum circũuenerũt.

hominũ scriptis. Itaq; propter eos tumultus, dictus M. Valerius Maximus dictator, magistrum equitum sibi legit M. Aemylium Paulum. id magis credo, quàm Q. Fabium ea ætate, atque eis honoribus Valerio subiectum. cæterùm ex Maximi cognomine ortum errorem haud abnuerim. Profectus dictator cum exercitu, prælio vno Marsos fundit. cõpulsis deinde in vrbes munitas, Milionian, Plestinam, Fresiliam intra dies paucos cepit: & parte agri mulctatis Marsis, fœdus restituit. Tum in Hetruscos versum bellum. & cum dictator auspiciorum repetendorum causa profectus Romam esset, magister equitum pabulatum egressus, ex insidiis circumuenitur: signísq; aliquot amissis, fœda militum cæde ac fuga in castra est compulsus. qui terror non eo tantum à Fabio abhorret, quòd si qua alia arte cognomen suum æquauit, tum maximè bellicis laudibus: sed etiam quòd memor Papyrianæ sæuitiæ nunquam vt dictatoris iniussu dimicaret, adduci potuisset. Nuntiata ea clades Romam, maiorem quàm res erat terrorem exciuit. nam vt exercitu deleto, ita iustitium indictum: custodiæ in portis, vigiliæ vicatim exactæ: arma, tela in muros congesta. Omnibus iunioribus sacramento adactis dictator ad exercitum missus omnia spe tranquilliora, & composita magistri equitum cura, castra in tutiorem locum redacta, cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas, inuenit: exercitum auidum pugnæ, quò maturius ignominia aboleretur. Itaque confestim castra inde in agrum Rusellanum promouit. eò & hostes secuti, quanquam ex bene gesta re summam & in aperto certamine

Hetrusci tentant insidijs Romanos circũuenire.

virium spem habebant: tamẽ insidiis quoq;, quas feliciter experti erant, hostem tentant. Tecta semiruta, vici per vastationẽ agrorum deusti haud procul castris Romanorũ aberant. ibi abditis armatis, pecus in conspectu præsidii Romani, cui præerat Cn. Fuluius legatus, propulsum. ad quam illecebram cùm commoueretur nemo, ab Romana statione pastorum vnus progressus sub ipsas munitiones, inclamat alios cunctanter ab ruinis vici pecus propellentes: quid cessarent, cum per media castra Romana tutò agere possent? Hæc cùm legato Cærites quidam interpretarentur, & per omnes manipulos militum ingens esset indignatio, nec tamen iniussu mouere se auderent: iubet peritos linguæ

Hetrusci Romanum præsidium adoriuntur.

attendere animum, pastorum sermo agresti an vrbano propior esset. Cùm referrent sonum linguæ, & corporum habitũ, & nitorem, cultiora quàm pastoralia esse: ite igitur, dicite, inquit, detegant nequicquam conditas insidias: omnia scire Romanum: nec magis iam dolo capi, quàm armis vinci posse. Hæc vbi audita sunt, & ad eos qui consederant in insidiis perlata, consurrectũ repentè ex latebris est,

&in

A & in patentem ad conspectum vndique campum prolata signa. visa legato maior acies, quàm quæ ab suo præsidio sustineri posset. itaque propere ad dictatorem auxilia accitum mittit, interea ipse impetus hostium sustinet. Nuntio allato, dictator signa ferri, ac sequi armatos iubet. sed celeriora propè omnia imperio erant. rapta extemplò signa, armáque, & vix ab impetu & cursu tenebantur. cùm ira ab accepta nuper clade stimulabat, tum concitatior accidens clamor ab increscente certamine. vrgent itaque alii alios, hortantúrque signiferos, vt ocyus eant. quò magis festinantes videt dictator, eò impensius retentat agmen, ac sensim incedere iubet. Hetrusci contrà, principio exciti pugnæ omnibus copiis aderant: & super alios alii nuntiant dictatori omnes legiones Hetruscorum capessisse pugnam: nec iam ab suis resisti posse. & ipse cernit ex superiore loco, in quanto discrimine præsidium esset: cæterùm satis fretus esse etiam nunc tolerando certamini legatum, nec se procul abesse periculi vindicē, quàm maximè vult fatigari hostem, vt integris adoriatur viribus fessos. quanquam lentè procedunt, iam tamen ad impetum capiendum equiti vtique modicum erat spatium. prima incedebant signa legionum, ne quid occultum aut repentinum hostis timeret: sed relinqueret interualla inter ordines peditum, quà satis laxo spatio equi permitti possent. Pariter sustulit clamorem acies: & immissus eques libero cursu in hostem inuehitur: incompositisq; aduersus equestrem procellam subitum pauorem offundit. Itaque vt propè serum auxilium iam penè circumuentis, ita vniuersa requies data est. integri accepere pugnam: nec ea ipsa longa aut anceps fuit. fusi hostes castra repetunt, inferentibúsque iam signa Romanis cedunt, & in vltimam castrorum partem conglobantur. hærent fugientes in angustiis portarum: pars magna aggerem vallúmque conscendunt, si aut ex superiore loco tueri se, aut superare aliquà & euadere possent. Fortè quodam loco male densatus agger pondere suprastantium in fossam procubuit: atque eà cum deos pandere viam fugæ conclamassent, plures inermes quàm armati euadunt. Hoc prælio fractæ iterum Hetruscorum vires: & pacto annuo stipendio, & duûm mensium frumento, permissum ab dictatore, vt de pace legatos mitterent Romam. pax negata: induciæ biennii datæ. dictator triumphans in vrbem redit. Habeo authores, sine vllo memorabili prælio pacatam ab dictatore Hetruriam esse, seditionibus tantum Arretinorum compositis, & Licinio genere cum plebe in gratiam reducto. c o s. ex dictatura factus M. Valerius. non petentem, atque adeò etiam absentem creatum credidere quidam: & per interregem ea comitia facta. id vnum non ambigitur, consulatum cum Apuleio Pansa gessisse. M. Valerio & Q. Apuleio c o s s. satis pacatæ foris res fuere. Hetruscum aduersæ belli res, & induciæ quietum tenebant: Samnitem multorum cladibus domitum hauddum fœderis noui pœnitebat. Romæ quoque plebem quietam & exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat. tamen ne vndique tranquillæ res essent, certamen iniectum inter primores ciuitatis,

Hetrusci fusi, & eorum castra direpta.

Hetruscis induciæ biennij datæ.

B patricios plebeiósque, ab Tribb. pl. Q. & Cn. Ogulniis. qui vndique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, quà nō infimam plebem accenderent, sed ipsa capita plebis, consulares triumphaléísque plebeios: quorum honoribus nihil, præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant: deesset. Rogationem promulgarunt, vt cùm quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent: placerétque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes adlegerentur. Quemadmodum ad quatuor augurum numerum, nisi morte duorum id redigi collegium potuerit, non inuenio: cum inter augures constet imparem numerum debere esse, vt tres antiquæ tribus, Ramnenses, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habeant: aut si pluribus sit opus, pari inter se numero sacerdotes multiplicent: sicut multiplicati sunt, cùm ad quatuor quinq; adiecti nouem numerum, vt terni in singulas essent, expleuerunt. Cæterùm quia de plebe adlegebantur, iuxtà eam rem ægre passi patres, quàm cùm consulatum vulgari viderent, simulabāt ad deos id magis, quàm ad se pertinere. ipsos visuros, ne sacra sua polluantur. id se optare tantùm, ne qua in Rempub. clades veniat. Minus autem tetendêre, assueti iam tali genere certaminum vinci. & cernebant aduersarios non id quod olim vix sperauerint, affectantes magnos honores. sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, tamē adeptos multiplices consulatus, censurásque, & triumphos. Certatum tamen suadenda dissuadendáq; lege inter Ap. Claudium maximè ferunt, & inter Publium Decium Murem. qui cùm eadē fermè de iure patrum ac plebis, quæ pro lege Licinia quondam, contráq; eam dicta erant, cùm plebeiis consulatus rogabatur, disseruissent, retulisse dicitur Decius parentis sui speciem, qualem eum multi, qui in concione erant, viderant, incinctum Gabino cultu, super telum stantē, quo se habitu pro populo ac legionibus Romanis deuouisset. tum Publium Decium cos. purum piúmque diis immortalibus visum, æquè ac si T. Manlios collega eius deuoueretur. eundem P. Decium, qui sacra publica populi Romani faceret, legi ritè non potuisse? id esse periculum, ne suas preces minus audirent dii, quàm Ap. Claudii? castius eum sacra priuata facere, & religiosius deos colere, quàm se? quem pœnitere votorum, quæ pro republica nuncupauerint tot c o s s. plebeii, tot dictatores, aut ad exercitus euntes, aut inter ipsa bella? Numerarentur duces eorum annorum, quibus plebeiorum ductu & auspicio res geri cœptæ sint: numerarentur triumphi: iam ne nobilitatis quidem suæ plebeios pœnitere. pro certo habere, si quod repens bellum oriatur, non plus spei fore senatui populóque Romano in patriciis, quàm in plebeiis ducibus. Quod cùm ita se habeat, cui deorum hominúmve indignum videri potest, inquit, eis viris, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureáque honoraritis: quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia adiicere? Qui Iouis Opt. Max. ornatu decoratus, curru aurato per vrbem vectus in Capitolium ascenderit: si conspiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat,

Inter primores ciuitatis, patricios plebeiosque certamen de sacerdotijs cū plebe communicandis.

Inter Ap. Claudiū & Publium Decium certamen, de suadenda dissuadendáque Lege à tribunis pl. promulgata.

auguriúmve ex arce capiat? cuius imaginis titulo consulatus, censuráque, & triumphus æquo animo A legetur: si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi? equidē (pace dixerim deûm) eos nos iam populi Romani beneficio esse spero, qui sacerdotiis nō minus reddamus dignatione nostra honoris, quàm acceperimus: & deorū magis, quàm nostra causa expetamus, vt quos priuatim colimus, publicè colamus. Quid autem ego sic adhuc egi, tanquam integra sit causa patriciorum de sacerdotiis? & non iam in possessione vnius amplissimi simus sacerdotii? decemuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri cærimoniarúmque aliarum plebeios videmus. nec tum patriciis vlla iniuria facta est, cum duumuiris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus: & nunc tribunus, vir fortis ac strenuus, quinque augurum loca, quatuor pontificum adiecit, in quæ plebeii nominentur: non vt vos Appi vestro loco pellant, sed vt adiuuent vos homines plebeii diuinis quoque rebus procurandis, sicut in cæteris humanis pro parte virili adiuuant. Noli erubescere Appi collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti, cuius tam dictatoris magister equitum, quàm magistri equitum dictator esse potes. Sabinum aduenam principem nobilitatis vestræ, seu Ap. Clausum, seu Ap. Claudium mauultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt. ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. multa nobiscum decora afferimus, imò omnia eadem, quæ vos superbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe cos. est factus, Caius Licinius Stolo primus magister equitum, C. Martius Rutilius primus & dictator & censor, Q. Publius Philo primus prætor. Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos iustum imperium & auspicium domi militiæque, æquè adhuc prosperum plebeium ac patricium fuit, porróq; erit. En vnquam fando audistis patricios primò esse factos, non de cælo demissos, sed qui patrem ciere auúmque possent: id est, nihil vltrà quàm ingenuos? Consulem iam patrem ciere possum, auúmq; iam poterit filius meus. nihil est aliud in re Quirites, nisi vt omnia negata adipiscamur. certamen tantum patricii petūt, nec curant quem euentum certaminum habeant. Ego hanc legem, quod bonum, faustum felíxque sit vobis ac Reip. vti rogastis, iubendam censeo. Vocare tribus extemplò populus iubebat, apparebátq; accipi legem, ille tamen dies est intercessione sublatus. postero die deterritis tribunis ingenti consensu accepta est. Pontifices creantur, suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Martius Rutilius, M. Liuius Denter. Quinque augures item de plebe, C. Genutius, P. Aelius Pætus, M. Minutius Fessus, C. Martius, T. Publius. Ita octo pontificum, nouem augurum numerus factus. Eodem anno M. Valerius cos. de prouocatione legem tulit diligentius sanctam. tertiò ea tum post reges exactos lata est, semper à familia eadem. causam renouandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quàm quòd plus paucorum opes, quàm libertas plebis poterant. Porcia tamen lex sola pro tergo ciuium lata videtur, B quod graui pœna, si quis verberasset, necassétve ciuem Romanum sanxit. Valeria lex, cùm eum qui prouocasset, virgis cædi, securíque necari vetuisset, si quis aduersus ea fecisset, nihil vltrà, quàm improbe factum, adiecit. id (qui tum pudor hominum erat) visum, credo, vinculum satis validum legis. nunc vix seruo ita minetur quisquam.

Noui pontifices quatuor, & augures quinque de plebe facti.

Porcia lex.

Valeria lex.

Bellum ab eodem consule haudquaquam memorabile aduersus rebellantes Aequos, cum præter animos feroces nihil ex antiqua fortuna haberent, gestum est. Alter cos. Apuleius in Vmbria Nequinum oppidum circunsedit. locus erat arduus, atque in parte vna præceps, vbi nunc Narnia sita est: nec vi, nec munimento capi poterat. itaq; eam infectá rem M. Fuluius Pætus, T. Manlius Torquatus noui coss. acceperunt. In eum annum cum Q. Fabium cos. non petentem omnes dicerent centuriæ, ipsum authorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum: eo anno maiori se vsui Reipub. fore vrbano gesto magistratu: ita nec dissimulantem quid mallet, nec petentem tamen, ædilem curulem cum L. Papyrio Cursore factum. Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium author Piso effecit: qui eo anno ædiles curules fuisse tradit C. Domitium, Cn. F. Caluinum, & Sp. Caruilium, Q. F. Maximum. id credo cognomen errorem in ædilibus fecisse: secutámque fabulam mistam ex ædiliciis & consularibus comitiis, conuenientem errori. Et lustrum eo anno conditum à P. Sempronio Sopho, & P. Sulpitio Auerrione censoribus: Tribúsque additæ duæ, Aniensis ac Tarentina. Hæc Romæ gesta. cæterùm ad Nequinum oppidum cùm segni obsidione tempus tereretur, duo ex oppidanis, quorum erát ædificia iuncta muro, specu facto ad stationes Romanas itinere occulto perueniunt: inde ad consulem deducti, præsidium armatum se intra mœnia & muros accepturos confirmant. Nec aspernenda res visa, neque incautè credanda. cum altero eorum (nam alter obses retentus) duo exploratores per cuniculum missi: per quos satis comperta re, trecenti armati transfuga duce in vrbem ingressi nocte portam, quæ proxima erat, cepere. qua refracta cos. exercitúsque Romanus sine certamine vrbem inuasere. ita Nequinum in ditionem populi Romani venit. colonia eò aduersus Vmbros missa à flumine Narnia appellata: exercitus cum magna præda Romam reductus. Eodem anno ab Hetruscis aduersus inducias paratum bellum. sed eos alia molientes Gallorum ingens exercitus fines ingressus paulisper à proposito auertit. pecunia deinde, qua multum poterant, freti, socios ex hostibus facere Gallos conantur, vt eo adiuncto exercitu cum Romanis bellarent. de societate haud abnuunt barbari, de mercede agitur. qua pacta, acceptáque, cum parata cætera ad bellum essent, sequíq; Hetruscus iuberet, inficias eunt mercedem se belli Romanis inferendi pactos, quicquid acceperint, accepisse ne agrum Hetruscum vastarent, armísque lacesserent cultores. militaturos tamen se, si vtique Hetrusci velint, sed nulla alia mercede, quàm vt in partem agri accipiantur, tandémque aliqua sede certa consistant. Multa de eo concilia populorum Hetruriæ habita. nec perfici quicquam potuit, non tam, quia imminui

Aduersus Aequos pugnatum.

Nequinum in Vmbria circunsidetur.

Lustrum cōditum est.

Duæ Tribus additæ.

Nequinum proditione oppidanorū capium.

Hetrusci Gallos ex hostibus socios aduersus Romanos facere conātur.

A imminui agrum, quàm quia accolas sibi quisque adiungere tam efferatæ gentis homines horrebat. ita dimissi Galli, pecuniam ingentem sine labore ac periculo paratam retulerunt. Romæ terrorem præbuit fama Gallici tumultus ab belluni Hetruscum adiecti, eo minus cunctanter fœdus ictum cum Picenti populo est. T. Manlio c o s. Hetruria prouincia sorte euenit, quo vix dum ingressus hostium fines, cùm exerceretur inter equites, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplò propè expirauit. tertius ab eo casu dies finis vitæ c o s. fuit. Quo velut omine belli accepto, deos pro se commisisse bellum memorantes Hetrusci sustulere animos. Romæ tum desiderio viri, tum incommoditate temporis tristis nuntius fuit: vt patres ab iubendo dictatore consulis subrogandi comitia ex sententia principum habita deterruerint. M. Valerium c o s. omnes sententiæ, centuriæque dixere, quem senatus dictatorem dici iussurus fuerat. tum extemplo in Hetruriam ad legiones proficisci iussit. aduentus eius compressit Hetruscos, adeò vt nemo extra munimenta egredi auderet, timórq; ipsorum obsidioni similis esset, neque illos nouus c o s. vastandis agris, vrendísque tectis, cùm passim non villæ solùm, sed frequentes quoque vici incendiis fumarent, elicere ad certamen potuit. Cùm hoc segnius bellum opinione esset, alterius belli, quod multis inuicem cladibus haud immeritò terribile erat, fama Picentium nouorum sociorum indicio exorta est, Samnites arma & rebellionem spectare, seque ab iis solicitatos esse. Picétibus gratiæ actæ, & magna pars curæ patribus ab Hetruria in Samnites versa est. Caritas etiam annonæ solicitam ciuitatem habuit. ventúmque ad inopiæ vltimum foret, vt scripsere, quibus ædilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione præparando ac cõuehendo frumento fuisset. Eo anno (nec traditur causa) interregnum initum. interreges fuere Ap. Claudius, dein P. Sulpitius. is comitia consularia habuit. creauit L. Cornelium Scipionem, Cn. Fuluium coss. Principio huius anni oratores Lucanorum ad nouos c o s s. venerunt questum, quia conditionibus perlicere se nequiuerint ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos fines suos vastare, belloq; ad bellum cogere. Lucano populo satis supérque erratum quondã. nunc ita obstinatos animos esse, vt omnia ferre ac pati tolerabilius ducant, quàm vt vnquam postea nomen Romanum violent. Orare patres, vt & Lucanos in fidem accipiant, & vim atq; iniuriam ab se Samnitium arceant. Se, quãquam bello cum Samnitibus suscepto necessaria iam facta aduersus Romanos fides sit, tamẽ obsides dare paratos esse. Breuis consultatio senatus fuit. ad vnum omnes iungendum fœdus cum Lucanis, résq; repetendas ab Samnitibus censent. Benignè responsum Lucanis: ictúmq; fœdus. Fœciales missi, qui Samnitem decedere agro sociorum, ac deducere exercitum finibus Lucanis iuberent. quibus obuiam missi ab Samnitibus qui denuntiarent: si quod adissent in Samnio cõcilium, haud inuiolatos abituros. Hæc postquàm

B audita sunt Romæ, bellum Samnitibus & patres censuerunt, & populus iussit. coss. inter se prouincias partiti sunt. Scipioni Hetruria, Fuluio Samnites obuenerunt: diuersiq; ad suũ quisq; bellũ proficiscuntur. Scipioni segne bellũ & simile prioris anni militiæ expectanti, hostes ad Volaterras instructo agmine occurrerunt. pugnatũ maiore parte diei, magna vtrinq; cæde. nox incertis quà data victoria esset, interuenit. lux insequens victorem, victúmq; ostendit. nam Hetrusci silentio noctis castra reliquerunt. Romanus egressus in aciem, vbi profectione hostiũ concessam victoriã videt, progressus ad castra vacuis cum plurima præda (nam & statiua trepidè deserta fuerant) potitur. inde in Faliscum agrum copiis reductis, cùm impedimenta Faleriis cum modico præsidio reliquisset, expedito agmine ad populandos hostium fines incedit. omnia ferro igníq; vastantur: prædæ vndiq; actæ. nec solum modò vastũ hosti relictum, sed castellis etiam vicísq; illatus ignis. vrbibus oppugnandis temperatũ, in quas timor Hetruscos compulerat. Cn. Fuluii cos. clara pugna in Samnio ad Bouianum haudquaquam ambiguæ victoriæ fuit. Bouianum inde aggressus, nec ita multo pòst Aufidenam vi cepit. Eodem anno Carseolos colonia in agrum Aequiculorum deducta. Fuluius cos. de Samnitibus triumphauit. Cùm comitia consularia instarent, fama exorta, Hetruscos, Samnitésque ingentes cõscribere exercitus: palàm omnibus conciliis vexari principes Hetruscorũ, quòd nõ Gallos quacunq; cõditione traxerint ad bellũ: increpari magistratus Samnitiũ, quòd exercitũ aduersus Lucanum hostẽ comparatũ obiecerint Romanis. itaq; suis sociorúmq; viribus consurgere hostes ad bellũ, & haudquaquam pari defungendũ esse certamine. Hic terror, cùm illustres viri cõsulatũ peterẽt, omnes in Q. Fabiũ Maximũ primò nõ petẽtẽ, deinde vt inclinata studia vidit, etiã recusantẽ cõuertit. Quid se iam senẽ, ac perfunctũ laboribus laborúmq; præmiis, solicitarẽt? nec corporis, nec animi vigorẽ remanere eundẽ: & fortunã ipsam vereri, ne cui deorũ nimia iam in se, & constantior quàm velint humanæ res, videatur. & se gloriæ seniorũ succreuisse, & ad suam gloriã consurgentes alios lætum aspicere. nec honores magnos fortissimis viris Romæ, nec honoribus deesse fortes viros. Acuebat hac moderatione tam iusta studia, quæ verecundia legum restinguenda ratus, legem recitari iussit, qua intra decẽ annos eundẽ consulẽ refici non liceret. vix præ strepitu audita lex est. tribuniq; plebis nihil id impedimenti futurũ aiebant. se ad populum laturos, vti legibus solueretur. & ille quidẽ in recusando perstabat: quid ergo attineret leges ferri rogitans, quibus per eosdẽ, qui tulissent, fraus fieret? iam regi leges, non regere. Populus nihilominus suffragia inibat: &, vt quæque intro vocata erat centuria, c o s. haud dubiè Fabium dicebat. Tum demum consensu ciuitatis victus, Dei approbent, inquit, quod agitis, acturíque estis, Quirites. cæterùm quoniam in me, quod vos vultis, facturi estis, in collega sit meæ apud vos gratiæ locus. P. Decium expertum mihi concordi collegio virum, dignum vobis, dignum parente suo, quæso mecum consulem faciatis. Iusta suffragatio visa. omnes quæ supererant centuriæ, Q. Fabium, P. Decium coss. dixere. Eo anno plerisque dies dicta ab ædilibus: quia plus, quàm quod lege finitum erat, agri possiderent: nec quisquam

T. Manlius Cos. ex equo lapsus moritur.

M. Valerius Cos. subrogatus aduentu suo Hetruscos cõpressit.

Samnites arma & rebellionem spectare nuntiatur à Picentibus.

Interregnũ.

Ictum fœdus cum Lucanis.

Ad Volaterras cum Hetruscis incerta victoria pugnatur.

Cum Samnitibus feliciter pugnatum, de quibus Fuluius Cos. triumphauit.

Q. Fabius Maximus cõsulatum recusat.

Q. Fabius omnium cõsensu centuriarum consul creatur.

quisquam fermè est purgatus: vinculúmque ingens immodicæ cnpiditatis iniectum est. c o s s. noA ui, Q. Fabius Maximus quartùm, & P. Decius Mus tertiùm, cùm inter se agitarent, vti alter Samnites hostes, alter Hetruscos deligeret: quantæque in hanc aut in illam prouinciam copiæ satis essent, & vter ad vtrum bellum dux idoneus magis esset, ab Sutrio, & Nepete, & Faleriis legati, authores, concilia Hetruriæ populorum de petenda pace haberi, totam belli molem in Samnium auerterunt.

Aduersus Sãnites ambo Coss. profecti fines hostium populantur.

Profecti c o s s. quo expeditiores commeatus essent, & incertior hostis, quà venturum bellum foret, Fabius per Soranum, Decius per Sidicinum agrum, in Samnium legiones ducunt. Vbi in hostium fines ventum est, vterque populabundus effuso agmine incedit: explorant tamen latius, quàm populantur. Igitur non frfrllere ad Tifernum hostes in occulta valle instructi, quà ingressos Romanos superiore ex loco adoriri parabant. Fabius impedimentis in locum tutum remotis, præsidióque modico imposito, præmonitis militibus adesse certamen, quadrato agmine ad prædictas hostium latebras succedit. Samnites desperantes improuiso tumultu, quando in apertum semel discrimen euasura esset res, & ipsi acie iusta maluerunt concurrere. itaque & in æquum descendunt, ac fortunæ se maiore animo quàm spe committunt. cæterùm siue quia ex omnium Samnitium populis quodcunque roboris fuerat, contraxerant: seu quia discrimen summæ rerum augrbat animos: aliquantum aperta quoque pugna præbuerunt terroris.

Sãnites Romanus summa vi resistunt.

Fabius, vbi nulla ex parte hostem loco moueri videt, M. Fuluium & M. Valerium Tribb.mil. cum quibus ad primam aciem procurrerat, ire ad equites iubet: & adhortari, vt si quando vnquam equestri ope adiutam Rempublic. meminerint, illo die annitantur, vt ordinis eius gloriam inuictam præstent. peditum certamine immobilem hostem restare: omnem reliquam spem in impetu esse equitum. & ipsos nominatim iuuenes pari comitate vtrunque nunc laudibus, nunc promissis onerat. Cæterùm quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum, si nihil vires iuuarent ratus, Scipionem legatum hastatos primæ legionis subtrahere ex acie, & ad montes proximos, quàm posset occultissimè, circunducere iubet: inde ascensu abdito à conspectu erigere in montes agmen, auersóque hosti ab tergo repentè se ostendere. Equites ducibus tribunis haud mulro plus hostibus quàm suis, ex improuiso ante signa euecti, præbuerunt tumultus. Aduersus incitatas turmas stetit immota Samnirium acies, nec parte vlla pelli, aut perrumpi potuit. Et postquàm irritum inceptum erar, recepti post signa prælio excesserunt. Creuit ex eo hostium animus, nec sustinere frons prima tam longum certamen, increscentémque fiducia sui vim potuisset, ni secunda acies iussu Consulis in primum succesissrt. Ibi integræ vires sistunt inuehentem se iam Samnitem. & tempore improuisa ex monribus signa, clamórque sublatus, non verò tantùm metu terruere Samnitium animos. Nam & Fabius Decium collegam appropinquare exclamauit, & pro se quisque miles adesse alterum c o s. adesse legiones gaudio alaB cres fremunt, errórque vtilis Romanis oblatus, fugæ formidinísque Samnites impleuit, maximè territos ne ab altero exercitu integro intactóque fessi opprimerentur.

Samnites in fugam dissipati.

& quia passim in fugam dissipati sunt, minor cædes quàm pro tanta victoria fuit, tria millia & c c c c cæsi: capti trecenti fermè & triginta, signa militaria capta tria & viginti. Samnitibus Apuli se ante prælium coniunxissent, ni P. Decius c o s. iis ad Maleuentum castra obiecisset, extractósque deinde ad certamen fudisset. Ibi quoque plus fugæ fuit, quàm cædis. duo millia Apulorum cæsa, spretóque eo hoste Decius in Samnium legiones duxit.

Consulares exercitus omnia in Sãmnio uastarunt.

Ibi duo consulares exercitus diuersis vagati partibus, omnia spatio quinque mensium euastarunt. quadraginta & quinque loca in Samnio fuere, in quibus Decii castra fuerunt, alterius c o s. sex & octoginta. nec valli tantùm, ac fossarum vestigia relicta, sed multa illis insigniora monimrnta vastitatis circà, regionúmque depopulatarum. Fabius etiam vrbem Cimetram cepit: ibi capra armatorum duo millia c c c c. cæsi fermè pugnantes ad quadringentos triginta. Indr comitiorum causa Romam profectus, maturauit eam rem agere. cùm primò vocatæ Q. Fabium c o s. dicerrnt omnes centuriæ. Ap. Claudius consularis candidatus, vir acer & ambitiosus, non sui magis honoris causa, quàm vt patricii recuperarent duo consularia loca, cùm suis, tum totius nobilitatis viribus incubuit, vt se cum Q. Fabio c o s. dicerent.

Fabius consulatum recusat.

Fabius primò de se eadem ferè, quæ priore anno dicendo abnuere. circunstare sellam omnis nobilitas, orare vt ex cœno plebeio consulatum extraheret, maiestatémque pristinam tum honori, tum patriciis gentibus redderet. Fabius silentio facto media oratione studia hominum sedauit. facturum enim se fuisse dixit, vt duorum patriciorum nomina reciperet, si alium quàm se c o s. fieri videret: nunc se sui rationem comitiis, cùm contra leges futurum sit, pessimo exemplo non habiturum. Ita Lucius Volumnius de plrbe cum Ap. Claudio. c o s. est factus, priore item consulatu inter se comparati. Nobilitas obiectare Fabio, fugisse eum Appium Claudium collegam, eloquentia ciuilibúsque artibus haud dubie præstantem. Comitiis perfectis veteres c o s s. iussi bellum in Samnio gerere. prorogato in sex menses imperio. Itaque insequenti quoque anno L. Volumnio & Ap. Claudio c o s s. P. Decius, qui c o s. in Samnio relictus à collega fuerat: proconsul idem populari non destitit agros, donec Samnitium exercitum nusquam se prælio committentrm, postremò expulit finibus.

Samnites finibus suis pulsi Hetruriam petierunt.

Hetruriam pulsi petierunt: & quod legationibus nequicquam sæpe tentauerant, id se tanto agmine armatorum mistis terrore precibus acturos efficacius rati, postulauerunt principum Hetruriæ concilium. Quo coacto, per quot annos pro libertate dimicent cum Romanis, exponunt. omnia expertos esse, si suimetipsorum viribus tolerare tantam molem belli possent: tentasse etiam haud magni momenti finitimarum gentium auxilia: petisse pacem à populo Romano, cùm bellum tolerare non possent: rebellasse, quòd pax seruientibus grauior, quàm liberis bellum esset. vnam ipsi spem reliquam in Hetruscis restare: scire gentem Italiæ opulentissimam, armis,

viris,

A viris, pecunia esse: habere accolas Gallos inter ferrum & arma natos, feroces cùm suopte ingenio, tum aduersus Romanum populum: quem captum à se, auróque redemptum haud vana iactantes memorent. Nihil abesse, si sit animus Hetruscis, qui Porsenæ quondam, maioribúsque eorum fuerit: quin Romanos omni agro cis Tyberim pulsos dimicare pro salute sua, non de intolerando Italiæ regno cogant. Samnitem illis exercitum paratum, instructum armis, stipendio venisse: confestim secuturos, vel si ad ipsam Romanam vrbem oppugnandam ducant. Hæc eos in Hetruria iactantes, molientésque bellum domi Romanum vrebat. nam P. Decius vbi comperit per exploratores profectum Samnitium exercitum, aduocato concilio, Quid per agros, inquit, vagamur vicatim circumferentes bellum? quin vrbes ac mœnia aggredimur? nullus iam exercitus Samnio præsidet. cessere finibus, ac sibimetipsi exilium consciuere. Approbantibus cunctis, ad Murgantiam validam vrbem oppugnandam ducit: tantúsque ardor militum fuit, & charitate ducis, & spe maioris quàm ex agrestibus populationibus prædæ, vt vno die vi atque armis vrbem caperent. ibi duo millia Samnitium & centum pugnantes circumuenti, captíque: & alia præda ingens capta est. quæ ne impedimentis grauibus agmen oneraret, conuocari milites Decius iubet. Hâccine, inquit, victoria sola, aut hac præda contenti estis futuri? vultis vos pro virtute spes gerere? omnes Samnitium vrbes fortunæque in vrbibus relictæ, vestræ sunt, quando legiones eorum tot præliis fusas, postremò finibus expulistis. vendite ista: & illicite lucro mercatorem, vt sequatur agmen. ego subinde suggeram quæ vendatis. Ad Romuleam vrbem hinc eamus, vbi vos labor haud magnus, præda maior manet. Diuendita præda, vltro adhortantes imperatorem, ad Romuleam pergunt. Ibi quoque sine opere, sine tormentis, simul admota sunt signa, nulla vi deterriti à muris, quà cuique proximum fuit, scalis raptim admotis, in mœnia euasere. captum oppidum ac direptum est. ad duo millia & CCC occisi: & sex millia hominum capta. Et miles ingenti præda potitus: quam vendere, sicut priorem, coactus: Ferentinum inde, quanquam nihil quietis dabatur, tamen summa alacritate ductus. cæterùm ibi plus laboris ac periculi fuit. & defensa summa vi mœnia sunt: & locus erat munimento naturáque tutus. sed euicit omnia assuetus prædæ miles. ad tria millia hostium circa muros cæsa: præda militis fuit. Huius oppugnatarum vrbium decoris pars maior in quibusdam annalibus ad Maximum trahitur. Murgantiam ab Decio, à Fabio Ferentinum Romuleámque oppugnatas tradunt. sunt qui nouorum consulum hanc gloriam faciant. Quidam non amborum, sed alterius, P. Volumnii: ei Samnium prouinciam euenisse. Dum ea in Samnio, cuiuscunque ductu auspicióque, gererentur, Romanis in Hetruria interim bellum ingens multis ex gentibus concitur: cuius author Gelius Egnatius ex Samnitibus erat. Thusci ferè omnes conciuerant bellum:

Samnitium præcipua quæque oppida à P. Decio Cos. expugnantur.

Annalium uarietas.

Ingẽs in Hetruria belli apparatus.

B traxerat contagio proximos Vmbriæ populos: & Gallica auxilia mercede solicitabantur. omnis ea multitudo ad castra Samnitium conueniebat. Qui tumultus repens postquàm Romam perlatus est, cùm iam L. Volumnius cos. cum legionibus secunda ac tertia, sociorúmque millibus quindecim profectus in Samnium esset, Ap. Claudium primo quoque tempore in Hetruriam ire placuit. duæ Romanæ legiones secutæ, prima & quarta, & sociorum duodecim millia: castra haud procùl ab hoste posita. Cæterùm magis eò profectum est, quòd maturè ventum erat, vt quosdam spectantes iam arma in Hetruria populos, metus Romani nominis comprimeret, quàm quòd ductu cos. quicquam ibi satis scitè, aut fortunatè gestum sit. Multa prælia locis & temporibus iniquis commissa: spésque in dies graniorem hostem faciebat. & iam propè erat, vt nec duci milites, nec militibus dux satis fideret. Literas ad collegam accersendum ex Samnio missas in trinis annalibus inuenio. piget tamen incertum ponere, cùm ea ipsa inter C O S S. Populi Romani iam iterum eodem honore fungentes discrepatio fuerit, Appio abnuente missas, Volumnio affirmante Appii se literis accitum. Iam Volumnius in Samnio tria castella ceperat, in quibus ad tria millia hostium cæsa erant: dimidium ferè eius captum. Et Lucanorum seditiones, à plebeis & egentibus ducibus ortas, summa optimatium volũtate per Q. Fabium proconsulem missum eò cum veteri exercitu compresserat. Decio populandos hostium agros relinquit: ipse cum copiis in Hetruriam ad collegam pergit: quem aduenientem læti omnes accepere. Appium ex conscientia sna credo animum habuisse haud immeritò iratum, si nihil scripserat: illiberali, & ingrato animo, si eguerat ope, dissimulantem. vix enim salute mutua reddita cùm obuiam egressus esset: Satin' saluæ, inquit, Luci Volumni? vt sese in Samnio res habent? quæ te causa vt prouincia tua excederes, induxit? Volumnins in Samnio res prosperas esse ait: literis eius accitum venisse: quæ si falsæ fuerint, nec vsus sui sit in Hetruria, extemplò conuersis signis abiturum. Tu verò abeas, inquit: neque te quisquam moratur. Etenim minimè consentaneum est, cùm bello tuo forsitan vix sufficias, hîc te ad opem ferendam aliis gloriari venisse. Bene hercules verteret, dicere Volumnius: malle frustra operam insumptam, quàm quicquam incidisse, cur non satis esset Hetruriæ vnus consularis exercitus. Digredientes iam C O S S. legati tribunique ex Appiano exercitu circumsistunt: pars imperatorem suum orare, ne collegæ auxilium, quod accipiendum vltro fuerit, sua sponte oblatum sperneretur: plures abeunti Volumnio obsistere, atque obtestari, ne prauo cum collega certamine Rempublicam prodat. si qua clades incidisset, desertori magis quàm deserto noxie fore. eò rem adductam, vt omnis rei bene aut secus gestæ in Hetruria decus dedecúsque ad L. Volumnium sit delegatum. neminem quæsiturum quæ verba Appii, sed quæ fortuna exercitus fuerit. dimitti ab Appio eum, sed à Republica & ab exercitu retineri. experiretur modò voluntatem militum. Hæc monendo, obtestandóque propè restitantes Consules in concionem pertraxerunt. ibi orationes longiores habitæ in eandem fermè sententiã, in quã inter paucos certatũ verbis fuerat, Et cùm Volumnius causa superior, ne

Appio Cõsuli milites parum fidentes.

Volumnius cũ copijs in Hetruriã ad collegam inuandum uenit.

Appius indignè fert aduentũ collegæ.

Appiani exercitus in retinendo Volumnio studium.

infacundus

infacundus quidem aduersus eximiam eloquentiam collegæ visus esset: cauillánsque Appius sibi acceptum referre diceret debere, quòd ex muto atque elingui facundũ etiam cos. haberent, priore consulatu primis vtique mensibus hiscere eum nequisse, nunc iam populares orationes serere: Quam mallem, inquit Volumnius, tu à me strenuè facere, quàm ego abs te scitè loqui didicissem. Postremò conditionem ferre, quæ decretura sit, non orator (neque enim id desiderare Rempub.) sed imperator vter sit melior: Hetruriam & Samnium prouincias esse: vtram mallet, eligeret: suo exercitu se vel in Hetruria, vel in Samnio rem gesturum. Tum militũ clamor ortus, vt simul ambo bellum Hetruscum susciperent. quo animaduerso consensu Volumnius: Quoniam in collegæ voluntate interpretanda, inquit, erraui, non committam vt quid vos velitis, obscurum sit. manere, an abire me velitis, clamore significate. Tum verò tantus est clamor exortus, vt hostes è castris exciret. armis arreptis in aciem descendunt. & Volumnius signa canere, ac vexilla afferri è castris iussit. Appium addubitasse ferunt, cernentem seu pugnante, seu quieto se, fore collegæ victoriam: deinde veritum, ne suæ quoque legiones Volumnium sequerentur, & ipsum flagitantibus suis signum dedisse. Ab neutra parte satis commodè instructi fuerunt. nam & Samnitium dux Gelius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat: suóque impetu magis milites, quàm cuiusquam ductu, aut imperio pugnam capessebant: & Romani exercitus nec pariter ambo ducti, nec satis temporis ad instruendum fuit. Prius cõcurrit Volumnius, quàm Appius ad hostem perueniret. itaque fronte inæquali concursum est: & velut forte quadam mutante assuetos inter se hostes, Hetrusci Volumnio, Samnites parumper cunctati, quia dux aberat, Appio occurrere. Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita vt inter prima signa manibus ad cælũ sublatis conspiceretur, ita precatus esse: Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voueo. Hæc precatus velut instigante Dea, & ipse collegæ, & exercitus virtutem adæquauit ducis. imperatoria opera exequitur: & milites, ne ab altera parte prius victoria incipiat, annituntur. ergo fundunt fugantque hostes, maiorem molem haud facilè sustinentes, quàm cum qua manus conserere assueti fuerant. vrgendo cedentes, insequendóque effusos compulere ad castra. ibi interuentu Gelii, cohortiúmque Sabellarum, paulisper recruduit pugna. iis quoq; mox fusis, iam à victoribus castra oppugnabantur. & cùm Volumnius ipse portæ signa inferret, Appius Bellonam victricem identidem celebrans, accenderet militum animos, per vallum, per fossas irruperunt. castra capta, direptáque: præda ingens parta, & militi concessa est. septem millia ac trecenti hostium occisi, duo millia & centum viginti capti. Dum ambo coss. omnísque Romana vis in Hetruscum bellum magis inclinat, in Samnio noui exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fines, per Vestinos in Campaniam Falernúmque agrum transcendunt, ingentésque prædas faciunt. Volumnium magnis itineribus in Samnium redeuntem (iam enim Fabio Decióque prorogati imperii finis aderat) fama de Samnitum exercitu, populationibúsque Campani agri ad tuendos socios conuertit. Vt in Calœnum agrum venit, & ipse cernit recentia cladis vestigia, & Calœni narrant tantum iam prædæ hostes trahere, vt vix explicare agmen possint: itaque iam propalàm duces loqui, extemplò eundum in Samnium esse, vt relicta ibi præda in expeditionem redeant, nec tam oneratum agmen dimicationi committant. Ea quanquam similia veris erant, certius tamen exploranda ratus, dimittit equites, qui vagos prædatores in agros palantes excipiant: ex quibus inquirendo cognoscit ad Vulturnum flumen sedere hostem, inde tertia vigilia moturum iter in Samnium esse. His satis exploratis profectus, tanto interuallo ab hostibus consedit, vt nec aduentus suus propinquitate nimia nosci posset, & egredientem è castris hostem opprimeret. aliquanto ante lucem ad castra accessit: gnarósque Oscæ linguæ exploratum quid agatur mittit. Intermisti hostibus (quod facile erat in nocturna trepidatione) cognoscunt infrequentia armatis signa egressa, prædam prædæque custodes exire, ignobile agmen, & sua quenque molientem, nullo inter alios consensu, nec satis certo imperio. Tempus aggrediendi aptissimum visum est: & iam lux appetebat. itaque signa canere iussit: agménque hostium aggreditur. Samnites præda impediti, infrequentes armati, pars addere gradum, ac præ se agere prædam: pars stare, incerti vtrum progredi, an regredi in castra tutius foret, inter cunctationem opprimuntur. & Romani iam transcenderant vallum: cædéq; ac tumultus erat in castris. Samnitium agmen præterquàm hostili tumultu, captiuorum etiam repentina defectione turbatũ erat: qui partim ipsi soluti vinctos soluebãt: partim arma in sarcinis deligata rapiebãt, tumultúmq; prælio ipso terribiliorem intermisti agmini præbebant: memorandũ deinde edidere facinus: nam Statium Egnatium ducẽ adeuntẽ ordines, hortantémq; inuadunt: dissipatis inde equitibus, qui cũ eo aderant, ipsum circunsistunt: insidentémq; equo captũ ad cos. Romanum rapiunt. Reuocata eo tumultu prima signa Samnitium: præliúmq; iam profligatũ integratũ est, nec diutius sustineri potuit: cæsa ad sex millia hominum: duo millia & quingenti capti. in eis tribuni militum quatuor: signa militaria triginta: & quod lætissimũ victoribus fuit, captiuorũ recepta septẽ millia, & cccc. præda ingens sociorũ: acciti[q]; edicto domini ad res suas noscendas, recipiendásq; præstituta die. quarũ rerum non extitit dominus, militi concessæ: coactiq; vendere prædã, ne alibi quàm in armis animũ haberent. Magnũ ea populatio Campani agri tumultũ Romæ præbuerat. & per eos fortè dies ex Hetruria allatum erat, post deductũ inde Volumnianum exercitum Hetruriam concitã in arma, & Gelium Egnatium Samnitium ducem, & Vmbros ad defectionem vocari, & Gallos pretio ingenti solicitari. His nuntiis senatus conterritus iustitium indici, delectum omnis generis hominum haberi iussit. nec ingenui modò aut iuniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati: & defendendæ vrbis consilia agitabantur: summæque rerum prætor P. Sempronius præerat. cæterùm parte curæ exoner

Volumnij argutum responsum.

Militum clamor in retinendo Volumnio exortus, hostes è castris exciuit.

In Hetruria funditur fugantúrq; hostes: & eorũ castra diripiuntur.

In Samnio noui exercitus depopulantur Romanos fines.

Volumnius Samnites aggreditur.

Egnatius dux Samnitium captus ad Volumnium Cos. ducitur, reliqui hostes cæduntur, aut fugantur.

A exonerarunt senatum Lucii Volumnii cos. literæ, quibus cæsos fusósque populatores Campaniæ cognitum est. Itaque & supplicationes ob rem bene gestam cos. nomine decernunt: iustitium remittitur, quod fuerat dies decem octo: supplicatióque perlata fuit. Tum de præsidio regionis depopulatæ ab Samnitibus, agitari cœptum. itaque placuit, vt duæ coloniæ circa Vestinum & Falernum agrum deducerentur: vna ad hostium Liris fluuii, quæ Minturnæ appellata: altera in saltu Vestino Falernum contingente agrum: vbi Synope dicitur Græca vrbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotium datum est, vt plebiscito iuberetur P. Sempronius prætor triumuiros in ea loca colonis deducendis creare. nec qui nomina darent, facile inueniebantur: quia in stationem se propè perpetuam infestæ regionis, non in agros mitti rebantur. auertit ab eis curis senatum Hetruriæ ingrauescens bellum: & crebræ literæ Appii, monentis, ne regionis eius motum negligerent. quatuor gentes conferre arma, Hetruscos, Samnites, Vmbros, Gallos. iam castra bifariam facta esse, quia vnus locus capere tantam multitudinem non posset. Ob hæc, & iam appetebat tempus, comitiorum causa L. Volumnius cos. Romam reuocatus. qui prius quàm ad suffragium centurias vocaret, in concionem aduocato populo multa de magnitudine belli Hetrusci disseruit. iam tum, cùm ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum, vt nec duce vno, nec exercitu geri potuerit: accessisse postea dici Vmbros, & ingentem exercitum Gallorum. Aduersus quatuor populus duces coss. illo die deligi meminissent. se, nisi confideret eum consensu populi Romani cos. declaratum iri, qui haud dubiè tum primus omnium ductor habeatur, dictatorem fuisse extemplò dicturum. Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur: cúmque & prærogatiuæ, & primo vocatæ omnes centuriæ consulem cum L. Volumnio dicebant. Fabii oratio fuit, qualis biennio antè: deinde vt vincebatur consensu, versa postremò ad collegam P. Decium poscendum. id senectuti suæ adminiculum fore: censura, duobúsque consulatibus simul gestis expertum se nil concordi collegio firmius ad Rempub. tuendã esse. nouo imperii socio vix iam assuescere senilem animum posse: cum moribus notis facilius se communicaturum consilia. Subscripsit orationi eius cos. cùm meritis P. Decii laudibus, tum quæ ex concordia consulum bona, quæque ex discordia mala in administratione rerum militarium euenirent, memorando, quàm propè ad vltimum discrimen suis & collegæ certaminibus nuper ventum foret: admonendo Decium, Fabiúmque, vt vno animo, vna mente viuerent. Esse præterea viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes: ea ingenia consularia esse. callidos solertésque, iuris atque eloquentiæ consultos, qualis Ap. Claudius esset, vrbi ac foro præsides habendos, prætorésque ad reddenda iura creandos esse. His agendis dies est consumptus. postridie ad præscriptum cos. & consularia & prætoria comitia

Supplicationes ob rem bene gestam aduersus Sãnites decernuntur.

Quatuor gẽtes arma cõferebant in Hetruria aduersus Romanos.

Fabius consul creatus P. Deciũ collegã sibi poscit.

B habita. coss. creati, Q. Fabius & P. Decius: Ap. Claudius prætor: omnes absentes. & L. Volumnio ex S. C. & scito plebis prorogatum in annum imperium est. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum auerruncandorum causa supplicationes in biduum senatus decreuit. publicè vinum ac thus præbitũ. supplicatum iere frequentes viri, fœminæque. Insignem supplicationem fecit certamen in sacello Pudicitiæ patriciæ, quæ in foro boario est ad ædem rotundam Herculis, inter matronas ortum. Virginiam Auli filiam, patriciam plebeio nuptam Volumnio cos. matronæ, quòd è patribus enupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit. cùm se Virginia & patriciam & pudicam in patriciæ Pudicitiæ templum ingressam, & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit: nec se viri, honorúmve eius ac rerum gestarum pœnitere, verò gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. in vico Longo, vbi habitabat, ex parte ædium quod satis esset loci modico sacello, exclusit: arámque ibi posuit. & conuocatis plebeiis matronis conquesta iniuriam patriciarum: Hanc ego aram, inquit, Pudicitiæ plebeiæ dedico: vósque hortor, vt quod certamen virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc pudicitiæ inter matronas sit: detísque operam, vt hæc ara, quàm illa, siquid potest, sanctius, & à castioribus coli dicatur. Eodem fermè ritu & hæc ara, quo illa antiquior culta est, vt nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Vulgata dein religio à pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis fœminis, postremò in obliuionem venit. Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Iouis, Iouémque in culmine cum quadrigis, & ad Ficum Ruminalem simulachra infantium conditorum vrbis sub vberibus lupæ posuerunt: semitámque saxo quadrato à Capena porta ad Martis strauerunt. & ab ædilibus plebeiis L. Aelio Pæto, & C. Fuluio Curuo ex mulctaticia item pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti: pateræque aureæ ad Cæreris positæ. Q. inde Fabius quintùm, & P. Decius quartùm, consulatum ineunt: tribus consulatibus, censuráque collegæ, nec gloria magis rerum, quæ ingens erat, quàm concordia inter se clari. quæ ne perpetua esset, ordinum magis, quàm ipsorum inter se certamen interuenisse reor: patriciis tendentibus, vt Fabius Hetruriam extra ordinem prouinciam haberet: plebeiis authoribus Decio, vt ad sortem reuocaret. Fuit certè contentio in senatu. & postquam ibi Fabius plus poterat, reuocata res ad populum est. in concione, vt inter militares viros, & factis potius quàm dictis fretos, pauca verba habita. Fabius, quam arborem conseruisset, sub ea legere alium fructum, indignum esse dicere. se aperuisse Ciminiam syluam, viámque per deuios saltus Romano bello fecisse. Quid se id ætatis solicitassent, si alio duce bellum gesturi essent? Nimirum aduersarium se, non socium imperii legisse sensim exprobrat: & inuidisse Decium concordibus collegiis tribus. Postremò se tendere nihil vltrà, quàm vt, si se dignum prouincia ducerent, in eam mitterent: in senatus arbitrio

Prodigia auerruncandi causa supplicationes decretæ.

Certamen inter matronas ortum.

Ara Pudicitiæ plebeiæ.

Aliquot fœneratores bonis mulctantur.

Inter Fabiũ & Decium orta de prouinciarum partitione contentio.

arbitrio se fuisse, & in potestate populi futurum. P. Decius senatus iniuriam querebatur: quoad potuerint patres annisos, ne plebeiis aditus ad magnos honores esset. A postquam ipsa virtus peruicerit ne in vllo genere hominum inhonorata esset, quæri quemadmodum irrita sint non suffragia modò populi, sed arbitria etiam fortunæ, & in paucorum potestatem vertantur. Omnes ante se consules sortitos prouincias esse: nunc extra sortem Fabio senatum prouinciam dare. Si honoris eius causa, ita eum de se, déque Repub. meritum esse, vt faueat Q. Fabii gloriæ: quæ modò non sua contumelia splendeat. cui autem dubium esse, vbi vnum bellum sit asperum ac difficile, cùm id alteri extra sortem mandetur: quin alter consul pro superuacaneo atqua inutili habeatur? gloriari Fabium rebus in Hetruria gestis: velle & P. Decium gloriari: & forsitan quem ille obrutum ignem reliquerit, ita vt toties nouum ex improuiso incendium daret, eum se extincturum. Postremò se collegæ honores præmiáque concessurum verecundia ætatis eius, maiestatísque cùm periculum, cùm dimicatio proposita sit, neque cedere sua sponte, neque cessurum. & si nihil aliud ex eo certamine tulerit, illud certè laturum, vt quod populi sit, populus iubeat potius, quàm patres gratificentur. Iouem optimum maximum, deósque immortales se precari, vt ita sortem æquam sibi cum collega dent, si eandem virtutem felicitatémque in bello administrando daturi sint. certè id & natura æquum, & exemplo vtile esse: & ad famam populi Romani pertinere, eos consules esse, quorum vtrolibet duce bellum Hetruscum geri rectè posit. Fabins nihil aliud precatus populum, quàm vt prius quàm intro vocarentur ad suffragiũ tribus, Ap. Claudii prætoris allatas ex Hetruria literas audirent, comitio abit. nec minore populi consensu, quàm senatus, prouincia Hetruria extra sortem Fabio decreta est.

Populi consensu prouincia Hetruria extra sortẽ Fabio decernitur.

Concursus inde ad consulem factus omnium ferme iuniorum, & pro se quisque nomina dabant. tanta cupido erat sub eo duce stipendia faciendi. Qua circunfusus turba, Quatuor millia, inquit, peditum, & sexcentos equites duntaxat scribere in animo est. hodierno & crastino die qui nomina dederitis, mecum ducam. maiori mihi curæ est, vt omnes locupletes reducam, quàm vt multis rem geram militibus. Profectus apto exercitu, & eo plus fiduciæ ac spei gerente, quòd non desiderata multitudo erat, ad oppidum Aharnam, vnde haud procul hostes erant, ad castra Appii prætoris pergit. paucis citrà millibus lignatores ei cum præsidio occurrunt, qui vt lictores prægredi viderunt, Fabiúmque esse consulem accepere, læti atque alacres diis populóque Romano gratias agunt, quòd eum sibi imperatorem misissent. Circunfusi deinde cùm consulem salutarent, quærit Fabius quò pergerent. respondentibúsque, lignatum se ire: Ain tandem, inquit, num castra vallata non habetis? ad hoc cum succlamatum esset: duplici quidem vallo, & fossa, & tamẽ in ingenti metu esse: Habetis, igitur, inquit, affatim lignorum: redite, & vellite vallum. Redeunt in castra, terrorémque ibi vellentes vallum & iis, qui in castris remanserant militibus, & ipsi Appio fecerunt. Tum pro se quisque alii aliis dicere, Consulis se Q. Fabii facere iussu. Postero inde die castra mota: & Appius prætor Romam dimissus. B

Fabius Cos. in castra peruenit.

inde nusquam statiua Romanis fuere. negabat vtile esse vno loco sedere exercitum: itineribus, ac mutatione locorum nobiliorem ac salubriorem esse. fiebant autem itinera, quanta fieri sinebat hyems hauddum exacta. Vere inde primo relicta secunda legione ad Clusium, quod Camars olim appellabant: præpositóque castris L. Scipione proprætore, Romam ipse ad consultandum de bello rediit: siue ipse sponte sua, quia bellum ei maius in conspectu erat, quàm quantum esse famæ crediderat: siue senatusconsulto accitus. nam in vtrumque authores sunt.

Fabius ad consultandũ de bello Hetrusco Romam rediit.

Ab Ap. Claudio prætore retractum quidam videri volunt: cum in senatu, & apud populum (id quod per literas asiduè fecerat) terrorem belli Hetrusci augeret. non suffecturum ducem vnum, nec exercitum vnum aduersus quatuor populos. periculosum esse, siue iuncti vnum premant, siue id diuersi gerant bellum, ne ad omnia simul obire vnus non posit, duas se ibi legiones Romanas reliquisse. & minus quinque millia peditum equitúmque cum fabio venisse, sibi placere, P. Decium consulem primo quoque tempore in Hetruriam ad collegam proficisci: L. Volumnio Samnium prouinciam dari. si consul malit in suam prouinciam ire, Volumnium in Hetruriam ad consulem cum exercitu iusto cõsulari proficisci. Cùm magnam partem moneret oratio prætoris, P. Decium censuisse ferunt, vt omnia integra ac libera Q. Fabio seruarentur: donec vel ipse, si per commodum Reip. posset, Romam venisset, vel aliquem ex legatis misisset: à quo disceret senatus, quantum in Hetruria belli esset: quantísque administrandum copiis, & quot per duces esset. Fabius vt Romam rediit: & in senatu, & productus ad populum, mediam orationem habuit. vt nec augere nec minuere videretur belli famam: magísque in altero assumendo duce aliorum indulgere timori, quàm suo, aut Reipub. periculo consulere. Cæterùm si sibi adiutorem belli, sociúmque imperii darent: quónam modo se obliuisci P. Decii consulis per tot collegia experti posse? neminem omnium secum coniungi malle: & copiarum satis sibi cum P. Decio, & nunquam nimium hostium fore. Sin collega quid aliud malit: at sibi L. Volumnium darent adiutorem. Omnium rerum arbitriũ & à populo, & à senatu, & ab ipso collega Fabio permissum est. & cùm Decius se in Samnium, vel in Hetruriam proficisci paratum esse ostendisset, tanta lætitia ac gratulatio fuit, vt præciperetur victoria animis: triumphúsque, non bellum decretum consulibus videretur.

Scriptorum uarietas.

Inuenio apud quosdam, extemplò consulatu inito profectos in Hetruriam Fabium Deciúmque, sine vlla mentione sortis prouinciarum certaminúmque inter collegas, quæ exposui. Sunt quibus ne hæc quidem certamina exponere satis fuerit: adiecerint & Appii criminationes de Fabio absente ad populum, & pertinaciam aduersus præsentem cos. prætoris, contentionémque aliam inter collegas: tendente Decio, vt suæ quisque prouinciæ sortem tueretur. Constare res incipit ex eo tempore, quo profecti ambo coss. ad bellũ sunt.

Senones Galli ad Clusiũ uenerunt.

Cæterùm antequàm coss. in Hetruriam peruenirent, Senones Galli multitudine ingenti ad Clusium venerunt, legionem Romanam castráque oppugnaturi. Scipio qui castris præerat,

A præerat, loco adiuuandam paucitatem suorum militum ratus: in colle qui inter vrbem & castra erat, aciem erexit. Sed, vt in re subita, parũ explorato itinere ad iugum perrexit, quod hostes ceperant parte alia aggressi. Ita cæsa ab tergo legio: atque in medio, cùm hostis vndique vrgeret, circumuenta. Deletam quoque ibi legionem, ita vt nuntius non superesset, quidam authores sunt: nec antè ad consules, qui iam haud procul à Clusio aberant, famam eius cladis perlatam, quàm in conspectu fuere Gallorum equites, pectoribus equorum suspensa gestantes capita, & lanceis infixa, ouantésque moris sui carmine. Sunt qui Vmbros fuisse, non Gallos tradant: nec tantum cladis acceptum: & circumuentis pabulatoribus cum L. Manlio Torquato legato Scipionem proprætorem subsidium è castris tulisse: victorésque Vmbros redintegrato prælio victos esse: captiuósque eis ac prædam ademptam.

Deleta à Gallis legio Romana, ita ut nuntius nõ superesset.

Similius vero est, à Gallo hoste, quàm Vmbro eam cladem acceptam, quòd cùm sæpe aliàs, tum eo anno Gallici tumultus præcipuus terror ciuitatem tennit. Itaque præterquàm quòd ambo consules profecti ad bellum erant cum quatuor legionibus, & magno equitatu Romano, Campanísque mille equitibus delectis ad id bellum missis, & sociorum, nominísque Latini maiore exercitu, quàm Romani: alii duo exercitus haud procul vrbe Hetruriæ oppositi: vnus in Falisco, alter in Vaticano agro. Cn. Fuluius, & L. Posthumius Megillus, proprætores ambo, statiua in eis locis habere iussi. Consules ad hostes transgresso Apennino in agrum Sentinatem peruenerunt. Ibi quatuor millium fermè interuallo castra posita. Inter hostes deinde consultationes habitæ: atque ita conuenit, vt ne vnis castris miscerentur omnes, néve in aciem descenderent simul. Samnitibus Galli, Hetruscis Vmbri adiecti. dies indicta pugnæ: Samniti Gallísque delegata pugna: inter ipsum certamen Hetrusci Vmbríque iussi castra Romana oppugnare. Hæc consilia turbarunt transfugæ Clusini tres, clàm nocte ad Fabium consulem transgressi. qui editis hostium consiliis dimissi cum donis, vt subinde vt quæque res noua decreta esset, exploratam perferrent. consules Fuluio, vt ex Falisco: Posthumio, vt ex Vaticano exercitum ad Clusium admoneant, summáque vi fines hostium depopulentur, scribunt.

Hostiũ cõsilia produntur à transfugis tribus Clusinis.

Huius populationis fama Hetruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos mouit. instare inde consules, vt absentibus iis pugnaretur. per biduum lacessiere prælio hostem. biduo nihil dignum dictu actum. pauci vtrinque cecidere: magísque iritati sunt ad iustum certamen animi, quàm ad discrimen summa rerum adducta. tertio die descensum in campum omnibus copiis est. Cùm instructæ acies starent, cerua fugiens lupum è montibus exacta per campos inter duas acies decurrit: inde diuersæ feræ, cerua ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via, ceruam Galli cõfixere. Tum ex antesignanis Romanus miles, Illac fuga, inquit, & cædes vertit, vbi sacram Dianæ feram iacentem videtis: hinc victor Martius lupus, integer & intactus, gentis nos Martiæ & conditoris nostri admonuit.

Portentum lupi & ceruæ.

B Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterunt. aduersus Samnites Fabius primam ac tertiam legiones pro dextro cornu, aduersus Gallos pro sinistro Decius quintam & sextam instruxit. secunda & quarta cum L. Volumnio proconsule in Samnio gerebãt bellum.

Aduersus Sãnites Fabius, aduersus Gallos Decius

Primo concursu adeò æquis viribus gesta res est, vt, si affuissent Hetrusci & Vmbri, aut in acie, aut in castris, quócunque se inclinassent, accipienda clades fuerit. cæterùm quanquam communis adhuc Mars belli erat: necdum discrimen fortuna fecerat, quà datura vires esset, haudquaquam similis pugna in dextro. læuóque cornu erat: Romani apud Fabium arcebant magis, quàm inferebant pugnam: extrahebatúrque in quàm maximè serum diei certamen: quia ita persuasum erat duci, & Samnites & Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit: longiore certamine sensim residere Samnitium animos: Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fluere, primáque eorum prælia plusquàm virorum, postrema minus quàm fœminarum esse.

Gallos primo impetu feroces esse.

In id tempus igitur, quo vinci solebat hostis, quàm integerrimas vires militi seruabat. Ferocior Decius & ætate & vigore animi, quantumcunq; virium habuit, certamine primo effudit: & quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat: & ipse fortissimæ iuuenum turmæ immistus orat proceres iuuentutis, vt secum in hostem impetum faciant: duplicem illorum gloriam fore, si ab læuo cornu, & ab equite victoria incipiat. Bis auertère Gallicum equitatum. iterum longius euectos, & iam inter media equitum agmina prælium cientes, nouum pugnæ conterruit genus: essedis carrísque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarúmque aduenit, & insolitos eius tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pauor dissipat: sternit inde ruentes equos virósq; improuida fuga. turbata hinc etiam signa legionum: multíque impetu equorum, ac vehiculorum raptorũ per agmen, obtriti antesignani: & insecuta, simul territos hostes vidit, Gallica acies nullum spatium respirandi recipiendíque se dedit.

Essedis carruq; superstans armatus Gallus Romanorũ equos cõterruit, et in fugam uertit.

Vociferare Decius, quo fugerent? quámve in fuga spem haberent? obsistere cedentibus, ac reuocare fusos. deinde vt nulla vi perculsos sustinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans, Quid vltra moror, inquit, familiare fatum? datum hoc nostro generi est, vt luendis periculis publicis piacula simus. iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri ac diis Manibus dabo. Hæc locutus, M. Liuium Pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, præire iussit verba, quibus se legionésque hostium pro exercitu populi Romani Quiritium deuoueret. deuotus inde eadem precatione, eodémque habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat deuoueri: cùm secundum solennes precationes adiecisset, præ se agere sese formidinem ac fugam, cædémque ac cruorem: cælestium, infernorum iras: contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium, locúmque eundem suæ pestis, & Gallorum ac Samnitium, fore: hæc execratus in se, hostésque, quà confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: inferénsque se ipse, infestis telis interfectus est. Vix humanæ inde opis videri pugna potuit. Romani duce amisso, quæ res

P. Decius se pro exercitu Romano dijsmanibus deuouet.

Romani fi-stunt fugam duce amisso.

terrori aliàs esse solet, sistere fugam, ac nouam de integro velle instaurare pugnam. Galli, & maximè globus circunstans consulis corpus, velut alienata mente vana incassum iactare tela, torpere quidam, & nec pugnæ meminisse, nec fugæ. At ex parte altera pontifex Liuius, cui lictores Decius tradiderat, iusseratque proprætorem esse, vociferari, vicisse Romanos, defunctos consulis fato: Gallos Samnitésque Telluris matris ac deorum Manium esse: rapere ad se ac vocare Decium deuotam secum aciem: furiarúmque ac formidinis plena omnia ad hostes esse. Superueniunt deinde his restituentibus pugnam Cornelius Scipio & C. Martius, cum subsidiis ex nouissima acie iussu Q. Fabii consulis ad præsidium collegæ missi. ibi auditur P. Decii euentus, ingens hortamen ad omnia pro Republica audenda. itaque cum Galli structis ante se scutis conferti starent, nec facilis pede collato videretur pugna, iussu legatorum collecta humi pila, quæ strata inter duas acies iacebant, atque in testudinem hostium coniecta. quibus plerisque in scuta, plerisque verutis in corpora ipsa fixis, sternitur cuneus: ita, vt magna pars integris corporibus attoniti conciderent. hæc in sinistro cornu Romanorum fortuna variauerat. Fabius in dextro cornu primò (vt antè dictum est) cunctando extraxerat diem: deinde, postquam nec clamor hostium, nec impetus, nec tela missa eandem vim habere visa, præfectis equitum iussis ad latus Samnitium circumducere alas, vt signo dato in transuersos quanto maximo possent impetu incurrerent, sensim suos signa inferre iussit, & commouere hostem. Postquàm non resisti vidit, & haud dubiam lassitudinem esse: tum collectis omnibus subsidiis, quæ ad id tempus reseruauerat, & legiones concitauit, & signum ad inuadendos hostes equitibus dedit. Nec sustinuerunt

Samnites re lictis in di-micatione Gallis, in ca-stra confu-giunt.

Samnites impetum, prÆterque aciem ipsam Gallorum, relictis in dimicatione sociis, ad castra effuso cursu ferebantur. Galli testudine facta conferti stabant. Tum Fabius audita morte collegæ, Campanorum alam, quingentos ferè equites excedere acie iubet: & circumuectos à tergo Gallicam inuadere aciem: tertiæ deinde legionis subsequi principes, & quà turbatum agmen hostium viderent, impetu equitum instare, ac territos cædere. Ipse ædem Ioui Victori, spoliáque hostium cùm vouisset, ad castra Samnitium perrexit: quò multitudo omnis consternata agebatur. sub ipso vallo, quia tantam multitudinem portæ non recepere, tentata ab exclusis turba suorum pugna est. ibi Gelius Egnatius

Samnitiū ca-stra diripiū-tur.

imperator Samnitium cecidit. compulsi deinde intra vallum Samnites: paruóque certamine capta castra: & Galli à tergo circumuenti. Cæsa eo die hostium x x v. millia, octo capta. nec incruenta victoria fuit. nam ex P. Decii exercitu cæsa septem millia. ex Fabii, mille ac ducenti. Fabius dimissis ad

Spolia ho-stiū Ioui Vi-ctori cremā-tur.

quærendum collegæ corpus, spolia hostium cōiecta in aceruum Ioui Victori cremauit. Consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inueniri non potuit. postero die inuentum, relatúmque est cum multis militum lacrymis. Intermissa inde omnium aliarum rerum cura, Fabius collegæ funus omni honore, laudibúsque meritis celebrat. Et in Hetruria per eos dies ab Cn. Fuluio proprætore res ex sententia gesta: & præter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnatum etiam egregiè est: Perusinorúmque & Clusinorum cæsa amplius tria millia: & signa militaria ad viginti capta. Samnitium agmen cum per Pelignum agrum fugeret, circumuentum à Pelignis est. ex millibus quinq; ad mille cæsi. Magna eius diei, quo in Sentinati agro bellatum fama est, etiam vero stanti. Sed superiecere quidam augendo fidem: qui in hostium exercitu peditum quadraginta millia, c c c x x x. equitum sex & quadraginta millia, mille carpentorum scripsere fuisse: scilicet cum Vmbris, Thuscísque: quos & ipsos pugnæ affuisse. & vt Romanorum quoque augerent copias, L. Volumnium proconsulem ducem, consulibus, exercitúmque eius legionibus consulum adii-

Volumnius procōsul in Samnio feli-citer res ge-rit.

ciunt. In pluribus annalibus duorum ea cōsulum propria victoria est. Volumnius in Samnio interim res gerit, Samnitiúmque exercitum in Tifernum montem compulsum, non deterritus iniquitate loci fundit, fugátque. Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Hetruria, suis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis Hetruscísque ac Samnitibus triumphauit. milites triumphantem secuti sunt. celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabii, quàm mors præclara P. Decii est: exci-

Q. Fabius de Gallis, Hetruscis ac Samnitibus triūphauit.

† Val. 39. solid. circi-ter.

tatáque memoria parentis, æquata euentu publico priuatóque filii laudibus. Data ex præda militibus † æris octogeni bini, ságáque, & tunicæ, præmia illa tempestate militiæ haudquaquam spernenda. His ita rebus gestis, nec in Samnitibus adhuc, nec in Hetruria pax erat. nam & Perusinis authoribus post deductum ab consule exercitum rebellatum fuerat: & Samnites prædatum in agrum Vestinum Formianúmque, & parte alia in Esernunium, quæque Vulturno adiacent flumini, descendere. Aduersus eos Ap. Claudius prætor cum exercitu Deciano missus. Fabius in Hetruria rebellante denuo quatuor

Fabius qua-tuor millia & quingen-tos Perusino-rum occidit.

millia & quingentos Perusinorū occidit: cepit ad mille septingentos quadraginta: qui redempti singuli æris trecentis decem. præda alia omnis militibus concessa. Samnitium legiones cùm partim Ap. Claudius prætor, partim L. Volumnius proconsul sequeretur, in agrum Stellatem conuenerunt. ibi & Samnitium legiones omnes considunt, & Appius Volumniúsque castra coniungunt. pugnatum infestissimis animis, hinc ira stimulante aduersus rebellantes toties: illinc ab vltima iam dimicantibus spe. Cæsa ergo Samnitium x v i millia trecenti, capta duo millia septingenti. ex Romano exer-

Cæsa Sam-nitium sede-cim millia, trecenti.

citu cecidère duo millia septingenti. Felix annus bellicis rebus, pestilentia grauis, prodigiísque sollicitus. nam & terram multifariam pluisse, & in exercitu Appii Claudii plerosque fulminibus ictos, nuntiatum est: librique ob hæc aditi. Eo anno Q. Fabius Gurges consulis filius aliquot matronas ad

Epilogus bellorū cum Samnitibus gestorum.

populum stupri damnatas pecunia mulctauit, ex quo mulctatitio ære Veneris ædem, quæ propè Circum est, faciendam curauit. Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum iam volumen, annúmque sextum & quadragesimum à M. Valerio, A. Cornelio consulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus. & ne tot annorum clades vtriusque gentis, laborésque actos nunc referam,

A referam. quibus nequiuerint tamen dum illa pectora vinci: proximo anno Samnites in Sentinati agro, Pelignis, ad Tifernum, Stellatibus campis, suis ipsi legionibus, misti alienis, ab quatuor exercitibus, quatuor ducibus Romanis cæsi fuerant: imperatorem clarissimum gentis suæ amiserant: socios belli Hetruscos, Vmbros, Gallos, in eadem fortuna videbant, qua ipsi erant, nec suis, nec externis viribus iam stare poterant, tamen bello non abstinebant. adeò ne infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat: & vinci, quàm non tentare victoriam, malebant. quínam sit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum scribendo, legendóque, quæ gerentes non fatigauerunt? Q. Fabium, P. Decium, L. Posthumius Megillus & M. Attilius Regulus consules secuti sunt. Samnium ambobus decreta prouincia est, quia tres scriptos hostium exercitus, vno Hetruriam, altero populationem Campaniæ repeti, tertium tuendis parari finibus fama erat. Posthumium valetudo aduersa Romæ tenuit. Attilius cum exercitu extemplò profectus, vt in Samnio hostes (ita enim placuerat patribus) nondum egressos opprimeret, velut ex composito ibi obuium habuere hostem: vbi & intrare, nedum vastare ipsi Samnitium agrum prohiberentur: & egredi inde in pacata, sociorúmque populi Romani fines Samnites prohiberent. cùm castra castris collata essent, quod vix Romanus toties victor auderet, ausi Samnites sunt (tantum desperatio vltima temeritatis facit) castra Romana oppugnare. & quanquam non venit ad finem tam audax inceptũ, tamen haud omnino vanum fuit. Nebula erat ad multum diei, densa adeò, vt lucis vsum eriperet, non prospectu modò extra vallum adempto, sed propinquo etiam cõgredientium inter se conspectu. hac velut latebra insidiarum freti Samnites, vix dum satis certa luce, & eam ipsam premente caligine, ad stationem Romanam in porta segniter agentem vigilias perueniũt. Improuisò oppressis, nec animi satis ad resistendum, nec virium fuit. ab tergo castrorũ Decumana porta impetus factus. itaque captum quæstorium: quæstórque ibi L. Opimius Pansa occisus. conclamatum inde ad arma. Consul tumultu excitus, cohortes duas sociorum, Lucanam Suessanámq;, quæ proximæ fortè erant, tueri prætorium iubet: manipulos legionum principali via inducit. vix dum satis aptatis armis in ordines eunt: & clamore magis quàm oculis hostem noscunt: nec quantus numerus sit, æstimari potest. cedunt primò incerti fortunæ suæ. & hostem introrsum in media castra accipiunt. inde cum consul vociferaretur, expulsíne extra vallum castra deinde sua oppugnaturi essent, rogitans: clamore sublato connixi primò resistunt: deinde inferunt pedem, vrgéntque: & impulsos semel terrore eodem agunt, quo cœperunt: expellunt extra portam, vallúmque: inde pergere, ac persequi, quia turbida lux metum circà insidiarum faciebat, non ausi, liberatis castris contenti receperunt se intra vallum, trecentis fermè hostium occisis. Romanorum stationis primæ, vigilúmque, & eorum qui circa quæstorium oppressi, periêre ad ducentos triginta. Animos inde Samnitibus non infelix audacia auxit: & non modò proferre inde castra Romanum, sed ne pabulari quidem per agros suos patiebãtur. retro in pacatum Soranum agrum pabulatores ibant. Quarũ rerum fama tumultuosior etiam, quàm res erant, perlata Romam, coegit L. Posthumium cos. vix dum validum proficisci ex vrbe: prius tamen quàm exiret, militibus edicto Soram iussis conuenire. Ipse ædem Victoriæ, quam ædilis curulis ex mulctatitia pecunia faciendam curauerat, dedicauit. Ita ad exercitum profectus ab Sora in Samnium ad castra collegæ perrexit. inde postquam Samnites diffisi duobus exercitibus resisti posse recesserunt: diuersi coss. ad vastandos agros, vrbésq; oppugnandas discedunt. Posthumius Milioniam oppugnare adortus vi primò, atq; impetu: deinde postquam ea parum procedebant, opere, ac vineis demum iniunctis muro cepit. ibi capta iam vrbe ab hora quarta vsque ad octauam ferè horam, omnibus partibus vrbis diu incerto euentu pugnatũ est. postremò potitur oppido Romanus. Samnitium cæsi tria millia ducenti: capti quatuor millia cc. præter prædam aliam. Inde Ferentinum ductæ legiones: vnde oppidani cum omnibus rebus suis, quæ ferri agíque potuerunt, nocte per auersam portam silentio excesserunt. Igitur simul aduenit cos. primò ita compositus instructúsq; mœnibus successit, tanquam idem, quod ad Milioniam fuerat, certaminis foret: deinde vt silentium vastum in vrbe, nec arma nec viros in turribus ac muris vidit, auidum inuadendi deserta mœnia militẽ detinet: ne quam occultam in fraudem incautus rueret, duas turmas sociorum Latini nominis circumequitare mœnia, atque explorare omnia iubet. equites portam vnam alterámq; eadem regione in propinquo patentes conspiciunt, itineribúsque iis vestigia nocturnæ hostium fugæ, adequitant deinde sensim portis: vrbémque ex tuto rectis itineribus peruiam conspiciunt: & consuli referunt, excessum vrbe: solitudine haud dubia id perspicuum esse, & recentibus vestigiis fugæ, ac strage rerum in trepidatione nocturna passim relictarũ. His auditis cos. ad eam partem vrbis, quam adierant equites, circunducit agmen: constitutísq; haud procul porta signis, quinque equites iubet intrare vrbem: & modicum spatiũ progressos tres manere eodem loco, si tuta videantur: duos explorata ad se referre. Qui vbi redierunt, retulerúntq: eò se progressos, vnde in omneis partes circunspectus esset, longe latéq; silentium ac solitudinem vidisse: extemplò cos. cohortes expeditas in vrbem induxit: cæteros interim castra communire iussit. Ingressi milites refractis foribus paucos graues ætate, aut inualidos inueniunt, relictáq; quæ migratu difficilia essent. ea direpta: & cognitum ex captiuis est, communi consilio aliquot circa vrbes conscisse fugam, suos prima vigilia profectos, credere eandem in aliis vrbibus solitudinem inuenturos. Dictis captiuorum fides extitit: desertis oppidis cos. potitur. Alteri cos. M. Attilio nequaquam tam facile bellum fuit. cùm ad Luceriam duceret legiones, quã oppugnari ab Samnitibus audierat: ad finem Lucerinum ei hostis obuius fuit. ibi ira vires æquauit. prælium varium & anceps fuit, tristius tamen euentu Romanis: & quia insueti erant vinci: & quia digredientes magis quàm in ipso certamine senserunt, quantum in sua parte plus vulnerum ac cædis fuisset. Itaque is terror in castris

Samnites castra Romana oppugnant.

Quæstoriũ captum, & quæstor occisus à Samnitibus.

Samnites è Romanorũ castris expulsi.

B

Sãnites aduentu Posthumij cos. discessere.

Milioniam Samnitium oppidum expugnauit Posthumius.

Ferentinum à Samnitibus desertũ Posthumius ingreditur.

Ad fines Lucerinos ancipiti prælio pugnatũ cum Samnitibus duce Attilio cos.

A ortus,qui si pugnantes cepisset,insignis accepta clades foret.tum quoque solicita nox fuit, iam inuasurum castra Samnitem credentibus, aut prima luce cum victoribus conserendas manus.Minus cladis,cæterùm non plus animorum ad hostes erat. vbi primùm illuxit, abire sine certamine cupiunt. Sed via vna,& ea ipsa præter hostes, erat : quam ingressi præbuere speciem rectà tendentium ad castra oppugnanda.Cos.arma capere milites iubet,& sequi se extra vallum : legatis, tribunis,præfectis sociorum imperat, quod apud quenque facto opus est. Omnes affirmant se quidem omnia facturos, sed militum iacère animos : tota nocte inter vulnera, & gemitus morientium vigilatum esse : si ante lucem ad castra ventum foret, tantum pauoris fuisse, vt relicturi signa fuerint : nunc pudore à fuga

Attilius militem arma capere cunctantem increpat.

contineri, alioquin pro victis esse. Quæ vbi consul accepit,sibimetipsi circumeundos alloquendósq; milites ratus, vt ad quosque venerat, cunctantes arma capere, increpabat. quid cessarent, tergiuersarentúrque? hostem in castra venturum, nisi illi extra castra exissent : & pro tentoriis suis pugnaturos, si pro vallo nollent. armatis ac dimicantibus dubiam victoriam esse : qui nudus atque inermis hostem maneat, ei aut mortem, aut seruitutem patiendam. Hæc iurganti increpantíque respondebant,confectos se pugna hesterna esse : nec virium quicquam, nec sanguinis superesse. maiorem multitudinem hostium apparere,quàm pridie fuerit.Inter hæc appropinquabat agmen : & iam breuiore interuallo certiora intuentes, vallum secum portare Samnitem affirmant : nec dubium esse, quin castra circumuallaturi sint. Tunc enimuero c o s.indignum facinus esse vociferari,tantam contumeliam ignominiámque ab ignauissimo accipi hoste. Etiámne circumsedebimur,inquit,in castris, vt fame potius per ignominiam, quàm ferro, si necesse est, per virtutem moriamur? Dii bene verterent : faceréntque quod se dignum quisque ducerent. c o s. M.Attilium vel solum, si nemo alius sequatur,iturum aduersus hostes : casurúmque inter signa Samnitium potius, quàm circumuallari castra Romana videat.Dicta consulis,legati,tribuniq;,& omnes turmæ equitum,& centuriones primorũ ordinũ approbauere.tum pudore victus miles segniter arma capit,segniter è castris egreditur:longo agmine,nec cõtinenti,mœsti ac propè victi procedunt versus hostẽ,nec spe,nec animo certiorem. itaq; simul conspecta sunt Romana signa,extemplò à primo Samnitiũ agmine ad nouissimũ fremitus perfertur : exire, id quod timuerint,ad impediendum iter Romanos : nullam inde ne fugæ quidem patère viam : illo loco aut cadendum esse,aut stratis hostibus per corpora eorum euadendum.in me-

Sãnites instruũt aciẽ.

dio sarcinas coniiciunt : armati suis quisq; ordinibus instruunt aciem. Iam exiguum inter duas acies erat spatium·& stabant expectantes dum ab hostibus prius impetus, prius clamor inciperet : neutris animus est ad pugnandum.Diuersique integri atque intacti abissent, ni cedenti instaturum alterum timuissent. sua sponte inter inuitos tergiuersantésque segnis pugna, clamore incerto atque impari,
B cœpit : nec vestigio quisquam mouebatur.Tum c o s.Romanus vt rem excitaret, equitum paucas turmas extra ordinem immisit : quorum cùm plerique delapsi ex equis essent, & alii turbati, & ab Samnitium acie ad opprimendos eos qui ceciderant,& ad suos tuendos ab Romanis procursum est. Inde paululum iritata pugna est,sed aliquanto & impigrè magis,& plures procurrerant Samnites:& turbatus eques sua ipse subsidia territis equis proculcauit. hinc fuga cœpta totam auertit aciem Romanam.Iámque in terga fugientium Samnites pugnabant,cùm c o s.equo præuectus ad portam castrorum,ac statione equitum ibi opposita , edictóque vt quicunque ad vallum tenderet, siue ille Ro-

Attilius ad fugiẽtes milites.

manus,siue Samnis esset,pro hoste haberetur : hæc ipsa minitans, obstitit profuse tendentibus suis in castra. Quò pergis,inquit,miles?& hic arma & viros inuenies;nec viuo c o s.tuo nisi victor castra intrabis.proinde elige,cum ciue,an hoste pugnare malis.Hæc dicente c o s.equites infestis cuspidibus circumfunduntur,ac peditem in pugnam redire iubent.Non virtus solùm c o s.sed fors etiam adiuuit.quòd non institerunt Samnites, spatiúmque circumagendi signa, vertendíque aciem à castris in hostem fuit.Tum alii alios hortari, vt repeterent pugnam : centuriones ab signiferis rapta signa inferre:& ostendere suis,paucos & ordinibus incompositis effuse venire hostes.Inter hæc c o s.manus ad cælum attollens,voce clara,ita vt exaudiretur,templum Ioui Statori vouet,si cõstitisset à fuga Romana acies,redintegratóque prælio cecidisset vicissétque legiones Samnitium.omnes vndique annisi ad restituendam pugnam,duces,milites, peditum equitúmque vis.numen etiam deorum respexisse nomen Romanum visum,adeò facilè inclinata res,repulsique à castris hostes : mox etiam redacti ad eum locum,in quo commissa pugna erat.Ibi obiacente sarcinarum cumulo, quas coniecerant in medium,hæsere impediti:deinde ne diriperentur res,orbem armatorum sarcinis circundant.Tum verò

Sãnites cæsi captique. Capti sub iugũ missi.

eos à fronte vrgere pedites,ab tergo circumuecti equites.ita in medio cæsi,captiq;. Captiuorum numerus fuit septẽ millia c c c,qui omnes nudi sub iugum missi.cæsos retulere ad quatuor millia octingentos.Ne Romanis quidem læta victoria fuit.recensente c o s.biduo acceptam cladem, amissorum militum numerus relatus septem millia trecenti.Dum hæc in Apulia gerebãtur,altero exercitu Samnites Interamnam coloniam Romanam,quæ via Latina est,occupare conati, vrbem non tenuerunt: agros depopulati, cum prædam aliam inde mistam hominum atque pecudum , colonósque captos agerent,in victorem incidunt c o s.ab Luceria redeuntem:nec prædam solùm amittunt, sed ipsi longo ac impedito agmine incompositi cæduntur.Consul Interamnam,edicto dominis ad res suas noscendas recipiendásque reuocatis, & exercitu ibi relicto, comitiorum causa Romam est profectus.

Attilio de triũpho agenti negatur honos.

Cui de triumpho agenti negatus honos,& ob amissa tot millia militũ,& quòd captiuos sine pactione sub iugum misisset.C o s.alter Posthumius,quia in Samnitibus materia belli deerat,in Hetruriam traducto exercitu primùm peruastauerat Volsiniensem agrum : deinde cum egressis ad tuendos fines haud procul mœnibus ipsorum depugnat.duo millia c c.Hetruscorum cæsi : cæteros propinquitas

vrbis

A vrbis tutata est. In Rosellanum agrum exercitus traductus: ibi non agri tantum vastati, sed oppidum etiam expugnatum: capta amplius duo millia hominum, minus duo millia circa muros cæsa. Pax tamen clarior maiórque, quàm bellum in Hetruria eo anno fuerat, parta est. tres validissimæ vrbes, Hetruriæ capita, Volsinii, Perusia, Arretium, pacem petiere: & vestimentis militum, frumentóque pacti cum cos. vt mitti Romam oratores liceret, inducias in quadraginta annos impetrauerunt. mulcta præsens † quingentûm milliû æris in singulas ciuitates imposita. Ob hasce res gestas consul cùm triumphum ab senatu moris magis causa, quàm spe impetrandi petisset: viderétque alios, quòd tardius ab vrbe exisset: alios, quòd iniussu senatus ex Samnio in Hetruriam transisset: partim suos inimicos, partim collegæ amicos, ad solatium æquatæ repulsæ sibi quoque negare triumphum: Non ita, inquit, patres conscripti vestræ maiestatis meminero, vt me consulem esse obliniscar: eodem iure imperii, quo bella gessi, bellis feliciter gestis, Samnio atque Hetruria subactis, victoria & pace parta triumphabo. Ita senatum reliquit. Inde inter tribunos plebis contentio orta est. pars intercessuros, ne nouo exemplo triumpharet, aiebant: pars auxilio se aduersus collegas triumphanti futuros. Iactata res ad populum est: vocatúsque eò consul, cum L. Horatium, Marcum Valerium consules, C. Martium Rutilium nuper, patrem eius qui tunc censor esset, non ex authoritate senatus, sed iussu populi triumphasse diceret: adiiciebat se quoque laturum fuisse ad populum, ni sciret mancipia nobilium tribunos plebis legem impedituros: voluntatem sibi ac fauorem consentientis populi pro omnibus iussis esse, ac futuram: posteróque die auxilio tribunorum plebis trium aduersus intercessionem VII tribunorum, & consensum senatus, celebrante populo diem, triumphauit. Et huius anni parum constans memoria est. Posthumium, author est Claudius, in Samnio captis aliquot vrbibus, in Apulia fusum fugatúmque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum: ab Attilio in Hetruria res gestas: eúmque triumphasse. Fabius ambos coss. in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit. traductúmque in Hetruriam exercitum: sed ab vtro cos. non adiecit: & ad Luceriam vtrinque multos occisos: inque ea pugna Iouis Statoris ædem votam, vt Romulus antè vouerat: sed fanum tantum, id est locus templo effatus iam sacratus fuerat. Cæterùm hoc demum anno, vt ædem etiam fieri senatus videret, bis eiusdem voti damnata Respublica in religionem venit. Sequitur hunc annum & cos. insignis, L. Papyrius Cursor quà paterna gloria, quà sua: & bellum ingens, victoriáque quantam de Samnitibus nemo ad eam diem, præter L. Papyrium patrem cos. pepererat. & fortè eodem conatu apparatúque omni opulentia insignium armorum bellum adornauerant: & opes deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus, delectu per omne Samnium habito noua lege: vt qui iuniorum non conuenisset ad imperatorium edictum, quíque in-

B iussu abisset, caput Ioui sacratum erat. tum exercitus omnis Aquiloniam est indictus. ad quadraginta millia militum, quod roboris in Samnio erat, conuenerunt. ibi mediis ferè castris locus est conseptus cratibus, pluteísque & linteis contectus, patens ducentos maximè pedes in omnes pariter partes. Ibi ex libro vetere linteo lecto sacrificatum sacerdote Ouio Paccio quodam, homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione: qua quondam vsi maiores eorum fuissent, cùm adimendæ Hetruscis Capuæ clandestinum cepissent consilium. Sacrificio perfecto per viatorem imperator acciri iubebat nobilissimum quenque genere factísque. singuli introducebantur. erat cùm alius apparatus sacri, qui perfundere religione animum posset: tum in loco circà omni contecto aræ in medio, victimæque circà cæsæ, & circunstantes centuriones strictis gladiis. admouebatur altaribus miles, magis vt victima, quàm vt sacri particeps: adigebatúrque iureiurando, quæ visa auditáque in eo loco essent, non enuntiaturum. dein iurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque & stirpis composito, nisi isset in prælium, quò imperatores duxissent: & si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplò occidisset. Id primò quidem abnuentes iuraturos se, obtruncati circa altaria sunt: iacentes deinde inter stragem victimarum, documento cæteris fuere ne abnuerent. Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore, eis dictum vt vir virum legerent: donec sexdecim millium numerum confecissent. ea legio linteata ab integumento consepti, quo sacrata nobilitas erat, appellata est. his arma insignia data, & cristatæ galeæ, vt inter cæteros eminerent. Paulo plus viginti millium alius exercitus fuit, nec corporum specie, nec gloria belli, nec apparatu linteatæ legioni dispar. hic hominum numerus, quod roboris erat, ad Aquiloniam consedit. Coss. profecti ab vrbe: prior Sp. Caruilius, cui veteres legiones, quas M. Attilius superioris anni cos. in agro Interamnati reliquerat, decretæ erant, cum eis in Samnium profectus, dum hostes superati superstitionibus concilia secreta agunt, Amiternum oppidum de Samnitibus vi cepit. cæsa ibi millia hominum duo fermè atque octingenti: capta quatuor millia ducenti septuaginta. Papyrius nouo exercitu (ita decretum erat) scripto, Duroniam vrbem expugnauit: minus quàm collega cepit hominum, plus aliquanto occidit: præda opulenta vtrobique est parta. Inde peruagati Samnium coss. maximè depopulato Atinate agro, Caruilius ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam vbi summa rei Samnitium erat, peruenit. ibi aliquandiu nec cessatum ab armis est, neque grauiter pugnatum: lacessendo quietos, resistentibus cedendo, comminandóque magis quàm inferendo pugnam dies absumebatur. quod cùm inciperetur, remitteretúrque, omnium rerum etiam paruarum euentus proferebatur in dies. Altera Romana castra viginti millium spatio aberant: & absentis collegæ consilia omnibus gerendis intererant rebus: intentiórque Caruilius, quo maiore discrimine res vertebatur in Aquiloniam, quàm ad Cominium, quod obsidebat, erat. L. Papyrius iam per omnia ad dimicandum satis paratus, nuntium

Posthumius Cos. prosperè in Hetruria res gerit.

Volsinij, Perusia & Arretium Hetruriæ capita pacem petiere.

† Val. 5000 coron.

Posthumius ad patres cōscriptos ob negatū sibi triumphum.

Scriptorum varietas.

Summo conatu & apparatu Samnites bellum adornant.

Superstitioso quodā sacramēti ritu initiātur Samnites.

Caruilius Cos. Amiternū cepit.

Papyrius cōsul Duroniā expugnauit.

ad collegam mittit: sibi in animo esse, postero die, si per auspicia liceret, confligere cum hoste: opus A esse & illum quanta maxima vi posset, Cominiunr oppugnare: ne quid laxamenti sit Samnitibus ad subsidia Aquiloniam mittenda, diem ad proficiscendum nuntius habuit: nocte rediit, approbare collegam consulta referens.

Papyrius milites suos alloquitur, de Samnitium apparatu disserens.

Papyrius nuntio misso extemplò concionem habuit: multa de vniuerso genere belli, multa de præsenti hostium apparatu vana magis specie, quàm efficaci ad euentum, disseruit. Non enim cristas vulnera facere: & per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum: & candore tunicarum fulgentem aciem, vbi res ferro geratur, cruentari. Auream olim atque argenteam Samnitium aciem à parente suo occidione occisam: spoliáque ea honestiora victori hosti, quàm ipsis arma fuisse. Datum hoc nomini familiæque suæ, vt aduersus maximos conatus Samnitium opponerentur duces: spoliáq; ea referrent, quæ insignia publicis etiam locis decorandis essent. Deos immortales adesse propter toties petita fœdera, toties rupta: tum si quà coniectura mentis diuinæ sit, nulli vnquam exercitui fuisse infestiores, quàm qui nefando sacro mistà hominum pecudúmq; cæde respersus, ancipiti deûm iræ deuotus, hinc fœderum cum Romanis ictorum testes deos, hinc iurisiurandi aduersus fœdera suscepti execrationes horrens, inuitus iurauerit, oderit sacramentum, vno tèmpore deos, ciues, hosteis metuat. Hæc comperta perfugarum indiciis cùm apud infensos iam sua sponte milites disseruisset:

Papyrianus miles auidus pugnæ.

simul diuinæ humanæque spei pleni, clamore consentienti pugnam poscunt: pœnitet in posterum diem dilatum certamen, moram diei noctísque oderunt. Tertia vigilia noctis iam relatis literis à collega Papyrius silentio surgit, & pullarium in auspicium mittit. Nullum erat genus hominum in castris intactum cupiditate pugnæ: summi infimíque æquè intenti erant: dux militum, miles ducis ardorem spectabat. Is ardor omnium etiam ad eos qui auspicio intererant, peruenit. nam cùm pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum COS. nuntiauit. COS. lætus, auspicium egregium esse, & deis authoribus rem gesturos, pronuntiat: signúmque pugnæ proponit. Exeunti iam in aciem nuntiat perfuga, viginti cohortes Samnitium (quadringenariæ fermè erant) Cominium profectas. quod ne ignoraret collega, extemplò nuntium mittit: ipse signa ocyus proferri iubet, subsidiáque suis quæque locis, & præfectos subsidiis attribuerat. Dextro cornu L. Volumniũ, sinistro L. Scipionem, equitibus legatos alios, C. Ceditium & Trebonium præfecit. Sp. Nautium mulos detractis clitellis cum cohortibus alaribus in tumulum conspectum properè circumducere iubet, atque inde inter ipsam dimicationem quanto maximè posset moto puluere ostendere.

Altercatio inter pullarios exorta.

Dum his intentus imperator erat, altercatio inter pullarios orta de auspicio eius diei, exauditáque ab equitibus Romanis, qui rem haud spernendam rati, Sp. Papyrio fratris filio consulis ambigi de auspicio renuntiauerunt. Innenis ante doctrinam deos spernentem natus, rem inquisitam ne quid incompertum deferret, ad consulem detulit. cui ille: Tu quidem B macte virtute diligentiáque esto: cæterùm qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semetipsum religionem recipit: mihi quidem tripudium nuntiatum, populo Romano exercituiq; egregium auspicium est. centurionibus deinde imperauit, vt pullarios inter prima signa constituerent. Promouent & Samnites signa, insequitur acies ornata, armatáque, vt hostium quoque magnificum spectaculum esset. Priusquam clamor tolleretur, concurreretúrque, emisso temere pilo ictus pullarius ante signa cecidit. quod vbi COS. nuntiatum est, Dii in prælio sunt, inquit, habet pœnam noxium caput. Ante COS. hæc dicentem coruus voce clara occinuit. quo lætus augurio consul, affirmans nunquam humanis rebus magis præsentes interfuisse deos, signa canere, & clamorem tolli iussit.

Atrox prælium inter Romanos et Samnites.

Prælium commissum atrox, cæterùm longè disparibus animis. Romanos ira, spes, ardor certaminis, auidos hostium sanguinis in prælium rapit: Samnitium magnam partem necessitas ac religio inuitos magis resistere, quàm inferre pugnam cogit. nec sustinuissent primum clamorem atque impetum Romanorum, per aliquot iam annos vinci assueti, ni potentior alius metus insidens pectoribus à fuga retineret. quippe in oculis erat omnis ille occulti paratus sacri, & armati sacerdotes, & promiscua hominum pecudúmque strages, & respersæ fando nefandóque sanguine aræ, & dira execratio, ac furiale carmen detestandæ familiæ stirpíque compositum. his vinculis fugæ obstricti stabant, ciuem magis quàm hostem timentes. Instare Romanus à cornu vtroque, à media acie, & cædere deorum hominúmque attonitos metu. repugnatur segniter, vt ab iis quos timor moraretur à fuga. Iam propè ad signa cædes peruenerat: cùm ex transuerso puluis, velut ingentis agminis incessu motus apparuit. Sp. Nautius (Octauium Metium quidam eum tradunt) dux alaribus cohortibus erat: puluerem maiorem quàm pro numero excitabant: insidentes mulis calones, frondosos ramos per terram trahebant: arma signáque per turbidam lucem in primo apparebant: pòst altior densiórque puluis equitum speciem cogentium agmen dabat. fefellítque non Samnites modò, sed etiam Romanos: & consul affirmauit errorem: clamitans inter prima signa, ita, vt vox etiam ad hostes accideret: captum Cominium, victorem collegam adesse, anniterentur vincere prius quàm gloria alterius exercitus fieret. Hæc insidens equo. inde tribunis, centurionibúsque imperat, vt vias equitibus patefaciant. ipse Trebonio Censitióque prædixerat, vt vbi se cuspidem erectam quatientem vidissent, quanta maxima vi possent, concitarent equites in hostem. Ad nutum omnia, vt ex antè præparato, fiunt. panduntur inter ordines viæ: prouolat eques, atque infestis cuspidibus in medium agmen hostium ruit, perrumpítque ordines, quacunque impetum dedit. instant Volumnius & Scipio, & perculsos sternunt.

Sãnites terga uertunt.

Tum iam deorum hominúmque victa vi, funduntur linteatæ cohortes; pariter iurati iniuratique fugiunt, nec quenquam præter hostes metuunt. Peditum agmen, quod superfuit pugnæ, in castra ad Aquiloniam compulsum est. nobilitas equitésque Bouianum perfugerunt. equites

eques

A eques sequitur, peditem pedes: ac diuersa cornua dextrum ad castra Samnitium, læuum ad vrbem tendit. Prior aliquanto Volumnius castra cepit. ad vrbem Scipioni maiore resistitur vi: non quia plus animi victis est, sed melius muri quàm vallum armatos arcent. inde lapidibus propulsant hostem. Scipio, nisi in primo pauore, priusquam colligerentur animi, transacta res esset, lentiorem fore munitæ vrbis oppugnationem ratus, interrogat milites, satin, æquo animo paterentur ab altero cornu castra capta esse, se victores pelli à portis vrbis? Reclamantibus vniuersis, primus ipse scuto super caput elato pergit ad portam: secuti alii testudine facta in vrbem perrumpunt: deturbatisque Samnitibus qui circa portam erant, muros occupauere: penetrare interiora vrbis, quia pauci admodum erant, non audent. Hæc primò ignorare consul, & intentus recipiendo exercitui esse. iam enim præceps in occasum sol erat: & appetens nox periculosa & suspecta omnia etiam victoribus faciebat. progressus longius ab dextra, castra capta videt: ab læua clamorem in vrbe, mistum pugnantium ac pauentium fremitu esse. & tum fortè certamen ad portam erat. aduectus deinde equo propius, vt suos in muris videt, nec iam integri quicquam esse, quoniam temeritate paucorum magnæ rei parta occasio esset: acciri quas receperat copias, signáque in vrbem inferri iussit. ingressi proxima ex parte, quia nox appropinquabat, quieuere. nocte oppidum ab hostibus desertum est. Cæsa illo die ad Aquiloniam Samnitium millia triginta trecenti quadraginta: capta tria millia octingenti & septuaginta: signa militaria nonaginta septem. Cæterùm illud memoriæ traditur, non fermè alium ducem lætiorem in acie visum: seu suopte ingenio, seu fiducia bene gerundæ rei. Ab eodem robore animi neque controuerso auspicio reuocari à prælio potuit: & in ipso discrimine, quo templa diis immortalibus voueri mos erat, vouerat Ioui Victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi priusquam temetum biberet, sese facturum. id votum diis cordi fuit: & auspicia in bonum verterunt. Eadem fortuna ab altero consule ad Cominium gesta res. Prima luce ad mœnia omnibus copiis admotis, corona cinxit vrbem: subsidiáque firma, ne quà eruptio fieret, portis opposuit. Iam signum dantem eum nuntius à collega trepidus de viginti cohortium aduentu, & ab impetu moratus est: & partem copiarum reuocare instructam, intentámque ad oppugnandum, coegit. D. Brutum Scæuam legatum cum legione prima, & viginti cohortibus alaribus, equitatúque ire aduersus subsidium hostium iussit: quocunque in loco fuisset obuius, obsisteret ac moraretur: manúmque, si fortè ita res posceret, conferret: modò ne ad Cominium eæ copiæ admoueri possent. ipse scalas ferri ad muros ab omni parte vrbis iussit, ac testudine ad portas successit. simul & refringebantur portæ, & vis vndique in muros fiebat. Samnites, sicut antequam in muris viderent armatos, satis animi habuerunt ad prohibendos vrbis aditu hostes: ita, postquam iam non ex interuallo, nec missilibus, sed cominus gerebatur res: & qui ægrè successerant ex plano in muros, loco, quem magis timuerant, victo, facilè in hostem imparem ex æquo pugnabant: relictis turribus murisque, in forum omnes compulsi, paulisper inde tentauerunt extremam pugnæ fortunam. deinde abiectis armis, ad quindecim millia hominum & quadringenti in fidem consulis venerunt. cæsa ad quatuor millia ac trecenti octuaginta. Sic ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res. Inde medio inter duas vrbes spatio, vbi tertia expectata erat pugna, hostes non inuenti. septem millia passuum cum abessent à Cominio, reuocati ab suis, neutri prælio occurrerunt. primis fermè tenebris cùm in conspectu iam castra, iam Aquiloniam habuissent, clamor eos vtrinque par accidens sustinuit. deinde è regione castrorum, quæ incensa ab Romanis erant: flamma latè fusa certioris cladis indicio progredi longius prohibuit. Eo ipso loco propè temere sub armis strati passim inquietum omne tempus noctis, expectando timendóque lucem, egere. prima luce incerti quam in partem intenderent iter, repentè in fugam consternantur conspecti ab equitibus: qui egressos nocte ab oppido Samnites persecuti, viderant multitudinem non vallo, non stationibus firmatam. conspecta & ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat. iámque etiam legionariæ cohortes sequebantur: cæterùm nec pedes fugientes persequi potuit: & ab equite nouissimi agminis ducenti fermè & octoginta interfecti. arma multa pauidi, ac signa militaria duodeuiginti reliquere: alio agmine incolumi, vix ex tanta trepidatione Bouianum peruentum est. Lætitiam vtriusque exercitus Romani auxit & ab altera parte feliciter gesta res. vterque ex alterius sententia consul captum oppidum diripiendum militi dedit: exhaustis deinde tectis, ignem iniecit: eodémque die Aquilonia & Cominium deflagrauere. & consules cum gratulatione mutua legionum, suáque, castra coniunxere. In conspectu duorum exercituum & Caruilius suos pro cuiusque merito laudauit, donauítque: & Papyrius, apud quem multiplex in acie, circa castra, circa vrbem, fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulúmque hastatorum, armillis aureísque coronis donauit: Nautium propter expeditionem, qua magni agminis modo terruerat hostes: iuuenem Papyrium, propter nauatam cum equitatu & in prælio operam, & nocte, qua fugam infestam Samnitibus ab Aquilonia clàm egressis fecit: centuriones, militésque, quia primi portam, murúmque Aquiloniæ ceperant. equites omnes ob insignem multis locis operam, corniculis, armillísque argenteis donat. Consilium inde habitum, cùm iam tempus esset deducendi ab Samnio exercitus, aut vtriusq; aut certè alterius. optimum visum, quò magis fractæ res Samnitium essent, eò pertinacius & infestius agere cætera, & persequi: vt perdomitum Samnium insequentibus consulibus tradi posset. quando iam nullus esset hostium exercitus, qui signis collatis dimicaturus videretur: vnum superesset belli genus, vrbium oppugnationes: quarum per excidia militem locupletare præda, & hostem pro aris ac focis dimicantem conficere possent. Itaque literis missis ad senatum populúmque Romanum de rebus ab se gestis, diuersi, Papyrius ad Sepinum, Caruilius ad Volanam

Castra Samnitû capta.

Aquilonia urbs Samnitium expugnatur.

Cæsa illo die Samnitiû triginta millia trecenti quadraginta.

Cominium oppugnat Caruilius Cos.

Cominio capto in fidem consulis venerunt homi num quindecim millia et quadringēti.

Coss. suos pro cuiusq; merito laudant, donántq;.

B

Coß. ad oppugnandas Samnitium urbes legiones ducunt.

Hetruscos rebellasse nũtiatur.

oppugnandam, legiones ducunt. Literæ consulum ingenti lætitia & in curia & in concione auditæ: A & quatridui supplicatione publicum gaudium priuatis studiis celebratum est. nec populo Romano magna solùm, sed peropportuna etiam ea victoria fuit: quia per idem fortè tempus rebellasse Hetruscos allatum est. Subibat cogitatio animum, quónam modo tolerabilis futura Hetruria fuisset, si quid in Samnio aduersi venisset: quæ coniuratione Samnitium erecta, quoniam ambo consules, omnísque Romana vis auersa in Samnium esset, occupationem populi Romani pro occasione rebellandi habuisset. Legationes sociorum à M. Attilio prætore in senatum introductæ, querebantur vri & vastari agros à finitimis Hetruscis, quòd desciscere à populo Romano nollent: obtestabantúrque patres conscriptos, vt se à vi atque iniuria communium hostium tutarentur. Responsum legatis: curæ senatui futurum, ne socios fidei suæ pœniteret: Hetruscorum propediem eandem fortunam, quam Samnitium, fore. Segnius tamen, quod ad Hetruriam attinebat, acta res esset, ni Faliscos quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret arma Hetruscis iunxisse. Huius propinquitas populi acuit curam patribus, vt fœciales mittendos ad res repetendas censerent.

Faliscis bellũ indicitur.

quibus non redditis, ex authoritate patrum iussu populi, bellum Faliscis indictum est: iussique consules sortiri, vter ex Samnio in Hetruriam cum exercitu transiret. Iam Caruilius Volanam, & Palumbinum, & Herculaneum ex Samnitibus ceperat: Volanam intra paucos dies, Palumbinum eodem

Quas urbes in Samnio Caruilius Cos. ceperit.

quo ad muros accessit. Ad Herculaneum bis etiam signis collatis ancipiti prælio, & cum maiore sua quàm hostium iactura, dimicauit. castris deinde positis, mœnibus hostem inclusit: oppugnatum oppidum, captúmque. In his tribus vrbibus capta, aut cæsa, ad decem millia hominum: ita, vt pauore admodum plures caperentur. Sortientibus prouincias consulibus Hetruria Caruilio euenit se-

Sepinũ magna ui Papyrius Cos. expugnauit.

cundum vota militum, qui vim frigoris iam in Samnio non patiebantur. Papyrio ad Sepinum maior vis hostium restitit: sæpe in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam vrbem aduersus eruptiones hostium pugnatum, neque obsidio, neque bellum ex æquo erat: non enim muris magis se Samnites, quàm armis ac viris mœnia tutabantur. tandem pugnando in obsidionem iustam coegit hostes: obsidendóque, vi atque operibus vrbem expugnauit. itaque ab ira plus cædis editum capta vrbe: septem millia quadringenti cæsi: capta minus tria millia hominum: præda, quæ plurima fuit, congestis Samnitium rebus in vrbes paucas, militi concessa est. Niues iam omnia oppleuerant: nec du-

Papyrij triumphus.

rari extra tecta poterat: itaque consul de Samnio exercitum deduxit. Venienti Romam triumphus omnium consensu est delatus. triumphauit in magistratu, insigni, vt illorum temporum habitus erat, triumpho. pedites equitésque insignes donis transière, ac transuecti: multæ ciuicæ coronæ vallarésque ac murales conspectæ. inspectata spolia Samnitium: & decore ac pulchritudine paternis spoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur. nobiles aliquot ca- B

† Valent 25330. cor.

† Va. 13300 coron.

ptiui, clarisuis patrúmque factis, ducti. æris grauis transuecta † vicies centum millia & quingenta triginta tria millia: id æs redactum ex captiuis dicebatur. argenti, quod captum ex vrbibus erat, † P. M. c c c x x x. omne æs argentúmque in ærarium conditum: militibus nihil datum ex præda est. auctáque ea inuidia est ad plebem, quòd tributum etiam in stipendium militum collatum est: cùm, si spreta gloria fuisset: captiuæ pecuniæ in ærarium illatæ, & militi tum dari ex præda, & stipendium militare præstari potuisset. Aedem Quirini, quam in ipsa dimicatione votam apud neminem veterem authorem inuenio: (neque hercule tam exiguo tempore perficere potuisset) ab dictatore patre votam filius consul dedicauit, exornauítque hostium spoliis. quorum tanta multitudo fuit, vt non templum tantùm forúmque his ornaretur, sed sociis etiam coloniísque finitimis ad templorum lo-

Quæ urbes in Hetruria Caruilius Cos. expugnarit.

Faliscis pacem petenti bus induciæ annuæ dantur.

† Val. 1000 coron.

Caruilij triumphus.

† Val. 3900 coron.

Lustrũ conditũ est, quo cẽsa sũt capita 262322.

corúmque publicorum ornatum diuiderentur. A triumpho exercitum in agrum Vestinum, quia regio ea infesta ab Samnitibus erat, hybernatum duxit. Inter hæc Caruilius consul in Hetruria Troilium primùm oppugnare adortus, quadringentos septuaginta ditissimos, pecunia grandi pactos, vt abire inde liceret, dimisit: cæteram multitudinem, oppidúmque ipsum vi cepit. inde quinque castella locis sita munitis expugnauit. Cæsa ibi hostium duo millia quadringenti: minus duo millia capti. & Faliscis pacem petentibus annuas inducias dedit: pactus † centum millia grauis æris, & stipendium eius anni militibus. His rebus actis, ad triumphum decessit, vt minus clarum de Samnitibus, quàm collegæ triumphus fuerat: ita cumulo Hetrusci belli æquatum. æris grauis tulit in ærarium † trecenta nonaginta millia: de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locauit, prope ædem eidem deæ ab rege Seruio Tullo dedicatam. & militibus ex præda centenos binos asses, & alterum tantum centurionibus atque equitibus malignitate collegæ gratius accipientibus munus, diuisit. Fauor consulis tutatus ad populum est L. Posthumium legatum eius: qui dicta die à M. Cancio Trib. pleb. fugerat in legationem (vt fama ferebat) populi iudicium: iactarique magis, quàm peragi accusatio eius poterat. Exacto iam anno noui tribuni plebis magistratum inierant: iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alii suffecti. Lustrum conditum eo anno est à P. Cornelio Aruina, C. Martio Rutilio, censoribus: censa capitum millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo. Censores vicesimi sexti à primis censoribus: lustrum vndeuicesimũ fuit. Eodem anno coronati primùm ob res bello bene gestas ludos Romanos spectauerunt: palmæque, tum primùm translato è Græcia more, victoribus datæ. Eodem anno ab ædilibus curulibus, qui eos ludos fecerunt, damnatis aliquot pecuariis, via à Martis silice ad Bouillas perstrata est. Comitia consularia L. Papyrius habuit: creauit consules, Q. Fabium Maximi filium, Gurgitem, & D. Iunium Brutum Scæuam. ipse Papyrius

Pestilentia.

prætor factus. Multis rebus lætus annus vix ad solatium vnius mali, pestilentiæ vrentis simul vrbem atque agros, suffecit, portentóque iam similis clades erat. & libri aditi, quinam finis, aut quod remedium

A medium eius mali ab diis daretur. inuentum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam accersendum. neque ex eo anno, quia bello occupati consules erant, quicquam de ea re actum: præterquàm quòd vnum diem Aesculapio supplicatio habita est.

NICOMACHVS DEXTER V C EMENDAVI AD EXEMPLVM PARENTIS MEI CLEMENTIANI.

VICTORIANVS V C EMENDABAM DOMINIS SYMMACHIS.

L. FLORI IN SECVNDAM TITI

Liuii Decadem Epitome.

LIBRI I

CVm Fabius Gurges consul malè aduersum Samnites pugnasset, & senatus de remouendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc sibi ignominiam, eo maximè senatum mouit, quòd iturum se filio legatum pollicitus est: idque præstitit, atque eius consilijs & opera filius consul adiutus, cæsis Samnitibus triumphauit. C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumpho securi percußit. Cum ciuitas pestilentia laboraret, mißis legatis, ut Aesculapij signum Romam ab Epidauro transferrent: anguem, qui se in nauem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportauere: eóque in insulam Tyberis egresso, eodem loco sedes Aesculapij constituta est. L. Posthumius consularis, quoniam cùm exercitui præesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quartò renouatum est. Curius Dentatus consul Samnitibus cæsis. & Sabinis qui rebellauerant uictis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphauit. Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena, Adria. Triumuiri capitales tunc primùm creati sunt. Census actus est, lustrum conditum: censa sunt ciuium capita CCLXXIII millia. Plebs propter æs alienum, & graues & longas seditiones, ad ultimum secessit in Ianiculum, unde à Q. Hortensio dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decesit. Res præterea contra Volsinienses gestas continet: item aduersus Lucanos, contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat.

LIBRI II.

Cùm legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab ijs cæsus est. Cum à Terentinis claßis Romana direpta esset, duce qui præerat claßi occiso, legati ad eos à senatu, ut de ijs iniurijs quererentur mißi, pulsati sunt. ob id, bellum ijs indictum est. Samnites defecerunt. Aduersus eos & Lucanos, & Brutios, & Hetruscos aliquot prælijs à compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam uenit. Cùm in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio missa esset, occisis Rheginis Rhegium occupauit.

B

LIBRI III.

Valerius Leuinus consul parum prosperè aduersus Pyrrhum pugnauit: elephantorum maximè inusitata facie territis militibus Post id prælium cùm corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia uersa in hostem inuenit: populabundúsque ad urbem Romam processit. C. Fabricius missus ad eum, ut de redimendis captiuis ageret, frustra ut patriam desereret à rege tentatus est captiui sine precio remißi sunt. Cyneas legatus à Pyrrho ad senatum missus petijt, ut componendæ pacis causa rex in urbem reciperetur. de qua re cùm ad frequentiorem senatum referri placuisset: Ap. Claudius, qui propter inualitudinem oculorum iandiu à consilijs publicis abstinuerat, uenit in curiam, & sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. P. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit. censa sunt ciuium capita CCLXXVIII millia. CCXXII. Iterum aduersus Pyrrhum dubio euentu pugnatum est. Cum Carthaginiensibus quartò fœdus renouatum est, Cum C. Fabricio consuli, is qui ad eum Pyrrho transfugerat, polliceretur se regi uenenum daturum, cum indicio ad regem remissus est. Res præterea contra Hetruscos, Lucanos, & Brutios, & Samnites prosperè gestas continet.

LIBRI IIII.

Pyrrhus in Siciliam traiecit. Cùm inter alia prodigia fulmine deiectum esset in Capitolio Iouis signum, caput eius per aruspices inuentum est. Curius Dentatus, cùm delectum haberet. eius qui citatus non responderat, bona uendidit. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reuersum uicit, & Italia expulit. Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu mouit, quòd decem argenti pondo facti haberet Lustro à censoribus condito, censa sunt capita ciuium CCLXXI millia, CCXXIIII. Cum Ptolemæo Aegypti rege societas iuncta est. Sextilia uirgo Vestalis damnata incesti, uiua defossa est. Coloniæ deductæ sunt, Posidonia & Consa. Carthaginiensium claßis auxilio Mamertinis uenit, quo facto ab ijs fœdus uiolatum est. Res præterea contra Lucanos, Samnites, & Brutios feliciter gestas, & Pyrrhi mortem continet.

LIBRI V.

Victis Tarentinis pax & libertas data est. Legio Campana, quæ Rhegium occupauerat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Cùm legatos Apolloniatum ad senatum missos quidam iuuenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus. Picentibus uictis pax data: coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio. Tunc primùm populus Romanus argento uti cœpit. Vmbri & Salentini uicti, in deditionem accepti sunt. Quæstorum numerus ampliatus est.

LIBRI VI.

Origo Carthaginiensium, & primordia urbis referuntur, contra quos & Hieronem regem Syracusanorum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus. Cùm de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuadentésque contentio fuisset: transgreßis tum primùm mare equitibus Romanis, aduersus Hieronem sæpius bene pugnatum. Petenti pax data est. Lustrum à censoribus conditum. censa sunt ciuium capita CCCLXXII millia. CCXXIIII, D. Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Esernia deducta est. Res præterea contra Pœnos & Volscos prosperè gestas continet.

LIBRI VII.

Cn. Cornelius COS. à classe Punica circumuentus, & per fraudem ueluti in colloquium euocatus, captus est. Cn. Duilius COS. aduersus classem Pœnorum prosperè pugnauit, primúsq; omnium Romanorum ducum naualis uictoriæ duxit triumphum. ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut reuertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur. L. Cornelius COS. in Sardinia contra Sardos, & Corsos, & Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnauit. Attilius Calatinus COS. cùm in locum iniquum à Pœnis circumsessum temerè duxisset exercitum, M. Calpurnij tribuni militum uirtute & opera euasit. qui cum trecentis mili-

m 5

tibus eruptione facta hostes in se conuertit. Annibal dux Pœnorum victa classe cui præfuerat à militibus suis in crucem sublatus est. Attilius Regulus COS. victis nauali prælio Pœnis, in Africam traiecit. A

LIBRI VIII.

Attilius Regulus in Africa serpentem portentosæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit. & cùm aliquot prælijs aduersum Carthaginienses pugnasset, successorque à senatu prosperè bellum gerenti non mitteretur, idipsum per literas ad senatum missas conquestus est. in quibus inter causas petendi successoris erat, quòd agellus eius à mercenarijs deuastaretur. Quærente deinde fortuna ut magnum utriusque casus exemplum in Regulo proderetur, accersito à Carthaginiensibus Xanthippo Lacedemoniorum duce victus in prælio, & captus est. Res deinde à ducibus Romanis omnibus terra marique prosperè gestas deformauere naufragia classium. P. Coruncanus primus ex plebe pontifex maximus creatus est. M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus censores cùm senatum legerent, XIII senatu mouerunt. lustrum condiderunt, quo censa sunt ciuium capita CCCXVII millia, CCXVII. Regulus missus à Carthaginiensibus ad senatum, ut de pace, & si eam minimè impetraret, de captiuis commutandis ageret, iureiurando astrictus est rediturum se Carthaginem, si commutari captiuos nõ placuisset. utrunque negandi author senatui fuit: & cùm fide custodita reuersus esset, supplicio à Carthaginiensibus de eo sumpto, perijt.

LIBRI IX.

Cæcilius Metellus, rebus aduersus Pœnos prosperè gestis, speciosissimum egit triumphum, XIII ducibus hostium, & centum viginti elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher COS. qui contra auspicia profectus iußit immergi pullos, qui cibari nolebant: infeliciter aduersus Carthaginienses classe pugnauit. & reuocatus à senatu, iussusque dictatorem dicere, C. Glauciam dixit, sortis ultimæ hominem qui coactus abdicare se magistratu, postea ludos prætextatus spectauit. Attilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captiuorum commutatio facta est. Coloniæ deductæ sunt, Fregellæ, in agro Salentino Brundisium. Lustrum à censoribus conditum est. censa sunt ciuium capita CCLI millia CCXXII. Claudia soror P. Claudij, qui contemptis auspicijs malè pugnauerat, à ludis diuertens, cùm turba premeretur, dixit: Vtinam frater meus uiueret, iterúmque classem duceret. ob eam causam mulctata est. Duo prætores tum primùm creati sunt. Cæcilius Metellus pontifex maximus, A. Posthumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille ad bellum gerendum proficisci uellet, in urbe tenuit, nec passus est à sacris recedere. Rebus aduersus Pœnos pluribus ducibus gestis, summam uictoriæ C. Luctatius consul victa ad Aegates insulas classe Pœnorum, finem bello imposuit. Petentibus Carthaginiensibus pax data est. Cùm templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit. Duæ tribus adiectæ sunt, Velina, & E[illegible]na. Falisci, cum rebellassent, sexto die domiti in deditionem uenerunt.

LIBRI X.

Spoletium colonia deducta est. Aduersus Ligures tunc primùm exercitus promotus est. Sardi & Corsi, cùm rebellassent, subacti sunt. Tutia uirgo Vestalis incestu damnata est. Bellum Illyrijs propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant occisum, indictum est: subactique in deditionem uenerunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Galli transalpini, qui in Italiam eruperant, cæsi sunt E[illegible] bello populus Romanus sociorum, Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur. Exercitibus Romanis tum primùm trans Padum ductis, Galli Insubres aliquot prælijs in deditionem uenerunt. M. Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit. Istri subacti sunt. Item Illyrij, cùm rebellassent, domiti in deditionem uenerunt. Lustrum à censoribus conditũ est. ex quo censa sunt ciuium capita CCLXX. millia. Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent: Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam [illegible] muniuit: & circum Flamminium extruxit. Coloniæ deductæ sunt in agro de Gallis capto, Placentia, & Cremona. B

DECADIS SECVNDAE FINIS.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS TERTIAE LIBER PRIMVS.

IN Italia belli Punici secundi acta narrantur: & Annibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem transitus, à quo Saguntus sociorum populi Romani ciuitas octauo mense capta est. de quibus iniurijs missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. & cum satisfacere nollent, bellum ijs indictum est. Annibal superato Pyrenæo saltu, per Gallias fusis qui obsistere ei conati erant, ad Alpes uenit: & laborioso per eas transitu cùm montanos quoque Gallos obuios aliquot prælijs repulisset, descendit in Italiam, & ad Ticinum amnem Romanos equestri prælio fudit: in quo uulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius, qui Africani postea nomen accepit. iterumque exercitu Rom. ad flumen Trebiam fuso. Annibal Apenninum per maximam militum uexationem propter uim tempestatum transijt. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Pœnos prosperè pugnauit, duce hostium Magone capto.

Quàm memorabile fuerit secundũ bellum Punicum.



N parte operis mei licet mihi præfari, quod in principio summæ totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maximè memorabile omnium, quæ vnquam gesta sint, me scripturũ, quod Annibale duce Carthaginienses cum populo Romano gessere. nam neque validiores opibus vllæ inter se ciuitates gentésque contulerunt arma: neque his ipsis tantum vnquam virium, aut roboris fuit: & haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conferebant bello. & adeò varia belli fortuna, ancepsque Mars fuit, vt propius periculo fuerint, qui vicere. odiis etiam propè maioribus certarunt, quàm viribus: Romanis indignátibus, quòd victoribus victi vltro inferrent arma: Pœnis, quòd superbè auaréque crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est, Annibalem annorum fermè nouem pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hispaniam, cùm perfecto Africo bello exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iure-

Annibal annos nouẽ natus hostem se pop. Romano fore iureiurando astringit.

A iurando adactum, se cùm primùm posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniáque amissæ. nam & Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam, & Sardiniam inter motum Africæ frandc Romanorum, stipendio etiam superimposito, interceptam. His anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem, per quinque annos: ita deinde nouem annis in Hispania augendo Punico imperio gessit, vt appareret maius eum, quàm quod gereret, agitare in animo bellum: & si diutius vixisset, Amilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuisse, que Annibalis ductu intulerunt. Mors Amilcaris peropportuna, & pueritia Annibalis, distulerunt bellum. Medius Asdrubal inter patrem & filium octo fermè annos imperium obtinuit, flore ætatis (vti ferunt) primò Amilcari conciliatus: gener inde ob altam indolem pro fectus animi ascitus: & quia gener erat, factionis Barchinæ opibus, quæ apud milites plebémque plus quàm modicæ erant, haud sanè voluntate principum in imperio positus. Is plura consilio quàm vi gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandísque per amicitiam principum nouis gentibus, quàm bello aut armis rem Carthaginiensem auxit. Cæterùm nihilo ei pax tutior fuit. barbarus eum quidam palàm ob iram interfecti ad eo domini obtruncauit. comprehensúsque à circumstantibus haud alio quàm si euasisset vultu, tormentis quoque cùm laceraretur, eo fuit habitu oris, vt superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Cum hoc Asdrubale, quia miræ artis in solicitandis gentibus, imperióque iungendis suo fuerat, fœdus renouauerat populus Romanus, vt finis vtriusque imperii esset amnis Iberus, Saguntinísque mediis inter imperia duorum populorum libertas seruaretur. In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogatiuam militarem, qua extemplò iuuenis Annibal intra prætorium delatus, imperatórque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, fauor etiam plebis sequeretur. Hunc vixdum puberem Asdrubal literis ad se accersierat: actáque res in senatu etiam fuerat: Barchinis nitentibus, vt assuesceret militiæ Annibal, atque in paternas succederet opes. Hanno alterius factionis princeps: Et æquum postulare videtur, inquit, Asdrubal, & ego tamen non censeo, quod petit, tribuendum. Cùm admiratinne tam ancipitis sententiæ in se omnes conuertisset, Florem ætatis, inquit, Asdrubal, quem ipse patri Annibalis fruendum præbuit, iusto iure eum à filio repeti censet. nos tamen minimè decet iuuentutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini imperatorũ. An hoc timemus, ne Amilcaris filius nimis serò imperia immodica, & regni paterni speciẽ videat? & cuius regis genero hæreditarii sint relicti exercitus nostri, eius filio parũ maturè seruiamus? Ego istum iuuenem domi tenendum sub legibus, sub magistratibus docendum viuere æquo iure cum cæteris censeo, ne quandoque paruus hic ignis incendium ingens exuscitet. Pauci, ac fermè optimus quisque Hannoni assentiebantur: sed (vt plerunque fit) maior pars meliorem vicit. Missus

Asdrubal octo annos imperiũ Carthaginiense obtinuit.

Asdrubal à barbaro quodam obtruncatur.

Hanno Barchinæ factionis inimicus.

B Annibal in Hispaniam, primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit. Amilcarem viuentẽ redditum sibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vímq; in oculis, habitum oris, lineamentáque intueri. deinde breui effecit, vt patri in se minimum momentum ad fauorem conciliandum esset. Nunquàm ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atq; imperandum, habilius fuit. itaq; haud facilè discerneres, vtrum imperatori: an exercitui carior esset: neq; Asdrubal alium quenquam præficere malle, vbi quid fortiter ac strenuè agendũ esset: neque milites alio duce plus confidere, aut audere. plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. caloris ac frigoris patientia par. cibi potionísq; desiderio naturali, nõ voluptate modus finitus: vigiliarum somníq; nec die nec nocte discriminata tempora. id quod gerendis rebus superesset, quieti datũ. ea neq; molli strato, neq; silentio accersita. multi sæpe militari sagulo opertum humi iacentẽ inter custodias stationésq; militum conspexerunt. vestitus nihil inter æquales excellens, arma atq; equi cõspiciebantur. equitum peditúmq; idem longè primus erat. princeps prælium inibat. vltimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabãt, inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutũ ac vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit: nulla re, quæ agenda audendáq; magno futuro duci esset, prætermissa. Cæterùm ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei prouincia decreta, bellúmq; Romanum mandatũ esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque, vt patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit, quibus oppugnandis haud dubiè Romana arma mouebantur. in Olcadum fines prius (vltra Iberum ea gens in parte magis quàm in ditione Carthaginiensium erat) induxit exercitum, vt non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, iungendóq; tractus ad id bellum videri posset. Carteiam vrbem opulentam caput gentis eius expugnat, diripitque. quo metu perculsæ minores ciuitates, stipendio imposito imperium accepere. victor exercitus opulentúsque præda Carthaginem Nouam in hyberna est deductus. Ibi largè partiendo prædam, stipendia præterita cum fide exsoluendo, cunctis ciuium suorum sociorúmque animis in se firmatis, vere primo in Vacceos promotum bellum. Hermandica & Arbacala Carteiorum vrbes vi captæ. Arbacala & virtute & multitudine oppidanorum diu defensa. Ab Hermandica profugi exulibus Olcadum, priore æstate domitæ gentis, cum se iunxissent, concitant Carpetanos: adortíq; Annibalem regressum ex Vacceis, haud procul Tago flumine agmen graue præda turbauere. Annibal prælio abstinuit, castrísque super ripam positis, cùm prima quies silentiúmque ab hostibus fuit, agmen vado traiecit: vallóque ita producto, vt locum ad transgrediendum hostes haberent, inuadere eos transeuntes statuit. equitibus præcepit, vt cùm ingressos aquam viderent, adorirentur peditum agmen. in ripa elephantos antè quadraginta disposuit. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum

Annibalis in Hispaniã aduentus.

Annibalis ingenium.

Annibal Olcadum fines ingreditur.

Annibal in Vacceos bellum promouet.

Carpetanorum cũ Annibale prælium.

Vacceor

Vacceorúmque centum millia fuere:inuicta acies,si æquo dimicaretur campo.Itaq; & in genio fero- A
ces,& multitudine freti,& quòd metu cessisse credebant hostem : id morari victoriam rati , quòd in-
tereſſet amnis,clamore sublato,passim sine vllius imperio quà cuiq; proximum est, in amnem ruunt.
Et ex parte altera ripæ vis ingens equitum in flumen immissa,medióque alueo haudquaquam pariter
tamine concursum : quippe vbi pedes instabilis , ac vix vado fidens , vel inermi equite equo temere
acto peruerti posset:eques corpore armísque liber,equo vel per medios gurgites stabili, cominus emi
núsque rem gereret. Pars magna flumine absumpta : quidam verticoso amni delati in hostes , ab ele-
phantis obtriti sunt. postremi, quibus ingressus in suam ripam tutior fuit , ex varia trepidatione cùm
in vnum colligerentur , prius quàm tanto ex pauore reciperent animos : Annibal agmine quadrato

Carpetanos Annibal in deditionem accepit.

amnem ingressus,fugam ex ripa fecit:vastatísque agris , intra paucos dies Carpetanos quoque in de-
ditionem accepit.Et iam omnia trans Iberum præter Saguntinos, Carthaginiensiū erant. cum Sagun-
tinis bellum nondum erat.cæterùm iam belli causa certamina cum finitimis serebantur,maximè Tur
detanis.quos cum adisset idem,qui litis erat sator,nec certamen iuris,sed vim quæri appareret : legati

Saguntini Romam legatos mittunt.

à Saguntinis Romam missi , auxilium ad bellum iam haud dubiè imminens orantes. Consules tunc
Romæ erant,P.Cornelius Scipio,& T.Sempronius Longus.qui cùm legatis in senatum introductis
de Rep.retulissent,placuissétque mitti legatos in Hispaniam ad res sociorum inspiciendas,quibus si vi
deretur digna causa,& Annibali denuntiarent, vt ab Saguntinis sociis populi Rom.abstineret,& Car-
thaginem in Africam traiicerent,ac sociorum populi Rom.querimonias deferrent:hac legatione de-
creta, necdum missa , omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum est. tunc delata ex integro
res ad senatum.Alii prouincias consulibus Hispaniam atq; Africam decernentes , terra maríque rem
gerendam censebant.alii totum in Hispaniam Annibalémque intendebant bellum. erant qui non te-
mere mouendam rem tantam,expectandósque ex Hispania legatos censerent.Hæc sententia,quæ tu-

Saguntum oppugnatur ab Annibale.

tissima videbatur,vicit.legatíque eo maturius missi P.Valerius Flaccus,& Q.Bebius Pamphilus, Sa-
guntum ad Annibalem,atq; inde Carthaginem,si non absisteretur bello,ad ducem ipsum in pœnam
fœderis rupti deposcendum.Dum ea Romani parant consultántque, iam Saguntum summa vi oppu-
gnabatur.Ciuitas ea longè opulentissima vltra Iberum fuit , sita passus mille fermè à mari. oriundi à
Zacyntho insula dicuntur : mistíque etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. cæterùm in tantas
breui creuerant opes,seu maritimis,seu terrestribus fructibus,seu multitudinis incremēto, seu sancti-
tate disciplinæ,qua fidem socialem vsque ad perniciem suam coluerunt. Annibal infesto exercitu in
gressus fines, peruastatis passim agris , vrbem tripartitò aggreditur. Angulus muri erat in planiorem
patentioremq; quàm cætera, circà vallem vergēs:aduersus eum vineas agere instituit,per quas ariet
mœnibus admoueri posset.Sed vt locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit:ita haudquaquā B
prosperè,postquam ad effectum operis ventum est,cœptis succedebat.& turris ingens imminebat:&
murus, vt in suspecto loco,supra cæteræ modū altitudinis emunitus erat:& iuuentus delecta vbi plu-
rimum periculi ac laboris ostendebatur,ibi vi maiore obsistebāt.ac primò missilibus summouere ho-
stem:nec quicquam satis tutum munientibus pati.deinde iam non pro mœnibus modò atque turri te-
la micare,sed ad erumpendum etiam in stationes operáque hostium animus erat.quibus tumultuariis
certaminibus haud fermè plures Saguntini cadebāt,quàm Pœni.Vt verò Annibal ipse , dum murum
incautius subit,aduersum femur tragula grauiter ictus cecidit : tanta circà fuga atque trepidatio fuit,

Annibal ictus tragula cecidit.

vt nō multùm abesset,quin opera ac vineæ desererentur.Obsidio deinde per paucos dies magis quàm
oppugnatio fuit,dum vulnus ducis curaretur,per quod tempus vt quies certaminum erat,ita ab appa
paratu operum ac munitionum nihil cessatum.itaque acrius de integro obortum est bellum,pluribús-
que partibus vix accipientibus quibusdam opera locis vineæ cœptæ agi, admouerı́que aries. Abun-
dabat multitudine hominum Pœnus.ad centum enim quinquaginta millia habuisse in armis creditur.
Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multimoda arte distineri cœpti sunt : & non sufficiebant.
iam enim feriebantur arietibus muri: quassatæ quoque multæ partes erant. vna continentibus ruinis
nudauerat vrbem.tres deinceps turres:quantúmque inter eas muri erat,cum fragore ingenti procide
rant:captúmque oppidum ea ruina crediderant Pœni,qua,velut si pariter vtrosque murus texisset,in
vtrinque in pugnam procursum est.Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat , quales in oppugnationibus
vrbium per occasionem partis alterius conseri solent:sed iustæ acies,velut patenti campo, inter ruinas
muri tectáque vrbis modico distantia interuallo cōstiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat:
Pœno cepisse iam se vrbem,si paululum adnitatur, credente : Saguntinis pro nudata mœnibus patria
corpora opponentibus:nec vllo pedem referente,ne relicto à se loco hostem immitteret. Itaque quo
acrius & confertim magis vtrinque pugnabatur,eo plures vulnerabantur,nullo inter arma corporáq;
vano intercidente telo.Falarica erat Saguntinis,missile telum hastili oblongo,& cætera tereti, præter-

Falarica quodnam telum esset.

quam ad extremum,vnde ferrum extabat.id,sicut in pilo,quadratum stuppa circumligabāt,linebántque pice.ferrum autem tres in longum habebat pedes,vt cum armis transfigere corpus posset. sed id
maximè, etiam si hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus , pauorem faciebat : quod cùm medium
accensum mitteretur.conceptúmque ipso motu multo maiorem ignem ferret , arma omitti cogebat,
nudúmq; militem ad insequentes ictus præbebat.Cùm ergo diu anceps fuisset certamen , & Sagunti-
nis,quia præter spem resisterent,creuissent animi:Pœnus,quia non vicisset , pro victo esset:clamorem

Saguntini Pœnos à mœnib. suis exturbant.

repentè oppidani tollunt, hostémque in ruinas muri expellunt, inde impeditum trepidantémque ex-
turbant ; postremò fusum fugatúmque in castra redigunt. Interim ab Roma legatos venisse nuntia-
tum est, quibus obuiam ad mare missi ab Annibale qui dicerent , nec tutò eos aditurós inter tot tam

effrenata

A effrenatarum gentium arma:nec Annibali in tanto discrimine rerum operæ esse legationes audire. Apparebat,non admissos protinus Carthaginem ituros.literas igitur nuntiósque ad principes factionis Barchinæ præmittit, vt præpararent suorum animos,ne quid pars altera gratificari pro Romanis posset. Itaque præterquàm quòd admissi auditíque non sunt, ea quoque vana atque irrita legatio fuit.

Annibal Legatos Romanos non admittit.

Hanno vnus aduerso senatu causam fœderis rupti magno silentio propter authoritatem suam cum assensu audientium egit. Per deos fœderum arbitros ac testes monuisse,prædixisse se,ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent,non manes,non stirpem eius conquiescere viri : nec vnquam,donec sanguinis nominísque Barchini quisquam superfit,quietura Romana fœdera. Iuuenem flagrantem cupidine regni,viámque vnam ad id cernentem,si ex bellis bella serendo succinctus armis legionibúsque viuat, velut materiam igni præbentes, ad exercitus misistis. aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circunsedent exercitus,vnde arcentur fœdere:mox Carthaginem circunsedebunt Romanæ legiones ducibus iisdem diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt vlti. vtrum hostem,an vos,an fortunam vtriusque populi ignoratis?Legatos ab sociis,& pro sociis venientes bonus imperator vester in castra non admisit,ius gentium sustulit.hi tamen,vnde ne hostium quidem legati arcentur,pulsi ad vos veniũt,res ex fœdere repetunt. publica fraus absit: authorem culpæ, & reum criminis deposcunt.quo lenius agunt,segnius incipiunt:eo cum cœperint,vereor ne perseuerantius sæuiant. Aegates insulas Erycémque ante oculos proponite,quæ terra maríque per quatuor & viginti annos passi sitis. Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Amilcar, Mars alter, vt isti volunt. sed Tarento tum in Italia non abstinueramus ex fœdere : sicut nunc Sagunto non abstinemus. vicerunt ergo dii hominésque,& id de quo verbis ambigebatur,vter populus fœdus rupisset:euentus belli, velut æquus iudex,vnde ius stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas turrésque admouit:Carthaginis mœnia quatit ariete.Sagunti ruinæ (falsus vtinam vates sim) nostris capitibus incident:susceptúmque cum Saguntinis bellum,habendum cum Romanis est.Dedemus ergo Annibalem?dicet aliquis.Scio meam leuem esse in eo authoritatem,propter paternas inimicitias.sed & Amilcarem eo periisse lætatus sum:quòd si ille viueret, bellum iam cum Romanis haberemus : & hunc iuuenem tãquam furiam facémque huius belli odi ac detestor.nec dedendum solùm ad piaculum rupti fœderis:sed,si nemo deposcat,deuehendum in vltimas maris terrarúmque oras : ablegandúmque eò, vnde nec ad nos nomen famáque eius accedere,nec solicitare quietæ ciuitatis statum possit. Ego autem ita censeo:legatos extemplò Romam mittendos,qui senatui satisfaciant:alios qui Annibali nuntient, vt exercitum ab Sagunto abducat:ipsúmque Annibalem ex fœdere Romanis dedant.tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

Hannonis in senatu Carthaginensi oratio aduersus Annibalem.

Cùm Hanno perorasset, nemini omnium certare oratione cum eo necesse fuit.
B adeò propè omnis senatus Annibalis erat : infestiúsque locutum arguebant Hannonem, quàm Flaccum Valerium legatum Romanum. Responsum inde legatis Romanis est, bellum ortum ab Saguntinis, non ab Annibale esse. populum Rom. iniustè facere, si Saguntinos vetustissimæ Carthaginiensium societati præponat. Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Annibal quia fessum militem præliis operibúsque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad custodiam vinearum aliorúmque operum dispositis. interim animos eorum nunc ira in hostes stimulando, nunc spe præmiorum accendit. vt verò pro concione prædam captæ vrbis edixit militum fore, adeò accensi omnes sunt, vt si extemplò signum datum esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini vt à præliis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies : ita non nocte, non die vnquam cessauerant ab opere, vt nouum murum ab ea parte,qua patefactum oppidũ ruinis erat,reficerent.

Saguntini dirutum murum reficiunt.

Inde oppugnatio eos aliquanto atrocior,quàm antè, adorta est : nec qua primùm aut potissimùm parte ferrent opem, cùm omnia variis clamoribus streperent, satis scire poterant. Ipse Annibal, quà turris mobilis omnia munimenta vrbis superans altitudine agebatur, hortator aderat.quæ cùm admota catapultis balistísque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset, tum Annibal occasionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.Nec erat difficile opus, quòd cæmenta non calce durata erant,sed interlita luto,structuræ antiquæ genere.itaque ante quàm cæderetur,ruebat:pérque patentia ruinis agmina armatorum in vrbem vadebant. locum quoque editum capiunt : collatísque eò catapultis balistísque,vt castellum in ipsa vrbe velut arcem imminentem haberent,muro circundant: & Saguntini murum interiorẽ ab nondum capta vrbis parte ducunt. Vtrinq; summa vi & muniunt, & pugnant.sed interiora tuendo,minorem in dies vrbẽ Saguntini faciunt.simul crescit inopia omniũ longa obsidione.& minuitur expectatio externæ opis, cùm tam procul Romani, vnica spes, circà omnia hostium essent.paulisper tamen affectos animos recreauit repentina profectio Annibalis in Oretanos,Carpetanósque.qui duo populi delectus acerbitate consternati, retentis cõquisitoribus metum defectionis cùm præbuissent, oppressi celeritate Annibalis omiserunt mota arma.Nec Sagunti oppugnatio segnior erat,Maharbale Himilconis filio,quem præfecerat Annibal,ita impigrè rem agente,vt ducem abesse nec ciues,nec hostes sentirent.Is & prælia aliquot secunda fecit, & tribus arietibus aliquantum muri discussit:stratáq; omnia recentibus ruinis aduenienti Annibali ostẽdit. itaq; ad ipsam arcẽ extemplò ductus exercitus,atróxq; prælium cum multorum vtrinque cæde initum,& pars arcis capta est. Tentata deinde per duos exigua pacis spes,Alconem Saguntinum & Alorcum Hispanum. Alcon incõsciis Saguntinis, precibus aliquid moturũ ratus,cùm ad Annibalem noctu transisset,postquam nihil lacrymæ mouebant, conditionésque tristes, vt ab irato victore ferebantur, transfuga ex oratore factus, apud hostem mansit:moriturum affirmans,qui sub conditionibus his de pace ageret. Postul

Alcon Saguntinus inconsciis ciuibus suis de pace agit cũ Annibale.

ret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis: traditóque omni auro atque argento, egressi vrbe A cum singulis vestimentis ibi habitarent, vbi Pœnus iussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus vinci animos, vbi alia vincantur, affirmans, se pacis eius interpretem fore pollicetur. Erat autem tum miles Annibalis: cæterùm publicè Saguntinis amicus atq; hospes. Tradito palàm telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad prætorem Saguntinum (& ipse ita iubebat) est deductus. Quò cum extemplò concursus omnis generis hominum esset factus, summota cætera multitudine, senatus Alorco datus est, cuius talis oratio fuit: Si ciuis vester Alcon, sicuti ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retulisset, superuacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos venissem, cùm verò ille aut vestra, aut sua culpa manserit apud hostem, si metum simulauit, sua: vestra, si periculũ est apud vos, vera referentibus: ego, ne ignoretis esse aliquas & salutis & pacis vobis conditiones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra autẽ causa me, nec vllius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides sit: quod neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Rom. sperastis, pacis vnquam apud vos mẽtionem feci. postquam nec ab Romanis vobis vlla spes est, nec vestra iam aut arma vos, aut mœnia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam quàm æquam. cuius ita aliqua spes est: si eam quemadmodum vt victor fert, Annibal, sic vos vt victi audiatis: si nõ id quod amittitur, in damno, cùm omnia victoris sint; sed quicquid relinquitur, pro munere habituri estis. Vrbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam ferè totam habet, adimit: agros relinquit, locum assignaturus, in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentúmque omne, publicum priuatúmque ad se iubet deferri: coniugum vestráque corpora, ac liberorum vestrorum seruat inuiolata, si inermes cum binis vestimentis velitis à Sagunto exire. Hæc victor hostis imperat. hæc quanquam sint grauia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, cùm omnium potestas ei à vobis facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed hæc patienda censeo potius quàm trucidari corpora vestra, rapi trahíque ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure sinatis. Ad hæc audienda cùm circumfusa paulatim multitudine permistum senatui esset populi cõcilium: repentè primores secessione facta, priusquam responsum daretur: argentum aurúmque omne ex publico priuatóque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conicientes, eodem plerique semetipsos præcipitauerunt. Cùm ex eo pauor ac trepidatio totam vrbem peruasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat: pérque ruinam eius cohors Pœnorum impetu facto cùm signum imperatori dedisset, nudatam stationibus custodiísque solitis hostium esse vrbem, non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis viribus aggressus vrbem momento cepit: signo dato, vt omnes puberes interficerentur. quod imperium crudele, cæterùm propè necessarium cognitum in ipso euentu B est. cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum coniugibus ac liberis domos super seipsos concremauerunt? aut armati nullum ante finem pugnæ quàm morientes fecerũt? Captum oppidum est cum ingenti præda. quanquam pleraque ab dominis de industria currupta erant, & in cædibus vix vllum discrimen ætatis ira fecerat, & captiui militum præda fuerant: tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniæ redactum esse constat, & multam pretiosam supellectilem vestémque missam Carthaginem. Octauo mense quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum quidam scripsere: inde Carthaginem Nouam in hyberna Annibalem concessisse: quinto deinde mense, quàm à Carthagine profectus sit, in Italiam peruenisse. Quæ si ita sunt, fieri non potuit, vt P. Cornelius, T. Sempronius coss. fuerint: ad quos & in principio oppugnationis legati Saguntini missi sint: & qui in suo magistratu cum Annibale, alter ad Ticinum amnem, ambo aliquanto post ad Trebiam pugnauerint, aut omnia breuiora aliquãdo fuere: aut Saguntum principio anni, quo P. Cornelius, T. Sempronius coss. fuerint, non cœptum oppugnari est, sed captum. nam excessisse pugna ad Trebiam in annum Cn. Seruilii & C. Flaminii non potest. quia Flaminius Arimini consulatum iniit, creatus ab T. Sempronio consule: qui post pugnam ad Trebiam ad creandos consules Romam cùm venisset, comitiis perfectis ad exercitum in hyberna rediit. Sub idem ferè tempus & legati qui redierant à Carthagine, Romam retulerunt omnia hostilia esse: & Sagunti excidium nuntiatum est: tantúsque simul mœror patres misericordiáque sociorum peremptorum indignè, & pudor nõ lati auxilii, & ira in Carthaginienses, metúsque de summa rerum cepit, velut si iam ad portas hostis esset: vt tot vno tempore motibus animi turbati, trepidarent magis quàm consulerent. Nam neque hostem acriorem bellicosiorémque secum congressum; nec rem Romanam tam desidem vnquam fuisse atque imbellem. Sardos Corsósque & Histros atque Illyricos lacessisse magis quàm exercuisse Romana arma: & cum Gallis tumultuatum magis quàm belligeratum. Pœnum hostem veteranum trium & viginti annorum militia durissima inter Hispanas gentes semper victurem, primùm Amilcare, deinde Asdrubale, nunc Annibale duce acerrimo assuetum, recentem ab excidio opulentissimæ vrbis Iberum transire: trahere secum tot excitos Hispanorum populos: cõciturum auidas semper armorum Gallicas gentes, cum orbe terrarum bellũ gerendũ in Italia, ac pro mœnibus Romanis esse. Nominatæ iam antea cõsulibus prouinciæ erãt. tum sortiri iussi: Cornelio Hispania, Sempronio Africa cum Sicilia euenit. Sex in eum annũ decretæ legiones, & sociorũ quantũ ipsis videretur, & classis quanta parari posset. quatuor & viginti peditũ Romanorum millia sunt scripta, mille & octingenti equites: sociorum XLIIII, peditum, & IIII equitum, naues CCXX quinqueremes, celoces viginti deductæ. Latum inde ad populum, vellent, iuberent, populo Carthaginiensi bellũ indici. eiúsque belli causa supplicatio per vrbem habita: atque adorati dii, vt bene ac feliciter eueniret, quod bellũ populus Romanus iussisset. Inter consules ita copiæ diuisæ. Sempronio

datæ

Alorcus Annibalis miles Saguntinis suadet, ut oblatas pacis leges accipiant.

Saguntini aurum argẽtúmque omne in ignẽ coniiciunt.

Saguntum capitur.

Sagunti excidio nuntiato Romani de rerum summa metuere cœperunt.

Belli apparatus aduersus Carthaginienses.

A datæ legiones duæ: ea quaterna millia erant peditum, & trecenti equites: sociorum sexdecim millia peditum, equites mille octingenti, naues longæ CLX. celoces duodecim. Cum his terrestribus maritimisque copiis T. Sempronius missus in Siciliam, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Pœnum consul alter satis esset. Cornelio minus copiarum datum, quia L. Manlius prætor & ipse cum haud inualido præsidio in Galliam mittebatur. Nauium maximè Cornelio numerus diminutus. sexaginta quinqueremes datæ: (neque enim mari venturum, aut ea parte belli dimicaturum hostem credebant) & duæ Romanæ legiones cum suo iusto equitatu: & quatuordecim millibus sociorum peditũ, equitibus mille ducentis. Duas legiones Romanas, & quatuordecim millia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos, Gallia prouincia eodem anno versa in Punicum bellum habuit. His ita comparatis, vt omnia iusta ante bellum fierent, legatos maiores natu, Q. Fabium, M. Liuium, L. Aemylium, C. Licinium, Q. Bebium, in Africam mittunt ad percunctandos Carthaginienses: publicóne consilio Annibal Saguntum oppugnasset? & si, id quod facturi videbantur, faterentur ac defenderent publico consilio factũ, vt indicerent populo Carthaginiensi bellum. Romani postquam Carthaginem venerunt, cùm senatus datus esset, & Q. Fabius nihil vltra quàm vnum, quod mandatum erat, percunctatus esset: tum ex Carthaginiensibus vnus princeps. Vana Romani, inquit, & prior legatio fuit, cùm Annibalem tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis. cæterùm hæc legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. tũc enim Annibal & insimulabatur, & deposcebatur. nunc à nobis & confessio culpæ exprimitur: & vt à confessis res extemplò repetuntur. Ego autem non priuato publicóne consilio Saguntum oppugnatum sit, quærendum censeo: sed vtrum iure, an iniuria. nostra enim hæc quæstio atque animaduersio in ciuem nostrum est: nostro, an suo fecerit arbitrio. vobiscum vna disceptatio est: licueritne per fœdus fieri. Itaque quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant: nobis vobiscum fœdus est à Luctatio cos. ictum: in quo cauetur vtrorúmque sociis. nihil de Saguntinis (necdum enim erant socii vestri) cautum est. At enim eo fœdere, quod cum Asdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur. aduersus quod nihil ego dicturus sum, nisi quod à vobis didici. vos enim quod C. Luctatius cos. primò nobiscum fœdus icit: quia neque authoritate patrũ, nec populi iussu ictum erat, negastis vos eo teneri. itaq; aliud deintegro fœdus publico consilio ictum est. Si vos nõ tenent vestra fœdera, nisi ex authoritate aut iussu vestro icta, ne nos quidem Asdrubalis fœdus, quòd nobis insciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, & quod diu parturit animus vester, aliquãdo pariat. Tum Romanus sinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum & pacem portamus: vtrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret vtrum vellet, succlamatum est. & cùm is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes respondérũt: & quibus acciperent animis, iisdem se gesturos. Hæc directa percunctatio ac denunciatio

Romani legatos mittunt Carthaginem.

Quid respõsum sit legatis Romanis.

Bellum indicitur Carthaginiensibus.

B bellum magis ex dignitate P. R. visa est, quàm de fœderũ iure verbis disceptare, cùm antè, tum maximè Sagunto excisa. nam si verborum disceptationis res esset: quod fœdus Asdrubalis cum Luctatii priore fœdere commutatum est, comparandum non erat: cùm in Luctatii fœdere disertè additum esset, ita id ratum fore, si populus censuisset: in Asdrubalis fœdere, nec exceptum tale quicquam fuerit: & tot annorum silentio ita viuo eo comprobatum sit fœdus, vt ne mortuo quidem authore quicquam mutaretur. quanquam & si priore fœdere staretur, satis cautum erat Saguntinis, sociis vtrorunque exceptis. nam neque additum erat iis, qui tunc essent: nec, ne qui postea assumerentur. & cum assumere nouos liceret socios, quis æquum censeret, aut ob nulla quenquam merita in amicitiam recipi? aut receptos in fidem non defendi? tantùm, ne Carthaginiensium socii aut solicitarentur ad defectionem, aut sua sponte desciscentes reciperentur. Legati Romani ab Carthagine, sicut his Romæ imperatum erat, in Hispaniam, vt adirent ciuitates, vt in societatem pellicerent, aut auerterent à Pœnis, traiecerunt. Ad Bargusios primùm venerunt. à quibus benignè excepti, quia tædebat imperii Punici, multos trans Iberum populos ad cupidinem nouæ fortunæ erexerunt. Ad Volcianos inde est ventum: quorum celebre per Hispaniam responsum cæteros populos à societate Romana auertit. ita enim maximus natu ex iis in concilio respondit: Quæ verecundia est vos Romani postulare, vti vestram Carthaginiensium præponamus amicitiæ? cùm, qui id fecerunt, Saguntinos, crudelius, quàm Pœnus hostis perdidit, vos socii prodideritis. ibi quæratis socios censeo, vbi Saguntina clades ignota est. Hispanis populis sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruinæ erunt: ne quis fidei Romanæ, aut societati confidat. Inde extemplò abire finibus Volcianorum iussi: ab nullo deinde concilio Hispaniæ benigniora verba tulere. itaque nequicquam peragrata Hispania in Galliam transeunt. In his noua terribilísque species visa est, quòd armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt. Cùm verbis extollentes virtutem gloriámque populi Romani ac magnitudinem imperii, petissent, ne Pœno bellum Italiæ inferenti per agros vrbésque suas transitum darent, tantus cum fremitu risus dicitur ortus, vt vix à magistratibus maioribúsque natu iuuentus sedaretur. adeò stolida impudénsque postulatio visa est: censere ne in Italiam transmittant Galli bellum. ipsos id auertere in se, agrósque suos pro alienis populandos obiicere. Sedato tandem fremitu, responsum legatis est: neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginiensium iniuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut aduersus Pœnos sumant arma. Contra ea audire sese, gentis suæ homines agris finibúsque Italiæ pelli à populo Romano stipendiúmque pendere, & cætera indigna pati. Eadem fermè in cæteris Galliæ conciliis dicta auditáque. nec hospitale quicquam, pacatúmve satis prius auditum, quàm Massiliam venerunt. ibi omnia ab sociis inquisita cum cura ac fide, cognita: præoccupatos iam ab Annibale Gallorum animos esse. sed ne illi quidem, ipsi satis mitem gentem fore (adeò

De iure fœderum pop. Romani cũ Carthaginiensibus.

Legati Romani Hispaniæ populos ad defectionem solicitant.

Volciani quid legatis Romanis responderint.

Galli veniũt in cõcilium armati.

Gallorum risus de legatis Romanis.

Massiliæ Legati Romani benignè excipiũtur.

ferocia

ferocia atque indomita ingenia esse) ni subinde auro, cuius auidissima gens est, principum animi cōcilientur. A Ita peragratis Hispaniæ & Galliæ populis, legati Romam redeūt. haud ita multo pòst quàm coss. in prouincias profecti erant, ciuitatem omnem in expectationem belli erectam inuenerunt: satis constante fama, iam Iberum Pœnos transisse. Annibal Sagunto capto, Carthaginem Nouam in hyberna concesserat. ibíque auditis, quæ Romæ, quæque Carthagine acta decretáque forent, séque non ducem solùm, sed etiam causam esse belli, partitis diuenditísque reliquiis prædæ, nihil vltrà differendum ratus, Hispani generis milites conuocat:

Annibalis ad Hispanos milites oratio.

Credo ego vos, inquit, socii & ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniæ populis, aut finiendam vobis militiam, exercitúsque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum. ita enim hæ gentes non pacis solùm, sed etiam victoriæ bonis florebūt, si ex aliis gētibus prædam & gloriam quæremus. itaque cùm longinqua ab domo instet militia, incertúmque sit quando domos vestras, & quæ cuique ibi cara sint, visuri sitis: si quis vestrûm suos inuisere vult, commeatum do. primo vere edico adsitis, vt diis bene iuuantibus bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus. Omnibus ferè visendi domos oblata vltro potestas grata erat, & iam desiderantibus suos, & longius in futurum prouidentibus desiderium. Per totum tempus hyemis quies inter labores aut iam exhaustos, aut mox exhauriendos, renouauit corpora animósque ad omnia de integro patienda. vere primo ad edictum conuenere. Annibal cùm recensuisset omnium auxilia gentium, Gadeis profectus Herculi vota exoluit: nouísque se obligat votis, si cætera prospera euenissent. Inde partiens curas simul inferendi atque arcendi belli, ne, dum ipse terrestri per Hispaniam Galliásque itinere Italiam peteret, nuda apertáque Romanis Africa ab Sicilia esset, valido præsidio eam firmare statuit.

Annibal ualido præsidio Africā firmat.

pro eo supplementum ipse ex Africa, maximè iaculatorum leuium armis petiit: vt Afri in Hispania, Hispani in Africa, melior procul ab domo futurus vterque miles, velut mutuis pignoribus obligati stipendia facerent. Tredecim millia octingentos quinquaginta pedites cetratos misit in Africam, & funditores Baleares octingentos septuaginta, equites mistos ex multis gentibus mille ducentos. has copias partim Carthagini præsidio esse, partim distribui per Africam iubet, simul conquisitoribus in ciuitates missis, quatuor millia conscripta delectæ iuuentutis, præsidium eosdem & obsides duci Carthaginem iubet. Neque Hispaniam negligendam ratus, atque ideo haud minus, quòd haud ignarus erat, circuitam ab Romanis eam legatis ad solicitandos principum animos, Asdrubali fratri viro impigro eam prouinciam destinat:

Asdrubal tuendam suscipit Hispaniam.

firmátque eum Africis maximè præsidiis, peditum Afrorum vndecim millibus, octingentis quinquaginta Liguribus, trecentis Balearibus. ad hæc peditum auxilia additi equites Libyphœnices, mistum Punicum Afris genus, trecenti, & Numidæ Maurísque accolæ Oceani ad mille octingentos, & parua Ilergetum manus ex Hispania ducenti equites: & ne quod terrestris deesset auxilii genus, elephanti quatuordecim. B classis præterea data ad tuendam maritimam oram: quia qua parte belli vicerant, ea tum quoque rem gesturos Romanos credi poterat:

Classis Punica.

quinquaginta quinqueremes, quadriremes duæ, triremes quinque: sed aptæ instructæque remigio triginta & duæ quinqueremes erant, & triremes quinque. Ab Gadib. Carthaginem ad hyberna exercitus rediit, atque inde profectus præter Etouissam vrbem ad Iberum, maritimámque oram ducit.

Spectrum in quiete Annibali apparet.

Ibi fama est. in quiete visum ab eo iuuenem diuina specie, qui se ab Ioue diceret ducem in Italiam Annibali missum: proinde sequeretur, neque vsquam à se deflecteret oculos: pauidum primò nusquam circumspicientem, aut respicientem secutum. deinde cura humani ingenii, cùm quídnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitâret animo, temperare oculis nequiuisse: tum vidisse pòst se serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri, ac pòst insequi cum fragore cæli nimbum: tum quæ moles ea, quídve prodigii esset, quærentem audisse: vastitatem Italiæ esse, pergeret porrò ire, nec vltra inquireret, sineréetque fata in occulto esse. Hoc visu lætus tripartitò Iberum copias traiecit, præmissis, qui Gallorum animos quà traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiúmque transitus specularentur. nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum traduxit. Ilergetes inde Bargusiósque & Ausetanos & Aquitaniam, quæ subiecta Pyrenæis montibus est, subegit: oræque huic omni præfecit Hannonem, vt fauces, quæ Hispanias Galliis iungunt, in potestate essent. Decem millia peditum Hannoni ad præsidium obtinendæ regionis data, & mille equites.

Annibalis exercitus.

Postquam per Pyrenæum saltum traduci exercitus cœptus est, rumórque per barbaros manauit certior de bello Romano, tria millia inde Carpetanorum peditum iter auerterunt. constabat, non tam bello motos, quàm longinquitate viæ, insuperabilíque Alpium transitu. Annibal quia reuocare aut vi retinere eos anceps erat, ne cæterorum etiam feroces animi iritarentur, supra septem millia hominum domos remisit, quos & ipse grauari militia senserat, Carpetanos quoque ab se dimissos simulans. inde ne mora atque otium animos solicitarent, cum reliquis copiis Pyrenæum transgreditur, & ad oppidum Illiberim castra locat. Galli quanquam Italiæ bellum inferri audiebant, tamen quia vi subactos trans Pyrenæum Hispanos fama erat, præsidiáque valida imposita, metu seruitutis ad arma consternati, Ruscinonem aliquot populi conueniunt:

Ruscinonē aliquot Galliæ populi aduersus Annibalem cōueniunt.

quod vbi Annibali nuntiatum est, moram magis quàm bellum metuens, oratores ad regulos eorum misit, colloqui semetipsum velle cum his, & vel illi propius Illiberim accederent, vel se Ruscinonem processurum, vt ex propinquo congressus facilior esset. nam & accepturum eos in castra sua se lætum, nec cunctanter seipsum ad eos venturū: hospitem enim se Galliæ, non hostem aduenisse: nec stricturum antè gladium, si per Gallos liceat, quàm in Italiam venisset. Et per nuntios quidem hæc.

Galli donis capti cū Pœno pacem ineunt.

Vt verò reguli Gallorum castris ad Illiberim extemplò motis, haud grauatè ad Pœnum venerunt, capti donis cum bona pace exercitum per fines suos præter Ruscinonem oppidum transmiserunt. In Italiam interim nihil vltra quàm Iberum transisse Annibalem, à Massiliensium

legatis

Boij à Romanis deficiunt.

A legatis Romam perlatum erat: cùm perinde, ac si Alpes iam transisset, Boii solicitatis Insubribus defecerunt, nec tam ob veteres in populo Romano iras, quàm quòd nuper circa Padum, Placentiam, Cremonámque colonias in agrum Gallicum deductas ægrè patiebantur. Itaque armis repentè arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, vt non agrestis modò multitudo, sed ipsi triumuiri Romani, qui ad agrum venerant assignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, Mutinam cófugerint, C. Luctatius, A. Seruilius, T. Annius. Luctatii nomen haud dubium est. pro A. Seruilio. & T. Annio, Q. Acilium, & C. Herennium habent quidam annales: alii P. Cornelium Asinam, & C. Papyrium Masonem. Id quoque dubium est, legati ad Boios ad expostulandum missi, violati sint, an in triumuiros agrum metanteis impetus sit factus. Mutinæ cùm obsiderentur, & gens ad oppugnandarum vrbium arteis rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, segnis intactis assideret muris, simulari cœptum de pace agi. euocatíque ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra ius modò gentium, sed violata etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur, negantibus Gallis nisi obsides sibi redderentur, eos se dimissuros. Cùm hæc de legatis nuntiata essent, & Mutina præsidiúmque in periculo esset, L. Manlius Pr. ira accensus, effusum agmen ad Mutinam ducit. Syluæ tunc circa viam erant, plerisque incultis: ibi inexploratò profectus, in insidias præcipitatus, multáque cum cæde suorum ægrè in apertos campos emersit: ibi castra communita, & quia Gallis ad tentanda ea defuit spes, refecti sunt militum animi, quanquam accisas res satis constabat. Iter deinde deintegro cœptum: necdum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hostis: vbi rursus syluæ intratæ, cum postremos adorti cum magna trepidatione ac pauore omnium, octingentos milites occiderũt, sex signa ademere. Finis & Gallis territandi, & pauendi Romanis fuit, vt ex saltu inuio atq; impedito euasere: inde apertis locis facilè tutantes agmen Romani Cannetum vicum propinquum Pado contendere. ibi se munimento ad tempus, commeatibúsque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio aduersus crescentem in dies multitudinem hostium tutabantur. Qui tumultus repens postquam est Romam perlatus, & Punicum insuper Gallico bello auctum patres acceperunt: C. Attilium Pr. cum vna legione Romana, & quinque millibus sociorũ delectu nouo à cos. conscriptis, auxilium ferre Manlio iubent: qui sine vllo certamine (abscesserant enim metu hostes) Cannetum peruenit. Et P. Cornelius in locum eius, quæ missa cum prætore fuerat transcripta legione noua, profectus ab vrbe sexaginta longis nauibus præter oram Hetruriæ Ligurúmque, & inde Salyum, mox peruenit Massiliam, & ad proximum ostium Rhodani (pluribus enim diuisus amnis in mare decurrit) castra locat, vixdum satis credens Annibalem superasse Pyrenæos montes: quem vt de Rhodani quoque transitu agitare animaduertit, incertus quónam ei loco occurreret, necdum satis refectis ab iactatione mari-

Mutina obsidetur.

L. Manlij Pr. exercitus cæditur.

Ostia Rhodani.

B tima militibus, trecentos interim delectos equites, ducibus Massiliensibus & auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, visendósque ex tuto hostes præmittit. Annibal cæteris metu, aut pretio pacatis, iam in Volcarum peruenerat agrum, gentis validæ: colunt autem circa vtranque ripam Rhodani. & diffisi citeriore agro arceri Pœnum posse, vt flumen pro munimento haberent, omnibus fermè suis trans Rhodanum traiectis, vlteriorem ripam amnis obtinebant. Cæteros accolas fluminis Annibal, & eos ipsos qui ipsas sedes tennerant: simul perlicit donis ad naues vndique contrahendas, fabricandásque, simul & ipsi traiici exercitum, leuaríque quàmprimum regionem suam tanta vrgente hominum turba cupiebant. Itaque ingens coacta vis nauium est, lintriúmque temerè ad vicinalem vsum paratarum: nouásque alias primum Galli inchoantes canabant ex singulis arboribus: deinde & ipsi milites, simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil, dummodo innare aquæ & capere onera possent, curantes, raptim faciebant, quibus se suáque transueherent. Iámque omnibus satis comparatis ad traiiciendum, terrebant ex aduerso hostes omnem ripam equis virísque obtinentes: quos vt auerteret, Hannonem Bomilcaris filium vigilia prima noctis cum parte copiarum, maximè Hispanis, aduerso flumine ire iter vnius diei iubet: & vbi primò posit, quàm occultissimè traiecto amni, circunducere agmen, vt cùm facto opus sit, adoriatur ab tergo hostem. ad id dati duces Galli educunt inde millia quinque & viginti fermè suprà paruæ insulæ circumfusum amnem, latiorem vbi diuidebatur, eóque minus alto alueo transitum ostendêre. ibi raptim cæsa materia, ratésque fabricatæ, in quibus equi viríque, & alia onera traiicerentur. Hispani sine vlla mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris superpositis incubantes flumen transnatauere. Et alius exercitus ratibus iunctis traiectus, castris propè flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete vnius diei reficitur, intento duce ad consilium opportunè exequendum. Postero die profecti ex loco, prodito fumo significant se transisse, & hand procul abesse. quod vbi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad traiiciendum. Iam paratas aptatásque habebat pedes lintres, eques ferè propter equos nantes nauium agmen ad excipiendum aduersi impetum fluminis parte superiore transmittens tranquillitatem infrà traiicientibus lintribus præbebat. equorũ pars magna nantes loris à puppibus trahebantur, præter eos, quos instructos frenatósque, vt extemplò egresso in ripam equiti vsui essent, imposuerunt in naues. Galli occursant in ripam cum variis vlulatibus, cantúque moris sui, quatientes scuta supra capita, vibrantésque dextris tela, quanquam & ex aduerso terrebat tanta vis nauium cum ingenti sono fluminis, & clamore vario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa traiicientes suos hortabantur. Iam satis pauentes aduerso tumultu terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis. mox & ipse aderat, ancépsque terror circunstabat: & è nauibus tanta vis armatorum in terram euadens, & à tergo improuisa premebat acies. Galli postquam vim facere conati, vltro pellebantur, quà patêre visum maximè iter,

Hãnonis copiæ Rhodanũ traijciũt.

Annibal Rhodanum cum exercitu traijcit.

perrumpunt:trepidíque in vicos paſsim ſuos diffugiunt. Annibal cæteris copiis per otium traiectis, A
Elephanti quonam modo traiecti.
ſpernens iam Gallicos tumultus,caſtra locat.Elephantorum traiciendorum varia conſilia fuiſſe credo: certè variata memoria eſt actæ rei: quidam congregatis ad ripam elephantis tradunt ferociſsimum ex iis iritatum à rectore ſuo,cùm refugientem in aquam natantem ſequeretur, traxiſſe gregem, vt quenque timentem altitudinē deſtituerat vadum,impetu ipſo fluminis in alteram ripam rapiente. Cæterùm magis conſtat,ratibus traiectos. id vt tutius conſilium ante rem foret: ita acta re, ad fidem pronius eſt. Ratem vnam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terra in amnem porrexerunt: quam, ne ſecunda aqua deferretur,pluribus retinaculis validis parte ſuperiore ripæ religatam pontis in modum humo iniecta conſtrauerunt,vt belluæ audacter velut per ſolum ingrederentur: altera ratis æquè lata,longa pedes centum,ad traiiciendum flumen apta,huic copulata eſt: & cum elephanti per ſtabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus fœminis, acti, in minorem applicatam tranſgreſsi ſunt: ea extemplò reſolutis,quibus leuiter annexa erat vinculis,ab actuariis aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expoſitis,alii deinde repetiti ac traiecti ſunt. nihil ſanè trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur: primus erat pauor, cùm ſoluta ab cæteris rate in altum raperentur: ibi vrgentes inter ſe, ſedentibus extremis ab aqua, trepidationem aliquantum edebant, donec quietem ipſe timor circunſpicientibus aquam feciſſet.excidère etiam ſæuientes quidam in flumen,ſed pondere ipſo ſtabiles,deiectis rectoribus, quærendis pedetentim vadis in terram
Prælium inter Numidas 500. & Romanos 300.
euaſere. Dum elephanti traiiciuntur,interim Annibal Numidas equites quingentos ad caſtra Romana miſerat ſpeculatum, vbi & quantæ copiæ eſſent, & quid pararent. huic alæ equitum miſsi, vt antè dictum eſt, ab oſtio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. prælium atrocius quàm pro numero pugnantium editur.nam præter multa vulnera,cædes etiam propè par vtriuſque fuit:fugáq; & pauor Numidarum Romanis iam admodum feſsis victoriam dedit:victores ad centum ſexaginta, nec omnes Romani,ſed pars Gallorum,victi amplius ducentis ceciderunt. Hoc principium, ſimúlq; omen belli vt ſummæ rerum proſperum euentum,ita haud ſanè incruentam,ancipitíſque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita geſta,ad vtrunq; ducem ſui redierunt. Nec Scipionis ſtare ſententia poterat,niſi vt ex conſiliis cœptíſque hoſtis & ipſe conatus caperet: & Annibalem incertum, vtrum cœptum in Italiam intenderet iter, an cum eo qui primus ſe obtuliſſet Romanus exercitus, manus conſereret, auerterat à præſenti certamine Boiorum legatorum, regulíque Matali aduentus: qui ſe duces itinerum, ſocios periculi fore affirmantes, integro bello, nuſquam antè libatis viribus, Italiam aggrediendam cenſent. Multitudo timebat quidem hoſtes, nondum obliterata memoria ſuperioris belli: ſed magis iter immenſum Alpéſque, rem fama vtique inexpertis horrendam metue-
Annibal ſuos ad inuadendam Italiam hortatur.
bat. Itaque Annibal, poſtquàm ipſi ſententia ſtetit pergere ire, atque Italiam petere, aduocata concione,uarie militum uerſat animos,caſtigando adhortandóque. B
Mirari ſe quínam pectora ſemper impauida repens terror inuaſerit.per tot annos vincenteis eos ſtipendia facere:neque antè Hiſpania exceſsiſſe,quàm omnes gentéſque & terræ eæ,quas duo diuerſa maria amplectantur,Carthaginienſium eſſent.indignatos deinde, quòd quicunque Saguntum obſediſſent, velut ob noxam ſibi dedi poſtularet P. R. Iberum traieciſſe ad delendum nomen Romanorum, liberandúmque orbem terrarum. tum nemini viſum id longum,cum ab occaſu ſolis ad exortus intenderent iter.nunc,poſtquam multo maiorem partem itineris emenſam cernant,Pyrenæum ſaltum inter ferociſsimas gentes ſuperatū Rhodanum tantum amnem,tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam ipſius fluminis ui,traie-
Alpes.
ctum:in conſpectu Alpes habeant, quarum alterum latus Italia ſit: in ipſis portis hoſtium fatigatos ſubſiſtere: quid aliud Alpes eſſe credentes,quàm montium altitudines? fingerent altiores Pyrenæis iugis: nullas profectò terras cælum contingere,nec inexuperabiles humano generi eſſe. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes. peruias paucis eſſe?exercitibus inuias?eos ipſos quos cernant, legatos non pennis ſublime elatos Alpes tranſgreſſos: nec maiores quidem eorum indigenas, ſed aduenas Italiæ cultores, has ipſas Alpes ingentibus ſæpe agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modo tutò tranſmiſiſſe. Militi quidem armato, nihil ſecum præter inſtrumenta belli portenti,quid inuium aut inexuperabile eſſe?Saguntum vt caperetur,quid per octo menſes periculi,quid laboris exhauſtum eſſe? Romani orbis terrarum caput petentibus quicquam adeò aſperum atque arduum videri,quod incœptum moretur?cepiſſe quondam Gallos ea, quæ adiri poſſe Pœnus deſperet?proinde aut cederent animo atque virtute genti per eos dies toties ab ſe victæ, aut itineris finem ſperent campum interiacentem Tyberi ac mœnibus Romanis. His adhortationibus incitatos corpora curare,atque ad iter ſe parare iubet. Poſtero die profectus aduerſa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via eſſet, ſed quantum à mari receſsiſſet,minus obuiam fore Romanum credens: cum quo, prius quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conſerere. Quartis caſtris ad inſulam peruenit: ibi Arar Rhodanúſque amnis diuerſis ex Alpibus decurrentes agri,aliquantulum amplexi confluunt in vnum.mediis campis Inſulæ nomen inditum.accolunt propè Allobroges,gens iam inde nulla Gallica gente opibus aut fama inferior. tum
Allobroges
diſcors erat.regni certamine ambigebant fratres.maior,& qui prius imperitarat, Branchus nomine, minore à fratre & cœtu iuniorum,qui iure minus,vi plus poterat,pellebatur.Huius ſeditionis peropportuna diſceptatio cùm ad Annibalem reiecta eſſet, arbiter regni factus, quod erat ſenatus princípúmque ſententia futurum: imperium maiori reſtituit. ob id meritum commeatu copiáque rerum omnium & veſtimentis eſt adiutus,quæ infames frigoribus Alpes præparare cogebant. Sedatis certaminibus Allobrogum, cum iam Alpes peteret, non recta regione iter inſtituit, ſed ad læuam in

Tricaſtinos

A Triеastinos flexit: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud vsquam *Tricastini.*
impedita via, prius quàm ad Druentiam flumen peruenit. Is & ipse Alpinus amnis longè omnium *Druentia.*
Galliæ fluminum difficillimus transitu est. nam cùm aquæ vim vehat ingentem, non tamen nauium
patiens est: quia nullis coercitus ripis, pluribus simul, neque iisdem alueis fluens, noua semper vada
nouósque gurgites faciens, (& ob eadem pediti quoque incerta via est) ad hæc saxa glareosa voluens,
nihil stabilis, nec tuti ingredienti præbet. & tum fortè imbribus auctus, ingentem transgredientibus
tumultum fecit, cùm super cætera trepidatione ipsi sua, atque incertis clamoribus turbarentur. P. Cor
nelius cos. triduò ferè, postquam Annibal ab ripa Rhodani mouit, quadrato agmine ad castra ho-
stium venerat, nullam dimicandi moram facturus. cæterùm vbi deserta munimenta, nec facilè se tan-
tum progressos assecuturum videt, ad mare ad naues rediit, tutius faciliúsque ita descendenti ab Al-
pibus Annibali occursurus. ne tamen nuda auxiliis Romanis Hispania esset, quam prouinciam sorti-
tus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum aduersus Asdrubalem misit: non ad *Cn. Scipio*
tutandos tantummodo veteres socios, conciliandósque nouos, sed etiam ad pellendum Hispania As- *aduersus Ha*
drubalem. ipse cum admodum exiguis copiis Genuam repetit, eo qui circa Padum erat, exercitu Ita- *sdrubalē in*
liam defensurus. Annibal ab Druentia campestri maximè itinere cum bona pace ad Alpes incolen- *Hispaniam*
tium ea loca Gallorum peruenit. Tum, quanquam fama prius, qua quidem incerta in maius vero ferri *mittitur.*
solent, percepta res erat: tamen ex propinquo visa montium altitudo, niuésque cælo propè immistæ, *Alpiũ quàm*
tecta informia imposita rupibus, pecora iumentáque torrida frigore, homines intonsi & inculti, ani- *difficilis trā*
malia inanimáque omnia rigentia gelu, cætera visu quàm dictu fœdiora, terrorem renouauere. Eri- *situs.*
gentibus in primos agmen cliuos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani. qui si valles
occultiores insedissent, coorti in pugnam repentè, ingentem fugam stragémque dedissent. Annibal
consistere signa iubet: Gallísque ad visenda loca præmissis, postquam comperit transitum eà nō esse,
castra inter confragosa omnia, præruptáque quàm extentissima potest valle locat. Tum per eosdem
Gallos, haud sanè multum lingua moribúsque abhorrentes, cum se immiscuissent colloquiis monta-
norum, edoctus interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quenque dilabi tecta: luce prima subiit
tumulos, vt ex aperto atque interdiu viam per angustias facturus. die deinde simulando aliud, quàm
quod parabatur, consumpto, cùm eodem, quo constiterat, loco castra communisset, vbi primùm di-
gressos tumulis montanos, laxatásque sensit custodias, pluribus ignibus quàm pro numero manen-
tium in speciem factis, impedimentísque cum equite relictis, & maxima parte peditum, ipse cum ex-
peditis acerrimo quoque viro raptim angustias euadit: iísque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant,
cōsedit. Prima deinde luce castra mota, & agmen reliquum incedere cœpit. Iam montani signo dato
B ex castellis ad stationem solitam conueniebant: cùm repentè conspiciunt alios arce occupata sua su-
per caput imminentes, alios via transire hostes. vtraque simul obiecta res oculis, animis immobiles
parumper eos defixit. deinde vt trepidationem in angustiis, suóque ipso tumultu Annibalis misceri
agmen videre, equis maximè consternatis, quicquid adiecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore
rati, peruersis rupibus iuxtà inuia ac deuia assueti discurrunt. Tum verò simul ab hostibus, simul ab *Galli Alpiũ*
iniquitate locorum Pœni oppugnabantur: plúsque inter ipsos, sibi cuique tendenti vt periculo prius *incolæ An-*
euaderet, quàm cum hostibus certaminis erat. equi maximè infestum agmen faciebant, qui & clamo- *nibalem op-*
ribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant: & icti fortè aut *pugnant.*
vulnerati, adeò consternati sunt, vt stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis
facerent. multósque turba, cùm præcipites diruptæque vtrinque angustiæ essent, in immensum altitu-
dinis deiecit: quosdam & armatos. inde ruinæ maximæ modo iumenta cum oneribus deuolueban-
tur. Quæ quanquam fœda visu erant, stetit parumper tamen Annibal, ac suos continuit, ne tumultum
ac trepidationem augeret. deinde, postquam interrumpi agmen vidit, periculúmque esse, ne exutum
impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco: & cùm
impetu ipso fudisset hostem, suis tumultum auxit. sed is tumultus momento temporis, postquam libe- *Annibal*
rata itinera fugā montanorum erant, sedatur: nec per otium modò, sed propè silentio mox omnes tra- *Gallos fu-*
ducti. castellum inde, quod caput eius regionis erat, vicósque circumiectos capit, & captiuorum pe- *dit.*
coribus per triduum exercitum aluit. & quia nec montanis primò perculsis, nec loco magnopere im-
pediebantur: aliquantum eo triduo viæ confecit. Peruentum inde ad frequentem cultoribus alium, vt
inter montana, populum: ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est propè cir-
cumuentus. Magno natu principes castellorum oratores ad Pœnum veniūt: alienis malis, vtili exem-
plo doctos, memorantes amicitiam malle, quàm vim experiri Pœnorum: itaq; obedienter imperata
facturos. commeatum, itinerísq; duces, & ad fidem promissorum obsides acciperet. Annibal nec te-
merè credendo, nec aspernando, ne repudiati apertè hostes fierent, benignè cùm respondisset: obsidi-
bus quos dabant acceptis, & commeatu, quem in viam ipsi detulerant, vsus: nequaquam, vt inter pa-
catos, incōposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti & equites erant: ipse pòst
cum robore peditum circumspectans solicitus omnia, incedebat. Vbi in angustiorem viam ex parte
altera subiectam iugo insuper imminenti ventum est, vndique ex insidiis barbari à fronte & à tergo
coorti, comminus eminúsque petunt, saxa ingentia in agmen deuoluunt. maxima ab tergo vis homi- *Galli ex in-*
num vrgebat. in eos versa peditum acies haud dubiū fecit, quin nisi firmata extrema agmina fuissent, *sidiis Anni*
ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac propè perniciem *balē adoriū*
ventum est. nam dum cunctaretur Annibal dimittere in angustias agmen: quia non, vt ipse equitibus *tur.*
præsidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat: occursantes per obliqua montani

n 2

erupto medio agmine viam insedere. nóxque vna Annibali sine equitibus ac impedimentis acta est. A
Postero die iam segnius intercursantibus barbaris, iunctæ copiæ, saltúsque haud sine clade, maiore tamen iumentorum quàm hominum pernicie superatus: inde montani pauciores iam, & latrocinii magis quàm belli more concursabant, modò in primum, modò in nouissimum agmen, ve cuique aut locus opportunitatem daret, aut progressi moratíve aliquam occasionem fecissent. Elephanti sicut præcipites per arctas vias magna mora agebantur: ita tutum ab hostibus quácunque incederent, quia insuetis adeundi propius metus erat, agmen præbebant.

Nono die in iugũ Alpiũ peruenit Annibal.

Nono die in iugum Alpium peruentum est per inuia pleraque, & errores: quos aut ducentium fraus, aut, vbi fides iis non esset, temerè initæ valles à coniectantibus iter, faciebant. Biduum in iugis statiua habita: fessísque labore ac pugnando quies data militibus: iumentáque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis, in castra peruenêre. Fessis tædio tot malorum, niuis etiam casus, occidente iam sidere vergiliarum, ingentem terrorem adiecit.

Annibal suos cohortatur.

Per omnia niue oppleta cum signis prima luce motis segniter agmen incederet, pigritiáque & desperatio in omnium vultu emineret: prægressus signa Annibal in promontorio quodam, vnde longè ac latè prospectus erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat, subiectósque Alpinis montibus circumpadanos campos: mœniáque eos tum transcendere non Italiæ modò, sed etiam vrbis Romæ: cætera plana, procliuia fore: vno, aut ad summum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac potestate habituros. Procedere inde agmen cœpit: iam nihil ne hostibus quidem, præter parua furta per occasionem tentantibus. cæterùm iter multò, quàm in ascensu fuerat, vt pleraque Alpium ab Italia sicut breuiora, ita arrectiora sunt, difficilius fuit. omnis enim fermè via præceps, angusta, lubrica erat, vt neque sustinere se à lapsu possent: nec, si qui paulum titubassent, hærere afflicti vestigio suo: alíique super alios, & iumenta & homines occiderent.

Rupes quædam inuia.

Ventum deinde ad multò angustiorem rupem, atque ita rectis saxis, vt ægrè expeditus miles tentabundus, manibúsque retinens virgulta ac stirpes circà eminentes, demittere sese posset. Natura locus iam antè præceps recenti terræ lapsu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viæ equites constitissent, miranti Annibali quæ res moraretur agmen, nuntiatur rupem inuiam esse. digressus deinde ipse ad locum visendum: haud dubia res visa, quin per inuia circa, nec trita antea quamuis longo ambitu circumduceret agmen. Ea verò via insuperabilis fuit. nam cùm super veterem niuem intactam noua modicæ altitudinis esset: molli, nec præaltæ niui facile pedes ingredientium insistebant. vt vero tot hominum iumentorúmque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem, fluentémque labem liquescentis niuis ingrediebantur. tertia ibi luctatio tetra, vt à lubrica glacie non recipiente vestigium, & in prono citius pede se fallente: & seu manibus in assurgendo, seu genu se adiuuissent, ipsis adminiculis prolapsi si iterum corruissent, nec stirpes circà radicésve, ad quas pede B
aut manu quisquam eniti posset, erant. itaque in leui tantum glacie tabidáque niue volutabantur iumenta: secabantur interdum, etiam tum infirmam ingredientia niuem: & prolapsa iactandis grauius in continendo vngulis, penitus perfringebant: vt pleraque velut pedica capta hærerent indurata & alta concreta glacie. Tandem nequicquam iumentis atque hominibus fatigatis, castra in iugo posita, ægerrimè ad idipsum loco purgato. tantum niuis fodiendum atque egerendum fuit.

Qua arte rupem minuerit Annibal

inde ad rupem minuendam, per quam via vna esse poterat, milites ducti, cùm cædendum esset saxum, arboribus circà immanibus deiectis detruncatísque, struem ingentem lignorum faciunt: eámque cùm & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiáque saxa infuso aceto putrefaciunt. ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliúntque anfractibus modicis cliuos, vt non iumenta solùm, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumptum: iumenta propè famè absumebantur. nuda enim ferè cacumina sunt: & si quid est pabuli, obruunt niues. inferiora vallis apricos quosdam colles habent, riuósque propè syluas: etiam humano cultu digniora loca. ibi iumenta in pabulum missa, & quies muniendo fessis hominibus data triduo. inde ad planum descensum est etiam locis mollioribus, & accolarum ingeniis. Hoc maximè modo peruentum est in Italiam quinto mense à Carthagine noua, (vt quidam authores sunt) quintodecimo die Alpibus superatis.

Quantæ copiæ Annibali fuerint in Italiam transgresso.

Quantæ copiæ transgresso in Italiam Annibali fuerint, nequaquam inter authores constat. qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt. qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum. L. Cincius Alimentius, qui captum se ab Annibale scribit, maximè author moueret me, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribúsque additis. cum his scribit octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam: (magis affluxisse verisimile est, & ita quidam authores sunt) ex ipso autem audisse Annibale, postquàm Rhodanum transierit, trigintasex millia hominum, ingentémque numerum equorum, & aliorum iumẽtorum amisisse in Taurinis: quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digresso.

Qua in Alpes transitum sit Annibal ambigitur.

Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quánam Alpes transierit: & vulgo credere Pennino, atq; inde nomen & iugo Alpium inditum, transgressum. Cœlius per Cremonis iugum dicit transisse. qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per saltus montanos ad Libuos Gallos deduxissent. Nec verisimile est, ea tum ad Galliam patuisse itinera: vtiq; cùm quæ ad Penninum ferant, obsepta gentibus semigermanis fuissent. neq; hercule montibus his (si quem fortè id mouit) ab transitu Pœnorum vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum: sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant. Peropportunè ad principia rerum Taurinis proximæ gẽti aduersus Insubres motum bellum erat. sed armare exercitum Annibal, vt parti alteri auxilio esset in reficiendo maximè sentientẽ contracta antè mala, nõ poterat. otium etenim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuuie tabéq;, squalida & propè efferata corpora variè monebant. Ea P. Cornelio cos. causa fuit,

A fuit, cùm Pisas nauibus venisset, exercitu à Manlio Attilióque accepro tyrone, & in oouis ignominiis trepido, ad Padum festinandi: vt cum hoste nondum refecto manum consereret. sed cùm Placentiam c o s. venit. iam ex statiuis mouerat Annibal: Taurinorúmq; vnam vrbem caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat: iunxissétq; sibi non metu solùm, sed etiam voluntate Gallos accolas Padi, ni eos circunspectantes defectionis tempus subitò aduentus c o s. oppressisset. Et Annibal mouit ex Taurinis, incertos quæ pars sequenda esset, Gallos præsentē se secuturos ratus. Iam propè in conspectu erant exercitus, cóuenerántq; duces: sicut vterq; inter se nondum satis noti, ita iam imbutus vterq; quadam admiratione alterius. nam Annibalis & apud Romanos iam ante Sagunti excidium celeberrimum nomen erat: & Scipionem Annibal eo ipso, quòd aduersus se dux potissimum lectus esset, præstantem virum credebat. & auxerant inter se opinionem: Scipio, quòd relictus in Gallia, obuins fuerat in Italiam transgresso Annibali: Annibal, conatu tam audaci traiiciendarum Alpium, & effectu. Occupauit tamen Scipio Padum traiicere: & ad Ticinum amnem motis castris, prius quàm educeret in aciem, adhortandorum militum causa talem orationem exorsus est: Si eum exercitum milites educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. quid enim adhortari referret: aut eos equites, qui equitatū hostium ad Rhodanum flumen egregiè vicissenē: aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, confessionem cedentis ac detrectātis certamen pro victoria habui. nunc quia ille exercitus Hispaniæ prouinciæ scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, vbi eum gerere senatus populúsq; Romanus voluit: ego, vt c o s. ducem aduersus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli. Nouo imperatori apud nouos milites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli, néve hostem ignoretis: cum iis est vobis milites pugnandnm, quos terra maríq; priore bello vicistis: à quibus stipendium per viginti annos exegistis: à quibus capta belli præmia, Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur io hoc certamine is vobis illísq; animus, qui victoribus & victis esse solet. Nec nūc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt: nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauere, eos duabus partibns peditum equitúmq; in transitu Alpium amissis, qui plures penè perierint qnàm supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis corporibúsq;, quorum robora ac vires vix sustinere vis vlla possit. Effigies, imò vmbræ hominum, fame, frigore, illuuie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupésq;: ad hæc, perosti artus, niue rigētes nerui, membra torrida gelu, quassata fractáq; arma: claudi ac debiles equi. cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil magis vereor, ne antequam vos cum hoste pugnaueritis, Alpes vicisse Annibalem videantur. Sed ita forsitan decuit,
B cum fœderom ruptore duce ac populo deos ipsos sine vlla humana ope cōmittere ac profligare bellum: nos autem, qui secundum deos violati sumus, cōmissum ac profligatum cōficere. Non vereor ne quis me hoc vestri adhortandi causa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectū esse. Licuit in Hispaniam prouinciam meam ire, quò iam profectus eram cum exercitu meo, vbi & fratrem consilii participem, ac periculi socium haberem: & Asdrubalem potius quàm Annibalem hostem, & minorem haud dubiè molem belli. tamen cum præterueherer oauibus Galliæ oram, ad famam huius hostis in terrá egressus, præmisso equitatu, ad Rhodanum moui castra. equestri prælio, qua parte copiarum conserēndi mannm fortuna data est, hostem fudi. peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram, neq; regressus ad naues erat, quanta maxime celeritate potui, tanto maris terrarúmq; circuitu, in radicibus Alpiū obuius fui. Hnic timendo hosti vtrū cum declinarē certamen, improuisus videor incidisse, an occurrere in vestigiis eius? lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri iuuat, vtrum alios certè repentè Carthaginienses per viginti annos terra ediderit: an iidem sint, qui ad Aegates pugnauere insulas, & quos ab Eryce † duodeuicenis denariis æstimatos emisistis. & vtrum Annibal hic sit æmulus itinerū Herculis, vt ipse fert, an vectigalis stipendiariúsq; & seruus populi Romani à patre relictus: quem nisi Saguotioum scelus agitaret, respiceret profectò, si non patriam victam, domum certè, pacémq; & fœdera Amilcaris scripta maou: qui iussns à c o s. nostro præsidium deduxit ab Eryce: qni graues impositas victis Carthaginiēsibns leges fremens mœrénsq; accepit: qui decedere Sicilia, qui stipendiū populo Romano dare pactus est. Itaq; vos ego milites, non eo solùm animo, quo aduersus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atq; ira, velut si seruos videatis vestros arma repentè contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos vltimo supplicio humanorum, fame interficere. licuit classem victricem in Africam traiicere, atq; intra paucos dies sine vllo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus: emisimus ex obsidione: pacem cum victis fecimus: tutelæ oostræ deinde duximus, cùm Africo bello vrgerentur. Pro his impertitis furiosum iuuenem sequentes, oppugnatum patriam nostram veniunt. Atq; vtinā pro decore nobis hoc tantùm, & non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliæ ac Sardiniæ, de quibus quōdam agebatur, sed pro Italia nobis est pugnandum: nec est alius ab tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliæ suot, quas dum superat, comparari noua possint præsidia. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana mœnia pugnemus. Vnusquisque se non corpus suum, sed cōiugem ac liberos paruos armis protegere putet: nec domesticas solùm agitet curas, sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus senatum popnlúmq; Romanū: qualis nostra vis virtúsq; fuerit, talem deinde fortunam illius vrbis ac Romani imperii fore. Hæc apud Romanos Consnl. Annibal rebus prius, quàm verbis, adhortandos milites ratus, circundato ad spectaculum exercitu, captiuos montanos vinctos in medio constituit,

Annibal & Scipio clarissimi duces.

Scipionis ad suos oratio.

† Vel. duobus coronatis minus 10 solid. turonens. uel circiter.

Miro spectaculo suos Annibal ad pugnam stimulat.

armísq; Gallicis ante eorũ pedes proiectis, interrogare interpretem iussit, quis, si vinculis leuaretur, A armáq; & equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Cum ad vnum omnes ferrum pugnámque poscerent, & deiecta esset in id sors, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen eligeret. Vt cuiusq; sors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio exultans cùm sui moris tripudiis arma raptim capiebat: vbi verò dimicarent, is habitus animorum non inter eiusdem modò conditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgo: vt non vincentium magis, quàm bene moriẽtium fortuna laudaretur. Dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde aduocata, ita apud eos

Annibalis concio.

locutus fertur. Si quem animum in alienæ sortis exemplo paulo antè habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna vestra habueritis, vicimus milites: neque enim spectaculum modò illud, sed quædam velut imago vestræ conditionis erat: ac nescio, an maiora vincula, maioresq; necessitates vobis quàm captiuis vestris fortuna circundederit, dextra læuáq; duo maria claudunt, nullam ne ad effugiũ qui-

Padus.

dem nauem habentibus, circà Padus amnis, maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitę. Hic vobis vincendum, aut moriendum milites est, vbi primùm hosti occurristis: & eadem fortuna, quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantùm ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent: quicquid Romani tot triumphis partum congestúmq; possident, id omne nostrũ cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem agite cum diis bene iuuantibus, arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitaniæ Celtiberiæq; montibus pecora consectando, nullum emolumentũ tot laborum periculorúmque vestrorum vidistis: tempus est iam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, & magna operæ pretia mereri, tantũ itineris per tot montes fluminàq;, & tot armatas gentes emensos. Hic vobis terminum laborũ fortuna dedit, hic dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec quàm magni nominis bellum est, tam difficilem existimaueritis victoriam fore. Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regésq; perleui momento victi sunt. Nam dempto hoc vno fulgore nominis Romani, quid est, quòd illi vobis comparandi sint? Vt viginti annorũ militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano terminísq; vltimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniæ & Galliæ populos, vincentes huc peruenistis: pugnabitis cũ exercitu tyrone, hac ipsa æstate cæso, victo, circumsesso à Gallis. ignoto adhuc duci suo, ignorantéq; ducem. An me in prætorio patris clarissimi imperatoris propè natum, certe educatum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem eundem non Alpinarum modò gentium, sed ipsarum, quod multo maius est, Alpium, cum semestri hoc conferã duce, desertore exercitus sui? cui si quis demptis signis pœnos Romanósq; hodie ostendat, ignoraturum certum habeo, vtrius exercitus sit COS. Non B ego illud parui æstimo milites, quòd nemo vestrum est, cuius non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis, notata tẽporibus locísq; referre sua possim decora: tum laudastis me milites, donastis. Alumnus prius omnium vestrûm, quàm imperator procedã acie aduersus ignotos inter se, ignorantésq;. Quócunq; circuntuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris, veteranum peditem, generosissimarum gentium equites frenatos & infrenatos, vos socios fidelissimos fortissimósq;, vos Carthaginienses, tum ob patriam, tum ob iram iustissimam pugnaturos. Inferimus bellum, infestísq; signis descẽdimus in Italiam, tanto audacius fortiúsque pugnaturi, quanto maior spes maiórque animus inferentis est vim, quàm arcentis. Accendit præterea animos & stimulat dolor, iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcere me ducem primùm, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis, deditos vltimis cruciatibus affecturi fuere. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia suiq; arbitrii facit, cum quibus bellum: cum quibus pacem habeamus, se modum imponere æquum censet: circumscribit includítq; nos terminis mõtium, fluminúmq;: quos ne excedamus, neq; eos, quos statuit, terminos obseruat. Ne transieris Iberum: ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. ad Iberum est Saguntum: nusquam te vestigio moueris. Parum est, quòd veterrimas prouincias nostras Siciliam ac Sardiniam ademit, nisi adimat etiam Hispaniam: & si inde cessero, in Africam transcendet. Transcendet autem dico? duos COS. huius anni, vnum in Africam, alterum in Hispaniam misere. nihil vsquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicauerimus. illis timidis & ignauis licet esse, qui receptum habent, quos suus ager, sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortémve certa desperatione abruptis, aut vincere: aut si fortuna dubitabit, in prælio potius, quàm in fuga, mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, destinatúmq; in animo est, iterum dicam, Vicistis: nullum incitamentũ ad vincendum homini à diis immortalibus acrius datum est. His adhortationibus cum

Romani põte Ticinum iungunt.

vtrinq; ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum iungunt, tutandíq; pontis causa castellum superimponunt. Pœnus opere occupatis hostibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum P.R. agros mittit. Gallis parci quàm maximè

Maharbal sociorum P. R. agros depopulatur.

iubet, principúmq; animos solicitare ad defectionem. Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Insubrium, quinq; millia passuum à vico tumulis consedit. Ibi Annibal castra habebat, reuocatóq; properè Maharbale, atq; equitibus, cùm instare certamen cerneret, nihil vnquam satis dictũ præmonitúmq; ad cohortandos milites ratus, vocatis ad cõcionem certa præmia pronuntiat, in quo-

Annibal præmia sua pronuntiat.

rum spem pugnarent. agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, vbi quisque velit, immunem ipsi qui accepisset, liberisq;: qui pecuniam quàm agrum maluisset, ei se argento satisfacturum: qui sociorum ciues Carthaginienses fieri vellent, potestatem facturum: qui domos redire mallent, daturum

se oper

A ſe operam, ne cuius ſuorũ popularium mutatam ſecum fortunam eſſe vellent: ſeruis quoq; dominos proſecutis libertatem proponit, bináq; pro his mancipia dominis ſe redditurum. Eáq; vt rata ſcirent fore, agnum læua manu, dextera ſilicem retinens, ſi falleret, Iouem ceteróſq; precatus deos, ita ſe mactarent, queadmodum ipſe agnum mactaſſet: ſecundum precationẽ caput pecudis ſaxo eliſit. Tum verò omnes velut diis authoribus in ſpem ſuam quiſq; acceptis id moræ, quod nondum pugnarent, ad potienda ſperata rati, prælium vno animo & voce vna poſcunt. Apud Romanos haudquaquã tanta alacritas erat, ſuper cætera recentibus etiã territos prodigiis. nam & lupus intrauerat caſtra, laniatíſq; obuiis, ipſe intactus euaſerat, & examen apum in arbore prætorio imminente cõſederat. Quibus procuratis, Scipio cum equitatu iaculatoribúſq; expeditis profectus ad caſtra hoſtium, exq; propinquo copias, quantæ & cuius generis eſſent, ſpeculandas, obuius fit Annibali, & ipſi cum equitibus ad exploranda circà loca progreſſo. neutri alteros primò cernebant: denſior deinde inceſſu tot hominũ equorúmq; oriens puluis ſignum propinquantium hoſtium fuit. Conſtitit vtrunq; agmen, & prælio ſeſe expediebant. Scipio iaculatores & Gallos equites in fronte locat, Romanos ſociorúmq; quod roboris fuit, in ſubſidiis. Annibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vixdum clamore ſublato, iaculatores fugêre inter ſubſidia ad ſecundam aciem: inde equitum certamen erat aliquandiu anceps: deinde quia turbabant equos pedites intermiſti, multis labentibus ex equis, aut deſilientibus, vbi ſuos premi circunuentos vidiſſent, iam magna ex parte anceps pugna erat: donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumuecti paululum ab tergo ſe oſtendêre. Is pauor perculit Romanos, auxítq; pauorem cos. vulnus, periculúmq; intercurſu tum primùm pubeſcentis filii propulſatũ. Hic erat iuuenis, penes quem perfecti huiuſce belli laus eſt, Africanus ob egregiam victoriã de Annibale & de Pœnis appellatus. Fuga tamen effuſa iaculatorũ maximè fuit, quos primos Numidæ inuaſerunt. Alius confertus equitatus cos. in medium acceptum non armis modò, ſed etiã corporibus ſuis protegens, in caſtra nuſquam trepidè neq; effuſè cedendo, reduxit. Seruati cos. decus Cœlius ad ſeruũ natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verum eſſe, quod & plures tradidere authores: ſeruum fama obtinuit. Hoc primum cum Annibale prælium fuit: quo facilè apparuit, & equitatu meliorem Pœnum eſſe, & ob id campos patentes, quales ſunt inter Padum Alpéſq;, bello gerendo Romanis aptos non eſſe. Itaque proxima nocte iuſſis militibus vaſa ſilentio colligere, caſtra ab Ticino mota feſtinatúmq; ad Padum eſt, vt ratibus, quibus iunxerat flumen, nondum reſolutis, ſine tumultu atq; inſectatione hoſtis, copias traiiceret. Prius Placentiam peruenere quàm ſatis ſciret Annibal ab Ticino profectos: tamen aliquot moratorum in citeriore ripa ſegniter ratem ſoluentes cepit: tranſire non potuit pontem, vt extrema reſoluta erant, tota rate in ſecundam aquam labente. Cœlius author

Romani terrentur prodigiis.

Prælium inter Scipionẽ & Annibalem ad explorandum loca profectos.

Pœnus equitatu melior Romanis.

Romani Placentiam relicto Ticino perueniunt.

B eſt, Magonem cum equitatu, & Hiſpanis peditibus flumen extemplò tranſnataſſe, ipſum Annibalem per ſuperiora Padi vada exercitum traduxiſſe, elephãtis in ordinem ad ſuſtinendum impetum fluminis oppoſitis. Ea periti amnis eius vix fecerint. nam neq; equites armis equíſq; ſaluis tantam vim fluminis ſuperaſſe, veriſimile eſt, vt iam Hiſpanos omneis inflati tranſuexerint vtres, & multorũ dierum circuitu Padi vada petenda fuerant, quà exercitus grauis impedimẽtis traduci poſſet. Potiores apud me auhores ſunt, qui biduo vix locum rate iungendo flumini inuentũ tradunt: eà cum Magone equites Hiſpanorum expeditos præmiſſos. Dum Annibal citra flumen legationibus Gallorum audiendis moratus traiicit grauius peditum agmen, interim Mago equitéſq; ab tranſitu fluminis diei vnius itinere Placentiam ad hoſtes contendunt. Annibal paucis pòſt diebus ſex millia à Placentia caſtra cõmuniuit, & poſtero die in conſpectu hoſtium acie directa, poteſtatem pugnæ fecit. Inſequenti nocte cædes in caſtris Romanis tumultu tamen quàm re maior, ab auxiliaribus Gallis facta eſt. Ad duo millia peditũ, & ducenti equites vigilibus ad portas trucidatis, ad Annibalem transfugiunt: quos Pœnus benignè allocutus, & ſpe ingentium donorum accenſos, in ciuitates quenq; ſuas ad ſollicitandos popularium animos dimiſit. Scipio cædem eam ſignum defectionis omnium Gallorum eſſe ratus, coactóſq; eo ſcelere velut iniecta rabie ad arma ituros, quanquã grauis adhuc vulnere erat, tamẽ quarta vigilia noctis inſequentis tacito agmine profectus ad Trebiam fluuium in loca altiora, colléſq; impeditiores equiti caſtra mouet: Minus quàm ad Ticinum fefellit: miſſíſq; Annibal primùm Numidis, deinde omni equitatu, turbaſſet vtiq; nouiſſimũ agmen, ni auiditate prædæ in vacua Romana caſtra Numidæ diuertiſſent. Ibi dum perſcrutantes loca omnia caſtrorũ nullo ſatis digno more pretio tempus terunt, emiſſus hoſtis de manibus eſt: & cum iam tranſgreſſos Trebiam Romanos, metantéſque caſtra conſpexiſſent, paucos moratorum occiderũt circa flumen interceptos. Scipio nec vexationem vulneris in via iactantis vltrà patiens, & collegam (iam enim reuocatum ex Sicilia audierat) ratus expectandum, locum, qui propè flumen tutiſſimus ſtatiuis eſt viſus, delectum communiuit. Nec procul inde Annibal cùm conſediſſet, quantum victoria equeſtri elatus, tantum anxius inopia, quæ per hoſtium agros euntem nuſquã præparatis cõmeatibus maior in dies excipiebat, ad Claſtidium vicum, quò magnum frumenti numerum congeſſerant Romani, mittit. ibi cum vim pararent, ſpes facta proditionis: nec ſanè magno pretio,† nummis aureis quadringentis datis P. Brunduſino præfecto præſidii corrupto. traditur Annibali Claſtidium, id horreum fuit Pœnis ſedentibus ad Trebiam. In captiuos ex tradito præſidio, vt fama clementiæ in principio rerum colligeretur, nihil ſæuitum eſt. Cùm ad Trebiam terreſtre conſtitiſſet bellum, interim circa Siciliam inſuláſque Italiæ imminentes, & à Sempronio Conſule, & ante aduentum eius terra maríq; res geſtæ. Viginti quinqueremes cum mille armatis ad depopulandam oram Italiæ à Carthaginienſibus miſſæ, nouem Liparas, octo inſulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum auertit æſtus. Ad eas cõſpectas à Meſſana duodecim naues ab Hierone

Scipio ad Trebiam fluuium proficiſcitur.

† Val. 1000 coron.

Claſtidium Annibali proditur.

Carthaginienſium claſſis.

rege Syracuſanorum miſſæ,qui tum fortè Meſſanæ erat conſulem Romanum opperiens, nullo repu- A
gnante captas naues Meſſanam in portum deduxerunt. Cognitum ex captiuis, præter viginti naues,
cuius ipſi claſsis eſſent,in Italiam miſſas:quinq; & triginta alias quinqueremes Siciliam petere ad ſo-
licitandos veteres ſocios.Lilybæi occupãdi præcipuã curam eſſe,credere eadem tempeſtate, qua ipſi
diſiecti forent,eam quoq; claſſem ad Aegateis inſulam deiectam.Hæc ſicut audita erant,rex Meſſanæ
Aemylio prætori,cuius Sicilia erat prouincia, perſcribit, monétq; Lilybæum firmo teneret præſidio.
Extemplò & circa prætorem ad ciuitates miſsi legati tribuníq;,qui ſuos ad curam cuſtodiæ intende-
rent,ante omnia Lilybæum teneri ad apparatũ belli,edicto propoſito,vt ſocii nauales decem dierum
cocta cibaria ad naues deferrent:vbi ſignũ datum eſſet,ne quid moram conſcendendi facerent:pérq;
omnem oram qui erant,ex ſpeculis conſpicerẽt aduentantem hoſtiũ claſſem. Simul itaq;, quanquam
de induſtria morati curſum nauium erant Carthaginienſes,vt ante lucem accederent Lilybæum, præ-
ſenſum tamen eſt,quia & luna pernox erat,& ſublatis armamentis veniebãt : extemplò datum è ſpe-
culis ſignum,& in oppido ad arma conclamatũ eſt,& in naues cõſcenſum : pars militũ in muris por-
tarúmq; ſtationibus,pars in nauibus erant.Et Carthaginiẽſes,quia rem fore haud cum imparatis cer-

Naualis pugna inter Pœnos & Romanos.

nebant,vſq; ad lucẽ portu ſe abſtinuerunt,demendis armamentis eo tempore,aptandáq; ad pugnam
claſſe abſumpto.Vbi illuxit,recepere claſſem in altum,vt ſpatium pugnæ eſſet,exitúmq; liberũ è por-
tu naues hoſtium haberẽt.Nec Romani detrectauere pugnam,& memoria circa ea ipſa loca geſtarũ
rerum freti,& militum multitudine,ac virtute.Vbi in altum euecti ſunt, Romanus cõſerere pugnam,
& ex propinquo vires cõferre velle:contrà eludere Pœnus,& arte,nõ vi rem gerere,nauiúmq; quàm
virorum aut armorum malle certamen facere. nam vt ſociis naualibus affatim inſtructam claſſem,ita
inopem milite habebat:& ſicubi conſerta manus eſſet,haudquaquam par numerus armatorum ex ea

Naues Punicæ aliquot captæ, reliquæ fugam ceperunt.

pugnabat.Quod vbi animaduerſum eſt,& Romanis multitudo ſua auxit animũ, & paucitas illis mi-
nuit.Extemplò ſeptem naues Punicæ circumuentæ,fugam cæteræ ceperunt.Mille & DCC fuere in na-
uibus capti,milites nautæq;,in iis tres nobiles Carthaginienſiũ.Claſsis Romana incolumis, vna tan-
tùm perforata naui, ſed ea quoq; ipſa reduce,in portũ rediit.Secũdum hanc pugnam,nondum gnaris
eis qui Meſſanæ erant,T.Sempronius COS.Meſſanam venit, & fretum intranti rex Hiero claſſem or-
natam obuiam duxit:tranſgreſſúſq; ex regia in prætoriã nauem,gratulatus ſoſpitem cum exercitu &
nauibus aduenisse,precatúſq; proſperũ ac felicem in Siciliam tranſitum, ſtatum deinde inſulæ & Car-
thaginienſium conata expoſuit:pollicitúſq; eſt,quo animo priore bello populum Rom.iuuenis adiu-
uiſſet,eo ſenem adiuturũ,frumenta veſtimentáq; ſe legionibus conſulis ſociiſq; naualibus gratis præ-
biturum:grande periculum Lilybæorũ maritimiſq; ciuitatibus eſſe,quibuſdam volentibus nouas res
fore.Ob hoc Cõſuli nihil cunctandum viſum,quin Lilybæum claſſe peteret:& rex regiáq; claſsis vnà B
profecti.nauigantes inde,pugnatũ ad Lilybæum,fuſáſq; & captas hoſtiũ naues accepere. A Lilybæo

Melita cum Carthaginienſiũ præſidio Romanis deditur. Vulcani inſulæ.

COS.Hierone cũ claſſe regia dimiſſo,relictóq; prætore ad tuendam Siciliæ oram, ipſe in inſulam Me-
litam,quæ à Carthaginiẽſibus tenebatur,traiecit. Aduenienti Amilcar Giſgonis filius præfectus præ-
ſidii,cum paulo minus duobus millibus militum,oppidúmque cum inſula traditur:inde poſt paucos
dies reditũ Lilybæum,captiuíq; & à conſule & à prætore,præter inſignes nobilitate viros,ſub corona
venierunt.Poſtquam ab ea parte ſatis tutam Siciliam cenſebat conſul, ad inſulas Vulcani, quia fama
erat ſtare ibi Punicam claſſem, traiecit. nec quiſquam hoſtium circa eas inſulas inuentus. iam fortè
tranſmiſerant ad vaſtandam Italiæ oram:depopulatóq; Vibonenſi agro,vrbem etiam terrebant. Re-
petenti Siciliam conſuli,excurſio hoſtiũ in agrum Vibonenſem facta nuntiatur : literæque à ſenatu de
tranſitu in Italiam Annibalis, & vt primo quoq; tempore collegæ ferret auxilium, miſſæ traduntur.
Multis ſimul anxius curis exercitũ extemplò in naues impoſitum Ariminum ſupero mari miſit:Sex.
Pomponio legato cum vigintiquinque longis nauibus Vibonenſem agrum maritimámq; oram Ita-
liæ tuendam attribuit:M.Aemylio Præt.quinquaginta nauium claſſem expleuit:ipſe cõpoſitis Siciliæ
rebus,decem nauibus oram Italiæ legens, Ariminum peruenit : inde cum exercitu ſuo profectus ad

Ambo Coſſ. Annibali opponuntur.

Trebiam flumen collegæ coniungitur. Iam ambo conſules,& quicquid Romanarũ virium erat An-
nibali oppoſitum. aut illis copiis defendi poſſe Romanum imperium,aut ſpem nullam aliam eſſe, ſa-
tis declarabat. Tamen conſul alter , equeſtri prælio vno , & vulnere ſuo minutus , trahi rem male-
bat : recentis animi alter , eóque ferocior , nullam dilationem patiebatur. Quod inter Trebiam Pa-
dúmque agri eſt , Galli tum incolebant , in duorum præpotentium populorum certamine per am-
biguum fauorem haud dubiè gratiam victoris ſpectantes. Id Romani ne quid modò mouerent,
æquo ſatis,Pœnus periniquo animo ferebat : à Gallis accitum ſe veniſſe ad liberandum eos dictitans.
Ob eam iram,ſimul vt præda militem aleret, duo millia peditum & mille equites,Numidas pleroſq;,
miſtos quoſdam & Gallos, populari omnem deinceps agrum vſque ad Padi ripas iuſsit.Egentes ope
Galli, cum ad id dubios ſeruaſſent animos , coacti ab authoribus iniuriæ ad vindices futuros decli-
nant : legatíſque ad conſulem miſsis , auxilium Romanorum terræ ob nimiam cultorum fidem in
Romanos laboranti , orant. Cornelio nec cauſa , nec tempus agendæ rei placebat : ſuſpectáque ei
gens erat , tum ob infida multa facinora : tum, vt alia vetuſtate obſoleuiſſent , ob recentem Boio-
rum perfidiam. Sempronius contrà, continendis in fide ſociis maximum vinculum eſſe, primos qui
coiſſent ope defenſos cenſebat. Tum collega cunctante, equitatum ſuum, mille peditum iaculatori-
bus fermè admiſtis , ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. Ii ſparſos & incom-
poſitos oneratóſque præda pleroſque, cum inopinantes inuaſiſſent, ingentem terrorem cædémque
ac fugam vſque ad caſtra ſtationéſque hoſtium fecere : vnde multitudine effuſa pulſi, rurſus ſubſidio
ſuorum

A suorum prælium restituere. varia inde pugna sequentes quanquam ad extremum æquassent certamen, maior tamen hostium Romanis fama victoriæ fuit. Cæterum nemini omnium maior iustiórque quàm ipsi consuli videri. gaudio efferri: qua parte copiarum alter consul victus foret, ea se vicisse. restitutos ac refectos militum animos: nec quenquam esse præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet. eum animo magis quàm corpore ægrum, memoria vulneris aciem ac tela horrere. sed non esse cum ægro senescendum. quid enim vltrà differri ac teri tempus? quem tertium cõsulem, quem alium exercitum expectari? castra Carthaginiensium in Italia, ac propè in conspectu vrbis esse, non Siciliam ac Sardiniam victis ademptas, nec cis Iberum Hispaniam peti: sed solo patrio terráque in qua geniti forent, pelli Romanos. Quantum ingemiscant, inquit, patres nostri circa mœnia Carthaginis bellare soliti, si videant nos, progeniem suam, duos consules consularésque exercitus in media Italia pauentes intra castra: Pœnum qnod inter Alpes Apenninúmque agri sit, suæ ditionis fecisse? Hæc asidẽs ægro collegæ, hæc in prætorio propè concionabundus agere. stimulabat & tempus propinquum comitiorum, ne in nouos cõsules bellum differretur: & occasio in se vnum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque nequicquam dissentiente Cornelio, parari ad propinquum certamen milites iubet.

Sempronius Cos. dissentiente collega ad certamen milites parari iubet.

Annibal cùm quid optimum foret hosti, cerneret, vix vllam spem habebat, temerè atque improuidè quicquam consules acturos. sed cùm alterius ingenium fama prius, deinde re cognitum, percitum ac ferox sciret esse: ferociúsque factum ex prospero cum prædatoribus suis certamine crederet: adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat. cuius ne qnod prætermitteret tempus, sollicitúsque & intentus erat, dum tyro hostium esset miles, dnm meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, dum Gallorum animi vigerent: quorum ingentem multitudinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo traherentur. Cùm ob hæc taliáque speraret propinquum certamen, & facere, si cessaretur, cuperet, speculatorésque Galli ad ea exploranda quæ vellet, tutiores, quia in vtrísque castris militabant, paratos pugnæ esse Romanos retulissent: locum insidiis circunspectare Pœnus cœpit. Erat in medio riuus, prealtis vtrinqne clausus ripis, & circà obsitus palustribus herbis, & quibus inculta fermè vestiuntur, virgultis vepribúsque. quem vbi ad equites quoque tegendos satis latebrosum locum circunuectns ipse oculis perlustrauit: Hic erit locus, Magoni fratri ait, quem teneas. delige centenos viros ex omni pedite atque eqnite: cum qnibns ad me vigilia prima venias. nunc corpora curare tempus est. Ita præconium missum. mox cum delectis Mago aderat. Robora virorum cerno, inquit Annibal. sed vt & numero etiam, non animis modò valeatis, singulis vobis nouenos ex turmis manipulísque vestri similes eligite: Mago locum monstrabit, quem insideatis. hostem cæcum ad has belli artes habebitis. Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis, Annibal prima luce Numidas equites transB gressos Trebiam flumen obequitare iubet hostium portis, iaculandóq; in stationes elicere ad pugnã hostem: iniecto deinde certamine, cedendo sensim citra flumen pertrahere. Hæc mandata Numidis. cæteris ducibus peditum eqnitúmq; præceptum, vt prandere omnes iuberent: armatos deinde, instratísq; equis signum expectare.

Locum insidiis Annibal circunspectat.

Sempronius ad tumultũ Numidarum primùm omnem eqnitatũ, ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum, postremò omnes copias ad destinatũ locum iam antè consilio, auidus certaminis eduxit. Erat fortè brumæ tempus, & niualis dies in locis Alpibns Apenninóq; interiectis: propinquitate etiam fluminnm ac paludum prægelidis. ad hæc raptim eductis hominibus atque equis, non capto antè cibo, non ope vlla ad arcendum frigus adhibita, nihil caloris inerat: & quicquid auræ fluminis appropinquabat, afflabat acrior frigoris vis. vt verò refugientes Numidas insequentes aquã ingressi sunt: (& erat pectoribus tenus aucta nocturno imbri) tum vtiq; egressis rigere omnibns corpora, vt vix armorum tenendorũ potẽtia essent, & simul procedente iam die fama etiã deficere. Annibalis interim miles ignibus ante tentoria factis, oleóq; per manipulos vt mollirent artus misso, & cibo per otium capto, vbi transgressos flumen nuntiatũ est hostes: alacer animis corporibúsq; arma capit, atq; in aciem procedit. Baleares locat ante signa, leuẽ armaturã, octo fermè millia hominum: deinde grauiorem armis peditem, quod virium, quod roboris erat: in cornibus circumfudit decem millia equitum, & ab cornibus in vtranq; partem diuisos elephantos statuit. Consul effusos sequenteis equites, cùm ab resistentibus subitò Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato reuocatos circumdedit peditibus. Duodeniginti millia Romanorũ erant, sociûm nominis Latini xx: auxilia præterea Cenomanorũ. ea sola in fide manserat Gallica gens. his copiis concursum est.

Sempronius ad pugnam elicitur.

Prælium à Balearibns ortũ est, qnibus cùm maiore robore legiones obsisterent, deductæ properè in cornua leues armaturæ sunt. quæ res effecit vt equitatus Romanus extẽplò vrgeretur: nam cùm vix iam per se resisterẽt decẽ millibus equitũ quatuor millia, & fessi Romani plerísq; integris Pœnis, obruti sunt insuper velut nube iaculorũ à Balearibus cõiecta. ad hoc elephanti eminentes ab extremis cornibus, equis maximè nõ visu modò, sed odore insolito territis, fugã latè faciebant. Pedestris pugna par animis magis quàm viribus erat, quas recẽtes Pœnus pauloante curatis corporibus in præliũ attulerat: cõtrà, ieiuna fessáq; corpora Romanis, & rigẽtia gelu torpebãt. restitissent tamẽ animis, si cum pedite solũ foret pugnatũ. sed & Baleares pulso equite iaculabãtur in latera. & elephãti iam in mediã peditũ aciẽ sese tulerant: & Mago Numídæq;, simul latebras eorũ improuida præterlata acies est, exorti à tergo ingentem tumultũ ac terrorẽ fecere. Tamẽ in tot circunstãtibus malis mansit aliquandiu immota acies, maximè præter spẽ omniũ aduersus elephãtos. eos pedites ad id ipsum locati verutis cõiectis & auertere, & insecuti auersos sub caudis, quà maximè molli cute vulnera accipiunt, fodiebant. Trepidanteis propéque iam in suos consternatos media acie in extremam, ad sinistrum cornn aduersus Gallos auxiliares agi iussit Annibal. extemplò haud dubiam fecere fugam. additus quoqne nouus terror Romanis,

Prælium inter Romanos & Pœnos.

Vincuntur Romani.

n 5

vt fusa auxilia sua viderunt. itaque cùm iam in orbem vtrinque pugnarent, decem millia fermè ho- A
minum cùm aliâ euadere nequiuissent, media Afrorum acie, quæ Gallicis auxiliis firmata erat, cum
ingenti cæde hostium perrupere. & cum neque in castra reditus esset, flumine interclusis: neque præ
imbri satis discernere possent, quâ suis opem ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures de-
inde in omneis parteis eruptiones factæ:& qui flumen petiere, aut gurgitibus absumpti sunt, aut inter
cunctationem ingrediendi ab hostibus oppressi. qui passim per agros fuga sparsi erant, vestigia ce-
dentis sequentes agminis Placentiam contendêre. aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen
fecit, transgressíque in castra peruenêre. Imber niue mistus, & intoleranda vis frigoris, & homines
multos, & iumenta & elephantos propè omneis consumpsit. Finis insequendi hostis Pœnis flumen
Trebia fuit: & ita torpentes gelu, in castra rediere, vt vix lætitiam victoriæ sentirent. Itaque nocte
insequenti cùm præsidium Romanorum castrorum, & quod reliquum ex magna parte militum erat,
ratibus Trebiam traiicerent: aut nihil sensere Pœni obstrepente pluuia: aut quia iam moueri præ las-
situdine nequibant ac vulneribus, sentire sese dissimulauerunt: quietísque Pœnis, tacito agmine ab
Scipione c o s. exercitus Placentiam est perductus: inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum ex-
ercituum hybernis vna colonia premeretur. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, vt iam
ad vrbem Romam crederent infestis signis hostem venturum: nec quicquam spei aut auxilii esse,
quo portis mœnibúsque vim arcerent. Vno consule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia reuocato, duo-
bus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse,

Sempronius ad comitia Romam proficiscitur.

quæ accerserentur? Ita territis Sempronius c os. aduenit: ingenti periculo per effusos passim ad præ
dandum hostium equites, audacia magis quàm consilio aut spe fallendi resistendíve, si non falleret,
transgressus. Id quod vnum maximè in præsentia desiderabatur: comitiis consularibus habitis, in hy-
berna rediit. Creati consules Cn. Seruilius, & C. Flaminius. Cæterùm ne hyberna quidem Romanis
quieta erant: vagantibus passim Numidis equitibus, & quæ his impeditiora erant, Celtiberis, Lusita-
nísque. Omnes igitur clausi vndique commeatus erant, nisi quos Pado naues subueherent. Empo-
rium prope Placentiam fuit, & opere valido & magno munitum præsidio. Eius castelli oppugnandi
spe cum equitibus ac leui armatura profectus Annibal, cùm plurimum in celando incœpto ad effe-
ctum spei habuisset, nocte adortus non fefellit vigiles. tantus repentè clamor est sublatus, vt Placen-
tiæ quoque audiretur. Itaque sub lucem cum equitatu consul aderat, iussis quadrato agmine legioni-

Annibal saucius pugna excessit.

bus sequi. Equestre prælium interim commissum: in quo, quia Annibal saucius pugna excessit, pa-
uore hostibus iniecto, defensum egregiè præsidium est. Paucorum inde dierum quiete sumpta, &
vixdum satis percurato vulnere, ad Vicumuias ire pergit oppugnandas. Id emporium à Romanis
Gallico bello fuerat munitum. inde locum frequentauerant accolæ misti vndique ex finitimis popu- B
lis: & tum terror populationum eò plerosque ex agris compulerat. Huius generis multitudo fama
impigrè defensi ad Placentiam præsidii accensa, armis arreptis obuiam Annibali procedit. Magis
agmine quàm acie in via concurrerunt. & cùm ex altera parte nihil, præter inconditam turbam esset:

Vicumuiæ diripiuntur ab Annibale.

in altera & dux militi, & duci fidens miles: ad triginta quinque millia hominum à paucis fusa. Po-
stero die deditione facta, præsidium intra mœnia accepere: iussíque arma tradere, cùm dicto pa-
ruissent, signum repentè victoribus datur, vt tanquam vi captam vrbem diriperent. neque vlla quæ
in tali re memorabilis scribentibus videri solet, prætermissa clades est. adeò omnis libidinis, crude-
litatísque, & inhumanæ superbiæ editum in miseros est exemplum. Hæ fuere hybernæ expeditio-
nes Annibalis. Haud longis inde temporibus, dum intolerabilia frigora erant, quies militi data est:
& ad prima ac dubia signa veris profectus ex hybernis, in Hetruriam ducit: eam quoque gentem,

Apennini frigora.

sicut Gallos Ligurésque, aut vi aut voluntate adiuncturus. Transeuntem Apenninum adeò atrox
tempestas adorta est, vt Alpium fœditatem propè superauerit. Vento mistus imber cùm ferretur in
ipsa ora: primùm, quia aut arma omittenda erant, aut contrà enitentes vortice intorti affligebantur,
constitere. deinde cùm iam spiritum intercluderet, nec reciprocare animam sineret, auersi à vento
parumper consedere. Tum verò ingenti sono cælum strepere, & inter horrendos fragores micare
ignes. capti auribus & oculis, metu omnes torpêre. Tandem effuso imbre, cùm eo magis accensa
vis venti esset, ipso illo quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est. Id vero la-
boris velut deintegro initium fuit. nam nec explicare quicquam, nec statuere poterant: nec quod
statutum esset, manebat: omnia perscindente vento, & rapiente. & mox aqua leuata vento cùm su-
per gelida montium cacumina concreta esset, tantum niuosæ grandinis deiecit, vt omnibus omis-
sis procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quàm tecti. tantáque vis frigoris insecuta
est, vt ex illa miserabili hominum iumentorúmque strage cùm se quisque attolere ac leuare vellet, diu
nequiret: quia torpentibus rigore neruis vix flectere artus poterant. deinde vt tandem agitando sese
mouere ac recepere animos, & raris locis ignis fieri est cœptus: ad alienam opem quisque inops
tendere. Biduum eo loco velut obsessi mansere. multi homines, multa iumenta, elephanti quoque ex
his qui prælio ad Trebiam facto superfuerant, septem absumpti. Digressus Apennino retro ad Pla-

Annibal Romanos adoritur.

centiam castra mouit, & ad decem millia progressus consedit. Postero die xii millia peditum, quinque
equitum aduersus hostem ducit. Nec Sempronius c o s. (iam enim redierat ab Roma) detrectauit cer
tamen. atque eo die tria millia passuum inter bina castra fuere. Postero die ingentibus animis, va-
rio euentu pugnatum est. primo concursu adeò res Romana superior fuit, vt non acie vincerent so-
lùm, sed perculsos hostes in castra persequerentur, mox castra quoque oppugnarent. Annibal
paucis propugnatoribus in vallo portísque positis, cæteros confertos in media castra recepit:
incentósque

A intentóſque ſignum ad erumpendum ſpectare iubet. Iam nona fermè diei hora erat, cùm Romanus nequicquam fatigato milite, poſtquam nulla ſpes erat potiundi caſtris, ſignum receptui dedit. Quod vbi Annibal accepit, laxatámque pugnam & receſſum à caſtris vidit, extemplò equitibus dextera læuáque emiſsis in hoſtem, ipſe cum peditum robore de his caſtris erupit. Pugna rarò ulla magis ſæua: & cum vtriſque partis pernicie clarior fuiſſet, ſi extendi à die in longum ſpacium quiuiſſet. nox accenſum ingentibus animis prælium diremit. itaque acrior concurſus fuit quàm cædes: & ſicut æquata fermè pugna erat, ita clade pari diſceſſum eſt. ab vtraque parte ſexcentis plus peditibus, & dimidium eius equitum cecidit. ſed maior Romanis quàm pro numero iactura fuit: quia equeſtris ordinis aliquot, & tribuni militum quinque, & præfecti ſociorum tres ſunt interfecti. Secundum eam pugnam Annibal in Ligures, Sempronius Lucam conceſsit. Venienti in Ligures Annibali per inſidias intercepti duo quæſtores Romani, C. Fuluius & L. Lucretius cum duobus tribunis militum, & quinque equeſtris ordinis ſenatorum fermè liberis, quo magis ratam fore cum his pacem ſocietatémque crederet, traduntur. Dum hæc in Italia geruntur, C. Scipio in Hiſpaniam cum claſſe & exercitu miſſus, cùm ab oſtio Rhodani profectus, Pyrenæóſque montes circumuectus Emporiis appuliſſet claſſem, expoſito ibi exercitu orſus à Lacetanis vſque ad Iberum flumen, partim renouandis ſocietatibus, partim nouis inſtituendis, Romanæ ditionis fecit. inde conciliata clementiæ fama non ad maritimos modò populos, ſed in mediterraneis quoque ac montanis ad ferociores iam gentes valuit: nec pax modò apud eos, ſed ſocietas etiam armorum parata eſt: validæque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conſcriptæ ſunt. Hanno non inſcius erat, eum reliquerat Annibal ad regionis eius præſidium: itaque priuſquam alienarentur omnia, obuiam eundum ratus, caſtris in conſpectu hoſtium poſitis, in aciem eduxit. Nec Romano differendum certamen viſum: quippe qui ſciret cum Hannone & Aſdrubale ſibi dimicandum eſſe, malléque aduerſus ſingulos ſeparatim, quàm aduerſus duos ſimul rem gerere. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit. Sex millia hoſtium cæſa, duo capta cum præſidio caſtrorum. nam & caſtra expugnata ſunt, atque ipſe dux militum cum aliquot præſidiis capitur: & Sciſſum propinquum caſtris oppidum expugnatur. cæterùm præda oppidi parui precii rerum fuit, ſuppellex barbarica, ac vilium mancipiorum caſtra militem ditauere, non eius modò exercitus qui uictus erat, ſed & eius qui cum Annibale in Italia militabat, omnibus ferè caris rebus, ne grauia impedimenta ferentibus eſſent, circa Pyrenæum relictis. Priuſquam certa huius cladis fama accideret, tranſgreſſus Iberum Aſdrubal cum octo millibus peditum, mille equitibus, tanquam ad primum aduentum Romanorum occurſus, poſtquàm perditas res amiſſáque caſtra accepit, iter ad mare conuertit. Haud procul Tarracone claſsicos milites naualéſque ſocios vagos palantéſque per agros (quod fermè fit, vt ſecundæ res negligentiam creent) equite paſsim dimiſſo, cum magna cæde, maiore fuga ad naues compellit. nec diutius circa ea loca morari auſus, ne à Scipione opprimeretur, trans Iberum ſeſe recepit. Et Scipio raptim ad famam nouorum hoſtium agmine acto, cùm in paucos præfectos paululum animaduertiſſet, præſidio Tarracone modico relicto, Emporias cum claſſe redit. Vixdum digreſſo eò, Aſdrubal aderat: & Ilergetum populo, qui obſides Scipioni dederat, ad defectionem impulſo, cum eorum ipſorum iuuentute agros fidelium Romanis ſociorum vaſtat. Excito deinde Scipione hybernis, hoſtis cis Iberum Tarraconem verſus cedit. Agros Scipio relictos ab authore defectionis, & Ilergetum gentem cùm infeſto exercitu inuaſiſſet, compulſis omnibus, Athanagiam vrbem, quæ caput eius populi erat, circumſedit: intráque dies paucos pluribus quàm antè obſidibus imperatis, Ilergetes pecunia etiam mulctatos in ius ditionémque recepit. inde in Auſetanos prope Iberum, ſocios & ipſos Pœnorum, procedit: atque vrbe eorum obſeſſa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul iam vrbe, cum intrare vellent, excepit inſidiis. Cæſa ad duodecim millia, exuti penè omnes armis, domos paſsim palantes per agros diffugêre. nec obſeſſos alia vlla res, quàm iniqua oppugnantibus hyemis tutabatur. xxx dies obſidio fuit: per quos rarò vnquam nix minus quatuor pedes alta iacuit: adeòque pluteos ac vineas Romanorum operuerat, vt ea ſola, ignibus aliquoties coniectis ab hoſte, etiam tutamentum fuerit. poſtremò cum Amuſitus princeps eorum ad Aſdrubalem profugiſſet, viginti argenti talentis pacti deduntur. Tarraconem in hyberna reditum eſt. Romæ autem & circa vrbem multa ea hyeme prodigia facta: aut (quod euenire ſolet, motis ſemel in religionem animis) multa nunciata, & temerè credita ſunt. In queis ingenuum infantem ſemeſtrem in foro olitorio triumphum clamaſſe: & foro boario bouem in tertiam contignationem ſua ſponte ſcandiſſe, atque inde tumultu habitatorum territum ſeſe deieciſſe, & nauium ſpeciem de cælo affulſiſſe: & ædem Spei, quæ in foro olitorio eſt, fulmine ictam: & Lanuuii haſtam ſe commouiſſe: & coruum in ædem Iunonis deuolaſſe, atque in ipſo puluinario conſediſſe: & in agro Amitemino multis locis hominum ſpecies procul candida veſte viſas, nec tamen illis congreſſos: & in Piceno lapidibus pluiſſe: & Cære ſortes extenuatas, & in Gallia lupum vigili gladium è vagina raptum abſtuliſſe. Ob cætera prodigia libros adire decemuiri iuſsi. quod autem lapidibus pluiſſet in Piceno, nouendiale ſacrum edictum: & ſubinde aliis procurandis propè tota ciuitas operata fuit. Iam primùm omnium vrbs luſtrata eſt: hoſtiæque maiores, quibus edictum eſt, diis cæſæ: & donum ex † auri pondo x L Lanuuium Iunoni portatum eſt: & ſignum æneum matronæ Iunoni in Auentino ædificauerunt: & lectiſternium Cære, vbi ſortes extenuatæ erant, imperatum: & ſupplicatio fortunæ in Algido: Romæ quoque, & lectiſternium Iuuentæ, & ſupplicatio ad ædem Herculis, nominatim deinde vniuerſo populo circa omnia puluinaria indicta: & Genio maiores hoſtiæ cæſæ quinque: & C. Attilius Seranus prætor vota ſuſcipere iuſſus, ſi in decem annos R. P. eodem ſtetiſſet ſtatu. Hæc procurata votáque ex

Clade pari diſceſſum eſt ab vtriſque.

Cn. Scipio cum exercitu in Hiſpaniam proficiſcitur.

Hanno aduerſus Scipionem prodijt.

Hannone capto caſtra Pœnorũ expugnantur.

B *Aſdrubal palates claſſicos milites Romanos intercepit.*

Aſdrubal fidelium Romanis ſociorum agros vaſtat.

Auſetani Romanis deduntur.

Prodigia uaria.

Libros adire decemuiri Romæ iubentur.

† Va. 4480 coron.

Flaminius in prouincia non in urbe consulatum inire statuit.

ex libris Sibyllinis magna ex parte leuauerant animum religione. Consulum designatorum alter Flaminius, cui eæ legiones quæ Placentiæ hybernabant, forte euenerant: edictum & literas ad consulem misit, vt is exercitus idibus Martiis Arimini esset in castris. Huic in prouincia consulatum inire consilium erat: memori veterum certaminum cum patribus: quæ tribunus plebis, & quæ postea consul, prius de consulatu qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat: inuisus etiam senatui ob nouam legem, quam iniquè Q. Claudius tribunus plebis aduersus senatum, vno patrum adiuuante C. Flaminio, tulerat: ne quis senator, quíve senatoris pater fuisset, maritimam nauem: quæ plus quàm trecentarum amphorarum, esset, haberet. id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. quæstus omnis patribus indecorus visus est. Res per summam contentionem acta, inuidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio, fauorem apud plebem, alterúmque inde consulatum peperit. Ob hoc ratus auspiciis ementiendis, Latinarúmque feriarum mora, & consularibus aliis impedimentis retenturos se in vrbe, simulato itinere priuatus, clàm in prouinciam abiit. Ea res vbi palàm facta est, nouam insuper iram infestis iam antè patribus mouit: Non cum senatu modò, sed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere: consulem antè inauspicatò factum, reuocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non paruisse: & nunc comitia prætorum & Capitolium & solennem votorum nuncupationem fugisse: ne die initi magistratus Iouis optim. max. templum adiret: ne senatum inuisus ipse, & sibi vni inuisum, videret consulerétque: ne Latinas indiceret, Iouíque Latiali solenne sacrum in monte Albano faceret: ne auspicatò profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad prouinciam iret. lixæ modo sine insignibus, sine lictoribus profectum clàm, furtim, haud aliter quàm si exilii causa solum vertisset: magis pro maiestate videlicet imperii Arimini, quàm Romæ magistratum

Flaminius reuocanti senatu nō paruit.

initurum, & in diuersorio hospitali quàm apud penates suos prætextam sumpturum. Reuocandum vniuersi retrahendúmque censuerunt: & cogendum omnibus prius præsentem in deos hominésq; fungi officiis, quàm ad exercitum & in prouinciam iret. In eam legionem (legatos enim mitti placuit) Q. Terentius & M. Antistius profecti, nihilo magis eum mouere, quàm priori consulatu literæ mouerant à senatu missæ. Paucos post dies magistratum iniit: immolantíque ei vitulus iam ictus à manibus sacrificantium sese cùm proripuisset, multos circunstantes cruore respersit. Fuga procul etiam maior apud ignaros quid trepidaretur, & concursatio fuit. id à plerisq; in omen magni terroris acceptum. Legionibus inde duabus à Sempronio prioris anni consule, duabus à C. Attilio prætore acceptis, in Hetruriam iam per Apennini tramites exercitus duci est cœptus.

Flaminius in Hetruriā ducit exercitum.

DECADIS TERTIAE LIBER SECVNDVS.

Annibal per continuas uigilias in paludibus oculo amisso, uenit in Hetruriam: per quas paludes quatriduo & tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius Cos. homo temerarius contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quæ tolli non poterant, & ab equo quem conscenderat, per caput deuolutus, insidijs ab Annibale circumuentus ad Thrasymenum lacum cum exercitu cæsus est. Sex millia quæ eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Annibalis uincta sunt. Cum adnuntium cladis Romæ luctus esset: duæ matres insperato receptis filijs gaudio mortuæ sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris uer sacrum uotum. Cum deinde Q. Fabius Maximus dictator aduersus Annibalem missus nollet acie cum eo confligere, ne contra ferocem tot uictorijs hostem territum aduersis prælijs militem pugnæ committeret, & opponendo se tantummodo conatus Annibalis impediret: M. Minutius magister equitum, ferox & temerarius, criminando dictatorem tanquam timidum & segnem effecit, ut populi iussu ei imperium cum dictatore æquaretur. diuisóque exercitu cùm in iniquo loco conflixisset, & in maximo discrimine legiones eius essent: superueniente cum exercitu Fabio Maximo ex discrimine liberatus est, quo beneficio uictus castra cum eo iunxit, & patrem eum salutauit: idémque milites facere commilitonibus iussit. Annibal uastata Campania inter Casilinum oppidum & Calliculam montem à Fabio clausus, sarmentis ad cornua boum alligatis & incensis, præsidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugauit: & sic transgressus est saltum, idémque Fabij Maximi dictatoris, cum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem suspectum faceret. Aemylio deinde Paulo & Terentio Varrone Cos. & ducibus cum maxima clade aduersus Annibalem ad Cannas pugnatum est: cæsáque eo prælio Romanorum quadragintaquinque millia cum Paulo consule & senatoribus LXXX. consularibus atque prætorijs aut ædilicijs triginta. Post quam cladem cum à nobilibus adolescentibus propter desperationē consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus mil. qui postea Africanus nuncupatus est: stricto super capita deliberantiū ferro, iurauit se pro hoste habiturum eum qui in uerba sua non iurasset: effecítque ut omnes minimè relictum iri à se Italiam iureiurando astringerentur. Præterea trepidationem urbis & luctum, & res in Hispania meliore euentu gestas continet. Opimia & Peronia uestales uirgines incesti damnatæ sunt. Propter paucitatem uerò militum seruorum, octo millia armata sunt. captiui cùm potestas esset redimendi, redempti non sunt. Varroni obuiam itum est, & gratiæ actæ, quòd de Rep. non desperasset.

Gallis inuisus esse cœpit Annibal.



Iam ver appetebat, cùm Annibal ex hybernis mouit, & nequicquam antè conatus transcendere Apenninum intolerandis frigoribus, & cum ingenti periculo moratus, ac metu, Galli, quos prædæ populationúmque conciuerat spes: postquam pro eo, vt ipsi ex alieno agro raperent agerentque, suas terras sedem belli esse, premíque vtriusque partis exercituum hybernis viderent: verterunt retrò ad Annibalem ab Romanis odia: petitúsque sæpe principum insidiis, ipsorúmque inter se fraude, eadem leuitate qua consenserant, consensum indicantium, seruatus erat: & mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidiis munierat. Cæterùm hic quoque ei timor causa fuit maturius mouendi ex hybernis. Per idem tempus Cn. Seruilius Romæ Idibus

A Idibus Martiis magistratum iniit. Ibi cùm de Republ. retulisset, redintegrata in C. Flaminium inuidia est. Duos se consules creasse, vnum habere. quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esset magistratus: id à domo, publicis priuatísque penatibus Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis ritè in Capitolio nuncupatis, secum ferre. nec priuatum auspicia sequi: nec sine auspiciis profectum in externo ea solo noua atque integra concipere posse. Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nunciata: in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse: & littora crebris ignibus fulsisse: & scuta duo sanguinem sudasse: & milites quosdam ictos fulminibus, & solis orbem minui visum: & Præneste ardentes lapides cælo cecidisse: & Alpis palmas in cælo visas, pugnantémque cum luna solem: & Capenæ duas interdiu lunas ortas: & aquas Cærete sanguine mistas fluxisse, fontémque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis, & Antii metentibus cruentas in orbem spicas cecidisse: & Faleriis cælum findi visum, velut magno hiatu: quáque patuerit, ingens lumen effulsisse: sortes sua sponte attenuatas, vnámque excidisse, ita scriptam: Mauors telum suum concutit. & per idem tempus Romæ signum Martis Appia via ad simulachra luporũ sudasse, & Capuæ speciem cæli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: Capras lanatas quibusdam factas, & gallinam in marem, gallum in fœminam sese vertisse. His sicut erant nunciata expositis, authoribúsque in curiam introductis, consul de religione patres consuluit. Decretum, vt ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactantibus procurarentur: & vti supplicatio per triduum ad omnia puluinaria haberetur. Cæterà cum decemuiri libros inspexissent, vt ita fierent, quemadmodum cordi esse diui carminibus præfarentur, id decemuirorum monitu decretum est: Ioui primùm donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret, Iunoni Minerúæque ex argento daretur, & Iunoni reginæ in Auentino, Iunoníque Sospitæ Lanuuii maioribus hostiis sacrificaretur, matrónæque pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Iunoni Reginæ in Auentinum ferrent, lectisterniúmque fieret: quin & libertinæ & ipsæ, vnde Feroniæ domum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Hæc vbi facta, decemuiri Ardeæ in foro maioribus hostiis sacrificarunt. postremò ex libris Decembri iam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniúmque imperatum: (& eum lectum senatores strauerunt) & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum, populúsque eum diem festum habere, ac seruare in perpetuum iussus. Dum consul placandis Romæ diis, habendóque delectu dat operam, Annibal profectus ex hybernis, quia iam Flaminium consulem Arretium peruenisse fama erat: cùm aliud longius, cæterùm commodius ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluuius Arnus per eos
B dies solito magis inundauerat. Hispanos & Afros, & omne quod veterani erat robur exercitus, admistis ipsorum impedimentis, nec vbi consistere coactis necessaria ad vsus deessent, primos ire iussit, sequi Gallos, vt id agminis medium esset, nouissimos ire equites: Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen: maximè Gallos, si tædio laboris longæque viæ (vt est mollis ad talia gens) dilaberentur aut subsisterent, cohibentem. Primi, quà modò præirent duces, per præaltas fluuii, ac profundas voragines hausti penè limo, immergentésque se, tamen signa sequebantur. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant: aut corpora animis, aut animos spe sustinebant: alii fessa ægrè trahentes membra: alii vbi semel victis tædio animis procubuissent, inter iuméta & ipsa iacentia passim morientes, maximéque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduũ iam & tres noctes toleratæ. Cùm omnia obtinentibus aquis, nihil, vbi in sicco fessa sternerent corpora, inueniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant. iumentorum itinere toto prostratorum passim aceruI, tantum quod extaret aqua quærẽtibus ad quietem, parui temporis necessarium cubile dabant. Ipse Annibal æger oculis ex verna primùm intemperie variante calores frigoráque, elephanto, qui vnus superfuerat, quod altius ex aqua extaret, vectus: vigiliis tamen & nocturno humore, palustríque cælo grauante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur. Multis hominibus iumentísq; fœdè amissis, cùm tandem de pluribus emersisset, vbi primùm in sicco potuit, castra locat: certúmq; per præmissos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretii mœnia esse. cõsulis deinde consilia atq; animũ, & situm regionũ, itineráq; & copias, atque cõmeatus expediendos, & cætera quæ cognoscenda in re erant, summa omnia cum cura inquirẽdo exequebatur. Regio erat in primis Italiæ fertilis, Hetrusci campi, qui Fesulas inter Arretiúmq; iacent: frumenti ac pecoris, & omniũ copia rerum opulenti. Consul ferox ab consulatu priore, & non modò legum aut patrũ maiestatis, sed ne deorũ quidem satis metuens erat. hanc insitam ingenio eius temeritatẽ fortuna prospero ciuilibus bellicísq; rebus successu aluerat. itaq; satis apparebat, nec deos nec homines consulentẽ, ferociter omnia ac præproperè acturũ: quóq; pronior esset in vitia sua, agitare eũ atq; irritare, Pœnus parat: & læua relicto hoste, Fesulas petens, Hetruriæ agros prædatũ profectus, quantam maximam vastitatẽ potest, cædibus incendiísque consuli procùl ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidem hoste ipse quieturus erat, tum verò, posteaquàm res sociorum ante oculos propè suos ferri agiq; vidit, suum id dedecus ratus, per mediam iam Italiam vagari Pœnum: atque obsistente nullo ad ipsa Romana mœnia ire oppugnanda: cæteris omnibus in concilio salutaria magis quàm speciosa suadentibus, collegã expectandum, vt coniunctis exercitibus communi animo consilióque rem gererent: interim equitatu auxiliísque leuium armorum ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum: iratus se ex consilio proripuit, signúmque simul itineris pugnæque proposuit. Quinimmo Arretii ante mœnia sedeamus, inquit: hîc enim patria & penates sunt: Annibal emissus è manibus perpopuletur Italiam, vastandóque &

Prodigia varia nunciantur.

Prodigia quo ritu procurata fuerunt.

Annibal ex hybernis mouet.

Annibal altero oculo capitur.

Flaminij Cos. ferocia & impietas.

Flaminius ab equo per caput deuolnitur. *Signum nulla ui signifer conuellere potuit.* *Thrasymenus lacus.*

vrendo omnia, ad Romana mœnia perueniat: nec antè nos hinc mouerimus, quàm sicut olim Camil- A lum ab Veiis, C. Flaminium ab Arretio patres acciuerint. Hæc simul increpans cum ocyus signa conuelli iuberet, & ipse in equum insiluisset, equus repentè corruit, consulémque lapsum super caput effudit. Territis omnibus qui circà erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur: signum omni vi moliente signifero conuelli nequire. Conuersus ad nuntium, Num literas quoque, inquit, ab senatu affers, quæ me rem gerere vetent? abi, nuntia, signum effodiant: si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerint. Incedere inde agmen cœpit: primoribus, superquam quòd dissenserant à consilio, territis etiam duplici prodigio: milite in vulgus læto ferocia ducis, cùm spem magis ipsam quàm causam spei intueretur. Annibal quod agri est inter Cortonam vrbem Thrasymenúmque lacum, omni clade belli peruastat: quò magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat. Et iam peruenerant ad loca insidiis nata, vbi maximè montes Cortonenses Thrasymenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paulo latior patescit campus, inde colles assurgunt. Ibi castra in aperto locat, vbi ipse cum Aphris domò Hispanísq; cósideret. Baleares, cæterámq; leuē armaturam post monteis circunducit: equites ad ipsas fauces saltus, tumulis aptè tegentibus, locat: vt vbi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus essent. Flaminius cùm pridie solis occasu ad lacum peruenisset, inexploratò postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit, id tantum hostium, quod ex aduerso erat, aspexit: à tergo ac super caput detectæ insidiæ.

Pœni Romanos undique clausos, & imparatos inuadunt.

Pœnus vbi, id quod petierat, clausum lacu montibúsque, & circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat inuadendi. Qui vbi quà cuique proximum fuit, decurrere, eo magis Romanis subita atque improuisa res fuit, quòd orta ex lacu nebula, campo quàm montibus densior sederat, agmináque hostium ex pluribus vallibus ipsa inter se satis conspecta, eóque magis pariter decurrerunt. Romanus clamore prius vndique orto quàm satis cerneret, se circumuentum esse sensit, & antè in frontem lateráque pugnari cœptum est, quàm satis instrueretur acies, aut expediri arma stringíque gladii possent. Consul perculsis omnibus, ipse satis, vt in trepida re, impauidus, turbatos ordines, vertentésque se quoque ad dissonos clamores, instruit vt tempus locúsque patitur: & quácunque potest, adhortatur, ac stare & pugnare iubet. Nec enim inde votis, aut imploratione deûm, sed vi ac virtute euadendū esse. per medias acies ferro viam fieri: & quo timoris minus sit, eò minus fermè periculi esse. Cæterùm præ strepitu ac tumultu, nec consiliū, nec imperiū accipi poterat: tantúmq; aberat, vt sua signa atq; ordinem & locū nosceret miles, vt vix ad arma capienda aptandáq; pugnæ competeret animus: opprimerentúrque quidam onerati magis his quàm tecti. & erat in tanta caligine maior vsus aurium quàm oculorū. ad gemitus vulnerum ictúsque corporum aut armorū, & mistos strepentiū pauentiúmq; clamores circumferebant ora oculósq;. Alii fugiē B tes, pugnantium globo illati hærebant: alios redeuntes in pugnam, auertebat fugientium agmen. Deinde vbi in omnis partes nequicquam impetus facti, & ab lateribus montes ac lacus, à fronte & à tergo hostium acies claudebat, apparuítque nullam, nisi in dextra, ferróque salutis spem esse: tum sibi vnusquisque dux adhortatórque factus ad rem gerendam, & noua deintegro pugna exorta est, non illa ordinata per principes hastatósque ac triarios: nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies, nec vt in sua legione miles, aut cohorte aut manipulo esset. sors conglobabat, & animus suus cuique antè aut pòst pugnandi ordinem dabat: tantúsque fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, vt eum terræ motum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes prostrauit, auertítque cursu rapido amneis, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. Tres fermè horas pugnatum est, & vbique atrociter, circa consulem tamen acrior infestiórque pugna est. eum & robora virorū sequebātur: & ipse quacunq; in parte premi ac laborare senserat suos, impigrè ferebat opem, insignísq; armis, & hostē summa vi petebat, & tuebatur suos ciues. donec Insuber equum (Ducario nomen erat) faciémque noscitans, Consul, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cæcidit, agrósque & vrbem est depopulatus. iam ego hanc victimam manibus peremptorum fœdè ciuium dabo. subditísque calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum facit. obtruncatóque prius armigero, qui se infesto venienti obuiam obiecerat, cōsulem lancea transfixit. spoliare cupientē triarii obiectis clypeis arcuere.

Flaminius Cos. lancea trāsfigitur.

Romani in fugam uertuntur.

Magnæ partis fuga inde primùm cœpit: & iam nec lacus, nec montes obstabant panori: per omnia arcta præruptáq; veluti cæci euadunt, armáq; & viri super aliū alii præcipitantur. pars magna, vbi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquā progressi, quoad capitibus humerísque extare possunt, sese immergunt. fuere quos inconsultus pauor nando etiam capessere fugam impulerit. quæ vbi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut vbi nequicquam festinauerant, retrò ægerrimè terram repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia fermè primi agminis per aduersos hosteis eruptione impigrè facta, ignari omnium quæ post se agerentur, ex saltu euasere. & cum in tumulo quodam constitissent, clamorem modò ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire, nec perspicere præ caligine poterant. inclinata ad iniqua re, cùm calescente sole depulsa nebula aperuisset diem: tum liquida iam luce montes campíq; perditas res, stratámq; ostēdēre fœdè Romanam aciem. itaq; ne in conspectos procul immitteretur eques: sublatis raptim signis, quàm citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt. postero die cùm super cætera, extrema fames etiam instaret: fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat: si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum: sese dediderunt.

Punica religio.

quæ Punica religione seruata fides ab Annibale est, atque in vincula omnes coniecti. Hæc est nobilis ad Thrasymenum pugna,

A pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt: decem millia sparsa, fuga per omnem Hetruriam diuersis itineribus Romam petiere. Mille & quingenti hostium in acie, multi postea vtrinque ex vulneribus periere. Multiplex cædes vtrinque facta traditur ab aliis. Ego præterquàm quòd nihil haustum ex vano velim, quò nimis inclinant fermè scribentium animi: Fabium æqualem temporibus huiusce belli potissimum authorem habui. Annibal captiuorum qui Latini nominis essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coaceruatorum cumulis corpora suorum cùm sepeliri iussisset, Flaminii quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum non inuenit. Romæ ad primum nuntium cladis eius cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronæ vagæ per vias quæ repens clades allata, quæve fortuna exercitus esset, obuios percunctantur. & cùm frequentis concionis modo turba in comitium & curiam versa magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius Pr. Pugna, inquit, magna victi sumus, & quaquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt: Consulem cum magna parte copiarum cæsum: superesse paucos, aut fuga passim per Hetruriam sparsos, aut captos ab hoste. Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas dispertiti eorum animi erant, quorum propinqui sub C. Flaminio cos. meruerant: ignorantiū quæ cuiusq; suorum fortuna esset. nec quisquam satis certū habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus ad portas maior propè mulierū quàm virorum multitudo stetit, aut suorū aliquem, aut nuntios de his opperiens: circunfundebantúrque obuiis sciscitantes: neque auelli vtique à notis, prius quàm ordine omnia inquisissent, poterant. inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, vt cuique aut læta aut tristia nuntiabantur, gratulantésque aut consolantes, redeuntibus domos circumfusos. Fœminarum præcipuè & gaudia insignia erant, & luctus. Vnam in ipsa porta, sospite filio repentè oblato, in conspectu eius expirasse ferunt. alteram, cui mors filii falsò nuntiata erat, mœstam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot ab orto vsque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes quónam duce, aut quibus copiis resisti victoribus Pœnis posset. Priusquam satis certa consilia essent, repens alia nuntiatur clades: quatuor millia equitum cum C. Centronio proprætore missa ad collegam à Seruilio cos. in Vmbria, quò post pugnam ad Thrasymenum auditam auerterant iter, ab Annibale circumuenta. Eius rei fama variè homines affecit. pars occupatis maiore ægritudine animis, leuem ex comparatione priorum ducere recentem equitum iacturam. pars non id quod acciderat, per se æstimare: sed vt in affecto corpore quamuis leuis causa magis quàm valido grauior sentiretur: ita cùm ægræ & affectæ ciuitati quodcunque aduersi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis,

B quæ nihil quod aggrauaret, pati possent, æstimandum esse. Itaque ad remedium iamdiu desideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum ciuitas confugit: & quia & consul aberat, à quo vno dici posse videbatur: nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium, aut literas mitti: nec dictatorem populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creauit, Q. Fabium Maximum, & magistrum equitum M. Minutium Rufum. hisq; negotium ab senatu datum, vt muros turrésque vrbis firmarent, & præsidia disponerent quibus locis videretur, pontésque rescinderent fluminum: ac tum pro penatibus, pro vrbe dimicandum esse, quando Italiam tueri nequiuissent. Annibal interim recto itinere per Vmbriam vsque ad Spoletum venit. inde cum perpopulato agro vrbem oppugnare adortus esset, cum magna cæde suorum repulsus, coniectans ex vnius coloniæ haud nimis prosperè tentatæ viribus, quanta moles Romanæ vrbis esset, in agrum Picenum auertit iter, non copia solùm omnis generis frugum abundantem, sed refertum præda, quam effuse auidi atque egentes rapiebant. ibi per dies aliquot statiua habita: refectúsque miles, hybernis itineribus ac palustri via, prælióq; magis ad euenrum secundo quàm leui aut facili affectus. Vbi satis quieti datum, præda ac populationibus magis quàm otio aut requie gaudentibus: profectus, Prætutianum Adrianúmque agrum, Marsos inde Marrucinósque & Pelignos deuastat. circáq; Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem. Cn. Seruilius cos. leuibus præliis cum Gallis actis, & vno oppido ignobili expugnato, postquam de collegæ exercitúsque cæde audiuit, iam mœnibus patriæ metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad vrbem iter intendit. Q. Fabius Maximus dictator quo die magistratum iniit, vocato senatu ab diis orsus cùm edocuisset patres, plus negligentia cærimoniarum auspicio rúmque temeritate quàm inscitia peccatum à C. Flaminio cos. esse, quæque piacula iræ deûm essent, ipsos deos consulendos esse: peruicit, vt quod non fermè decernitur, nisi cùm tetra prodigia nuntiata sunt, decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur. qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod eius belli causa votum Marti foret, id non rite factum, de integro atque amplius faciendum esse: & Ioui ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vouendas esse, & supplicationem lectisterniúmque habendum, & ver sacrum vouendum: si bellatum prospere esset, résque publica in eodem quo ante bellum fuisset, statu permansisset. Senatus, quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Aemylium Prætor. ex collegii pontificum sententia omnia ea vt mature fiant, curare iubet. His senatusconsultis perfectis, L. Cornelius Lentulus Pont. Max. consulente collegio pontificum, omnium primùm populum consulendum de vere sacro censet: iniussu populi voueri non posse. Rogatus in hæc verba populus. Velitis iubeatísne hoc sic fieri? si res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salua seruata erit hisce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est: quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ouillo, caprino grege, quæque profana erunt,

Quot millia Romanorū in acie cæsa

Magnus terror Romæ, audita suorum clade.

Duæ matres receptis insperatò filijs gaudio exanimantur.

Quatuor equitum millia ab Annibale circumuenta.

Q. Fabium Maximum populus prodictatorem creat.

Spoletū Annibali fortiter resistit.

Annibal agros Italiæ deuastat.

Ceremoniarum neglectus.

Ver sacrum vouetur.

erunt,Ioui fieri,ex qua die senatus populúsque iusserit.qui faciet, quando volet, quáque lege volet facito:quo modo faxit,probè factum esto.si id moritur,quod fieri oportebit, profanum esto,neque scelus esto.Si quis rumpet occidétve insciens,ne fraus esto. Siquis clepset, ne populo scelus esto, néve cui cleptum erit.si atro die faxit insciens,probè factum esto.si nocte siue luce,si seruus siue liber faxit, probè factum esto.si ante id ea senatus populúsque iusserit fieri ac faxit,eo populus solutus, liber esto. A

† Val. 333⅓ coron.

Eiusdem rei causa ludi magni voti † æris cccxxxiii millibus, triente: præterea bubus Ioui c c c.multis aliis diuis bubus albis,atq; cæteris hostiis. Votis ritè nuncupatis,supplicatio edicta: supplicatúmque iit cum coniugibus ac liberis non vrbana multitudo tantùm,sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publica quoque contingebat. Curatum lectisternium, & per triduum habitum, decemuiris sacrorum curantibus.& puluinaria in conspectu fuêre: Ioui & Iunoni vnum, alterum Neptuno & Mineruæ: tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano ac Vestæ, sextum Mercurio & Cereri. Tum ædes vota Veneri Erycinæ. ædem Q. Fabius Max. dictator vouit: quia ita ex fatalibus libris editum erat, vt is voueret, cuius maximum imperium in ciuitate esset. Menti ædem Attilius prætor vouit. Ita rebus diuinis peractis, tum de bello, réque publica dictator retulit: quibus quótve legionibus victori hosti obuiam eundum esse, patres censerent. Decretum, vt ab Cn. Seruilio consule exercitum acciperet: scriberet præterea ex ciuibus sociísque, quantum equitum ac peditum videretur: cætera omnia ageret faceretque, vt è republica duceret. Fabius duas se legiones adiecturũ ad Seruilianum exercitũ dixit. his per magistrum equitũ scriptis, Tybur diem ad coueniendũ edixit. edictóq; proposito, vt quibus oppida castelláq; immunita essent, in loca tuta commigrarent: ex agris quoq; vti demigrarent omnes regionis eius, quà iturus Annibal esset: tectis prius incésis ac frugibus corruptis, ne cuius rei copia esset: ipse via Flaminia profectus, obuiam consuli exercituíque, cùm ad Tyberim circa Otriculum prospexisset agmē, consulémq; cum equitibus ad se progredientē, viatorē misit, qui consuli nuntiaret, vt sine lictoribus ad dictatorem veniret. Qui cùm dicto paruisset, congressúsq; eorum ingentē speciem dictaturæ apud ciues sociósq;, vetustate iam propè oblitos eius imperii, fecisset, literæ ab vrbe allatæ sunt: naues onerarias commeatum ab Hostia in Hispaniam ad exercitum portantes à classe Punica circa portum Cossanum captas esse. Itaque extemplò consul Hostiam proficisci iussus, nauibus quæ ad vrbem Romanam aut Hostiæ essent, completis milite ac naualibus sociis, persequi hostium classem, ac litora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta Romæ erat. Libertini etiam quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba iurauerant. Ex hoc vrbano exercitu qui minores quinque & triginta annis erant, io naueis impositi alii vt vrbi præsiderent, relicti. dictator exercitu consulis accepto à Fuluio Flacco legato, per agrum Sabinum Tybur, quo diem ad conueniendum edixerat nouis militibus, venit: inde Præneste transuersis tramitibus in viam Latinam est regressus: vnde itineribus summa cum cura exploratis ad hostem ducit, nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus. Quo primùm die haud procul Arpis io conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quio Pœnus educeret in aciem, copiámque pugnandi faceret. sed vbi quieta omnia apud hostes, nec castra vllo tumultu mota videt: increpans quidem victos tandem martios animos Romanorum, debellatúmque, & concessum eis propalàm de virtute ac gloria esse, in castra rediit. Cæterùm tacita cura animum incensus, quòd cum duce haudquaquam Flaminio, Sempronióque simili futura sibi res esset: ac tum demum edocti malis Romani parem Annibali ducem quæsissent, & prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplò timuit; constantiámque eius hauddum expertus, agitare ac tentare animum mouendo crebrò castra, populandóque in oculis eius agros sociorum, cœpit: & modò citato agmine è conspectu abibat, modò repentè in aliquo flexu viæ, si excipere digressum in æquum posset, occultus subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste interuallo, vt neque omitteret eum, neque congrederetur, castris, nisi quantum vsus necessariò cogeret, tenebatur miles. pabulum & ligna oec pauci petebant, nec passim. equitum leuísque armaturæ statio composita instructáque in subitos tumultus, & suo militi tuta omnia & infesta effusis hostiũ populatoribus præbebat. neque vniuerso periculo summa rerum committebatur: & parua momenta leuium certaminum ex tuto cœptorum, finitimorum receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem minus iam tandem aut virtutis, aut fortuoæ pœnitere suæ. Sed non Annibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quàm magistrum equitum, qui nihil aliud, quàm quòd non imperabat, moræ ad rempublicam præcipitandam habebat, ferox rapidúsque in consiliis, ac lingua immodicus, primò inter paucos, dein propalàm in vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat: premendorúmque superiorum arte, quæ pessima ars nimis prosperis multorum successibus creuit, sese extollebat. Annibal ex Arpis in Samnium transit, Beneuentanum depopulatur agrum, Telesiam vrbem capit: iritat etiam de industria ducē si fortè accensum tot indignitatibus cladibúsque sociorum trahere ad æquum certamen possit. Inter multitudinem sociorum Italici generis, qui ad Thrasymenum capti ab Annibale, dimissíque fuerant, tres Campani equites erant, multis iam tum illecti donis promissísque Annibalis ad conciliandos popularium animos. Hi nunciantes, si in Campaniam exercitum admouisset, Capuæ potiendæ copiam fore, cùm res maior quàm authores esset: dubium Annibalem, alternísque fidentem ac diffidentem, tamen vt Campanos ex Samnio peteret, mouerunt. Monitos vt etiam atque etiam promissa rebus confirmarēt, iussósque cum popularibus & aliquibus principũ redire ad se, dimisit. ipse imperat duci, vt se in agrum Casinatem dicat edoctus à peritis regionũ, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed Punicum abhorrens ab Latino nomen, Casilinum pro Casino ducem accipere B

Consul ad Dictatorem sine lictoribus venit.

Annibal nō vim dictatoris sed prudentiam timet.

Fabij cunctatio.

Magister equitũ Fabij cunctationem incusat.

A accipere fecit: aduerſúſque ab itinere, per Aliſanum, Calatinúmque, & Calenum agrum in campum Stellatem deſcendit. ubi cùm montibus fluminibúſque clauſam regionum circunſpexiſſet, vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum eſſet. cùm is Caſilini eo die manſurum eum dixiſſet, tum demum cognitus eſt error, & Caſinum longè inde alia regione eſſe, virgíſque cæſo duce, & ad reliquorum terrorem in crucem ſublato caſtris communitis Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimiſit. Vſque ad aquas Sinueſſanas populatio ea peruenit. ingentem cladem, fugam tamen, terrorémque latius Numidæ fecerunt. nec tamen is terror, cum omnia bello flagrarent, fide ſocios dimouit, videlicet quia iuſto & moderato regebantur imperio: nec abnuebant, quod vnum vinculum fidei eſt, melioribus parêre. Vt verò ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita, exurebatúrque amœniſsimus Italiæ ager uillæque paſsim incendiis fumabant, per iuga Maſsici montis Fabio ducẽte, propè de integro eſt orta ſeditio: ac duces ſeditionis accenſi quidam. fuerat enim ſilentium per paucos dies: quia cùm celerius ſolito ductum agmen fuiſſet, ſeſtinari ad prohibendam populationibus Campaniam crediderant. ut verò in extrema iuga Maſsici montis ventum eſt, hoſteſque ſub oculis erant, Falerni agri, colonorúmq; Sinuiſſæ tecta vrentes, nec vlla erat mẽtio pugnæ: Spectatúmne huc, inquit Minutius, ad rem fruendam oculis, ſociorum cædes, & incendia venimus? nec ſi nullius alterius nos, ne ciuium quidem horum pudet? quos in Sinueſſam colonos patres noſtri miſerunt, vt ab Samnite hoſte tuta hæc ora eſſet, quam nunc non vicinus Samnis vrit: ſed Pœnus aduena, ab extremis orbis terrarum terminis noſtra cunctatione & ſocordia iam huc progreſſus. Tantum (prò dolor) degeneramus à parentibus noſtris, vt, præter quam horam illi Punicas uagari claſſes dedecus eſſe imperii ſui duxerint, eam nos nunc plenam Numidarum hoſtium ac Maurorum iam factam uideamus? Qui modò Saguntum oppugnari indignando non homines tantùm, ſed fœdera, & deos ciebamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti ſpectamus. Fumus ex incendiis villarum agrorúmque in oculos atque ora uenit, ſtrepunt aures clamoribus plorantium ſociorum, ſæpius nos, quàm deorum inuocantium opem. nos hic pecorum more per æſtiuos ſaltus, deuióſque colles exercitum ducimus, conditi nubibus, ſyluíſque. Si hoc modo peragrando cacumina ſaltúſque Furius recipere à Gallis vrbem voluiſſet, quo hic nouus Camillus nobis dictator vnicus in rebus afflictis quæſitus Italiam ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma eſſet: quam uereor ne ſic cunctantibus nobis, Annibale, ac Pœnis toties ſeruauerint maiores noſtri. Sed vir, ac uerè Romanus quo die dictatorem eum ex authoritate patrum iuſſúque populi dictum, Veios allatus eſt nuncius, cùm eſſet ſatis altum Ianiculum, vbi ſedens proſpectaret hoſtem deſcendit in æquum: atque illo ipſo die media in vrbe, quà nunc buſta Gallica ſunt, & poſtero die citra Gabios cæcidit Gallorum legiones. Quid

B poſt multos annos, cùm ad Furcas Caudinas ab Samnite hoſte ſub iugum miſsi ſumus? vtrum tandẽ L. Papyrius Curſor iuga Sanii perluſtrando, an Luceriã premẽdo obſidendóq;, & laceſſando victorem hoſtem, depulſum ab Romanis ceruicibus iugum ſuperbo Samniti impoſuit. Modò conſuli Luctatio quæ alias res, quàm celeritas victoriam dedit? quòd poſtero die quàm hoſtem vidit, claſſem grauem commeatibus, impeditam ſuo ipſam inſtrumento atque apparatu, oppreſsit. Stultitia eſt ſedendo, aut votis debellari credere poſſe. armari copias oportet, deducendas in æquum, vt vir cum viro cõgrediaris. Audendo, agendóque res Romana creuit, non his ſenſibus conſiliisúe, quæ timidi cauta vocant. Hæc velut concionanti Minutio circunfundebatur tribunorum, equitúmque Romanorum multitudo, & ad aures quoque militum dicta ferocia voluebantur: ac ſi militaris ſuffragii res eſſet, haud dubiè ferebant, Minutium Fabio duci prælaturos. Fabius pariter in ſuos haud minus, quàm in hoſtes intentus, prius ab aliis inuictum animum præſtans, quanquam probè ſcit, non in caſtris modo ſuis, ſed iam etiam Romæ ſuam cunctationem infamem eſſe, obſtinatus tamen eodem conſiliorum tenore æſtatis reliquum extraxit: vt Annibal deſtitutus ab ſpe ſumma appetiti certaminis iam hybernis locum circunſpectaret: quia ea regio præſentis erat copiæ non perpetuæ, arbuſta vineæque, & conſita omnia magis amœnis quàm neceſſariis fructibus. Hæc per exploratores relata fama Fabio, cùm ſatis ſciret per eaſdem anguſtias, quibus intrauerat Falernum agrum, rediturum, Calliculam montem & Caſilinum occupat modicis præſidiis: quæ vrbs Vulturno flumine dirempta, Falernum à Campano agro diuidit: ipſe iugis iiſdem exercitum reducit, miſſo exploratum cum cccc equitibus ſociorum L. Hoſtilio Mancino: qui ex turba iuuenum audientium ſæpe ferociter concionantem magiſtrum equitum, progreſſus primò exploratoris modo, vt ex tuto ſpecularetur hoſtem, vbi vagos paſsim per vicos Numidas vidit, per occaſionem etiam paucos occidit, extemplò occupatus certamine eſt animus, exciderúntque præcepta dictatoris: qui quàm tuto poſſet progreſſum prius recipere ſeſe iuſſerat, quàm in conſpectum hoſtium veniret. Numidæ alii atque alii occurſantes, reſugientéſque, ad caſtra propè ipſum cum fatigatione equorum atque hominum pertraxere. inde Cartalo, penes quem ſumma equeſtris imperii erat, concitatis equis inuectus, cùm prius quàm ad coniectum teli veniret, auertiſſet hoſtem, quinque millia fermè continenti curſu ſecutus eſt fugientes. Mancinus poſtquam nec hoſtem deſiſtere ſequi, nec ſpem vidit effugiendi eſſe, cohortatus ſuos in prælium redit, omni parte virium impar. itaque ipſe, & delecti equitum circunuenti occiduntur. cæteri effuſo rurſus curſu Cales primùm, inde propè inuiis callibus ad dictatorem perfugerunt. Eo fortè die Minutius ſe coniunxerat Fabio, miſſus ad firmandum præſidio ſaltum, qui ſuper Tarracinam in arctas coactus fauces imminet mari, ne [illegible] Appiæ limite, Pœnus peruenire in agrum Romanum poſſet. Coniunctis exercitibus dictator, ac magiſter equitum caſtra in viam deferuot, qua Annibal

Agrorũ populatio.

Magiſtri equitum oratio, qua Fabij cunctationem reprehendit.

Fabij cunctatio & in caſtris & in urbe infamis erat.

cccc equites duce Mãcino ad explorandum miſſi.

Mãcinus cũ delectis equitibus occiditur.

ducturus erat. duo inde millia hostes aberant. Postero die Pœni quod viæ inter bina castra erat, agmine compleuere. A Cùm Romani sub ipso constitissent vallo, haud dubiè æquiore loco, successit tamen Pœnus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum hostem raptim & procursando, recipiendóque sese pugnauere. Restitit suo loco Romana acies. lenta pugna, & ex dictatoris magis, quàm Annibalis fuit voluntate. C C ab Romanis, D C C C hostium cecidere. Inclusus inde videri Annibal, & ad Casilinum obsessus: cùm Capua & Sannium, & tantum ab tergo diuitum sociorum Romanis commeatus subueheret: Pœnus contrà intra Formiana saxa, ac Linterni arenas, stagnáque perhorrida situ hybernaturus esset. Nec Annibalem fefellit, suis se artibus peti. itaque cum per Casilinum euadere non posset, petendíque montes, & iugum Calliculæ superandum esset: nec vbi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur, ludibrium oculorum specie terribile ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit.

Qua arte eluserit Romanos Annibal.

fallacis consilii talis apparatus fuit. Faces vndique ex agris collectæ, fascésque virgarum, atque arida sarmenta, præligantur cornibus boum: quos domitos, indomitósque multos inter cæteram agrestem prædam agebat. ad duo millia fermè boum effecta: Asdrubalíque negotium datum, vt primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret: maximè, si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra, bouès aliquanto ante signa acti. vbi ad radices montium, viásque angustas ventum est, signum extemplò datur, vt accensis cornibus armenta in aduersos concitentur monteis. & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calórque iam ad viuum, ad imáque cornuum adueniens, velut stimulatos furore agebat boues. quo repentè discursu haud secus, quàm syluis montibúsque accensis, omnia circũ virgulta ardere: capitúmque inquietatio excitans flãmam, hominum passim discurrentiũ speciem præbebat. Qui ad transitus saltus insidendos locati erant, vbi in summis montibus, ac super se quosdam ignes conspexerunt, circunuentos se esse rati, præsidio excessere: quà ingens emicabat flamma, velut tutissimum iter petentes summa montium iuga. tum in quosdam boues palantes à suis gregibus inciderunt: & primò cùm procùl cernerent, ueluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt. deinde ut humana apparuit fraus, tum verò insidias rati esse, cum multo maximóque strepitu concitant se in fugam, leuíque armaturæ hostium incurrére. cæterùm nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Annibal traducto per saltum, & quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Alifano posuit castra. Hunc tumultũ sensit Fabius: cæterùm & insidias esse ratus, & ab nocturno vtique abhorrens certamine, suos munimentis tenuit. Luce prima sub iugo montis prælium fuit. quo interclusam ab suis leuem armaturam facilè (etenim numero aliquantum præstabant) Romani superassent, nisi Hispanorum cohors ad idipsum remissa ab Annibale peruenisset.

Hispani ad concursandum inter saxa rupésque apti

ea assuetior montibus, & ad concursandũ inter saxa rupésq; aptior ac leuior, B cùm velocitate corporum, tum armorum habitu campestrẽ hostem, grauem armis statariúmque, pugnæ genere facilè elusit. Ita haudquaquam pari certamine digressi, Hispani ferè omnes incolumes, Romani aliquot suis amissis, in castra contenderunt. Fabius quoque mouit castra: transgressúsque, saltum super Alifas loco alto ac munito consedit. Tum per Samnium Romam se petere simulans Annibal, vsque in Pelignos populabundus rediit. Fabius mediis inter hostium agmen, vrbémque Romam iugis ducebat, nec absistens nec congrediens. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retróque Apuliam repetens, Gerionem peruenit, vrbem metu, quia colapsa ruinis pars mœnium erat, ab suis desertam.

Fabius sacrorum causa Romam reuocatur.

Dictator in Larinate agro castra communit. inde sacrorum causa Romam reuocatus, non imperio modò, sed consilio etiam, ac propè precibus agens cum magistro equitũ, vt plus consilio quàm fortunæ confidat: & se potius ducem, quàm Sempronium Flaminiúmque imitetur. ne nihil actũ censeret, extracta propè æstate per ludificationem hostis. medicos quoque plus interdum quiete, quàm mouendo atque agendo proficere. haud paruam rem esse, ab toties victore hoste vinci desisse, & ab continuis cladibus respirasse. Hæc nequicquam præmonito magistro equitum, Romam est profectus. Principio æstatis, qua hæc gerebantur, in Hispania quoque terra maríque cœptum bellum est. Asdrubal ad eum nauium numerum, quẽ à fratre instructum paratúmque acceperat, decem adiecit. quadraginta nauium classem Himilconi tradidit, atque ita Carthagine profectus nauibus prope terram, exercitũ in litore ducebat, paratus confligere quacunque parte copiarum hostis occurrisset.

Cn. Scipio Asdrubalẽ nauali certamine adoritur.

Cn. Scipioni, postquam mouisse ex hybernis hostem audiuit, primò idem consilii fuit: deinde minus terra propter ingentem famam nouorum auxiliorum concurrere ausus delecto milite in naues imposito, quinque & triginta nauium classe ire obuiam hosti pergit. Altero ab Tarracone die ad stationem X X millia passuum distantem ab ostio Iberi amnis peruenit. inde duæ Massiliensium speculatoriæ præmissæ retulerunt classem Punicam stare in ostio fluminis, castráque in ripa posita. Itaque vt improuidos incautósque vniuerso simul effuso terrore opprimeret, sublatis anchoris ad hostẽ vadit. Multas, & locis altis positas turreis Hispania habet, quibus & speculis & propugnaculis aduersus latrones vtuntur. Inde primò cõspectis hostium nauibus datum signũ Asdrubali est: tumultúsque prius in terra & castris, quàm ad mare & ad naues est ortus, nondum aut pulsu remorum strepitúque alio nautico exaudito, aut aperiẽtibus classem promõtoriis: cùm repẽtè eques alius super aliũ ab Asdrubale missus, vagos in litore, quietósq; in tẽtoriis suis, nihil minus quàm hostẽ aut præliũ eo die expectantes, cõscendere naues properè, atq; arma capere iubet. classem Romanã iam haud procul à portu esse. Hæc equites dimissi passim imperabãt. mox Asdrubal ipse cũ omni exercitu aderat: varioq; omnia tumultu strepũt, ruẽtibus in naues simul remigibus militibúsq;, fugientiũ magis à terra, quàm in pu-

gnam

A gnam euntium modo. Vixdum omnes conſcenderant, cùm alii reſoluunt oras, aut anchoram vellūt. alii, ne quid teneat anchoralia incidunt: raptũque; omnia præproperè agendo, militũ apparatu nautica miniſteria impediuntur, trepidatione nautarum capere & aptare arma miles prohibetur. Et iam Romanus nõ appropinquabat modò, ſed direxerat etiã in pugnã & naues. itaq; non ab hoſte & prælio magis Pœni, quàm ſuomet ipſi tumultu turbabãtur: tentata verius pugna, quàm inita, in fugam auerterunt claſſem. & cum auerſi, ac diuerſo late agmine à tam multis ſimul veniẽtibus haud ſanè impenetrabiles eſſent, in litus paſsim naues egerunt: atq; alii vadis, alii ſicco litore excepti, partim armati, partim inermes ad inſtructam per litus aciem ſuorum perfugêre. Duæ tamen primo concurſu captæ erant Punicæ naues, quatuor ſuppreſſæ. Romani quanquam terra hoſtium erat, armatámq; aciem toto prætentã in litore cernebant, haud cunctanter tamen inſecuti trepidam hoſtium claſſem, naueis omnes quæ non aut perfregerant proras litore illiſas, aut carinas fixerant vadis, religatas puppibus in altum extraxere. ad v & x x naues ex x x x cepere. Neque id pulcherrimum eius victoriæ fuit, ſed quod vna leui pugna toto eius oræ mari potiti erant. Itaq; ad Honoſcam claſſe profecti, exſcenſu è nauibus in terram facto, cum vrbem vi cepiſſent, captámque diripuiſſent, Carthaginem inde petunt: atque omnem agrum circà depopulati, poſtremò tecta quoq; coniuncta muro, portíſq; incenderunt. Inde iam præda grauis ad Longunticã peruenit claſsis: vbi vis magna ſparti fuit, ad rem nauticam cõgeſta ab Aſdrubale, quod ſatis in vſum fuit, ſublato, cæterũ omne incenſum eſt. Nec continẽtis modò proiectas oras præteruecta, ſed in Ebuſum inſulã tranſmiſſum. vbi vrbe, quæ caput inſulæ eſt, biduum nequicquam ſummo labore oppugnata, vbi in ſpem irritam fruſtra teri tẽpus animaduerſum eſt, ad populationem agri verſi, direptis aliquod incenſíſq; vicis, maiore quàm ex continenti præda parta, cùm in naues ſeſe recepiſſent, ex Balearibus inſulis legati pacẽ petentes ad Scipionem venerunt. Inde flexa retro claſsis, reditúmq; in citeriora prouinciæ: quò omnium populorum, qui Iberum incolunt, multorum & vltimæ Hiſpaniæ legati cõcurrerunt. Sed qui verè ditionis imperiíſq; Romani facti ſunt, obſidibus datis, populi amplius fuerunt centumuiginti. Igitur terreſtribus quoq; copiis ſatis fidens Romanus, vſque ad ſaltum Caſtulonenſem eſt progreſſus. Aſdrubal in Luſitaniam, ac propius Oceanum conceſsit. Quietum inde fore videbatur reliquum æſtatis tẽpus, fuiſſétque per pœnum hoſtem: ſed præterquam quòd ipſorũ Hiſpanorum inquieta auidáq; in nouas res ſunt ingenia, Mandonius vir nobilis, qui antea Ilergetum regulus fuerat, poſtquam Romani ab ſaltu receſſere ad maritimã oram, concitis popularibus in agrum pacatum Romanorum ſociorum ad populandũ venit. Aduerſus eos tribus millibus cum expeditis auxiliis à Scipione miſsis, leui certamine vt tumultuariam manum fudere, multis occiſis, quibuſdam captis: magnáq; parte armis exuta. Hic tamen tumultus cedentẽ ad

Pœni in fugã auertũt claſſem.

Ex punicis 30. nauibus captæ ſunt 25.

Cn. Scipio omnẽ agrũ circa Carthaginẽ populatur.

Ex balearibus inſulis & ultima Hiſpania legati pacem petentes ad Scipionem ueniunt.

B Oceanum Aſdrubalem cis Iberum ad ſocios tutãdos retraxit. Caſtra Punica in agro Ilercaonenſium, caſtra Romana ad nouã claſſem erant, cùm fama repẽs aliò vertit bellum. Celtiberi principes, qui regionis ſuæ legatos, obſidéſq; dederant Romanis, nuncio miſſo à Scipione exciti arma capiunt, prouinciámq; Carthaginienſium valido exercitu inuadunt: tria oppida vi expugnãt. inde cum ipſo Aſdrubale duobus præliis egregiè pugnantes, xv millia hoſtium occiderunt, quatuor millia cum multis militaribus ſignis capiunt. Hoc ſtatu rerum in Hiſpania, P. Scipio in prouinciã venit, prorogato poſt conſulatum imperio ab ſenatu miſſus cum xxx longis nauibus, & octo millibus militũ, magnóque commeatu adiecto. Ea claſsis ingens agmine onerariorum procul viſa cum magna lætitia ciuiũ ſociorúmque, portũ Taraconis ex alto tenuit. ibi milite expoſito, profectus Scipio fratri coniungitur: ac deinde communi animo, conſilióq; gerebant bellũ. Occupatis igitur Carthaginienſibus Celtiberico bello, haud cunctanter Iberum tranſgrediuntur: nec vllo viſo hoſte Saguntũ pergunt ire, quòd ibi obſides totius Hiſpaniæ cuſtodiæ traditos ab Annibale, fama erat modico in arce cuſtodiri præſidio. Id vnum pignus inclinatos ad Romanam ſocietatẽ omnium Hiſpiniæ populorum animos morabatur, ne ſanguine liberorum ſuorum culpa defectionis lueretur. Eo vinculo Hiſpaniniam vir vnus ſolerti magis quàm fideli conſilio exoluit. Acedux erat Sagũti nobilis Hiſpanus, fidus antè Pœnis: tum (qualia pleraq; ſunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutauerat fidem. cæterùm transfugam ſine magnæ rei proditione venientem ad hoſtes, nihil aliud quàm vnum vile atq; infame corpus eſſe ratus, id agebat, vt quàm maximum emolumentũ nouis ſociis eſſet. circũſpectis igitur omnibus, quæ fortuna poteſtatis eius poterat facere, obſidibus potiſsimũ tradẽdis animũ adiecit: eam vnã rem maximè ratus conciliaturam Romanis principũ Hiſpaniæ amicitiã. Sed cum iniuſſu Boſtaris præfecti ſatis ſciret nihil obſidum cuſtodes facturos eſſe, Boſtarẽ ipſum arte aggreditur. Caſtra extra vrbẽ in ipſo litore habebat Boſtar, vt aditũ ex portu intercluderet Romanis. ibi eum in ſecretũ abductum, velut ignorantẽ monet in quo ſtatu ſit res. Metum cõtinuiſſe ad eam diem Hiſpanorũ animos, quia procul Romani abeſſent: nũc cis Iberũ caſtra Romana eſſe, arcem tutã, perfugiúmq; nouas volentibus res. itaque quos metus nõ teneat, beneficio & gratia deuinciẽdos eſſe, Miranti Boſtari, percunctantíq;, quódnã id ſubitũ tantæ rei donũ poſsit eſſe, Obſides, inquit, in ciuitates remitte. id priuatim parentibus, quorũ maximum nomen in ciuitatibus eſt ſuis, & publicè populis gratũ erit. Vult ſibi quſque credi & habita fides ipſam plerunq; obligat fidem. Miniſterium reſtituendorũ domos obſidum mihimet depoſco ipſe, vt opera quoque impenſa conſiliũ adiuuem meũ, & rei ſuapte natura gratæ, quantã inſuper gratiam, poſsim adiiciã. Homini non ad cætera Punica ingenia callido vt perſuaſit, nocte clàm progreſſus ad hoſtium ſtationes, conuentis quibuſdam auxiliaribus Hiſpanis, & ab iis ad Scipionem perductus, quid afferret expromit. Fide accepta datáque, ac loco & tempore conſtituto ad obſides traden-

Celtiberi ualido exercitu Carthaginienſem prouinciã inuadunt.

P. Scipio in Hiſpaniã uenit.

Quàm ſolerti conſilio Acedux obſides totius Hiſpaniæ liberauerit.

Acedux Boſtari ſuadet, ut obſides Hiſpanos ſuis remittat.

A dos,Saguntum redit.diẽ insequentem absumpsit cum Bostare,mandatis ad rem agendam accipiendis.dimissus cùm se nocte iturum,vt custodias hostium falleret,constituisset,ad compositam cum iis horam excitatis custodibus puerorum profectus,veluti ignarus impræparatas sua fraude insidias ducit.

Obsides Hispanos in castra Romana perductos suis reddit Scipio.

In castra Romana perducti,cætera omnia de reddendis obsidibus,sicut cum Bostare constitutum erat,acta per eundem ordinem,quasi Carthaginiensium nomine sic agerentur.Maior aliquãto Romanorum gratia fuit in re pari, quàm quanta futura Carthaginiensium fuerat.illos enim graues superbósq; in rebus secundis expertos,fortuna & timor mitigasse videri poterat. Romanus primo aduentu,incognitus antè,ab re clementi liberalíq; initium fecerat:& Acedux vir prudens haud frustra videbatur socios mutasse.

Hispaniæ populi ad defectionem Carthaginiensiũ spectant.

Itaq; ingenti consensu ad defectionẽ omnes spectare:armáq; extemplò mota forent,ni hyems,quæ Romanos quoque,& Carthaginienses cõcedere in tecta coegit, interuenisset. Hæc in Hispania qnoq; secunda æstate Punici belli gesta, cùm in Italia paululum interualli cladibus Romanis solers cunctatio Fabii fecisset.quæ vt Annibalem nõ mediocri solicitum cura habebat,tandem eum militiæ magistrum delegisse Romanos cernentẽ,qni bellum ratione,nõ fortuna gereret: ita contempta erat inter ciues armatos pariter togatósq;, vtique postquam absente eo,temeritate magistri eqoitũ læto,vt verius dixerim,quàm prospero euentu,pugnatũ fuerat.

Annibalis dolus ad augendã dictatoris inuidiam.

Accesserant duæ res ad augendã inuidiam dictatoris.vna fraude ac dolo Annibalis:quòd cum à perfugis ei mõstratus ager dictatoris esset,omnibus circà solo æquatis,ab vno eo ferrũ ignémque & vim omnẽ hostium abstineri iussit,vt occulti alicuius pacti ea merces videri posset.altera ipsius facto,primò forsitan dubio, quia non expectata in eo senatus authoritas est:ad extremum haud ambiguè in maximam laudem verso, in permutandis captiuis:quod sicut primo Punico bello factum erat, conuenerat inter duces Romanos,Pœnúmque,vt quæ pars plus reciperet quàm daret † argenti põdo bina & selibras in militẽ præstaret.

† Val. 25 coron.

C C X L V I I cum plures Romanus,quàm Pœnus recepisset,argentúmq; pro eis debitum, sæpe iactata in senatu re,quoniá non consuluisset patres,tardius rogaretur:

Inuiolatum ab Annibale agrũ suũ dictator uẽdit, ut captiuos redimat.

inuiolatũ ab hoste agrũ misso Romam filio vendidit,fidémque publicã impendio priuato exoluit. Annibal pro Gerionis mœnibus coius vrbis captæ atque incensæ ab se in vsum horreorum pauca reliquerat tecta, statiua habebat. inde frumentatũ duas exercitus partes mittebat : cũ tertia ipse expedita in statione erat, simnl castris præsidio, & circunspectans necunde impetus in frumentatores fieret. Romanus tunc exereitus in agro Larinati erat. præerat Minutius magister equitũ,profecto,sicut antè dictũ est , ad vrbẽ dictatore.

Magister equitum absente dictatore ex alto mõte in planum castra defert,

Cæterùm castra,quæ in monte alto ,ac tuto loco posita fuerant,iam in planum deferuntur : agitabantúrq; pro ingenio ducis consilia callidiora,vt impetus aut in frumentatores palãtes , aut in castra relicta cnm leui manu præsidióq; fieret. Nec Annibalem fefellit,cum duce mutatã esse belli rationẽ, & ferocius,quàm cõsultius,rem hostes gesturos.Ipse autem(quod minimè quis crederet) cùm hostis B propius esset,tertiam partem militum frumentatũ,duabus in castris retentis,dimisit:deinde castra ipsa propius hostẽ monit,duo fermè à Gerione millia,in tumulũ hosti conspectũ:vt intentum sciret esse ad frumentatores,siqua vis fieret,tutandos.Propior inde ei, atq; ipsis imminens Romanorũ castris tumulus apparuit: ad quẽ capiendũ,si luce palàm iretur,quia haud dubiè hostibns breuiore via præuẽtus esset,nocte clàm missi Numidæ ceperunt.quos tenenteis locũ contempta paucitate Romani postero die cùm eiecissent,ipsi eò transferũt castra. Tũ itaq; vt exiguũ spatii vallũ à vallo aberat,& id ipsum totum propè cõpleuerat Romana acies,simul & per auersa castra à castris Annibalis equitatus cum leui armatura emissus in frumentatores latè cædem fugámq; hostiũ palatorum fecit.nec acie certare Annibal ausus:quia tanta paucitate vix castra,si oppugnarentur,tutari poterat. iámque artibus Fabii pars exercitus aberat,iam fermè sedẽdo & cunctando bellum gerebat,receperátq; suos in priora castra,quæ pro Gerionis mœnibus erant.Insta qooq; acie,& collatis signis dimicatũ , quidam authores sunt.primo cõcursu Pœnum vsque ad castra fusum,inde eruptione facta repentè versum terrorem in Romanos:Numerii Decimi Samnitis deinde aduentu præliũ restitutum.hunc principẽ genere ac diuitiis nõ Bouiani modò,vnde erat,sed toto Samnio,iussu dictatoris octo millia peditum,& equites ducentos adducentẽ in castra,ab tergo cùm apparuisset Annibali,spem parti vtriq; præbuisse noui subsidii:

Sex millia hostium cæsa, quinque Romanorũ absente Fabio.

túmque Fabio ab Roma veniente,Annibalem insidiarũ quoque aliquid timẽtem recepisse suos: Romanum insecutum,adiuuante Samnite duo castella eo die expugnasse:sex millia hostiũ cæsa,quinque admodum Romanorum.tamen in tam pari propè clade famá egregiæ victoriæ cum vanioribus literis magistri equitum Romã perlatam.De his rebus persæpe & in senatu & in concione actum est. Cum læta ciuitate dictator vnos nihil nec famæ,nec literis crederet,vt si vera omnia essent, secunda se magis quàm aduersa timere diceret:

M. Metelli trib. pleb. in dictatorem concio.

tum M.Metellus tribunus plebis,id vnum enimuero ferendũ esse negat:non præsentem solum dictatorem obstitisse rei bene gerendæ,sed absentem etiam gestæ obstare:& in ducendo bello sedulò tempus terere,quò diutius in magistratu sit,solúsque & Romæ & in exercitu imperium habeat.quippe consulum alterum in acie cecidisse , alterum specie classis Punicæ persequendæ procul ab Italia ablegatum. duos prætores Sicilia atque Sardinia occupatos , quorum neutra hoc tempore prouincia prætore egeat. M. Minutium magistrum equitum , ne hostem videret,ne quid rei bellicæ gereret,propè in custodia habitum. Itaque hercule non Samnium modò , quo iam tanquam trans Iberum agros Pœnis concessum sit, sed Campanum , Calenúmque,& Falernum agrum peruastatos esse, sedente Casilini dictatore, & legionibus populi Romani agrum suum tutante. exercitum cupientem pugnare , & magistrum equitum , clausos propè intra vallum retentos, tanquam hostibus captiuis arma adempta. tandem vt abscesserit inde dictator, vt obsidione liberatos

A ratos extra vallum egressos fudisse, ac fugasse hosteis. Quas ob res, si antiquus animus plebi Romanæ esset, audacter se laturum fuisse de abrogando Q. Fabii imperio. Nunc modicam rogationem promulgaturum de æquando magistri equitum & dictatoris iure: nec tamen ne ita quidem prius dimittendum ad exercitum Q. Fabium, quàm consulem in locum C. Flaminii suffecisset. Dictator concionibus se abstinuit, in actione minimè popularis, ne in senatu quidem satis æquis auribus audiebatur, tūc cùm hostem verbis extolleret, bienniique clades per temeritatem atque inscitiam ducum acceptas referret: magistróque equitum, quòd contra edictum suum pugnasset, rationem diceret reddendam esse. si penes se summa imperii consiliique sit propediem effecturum vt sciant homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti esse, mentem, orationémque dominari. se sæuo tempore, & sine ignominia seruasse exercitum, quàm multa millia hostium occidisse, ducere maiorem gloriam esse. Huius generis orationibus frustra habitis, & consule creato M. Attilio Regulo, ne præsens de iure imperii dimicaret, pridie quàm rogationis ferendæ dies adesset, nocte ad exercitum abiit. Luce orta cùm plebis concilium esset magis tacita inuidia dictatoris, fauórque magistri equitum animos versabat, quàm satis audebant homines ad suadendum quod vulgo placebat, prodire: & fauore superante, authoritas tamen rogationi deerat. Vnus inuentus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat, loco non humili solùm, sed etiam sordido ortus. patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filióque hoc ipso in seruili eius artis ministerio vsum. Is iuuenis vbi ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta, animum ad spem liberalioris fortunæ adiecit, togáque & forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus, causísque aduersus rem & famam bonorum, primùm in notitiam populi, deinde ad honorem peruenit. quæstura quoque, & duabus ædilitatibus, plebeia & curuli, postremò & prætura perfunctus, iam ad consulatus spem cùm attolleret animos, haud parum callidè auram fauorabilis populi ex dictatoria inuidia petiit, sícque plebis vnus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quíque Romæ, quíque in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem, in contumeliam eius latam acceperunt. ipse qua grauitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sæuientis iniuriam tulit. acceptísque in ipso itinere literis senatusconsulti de æquato imperio, satis fidens haud quaquam cum imperii iure artem imperandi æquatam, cúmque inuicto à ciuibus, hostibúsque animo ad exercitum rediit. Minutius verò cùm iam antè vix tolerabilis fuisset, secūdis rebus ac fauore vulgi: tum vtique immodicè immodestéque non Annibale magis victo ab se quàm Fabio gloriari. Illum in rebus asperis vnicum ac parem ducem quæsitum Annibali maiorem minori, dictatorem magistro equitum, quòd nulla memoria habeat annalium iussu populi æquatum in eadem ciuitate, in qua magistri equitum virgas ac secu-

B res dictatoris tremere atque horrere soliti sunt. in tantum suam felicitatem virtutémque enituisse. ergo secuturum se fortuanm suam, si dictatoris cunctatio in segnitie deorum hominúmque iudicio damnata perstaret. Itaque quo die primùm congressus est cum Fabio, statuendum omnium primùm ait esse, quemadmodum imperio adæquato vtantur. se optimum ducere, aut diebus alternis, aut, si maiora interualla placerent, partitis temporibus alternis, summum ius imperiúmque esse, vt par hosti non solùm consilio, sed viribus etiam esset, si quam occasionem rei gerendæ habuisset. Q. Fabio haud quaquam id placere: omnia enim fortunam habituram, quæcunque temeritas collegæ habuisset. sibi communicatum cum illo, sed nou ademptum imperium esse. itaque se nunquam volentem parte, qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tempora, aut dies imperii cum eo, sed exercitus diuisurum: suísque consiliis, quoniam omnia non liceret, quæ posset, seruaturum. Ita obtinuit vt legiones, sicut consulibus mos esset, inter se diuiderent. prima & quarta Minutio, secunda & tertia Fabio euenerunt. item equites pari numero, sociûmque & Latini nominis auxilia diuiserunt. castris se quoque separari magister equitum voluit. Duplex inde Annibali gaudium fuit (neque enim quicquam eorum, quæ apud hostes agerentur, eum fallebat, & perfugis multa indicantibus, & per suos explorantem) nam & liberam Minutii temeritatem se suo modo capturum, & solertiæ Fabii dimidium virium decessisse. Tumulus erat inter castra Minutii, Pœnorúmque. eum qui occupasset, haud dubiè iniquiorem erat hosti locum facturus. eum non tam capere sine certamine volebat Annibal, quanquam id operæprecium erat, quàm causam certaminis cum Minutio, quem semper occursurum ad obsistendum satis sciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori, quia non modò syluestre quicquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat: re ipsa natus detegendis insidiis, eò magis quòd in nuda valle nulla talis fraus timeri poterat. & erant in anfractibus cauæ rupes, vt quædam earum ducenos armatos possent capere. In has latebras, quot quemque locum aptè insidere poterant, quinque millia conduntur peditum equitúmque. necubi támen aut motus alicuius temerè egressi, aut fulgor armorum fraudem in valle tam aperta detegeret, missis paucis prima luce ad capiendum, quem antè diximus tumulum, auertit oculos hostium. Primo statim conspectu contempta paucitas, ac sibi quisque deposcere pellendos inde hosteis. ad locum capiendum dux ipse inter stolidissimos ferocissimósque ad arma vocat & vanis animis & minis increpat hostem. Principiò leuem armaturam dimittit, deinde conserto agmine mittit equites: postremò, cum hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus procedit. Et Annibal laborantibus suis alia atque alia crescente certamine mittens auxilia peditum equitúmque, iam iustam expleuerat aciem, ac totis vtrinque viribus certabatur. Prima leuis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum, pulsa detrusáque terrorem in succedentem intulit equitem, & ad signa legionū refugit. peditum acies inter perculsos impauida

Fabius in actione minime popularis.

Bono imperatori haud magni fortuna momenti est.

Aequatur imperiū magistro equitum cū dictatore.

Magistri equitum insolentia.

Exercitum inter se diuidunt dictator & magister equitū.

Annibal prolicit ad certamē magistrū equitum.

Magistri equitum copiæ in summum periculum adductæ.

sola erat: videbatúrque, si iusta, aut si recta pugna esset, haudquaquam impar futura. tantum animorum fecerat prosperè antè paucos dies res gesta. A sed exorti repentè insidiatores eum tumultum terrorémque in latera vtrinque, ab tergóque incursantes fecerunt, vt neque animus ad pugnam, neque ad fugam, spes cuiquam superesset. Tunc Fabius primò clamore pauentium audito, dein conspecta procul turbata acie: Ita est, inquit, non celerius quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio, Annibalem & virtute & fortuna superiorem videt. sed aliud iurgandi succēsendíque tempus erit: nunc signa extra vallum proferte. victoriam hosti extorqueamus, confessionem erroris ciuibus. Iam magna ex parte cæsis aliis, aliis circunspectantibus fugam, Fabiana se acies repentè velut cælo demissa ad auxilinm ostendit. itaque priusquam ad coniectum teli veniret, aut manum consereret, & suos à fuga effusa, & à feroci pugna hosteis continuit. Qui solutis ordinibus vagè dissipati erant, vndique confugerant ad integram aciem. qui plnres simul terga dederant, conuersi in hostem, voluentésque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. ac iam propè vna acies facta erat victi atqne integri exercitus, inferebántque signa in hostem: cum Pœnus receptui cecinit, palàm ferente Annibale, ab se Minutium, se à Fabio victum.

Fabius magistro equitum fert suppetias.

Ita per variam fortunā diei maiore parte exacta, cùm in castra reditum esset: Minutius conuocatis militibus, Sæpe ego inquit, audiui milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: secundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parêre scit, eum extremi ingenii esse. Nobis quoniam prima animi ingeniique negata sors est, secundam ac mediam teneamus: & dum imperare discimns, parêre prudenti in animum inducamus. Castra cum Fabio iungamus. ad prætorinm eins signa cùm tulerimus, vbi ego eum parentem appellauero, quòd beneficio eius erga nos, ac maiestate eius dignnm est: vos milites eos, quorum vos modò arma dexteræque texerunt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorum certè nobis animorum gloriam dies hæc dederit. Signo dato, conclamatur inde vt colligantur vasa. profecti agmine incedentes ad dictatoris castra, in admirationem & ipsum, & omnes qui circà erant, conuerterunt. Vt constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios magister equitum cùm patrem Fabium appellasset, circunfusósque militum eius totum agmen patronos consalutasset: Parentibus, inquit, meis dictator, quibns te modò nomine, quo fando possum, æquaui, vitam tantum debeo: tibi cùm meam salutem: tum omnium horum. itaque plebiscitum, quo oneratus magis, quàm honoratus sum, primus antiquo, abrogóque: & quod tibi mihíq;, quod meo exercitui tuóque, conseruato ac conseruatori sit felix, sub imperium auspiciúmque tuum redeo, & signa hæc legionésque restituo. tu quæso placatus me magistrum equitum, hos ordinibus suis quéque teneri iubeas. Tum dextræ interiunctæ: militésque concione dimissa à notis ignotísque benignè atque hospitaliter inuitati, lætúsque dies ex admodum tristi paulo antè, ac propè execrabili B factus.

Magister equitum castra sua cum Fabij castris iungit, eúmque patrem salutat.

Magister equitum cōmunicatum sibi imperiū abrogat.

Romæ vt est perlata fama rei gestæ, dein literis non magis ipsorum imperatorum, quàm vulgo militum ex vtroque exercitu affirmata, pro se quisque Maximum laudibus ad cælum ferre. Par gloria apud Annibalem, hosteísque Pœnos erat: ac tum demum sentire, cum Romanis, atque in Italia bellum esse: nam biennio antè adeò & duces Romanos, & milites spreuerant, vt vix cum eadem gente bellum esse crederent, cuius terribilem eam famam à patribus accepissent. Annibalem quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt, tandem eam nubem, qnæ sederet in iugis montium, solicitatam procella imbrem dedisse.

Annibalis de Fabij virtute testimonium.

Dum hæc geruntur in Italia, Cn. Seruilius Geminus consul cum classe nauium circumuectus Sardinæ & Corsicæ oram, & obsidibus vtrinque acceptis, in Africam transmisit: & priusquam in continentem descentiones faceret, Meninge insula vastata, & ab incolentibus circa eam, ne & ipsorum vreretur diriperetúrque ager, † decem talentis argenti acceptis, ad litora Africæ accessit, copiásque exposuit. Inde ad populandum agrum ducti milites, naualésque socii iuxtà effusi, ac si insulas cultorum egenteis prædarentur. itaque insidias temerè illati, cum à frequentibus palantes, & locorum ignari circumuenirentur, cum multa cæde, ac fœda fuga retro ad naues compulsi sunt. Ad mille hominum, cum his Sempronio Bleso quæstore amisso, classis à litoribus hostium plenis trepidè soluta in Siciliam cursum tenuit: traditáque Lilybæi, tota Attilio prætori, vt ab legato eius P. Sura Romam reduceretur. ipse per Siciliam pedibus profectus, freto in Italiam traiecit: literísque Fabii accitus & ipse, & collega eius M. Attilius, vt exercitum ab se exacto iam propè semestri imperio acciperent.

† Vallent. 6000 coronas.

In Africa malè gesta res à Seruilio Gemino cons.

Omnium propè annales Fabium dictatorem aduersus Annibalem rem gessisse tradunt. Cœlius etiam eum à populo creatum dictatorem scribit. Sed & Cœlium & cæteros fugit, vni consuli Cn. Seruilio, qui tunc procul in Gallia pronincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris: quam moram quia expectare territa iam clade ciuitas non poterat, eò decursum esse vt à populo crearetur qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriámqne insignem ducis, & augendæ titulum imaginis posteris, vt dictator pro prodictatore diceretur, facile obtinnisse. Consules M. Attilius Regulus, Cn. Seruilius Geminus exercitu accepto, hybemaculis maturè communitis (tum enim autumni erat tempus) Fabii artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt. Frumentatum exeunti Annibali diuersis locis opportunè aderant, carpentes agmen, palantésque exipientes. in casum vniuersæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis non veniebant. adeóque inopia est coactus Annibal, vt nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit: nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si insequentes consules eisdem artibus bellum gererent.

Fabius exacto semestri imperio, dictatura se abdicat.

Cùm ad Gerionem iam hyeme impendente constitisset bellum, Neapolitani legati Romam venére. ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque ita verba facta, vt dicerent, scire se Romani populi ærariū bello exhauriri: & cùm iuxtà pro vribus agrísque sociorum, pro capite atque

Neapolitani legati Romam ueniunt.

arce

A arce Italiæ vrbe Romana atque imperio geratur, æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi cùm ad ipsorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ à maioribus relictum foret, eo iuuare populum Romanum, si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. gratum sibi patres Romanos populúmque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent: dignósque iudicauerint, à quibus donum animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quàm re maius ampliúsque, acciperent. Legatis gratiæ actæ pro munificentia, curáque, patera, quæ pooderis minimi fuit, accepta. Per eosdem dies speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus, præcisísque manibus dimissus: & serui quinque & viginti in crucem acti, quòd in campo Martio coniurassent. indici data libertas, & † æris grauis viginti millia. Legati & ad Philippum Macedonum regem missi ad deposcendum Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugisset: alii in Ligures, ad expostulandum quòd Pœnum opibus auxilíisque suis iuuissent: simul ad visendum ex propinquo, quæ in Boiis atque Insubribus gererentur. Ad Pineum quoque regem in Illyricos legati missi ad stipeodium, cuius dies exierat, poscendum, aut si diem proferre vellet, obsides accipiendos. adeò, & si bellum ingens in ceruicibus erat, nullius vsquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat. In religionem etiam venit, ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio antè L. Manlius prætor io Gallia vouisset, locatam ad id tempus non esse. itaque duúmuiri ad eam rem creati ab Aemilio prætore urbis, Cn. Pupius & Cæso Quintius Flaminius, ædem io arce faciendam locauerunt. Ab eodem prætore ex senatusconsulto literæ ad consules missæ: vt si iis videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret. se in eam diem, qua iussissent, comitia edicturum. Ad hæc à consulibus rescriptum, sine detrimento reipublicæ abscedi noo posse ab hoste, itaque per interregem comtia habenda esse potius, quàm consulum alter à bello auocaretur. Patribus rectius visum est, dictatorem à Consule dici comitiorum habendorum causa. Dictus L. Veturius Philo, M. Pomponium Mathonem magistrum equitum dixit. His vitio creatis, iussísque die quartodecimo se magestratu abdicare, ad interregnum res rediit. Consulibus prorogatum in annum imperium. interreges proditi à patribus, Cn. Claudius, Appii filius, Cento: inde P. Cornelius Asina. in eius interregno comitia habita, magno certamine patrum ac plebis. C. Terentium Varronem, sui generis hominem, plebi insectatione principum popularibúsque artibus conciliatum, ab Q. Fabii opibus & dictatorio imperio concussum, aliena inuidia splendentem, vulgus etiam extrahere ad consulatum oitebatur. patres summa ope obstabant, ne se iosectando, sibi æquari assuescerent homines. Bibius Herennius tribunus plebis, cognatus C. Terentii, criminando non senatum modò, sed etiam augures, quòd dictatorem prohibuissent comitia perficere, per inuidiam eorum fauorem candidato suo conciliabat. Ab hominibus nobilibus per multos annos bellum quærentibus Annibalem in Italiam adductum: ab iisdem, cùm debellari possit, fraude id bellum trahi. cùm quatuor militum legionibus vniuersis pugnari posse apparuisset, ac eò quòd M. Minutius absente Fabio prosperè pugnasset, duas legiones hosti ad cædem obiectas: deiude ex ipsa cæde ereptas, vt pater patronúsque appellaretur, qui prius vincere prohibuisset Romanos quàm vinci. Cōsules deinde Fabianis artibus, cùm debellari posset, bellum traxisse. Id fœdus inter omnes nobiles ictum: nec finem antè belli habituros, quàm Consulem verè plebeium, id est, hominem oouum fecissent. nam plebeios nobiles iam eisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem ex quo contemni desierint à patribus, cœpisse. Cui non id apparet? id actum & quæsitum esse, vt interregnum iniretur: vt in patrum potestate comtia essent. id consules ambos ad exercitum morando quæsisse, id postea, quia inuitis iis dictator esset dictus comitiorum causa, expugnatum esse, vt vitiosus dictator per augures fieret. Abhorrêre igitur interregnum eos: consulatum vnum certè plebis Romanæ esse: populum liberius habiturum, ac daturum ei, qui magis vincere quàm diu imperare malit. Cùm his orationibus accensa plebs esset, tribus patriciis petentibus, P. Cornelio Merenda, L. Manlio Volsone, M. Aemylio Lepido, duobus nobilibus iam familiaribus plebi, C. Attilio Serrano, & Q. Aelio Pæto, quorum alter pontifex, alter augur erat, C. Terentius coosul vous creatur, vt in manu eius essent comitia rogando collegæ. Tum experta nobilitas, parum fuisse virium in competitoribus eius, L. Aemylium Paulum, qui cum M. Lælio consul fuerat, & damnatione collegæ, & sua propè ambustus euaserat, infestum plebi, diu ac multum recusantem ad petitionem compellit. is proximo comitiali die, concedentibus omnibus qui cum Varrone certauerant, párque magis io aduersando, quàm collega datur consuli. Inde prætoria comitia habita. creati M. Pomponius Matho, & P. Furius Philus. Romæ iuris dicundi vrbana sors Pomponio, inter ciues Romanos & ioter peregrinos P. Furio Philo euenit. Additi duo prætores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Posthumius Albinus in Galliam. Omnes absentes creati sunt, nec cuiquam eorum præter Terentium consulem, erat mandatus honos, quem iam non antea gessisset, præteritis aliquot fortibus ac strenuis viris, quia in tali tempore nullus nouis magistratus videbatur mandandus. Exercitus quóque multiplicati sunt. Quantæ autē peditum equitúmque additæ siot copiæ, adeò & numero, & genere copiarum variant authores, vt vix quicquam satis certum affirmare ausim. Decem millia nouorum militum alii scripta in supplementum: alii nouas quatuor legiones quinque legiooibus additas, vt oouem legionibus rem gererent. numero quoque peditum equitúmque legiones auctas, millibus peditum, & centenis equitibus in singulas adiectis, vt quina millia peditum, treceni equites essent: socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent. Septem & octoginta millia armatorum, & ducentos in castris Romanis, cùm pugnatum ad Cannas est, quidam authores sunt. Illud haud quaquam discrepat,

† Vallent 200 coron

Legati Romani ad Macedonum regem, ad Ligures, & Illyricos.

Romani punico bello pressi, al' eo rum rerum curam non posuere.

Interregnum.

Tribuni plebis in patres concio.

C. Terentius plebeius homo, Consul. unus creatur.

Exercitus suos multiplicarunt Romani.

maiore conatu atque impetu rem actam, quàm prioribus annis, quia spem posse vinci hostem dictator præbuerat. A Cæterum prius quàm signa ab vrbe nouæ legiones mouerent, decem viri libros adire atque inspicere iussi, propter territos vulgò homines nouis prodigiis.

Ob prodigia libros adire decem uiri iubentur.

nam & Romæ in Auentino, & Ariciæ nunciatum erat, sub idem tempus lapidibus pluisse: & multo cruore, signa in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manasse. id quidem & quòd sæpius acciderat, magis terrebat. & in via Fornicata, quæ ad campum erat, aliquot homines de cælo tacti, exanimatíque fuerant. Ea prodigia ex libris procurata. Legati à Pesto pateras aureas Romam attulerunt. iis sicut Neapolitanis, gratiæ actæ, aurum non acceptum.

Classis ab Hierone cũ magno cõmeatu Romam missa.

Per eosdem dies ab Hierone classis Hostiam cum magno commeatu accessit. Legati in senatum introducti nuntiarunt, cædem C. Flaminii consulis exercitúsque allatam adeò ægre tulisse regem Hieronem, vt nulla sui propria, regníque sui clade moueri magis potuerit. itaque, quanquam probè sciat magnitudinem populi Romani admirabiliorem propè aduersis rebus, quàm secundis esse, missa tamen à se omnia, quibus à vobis fidelibúsque sociis bella iuuari soleant. quæ ne accipere abnuant, magnopere se P C orare. Iam omnium primum ominis causa victoriam auream † pondo c c c x x afferre sese: acciperent eam, tenerént que & haberent propriam & perpetuam.

† Vallent 35840 coron,

aduexisse etiam trecenta millia modiûm tritici, ducenta hordei, ne commeatus deessent. & quantum præterea opus esset, quò iussissent, subuecturos. Milite atque equite scire nisi Romano Latiníque nominis non vti Populum Romanum: leuium armatorum auxilia etiam externa vidisse in castris Romanis. itaque misisse mille sagittariorum ac funditorum aptam manum aduersus Baleares ac Mauros, pugnacésque alias missili telo gentes. Ad ea dona consilium quoque addebant, vt prætor, cui prouincia Sicilia euenisset, classem in Africam traiiceret, vt & hostes in terra sua bellum haberent, minúsque laxamenti daretur iis ad auxilia Annibali summittenda. Ab senatu ita responsum regi est, Virum bonum, egregiúmque socium Hieronem esse, atque vno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluisse, ac rem Romanam omni tempore ac loco munificè adiuuisse: id perinde ac deberet, pergratum populo Romano esse. Aurum & à ciuitatibus quibusdam allatum, gratia rei accepta non accepisse populum Romanum: victoriam, oménque accipere: sedémque ei se diuæ dare, dicare Capitolium, templum Iouis Optimi Maximi. in ea arce vrbis Romæ sacratam, volentem propitiámque, firmam ac stabilem fore populo Romano. Funditores, sagittariíque, & frumentum traditum consulibus. Quinqueremes ad nauium classem, quæ cum T. Octacilio proprætore in Sicilia erant, quinque & viginti additæ, permissúmque est, vt si è repub. censeret esse, in Africam traiiceret. Delectu perfecto, consules paucos morati dies, dum socii ab nomine Latino venirent. Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando à tribunis militum adacti, iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros. nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat: B & vbi ad decuriatum aut centuriatum conuenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, sese fugæ atque formidinis ergò non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut ciuis seruandi causa. id ex volũtario inter ipsos fœdere à tribunis ad legitimam iurisiurandi adactionẽ translatum.

Iureiurãdo milites adacti, quum antea nihil præter sacramentum fuerat.

Varronis Cos. cõciones multæ ac feroces erant.

Conciones prius quàm vrbe signa mouerentur, consulis Varronis multæ ac feroces fuêre, denunciantes, bellum accersitum in Italiam ab nobilibus, mansurúmque in visceribus reipublicæ, si plures Fabios imperatores haberet, se quo die hostem vidisset, profligaturum. Collegæ eius Pauli vna, pridie quàm ex vrbe proficiscerentur, concio fuit, verior, quàm gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modò, Mirari se, quomodo quis dux, prius quàm aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset: iám nunc locatus in vrbe sciret, quæ sibi agenda armato forent: & diem quoque prædicere posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturus. Se quæ consilia magis res dent hominibus, quàm homines rebus, ea ante tempus immatura non precepturum. optare, vt quæ cautè atque consultè gesta essent, satis prosperè euenirent. temeritatem præterquam quòd stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse. Eum sua sponte apparebat tuta celeribus consiliis præpositurum: & quo id constantius perseueraret, Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur.

Q. Fabij ad L. Aemylium cõsulẽ oratio,

Si aut collegam (id quod mallem) tui similem L. Aemyli haberes, aut tu collegæ tui similis esses, superuacanea esset oratio mea. nam & duo boni consules etiam me tacente omnia è republica fide vestra faceretis: & mali, nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis reciperetis nunc. & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi tecum omnis oratio est: quem video nequicquam & virum bonum, & ciuem fore, si altera parte claudicet respublica, malis consiliis idem ac bonis iuris & potestatis erit. Erras enim L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quàm cum Annibale futurum censes. nescio an infestior hic aduersarius, quàm ille hostis maneat. & cum illo in acie tantùm, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es, & aduersum Annibalem legionésque eius tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est: Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria. tamen ille consul demum, & in prouincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quàm peteret consulatum, deinde in petendo consulatu: nunc quoque consul, prius quàm castra videat, aut hostem, insanit. & qui tantas iam nunc procellas, prælia atque acies iactando inter togatos ciet, quid inter armatam iuuentutem censes facturum? & vbi extemplò verba res sequitur? Atqui si hic, quod facturum se denuntiat, extemplò pugnauerit: aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Thrasymeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus aduersus vnum est: vt ego contemnendo potius quàm appetendo gloriam, modũ excesserim. sed ita res habet.

vna

A vna ratio belli gerendi aduersus Annibalem est, qua ego gessi. nec euentus modò hoc docet:stultorum iste magister est:sed eadem ratio quæ fuit,futuráque, donec eædem manebunt,immutabilis est. In Italia bellū gerimus,in sede ac solo nostro.omnia circa plena ciuium ac sociorum sunt armis,viris, equis,commeatibus iuuant,iuuabúntque:id iam fidei documentum in aduersis rebus nostris dederunt.meliores,prudentiores,constantiores nos tēpus diésque facit. Annibal cōtrà,in aliena,in hostili est terra,inter omnia inimica infestáque,procul à domo,procul à patria.neq; illi terra,neque mari est pax:nullæ eum vrbes accipiunt,nulla mœnia:nihil vsquam sui videt,in diem rapto viuit.partē vix tertiam exercitus eius habet,,quem Iberum amnem traiecit. plures fames,quàm ferrum absumpsit:nec his paucis iam victū suppeditat.Dubitas ergo quin eum sedendo superaturi simus,qui senescat in dies? non cōmeatus,non supplementum, non pecuniam habeat?Quàm diu pro Gerionis, castelli Apuliæ inopis,tanquā pro Carthaginis mœnibus pugnatum est? Sed ne aduersus te quidē ego glorìabor. Cn. Seruilius,atq; Attilius proximi cōsules,vide quemadmodū eum ludificati sint.Hæc vna salutis est via L.Paule,quam difficilem infestāmq; ciues sibi magis,quàm hostes faciēt,idem enim tui,quod hostiū milites,volent:idem Varro cōsul Romanus quod Annibal Pœnus imperator,cupiet.duobus ducibus vnus resistas oportet.resistes autem,aduersus famam rumorésque hominum si satis firmus steteris: si te neq; collegæ vana gloria,neque tua falsa infamia mouerit.A veritate laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nunquam.Gloriam qui spreuerit,verā habebit.Sine timidum pro cauto, tardū pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. malo te sapiens hostis metuat,quàm stulti ciues laudent. omnia audentē contemnet Annibal:nil temere agentē metuet.Nec ego,vt nihil agatur,sed vt agentem te ratio ducat,nō fortuna. tuæ potestatis semper,tuáq; omnia sint.armatus intētúsq; sis neq; occasioni tuæ desis,neq; suam occasionem hosti des.omnia nō properanti clara,certáq; erunt.festinatio improuida est,& cæca.Aduersus ea oratio consulis haud sanè læta fuit,magis fatentis ea quæ diceret,vera,quàm facilia factu esse.Dictatori magistrum equitum intolerabilē fuisse,quid consilii aduersus collegā seditiosum ac temerariū virum,atq; authoritatis fore? Se populare incendiū priore consulatu semiustum effugisse.optare vt omnia prosperè euenirent. at si quid aduersi caderet,hostium se telis potius,quàm suffragiis iratorum ciuium caput obiecturū.Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt,prosequētibus primoribus patrū.Plebeium consulem sua plebs prosecuta,turba,quàm dignitate cōspectior. Vt in castra venerūt,permisto nouo exercitu ac vetere castris bifariā factis,vt noua minora essent propius Annibali,in veteribus maior pars,& omne robur virium esset:tum anni prioris consulē M.Attilium ætatē excusantem Romā miserūt.Cn.Seruilium in minoribus castris legioni Romanæ,& sociūm peditū equitúmq; duobus millibus præficiūt. Annibal quāquam parte dimidia auctas hostiū copias

B cernebat,tamē aduentu consulū mirè gaudere.nō solùm enim nihil ex raptis in diē cōmeatibus superabat,sed ne vnde raperet quidem,quicquam reliqui erat:omni vndiq; frumento posteaquā ager parum tutus erat,in vrbes munitas conuecto:vt vix decē dierum,quod cōpertū postea est, frumentum superesset,Hispanorúmq; ob inopiam transitio parata fuerit, si maturitas temporum expectata foret. Cæterùm temeritati consulis,ac præpropero ingenio materiā etiam fortuna dedit:quòd in prohibendis prædatoribus tumultuario prælio,ac procursu magis militum quàm ex præparato, aut iussu imperatorum orto, haud quaquam par Pœnis dimicatio fuit. Ad mille & septingentos cæsi:nō plus centum Romanorum sociorúmq; occisis.Cæterùm victoribus effuse sequentibus metu insidiarū obstitit Paulus consul:cuius eo die(nam alternis imperitabant)imperium erat: Varrone indignante ac vociferante,emissumhostem è manibus:debellarique,ni cessatum foret,potuisse. Annibal id damnū haud ægerrimè pati:quin potius credere,velut inescatā temeritatem ferocioris cōsulis, ac nouorum maximè militumesse. & omnia ei hostium haud secus, quàm sua , nota erant : dissimiles discordésque imperitare , duas propè partes tyronum militum in exercitu esse. itaque locum & tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima nihil præter arma ferenteis secum milites, ducens, castra plena omnis fortunæ publicæ priuatæque relinquit, tránsque proximos monteis læua pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per cornua in medium agmen traducit: vt diripiendis velut desertis fuga dominorum castris occupatum, impeditúmque hostem opprimeret. Crebri relicti in castris ignes:vt fides fieret,dum ipse longius spatium fuga præriperet,falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset , tenere in locis consules voluisse. Vbi illuxit, subductæ primò stationes , deinde propius adeuntibus insolitum silentium admirationem fecit. Iam satis comperta solitudine in castris, concursus fit ad prætoria C O S S. nunciantium fugam hostium adeò trepidam , vt tabernaculis stantibus castra reliquerint : quóque fuga obscurior esset, crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, vt signa proferri iuberent, ducérentque ad persequendos hosteis ac protinus castra diripienda. Et C O S. alter velut vnus turbæ militaris erat. Paulus etiam atque etiam dicere , prouidendum præcauendúmque esse. postremò cum aliter neque seditionem neque ducem seditionis sustinere posset : M. Statilium præfectum cum turma Lucanorum exploratum misit.qui vbi adequitauit portis , subsistere extra munimenta cæteris iussis, ipse cū duobus equitibus vallum intrauit:speculatúsque omnia cum cura renunciat, insidias profectò esse : ignes in parte castrorū,quæ vergat in hostem,relictos : tabernacula aperta,& omnia chara in promptu relicta : argentum quibusdā locis temerè per vias velut obiectum ad prædam vidisse.Quæ ad detinendos à cupiditate animos nunciata erant, ea accenderunt:& clamore sublato à militibus , nisi signum detur,sine ducibus ituros , haudquaquam dux defuit.nam extemplò Vorro signum dedit proficiscēdi.Paulus,cùm ei sua sponte cunctanti pulli quoq; auspicio nō addixissent,obnūciari iam efferenti

Euentus stultorum magister.

Annibalis exercitus omnium rerū penuria laborat.

Ex prædatoribus Pœnis 1700 cæsi.

Annibal relictis castris fugam simulat.

porta signa collegæ iussit. quod quanquam Varro ægrè est passus, Flaminij tamen recens casus, Claudiíque Cos. primo Punico bello memorata naualis clades religionem animo incussit. Dij propè ipsi A
eo die magis distulere, quàm prohibuere imminentem pestem Romanis. nam fortè ita euenit, vt
Annibalis insidiæ deteguntur. cùm referri signa in castra iubenti Cos. milites non parêrent, serui duo, Formiani vnus, alter Sidicini equitis, qui Seruilio atque Attilio COSS. inter pabulatores accepti à Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos: qui deducti ad COSS. denunciant, omnem exercitum Annibalis trans proximos montes sedere in insidiis. Horum opportunus aduentus COSS. imperii potentes fecit, cùm ambitio alterius suam primùm apud eos praua indulgētia maiestatem soluisset. Annibal posteaquam motos magis inconsultè Romanos quàm ad vltimum temerè euectos vidit, nequicquā detecta fraude
Annibal in castra redit. in castra rediit. ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequibat, nouáque consilia in dies non apud milites solùm mistos ex colluuione omnium gentium, sed etiam apud ipsum ducem oriebantur. nam cum initiò fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset exposcentium stipendium debitum, querentiúmque annonam primò, postremo famem, & mercenarios milites, maximè Hispani generis, de transitione cepisse consilium fama esset, ipse etiam interdum Annibal de fuga in Galliam dicitur agitasse, ita vt relicto peditatu omni, cum equitatu se proriperet. Cùm hæc consilia atque hic habitus animorum esset in castris, mouere inde statuit in calidiora, atque eo maturiora messibus Apuliæ loca, simul vt quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora leuibus ingeniis essent. Profectus est nocte, ignibus similiter factis, tabernaculísque paucis in speciem relictis, vt
Annibal ad Cannas castra ponit. insidiarum par priori metus contineret Romanos. Sed per eundem Lucanum Statilium omnibus vltra castra, tránsque montes exploratis, cùm relatum esset, visum procul hostium agmen, tum die sequenti eius insequendi consilia agitari cœpta. Cum vtriusque COS. eadem, quæ semper antè fuisset sententia, cæterùm Varroni ferè omnes, Paulo nemo, præter Seruilium prioris anni COS. assentiretur, maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas vrgēte fato profecti sunt. Pro-
Cõsules Annibalem insequuntur. pe eum vicum Annibal castra posuerat auersa à Vulturno vento, qui campis torridis siccitate nubes pulueris vehit, id cùm ipsis castris percommodum fuit: tum salutare præcipuè futurum erat, cùm aciem dirigerent, ipsi auersi, terga tantùm afflante vento, in obcæcatum puluere effuso hostem pugnaturi. COS. satis exploratis itineribus sequentes Pœnum, vt ventum ad Cannas est, vbi inconspectu Pœnum habebant, bina castra communiunt eodem fermè interuallo, quo ad Gerionem, sicut antè, copiis diuisis. Aufidus amnis vtrisque castris affluens aditum aquatoribus ex sua cuiusque opportunitate haud sine certamine dabat. ex minoribus tamen castris, quæ posita trans Aufidum erant, liberius aquabantur Romani, quia ripa vlterior nullum habebat hostium præsidium. Annibal spem nactus loci ad equestrem pugnam, qua parte virium inuictus erat, facturus copiam pugnandi consulibus, dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus solici- B
Consulum discordia. tari seditione militari, ac discordia consulum Romana castra, cùm Paulus Sempronii & Flaminii temeritatem Varroni, Varro speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabii obiiceret: testaretúrque deos & homines hic, nullam penes se culpam esse, quòd Annibal iam velut suam cepisset Italiam, se constrictum à collega teneri, ferrum atque arma iratis & pugnare cupientibus adimi militibus: ille, si quid proiectis ac proditis ad inconsultam atque improuidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpæ exortem, omnis tamen euentus participem fore diceret. videret, vt quibus lingua prompta ac temeraria esset, æquè in pugnam vigerent manus. Dum altercationibus magis quàm consiliis tempus teritur, Annibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructā, cùm in castra cæteras reciperet copias, Numidas ad inuadēdos ex minoribus castris, Romanorum aquatores trans flumen mittit. quam in conditam turbam cùm vix dum in ripā egressi clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas prope portas euecti sunt. Id verò indignū visum, ab tumultuario auxilio iam etiam castra Romana terreri, vt ea modò vna causa, ne extēplò transirent flumen, dirigerēntq; aciem, tenuerit Romanos, quòd summa imperii eo die penes
Varro cos. instructis copijs Annibalem adoritur. Paulum fuerit. Itaq; Varro postero die, cui sors eius diei imperii erat, nihil consulto collega signum proposuit, instructásq; copias flumen transiuit, sequente Paulo: quia magis non probare, quàm non adiuuare consiliū poterat. Transgressi flumen eas quoq; quas in castris minoribus habuerant copias, suis adiungunt: atq; ita instructa acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deinde pedites. læuum cornu extremi equites sociorū, intra pedites, ad mediū iuncti legionibus Ro-
Annibal aciē instruit. manis tenuerunt iaculatores. ex cæteris leuium armorū auxiliis prima acies facta. COSS. cornua tenent: Terentius læuum, Aemylius dexterum. Cn. Seruilio media pugna tuenda data. Annibal luce prima Balearibus, leuiq; alia armatura præmissa, transgressus flumen, vt quósq; traduxerat, ita in acie locabat. Gallos Hispanósq; equites prope ripam læuo in cornu aduersus Romanum equitatū. dextrum cornu Numidis equitibus datū, media acie peditibus firmata: ita, vt Afrorum vtraq; cornua essent, interponerētur his medii Galli atq; Hispani. Afros Romanā magna ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis & ad Trebiā, cæterum magna ex parte ad Thrasymenū captis. Gallis Hispanísque scuta eiusdē formæ ferè erāt: dispares ac dissimiles gladii, Gallis prælongi, ac sine mucronibus: Hispano
Omniū, qui in Annibalis exercitu erant, numerus. punctim magis quàm cæsim assueto petere hostē, breuitate habiles, & cum mucronibus. ante cæteros armati (is gentiū harū habitus tum magnitudine corporū, tum specie terribilis erat) Galli super vmbilicum erāt nudi: Hispani linteis prætextis purpura tunicis cādore miro fulgentibus cōstiterant. Numerum omniū, qui tum peditū equitúmq; in acie stetere, illum ferūt, videlicet quadraginta peditū millia, decē equitum. Duces cornibus præerant: sinistrum Asdrubal, dexrū regebat Maharbal: mediā aciem
Annibal

A Annibal ipse cum fratre Magone tenuit. sol seu de industria ita locatis, seu fortè ita stando, peropportunè vtrique parti obliquus erat, Romanus in meridiem, Pœnis in septentrionem versis. ventus, quem Vulturnũ incolæ regionis vocant, aduersus Romanos coortus, multo puluere in ipsa ora voluendo prospectum ademit. Clamore sublato, procursum ab auxiliis, & pugna leuibus primùm armis cõmissa: deinde equitum Gallorũ Hispanorúmque læuum cornu cum dextro Romano concurrit, minimè equestris more pugnæ. frontibus enim aduersis concurrendũ erat, quia nullo circà ad euagandũ relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant. in directũ vtrinq; nitentes, stãtibus ac cõfertis, postremò turbatis æquis, vir virũ amplexus detrahebat equo. pedestre magna iam ex parte certamen factum erat, acrius tamen quàm diutius pugnatũ est, pulsiq; Romani equites terga vertunt. Sub equestris finẽ certaminis coorta est peditũ pugna. primò & viribus & animis pares constabant ordines Gallis, Hispanísq;, tandẽ Romani diu ac sæpe cõsilio agitabãt, qua fronte aciẽq; densa impellerẽt hostium cuneum nimis tenuem, eóq; parum validum, à cæteris prominentẽ acie. impulsis deinde ac trepidè referentibus pedẽ insistere, ac tenore vno per præceps pauore fugientium agmen in mediam primam aciem illati, postremò nullo resistente ad subsidia Afrorum peruenerũt: qui vtrinq; reductis alis cõstiterant, mediiq; Galli Hispaníque steterunt, aliquantum prominente acie: qui cuneus vt pulsus æquauit frontẽ primùm, deinde nitẽdo etiã sinum in medio dedit, Afri circa iam cornua vim fecerant: irruentibúsq; incautè in mediũ Romanis circũdedere alas: mox cornua extendendo, clausere & ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquam prælio uno, omissis Gallis Hispanísq;, quorum terga ceciderãt, etiã aduersus Afros integrã pugnã ineunt. nõ tantũ eo inquã, quòd inclusi aduersus circũfusos, sed etiã quòd fessi cũ recẽtibus ac vegetis pugnabãt. Iam & in sinistro cornu Romano, vbi sociorũ equites aduersus Numidas steterant, consertũ præliũ erat, segne primò, & à Punica cœptum fraude. Quingenti fermè Numidæ præter consueta arma telaq;, gladios occultos sub loricis habẽtes, specie transfugarum cùm ab suis parmas post terga habentes adequitassent, repentè ex equis desiliũt, parmísque & iaculis ante pedes hostium proiectis, in mediã aciem accepti, ductiq; ad vltimos cõsidere ab tergo iubentur. ac dum prælium ab omni parte conseritur, quieti manserunt. postquã omnium animos oculósque occupauerat certamen, tum arreptis scutis, quæ passim inter aceruos cæsorũ corporũ strata erant, auersam adoriuntur Romanam aciem: tergáque ferientes, ac poplites cædentes stragem ingentem dederunt, ac maiorem aliquanto pauorem ac tumultum fecerunt. Cùm alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala iam spe prælium esset: Asdrubal, qui ea parte præerat, subductos ex media acie Numidas, quia segnis eorum cum aduersis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit, Hispanos & Gallos pedites Afris iam propè fessis cæde magis quam pugna adiungit. Parte altera pu-

B gnæ Paulus, quanquam primo statim prælio funda grauiter ictus fuerat, tamen & occurrit sæpe cum confertis Annibali, & aliquot locis prælium restituit, protegentibus eum equitibus Romanis. omissis postremò equis, quia COS. ad regendum equum vires deficiebant: tum denuncianti cuidam, iussisse COS. ad pedes descendere equites: dixisse Annibalem ferunt, Quàm mallem victos mihi traderet. Equitum pedestre præliũ, quale iam haud dubia hostium victoria fuit: cùm victi mori in vestigio mallent, quam fugere: victores morantibus victoriam irati, trucidarent quos pellere non poterant. pepulerunt tamen iam paucos superatos, & labore ac vulneribus fessos. inde dissipati omnes sunt: equósq; ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus Tr. mil. cùm præteruehens equo sedentem in saxo cruore oppletum COS. vidisset: L. Aemyli, inquit, quem vnum insontem culpæ cladis hodiernæ dii respicere debent, cape hunc equum. dum & tibi virium aliquid superest, comes ego te tollere possum ac protegere, ne funestam hanc pugnam morte COS. feceris. etiam sine hoc lachrymarũ satis luctúsque est. Ad ea COS. Tu quidem Cn. Corneli macte virtute esto. Sed caue frustra miserando exiguum tempus è manibus hostium euadendi absumas. Abi, nuncia publicè Patribus, vrbem Romã muniant: ac prius quàm hostis victor adueniat, præsidiis firment, priuatímque Q. Fabio, L. Aemyliũ præceptorum eius memorem extitisse & vixisse, & adhuc mori. & tu me in hac strage militum meorum patere expirare, ne vt reus interream, causáq; consulatus accusator collegæ existam, vt alieno crimine innocentiam meã protegam. Hæc exigentem prius turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere COS. ignorantes quis esset, obruerúntq; telis. Lentulum in tumulum abripuit equus. tum inde effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decẽ in maiora, duo fermè in vicum ipsum Cãnas perfugerunt: qui extẽplò à Cartalone atque equitibus nullo munimento tegente vicum, circumuenti sunt. COS. alter, seu fortè, seu consilio, nihil fugientium infestus agmini, cum quinquaginta ferè equitibus Venusiam profugit. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, & tanta propè ciuiũ sociorúmq; pars cæsi dicuntur, in his alter consulũ, quæstores L. Attilius, & Furius Bibaculus, XXI Tr. mi. consulares quidam prætoriiq; & ædilicii: inter eos Cn. Seruilius, & C. Minutius Numatius, qui magister equitũ priore anno aliquot diebus antè fuerat: LXXX præterea senatores, aut qui eos magistratus gessissent, vnde in senatum legi deberent, cùm sua voluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo prælio tria millia peditum, & equites trecenti dicuntur. Hæc est pugna Cannensis clade nobilitata, per cætera Alliensi. útque hæc illa iis, quæ post pugnam accidere, leuior, quia ab hoste cessatum est: sic strage exercitus grauior, fœdiórque fuit fuga. nanque ad Alliam fuga sicut vrbem prodidit, ita exercitum seruauit: Ad Cannas fugientem COS. vix quinquaginta secuti sunt: alterius morientis propè totus exercitus fugit. Binis in castris cùm multitudo semiermis sine ducibus esset: nuncium, qui in maioribus erant mittunt: dum prælio, deinde ex lætitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, vt ad se transirẽt: vno agmine Cannusium

Cannense prælium.

Victi Romani dissipantur.

Pauli cos. iamiã morituri ad Cn. Cornelium oratio.

Cæsorũ Romanorum in cannensi pugna numerus.

abituros

abituros esse. Eam sententiam aliĩ totam aspernari. cur enim illos, qui se accersant, ipsos non venire A
cùm æquè coniugi possent? quia videlicet plena hostium omnia in medio essent: & aliorum, quàm
sua corpora tanto periculo mallent obiicere. Aliis non tam sententia displicere, quàm animus de-

P. Sempronij Trib. mil. oratio.

esse. P. Sempronius Tuditanus Tri. mil. Capi ergo mauultis, inquit, ab auarissimo & crudelissimo
hoste? æstimaríque capita vestra precio? & exquiri ab interrogãtibus, Romanus ciuis sis, an Latinus
socius? vt ex tua contumelia & miseria alteri honos quæratur, non tibi. Non vos quidem L. Aemylii,
qui se bene mori, quàm turpiter viuere maluit: & tot fortissimorum virorum, qui circa eum cumu-
lati iacent, similes estis. Sed antequam opprimat lux, maioráque hostium agmina obsepiant iter, per
hos qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque audacia iter fit,
quamuis per confertos hostes. cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ac si nihil obstet, tran
sibimus. itaque ite mecum, qui & vosmetipsos & remp. saluam vultis. Hæc vbi dicta dedit, gladium,
cuneóque facto per medios vadit hostes. & cùm in latus dextrum, quod patebat, Numidæ iacularen-
tur: translatis in dexteram partem scutis, in maiora castra ad sexcentos euaserunt; atque inde proti-
nus alio magno agmine adiuncto, Cannusium incolumes perueniunt. Hæc apud victos magis impe-
tu animorum, quem ingenium suum cuique, aut fors dabat, quàm ex consilio ipsorum, aut imperio
cuiusquam agebantur. Annibali victori cùm cæteri circũfusi gratularentur, suaderéntque, vt tãto per-
functus bello, diei quod reliquum esset, noctísque insequentis, quietem & ipse sibi sumeret, & fessis da-

Maharbal suadet Annibali, ut quàm primum Romã adeat.

ret militibus, Maharbal præfectus equitum minimè cessandũ ratus: Imò, vt quid hac pugna sit actum
scias die quinta, inquit, victor in Capitolio epulaberis. sequere cum equite, vt prius te venisse, quàm ven-
turum sciant. Præcedant, Annibal inquit, nuncii, læta res est, sed via maior, quàm vt eam statim cape-
re animo possim. itaque voluntatem se laudare Maharbalis, ait, ad consilium prensandum tempus o-
pus esse. Tum Maharbal, Non omnia nimirum eidem dii dedere. Vincere scis Annibal, victoria vti
nescis. Mora eius diei satis creditur saluti fuisse vrbi atq; imperio. Postero die vbi primùm illuxit, ad spo
lia legenda, fœdáque etiam hostibus spectandam stragẽ insistunt. Iacebant tot Romanorũ millia pedi-

Romanorũ strages etiã hostibus miserabilis.

tes passim equitésque, vt quem cuique fors, aut pugna iunxerat, aut fuga. assurgentes quidam ex stra-
ge media cruenti, quos stricta matutino frigore excitauerant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quosdam
& iacẽtes viuos succisis feminibus poplitibúsque inuenerunt, nudantes ceruicem iugulúmque, & reli-
quum sanguinem inuitantes haurire. Inuenti sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quos si-
bi ipsos fecisse foueas, obruentésque ora subiecta super humo iniecta interclusisse spiritum apparebat.
Præcipuè conuertit omnes substratus Numida mortuo superincumbenti Romano viuus, naso auribús-
que laceratis. cùm manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus
hostem expirasset. Spoliis ad multum diei lectis, Annibal ad minora ducit castra oppugnanda, & o- B

Castra Romanorum minora ac maiora hosti deduntur. † Val. 26 coron. uel circiter.

mnium primùm brachio fluminis obiecto, eos excludit. Cæterùm ab omnibus, labore, vigiliis vulne-
ribus etiam fessis maturior ipsius spe deditio est facta. pacti vt arma atque equos traderent, in capita
Romana † trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in seruos centenis: & vt eo precio persolu-
to, cum singulis abirent vestimentis, in castra hosteis acceperunt, traditíq; in custodiam omnes sunt,
sed seorsum ciues sociíque. Dum ibi tempus teritur, interea cùm ex maioribus castris, quibus satis vi-
rium aut animi fuit, ad quatuor millia hominum. & C C equites, alii agmine, alii palantes passim per
agros, quod haud minus tutum erat, Cannusium profugissent, castra ipsa ab sauciis timidísque eadem
conditione, qua altera, tradita hosti. Præda ingens parta est: & præter equos virósque, & siquit argenti,
quod plurimum in phaleris equorum erat: (nam ad vestiendum facto perexiguo vtique militantes
vtebantur) omnis cætera præda diripienda data est. Tum sepeliendi causa cõferri in vnum corpora

Pœnorum in bello Cãnensi cæsa octo millia.

suorum iussit. Ad octo millia fuisse dicuntur fortissimorum virorum. C O S. quoque Romanum con-
quisitum, sepultúmque, quidam authores sunt. Eos, qui Cannusium perfugerant, mulier Paula nomi-
ne Busa, genere clara ac diuitiis, mœnibus tantùm tectísque à Cannusinis acceptos, frumento, veste,
viatico etiam iuuit. pro qua ei munificentia postea bello perfecto ab senatu honores habiti sunt. Cæte-
rum cùm ibi tribuni militum quatuor essent, Fabius Maximus de legione prima, cuius pater priore
anno dictator fuerat: & de legione secũda L. Publicius Bibulus, & P. Cornelius Scipio: & de legione ter

Omniũ qui Cannusium perfugerãt, consensu, rerum summa defertur ad Scipionem, & Ap. Claudium.

tia Ap. Claudius Pulcher, qui proximè ædilis fuerat: omniũ cõsensu ad P. Scipionẽ admodũ adolescen
tẽ & ad Ap. Claudiũ summa imperii delata est. quibus cõsulãtibus inter paucos de summa rerũ nũciat P
Furius Philus cõsularis viri filius, nequicquã eos cõsultare, perditã spem fouere, desperatã cõploratãm-
q; rem esse publicã. nobiles iuuenes quosdã, quorum principẽ L. Cæciliũ Matellũ, mare ac naues spe-
ctare, vt deserta Italia, ad regũ aliquẽ transfugiãt. Quod malũ præterquàm quòd atrox super tot clades, e-
tiã nouũ cũ stupore ac miraculo torpidos defixisset: & qui aderant, cõsiliũ aduocandũ de eo censerẽt:
negat cõsilii rem esse Scipio, iuuenis fatalis dux huiusce belli. audendũ atq; agendũ, nõ cõsultandũ ait
in tãto malo esse. irẽt secũ extẽplò armati, qui remp. saluã vellent. nusquàm verius, quàm vbi ea cogitẽtur,
hostiũ castra esse. Pergit deinde ire sequẽtibus paucis in hospitiũ Metelli. & cũ consiliũ ibi iuuenum,
de quibus allatũ erat, inuenisset: stricto super capita consultantiũ gladio: Ex mei animi sentẽtia, inquit,
iuro, vt ego remp. nõ deserã, neq; aliũ ciuem Romanum deserere patiar. si sciens fallo, tum me Iupiter
OPT. MAX. domũ, familiã, rémq; meam pessimo leto afficias. In hæc verba L. Cæcili iures expostulo
cæterísque qui adestis. qui non iurauerit, in se hunc gladium strictum esse sciat. Haud secus pauidi,
quàm si victorem Annibalem cernerent, iurant omnes: custodiendósque semetipsos contra
Annibalem Scipioni tradunt. Eo tempore, quo hæc Cannusii agebantur, Venusiam ad C O S.
ad quatuor millia peditum equitúmque, qui sparsi fuga per agros fuerant, peruenere. Eos omnes

Venusini

A Venusini per familias benignè accipiendos curandósque cùm diuisissent, in singulos equites togas & tunicas & quadrigatos numos † quinosuicenos: & peditibus denos, & arma quibus deerant, dederunt. cæteráque publicè ac priuatim hospitaliter facta certatúmq;, ne à muliere Canusina populus Venusinus officiis vinceretur. Sed Cãnusii grauius onus Busæ, multitudo faciebat, & iam decem millia hominũ erant Apiúsq; & Scipio postquam incolumem esse alterum C O S. acceperunt. nuntium extemplò mittunt, quantæ secum peditum equitúmq; copiæ essent: sciscitatúmque simul, vtrum Venusiam adduci exercitum, an manere iuberet Cannusii? Varro ipse Cannusium copias traduxit. Etiam aliqua species consularis exercitus erat: mœnibúq; se certè, si non armis ab hoste videbãtur defensuri. Romam ne has quidem reliquias superesse ciuium sociorúmq;, sed occidione occisum cum duobus exercitibus C O S. deletásque omnes copias, allatum fuerat. Nunquam salua vrbe tantum pauoris tumultúsque intra mœnia Romana fuit. Itaq; succumbã oneri, neq; aggrediar narrare, quæ disserendo minora vero facio. Cõsule exercitúq; ad Thrasymenum priore anno amisso, nõ vulnus super vulnus, sed multiplex clades, cum duobus C O S S. cõsulares exercitus amissi annunciabãtur: nec vlla iam castra Romana, nec ducẽ, nec militẽ esse: Annibalis Apuliam, Samnium, ac iam propè totã Italiam factam. Nulla profectò alia gens tanta mole cladis nõ obruta esset. Cõparem cladem ad Aegateis insulas Carthaginiensium prælio nauali acceptã? qua fracti, Sicilia ac Sardinia cessere: hinc vectigales ac stipendiarios fieri se passi sunt. aut pugnam aduersam in Africa? cui postea hic ipse Annibal succubuit. nulla ex parte cõparandæ sunt, nisi quòd minore animo latæ sunt. P. Furius Philus, & M. Põponius Prr. senatum in curiã Hostiliam vocauerunt, vt de vrbis custodia consulerent. neq; enim dubitabãt, deletis exercitibus, hostẽ ad oppugnandã Romã, quod vnum opus belli restaret, venturũ. Cùm malis sicut ingentibus, ita ignotis, nec consiliũ quidem satis expedirent, obstreperétque clamor lamentantium mulierum: & nõdum palàm facti viui mortuíque per omnes penè domos promiscue cõplorarentur. tum Fabius Maximus censuit equites expeditos & Appia & Latina via mittendos, qui obuiam euntes percunctarentur aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos: fortè referant, quæ fortuna consulũ atque exercituum sit, & si quid dii immortales miseri imperii reliquum Romano nomini fecerint: vbi eæ copiæ sint, quò se Annibal post præliũ contulerit, quid paret, quid agat acturúsq; sit. Hæc explorãda noscẽdáque per impigros iuuenes esse. Illud per patres ipsos agendum: quoniam magistratuum parum sit, vt tumultum ac trepidationẽ in vrbe tollant, matronas publico arceant, cõtinerísque intra suum quanque limen cogant: comploratus familiarum coerceant, silentiũ per vrbem faciant: nuntios rerum omnium ad Prr. deducendos curent, suæ quisque fortunæ domi authorem expectet: custodes præterea ad portas ponant, qui prohibeant quenquã egredi vrbem: cogántque homi-
B nes nullam, nisi vrbe ac mœnibus saluis, salutem sperare. vbi conticuerit tumultus, rectè tum in curiã patres reuocandos, consulendúmq; de vrbis custodia esse. Cùm in hanc sententiam pedibus omnes issent, summotáque foro per magistratus turba, patres diuersi ad sedandos tumultus discessissent: tum demum literæ à Terentio C O S. allatæ sunt, L. Aemylium C O S. exercitúmque cæsum Cannusiíque se esse, reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem: ad x millia militum fermè esse incõpositorum, inordinatorúmque. sed Annibalem nunc sedere ad Cannas, in captiuorum preciis, prædáque alia, victoriam nec victoris animo, nec magni ducis more metientem. Tum priuatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt, adeóq; totam vrbem oppleuit luctus, vt sacrum anniuersarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec vlla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut priuata desererentur, senatuscõsulto diebus x x x luctus est finitus. Cæterùm cum sedato vrbis tumultu reuocati in curiã patres essent, aliæ insuper ex Sicilia literæ allatæ sunt ab T. Octacilio proprætore, regnum Hieronis classe Punica vastari. cui cùm opem imploranti ferre vellet, nuntiatum sibi esse, aliam classem ad Aegateis insulas stare paratam instructámq;, vt vbi se versum ad tuendam Syracusanam oram Pœni sensissent, Lilybæum extemplò, prouinciámque aliam Romanam aggrederentur. itaque classe opus esse, si regem socium Siciliámque tueri vellent. Literis C O S. proprætorísque lectis, M. Claudium, qui classi ad Ostiam stanti præesset, Cannusium ad exercitum mittendum: scribendúmque consuli, vt cùm prætori exercitum tradidisset, primo quoque tempore, quãtum per commodum reip. fieri posset, Romam veniret. Territi etiam super tantas clades, cùm cæteris prodigiis: tum quòd duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertæ: & altera sub terram, vt mos est ad portã Collinã necata fuerat: altera sibimet ipsa mortem consciuerat. L. Cantilius scriba pontificum, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Florónia stuprum fecerat, à PON T. MAX. eousque virgis in comitio cæsus erat, vt inter verbera expiraret. Hoc nefas cum inter tot, vt fit, clades in prodigium versum esset, decemuiri libros adire iussi sunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculũ missus est sciscitatum, quibus precibus supplicationibúsq; deos possent placare, & quænã futura finis tãtis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta: inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra viui demissi sunt in locũ saxo cõseptũ, ibi ante hostiis humanis minimè Romano sacro imbutũ. Placatis satis, vt rebãtur, deis, M. Claudius Marcellus ab Ostia mille & quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romã vt vrbi præsidio essent, mittit: ipse legione classis (ea tertia legio erat) cum tribuno mil. Theano Sidicino præmissa, classe tradita P. Furio collegæ, paucos post dies Cannusium magnis itineribus contendit. Dictator ex authoritate patrum dictus M. Iunius. & T. Sempronius magister equitum, delectu edicto, iuniores ab annis x v i i & quosdam

prætex

† 25 numi valent duobus coron. cum aliquot solid.

De vrbis custodia consultant patres vocati à Prætoribus in curiam Hostiliam.

Fabij Maximi consilium.

Literæ à Terentio Cos. Romã missæ.

Cereris sacrum.

Hieronis regnum classe Punica vastari nũtiatur.

Duæ vestales stupri compertæ.

Delphicum oraculum.

M. Iunius dictator.

prætextatos ſcribunt. quatuor ex his legiones, & mille equites effecti. item ad ſocios Latinúmque A
nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt: arma, tela, alia parari iubent. & vetera hoſtium
ſpolia detrahũt templis porticibúſq;. Et aliam formam noui delectus inopia liberorũ capitum ac ne-
Octo millia ſeruorum armantur.
ceſsitas dedit: octo millia iuuenum validorũ ex ſeruitiis, prius ſciſcitantes ſingulos vellentne milita-
re, empta publicè armauerũt. Hic miles magis placuit, cùm precio minore redimendi captiuos copia
fieret. Nanq; Annibal ſecundũ tam proſperam ad Cannas pugnã, victoris magis quàm bellũ gerentis
intentus curis, cùm captiuis productis ſegregatíſque ſociis, eos, ſicut antè ad Trebiã Thraſymenúm-
q; lacum, benignè allocutus ſine precio dimiſiſſet: Romanos quoq; vocatos, quod nunq̃ aliàs antea,
ſatis miti ſermone alloquitur. Nõ internecinũ ſibi eſſe cũ Romanis bellũ, de dignitate atq; imperio cer
tare. & patres virtuti Romanæ ceſsiſſe, & ſe id adniti, vt ſuæ inuicẽ ſimul felicitati & virtuti cedatur.
itaq; redimẽdi ſe captiuis copiã facere. preciũ fore in capita, equiti quingenos quadrigatos nummos,
De captiuis redimendis legati decẽ mittuntur.
trecenos pediti, ſeruo centũ. Quanq̃ aliquantũ adiiciebatur equitib' ad id preciũ, quod pepigerãt dedẽ
tes ſe: læti tamẽ quãcunq; conditionẽ paciſcẽdi acceperũt: Placuit ſuffragio eorum decẽ deligi, qui Ro
mã ad ſenatũ irent. nec pignus aliud fidei, q̃ vt iurarent ſe redituros, acceptũ. Miſſus cũ his Carthalo
nobilis Carthaginiẽſis: qui, ſi fortè ad pacẽ inclinarẽt animos conditiones ferret. Cùm egreſsi caſtris eſ
ſent, vnus ex iis minimè Romani ingenii homo, velut aliquid oblitus, iuriſiurandi ſoluẽdi cauſa cùm
in caſtra rediiſſet, ante noctẽ comites aſſequitur. Vbi eos Romã venire nunciatũ eſt, Carthaloni obuiam
lictor miſſus, qui dictatoris verbis nunciaret, vt ante noctẽ excederet finibus Romanis. Legatis capti-
M. Iunij de captiuis redimendis ad P. Cõſcrip. oratio.
uorũ ſenatus ab dictatore datus eſt. Quorũ princeps M. Iunius. P C. inquit, nemo veſtrûm ignorat, nul-
li vnquã ciuitati viliores fuiſſe captiuos, q̃ noſtræ. cæterùm, niſi nobis plus iuſto noſtra placet cauſa, nõ
alii vnquã minus negligẽdi vobis, q̃ nos, in hoſtium poteſtatẽ venerunt. nõ enim in acie per timorẽ ar
ma tradidimus, ſed cùm propè ad noctẽ ſuperſtantes cumulis cæſorũ corporum prælium extraxiſſe-
mus in caſtra recepimus nos. diei reliquũ, ac noctẽ inſequentẽ feſsi labore ac vulnerib. vallum ſumus
tutati. poſtero die cùm circunſeſsi ab exercitu victore aqua arceremur, nec ulla alia iam per cõfertos
hoſteis erũpẽdi ſpes eſſet, nec eſſe nefas duceremus, quinquaginta millibus hominũ ex acie noſtra tru
cidatis, aliquẽ ex Cannenſi pugna Romanũ militẽ reſtare: tum demũ pacti ſumus preciũ quo redẽpti
dimitteremur: arma, in quibus nihil iam auxilii erat, hoſti tradidimus. Maiores noſtros quoq; accepe-
ramus ſe à Gallis auro redemiſſe: & patres noſtros, aſperrimos illos ad conditionẽ pacis, legatos tamẽ
captiuorum redimendorũ gratia Tarentum miſiſſe. atqui in Italia cũ Gallis, & ad Heracleã cum Pyr-
rho, vtraq; nõ tam clade infamis, q̃ pauore & fuga, pugna fuit. Cannenſes cãpos aceruj Romanorum
corporum tegunt: nec ſuperſumus pugnæ, niſi in quibus trucidãdis & ferrũ & vires hoſtẽ defecerũt.
Sunt etiã de noſtris quidã, qui nec in acie quidẽ refugerunt: ſed præſidio caſtris relicti, cùm caſtra tra- B
derẽtur, in poteſtatẽ hoſtium venerũt. Haud equidẽ vllius ciuis, aut cõmilitonis fortunæ aut cõditioni
inuideo, nec premẽdo aliũ me extuliſſe velim videri. ne illi quidẽ (niſi pernicitatis pedũ, & curſus ali-
quod præmiũ eſt) qui pleriq; inermes ex acie fugientes nõ prius, quàm Venuſiæ aut Cannuſii cõſtite-
rũt, ſe nobis meritò prætulerint: gloriatíq; ſint, in ſe plus q̃ in nobis præſidii reip. eſſe. ſed illis vt bonis
ac fortibus viris militibúſq; vtemini: & nobis iam promptioribus pro patria, quod beneficio neſtro
redẽpti, atq; in patriã reſtituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis. octo millia ſeruo
rum audio armari: nõ minor numerus noſter eſt: nec maiori precio redimi poſſumus, q̃ hi emũtur.
nam ſi conferã nos cũ illis, iniuriam nomini Romano faciã. Illud etiã in tali cõſilio animaduertendum
vobis cenſeã P C. ſi tam duri oris eſſe velitis, quod nullo noſtro merito faciatis, cui nos hoſti relicturi ſi
tis? Pyrrho videlicet? qui nos hoſpitũ numero habuit captiuos. an barbaro, ac Pœno? qui vtrũ auarior,
an crudelior ſit, vix exiſtimari poteſt. Si videatis catenas, ſqualorẽ deformitatẽmq; ciuiũ veſtrorũ, nõ
minus profectò vos ea ſpecies moueat, quàm ſi ex altera parte cernatis ſtratas Cannẽſibus cãpis le-
giones veſtras. Intueri poteſtis ſolicitudinẽ & lachrymas in veſtibulo curiæ ſtantiũ cognatorũ no-
ſtrorũ, expectãtiúmq; reſponſum veſtrum: cùm ii pro nobis, próq; iis qui abſunt, ita ſuſpẽſi ac ſolicitt
ſint, quẽ cẽſetis animũ ipſorũ eſſe, quorũ in diſcrimine vita libertáſq; eſt? Si medius fidius ipſe in nos
mitis Annibal cõtra naturã ſuã eſſe velit, nihil tamẽ nobis vita opus eſſe cẽſeamus, cum indigni vt à
vobis redimerẽtur, viſi ſumus. Rediere Romã quondã remiſsi à Pyrrho ſine precio capti. ſed rediere
cũ legatis, primoribus ciuitatis ad redimẽdos ſeſe miſsis. Redeã ego in patriã trecẽtis numis nõ æſti-
matus ciuis? Suũ quiſq; habet animũ P C. ſcio in diſcrimine eſſe vitã corpúſq; meũ. magis me famæ
periculũ mouet, ne à vobis damnati ac repulſi habeamur. neq; enim vos precio peperciſſe homines
credẽt. Vbi is finẽ fecit, extẽplò ab ea turba quæ in comitio erat, clamor flebilis eſt ſublatus, manúſq;
ad curiã tendebãt orantes, vt ſibi liberos, fratres, cognatos redderent. Fœminas quoq; metus ac ne-
ceſsitas turbæ huic virorum in foro immiſcuerat. Senatus ſummotis arbitris cõſuli cœptus. Ibi cùm
ſententiis variaretur, & alii redimendos de publico, alii nullam publicam impenſam faciendam,
nec prohibendos ex priuato redimi: ſi quibus argentum in præſentia deeſſet, dandam ex ærario pecu
T. Manlij Torquati oratio ne redimerentur captiui ſuadentis.
niam mutuam, prædibúſque ac prædiis cauendum populo, cenſerent: tum T. Manlius Torqua
tus priſcæ ac nimis duræ, vt pleriſque videbatur, ſeueritatis, interrogatus ſententiam, ita locutus
fertur. Si tantũmodo poſtulaſſent legali pro iis qui in hoſtium poteſtate ſunt, vt redimerẽtur, ſine vllius
inſectatione, eorum breui ſententiam peregiſſem. quid enim aliud quàm admonẽdi eſſetis, vt morem
traditum à patribus neceſſario ad rem militarẽ exẽplo ſeruaretis? nunc autẽ cum propè gloriati ſint,
quòd ſe hoſtibus dediderint, præferríq; nõ captis modò in acie ab hoſtibus, ſed etiã iis qui Venuſiam

A Cannusiúmque peruenerunt, atque ipsi C. Terentio Cos. æquum censuerint: nihil vos eorum P C quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque vtinam hæc quæ apud vos acturus sum, Cannusii apud ipsum exercitum agerem, optimum testem ignauiæ cuiusque & virtutis: aut vnus hic saltem adesset P. Sempronius. quem si isti ducem secuti essent, milites hodie in castris Romanis, non captiui in hostium potestate essent: & cùm fessis pugnando hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua, noctem ad erumpendum liberam habuissent, & septena armatorum hominũ millia erumpere etiam inter confertos hostes potuissent. neque enim per se ipsi id facere conati sunt, neque alium sequi voluerũt. Nocte propè tota P. Sempronius Tuditanus non destitit admonere, adhortaríq; eos, dum paucitas hostium circa castra, dum quies ac silentium esset, dum nox incœptum tegeret, se ducem sequerentur: ante lucem peruenire in tuta loca, in sociorum vrbes posse. Sicut auorum memoria P. Decius Tr. mil. in Samnio, sicut nobis adolescentibus priori Punico bello Calphurnius Flamma trecentis voluntariis, cùm ad tumulum eos capiendum, situm inter medios hosteis, duceret, dixit, Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas legiones: si hoc P. Sẽpronius diceret: nec viros quidem, nec Romanos vos duceret, si nemo tantæ virtutis existeret comes. Viam non ad gloriam magis quàm ad salutem ferentem demonstrat: ducem se in patriam, ad parentes, ad coniuges ac liberos facit: vt seruemini, deest vobis animus. quid, si moriendum pro patria esset, faceretis? Quinquaginta millia ciuium sociorúmque circa vos eo ipso die cæsa iacẽt: si tot exempla virtutis non mouent, nihil vnquam mouebit: si tanta clades vobis vilem vitam non fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes desiderate patriam. imò desiderate, dum patria est, dum ciues eius estis. serò nũc desideratis, diminuti capite, abalienati iure ciuium, serui Carthaginiensium facti. Precio redituri estis eò, vnde ignauia ac nequitia abistis? P. Sempronium ciuem vestrum non audistis, arma capere, ac se iubentem sequi: Annibalem paulo pòst audistis, castra prodi, & arma tradi iubentem. Quam ego ignauiam istorum accuso, cùm scelus possim accusare? non enim modò sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, in strictis gladiis viri fortissimi inter eis summouissent. prius, inquam, P. Sempronio per ciuium agmẽ, quàm per hostium fuit erumpendum. Hos ciues patria desideret? quorum si cæteri similes fuissent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnauerunt, ciuem haberet. Ex millibus septem armatorum sexcenti extiterunt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent. neque iis quadraginta millia hostium obstitere, quàm tutum iter duarum propè legionum agmini futurum censetis fuisse? haberetis hodie viginti millia armatorum Cannusii, fortia, fidelia, P C. Nunc autem quemadmodum hi boni, fidelésque (nam fortes ne ipsi quidem dixerint) ciues esse possunt? nisi quis credere potest fuisse: qui

B erumpentibus quin erumperent, obsistere conati sunt: aut non inuidere eos cùm incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, cùm sibi timorem ignauiámque seruitutis ignominiosæ causam esse sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem atque hostem expectare, cùm silentio noctis erumpendi occasio esset. At enim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerũt. dies noctésque aliquot obsessi, armati se ipsi tutati vallo sunt: tandem vltima ausi passíq;, cùm omnia subsidia vitæ deessent, affectísque fame viribus, arma iam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quàm armis victi sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit. ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ad seipsos. Hæc vobis ipsorum per biduum militia fuit. cùm in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt: cùm pro vallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neque in acie, neq; in castris vtiles. Vos redimam? cùm erumpere castris oportet, cunctamini, ac manetis. cùm manere & castra tutari armis necesse est, & castra & arma & vosipsos traditis hosti. Ego non magis istos redimendos P C. censeo, quam illos dedẽdos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperũt, ac per summã virtutẽ se patriæ restituerũt. Posteaquã Manlius dixit, quanquam patrum quoque plerosq; captiui cognatione attingebãt, præter exemplum ciuitatis minimè in captiuos iam inde antiquitus indulgentis, pecuniæ quoq; summa homines mouit: quia nec ærarium exhaurire, magna iam summa erogata in seruos ad militiam emendos armandósque, nec Annibalem maximè huiusce rei, vt fama erat, egentem locupletari volebant. Cùm triste responsum non redimi captiuos redditũ esset, nouúsque super veterem luctus tot iactura ciuiũ adiectus esset, cũ magnis fletibus questibúsq; legatos ad portã prosecuti sunt. Vnus ex iis domũ abiit, quòd fallaci reditu in castra iureiurãdo se exoluisset. quod vbi innotuit, relatúmq; ad senatũ est, omnes censuerunt comprehendendum, & custodibus publicè datis deducendũ ad Annibalẽ esse. Est & alia de captiuis fama. x primos venisse. de eis cùm dubitatũ in senatu esset, admitterentur in vrbẽ, nécne: ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur. morantibus deinde lõgius omniũ spe, alios tres insuper legatos venisse, L. Scribonium, & C. Calpurniũ, & L. Manlium. tum demum ab cognato Scribonii Tr. pl. de redimẽdis captiuis relatũ esse, nec censuisse redimẽdos senatũ. & nouos legatos tres ad Annibalẽ reuertisse, decẽ veteres remãsisse: quod per causam recognoscẽdi nomina captiuorũ ad Annibalẽ ex itinere regressi religione sese exoluissent. de iis dedendis magna cõtẽtione actũ in senatu esse: victósq; paucis sentẽtiis, qui dedẽdos cẽsuerint. cæterùm proximis cẽsoribus adeò omnibus notis ignominiisq; cõfectos esse, vt quidã eorũ mortẽ sibiipsi extẽplò cõsciuerint: cæteri non foro solũ omni, deinde vita, sed propè luce ac publico caruerint. Mirari magis adeò discrepare inter authores quàm quid veri sit, discernere queas. Quãto autẽ maior hæc clades superiorib. cladibus fuerit, vel ea res indicio est, quòd qui sociorũ ad eã diẽ firmi steterãt, tũ labare cœperũt: nulla profectò alia de re, quàm quòd desperare

Non redimi captiuos, responsum legatis redditur.

De legatis captiuorum uariæ opiniones.

Quinam Italiæ populi ad Annibalem defecere.

Varroni cos. redeunti obuiam itum ab omnibus ordinibus.

desperare cœperant de imperio. Defecere autem ad Pœnos hi populi: Attellani, Calatini, Hirpini, A
Apulorum pars, Samnites, præter Petellinos Brutii omnes, Lucani: præter hos Surrentini, & Græcorum omnis fermè ora. Tarentini, Metapontini, Crotonenses, Locrique, & Cisalpini omnes Galli. nec tamen hæ clades defectionésque sociorum mouerunt, vt pacis vnquam mentio apud Romanos fieret, neque ante C O S. Romani aduentum, nec postquam is rediit renouauitque memoriam acceptæ cladis. quo in tempore ipso adeò magno animo ciuitas fuit vt Consuli ex tanta clade, cuius ipse magna causa fuisset, redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, & gratiæ actæ: quod de rep. non desperasset. cui, si Cartaginientium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret.

DECADIS TERTIAE LIBER TERTIVS.

Campani ad Annibalem defecere, Nuncius Canensis victoriæ Mago Carthaginem missus, annulos aureos à digitis occisorum Romanorum detractos in vestibulo curiæ fudit: quos excessisse modij mensuram traditur. Post quem quidem nuncium Hanno ex Pœnis vir nobilissimus suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem à populo Romano peterent: nec tenuit, obstrepente Barchina factione. Cl. Marcellus prætor ad Nolam eruptione aduersus Annibalem ex oppido facta prospere pugnauit. Exercitus Annibalis per hyberna Capuæ ita luxuriatus est, ut corporum uiribus, atque animorum eneruaretur. Casilinum à Pœnis obsessum, ita fame uexatum est, ut lora & pelles scutis detractas, item mures essent: & nucibus per Vulturnum amnem à Romanis missis uixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Posthumius prætor à Gallis cum exercitu cæsus est. Cn. & P. Scipiones in Hispania Asdrubalem uicerunt, & Hispaniam suam fecerunt. Reliquiæ Canensis exercitus in Siciliam relegatæ sunt: ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem, & Annibalem societas icta est. Sempronius Gracchus C O S. Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter à T. Manlio prætore aduersus Pœnos Sardósque res gestas continet à quo Asdrubal dux, & Mago & Hanno capti. Claudius Marcellus prætor Annibalis exercitum ad Nolam prælio fudit, & uicit: primúsque omnium tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

Cossa Pœno tradita.



Nnibal post Cannensem pugnam, castra capta ac direpta, confestim ex Apulia in Samnium mouerat: accitus in Hirpinos à Statio, pollicente se Cossam traditurum. Cossanus erat Trebius, nobilis inter suos sed premebat eum Cossanorum factio, familiæ per gratiam Romanorum potentis, post famam Cannensis pugnæ, uulgatúmque Trebii sermonibus aduentum Annibalis, cùm Cossani urbe excessissent: sine certamine tradita vrbs Pœno, præsidiúmque acceptum est. Ibi præda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem regionis eius vrbes, aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem iubet. ipse per agrum Campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, vt vrbem maritimam haberet. Vbi fines Neapolitanorum B
intrauit, Numidas partim in insidiis (& pleræque cauæ sunt viæ, sinúsque occulti) quacunque arte poterat, disposuit: alios præ se actam prædam ex agris ostentanteis obequitare portis iussit. in quos, quia nec multi & incompositi videbantur, cùm turma equitum erupisset, à cedentibus consultò tracta in insidias, circumuenta est. nec euasisset quisquam, nisi mare propinquum, & haud procul litore naues piscatoriæ pleræque conspectæ, peritis nandi dedissent effugium. aliquot tamen eo prælio nobiles iuuenes cæsi sunt. inter quos & Hegeas præfectus equitum intemperantius cedentes secutus, cecidit. Ab vrbe oppugnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia, haud quaquam prompta oppugnanti. Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate atque indulgentia fortunæ: maximè tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis, Senatum & sibi & plebi obnoxium Pacuuius Calauius fecerat, nobilis idem ac popularis homo, cæterùm malis artibus nactus opes. Is cùm eo fortè anno, quo res malè gesta ad Thrasymenum est, in summo magistratu esset, iam diu infestam senatui plebem ratus per occasionem nouandi res, magnum ausuram facinus, vt si in ea loca Annibal cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis: improbus homo, sed non ad extremum perditus, cùm mallet incolumi quàm euersa repub. dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet, rationem init qua & senatum seruaret, & obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato senatu, cùm sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium fuisset, præfatus esset: quippe qui liberos ex Appii Claudii filia haberet, filiámque Romam nuptum Liuio dedisset: cæterùm maiorem multò rem magísque timendam instare. non enim per defectionem ad tollendum ex ciuitate senatum plebem spectare: sed per cædem senatus vacuam Remp. tradere Annibali ac Pœnis velle. eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi, & certaminum in rep. obliti credant. Cùm omnes victi metu permitterent: claudam in curiam vos, inquit, & tanquam & ipse cogitati facinoris particeps, approbádo consilia, quibus nequicquam aduersarer, viam saluti vestræ inueniam. in hoc fidem quam vultis ipsi, accipite. Fide data egressus, claudi curiam iubet præsidiúmque in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam iniussu suo, néue inde egredi posset. Tunc vocato ad concionem populo, Quod sæpe, inquit, optastis Campani, vt supplicii sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas præsidiis clientium seruorúmque tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim, aut fortè temerè egeritis. de singulorum capite vobis ius sententiæ dicendæ faciam, vt quas quisque meritus est, pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet, vt potiorem ira salutem atque vtilitatem vestram habeatis. Etenim hos (vt opinor)

Neapolis conspecta mœnia Annibalem ab eius oppugnatione absteruerunt.

Capua.

Pacuuij Campani consilium quo senatum sibi redderet obnoxium.

A opinor) odistis senatores, nam senatum omnino non habere non vultis, quippe aut rex, quod abominandum, aut quod vnum liberæ ciuitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt vobis, vt & veterem senatum tollatis, & nouum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo, de quorum capite vos consulam. quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locum virum fortem ac strenuum nouum senatorem cooptabitis, quàm de noxio supplicium sumatur. Inde consedit, & nominibus in vrnam coniectis, citari quod primum sorte nomen excidit, ipsúmque è curia produci iussit. Vbi auditum est nomen, malum & improbum pro se quisque clamare, & supplicio dignum. Tunc Pacuuius: Video quæ sententia de hoc sit data, eiicitur pro malo atq; improbo, bonum senatorem & iustum eligite. Primò silentium erat, inopia potioris subiiciundi. deinde cùm aliquis omissa verecundia quempiam nominasset, multo maior extemplò clamor oriebatur, cùm alii negarent nosse, alii nunc probra, nunc humilitatem sordidámque inopiam, & pudendæ artis aut quæstus genus obiicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio senatore factum est, vt ipsius pœnitere homines appareret: quem autem in eius substituerent locum, deesse. quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quàm ad audienda probra nominatos, & multò humiliores obscurioresq; cæteri erant eis, qui primi memoriæ occurrebant. Ita dilabi homines, notissimum quodque malum maximè tolerabile dicentes esse, iubentésque senatum ex custodia dimitti. Hoc modo Pacuuius, cùm obnoxium vitæ beneficio senatum multò sibi magis quàm plebi fecisset, sine armis iam omnibus concedentibus dominabatur. Hinc senatores omissa dignitatis libertatísque memoria plebem affari, salutare, benignè inuitare, apparatis accipere epulis, eius causas suscipere, ei semper parati adesse: secundum eum in lite iudicem dare, qui magis popularis aptiórque in vulgus fauori conciliando esset. Iam verò nihil in senatu actum aliter, quàm si plebis ibi esset concilium. Prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modò vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrísque: tum verò ita obsequio principum, & licentia plebis lasciuire, vt nec libidini, nec sumptibus modus esset. ad contemptum legum, magistratuum senatúsque, accessit tum post Cannensem cladem: vt cuius aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium spernerent. id modò erat in mora, ne id extemplò efficerent, quòd connubium vetustum multas familias claras ac potentes Romanis miscuerat: & quòd, cum militarent aliquod apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobilissimus quisque Campanorum in præsidia Sicularum vrbium delecti ab Romanis ac missi. Horum parentes cognatíque ægrè peruicerunt, vt legati ad cos. Romanum mitterentur. Ii nondum Cannusium profectum, sed Venusiæ cum paucis ac semiermibus cos. inuenerunt: quàm poterat maximè miserabilem bonis sociis, superbis atq; infidelibus, vt erant Campani, spernendum.

Notissimum quodq; malu maximè tolerabile est.

Capuæ perditi mores.

B Et auxit rerum suarum suíque contemptum cos. nimis detegendo cladem, nudandóque. nam cùm legati ægrè ferre senatum populúmq; Campanum, aduersi quicquam euenisse Romanis, nuntiassent, pollicerentúrq; omnia quæ ad bellum opus essent: Morem, inquit, magis loquẽdi cum sociis seruastis Campani, iubentes quæ opus essent ad bellum, imperare, quàm conuenienter ad præsentem fortunæ nostræ statum locuti estis. quid enim nobis ad Cannas relictũ est: vt quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri ab sociis velimus? pedites vobis imperemus, tanquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. legiones, equitatus, arma, signa, equi viríque, pecunia, commeatus, aut in acie, aut in ruinis postero die amissis castris perierunt. Itaque nõ iuuetis nos in bello oportet Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem, vt trepidos quondam maiores vestros intra mœnia compulsos, nec Samnitem modò hostem, sed etiam Sidicinum pauentes, receptos in fidem apud Satriculam defenderimus, cœptúmque propter vos cum Samnitibus bellum per centum propè annos, variante fortuna euentũ, tulerimus. Adiicite ad hæc, quòd fœdus æquum dedimus, quòd leges nostras, quòd ad extremum, id quod ante Cannensem certè cladem maximum fuit, ciuitatem nostrã magnæ parti vestrûm dedimus, communicauimúsque vobiscum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta est, credere Campani oportet, cõmunem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite aut Hetrusco res est, vt quod à nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat. Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigenam, ab vltimis terrarum oris, freto Oceani, Herculísque columnis, expertem omnis iuris & conditionis & linguæ propè humanæ militem trahit. Hunc natura & moribus immitem ferúmque insuper dux ipse efferauit, pontibus ac molibus ex humanorum corporũ strue faciendis, & (quod proloqui etiam piget) vesci humanis corporibus docendo. hos infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, videre atque habere dominos, & ex Africa, & à Carthagine iura petere, & Italiam Numidarum ac Maurorum pati prouinciam esse, cui non, genito modò in Italia, detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romanum imperium vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta millia peditum, quatuor equitum arbitror ex Campania vos scripsisse, iam pecuniæ affatim esse, frumentíque. qui si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse. Hac oratione cos. dimissis redeuntibúsque domum legatis, vnus ex iis, Subius Virius, tempus venisse ait, quo Campani non agrum solùm ab Romanis quondam per iniuriam ademptum recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. fœdus enim cum Annibale quibus velint legibus facturos. neq; controuersiam fore, quin ipse confecto bello Annibal victor in Africam hinc decedat, exercitúmq; deportet, Italiæ imperiũ Campanis relinquatur. Hæc Virio loquenti assensi omnes ita renuntiant legationem, vti deletum omnibus videretur nomen Romanum. Extemplò plebes ad defectionem, ac pars maxima senatus spectare. extracta tamen au-

Varronis Cos. oratio ad legatos Campanos.

Campani legati de occupãdo Italiæ imperio cogitant.

thoritatibus seniorum per paucos dies est res: postremò vicit sententia plurium, vt iidem legati, qui A

Campani legatos mittũt ad Annibalem.

ad C O S. Romanum ierant, ad Annibalem mitterentur. Quò prius quàm iretur, certúmq; defectionis consilium esset, Romam legatos missos à Campanis, in quibusdam annalibus inuenio, postulantes vt alter C O S. Campanus fieret, si rem Romanam adiuuari vellent. indignatione orta, summoueri à curia iussos esse: missúmq; lictorem, qui ex vrbe educeret eos, atq; eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia nimis compar Latinorum quondam postulationi erat, Cœliúsque & alii id haud sine causa prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus. Legati ad Annibalem venerunt, pacémque

Pacis leges inter Campanos & Annibalem.

cum eo his conditionibus fecerunt, Ne quis imperator magistratúsve Pœnorum ius vllum in ciuem Campanum haberet, néue ciuis Campanus inuitus militaret, munúsve faceret. vt suæ leges, sui magistratus Campanis essent: vt trecentos ex Romanis captiuos Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent: cum quibus equitum Campanorũ, qui in Sicilia stipendia facerent, permutatio fieret. Hæc pacta. Alia insuper, quàm quæ pacta erant, facinora Campani ediderunt. nam præfectos sociũm, ciuésq; Romanos alios, partim aliquo militiæ munere occupatos, partim priuatis negotiis implicitos, plebs re-

Campanorũ in Romanos crudelitas. Decij Magij Capani summa erga Romanos fides.

pentè omneis cõprehensos, velut custodiæ suæ causa balneis includi iussit: vbi feruore atque æstu anima interclusa, fœdum in modum expirarent. Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Pœnum, summa ope Decius Magius, vir cui ad summam authoritatem nihil, præter sanam ciuium mentem defuit, restiterat. vt verò præsidiũ mitti ab Annibale audiuit, Pyrrhi superbam dominationem miserabilémq; Tarẽtinorum seruitutem, exempla referens, primò ne reciperetur præsidium, palàm vociferatus est: deinde vt receptum aut eiiceretur: aut, si malum facinus, quod à vetustissimis sociis consanguineísq; defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, vt interfecto Punico præsidio restituerent se Romanis. Hæc (neq; enim occultè agebantur) cùm relata Annibali essent, primò misit, qui vocarent Magium ad sese in castra. deinde cùm is ferociter negasset se iturum, (nec enim Annibali ius esse in ciuem Campanum) concitatus ira Pœnus comprehendi hominem, vinctúmq; attrahi ad se iussit. veritus deinde, ne quid inter vim tumultus, atq; ex concitatione animorum inconsulti certaminis oriretur, ipse præmisso nuntio ad Marium Blosium Præt. Campanum postero die se Capuæ futurum, proficiscitur è castris cum modico præsidio. Marius concione aduocata edicit, vt frequentes cum coniu-

Annibali Capuam venienti frequẽtes obuiam eunt Campani.

gibus ac liberis obuiam irent Annibali. Ab aduersis id non obedienter modò, sed enixè, fauore etiam vulgi, & studio visendi tot iam victoriis clarum imperatorem, factũ est. Decius Magius nec obuiam egressus est: nec quò timorem aliquem ex cõscientia significare posset, priuatim se tenuit. in foro cum filio clientibúsq; paucis otiose inambulauit, trepidante tota ciuitate ad excipiendum Pœnum, visendúmq;. Annibal ingressus vrbem, senatum extemplò postulat. precantibúsq; inde primoribus Campanorum, ne quid eo die ferè gereret: diémque vt ipse aduentu suo festum lætus ac libens celebraret: B quanquã præceps ingenio in iram erat, tamen ne quid in principio negaret, visendo vrbem magnam diei partem consumpsit. Diuersatus est apud Munios Celeres, Stenium Pacuuiúmq;, inclytos nobilitate ac diuitiis. Eò Pacuuius Calauius, de quo antè dictum est, princeps factionis eius quæ attraxerat rem ad Pœnos, filiũ iuuenem adduxit: abstractúmq; ab se à Decii ait latere, cum quo ferocissimè pro Romana societate aduersus Punicum fœdus steterat: nec eum aut inclinata in partem alterã ciuitas, aut patria maiestas sententia depulerat. Huic tum pater iuueni Annibalem deprecando magis quàm purgãdo placauit. victúsq; patris precibus lacrymísq;, etiam ad cœnam eum cum patre vocari iussit: cui conuiuio neminem Campanum, præter quàm hospites, Iubelliúmq; Tauream insignem bello virum, adhibiturus erat. Cœperunt epulari de die, & conuiuium non ex more Punico, aut militari disciplina esse: sed vt in ciuitate, atq; etiam domo diu ad varias omniũ voluptatum illecebras instructum. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calauii filius Perolla vinci potuit. ipsíque valetudinem excusans patri, animi quoq; eius mirabilem interturbationẽ cùm quæreret: ante

Calauij filius de interficiendo Annibale consilium capit.

solis fermè occasum patrem Calauium ex conuiuio egressum secutus filius, vbi in secretũ (hortus erat posticis ædium partibus) peruenerunt: Consilium, inquit, affero pater, quo nõ veniam solùm peccati, quo defecimus ad Annibalem, impetraturi ab Romanis, sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani, quàm vnquam fuimus. Cùm mirabundus pater, quídnam id esset cõsilii, quæreret, toga reiecta ab humero, latus succinctũ gladio nudat. Iam ego, inquit, sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus. te id prius scire volui, si fortè abesse, dum facinus patratur, malles. Quæ vbi vidit audi-

Calauius filium dehortatur, ne quid in Annibalem moliatur.

nítq; senex, velut si iam agendis quæ audiebat, interesset, cum metu: Per ego te, inquit, fili quæcunque iura liberos iungunt parentibus; precor quæsóque, ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis. paucæ horæ sunt, intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextras dextræ iungentes fidem obstrinximus, vt sacratis de mensis essemus: digressi à colloquio extemplò in eum àrmamur? surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorũ adhibitus ab Annibale es: eam ipsam mensam cruentare vis hospitis sanguine? Annibalem pater filio meo potui placare, filium Annibali nõ possum? Sed si nihil sancti, non fides, non religio, non pietas audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. Vnus aggressurus es Annibalem? quid illa turba tot liberorũ, seruorúmq;? quid in vnum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescéntne in amentia illa? vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? & si alia auxilia desint, meipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, sustinebis? atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendúsq; est. deterreri hic sine te potius, quàm illic vinci. valeãt preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt. Lacrymantem inde iuuenem cernens, medium cõplectitur, atq; osculo hærens non antè precibus abstitit, quàm peruicit vt gladium poneret, fidémq; daret, nihil fa-

A ctum tale. Tnm iuuenis. Ego quidem, inquit, quam patriæ debeo pietatem, exoluam patri. tuam doleo vicem, cui ter proditæ patriæ ſuſtinendum eſt crimen: ſemel, cùm defectionem iniſti ab Romanis: itetum, cùm pacis cum Annibale fuiſti author: tertio hodie, cùm reſtituendæ Romanis Capuæ mora atq; impedimentũ tu es. O patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hoſti minimè parcens, quando parens extorquet, recipe. Hæc cùm dixiſſet, gladium in publicũ trans maceriam horti abiecit: & quo minus res ſuſpecta eſſet, ſe ipſe cõuiuio reddidit. Poſtero die ſenatus frequens datur Annibali. vbi prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quòd amicitiã ſuam Romanæ ſocietati præpoſuiſſent: & inter cætera magnifica promiſſa pollicitus, breui caput Italiæ omnis Capuam fore: iuráq; inde cum cæteris populis Romanũ etiam petiturum.

Annibalis in Campano ſenatu oratio.

Vnum eſſe exortem Punicæ amicitiæ fœderíſq; ſecum facti, quem neq; eſſe Campanum, neq; dici debere, Magium Decium. eum poſtulare, vt ſibi dedatur, ac ſe præſente de eo referatur, ſenatúſq; conſultum fiat. omnes in eam ſententiam ietunt: quanquam magnæ parti, & vir indignus ea calamitate, & haud paruo initio minui videbatur ius libertatis. Egreſſus curia, in templo magiſtratus cõſedit: comprehendíq; Decium Magium, atq; ante pedes deſtitutũ cauſam dicere iuſsit.

Annibal Magiũ Deciũ ſibi dedi poſtulat.

Qui cùm manente ferocia animi negaret lege fœderis id cogi poſſe: tum iniectæ catenæ, ducíque ante lictorem in caſtra eſt iuſſus. Quoad capite aperto eſt ductus, concionabnndus inceſsit, ad circunfuſam vndiq; multitudinẽ vociferans, Habetis libertatẽ Campani, quam petiſtis. foro medio, luce clara, ividentibus vobis, nnlli Campanorũ ſecundus, vinctus ad mortem rapior. quid violentius Capua capta fieret? ite obuiam Annibali, exornate vrbem, diémq; aduentus eius conſecrate, vt hunc triumphum de ciue veſtro ſpectetis.

Magius uinctus in Annibalis caſtra ducitur

Hæc eo vociferante cùm moueri vulgus videretur, obuolutũ caput eſt, ocyúſq; rapi extra portam iuſſus. ita in caſtra perdncitur, extemplóq; impoſitus in nauim, & Carthaginẽ miſſus, ne motu aliquo Capuæ ex indignitate rei orto, ſenatum quoq; pœniteret dediti principis: & legatione miſſa ad repetendum eum, ne aut negando rem, quam primùm peterent, offendendi ſibi noui ſocii, aut tribuendo habendus Capuæ eſſet ſeditionis ac turbarum author. Nauem Cyrenas detulit tempeſtas, quæ tum in ditione regum erant. ibi cùm Magius ad ſtatuam Ptolemæi regis cõfugiſſet, deportatus à cuſtodibus Alexandriam ad Ptolemæũ, dum eum docuiſſet, contra ius fœderis vinctum ſe ab Annibale eſſe, vinculis liberatur: permiſſúmq; vt rediret, ſeu Romam, ſeu Capuam mallet.

Magius uinculis liberatur.

Nec Magius Capuam ſibi tutam dicere: & Romã eo tempore, quo inter Romanos Campanóſq; bellum ſit, trãsfugæ magis quàm hoſpitis fore domicilium. nuſquam malle, quàm in regno eius viuere, quem vindicem atq; authorem habeat libertatis. Dum hæc gerũtur, Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam rediit, reſponſúmq; ex ſcripto recitauit: (diui quoq; in eo erant, quibus, quóq; modo ſupplicaretur.) Tum ſi ita faxitis Ro-

Q. Fabius legatus à Delphis Romam rediit.

B mani, veſtræ res meliores faciliorésq; erunt: magis ex ſententia Reſpub. veſtra vobis procedet, victoriáq; duelli populi Romani erit. Pythio Apollini, R P. veſtra bene geſta ſeruatáq;, lucris meritis donũ mittitote, deq; præda, manubiis, ſpoliíſq; honorem habetote. Hæc vbi ex Græco carmine interpretata recitauit, tum dixit, ſe oraculo egreſſum extemplò his omnibus diuis rem diuinã thure ac vino feciſſe: iuſſúmq; ab antiſtite, ſicut coronatus laurea corona & oraculum adiſſet, & rem diuinam feciſſet: ita coronatũ nauim aſcendere, nec antè deponere eam, quàm Romam perueniſſet. ſe quæcunq; imperata ſint, cum ſumma religione ac diligentia executum, coronam Romæ in ara Apollinis depoſuiſſe. Senatus decreuit, vt eæ res diuinæ, ſupplicationéſq; primo quoq; tempore cum cura fierẽt. Dum hæc Romæ atq; in Italia geruntur, nuntius victoriæ ad Cannas Carthaginem venerat. Mago Amilcaris filius, non ex ipſa acie à fratre miſſus, ſed retentus aliquot dies in recipiendis ciuitatibns Brutiorũ, quæ deficiebant. Is cùm ei ſenatus datus eſſet, res geſtas in Italia à fratre expoſuit.

Mago res à fratre in Italia geſtas Carthaginienſibus exponit.

Cum ſex imperatoribus eum, quorũ quatuor conſules, duo dictator ac magiſter equitum fuerint: cum ſex conſularibus exercitibus acie conflixiſſe. occidiſſe ſupra ducenta millia hoſtium: ſupra L millia cepiſſe. ex quatuor conſulibus duos occidiſſe. ex duobus ſaucium alterum, alterum toto exercitu amiſſo vix cum L hominibus effugiſſe. magiſtrum equitũ qui cõſularis poteſtatis ſit, fuſum, fugatúmq; dictatorem, quia ſe in aciem nunquàm cõmiſerit: vnicum haberi imperatorem. Brutios Apulóſq;, partem Samnitũ ac Lucanorum defeciſſe ad Pœnos. Capuam, quod caput nõ Campaniæ modò, ſed poſt afflictam rem Romanã Cannenſi pugna Italiæ ſit, Annibali ſe tradidiſſe. Pro his tantis tótq; victoriis † verum ſacrũ diis immortalibus agi haberíq;. Ad fidem deinde tam lætarum retum effundi in veſtibulo curiæ iuſsit annulos aureos. qui tantus aceruus fuit, vt metiẽtibus dimidium ſuper treis modios expleſſe, ſint quidam authores. Fama tenuit, quæ propior vero eſt, haud plns fuiſſe modio. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium eſſet, neminem niſi equitem, atq; eotum ipſorũ primores id gerere inſigne.

† rerum.

Romanorũ interfectorum ad Cannas annuli in veſtibulo curiæ Carthaginienſis effuſi.

Summa fuit orationis, quo propius ſpes belli perficiendi ſit, eo magis omni ope iuuandũ Annibalem eſſe. procul enim ab domo militiam eſſe, in media hoſtiũ terra, magnam vim frumenti pecuniæq; abſumi: & tot acies vt hoſtium exercitus deleſſe, ita victoris etiam copias parte aliqua minuiſſe. mittendum igitur ſupplementũ eſſe, mittendam in ſtipendium pecuniam, frumentúmq; tam benemeritis de nomine Punico militibus. Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus. Himilco vir factionis Barchinæ locum Hannonis increpandi eſſe ratus, Qnid eſt Hanno? inquit, etiam nunc pœnitet belli ſuſcepti aduerſus Romanos? iube dedi Annibalem, veta in tam proſperis rebus gratias diis immortalibus agi. audiamus Romanũ ſenatorem in Carthaginienſiũ curia.

Himilco Hãnonem increpat.

Tum Hanno: Tacuiſſem hodie Patres conſcripti, ne quid in communi omniũ gaudio, minus lætum quod eſſet vobis, loquerer. nunc interrogãti ſenatori, pœniteátne me adhnc ſuſcepti aduerſns Romanos belli, ſi reticeã, aut ſuperbus aut obnoxius videar. quorũ alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti, alterũ ſuæ. Reſpondeam, inquit, Himilconi,

Hannonis grauiſsima oratio, qua Annibalis eleuat uictoriam.

A

non desisse pœnitere me belli, neq; desiturum antè inuictum nostrum imperatorem incusare, quàm finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro: nec mihi pacis antiquæ desiderium vlla alia res, quàm pax noua finiet. Itaq; ista quæ modò Mago iactauit, Himilconi cæterisq; Annibalis satellitibus iam læta sunt. mihi possunt læta esse, quia res bello bene gestæ, si volumus fortuna vti, pacem nobis æquiorem dabunt. nam si prætermittimus hoc tēpus, quo magis dare quàm accipere possumus videri pacem, vereor ne hæc quoq; lætitia luxuriet nobis, ac vana euadat. quæ tamen nunc quoq; qualis est? Occidi exercitus hostium: mittite milites mihi. Quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena, & cōmeatum, frumētum, & pecuniam date. Quid aliud, inquam, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer: (mihi quoq; enim, quoniam respondi Himilconi, interrogare ius fásq; est) velim seu Himilco, seu Mago respōdeat: cùm ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, constétq; in defectione totam Italiam esse, primùm ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos? deinde ecquis homo ex v & xxx tribubus ad Annibalem transfugerit? Cum vtrunq; Mago negasset: Hostium quidem ergo, inquit, adhuc multum superest. sed multitudo ea quid animorum, quídve spei habeat, scire velim. Cùm id nescire se Mago diceret: Nihil facilius scitu est, inquit. ecquos legatos ad Annibalem Romani miserūt de pace? ecquam deniq; mentionem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est? Cùm id quoq; negasset. Bellum igitur, inquit, tam integrum habemus, quàm habuimus qua die Annibal in Italiam est ingressus. Quàm varia victoria priore Punico bello fuerit, pleriq; qui meminerimus, supersumus. nunquam terra maríq; magis prosperæ res nostræ visæ sunt, quàm ante consules C. Luctatium & A. Posthumium fuerunt. Luctatio & Posthumio COS. deuictis ad Aegateis insulas sumus. Quod si (id quod dii omen auertant) nunc quoq; fortuna aliquid variauerit, tum pacem speratis cùm vincimur: quam nunc, cùm vincimus, dat nemo? Ego, si quis de pace cōsulet, seu deferenda hostibus, seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam. si de iis quæ Mago postulat, refertis: nec victoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsa atq; inani victoria multo minus censeo mittenda esse. Haud multos mouit Hannonis oratio. nam & simultas cum familia Barchina leuiorem authorē faciebat: & occupati animi præsenti lætitia nihil, quo vanius fieret gaudium suum, auribus admittebant: debellatúmq; mox fore, si adniti paululum voluissent, rebantur. Itaq; ingenti consensu fit senatusconsultū, vt Annibali XL Numidarum millia in supplementum mitterentur: & XL elephanti, & argenti multa talenta. Dictatórq; cum Magone in Hispaniā præmissus est ad conducenda XX. millia peditum, quatuor equitum, quibus exercitus qui in Italia quíque in Hispania erant, supplerentur. Cæterùm hæc, vt in secundis rebus, segniter otiosǽque gesta sunt. Romanos præter insitam industriam animis, fortuna etiam cunctari prohibebat. nam nec consul vlli rei, quæ per eum agenda esset, deerat: & dictator M. Iunius rebus diuinis perfectis, latóq;, vt solet, ad populum, vt equum ascendere liceret, præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à consulibus conscriptæ fuerāt, & seruorum delectum, cohortésq; ex agro Piceno & Gallico collectas, ad vltimum propè desperatæ Reipub. auxilium, cùm honesta vtilibus cedunt, descendit equo, dixítq;: Qui capitalem fraudem ausi, quíq; pecuniæ iudicati in vinculis essent, qui eorū apud se milites fierent, eos noxa pecuniáq; se exolui iussurum. & sex millia hominum Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminii translata erant, armauit. itaq; cum XXV millibus armatorū ab vrbe proficiscitur. Annibal Capua recepta, cùm iterum Neapolitanorum animos partim spe, partim metu nequicquam tentasset, in agrum Nolanum exercitum traducit: & vt non hostiliter statim, quia non desperabat voluntariam deditionem, ita si morarentur spem, nihil eorum quæ pati aut timere possent, prætermissurus. Senatus, ac maximè primores eius in societate Romana cum fide perstare. plebs nouarum (vt solet) rerum auida, atq; Annibalis tota esse: metúmq; agrorum populationis, & patienda in obsidione multa grauia indignáq; proponere animo. neq; authores defectionis deerant. Itaq; vbi senatum metus cepit, si palam cōtrà tenderent, resisti multitudini concitatæ non posse, clàm simulando dilationem mali inueniunt. placere enim sibi defectionem ad Annibalem simulant: quibus autem conditionibus in fœdus amicitiámq; nouam transeant, parum constare. Ita spatio sumpto, legatos properè ad prætorem Romanū Marcellum Claudium, qui Cannusii cum exercitu erat, mittunt. docéntq; quāto in discrimine sit Nolana res. agrum Annibalis esse, & Pœnorum vrbem extemplò futuram, ni subueniatur. cōcedendo plebi senatum, vbi velint, defecturos se, ne deficere præfestinarent, effecisse. Marcellus collaudatis Nolanis, eadem simulatione extrahi rem in suum aduentum iussit, interim celari quæ secum acta essent, spémque omnem auxilii Romani. Ipse à Cannusio Calatiam petit: atque inde Vulturno amne traiecto, pérque agrum Satriculanum, Trebianúmq; super Suessulam per mōtes Nolam peruenit. Sub aduentum prætoris Romani Pœnus agro Nolano excessit: & ad mare proxime Neapolim descendit, cupidus maritimi oppidi potiundi, quò cursus nauibus tutus ex Africa esset. Cæterùm posteaquam Neapolim à præfecto Romano teneri accepit (M. Iunius Syllanus erat, ab ipsis Neapolitanis accitus) Neapolim quoq; sicut Nolam, non admissus, petit Nuceriam. Eam cum aliquandiu circumsedisset sæpe vi, sæpe solicitandis nequicquam nunc plebe, nunc principibus, fame demum in deditionem accepit: pactus vt inermes cum singulis abirent vestimentis. deinde vt qui à principio mitis omnibus Italicis, præter Romanos, videri vellet: præmia atq; honores iis qui remansissent, ac militare vellent secum, proposuit. nec ea spes quenquam tenuit. dilapsi omnes quocunq; hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ vrbes, maximè Nolam Neapolimq;. Cùm fermè triginta senatores, ac fortè primus quisq; Capuā petissent: exclusi inde, quòd portas Annibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriæ præda militi data est, vrbs direpta atq; incensa. Nolam Marcellus non sui magis fiducia præsidii, quàm voluntate

B

Quæ in supplementum missa fuerūt Annibali à Carthaginiensibus.

Iunius dictator aduersus Annibalem etiā sceleratos armat.

Annibal in Nolanū agrū traducit exercitum.

Marcellus Claudius prætor Romanus Nolam magnis itineribus peruenit.

Nuceriā in deditionem accepit Annibal.

Nuceria diripitur atq; incēditur à Pœnis.

A luntate principum habebat. plebs timebatur, & antè omnes L. Bantius, quem consensus attentatæ defectionis, ac metus à prætore Romano nunc ad proditionem patriæ: nunc si ea die fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat iuuenis acer, & sociorũ ea tempestate nobilissimus eques. semineçem eum ad Cannas in aceruo cæsorum corporum inuentũ, curatúmq; benignè etiam cum donis Annibal domum remiserat. ob eius gratiam meriti rem Nolanam in ius ditionémque dare voluerat Pœno: anxiúmq; eum & solicitum cura nouandi res prætor cernebat. Cæterùm cùm aut pœna cohibendus esset, aut beneficio cõciliandus, sibi assumpsisse, quàm hosti ademisse fortem ac strenuum maluit socium. accitúmq; ad se benignè appellat. Multos eum inuidos inter populares habere, inde existimatu facile esse, quòd nemo ciuis Nolanus sibi indicauerit quàm multa eius egregia facinora militaria essent. sed qui in Romanis militauerit castris, non posse obscuram eius virtutem esse. multos sibi qui cum eo stipendia fecerint, referre qui vir esset ille: quæque & quoties pericula pro salute ac dignitate populi Romani adisset: vtiq; Cannensi pugna non prius prælio abstiterit, quàm propè exanguis ruina superincidentium virorum, equorum armorúmq; sit oppressus. Itaq; macte virtute esto, inquit, apud me tibi omnis honos atque omne præmium erit: & quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atq; emolumento esse. Lætóq; iuueni promissis equum eximium dono dat, † bigatósq; quingẽtos quæstorem numerare iubet. lictoribus imperat, vt eum se adire, quoties velit, patiantur. Hac comitate Marcelli ferocis iuuenis animus adeò est mollitus, vt nemo inde sociorum rem Romanam fortius ac fidelius iuuerit. Cùm Annibal ad portas esset, (Nolam enim rursus à Nuceria mouerat castra) plebésq; Nolana deintegro ad defectionem spectaret, Marcellus sub aduentum hostium intra muros se recepit, non castris metuens, sed ne prodendæ vrbis occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Instrui deinde vtrinq; acies cœptæ, Romanorũ pro mœnibus Nolæ, Pœnorum ante castra sua. prælia hinc parua inter vrbem castráq;, & vario euentu fiebant: quia duces nec prohibere paucos temerè roganteis, nec dare signũ vniuersæ pugnæ volebant. in hac comitiaria iam duorũ exercituum statione principes Nolanorũ nuntiant Marcello, nocturna colloquia inter plebem ac Pœnos fieri: statutúmq; esse, vt cùm Romana acies egressa portis iret, impedimẽta eorum ac sarcinas diriperent: clauderéntq; deinde portas, muróšq; occuparent, vt potentes rerum suarum atq; vrbis, Pœnum inde pro Romano acciperent. Hæc vbi nuntiata sunt Marcello, collaudatis senatoribus Nolanis, priusquã aliquis motus in muris oriretur, fortunam pugnæ experiri statuit. Ad treis portas in hostes versas tripartitò exercitum instruxit. impedimẽta subsequi iussit: calones lixásq; & inualidos milites vallum ferre. media porta robora legionum & Romanos equites, duabus circà portis nouos milites, leuémq; armaturam ac sociorum equites statuit. Nolani muros portásq; adire vetiti: subsidiáq; desti-

B nata impedimẽtis data, ne occupatis prælio legionibus in ea impetus fieret. ita instructi intra portas stabant. Annibali sub signis (id quod per aliquot dies fecerat) ad multum diei in acie stanti primo miraculo esse, quòd nec exercitus Romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam in muris esset. ratus deinde prodita colloquia esse, metúq; resides factos, partem militum in castra remittit, iussos properè apparatum omnem oppugnandæ vrbis in primam aciem afferre: satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum aliquem in vrbe plebem moturam. Móxq; dum in sua quisq; ministeria discursu trepidat ad prima signa, succedítq; ad muros acies, patefacta repentè porta, Marcellus signa canere, clamorémq; tolli, ac pedites primùm, deinde equites quanto maximo possent impetu in hostem erumpere iubet. Satis terroris tumultúsq; in aciem mediam intulerãt, cúm duabus circà portis P. Valerius Flaccus & C. Aurelius legati in cornua hostium erupere. Addidère clamorem lixæ calonésque, & alia turba custodiæ impedimentorum apposita, vt paucitatem maximè spernentibus Pœnis ingentis repentè exercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim affirmare, quod quidam authores sunt, duo millia & c c c hostium cæsos: non plus vno Romanos amisisse. Siue tanta, siue minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. nõ vinci enim ab Annibale vincentibus difficilius fuit, quàm postea vincere. Annibal spe potiundæ Nolæ adempta, cum Acerras recessisset, Marcellus extemplò clausis portis, custodibúsque dispositis, ne quis egrederetur, quæstionem in foro de iis qui clàm in colloquiis hostium fuerant, habuit: supra L X X damnatos proditionis securi percussit, bonáq; eorum iussit publica esse. & summa rerum senatui tradita, cum exercitu omni profectus supra Suessulam, castris positis consedit. Pœnus Acerras primùm ad voluntariam deditionem conatus perlicere, posteaquam obstinatos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. Cæterùm Acerranis plus animi quàm virium erat. itaq; desperata tutela vrbis, vt circumuallari mœnia viderunt, priusquam cõtinuarentur hostium opera, per intermissa munimẽta, neglectásq; custodias silentio noctis dilapsi, per vias inuiásq;, quà quenq; aut consilium, aut terror tulit, in vrbes Campaniæ quas satis certum erat non mutasse fidem, perfugerunt. Annibal Acerris direptis atq; incensis, cùm à Casilino dictatorem Romanũ legionésq; nuntii accipi nuntiassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuam quoq; recurrat, exercitum ad Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini habebant cum paucis Romanis Latiníq; nominis, quos eódem audita Cannensis clades contulerat. Hi non confecto Præneste ad diem delectu, serius profecti domo cùm Casilinum ante aduersæ pugnæ famam venissent, & aliis aggregarent sese Romanis sociísq;, profecti à Casilino cum satis magno agmine irent: auertit eos retrò Casilinum nuntius Cannensis pugnæ. ibi cùm dies aliquot suspecti Campanis, timentésq; cauẽdis ac struendis inuicem insidiis traduxissent: iámq; de Capuæ defectione agi accipíque Annibalem satis pro certo habuere: interfectis nocte oppidanis, partem vrbis quæ citra Vulturnũ est, (eo enim diuiditur amni) occupauère. idque præsidium Casilini habebant Romani. Additur & Perusina cohors,

L. Bantium Nolanũ sibi cõciliat prætor Romanus.

† Val. 43 coron. cum dimidio vel circiter.

Nolam oppugnat Annibal.

Marcellus prætor suos in Annibalem educit.

Duo millia & trecenti Pœnorũ cæsi. unus tantùm Romanorum amissus.

Acerras obsidet Annibal.

Acerræ direptæ & incensæ.

Prænestini quingẽti interfectis oppidanis Casilinum occupant.

P 3

homines cccc & LX. eodem nuntio, quo Prænestini paucos ante dies Casilinum compulsi. & satis fermè armatorū ad tam exigua mœnia,& flumine altera parte cincta,tuenda erat. penuria frumenti, nimiū etiam vt videretur hominum efficiebat. Annibal cùm iam inde haud procul esset,Getulos cum præfecto nomine Isalca præmittit.ac primò,si fiat colloquii copia, verbis benignis ad portas aperiēdas præsidiúmq; accipiendum perlicere iubet.sin in pertinacia perstent,rem gerere ac tentare,si qua parte inuadere vrbem possit. Vbi ad mœnia accessere, quia silentium erat,solitudo visa, metúq; concessum barbarus ratus,moliri portas & seras claustráq; effringere parat.ac cùm patefactis repentè portis cohortes duæ ad idipsum instructæ intus,ingenti cum tumultu erumpunt, stragémq; hostium faciunt.Ita primis repulsis,Maharbal cum maiore robore virorū missus, nec ipse eruptionem cohortiū sustinuit.Postremò Annibal castris ante ipsa mœnia oppositis, paruam vrbem paruúmq; præsidium summa vi atq; omnibus copiis oppugnare parat.ac dum instat lacessítq;, corona vndiq; circundatis mœnibus,aliquot milites & promptissimū quenq; è muro turribúsq;,ictos amisit. Semel vltro erumpenteis agmine elephantorū opposito propè interclusit, trepidósq; compulit in vrbem : satis multis, vt ex tanta paucitate,interfectis.plures cecidissent, ni nox prælio interuenisset. Postero die omnium animi ad oppugnādum accenduntur:vtiq; posteaquam corona aurea muralis proposita est, atq; ipse dux castelli plano loco positi segnem oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat : Cannarum Thrasymeníq; & Trebiæ singulos admonens,vniuersósq; inde vineæ quoq; cœptæ agi,cuniculíq;:nec ad varios conatus hostiū aut vis vlla,aut ars deerat.Socii Romanorū propugnacula aduersus vineas statuere,transuersis cuniculis hostiū cuniculos excipere,& palàm & clàm cœptis obuiam ire,donec pudor etiā Annibalem ab incœpto auertit, castrísq; cōmunitis ac præsidio modico imposito,ne omissa res videretur, in hyberna Capuam concessit. ibi partem maiorem hyemis exercitū in tectis habuit,aduersus omnia humana mala sæpe ac diu durante, bonis inexpertū atq; insuetum.itaq; quos nulla mali vicerat vis,perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ:& eo impensius,quo aui dius ex insolentia in eas se immerserant.somnus enim & vinum,& epulæ,& scorta balneáq;,& otium consuetudine in dies blandius,ita eneruauerunt corpora animósq;,vt magis deinde præteritæ eos victoriæ quàm præsentes tutarentur vires : maiúsq; id peccatū ducis apud peritos artium militariū haberetur, quàm quòd non ex Cannensi acie protinus ad vrbem Romam duxisset. illa enim cunctatio distulisse modò victoriā videri potuit:hic error vires ademisse ad vincendum.Itaque hercule,velut si cum alio exercitu à Capua exiret, nihil vsquam pristinæ disciplinæ tenuit. nam & redierunt plerique scortis impliciti:& vbi primùm sub pellibus haberi cœpti sunt,viáq; & alius militaris labor excepit, tyronum modò corporibus animísq; deficiebant:& deinde per omne æstiuorū tempus magna pars sine cōmeatibus ab signis dilabebantur:neq; aliæ latebræ, quàm Capua desertoribus erant. Cæterùm mitescente iam hyeme,ducto ex hybernis milite, Casilinum redit.vbi quanquā ab oppugnatione cessatū erat, obsidio tamen continuata oppidanos præsidiúmq; ad vltimū inopiæ adduxerat.Castris Romanis T.Sempronius præerat dictatore auspiciorū repetendorū causa profecto Romam. Marcellum & ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, Vulturnus amnis inflatus aquis,& preces Nolanorū atq; Acerranorū tenebant,Campanos timentiū,si præsidiū Romanum abscessisset.Gracchus assidens tantùm Casilino,quia prædictū erat dictatoris,ne quid absente eo rei gereret : nihil mouebat, quanquam quæ facile omnem patientiā vincerent,nuntiabantur à Casilino.nam & præcipitasse se quosdam non tolerantes famem,constabat:& stare inermes in muris , nuda corpora ad missilium telorū ictus præbentes.Ea ægrè patiens Gracchus,cùm neq; pugnā conserere dictatoris iniussu auderet:pugnandum autē esse,si palàm frumentū importare vellet,videret:neq; clam importandi spes esset, farre ex agris circa vndiq; conuecto cùm cōplura dolia cōplesset,nuntium ad magistratū Casilinum misit, vt exciperent dolia,quæ amnis deferret.Insequēti nocte intentis omnibus in flumen,ac spem ab nuntio Romano factam,dolia medio missa amni defluxerūt:æqualiter inter omnes frumentū diuisum. id postero quoq; die,ac tertio factū est.nocte & mittebantur & perueniebāt : eo custodias hostium fallebant. Imbribus deinde cōtinuis citatior solito amnis transuerso vertice dolia impulit ad ripam, quā hostes seruabant.ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur, nuntiatúmq; Annibali est : & deinde intētiore custodia cautum,ne quid falleret Vulturno ad vrbem missum. Nuces inde fusæ ab Romanis castris cùm medio amni ad Casilinū defluerent, cratibus excipiebātur. Postremò ad id ventū inopiæ est,vt lora detractáq; scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua,mādere conarētur:nec muribus aliòve animali abstinerent:& omne herbarū radicúmq; genus aggeribus infimi muri eruerēt.& cùm hostes obarassent quicquid herbidi terreni extra murum erat,raporum semen iniecerunt, vt Annibal, Eóne vsq; dum ea nascantur, ad Casilinum sessurus sum? exclamaret. & qui nullam antea pactionē auribus admiserat,tum demum agi secum est passus de redemptione liberorū capitū. † Septunces auri in singulos pretium conuenit.fide accepta,sese tradiderunt:donec omne aurum persolutum est,in vinculis habiti.tum remissi Cumas cum fide.Id verius est, quàm ab equite in abeunteis immisso interfectos. Prænestini maxima pars fuêre.ex qningentis septuaginta, qui in præsidio fuerunt : minus dimidium, ferrū faméq; absumpsit.cæteri incolumes Præneste cum prætore suo Manitio (scriba is antea fuerat) redierunt.Statua eius indicio fuit Præneste in foro statuta,loricata, amicta toga, velato capite : & tria signa cum titulo laminæ æneæ inscipto,Manitiū pro militibus,qui Casilini in præsidio fuerint, votum vouisse.Idem titulus tribus signis in æde Fortunæ positis fuit subiectus. Casilinū oppidum redditum Campanis est,firmatū septingentorum militum de exercitu Annibalis præsidio : ne vbi Pœnus inde abscessisset,Romani oppugnarēt. Prænestinis militibus senatus Romanus duplex stipendiū, & quinquennii

Annibal Casilinum oppugnat.

Annibal ad omnia humana mala magis quàm ad bona assuetus.

Annibalis exercitū Capuane delitiæ eneruauerunt.

Annibal Casilinū redijt oppugnaturus.

Casilini cōplura dolia frumēto plena in Vulturnum amnem à Romanis missa excipiunt.

Casilini omnium rerū inopes lora pellesq; mādebant.

† Valent 63 coron.

Casilinum Annibali deditur.

A

B

A quennii militiæ vacationẽ decreuit. ciuitate cùm donarentur ob virtutẽ, non mutauerunt. Perusinorũ casus obscurior fama est, quia nec ipsorũ monumento vllo est illustratus, nec decreto Romanorũ. Eodem tẽpore Petellinos, qui vni ex Brutiis manserant in amicitia Romana: nõ Carthaginienses modò, qui regionẽ obtinebant, sed Bruti quoq; cæteri ob separata ab se consilia oppugnabant, cùm obsistere malis nequirẽt Petellini, legatos Romã ad præsidium petendum miserunt. Quorũ preces lacrymæq; (in quæstus enim flebiles, eùm sibimetipsi consulere iussi sunt, sese in vestibulo curiæ profuderunt) ingentem misericordiã patribus ac populo mouerunt. consultíq; iterũ à M. Aemylio Pr. patres, circunspectis omnibus imperii viribus fateri coacti, nihil iam longinquis sociis in se præsidii esse, redire domum, fidéq; ad vltimũ expleta, consulere sibimetipsos in præsenti fortuna iusserũt. Hæc posteaquam renuntiata legatio Petellinis est, tantus repente mœror pauórq; senatũ eorũ cepit, vt pars profugiendi quà quisq; posset, ac deserendæ vrbis authores essent: pars quando deserti à veteribus sociis essent, adiungendi se cæteris Brutiis, ac per eos dedendi Annibali. Vicit tamen ea pars quæ nihil raptim, nec temerè agendum cõsulendúmq; deintegro censuit. Re laxata postero die per minorẽ trepidationem retinuerunt optimates, vt conuectis omnibus ex agris, vrbem ac muros firmarent. Per idem ferè tempos literæ ex Sicilia Sardiniáq; Romã allatæ. priores ex Sicilia Octacilii Propr. in senatu recitatæ sunt. L. Furium Pr. cum classe ex Africa Lilybæum venisse. ipsum grauiter sauciũ in discrimine vltimo vitæ esse. militi & naualibus sociis neq; stipendiũ neq; frumentum ad diem dari: neq; vnde detur, esse. magnopere suadere, vt quamprimùm ea mittãtur: sibíq; si ita videatur, ex nouis prætoribus successorem mittãt. Eadémq; fermè de stipendio frumẽtóq; ab A. Cornelio Mammula Propr. ex Sardinia scripta. Responsum vtrisq;, non esse vnde mitteretur. iussíq; ipsi classibus atque exercitibus suis consulerent. Octacilius ad vnicum subsidiũ populi Romani Hieronem legatos eùm misisset, in stipendium quantum argenti opus fuit, & sex mensium frumentũ accepit. Cornelio in Sardinia ciuitates sociæ benignè contulerunt. Et Romæ quoq; propter penoriã argenti triumuiri mensarii rogatione Minutii trib. pleb. facti, L. Aemylius, qui consul censórq; fuerat: & M. Attilius Regulus, qui bis consul fuerat: & L. Scribonius Libo, qui tum trib. pleb. erat. Et duomuiri creati, M. & C. Attilii, ædem Concordiæ, quã L. Manlius Pr. vouerat, dedicauerunt. Et tres pontifices creati, Q. Cæcilius Metellus, Q. Fabius Maximus, & Q. Fuluius Flaccus, in locũ P. Scantinii demortui, & L. Aemylii Pauli cos. & Q. Aelii Peti, qui ceciderant pugna Cannensi: Cùm cætera quæ continuis cladibus fortuna minuerat, quantũ cõsiliis humanis assequi poterant, patres explessent, tandem se quoq; & solitudinẽ curiæ, paucitatémq; cõuenientium ad publicũ consilium respexerunt. neq; enim post L. Aemyliũ & C. Flaminiũ censores senatus lectus fuerat, cùm tantũ senatorum aduersæ pugnæ, ad hoc sui quenq; casus per quinquenniũ absumpsissent.

Petellini soli ex Brutijs manserũt in Romana amicitia.

Literæ ex Sicilia & Sardinia Romã allatæ.

Triumuiri mensarij ob argenti penuriã facti.

Magna solitudo curiæ.

B Cùm de ea re M. Aemylius Pr. dictatore post Casilinũ amissum profecto iam ad exercitũ, exposcentibus cunctis retulisset: tum Sp. Caruilius, cum longa oratione non solùm inopiam, sed paucitatẽ etiam ciuium, ex quibus in patres legerentur conquestus esset: explendi senatus causa, & iungendi arctius Latini nominis, pro magna re se suadere dixit, vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres Romani censuissent, ciuitas daretur: atque in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quàm ipsorum quondam postulatum Latinorum, patres audierunt. & cùm fremitus indignantium tota curia esset: & præcipuè Manlius, esse etiam nunc stirpis eius virum diceret, ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinum in curia vidisset, eum sua manu se interfectorùm: Q. Fabius Maximus nunquam rei vllius alieniore tempore mentionem factam in senatu dixit, quàm inter tam suspensos sociorũ animos, incertámq; fidem id tactum, quòd insuper solicitaret eos. eam vnius hominis temerariam vocem silentio omniũ extinguendam esse: & si quid vnquam arcani sanctíve ad silendum in curia fuerit, id omniũ maximè tegendum, occulendum, obliuiscendum, pro non dicto habendũ esse. Ita eius rei oppressa mentio est. Dictatorem qui censor antè fuisset: vetustissimúsq; ex iis qui viuerent censoriis esset, creari placuit, qui senatũ legeret: acciríq; C. Terentiũ cos. ad dictatorem dicendum iusserunt. qui cum ex Apulia, relicto ibi præsidio, magnis itineribus Romã redisset, nocte proxima, vt mos erat, M. Fabiũ Buteonẽ ex s c sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit. Is, vbi cum lictoribus in Rostra ascendit, neq; duos dictatores tempore vno, quod nunquã antea factum esset, probare se dixit: neq; dictatorem se sine magistro equitũ: nec censoriam vim permissam vni & eidem iterum: nec dictatori, nisi rei gerendæ causa creato, in sex menses datum imperiũ. quæ immoderata, fors, tempus ac necessitas fecerint, iis se modum impositurũ. nam neq; senatu quenquam moturũ ex iis quos C. Flaminius, L. Aemylius censores in senatum legissent: transcribi tantum recitaríq; eos iussurũ, ne penes vnum hominem iudiciũ arbitriúmq; de fama ac moribus senatoris fuerit: & ita in demortuorũ locum sublecturũ, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Recitato vetere senatu, inde primùm in demortuorũ locum legit, qui post L. Aemyliũ & C. Flaminium censores curulem magistratũ cepissent, necdum in senatum lecti essent: vt quisq; eorũ senator primus creatus erat. tum legit qui ædiles, tribuni, prætores, quæstorésve fuerãt, tum ex iis qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut ciuicam coronã accepissent. Ita CLXXVII cum ingenti approbatione omniũ in senatum lectis, extemplò se magistratu abdicauit, priuatúsq; de Rostris descendit, lictoribus abire iussis, turbæq; se immiscuit priuatas agentium res: tempus hoc sedulò terens, ne deducendi sui causa populum de foro abduceret. neq; tamen elanguit cura hominũ ea mora, frequentésq; eum domum deduxerũt. Consul nocte insequenti ad exercitum rediit, non facto certiore senatu, ne comitiorũ causa in vrbe retineretur. Postero die consultus à M. Pomponio Pr. senatus decreuit dictatori scribendum, vti si è Repub. censeret esse, ad consules sub-

M. Fabius Buteo dictator creatur, vt senatores in demortuorum locum sublegeret.

Quosnã in senatum legerit dictator.

rogandos veniret cum magistro equitũ, & prætore M. Marcello, vt ex iis præsentibus noscere patres A possent quo statu Respub. esset, consiliáq; ex rebus caperent. Qui acciti erant, omnes venerunt, relictis legatis, qui legionibus præessent. Dictator de se pauca ac modicè locutus in magistrũ equitũ T. Sempronium Gracchũ magnam partem gloriæ vertit: comitiáq; edixit, quibus L. Posthumius III absens, qui tum Galliá prouinciam obtinebat: & T. Sempronius Gracchus, qui tum magister equitũ eò accurrerat, consules crearẽtur. Prætores inde creati, M. Valerius Leuinus, Ap. Claudius Pulcher, Q. Fuluius Flaccus, Q. Mutius Scæuola. Dictator creatis magistratibus, Theanum in hyberna ad exercitũ rediit, relicto magistro equitũ Romæ: qui cum post paucos dies magistratũ initurus esset, de exercitibus scribendis cõparandísq; in annũ, patres consuleret. Cùm eæ res maximè agerentur, noua clades nuntiata:

L. Posthumius consul designatus cum exercitu deletus à Gallis.

alia super alia cumulante in eum annum fortuna. L. Posthumiũ consulem designatum, in Gallia ipsum atq; exercitũ deletos. Sylua erat vasta (Litanam Galli vocant) qua exercitũ traducturus erat. eius syluæ dextra læuáq; circa viam Galli arbores ita inciderant, vt immotæ starent: momento leui impulsæ occiderent. Legiones duas Romanas habebat Posthumius: sociũmq; ab supero mari tantum cõscripserat, vt XXV millia armatorũ in agros hostiũ induxisset. Galli oras extremæ syluæ cùm circumsedissent, vbi intrauit agmen saltum, tum extremas arborũ succisarum impellunt. quæ alia in aliam instabilem per se ac malè hærentem incidentes, ancipiti strage arma, viros, equos obruerũt, vt vix decem homines effugerẽt. nam cùm exanimati pleriq; essent arborũ truncis, fragmentísq; ramorũ, cæterá quoq; multitudinem inopinato malo trepidam, Galli saltum omnem armati circunsidentes interfecerunt: paucis è tanto numero captis, qui pontem fluminis petẽtes, obsesso antè ab hostibus ponte interclusi sunt. Ibi Posthumius omni vi ne caperetur obnixus, occubuit. spolia corporis capútq; ducis præcisum Boii ouantes templo, quod sanctissimũ est apud eos, intulere: purgato inde capite, vt mos iis est, caluam auro cælauere. idq; sacrũ vas iis erat, quo solennibus libarent: poculúmq; idem sacerdotis esse, ac templi antistitibus. Præda quoq; haud minor Gallis quàm victoria fuit. nam etsi magna pars animalium strage syluæ oppressa erat; tamen cæteræ res, quia nihil dissipatũ fuga est, stratæ per omnẽ iacentis agminis ordinem inuentæ sunt. Hac nuntiata clade cum per dies multos in tanto pauore fuisset ciuitas, vt tabernis clausis, velut nocturna solitudine per vrbem acta, senatus ædilibus negotiũ daret, vt

T. Sempronius in senatu patres consolatur, eosq; dehortatur ut de rerũ summa deliberent.

vrbem circumirẽt, aperiríq; tabernas, & mœstitiæ publicæ speciem vrbi demi iuberent: tum T. Sempronius senatũ habuit, consolatúsq; patres est & adhortatus, ne qui Cannensi ruinæ nõ succubuissent, ad minores calamitates animos summitterent. quòd ad Carthaginienses hostes Annibalémq; attinet, prospera modò esset, sicut speraret, fortuna: Gallicũ bellum & omitti tutò & differri posse: vltionémq; eam fraudis in deorũ ac populi Romani potestate fore. de hoste Pœno exercitibúsq;, per quos id bellum gereretur, consultandum atq; agitãdum. Ipse primùm quid peditũ equitúmq;, quid ciuium, quid B sociorũ in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarũ summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, à peritis quæsitũ est. duóne consulares exercitus satis firmati tanto bello sufficerent, inibatur ratio. itaque Galliam, quanquá stimulabat iusta ira, omitti eo anno placuit. Exercitus dictatoris Consuli decretus est. De exercitu Marcelli qui ex fuga Cannẽsi esset, in Siciliam eos traduci, atq; ibi militare, donec in Italia bellum esset, placuit. eódem ex dictatoris legionibus reiici militem minimi quenq; roboris, nullo præstituto militiæ tempore, nisi quod stipendiorum legitimorũ esset. Duæ legiones vrbanæ alteri Consuli, qui in locũ L. Posthumii suffectus esset, decretæ sunt: eúmq; cùm primùm saluis auspiciis posset, creari placuit. legiones præterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri: atq; inde cõsul, cui legiones vrbanæ euenissent, militũ sumeret quantũ opus esset. C. Terentio cos. prorogari in annum imperiũ: neq; de eo exercitu quem ad præsidium Apuliæ

In Hispania prosperè pugnatum est à Scipionibus

haberet, quicquá minui. Dum hæc in Italia geruntur, apparantúrq;, nihilo segnius in Hispania bellum erat, sed ad eam diem magis prosperũ Romanis. P. & Cn. Scipiones inter se partiti copias, vt Cn. terra, P. mari, nauibúsq; rem gereret. Asdrubal Pœnorũ imperator neutri parti viriũ satis fidens, procul ab hoste interuallo, ac locis tutis tenebat se. cui multũ ac diu obtestãti quatuor millia peditũ, & quingẽti equites in supplementũ missi ex Africa sunt. tum refecta tandẽ spe, castra propius hostẽ mouit: classémq; & ipse instrui pararíq; iubet, ad insulas maritimámq; oram tutandam. In ipso impetu mouendarũ de integro rerũ perculit eum præfectorũ nauiũ transitio: qui post classem ad Iberum per pauorẽ desertá grauiter increpiti, nunquá deinde satis fidi aut duci, aut Carthaginiensiũ rebus fuerãt. Fecerãt ii transfugæ motũ in Carpesiorũ gente, desciuerántq; iis authoribus vrbes aliquot: vna etiá ab ipsis vi capta fuerat. In eam gentẽ versum ab Romanis bellũ est: infestóq; exercitu Asdrubal ingressus agrum hostiũ, pro captæ ante dies paucos vrbis mœnibus Galbũ nobilem Carpesiorũ ducẽ cum valido exercitu castris se detinentem aggredi statuit. Præmissa igitur leui armatura, quæ eliceret hosteis ad pugná, peditũ partẽ ad depopulandũ per agros passim dimisit, vt palanteis exciperẽt, simul & ad castra tumultus erat, & per agros fugáq; & cædes. deinde vndiq; diuersis itineribus cùm in castra se recepissent, adeò repente decessit animis pauor, vt nõ ad munimenta modò defendenda satis animorũ esset, sed etiá ad lacessendũ hostẽ prælio. Erumpunt igitur agmine è castris tripudiantes more suo: repentináq; eorũ audacia terrorẽ hosti paulo antè vltro lacessenti incussit. itaq; & ipse Asdrubal in collẽ satis arduũ tutúmq; flumine etiá obiecto tum copias subducit, & præmissam leuẽ armaturá equitésq; palatos eódem recepit: nec aut colli aut flumini satis fidens, vallo castra permuniit. In hoc alterno pauore

Asenam Romani ui capiunt.

certamina aliquot sunt cõtracta. nec Numida Hispano eques par fuit: nec iaculator Maurus cetrato, velocitate pari, robore animi viriúmq; aliquantũ præstãti. Posteaquam neq; elicere Pœnũ ad certamẽ obuersati castris poterãt, neq; castrorũ oppugnatio facilis erat: vrbẽ Asenã, quo fineis hostiũ ingrediens

A Asdrubal frumentũ cómeatúsq; alios cõuexerat, vi capiunt, omniq; circà agro potiuntur. nec iam aut in agmine, aut in castris vllo imperio cõtineri. Quã vbi negligentiã ex re (vt fit) bene gesta oriri senserat Asdrubal, cohortatus milites vt palãtes sine signis hostes aggrederẽtur, digressus colle, pergit ire acie instructa ad castra. Quẽ vt adesse tumultuosi nuntii refugientes ex speculis stationibúsq; attulere, ad arma conclamatũ est. Vt quisq; arma ceperat, sine imperio, sine signo, incõpositi, inordinati in prælium ruunt. Iam primi cõseruerant manus, cùm alii cateruatim currerent, alii nondũ è castris exissent. tum primò ipsa audacia terruere hostem. deinde rari in cõfertos illati, cùm paucitas parum tuta esset, respicere alii alios, & vndiq; pulsi coire in orbem, & dum corporibus applicantur, armáq; armis iungunt, in arctum compulsi, cùm vix mouẽdis armis satis spatii esset, corona hostium cincti, ad multum diei cæduntur. Exigua pars eruptione facta, syluas ac montes petit: paríq; terrore & castra sunt deserta, & vniuersa gens postero die in deditionẽ venit. nec diu in pacato mansit. nam subinde ab Carthagine allatum est, vt Asdrubal primo quoq; tempore in Italiam exercitũ duceret. quæ vulgata res per Hispaniam omnium fermè animos ad Romanos auertit. Itaq; Asdrubal extemplò literas Carthaginẽ mittit, indicans, quanto fama profectionis suæ damno fuisset. Si verò inde pergeret, priusquã Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore. nam præterquàm quòd nec præsidium, nec ducem haberet, quem relinqueret pro se, imperatores esse Romanos, quibus vix æquis viribus resisti posset. itaque si vlla Hispaniæ cura esset, successorem sibi cum valido exercitu mitterent. cui si omnia prosperè euenirent, non tamen otiosam prouinciam fore.

Asdrubal iubetur in Italiam exercitum ducere.

Hæ literæ quanquam primò admodum mouerunt senatũ, tamẽ quia Italiæ cura prior potiórq; erat, nihil de Asdrubale, neq; de copiis eius mutatum est. Himilco cum exercitu iusto, & aucta classe ad retinendam terra maríq;, ac tuendam Hispaniam est missus. qui vt pedestreis naualeísque copias traiecit, castris communitis, nauibúsq; subductis & vallo circundatis, cum equitibus delectis ipse quantum maximè accelerare poterat, per dubios infestósque populos iuxtà intentus ad Asdrubalem peruenit.

Himilco in Hispaniam cum iusto exercitu mittitur.

Cùm decreta senatus mandatáq; exposuisset, atq; edidicisset ipse inuicem, quemadmodum tractandũ bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit, nulla re quàm celeritate tutior, quòd vndiq; abierat, antequam populi consentirent. Asdrubal priusquã moueret castra, pecunias imperat populis omnibus suæ ditionis, satis gnarus Annibalem transitus quosdam precio mercatum: nec auxilia Gallica aliter quàm conducta habuisse, inopem tantum iter ingressum, vix penetraturum ad Alpeis fuisse. pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum descendit.

Asdrubal pecuniam exigit ab Hispaniæ populis.

Decreta Carthaginiensium & Asdrubalis iter vbi ad Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus, ambo duces iunctis copiis ire obuiam cœptis, atq; obsistere parant: rati, si Annibali vix per seipsi tolerando Italiæ hosti Asdrubal dux atq; Hispaniensis exercitus esset iunctus, illico Romani finẽ imperii fore.

Duo Scipiones iunctis copijs obsistere parant Asdrubali.

B His anxii curis ad Iberum cõtrahunt copias, & transito amne cùm diu consultassent, vtrum castra castris conferrent, an satis haberent, sociis Carthaginiensiũ oppugnandis morari ab itinere proposito hostẽ: vrbem à propinquo flumine Iberam appellatam, epulentissimam ea tempestate regionis eius, oppugnare parant. quod vbi sensit Asdrubal, pro ope ferenda sociis pergit ipse ire ad vrbem deditã nuper in fidem Romanorum oppugnandã. Ita iam cœpta obsidio omissa ab Romanis est, & in ipsum Asdrubalem versum bellum. Quinq; milliũ interuallo castra distantia habuêre paucos dies: nec sine leuibus prælijs, nec vt in aciem exirent. tandẽ vno eodémq; die velut ex composito vtrinq; signũ pugnæ propositum est, atq; omnibus copiis in campũ descensum est. Triplex stetit Romana acies, peditum pars ante signa locata, pars post signa accepta, equites cornua cinxere. Asdrubal mediã aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextro Pœnos locat, læuo Afros: mercenariorúmq; auxilia equitũ, Numidas Pœnorum peditibus, cæteros Afros pro cornibus opponit. nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimã sæpe pugnam in recentẽ equũ ex fesso armatis transultare mos erat. tanta velocitas ipsis, támq; docile equorum genus est. Cùm hoc modo instructi starent, imperatorũ vtriusq; partis haud fermè dispares spes erant. nam ne multũ quidem aut numero, aut genere militum, hi aut illi præstabant. militibus longè dispar animus erat. Romanis enim, quanquam procul à patria pugnarent, facile persuaserant duces pro Italia, atq; vrbe Roma eos pugnare. itaq; velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur, obstinauerant animis vincere, aut mori. Minus pertinaces viros habebat altera acies. nam maxima pars Hispani erant: qui vinci in Hispania, quàm victores in Italiam trahi, malebant. Primo igitur concursu cùm vix pila coniecta essent, retulit pedẽ media acies, inferentibúsq; sese magno impetu Romanis terga vertit. Nihilo segnius in cornibus prælium fuit. hinc Pœnus, hinc Afer vrget: & velut in circumuentos prælio ancipiti pugnant. sed cùm in medium tota iam coiisset Romana acies, satis virium ad dimouenda hostium cornua habuit. itaq; duo diuersa prælia erant: vtroq; Romani, vt qui pulsis tandẽ mediis & numero & robore virorũ præstarẽt, haud dubiè superarunt. Magna vis hominũ ibi occisa. & nisi Hispani vixdũ cõserto prælio tam effusè fugissent, perpauci ex tota superfuissent acie. Equestris pugna nulla ad modũ fuit. quia simul inclinatã mediã aciẽ Mauri Numidéq; viderũt, extẽplò fuga effusa nuda cornua, elephãtis quoq; præ se actis, deseruere. Et Asdrubal vsq; ad vltimũ euentũ pugnæ moratus, è media cæde cũ paucis effugit. Castra Romani cepere, atque inde diripuere.

Scipiones Asdrubalis copias superant & castra diripiunt.

Ea pugna, si qua dubia in Hispania erãt, Romanis adiunxit: Asdrubalíq; nõ modò in Italiã traducẽdi exercitus, sed ne manẽdi quidẽ satis tutò in Hispania spẽ reliquit. Quæ posteaquã literis Scipionum Romæ vulgata sunt, non tam victoria quàm prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur. Dum hæc in Hispania geruntur, Petellia in Brutiis aliquot pòst mensibus, quàm cœpta oppugnari erat, ab Himilcone præfecto Annibalis expugnata est. multorúmque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit. nec vlla magis vis obsessos,

Petellia à Pœnis expugnatur.

quàm fames oppugnauit. absumptis enim frugum alimentis, carnisq; omnis generis quadrupedum, A sutrinæ postremò coriis, herbisque & radicibus, & corticibus teneris, strictisque rubis vixere: nec antequam vires ad standum in muris ferendáque arma deerant, expugnati sunt. Recepta Petellia, Pœnus ad Consentiam copias traducit. quam minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem fermè diebus & Brutiorum exercitus Crotonem Græciam vrbē circumsedit, opulentam quondam armis virisque: tum iam adeò multis magnisque cladibus afflictam, vt omnis ætatis minus viginti millia ciuium superessent. itaque vrbe defensoribus vastata, facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ vrbis è media cæde quidam effugêre. Et Locrenses desciuere ad Brutios Pœnósq;, prodita multitudine à principibus. Rhegini tantummodo regionis eius & in fide erga Romanos, & potestatis suæ ad vltimum manserunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum peruenit: & ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abstinuit. nanque Gelo maximus stirpis contempta simul senectute patris, simul post Cannensem cladem Romana societate, ad Pœnos defecit. mouissetq; in Sicilia res, nisi mors adeò opportuna, vt patrem quoq; suspicione aspergeret, armantem eum multitudinem, solicitantémque socios absumpsisset. Hæc eo anno in Italia, in Africa, in Sicilia, in Hispania vario euentu acta. Exitu anni Q. Fabius Maximus à senatu postulauit, vt ædem Veneris Erycinæ, quam dictator vouisset, dedicari liceret. Senatus decreuit, vt T. Sempronius cos. designatus, cum primùm magistratum inisset, ad populum ferret, vt Fabium duumuirum esse iuberent ædis dedicandæ causa. Et M. Aemylio Lepido, qui bis consul augúrque fuerat, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & xx per triduum in foro dederunt. Aediles curules C. Lectorius & T. Sempronius Gracchus cos. designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebeii ludi à M. Aurelio Cotta & M. Claudio Marcello ter instaurati sunt. Circumacto tertio anno Punici belli, T. Sempronius cos. Idibus Martiis magistratum iniit. Prætoréspue, Fuluius Flaccus, qui antea consul censórque fuerat, vrbanam: M. Valerius Leuinus peregrinam sortem in iurisdictione habuit. Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mutius Scæuola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello Procos. imperium esse populus iussit, quòd post Cannensem cladem vnus Romanorum imperatorum in Italia prosperè rem gessisset. Senatus quo die primùm est in Capitolio consultus, decreuit, vt eo anno duplex tributum imperaretur, simplex cõfestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. Inde de exercitibus ita decretum est, vt duabus legionibus vrbanis T. Sempronius cos. Cales ad conueniendum diem ediceret. inde sex legiones in castra Claudiana supra Suessulam deducerentur. quæ ibi legiones essent, (erant autem Cannensis maximè exercitus) eas Ap. Claudius Pulcher Pr. in Siciliam traiiceret: quæq; in Sicilia essent, Romam deportarentur. Ad ex- B ercitum, cui ad conueniendum Cales edicta dies erat, M. Claudius Marcellus missus: isque iussus in castra Claudiana deducere vrbanas legiones, Ad veterem exercitum accipiendum, deducendúmque in Siciliam, T. Metilius Croto legatus ab Ap. Claudio est missus. Taciti primò expectauerant homines, vti consul comitia collegæ creando haberet. deinde vbi ablegatum velut de industria M. Marcellum viderunt, quem maximè consulem in eum annum ob egregiè in prætura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus. Quod vbi sensit consul, Vtrunque, inquit, è Repub. fuit Patres conscripti, & M. Claudium ad permuttandos exercitus in Campaniam proficisci, & comitia nõ prius edici, quàm is inde confecto quod mandatum est negotio reuertisset: vt vos consulem, quem tempus Reip. postularet, quémque maximè vultis, haberetis. Ita de comitiis, donec rediit Marcellus, silentium fuit. Interea duûmuiri creati sunt Q. Fabius Maximus & T. Octacilius Crassus, ædibus dedicandis, Menti Octacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Vtraque in Capitolio est, canali vno discretæ. Et de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, delatum ad populũ, vt ciues Romani essent: item vti municipes Cumani essent, pridiè quàm populus Campanus à populo Romano defecisset. Maximè vt hoc ferretur, mouerat: quòd quorum hominũ essent, scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam in quam redierant, nondũ adsciti. Posteaquam Marcellus ab exercitu redut, comitia vni cõsuli rogãdo in locũ L. Posthumii edicũtur. Creatur ingenti cõsensu Marcellus, qui extẽplò magistratũ occiperet. cui ineunti consulatũ cùm tonuisset, vocati augures vitio creatũ videri pronuntiauerũt. vulgóq; patres ita fama ferebãt, quòd tum primũ duo plebeii cõsules facti essent, id deis cordi nõ esse. In locũ Marcelli, vbi is se magistratu abdicauit, suffectus Fabius Maximus tertiùm. Mare arsit eo anno: ad Sinuessã bos equuleũ peperit: signa Lanuuii ad Iunonis Sospitæ cruore manauere: lapidibúsq; circa id templũ pluit. ob quẽ imbrẽ nouendiale, vt assolet, sacrũ fuit. cæteráq; prodigia cũ cura expiata. Cõsules exercitus inter se diuiserunt. Fabio exercitus, cui M. Iunius dictator præfuerat, euenit. Sempronio volonũ quod fuerat, & sociorũ xxv millia. M. Valerio Pr. legiones quæ ex Sicilia rediissent, decretæ. M. Claudius Procons. ad eum exercitũ, qui supra Suessulam Nolæ præsideret, missus. Prætores in Siciliam ac Sardiniam profecti. Consules edixerunt, quoties senatũ vocassent, vti senatores, quibúsque in senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam conuenirent. Prætores quorũ iurisdictio erat, tribunalia ad Piscinam publicã posuerunt. eò vadimonia fieri iusserunt. ibiq; eo anno ius dictum est. Interim Carthaginẽ, vnde Mago frater Annibalis xii millia peditũ, & mille quingentos equites, xx elephantos, † mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat cũ præsidio lx nauiũ longarũ, nuntius affertur, in Hispania rẽ malè gestã, omnésq; fermè eius prouinciæ populos ad Romanos defecisse. Erant qui Magonẽ cum classe ea, copiisq; omissa Italia in Hispaniã auerterẽt, cùm Sardiniæ recipiẽdæ repentiua spes affulsit. Paruum ibi exercitum Romanum esse. veterẽ prætorem inde Cornelium prouinciæ

Cosentiam Annibal in deditionem accepit.

Locrẽses defecerunt ad Pœnos.

Duplex tributum imperatur ciuibus Romanis.

Aedes dedicantur Menti & Veneri Erycinæ.

Prodigia.

† Valent 60000. coron.

A uinciæ peritum decedere, nonum expectari. ad hoc, fessos iam animos Sardorum esse diuturnitate imperii & proximo iis anno acerbè atque auarè imperatum: graui tributo & collatione iniqua frumenti oppressos. nihil deesse aliud quàm authorem, ad quem deficerent. Hæc clandestina legatio per principes missa erat: maximè eam rem moliente Harsicora, qui tum authoritate atque opibus longè primus erat.

Sardorum clandestina legatio ad Pœnos.

His nuntiis propè vno tempore turbati erectíque, Magonem cum classe sua copiísque in Hispaniam mittunt. in Sardiniam Asdrubalem cognomento Caluum deligunt ducem: & tantum fermè copiarum, quantum Magoni, decernunt. Et Romæ consules transactis rebus, quæ in vrbe agendæ erant, mouebant iam sese ad bellum. T. Sempronius militibus Sinuessam diem ad conueniendum edixit. & Q. Fabius consulto prius senatu, vt frumenta omnes ex agris ante calendas Iulias primas in vrbes munitas conueherent. qui non inuexissent, eorum se agrum populaturum: seruos sub hasta venditurum, villas incensurum. Ne prætoribus quidem, qui ad ius dicendum creati erant, vacatio à belli administratione data est. Valerium prætorem in Apuliam ire placuit ad exercitum à Terentio accipiendum. cùm ex Sicilia legiones venissent: iis potissimum vti ad regionis eius præsidium: Terentianum mitti cum aliquo legatorum. Et xxv naues M. Valerio datæ sunt, quibus oram maritimam inter Brundusium ac Tarentum tutari posset. Par nauium numerus Q. Fuluio Pr. vrb. decretus ad suburbana litora tutanda. C. Tarentio Procons. negotium datum, vt in Piceno agro conquisitionem militum haberet, locísque iis præsidio esset. Et T. Octacilius Crassus posteaquam ædem Mentis in Capitolio dedicauit, in Siciliam cum imperio qui classi præesset, missus. In hanc dimicationem duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentésque animos intenderant. inter quos Philippus Macedonum rex eo magis, quòd propior Italiæ ac mari tantum Ionio discretus erat. Is vbi primùm fama accepit, Annibalem Alpes transgressum, vt bello inter Romanos Pœnúmque orto lætatus erat: ita vtrius populi mallet victoriá esse, incertis adhuc viribus fluctuatus animo fuerat. posteaquàm tertia iam pugna, tertia victoria cum Annibale & Pœnis erat, ad fortunam inclinauit, legatósque ad Annibalem misit.

Philippus Macedonum rex legatos ad Annibalem misit.

qui vitantes portus Brundusinum Tarentinúmq;, quia custodiis nauium Romanarum tenebantur: ad Laciniæ Iunonis templum in terram egressi sunt. inde per Apuliam petentes Capuam media in præsidia Romana illati sunt, deductíq; ad M. Valerium Leuinum prætorem, circa Nuceriam castra habentem. Ibi intrepidè Xenophanes legionis princeps à Philippo rege se missum ait ad amicitiam societatémque iungendam cum populo Romano, mandata habere ad consules, ac senatum populúmque Romanum.

Xenophanis mendacium.

Inter defectiones veterum sociorum Valerius noua societate tam clari regis lætus admodum hostem pro hospite comiter accepit. dat qui prosequantur, itineráq; cum cura demonstrent, quæ loca, quósque saltus, aut Romani, aut hostes teneant. Xenophanes per præsidia Ro-

B mana in Campaniam, inde qua proximum fuit, in castra Annibalis peruenit, fœdúsque cum eo atque amicitiam iungit legibus his: vt Philippus rex quàm maxima classe (ducentas autem naues videbatur effecturus) in Italiam traiiceret, & vastaret maritimam oram, bellum pro parte sua terra maríque gereret. vbi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa vrbe Roma Carthaginiensium atque Annibalis esset, prædáque omnis Annibali cederet. perdomita Italia, nauigarent in Græciam, bellúmq; cum quibus regibus placeret, gererent. quæ ciuitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi regníque eius essent.

Fœderis inter Annibalem & Philippum leges.

In has fermè leges inter Pœnum ducem, legatósque Macedonum ictum fœdus. missíque cum iis ad regis ipsius firmandam fidem legati, Gisgo, & Bostar, & Mago, eodem ad Iunonis Laciniæ templum, vbi nauis occulta in statione erat, perueniunt, inde prouecti cùm iam altum tenerent, conspecti à classe Romana sunt, quæ præsidio erat Calabriæ litoribus. Q. Fuluius Flaccus Corcyræos ad persequendam, retrahendámque nauem cùm misisset, primò fugere regii conati: deinde vbi celeritate victi cesserunt, tradunt se Romanis: & ad præfectum classis adducti, cùm quæreret, qui, & vnde, & quò tenderent cursum: Xenophanes primò satis iam semel felix mendacium struere, à Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem vnum iter tutum fuerit, peruenisse: Campaniam superare nequisse, septam hostium præsidiis. deinde, vt Punicus cultus, habitúsque suspectos legatos fecit Annibalis, interrogatósque sermo prodidit: tum comitibus eorum seductis, ac metu territis, literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuentæ de pace inter regem Macedonum, Pœnúmque ducem.

Xenophanes & Annibalis ad Philippum legati intercipiuntur.

Quibus satis cognitis, optimum visum est, captiuos, comitésque eorum Romam ad senatum, aut ad consules, vbicunque essent, quàm primum deportare. ad id celerrimæ quinque naues delectæ: ac L. Valerius Antias, qui præesset, missus: eíque mandatum, vt in omneis naues legatos separatim custodiendos diuideret: daretque operam, ne quod iis colloquium inter se, néue communicatio consilii esset. Per idem tempus Romæ, cùm A. Cornelius Mammula ex Sardinia prouincia decedens retulisset, qui status rerum in insula esset, ad bellum ac defectionem omneis spectare: Q. Mutium, qui successisset sibi, grauitate cæli aquarúmque aduenientem exceptum, non tam in periculosum, quàm longum morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam inutilem fore, exercitúmq; ibi vt satis firmum pacatæ prouinciæ præsidem esse, ita parum bello, quod motum iri videretur: decreuerunt patres, vt Q. Fuluius Flaccus quinq; millia peditū, quadringentos equites scriberet, eámq; legem primo quoq; tempore in Sardiniam traiiciendá curaret, mitterétq; cum imperio quem ipsi videretur, qui rem gereret, quoad Mutius conualuisset. Ad eam rem missus est T. Manlius torquatus, qui bis consul, censórque fuerat, subegerátque in consulatu Sardos. Sub idem ferè tempus & à Carthagine in Sardiniam classis missa duce Asdrubale, cui Caluo cognomen erat, fœda tempestate vexata ad Baleares insulas eiicitur. ibíque (adeo non armamenta modò, sed etiam aluei nauium quassati erant) subductæ naues dum reficiuntur, aliquantum temporis triuerunt. In Italia cum post Cannensem

In Sardiniā subsidia metu defectionis mittuntur.

pugnam

Campani Cumanã rẽ ſuæ ditionis facere cogitant.

pugnam fractis partis alterius viribus,alterius mollitis animis,ſegnius bellũ eſſet. Campani per ſe ad- A orti ſunt rem Cumanam ſuæ ditionis facere,primò ſolicitantes vt ab Romanis deficerent. vbi id parũ proceſsit,dolum ad capiendos eos comparant. Campanis omnibus ſtatum ſacrificium ad Hamas. eò ſenatũ Campanum venturũ certiores Cumanos fecerunt: petierúntq;,vt & Cumanus eò ſenatus veniret ad conſultandũ communiter,vt eoſdem vterq; populus ſocios,hoſtéſq; haberet. præſidiũ ibi armatum ſeſe habituros,ne quid ab Romanis noui periculi eſſet. Cumani,quanquam ſuſpecta fraus erat,nihil abnuêre,ita tegi fallax conſilium poſſe rati. Interim T. Semprouius conſul Romanus Sinueſſæ,quò ad conueniendum diem edixerat,exercitu luſtrato,tranſgreſſus Vulturnum flumen,circa Linternum caſtra poſuit. Ibi, quia ocioſa ſtatiua erant, crebro decurrere milites cogebat,vt tyrones (ea maxima pars volonum erat) aſſueſcerent ſigna ſequi, & in acie agnoſcere ordines ſuos. inter quæ concordiæ maxima erat cura duci. itaq; legatis,tribuníſq; præceperat,ne quam exprobratio cuiquam veteris fortunæ diſcordiã inter ordines fereret: vetus miles tyroni,liber voloni ſeſe exæquari ſineret. omneis ſatis honeſtos,generoſóſq; ducerent,quibus arma ſua,ſignáq; populus Romanus commiſiſſet. quæ fortuna coëgiſſet ita fieri,eandẽ cogere tueri factum. Ea nõ maiore cura præcepta ab ducibus ſunt,quàm à militibus obſeruata. breuíq; tanta cõcordia coaluerant omniũ animi,vt propè in obliuionẽ venirent,qua ex conditione quiſq; eſſet miles factus. Hæc agenti Graccho legati Cumani nunciarunt,quæ à Campanis legatio paucos ante dies veniſſet, & quid iis ipſi reſpondiſſent. Triduum poſt eum diem feſtum eſſe: nõ ſenatum ſolùm omnem ibi futurum,ſed caſtra etiam,& exercitum Campanum. Gracchus iuſſis Cumanis omnia ex agris in vrbem conuehere,& manere intra muros: ipſe pridiè quàm ſtatutum

Cãpanos opprimit Gracchus.

ſacrificium Campanis eſſet,Cumas mouet caſtra. Hamæ inde tria millia paſſuum abſunt. Iam Campani eò frequentes ex compoſito conuenerant: nec procul inde in occulto Marius Alfius, qui ſummus magiſtratus erat Campanis,cum XIIII millibus militum habebat caſtra. Is ſacrificio apparando, & Inter id inſtruendæ fraudi aliquanto intentior,quàm muniendis caſtris,aut vlli militari operi fuit. Triduum ſacrificatum ad Hamas. nocturnũ erat ſacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus inſidiandũ tempori ratus,cuſtodibus ad portas poſitis, ne quis enunciare poſſet, à ſexta ad decimam diei horam coactis militibus corpora curare,ſomnóq; operã dare,vt primis tenebris conuenire ad ſignum poſſent: vigilia fermè prima tolli iuſsit ſigna. ſilentíque profectus agmine, cùm ad Hamas media nocte perueniſſet,caſtra Campana,vt in peruigilio neglecta,ſimul omnibus portis inuadit. alios ſomno ſtratos,alios perpetrato ſacro inermes redeuntes obtruncat. Hominũ eo tumultu nocturno cæſa plus duo millia,cum ipſo duce Mario Alfio. capta ſunt ſigna militaria quatuor & triginta. Gracchus minus centum militum iactura caſtris hoſtium potitus,Cumas ſe properè recepit: Ab Annibale metuẽs,qui ſuper Capuam ad Tifata habebat caſtra. Nec eum prouida viri fefellit opinio. nam B

Annibal Cãpanis opem laturus ad Hamas venit.

ſimul Capuam ea clades eſt nunciata,ratus Annibal ab re bene geſta inſolenter lætum exercitum tyronum magna ex parte ſeruorúmq;,ſpoliantẽ victos,prædáſq; agentẽ ad Hamas ſe inuenturum, citatum agmen præter Capuam rapit: obuióſq; ex fuga Campanorũ per duo præſidia Capuam ducit: ſaucios vehiculis tolli,portaríq; iubet. ipſe ad Hamas vacua ab hoſtibus caſtra, nec quicquam præter recentis veſtigia cædis,ſtratáq; paſsim corpora ſociorum inuenit. Authores erant quidã,vt protinus inde Cumas duceret,vrbémq; oppugnaret. Id quanquam haud modicè Annibal cupiebat, vt quia Neapolim non potuerat,Cumas ſaltem maritimam vrbem haberet: tamen quia præter arma nihil ſecum miles raptim acto agmine extulerat,retro in caſtra ſupra Tifata ſe recepit. inde fatigatus Campanorũ

Annibal Cumas oppugnat.

precibus,ſequenti die cũ omni apparatu oppugnandæ vrbis,Cumas redit: populatóq; agro Cumano, mille paſſus ab vrbe caſtra locat. Tum Gracchus magis verecundia in tali neceſsitate deferẽdi ſocios implorantes fidem ſuam populíq; Romani ſubſtitit,quàm ſatis fidens exercitui. Nec alter conſul Fabius,qui ad Cales caſtra habebat, Vulturnum traducere audebat exercitum: occupatus primò auſpiciis repetendis Romæ: dein prodigiis,quæ alia ſuper alia nuntiabantur,expiantíq; ea haud facilè litari aruſpices reſpondebant. Hæ cauſæ cùm Fabium tenerent,Sempronius in obſidione erat: & iam operibus oppugnabatur. Aduerſus ligneam ingentem turrim admotam vrbi,aliam turrim ex ipſo muro excitauit conſul Romanus aliquanto altiorẽ: quia muro ſatis per ſe alto ſubiectis validis ſublicis pro ſolo vſus erat. inde primùm ſaxis,ſudibúſq;,& cæteris miſsilibus propugnatores vrbẽ ac mœnia tuebãtur. poſtremò vbi promouendo adiunctam muro viderunt turrim, facibus ardentibus plurimum ſimul

Cumani ſtationes Pœnorum fundunt, & eos in caſtra fugant.

ignem coniecerunt. quo incendio trepida armatorũ multitudo cum de turri ſeſe præcipitaret, eruptio ex oppido ſimul duabus portis facta,ſtationes hoſtiũ fudit, fugauítq; in caſtra,vt eo die obſeſſo,quàm obſidẽti ſimilior eſſet Pœnus. Ad mille CCCC Carthaginienſium cæſi: vnde quadraginta viui capti, qui circa muros, & in ſtationibus ſolutè ac negligenter agentes, cùm nihil minus quàm eruptionem timuiſſent,ex improuiſo oppreſsi ſunt. Gracchus priuſquàm ſe hoſtes ab repẽtino pauore colligerẽt, receptui ſignũ dedit,ac ſuos intra muros recepit. Poſtero die Annibal elatũ ſecunda re conſulẽ iuſto prælio ratus certaturum,aciem inter caſtra atq; vrbem inſtruxit. cæterùm poſteaquam neminẽ moueri ab

Annibal ab obſidione Cumarũ diſcedit.

ſolita cuſtodia vrbis vidit,nec committi quicquã temerariæ ſpei,ad Tifata redit infecta re. Quibus diebus Cumæ liberatæ ſunt obſidione,iiſdẽ diebus & in Lucanis ad Grumentũ T. Sempronius, cui Lon-

Hanno pulſus finibus Lucanis à T. Sempronio Longo.

go cognomen erat,cũ Hannone Pœno proſperè pugnat. ſupra duo millia hominũ occidit: & CCLXXX milites emiſit. ſigna militaria ad XLI cepit. Pulſus finibus Lucanis Hanno, retro in Brutios ſeſe recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quæ à populo Romano defecerant, vi recepta per M. Valerium prætorem. Vercellius, Siciliúſq;, authores defectionis ſecuri percuſsi. ſupra mille captiuorũ ſub haſta venierunt. præda alia militi conceſſa: exercitúſque Cumas reductus. Dum hæc in Lucanis atque in

Hirpinis

A Hirpinis geruntur, quinque naues, quæ Macedonum atque Pœnorum captos legatos Romam portabant, à supero mari ad inferum circumuectæ, propè omnem Italiæ oram cùm præter Cumas velis ferrentur, neque hostium an sociorum essent, satis sciretur, Gracchus obuiam ex classe sua naues misit. Cùm percunctando inuicem cognitum esset, consulem Cumis esse, naues Cumas appulsæ, captiuíque ad consulem deducti, & literæ datæ. Consul literis Philippi atque Annibalis perlectis, consignata omnia ad senatum itinere terrestri misit: nauibus deuehi legatos iussit. Cùm eodem ferè die literæ legatíque Romam venissent, & percunctatione facta, dicta cum scriptis congruerent, primò granis cura Patres incessit, cernentes quanta vix tolerantibus Punicum bellum, Macedonici belli moles instaret. cui tamen adeò non succubuerunt, vt extemplò agitaretur, quemadmodũ vltro inferendo bello auerterent ab Italia hostem, Captiuis in vincula conditis, comitibusque eorum sub hasta venditis, ad naues xxv, quibus Q. Fuluius Flaccus præfectus præerat, viginti paratas alias decernũt. His comparatis deductísque, & additis quinque nauibus, quæ aduexerant captiuos legatos, quinquaginta naues ad Ostia Tarentum profectæ: iussúsque Q. Fuluius militibus Varronianis, quibus L. Apustius legatus Tarenti præerat, in naues impositis, L nauium classe non tueri modò Italiæ oram, sed explorare de Macedonico bello, si congruentia literis, legatorúmque indiciis Philippi consilia essent, vt M. Valerium prætorem literis certiorem faceret: isq; L. Apustio legato exercitui præposito, Tarentum ad classem profectus, primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret: darétque operam, vt Philippum in regno contineret. Pecunia ad classem tuendam, bellúmque Macedonicum ei decreta est, quæ Ap. Claudio in Siciliam missa erat, vt redderetur Hieroni regi. & hæc per L. Apustium legatum Tarentum est deuecta. simul ab Hierone missa ducenta millia modiûm tritici, & hordei centum. Dum hæc Romani parant, agúntque, ad Philippum captiua nauis vna ex iis quæ Romam missæ erant, ex cursu fugit: inde scitum, legatos cum literis captos. itaque ignarus de iis quæ cum Annibale legatis suis conuenissent, quæque legati eius ad se allaturi fuissent, legationem aliam cum eisdem mandatis mittit. Legati ad Annibalem missi, Heraclitus, cui Scotino cognomen erat, & Crito Berreus, & Sositheus Magnes. hi prosperè tulerunt ac retulerunt mandata. sed prius se æstas circumegit, quàm mouere ac moliri quicquam rex posset. tantum nauis vna capta cum legatis momenti fecit, ad dilationem imminentis Romanis belli. Et circa Capuam, transgresso Vulturnum Fabio post expiata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant. Combulteriam, & Trebulam, & Austiculam vrbes, quæ ad Pœnum defecerant, Fabius vi cepit: Præsidiáque in iis Annibalis. Campani permulti capti. & Nolæ, sicut priore anno, senatus Romanorum, plebs Annibalis erat: consiliáque occulta de cæde principum, & proditione vrbis inibantur. Quibus ne in cœpta procederent, inter Capuam castráque Annibalis, quæ in Tifatis erant, traducto

De bello Macedonico agitant Patres.

Philippus legationem alteram mittit ad Annibalem.

Nolanus senatus Romanorũ, plebs Annibalis erat.

B exercitu, Fabius super Vesuuium in castris Claudianis consedit. inde M. Marcellum proconsulem cum iis copiis quas habebat, Nolam in præsidium misit. Et in Sardinia res per T. Manlium prætorem administrari cœptæ, quæ omissæ erant, postea quàm Q. Mutius prætor graui morbo est implicitus, Manlius nauibus longis ad Caraleis subductis, naualibúsque sociis armatis, vt terra rem gereret, & à prætore exercitu accepto, duo & viginti millia peditum, mille & ducentos equites confecit. Cum his equitum peditúmque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Harsicoræ castris castra posuit. Harsicora tum fortè profectus erat in Pellitos Sardos ad iuuentutem armandam, qua copias augeret. Filius eius nomine Hiostus castris præerat. Is adolescentia ferox temerè prælio inito fusus, fugatúsq;, ad xxx millia Sardorum eo prælio cæsa, mille trecẽti fermè viui capti. Alius exercitus primò per agros syluásque fuga palatus: dein, quò ducem fugisse fama erat, ad vrbem nomine Cornum, caput eius regionis, cõfugit, Debellatúmq; eo prælio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Asdrubale, quæ tempestate deiecta ad Baleares erat, in tempore ad spem rebellendi aduenisset. Manlius post famam appulsæ Punicæ classis Calareis se recepit. ea occasio Harsicoræ data, Pœno se iungendi. Asdrubal copiis in terram expositis, & classe remissa Carthaginem, duce Harsicora ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Calareis peruenturus erat, ni Manlius obuio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primò castra castris modico interuallo sunt obiecta, deinceps procursationes leuiáque certamina vario euentu inita: postremò descensum in aciem, signísque collatis iusto prælio per quatuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Pœni, Sardis facile vinci assuetis fecerunt: postremò & ipsi, cùm omnia circà strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi. cæterùm terga dantes circunducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus: cædes inde magis, quàm pugna fuit. Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum simul, Pœnorúmque fermè III millia, & DCCC capti, & signa militaria septem & viginti. Ante omnia claram & memorabilem pugnam fecit Asdrubal imperator captus, & Hanno, & Mago, nobiles Carthaginienses: Mago ex gente Barchina, propinqua cognatione Annibali iunctus: Hanno author rebellionis Sardis, bellíque eius haud dubiè concitator. Nec Sardorum duces minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt. nam & filius Harsicoræ Hiostus in acie cecidit: & Harsicora cum paucis equitibus fugiens, vt super afflictas res necem quoque filii audiuit: nocte, ne cuiusquam interuentus cœptum impediret, mortem sibi consciuit. Cæteris vrbs Cornus eadem, quæ antè, fugæ receptaculum fuit. quam Manlius victore exercitu aggressus, intra paucos dies recepit. Deinde aliæ quoque ciuitates, quæ ad Harsicoram Pœnósque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese quibus stipendio frumentóque imperato pro cuiusque aut viribus, aut delicto, Calareis exercitum reduxit. ibi nauibus longis deductis, impositóq; quem secum aduexerat milite, Romam nauigat, Sardiniámq; perdomitam nunciat patribus: & stipendium quæstoribus, & frumentũ ædilibus, captiuósq; Fuluio prætori tradidit. Per idem tẽpus T.

Sardorum 30000. à T. Mãlio cæsa.

Sardi debellantur à T. Manlio, captis Pœnorum nobilissimis.

Sardinia perdomita T. Manlius Romam cum exercitu redit.

Octacilius

Octacilius prætor quinquaginta nauium ab Lilybæo classe in Africam transuectus, depopulatúsque A agrum Carthaginiensem, cum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Asdrubalem à Balearibus nuper traiecisse, classi Africam repetenti occurrit: leuique armatura certamine in alto commisso, septem inde naues cum sociis naualibus cepit. cæteras metus haud secus, quàm tempestas passim disiecit. Per eosdem fortè dies & Bomilcar cum militibus ad supplementum Carthagine missis, quadragintáque elephantis, & commeatu, Locros accessit. quem vt incautum opprimeret Ap. Claudius, per simulationem prouinciæ circumeundæ Messanam raptim exercitu ducto, æstu secundo Locros traiecit. Iam inde Bomilcar ad Hannonem in Brutios profectus erat, & Locrenses portas Romanis clauserunt. Appius magno conatu nulla re gesta, Messanam repetit. Eadem æstate Marcellus ab Nola, quam præsidio obtinebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum, & Samnites Caudinos fecit. adeóque omnia ferro atque igni vastauit, vt antiquarum cladium Samnio memoriam renouaret. itaque extemplò legati ad Annibalem missi simul ex vtraque gente, ita Pœnum allocuti sunt. Hostes populi Romani, Annibal, fuimus primùm per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterát. posteaquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus, à quo relicti, pacem necessariam accepimus, fuimúsque in ea per annos propè quinquaginta, ad id tempus quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunáque, quàm vnica comitas ac benignitas erga ciues nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliauit tibi, vt te saluo atque incolumi amico, non modò populum Romanum, sed ne deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At Hercule non solùm incolumi & victore, sed præsente te, cum ploratum propè coniugum ac liberorum nostrorum exaudire, & flagrantia tecta posses conspicere: ita sumus aliquoties hac æstate deuastati, vt M. Marcellus, non Annibal vicisse ad Cannas videatur: glorientúrque Romani, te ad vnum modò ictum vigentem, velut iaculo emisso torpere. Per centum propè annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adiuti nec duce, nec exercitu: nisi quòd per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quàm suis viribus nos defendit. Non ego secundis rebus nostris gloriabor: duos consules, ac duos consulares exercitus à nobis sub iugum missos: & si qua alia aut læta aut gloriosa nobis euenerunt. quæ aspera aduersáque tunc acciderunt, minore indignatione referre possumus, quàm quæ hodie eueniunt. Magni dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros. antè exploratò, & subsidiis positis, & sub signis ad populandum ducebant. nunc propè vnius & parui ad tuendam Nolam præsidii præda sumus. iam ne manipulatim quidem, sed latronum modo percursant totis finibus nostris negligentius, quàm si in Romano vagarentur agro. Causa autem hæc est, quòd neque tu defendis: & nostra iuuentus, quæ si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim: nisi à quo tot Romanas B acies fusas, stratásque esse sciam, ei facile esse ducam opprimere populatores nostros vagos, sine signis, palatos, quò quenque trahit quamuis vana prædæ spes. Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, præsidiúmque missum nobis erit, & Nolæ ademeris: si modò quos vt socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis. Ad ea Annibal respondit: Omnia simul facere Hirpinos, Samnitésque: & indicare clades suas, & petere præsidium, & queri indefensos se, neglectósque. Indicandum autem fuisse primùm, deinde petendum præsidium: postremò ni impetraretur, tum denique querendum frustra opem imploratam. Exercitum se non in agrum Hirpinum, Samnitémve, ne & ipse oneri esset, sed in proxima loca sociorum populi Romani adducturum: is populandis & militem suum repleturum se, & metu procul ab iis summoturum hosteis. Quod ad bellum Romanum attineret, si Thrasymeni quàm Trebiæ, si Cannarum quàm Thrasymeni pugna nobilior esset: Cannarum se quoque memoriam obscuram maiore & clariore victoria facturum. Cum hoc responso, muneribúsque amplis legatos dimisit. ipse præsidio modico relicto in Tifatis, profectus cum cætero exercitu ire Nolam pergit. Eódem Hanno ex Brutiis cum supplemento Carthagine aduecto, atque elephantis venit. ibi castris haud procul positis, longè alia omnia inquirenti comperta sunt, quàm quæ à legatis sociorum audierat. Nihil enim Marcellus ita gerebat, vt aut fortunæ, aut temerè hosti commissum dici posset. exploratò, cum firmísque præsidiis tuto receptu prædatum ierat: omniáque velut aduersus præsentem Annibalem cauta prouisáque fuerunt. tum vbi sensit hostem aduentare, copias intra mœnia tenuit: per muros inambulare senatores Nolanos iussit, & omnia circà explorare, quæ, apud hostes fierent. Ex iis Hanno, cùm ad murum successisset, Herennium Bassum, & Herium Petrium ad colloquium euocatos, permissúque Marcelli egressos, per interpretem alloquitur. Annibalis virtutem, fortunámque extollit: populi Romani obterit senescentem cum viribus maiestatem. quæ si paria essent, vt quondam fuissent, tamen expertis quàm graue Romanum imperium sociis, quanta indulgentia Annibalis etiam in captiuos omnes Italici nominis fuisset: Punicam Romanæ societatem atque amicitiam præoptandam esse. Si ambo consules cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis pares Annibali futuros, quàm ad Cannas fuissent: nedum prætor vnus cum paucis & nouis militibus Nolam tutari possit. Ipsorũ magis, quàm Annibalis interesse, capta an tradita Nola potiretur. potiturũ enim, vt Capua Nuceriáq; potitus esset, sed quid inter Capuæ Nuceriæque fortunam interesset, ipsos propè in medio sitos Nolanos scire. Nolle ominari quæ captæ vrbi cessura forent: sed potius spondere, si Marcellum cum præsidio ac Nolam tradidissent, neminem alium quàm ipsos, legem, qua in societatem amicitiámque Annibalis venirent, dicturum. Ad ea Herennius Bassus respondit: Multos annos iam inter Romanum Nolanúmque populum amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem pœniteret: & sibi si cum fortuna mutanda fides fuerat, sero iam esse mutare eam

Legatorum Samnitiũ ad Annibalem oratio.

Annibalis ad Samnites responsio.

Annibal cũ exercitu Nolam oppugnaturus accessit.

Annonis cũ Nolanis colloquium.

A eam. deditoris se Annibali, non fuisse accersendum Romanum præsidium. cùm iis qui abse tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad vltimum fore. Hoc colloquium abstulit spem Annibali per proditionem recipiendæ Nolæ. itaque oppidum corona circundedit, vt simul ab omni parte mœnia aggrederetur. Quem vt successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie cum magno tumultu erupit. Aliquot primo impetu perculsi, cæsique sunt. deinde concursu ad pugnam facto, æquatísque viribus, atrox cœpit esse pugna. memorabilísque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes. Eo die commisso modico certamine, atque irritatis animis, in vrbem Romani, Pœni in castra sese receperunt. tamen Pœnorum prima eruptione perculsi ceciderunt haud plus quàm triginta: Romanorum nullus. Imber continens per noctem totam vsque ad horam tertiam diei insequentis tenuit. itaque quanquam vtraque pars auida certaminis erat, eo die tamen tenuerunt sese munimentis. tertio die Annibal partem copiarum prædatum in agrum Nolanum misit. Quod vbi animaduertit Marcellus, extemplò in aciem copias eduxit: neque Annibal detrectauit. Mille ferè passuum inter vrbem erant, castráque. eo spatio (& sunt omnia campi circa Nolam) concurrerunt. Clamor ex parte vtraque sublatus, proximos ex cohortibus iis quæ in agros prædatum exierant, ad prælium iam commissum reuocauit. Et Nolani aciem Romanam auxerunt. quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare, & saucios ex acie efferre iussit: pugna abstinerent, nisi ab se signum accepissent. Prælium erat anceps. summa vi & duces adhortabantur, & milites pugnabant. Marcellus victis ante diem tertium, fugatis ante paucos dies à Cumis, pulsis priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare iubet. Non omnes esse in acie, prædanteis vagari in agro. sed qui pugnant, marcere Campana luxuria, vino, scortis, omnibúsque lustris per totam hyemem confectos. abisse illam vim, vigorémque: dilapsa esse robora corporum animorúmque, quibus Pyrenæi, Alpiúmque superata sint iuga. reliquias illorum virorum, vix arma, membráque sustinenteis pugnare. Capuam Annibali Cannas fuisse. ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam. Cùm hæc exprobrando hosti Marcellus suorum militum animos erigeret, Annibal multo grauioribus probris increpabat. Arma signáque eadem se aiebat noscere, quæ ad Trebiam, Thrasymenúmque, postremò ad Cannas vidérit, habuerítque, militem alium profectò se in hyberna Capuam duxisse, alium inde eduxisse. Legatúmne Romanum, & legionis vnius atque alæ, magno certamine vix toleratis pugnam, quos binæ acies consulares nunquam sustinuerunt? Marcellus tyrone milite, ac Nolanis subsidiis inultus nos iam iterum lacessit? Vbi ille meus miles est, qui erepto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit? vbi, qui L. Paulum ad Cannas occidit? ferrum nunc hebet? an dexteræ torpent?
B an quid prodigii est aliud? Qui pauci plures vincere soliti estis, nunc paucis plures vix restatis? Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua iactabatis. en nunc minor res est. hic experiri vim, virtutémque volo. expugnate Nolam, campestrem vrbem, non flumine, non mari septam. hinc vos ex tam opulenta vrbe præda spoliísque onustos vel ducam quò voletis, vel sequar. Nec bene, nec malè dicta profuerunt ad confirmandos animos. Cùm omni parte pellerentur, Romanísque crescerent animi, non duce solùm adhortante, sed Nolanis etiam per clamorem fauoris indicem accendentibus ad ardorem pugnæ, terga Pœni dederunt, atque in castra compulsi sunt. quæ oppugnare cupientes milites Romanos, Marcellus Nolam reducit cum magno gaudio, & gratulatione etiam plebis, quæ antè inclinatior ad Pœnos fuerat. Hostium plus mille cæsi eo die, capti mille D C. & signa militaria vndeuiginti, & duo elephanti, quatuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. Posterum diem induciis datis, sepeliendo vtrinque cæsos in acie, consumpserunt. Spolia hostium Marcellus Vulcano votum cremauit. Tertio pòst die (ob iram credo aliquam, aut spem liberalioris militiæ) mille CCLXXII equites, misti Numidæ Hispaníque, ad Marcellum transfugerunt. eorum forti fidelique opera in eo bello vsi sunt sæpe Romani. Ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum virtutis causa datus est. Annibal ab Nola remisso in Brutios Hannone, cum quibus venerat copiis, ipse Apuliæ hyberna petit, circáque Arpos consedit. Q. Fabius vt profectum in Apuliam Annibalem audiuit, frumento ab Nola Neapolíque in ea castra conuecto, quæ super Suessulam erant, munimentísque firmatis, & præsidio quod per hyberna ad tutandum locum satis esset relicto, ipse Capuam propius mouit castra, agrúmque Campanum ferro ignique est depopulatus, donec coacti sunt Campani nihil admodum viribus suis fidentes egredi portis, & castra ante vrbem in aperto communire. Sex millia armatorum habebant, peditem imbellem, equitatu plus poterant. itaque equestribus præliis lacessebant hostem. Inter multos nobiles equites campanos acerrimus erat Iubellius, cognomine Taurea: ciuis indidem erat, longè omnium Campanorum fortissimus eques: adeò, vt cùm apud Romanos militaret, vnus eum Romanus, Claudius Asellus gloria equestri æquaret. Hunc Taurea cùm diu perlustrans oculis obequitasset hostium turmis, tandem facto silentio, vbi esset Claudius Asellus quæsiuit. & quoniam verbis secum de virtute ambigere solitus esset, cur non ferro decerneret? darétque opima spolia victus? aut victor caperet? Hæc vbi Asello nuntiata sunt in castra, id modò moratus, vt consulem percunctaretur, liceretne extra ordinem in prouocantem hostem pugnare? permissu eius arma extemplò cepit: prouectúsque ante stationes equo, Tauream nomine compellauit, congredíque vbi vellet iussit. Iam Romani ad spectaculum pugnæ eius frequentes exierat. & Campani non vallum modò castrorum, sed mœnia etiam vrbis prospectantes repleuerunt. Cùm iam antè ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos, dein libero spatio inter se ludificantes, sine vulnere pugnam extrahebant.

Tum

Annibal Nolam oppugnat.

Marcellus copias suas in aciem educit aduersus Annibalem.

Anceps prælium inter Pœnos & Marcelli exercitum.

Pœni terga dederunt.

Annibalis equites 1272 ad Marcellum transfugiunt.

Campanum agrum Q. Fabius depopulatur.

Iubellij Campani equitis & Cl. Aselli Romani, equestris pugna.

Vnde natū prouerbiū, Canterii in fossa.

Literæ à Scipionibus ex Hispania ad Senatū missæ.

Tnm Campanus Romano, Equorum, inqnit, hoc, non eqnitum erit certamen, nisi è campo in cauam A hanc viam demittimus equos: ibi nullo ad euagandum spatio cominus conserentur manus. Dicto propè citius equum in viam Claudius egit. Tanrea verbis ferocior quàm re, Minimè sis, inquit, canterium in fossa: quæ vox in rusticum inde prouerbiū prodita. Claudius cum ex via longè perequitasset, nullo obuio hoste in campum rursus euectus, increpans ignauiam hostis, cum magno gaudio & gratulatione victor in castra redit. Huic pugnæ equestri rem, quam satis certam, communis existimatio est, mirabilem certè, adiiciunt quidam annales: cùm refugientem ad vrbem Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium portæ inuectum, per alteram stupentibus miraculo hostibus intactum euasisse. Quieta inde statiua fuere, ac retro etiam consnl mouit castra, vt sementem Campani facerent: nec antè violauit agrum Campanum, quàm iam altæ in segetibus herbæ pabulum præbere poterant. id conuexit in Claudiana castra super Suessulam, ibíque hyberna ædificauit. M. Claudio proconsuli imperauit, vt retento Nolæ necessario ad tuendam vrbem præsidio, cæteros milites dimitteret Romam, ne oneri sociis, & sumptui Reipublicæ essent. Et T. Gracchus à Cumis Lnceriam in Apuliam legiones dum duxisset, M. Valerium inde prætorem Brundusium cum eo quem Luceriæ habuerat, exercitu misit, tueríque oram agri Salentini, & prouidere quod ad Philippum bellúmque Macedonicum attineret, iussit. Exitu æstatis eius, qua hæc gesta perscripsimus, literæ à P. & Cn. Scipionibus venerunt, quantas, quámque prosperas in Hispania res gessissent: sed pecuniam in stipendium, vestimentáque, & frumentum exercitui, & sociis naualibus omnia deesse. quod ad stipendium attineat, si ærarium inops esset, se aliqnam rationem inituros, quo modo ab Hispanis sumant. cætera vtique ab Roma mittenda esse: nec aliter aut exercitum, ant prouinciam retineri posse. Literis recitatis, nemo omnium erat, qui non & vera scribi, & postulari æqua fateretur. sed occurrebat animis, quantos exercitus terrestres, naualésque tuerentur, quantáque noua classis mox paranda esset, si bellum Macedonicum moueretur. Siciliam ac Sardiniam, quæ ante bellum vectigales fuissent, vix præsides prouinciarum exercitus alere, tributo sumptus suppeditari. verùm cnm ipsum tributum conferentium numerum tantis exercituum stragibus & ad Thrasymenum lacum, & ad Cannas, imminutum: tum qui superessent panci, si multiplici grauarentur stipendio, alia perituros peste. itaque nisi fide staret Respublica, opibus non staturi. Prodeundum in concionem Fuluio prætori esse, indicandásque populo publicas necessitates, exhortandósque, qui redempturis auxissent patrimonia, vt Reipublicæ, ex qua creuissent, ad tempus commodarent: conduceréntq; ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent: vt cùm pecunia in ærario esset, iis primis solueretur. Hæc prætor in concione edixit, qua die vestimenta, frumentum, Hispaniensi exercitui præbenda, quæque alia opus essent naualibus sociis, esset locaturus. Vbi ea dies venit, ad conducendum tres societates aderant hominum vndeuiginti. quorum duo postulata B fuere: vnum, ne alii triennio eo publicani essent: alterum, vt quæ in naues imposuissent, ab hostium tempestatísque vi publico periculo essent. Vtroque impetrato, conduxerunt, priuatáque pecunia respublica administrata est. Hi mores, eáqne charitas patriæ per omnes ordines, velut tenore vno pertinebat. Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita: nec quicquam desideratum, ac si ex opnlento ærario, vt quondam, alerentur. Cùm hi commeatus venerunt, Illiturgi oppidum ab Asdrubale, ac Magone, & Amilcare Bomilcaris filio, ob defectionem ad Romanos oppugnabatur. Inter hæc terna castra hostium Scipiones cùm in vrbem sociorū magno certamine ac strage obsistentium peruenissent, frumentum, cuins inopia erat, aduexerunt. cohortatíque oppidanos, vt eodem animo mœnia tutarentur, quo pro se pugnantem Romanum exercitum vidissent, ad castra maxima oppugnanda, quibus Asdrubal præerat, dncunt. Eodem & duo duces, & duo exercitus Carthaginiensium, ibi rem snmmam agi cernentes, connenerunt. itaque eruptione è castris pugnatum est. LX hostium millia eo die in pugna fuerunt, sexdecim circiter Romanis. Tamen adeò haud dubia victoria fuit, vt plures numero, quàm ipsi erant, Romani hostium occiderint, ceperint amplius tria millia hominum, paulominus mille equorum, vndesexaginta militaria signa, elephantis V in prælio occisis. ternísqne castris eo die potiti sunt. Illiturgi obsidione liberato, ad Incibili oppugnandnm Punici exercitus traducti, suppletis copiis ex prouincia, vt quæ maximè omnium belli anida, modò præda aut merces esset, & tum iuuentute abundante. Iterum signis collatis eadem fortuna vtriusque partis pugnatum. supra XIII millia hostium cæsa, supráque tria capta, cum signis duobns & XL, & nouem elephantis. Tum verò omnes propè. Hispaniæ populi ad Romanos defecerunt. multóque maiores ea æstate in Hispania, quàm in Italia res gestæ.

Priuata pecunia conducuntur quæ ad exercitū Hispaniensem opus essent.

Illiturgi oppidum à Pœnis obsidetur.

Scipiones prosperè pugnauerunt aduersus tres Pœnorū exercitus.

Scipionum altera victoria, contra eosdem Pœnorum exercitus.

DECADIS TERTIAE LIBER QVARTVS.

Hieronymus Syracusanorum rex, cuius auus Hiero amicus populo Romano fuerat, ad Carthaginienses defecit: & propter crudelitatem superbiámque à suis interfectus est. T. Sempronius Gracchus Procos. prosperè aduersus Pœnos & Hannonem ducem ad Beneuentum pugnauit, seruorum maximè opera, quos liberos esse iussit. Claudius Marcellus Cos. in Sicilia, quæ propè tota ad Pœnos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est. qui ad Apolloniam nocturno prælio oppressus, fugatúsque, in Macedoniam cum propè inermi exercitu perfugit. ad id bellum gerendum Valerius Pr. missus est. Res præterea in Hispania à P. & Cn. Scipionibus aduersus Carthaginienses gestas continet. Syphax rex Numidarum in amicitiam ascitus contra Masinissam regem Masæsulorum pro Carthaginiensibus pugnans, victus, in Hispaniam ad Scipionem cum maxima manu transit contra Gades: ubi angusto freto Africa & Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt, quorum auxilijs accitis, tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

A T ex Campania in Brutios reditum est, Hanno adiutoribus & ducibus Brutiis Græcas vrbes tentauit, eo facilius in societate manẽtes Romana, quòd Brutios, quos & oderant & metuebant, Carthaginiensium partis factos cernebant. Rhegium primum tentatum est, diésque aliquot ibi nequicquam absumpti. Interim Locrenses frumentum, lignáq;, & cætera necessaria vsibus ex agris in vrbem rapere, etiam ne quid relictum prædæ hostibus esset: & in dies maior omnibus portis multitudo effundi. postremò ii modò relicti in vrbe erant, qui reficere muros ac portas, teláque in propugnacula congerere cogebantur. In permistam omnium ætatum ordinúmque multitudinem, & vagãtem in agris magna ex parte inermem Amilcar Pœnus equites emisit. qui violare quenquam vetiti, tantùm vt excluderent ab vrbe fuga dissipatos, turmas obiecêre. Dux ipse loco superiore castra ponit, vnde agros, vrbémque posset conspicere. Brutiorum cohortem adire muros, atque euocare principes Locrensium ad colloquium iussit, & pollicentes amicitiam Annibalis, adhortari ad vrbem tradendam. Brutiis in colloquio nullius rei primò fides erat: deinde vt Pœnus apparuit in collibus, & refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant, tum metu victi consulturos se populum responderunt. aduocatáque extemplò concione, cùm & leuissimus quisque nouas res, nouámque societatem mallet: & quorum propinqui extra vrbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis, pignoratos haberent animos: pauci magis taciti probarent constantem fidem, quàm probatam tueri auderent: haud dubio in speciem consensu fit ad Pœnos deditio. L. Attilio præfecto præsidii, quíque cum eo milites Romani erant, clàm in portum deductis, atque impositis in naueis, vt Rhegium deueherentur: Amilcarem, Pœnósque ea conditione, vt fœdus extemplò æquis legibus fieret, in vrbem acceperunt. Cuius rei propè non seruata fides deditis est, cùm Pœnus dolo dimissum Romanum incusaret: Locrenses profugisse ipsum causarentur. Insecuti etiam equites sunt, si quo casu in freto æstus morari, aut deferre naues in terram posset. & eos quidem, quos sequebantur, nõ sunt adepti. aliàs à Messana traiicienteis freto Rhegium naues conspexerunt. milites erant Romani à Claudio prætore missi ad obtinendam vrbem præsidio. itaque Rhegio extemplò abscessum est. Locrensibus iussu Annibalis data pax, vt liberi suis legibus viuerent: vrbs pariter, & portus in potestate Locrensium esset: societas eo iure staret, vt Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace ac bello iuuaret. Sic à freto Pœni reducti, frementibus Brutiis, quòd Rhegium ac Locros, quas vrbes direpturos se destinauerant, intactas reliquissent. Itaque per se ipsi conscriptis armatisque iuuentutis suæ x v millibus, ad Crotonem oppugnandum pergunt ire, Græcam & ipsam vrbem, & maritimam: plurimum accessurum opibus, si in ora maris portum ac vrbem mœnibus validam tenuissent,
B credentes. Ea cura angebat, quod neque non accersere ad auxilium Pœnos satis audebãt, ne quid non pro sociis egisse viderentur: & si Pœnus rursus magis arbiter pacis quàm adiutor belli fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut antè Locrorum, frustra pugnaretur. itaque optimum visum est, ad Annibalem mitti legatos: cauerique ab eo, vt receptus Croto Brutiorum esset. Annibal cum præsentium eam consultationem esse respondisset, & ad Hannonem eos reieciisset, ab Hannone nihil certi allatum. nec enim diripi volebant nobilem atque opulentam vrbem: & sperabant, cum Brutius oppugnaret, Pœnos nec probare, nec iuuare eam oppugnationem appareret, eo maturius ad se defecturos. Crotone nec consilium vnum inter populares, nec voluntas erat. Vnus velut morbus inuaserat omnes Italiæ ciuitates, vt plebes ab optimatibus dissentirent: senatus Romanis faueret, plebs ad Pœnos rem traheret. Eam dissentionem in vrbe perfuga nuntiat Brutiis, Aristomachum esse principem plebis, tradendæque authorem vrbis: & in vasta vrbe, latæque omnibus disiectis mœnibus partitas stationes custodiásque senatorum ac plebis esse. quácunque custodiant plebis homines, eà patère aditum. Authore ac duce perfuga Brutii corona cinxerũt vrbem: acceptiq; à plebe primo impetu locos omnes, præter arcem, cepere. Arcem optimates tenebant, præparato iam antè ad talem casum perfugio. Eódem Aristomachus perfugit, tanquam Pœnis, non Brutiis author vrbis tradendæ fuisset. Vrbs Croto murum in circuitu patentem x i i millia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam aduentum. post vastitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur. flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis quæ inhabitabantur. sex millia aberat ab vrbe nobile templum, ipsa vrbe nobilius, Laciniæ Iunonis, sanctum omnibus circà populis. lucus ibi frequẽti syluа, & proceris abietis arboribus septus. læta in medio pascua habuit, vbi omnis generis sacrũ deæ pascebatur pecus sine vllo pastore: separatímque egressi cuiusque generis greges, nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, nõ fraude violati hominum. magni igitur fructus ex eo pecore capti: columnáque inde aurea solida facta, & sacrata est: inclytúmque templum diuitiis etiam, non tantùm sanctitate fuit. Ac miracula aliqua affinguntur plerunq; tam insignibus locis. Fama est, aram esse in vestibulo templi, cuius cinerem nullus vnquam moueat ventus. Et arx Crotonis vna parte imminet mari, altera vergente in agrum, situ tantùm naturali quondam munita, postea & muro cincta, quà per auersas rupes ab Dionysio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta. Eam tum arcem satis, vt videbatur, tutam Crotoniatum optimates tenebant, circunsedente cum Brutiis eos etiam plebe sua. Postremo Brutii, cùm suis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti necessitate Hannonis auxilium implorant. Is conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, vt coloniam Brutiorum eò deduci, antiquámque frequentiam eorum recipere vastam ac desertam bellis vrbem paterentur, omnium neminem præter Aristomachum mouit. morituros se affirmabant citius, quàm immisti Brutiis in alienos ritus, mores, legésque, ac mox linguam etiam verterentur. Aristomachus

Hãno ad defectionẽ sollicitat Græcas in Brutiis vrbes.

Locrensium multitudinẽ in agris vagantem intercipit Amilcar.

Locrensium ad Pœnos deditio.

Crotonem Brutii oppugnare statuunt.

In omnibus Italiæ ciuitatibus plebes ab optimatibus dissentiebant.

Brutii Crotonem præter arcẽ occupant.

Crotonis ambitus.

Laciniæ Iunonis templum.

vnus, quando nec suadendo ad deditionem satis valebat: nec sicut vrbem prodiderat, locum prodendæ arcis inueniebat, transfugit ad Hannonem. Locrenses breui pòst legati cùm permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, vt traduci se in Locros paterentur, nec vltima experiri vellent. iam hoc vt sibi liceret, impetrauerant & ab Annibale, missis ad idipsum tum legatis. Ita Crotone excessum est: deductíque Crotoniatæ ad mare, naues conscendunt. Locros omnis multitudo abeunt. In Apulia ne hyems quidem quieta inter Romanos atque Annibalem erat. Luceriæ Sempronius consul, Annibal haud procul Arpis hybernabat. Inter eos leuia prælia ex occasione, aut opportunitate huius aut illius partis oriebantur: meliórque eis Romanus, & in dies cautior, tutiórque ab insidiis fiebat. In Sicilia Romanis omnia mutauerat mors Hieronis, regnúmque ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum vixdum libertatem, nedum dominationem modicè laturum. Lætè id ingenium tutores atq; amici ad præcipitandum in omnia vitia acceperunt. Quæ ita futura cernens Hiero, vltima senecta voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili per ludibrium bonis artibus partum firmatúmque interiret regnum. Huic consilio eius summa ope obsistere filiæ: nomen regium penes puerum futurum ratæ, regimen rerum omnium penes se, virósque suos, Andronodorum, & Zoilum: nam ii tutorum primi relinquebantur. Non facile erat nonagesimum iam agenti annum, circunsesso dies noctésque muliebribus blanditiis liberare animum, & conuertere ad publicam priuatámque curam. Itaque tutores numero quindecim puero reliquit. quos precatus est moriens, vt fidem erga populum Romanum quinquaginta annos ab se cultam inuiolatam seruarent, iuuenémque suis potissimum vestigiis insistere vellent: disciplinæque, in qua edoctus esset. Post hæc mandata cùm expirasset, tutores prodeunt: testamento prolato, pueróque in concionem producto, (erat autem x v tunc fermè annorum) paucis, qui per concionem ad excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testamentum, cæteris velut patre amisso in orba ciuitate omnia timentibus: funus fit regium magis amore ciuium & charitate, quàm cura suorum celebre. Deinde cæteros tutores summouet Andronodorus: iuuenem iam esse dictitans Hieronymum, ac regni potentem: deponendóque tutelam, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se vnum omnium vires conuertit. Vix quidem vlli bono, moderatóq; regi facilis erat fauor apud Syracusanos, succedenti tanta charitate Hieronis. verùm enimuero Hieronymus, velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet auum, primo statim conspectu omnia quàm disparia essent, ostendit. nam qui per tot annos Hieronem, filiúmque eius Gelonem, nec vestis habitu, nec alio vllo insigni differentes à cæteris ciuibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos: quadrigísq; etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem, more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum apparatum, habitúmque cõuenientes sequebantur mores: contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta: aditus non alienis modò, sed tutoribus etiam difficilis: libidines nouæ, inhumana crudelitas. itaque tantus omneis terror inuaserat, vt quidam ex tutoribus aut morte voluntaria, aut fuga præuerterent metum suppliciorum. Tres ex iis, quibus solis aditus in domum familiarior erat, Andronodorus & Zoilus, generi Hieronis, & Thraso quidam, de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur. Tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam, certamine ac studiis interdum in se conuertebant animum adolescentis. Coniuratio in tyranni caput facta indicatur per Calonem quendam æqualem Hieronymi, & iam inde à puero in omnia familiaria iura assuetum. Index vnus ex coniuratis Theodorum, à quo ipse appellatus erat, nominare potuit. qui comprehensus extemplò, traditúsq; Andronodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat. postremò cùm omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum malis se simulans, auertit ab consciis in insontes indicium, Thrasonem esse authorem consilii mentitus. nec nisi tam potenti duce cõfisos, rem tantam ausuros. ab latere inde eos nominat tyranni, quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitúsque occurrêre. Maximè animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit. itaque extemplò traditur ad supplicium. adiectíque pœnæ cæteri iuxtà insontes. Consciorum nemo, cùm diu socius consilii torqueretur, aut latuit, aut fugit: tantum illis in virtute ac fide Theodori fiduciæ fuit, tantúmque ipsi theodoro virium ad arcana occultanda. Itaque, quod vnum vinculum cum Romanis societatis erat, Thrasone sublato è medio, extemplò haud dubiè ad defectionem res spectabat. legatíque ad Annibalem missi, ac remissi ab eo cum Annibale nobili adolescentulo, Hippocrates & Epicides nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exule auo, Pœni ipsi materno genere. per hos iuncta societas Annibali, ac Syracusano tyranno. nec inuito Annibale apud tyrannũ manserunt. App. Claudius prætor, cuius Sicilia prouincia erat, vbi ea accepit, extemplò legatos ad Hieronymum misit. qui cùm sese ad renouandam societatem, quæ cum auo fuisset, venisse dicerent, per ludibrium auditi, dimissíque sunt ab quærente per iocum Hieronymo, quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas fuisset. vix credibilia enim legatos Annibalis narrare. velle quid veri sit scire, vt ex eo vtram spem sequatur, consilium capiat. Romani, cum seriò legationes audire cœpisset, redituros se ad eum dicentes esse: monito magis eo, quàm rogato, ne fidem temerè mutaret, proficiscuntur. Hieronymus legatos Carthaginem misit ad fœdus ex societate cum Annibale faciendum. Pacto conuenit, vt cùm Romanos Sicilia expulissent (id autem breui fore, si naues atque exercitum misissent) Himera amnis, qui fermè insulam diuidit, finis regni Syracusani ac Punici imperii esset. Aliam deinde inflatus assentationibus eorum qui eum non Hieronis tantùm, sed Pyrrhi etiam regis materni aui iubebant meminisse, legationem misit: quia æquum censebat, Siciliam sibi omnem cedi: Italiæ imperium propriũ quæri Carthaginiensi populo. Hanc leuitatem ac iactationem animi neque mirabantur in iuuene furioso, neque arguebant,

Crotoniatæ in Locros traducũtur.

Hieronymus Hieronis nepos Syracusarũ rex in Sicilia omnia turbauit

Hieronymi Syracusani regis tyrannici mores.

Coniuratio in Hieronymum facta, & indicata.

Hieronymus deficit à Romanis ad Annibalem.

Hieronymus legatos mittit Carthaginem.

A

B

A arguebant,dummodo auerterent eum ab Romanis. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt. nam cùm præmissis Hippocrate atque Epicide cum binis millibus armatorum ad tentendas vrbes, quæ præsidiis tenebantur Romanis,& ipse in Leontinos cum cætero omni exercitu (erant autem ad x v millia peditum equitúmque) profectus esset: liberas ædes coniurati (& omnes fortè militabant) imminentes viæ angustæ,qua descendere ad forum rex solebat, sumpserunt. ibi, cùm instructi armatique cæteri transitum expectantes starent, voi ex eis (Indigemioi fuit nomen) quia custos corporis erat,partes datæ sunt, vt cùm appropinquaret ianuæ rex, per causam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita, vt conuenerat, factum est. tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo, moratus turbam Indigemines,tantū interualli fecit,vt cùm in prætereuntem sine armatis regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus, quàm succurri posset. Clamore & tumultu audito, in Indigeminem iam haud dubiè obstantem tela coniiciuntur: per quæ tamen,duobus acceptis vulneribus,euasit.fuga satellitum,vt iacentem vidêre regem,facta est.interfectores pars in forum in multitudinem lætam libertate, pars Syracusas pergunt ad præoccupanda Andronodori, regiorúmque aliorum consilia.Incerto rerum statu,Ap.Claudius bellum oriens ex propinquo cùm cerneret, senatum literis certiorem fecit, Siciliam Carthaginiensi populo & Annibali conciliari. ipse aduersus Syracusana consilia prouinciam,regníque fines,omnia conuertit præsidia. Exitu anni eius Q.Fabius ex authoritate senatus Puteolos,per bellum cœptum frequentari emporium,communiit, præsidiúmque imposuit.inde Romam comitiorum causa veniens, in eum quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit. atque ex itinere præter vrbem in campum descendit. Eo die cùm sors prærogatiuæ antè iuniorum exisset,eáque T.Octacilium,& M.Aemylium Regillum c o s s.diceret, tum Q.Fabius silentio facto,tali oratione est vsus.

Hieronymus à coniuratis interficitur.

Si aut pacem io Italia,aut bellum cum eo hoste haberemus, in quo negligentiæ aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in campum ad mandandos quibus velitis honores affertis, moram vllam offerret,is mihi parum meminisse videretur vestræ libertatis.sed cùm in hoc bello cum hoste ounquam ab vllo duce sine ingenti nostra clade erratum sie: eadem vos cura, qua in aciem armati descēditis,inire suffragium ad creandos c o s s.decet,& sibi sic quenque dicere, Annibali imperatori parem consulem nomioo. Hoc anno ad Capuam Iubellio Taureæ Campano summo equiti prouocanti, summus Romanus eques Asellus Claudius oppositus. Aduersus Gallum quondam prouocantem io ponte Anienis, Manlium fidentem & animo & viribus misere maiores nostri.Ob eandem causam haud multis annis pòst fuisse non negauerim,cur M. Valerio non diffideretur,aduersus similiter prouocantem arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodum pedites equitésque optamus vt validiores,si minus,vt pares hosti habeamus: ita duci hostium parem imperatorem quæramus.

Q.Fabij oratio de creandis cō sulibus.

B Cùm,qui est summus in ciuitate dux,eum legerimus: tum repentè lectns, in annum creatus aduersus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis neque iuris inclusum angustiis,quominus ita omnia gerat administrétque, vt tempora postulabunt belli: nobis autē in apparatu ipso,ac tantùm inchoantibus res,annus circumagitur.Quoniam quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum: restat vt pauca de eis,in quos prærogatiuæ fauor inclinauit, dicam.M.Aemylius Regillus flamen est Quirinalis, quem neque mittere à sacris, neqne retinere possumus: vt non deûm, aut belli deseramus curam. Octacilius sororis meæ filiam vxorem, atque ex ea liberos habet.cæterùm non ea vestra in me, maiorésque meos merita sunt, vt non potiorem priuatis necessitudinibus Rempublicam habeam. Quilibet nautarum vectorúmque tranquillo mari gubernare potest.vbi sæua orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus est. Non tranquillo nauigamus: sed iam aliqnot procellis submersi penè sumus. itaque quis ad gubernacula sedeat,summa cura prouidendum,ac præcauendum nobis est. In minore re experti T.Octacilii operam tuam sumus.haud sanè,cur ad maiora tibi fidamus, documenti quicquam dedisti. Classem hoc anno,cui tu præfuisti,trium rerum causa parauimus: vt Africæ oram, popnlaretur: vt tuta nobis Italiæ litora essent: ante omnia,ne supplementum cnm stipendio, commeatúque ab Carthagine Annibali transportaretur. Create consulem T.Octacilium: non dico si omnia hæc, sed id aliquid eorum Reipublicæ præstitit. Sin autem te classem obtinente, etiam velut pacato mari quælibet Annibali tuta atque integra ab domo venerunt: si ora Italiæ infestior hoc anno, quàm Africæ fuit:quid dicere potes,cur te potissimum ducem Annibali hosti opponant? Si consul esses,dictatorem dicendum exemplo maiorum nostrorum censeremus.nec tu id indignari posses: aliquem in ciuitate Romana meliorem bello haberi,quàm te.magis nullius interest,quàm tua T.Octacili:non imponi ceruicibus tuis onus,sub qno concidas.Ego magnopere suadeo: eodem animo,quo,si stantibus vobis in aciem armatis repentè deligendi duo imperatores essent,quorum ductu atqne auspicio dimicaretis,hodie quoque consules creetis: qnibus sacramenta liberi nostri dicant: ad quorum edictum conueniant: sub quorum tutela atque cura militent. Lacus Thrasymenus, & Cannæ, triste ad recordationem exemplar: at ad præcauendum simile,vtiles documento sunt. Prærogatiua iuniorum in suffragium reuocata,cùm T.Octacilius censeret ferociter eum continuare consulatum velle vociferaretur, atque obstreperet, lictores ad eum accedere consul iussit. & quia in vrbem non ioierat, protinus in campum ex itinere profectus,admonuit,cum securibus sibi fasces præferri. Interim prærogatiua suffragium init: creatíqne in ea consules Q.Fabius Maximus quartùm, M.Marcellus tertiùm. eosdem consules cæteræ centuriæ sine variatione vlla dixerunt. & prætor vnus refectus, Q.Fulnins Flaccus nonùm.alii creati: T. Octacilius Crassus iterum,Q.Fabius consulis filius,qui tum ædilis curulis erat: P.Cornelius Leotulns. Comitiis prætorum perfectis,S.C.factum est, vt Q.Fuluio extra ordinem vr-

Q. Fabius & M.Marcellus consules designātur.

bana prouincia esset.isque potissimum consulibus ad bellum profectis, vrbi præesset. Aquæ magnæ, A
& niues eo anno fuerunt: Tyberisque agros inundauit cum magna strage tectorum, pecorúmque & hominum pernicie. Quinto anno secundi Punici belli Q. Fabius Maximus quartùm, M. Claudius Marcellus tertium, consulatum ineuntes, plus solito conuerterant in se ciuitatis animos. multis enim annis tale consulum par non fuerat. Referebant senes: sic Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum, sic postea Papyrium & Caruilium aduersus Samnites, Brutiósque, & Lucanum cum Tarentino populum, consules declaratos. Absens Marcellus consul creatus, cùm ad exercitum esset: præsenti Fabio, atque ipso comitia habente, consulatus continuatus. Tempus, ac necessitas belli, ac discrimen summæ rerum faciebant, ne quis aut in exemplum exquireret, aut suspectum cupiditatis imperii cõsulem haberet. quin laudabant potius magnitudinem animi, quòd cùm summo imperatore esse opus Reipublicæ sciret: séque eum haud dubie esse: minoris inuidiam suam, si qua ex re oriretur, quàm vtilitatem Reipublicæ fecisset.

Contemnẽda est inuidia ob Reip. vtilitatem.

Quo die magistratum inierunt consules, senatus in Capitolio est habitus: decretúmque omnium primum, v consules sortirentur, compararéntve inter se, vter censoribus creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum proficisceretur. Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad exercitus erant: iussíque in prouinciis manere, T. Gracchus Luceriæ, vbi cum volonum exercitu erat, C. Terentius Varro in agro Piceno, M. Põponius in Gallico. ex prætoribus prioris anni proprætor Q. Mutius obtineret Sardiniam, M. Valerius ad Brundusium oræ maritimæ, intentus aduersus omnes motus Philippi Macedonum regis præesset. P. Cornelio Lentulo prætori Sicilia decreta prouincia, T. Octacilio classis eadem, quam aduersus Carthaginienses priore anno habuisset.

Prodigia.

Prodigia eo anno multa nuntiata sunt, quæ quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo etiam plura nuntiabantur. Lanuuii in æde intus Sospitæ Iunonis coruos nidum fecisse. In Apulia palmam viridem arsisse. Mantuæ stagnum effusum Mincio amni cruentum visum. Et Calibus creta, & Romæ in foro Boario sanguine pluisse. Et in vico Istrico fonté sub terra tanta vi aquarum fluxisse, vt serias doliáque, quæ in eo loco erant, prouoluta velut impetus torrentis tulerit. Tacta de cœlo, atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicámque viam, murum ac portam Gabiis. Iam alia vulgata miracula erant: hastam Martis Præneste sua sponte promotam, bouem in Sicilia locutum: infantem in vtero matris in Marrucinis, Io triumphe, clamasse: ex muliere Spoleti virum factum: Hadriæ aram in cælo, speciésque hominum circum eam cum candida veste visas esse. Quin Romæ quoque in ipsa vrbe secundum apum examen in foro visum. quod mirabile est, quia rarum. affirmantes quidam legiones se armatas in Ianiculo videre, concitauerunt ciuitatem ad arma: qui cùm in Ianiculum iuissent, negarunt quenquam ibi, præter assuetos collis eius cultores, apparuisse.

Prodigiorũ procuratio.

Hæc prodigia hostiis maioribus procurata sunt ex aruspicum responso: & supplicatio B
omnibus diis, quorum puluinaria Romæ sint, indicta est. Perpetratis, quæ ad pacem deûm pertinebant, de Republica bellóque gerendo, & quantum copiarum, & vbi quæque esset, Coss. ad senatum retulerunt.

Duodeuiginti legionibus hoc anno bellũ gerebant Romani.

Duodeuiginti legionibus bellum geri placuit: binas Coss. sibi sumere: binis Galliam Siciliámque ac Sardiniam obtineri: duabúsque Q. Fabium Præt. Apuliæ, duabus volonum T. Gracchum circa Luceriam præesse: singulas C. Terentio procos. ad Picenum, & M. Valerio ad classem circa Brundusium. & duas vrbi præsidium relinqui. Hic vt numerus legionum expleretur, sex nouæ legiones erant scribendæ. Eas primo quoque tempore coss. scribere iussi, & classem parare, vt cum eis nauibus, quæ pro Calabriæ littoribus in statione essent, CL longarum nauium classis eo anno expleretur. Delectu habito, & nauibus nouis deductis, Q. Fabius comitia censoribus creandis habuit. creati M. Attilius Regulus, & P. Furius Philus. Cum increbresceret rumor, bellum in Sicilia esse, T. Octacilius eò cum classe proficisci iussus est. Cum deessent nautæ, Coss. ex Senatusconsulto edixerunt, vt qui L. Aemylio, C. Flaminio censoribus, † millibus eris quinquaginta ipse, aut pater eius census fuisset vsque ad † centum millia: aut cui postea res tanta esset facta, nautam vnum cum sex mensium stipendio daret. qui supra centum millia vsque ad † CCC millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia vsque ad † decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.

† Val. 500 coron.
† Val. 1000 coron.
† Val. 3000 coron.
† Valent 10000 coron.

Ex hoc edicto dati nautæ armati instructique ab dominis cum triginta dierum coctis cibariis naues conscenderunt. Tum primum est factum, vt classis Romana sociis naualibus priuata impensa paratis compleretur. Hic maior solito apparatus præcipuè conterruit Campanos, ne ab obsidione Capuæ bellum eius anni Romani inciperent. itaque legatos ad Annibalem oratum miserunt, vt Capuam exercitum admoueret. ad eam oppugnandam nouos exercitus scribi Romæ, nec vllius vrbis defectioni magis infensos eorũ animos esse.

Capani cõterriti nouis exercitibus Romæ conscriptis.

Id quia tam trepidi nuntiabant, maturandum Annibal ratus, ne præuenirent Romani, profectus Arpis ad Tifata in veteribus castris super Capuam consedit. inde Numidis Hispanísque ad præsidium simul castrorum, simul Capuæ relictis, cum cætero exercitu ad lacum Auerni per speciem sacrificandi, re ipsa, vt tentaret Puteolos, quíque ibi præsidio erant, descendit. Maximus, postquam Annibalem Arpis profectum, & regredi in Campaniam, allatum est, nec die nec nocte intermisso itinere, ad exercitum redit: & T. Gracchum ab Luceria Beneuentum copias admouere, Q. Fabium Præt. (is filius Cos. erat) Luceriam Graccho succedere iubet. In Siciliam eodem tempore duo Præt. profecti, P. Cornelius ad exercitum: Octacilius, qui maritimæ oræ reíque nauali præesset, & cæteri in suas quisque prouincias profecti. & quibus prorogatum imperium erat, easdem quas priore anno regiones obtinuerunt.

Tarentini quinque nobiles ad Annibalem ueniunt

Ad Annibalem, cùm ad lacum Auerni esset, quinque nobiles iuuenes ab Tarento venerunt, partim ad Thrasymenum lacum, partim ad Cannas capti: dimissíque domos cum eadem comitate, qua vsus aduersus omnes

Roman

A Romanorum socios Pœnus fuerat.Ii memores beneficiorum eius, perpulisse magnam partem se iuuentutis Tarentinæ referunt, vt Annibalis amicitiam ac societatem, quàm populi Romani mallent, legatósq; ab suis missos rogare Annibalem,vt exercitum propius Tarentum admoueat.si signa eius, si castra conspecta à Tarento sint,haud vllam intercessuram moram, quin vrbs dedatur. in potestate iuniorum plebem,in manu plebis rem Tarentinam esse. Annibal collaudatos eos oneratósq; ingentibus promissis,domum ad cœpta maturanda redire iubet:se in tempore affuturum esse.Hac cum spe dimissi Tarentini. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. vrbem esse videbat cùm opulentam nobilémq;,tum maritimam,& in Macedoniam opportunè versam:regémq; Philippum hunc portum,si transiret in Italiam,cùm Brundusium Romani haberent,petiturum. Sacro inde perpetrato ad quod venerat:& dum ibi moratur,peruastato agro Cumano vsque ad Miseni promontorium, Puteolos repentè agmen conuertit ad opprimendum præsidium Romanum. Sex millia hominũ erant: & locus munimento quoque, non natura modò tutus. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præsidio.deinde,vt nihil procedebat,ad populandum agrum Neapolitanum magis ira quàm potiundæ vrbis spe processit. Aduentu eius in propinquum agrum Nolana mota est plebs, iamdiu auersa ab Romanis,& infesta senatui suo.itaque legati ad arcessendum Annibalem cum haud dubio promisso tradendæ vrbis venerunt. Præuenit inceptũ eorum Marcellus cos. à primoribus accitus. die vno Suessulam à Calibus,cùm Vulturnus amnis traiicientem moratus esset,contenderat.inde proxima nocte sex millia peditum,equitésque ccc,qui præsidio senatui essent,Nolam intromisit. & vti à cos.omnia impigrè facta sunt,ad præoccupandam Nolam:ita Annibal tempus terebat,bis iam antè nequicquã tentata re segnior ad credendum Nolanis factus.Iisdem diebus & Q.Fabius cos.ad Casilinum tentandum, quod præsidio Punico tenebatur, venit. Et ad Beneuentum velut ex composito parte altera Hanno ex Bruttiis cum magna peditum equitúmque manu, altera T.Gracchus ab Luceria accessit,qui primò oppidum intrauit.deinde,vt Hannonem tria millia fermè ab vrbe ad Calorem fluuium castra posuisse,& inde agrum populari audiuit:& ipse egressus mœnibus,mille fermè passus ab hoste castra locat:ibíq; concionem militum habuit.Legiones magna ex parte volonum habebat, qui iam alterum annum libertatem tacitè mereri, quàm postulare palàm maluerant. senserat tamen hybernis egrediens murmur in agmine esse querentium, nunquámne liberi militaturi essent?scripseràtque senatui,non tam quid desiderarent,quàm quid meruissent.bona fortíq; opera eorum se ad eam diem vsum:neque ad exemplum iusti militis quicquã eis,præter libertatem,deesse. De eo permissum ipsi erat,faceret quod è Repub.duceret esse.Itaque prius quàm cum hoste manum cõfereret,pronuntiat:tempus venisse eius libertatis,quam diu sperassent, potiundæ. postero die signis collatis dimica-

B turum puro ac patenti campo,vbi sine vllo insidiarũ metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset,eum se extemplò liberum iussurum esse: qui loco cessisset, in eum seruili supplicio animaduersurum.Suam cuique fortunam in manu esse.libertatis authorem eis nõ se fore solùm,sed cos. M.Marcellum,& vniuersos patres,qui consulti ab se de libertate eorum sibi permisissent. Literas inde cos.ac Senatusconsultũ recitauit.Ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus. pugnã poscebant, signúmque vt daret extemplò,ferociter instabant,Gracchus prælio in posterũ diem pronuntiato, cõcionem dimisit.Milites læti,præcipuè quibus merces nauatæ in vnũ diem operæ libertas futura erat, armis expediendis quod reliquum diei fuit,consumpserunt. Postero die vbi signa cœperunt canere, primi omnium parati instructíque ad prætorium conueniunt. sole orto Gracchus in aciem copias eduxit.Nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem & septem millia peditum erant, maxima ex parte Bruttii ac Lucani,equites mcc,inter quos pauci admodum Italici, cæteri Numidæ ferè omnes, Maurique.Pugnatũ est & acriter,& diu.quatuor horis neutrò inclinata est pugna. nec alia magis Romanum impediebat res,quàm capita hostium pretia libertati facta. nam vt quisque hostem impigrè occiderat,primùm capita ægrè inter turbam tumultúmque abscindendo tempus terebat. deinde occupata dextra tenendo caput,fortissimus quisque pugnator esse desierat. Quod vbi tribuni militum, Graccho nuntiauerũt,neminem stantem iam vulnerari hostem,carnificari iacentes, & in dextris militum pro gladiis humana capita esse,signum dari properè iussit,proiicerent capita.inuaderéntq; hostem.claram satis & insignem virtutem esse, nec dubiam libertatem futuram strenuis viris. Tum redintegrata pugna est,& eques etiam in hostem emissus.Quibus cùm impigrè Numidæ cõcurrissent, nec segnior equitum quàm peditum pugna esset,iterum in dubium adducta res:cùm vtrinque duces, Romanus Bruttium Lucanúmque toties à maioribus suis victos subactósq;, Pœnus mancipia Romana,& ex ergastulo militem verbis obtereret.Postremò pronuntiat Gracchus,esse nihil quod de libertate sperarent,nisi eo die fusi fugatíque hostes essent.Ea demum vox ita animos accendit,atque renouato clamore velut alii repente facti,tanta vi se in hostem intulerunt,vt sustineri vltra nõ possent. Primò antesignani Pœnorũ,deinde signa perturbata,postremò tota impulsa acies : inde haud dubiè terga data, ruúntq; fugientes in castra adeò pauidi trepidíq;, vt ne in portis quidem aut vallo quisquam restiterit : ac propè continenti agmine Romani insecuti, nouum deintegro prælium inclusi hostium vallo ediderunt. Ibi sicut pugna impeditior in angustiis, ita cædes atrocior fuit : & adiuuere captiui, qui rapto inter tumultum ferro conglobati,& à tergo ceciderunt Pœnos,& fugam impedierũt. itaq; minus duo millia hominum ex tanto exercitu, & ea maior pars equitum cum ipso duce effugerunt. alii omnes cæsi,aut capti.capta & signa duodequadraginta.Ex victoribus duo millia fermè cecidere. præda omnis,præterquàm hominum captorum,militi concessa est.& pecus exceptum est,quod intra dies triginta domini cognouissent. Cùm præda onusti in castra rediissent, quatuor millia fermè volo-

Puteolos oppugnat Annibal.

Nolana plebs defectionis ad Annibalem cupida.

Seruis libertatẽ promittit Gracchus qui caput hostis è prælio retulissent.

Acris pugna inter Gracchũ & Hannonem.

Hannonis exercitus fusus à Graccho.

numi militum,qui pugnaoerant fegnius,nec in caftra irruperant fimul, metu pœnæ collem haud procul caftris ceperunt. poftero die per Trib.mil.inde deducti, concione militum aduocata à Graccho, fuperueniunt. Vbi cùm proconful veteres milites primùm, prout cuiufq; virtus atque opera in ea pugna fuerat,militaribus donis donaffet,tunc quod ad volones attineret, omnes ait malle laudatos à fe, dignos indignófque,quàm quenquam eo die caftigatum effe.quod bonum, fauftum, felixq; Reipub. A

Libertate donãtur ferui à victore Graccho.

ipfífque effet,omnes eos liberos effe iubere.Ad quam vocem cùm clamor ingenti alacritate fublatus effet:ac nunc complexi inter fe gratulaotéfque, nunc manus ad cælum tollentes bona omnia populo Romano Gracchóque ipfi precarentur : tum Gracchus, Prius quàm omnes iure libertatis æquaffem, inquit,nemioem nota ftrenui aut ignaui militis notaffe volui.nunc exoluta iam fide publica,ne difcrimeo omoe virtutis ignauíæque pereat,nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ memores fecefsionem paulo antè fecerunt,referri ad me iubebo:citatófq; fingulos iureiurando adigam,nifi quibus morbus caufa erit,non aliter,quàm ftantes cibum potúmq;,quoad ftipendia facient,capturos effe.Hanc mulctam ita æquo animo feretis,fi reputabitis,nulla ignauiæ nota leuiore vos defignari potuiffe. Signum deinde colligeodi vafa dedit:militéfque prædam portantes agentéfque per lafciuiam ac iocum ita ludibundi Beneuentum rediere,vt ab epulis per celebrem feftúmq; diem actis, non ex acie reuerti viderentur.Beneuentani omnes turba effufa cum obuiam ad portas exiffent,cõplecti milites, gratulari, vocare in hofpitium.Apparata conuiuia omnibus in propatulo ædium fuerant:ad ea inuitabãt.Gracchúmqoe orabant,vt epulari permitteret militibos. Et Gracchus ita permifit, in publico epularentur omnes. Ante fuas quibúfque fores prolata omnia.pileati,aut lana alba velatis capitibus volones epulati funt,alii accubantes,alii ftantes:qui fimul miniftrabant, vefcebantúrque. Digna res vifa, vt fimulachrum celebrati eius diei Gracchus, poftquã Romam rediit, pingi iuberet io æde Libertatis, quam pater eius in Auentino ex multaticia pecunia faciendam curauit, dedicauítque. Dum hæc ad Beneuentum geruntur, Aonibal depopulatus agrum Neapolitanum, ad Nolam caftra mouet. Quem vbi aduentare c o s.fenfit,Pomponio propretore cum exercitu,qui fuper Sueffulam in caftris erat,accito,

Marcellus conful aduerfus Annibalẽ copias educit.

ire obuiam hofti parat,ne moram dimicandi faceret.Claudium Neronem cum robore equitum filentio noctis per auerfam maximè ab hofte portam emittit : circumuectúmque occultè fubfequi fenfim agmen hoftium iubet : & cùm coortum prælium videret, ab tergo fe obiicere. Id errore viarum, an exiguitate temporis Nero exequi non potuerit, incertum eft. Abfente eo cùm prælium commiffum effet,fuperior quidem haud dubiè Romanus erat.fed quia equites non affuere in tempore,ratio compofitæ rei turbata eft.Noo aufus infequi cedentes Marcellus,vincentibus fuis fignum receptui dedit. Plustamen duo millia hoftium eo die cæfa traduntur : Romanorum minus c c c c. Solis ferè occafu Nero diem noctémque nequicquam fatigatis equis hominibúfq;,ne vifo quidem hofte rediens, adeò B grauiter eft ab c o s.increpatus,vt per eum ftetiffe diceret, quo minus accepta ad Cannas redderetur hofti clades.Poftero die Romanus io aciem defcendit.Pœnus tacita etiam confefsione victus,caftris fe tenuit. Tertio die filentio noctis,omiffa fpe Nolæ potiundæ,rei nunquam profpere tentatæ, Tarentum ad certiorem fpem proditionis proficifcitur.Nec minore animo res Romanæ domi, quàm mili-

Cenfores ad mores ciuiũ regẽdos,caftigandáque vitia intẽti.

tiæ gerebantur.Cenfores vacui ab operum locandorum cura propter inopiam ærarii,ad mores hominum regendos animum aduerterunt, caftigandáque vitia : quæ, velut diutinis morbis ægra corpora ex fefe gignunt,nata bello erant. Primùm eos citauerunt, qui poft Cannenfem pugnam Rempub.deferuiffe,Italiáque excefsiffe velle dicebantur. princeps eorum L.Cæcilius Metellus, qoi quæftor tum fortè erat. iuffo deinde eo,cæterífque eiufdem noxæ reis caufam dicere,cum purgari nequiffent, pronuntiarunt, verba orationémq; eos aduerfus Rempub.habuiffe,quò coniuratio deferendæ Italiæ caufa fieret.Secundum eos citati nimis callidi exoluendi iufiurandi interpretes : qui captiuorũ ex itinere regrefsi clàm in caftra Aonibalis,folutum,quòd iurauerant redituros, rebantur. His fuperioribúfque illis equi adempti, qui publicum equum habebant : tribúque moti, ærarii omnes facti. Neque fenatu modò, aut equeftri ordine regendo cura fe cenforum tenuit. nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpferunt,qui quadriennio non militaffent : quibus neq; vacatio iufta militiæ, neq; morbus caufa fuiffet.& ea fupra duo millia nominum in ærarios relata:tribúque omnes moti.additúmq; inerti cenforiæ notæ trifte fenatus confultum:vt ii onines,quos cenfores notaffent,pedibus mererent,mitterentúrque io Siciliam ad Cannenfis exercitus reliquias.cui militum generi non prius quàm pulfus Italia

Magna omnium ordinum liberalitas in fuftinẽda ærarij inopia.

hoftis effet,finitum ftipendiorum tempus erat. Cùm cenfores ob inopiam ærarii fe iam locationibus abftinerent ædium facrarum tuendarum,curuliûmque equorum præbendorũ,ac fimilium his rerum: conuenere ad eos frequentes,qui haftæ huius generis affueuerãt.hortarique cenfores, vt omnia perinde agerent locaréntque,ac fi pecunia in ærario effet.neminem nifi bello cõfecto, pecuniam ab ærario petiturum effe.Conuenere deinde domini eorum, quos T.Sempronius ad Beneuentũ manu emiferat : accerfitófque fe ab triumuiris menfariis effe dixerunt, vt pretia feruorum acciperent. cæterùm non antè quàm bello confecto accepturos effe.Cùm hæc inclinatio animorum plebis ad fuftiendam inopiam ærarii fieret,pecuniæ quoque pupillares primò,deinde viduarum cœptæ conferri,nufquam eas tutius fanctiufq; deponere credentibus,qui deferebãt,quàm io publica fide. inde fi quid emptum paratúmq; pupillis ac viduis foret, à qoæftore perfcribebatur. Manauit ea priuatorum benignitas ex vrbe etiam in caftra,vt non eques,non centurio ftipendium acciperent, mercenariúmq; iocrepantes

Q. Fabius Cafilinũ oppugnat.

vocarent,qui accepiffet.Q.Fabius c o s.ad Cafilinum caftra habebat, quod duûm millium Campanorum,& feptingentorum militum Annibalis tenebatur præfidio.Præerat Statius Metius,miffus ab Cn. Magio Attellano : qui eo anno Mediafluticus erat, feruitiáque & plebem promifcuè armabat, vt caftra

A ſtra Romana inuaderet, intento c o s. ad Caſilinum oppugnandum. Nihil eorum Fabium feſellit. Itaque Nolam ad collegam mittit, altero exercitu, dum Caſilinum oppugnatur, opus eſſe, qui Campanis opponatur. vel ipſe relicto Nolæ præſidio modico veniret. vel ſi eum Nola teneret, & necdum ſecuræ res ab Annibale eſſent, T. Gracchum procos. à Beneuento acciturum. Hoc nuntio Marcellus duobus militum millibus Nolæ in præſidio relictis, cum cætero exercitu Caſilinum venit. aduentúq; eius Campani iam mouentes ſeſe quieuerunt. ita à duobus C o s s. Caſilinum oppugnari cœptum: vbi cùm multa ſuccedentes temere mœnibus Romani milites acciperent vulnera, neque ſatis incœptis ſuccederet, Fabius omittendam rem paruam, ac iuxtà magis difficilem, abſcedendúmque inde cenſebat, cùm res maiores inſtarent. Marcellus multa magnis ducibus ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſsis non dimittenda eſſe dicendo, quia magna famæ momenta in vtranque partem fierent, tenuit ne incœpto abiretur. Vineæ inde, omniáque alia operum machinationúmque genera cùm admouerentur, Campaníque Fabium orarent, vt abire Capuam tutò liceret, paucis egreſsis, Marcellus portam, qua egrediebantur, occupauit, cædéſque promiſcuè omnium circa portam primò, deinde irruptione facta, etiam in vrbe fieri cœpta eſt. Quinquaginta ferè primò egreſsi Campanorum cùm ad Fabium confugiſſent, præſidio eius Capuam peruenerunt. Caſilinum inter colloquia, cunctationémque petentium fidem, per occaſionem captum eſt. captiui, quíque Campanorum, quíque Annibalis militum erant, Romam miſsi, atque ibi in carcere incluſi ſunt: oppidanorum turba per finitimos populos in cuſtodiam diuiſa. Quibus diebus à Caſilino re bene geſta receſſum eſt, eis Gracchus in Lucanis aliquot cohortes in ea regione conſcriptas cum præfecto ſociorum in agros hoſtium prædatum miſit. eos effuſè palatos Hanno adortus, haud multo minorem quàm à Beneuento acceperat, reddidit hoſti cladem: atque in Brutios raptim, ne Gracchus aſſequeretur, conceſsit. c o s. Marcellus retro, vnde venerat, Nolam redit: Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendáſque armis, quæ defecerant, vrbes proceſsit. Caudinus Samnis grauius deuaſtatus: peruſti populatíque latè agri, prædæ pecudum hominúmque actæ. oppida vi capta, Compulteria, Teleſia, Coſſa, Melæ, Fuiſulæ & Orbitanium. ex Lucanis Blandæ, Apulorum Ancæ oppugnatæ. Millia hoſtium in his vrbibus viginti quinq; capta, aut occiſa: & recepti perfugæ c c c l x x quos cùm Romam miſiſſet c o s. virgis in comitio cæſi omnes, ac de ſaxo deiecti. Hæc à Q. Fabio intra paucos dies geſta. Marcellum ab gerendis rebus valetudo aduerſa Nolæ tenuit. Et à Præt. Q. Fabio, cui circa Luceriam prouincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum, ſtatiuáque ad Ardoneas communita. Dum hæc aliis locis ab Romanis geruntur, iam Tarentum peruenerat Annibal cum maxima omnium quácunque ierat, clade. in Tarentino demum agro pacatum incedere agmen cœ-

Caſilinũ capiũ a Coſſ.

Quæ urbes cepit Fabius in Samnio.

Tarentũ uenit Annibal

B pit. nihil ibi violatum, neque vſquam via exceſſum eſt. apparebátque non id modeſtia militum aut ducis, niſi ad conciliandos Tarentinorum animos fieri. Cæterùm cùm propè iam mœnibus acceſſiſſet, nullo ad conſpectum primi agminis, vt rebatur, motu facto, caſtra ab vrbe fermè paſſus mille locat. Tarentum triduo antequàm Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio proprætore, qui claſsi ad Brunduſium præerat, T. Valerius legatus miſſus. Is primorum iuuentute conſcripta, diſpoſitíſque ad omnes portas, circáque muros quà res poſtulabat, ſtationibus die ac nocte plurimum intentus, neque hoſtibus, neque dubiis ſociis loci quicquam præbuit ad tentandum. Sicque diebus aliquot fruſtra ibi abſumptis, Annibal cùm eorum nemo, qui ad lacum Auerni adiſſent, aut ipſi venirent, aut nuntium literáſve mitterent, vana promiſſa ſe temerè ſecutum cernens, caſtra inde mouit. Tum quoque intacto agro Tarentino, quanquam ſimulata lenitas nondum profuerat: tamen ſpe labefactandæ fidei haud abſiſtens, Salapiam tendit: eóque frumẽtum ex agris Metapontino atque Heracleenſi (iam media æſtas exacta erat, & hybernis placebat locus) comportat. Prædatum inde Numidæ Maurique per Salentinum agrum, proximóſque Apuliæ ſaltus dimiſsi: vnde cæteræ prædæ haud multum, equorum greges maximè abacti. è quibus ad quatuor millia domanda equitibus diuiſa. Romani, cùm bellum nequaquam contemnendum in Sicilia oriretur: mórſque tyranni duces magis impigros dediſſet Syracuſanis, quàm cauſam aut animos mutaſſet: M. Marcello alteri conſulum eam prouinciam decernunt. Secundum Hieronymi cædem primò tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat, vociferatúmque ferociter: parentandum regi ſanguine coniuratorum eſſe. deinde libertatis reſtitutæ dulce auditum nomen crebro vſurpatum, ſpes facta ex pecunia regia largitionis militi, atq; fungendi potioribus ducibus: & relata tyranni fœda ſcelera, fœdioréſque libidines, adeò mutauere animos, vt inſepultum iacere corpus paulo antè deſiderati regis paterentur. Cùm cæteri ex coniuratis ad exercitum obtinendum remanſiſſent, Theodorus & Soſis regiis equis quanto maximo curſu poterant, vt ignaros omnium regios opprimerent, Syracuſas contendunt. cæterùm præuenerat nõ fama ſolum, qua nihil in talibus rebus eſt celerius, ſed nuntius etiam ex regiis ſeruis. itaque Andronodorus & inſulam & arcem, & alia quæ poterat, quæque opportuna erant, præſidiis firmarat. Hexapylo Theodorus ac Soſis poſt ſolis occaſum iam obſcura luce inuecti, cum cruentam regiam veſtem, atque inſigne capitis oſtentarent, tranſuecti per Thicam, ſimul ad libertatem, ſimul ad arma vocantes, in Acradinem conuenire iubent. Multitudo pars procurrit in vias, pars in ædium veſtibulis ſtat: pars ex tectis feneſtríſque proſpectant, & quid rei ſit, rogitant. omnia luminibus collucent, ſtrepitúque vario complentur. armati locis patentibus congregantur. inermes ex Olympii Iouis templo ſpolia Gallorum Illyriorúmque, dono data Hieroni à populo Romano, fixáque ab eo, detrahunt, precantes Iouem, vt volens propitius præbeat ſacra arma pro patria, pro deûm delubris, pro libertate ſeſe armantibus. Hæc quoque multitudo ſtationibus per principes regionum vrbis diſpoſitis adiungitur. In inſula in-

Quid in Sicilia geſtum poſt Hieronymi cædẽ.

ter cætera Andronodorus præsidiis firmat hortea publica. Locus saxo quadrato septus, atque arcis A
in modum emunitus capitur ab iuuentute, quæ præsidio eius loci attributa erat. mittúntque nuntios
in Acradinam:horrea frumentúmq; in senatus potestate esse. Luce prima populus omnis armatus in-
ermísq; in Acradinam ad curiam conuenit. ibi pro Concordiæ ara, quæ in eo sita loco erat, ex princi-
Polyneus Syracusanus ciues ad concordiã hortatur.
pibus vnus nomine Polyneus concionem & liberam & moderatam habuit. Seruitudinis indignita-
tísq; homines expertos, aduersus notum malum iritatos esse. Discordia ciuilis quas importet clades,
audisse magis à patribus Syracusanos, quàm ipsos vidisse. Arma quòd impigrè ceperint, laudare. ma-
gis laudaturum, si non vtantur, nisi vltima necessitate coacti. in præsentia legatos ad Andronodorum
mitti placere, qui denuntient, vt in potestate senatus ac populi sit: portæ insulæ pateant, reddat præsi-
dium. si tutelam alieni regni suum regnũ velit facere, eundem se censere: multo acrius ab Androno-
doro, quàm ab Hieronymo repeti libertatem. Ab hac concione legati missi sunt. senatus inde haberi
cœptus est. quod sicut regnante Hierone manserat publicum consiliũ: ita post mortem eius ãnte eam
diem nulla de re, neq; conuocati, neq; consulti fuerant. Vt ventum ad Andronodorum est, ipsum qui-
dem mouebat & ciuium cõsensus, & cùm aliæ occupatæ vrbis partes, tum pars insulæ, velut munitissi-
Demarata Hieronis filia Andronodorum ad tyrannidem retinendam stimulat.
ma prodita atq; alienata: sed euocatum eum ab legatis Demarata vxor, filia Hieronis, inflata adhuc
regiis animis, ac muliebri spiritu, admonet sæpè vsurpatæ Dionysii tyranni vocis: qua pedibus tractũ,
non insidentẽ equo relinquere tyrannidem dixerit debere. facilè esse momento quo quis velit, cedere
possessione magnæ fortunæ: facere & parare eam, difficile atq; arduum est. paululum sumeret spacii
ad consultandum ab legatis. eo vteretur ad accersendos ex Leontinis milites. quibus si pecuniam re-
giam pollicitus esset, omnia in potestate eius futura. Hæc muliebria cõsilia Andronodorus neq; tota
aspernatus est, neq; extemplò accepit: tutiorẽ ad opes affectandas ratus esse viam, si in præsentia tem-
pori cessisset. itaq; legatos renuntiare iussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero die luce
prima patefactis insulæ portis, in forum Acradinæ venit. ibi in aram Concordiæ, ex qua pridie Poly-
neus concionatus erat, ascendit: orationémq; eam orsus est, qua primùm cunctationis suæ veniam pe-
tiuit. Se enim clausas habuisse portas non separantem suas res à publicis, sed strictis semel gladiis ti-
mentem, qui finis cædibus esset futurus: vtrum, quod satis libertatis foret, cõtenti nece tyranni essent:
an quicunq; aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent, alienæ cul-
pæ rei trucidarentur. postquàm animaduertit, eos qui liberassent patriam, seruare etiã liberatam velle,
atq; vndiq; consuli in medium, non dubitasse, quin & corpus suum, & cætera omnia, quæ suæ fidei tu-
telæq; essent, quando eum, qui mandasset, suus furor absumpsisset, patriæ restitueret. Conuersus deinde
ad interfectores tyranni, ac nomine appellans Theodorum ac Sosim: Facinus, inquit, memorabile
fecistis: sed mihi credite, inchoata vestra gloria, nondum perfecta est: periculúmq; ingens manet, nisi B
cõmuni concordiæ consulitis, ne libera efferatur res. Post hanc orationem claues portarũ pecuniæq;
regiæ ante pedes eorum posuit. atq; illo quidem die dimissi ex concione læti circà omnia fana deûm
Syracusani Prætores creantur.
supplicauerunt cum coniugibus ac liberis. postero die comitia Prr. creandis habita. creatus in primis
Andronodorus, cæteri magna ex parte interfectores tyranni, duos etiam absentes, Sopatrũ ac Deo-
menem fecerunt. Qui auditis iis quæ Syracusis acta erant, pecuniam regiam quæ in Leontinis erat,
Syracusas deuectam quæstoribus ad idipsum creatis tradiderũt. & ea quæ in insula erat, & Acradina,
tradita est. muríq; ea pars, quæ ab cætera vrbe nimis firmo munimento intersepiebat insulam, cõsensu
omnium deiecta est. secutæ & cæteræ res hanc inclinationem animorum ad libertatem. Hippocrates
atq; Epicides audita morte tyranni, quam Hippocrates etiã nuntio interfecto celare voluerat, deserti
à militibus, quia id tutissimum ex præsentibus videbatur, Syracusas rediere. vbi ne suspecti obserua-
rentur, tanquã nouandi res aliquam occasionẽ quærentes, prætores primùm, dein per eos senatũ ad-
eunt. Ab Annibale se missos prædicãt ad Hieronymũ, tanquam amicum ac socium, paruisse imperio
eius, cuius imperator suus voluerit. velle ad Annibalem redire. cæterùm cum iter tutum nõ sit, vagan-
tibus passim per totam Siciliã Romanis armis, petere vt præsidii dent aliquid quo Locros in Italiam
perducantur, gratiã magnã eos parua opera apud Annibalẽ inituros. Facilè res impetrata: abire enim
duces regios, cùm peritos militiæ, tum egentes eosdẽ atq; audaces cupiebant. sed quod volebant, nõ
quàm maturato opus erat, nauiter expediebant. Interim iuuenes militares, & assueti militibus, nunc
apud eos ipsos, nunc apud transfugas, quorũ maxima pars ex naualibus sociis Romanorũ erat: nunc
etiã apud infimæ plebis homines crimina serebãt in senatũ optimatésq;. moliri clàm eos atq; struere,
vt Syracusæ per speciẽ reconciliandæ societatis in ditione Romanorũ sint: dein factio, & pauci autho-
Andronodorus de occupanda Syracusarum tyrannide cogitãs interficitur.
res fœderis renouati dominẽtur. His audiendis credendísq; opportuna multitudo maior indies Sy-
racusas cõfluebat: nec Hippocrati & Epicidi solùm spem nouandarũ rerũ, sed Andronodoro etiã præ
bebat. Qui fessus tandem vxoris vocibus monentis, nunc illud esse tẽpus occupandi res, dum turbata
omnia noua atq; incognita libertate essent, dum regiis stipendiis pastus obuersaretur miles: dum ab
Annibale missi duces assueti militibus iuuare possent incepta, cum Themistio, cui Gelonis filia nupta
erat, rem consociatam paucos post dies Aristoni cuidam tragico actori, cui & alia arcana cõmittere
assuerat, incautè aperit. Huic & genus & fortuna honesta erãt: nec ars, quia nihil tale apud Græcos pu
dori est, ea deformabat. itaq; fidem potiorem ratus, quam patriæ debebat, indicium ad Prr. defert. Qui
vbi rem haud vanã esse certis indiciis cõpeterunt, consultis senioribus, & authoritate eorũ præsidio
ad fores posito, ingressos curiã Themistium atq; Andronodorũ interfecerũt. & cum tumultus ab re
in speciem atrociore causam aliis ignorantibus ortus esset, silentio tandem facto, indicem in curiam
introduxerunt. Qui cùm ordine omnia edocuisset, & principium coniurationis factum ab Harmoniæ

Gelonis

A Gelonis filiæ uuptiis,quibus Themiſtio iuncta eſſet: Afrorum Hiſpanorúmque auxiliares inſtructos
ad cædem prætorum, principúmq; aliorum: bonáq; eorum prædæ futura interfectoribus pronuntia-
tum: iam mercenariorum manum aſſuetam imperiis Andronodori paratam fuiſſe ad inſulam rurſus
occupandam: ſingula deinde,quæ,per quóſque agerentur,totámque viris armíſque inſtructam coniu-
rationem ante oculos poſuiſſet,ſenatui quidem tam iure cæſi, quàm Hieronymus, videbantur. Ante
curiam variæ atq; incertæ rerum multitudinis clamor erat. quam ferociter minitantem in veſtibulo
curiæ corpora coniuratorum eo metu compreſſerunt, vt ſilentes integram plebem in concionem ſe-
querentur. Sopatro mandatum ab ſenatu,& ab collegis, vt verba facerer. Is (tanquam reos agebat) ab
antè acta vita orſus, quæcunq; poſt Hieronis mortem ſceleſtè atq; impiè facta eſſent, Andronodorum
ac Themiſtium arguit feciſſe. Quid enim ſua ſponte feciſſe Hieronymum puerum, ac vix dum pube-
ſcentem facere potuiſſe? tutores ac magiſtratus eius ſub aliena inuidia regnaſſe. itaq; aut ante Hierony
mum, aut certè cum Hieronymo perire eos debuiſſe. At illos debitos iam morti deſtinatóſque alia no
ua ſcelera poſt mortem tyranni molitos. palàm primò, cùm clauſis Andronodorus inſulæ portis hæ-
reditatem regni creuerit, quæque procurator tenuerat, pro domino poſſederit, proditus deinde ab eis
qui in inſula erant, circunſeſſus ab vniuerſa ciuitate, quæ Acradinam tenuerit: nequicquàm palàm atq;
apertè petitum regnum, clàm & dolo affectare conarus ſit. & ne beneficio quidem atq; honore potue
rit vinci, cum inter liberatores patriæ inſidiator ipſe libertatis creatus eſſet Prætor. Sed animos eis re-
gios regias coniuges feciſſe: alteri Hieronis, alteri Gelonis, filias nuptas. Sub hanc vocem ex omnibus
partibus concionis clamor oritur, nullam earum viuere debere, nec quenquàm ſupereſſe tyrannorum
ſtirpis. Hæc natura multitudinis eſt: aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur: libertatem, quæ me-
dia eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt, & non fermè deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui
auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad ſanguinem & cædes iritent. ſicut tum extemplò
Prr. rogationem promulgarunt. acceptáq; penè prius quàm promulgata eſt, vt omnis regia ſtirps in-
terficeretur. miſsiq; à Prr. Demaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filiam, coniuges Androno-
dori & Themiſtii, interfecerunt. Heraclea erat filia Hieronis, vxor Soſippi, qui legatus ab Hieronymo
ad regem Ptolemæum miſſus, voluntarium conſciuerat exilium. Ea cum ad ſe quoq; venire præſciſſet,
in ſacrarium ad penates confugit cum duabus filiabus virginibus, reſolutis crinibus, miſerabiliq; alio
habitu: & ad ea addidit preces, nunc per memoriã Hieronis patris, Geloníſq; fratris, ne ſe innoxiã in-
uidia Hieronymi conflagrare ſinerent. nihil ſe ex regno illius, præter exilium viri, habere. neq; fortu-
nam ſuã eandem viuo Hieronymo fuiſſe, quàm ſororis, neq; interfecto eo cauſam eandem eſſe. Quid
quod, ſi Andronodoro conſilia proceſsiſſent, illa cum viro fuerit regnatura? ſibi cum cæteris ſeruien-
B dum? Si quis Soſippo nuntiet, interfectum Hieronymum, ac liberatas Syracuſas: cui dubium eſſe, quin
extemplò conſcenſurus ſit nauim, atq; in patriam rediturus? Quantum ſpes hominum fallit, in liberata
patria coniugem eius, ac liberos de vita dimicare? quid obſtantes libertati, aut legibus? quod ab ſe cui-
quam periculum, à ſola, ac propè vidua, & puellis in orbitate degẽtibus eſſe? At enim periculi quidem
nihil ab ſe timeri: inuiſam tantùm regiam ſtirpem eſſe. Ablegarent ergo procul ab Syracuſis, Siciliáq;,
& aſportari Alexandriam iuberent ad virum vxorem, ad patrem filias. Auerſis auribus animíſq;, caſ-
ſéne tempus tereretur, (ferrũ enim quoſdam expedientes cernebat) tum omiſsis pro ſe precibus, puel-
lis vt ſaltem parcerent, orare inſtitit: à qua ætate etiam hoſtes irati abſtinerent. ne tyranos vlciſcendo,
quæ odiſſent ſcelera, ipſi imitarentur. Inter hæc abſtractam à penetralibus iugulant. in virgines deinde
reſperſas matris cruore impetum faciunt. quæ alienata mente ſimul luctu metúque, velut captæ fu-
rore occurſu ſe ex ſacrario proripuerunt: vt, ſi effugium patuiſſet in publicum, impleturæ vrbem tu-
multu fuerint. tum quoq; haud magno ædium ſpatio inter medios tot armatos aliquoties integro cor-
pore euaſerunt: tenentibúſq;, cùm tot ac tam validæ eluctandæ manus eſſent, ſeſe eripuerunt. tandem
vulneribus confectæ, cum omnia repleſſent ſanguine, exanimes corruerunt. cædémq; per ſe miſerabi-
lem, miſerabiliorem caſus fecit: quòd paulopòſt nuntius venit, mutatis repentè ad miſericordiam ani-
mis, ne interficerentur. Ira deinde ex miſericordia orta, quòd adeò feſtinatum ad ſupplicium, neq; lo-
cus pœnitendi, aut regreſſus ab ira relictus eſſet. itaq; fremere multitudo, & in locum Andronodori ac
Themiſtii (nam ambo Prr. fuerant) comitia poſcere: quæ nequaquam ex ſententia prætorum futura
eſſent. Statutus eſt comitiis dies: quo nec opinantibus omnibus vnus ex vltima turba Epicidem nomi
nauit: tum inde alius Hippocratem. crebriores deinde eæ voces, & cùm haud dubio aſſenſu multitu-
dinis eſſe. Et erat confuſa concio, non populari modò, ſed militari quoq; turba, magna ex parte etiam
perfugis, qui omnia nouare cupiebant, permiſtis. Prætores diſsimulare primò: & trahendam rem eſſe.
poſtremò victi conſenſu, & ſeditionem metuentes, pronuntiant eos prætores. Nec illi primò ſtatim
creati nudare quid vellent: quanquam ægrè ferebant, & de induciis dierum decem legatos iſſe ad Ap-
pium Claudium: & impetratis eis alios, qui de fœdere antiquo renouando agerent, miſſos. Ad Mur-
gantiam tum claſſem nauium centum Romanus habebat, quò euaderent motus ex cædibus tyranno-
rum orti Syracuſsis, quóve eos ageret noua atque inſolita libertas, opperiens. Per eoſdem dies cùm ad
Marcellum venientem in Siciliam legati Syracuſani miſsi ab Appio eſſent, auditis conditionibus pa-
cis Marcellus poſſe rem cõuenire ratus, & ipſe legatos Syracuſas, qui coràm cùm prætoribus de reno-
uando fœdere agerent, miſit. Et iam ibi nequaquam eadem quies & tranquillitas erat. poſtquam Puni
cam claſſem acceſsiſſe Pachynum allatum eſt, dempto timore Hippocrates & Epicides nunc apud
mercenarios milites, nunc apud transfugas prodi Romanis Syracuſas criminabantur. At verò Ap-
pius naues ad oſtium portus, quid aliæ partis hominibus animi accederet opperiens, in ſtatione

Sopatri oratio de Andronodori & Themiſtij cæde.

Multitudo aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur.

Stirps regia interficitur.

Crudele mortis exemplum.

habere cœpit. Ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides: ac primò etiam tumultuose decurrerat multitudo ad prohibendos, si in terram egrederentur. In hac turbatione rerum in concionem vocari placuit. vbi cùm alii aliò tenderent, nec procul à seditione res esset, Apollonides principum vnus orationem salutarem, vt in tali tempore, habuit: Nec spem salutis, nec perniciem propiorem vnquam ciuitati vlli fuisse. si enim vno animo omnes vel ad Romanos, vel ad Carthaginienses inclinent, nullius ciuitatis statum fortunatiorem, gratioremve fore. si alia aliò trahat res, non inter Pœnos Romanósque bellum atrocius fore, quàm inter ipsos Syracusanos, cùm intra eosdem muros pars vnaquæque suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. itaque vt idem omnes sentiant, summa vi agendum esse: vtra societas sit vtilior, longè minoris adeò rem momenti consultatione esse. sed tamen Hieronis potius quàm Hieronymi authoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam nunc incognitæ, quondam infideli præferendam. Esse etiam momenti aliquid ad consilium, quòd Carthaginiensibus ita pax negari possit, vt non vtique in præsentia bellum cum eis geratur: cum Romanis extemplò aut pacem aut bellum habendum. Quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus authoritatis habuit. Adiectum est prætoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium, iussi & duces ordinum præfectíque auxiliorum simul consulere. Cùm sæpè acta res esset mediis certaminibus, postremò quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla apparebat, pacem fieri placuit: mittíque cum eis legatos ad rem confirmandam. Dies haud ita multi intercesserant, cùm ex Leontinis legati præsidium finibus suis orantes venerunt. Legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam, ducésque eius ablegandos. Hippocrates Pr. ducere eò transfugas iussus: secuti multi ex auxiliis mercenariis, quatuor millia armatorum effecerunt. Et mittentibus & missis ea læta expeditio fuit. nam & illis, quod iamdiu cupiebant, nouandi res occasio data est: & hi sentinam quandam vrbis rati exhaustam, lætabantur. cæterùm leuauerunt modò in præsentia velut corpus ægrum, quò mox in grauiorem morbum recideret. Hippocrates enim finitima prouinciæ Romanæ primò furtiuis excursionibus vastare cœpit: deinde cùm ad tuendos sociorum agros missum ab Appio præsidium esset, omnibus copiis impetum in oppositam stationem cum cæde multorum fecit. Quæ cùm essent nuntiata Marcello, legatos extempló Syracusas misit, qui pacis fidem ruptam esse dicerent: nec belli defuturam vnquam causam, nisi Hippocrates atque Epicides non ab Syracusis modò, sed tota procul Sicilia ablegarentur. Epicides ne aut reus criminis absentis fratris præsens esset, aut deesset pro parte sua concitando bello: profectus & ipse in Leontinos, quia satis eos aduersus populum Romanũ cócitatos cernebat: auertere etiam ab Syracusis cœpit. Nam ita eos pacem pepigisse cum Romanis, vt quicunque populi sub regibus fuissent, & suæ ditionis essent, nec iam libertate contentos esse, nisi etiam regnent ac dominentur. Renunciandum igitur eis esse, Leontinos quoque æquum censere liberos esse: vel quòd in solo vrbis suæ tyrannus ceciderit: vel quòd ibi primùm conclamatum ad libertatem, relictísque regiis ducibus Syracusas sit concursum. Itaque aut eximendum id de fœdere esse, aut legem eam fœderis non accipiendam. Facile multitudini persuasum. legatísque Syracusanorum & de cæde stationis Romanæ querentibus, & Hippocratem atq; Epicidem abire, seu Locros, seu quò aliò mallent, dummodo Sicilia cederent, iubentibus, ferociter responsum est: Neq; mandasse sese Syracusanis, vt pacem pro se cum Romanis facerent: neque teneri alienis fœderibus. Hæc ad Romanos Syracusani detulerunt, abnuentes Leontinos in sua potestate esse. itaque integro secum fœdere bellum Romanos cum iis gesturos, neq; sese defuturos ei bello: ita, vt in potestatem redacti, suæ rursus ditionis essent, sicut pax conuenisset. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, Appio quoque accito, vt altera parte aggrederetur: tanto ardore militum est vsus ob iram inter conditiones pacis interfectæ stationis, vt primo impetu vrbem expugnarent. Hippocrates atque Epicides, postea quam capi muros, refringíque portas viderunt, in arcem sese cum paucis recepere. inde clam nocte Herbesum perfugiunt. Syracusanis octo millium armatorum agmine profectis domo ad Mylam flumen nuntius occurrit, captam vrbem esse, cætera falsa mista veris ferens: cædem promiscuam militum atq; oppidanorum factam, nec quenquã puberem arbitrari superesse: direptam vrbem, bona locupletum donata. Ad nuntium tam atrocem constitit agmen: concitatísque omnibus, duces (erant autem Sosis ac Dinomenes) quid agerent cõsultabant. Erroris speciem haud vanam mendacio præbuerat verberati ac securi percussi transfugæ ad duo millia hominum. Cæterùm Leontinorum militúmque aliorum nemo post captam vrbem violatus fuerat: suáque omnia eis, nisi quæ primus tumultus captæ vrbis absumpserat, restituebantur. Nec vt Leontinos irent, proditos ad cædem commilitones querentes, perpelli potuere, nec vt eodem loco certiorem nuntium expectarent. Cùm ad defectionem inclinatos animos cernerent Prr. sed eum motum haud diuturnum fore, si duces amentiæ sublati essent, exercitum ducunt Megaram. ipsi cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur, spe territis omnibus per proditionem vrbis potiundæ. quod vbi frustra eis fuit incœptũ, vi agendum rati. postero die Megaris castra mouent, vt Herbesum omnibus copiis oppugnarent. Hippocrates & Epicides non tam tutum prima specie, quàm vnũ spe vndiq; abscisa consilium esse rati, vt se militibus permitterent, & assuetis magna ex parte sibi, & tum fama cædis commilitonum accensis, obuiam agmini procedunt. Prima forte signa sexcentorum Cretensium erant, qui apud Hieronymum meruerant sub eis, & Annibalis beneficium habebant, capti ad Thrasymenum inter Romana auxilia, dimisísque. quos vbi ex signis armorúmq; habitu cognouere Hippocrates atq; Epicides, ramos oleæ ac velaméta alia supplicum porrigentes orare, vt reciperẽt sese, receptósque tutarentur, neu proderent Syracusanis: à quibus mox ipsi trucidandi P R dederentur. Enimnero con

Apollonides ad concordiã Syracusanos hortatur.

Syracusani legatos mittunt ad rem cum Romanis confirmandam.

Leontini deficiunt à Syracusanis.

Marcellus Leõtinos oppugnat.

Syracusani prætores Herbesum proficiscuntur.

A ro conclamant, bonum vt animum haberent, omnem se cum illis fortunam subituros. Inter hoc collo quium signa constiterant, tenebatúrque agmen: nec dum quæ moræ causa foret, peruenerat ad duces. Postquàm Hippocratem atque Epicidem adesse peruasit rumor, fremitúsque toto agmine erat haud dubiè approbantium aduentum eorum: extemplò Prr. citatis equis ad prima signa perrexerunt. qui mos ille, quæ licentia Cretensium esset, rogitantes, colloquia serendi cum hoste? iniussúque prætorum miscendi eos agmini suo? comprehendi, vincirique catenis iusserunt Hippocratem. ad quam vocem tantus extemplò primùm à Cretensibus clamor est ortus, deinde exceptus ab aliis, vt facilè, si vltra tenderent, appareret eis timendum esse. Soliciti incertique rerum suarum Megaram; vnde profecti erant, referri signa iubent, nuntiósque de statu præsenti Syracusas mittunt. Fraudem quoque Hippocrates addit, inclinatis ad omnem suspicionem animis: & Cretensium quibusdam ad itinera insidenda missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, recitat. Prr. Syracusani Marcello suo S. Secundum salutem, vt assolet, scriptum erat. Rectè eum atque ordine fecisse, quòd in Leontinis nulli pepercisset. Sed omnium mercenariorum militum eandem esse causam, nec vnquam Syracusas quieturas, donec quicquam externorum auxiliorum aut in vrbe, aut in exercitu suo esset. itaque daret operam, vt eos qui cum suis prætoribus castra ad Megaram haberent, in suam potestatem redigeret, ac supplicio eorum liberaret tandem Syracusas. Hæc cùm recitata essent, tanto clamore ad arma discursum est, vt prætores inter tumultum pauidi abequitauerint Syracusas. & ne fuga quidem eorū seditio compressa est, impetúsque in Syracusanos milites fiebat. nec ab vllo temperatum foret, ni Epicides atque Hippocrates iræ multitudinis obuiam issent: non à misericordia, aut humano consilio: sed ne spem reditus præciderent sibi, & cùm ipsos simul milites fidos haberent, simul obsides: tum cognatos quoque eorum, atque amicos tanto merito primùm, dein pignore sibi conciliarent. expertíque quàm vana, aut leui aura mobile vulgus esset, militem nacti ex eo numero, qui in Leontinis circunsessi erant, subornant: vt Syracusas perferret nuntium cōuenientem eis, quæ ad Mylan falsò nuntiata erant: authorémque se exhibendo, ac velut visa quæ dubia erant, narrando, concitaret iras hominum. Huic non apud vulgum modò fides fuit, sed senatum quoque in curiam introductus mouit, vt vani quidam homines palàm ferrent, perbene detectam in Leontinis esse auaritiam & crudelitatem Romanorum. eadem, si intrassent Syracusas, aut fœdiora etiam. quo maius ibi auaritiæ præmium esset, facturos fuisse. Itaque claudendas cunctis portas, & custodiendam vrbem censere. sed non ab eisdem omnes timere, nec eosdem odisse. ad militares penè omnes, partémque magnam plebis inuisum esse nomen Romanum, prætores optimatúmque pauci quanquàm inflati vano nuntio erant, tamen ad propius præsentiúsque malum cautiores esse. Etiam ad Hexapylum erant Hippocrates atque Epicides: serebantúrque colloB quia per propinquos popularium, qui in exercitu erant, vt portas aperirent, sinerentque communem patriam defendi ab impetu Romanorum. Iam vnis foribus Hexapyli apertis cœpti erant recipi, cùm Prr. interuenerunt. & primo imperio minísque, deinde authoritate deterrendo: postremò, vt omnia vana erant, obliti maiestatis precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus, & tum corruptoribus exercitus. Sed surdæ adeò omnium aures concitatæ multitudinis erant, quòd non minore intus vi, quàm foris portæ effringerentur. effractísque omnibus tuto in Hexapylo agmen receptum est. Prr. in Acradinam cum iuuentute popularium confugiunt. mercenarii milites perfugæque, & quicquid regiorum militum Syracusis erat, agmen hostiū augent. Ita Acradina quoque primo impetu capitur, prætorésque, nisi qui inter tumultum effugerunt, omnes interficiuntur. nox cædibus finē fecit. Postero die serui ad pileum vocati, & carcere vincti emissi. confusáque omnis multitudo Hippocratem atque Epicidem creant prætores, Syracusæque, cum breue tempus libertas affulsisset, in antiquam seruitutem reciderunt. Hæc nuntiata cùm essent Romanis, ex Leontinis mota sunt extemplò castra ad Syracusas. Et ab Appio legati per portum missi fortè in quinqueremi erant. præmissa quadriremis, cùm intrasset fauces portus, capitur. legati ægrè effugerunt. Et iam non modò pacis, sed ne belli quidem iura relicta erant: cùm Romanus exercitus ad Olympiū (Iouis id templum est) mille & quingentis passibus ab vrbe castra posuit. Inde quoque legatos præmitti placuit. quibus ne intrarent vrbē, extra portam Hippocrates atq; Epicides obuiam cum suis processerunt. Romanus orator non bellum se Syracusanis, sed opem auxiliúmque afferre ait: & iis qui ex media cæde elapsi perfugerint ad se, & eis qui metu oppressi fœdiorem non exilio solùm, sed etiam morte seruitutem patiantur. Nec cædem nefandam sociorū inultam Romanos passuros. Itaque si eis qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus patêret, ac cædis authores dedantur, & libertas legésque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse. si ea non fiant, quicunque in mora sit, bello persecuturos. Ad ea Epicides, si qua ad se mandata haberent, responsum eis, ait, se daturos fuisse: cùm in eorum ad quos venerint, manu res Syracusana esset, tum reuerterentur. Si bello lacessant, ipsa re intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare. Ita legatis relictis portas clausit. Inde terra marique simul cœptæ oppugnari Syracusæ: terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, cuius murus fluctu alluitur: & quia sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant, vastām disiectámque spatio vrbem parte aliqua se inuasuros, omnem apparatum oppugnandarum vrbium muris admouerunt. Et habuisset tanto impetu cœpta res fortunam, nisi vnus homo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes is erat, vnicus spectator cæli siderúmque: mirabilior tamen inuentor ac machinator bellicorum tormentorum, operúmque, quibus ea quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perleui momento ludificaretur. Murum per inæquales ductum colles, pleraque alta & difficilia aditu, summissa quædam, & quæ planis vallibus adiri possent, vt cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit

Ob Hippocratem sedi tio mota in Syracusano exercitu.

Hippocratis dolus.

Syracusanorum seditio.

Legatus Romanus ad Syracusanos.

Syracusæ terra marique oppugnantur à Romanis.

Archimedes.

instruxit. Acradinæ murum, qui, vt antè dictum est, mari alluitur, ex quiuqueremibus Marcellus op- A
pugnabat. ex cæteris nauibus sagittarii funditoréſque, & velites etiam, quorum telum iohabile ad re-
mittendum imperitis est, vix quenquam sine vulnere consistere iu muro patiebantur. Hi, quia spatio
missilibus opus est, procul muro tenebant naues. iunctæ aliæ binæ ad quiuqueremes, demptis interio-
ribus remis, vt latus lateri applicaretur: cùm exteriore ordine remorum velut uaues agerentur, turres
Archimedis solertia in tuendis Syracusis.
contabulas, machinamentáque alia quatiendis muris portabant. Aduersus hunc naualem apparatum
Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit. iu eas quæ procul erant naueis saxa in-
genti pondere emittebat. propiores leuioribus, eóque magis crebris petebat telis. postremò vt sui vul
nere intacti tela in hostem ingererent: murum ab imo ad summum crebris cubitalibus ferè cauis ape-
ruit, per quæ caua pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quæ propius
quidem subibant naues, quo interiores ictibus tormentorum essent: in eas tollendas desuper murum
eminentem ferrea manus firmæ catenæ illigata, cùm iniecta proræ esset, grauíque libramento plumbi
recelleret ad solum: suspensa prora, nauim in puppim statuebat. dein remissa subitò, velut ex muro ca-
dentem nauim cum ingeoti trepidatione nautarum ita vudæ affligebant, vt etiam si rectà recideret,
aliquantum aquæ acciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa. omnísq; vis est auersa, vt totis viribus
terra aggrederentur. sed ea quoque pars eodem onini apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis
impensis curáq; per multos annos, Archimedis vnica arte. natura etiam adiuuabat loci: quòd saxum,
cui imposita muri fundamenta sunt, magna ex parte ita procliue est, vt oon solùm missa tormento, sed
etiam quæ pondere suo prouoluta essent, grauiter in hostem inciderent. eadem causa ad subeundum
arduum aditum instabilémque ingressum præbebat. Ita consilio habito, cùm omnis conatus ludubrio
esset, absistere oppugnatione, atque obsidendo tantùm arcere terra maríque commeatibus hostem pla
Marcellus quas urbes in Sicilia recepit.
cuit. Interim Marcellus cum tertia ferè parte exercitus ad recipiendas vrbes profectus, quæ iu motu
rerum ad Carthaginieuses defecerant, Pelorum atque Herbesum dedentibus ipsis recepit. Megaram
vi captam diruit ac diripuit, ad reliquorum, ac maximè Syracusanorum terrorem. Per idem ferè tem-
pus & Himilco, qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant
Minoam, quinque & viginti millia peditum, tria equitum, XII elephantos exposuit. Nequaquam cum
tantis copiis antè tenuerat ad Pachynum classem. sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ
erant, profectus Carthaginem, accitúsque ibi & ab legatis Hippocratis, & literis Anuibalis, qui venis-
se tempus aiebat Siciliæ per summum decus repetẽdæ: & ipse haud vanus præsens monitor facile per-
Carthaginiensiũ classis Heracleã appulit.
pulerat, vt quautæ maximæ possent, peditum equitúmque copiæ in Siciliam traiicerentur. Adueniens
Heracleam, intra paucos dies inde Agrigentum recipit: aliarúmque ciuitatum quæ partis Carthagi-
niensium erant, adeò accensæ sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos, vt postremò etiam qui obside- B
bantur Syracusis animos sustulerint. & parte copiarum satis defendi vrbem posse rati, ita inter se mu-
nera belli partiti sunt: vt Epicides præesset custodiæ vrbis, Hippocrates Himilconi coniunctus, bel-
lum aduersus COS. Romanum gereret. Cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per
intermissa custodiis loca profectus, castra circa Accillas vrbem ponebat. Munientibus superuenit
Marcellus, ab Agrigento iam occupato, cùm frustra eò peruenire hostem festinans tetendisset, re-
diens: nihil minus ratus, quàm illo tempore ac loco Syracusanum sibi exercitum obuiam fore. sed ta-
men metu Hioulconis Pœnorúmque, vt quibus nequaquam eis copiis quas habebat par esset, quàm
poterat maximè intentus, atque agmine ad omnes casus composito ibat. Fortè ea cura, quæ erat ad-
uersus Pœuos præparata, aduersus Siculos vsui fuit. Castris poneodis incompositos ac dispersos na-
ctus eos & plerósque inermes, quod peditum fuit circumuenit. eques leui certamine inito, cum Hip-
pocrate Acras perfugit. Ea pugna deficientes ab Romanis cum cohibuisset Siculos, Marcellus Syra-
cusas rediit: & post paucos dies Himilco adiuncto Hippocrate ad flumen Anatim, octo fermè inde
Alia Carthaginiensium classis Syracusas adijt.
millia castra posuit. Sub idem ferè tempus & naues longæ quiuque & quinquaginta Carthaginien-
sium cum Bomilcare clasis præfecto in magnum portum Syracusas ex alto decurrere, & Romana
item clasis, XXX quinqueremes legionem primam Panormi exposuere: versúmque ab Italia bellum.
adeò vterque populus iu Siciliam intentus fuisse videri poterat. Legionem Romanam, quæ exposita
Panormi erat, venientem Syracusas prædæ haud dubiæ sibi futuram Himilco ratus, via decipitur. me-
diterraneo nanq; Pœnus itinere duxit: legio maritimis locis classe prosequẽte ad Appium Claudium
Pœni Syracusis abscedunt.
Pachynum cum parte copiarum obuiam progressum, peruenit. Nec diutius Pœni Syracusis morati
sunt. & Bomilcar simul parum fidens nauibus suis, duplici facile numero classe aduentantibus Roma-
nis, simul inutili mora cernens nihil aliud ab suis quàm inopia aggrauari socios, velis in altum datis in
Africam transmisit. & Himilco secutus nequicquam Marcellum Syracusas, si qua, prius quàm maiori-
bus copiis iungeretur, occasio pugnandi esset: postquàm ea nulla contigerat: tutúmq; ad Syracusas &
munimẽto & viribus hostẽ cernebat, ne frustra asidendo spectandóq; obsidionẽ sociorũ tẽpus tere-
ret, castra inde mouit: vt quocúnq; vocasset defectionis ab Romanis spes, admoueret exercitũ, ac præ
sens suas res fouẽtibus adderet animos. Murgantiam primùm, prodito ab ipsis præsidio Romano, rece
Plurima Romanorũ præsidia in Sicilia per fraudẽ oppressa.
pit: vbi frumẽti magna vis, commeatúsq; omnis generis cõuecti erãt à Romanis. Ad hanc defectionẽ
erecti sunt & aliarum ciuitatũ animi: præsidiáq; Romana aut pellebantur arcibus, aut prodita per frau-
dem opprimebantur. Aenna iu excelso loco ac prærupto vndiq; sita, cùm loco inexpugnabilis erat,
tum præsidiũ in arce validum, præfectúmq; præsidii haud sanè opportunũ insidiantibus habebat. L. Pi
narius erat vir acer, & qui plus in eo, ne posset decipi, quàm in fide Siculorũ reponeret. & tum intende
rant eum ad cauendum omui cura tot auditæ proditioues, defectionésq; vrbiũ, & clades præsidiorũ.

itaque

A itaque nocte diéque iuxtà parata instructáque omnia custodiis ac vigiliis erant: nec ab armis, aut loco suo miles abscedebat. Quod vbi Aennensium principes iam pacti cum Himilcone de proditione præsidii animaduerterunt, nulli occasioni fraudis Romanum patêre, apertè ac propalam placuerat agendum. Vrbem arcémque suæ potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem, non serui in custodiam traditi essent Romanis. itaque claues portarum reddi sibi æquum censent. bonis sociis fidem suam maximum vinculum esse. & ita sibi populum Romanum senatúmque gratias habiturum, si volentes, ac non coacti mansissent in amicitia. Ad ea Romanus, se in præsidio impositum esse dicere, ab imperatore suo: clauésque portarum & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo, nec Aennensium arbitrio haberet, sed eius qui commisisset. præsidio decedere, apud Romanos capitale esse: & nece liberorum etiam suorum eam legem parentes, sanxisse. cõsulem Marcellum haud procul esse: ad eum mitterent legatos, cuius iuris atque arbitrii esset. Se verò negare illi missuros: testaríque, si verbis nihil agerent, vindictam aliquam libertatis suæ quæsituros. Tum Pinarius ait illis: si ad consulem grauarentur mittere, sibi saltem darent populi consilium: vt sciretur, vtrum paucorum ea denunciata, an vniuersæ ciuitatis essent. Consensu in posterum diem concio edicitur.

Aennenses defectionis cupidi.

Postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit, cõuocatis militibus: Credo ego vos audisse milites, inquit, quemadmodum præsidia Romana ab Siculis circumuēta & oppressa sint per hos dies. eam vos fraudem deûm primò benignitate, dein vestra ipsi virtute dies noctésq; perstando ac peruigilando in armis, vitastis. vtinã reliquũ tẽpus nec patiendo infauda, nec faciẽdo traduci possit. Hæc occulta fraude cautio est: qua, quia adhuc minus cui quàm successit, apertè ac propalàm claues portarũ reposcunt. quas simul tradiderimus, Carthaginiensium extemplò Aenna erit: fœdiúsq; hic trucidabimur, quàm Murgantiæ præsidiũ interfectum est. Noctem vnã ægrè ad consultandum sumpsi, qua vos certiores periculi instantis facerẽ. Orta luce concionem habituri sunt ad criminandum me, concitandúmq; in vos populum. itaq; crastino die, aut vestro, aut Aennensium sanguine Aenna inundabitur. nec præoccupati peculii, nec occupantes periculi quicquã habebitis. qui prior strinxerit ferrũ, eius victoria erit. Intenti ergo omnes, armatíq; signũ expectabitis. ego in concione ero: & tempus quoad omnia instructa siut, loquendo altercandóq; traham. cùm toga signum dedero, tum mihi vndique clamore sublato turbam inuadite, ac sternite omnia ferro: & cauete ne quisquàm ex iis supersit, à quibus aut vis aut fraus timeri possit. Vos Ceres mater ac Proserpina precor, cæteri superni inferníque dii, qui hanc vrbem, hos sacratos lacus lucósque colitis, vt ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandæ, non ferendæ fraudis causa hoc consilii capimus. Pluribus vos milites hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset. inermes, incautos ad satietatẽ trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, nequid ab Himilcone & Carthaginiensibus timeri possit.

Pinarij ad suos oratio.

Ab
B hac adhortatione dimissi, corpora curant. Postero die alii aliis locis ad obsidenda itinera, claudendósque oppidanis exitus, pars maxima super theatrum circáque, assueti & antè spectaculis concionum, consistunt. Productus ad populum à magistratibus præfectus Romanus, cùm consulis ea de re ius ac potestatem esse, non suam, & pleraque eadem quæ pridie prius dixisset: primò sensim ac plures reddere claues, dein iam vna voce id omnes iuberent: cunctantique ac differenti ferociter minitarentur, nec viderentur vltrà vim vltimam dilaturi: tum præfectus toga signum, vt conuenerat, dedit. militésque intenti dudum ac parati, alii supernè in aduersam concionem clamore sublato decurrunt, alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Cæduntur Aennenses cauea inclusi: coaceruantúrque non cæde solùm, sed etiam fuga, cùm alii super aliorum capita ruerent, atque integri sauciis, viui mortuis incidentes cumularentur. Inde passim discurritur, & vrbis captæ modo fugáque & cædes omnia tenet: nihilo remissiore militũ ira, quòd iure turbam inermẽ cædebant, quàm si periculum par & ardor certaminis eos irritaret. Ita Aenna aut malo, aut necessario facinore retenta.

Aennenses cæduntur à Romanis militibus.

Marcellus nec factum improbauit, & prædam Aennensium militibus concessit: ratus timore deteritos, tẽperaturos proditionibus prælidiorum Siculos. Atque ea clades, vt vrbis in media Sicilia sitæ, claræque vel ob insignem munimento naturali locum, vel ob sacrata omnia vestigiis raptæ quondam Proserpinæ, prope vno die omnem Siciliam peruasit. & quia cæde infanda rebantur non hominum tantùm, sed etiam deorum sedem violatam esse: tum verò qui etiam antè dubii fuerant, defecere ad Pœnos. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit, cùm acciti à proditoribus nequicquam ad Aennam exercitum admouissent. Marcellus retro in Leontinos redit: frumentóque & commeatibus aliis in castra conuectis, præsidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit. inde Appio Claudio Romam ad consulatum petendum misso, T. Quintium Crispinum in eius locum classi castrísque præfecit veteribus. ipse hybernacula quinque millia passuum ab Hexapylo (Leontiam vocant locum) communiit, ædificauítque. Hæc in Sicilia vsque ad principium hyemis gesta.

Siculorum pleræq; vrbes deficiũt ad Pœnos.

Eadem æstate & cum Philippo rege, quod iam antè suspectum fuerat, motum bellum est. Legati ab Orico ad M. Valerium Pr. venerunt, præsidentem classi Brundusio, Calabriæque circà litoribus, nuntiantes Philippum primùm Apolloniam tentasse, leuibus biremibus c x x flumine aduerso subuectum: deinde, vt ea res tardior spe fuerit, ad Oricum clàm nocte exercitum admouisse: eámque vrbem sitam in plano, neque mœnibus, neque viris, neque armis validam primo impetu oppressam esse. Hæc nuntiantes orabant; vt opem ferret, hostémque haud dubium Romanis terra, aut maritimis viribus arceret, qui ob nullam aliam causam, nisi quòd imminerent Italiæ, peterentur. M. Valerius præsidio loci eius relicto T. Valerio legato, cum classe instructa paratáque, & quòd longæ naues militum capere non poterant, in onerarias impositis, altera die Oricum peruenit: vrbémque eam leui tenente præsidio, quod recedens inde reliquerat Philippus, haud magno certamine recepit. Legati eò ab Apollonia venerunt

Bellũ cũ Philippo Macedonum rege motum.

Apolloniam Philippus oppugnat.

A venerunt nuntiantes, in obsidione sese, quòd deficere ab Romanis nollent, esse: neque sustinere vltrà vim Macedonum posse, nisi præsidium mittatur Romanum. Facturum se, quæ vellent pollicitus, mille delectorum militum nauibus longis mittit ad ostium fluminis, cum præfecto sociûm Næuio Crispo, viro impigro & perito militiæ. Is expositis in terram militibus, nauibúsque Oricum retro vnde venerat ad cæteram classem remissis, milites procul à flumine per viam minimè ab regiis obsessam duxit: & nocte, ita vt nemo hostium sentiret, vrbem est ingressus. Die insequenti quieuere, dum

Apolloniates Philippi castra noctu inuadunt.

præfectus iuuentutem Apolloniatum, armáque & vrbis vires inspiceret. vbi ea visa inspectàque satis animorum fecere: simúlque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac negligentia apud hostes esset: silentio noctis ab vrbe sine vllo tumultu egressus, castra hostium adeò neglecta atque aperta intrauit, vt satis constaret prius plus mille hominum vallum intrasse, quàm quisquam sentiret: ac si cæde abstinuissent, peruenire ad tabernaculum regium potuisse. Cædes proximorum portæ excitanit hostes. inde tantus terror pauórque omnes occupauit, vt non modò alius quisquàm arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur: sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, propè seminudus fugiens, militi qnoque, nedum regi vix decoro habitu, ad flumen nauésque perfugerit. eodem & alia tur

Philippi fuga.

ba effusa est. Paulo minus tria millia militum in castris aut capta, aut occisa. plus tamen hostium aliquãto captum, quàm cæsum est. Castris direptis, Apolloniatæ catapultas, balistas, tormentáq; alia, quæ oppugnandæ vrbi comparata erant, ad tuenda mœnia, siquando similis fortuna venisset, Apolloniam deuexere. cætera omnis præda castrorum Romanis cõcessa est. Hæc cùm Oricum essent nuntiata, M. Valerius classem extemplò ad hostinm fluminis duxit, ne nauibns capessere fugam rex posset. Itaqne Philippus neque terrestri, neque nauali certamine satis fore parem se fidens, subductis aut incensis nauibus, terra Macedoniam petiit, magna ex parte inermi exercitu, spoliatóque. Romana classis cum M. Valerio Orici hybernauit. eodem anno in Hispania variè res gestæ. nam prius quàm Romani amnem

Res in Hispania gestæ.

Iberum transirent, ingentes copias Hispanorum Mago & Asdrubal fuderunt. defecissétque ab Romanis vlterior Hispania, ni P. Cornelius raptim traducto exercitu Iberum, dubiis socinrum animis in tẽpore aduenisset. Primò ad castrum Altum (locus est insignis cæde magni Amilcaris) castra Romani habuere. Arx erat munita, & conuexerant antè frumentum. tamen quia omnia circa hostiũ plena erãt: agménque Romannm impunè incursatum ab equitibus hostium fuerat: & ad duo millia aut moratorum, aut palantium per agros interfecta: cessere inde Romani propius pacata loca, & ad montem Victoriæ castra communiuere. Eò Cn. Scipio cum omnibus copiis, & Asdrubal Gisgnnis filius, tertius Carthaginiensium dux cum exercitu iusto aduenit: contráque castra Romana trans fluuium omnes consedere. P. Scipio cum expeditis clàm profectus ad loca circà visenda, haud fefellit hostes: oppres-

Castulo urbs Hispaniæ ad Pœnos defecit.

sissentque eum in patentibus campis, ni tumulum in propinquo cepisset. ibi quoque circumsessus ad- B uentu fratris, obsidione eximitur. Castulo vrbs Hispaniæ valida ac nobilis, & adeò coniuncta societate Pœnis, vt vxor inde Annibali esset, ad Romanos defecit. Carthaginienses Illiturgũ oppugnare adorti, quia præsidium ibi Romanum erat. videbantúrque inopia eum locum maximè expugnaturi. Cn. Scipio, vt sociis præsidióque ferret opem, cum legione expedita profectus, inter bina castra cum magna cæde hostium vrbem est ingressus. & postero die eruptione æquè felici pugnauit, supra duodecim millia hominum cæsa duobus præliis: plus decem millia capta, cum sex & triginta militaribus signis. ita ab Illiturgi recessum est obsidione. Bigerra inde vrbs (socia & hæc Romanorum erat) à Carthaginiensibus oppugnari cœpta est. Eam obsidionem sine certamine adueniens Cn. Scipio soluit. Ad Mundam exinde castra Punica mota. Et Romani eò confestim secuti sunt. Ibi signis collatis pugnatum per

Cn. Scipionis femur tragula cõfixum.

quatuor fermè horas, egregiéque vincentibus Romanis signum recepeni est datum, quòd Cn. Scipionis femur tragula confixum erat: pauórque circa eum ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. Cæterùm hand dubium fuit, quin, nisi ea mora interuenisset, castra eo die Punica capi potuerint. iam enim non milites solùm, sed elephanti etiam vsque ad vallum acti erant: supérque ipso nouem & triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoque prælio ad duodecim millia hominum dicuntur cæsa: propè tria millia capta, cum signis militaribus septem & quinquaginta. Ad Auringen inde vrbem Pœni recessere. & vt territis instaret, secutus Romanus. Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus cõflixit. nec dnbia victoria fuit: minus tamen dimidio hostium, quàm antea, quia pauciores superfuerant qui pugnarent, occisum. Sed gens nata instaurandis reparandísque bellis, Magone ad conquisitionem militum fratre misso, breui repleuit exercitum: animósque ad tentandnm deintegro certamen fecit. Alii plerique milites, sicut pro parte toties intra paucos dies victa, eisdem animis quibus prius, eodémque euentu pugnauere. plus octo millia hominum cæsa: haud multo minus quàm mille capta, & signa militaria LVIII. & spolia plurima Gallica fuere: annuli aurei, torques armillæq; magnus numerus. duo etiã insignes reguli Gallorum (Mœnicapto & Ciuismaro nomina erant) eo prælio ceciderunt. octo elephanti capti,

Saguntum recipiũt Romani.

tres occisi. Cum iam res prosperæ in Hispania essent, verecundia Romanos tandẽ cepit: Saguntũ oppidum, quod causa belli esset, octauũ iam annũ sub hostiũ potestate esse. itaq; id oppidũ vi pulso præsidio Punico receperũt: cultoribúsq; antiquis quos vis reliquerat belli, restituerũt. & Turdetanos qui cõtraxerant eis cũ Carthaginiensibus bellũ, in potestatẽ redactos sub corona vendiderũt, vrbémq; eorũ de-

Censoribus ad populum dies dicta.

leuere. Hæc in Hispania Q. Fabio, M. Claudio COSS. gesta. Romæ cùm tribnni plebis noui magistratũ inissent, extemplò censoribus P. Furio & M. Attilio à L. Metello trib. pleb. dies dicta ad populum est. quæstorem eum proximo anno adempto equo tribu monerant, atque ærarium fecerant, propter coniurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam. sed nouem tribunorum auxilio vetiti cansam in magistratu dicere, dimissíq; fuerant. Ne lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii. M. Attilius magistratu se abd

A tu se abdicauit. Consularia comitia habita à Q. Fabio Maximo c o s. creati consules ambo absentes, Q.
Fabius Maximus consulis filius, & T. Sempronius Graccus iterum. Prætores fiunt M. Attilius, & qui
tum ædiles curules erant: P. Sempronius Tuditanus, & Cn. Fuluius Centimalus, & M. Aemylius Le-
pidus. Ludos scenicos per quatriduum eo anno primùm factos ab curulibus ædilibus, memoriæ pro- *Ludi scenici primum facti.*
ditur. Aedilis Tuditanus hic erat, qui ad Cannas, pauore aliis in tanta clade torpentibus, per medios
hostes erupit. Comitiis perfectis ab Q. Fabio c o s. designati consules Romam accersiti magistratum
inierunt: senatúmque de bello ac prouinciis suis prætorúmque, & de exercitibus quibus quique præ-
essent, consuluerunt. Itaque prouinciæ atque exercitus diuisi. Bellum vndecunque cùm Annibale con- *Prouinciarum atq; exercituũ Romanorum diuisio.*
sulibus mandatum, & exercitus vnus quem ipse Sempronius habuerat, alter quem Fabius c o s. eæ bi-
næ erant legiones. M. Aemylius Pr. cuius peregrina sors erat, iurisdictionem Attilio collegæ prætori
vrbano mandarat, vt Luceriam prouinciam haberet, legionésque duas, quibus Q. Fabius qui tum con-
sul erat, prætor præfuerat. prætori Sempronio prouincia Ariminum, Cn. Fuluio Suessula, cum binis itẽ
legionibus euenerũt: vt Fuluius vrbanas legiones duceret, Tuditanus à M. Pomponio acciperet. Pro-
rogata imperia prouinciæque, M. Claudio Sicilia, finibus eis quibus regnum Hieronis fuisset. Lentulo
Propr. prouincia vetus: T. Octacilio clasis, exercitus nulli additi noui: M. Valerio Græcia Macedoniá-
que, cum legione & classe, quam haberet: Q. Mutio cum vetere exercitu (duæ autem legiones erant)
Sardinia: C. Tarẽtio cum legione vna cui iam diu præerat, Picenum. Scribi præterea duæ legiones vr-
banæ iussæ, & viginti millia sociorum. His ducibus, his copiis aduersus multa simul aut mota, aut su-
specta bella munierunt Romanum imperium. Consules duabus vrbanis legionibus scriptis, supple-
mentóque in alias lecto, priusquàm ab vrbe mouerent, prodigia procurarunt, quæ nuntiata erant. Mu- *Prodigia.*
rus ac portæ tactæ, & Ariciæ etiam Iouis ædes de cælo tacta fuerat. Et alia ludibria oculorũ auriúmq;
credita pro veris. nauium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant, visæ. & in Iouis
Vicilini templo, quod in Cossano agro est, arma concrepuisse: & flumen Amiterni cruentum fluxisse.
His procuratis ex decreto pontificum, profecti cõsules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius.
Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. cùm obuiam filius progrederetur, lictorésque verecun-
dia maiestatis eius taciti anteirent, non summouentes patrem, præter vndecim fasces equo præuectus
senex, vt consul animaduertere proximum lictorẽ iussit, & is vt descenderet ex equo, inclamauit: tum
demum desiliens, experiri (inquit) volui fili, satin̄ scires cõsulem te esse. In ea castra Classius Altinius
Arpinas clám nocte cum tribus seruis venit, promittens, si sibi præmio foret, se Arpos proditurũ esse.
Cùm eam rem ad consilium retulisset Fabius, aliis pro transfuga verberandus necandúsque vide
ri, ancipitis animi communis hostis: qui post Cannensem cladem, tanquàm cum fortuna fidem stare
B oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissétque ad defectionem Arpos: tum posteaquam res Roma- *De prodito re quodã Arpinate uariæ sententiæ.*
na contra spem votáque eius velut resurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem: vt prodi-
tio pro septemuirali iudicio esset, sempérque aliud sentiret. infidus socius, vanus hostis, ad Faleriorum,
Pyrrhíve proditorem, tertium transfugis documentum esset. Contra ea consulis pater Fabius, tempo-
rum oblitos homines in medio ardore belli tãquàm in pace libera de quoq; arbitrari & agere, aiebat:
cùm illud potius agendum atq; eis cogitandum sit, si quo modo fieri posit, ne qui socii à populo Ro-
mano desciscant, & non vocitent. documẽtum autem ducant statui oportere, si quis resipiscat, & anti-
quam societatem respiciat. quòd si abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat, cui dubium esse,
quin breui deserta ab sociis Romana res fœderibus Punicis omnia in Italia iuncta visura sit? Se tamen
non eum esse, qui Altinio fidei quicquam censeat habendum, sed mediam cõsecuturum consilii viam.
neq; eum pro hoste, neq; pro socio in præsentia habitum, libera custodia haud procul à castris place-
re in aliqua fida ciuitate seruari per belli tempus. perpetrato bello, tum consultandum, vtrum defectio
prior plus merita sit pœnæ, an hic reditus veniæ. Fabio assensum est, catenísq; ligatus, traditus & ipse
& comites: & auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei seruari iussum. Calibus eum in-
terdiu solutũ custodes sequebantur, nocte clausum asseruabant. Arpis domi primùm desiderari, quæri-
que est cœptus: dein fama per totam vrbem vulgata, tumultũ pro principe amisso fecit: metúq; rerum
nouarũ extẽplò nuntii ad Annibalem missi. Quibus nequaquã offensus Pœnus, quia & ipsum vt ambi
guæ fidei virũ suspectum iampridem habebat, & causam nactus erat tam ditis hominis bona posiden
di, vendendíq;. cæterùm vt iræ magis, quàm auaritiæ datũ crederent homines, crudelitati quoq; gra-
uitatẽ addidit: coniugémq; eius ac liberos in castra accitos, quæstione prius habita, primùm de fuga, *Annibalis crudelitas.*
deinde quantũ auri argentíq; domi relictũ esset: satis cognitis omnibus, viuos combusit. Fabius ab
Suessula profectus, Arpos primùm institit oppugnare. vbi cùm à mille ferè pasibus castra posuisset, *Arpos oppugnat Fabius consul.*
cõtemplatus ex propinquo sitũ vrbis mœniáq;: quæ pars tutisima mœnibus erat, qua maximè negle-
ctam custodia vidit, ea potisimũ aggredi statuit. Cõparatis omnibus, quæ ad vrbes oppugnãdas vsui
sunt, centurionũ robora ex toto exercitu delegit, tribunósq; viros fortes eis præfecit: & milites sexcen
tos, quãtum satis visum est, attribuit: eósq;, vbi quartæ vigiliæ signũ cecinisset, ad eum locũ scalas iusit
ferre. Porta ibi humilis & angusta erat, via in frequẽti per desertam partẽ vrbis. eam portã scalis prius
transgressos, ad murũ pergere, & ex interiore parte claustra refringere inbet: & tenentes partẽ vrbis,
cornu signum dare, vt cæteræ copiæ admouerentur. parata omnia atq; instructa sese habiturũ. Ea impi-
grè facta: & quòd impedimentũ agentibus fore videbatur, id maximè ad fallendũ iuuit. Imber à nocte
media coortus custodes, vigilésq; dilapsos è stationibus suffugere in tecta coegit: sonitúq; primo lar-
gioris procellæ strepitũ demolientiũ portam, exaudiri prohibuit: lentior deinde æqualiórq; accidens *Arpi nocte capti.*
auribus, magnam partem hominum sopiuit. Posteaquàm portam tenuerunt, cornicines in via paribus
interual

interuallis dispositos canere iubent, vt consulē excirent. Id vbi factū ex cōposito est, signa efferri consul iubet: ac paulò ante lucē per effractā portā vrbē ingreditur. Tum demū hostes excitati sunt, iam & imbre cōquiescente, & propinqua luce. Præsidiū in vrbe erat, Annibalis quinq; millia fermè armatorū: & ipsi Arpini tria millia hominū armabāt. eos primos Pœni, ne quid ab tergo fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum primò in tenebris angustijs; viis est: cùm Romani nō vias tātùm, sed tecta etiā proxima portæ occupassent, ne peti supernè ac vulnerari possent. Cogniti inter se quidā Arpiniq; & Romani, atq; inde colloquia cœpta fieri: percunctantibus Romanis quid sibi vellent Arpini? quam ob noxā Romanorū, quod ob meritū Pœnorū, pro alienigenis ac barbaris Italici aduersus veteres socios Romanos bellū gererēt? & vectigalē ac stipendiariā Italiā Africæ facerēt: Arpinis purgātibus, ignaros omniū se venū à principibus datos, penè captos oppressósq; à paucis esse. Initio orto plures cum pluribus colloqui. postremò prætor Arpinus ab suis ad consulē deductus, fidéq; data inter signa aciésq;, Arpini repētè pro Romanis aduersus Carthaginiēsēs arma verterūt. Hispani quoq; paulo minus mille homines, nihil præterea cum cōsule pacti, quàm vt sine fraude Punicū emitteretur præsidium, ad consulē transtulerunt signa. Carthaginiensibus portæ patefactæ, emissíq; cū fide incolumes ad Annibalem, Salapiā venerūt. Arpi sine clade vllius, præterquā vnius veteris proditoris, noui perfugæ, restituti Romanis. Hispanis duplicia cibaria dari iussa, operáq; eorū forti ac fideli persæpe Respublica vsa est. Cùm consulū alter in Apulia, alter in Lucanis esset: equites CXII nobiles Cāpani per speciē prædandi ex hostiū agro, permissu magistratuū ab Capua profecti, ad castra Romana, quæ super Suessulā erāt, venerunt. stationi militū qui essent dixerunt, colloqui se cū prætore velle. Cn. Fuluius castris præerat. cui vbi nuntiatū est, x ex eo numero iussis inermibus deduci ad se, vbi quæ postularent audiuit: (nihil autē aliud petebant, quàm vt Capua recepta bona sibi restituerētur) in fidē omnes accepti. Et ab altero prætore Sēpronio Tuditano oppidū Cliternū expugnatū. amplius septē millia hominū capta, & æris argentíq; signati aliquantū. Romæ fœdū incendiū per duas noctes, ac diem vnū tenuit, solo æqoata omnia inter Salinas ac portā Carmētalē cū Aequimelio Iugarióq; vico: in tēplis Fortunæ ac matris Matutæ & Spei extra portā, latè vagatus ignis sacra profanáq; multa absumpsit. Eodē anno P. & Cn. Cornelii, cū in Hispania res prosperæ essent, multósq; & veteres reciperent socios, & nouos adiicerent, in Africā quoq; spē extenderūt. Syphax erat rex Numidarū, subitò Carthaginiensibus hostis factus. ad eum centuriones tres legatos miserūt, qui cū eo amicitiā societatémq; facerent: & pollicerētur, si perseueraret vrgere bello Carthaginienses, gratā eam rem fore senatui populóq; Rom. & adnixuros, vt in tēpore, & bene cumulatā gratiā referant. Grata ea legatio barbaro fuit. collocutúsq; cū legatis de ratione belli gerēdi, vt veterū militū verba audiuit, quàm multarū rerū ipse ignarus esset, ex cōparatione tā ordinatæ disciplinæ animaduertit. Tū primùm, vt pro bonis ac fidelibus sociis facerent, orauit, vt duo legationē referrent ad imperatores suos: vnus apud sese magister rei militaris remaneret. rudē ad pedestria bella Numidarū gentē esse, equis tantū habilē. Ita iam inde à principiis gētis maiores suos bella gessisse, ita se à pueris insuetos. sed habere hostē pedestri fidentē marte, cui se æquari robore virium velit. & sibi pedites cōparandos esse: & ad id multitudine hominū regnū abundare. sed armandi ordinandíq; & instruēdi eos, artē ignorare. omnis, velut fortè cōgregata turba sua inscia, ac temeraria esset. Facturos se in præsentia quod vellet, legati responderūt: fide accepta, vt remitteret extēplò eū, si imperatores sui nō cōprobassent factū. Q. Statorio nomē fuit, qui ad regē remāsit. Cū duobus Romanis relata Numida, legatósq; in Hispaniā misit ad capiendā fidem ab imperatoribus Rom. iisdem mādauit, vt protinus Numidas, qui intra portas, seu præsidia Carthaginiensiū auxiliares essent, ad transitionē perlicerent. Et Statorius ex multa iuuētute regi pedites cōscripsit. ordinatósq; proximè morem Romanum instruendo, & decurrendo signa sequi, & seruare ordines docuit: & operi, aliísq; institutis militaribus ita assuefecit, vt breui rex nō equiti magis fideret, quàm pediti: collatísq; æquo cāpo signis iusto prælio Carthaginiēsem hostē superaret. Romanis quoq; in Hispania legatorū regis aduētus magno emolumento fuit. namq; ad famā eorū trāsitiones crebræ ab Numidis cœptæ fieri. Ita cū Syphace Romanis iuncta amicitia est. Quod vbi Carthaginienses acceperūt, extēplò ad Galam in parte altera Numidiæ (Massyla ea gens vocatur) regnantē legatos mittūt. Fliū Gala Masanissam habebat, septē & decē annos natū, cæterū iuuenē ea indole, vt iam tum appareret, eius regnū opulētius quàm quod accepisset, facturum. Legati quoniā Syphax se Romanis iunxisset, vt potētior societate eorū aduersus reges populósq; Africæ esset, docēt: melius fore Galæ quoq; Carthaginiensibus iungi quamprimū, antequā Syphax in Hispaniā, aut Romani in Africā trāseant: opprimi Syphacē, nihildū præter nomē ex fœdere Romano habentē, posse. Facile persuasum Galæ, filio deposcēte id bellū, vt exercitū mitteret. Qui Carthaginiensium legionibus cōiunctis, magno prælio Syphacē deuicit. XXX millia eo prælio hominū cæsa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex acie Numidas (extremi propè Oceanū aduersus Gadeis colunt) refugit: affluentibúsq; ad famā eius vndiq; barbaris, ingenteis breui copias armauit. cum quibus antequam in Hispaniam angusto direptam freto traiiceret, Masanissa cum victore exercitu aduenit. ísque ibi cum Syphace ingenti gloria per se sine vllis Carthaginensium opibus gessit bellum. In Hispania nihil memorabile gestum, præterquam quòd Celtiberum iouentutem eadem mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores Romani ad se perduxerunt: & nobilissimos Hispanos supra CCC inde in Italiam ad solicitandos populares, qui inter auxilia Annibalis erant, miserunt. Id modò eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quòd mercenarium militem in castris nemoem antè, quàm tum Celtiberos, Romani habuerunt.

Romæ incendiū multa absumpsit.

Syphax rex Numidarū.

Numidarum gens ad pedestria bella rudis.

Masanissa regis Galæ filius.

Syphax à Masanissa uictus.

Celtiberum iuuentus defecit ad Romanos.

A

B

A

DECADIS TERTIAE LIBER V.

P. Cornelius Scipio postea Africanus, ante legitimos annos ædilis factus est. Annibal urbem Tarentum præter arcẽ per Tarentinos iuuenes, qui se noctu uenatũ ire simulauerant, cepit. Ludi Apollinares ex Martij carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fuluio & Ap. Claudio Coss. aduersus Hannonẽ Pœnorũ ducẽ prosperè pugnatũ est. T. Sempronius Gracchus procos. ab hospite suo Lucano in insidias ductus, à Magone interẽptus est. Centenius Penula, qui centurio militauerat, cũ petisset à senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitusq; esset, si hoc impetrasset, de Annibale uictoriam: octo millibus acceptis militum dux factus conflixit acie cum Annibale, qui cum exercitu eum cæcidit. Cn. Fuluius pr. malè aduersus Annibalem pugnauit: in quo prælio hominũ sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est à Q. Fuluio, & Ap. Claudio COSS. Claudius Marcellus Syracusas expugnauit anno tertio, & ingentem se uirũ gessit. in eo tumultu urbis captæ, Archimedes intentus formis quas in puluere descripserat, interfectus est. P. & Cn. Scipiones in Hispania tot annorumq; rerum feliciter gestarũ tristem exitum tulerunt, propè cum totis exercitibus cæsi anno octauo, quàm in Hispaniã iuerant. amissaq; eius prouinciæ possessio foret, nisi L. Martij equitis Romani uirtute & industria contractis exercituum reliquijs, eiusdem hortatu bina castra hostium expugnata essent. ad triginta septem millia cæsa, ex mille octingentis præda ingens capta. dux Martius appellatus est.

DVM hæc in Africa atque in Hispania geruntur, Annibal in agro Tarentino æstatem consumpsit, spe per proditionem vrbis Tarentinorum potiundæ. ipsorum interim Salentinorum ignobiles vrbes ad eum defecerunt. Eodem tempore in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos desciuerãt, Cõsentini & Thurini in fidem populi Romani redierunt. & plures rediissent, ni L. Pomponius Veientanus præfectus sociũ, prosperis aliquot populationibus in agro Brutio iusti ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto cum Hannone conflixisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium seruorũmque cæsa, aut capta est. minimúmque iacturæ fuit, quòd præfectus inter cæteros est captus, & tum temerariæ pugnæ author & antè publicanus, omnibus malis artibus & reip. & societatibus infidus, dãnosúsque. Sempronius COS. in Lucanis multa prælia parua, haud ullũ dignũ memoratu fecit: & ignobilia oppida Lucanorũ aliquot expugnauit. Quo diutius trahebatur bellum, & variabant secundæ aduersæque res, non fortunã magis quàm animos honminum: tanta religio, & ea magna ex parte externa, ciuitatem incessit, ut aut homines, aut dii repẽte alii viderẽtur facti. nec iam in secreto modo atque intra parietes ac postes contẽnebantur Romani ritus: sed in publico etiã ac foro Capitolióque mulierum turba erat, nec sacrificantium nec precantiũ deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominũ mentes, quorũ numerum auxit rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate & metu in vrbem cõpulsa: & quæstus ex alieno errore facilis, quem velut ex cõcessæ artis vsu exercebãt. Primò secre-

Salentinorũ ignobiles urbes ad Pœnũ deficiunt.

Externis religionibus Roma incessitur.

B tæ bonorũ indignationes exaudiebãtur, deinde ad patres etiã, & ad publicã querimoniam excessit res. Incusati grauiter ab senatu ædiles triũuirique capitales, quod non prohiberent: cùm emouere eã multitudinẽ è foro, ac disiicere apparatus sacrorũ conati essent, haud procul abfuit quin violarẽtur. Vbi potentius iã esse id malũ apparuit, quã vt minores per magistratus sedaretur: M. Aemylio Pr. vrbis negotium ab senatu datũ est, vt & his religionibus populũ liberaret. Is & in concione senatuscõsultum recitauit, & edixit, vt quicunque libros vaticinos precationésue, aut artem sacrificãdi conscriptam haberet, eos libros omneis literásque ad se ante Cal. Aprilis deferret: neu quis in publico sacróve loco, nouo aut externo ritu sacrificaret. Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt: L. Cornelius Lentulus PONT. MAX. & C. Papyrius C.F. Masso pontifex, & P. Furius Philus augur, & C. Papyrius Lucius Fuluius Masso decemuir sacrorum. In Lentuli locum Marcus Cornelius Cethegus, in Papyrii Cneus Seruilius Cepio, pontifices suffecti sunt. augur creatus L. Quintius Flaminius, decemuir sacrorum L. Cornelius Lentulus. Comitiorum consularũ iam appetebat tempus, sed quia consules à bello intentos auocare non placebat, T. Sempronius COS. comitiorum causa dictatorem dixit C. Claudium Centonem, ab eo magister equitum est dictus Q. Fuluius Flaccus. Dictator primo comitiali die creauit consules, Q. Fuluium Flaccum magistrum equitum, & Ap. Claudium Pulchrum, cui Siciliaprouincia in prætura fuerat. Tum prætores creati Cn. Fuluius Flaccus, Claudius Nero, M. Iunius Syllanus: P. Cornelius Sulla. Comitiis perfectis, dictator magistratu abiit. Aedilis curilis fuit eo anno cum M. Cornelio Cethego, P. Cornelius Scipio, cui pòst Africanus fuit cognomen. Huic petenti ædilitatem cùm obsisterent tribuni plebis, negantes rationem eius habendam esse, quòd nondum ad petendum legitima ætas esset: Si me, inquit, omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum habeo. Tanto inde fauore ad suffragium ferẽdum in tribus discursum est, vt tribuni repentè incœpto destiterint. Aedilitia largitio hæc fuit. Ludi Romani pro temporis illius copiis magnificè facti, & diem vnum instaurati, & congii olei in vicos singulos dati. L. Villius Tappulus & M. Fundanius ædiles plebeii aliquot matronas apud populũ probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exilium egerunt. Ludi plebeii per biduum instaurati, & Iouis epulum fuit ludorum causa. Q. Fuluius Flaccus tertiùm, Ap. Claudius consulatum ineunt. Et prætores prouincias sortiti sunt: P. Cornelius Sulla vrbanam & peregrinã, quæ duorum antè sors fuerat: Cn. Fuluius Flaccus Apuliam, Claudius Nero Suessulam, Marcus Iunius Syllanus inter consules. Consulibus bellum cum Annibale, & binæ legiones decretæ. alter à Q. Fabio superioris anni consule, alter à Fuluio Centimalo acciperet. Prætorum, Fuluii Flacci, quæ Luceriæ sub Aemylio Pr. Neronis Claudii, quæ in Piceno sub C. Terentio fuissent, legiones essent. supplementum in eas quisque scriberet sibi. M. Iunio inter consules legiones vrbanæ prioris anni datæ. T. Sempronio Graccho & P. Sempronio Tuditano imperium prouinciæque Lucani & Galliæ cum

In externas religiones senatusconsultum.

Comitiorũ causa dictator creatur.

Scipio, qui post Africanus dictus est, ante ætatem ædilis factus.

Prouinciæ & exercitus diuisi.

ſuis exercitibus prorogatæ.item P.Lentulo,quà vetus prouincia in Sicilia eſſet, M.Marcello Syracu- A
ſæ,& quà Hieronis regnum fuiſſet,T.Octacilio claſsis,Græcia M.Valerio,Sardinia Q.Mutio Scæuo-
læ,Hiſpaniæ P.& Cn.Corneliis.Ad veteres exercitus duæ vrbanæ legiones à conſulibus ſcriptæ,ſum
máque trium & viginti legionũ eo anno effecta eſt.Delectum conſulũ M.Poſthumii Pirgenſis cũ ma
gno propè motu rerum factum impediit.Publicanus erat Poſthumius,qui multis annis parem frau-
Poſthumij publicani fraus ſcelerata. de auaritiáque neminem in ciuitate habuerat,præter L.Pomponium Veientanum,quem populaotẽ
temerè agros in Lucanis,ductu Hannonis priore anno ceperant Carthaginienſes. Hi,quia publicum
periculum erat à vi tempeſtatis in iis quæ portarentur ad exercitus,& emẽtiti erant facta naufragia,
& ea ipſa quæ uera renuntiauerant,fraude ipſorum facta erant,non caſu:in veteres quaſſatáſque na-
ues paucis,& parui pretii rebus impoſitis,cum merſiſſent eas in alto,exceptis in præparatas ſcaphas
nautis,multiplicces fuiſſe merces ementiebãtur.Ea fraus indicata M.Aemylio Pr.priore anno fuerat,
ac per eum ad ſenatum delata,nec tamen vllo ſenatuſconſulto notata:quia patres ordinem publica-
norum in tali tempore offenſum nolebant.populus ſeuerior viodex fraudis erat.excitatíque tandem
† Val.2000 coron. duo tribuni plebis Sp.& L.Caruilii,cum rem inuiſam infamémque cernerent,† ducentûm millium
æris multam M. Poſthumio dixerunt.cuius certandæ cum dies adueniſſet,cõciliúmque tam frequẽs
plebis adeſſet, ut multitudinem area Capitolii vix caperet:perorata cauſa,ſpes vna videbatur eſſe,ſi
C.Seruilius Caſca trib.pleb.qui propinquus cognatúſque Poſthumio erat,prius quàm ad ſuffragium
tribus vocarentur,interceſsiſſet.Teſtulis datis,tribuni populum ſummouerũt:ſitelláque allata eſt,vt
ſortirentur,vbi Latini ſuffragium ferrent.Interim publicani Caſcæ inſtare,vt concilio diem exime-
ret.populus reclamare.& fortè in cornu primus ſedebat Caſca,cui ſimul metus pudórque animum
verſabat.Cùm in eo parum præſidii eſſet,turbandæ rei cauſa publicani per vacuum vi ſummo occu-
pato loco in eos irruperunt,iurgantes ſimul cum populo tribuníſque. Nec procul dimicatione res
erat,cum Fuluius conſul tribunis,Nonne videtis,inquit,vos in ordinem coactos eſſe?& rem ad ſedi-
tionem ſpectare?ni properè dimittitis plebis concilium.Plebe dimiſſa,ſenatus vocatur,& cõſules re
ferunt de concilio plebis turbato vi atque audacia publicanorum.M.Furium Camillum,cuius exi-
lium ruina vrbis ſecuta fuerit,damnari ſe ab ingratis ciuibus paſſum eſſe.Decemuiros ante eũ,quo-
rum legibus ad eam diem viuerent,multos poſtea principes ciuitatis iudicium de ſe populi paſſos.
Poſthumium Pyrgenſem ſuffragium populo per vim extorſiſſe,concilium plebis ſuſtuliſſe,tribunos
in ordinem coegiſſe,contra populum Romanum aciem introduxiſſe,locum occupaſſe,ut tribunos
à plebe intercluderet:tribus in ſuffragium vocari prohiberet.nihil aliud a cæde,ac dimicatione cõ
tiouiſſe homines,niſi patientiam magiſtratuum,quòd ceſſerint in præſentia furori atque audaciæ
paucorum:vincíque ſe ac populum Romanum paſsi ſint:& comitia,quæ reus vi atque armis pro- B
hibiturus erat,ne cauſa quærentibus dimicationem daretur,voluntate ipſius ſuſtulerint. Hæc cùm
ab optimo quoque pro atrocitate rei acta eſſent,vímque eam cõtra rempublicam pernicioſo exem
Rei capitalis dies Poſthumio publicano dicitur. plo factam ſenatus decerneret:confeſtim Caruilii tribuni plebis omiſſa multæ certatione,rei capita
lis diem Poſthumio dixerunt.ac ni vades daret,prehendi à viatore,atque in carcerem duci iuſſe-
runt.Poſthumius vadibus datis,non affuit.Tribuni vocauerunt plebem,quæ ita ſciuit,Si M.Poſthu
mius ante Calend.Maias non prodiſſet,citatúſque eo die non reſpondiſſet,neque excuſatus eſſet,vi-
deri eum in exilio eſſe:bonáque eius vænire,ipſi aqua & igni placere interdici.Singulis deinde eo-
rum qui turbæ ac tumultus concitatores fuerant,rei capitalis diem dicere,ac vades poſcere cœpe
runt.primò non dantes,deinde etiam eos qui dare poſſent,in carcerem coniiciebant.cuius rei peri
culum vitantes,plerique in exilium abierunt. Hunc fraus publicanorum,deinde fraudem audacia
Pontifex maximus creatur Licinius Craſſus. protegens,exitum habuit.Comitia inde pontifici maximo creando ſunt habita. Ea comitia nouus
pontifex M.Cornelius Cethegus habuit. Tres ingenti certamine petierunt: Q. Fuluius Flaccus
COS.qui & antè bis conſul & cenſor fuerat:& T.Manlius Torquatus,& ipſe duobus cõſularibus
& cenſura inſignis:& Licinius Craſſus,qui ædilitatẽ curulem petiturus erat. Hic ſenes honoratóſ-
que iuuenis in eo certamine deuicit.Ante hunc intra centum annos & viginti nemo,præter P.Cor
nelium Caluſſam pontifex maximus creatus fuerat,qui ſella curuli non ſediſſet.Conſules cùm ægrè
Inopia iuniorum Romæ delectus ægrè cõfectus. delectum conficerent,quòd inopia iuniorum non facile in vtrunque,vt & nouæ vrbanæ legiones,
& ſupplementum veteribus ſcriberetur,ſufficiebat:ſenatus abſiſtere eos incœpto vetuit,& trium-
uiros binos creari iuſsit:alteros qui citra,alteros qui vltra quinquageſimum lapidem in plateis fo-
ríſque,& in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inſpicerent:& ſi qui roboris ſatis ad feren
da arma habere viderentur,etiamſi nondum militari ætate eſſent,milites facerent. Tribuni plebis,
ſi iis videretur,ad populum ferrent:vt qui minores ſeptem & decem annís ſacramento dixiſſent,iis
perinde ſtipendia procederẽt,ac ſi ſeptem & viginti annorum,aut maiores,milites facti eſſent. Ex
hoc ſenatuſconſulto creati triumuiri bini conquiſitionem ingenuorum per agros habuerunt. Eodẽ
De reliquiis cannẽſis cladis in Siciliã relegatis. tempore ex Sicilia literæ M.Marcelli de poſtulatis militum,qui cum P.Lentulo militabant,in ſena-
tu recitatæ ſunt.Cannenſis reliquiæ cladis,is exercitus erat,relegatus in Siciliam,ſicut antè dictum
eſt,ne ante Punici belli finem in Italiam reportaretur.Hi permiſſu Lentuli primores equitum cen-
turionúmque,& robora ex legionibus peditum legatos in hyberna ad M.Marcellũ miſerunt.è qui-
Oratio pro militibus in Siciliam relegatis. bus vnus poteſtate dicendi facta,Conſulem te M. Marcelle in Italiam adiſſemus,cum primùm de
nobis,etſi non iniquum,certè triſte ſenatuſconſultum factum eſt:niſi hoc ſperaſſemus,in prouinciã
nos morte regum turbatam ad graue bellum aduerſus Siculos ſimul Pœnóſque mitti.& ſanguine
noſtro vulneribúſque magiſtratibus ſatisfacturos eſſe:ſicut patrũ memoria qui capti à Pyrrho ad
Heracl

A Heracleam erant, aduersus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt. quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis Patres conscripti nobis, aut succensetis? Ambos mihi consules, & vniuersum senatum intueri uideor, cùm te M. Marcelle intueor. quem si ad Cannas consulem habuissemus, melior & reip. & nostra fortuna esset. Sine quæso priusquam de conditione nostra queror, noxam cuius arguimur, nos purgare. Si non deûm ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarũ ordo seritur, sed culpa periimus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equidem miles nihil vnquam dicam de imperatore eo, cui præsertim gratias sciam ab senatu actas, quòd non desperauerit de republica, cui post fugam actam sit per omneis annos prorogatum imperium. Cæteros item ex reliquiis cladis eius, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, & prouincias obtinere audiuimus. An vobis vestrísque liberis ignoscitis facile patres cõscripti, in hæc vilia capita sæuitis? & consuli primoribúsque aliis ciuitatis fugere, cùm spes alia nulla esset, turpe non fuit? milites vtique morituros in aciem nulistis? Ad Alliam propè omnis exercitus fugit: ad Furcas Caudinas ne experturus quidẽ certamen, arma tradidit hosti (vt alias pudendas clades exercituum taceã) tamen tantum abfuit ab eo ut illa ignominia iis exerçitibus inureretur, vt & vrbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Veios transfugerat, recuperaretur, & Caudinæ legiones quæ sine armis redierant Romã, armatæ remissæ in Samnium, eundem illum hostem sub iugum miserint, qui hac sua ignominia lætatus fuerat. Cannensem verò quisquam exercitum fugæ, aut pauoris insimulare potest? vbi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? vnde cõsul cum equitibus quinquaginta fugit? vnde nemo superest, nisi quem hostis cædendo fessus reliquit? Cùm captiuis redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabant, quòd reipublicæ nos seruassemus: quod ad consulem Venusiam redissemus, & speciem iusti exercitus fecissemus. Nunc deteriore cõditione sumus, quã apud patres nostros fuerãt captiui. quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locúsque in quo tenderent, in castris est mutatus. quæ tamen semel nanata reipublicæ opera, & vno felici prælio recuperarunt. nemo eorum relegatus in exilium est: nemini spes emerendi stipendia adempta. hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel, aut ignominiam finirent. Nos, quibus, nisi quod commisimus vt quisquam ex Cannensi acie miles Romanus superesset, nihil obiici potest: non solùm à patria procul Italiáque, sed ab hoste etiam relegati sumus: vbi senescamus in exilio, ne qua spes, ne qua occasio abolẽdæ ignominiæ, ne qua placandæ ciuium iræ, ne qua denique bene moriendi sit. Neque ignominiæ finem, nec virtutis præmium petimus: modò experiri animum, & virtutem exercere liceat. laborem & periculũ petimus, vt virorum, vt militum officio fungamur. Bellum in Sicilia iam alterum annum ingenti dimicatione geritur, vrbes alias Pœnus, alias Romanus expugnat. peditum & equitum acies concur-

B runt. ad Syracusas terra maríque res geritur. clamorem pugnantium, crepitúmque armorum exaudimus resides ipsi ac segnes, tanquam nec manus, nec arma habeamus. Seruorum legionibus T. Sempronius C O S. toties iam cum hoste signis collatis pugnauit. operæpretium habent, libertatem, ciuitatémque. pro seruis saltem ad hoc bellum emptis nobis simul congredi cum hoste liceat, & pugnando quærere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis vrbibus oppugnandis experiri virtutem? asperrima quæque ad laborem periculúmque deposcimus, vt quod ad Cannas faciundum fuit, quãprimum fiat. quoniam quicquid postea viximus, id omne destinatum ignominiæ est. Sub hæc dicta ad genua Marcelli procubuerunt. Marcellus id nec iuris, nec potestatis suæ esse dixit. senatui scripturum se, omniáque de sententia patrum facturum esse. Hæ literæ ad nouos cõsules allatæ, ac per eos in senatu recitatæ sunt. consultúsque de his literis ita decreuit senatus. Militibus qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, senatui nihil videri rempublicam committendam esse. si M. Claudio proconsuli aliter videretur, faceret quod è repub. fidéque sua duceret: dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergò donaretur, neu in Italiam reportaretur, donec hostis intra Italiam esset. Comitia deinde à prætore vrbano de senatus sententia, plebísque scito sunt habita: quibus creati sunt quinqueuiri muris turribúsque reficiendis: & triumuiri bini, vni sacris conquirendis, donísque persignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed & Spei extra portam, quæ priore anno incendio consumptæ fuerant. Tempestates fœdæ fuere.

Prodigia.

In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit. tacta de cælo multa: duæ in Capitolio ædes: vallum in castris multis locis supra Suessulam, & duo vigiles exanimati: murus turrésque quædam Cumis non ictæ modò fulminibus, sed etiam decussæ. Reate saxum ingens visum volitare: sol rubere solito magis, sanguineóque similis. Horum prodigiorum causa diem vnum supplicatio fuit, & per aliquot dies consules rebus diuiuis operam dederunt: & per eosdem dies sacrum nouendiale fuit.

Sacrum nouendiale.

Cùm Tarentinorum defectio iam diu & in spe Annibali, & in suspicione Romanis esset, causa fortè extrinsecus maturandæ eius interuenit. Phileas Tarentinus diu iam per speciem legationis Romæ cùm esset, vir inquieti animi, & minimè ocium, quo tum diutino senescere videbatur, patientis, aditum sibi ad obsides Tarentinos inuenit. Custodiebantur in atrio Libertatis minore cura: quia nec ipsis, nec ciuitati eorum fallere Romanos expediebat. Hos crebris colloquiis solicitatos, corruptis æditituis duobus, cùm primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti itineris factus profugit. Luce prima vulgata per vrbem fuga est: emisśique qui sequerẽtur, à Tarracina cõprehensos omnes retraxerunt. deducti in comitio, virgísque approbante populo cæsi, de saxo deiiciuntur. Huius atrocitas pœnæ duarum nobilissimarum in Italia Græcarum ciuitatũ animos iritauit, tum publicè, tum etiam singulos priuatim, vt quisque tam fœdè interemptos aut propinquitate, aut amicitia contingebat. Ex iis tredecim ferè nobiles Tarentini coniurauerunt, quorum principes Nico & Philomenes

Obsides Tarentini custodia educti.

Nobiles quidam Tarentini cum Annibale colloquuntur de prodendo Tarento.

A

erant. Hí prius quam aliquid mouerent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per speciem venandi vrbe egressi, ad eum proficiscuntur. & cùm haud procul castris abessent, cæteri sylua prope viam sese occuluerunt: Nico & philnmenes progressi ad stationes, cóprehensísque, vltro id petentes ad Annibalem deducti sunt. Qui cùm & causas consilii sui, & quid pararent, exposuissent: collaudati, oneratíque promissis iubentur, vt fidem popularibus facerent, prædandi causa se vrbe egressos: pecora Carthaginiensium quæ pastum propulsa essent, ad vrbem agere. tuto ac sine certamine id facturos, promissum est. Conspecta ea præda iuuenũ est: minúsque iterũ ac sæpius id eos audere, miraculo fuit. Congressi cum Annibale, rursus fide sanxerunt, liberos Tarentinos leges suáque omnia habituros, neque vllum vectigal Pœno pensuros, præsidiúmve inuitos recepturos: prodita præsidia Carthaginiensium fore. Hæc vbi conuenerunt, tunc verò Philomenes consuetudinẽ nocte egrediundi redeundíque in vrbem frequentiorẽ facere (& erat venandi studio insignis) canésque & alius apparatus sequebatur: captúmque fermè aliquid, aut ab hoste ex præparato ablatum reportádo, donabat aut præfecto, aut custodibus portarum. nocte maximè cómeare propter metũ hostium credebant. Vbi iam eò consuetudinis adducta res est, vt quocunque noctis tempore sibilo dedisset signũ. porta aperiretur: tempus agendæ rei Annibali visum est. Tridui via aberat: vbi, quo minus mirum esset vno, eodémque loco statiua eum tandiu habere, ægrum simulabat. Romanis quoque, qui in præsidio Tarenti erant, suspecta esse iam segnis mora eius desierat.

Annibal Tarentum cum exercitu proficiscitur.

Cæterùm posteaquam Tarentum ire constituit, decem millibus peditum atque equitum, quos in expeditione velocitate corporum ac leuitate armorum aptissimos esse ratus est, electis, quarta vigilia noctis signa mouit. præmisísque octuaginta ferè Numidis, equitibus præcepit, vt discurrerẽt circa vias, perlustraréntque omnia oculis, ne quis agrestium procul spectator agminis falleret, progressos retraherent, obuios occiderent, vt prædonũ magis quàm exercitus accolis species esset. ipse raptim agmine facto, quindecim fermè millium spatio castra ab Tarento posuit. & ne ibi quidem nuntiato quò pergerent, tantùm conuocatos milites monuit, via omnes irent, nec diuerti quenquam aut excedere ordinem agminis paterentur, & in primis intenti ad imperia accipienda essent, neu quid nisi ducum iussu facerent. se in tempore editurum, quæ vellet agi. Eadem fermè hora Tarentũ fama peruenerat, Numidas equites paucos populari agros, terrorémque latè agrestibus iniecisse. Ad quem nunciũ nihil vltra motus præfectus Romanus, quã vt partẽ equitum postero die luce prima iuberet exire ad arcendũ populationibus hostem. interea adeò nihil obedienter curatũ est, vt cótra pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum, Annibalem exercitúmque castris non mouisse. Annibal concubia nocte mouit. dux Philomenes erat cum solito captæ venationis onere. cæteri proditores ea quæ cóposita erant, expectabant. Conuenerat autẽ, vt Philomenes portula assueta venationem inferens, armatos induceret: parte alia portã Temenitida adiret Annibal. Ea mediterranea regione orientem spectabat. aliquantum intra mœnia includitur. Cùm portæ appropinquaret, editus ex cóposito ignis ab Annibale est, refulsitque. idem reditum ab Nicone signũ. extinctæ deinde vtrinque flammæ sunt. Annibal silentio ducebat ad portã. Nico ex improuiso ad portas sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncat, portámque aperit.

B

Annibal ex insidijs Tarentum ingreditur.

Annibal cum peditũ agmine ingreditur, equites subsistere iubet: vt quò res postulet, occurrere libero campo possent. Et Philomenes portulæ parte alia qua cómeare assuerat, appropinquabat. nota vox eius, & familiare iam signũ cùm excitasset vigilem, dicentis, vix sustinere grandis bestiæ onus, portula aperitur. inferentes aprum duos iuuenes secutus ipse cũ expedito venatore, vigilẽ incautius miraculo magnitudinis in eos qui ferebant versum, venabulo traiicit. ingressi deinde triginta ferè armati, cæteros vigiles obtruncant, refringúntque portã maximã: & agmen sub signis cófestim irrupit. inde cum silentio in forũ ducti, Annibali sese coniunxerunt. Tum duo millia Gallorũ Pœnus in treis diuisa partes per vrbem dimittit. Tarentinos & Afros quã maximè frequentia occupare iubet.

Romani cæduntur capto Tarento.

tumultu orto, Romanos passim cædi, oppidanis parci. sed vt fieri id posset, præcipit iuuenibus Tarentinis, vt vbi quẽ suorũ procùl vidissent, quiescere & silere, ac bono animo esse iuberent. Iam tumultus erat, clamórque, qualis esse in capta vrbe solet: sed quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam vrbẽ credere coortos, Romanis seditio aliqua cũ fraude videri ab oppidanis mota. Præfectus primo excitatus tumultu, in portũ effugit. inde acceptus scapha, in arcẽ confugit. Terrorẽ & tuba audita ex theatro faciebat. nã & Romana erat, à proditorib. ad hoc ipsum præparata, & inscienter à Græco inflata, quis aut quibus signũ daret, incertum efficiebat. Vbi illuxit, & Romanis Punica & Gallica arma cognita, tum dubitationẽ exemerunt: & Græci Romanos passim cæde stratos cernentes, ab Annibale captã vrbẽ senserunt. Postquam lux certior erat, & Romani qui cædibus superfuerant, in arcem cófugerant, conticescebátque paulatim tumultus: tum Annibal Tarẽtinos sine armis conuocare iubet. Conuenere omnes, præterquàm qui cedenteis in arcem Romanos ad omnẽ adeundã simul fortunã persecuti fuerant.

Annibal benignè alloquitur Tarentinos.

Ibi Annibal benignè allocutus Tarentinos, testatúsque quæ præstitisset ciuibus eorũ, quos ad Thrasimenũ aut ad Cannas cepisset: simul in dominationẽ superbã Romanorũ inuectus, recipere se in domos suas quenque iussit, & foribus nomen suum inscribere, se domos eas quæ inscriptæ non essent, signo extemplò dato, diripi iussurum. si quis in hospitio ciuis Romani (vacuas autẽ cernebat domos) nomẽ inscripsisset, eum se pro hoste habiturũ. Concione dimissa, cum titulis notatæ fores discrimen pacatæ ab hostili domo fecissent, signo dato, ad diripienda hospitia Romana passim discursum est. & fuit prædæ aliquantũ.

Arx Tarentina.

Postero die ad oppugnandã arcẽ ducit. quam cũ & mari, quo in peninsulæ modũ pars maior circumluitur: & præaltis rupibus, & ab ipsa vrbe muro & fossa ingenti septã videret: eóque nec

vi, nec

A vi,nec operibus expugnabilem esse,ne aut seipsum cura tuendi Tarentinos à maioribus rebus mo
raretur:aut in relictos sine valido præsidio Tarentinos impetũ ex arce cùm vellent, Romani face-
rent:vallo vrbem ab arce intersepire statuit,non sine vlla etiã spe,cũ prohibentibus opus Romanis
manũ posse cõseri:& si ferocius procurrissent,magna cæde ita attenuari præsidii vires,vt facilè per
se ipsi Tarẽtini vrbẽ ab iis tueri possent. Vbi cœptũ opus est,patefacta repentè porta,in muniẽteis
impetũ fecerunt Romani.pellíque se statio passa est,quæ pro opere erat,vt successu cresceret auda-
cia,pluresque & longius pulsos persequerẽtur. Tum signo dato coorti vndique Pœni sunt,quos in-
structos ad hoc Annibal tenuerat.nec sustinuere impetum Romani:sed ab effusa fuga loci angustiæ
eos,impedimẽtáque alia opere iam cœpto,alia apparatu operis,morabantur.plurimi in fossam præ
cipitati,occisique sunt plures in fuga quã in pugna.Inde & opus nullo prohibente fieri cœptũ.fossa
ingens ducta,& vallũ intra eam erigitur:modicóque pòst interuallo murum etiã eadẽ regione ad-
dere parat,vt vel sine præsidio tueri se aduersus Romanos possent.reliqnit tamen modicũ præsidiũ,
vt simul interfaciẽdo muro adiuuaret.ipse profectus cum cæteris copiis ad Galesum flumen (quin-
que millia ab vrbe abest)posuit castra.Ex iis statiuis regressus ad inspiciendũ opus,quod aliquantũ
opinione eius celerius creuerat,spem cepit etiã arcẽ expugnari posse.Et est nõ altitudine,vt cætera
tuta,sed loco plano posita,& ab vrbe muro tantũ ac fossa diuisa.Cùm iam machinationũ omni gene
re & operibus oppugnaretur,missum à Metapõto præsidium Romanis fecit animũ,vt nocte ex im-
prouiso opera hostium inuaderent.alia disiecerunt,alia igni corruperũt.isque finis Annibali fuit ea
parte arcem oppugnandi.Reliqua erat in obsidione spes,nec ea satis efficax.qnia arcẽ tenẽtes,quà
in peninsula posita imminet faucibus portus,mare liberum habebant:vrbs cõtrà exclusa maritimis
cómeatibus,propiúsque inopiã erant obsidentes,quã obsessi.Annibal conuocatis principibus Ta-
rentinis,omnes præsentes difficultates exposuit:neque arcis tam munitæ expugnandæ viã cernere,
neque in obsidione quicquã habere spei,donec mari potiantur hostes.quòd si naues sint quibus cõ-
meatus innehi prohibeãt,extẽplò aut abscessuros,aut dedituros se hostes.Assentiebantur Tarẽtini.
cæterũ ei qui consiliũ afferret,opẽ quoque in eã rem afferendã esse censebãt.Punicas enim naues ex
Sicilia accitas id posse facere:suas quæ sinu exiguo interclusæ essent,cũ claustra portus hostis habe-
ret,quẽadmodũ inde in apertũ mare euasuras?Euadent,inquit Annibal,multa,quæ impedita natura
sunt,consilio expediuntur.vrbẽ enim in cãpo sitam habetis:planæ & satis latæ viæ patent in omneis
partes.via quæ in portũ per mediã vrbem ad mare transmissa est,plaustris transuehã naues haud ma
gna mole.& mare nostrũ erit,quo nunc hostes potiuntur:& illinc mari,hinc terra circunsedebimus
arcem.imò breui,aut relictã ab hostibus,aut cum ipsis hostibus capiemus.Hæc oratio nõ spem mo-
B do effectus,sed ingentẽ etiã ducis admirationẽ fecit.Contracta extemplò vndique plaustra,iunctà-
que inter se:& machinæ ad subducendas naues admotæ, munitúmque iter:quo faciliora plaustra
minórque moles in transitu esset.iumenta inde & homines cõtracti,& opus impigrè cœptũ.paucós-
que post dies classis instructa ac parata circunuehitur arcẽ,& ante ipsum portũ anchoras iacit.Hũc
statum rerũ Annibal Tarenti reliquit,regressus ipse in hyberna.Cæterũ defectio Tarentinorũ vtrũ
priore anno,an hoc facta sit,in diuersum autores trahunt.plures propioresque ætate memoriæ rerũ
hoc anno tradunt factam.Romæ consules prætorésque vsque ante diem quintũ Calen.Maias Latinæ
tennerunt.eo die perpetrato sacro in monte,in suas quisque prouincias proficiscuntur. Religio de-
inde noua obiecta est ex carminibus Martianis.Vates hic Martius illustris fuerat,& cùm inquisitio
priore anno ex senatusconsulto taliũ librorũ fieret,in M.Aemylii prætoris vrbis,qui eã rem agebat,
manus venerant.is protinus nouo prætori Sullæ tradiderat.Ex huius Martii duobus carminibus al-
terius postea aucta declarato autoritas euẽtu,alteri quoque cuius nondũ tempus venerat,afferebat
fidẽ.Priore carmine Cannẽsis prædicta clades in hæc fermè verba erat:Amnẽ Troiugena Cannam
Romane fuge,ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus.sed neque credes tu
mihi,donec cõpleris sanguine campũ:multáque millia occisa tua deferat amnis in pontũ magnum
ex terra frugifera piscibus atque auibus ferísque quæ incolunt terras,iis fuat escat caro tua.nam mi-
hi ita Iupiter fatus est.Et Diomedis Argiui campos,& Cannã flumen,qui militauerant in iis locis,
iuxta atque ipsam cladẽ,agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum,non eo tantũ obscurius,quia
incertiora futura præteritis sunt,sed perplexius ;etiã scripturæ genere.Hostes Romani si expellere
vultis,vomicámque,quæ gentiũ venit longe,Apollini vouendos censeo ludos:qui quotannis comi-
ter Apollini fiant,cũ populus dederit ex publico partem:priuati vti cõferant pro se,suísque.iis ludis
faciendis præerit prætor is,qui ius populo plebíque dabit summũ.decemuiri Græco ritu hostiis sa-
cra faciant.hæc si rectè faxitis,gaudebitis semper,fiẽtque res vestra melior.nam is diuus extinguet
perduelles vestros,qui vestros campos pascit placidè.Ad id carmen explanandũ diem vnum sum-
pserunt.postero die senatusconsultum factum est,vt decemuiri libros de ludis Apollini,réque diui-
na facienda inspicerent.Ea cùm inspecta relatáque ad senatum essent,censuerunt patres, Apollini lu
dos vouendos faciendósque:& quando ludi facti essent,†duodecim millia æris prætori ad rem diui-
nam,& duas hostias maiores dandas.Alterum senatusconsultum factum est,vt decẽuiri sacra Græ-
co ritu facerent,iisque hostiis Apollini boue aurato & capris duabus albis auratis,Latonæ boue fœ
mina aurata.Ludos prætor in circo maximo cũ facturus esset,edixit,vt populus per eos ludos sti-
pem Apollini,quantam cómodũ esset,conferret.Hæc est origo ludorũ Apollinarũ,victoriæ,nõ va-
letudinis ergò,vt plerique rentur,votorũ.factósque populus coronatus spectauit:matronæ supplica-
uere.vulgo apertis ianuis in propatulo epulati sunt:celebérque dies omni cæremoniarũ genere fuit.

Arcem Tarentinã oppugnat Annibal.

Annibalis industria.

Martiana carmina.

Ludorum Apollinarium origo.

† Val.120. coron.

Cùm Annibal circa Tarentum,cõsules ambo in Samnio essent,sed circumsessuri Capuã viderentur: A quod malũ diuturnæ obsidionis esse solet,iam famem Campani sentiebant:quia sementẽ facere prohibuerant eos Romani exercitus.itaque legatos ad Annibalẽ miserunt,orantes,vt prius quã cõsules in agros suos educerẽt legiones,viæque omnes hostiũ præsidiis insiderẽtur,frumentũ ex propinquis locis cõuehi iuberet Capuã.Annibal Hannonẽ ex Brutiis cum exercitu in Campaniã transire,& dare operã vt frumenti copia fieret Campanis,iussit.Hanno ex Brutiis profectus cum exercitu,vitabundus castra hostiũ,cõsulésque,qui in Samnio erant,cùm Beneuẽto iam appropinquaret,tria passuum millia ab ipsa vrbe loco edito castra posuit.inde ex sociis circã populis,quò æstate cõportatũ erat,deuehi frumentũ in castra iussit,præsidiis datis,quæ cõmeatus eos prosequerentur. Capuã inde nuntiũ misit,qua die ad accipiendũ frumentũ præstò essent,omni vndique genere vehiculorũ,iumẽtorúmque ex agris contracto. Id pro cætera secordia negligentiáque à Campanis actum.paulo plus C C C C.vehicula missa,& pauca prætera iumenta.ob id castigatis ab Hannone,quòd ne fames quidem,quæ mutas accenderet bestias,curã eorum stimulare posset,alia producta dies ad frumentũ maiore apparatu petendũ.Ea omnia,sicut acta erant,cũ enuntiata Beneuentanis essent,legatos decẽ extemplò ad cõsules (circa Bouianũ castra Romanorũ erant) miserunt.Qui cũ auditis quæ ad Capuam agerentur,inter se cõparassent,vt alter in Campaniã exercitũ duceret:Fuluius,cui ea prouincia euenerat,profectus nocte Beneuentũ,mœnia est ingressus.Ex propinquo cognoscit Hannonẽ cũ exercitus parte profectũ frumentatũ:duo millia plaustrorũ,inconditã,inermémque aliã turbam aduenisse:per tumultũ ac trepidationẽ omnia agi,castrorúmque formam,& militarẽ ordinẽ,immistis agrestibus iis ex terris,sublatũ.His satis cõpertis,cõsul militibus edicit:signa tantũ armáque in proximam noctem expedirent:castra Punica oppugnanda esse.Quarta vigilia profecti,sarcinis omnibus,impedimentísque Beneuenti relictis,paulo ante lucẽ cùm ad castra peruenissent,tantũ pauoris iniecerũt,vt si in plano castra posita essent,haud dubiè primo impetu capi potuerint.altitudo loci,& munimenta defenderunt:quæ nulla ex parte adiri,nisi arduo ac difficili ascensu poterant.Luce prima prælium ingens accensum est:nec vallũ modò tutantur Pœni,sed vt quibus locus æquior esset,deturbant nitenteis per ardua hostes.Vicit tamen omnia pertinax virtus:& aliquot simul partibus ad vallum ac fossas peruentũ est,sed cũ multis vulneribus,ac militum pernicie.Itaque cõuocatis tribunis militũ,consul absistendũ temerario incœpto ait.tutius sibi videri,reduci eo die exercitũ Beneuentũ:dein postero castris se hostiũ iungi,ne exire inde Campani,néve Hanno regredi posset.id quo facilius obtineatur,collegam quoque,& exercitũ eius se accitturũ,totúmque eò versuros bellũ.Hæc cõsilia ducis, cùm iam receptui caneret,clamor militũ aspernantiũ tam segne imperiũ disiecit.Proxima portæ hostium erat cohors Peligna:cuius præfectus Vibius ereptũ vexillũ trans vallũ hostiũ traiecit.execratus inde seque & cohortẽ,si eius vexilli hostes potiti essent,princeps ipse per fossam vallúmque in castra irrũpit,Iámque intra vallũ Peligni pugnabãt,cũ altera parte Valerio Flacco tribuno militũ tertiæ legionis exprobrante Romanis ignauiã,qui sociis captorũ castrorũ cõcederent decus, T.Pedanius princeps primus centurio,cùm signifero signũ ademisset:Iã hoc signũ,& hic cẽturio,inquit,intra vallum hostiũ erit:sequãtur,qui capi signũ ab hoste prohibituri sunt.Manipulares sui primũ transcendentẽ fossam,dein legio tota secuta est.Iam & cõsul ad cõspectũ transgredientiũ vallũ mutato cõsilio,ab reuocandis ad incitandos hortandósque versus milites,ostendere in quãto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorũ & ciuium legio esset. Itaque pro se quisque omnes per æqua atque iniqua loca,cũ vndique tela cõiicerentur,armáque & corpora hostes obiicerẽt,peruadunt,irrũpúntque.multi vulnerati,etiã quos vires sanguísque desereret,vt intra vallũ hostiũ caderẽt,nitebãtur.Capta itaque momẽto tẽporis,velut in plano sita,nec permunita castra.Cædes inde,non iã pugna erat, omnibus intra vallum permistis.supra sex millia hostiũ cæsa,suprà septẽ millia capiuntur,cũ frumentatoribus Campanis,omníque plaustrorũ & immẽtorũ apparatu.capta & alia ingẽs præda fuit,quã Hanno,populabundus passim cũ isset,ex sociorũ populi Romani agris traxerat.Inde deiectis hostiũ castris,Beneuentũ reditũ est.prædámque ibi ambo cõsules (nã & Ap.Claudius eò post paucos dies venit) vẽdiderunt,diuiserũtque.& donati,quorũ opera castra hostium capta erãt,ante alios Vibius Pelignus,& T.Pedanius princeps tertiæ legionis.Hanno ab Cominio Cerito,quò nũtiata castrorũ clades est,cũ paucis frumẽtatoribus,quos forte secũ habuerat,fugæ magis quã itineris modo in Brutios rediit.Et Campani audita sua pariter,sociorúmque clade,legatos ad Annibalẽ miserunt,qui nuntiarent,duos cõsules ad Beneuentũ esse,diei iter à Capua:tantũ non portas & muros bellũ esse.ni propere subueniat,celerius Capuam quã Arpos,in potestatẽ hostiũ venturã.ne Tarentũ quidẽ,non modò arcem,tanti debere esse,vt Capuã,quã Cartagini æquare sit solitus,desertam,indefensámque populo Romano tradat.Annibal curæ sibi fore rẽ Campanã pollicitus,in præsentia duo millia equitum cũ legatis mittit,quo præsidio agros populationibus possent prohibere.Romanis interim,sicut aliarum rerũ,arcis Tarentinæ,præsidíique quod ibi obsideretur,cura esse.C.Seruilius legatus ex autoritate patrum à P.Cornelio prætore in Hetruriam ad frumentũ coemendũ missus,cũ aliquot nauibus onustis in portũ Tarentinũ inter hostiũ custodias peruenit.Cuius aduẽtu,qui antè in exigua spe,vocati sæpe ad transitionem ab hostibus per colloquia erant,vltro ad transeundũ hosteis vocabant,sollicitabántque.& erat satis validũ præsidium,traductis ad arcẽ Tarẽti tuendam,qui Metaponti erãt, militibus.Itaque Metapontini extẽplò metu quo tenebantur liberati,ad Annibalẽ defecere.Hoc idẽ eadẽ ora maris & Thurini fecerunt.mouit eos nõ Tarẽtinorũ magis defectio,Metapontinorúmque, quibus indidem ex Achaia oriundi etiã cognatione iuncti erãt,quã ira in Romanos,propter obsides nuper

Campanorũ secordia.

Fuluius consul oppugnat Hannonis castra.

B

Hannonis castra capiuntur.

Hanno in Brutios redit.

Metapontini ad Pœnos deficiũt.

A nuper interfectos. Eorum amici, cognatíque literas ac nuntios ad Hannonem Magonémque, qui in propinquo in Brutiis erant, miserunt, si exercitum ad mœnia admouissent, se in potestatem eorũ vrbem tradituros esse. M. Atinius Thurinis cum modico præsidio præerat. quẽ facilè elici ad certamẽ temerè ineundum rebãtur posse, nõ tam militũ, quos perpaucos habebat, fiducia, quã iuuentis Thurinæ. eam ex industria centuriauerat, armauerátque ad tales casus. Diuisis copiis inter se duces Pœni cùm agrum Thurinũ ingressi essent, Hanno cũ peditũ agmine infestis signis ire ad vrbẽ pergit. Mago cum equitatu tectus collibus ad tegẽdas insidias oppositis, subsistit. Atinius peditũ tantùm agmine per exploratores cõperto, in aciem copias educit, & fraudis intestinæ, & hostium insidiarũ ignarus. Pedestre prælium fuit persegne, paucis in prima acie pugnantibus Romanis, Thurinis expectantibus magis quàm adiuuantibus euentũ: & Carthaginiensium acies de industria pedẽ referebat, vt ad terga collis ab equite suo insessi hostẽ incautum pertraheret. Quò vbi ventum est, coorti cum clamore equites properè inconditã Thurinorum turbã, nec satis fido animo vnde pugnabat stantem, extẽplò in fugam auerterunt. Romani, quãquã circumuentos hinc pedes, hinc eques vrgebat, tamen aliquandiu pugnã traxêre. postremò & ipsi terga vertunt, atque ad vrbẽ fugiunt. Ibi proditores conglobati cùm popularium agmen patentibus portis accepissent: vbi Romanos fusos ad vrbem ferri viderunt, conclamant, instare Pœnum: permistósque hosteis vrbẽ inuasuros, ni properè portas claudant. ita exclusos Romanos præbuere hosti ad cædem. Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde paulisper tenuit, cùm alii vrbem tuendã, inde alii cedendũ fortunæ, & tradendam vrbem victoribus censerent. ceterũ, vt plerunque, fortuna, & consilia mala vicerunt. Atinio cũ suis ad mare ac naues deducto, magis quia ipsi ob imperium in se mite ac iustum cõsultũ volebant, quã respectu Romanorũ, Carthaginienses in vrbẽ accipiunt. Cõsules à Beneuento in Campanũ agrum legiones ducunt, non ad frumenta modò, quæ iam in hybernis erant, corrumpenda, sed ad Capuã oppugnandã, nobilẽ se cõsulatum tam opulẽtæ vrbis excidio rati facturos: simul & ingens flagitiũ imperio dempturos, quòd vrbi tam propinquæ tertiũ annum impunita defectio esset. Cæterũ ne Beneuentum sine præsidio esset, & vt ad subita belli, si Annibal (quod facturũ haud dubitabant) ad opem ferendã sociis Capuã venisset, equites vim sustinere possent, T. Gracchũ ex Lucanis cum equitatu, ac leui armatura Beneuentum venire iubent. legionibus statiuísque ad obtinẽdas res in Lucanis aliquem præficeret. Graccho, priusquã ex Lucanis moueret, sacrificanti triste prodigiũ factũ est. ad exta sacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapsi edêre iecur, conspectíque repentè ex oculis abierunt. id cùm aruspicum monitu sacrificium instauraretur, atque intentius exta rescrata seruarentur, iterum ac tertiùm venisse tradunt, libatóque iocinore intactos angues abiisse. Cùm aruspices ad

Thurinum Pœnus deditur.

Prodigium.

B imperatorem id pertinere prodigium præmonuissent, & ab occultis cauendum hominibus, consilíísque, nulla tamen prouidentia fatum imminens moueri potuit. Flauius Lucanus fuit, caput partis eius Lucanorum, cùm pars ad Annibalem defecisset, quæ cũ Romanis stabat, & iam anno in magistratu erat, ab eisdẽ illis creatus prætor. Is mutata repentè voluntate locum gratiæ apud Pœnum quærens, neque transire ipse, neq; trahere ad defectionem Lucanos satis habuit, nisi imperatoris, & eiusdem hospitis proditi capite ac sanguine fœdus cum hostibus sanxisset. ad Magonem, qui in Brutiis præerat, clàm in colloquium venit: fidéque ab eo accepta, si Romanum is imperatorem tradidisset, liberos cum suis legibus venturos in amicitiam Lucanos, deducit Pœnum, in locum pacis Gracchum adducturus. Magonem ibi pedites equitésque armare, & capere eas latebras, vbi ingentẽ numerum occuleret, iubet. Loco satis inspecto, atq; vndique explorato, dies cõposita gerendæ rei est. Flauius ad Romanum imperatorẽ venit. Rem se ait magnam inchoasse, ad quam perficiendã ipsius Gracchi opera opus esset. omnium populorum prætoribus, qui ad Pœnum in illo cõmuni Italiæ motu descissent, persuasisse, vt redirent in amicitiam Romanorum: quãdo res quoq; Romana, quæ propè exitiũ clade Cannensi venisset, in dies melior atq; auctior fieret: Annibalis vis senesceret, ac propè ad nihilum venisset, veteri delicto haud implacabileis fore Romanos: nullam vnquã gentem magis exorabilem, promptiorèmq; veniæ dandæ fuisse. quoties rebellioni etiam maiorum suorũ ignotum? Hæc ab se ait dicta. cæterùm ab ipso Graccho eadem hæc audire malle eos, præsentísque contingere dextram: id pignus fidei secum ferre. Locum se consiliis edixisse à conspectu amotum, haud procul à castris Romanis. ibi paucis verbis transigi rem posse, vt omne nomen Lucanum in fide ac societate Romana sit. Gracchus fraudem & sermoni & rei abesse ratus, ac similitudine veri captus, cum lictoribus ac turma equitum è castris profectus, duce hospite in insidias præcipitatus. Hostes subitò exorti: & ne dubia proditio esset, Flauius his se adiungit. tela vndique in Gracchũ atque equites coniiciuntur. Gracchus ex equo desilit, idẽ cæteros facere iubet: hortatúrque, vt quod vnum reliquum fortuna fecerit, id honestẽt virtute. reliquum autem quid esset paucis à multitudine in valle sylua ac montibus septa circumuentis, præter mortem? id referre, vtrum præsenti torpore pecorum modo inulti trucidentur, an toto animo à patiendo expectandóque euentu in impetum atque iram verso, agentes audentésque, perfusi hostium cruore inter expirantium inimicorum cumulata armáque & corpora cadãt. Lucanum proditorem ac transfugam omnes peterent. qui eam victimam præ se ad inferos misisset, eum decus eximium, egregiúmque solatium suæ morti inuenturum. inter hæc dicta paludamento circum læuum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit. Maior quàm pro numero hominum editur pugna. iaculis maximè aperta corpora Romanorum: & cũ vndique ex altioribus locis in cauam vallem coniectus esset, transfiguntur. Gracchum iam nudatũ præsidio viuum capere Pœni nituntur. cæterùm ille con

Flauij Lucani proditio aduersus Gracchum.

Gracchus in insidias præcipitatus.

Gracchus occiditur.

spicatus Lucanum hospitem inter hosteis,adeò infestus confertos inuasit,vt parci ei sine multorum pernicie non posset.Exanimem eum Mago extemplò ad Annibalē misit,ponique cum captis simul fascibus ante tribunal imperatoris iussit.Hæc vera fama est.Gracchus in Lucanis ad Campos,qui veteres vocantur,periit.Sunt qui in agro Beneuentano prope Calorē fluuium ostendant à castris cū lictoribus,ac tribus seruis lauandi causa progressum,cum fortè inter salicta innata ripis laterent hostes,nudum atque inermem,saxísque,quæ voluit amnis,propugnantē,interfectum.Sunt qui aruspicū monitu quingentos passus à castris progressum,vti loco puro ea quæ antè dicta prodigia sunt,procuraret,ab insidentibus fortè locum duabus turmis Numidarum circūuentū scribant.adeò nec locus, nec ratio mortis in viro tam claro & insigni cōstat.Funeris quoque Gracchi varia fama est. Alii in castris Romanis sepultum ab suis:alii ab Annibale(& ea vulgatior fama est)tradunt in vestibulo Punicorum castrorum rogū extructum esse,armatum exercitum decurrisse cū tripudiis Hispanorum, motibúsque armorū & corporū suæ cuique genti assuetis,ipso Annibale omni rerum verborúmque honore exequias celebrante.Hæc tradunt,qui in Lucanis rei gestæ autores sunt.Si illis qui ad Calorē fluuium interfectum memorāt,credere velis,capitis tantum Gracchi hostes potiti sunt.eo delato ad Annibalem,missus ab eo confestim Carthalo,qui in castra Romana ad Cn.Cornelium quæstorē deferret.is funus imperatoris in castris,celebrantibus cum exercitu Beneuentanis,fecit.Consules agrū Campanum ingressi,cum passim popularentur,eruptione oppidanorum & Magonis cum equitatu territi,ac trepidi ad signa milites palatos passim reuocarunt:& vixdū instructa acie fusi,supra mille & quingētos milites amiserunt.Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio genti creuit:multísque præliis lacessebant Romanos.sed intentiores ad cauendū cōsules vna pugna fecerat,incautè atque inconsultè inita.Restituit tamen his animos,& illis minuit audaciā paruā vna res.Sed in bello nihil tam leue est,quòd nō magnæ interdum rei momentū faciat.T.Quintio Crispino Badius Campanus hospes erat perfamiliari hospitio iunctus.creuerat consuetudo,quòd æger Romæ apud Crispinū Badius ante defectionē Campanā liberaliter,comitérque curatus fuerat. Tum Badius progressus ante stationes,quæ pro porta stabant,euocari Cripinū iussit.quod vbi est Crispino nuntiatum,ratus colloquium amicum ac familiare quæri,manente memoria etiā in dissidio publicorum fœderū priuati iuris,paulum à cæteris processit.Postquā in conspectum venere,Prouoco te,inquit,ad pugnā Crispine,Badius.conscendamus equos,summotísque aliis,vter bello melior sit,decernamus.Ad ea Crispinus,nec sibi,nec illi ait hostes deesse,in quibus virtutē ostendant.se ab eo,etiā si in acie occurrat,declinaturum,ne hospitali cæde dextrā violet.cōuersúsque abibat.Enimuero ferocius tum Campanus increpare molitiē,ignauiámque,& se digna probra in insontē iacere,hospitalē hostem appellans, simulátémqne parcere cui sciat parē se nō esse.si parū publicis fœderibus ruptis dirempta simul & priuata iura esse putet,Badium Campanū T.Quintio Crispino Romano palàm omnibus,duobus exercitibus audientibus,renuntiare hospitium.nihil sibi cum eo cōsociatum,nihil fœderatū hospiti cum hoste,cuius patriam ac penates publicos priuatósque oppugnatum , venisset.si vir esset,congrederetur.Diu cunctantē Crispinū perpulere turmales,ne impunè insultare Campanū pateretur.itaque tantū moratus,dum imperatores cōsuleret,permitterēntue sibi extra ordinē in prouocantē hostē pugnare:permissu eorū arma cepit,equúmque cōscendit,& Badiū nomine cōpellans,ad pugnā euocauit.Nulla mora à Campano fac a est.infestis equis cōcurrère.Crispinus supra scutū sinistrū humerū Badio hasta transfixit :supérque delapsum cum vulnere ex equo desiliit, vt pedes iacentem conficeret.Badius priusquā opprimeretur,parma atque equo relicto,ad suos aufugit.Crispinus equum, armáque capta,& cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans,cum magna laude & gratulatione militum ad consules est deductus,laudatúsque ibi magnificè,& donis donatus.Annibal ex agro Beneuentano castra ad Capuam cùm mouisset,tertio pòst die quàm venit,copias in aciē eduxit:haud quaquā dubius,quòd Campanis absente se paucos ante dies secunda fuisset pugna,quin multo minus se suúmque toties victorem exercitum sustinere Romani possent.Cæterùm posteaquam pugnari cœptum est, equitum maximè incursu cùm iaculis obrueretur , laborabat Romana acies : donec signum equitibus datum est,vt in hostem admitterent equos . itaque equestre prælium erat, cùm procul visus Sempronianus exercitus , cui Cn. Cornelius quæstor præerat , vtrique parti parem metum præbuit , ne hostes noui aduentarent . velut ex composito vtrinque signum receptui datum : reductíque in castra propè æquo Marte discesserunt . plures tamen ab Romanis primo incursu equitum ceciderunt. Inde consules vt auerterent Capua Annibalem,nocte quæ secuta est diuersi,Fuluius in agrum Cumanum,Claudius in Lucanos,abierunt. Postero die cùm vacua castra Romanorum,nuntiatum Annibali esset,& duobus agminibus diuersos abiisse:incertus primò vtrum sequeretur,Appium institit sequi. Ille circunducto hoste quà voluit,alio itinere ad Capuam rediit.Annibali alia in iis locis bene gerēdæ rei fortuna oblata est.M.Centenius fuit cognomine penula,insignis inter primi pili centuriones & magnitudine corporis,& animi. Is perfunctus militia, per P.Cornelium Sullam prætorem in senatum introductus petit à patribus,vti sibi quinque millia militum darentur:se peritum & hostis & regionum,breui operæpretium facturum : & quibus artibus ad id locorum nostri & duces , & exercitus capti forent,iis aduersus inuentorem vsurum. Id non promissum magis stolidè,quàm stolidè creditum:tanquam eædem militares & imperatoriæ artes essent . Data pro quinque octo millia militum : pars dimidia ciues, pars socii.& ipse aliquantum voluntariorum itinere in agris conciuit : ac propè duplicato exercitu in Lacanos peruenit, vbi Annibal nequicquam secutus Claudium substiterat . Haud dubia res est:quippe inter Annibalem

De Gracchi morte uariant scriptores.

Coss. agrum Campanum populantur.

Badij Campani & Crispini Romani duellum.

Badius uincitur.

Prælium inter Consules & Annibalem.

M. Centenij postulatum in Senatu.

A balem ducem, & centurionem, exercitúsque, alterum vincendo veteranum, alterum nouum totum, & magna ex parte etiam tumultuarium ac semiermem. Vt conspecta inter se agmina sunt, & neutra pars detrectauit pugnam, extemplò instructæ acies. pugnatum tamen vt in nulla pari re duas amplius horas: concitata etiam, donec dux stetisset, Romana acie. Posteaquam is non pro vetere fama solùm, sed etiam metu futuri dedecoris, si sua temeritate contractæ cladi superesset, obiectans se hostium telis cecidit: fusa extemplò est Romana acies. sed adeò ne fugæ quidem iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, vt ex tanta multitudine vix mille euaserint. cæteri passim, alii alia peste absumpti sunt. Capua à consulibus interim summa vi obsideri cœpta est: quæque in eam rem opus erant, comportabãtur, parabantúrque. Casilinum frumentũ conuectum: ad Vulturni ostium, vbi nunc vrbs est, castellum cõmunitum: (antè Fabius Maximus munierat) præsidium impositum, vt & mare proximum, & flumen in potestate essent. In ea duo maritima castella frumentũ, quod ex Sardinia nuper missum erat, quódque Mutius prætor ex Hætruria coemerat, ab Ostia conuectum est, vbi exercitui per hyemem copia esset. Cæterùm super eam cladem, quæ in Lucanis accepta erat, volonum quoq; exercitus, qui viuo Graccho summa fide stipendia fecerat: velut exauthoratus morte ducis, ab signis decessit. Annibal non Capuam neglectam, neque in tanto discrimine desertos volebat socios: sed prospero ex temeritate vnius Romani ducis successu, in alterius ducis exercitúsque opprimendi occasionem imminebat. Cn. Fuluium prætorem Apuli legati nunciabant, primò dum vrbes quasdam Apulorum, quæ ad Annibalem desciuissent, oppugnaret, intentius rem egisse: postea nimio successu & ipsum & milites præda impletos in tantã licentiam secordiámque effusos, vt nulla disciplina militiæ esset. Annibal cùm sæpe aliàs, tum paucis diebus antè expertus qualis sub inscio duce exercitus esset, in Apuliam castra mouit. Circa Herdoniam Romanæ legiones, & prætor Fuluius erant. quò vbi allatum est, hostes aduentare, propè est factum, vt iniussu prætoris signis conuulsis in aciem exirent. nec res vlla magis tenuit, quàm spes haud dubia, suo id arbitrio, vbi vellent, acturos. Nocte insequenti Annibal, cùm tumultuatum in castris, & plerosque ferociter signum vt daret institisse duci ad arma vocanteis, sciret: haud dubius prosperæ pugnæ occasionem dari tria millia expeditorum militum in villis circà, vepribúsque, & syluis disponit, qui signo dato simul omnes è latebris exilirent. & Magonem, ac duo fermè millia equitum, quà fugam inclinaturam credebat, omnia itinera insidere iubet. his nocte præparatis, prima luce in aciem copias educit. Nec Fuluius est cunctatus, non tam sua vlla spe, quàm militum impetu fortuito tractus. itaque eadem temeritate, qua processum in aciem est, instruitur ipsa acies ad libidinem militum fortè procurrentium, consistentiúmque quo loco ipsorum tulisset animus, deinde per libidinem aut metum deserentium locum. prima legio,

Centenianus exercitus ab Annibale fusus.

Capua à Coss. obsessa.

Volonum exercitus à signis decessit.

Fuluij exercitus ab Annibale fusus.

B & sinistra ala primò instructæ, & in longitudinẽ porrectæ acies: clamantibus tribunis, nihil introrsus roboris ac virium esse: & quácunque impetum fecissent, hostes perrupturos. nil, quod salutare esset, non modò ad animum, sed ne ad aures quidem admittebat. Et Annibal quidem haud quaquam simili exercitu, neque ita instructo aderat. ergo ne clamorem quidem atque impetum primum eorum Romani sustinuere. Dux stultitia & temeritate Centenio par, animo nequaquam comparandus, vbi rem inclinatam ac trepidantes suos vidit, equo arrepto cum ducentis fermè equitibus effugit, cætera à fronte pulsa, à tergo atq; aliis circũuenta acies eo vsque est cæsa, vt ex duodeuiginti millibus hominum duo millia haud amplius euaserint. castris hostes potiti sunt. Hæ clades super aliam alia Romam cùm essent nunciatæ, ingens quidem & luctus & pauor ciuitatem cepit. sed tamen quia consules, vbi summa rerum esset, ad id locorum prosperè gererent, minus his cladibus commouebantur. Legatos ad consules mittunt C. Lectorium, M. Metilium, qui nunciarent, vt reliquias duorum exercituum cum cura colligerent: daréntq; operá, ne per metum ac desperationẽ hosti se dederent (id quod post Cãnensem accidisset cladẽ) & vt desertores de exercitu volonũ cõquirerent. Idem negotii P. Cornelio datũ, cui & delectus mandatus erat. isq; per fora conciliabuláq; edixit, vt cõquisitio volonũ fieret, iiq; ad signa reducerẽtur. Hæc omnia intẽtissima cura acta. Ap. Claudius cõsul D. Iunio ad ostium Vulturni, M. Aurelio Cotta Puteolis præposito, qui, vt quæq; naues ex Hetruria ac Sardinia accessissent, extẽplo in castra mitterẽt frumentũ: ipse ad Capuã regressus, Q. Fuluiũ collegam inuenit Casilino omnia importantẽ, molientémq; ad oppugnandã Capuam. Tum ambo cõsules circũsederunt vrbem, & Claudiũ Neronẽ prætorẽ ab Suessula ex Claudianis castris exiuerũt. Is quoq; modico ibi præsidio ad tenẽdũ locũ relicto, cæteris cũ omnibus copiis ad Capuã descẽdit, ita tria prætoria circa Capuã erecta, tres exercitus diuersis partibus opus aggressi, fossa vallóq; circũdare vrbẽ parãt: & castella excitant modicis interuallis. multísq; simul locis cum prohibẽtibus opera Cãpanis eo euẽtu pugnant, vt postremò portis muróq; se cõtineret Cãpanus. Prius tamen ꝙ hæc continuarẽtur opera, legati ad Annibalẽ missi: qui quererentur, desertã ab eo Capuã, ac propè redditã Romanis: obtestarentúrq;, vt tũc saltẽ opem non circũcessis modò, sed etiã circũuallatis ferret. Cõsulibus literæ à P. Cornelio prætore missæ, vt priusquã clauderẽt Capuam operibus, potestatẽ Cãpanis facerent, vt qui eorũ vellent, exirẽt ab Capua, suásq; res secũ auferrẽt: liberos forè suáq; omnia habituros, qui ante Idus Martias exissent. post eam diẽ quíq; exissent quíq; ibi mãsissent, hostiũ futuros numero. Ea pronũciata Cãpanis, atq; ita spreta, vt vltro dicerẽt cõtumelias, minarentúrq;. Annnibal ab Herdonia Tarentũ duxerat legiones, spe aut vi, aut dolo arcis Tarẽtinæ potiũdæ. quod vbi parum processit, ad Brundisiũ flexit iter, prodi id oppidum ratus. ibi quoque cùm frustra tereret tempus, legati Campani ad eũ venerũt, quærẽtes simul, orantésque. quibus Annibal magnificè respõdit: & antea soluisse obsidionẽ, & nũc aduentũ suum consules non laturos. cùm hac spe dimissi legati vix regredi Capuam, iam duplici fossa vallóque cin-

Fuluius effugit.

A consulibus & Nerone prætore Capua oppugnatur.

Campani legatos mittunt ad Annibalem.

ctam,potuerũt. Cùm maximè Capua circumuallaretur, Syracusarum quoque oppugnatio ad finem venit.præterquam vi ac virtute ducis excercitúsque,intestina etiam proditione adiuta. A Namq; Marcellus initio veris incertus vtrum Agrigentum ad Himilconem & Hippocratem verteret bellũ, an obsidione Syracusas premeret:quãquam nec vi capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ vrbem,nec fame,quam propè liberi ab Carthagine cõmeatus alerent:tamen ne quid inexpertum relinqueret,transfugas Syracusanos(erant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri, inter defectionem ab Romanis,quia ab nouis consiliis abhorrebant , pulsi)colloquiis suæ partis tentare hominum animos iussit : & fidem dare, si traditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus victuros esse.Non erat colloquii copia:quia multorum animi suspecti omnium curã oculósque converterant,ne quid falleret tale admissum. Seruus vnus exulum pro transfuga intromissus in vrbem, conuentis paucis,initium colloquendi de tali re fecit.deinde in piscatoria quidã naui retibus operti, circumuectíque ita ad castra Romana,collocutíque cum transfugis.& idem sæpius eodem modo alii atque alii. postremò ad octuaginta facti. & cùm iam composita omnia ad proditionem essent, indicio delato ad Epicidem per Attalum quendam indignantem sibi rem creditam non esse, necati omnes,& cruciati sunt. Alia subinde spes, postquam hæc vana euaserat, excepit. Damasippus quidam Lacedæmonius missus ab Syracusis ad Philippum regẽ,captus ab Romanis nauibus erat.

Damasippus Lacedæmonius.

huius vtique redimendi & Epicidi cura erat ingens: nec abnuit Marcellus,iam tum Aetolorũ, cuius gentis socii Lacedæmonii erant ,amicitiam affectantibus Romanis. Ad colloquiũ de redemptione eius missis medius maximè, atque vtrisque opportunus locus ad portum Trogilorum, propter turrim, quam vocant Galeagram,est visus.quò cùm sæpius cõmearent,vnus ex Romanis ex propinquo murum contemplatus,numerando lapides,æstimandóque ipse secum qui in fronte patêrent:simul altitudinem muri quantum proximè coniectura poterat,permensus:humiliorémque aliquanto pristina opinione sua & cæterorum omnium ratus esse,& vel mediocribus scalis superabilem:ad Marcellum rem refert. Haud spernenda res visa. sed cùm adiri locus,qui ob idipsum intentius custodiebatur, non posset,occasio quærebatur. quam obtulit transfuga,nuncians,diem festum Dianæ per triduum agi: & quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari, & ab Epicide præbito vniuersæ plebi, & per tribus à principibus diuiso.Id vbi accepit Marcellus,cum paucis tribunorum militum collocutus, electísque per eos ad rem tantam agẽdam audendámque idoneis centurionibus militibúsque,& scalis in occulto comparatis,cæteris signum dari iubet,vt maturè corpora curarent,quietíque darent:nocte in expeditionem eundum esse.Inde vbi id temporis visum,quo die epulatis iam, vinóque satiatis principium somni esset,signi vnius milites ferre scalas iussit,& ad mille ferè armati tenui agmine per silentium eò deducti. Vbi sine strepitu ac tumultu primi euaserunt in murum, se- B

Romani Syracusanũ mœnia nocte scalis admotis ingrediũtur.

cuti ordine alii,cùm priorum audacia dubiis etiam animum faceret.Iam mille armatorum ceperant partem,cùm cæteræ admotæ,pluribúsque scalis in murum euadebant,signo ab Hexapylo dato: quò per ingentem solitudinem erat peruentum,quia magna pars in turribus epulati,aut sopiti vino erát, aut semigraues potabant. paucos tamen eorum comprehensos in cubilibus interfecerũt.Prope Hexapylon est portula,ea magna vi refringi cœpta. & è muro ex composito tuba datum signum erat: & iam vndique non furtim, sed vi apertè gerebatur res. quippe ad Epipolas, frequentem custodiis locum,peruentum erat: terrendíque magis hostes erant, quàm fallendi:sicut territi sunt.nam simul ac tubarum est auditus cantus,clamórq; tenentium muros,partémque vrbis:omnia teneri custodes

Syracusarũ custodes fugiunt.

rati,alii per murum fugere,alii salire de muro, præcipitaríq; turba pauentiũ.magna pars tamẽ ignara tanti mali erat , & grauatis omnibus vino somnóq; , & in vastæ magnitudinis vrbe partium sensu non satis pertinente in omnia.Sub luce Hexapylo effracto , Marcellus omnibus copiis vrbem ingressus,excitauit conuertítq; omnes ad arma capienda, opémq;, si quam possent, iam captæ propè vrbi ferendam.Epicides ab insula, quam ipsi Nasson vocant, citato profectus agmine , haud dubius quin paucos per negligentiam custodum transgressos murum expulsurus foret,occurrentibus pauidis tumultum augere eos dictitans,& maiora ac terribiliora vero afferre: postquam cõspexit omnia circa Epipolas armis cõpleta,lacessito tantum hoste paucis missilibus , retro in Acradinam agmen conuertit:non tam vim,multitudinémque hostiũ metuens,quàm ne qua intestina fraus per occasionem oriretur,clausásque inter tumultum Acradinæ atque insulæ inueniret portas.Marcellus vt mœ-

Marcellus Syracusas intuitus illachrymauit.

nia ingressus ex superioribus locis vrbem,omnium fermè illa tempestate pulcherrimam, subiectam oculis vidit,illachrymasse dicitur: partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta gloria vrbis. Atheniensium classes demersæ , & duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti occurrebant:& tot bella cum Carthaginiensibus tanto cum discrimine gesta,tot ac tam opulenti tyranni regésque : præter cæteros Hiero, cùm recentissimæ memoriæ rex , tum ante omnia quæ virtus ei fortunáque sua dederat ,beneficiis in populum Romanum insignis. ea cùm vniuersa occurrerent animo , subirétque cogitatio , iam illa momento horæ arsura omnia , & ad cineres reditura: priusquam signa Acradinæ admoueret , præmittit Syracusanos , qui inter præsidia Romana , vt antè dictum est , fuerant , vt alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam vrbem. Tenebant Acradinæ portas , murósque maximè transfugæ , quibus nulla erat per conditiones veniæ spes : ii nec adire muros , nec alloqui quenquam passi. itaque Marcellus postquam id in cœtum irritum fuit , ad Euryalum signa referri iussit. Tumulus est in extrema parte vrbis versus à mari , viæque imminens ferenti in agros mediterraneáque insulæ , percommodus ad commeatus exipiendos. Præerat huic arci Philodemus Argiuus ab Epicide impositus. ad quem missus à Marcello

A Sosis, vnus ex interfectoribus tyranni, cùm longo sermone habito dilatus per frustrationem esset, retulit Marcello, tempus eum ad deliberandum sumpsisse. Cùm is diem de die differret, dum Hippocrates atque Himilico admouerent castra, legionésque, haud dubius, si in arcem accepisset eos, deleri Romanum exercitum inclusum muris posse: Marcellus vt Euryalum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim & Thicam (nomina partium vrbis, & instar vrbium sunt) posuit castra: timens ne, si frequentia intrasset loca, contineri à discursu miles auidus prædæ non posset. Legati eò ab Thica & Neapoli cum infulis & velamentis venerunt precantes, vt à cædibus & ab incendiis parceretur. De quorum precibus quàm postulatis magis consilio habito, Marcellus ex omnium sententia edixit militibus, ne quis liberum corpus violaret, cætera prædæ futura. castráque tectis parietum pro muro septa, portis regione platearum patentibus stationes præsidiáque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset. Inde signo dato milites discurrerunt. refractísque foribus cùm omnia terrore ac tumultu streperent, à cædibus tamen temperatum est, rapinis nullus antè modus fuit, quàm omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Inter hæc & Philodemus, cùm spes auxilii nulla esset, fide accepta vt inuiolatus ad Epicidem rediret, reducto præsidio tradidit tumulum Romanis. Auersis omnibus ad tumulum ex parte captæ vrbis, Bomilcar noctem eam nactus, qua propter vim tempestatis stare ad anchoram in salo Romana classis non posset, cùm triginta quinque nauibus ex portu Syracusano profectus, libero mari vela in altum dedit, quinque & quinquaginta nauibus Epicidæ & Syracusanis relictis: edoctísque Carthaginiensibus, in quanto res Syracusana discrimine esset, cum C. nauibus post paucos dies redit, multis (vt fama est) donis ex Hieronis gaza ab Epicide donatus. Marcellus Euryalo recepto, præsidióque addito, vna cura erat liber, ne qua ab tergo vis hostium in arcem accepta, inclusos impeditósque mœnibus suos turbaret. Acradinam inde ternis castris per idonea dispositis loca, spe ad inopiam omnium rerum inclusos redacturum se, circunsedit. Cum per aliquot dies quietæ stationes vtrinque fuissent, repentè aduentus Hippocratis & Himilconis, vt vltro vndique opugnarentur Romani, fecit. nam & Hippocrates castris ad magnum portum communitis, signóque iis dato qui Acradinam tenebant, castra vetera Romanorum adortus est, quibus Crispinus præerat: & Epicides eruptionem in stationes Marcelli fecit: & classis Punica litori, quod inter vrbem & castra Romana erat, appulsa est, ne quid præsidii Crispino submitti à Marcello posset. Tumultum tamen maiorem hostes præbuerunt, quàm certamen. nam & Crispinus Hippocratem non repulit tantùm à munimentis, sed insecutus etiam est trepidè fugientem: & Epicidem Marcellus in vrbem compulit. satísque iam etiam in posterum videbatur prouisum, ne quid ab repentinis eorum excursionibus periculi foret. Accessit B & pestilentia, commune malum, quod facile vtrorumque animos auerteret à belli consiliis. nam tempore autumni, & locis natura grauibus, multo tamen magis extra vrbem, quam in vrbe intoleranda vis æstus per vtraque castra omnium fermè corpora mouit. & primo temporis ac loci vitio & ægri erant, & moriebantur. postea curatio ipsa, & contactus ægrorum vulgabat morbos: vt aut neglecti desertíque, qui incidissent, morerentur: aut assidentis curanteísque eadem vi morbi repletos secum traherent: quotidianáque funera, & mors ob omnium oculos esset, & vndique dies noctésque ploratus audirentur. postremò ita assuetudine mali efferauerant animos, vt non modò non lachrymis, iustóque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent: iaceréntque strata exanimia corpora in conspectu similem quoque mortem expectantium: mortuíque ægros, ægri validos cùm metu, tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent. & vt ferro potius morerentur, quidam inuadebant soli hostium stationes. Multo tamen maior vis pestis Pœnorum castra * quàm Romana, diu circunsedendo Syracusas cæde aquísque affecerat magis. Ex hostium exercitu Siculi vt primùm vidère ex grauitate loci vulgari morbos, in suas quisque propinquas vrbes dilapsi sunt. at Carthaginienses, quibus nusquam receptus erat, cum ipsis ducibus Hippocrate atque Himilcone ad internicionem omnes perierunt. Marcellus, vt tanta vis ingruebat mali, adduxerat in vrbem suos: infirmáque corpora tecta & vmbræ recreauerant. multi tamen ex Romano exercitu eadem peste absumpti sunt. Deleto terrestri Punico exercitu, Siculi, qui Hippocratis milites fuerant, haud in magna oppida, cæterùm & situ & munimentis tuta: tria millia alterum ab Syracusis, alterum quindecim ab ostio & commeatus, è ciuitatibus suis comportabant, & auxilia accersebant. Interea Bomilcar iterum cum classe profectus Carthaginem, ita exposita fortuna sociorum, vt spem faceret, non ipsis modò salutarem opem ferri posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo vrbe capi: perpulit vt onerarias naues quàm plurimas omni copia rerum onustas secum mitterent, classémque suam augerent. Igitur centum triginta nauibus longis, & septuaginta onerariis profectus à Carthagine, prosperos satis vẽtos ad traiiciendum in Siciliam habuit. sed iidem venti superare eum Pachynum prohibebant. Bomilcaris aduentus fama primò, dein præter spem mora, cum gaudium & metum inuicem Romanis Syracusanísque præbuisset: Epicides metuens ne, si pergerent iidem qui tum tenebant, ab ortu solis flare per dies plures venti, classis Punica Africam repeteret: tradita Acradina mercenariorum militum ducibus, ad Bomilcarem nauigat, classem in statione versa in Africam habentem, atque timentem nauale prælium, non tam quòd impar viribus, aut numero nauium esset (quippe etiam plures habebat) quàm quòd venti aptiores Romanæ quàm suæ classi flarent: perpulit tandem, vt fortunam naualis certaminis experiri vellet. Et Marcellus cùm & Siculum exercitum ex tota insula conciri videret, & eum ingenti commeatu classem Punicam aduentare, ne simul terra maríque inclusus vrbe hostium vrgeretur, quan-

quam

Philodemus traditio Romanis Euryalo ad Epicidem redit.

Marcellus Acradinam circũsedit. Hippocrates & Himilco ferunt suppetias Syracusanis.

Pestilentia.

quam impar numero nauium erat, prohibere aditu Syracusarum Bomilcarem constituit. Duæ classes infestæ circa promontorium Pachynum stabant, vbi primùm tranquillitas maris in altum euexisset, concursuræ. Itaque cadente iam euro, qui per dies aliquot sæuierat, prior Bomilcar mouit. cuius prima classis petere altum visa est, quo facilius superaret promontorium. cæterùm postquam tendere ad se Romanas naues vidit, incertum qua subita territus re, Bomilcar vela in altum dedit, missísque nuncijs Heracleam, qui onerarias naues retrò in Africam repetere iuberent, ipse Siciliam prætervectus, Tarentum petit. Epicides à tanta repentè destitutus spe, ne in obsidionem magna ex parte captæ vrbis rediret, Agrigentum nauigat, expectaturus magis euentum, quàm inde quicquam moturus. Quæ vbi in castra Siculorum sunt nunciata, Epicidem Syracusis excessisse, à Carthaginiensibus relictã insulam, & propè iterum Romanis traditam: legatos de conditionibus dedendæ vrbis explorata prius per colloquia voluntate eorũ qui obsidebantur, ad Marcellum mittunt. Cùm haud fermè discreparet, quin quæ vbique regũ fuissent: Romanorũ essent, Siculis cætera cũ libertate ac legibus suis seruarētur: euocatis ad colloquiũ iis quibus ab Epicide credita res erat, missos se simul ad Marcellum, simul ab eo ad exercitum Siculorũ aiunt, vt vna omnium qui obsiderentur, quiq; extra obsidionem essent, fortuna esset: néue alteri propriè sibi pacifcerentur quicquam. Recepti deinde ab iis, vt necessarios hospitésq; alloquerentur, expositis quæ pacta iam cum Marcello haberent, oblata spe salutis perpulêre eos, vt secum præfectos Epicidis, Polycletum & Philistionem & Epicidem, cui Sydum cognomen erat, aggrederentur. interfectis iis, & multitudine ad concionem conuocata: & inopiam, qua ipsi inter se fremere occultè soliti erant, conquesti: & quanquam tot mala vrgerent, negarunt fortunam accusandam esse, quòd in ipsorũ esset potestate, quandiu ea paterêtur. Romanis causam oppugnãdi Syracusas fuisse charitatem Syracusanorum, non odium: nam vt occupatas res ab satellitibus Annibalis, deinde Hieronymi, Hippocrate atq; Epicide audierint, tum bellum mouisse, & obsidere vrbem cœpisse: vt crudeles tyrannos eius, non vt ipsam vrbem expugnarent. Hippocrate verò interempto, Epicide interclusò ab Syracusis, & præfectis eius occisis, Carthaginiensibus omni possessione Siciliæ terra mariq; pulsis: quam superesse causam Romanis, cur nõ perinde, ac si Hiero ipse viueret, vnicus Romanæ amicitiæ cultor, incolumes Syracusas esse velint? Itaque nec vrbi nec hominibus aliud periculi, quàm ab semetipsis esse si occasionem reconciliandi se Romanis prætermisissent. eam autẽ, qualis illò momento horæ sit, nullam deinde fore, si simul libertas ab impotentibus tyrannis apparuisset. Omnium ingenti assensu oratio audita est. prætores tamẽ prius creati, quàm legatos nominari, placuit. ex ipsorũ deinde prætorum numero missi oratores ad Marcellum. quorum princeps, Neq; primo, inquit, Syracusani à vobis defecimus, sed Hieronymus, nequaquã tam in vos impius, quàm in nos: nec postea pacẽ tyranni cæde cõpositam Syracusanus quisquã, sed satellites regii Hippocrates atq; Epicides, oppressis nobis hinc metu, hinc fraude, turbauerunt. nec quisquam dicere potest, aliquando nobis libertatis tẽpus fuisse, quod pacis vobiscum nõ fuerit. Nunc certè cæde eorum qui oppressas tenebant Syracusas, cùm primùm arbitrii nostri esse cœpimus, extemplò venimus ad tradenda arma: dedendos nos, vrbem, mœnia: nullam recusandam fortunã, quæ imposita à vobis fuerit. Gloriam captæ nobilissimæ pulcherrimæq; vrbis Græcarum dii tibi dederunt Marcelle. quicquid vnquam terra marique memorandũ gessimus, id tui triumphi titulo accedit. famæ ne credi malis, quãta vrbs à te capta sit, quàm posteris quoq; eam spectaculo esse, quò quisquis terra, quisquis mari venerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibúsq; trophæa, tunc tua de nobis ostendat. * incoluméq; Syracusas familiæ vestræ sub clientela nominis Marcellorũ, tutelâq; habendas tradas. ne plus apud vos Hieronymi, quàm Hieronis memoria momẽti faciat. diutius ille multo amicus fuit, quàm hic hostis, & illius etiam benefacta persensistis, huius amẽtia ad perniciem tantum ipsius valuit. Omnia & impetrabilia & tuta erant apud Romanos. inter ipsos plus belli ac periculi erat. namq; transfugæ tradi se Romanis rati, mercenariorũ quoque militum auxilia in eundem cõpulere metum. arreptisq; armis prætores primùm obtruncant, inde ad cædem Syracusanorum discurrũt: quósque fors obtulit, irati interfecerunt, atque omnia quæ in promptu erant, diripuere. tum ne sine ducibus essent, sex præfectos creauerei, vt terni Acradinæ ac Nasso præessent. Sedato tandem tumultu exequentibus sciscitando mercenariis, quæ acta cum Romanis essent, diluere id quod erat, cœpit: aliam suam, ac transfugarum causam esse. In tempore legati à Marcello redierunt, falsa eos suspicione incitatos memorantes: nec causam expetendæ pœnæ eorum vllam Ramanis esse. Erat ex tribus Acradinæ præfectis Hispanus, Mericus nomine. ad cum inter comites legatorum de industria vnus ex Hispanorum auxiliaribus est missus. qui sine arbitris Mericum nactus, primùm quo in statu reliquisset Hispaniam (& nuper inde venerat) exponit. omnia Romanis ibi obtineri armis. posse eum, si operæprecium faciat, principem popularium esse: seu militare cum Romanis, seu in patriam reuerti libeat. contrà, si malle obsideri pergat, quam spem esse terra marique clauso? Motus his Mericus, cùm legatos ad Marcellum mitti placuisset, fratrem inter eos mittit. qui per eundem illum Hispanum secretus ab aliis ad Marcellum deductus, cùm fidem accepisset, composuissétque agendæ rei ordinem, Acradinam redit. Tum Mericus, vt ab suspicione proditionis auerteret omnium animos, negat sibi placere legatos commeare vltro citróque, neque recipiendum quenquam, neque mittendum: & quo intentius custodiæ seruentur, opportuna loca diuidenda præfectis esse, vt suæ quisque partis tutandæ reus sit Omnes assensi sunt partibus diuidendis: ipsi regio venit ab Arethusa fonte vsque ad ostium magni portus. id vt scirent Romani, fecit. Itaque Marcellus nocte nauim onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam iussit: exponíque milites regione portæ, quæ prope fontem Arethusam est. Hoc

Bomilcaris classis fugit ne cum Romana pugnaret.

De conditionibus dedendæ urbis Syracusanum agitur.

Epicidis præfecti interficiũtur.

Syracusanorum oratores ad Marcellũ missi.

Transfugæ & mercenarij milites obtuum quęque Syracusanorũ interficiunt.

Mericus Hispanus prodidit Acradinã Syracusanorum præsidium.

A

B

A est. Hoc cùm quarta vigilia factum esset, expositósque milites porta, vt conuenerat, recepisset Mericus: luce prima Marcellus omnibus copiis mœnia Acradinæ aggreditur, ita vt non eos solùm qui Acradinam tenebant, in se conuerteret, sed ab Nasso etiam agmina armatorum concurrerent, relictis stationibus suis, ad vim & impetum Romanorum arcendum. In hoc tumultu actuariæ naues instructæ iam antè, circunuectæque ad Nassum, armatos exponunt. qui improuisò adorti semiplenas stationes, & adapertas fores portæ, qua paulo antè excurrerant armati, haud magno certamine Nassum cepere, desertam trepidatione & fuga custodum. neque vllis minus præsidii, *Nassus capitur à Romanis.* aut pertinaciæ ad manendum, quàm transfugis fuit: quia ne suis quidem satis credentes se, medio certamine effugerunt. Marcellus vt captam esse Nassum didicit, & Acradinæ regionem vnam teneri, Mericúmque cum præsidio suis adiunctum, receptui cecinit: ne regiæ opes quarum fama maior quàm res erat, diriperentur. Suppresso impetu militum, & iis qui in Acradina erant transfugis spacium locúsque fugæ datus est: & Syracusani tandem liberi metu, portis Acradinæ apertis, oratores ad Marcellum mittunt: nihil petentes aliud, quàm incolumitatem sibi, liberísque suis. Marcellus concilio aduocato, & adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiores pulsi ab domo inter præsidia Romana fuerant, respondit: non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis quàm paucis his annis maleficia eorum qui Syracusas tenuerint, erga populum Romanum esse. sed pleraque eorum quò debuerint, recidisse: fœderúmque ruptorum ipsos ab se grauiores multo, quàm populus Romanus voluerit, pœnas exegisse. Se quidem tertium annum circunsedere Syracusas, non ne populus reseruatam ciuitatem haberet, sed ne trasfugarum duces captam & oppressam tenerent. Quid potuerint Syracusani facere, exemplo vel eos Syracusanorum esse, qui inter præsidia Romana fuerint: vel Hispanum ducem Mericum, qui præsidium tradiderit: vel ipsorum Syracusanorum postremò serum quidem, sed forte consilium. Omnium sibi laborum periculorúmque, circa mœnia Syracusana terra maríque tandiu exhaustorum nequaquam tantum fructum esse, quàm capere Syracusas potuisse. Inde quæstor cum præsidio ad Nassum ad accipiendam pecuniam regiam, custodiendámque missus: diripiendáque vrbis militi data est. custodibúsque diuisis per domos eorum, qui intra præsidia Romana fuerunt. Cùm multa iræ, multa in- *Syracusæ* uidiæ auaritiæque fœda exempla ederentur: Archimedem memoriæ proditum est, in tanto tumul- *diripiendæ* tu, quantum capta vrbs in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in *militi Romano date.* puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum. ægrè id Marcellum tulisse, sepulturæque curam habitam: & propinquis etiam inquisitis honori præsidióque nomen ac memoriam eius fuisse. Hoc maximè modo Syracusæ captæ. in quibus prædæ tantum, quantum vix capta Cartha

B gine tum fuisset, cū qua viribus æquis certabatur. Paucis antè diebus, quàm Syracusæ caperentur, T. Octacilius cum quinqueremibus octoginta Vticam, ab Lilybæo transmisit. & cùm ante lucem *T. Octacilius agrum* portam intrasset, onerarias frumento onustas cepit: egressúsque in terram, depopulatus est aliquan- *circa Vticā* tum agri circa Vticam, prædámque omnis generis retro ad naues egit. Lilybæum tertio die, quàm *depopulatur.* inde profectus erat, cum centum triginta onerariis nauibus frumento prædáque onustis rediit: ídque frumentum extemplò Syracusas misit. quod ni tam in tempore subuenisset, victoribus victísque pariter perniciosa fames instabat. Eadem æstate in Hispania, cùm bienio fermè nihil admodum memorabile factum esset, consiliísque magis quàm armis bellum gereretur, Romani imperatores egresi hybernis copias coniunxerunt. ibi concilium aduocatum, omniúmque in vnum *Quæ in Hispania gesta sunt.* congruerunt sententiæ: quando ad id locorum id modò actum esset, vt Asdrubalem tendentem in Italiam retinerent: tempus esse iam agi, vt bellum in Hispania finiretur. & satis ad id virium credebant accesisse, triginta millia Celtiberorum ea hyeme ad arma excitata. Tres exercitus erant, Asdrubal Gisgonis filius, & Mago coniunctis castris quinque fermè dierum iter ab Romanis aberāt. Propior erat Amilcaris filius Asdrubal, vetus in Hispania imperator, ad vrbem nomine Anitorgin exercitum habebat. Eum volebant prius opprimi duces Romani, & spes erat satis supérque ad id virium esse, illa restabat cura, ne fuso eo perculsi, alter Asdrubal & Mago, in auios saltus montésque *Scipiones* recipientes sese, bellum extraherent. Optimum igitur rati diuisis bifariam copiis totius simul Hispa *exercitum* niæ amplecti bellum, ita inter se diuiserunt: vt P. Cornelius duas partes exercitus Romanorum so- *partiuntur.* ciorúmque aduersus Magonem duceret, atque Asdrubalem: C. Cornelius cum tertia parte veteris exercitus Celtiberis adiunctis cum Asdrubale Barchino bellum gereret. Vnà profecti ambo duces exercitúsque. Celtiberis prægredientibus, ad vrbem Anitorgin in conspectu hostiū, dirimente amne, ponunt castra. Ibi Cn. Scipio cum quibus antè dictū est copiis substitit, & P. Scipio profectus ad destinatam belli partem. Asdrubal postquam animaduertit exiguum Romanum exercitum in castris, & spem omnē in Celtiberorum auxiliis esse: peritus omnis barbaricæ, & præcipuè omnium earum *Celtiberorū* gentiū, in quibus per tot annos militabat, perfidiæ, facili linguæ cōmercio, cùm vtraq; castra plena *perfidia.* Hispanorū essent, per occulta colloquia paciscitur magna mercede cum Celtiberorū principibus, vt copias inde abducant. Nec atrox visum facinus, non enim in Romanos verterent arma, agebatur: & merces, quāta vel pro bello satis esset, dabatur, ne bellū gererēt & cùm quies ipsa, tum reditus domū fructúsque videndi suos suáq;, grata vulgo erant. itaq; nō ducibus facilius quàm multitudini persuasum est: simul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, se ne retinerent. Id quidē cauendum semper Romanis ducibus erit, exempláq; hæc verè pro documentis habēda, ne ita externis credant auxiliis, vt non plus sui roboris, suarúmque propriè virium in castris habeant. Signis repentè sublatis Celtiberi abeunt, nihil aliud quærentibus causam, obtestantibúsq; vt manerēt Romanis respondent

pondentes quàm domeſtico ſe auocari bello. Scipio poſtquam ſocil nec precibus, nec vi retineri A
poterant:nec ſe aut parem ſine illis hoſti eſſe, aut fratri rurſus coniungi vidit poſſe: nec vllum aliud
ſalutare conſilium in promptu eſſe: retro quantum poſſet, cedere ſtatuit, in id omni cura intentus,
Maſaniſſa ſocius Carthaginienſium.
necubi hoſti æquo ſe committeret loco, qui tranſgreſſus flumen propè veſtigiis abeuntium inſte-
bat. Per eoſdem dies P. Scipionem par terror, periculum maius ab nouo hoſte vrgebat. Maſaniſſa
erat iuuenis, qui eo tempore erat ſocius Carthaginienſium, quem deinde clarum potentémq; Ro-
mana fecit amicitia. Is tum cum equitatu Numidarum & aduenienti P. Scipioni occurit, & dein-
de aſsiduè dies noctéſque infeſtus aderat: vt non vagos tantùm procul à caſtris lignatum pabula-
túmque progreſſos exciperet, ſed ipſis obequitaret caſtris: inuectúſque in medias ſæpe ſtationes,
omnia ingenti tumultu turbaret. noctibus quoque ſæpe incurſu repentino in portis vallóque trepi-
datum eſt: nec aut locus, aut tempus vllum vacuum à metu ac ſolicitudine erat Romanis: compul-
Indibilis.
ſiſque intra vallum, adempto rerum omnium vſu, cùm propè iuſta obſidio eſſet, futurámque arctio-
rem eam appareret, ſi ſe Indibilis, quem cum ſeptem millibus & quingentis Sueſſetanorum aduen-
tare fama erat, Pœnis coniunxiſſet: dux cautus & prudens Scipio victus neceſsitatibus, temera-
rium capit conſilium, vt nocte Indibili obuiam iret: & quocunque occurriſſent loco, prælium conſe-
P. Cornelius Scipio cum exercitu deletur.
reret. Relicto igitur modico præſidio in caſtris, præpoſitóque T. Fonteio legato, media nocte pro-
fectus cum ob obuiis hoſtibus manus conſeruit. Agmina magis, quàm acies pugnabant. ſuperior ta-
men, vt in tumultuaria pugna, Romanus erat. cæterùm & equites Numidæ repentè, quos fefelliſſe
ſe dux ratus erat, ab lateribus circumfuſi magnum terrorem intulere. Contracto aduerſus Numidas
certamine nouo, tertius inſuper aduenit hoſtis, duces Pœni aſſecuti ab tergo iam pugnantes. ancépſq;
prælium Romanos circunſteteret, incertos in quem potiſsimum hoſtem, quamúe in partem conferti
eruptionem facerent. Pugnanti hortantíque, imperatori & offerenti ſe vbi plurimus labor erat, latus
dexterum lancea traiicitur: cuneúſque is hoſtium, qui in confertos circa ducem impetum fecerat,
vt exanimem labentémque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem
nunciātes diſcurrunt, imperatorem Rom. cecidiſſe. Hæc peruagata paſsim vox, vt & hoſtes haud du-
biè pro victoribus, & Romani pro victis eſſent, fecit. Fuga cōfeſtim ex acie duce amiſſo fieri cœpta eſt.
cæterùm vt ad erumpendum inter Numidas, aliáque leuium armatorum auxilia haud difficilis res e-
rat: ita effugere tantum equitum, æquantiúmque equos velocitate peditum, vix poterant: cæsíq; pro-
Victores Pœni Cn. Scipionem inſequuntur.
pè plures in fuga, quàm in pugna ſunt. nec ſuperfuiſſet quiſquam, ni præcipiti iam ad veſperum die
nox interueniſſet. Haud ſegniter inde duces Pœni fortuna vſi, confeſtim è prælio, vix neceſſaria quie-
te data militibus, ad Aſdrubalem Amilcaris citatum agmen rapiunt, non dubia ſpe cum copias con-
iunxiſſent, debellari poſſe. Quò vbi eſt ventum, inter exercitus ducéſq; victoria recenti lætos gra- B
tulatio ingens facta imperatore tanto cum omni exercitu deleto, & alteram pro haud dubio parem
victoriam expectantes. Ad Romanos nondum quidem fama tantæ cladis peruenerat, ſed tamē mœ-
ſtum quoddā ſilentium erat. & tacita diuinatio, qualis iam præſagiētibus animis imminētis mali eſſe
ſolet. Imperator ipſe, præterquàm quòd ab ſociis ſe deſertum, hoſtium tantū auctas copias ſentiebat,
coniectura etiam & ratione ad ſuſpicionem acceptæ cladis, quàm ad vllam bonā ſpem pronior erat.
Quónam modo enim Aſdrubalem ac Magonē, niſi defuncto ſuo fratre bello, ſine certamine adduce-
re exercitum potuiſſe? quomodo autem nō obſtitiſſe? aut ab tergo nō ſecutum fratrem? vt, ſi prohibe-
re quo minus in vnum coirent & duces, & exercitus hoſtiū non poſſet, ipſe certè cum fratre coniun-
geret copias. His anxius curis id modò eſſe ſalutare in præſens credebat, cedere inde quantū poſſet.
& inde vna nocte ignaris hoſtibus, & ob id quietis, aliquantum emenſus eſt iter. Luce, vt ſenſerūt. pro-
fectos hoſtes, præmiſsis Numidis, quàm poterant maximè citato agmine ſequi cœperūt. ante noctem
aſſecuti Numidæ, nunc ab tergo, nunc in latera conc urſantes. Conſiſtere cœperunt, ac tutari agmen
quantum poſſent: tamen tutò vt ſimul pugnarent, procederéntq;, Scipio hortabatur, priuſquam pede-
ſtres copiæ aſſequerentur. cæterùm nunc agēdo, nunc ſuſtinendo agmen, cùm aliquandiu haud mul-
tum procederetur, & nox iam inſtaret, reuocat è prælio ſuos Scipio: & collectos in tumulū quendam,
non quidem ſatis tutum, præſertim agmini perculſo, editiorem tamen, quàm cætera circà erant, ſub-
ducit. Ibi primò impedimentis & equitatu in medium receptis, circundati pedites haud difficulter
impetus incurſantium Numidarum arcebant. dein poſtquam toto agmine tres imperatores cum tri-
bus iuſtis exercitibus aderant, apparebátque parum armis ad tuendum locum ſine munimento va-
lituros eſſe: circunſpectare atque agitare dux cœpit, ſi quo modo poſſet vallum circùm iniicere. ſed
erat adeò nudus tumulus, & aſperi ſoli, vt nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo, aut
ducendæ foſſæ, aliúe vlli operi apta inueniri poſſet: nec fermè quicquā ſatis arduū aut abſciſſum erat,
quod hoſti aditum aſcenſúmue difficilem præberet. omnia faſtigio leni ſubuexa, vt tamen aliquam i-
maginem valli obiicerent: clitellas illigatas oneribus velut ſtruentes ad altitudinem ſolitam circun-
dabant: cumulo ſarcinarum omnis generis obiecto, vbi ad moliendum clitellæ defuerant. Punici
exercitus poſtquam aduenere, in tumulum quidem perfacilè agmen erexere. munitionis verò facies
noua primo eos velut miraculo quodam tenuit, cum duces vndique vociferarentur, quid ſtarent?
Cn. Scipionis exercitus funditur.
& non ludibrium illud vix fœminis pueriſúe morandis ſatis validum diſtraherent, diriperéntque?
captum hoſtem teneri latentem poſt ſarcinas. Hæc contemptim duces increpabant. cæterùm ne-
que tranſilire, neque moliri onera obiecta, nec cedere ſtipatas clitellas, ipſíſque obrutas ſarcinis,
facilè erat. Tardatis diu cum amoliti obiecta onera armatis dediſſent viam, pluribúſque idem
partibus fieret, capta iam vndique caſtra erant: pauci ab multis, perculsíque à victoribus paſsim
cædebantur

cædebantur. Magna pars tamen militum, cùm in propinquas refugiſſet ſyluas, in caſtra P. Scipionis, A quibus T. Fronteius legatus præerat, perfugerunt. Cn. Scipionē alii in tumulo primo impetu hoſtium cæſum tradunt. alii cum paucis in propinquam caſtris turrim perfugiſſe. hanc igni circundatam, atq; ita exuſtis foribus, quas nulla moliri potuerunt vi, captam: omnéſque intus cum ipſo imperatore occiſos. Anno ſeptimo poſtquam in Hiſpaniam venerat Cn. Scipio, vndetrigeſimo die poſt fratris mortem eſt interfectus. Luctus ex morte eorum non Romæ maior, quàm per totam Hiſpaniam fuit. Quin apud ciues partem doloris & exercitus amiſsi, & alienata prouincia, & publica trahebat clades. Hiſpaniæ ipſos lugebant deſiderabántque duces. Cneum tamen magis, quòd diutius præfuerat iis, priórque & fauorem occupauerat, & ſpecimen iuſtitiæ temperantiæque Romanæ primus dederat. Cùm deletus exercitus, amiſſæque Hiſpaniæ viderentur, vir vnus res perditas reſtituit. Erat in exercitu L. Martius Septimii filius, eques Romanus, impiger iuuenis, animique & ingenii aliquanto quàm pro fortuna, in qua erat natus, maioris. ad ſummā indolem acceſſerat Cn. Scipionis diſciplina: ſub qua per tot annos omneis militiæ arteis edoctus fuerat. Hic & ex fuga collectis militibus, & quibuſdā de præſidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat, iunxerátque cum T. Fonteio P. Scipionis legato. Sed tantum præſtitit eques Romanus authoritate inter milites atque honore, vt caſtris citra Iberum communitis, cùm ducem exercituum comitiis militaribus creari placuiſſet: ſubeuntes alii aliis in cuſtodiam valli ſtationéſque, donec per omnes ſuffragium iret, ad L. Martium cuncti ſummam imperii detulerint. Omne inde tempus (exiguum id fuit) muniendis caſtris, conuehendíſque commeatibus conſumptum: & omnia imperia milites cùm impigrè, tum haudquaquam abiecto animo exequebantur. Cæterùm poſtquam Aſdrubalem Giſgonis venientem ad reliquias belli delendas tranſiſſe Iberum, & appropinquare allatum eſt: ſignúmque pugnæ propoſitum ab nouo duce milites viderunt: recordati quos paulo antè imperatores habuiſſent, quibúſque & ducibus & copiis freti prodire ad pugnam ſoliti eſſent, flere omnes repentè, & offenſare capita: & alii manus ad cælum tendere, deos incuſantes: alii ſtrati humi ſuum quiſque nominatim ducem implorare. neque ſedari lamentatio poterat, excitantibus centurionibus manipulares, & ipſo minitante & increpante Martio, quòd in muliebres & inutiles ſe proieciſſent fletus, potius quàm ad tutandos ſemetipſos & rempublicā ſecum acuerent animos, & ne multos imperatores ſuos iacere ſinerēt: cum ſubitò clamor turbarúmque ſonus (iam enim prope vallum hoſtes erant) exauditur. inde verſo repentè in iram luctu, diſcurrunt ad arma: ac velut accenſi rabie diſcurrunt ad portas, & in hoſtem negligenter atque incompoſitè venientem incurrunt. Extemplò improuiſa res pauorem incutit Pœnis. mirabundíq;, vnde tot hoſtes tam ſubitò exorti propè deleto exercitu forent, vnde tāta audacia, tanta fiducia ſui victis ac fugatis: quis imperator duobus Scipionibus cæſis extitiſſet: quis caſtris præeſſet: quis ſi- B gnum dediſſet pugnæ: ad hæc tot iam nec opinata primò omnium incerti, ſtupentéſque referunt pedem dein valida impreſsione pulſi terga vertunt. & aut fugientium cædes fœda fuiſſet, aut temerarius periculoſúſque ſequentium impetus, ni Martius properè receptui dediſſet ſignum, obſiſténſque ad prima ſigna, quoſdam & ipſe retinens, concitatam repreſsiſſet aciem. inde in caſtra auidos adhuc cædiſque & ſanguinis reduxit. Carthaginienſes trepidè primò ab hoſtium vallo acti, poſtquam neminem inſequi viderunt, metu ſubſtitiſſe rati, contemptim rurſus & ſedato gradu in caſtra abeunt. Par negligentia in caſtris cuſtodiendis fuit. nam & ſi propinquus hoſtis erat, tamen reliquias eum eſſe duorum exercituum ante paucos dies deletorum, ſuccurrebat. Ob hoc cùm omnia neglecta apud hoſtes eſſent, exploratis iis Martius ad conſilium prima ſpecie temerarium magis quàm audax animum adiecit, vt vltro caſtra hoſtium oppugnaret: ſimul facilius eſſe ratus vnius Aſdrubalis expugnari caſtra, quàm, ſi ſe rurſus tres exercitus ac tres duces iunxiſſent, ſua defendi: ſimul, aut ſi ſucceſsiſſet cœptis, recepturum ſe afflictas res: aut ſi pulſus eſſet, tamen vltrò inferendo arma contemptum ſui dempturū. ne tamen ſubita res, & nocturnus error etiamnū ſuæ fortunæ cōſiliū perturbaret, alloquēdos adhortandóſque ſibi milites ratus, concione aduocata ita diſſeruit, Vel mea erga imperatores noſtros viuos mortuóſque pietas, vel præſens omnium noſtrûm, milites, fortuna fidem cuiuis facere poteſt: mihi hoc imperium, vt amplū iudicio veſtro, ita re ipſa graue ac ſolicitum eſſe. quo enim tēpore, niſi metus mœrorē obſtupefaceret, vix ita compos mei eſſem, vt aliqua ſolatia inuenire ægro animo poſſem: cogor veſtram omniū vicem (quod difficilimū in luctu eſt) vnus conſolari. & ne tum quidem, vbi quonā modo has reliquias duorū exercituum patriæ cōſeruare poſsim, cogitandum eſt: auertere animum ab aſsiduo mœrore libet. præſto eſt enim acerba memoria: & Scipiones me ambo dies noctéſq; curis inſomníſq; agitant, & excitant ſæpe ſomno, neu ſe, neu inuictos per octo annos in iis terris milites ſuos, cōmilitones veſtros, neu remp. patiar inultā: & ſuam diſciplinā ſuáque inſtituta ſequi iubent. Et vt imperiis viuorum nemo obedientior me vno fuerit, ita poſt mortem ſuam, quod quaque in re facturos illos fuiſſe maximè cenſeam: id optimum ducere vos quoque velim milites, non lamentis lacrymíſque tanquam extinctos proſequi, (viuunt enim vigéntque fama rerum geſtarum) ſed quotiéſcunque occurret memoria illorum, velut ſi adhortanteis ſignúmque dantes videatis eos, ita prælia inire. Nec alia profectò ſpecies heſterno die oculis animíſque veſtris oblata, memorabile illud edidit prælium: quo documentum dediſtis hoſtibus, non cum Scipionibus extinctum eſſe nomen Romanum: & cuius populi vis atque virtus non obruta ſit Cannenſi clade, ex omni profectò ſæuitia fortunæ emerſurā eſſe. Nunc, qui tantū auſi eſtis ſponte veſtra, experiri libet quantum audeatis duce veſtro authore. nō enim heſterno die cùm ſignum receptui dedi, ſequentibus effuſè vobis turbatum hoſtem, frangere audaciam veſtram, ſed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem volui: vt

Cn. Scipionis mors.

L. Martius res Hiſpaniæ perditas reſtituit.

Aſdrubal reliquas exercitus Scipionum aggreditur.

Aſdrubalis exercitus in fugam uerſus.

Martij ad milites oratio.

postmodum præparati incautos,armati inermes, atque etiam sopitos , per occasionē aggredi possetis. Nec huius occasionis spem milites fortè temerè,sed ex re ipsa cōceptam habeo. A vobis quoque profectò si quis quærat, quónam modo pauci à multis,victi à victoribus castra tutati sitis:nihil aliud respondeatis,quàm idipsum, timentes vos,omnia & operibus firmata habuisse,& ipsos paratos instructósque fuisse. Et ita se res habet. ad id, quod ne timeatur fortuna facit, minimè tuti sunt homines:quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas. Nihil omnium nunc minus metuunt hostes,quàm ne obsessi modò ipsi atque oppugnati,castra sua vltro oppugnemus.audeamus, quod credi non potest ausuros nos: eo ipso, quod difficillimum videtur,facillimum erit. Tertia vigilia noctis silēti agmine ducā vos, exploratum habeo, non vigiliarū ordinem,nō stationes iustas esse. clamor in portis auditus, & primus impetus castra ceperit. tum inter torpidos somno,pauentésque ad nec opinatum tumultum, & inermes in cubilibus suis oppressos illa sedes edatur, à qua vos hesterno die reuocatos ægrè ferebatis. Scio audax videri consilium. sed in rebus asperis & tenuibus,fortissima quæque consilia tutissima sunt. quia si in occasionis momento, cuius prætereuolat opportunitas,cunctatus paulùm fueris,nequicquam mox omissam quæraris. Vnus exercitus in propinquo est : duo haud procul absunt. nunc aggredientibus par aliqua opportunitas est : & iam tentastis vestras atque illorum vires.si diem proferimus,& hesternæ eruptionis fama contēti desierimus , periculum est, ne omnes duces,omnésque copiæ conueniant. tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus hostium : quos Cn. Scipio incolumi exercitu non sustinuit? Vt diuidēdo copias periere duces nostri, ita separati ac diuisi opprimi possunt hostes. alia belli gerendi via nulla est. proinde nihil præter noctis proximæ opportunitatem expectemus. Ite diis bene iuuantibus , corpora curate, vt integri vigentésque eodem animo in castra hostium irrumpatis , quo vestra tutati estis. Læti & audiere ab nouo duce nouum consilium : & quo audacius erat, magis placebat. reliquum diei expediendis armis,& curatione corporum consumptum:& maior pars noctis quieti data est. quarta vigilia mouere. Erant vltra proxima castra sex millium interuallo distantes aliæ copiæ Pœnorum. Vallis caua intererat,cōdensa arboribus. in huius syluæ medio fermè stadio cohors Romana arte Punica abditur,& equites. Ita medio itinere intercepto, cæteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ. & cum statio nulla pro portis, neque in vallo custodiæ essent , velut in sua castra, nullo vsquam obsistente,penetrauere. inde signa canunt , & tollitur clamor. pars semisopitos hostes cedunt,pars ignis escas stramento arido tectis iniiciunt. pars portas occupant, vt fugam intercludāt.hosteis simul ignis,clamor,cædes,velut alienatos sensibus,nec audire, nec prouidere quicquam sinunt. incidunt inermes inter cateruas armatorum. alii ruunt ad portas, alii obseptis itineribus super vallum saliunt: & vt quisque euaserat, protinus ad castra altera fugiunt. vbi à cohorte & equitibus ex occulto prorumpentibus circumuenti cæsique ad vnum omnes sunt. B quanquam etiam,si quis ex ea cæde effugisset, adeò raptim captis propioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est, vt præuenire nuncius cladis non posset. Ibi verò quo longius ab hoste aberant,& quia sub lucem pabulatum, lignatum & prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta inuenere: arma tantū in stationibus posita, milites inermes, aut humi sedentes accubantésque,aut obambulantes ante vallum portásque. Cum his tam securis solutísque Romani calentes adhuc ab recenti pugna, ferocésque victoria prælium ineunt. itaque nequaquam resisti in portis potuit. intra portas concursu ex totis castris ad primum clamorem,& tumultu facto,atrox prælium oritur. diúque tenuisset,ni cruēta scuta Romanorum visa indicium alterius cladis Pœnis, atque inde pauorem iniecissent. hic error in fugam auertit omnes. effusique quà iter est, nisi quos cædes oppressit, exuuntur castris.Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Martii. Ad triginta septem millia hostium cæsa,author est Claudius,qui annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit : captos ad mille octingentos tringinta, prædam ingentem partam:in ea fuisse clypeum argenteum † pondo centum triginta octo,cum imagine Barchini Asdrubalis. Valerius Antias vna castra Magonis capta tradit,septem millia cæsa hostium:altero prælio eruptione pugnatum cum Asdrubale,decem millia occisa, quatuor millia trecentos triginta captos. Piso quinque millia hominum, cùm Mago cedenteis nostros effuse sequeretur,cæsa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum nomen Martii ducis est. & veræ gloriæ eius etiam miracula addunt : flammam ei concionanti fusam è capite sine ipsius sensu cum magno pauore circunstātium militum: monumentúmque victoriæ eius de Pœnis vsque ad incensum Capitolium fuisse in templo clypeum,Martium appellatum,cum imagine Asdrubalis. Quietæ deinde aliquādiu in Hispania res fuere,vtrisque post tantas acceptas inuicem illatásque cladescunctantibus periculum summæ rerum facere. Dum hæc in Hispania geruntur,Marcellus captis Syracusis cùm cætera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset,vt non modò suam gloriam,sed etiam maiestatem P R. augeret:ornamenta vrbis,signa tabulásque,quibus abundabant Syracusæ,Romam deuexit. Hostium quidem illa spolia,& parta belli iure. Cæterùm inde primum initium mirandi Græcarum artium opera,licentiæque hinc sacra prophanáque omnia vulgo spoliandi,factum est, quæ postremò in Romanos deos , templum idipsum primum, quod à Marcello eximiè ornatum est,vertit. visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata à Marcello templa : propter excellentia eius generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet. Legationes omnium fermè ciuitatū Siciliæ ad eum conueniebant. dispar vt causa earum,ita conditio erat. Qui ante captas Syracusas aut non desciuerant,aut redierant in amicitiam,vt socii fideles accepti,cultique,quos metus post captas Syracusas dediderat,vt victi à victore

Martius Asdrubalis castra noctu inuadit.

Altera castra prioribus uicina capit Martius.

† Valent 1380 coron.

Martij gloria.

Syracusana spolia.

Ad Marcellum legati ex omni fermè Sicilia missi.

A à victore leges acceperunt. Erant tamen haud paruæ reliquiæ belli circa Agrigentum Romanis: Epicides & Hanno, duces reliqui prioris belli, & tertius nouus ab Annibale in locū Hippocratis missus, Libyphœnicum generis Hipponiates, (Mutinem populares vocabant) vir impiger, & sub Annibale magistro omneis belli artes edoctus. Huic ab Epicide & Hannone Numidæ dati auxiliares. cum quibus ita peruagatus est hostium agros, ita socios ad retinendos in fide animos eorum, ferendúmque in tempore cuique auxiliū, adiit: vt breui tempore totam Siciliam impleret nominis sui. nec spes alia maior apud fauentes rebus Carthaginiensium esset. Itaq; inclusi ad tempus mœnibus Agrigenti dux Pœnus Syracusanúsque, non consilio Mutinis, quàm fiducia magis ausi egredi extra muros, ad Himeram amnem posuerunt castra. Quod vbi perlatum ad Marcellum est, extemplò copias mouit: & ab hoste quatuor fermè millium interuallo consedit, quid agerent pararéntve expectaturus. Sed nullum neque locum, ne tempus cunctationi cōsilióve dedit Mutines, transgressus amnem, ac stationibus hostium cum ingenti terrore ac tumultu inuectus. Postero die propè iusto prælio compulit hostem intra munimenta. inde reuocatus seditione Numidarum in castris facta, cùm trecenti fermè eorum Heracleam Minoam cōcessissent, ad mitigandos reuocandósq; eos profectus, magnopere monuisse duces dicitur, ne absente se cum hoste manus cōsererent. Id ambo ægrè passi duces, magis Hanno, iam antè anxius gloria eius: Mutinem sibi modum facere, degenerem Afrum imperatori Carthaginiensi misso ab senatu populóque. Is perpulit cunctantem Epicidem, vt transgressi flumen in aciem exirent. nam si Mutinem opperirentur, & secunda pugnæ fortuna euenisset, haud dubiè Mutinis gloriā fore. Enimuero indignum ratus Marcellus, se qui Annibalem subnixum victoria Cannensi ab Nola reppulisset: his terra maríque victis ab se hostibus cedere, arma properè capere milites, & efferri signa iubet. Ad instruentem exercitum decem effusis equis aduolant ex hostium acie Numidæ, nuntiantes, populares suos primùm ea seditione motos, qua trecenti ex numero suo concesserint Heracleam: dein quòd præfectū suum ab obtrectantibus ducibus gloriæ eius sub ipsam certaminis diem ablegatum videāt, quieturos in pugna. Gens fallax promissi fidem præstitit. itaq; & Romanis creuit animus, nuntio celeri per ordinem misso, destitutum ab equite hostem esse, quem maximè timuerant: & territi hostes, præterquàm quod maxima parte virium suarum non iuuabantur, timore etiam incusso ne ab suo ipsi equite oppugnarentur. Itaque haud magna vis certaminis fuit. Primus clamor atq; impetus rem decreuit. Numidæ cùm in concursu quieti stetissent in cornibus, vt terga dantes suos viderunt, fugæ tantum parumper comites facti, postquam omnes Agrigentum trepido agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis passim in ciuitates proximas dilapsi. Multa millia hominum cæsa, captáque: & VIII elephanti. Hæc vltima in Sicilia Marcelli pugna fuit. victor inde Syracusas rediit. Iam fermè in exitu
B annus erat. itaque senatus Romæ decreuit, vt P. Cornelius Pr. literas Capuam ad coss. mitteret: dum Annibal procul abesset, nec vlla magni discriminis res ad Capuam gereretur: alter eorum, si ita videretur, ad magistratus subrogandos Romam veniret. Literis acceptis, inter se coss. compararunt, vt Claudius comitia perficeret, Fuluius ad Capuam maneret. coss. Claudius creauit Cn. Fuluium Centimalum, & P. Sulpitium Seruii filium, Galbam, qui nullum antea curulem magistratum gessisset. Prr. deinde creati, L. Cornelius Lentulus, Cornelius Cethegus, C. Sulpitius, C. Calpurnius Piso. Pisoni iurisdictio vrbana, Sulpitio Sicilia, Cethego Apulia, Lentulo Sardinia euenit. Consulibus prorogatum in annum imperium est.

Hipponiates ab Annibale in Siciliam missus.

Marcellus Hannonē & Epicidem fudit.

DECADIS TERTIAE LIBER SEXTVS.

Annibal ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit. ipse verò cum duobus millibus equitum usque ad portam Capenam, ut urbis situm exploraret, obequitauit. & cùm per triduum in aciem utrinque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit: nam cùm in castra redijssent, statim serenitas erat. Capua capta est à Q. Fuluio & Ap. Claudio Coss. Principes Campani ueneno sibi conciuerunt mortem. Cùm senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur: literas à senatu missas Q. Fuluius Cos. quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & lege agi iussit, & supplicium peregit. Cum in Comitijs apud populum quæreretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium, nullo id uolente suscipere, P. Scipio P. filius qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum. & suffragio populi consensuq; omnium missus, Nouam Carthaginem uno die expugnauit, cùm ageret uigesimum quartum annum, uidereturq; diuina stirpe creatus: quoniam & ipse postea quam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat: & in cubiculo matris eius anguis sæpenumero uisus est. Res præterea in Sicilia gestas continet: & amicitiam cum Aetolis iunctam, bellúmque gestum aduersus Acarnanas, & Philippum Macedonum regem.



N. Fuluius Centimalus, P. Sulpitius Galba coss. cum Idibus Martiis magistratum inissent, senatu in Capitoliū vocato, de Republica, de administratione belli, de prouinciis exercitibúsque patres consuluerūt. Q. Fuluio, & Appio Claudio prioris anni coss. prorogatum imperiū est: atq; exercitus, quos habebant, decreti. adiectúmq;, ne à Capua, quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent. Ea tum cura maximè intentos habebat Romanos: non tam ob iram, quæ in nullam vnquam ciuitatem iustior fuit, quàm quòd vrbs tam nobilis ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii respectum. Et prætoribus prioris anni, M. Iunio in Hetruria, P. Sempronio in Gallia, cum binis legionibus, quas habuerant, prorogatum est imperium. Prorogatum & M. Marcello, vt proconsul in Sicilia reliquias belli perficeret eo exercitu, quem haberet. si supplemento opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Cornelius proprætor in Sicilia præesset: dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus sena-

Exercituum & prouinciarum diuisio.

tus miſsionem redditúmque in patriam negaſſet ante belli finem. C. Sulpitio, cui Sicilia euenerat, duæ A
legiones, quas P. Cornelius habuiſſet, decretæ: & ſupplementum de exercitu Cn. Fuluii, qui priore
anno in Apulia fœdè cæſus fugatúſque erat. Huic generi militum ſenatus eundem, quem Cannenſi-
bus, finem ſtatuerat militiæ. additum etiam vtrorúmque ignominiæ eſt, ne in oppidis hybernarent,
néve hyberna propius vllam vrbem decem millibus paſſuum ædificarent. L. Cornelio in Sardinia
duæ legiones datæ, quibus Q. Mutius præfuerat. ſupplementum, ſi opus eſſet, conſules ſcribere iuſsi:
T. Octacilio, & M. Valerio, Siciliæ Græciæq; ora cum legionibus claſsibúſq;, quibus præerât, decreta.
Quinquaginta Græci cum legione vna, centum Siculi cum duabus legionibus habebant naues. Tri-

L. Martij literæ multos offenderũt, quòd ſe Proprætorem ſcripſerat.

bus & viginti legionibus Romanis eo anno bellum terra maríq; eſt geſtum. Principio eius anni cùm
de literis L. Martii referretur, res geſtæ magnificæ ſenatui viſæ. titulus honoris, quòd imperio, non
populi iuſſu, non ex authoritate patrum dato, Proprætor ſenatui ſcripſerat, magnam partem homi-
num offendebat. Rem mali exempli eſſe, imperatores legi ab exercitibus: & ſolenne auſpicatorum
comitiorum in caſtra & prouincias procul ab legibus magiſtratibúſque ad militarem temeritatem
transferri. & cùm quidam referendum ad ſenatum cenſerent, melius viſum differri eam conſultatio-
nem, donec proficiſcerentur equites, qui ab Martio literas attulerant. Reſcribi de frumento & veſti-
mentis exercitus placuit: vtranque rem eam curæ foræ ſenatui. aſcribi autem, Proprætori L. Martio,
non placuit: ne idipſum, quod conſultationi reliquerant, pro præiudicato ferrent. Dimiſsis equiti-
bus, de nulla re prius conſules retulerunt. omniúmque in vnum ſententiæ congruebant, agendum
cum tribunis plebis eſſe: primo quoque tempore ad plebem ferrent, quem cum imperio mitti place-
ret in Hiſpaniam ad eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator præfuiſſet. Ea res cum tribunis acta,

Cn. Fuluium amiſsi in Apulia exercitus reũ agit Cn. Sempronius.

promulgatáque eſt. Sed aliud certamen occupauerat animos. C. Sempronius Blæſus die dicta Cn. Ful
uium ob exercitum in Apulia amiſſum in concionibus vexabat: multa imperatorem temeritate atq;
inſcitia exercitum in locum præcipitem perduxiſſe dictitans. Neminem, præter Cn. Fuluium, antè
corrupiſſe omnibus vitiis legiones ſuas, quàm proderet. itaq; verè dici poſſe, prius eos periſſe, quàm
viderent hoſtem: nec ab Annibale, ſed ab imperatore ſuo victos eſſe. Neminem, cùm ſuffragium in-
eat, ſatis cernere, cui imperium, cui exercitum permittat. Quid interfuiſſe inter T. Sempronium?
Cùm ei ſeruorum exercitus datus eſſet, breui effeciſſe diſciplina atque imperio, vt nemo eorum ge-
neris ac ſanguinis ſui memor in acie eſſet, præſidio ſociis, hoſtibus terrori eſſent. Cùm ad Beneuen-
tum aliáſque vrbes eos velut è faucibus Annibalis ereptos populo Romano reſtituiſſet, Cn. Fuluium
Quiritium Romanorum exercitum, honeſtè genitos, liberaliter educatos, ſeruilibus vitiis imbuiſſe.
ergo effeciſſe, vt feroces & inquieti inter ſocios, ignaui, & imbelles inter hoſtes eſſent: nec impe-
tum modò Pœnorum, ſed ne clamorem quidem ſuſtinere poſſent. Nec Hercule mirum eſſe, milites B
in acie non ſtetiſſe, cùm primus omnium imperator fugeret. magis mirari ſe, aliquos ſtantes ceci-
diſſe, & non omnes comites Cn. Fuluii fuiſſe pauoris ac fugæ. C. Flaminium, L. Paulum, L. Poſt-
humium, Cn. ac P. Scipiones cadere in acie maluiſſe, quàm deſerere circunuentos hoſtibus ſuos exer-
citus. Cn. Fuluium propè vnum nuntium deleti exercitus Romam rediſſe. Facinus indignum eſſe,
Cannenſem exercitum, quòd ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius inde dimittatur, quàm
hoſtis ex Italia deceſſerit: & hoc idem in Cn. Fuluii legionibus nuper decretum. Cn. Fuluio fugam
ex prælio ipſius temeritate commiſſo impunitam eſſe: & eum in ganea luſtríſque, vbi iuuentam ege-
rit, ſenectutem acturum: milites, qui nihil aliud peccauerint, quàm quòd imperatoris ſimiles fue-
rint, relegatos propè in exilium, ignominioſam pati militiam. adeò imparem libertatem Romæ diti

Cn. Fuluij rei defenſio.

ac pauperi, honorato atque inhonorato eſſe. Reus ab ſe culpam in milites transferebat. Eos ferociter
pugnam poſcenteis productos in aciem, non eo quo voluerint, quia ſerum diei fuerit: ſed poſtero
die & tempore & loco æquo inſtructos, ſeu famam, ſeu vim hoſtium nõ ſuſtinuiſſe. cum effuſe omnes
fugerent, ſe quoque turba ablatum, vt Varronem Cannenſi pugna, vt multos alios imperatores. Quid
autem ſolum ſe reſtantem prodeſſe Reipublicæ potuiſſe? niſi ſi mors ſua remedio publicis cladibus
futura eſſe potuiſſet. Non ſe inopia commeatus, non in loca iniqua incautè deductum, non agmine in-
explorato euntem inſidiis circumuentum. vi aperta, armis, acie victum: nec ſuorum animos, nec
hoſtium, in poteſtate habuiſſe. ſuum cuique ingenium audaciam aut pauorem facere. Bis eſt accuſa-
tus: pecuniáque anquiſitum. tertiò teſtibus datis, cùm præterquam quòd omnibus probris oneraba-
tur, iurati permulti dicerent, fugæ pauoríſque initium à prætore ortum: ab eo deſertos milites, cùm
haud vanum timorem ducis crederent, terga dediſſe: tanta ira accenſa eſt, vt capite anquirendum
concio ſucclamaret. De eo quoque nouum certamen ortum. nam cùm tribunus bis pecuniam anqui-
ſiſſet, tertio capitis ſe anquirere diceret: tribuni plebis appellati. cùm collegæ negarent ſe in mora
eſſe, quo minus, quod ei more maiorum permiſſum eſſet, ſeu legibus, ſeu moribus mallet, anquireret:
quoad vel capitis vel pecuniæ iudicaſſet priuato: tum Sempronius perduellionis ſe iudicare Cn. Ful-
uio dixit, diémque comitiis ab C. Calpurnio prætore vrbis petit. Inde alia ſpes ab eo tentata eſt: ſi ad-
eſſe iudicio Q. Fuluius frater poſſet, florens tum & fama rerũ geſtarum, & propinqua ſpe Capuæ po-
tiundæ. Id cum per literas miſerabiliter pro fratris capite ſcriptas petiſſet Fuluius, negaſſéntq; patres
è Republica eſſe abſcedi à Capua, priuſquam dies comitiorum aderat. Cn. Fuluius exulatum Tarqui-

Capua obſeſſa acrius quàm oppugnata.

quinios abiit. id ei iuſtum exilium eſſe ſciuit plebs. Inter hæc vis omnis belli verſa in Capuam
erat. obſidebatur tamen acrius, quàm oppugnabatur. nec aut famem tolerare ſeruitia ac plebs po-
terant, aut mittere nuntios ad Annibalem per cuſtodias tam arctas. Inuentus eſt tandem quidem
Numida, qui acceptis literis euaſurum ſe profeſſus, vt promiſſum præſtaret, per media Romana ca-

A stra nocte egressus, spem accendit Campanis, dum aliquid virium superesset, ab omni parte eruptionem tentandi. Cæterùm in multis certaminibus equestria prælia fermè prospera faciebant: pedites superabantur. sed nequaquam tam lætum vincere, quàm triste vinci vlla parte erat, ab obsesso & propè expugnato hoste. Inita tandem ratio est, vt quod viribus deerat, arte æquaretur. Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes maximè vigore ac leuitate corporum veloces: eis parmæ breuiores, quàm equestres, & septena iacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, & vehi post sese, & desilire perniciter, vbi signum datum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepidè visum est fieri, in campum, qui medius inter castra murúmque erat, aduersus instructos Campanorum equites processerunt. & vbi ad coniectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. pedestris inde acies ex equitatu repentè in hostium equites incurrit: iaculáque cum impetu alia super alia emittunt. quibus plurimis in equos viròsq; passim coniectis permultos vulnerauerunt. pauoris tamen plus ex re noua atque inopinata iniectum est. & in perculsum hostem equites inuecti, fugam stragémque eorum vsq; ad portas fecerunt. Inde equitatu quoque superior Romana acies fuit. Institutum, vt velites in legionibus essent. Authorem peditum equiti immiscendorum centurionem Q. Nauium ferunt: honorique id ei apud imperatorem fuisse. Cùm in hoc statu ad Capuam res essent, Annibalem in diuersum Tarentinæ arcis potiundæ, Capuæque retinendæ trahebant curæ. vicit tamen respectus Capuæ. in quam omnium sociorum hostiúmque conuersos videbat animos: documento futuræ qualemcunque euentum defectio ab Romanis habuisset. Igitur magna parte impedimentorum relicta in Bruttiis, & omni grauiore armatura, cum delectis peditum equitúmque quàm poterat aptissimis ad maturandum iter, in Campaniam contendit, secuti tamen tam raptim euntem tres & triginta elephanti. in valle occulta post Tifata montem imminentem Capuæ consedit. Adueniens cùm castellum Galatiam, præsidio inde vi pulso, cepisset, in circumsedenteis Capuam se vertit: præmissis antè nuntiis Capuam, quo tempore castra Romana aggressurus esset, vt eodem & illi ad eruptionem parati portis omnibus sese effunderent. Res nec explorata Romanis ingentem præbuit terrorem. nam alia parte ipse adortus est, alia Campani omnes pedites equitésque, & cum iis Punicum præsidium, cui Bostar & Hanno præerant, erupit. Romani vt in re trepida, ne ad vnam concurrendo partem aliquid indefensi relinquerent, ita inter se copias partiti sunt. Appius Claudius Campanis, Fuluius Annibali est oppositus. Claudius Nero proprætor cum equitibus sextæ legionis via, quæ Suessulam fert: C. Fuluius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit è regione Vulturni amnis. Prælium non solito modò clamore ac tumultu est cœptum, sed ad alium virorum, equorum armorúmque sonum dispo-

Campani in equestribus prælijs sæpius uictores erant, in pedestribus uicti.

Equites Romani in equos suos uelites singulos accipiunt.

Q. Nauius

Annibal in Campaniam contendit.

Annibal castra Romanorum magnis uiribus aggreditur.

B sita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, vt auerteret etiam pugnantium animos. Campanos facile in vallo Appius arcebat. Maior vis ab altera parte, Fuluium, Annibal & Pœni vrgebant. legio ibi sexta loco cessit. qua pulsa, cohors Hispanorum cum tribus elephantis vsque ad vallum peruasit. ruperátq; mediam aciem Romanorum: & in ancipiti spe ac periculo erat vtrum in castra perrumperet, an intercluderetur à suis. Quem pauorem legionis, periculúmque castrorum Fuluius vbi vidit, Q. Nauium primoréśque alios centurionum hortatur, vt cohortem hostium sub vallo pugnantem inuadant ac trucident. In summo discrimine rem verti. aut viam dandam iis esse, & minore conatu, quàm condensem aciem irrupissent, in castra irrupturos: aut conficiendos sub vallo esse. nec magni certaminis rem fore. paucos esse, & ab suis interclusos, & quæ, dum paueat, Romanis interrupta acies videatur: etiam si se vtrinque in hostem vertat, ancipiti pugna medios circumuenturam. Nauius vbi hæc imperatoris dicta accepit, secundi hastati signum ademptum signifero in hostes infert, iacturum in medios eos minitans, ni se properè sequantur milites, & partem capessent pugnæ. Ingens corpus erat, & arma honestabant, & sublatum altè signum conuerterat ad spectaculum ciues hostésque. cæterùm postquam iam ad signa peruenerat Hispanorum, tum vndique in eum tragulæ coniectæ, & propè tota in vnum acies versa. sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum eius viri potuerunt. Et M. Attilius legatus primi principis ex eadem legione signum inferri in cohortem Hispanorum coegit. Et qui castris præerant, L. Porcius Licinius, & T. Popilius legati pro vallo acriter pugnant, elephantósque transgredientes in ipso vallo conficiunt, quorum corporibus cùm oppleta esset fossa, velut aggere, aut ponte iniecto, transitum hostibus dedit. ibi per stragem iacentium elephantorum atrox edita cædes. Altera in parte castrorum iam pulsi erant Campani, Punicúmque præsidium: & sub ipsa porta Capuæ, quæ ad Vulturnum fert, pugnabatur: neque tam armati irrumpentibus Romanis resistebant, quàm quòd porta balistis scorpionibúsque instructa, missilibus procul hostes arcebat: & suppressit impetum Romanorum vulnus imperatoris Appii Claudii: cui suos ante prima signa adhortanti, sub læuo humero summum pectus gæso ictum est. magna tamen vis hostium ante portam est cæsa. cæteri trepidi in vrbem compulsi. Et Annibal posteaquam cohortis Hispanorum stragem vidit, summáque vi castra hostiū defendi: omissa oppugnatione recipere signa & conuertere agmen peditum, obiecto à tergo equitatu, ne hostis instaret, cœpit. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit. sed Flaccus receptui cani iussit, satis ad vtrunque profectum ratus: vt & Campani quàm haud multum in Annibale præsidii esset, & ipse Annibal sentiret. Cæsa eo die, qui huius pugnæ authores sunt, VIII millia hominum de Annibalis exercitu, tria ex Campanis tradunt: signáque Carthaginiensibus quindecim adempta, duodeuiginti Campanis. Apud alios nequaquam tantam molem pugnæ inuenio. plúsque pauoris, quàm certaminis fuisse, cùm inopinatò in castra Ro-

Nauij uirtus bellica.

Ap. Claudius uulneratur.

Annibal ab oppugnandis Romanorum castris suos auertit.

mana Numidæ Hiſpaníque cum elephantis irrupiſſent: elephanti per media caſtra vadentes, ſtragem tabernaculorum ingenti ſonitu ac fuga abrumpentium vincula iumentorum facerent. fraudem quoque ſuper tumultum adiectam, immiſsis ab Annibale, qui (habuit aliquot) gnari Latinæ linguæ iuberent conſulum verbis: quoniam amiſſa caſtra eſſent, pro ſe quenque militum in proximos montes fugere. ſed eam celeriter cognitam fraudem, oppreſſámque magna cæde hoſtium. elephantos igni è caſtris exactos. Hoc vltimum, vtcunque initum finitúmque eſt, ante deditionem Capuæ prælium fuit. Mediaſtuticus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſius erat, loco obſcuro, tenuíque fortuna ortus. Matrem eius quondam pro pupillo eo procurantem familiare oſtentum, cùm reſpondiſſet aruſpex, ſummum quod eſſet imperium Capuæ, peruenturum ad eum puerum: nihil ad eam ſpem agnoſcentem dixiſſe fuerunt, tu perditas res Campanorum narras, vbi ſummus honos ad filium meum perueniet. Ea ludificatio veri, & ipſa in verum vertit: nam cùm fame ferróque vrgerentur, nec ſpes vlla ſupereſſet: iis qui nati in ſpem honorum erant, honores detrectantibus, Leſius querendo deſertam ac proditam à primoribus Capuam, ſummum magiſtratum vltimus omnium Campanorum cepit. Cæterùm Annibal vt nec hoſtes elici amplius ad pugnam vidit, nec per caſtra eorum perrumpi ad Capuam poſſe: ne ſuos quoque commeatus intercluderent noui conſules, abſcedere irrito incœpto, & mouere à Capua ſtatuit caſtra. multa ſecum quò iam inde ire pergeret voluenti, ſubiit animum impetus, caput ipſum belli Romam petendi: cuius rei ſemper cupitæ prætermiſſam occaſionem poſt Cannenſem pugnam, & alii vulgo fremebant, & ipſe non diſſimulabat: nec opinato pauore ac tumultu, non eſſe deſperandum aliquam partem vrbis occupari poſſe. Si Roma in diſcrimine eſſet, Capuam extemplò omiſſuros aut ambos imperatores Romanos, aut alterum ex iis. qui ſi diuiſiſſent copias, vtrunque infirmiorem factum, aut ſibi, aut Campanis bene gerendæ rei fortunam daturos eſſe. Vna ea cura angebat, ne vbi abſceſſiſſet, extemplò dederentur Campani. Numidam promptum ad omnia audenda donis perlicit, vt literis acceptis, ſpecie transfugæ caſtra Romana ingreſſus, altera parte Capuam clàm peruadat. Literæ autem erant adhortatione plenæ. Profectionem ſuam, quæ ſalutaris illis foret, abſtracturam ad defendendam Romam, ab oppugnanda Capua duces atque exercitus Romanos. ne deſponderent animos: tolerando paucos dies, totam ſoluturos obſidionem. Inde naues in flumine Vulturno comprehenſas duci Caſilinum, quod iam ante præſidii cauſa fecerat caſtellum, iuſsit. quarum vbi tantam copiam eſſe, vt vna nocte traiici poſſet exercitus, allatum eſt: cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluuium legiones ante lucem traiecit. Id priuſquam fieret, ita futurum compertum ex transfugis Fuluius Flaccus ſenatui Romam cùm ſcripſiſſet, variè hominum animi pro cuiuſque ingenio affecti ſunt. Vt in re tam trepida, ſenatu extemplò vocato, P. Cornelius, cui Aſinæ cognomen erat, omnes duces exercitúſque ex tota Italia, neque Capuæ, neque vllius alterius rei memor ad vrbis præſidium reuocabat. Fabius Maximus abſcedi à Capua, terreríque & circumagi ad nutus comminationéſque Annibalis, flagitioſum ducebat. Qui ad Cannas victor, ire tamen ad vrbem auſus non eſſet, eum à Capua repulſum ſpem potiundæ vrbis Romæ cepiſſe? Non ad Romam obſidendam, ſed ad Capuam liberandam obſidione ire Romam. cum eo exercitu, qui ad vrbem eſſet: Iouem fœderum ruptorum ab Annibale teſtem, deóſque alios defenſuros eſſe. Has diuerſas ſententias media ſententia P. Valerii Flacci vicit. qui vtriuſq; rei memor imperatoribus, qui ad Capuam eſſent, ſcribẽdum cenſuit, quid ad vrbem præſidii eſſet. quantas autẽ Annibal copias duceret, aut quanto exercitu ad Capuam obſidendam opus eſſet, ipſos ſcire. ſi & Romam è ducibus alter, & exercitus pars mitti poſſet, vt ab reliquo & duce & exercitu Capua rectè obſideretur: inter ſe compararẽt Claudius Fuluiúſq;: vtri obſidenda Capua, vtri ad prohibendam obſidione patriam, Romam veniẽdum eſſet. Hoc ſenatuſconſulto Capuam perlato, Q. Fuluius proconſul, cui collega ex vulnere ægro, eundum Romam erat: è tribus exercitibus milite electo, ad quindecim millia peditum, mille equites Vulturnum traducit. inde cùm Annibalem Latina via iturum ſatis comperiſſet, ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lauinium præmiſit, vt commeatus paratos & in vrbibus haberent, & ex agris deuiis in viam proferrent: præſidiáque in vrbes contraherent, vt ſua cuique Reſpublica in manu eſſet. Annibal quo die Vulturnum eſt tranſgreſſus, haud procul à flumine caſtra poſuit. poſtero die præter Cales in agrum Sidicinum peruenit, ibi diem vnum populando moratus, per Sueſſulam Alliſanúmque & Caſinatem agrum via Latina ducit. ſub Caſinum biduo ſtatiua habita, & paſsim populationes factæ. Inde præter Interamnam Aquinúmque in Fregellanum agrum ad Lirim fluuium ventum. vbi interciſum pontem à Fregellanis morandi itineris cauſa inuenit. Et Fuluium Vulturnus tenuerat amnis, nauibus ab Annibale incenſis, rates ad traiiciendum exercitum in magna inopia materiæ ægrè comparantem. traiecto ratibus exercitu, reliquum Fuluio expeditum iter, non per vrbes modò, ſed circa viam expoſitis benignè commeatibus, erat. alacréſque milites alius alium, vt adderet gradum memor ad defendendam ire patriam, hortabantur. Romam Fregellanus nuntius diem noctémque itinere continuato ingentem attulit terrorem. tumultuoſius, quàm allatum erat, curſus hominum affingentium vana auditis totam vrbem conciuerat. ploratus mulierum non ex priuatis ſolùm domibus exaudiebatur: ſed vndique matronæ in publicum effuſæ circa deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſsis aras verrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cælum ac deos tendentes, orantéſque vt vrbem Romam è manibus hoſtium eriperent: matréſque Romanas, & liberos paruos inuiolatos ſeruarent. Senatus magiſtratibus in foro præſto eſt, ſi quid conſulere velint. alii accipiunt imperia, diſcedúntque ad ſuas quiſque officiorum partes. alii offerunt ſe: ſi quo vſus operæ ſit. præſidia

Seppius Leſius.

Annibal oppugnandæ Romæ conſilium capit.

Audito Annibalis ad urbem aduentu exterrentur Romani.

Q. Fuluius relicto Capuæ collega Appio Claudio Romam contendit.

Terror mulierum Romanarum.

A

B

A sidia in arce, in Capitolio, in muris, circa vrbem, in monte etiam Albano atque arce Tusculana ponuntur. Inter hunc tumultum Q. Fuluium proconsulem profectum cum exercitu à Capua affertur. cui ne minueretur imperium, si in vrbem venisset, decreuit senatus, vt Q. Fuluio par cum consulibus imperium esset. Annibal infestius perpopulato agro Fregellano propter intercisos pontes, per Frusinatem Ferentinatémque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tusculum petiit: nec receptus mœnibus infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. inde in Pupiniam exercitu demisso, octo millia passuum à Roma posuit castra. Quo propius hostis accedebat, eo maior cædes fiebat fugientium, præcedentibus Numidis: pluresque omnium generum atque ætatum capiebantur. In hoc tumultu Fuluius Flaccus porta Capena cum exercitu Romam ingressus, media vrbe per Carinas Exquilias contendit. inde egressus inter Exquilinam Collinámque portam posuit castra. Aediles plebis commeatum eò comportarunt. Coss. senatúsque in castra venerunt. ibi de summa Reipublicæ consultatum. Placuit coss. circa portas Collinam Exquilinámque ponere castra: C. Calpurnium Prætorem vrbanum Capitolio atq; arci præesse: & senatum frequentem in foro cōtineri, si quid in tam subitis rebus consulto opus esset. Inter hæc Annibal ad Anienem fluuium tria millia passuum ab vrbe castra admouit. ibi statiuis positis, ipse cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vsque ad Herculis templum est progressus: atque vnde proximè poterat, mœnia sitúmque vrbis obequitans contemplabatur. Id eum tam licenter atque otiosè facere, Flacco indignum visum est: itaque immisit equites, submouerísque atque in castra redigi hostium equitatum iussit. Cùm commissum prælium esset, coss. transfugas Numidarum, qui tum in Auentino ad mille & cc. erant, media vrbe transire Exquilias iusserunt: nullos aptiores inter conualles, tectáque hortorum & sepulchra & cauas vndique vias ad pugnandum futuros rati. quos cum ex arce Capitolióque cliuo publico in equis decurrentes quidam vidissent, captum Auentinum conclamauerunt. Ea res tantum tumultum ac fugam præbuit, vt nisi castra Punica extra vrbem fuissent, effusura se omnis pauida multitudo fuerit. Tunc in domos atque in tecta refugiebant: vagósque in viis suos pro hostibus lapidibus telísque incessebant. nec comprimi tumultus, aperiríque error poterat, refertis itineribus agrestium turba pecorúmque, quæ repentinus pauor in vrbem compulerat. Equestre prælium secundum fuit, summotíque hostes sunt: & quia multis locis comprimendi tumultus erant, qui temerè oriebantur, placuit, omnes qui dictatores, coss. censorésve fuissent, cum imperio esse, donec recessisset à muris hostis. Et diei quod reliquum fuit, & nocte insequenti, multi temerè excitati tumultus sunt, compresśique. Postero die transgressus Anienem Annibal, in aciem omnes copias eduxit. nec Flaccus consulésque certamen detrectauere. Instructis vtrinque exercitibus in eius pugnæ

B casum, in qua vrbs Roma victori præmium esset, imber ingens grandine mistus ita vtranque aciem turbauit, vt vix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore quàm hostium metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. vbi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos versa est: auditáque vox Annibalis fertur, potiundæ sibi vrbis Romæ modò mentem non dari, modò fortunam. Minuêre etiam spem eius & aliæ paruæ magnæque res. magna illa, quòd cùm ipse ad mœnia vrbis Romæ armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniæ profectos audiuit. parua autem, quòd per eos dies eum fortè agrum, in quo ipse castra haberet, venisse nihil ob id diminuto pretio, cognitum ex quodam captiuo est. Id verò adeò superbum atque indignum visum, eius soli, quod ipse bello captum possideret haberétque, inuentum Romæ emptorem: vt extemplò vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, iusserit venire. His motus ad Turiam fluuium castra retulit, sex millia passuum ab vrbe. inde ad lucum Feroniæ pergit ire, templum ea tempestate inclytum diuitiis. Capenates aliqui accolæ eius erant, primitias frugum eò, donáque alia pro copia portantes, multo auro argentóque id exornatum habebant. His omnibus donis tum spoliatum templum, æris aceruí, cùm rudera milites religione inducti iacerent, post profectionem Annibalis magni inuenti. Huius populatio templi haud dubia inter scriptores est. Cœlius Romam euntem ab Ereto diuertisse eò Annibalem tradit: itérque eius ab Reate, Cutiliísque, & ab Amiterno orditur. ex Campania in Samnium, inde in Pelignos peruenisse: prætérque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse: inde Albensi agro in Marsos: hinc Amiternum, Forulósque vicum venisse: Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam breuis æui memoriam potuerint confundi. isse enim eà constat. tantum id interest: venerítne eo itinere ad vrbem, an ab vrbe in Campaniam redierit. Cæterùm non quantum pertinaciæ ad præmendam obsidione Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Annibali. namque ex Lucanis in Brutium agrum, ad fretum verò ac Rhegium eo cursu contendit, vt propè repentino aduentu incautos oppresserit. Capua etsi nihil segnius oppressa per eos dies fuerat, tamen aduentum Flacci sensit. & admiratio orta est, non simul regressum Annibalem. inde per colloquia intellexerunt, relictos se desertósque, & spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse. Accessit edictum proconsulis ex Senatusconsulto propositum, vulgatúmque apud hostes: vt qui ciuis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset. nec vlla facta est transitio, metu magis eos, quàm fide continente: quia maiora in defectione deliquerant, quàm quibus ignosci posset. cæterùm quemadmodum nemo priuato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur. Nobilitas Rempublicam deseruerat, neque in senatum cogi poterat. in magistratu autem erat, qui non sibi honorem adiecisset, sed indignitate sua vim ac ius magistratui, quem gerebat, dempsisset. iam ne in foro quidem, aut publico loco principum quis-

Annibal octo millia passuū à Roma castra locat.

Annibal ad Anienem castris positis, cum duobus equitū millibus Romam obequitās cōtemplatur.

Instructas acies Annibalis & Romanorū tempestas aeris diremit.

Quænā Annibalis spem minuerunt.

Feroniæ tēplum spoliatur ab Annibale.

Flaccus Capuā cū exercitu redit.

Nobilitatis Cāpanæ de Rep. sua desperatio.

Bostaris & Hannonis literæ ad Annibalem.

quam apparebat. domibus inclusi patriæ occasum cum suo exitio in dies expectabant. summa curæ omnis in Bostarem Hannonémque præfectos præsidii Punici versa erat, suo, non sociorum periculo solicitos. Hi conscriptis ad Annibalem literis non liberè modò, sed etiam asperè, quibus non Capuam solùm traditam in manum hostibus, sed se quoque & præsidium in omnes cruciatus proditos incusabant: abiisse enim in Brutios, velut auertentem sese, ne Capua in oculis eius caperetur. at hercule Romanos ne oppugnatione quidem vrbis Romæ abstrahi à Capua obsidenda potuisse, tanto constantiorem inimicum Romanum, quàm amicum Pœnum esse. Si redeat Capuam, bellúmque omne eò vertat: & se, & Campanos paratos eruptioni fore. Non cum Rheginis, neque Tarentinis bellum gesturos transisse Alpes. vbi Romanæ legiones sint, ibi & Carthaginiensium exercitus debere esse. sic ad Cannas, sic ad Thrasymenum rem bene gestam, coeundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando. In hanc sententiam literæ conscriptæ Numidis, proposita mercede iam professis operam, dantur. Hi specie transfugarum cum ad Flaccum in castra venissent, vt inde tempore captato abirent: faméque, quæ tam diu Capuæ erat, nulli non probabilem causam transitionis faceret, mulier repentè Campana in castra venit, scortum transfugarum vnius: indicátque imperatori Romano, Numidas fraude composita transisse, literásque ad Annibalem ferre. Id vnum ex iis qui sibi rem aperuisset, arguere sese paratam esse. Productus primò, satis constanter ignorare se mulierem simulabat. paulatim deinde conuictus veris, cum tormenta posci & parari videret: fassus id ita esse, literæque prolatæ: & additum etiam indicio, quod celabatur, & alios specie transfugarum Numidas vagari in castris Romanis. Hi supra LXX. comprehensi, & cum transfugis nouis mulctati virgis, manibúsque præcisis Capuam rediguntur. Conspectum tam triste supplicium fregit animos Campanorum. Concursus ad curiam populi factus coegit Lesium senatum vocare: & primoribus, qui iam diu publicis consiliis aberant, propalàm minabantur, nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, & in publicum omnes vi extracturos esse. Is timor frequentem senatum magistratui præbuit. Ibi cùm cæteri de legatis mittendis ad imperatores Romanos agerent: Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis author fuerat, interrogatus sententiam, negat eos qui de legatis & de pace ac deditione loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint, si Romanos in potestate habuissent: nec quid ipsis patiendum sit. Quid vos, inquit, eam deditionem fore censetis, qua quondam, vt aduersus Samnites auxilium impetraremus, nos nostráque omnia Romanis dedimus? Iam è memoria excessit, quo tempore, & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? iam quemadmodum in defectione præsidium, quod poterat emitti, per cruciatum, & ad contumeliam necauerimus? quoties in obsidenteis quàm inimici eruperimus? castra oppugnauerimus? Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Agè contrà, quæ illi infestè in nos fecerint repetite, vt ex eo quid speretis habeatis. Cum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos COSS. & duos consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. alterum annum circumuallatos inclusósque nos fame macerant, & ipsi nobiscum vltima pericula, grauissimos labores perpessi: circa vallum ac fossas sæpe trucidati, & propè ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. vetus atque vsitata res est, in oppugnanda hostium vrbe labores ac pericula pati. illud iræ atque odii execrabilis indicium est. Annibal ingentibus copiis peditum equitúmque castra oppugnauit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. profectus trans Vulturnum, perussit Calenum agrum: nihil tanta sociorum clade euocati sunt. ad ipsam vrbem Romam infesta signa ferri iussit: eam quoque tempestatem imminentem spreuerunt. transgressus Anienem, tria millia passuum ab vrbe castra posuit: postremò ad mœnia ipsa & ad portas accessit: Romam se ademturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit: & non omiserunt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam auertas. Romanos Roma circumsessa, coniuges, liberi, quorum ploratus hic quoque propè exaudiebantur: aræ, foci, deûm delubra, sepulchra maiorum temerata ac violata, à Capua non auerterunt. tanta auiditas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. nec iniuria forsitan. nos quoque idem fecissemus, si data fortuna esset. Itaque quando aliter diis immortalibus visum est, cùm mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus contumeliásque, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta, etiam leni possum: non videbo Ap. Claudium & Q. Fuluium, victoria insolenti subnixos: neque vinctus per vrbem Romam triumphi spectaculum trahar: vt deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem securi Romanæ subiiciam: nec dirui incendíque patriam videbo: nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginésque & ingenuos pueros. Albam, vnde ipsi oriundi erant, à fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria originum suarum extaret: nedum eos Capuæ parsuros credam, cui infestiores quàm Carthagini sunt. Itaque quibus vestrûm ante fato cedere, quàm hæc tot & tam acerba videant, in animo est: iis apud me hodie epulæ instructæ paratæque sunt. satiatis vino cibóque poculum idem, quod mihi datum fuerit, circumferetur. ea potio corpus à cruciatu, animum à contumeliis, oculos, aures, à videndis audiendísque omnibus acerbis indignísque, quæ manent victos, vindicabit. parati erunt, qui magno rogo in propatulo ædium accenso corpora exanima iniiciant. Hæc vna via & honesta & libera ad mortem. & ipsi virtutem mirabuntur hostes, & Annibal fortes socios sciet ab se desertos ac proditos esse. Hanc orationem viri plures audierunt cum assensu, quàm forti animo id quod probabant exequi potuerunt. Maior pars senatus multis sæpe bellis expertam populi

Numidarum transfugarũ fraus detecta.

Cãpanus senatus metu populi frequens cogitur.

Vibij Virij oratio.

A B

Romani

A Romani clementiam haud diffidentes sibi quoque placabilem fore, legatos ad dedendam Romanis Capuam decreuerunt miserúntque. Vibium Virium septem & viginti fermè senatores domum secuti sunt: epulatíque cum eo, & quantum facere potuerant, alienatis mentibus vino ab imminentis sensu mali, venenum omnes sumpserunt. inde misso conuiuio, dextris inter se datis, vltimóque complexu, collacrymantes suum, patriæque casum, alii vt eodem rogo cremarentur, manserunt, alii domos digressi sunt. Impletæ cibis vinóque venæ minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt. itaque noctem totam plerique eorum, & diei insequentis partem cum animam egissent, omnes tamen prius quàm aperirentur hostibus portæ, expirarunt. Postero die porta Iouis, quæ aduersus castra Romana erat, iussu proconsulis aperta est. ea intromissa legio vna, & duæ alæ cum C. Fuluio legato. Is cum omnium primùm arma teláque, quæ Capuæ erant, ad se conferenda curasset, custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire aut emitti posset, præsidium Punicum comprehendit: senatum Campanũ ire in castra ad imperatores Romanos iussit. quò cùm venissent, extemplò his omnibus catenæ iniectæ, iussíque ad quæstores deferre quod auri argentíque haberent. † auri pondo L X X. fuit: † argenti tria millia pondo & C C. senatores quinque & viginti Cales in custodiam, duodetriginta Theanum missi. quorum de sententia maximè descitum ab Romanis constabat. De supplicio Campani senatus haud quaquam inter Fuluium Claudiúmq; conueniebat. facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fuluii durior sententia erat. Itaq; Appius Romam ad senatum arbitriũ eius rei totum reiiciebat. percunctandi etiam æquum esse potestatem fieri patribus, num cõmunicassent cõsilia cum aliquibus sociorũ Latini nominis municipiorũ: & num ope eorũ in bello forent, & municipiorũ adiuti? Id verò minimè cõmitteodum esse, Fuluius dicere, vt solicitarẽtur criminibus dubiis sociorum fideliũ animi: & subiicerẽtur indicibus, queis neq; quid facerent, neq; quid dicerent, quicquã vnquam pensi fuisset. itaq; se eam quæstionem oppressurũ, extincturúmq;. Ab hoc sermone cùm digressi essent: & Appius quamuis ferociter loquentẽ collegam, nõ dubitaret tamen literas super tanta re ab Roma expectaturum: Fuluius ne id ipsum impedimentum incœpto foret, dimitteus prætorium, tribunis militum ac præfectis sociorum imperauit, vti duobus millibus equitum delectis denuntiarẽt, vt ad tertiam buccinam præstò essent. Cum hoc equitatu nocte Theanum profectus, prima luce portam intrauit, atq; in forum perrexit: concursúque ad primum equitum ingressum facto, magistratum Sidicinum citari iussit. imperauítque vt produceret Campanos, quos in custodia haberet. Producti omnes, virgísque cæsi, ac securi percussi. Inde citato equo Cales percurrit. vbi cùm in tribunali consedisset, productiq; Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit: literásque à C. Calpurnio, populóque Romano Fuluio cum tradidisset, murmur à tribunali totam concionem peruasit, deferri rem inte-

Vibius cum 27 Senatoribus uenenũ sumpsit.

Capua deditur Romanis.

† Valent 7840 cor.

† Valent 32000 cor.

Fuluij in puniendis Campanis senatoribus seueritas.

B gram ad patres de Campanis. Et Fuluius id ita esse ratus, acceptas literas, neque resolutas cùm in gremio reposuisset, præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet. Ita de iis quoq; qui Calibus erant, sumptum supplicium. tum literæ lectæ, senatúsque consultum serum ad impediendam rem actam: quæ summa ope approperata erat, ne impediri posset. Consurgentem iam Fuluium Taurea Iubellius Campanus per mediam vadens turbam nomine inclamauit: & cum mirabundus quídnam sese vellet, resedisset Flaccus: Me quoque, inquit, iube occidi, vt gloriari possis, multo fortiorem quàm ipse es virum abs te occisum esse. Cùm Flaccus negaret profectò satis compotem mentis esse: modò prohiberi etiam se, si id vellet, Senatusconsultum diceret: tum Iubellius, Quandoquidem, inquit, capta patria, propinquis amicísque amissis, cum ipse manu mea coniugem liberósque interfecerim, ne quid indigni paterentur: mihi ne mortis quidem copia eadem est, quæ his ciuibus meis: petatur à virtute inuisæ huius vitæ vindicta. atque ita gladio, quem veste texerat, per aduersum pectus transfixus, ante pedes imperatoris moribundus procubuit. Quia & quod ad supplicium attinet Campanorum, & pleraque alia de Flacci vnius senteutia acta eraot: mortuum Appium Claudium sub deditionem Capuæ quidam tradunt. hunc quoque ipsum Tauream neque sua sponte venisse Cales, neque sua manu interfectum: sed dum inter cæteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus exaudiri possent quæ vociferabatur, silentium fieri Flaccum iussisse: tum Tauream illa quæ antè memorata sunt, dixisse: virum se fortissimum à nequaquam pari ad virtutem occidi. sub hæc dicta iussu proconsulis præconem ita pronuutiasse: Lictor viro forti adde virgas, & in eum primum lege age. Lectum quoque senatusconsultum, priusquam securi feriret, quidam authores sunt. sed quia adscriptum in senatusconsulto fuerit, si ei videretur, integram rem ad senatum reiiceret: interpretatum esse, quid magis è Republica duceret, æstimationem sibi permissam. Capuam à Calibus reditum est: Atelláque & Calatia in deditionem acceptæ. ibi quoque in eos qui capita rerum erant, animaduersum. ita ad L X X X principes senatus interfecti, trecenti fermè nobiles Campani in carcerem conditi. alii per sociorum Latini nominis vrbes in custodias dati, variis casibus interierunt. multitudo alia ciuiũ Campanorum venundata. De vrbe agróque reliqua consultatio fuit: quibusdam delendam censentibus peualidam, propinquam, inimicam. Cæterùm præsens vtilitas vicit. nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, vrbs seruata est, vt esset aliqua aratorum sedes. vrbi frequentandæ multitudo incolatum libertinorúmque & institotum opificúmque retenta. ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Cæterùm habitari tantùm, tanquam vrbem, Capuam, freqoentaríque placuit: corpus nullom ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. sine consilio publico, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore: præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros. Ita ad Capuam res compositæ cousilio ab omni parte laudabili, seuerè & celeriter in maximè uoxios animaduersum:

Taurea Iubellius Campanus sibi mortem cõsciscit.

Multitudo Campanorũ uenundata.

Capua & ager Campanus addicta populo Romano.

A

multitudo ciuium dissipata in nullam spem reditus: non sæuitum incendiis ruinísque in tecta innoxia, murósque: & cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species incolumitate vrbis nobilissimæ opulentissimæque, cuius ruinis omnis Campania, omnes qui Campaniam circà accolunt, populi ingemuissent: confessio expressa hosti, quanta vis in Romanis ad expetendas pœnas ab infidelibus sociis, & quam nihil in Annibale auxilii ad receptos in fidem tuendos esset.

Claudius Nero in Hispaniam mittitur.

Romani proconsules perfuncti quod ad Capuam attinebat cura, Claudio Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum, & trecentos equites quos ipse legisset, & sociûm latini nominis peditum numerum parem, & octingentos equites decernunt. Eum exercitum Puteolis in naues impositum Nero in Hispaniam transportauit. Cùm Tarraconem nauibus venisset, expositísque ibi copiis, & nauibus subductis, socios quoque nauales multitudinis augendæ causa armasset: profectus ad Iberum flumen, exercitum ab T. Fonteio & L. Martio accepit. inde pergit ad hostes ire.

Asdrubalis fides Punica

Asdrubal Amilcaris ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis. is locus est inter oppida Illyturgin & Mentissam. huius saltus fauces Nero occupauit. Asdrubal ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum. Quam rem cùm læto animo Romanus accepisset, diem posterum Asdrubal colloquio petiuit, vt Romani leges conscriberent de tradendis arcibus vrbium, diéque statuenda, ad quam præsidia deducerentur, suáque omnia sine fraude Pœni deportarent. Quod vbi impetrauit, extemplò primis tenebris, atque inde tota nocte quod grauissimum exercitus erat, Asdrubal quácunque posset, euadere è saltu iussit. data sedulò opera est, ne multi ea nocte exirent, vt ipsa paucitas tum ad hostem silentio fallendum aptior, tum ad euadendum per arctas semitas ac difficiles esset. Ventum in sequenti die ad colloquium est. sed loquendo plura scribendóque dedita opera quæ in rem non essent, die consumpto, iu posterum dilatum est. addita insequens nox spatium dedit & alios emittendi: nec postero die res finem inuenit. ita aliquot dies disceptando palàm de legibus, noctésque emittendis clàm è castris Carthaginiensibus absumptæ. & posteaquam maior pars emissa exercitus erat, iam ne iis quidem quæ vltro dicta erant stabatur: minúsque ac minus, cum timore simul fide decrescente, conueniebat. Iam fermè pedestres omnes copiæ euaserãt è saltu: cùm prima luce densa nebula saltum omnem campósque circà intexuit. quod vbi sensit Asdrubal, mittit ad Neronem, qui in posterum diem colloquium differret. illum diem religiosum Carthaginiensibus ad agendum quicquam rei, feriatum esse. Ne tum quidem suspecta fraus. cùm data esset venia eius diei, extemplò Asdrubal cum equitatu elephantísque castris egressus, sine vllo tumultu in tutum euasit.

Nero Asdrubalem persequitur.

Hora fermè quarta depulsa sole nebula aperuit diem, vacuáque hostium castra conspexerunt Romani. Tum demum Claudius Punicam fraudem agnoscens, vt se dolo captum sensit, proficiscentem insistit sequi, paratus confligere acie. B sed hostis detrectabat pugnam. leuia tamen prælia inter extremum Punicum agmen, præcursorésque Romanorum fiebant. Inter hæc Hispaniæ populi, nec qui post cladem acceptam defecerant, redibant ad Romanos, nec vlli noui deficiebant. Et Romæ senatui populóque post receptam Capuam non Italiæ iam maior, quàm Hispaniæ cura erat. & exercitum augeri & imperatorem mitti placebat. nec tamen quem mitterent, satis constabat: quoniam illuc, vbi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus esset. Cùm alii alium nominarent, postremùm eò decursum est, vt populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet. diémque comitiis consules edixerunt. Primò expectauerant, vt qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. quæ vt destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriúmque imperatorum amissorum. Mœsta itaque ciuitas propè inops consilii, comitiorum die tamen in campum descendit. atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremúntque: adeò perditas res, desperatúmque de Republica esse, vt nemo audeat in Hispaniam imperium accipere.

P. Scipio in Hispaniã cũ imperio mittitur.

Cùm subitò P. Cornelius, illius qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti fermè annos natus, professus se petere, in superiore vnde conspici posset loco constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, clamore ac fauore ominati extemplò sunt felix faustúmque imperiũ. iussi deinde inire suffragium, ad vnum omnes non centuriæ modò, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispaniam iusserunt. Cæterùm post rem actam, vt iam resederat impetus animorum ardórq;, silentium subitò ortum & tacita cogitatio, quídnam egissent noui. quòd fauor plus valuisset, quàm ratio ætatis, maximè pœnitebat. quidam fortunam etiam domus horrebant, noménque, ex funestis duabus familiis in eas prouincias, vbi inter sepulchra patris patruíque res gerendæ essent, proficiscentis. Quam vbi ab re tanto impetu acta solicitudinem curámque hominum animaduertit, aduocata concione, ita de ætate sua imperióque mandato, & bello quod gerendum esset, magno elatóque animo disseruit: vt ardorem eum qui residerat, excitaret rursus, innouarétque: & impleret homines certioris spei, quàm quantam fides promissi humani, aut ratio ex fiducia rerum subiicere solet.

Scipionis virtus.

Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuuenta in ostentationem earum compositus: pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut velut diuinitus mente monita, agens: siue & ipse capti quadam superstitione animi, siue vt imperia consiliáque velut sorte oraculi missa sine cunctatione assequeretur. ad hæc iam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius vllam publicam priuatámque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressúsque ædem consideret: & plerunque tempus solus in secreto ibi tereret.

Diuina stirpe satus creditur Scipio

Hic mos, qui per omnem vitam seruabatur, seu consultò, seu temerè, vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum diuinæ virum esse.

A esse. retulitque famam in Alexandro Magno prius vulgatam, & vanitate & fabula parem: anguis immanis concubitu conceptum, & in cubiculo matris eius persæpe visam prodigii eius speciem, interuentúque hominum euolutam repentè, atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quicquam, nec palàm affirmandi. Multa alia eiusdem generis, alia vera, alia assimulata, admirationis humanæ in eo iuuene excesserant modum. quibus freta tunc ciuitas, ætati haudquaquam maturæ tantam molem rerum, tantúmque imperium permisit. Ad eas copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat, quæque à Puteolis cum Claudio Nerone traiectæ erant, decem millia peditum, & mille equites adduntur. & M. Iunius Syllanus Propr. adiutor ad res gerendas datus est. Ita cum x x x nauium classe (omnes autem quinqueremes erant) ostiis Tyberinis profectus præter oram Tusci maris, Alpes atque Gallicum sinum, & deinde Pyrenes circumuectus promontorium, Emporiis vrbe Græca (oriundi & ipsi à Phocæa sunt) copias exposuit. inde sequi nauibus iussis, Tarraconem pedibus profectus, conuentum omnium sociorum (etenim legationes ad famam aduentus eius ex omni se prouincia effuderant) habuit. naues ibi subduci iussit: remissis quatuor triremibus Massiliensium, quæ officii causa ab domo prosecutæ fuerant. Responsa inde legationibus suspensis varietate tot casuum dare cœpit, ita elato ab ingenti virtutum suarum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret: ingénsque omnibus quæ diceret, cùm maiestas inesset, tum fides. Profectus ab Tarracone, & ciuitates sociorum & hyberna exercitus adiit: collaudauítque milites, quòd duabus tantis cladibus deinceps icti prouinciam obtinuissent: nec fructum secundarum rerum sentire hosteis passi, omni cis Iberum agro eos arcuissent, sociósque cum fide tutati essent. Martium secum habebat cum tanto honore, vt facilè appareret, nihil minus eum vereri, quàm ne quis obstaret gloriæ suæ. Successit inde Neroni Syllanus, & in hyberna noui milites deducti. Scipio omnibus quæ adeunda agendáque erant, maturè aditis peractísque, Tarraconem concessit. Nihilo minor fama apud hostes Scipionis erat, quàm apud ciues sociósque: & diuinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat, eo opportunè maiorem inferens metum. In hyberna diuersi concesserant: Asdrubal Gisgonis vsque ad Oceanum & Gades: Mago in mediterranea, maximè supra Castulonensem saltum. Asdrubal Amilcaris filius proximus Ibero circa Saguntum hybernauit. Aestatis eius extremo, quo capta est Capua, & Scipio in Hispaniam venit: Punica classis ex Sicilia Tarentum accita ad arcendos commeatus præsidii Romani, quod in arce Tarentina erat: clauserat quidem omneis ad arcem à mari aditus: sed assidendo diutius arctiorem annonam sociis, quàm hosti faciebat. non enim tantum subuehi oppidanis per pacata littora, apertósque portus præsidio nauium Punicarum poterat, quantum frumenti

Legationes ex omni Hispania ad Scipionem missæ.

Martius Scipioni familiarissimus.

Hyberna Pœnorũ in tres partes diuisa.

B classis ipsa turba nauali mista ex omni genere hominum absumebat: vt arcis præsidium etiam sine inuecto, quia ibi pauci erant, ex antè præparato sustentari posset: Tarentinis classíque ne inuectum quidem sufficeret: tandem maiore gratia quàm venerat, classis dimissa est. annona haud multum laxauerat: quia remoto maritimo præsidio, subuehi frumentum non poterat. Eiusdem æstatis exitu M. Marcellus ex Sicilia prouincia cùm ad vrbem venisset, à C. Calpurnio Prætore senatus ei ad ædem Bellonæ datus est. ibi cùm de rebus ab se gestis disseruisset, questus leniter non suam magis quàm militum vicem, quòd prouincia confecta exercitum deportare non licuisset, postulauit, vt triumphanti vrbem inire liceret. id non impetrauit. Cùm multis verbis actum esset, vtrum minus conueniret, cuius nomine absentis ob res prosperè ductu eius gestas supplicatio decreta foret, & diis immortalibus habitus honos, ei præsenti negare triumphum: an quem tradere exercitum successori iussissent, quod nisi manente in prouincia bello non decerneretur, eum quasi debellato triumphare, cùm exercitus testis meriti atque immeriti triumphi abesset: medium visum, vt ouans vrbem iniret. Tribuni plebis ex authoritate senatus ad populum tulerunt, vt M. Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium esset. Pridie quàm vrbem iniret, in monte Albano triumphauit. inde ouans multam præ se prædam in vrbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum catapultæ balístæque, & alia omnia instrumenta belli lata, & pacis diuturnæ regiæque opulentiæ ornamenta, argenti æríscque fabrefacta vasa: & alia suppellex preciosáque vestis, & multa nobilia signa quibus inter primas Græciæ vrbes Syracusæ ornatæ fuerant. Punicæ quoque victoriæ signum, octo ducti elephanti. Et non minimum fuere spectaculum cum coronis aureis præcedentes, Sosis Syracusanus, & Mericus Hispanus: quorum altero duce nocturno Syracusas introitum erat: alter Nassum, quódque ibi præsidii erat, prodiderat. His ambobus ciuitas data, & quingenta iugera agri: Sosidi in agro Syracusano, qui aut regius, aut hostium populi Romani fuisset: & ædes Syracusis cuius vellet eorum, in quos belli iure animaduersum esset: Merico, Hispanísque qui cum eo transierant, vrbs agérque in Sicilia ex iis qui à populo Romano defecissent, iussa dari. id M. Cornelio mandatum, vt vbi ei videretur, vrbem agrúmque eis assignaret. in eodem agro Belligeni, per quem illectus ad transitionem Mericus erat, c c c c iugera agri decreta. Post profectionem ex Sicilia Marcelli Punica classis octo millia peditum, tria Numidarum equitum exposuit. Ad eos Murgentinæ desciuerunt terræ. secutæ defectionem earum Hybla & Magella sunt, & ignobiliores quædam aliæ. Et numidæ præfecto Mutinæ vagi per totam Siciliam sociorum populi Romani agros vrebant. Super hæc exercitus Romanus iratus, partim quòd cum imperatore non deuectus ex prouincia esset: partim quòd in oppidis hybernare vetiti erant, segni fungebantur militia: magísque eis author ad seditionem, quàm animus deerat. Inter has difficultates M. Cornelius Pr. & militum animos nunc consolando, nunc castigando sedauit: & ciuitates omnes quæ defecerant, in deditionẽ redegit: atq; ex his Murgantiam Hi-

Marcello triumphus negatur.

Marcellus ouans urbem iniit.

Numidæ populantur agros sociorum P.R. in Sicilia.

ſpanis, quibus vrbs agérque debebatur, ex S c tribuit. Conſules cùm ambo Apuliam prouinciam A haberent, minúſque iam terroris à Pœnis & Annibale eſſet, ſortiri iuſsi Apuliam Macedoniámque prouincias: Sulpitio Macedonia euenit, iſque Leuino ſucceſsit. Fuluius Romam comitiorum cauſa accerſitus, cùm comitia conſulibus rogandis haberet, prærogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium. Manlius qui præſens erat, gratulandi cauſa cum turba coiret, nec dubius eſſet conſenſus populi, magna circumfuſus turba ad tribunal conſulis venit: petítque vt pauca ſua verba audiret, centuriámque quæ tuliſſet ſuffragium, reuocari iuberet. Erectis omnibus expectatione, quidnam poſtulaturus eſſet, oculorum valetudinem excuſauit. Impudentem & gubernatorem & imperatorem eſſe, qui cùm alienis oculis ei omnia agenda ſint, poſtulet ſibi aliorum capita ac fortunas committi. proinde ſi videretur, & redire in ſuffragium centuriam iuniorum iuberet, & meminiſſet in conſulibus creandis belli, quod in Italia ſit, temporúmque Reipublicæ. vix dum requieſcere aureis à ſtrepitu & tumultu hoſtili, quo paucos ante menſes aſſederint prope mœnia Romana. Poſt hæc cum centuria frequens ſucclamaſſet, nihil ſe mutare ſententiæ, eoſdémque conſules dicturos eſſe: tum Torquatus, Neque veſtros, inquit, mores conſul ferre potero, neque vos imperium meum. redite iu ſuffragium, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hoſtium ducem Annibalem eſſe. Tum centuria & authoritate mota viri, & admirantium circà fremitu, petit à conſule, vt centuriam ſeniorum citaret. velle ſeſe cum maioribus natu colloqui, & ex authoritate eorum conſules dicere. Citatis centuriæ ſenioribus, datum ſecreto in ouili cum his colloquendi tempus. Seniores de tribus conſulendum dixerunt eſſe, duobus iam plenis honorum, Q. Fabio & M. Marcello: & ſi vtique nouum aliquem aduerſus Pœnos conſulem creari vellent, M. Valerium Leuinum egregiè aduerſus Philippum regem terra maríque res geſsiſſe. Ita de tribus conſultatione data, ſeuioribus dimiſsis, iuniores ſuffragium ineunt. M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, M. Valerium, abſentes conſules dixerunt. authoritatem prærogatiuæ omnes centuriæ ſecutæ ſunt. Eludant nunc antiqua mirantes. non equidem ſi qua ſit ſapientium ciuitas, quam docti fingunt magis quàm norunt: aut principes grauiores temperatioréſque à cupidine imperii, aut multitudinem melius moratam cenſeam fieri poſſe. Centuriam verò iuniorum ſeniores conſulere voluiſſe, quibus imperium ſuffragio mandaret, vix vt veriſimile ſit, parentum quoque hoc ſeculo vilis leuiſque apud liberos authoritas fecit. Prætoria inde comitia habita P. Manlius Volſo, & L. Manlius Acidinus, & C. Lectorius, & L. Cincius Alimentius creati ſunt. Fortè ita incidit, vt comitiis perfectis nuntiaretur, T. Octacilium, quem T. Manlio, niſi interpellatus ordo comitiorum eſſet, collegam abſentem daturus fuiſſe videbatur populus, mortuum in Sicilia eſſe. Ludi Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno vt fierent, repentè Calpurnio Prætore ſenatus decreuit, vt in B perpetuum vouerentur. Eodem anno prodigia aliquot viſa, nuntiatáque ſunt. In æde Concordiæ victoria quæ in culmine erat, fulmine icta decuſſáque ad Victorias quæ in antè fixæ erant, hæſit, neque inde procidit. Et Anagniæ & Fregellis nuntiatum eſt, murum portáſque de cælo tactas. & in foro Sudertano ſanguinis riuos per diem totum fluxiſſe, & Ereti lapidibus pluiſſe, & Reate mulam peperiſſe. Ea prodigia hoſtiis maioribus ſunt procurata, & obſecratio in vnum diem populo indicta, & nouendiale ſacrum. Sacerdotes publici aliquot eo anno mortui ſunt, nouíque ſuffecti, in locum M. Aemylii Numidæ decemuiri ſacrorum M. Aemylius Lepidus: in locum M. Pomponii Mathonis pontificis, C. Liuius: in locum Sp. Caruilii Maximi auguris, M. Seruilius. T. Octacilius Craſſus pontifex quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum eius non eſt facta. C. Claudius flamen dialis, quòd exta perperam dederat, flaminio abiit. Per idem tempus M. Valerius Leuinus, tentatis prius per ſecreta colloquia principum animis, ad indictum antè ad ipſum id concilium Aetolorum, claſſe expedita venit. Vbi cùm Syracuſas Capuámque captas in fidem, in Italiáque rerum ſecundarum ſucceſſum oſtentaſſet: adieciſſétque, iam inde à maioribus traditum morem Romanis colendi ſocios: ex quibus alios in ciuitatem, atque æquum ſecum ius accepiſſent: alios in ea fortuna haberent, vt ſocii eſſe quam ciues mallent: Aetolos eo in maiore futuros honore, quòd gentium tranſmarinarum in amicitiam primi veniſſent. Philippum eis & Macedonas graues accolas eſſe, quorum ſe vim ac ſpiritus etiam fregiſſe: & eò redactos eſſe, vt non his modò vrbibus quas per vim ademiſſent Aetolis, excedane, ſed ipſam Macedoniam infeſtam habeant. Et Acarnanas, quos ægrè ferrent Aetoli à corpore ſuo diremptos, reſtituturum ſe in antiquam formulam iuriſque ac ditionis eorum. Hæc dicta promiſſáque Romano imperatore Scopas, qui tum prætor gentis erat, & Dorimachus princeps Aetolorum affirmauerunt authoritate ſua, minore cum verecundia & maiore cum fide vim maieſtatémque populi Romani extollentes. maximè tamen ſpes potiundæ mouebat Acarnaniæ. Igitur conſcriptæ conditiones quibus in amicitiam ſocietatémque populi Romani venirent. additúmque, vt ſi placeret velléntque, eodem iure amicitiæ Elei Lacedæmoniíque, & Attalus & Pleuratus & Scerdiletus eſſent: Aſiæ Attalus, hi Illyriorum reges. Bellum vt extemplò Aetoli cum Philippo terra gererent. Nauibus ne minus xx quinqueremibus adiuuaret Romanus. Vrbium Corcyra tenus ab Aetolia incipiẽti ſolum tectáq;, & muri cum agris, Aetolorum: alia omnis præda populi Romani eſſet. Daréntq; operã Romani, vt Acarnaniam Aetoli haberent. Si Aetoli pacẽ cum Philippo facerent, fœderi adſcriberent: ita ratam eorum pacem, ſi Philippus arma ab Romanis ſociiſq; quiq; eorũ ditionis eſſent, abſtinuiſſet. Item ſi populus Romanus fœdere iungeretur regi, vt caueret ne ius ei belli inferendi Aetolis ſociiſq; eorum eſſet. Hæc conuenerunt. conſcriptáque biennio pòſt, Olympiæ ab Aetolis, in Capitolio ab Romanis, vt teſtata ſacratis monumentis eſſent, ſunt poſita. Moræ cauſa fuerant retenti Romæ diutius

T. Manlius Torquatus conſulatum recuſat.

Apollinares ludi.

Prodigia.

M. Valerij Leuini ad Aetolos oratio.

Aetolorum cum populo Romano ſocietatis conditiones.

A tius legati Aetolorum. nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit. & Aetoli extemplò mouerunt aduersus Philippum bellum: & Leuious Zacynthum (parua insula est propinqua Aetoliæ: vrbem vnam eodem qoo ipsa est nomine habet, eam præter arcem vi cepit) & Oeniada Naxúmque Acarnanum captas Aetolis contribuit. Philippum quoque satis implicatum bello finitimo ratus, ne Italiam Pœnósque & pacta cum Annibale posset respicere, Corcyram ipse se recepit. Philippo Aetolorom defectio Pellæ hybernanti allata est. itaque quia primo vere moturus exercitum in Græciam erat, Illyrios finitimásque eis vrbes alieno metu quietas vt Macedonia haberet, expeditionem subitam in Oricinorum atque Apolloniatum fines fecit: egressósque Apolloniatas cum magno terrore ac pauore compulit intra muros. vastatis proximis Illyriis, in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter. inde Dardaoorom vrbem sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cœpit. His raptim actis, memor Aetolici innctíque cum eo Romani belli per Pelagoniam & Nympheum & Boleam in Thessaliam descendit. ad bellum secum aduersus Aetolos capessendum incitari posse homines credebat: & relicto ad fauces Thessaliæ Perseo cum quatuor millibus armatorum ad arcendos aditu Aetolos, ipse priusquam maioribus occuparetur rebus, in Macedoniam atque inde in Thraciam exercitum ac Medos eduxit. Incurrere ea gens Macedoniam solita erat, vbi regem occupatum externo bello, ac sine præsidio esse regnum seniisset. Ad Phragandas igitur vastare agros, & vrbem Iampharniam, caput arcémque Medicæ oppugnare cœpit. Scopas vbi profectum in Thraciam regem: occupatúmq; ibi bello audiuit, armata omni iuuentute Aetolorum, bellum inferre Acarnaniæ parat. Aduersus quos Acarnanum gens & viribus impar, & iam mœnia Oeniadoo Naxúmque amissa cernens, Romanáque insuper arma ingruere, ira magis instruit quàm consilio bellum. cooiugibus liberísque & senioribos supra L X annos in propinquam Epirum misis, ab X V ad L X annos coniurant: nisi victores, se nuo redituros. qui victus acie excessisset, eum ne quis vrbe, tecto, mensa, lare reciperet: diram execrationem in populares, obtestationem quàm sanctissimam potuerunt, aduersus hospites composoerunt. precatíque simul Epirotas sunt, vt qui suorum io acie cecidissent, eos vno tumulo contegerent, adhiberéntque humatis titulum: Hic siti sunt Acarnanes, qui aduersus vim atque iniuriam Aetolorum pro patria pugnantes mortem occubuerunt. Per hæc iocitatis animis, castra in extremis finibus suis obuiam hosti posueruot. nuntiis ad Philippum missis, quanto res in discrimine esset: omittere Philippum id quod in manibus erat, coëgerunt bellum, Iampharnia per deditionem recepta, & prospero alio successu rerum. Aetolorum impetum tardauerat primò coniurationis fama Acarnanicæ: deinde aoditus Philippi aduentus, regredi etiam in intimos coëgit fines. Nec Philippus, quanqoam ne opprimerentur Acarnanes, itineribus magnis ierat: vltra Clinen est progressus. inde

Expeditiones Philippi.

Acarnanum execratio.

Acarnanes accersunt Philippũ aduersus Aetolos.

B cùm audisset reditum Aetolorum ex Acarnania, & ipse Pellam rediit. Leuinus veris principio à Corcyra profectus nauibus, superato Leucate promontorio, cùm venisset Naupactum, Anticyram inde se petiturum edixit, vt præsto ibi Scopas Aetolíque essent. Sita Anticyra est io Locride læua parte sinum Corinthiacum intrãtibos. breue terra iter eò, breuis nauigatio ab Naupacto est. Tertio fermè pòst die vtrinque oppugnari cœpta est. grauior à mari oppugnatio erat: quia & tormenta machinæque omnis generis in nauibus erant, & Romani inde oppugnabant. itaque intra paucos dies recepta vrbs per deditionem, Aetolis traditur. præda ex pacto Romanis cessit. Literæ Leuino redditæ, eensulem eum absentem declaratum, & successorem venire P. Sulpitium. cæterùm diuturno ibi morbo implicitus, serius spe omnium Romam venit. M. Marcellus cùm Idibus Martiis cõsulatum inisset, senatum eo die moris modò caosa habuit: professus nihil se absente collega, neque de Republica, oeque de prouinciis acturum. Scire se frequentes Siculos prope vrbem in villis obtrectatorum suorum esse. quibus tantum abesse vt per se noo liceat palam Romæ crimina edicta fictáque ab inimicis vulgare, vt ni simularent aliqoem sibi timorem abseote collega dicendi de consule esse, ipse eis extemplò daturus senatum fuerit. vbi quidem collega venisset, non passurum quicquam prius agi, quàm Siculi in senatum introducantur. delectum propè à M. Cornelio per totam Siciliam habitum, vt quàmplurimi questum de se Romam venirent. eundem literis falsis vrbem implesse, bellum in Sicilia esse, vt suam laudem minuat. Moderati animi gloriam eo die adeptus cõsul, senatum dimisit. ac propè iustitium omoium rerum futurum videbatur, donec alter consul ad vrbem veoisset. Otium, vt solet, excitaoit plebis rumores: belli diuturnitate & vastatos agros circa vrbem, quà infesto agmine isset Annibal: & exhaustam delectibus Italiam. & pro Republica Cannis exercitus cæsos querebãtur: & consules bellicosos ambos, viros acres nimis & feroces creatos: qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare ciuitatem forent passuri. Interrupit hos sermones nocte, quæ pridie quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum iocendium ortum. eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinqoe: & argentariæ, quæ nunc nouæ appellantur, arsere. comprehensa postea priuata ædificia: (neque enim tum basilicæ erant) comprehensæ latumiæ, forúmque piscatorium, & atrium regium. ædes Vestæ vix defensa est, tredecim maximè seruorum opera, qui in publicum redempti, ac manumissi sunt. nocte ac die continuatum incendium fuit. nec vlli dubium erat, humana id fraude factum esse, quòd pluribus simul locis, & in iis diuersis, ignes coorti essent. Ita Consul ex authoritate senatus pro concione edixit, qui quorum opera id conflatum incendium profiteretur, præmium forè, libero pecuniam, seruo libertatem. Eo præmio inductus Campanorum Calauiorum seruus (Mannos ei nomen erat) indicauit, dominos, & quinque præterea iuuenes nobiles Campanos, quorum parentes à Q. Fuluio securi percussi erant, id incendium fecisse: vulgóque facturos alia, ni comprehendantur. Comprehensi, familiæq; eorum. & primò eleuabatur index, indiciúmq;. pridiè eum verberibus castigatum

Anticyram expugnat Leuinus.

Leuino mittitur successor P. Sulpitius.

Incendium circa forum Romæ.

Incendij authores comprehensi.

gatum ab dominis discessisse, per iram ac leuitatem ex re fortuita crimen commentum. cæterùm vt A coram coarguebantur, & quæstio ex ministris facinoris foro medio haberi cœpta est, fassi omnes, atque in dominos seruósque conscios animaduersum est. indici libertas data, & † viginti millia æris.

† Val. 200 coron.

Campani de Q. Flacco queruntur.

Consuli Leuino Capuam prætereunti circunfusa multitudo Campanorum est, obsecrantium cum lacrymis, vt sibi Romam ad senatum ire liceret oratum, si qua misericordia tandem flecti possent, ne se ad vltimum perditum irent, noménque Campanorum à Q. Flacco deleri sinerent. Flaccus sibi priuatam simultatem cum Campanis negare vllam esse, publicas inimicitias & hostileis esse: & futuras, quoad eo animo in populum Romanum esse sciret. nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano. ideo se mœnibus inclusos tenere eos: quia si qui euasissent aliquà, velut feras bestias per agros vagari, & laniare & trucidare quodcunque obuium detur. alios ad Annibalem transfugisse, alios ad Romam incendendam profectos. inuenturū in semiusto foro cōsulem vestigia sceleris Campanorum. Vestæ ædem petitam, & æternos ignes, & cōditum in penetrali fatale pignus imperii Romani. se minimè censere tutum esse, Campanis potestatem intrandi Romana mœnia fieri.

Campani & Siculi Romam introducti, ut de Flacco & Marcello quererētur.

Leuinus Campanos iureiurando à Flacco adactos, quinto die quàm à senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam iussit. Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obuiam egressis potestatem Romam adeundi fecit: clarissimarum vrbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in vrbem adducens. De Republica tamen primùm ac de prouinciis ambo consules ad senatum retulere. Ibi Leuinus quo statu Macedonia & Græcia, Aetoli, Acarnanes Locrique essent, quásque ibi res ipse egisset terra marique, exposuit. Philippum inferentem bellum Aetolis in Macedoniam retrò ab se compulsum, ad intima penitus regni abiisse, legionémque inde deduci posse. classem satis esse ad arcendam Italia regem. Hæc de se, déque prouincia cui præfuerat.

Prouinciarum & exercituum dimissio.

Consulum de prouinciis communis relatio fuit. decreuere patres, vt alteri consulum Italia bellúmque cum Annibale, prouincia esset: alter classem cui T. Octacilius præfuisset, Siciliámque prouinciam cum L. Cincio prætore obtineret. Exercitus eis duo decreti, qui in Hetruria Galliáque essent: eæ quatuor erant legiones. vrbanæ duæ superioris anni in Hetruriam: duæ quibus Sulpitius cos. præfuisset, in Galliam mitterentur. Galliæ & legionibus præesset, quem consul, cuius Italia prouincia esset, præfecisset. In Hetruriam C. Calpurnius post præturam, prorogato in annum imperio, missus: & Q. Fuluio Capua prouincia decreta, prorogatúmque in annum imperium. Exercitus ciuium sociorúmque minui iussus, vt ex duabus legionibus vna legio quinque millia peditum, & trecenti equites essent: dimissis qui plurima stipendia haberent: & sociorum septem millia peditum, & trecenti equites relinquerentur: eadem ratione stipendiorum habita in veteribus militibus dimittendis. Cn. Fuluio cos. superioris anni, nec de prouincia Apulia, nec de exercitu quem B habuerat, quicquam mutatum: tantùm in annum prorogatum imperium est. P. Sulpitius collega eius omnem exercitum, præter socios nauales, iussus dimittere est. Item ex Sicilia exercitus, cui M. Cornelius præesset: vbi consul in prouinciam venisset, dimitti iussus. L. Ciccio Prætori ad obtinendam Siciliam Cannenses milites dati, duarum instar legionum. Totidem legiones in Sardiniam P. Manlio Volsoni Prætori decretæ: quibus L. Cornelius in eadem prouincia priore anno præfuerat. Vrbanas legiones ita scribere consules iussi, ne quem militem facerent, qui in exercitu M. Valerii, Fuluiique fuissent: néve eo anno plures quàm vna & xx. Romanæ legiones essent. His senatusconsultis perfectis, sortiti prouincias consules: Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello aduersus Annibalem Leuino euenit.

Siculorum cōploratio.

Quæ sors, velut iterum captis Syracusis, ita exanimauit Siculos expectatione sortis in consulum conspectu stanteis, vt comploratio eorum flebiléque voces, & extemplò oculos hominum conuerterent, & postmodum sermones præbuerint. Circumibant enim senatum cum veste sordida, affirmantes se non modò suam quisque patriam, sed totam Siciliam relicturos, si eò Marcellus iterum cum imperio rediisset. nullo suo merito eum antè implacabilem in se fuisse: quid iratum, quòd Romam de se questum venisse Siculos sciat, facturum? obrui ab Aetnæ ignibus, aut mergi freto, satius illi insulæ esse, quàm velut dedi noxæ inimico. Hæ Siculorum querelæ, domos primùm nobilium circumlatæ, celebrátæque sermonibus, quos partim misericordia Siculorum, partim inuidia Marcelli excitabat, in senatum etiam peruenerunt. Postulatum à consulibus est, vt de permutandis prouinciis senatum consulerent. Marcellus, si iam auditi ab senatu Siculi essent, aliam forsitan futuram fuisse sententiam suam, dicere. nunc nequis timore frenari eos dicere posset, quo minus de eo liberè querantur, in cuius potestate mox futuri sint: si collegæ nihil intersit, mutare se prouinciam paratum esse. deprecari senatus præiudicium. nam cùm extra sortem collegæ optionem dare prouinciæ iniquum fuerit, quanto maiorem iniuriā, immo contumeliam esse, sortem suam ad eum transferri? Ita senatus, cùm quid placeret, magis ostendisset, quàm decreuisset, dimittitur.

Cōsules inter ipsos permutant prouincias.

Siculorū orationem Marcellum.

Inter ipsos consules permutatio prouinciarū, rapiente fato Marcellum ad Annibalem facta est, vt ex quo primus aduersæ pugnæ gloriam ceperat, in eius laudem postremus Romanorum imperatorum, prosperis tum maximè bellicis rebus, caderet. Permutatis prouinciis, Siculi in senatum introducti multa de Hieronis regis fide perpetua erga populum Romanum verba fecerunt, in gratiam publicam auertentes. Hieronymum ac postea Hippocratem & Epicidem tyrannos, cùm ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad Annibalem, inuisos fuisse sibi. ob eam causam & Hieronymum à principibus iuuentutis propè publico consilio interfectum, & in Epicidis Hippocratísque cædem septuaginta nobilissimorum iuuenum coniurationem factam. quos Marcelli mora destitutos, quia ad prædictum tempus exercitum ad Syracusas non admouisset, indicio

facto,

A facto, omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis atque Epicidis tyrannidem Marcellum excitasse, Leontinis crudeliter direptis. Nunquam deinde principes Syracusanorum desisse ad Marcellum transire: pollicerique, se vrbem, cum vellet, ei tradituros. sed eum primò vi capere maluisse: dein cum id neque terra, neque mari omnia expertus potuisset, authores traditarum Syracusarum fabrum ærarium Sosin, & Mericum Hispanum, quàm principes Syracusanorum habere, toties id nequicquam vltro offerenteis, præoptasse, quo scilicet iustiore de causa vetustissimos socios populi Romani trucidaret, ac diriperet. Si non Hieronymus ad Annibalem defecisset, sed populus Syracusanus & senatus: si portas Marcello Syracusani publicè, & non oppressis Syracusanis, tyranni eorũ Hippocrates & Epicides clausissent: si Carthaginiensium animis bellum cum populo Romano gessissent: quid vltrà quàm quod fecerit, nisi vt deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? Certè præter mœnia & tecta exhausta vrbis, & refracta deûm delubra, diis ipsis ornamentísque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis esse. bona quoque multis adempta: ita vt ne nudo quidem solo, reliquiis direptæ fortunæ, alere sese ac suos possent. Orare se patres conscriptos, vt si nequeant omnia, saltem quæ compareant cognoscíque possint, restitui dominis iubeant. Talia conquestos cum excedere templo, vt de postulatis eorum patres consuli possent, Leuinus iussisset: Imò maneant, inquit Marcellus, vt coram his respondeam: quando ea conditione pro vobis patres conscripti bella gerimus, vt victos armis accusatores habeamus: duæ captæ hoc anno vrbes, Capua Fuluium reum, Marcellum Syracusæ habeant. Reductis in curiam legatis, tum consul, Non adeò maiestatis, inquit, populi Romani imperiíque huius oblitus sum Patres conscripti, vt si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam, accusantibus Græcis, fuerim. sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quem quicquid in hostibus feci, ius belli defendit: sed quid isti pati debuerint. qui si non fuerunt hostes, nihil interest nunc, an viuo Hierone Syracusas violauerim. sin autem desciuerunt, legatos nostros ferro atque armis petierunt, vrbem ac mœnia clauserunt, exercitúmque Carthaginiensium aduersus nos tutati sunt: quis passos esse hostilia, cùm fecerint, indignatur? Tradentes vrbem principes Syracusanorum auersatus sum: Sosin, & Mericum Hispanum, quibus tantam rem crederem, potiores habui? Non estis extremi Syracusanorum, quippe qui aliis humilitatem obiiciatis: quis est vestrûm, qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in vrbem accepturum promiserit? Odistis, & execramini eos qui fecerunt: & ne hic quidem contumeliis in eos dicendis parcitis. tantum abest, vt & ipsi tale quicquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, patres conscripti, quam isti obiiciunt, maximo argumento est, me neminem, qui nauatam operam Reipublicæ nostræ velit, auersatum esse. Et antequàm obsiderem Syracusas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentaui pacem: & posteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipsi congresso ad portas cum principibus responsum dabatur: multis terra maríque exhaustis laboribus, tandem vi atq; armis Syracusas cepi. Quæ captis acciderint, apud Annibalem & Carthaginienses, victósque iustius quàm apud victoris populi Romani senatum quererentur. Ego Patres conscripti Syracusas spoliatas si negaturus essem, nunquam spoliis earum vrbem Romam exornarem. quæ autem singulis victor aut ademi aut dedi, cùm belli iure, tum ex cuiusque merito satis scito me fecisse: ea vos rata habeatis Patres conscripti, nec ne, magis Reipublicæ interest, quàm mea. mea quippe fides exoluta est. ad Rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in posterum segniores duces faciatis. Et quoniam coràm, & Siculorum, & mea verba audistis Patres conscripti simul templo excedemus, vt me absente liberius consuli senatus possit. Ita dimissis Siculis, & ipse in Capitolium ad delectum discessit. Consul alter de postulatis Siculorum ad patres retulit. Ibi cùm diu de sententiis certatum esset, & magna pars senatus, principe eius sententiæ T. Manlio torquato, cùm tyrannis bellum gerendum fuisse censerent, hostibus & Syracusanorum & populi Romani: & vrbem recipi, non capi: & receptam legibus antiquis & libertate stabiliri, non fessam miseranda seruitute bello affligi: inter tyrannorum & ducis Romani certamina præmium victoris in medio positam vrbem pulcherrimam ac nobilissimam periisse, horreum atque ærarium quondam populi Romani: cuius munificentia ac donis multis tempestatibus, hoc denique ipso Punico bello adiuta ornatáque Respublica esset. Si ab inferis existat rex Hiero, fidissimus imperii Romani cultor, quo ore aut Syracusas, aut Romam ei ostendi posse? cum vbi semirutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens Romam in vestibulo vrbis, propè in porta, spolia patriæ suæ visurus sit? Hæc taliáque cùm ad inuidiam consulis miserationémque Siculorum dicerentur, mitius tamen decreuerunt patres causa Marcelli. Quæ is gerens bellum victórque egisset, rata habenda esse. in reliquum curæ senatui fore rem Syracusanam, mandaturósque consuli Leuino, quoad sine iactura Reipnblicæ fieri posset, fortunis eius ciuitatis consuleret. Missis duobus senatoribus in Capitolium ad consulem, vti rediret iu curiam, & introductis Siculis, senatusconsultum recitatum est. legatíque begninè appellati ac dimissi, ad genua se Marcelli c o s. proiecerunt, obsecrantes, vt quæ deplorandæ ac leuandæ calamitatis causa dixissent, veniam eis daret, & in fidem & clientelam se vrbémque Syracusas acciperet. post hæc consul clementer appellatos eos dimisit. Campanis deinde senatus datus est. quorum oratio miserabilior, causa durior erat. neque enim meritas pœnas negare poterant, nec tyranni erant, in quos culpam conferrent. sed satis pensum pœnarum, tot veneno absumptis, tot securi percussis senatoribus, credebant. Paucos nobilium superstites esse, quos uec sua conscientia, vt quicquam de se grauius consulerent, impulerit: nec victoris ira capitis damnauerit. eos libertatem sibi suísque, & bonorum aliquam partem orare, ciues Romanos, affinitatibus pleró sque & propinquis iam cognationibus ex connubio vetusto iunctos. Summotis

Marcelli responsio aduersus Siculos.

Senatus cõs. de rebus Syracusanis.

Campanis datur senatus.

motis deinde è templo paulisper dubitatum, an accersendus à Capua Q. Fuluius esset: (mortuus enim A post captam Claudius c o s. erat) vt coram imperatore qui res gessisset, sicut inter Marcellum Siculósque disceptatum fuerat, disceptaretur. dein cùm M. Attilium, C. Fuluium fratrem Flacci, legatos eius, ac Q. Minutium & L. Veturium Philonem item Claudii legatos, qui omnibus gerendis rebus affuerant, in senatu viderent: nec Fuluium auocari à Capua, nec differri Campanos vellent: interrogatus sententiam M. Attilius Regulus, cuius ex iis qui ad Capuam fuerant maxima authoritas erat: In consilio, inquit, arbitror me fuisse consulibus Capua capta, cùm quæreretur, ecquis Campanorum de Republic. nostra bene meritus esset, duas mulieres compertum est, Vestiam Oppiam Attelanam Capuæ habitantem, & Fauculam Cluuiam, quæ quondam quæstum corpore fecisset: illam quotidie sacrificasse pro salute & victoria populi Romani, hanc captiuis egentibus alimenta clàm suppeditasse: cæterorum omnium Campanorum eundem erga nos animum, quem Carthaginiensium, fuisse. securíque percussos à Q. Fuluio fuisse magis, quorum dignitas inter alios, quàm quorum culpa eminebat. Per senatum agi de Campanis, qui ciues Romani sunt, iniussu populi non video posse. idque & apud maiores nostros in Sutrianis factum est, cum defecissent: vt M. Antistius tribunus plebis prius rogationem ferret: scirétque plebs, vti senatui de Sutrianis sententiæ dicendæ ius esset. Itaque censeo cum tribunis plebis agendum esse, vt eorum vnus pluresve rogationem ferant ad plebem, qua nobis statuendi de Campanis ius fiat. L. Attilius tribunus plebis ex authoritate senatus plebem in hæc verba rogauit: Omnes Campani, Attellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in Arbitrium ditionémque populi Romani Fuluio proconsuli, quæque vna secum dediderunt, agrum vrbémque, diuina humanàque, vtensiliáque, siue quid aliud dediderunt: de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs sic iussit, Quòd senatus maxima pars censeat, qui assidens, id volumus iubemúsque. Ex hoc plebiscito senatus consultus Oppiæ Cluuiæque primum bona, ac libertatem restituit. si qua alia præmia petere à senatu vellent, venire eas Romam. Campanis in familias singulas decreta facta, quæ non operæprecium est omnia enumerare. Aliorum bona publicanda, ipsos liberósque eorum & coniuges vendendas, extra filias quæ nupsissent, prius quàm in populi Romani potestatem venirent. alios in vincula condendos, ac de his posterius consulendum. aliorum Campanorum summam etiam census distinxerunt, publicanda nécne bona essent. pecua captiua, præter equos & mancipia, præter puberes virilis sexus, & omnia, quæ solo non continerentur, restituenda censuerunt dominis. Campanos omnes, Attellanos, Calatinos, Sabatinos, extra quàm qui eorum aut ipsi, aut parentes eorum apud hostes essent, liberos esse iusserunt: ita vt nemo eorum ciuis Romanus, aut latini nominis esset. néve quis eorum qui Capuæ fuissent, dum portæ clausæ essent, in vrbe agróve Campano intra certam diem maneret. locus vbi habitarent, B trans Tyberim, qui non contingeret Tyberim, daretur. qui nec Capuæ nec in vrbe Campana, quæ à populo Romano defecisset, per bellum fuissent, eos cis Lirim amnem Romam versus: qui ad Romanos transissent prius, quàm Annibal Capuam veniret, eis Vulturnum emouendos censuerunt: ne quis eorum propius mare xv. millibus passuum agrum ædificiúmve haberet. qui eorum trans Tyberim emoti essent, ne ipsi posterive eorum vspiam pararent haberéntve, nisi in Veiente, aut Sutrino Nepesinóve agro: dum ne cui maior, quàm quinquaginta iugerum agri modus esset. Senatorum omnium, quique magistratus Capuæ, Attellæ, Calatiæ gessissent, bona venire Capuæ iusserunt. libera corpora quæ venundari placuerat, Romam mitti, ac Romæ venire. Signa, statuas æneas, quæ capta de hostibus dicerentur, quæ eorum sacra ac profana essent, ad pontificum collegium reiecerunt. Ob hæc decreta mœstiores aliquanto quàm Romam venerant, Campanos dimiserunt. nec iam Q. Fuluii sæuitiam in sese, sed iniquitatem deûm, atque execrabilem fortunam suam incusabant. Dimissis Siculis Campanísque, delectus habitus. scripto deinde exercitu, de remigum supplemento agi cœptum. in quam rem cùm neque hominum satis, nec ex qua pararentur, stipendiúmque acciperent, pecuniæ quicquam ea tempestate in publico esset: edixerunt consules, vt priuati ex censu ordinibúsque sicut antea remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Ad id edictum tantus fremitus hominum, tanta indignatio fuit, vt magis dux, quàm materia seditioni deesset: Secundum Siculos Campanósque plebem Romanam perdendam, lacerandámque sibi consules sumpsisse. per tot annos tributo exhaustos, nil reliqui, præter terram nudam ac vastam, habere. tecta hosteis incendisse, seruos agri cultores, rem publicam abduxisse: nunc ad militiam paruo ære emendo, nunc remiges imperando. si quid cui argenti ærísve fuerit stipendio remigum, & tributis annuis ablatum. se vt dent quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi posse. bona sua venderent: in corpora quæ reliqua essent, sæuirent. ne vnde redimantur quidem, quicquam superesse. Hæc non in occulto, sed propalàm in foro atque oculis ipsorum consulum ingens turba circumfusi fremebant: nec eos sedare consules nunc castigando, nunc consolando poterant. Spatium deinde his tribuere se, daréque ad cogitandum dixerunt: quo ipsi ad rem inspiciendam expediendámque vsi sunt. Senatum postero die habueruut de remigum supplemento. vbi cùm multa disseruissent, cur æqua plebis recusatio esset, verterunt orationem eò, vt dicerent: priuatis id, seu æquum, seu iniquum onus iniungendum esse. nam vnde, cùm pecunia in ærario non esset, paraturos nauales socios? quomodo autem sine classibus, aut Siciliam obtineri, aut Italia Philippum arceri posse? aut tuta Italiæ litora esse? Cùm in hac difficultate rerum consilium hæreret, ac propè torpor quidam occupasset hominum mentes, tum Leuinus c o s. Magistratus senatui, & senatus populo sicut honore præstet, ita ad omnia quæ dura atque aspera essent, subeunda ducem debere esse. si quid

M. Attilij sententia de Campanis.

Senatuscōs. de rebus Cāpanis.

Romanorū indignatio quòd remiges à priuatis cū stipēdio dari edictum esset à Coss.

Leuini cos. oratio.

A quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omneis obedienteis habeas. nec impensa grauis est, cùm ex ea plus quàm pro virili parte sibi quenque capere principum vident. Itaque vt classem habeat quàm ornare volumus, populus Romanus, priuatos sine recusatione remiges dare nobismetipsis primum imperemus. aurum, argentum, æs signatum omnes senatores crastina die in publicum conferamus: ita vt annulos sibi quisque & coniugi & liberis & filio bullam: & quibus vxor filiæve sunt, singulas † vncias auri, pondo relinquant: argenti, qui curuli sella sederunt: equi ornamenta & libras pondo, vt salinum patellámque deorum causa habere possint. cæteri senatores † libram argenti tantum, † æris signati quina millia in singulos patresfamiliæ relinquamus. Cæterùm omne aurum, argentum, æs signatum, ad triumuiros mensarios extemplò deferamus: nullo antè senatusconsulto facto, vt voluntaria collatio, & certamen adiuuandæ Reipublicæ excitet ad æmulandum animos primùm equestris ordinis, dein reliquæ plebis. hanc vnam viam, multa inter nos collocuti, consules inuenimus. Ingredimini diis bene iuuantibus. Respublica incolumis & priuatas res facilè saluas præstat. publica prodendo, tua nequicquam serues. In hæc tanto animo consensum est, vt gratiæ vltro consulibus agerentur. senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum & æs in publicum conferunt, tanto certamine iniecto, vt prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse: vt nec triumuiri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Hunc consensum senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs. ita sine edicto, sine cohortatione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio Respublica eguit: paratísque omnibus ad bellum, consules in prouincias profecti sunt. Neque aliud magis tempus belli fuit, quo Carthaginienses Romaníque pariter variis casibus immistis, magis in ancipiti spe ac metu fuerint. Nam Romanis & in prouinciis, hinc in Hispania aduersæ res, hinc prosperæ in Sicilia luctum & lætitiam miscuerant: & in Italia, cùm Tarentum amissum damno & dolori, tum arx cum præsidio retenta præter spem gaudio fuit: & terrorem subitum pauorémque vrbis Romæ obsessæ & oppugnatæ, Capua post dies paucos capta in lætitiam vertit. Transmarinæ quoque res quadam vice pensatæ: Philippus hostis tempore haud satis opportuno factus: Aetoli noui adsciti socii, Attalúsque Asiæ rex, iam velut despondente fortuna Romanis imperium orientis. Carthaginienses quoque Capuam amissam, & Tarentum captam æquabant: & vt ad mœnia vrbis Romæ nullo prohibente se peruenisse in gloria ponebant, ita pigebat irriti incæpti, pudebátque adeò se spretos, vt sedentibus ipsis ad Romana mœnia, alia porta exercitus Romanus in Hispaniam duceretur. Ipsæ quoque Hispaniæ quo propius spem venerant, tantis duobus ducibus exercitibúsque cæsis, debellatum ibi, ac pulsos inde Romanos esse, eo plus ab L. Martio tumultuario duce ad vanum & irritum victoriam redactam
B esse, indignationis præbebant. Ita æquante fortuna, suspensa omnia vtrinque erant: integra spe, integro metu, velut illo tempore primùm bellum inciperent. Annibalem ante omnia angebat, quòd Capua pertinacius oppugnata ab Romanis, quàm defensa ab se, multorum Italiæ populorum animos auerterat: quos neque omnes tenere præsidiis, nisi vellet in multas paruásque partes carpere exercitum, quod minimè tum expediebat, poterat: nec deductis præsidiis spei liberam, vel obnoxiam timori sociorum relinquere fidem. Præceps in auaritiam & crudelitatem animus ad spolianda quæ tueri nequibat, vt vastata hosti relinquerentur, inclinauit. Id fœdum consilium cùm incæpto, tum etiam exitu fuit. neque enim indigna patientium modò abalienabantur animi, sed cæterorum etiam. quippe ad plures exemplum, quàm calamitas, pertinebat. Nec consul Romanus tentandis vrbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. Selapiæ principes erant, Dasius & Blactius: Dasius Annibali amicus, Blactius quantum ex tuto poterat, rem Romanam fouebat: & per occultos nuntios spem proditionis fecerat Marcello, sed sine adiutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, & tum quoque magis inopia consilii potioris, quàm spe effectus, Dasium appellabat. at ille cùm ab re auersus, tum æmulo potentatus inimicus, rem Annibali apperit. Accersito vtroque, Annibal cùm pro tribunali quædam ageret, mox de Blactio cogniturus, staréntque summoto populo accusator & reus: Blactius de proditione Dasium appellabat. Enimuero ille velut in manifesta re exclamat: sub oculis Annibalis secum de proditione agi. Annibali atq; eis qui aderant, quo audacior res erat, minus similis veri visa est. æmulationē profectò atq; odium esse: & id crimen afferri, quod, quia testem habere nō potuisset, liberius fingeretur. Ita inde dimissi sunt. nec Blactius antè abstitit tam audaci incœpto, quàm idem obtundendo, docendóq; quàm ea res ipsis patríæq; salutaris esset peruicit, vt præsidium Punicum, (hi autē Numidæ erant) Salepiáq; traderetur Marcello. Nec sine cæde multa tradi potuit. longè fortissimi equitum toto Punico exercitu erāt. itaq; quanquam improuisa res fuit, nec vsus equorum in vrbe erat, tamen armis inter tumultum captis & eruptionem tentauerunt: & cùm euadere nequirent, pugnantes ad vltimum occubuerunt. nec plus quinquaginta ex his in potestatem hostium viui venerunt. plúsque aliquanto damni hæc ala equitum amissa Annibali, quàm Salapia fuit: nec deinde vnquam Pœnus, quò longè plurimum valuerat, equitatu superior fuit. Per idem tempus cùm in arce Tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem præsidium quod ibi erat Romanum, præfectúsque præsidii atque arcis M. Liuius in commeatibus ab Sicilia missis habebant. qui vt tutò præterueherētur oram Italiæ, classis viginti fermè nauium Rhegyi stabat. Præerat classi commeatibúsq; D. Quintius obscuro genere ortus, cæterùm multis fortibus factis gloria militari illustris. primò quinq; naues, quarum maximæ duæ triremes à Marcello ei traditæ erant, habuit: postea rem impigrè sæpe gerenti tres additæ quinqueremes: postremò ipse à sociis, Rhegynísq; & à Velia & Pesto, debitas ex fœdere exigendo, classem xx nauium, sicut antè dictum est, effecit. Huic ab Rhegyo profectæ

† Val. 9 coron.
† Val. 10 coron.
† Val. 50 coron.

Senatus ac reliquorum ordinum liberalis erga Rempu. voluntas.

Enumeratio rerum a Romanis & Pœnis paulo ante gestarum.

Salapia & præsidium Punicū traduntur Marcello.

classi

classi Democrates cùm pari classe naulum Tarentinarum numero, quindecim millia fermè ab vrbe A ad Sacriportum obuius fuit. Velis tum fortè improuidus futuri certaminis Romanus veniebat: sed circa Crotonem Sibarímque suppleuerat remigio naueis: instructámque & armatam egregiè pro magnitudine nauium classem habebat. & tum fortè sub idem ferè tempus & venti vis omnis cecidit, & hostes in conspectu fuere: vt ad componenda armamenta, expediendúmque remigem ac mili-

Naualis pugna inter Romanos & Tarentinos.

tem ad imminens certamen satis temporis esset. Raro aliâs tantis animis iustæ concurrerunt classes: quippe cùm in maioris discrimen rei, quàm ipsæ erant, pugnarent. Tarentini, vt recuperata vrbe ab Romanis post centesimum propè annum, arcem etiam liberarent: spem commeatus quoque hostibus, si nauali prælio possesionem maris ademissent, interclusuri: Romani vt retenta possessione arcis ostenderent, non vi aut virtute, sed proditione ac furto Tarentum amissum. Itaque ex vtraque parte signo dato cùm rostris concurrissent, neque retro nauem inhiberent, nec dirimi ab se hostem paterentur, quàm quis indeptus nauem erat, ferrea iniecta manu: ita conferebant ex propinquo pugnam, vt non missilibus tantùm, sed gladiis etiam propè collato pede præliarentur. Proræ inter se iunctæ hærebant, puppes alieno remigio circumagebantur. ita in arcto stipatæ erant naues, vt vix vllum telum in mari vanum intercideret. frontibus velut pedestris acies vrgebant: peruíæque naues pugnantibus erant. Insignis tamen inter cæteras pugna fuit duarum, quæ primæ agminis concurrerant inter se. in Romana naue ipse Quintius erat, in Tarentina Nico, cui Perconi fuit cognomen non publico modò, sed priuato etiam odio inuisus atque infestus Romanis: quòd eius factionis erat, quæ Tarentum Annibali prodiderat. Hic Quintium simul pugnantem hortantémque suos, incautum hasta transfigit. ille simulatque præceps cum armis procidit ante proram, victor Tarentinus in turbatam duce amisso nauem impigrè transgressus cùm summouisset hostes, & prora iam Tarentinorum esset, puppim male conglobati tuerentur Romani: repentè & alia à puppi triremis hostium

Romani vincuntur nauali certamine.

apparuit. ita in medio circumuenta Romana nauis capitur. hinc cæteris terror iniectus, vt prætoriam nauem captam vidêre: fugientésque passim, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuere. Thurinis Metapontinísque exonerariis, quæ cum commeatu sequebantur, perpaucæ in potestatem hostium venêre: aliæ ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela, in altum euectæ sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta. nam ad quatuor millia hominum frumentatum egressa cùm in agris passim vagarentur: Liuius, qui arci præsidióque Romano præerat, intentus in omnes occasiones gerendæ rei, C. Persium impigrum virum cum duobus millibus armatorũ ex arce emisit. qui vagè effusos per agros, palatósq; adortus, cùm diu passim cecidisset, paucos ex multis trepida fuga incedentes semiapertis portarũ foribus, in vrbem compulit: ne vrbs eodem impetu caperetur. Ita æquatæ res ad Tarentum: Romanis victoribus terra, Tarentinis B mari: frumenti spes quæ in oculis fuerat, vtrosque frustrata pariter. Per idem tempus Leuinus COS. iam magna parte anni circumacta, in Siciliam veteribus nouísque sociis expectatus cùm venisset, primum ac potissimum omnium ratus Syracusanis noua pace inconditas componere res. Agrigen-

Agrigentũ Leuinus oppugnat.

tum inde, quod belli reliquum erat, tenebatúrque à Carthaginiensium valido præsidio, duxit legiones. & affuit fortuna incœpto. Hanno erat imperator Carthaginiensium, sed omnem in Mutinæ Numidísque spem repositam habebat. Per totam Siciliam vagus prædas agebat ex sociis Romanorum: neque intercludi ab Agrigento vi aut arte vlla, nec quin erumperet vbi vellet, prohiberi poterat. Hæc eius gloria quia iam imperatoris quoque famæ officiebat, postremò in inuidiam vertit: vt ne bene gestæ quidem res iam Hannoni propter authorem satis lætæ essent. propter quæ postremò præfecturã eius filio suo dedit, ratus cum imperio authoritatem quoque ei inter Numidas erepturum. quod longè aliter euenit. nam veterem fauorem eius sua insuper inuidia auxit. neque ille indignitatem iniuriæ tulit: confestímque ad Leuinum occultos nuntios misit de tradendo Agrigento. per quos

Agrigentũ proditur Leuino.

vt est facta fides, compositúsque rei gerendæ modus, portam ad mare ferentem Numidæ cùm occupassent, pulsis inde custodibus, aut cæsis, Romanos ad idipsum missos in vrbem acceperunt. & cùm agmine iam in media vrbis, ac forum magno tumultu iretur, ratus Hanno non aliud quàm tumultum ac secessionem (id quod & antè acciderat) Numidarum esse, ad comprimendam seditionem processit. atque ille, cùm ei multitudo maior, quàm Numidarum procul visa, & clamor Romanus haudquaquam ignotus ad aures accidisset, prius quàm ad ictum teli veniret, capessit fugam. per auersam portam emissus, assumpto comite Epicide, cum paucis ad mare peruenit: nactíque op-

Hanno & Epicides in Africam traijciunt relicta Sicilia.

portunè paruum nauigium, relicta hostibus Sicilia, de qua per tot annos certatum erat, in Africam traiecerunt. alia multitudo Pœnorum Siculorúmq; ne tantato quidem certamine cùm cæci in fugam ruerent, clausíque exitus essent, circa portas cæsa. Oppido recepto Leuinus, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percusit: cæteros, prædámque vendidit? omnem pecuniam Romam misit. Fama Agrigentinorum cladis Siciliam cùm peruasisset, omnia repentè ad Romanos in-

Sicilia tota ad Romanos inclinauit.

clinauerunt. Prodita breui sunt xx oppida, sex vi capta, voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarum ciuitatum principibus cùm pro cuiusque merito consul præmia pœnásque exoluisset, coëgissétque Siculos positis tandem armis ad agrum colendum animos conuertere: vt esset non incolarum modò alimentis frugifera insula, sed vrbis Romæ, atque Italiæ (id quod multis

Agatirna colluuies hominum perfugium.

sæpe tempestatibus fecerat) annonam leuaret: ab Agatirna inconditam multitudinem secum in Italiam transuexit. Quatuor millia hominum erant, misti ex omni colluuione, exules, obærati, capitalia ausi plerique, & cùm in ciuitatibus suis, ac sub legibus vixerant: & postquam eos ex variis causis fortuna similis conglobauerat, Agatirnæ per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam. Hos neque relin-

quere

A quere Leuinus in insula, tum primùm uoua pace coalescente velut materiam nouandis rebus, satis
tutum ratus est: & Rhegynis vsui futuri erant ad populandum Brutium agrum, assuetam latrocinijs
quærentibus manum. Et quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est. In Hispania principio ve-
ris P. Scipio nauibus deductis, euocatísq; edicto Tarraconem sociorum auxiliis, classem onerariásq;
ostium inde Iberi fluminis petere iubet. eódem legiones ex hybernis conuenire cùm iussisset, ipse
cum quinque millibus sociorum ab Tarracone profectus ad exercitum est. quò cùm venisset, allo-
quendos maximè veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, concione aduocata ita dis- *Scipionis ad*
seruit. Nemo ante me nouus imperator militibus suis, prius quàm opera eorum vsus esset, gratias *milites ora-*
agere iurè ac meritò potuit. me vobis, priusquàm prouinciam, aut castra viderem, obligauit fortuna: *tio.*
primùm, quòd ea pietate erga patrem patruúmque meum, viuos mortuósque fuistis: deinde, quòd
amissam tanta clade prouinciæ possessionem integram & populo Romano, & successori mihi virtute
vestra obtinuistis. Sed cùm iam benignitate deûm id paremus atque agamus, non vt ipsi maneamus
in Hispania, sed ne Pœni maneant: nec vt pro ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis, sed vi vl-
tro transeamus, transferamúsque bellum: vereor ne cui vestrûm maius id, audaciúsque consilium,
quàm aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro ætate mea videatur. Aduersæ pugnæ in
Hispania nullius in animo, quàm meo, minus obliterari possunt. quippe cui pater & patruus intra
triginta dierum spatium, vt aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. sed vt
familiaris penè orbitas ac solitudo frangit animum: ita publica cùm fortuna tum virtus desperare de
summa rerum prohibet, eo fato, quo donata nobis sors est, vt magnis omnibus bellis victi vicerimus.
Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: à Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces,
quot exercitus priore bello amissi sunt? iam quid hoc bello memorem? omnibus aut ipse affui cladi-
bus: aut quibus absfui, maximè vnus omnium eas sensi. Trebia, Thrasymenus, Cannæ, quid aliud
sunt, quàm monumenta occisorum exercituum, consulúmque Romanorum? adde defectionem Ita-
liæ, Siciliæ, maioris partis Sardiniæ: adde vltimum terrorem ac pauorem, castra Punica inter Anie-
nem & mœnia Romana posita, & visum propè in portis victorem Annibalem. In hac roina rerum
stetit vna integra atque immobilis virtus populi Romani. Hæc omnia strata humi erexit ac sustulit.
Vos omnium primi milites post Cannensem cladem vadenti Asdrubali ad Alpeis Italiámque, qui si
se cum fratre coniunxisset, nullum iam nomen esset populi Romani, ductu auspicióque patris mei
obstitistis. & hæ secundæ res illas aduersas sustinuerunt. Nunc benignitate deûm omnia secunda, pro-
spera, in dies lætiora ac meliora in Italia, Siciliáque geruntur. In Sicilia Syracusæ, Agrigentum ca-
ptum, pulsi tota insula hostes, receptáque prouincia in ditionem populi Romani est. In Italia Arpi
B recepti, Capua capta: iter omne ab vrbe Roma trepida fuga emensus Annibal, in extremum angu-
lum agri Brutii compulsus, nihil iam maius precatur deos, quàm vt incolumi cedere atque abire ex
hostium terra liceat. Quid igitur minus conueniat milites, quàm cùm aliæ super alias clades cumu-
larentur, ac dii propè ipsi cum Annibale starent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim ipsi
etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunā populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia
secunda, lætáque sunt, animis deficere? Nuper quoque quæ accideroūt, vtinam tam sine meo luctu,
quàm vestro transissent. Nunc dii immortales imperii Romani præsides, qui centuriis omnibus, vt
mihi imperium iuberent dari, fuere authores, iidem auguriis auspiciísque, & per nocturnos etiam
visus omnia læta ac prospera portendunt, animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus va-
tes, præsagit, nostram Hispaniam esse: breui extorre hinc omne Punicum nomen maria terrásque
fœda fuga impleturum. Quod mens sua sponte diuinat, idem subiicit ratio haud fallax. Vexati ab iis
socii nostram fidem per legatos implorant. tres duces discrepantes, propè vt defecerint alii ab aliis.
trifariam exercitum in diuersissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ nuper
nos afflixit. nam & deseruntur ab sociis, vt prius ab Celtiberis nos: & diduxère exercitus, quæ patri,
patruóque meo causa exitii fuit. nec discordia intestina coire eos in vnum sinet, neque singuli nobis
resistere poterunt. Vos modò milites fauete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorum, ve-
lut accisis recrescenti stirpibus. agite milites veteres, nouum exercitum, nouúmque ducem traducite
Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à vobis peragratas. Breui faciā, vt quem-
admodum nunc noscitatis in me patris patruíque similitudinem oris vultúsque, & lineamenta cor-
poris, ita ingenii, fidei, virtutísque exemplum, expressam ad effigiem vobis reddam: vt reuixisse, aut
renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat. Hac oratione accensis militum animis, relicto
ad præsidium regionis eius M. Syllano cum tribus millibus peditum, & trecentis equitibus, cæteras
omnes copias (erant autem vigintiquinque millia peditum, duo millia & quingenti equites) Iberum
traiecit. Ibi quibusdam suadentibus, vt, quoniam in treis tam diuersas regiones discessissent Punici
exercitus, proximum aggrederetur: periculum esse ratus, ne eo facto in vnum omnes contraheret:
nec par esset vnus tot exercitibus, Carthaginem Nouam interim oppugnare statuit: vrbem cùm *Carthaginē*
ipsam opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam (ibi arma, ibi pecunia, ibi *nouā oppu-*
totius Hispaniæ obsides erant) sitam præterea cùm opportunè ad traiiciendum in Africam, tum su- *gnat Scipio.*
per portum satis amplum quantævis classi, & nescio an vnum in Hispaniæ ora, qua nostro adiacet
mari. Nemo omnium quò iretur sciebat, præter C. Lælium. Is classe circummissus, ita moderari cur-
sum nauium iussus erat, vt eodem tempore Scipio ab terra exercitum ostenderet, classis portum in-
traret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est. simul terra maríque castra ab regione vrbis,
qua in Septentrionē versa est, posita, his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum obiectū. Etenim

Carthaginis nouæ situs. sita Carthago sic est. Sinus est maris media ferè Hispaniæ ora, maxi mè Africo vento oppositus, & A
quingētos passus introrsus retractus, paululo plus passuum in latitudinem patens. huius in ostio sinus parua insula obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis præterquam Africo, tutum facit. ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse in quo condita vrbs est: ab ortu solis & à meridie cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paulum & ad septentrionem fusum, incertæ altitudinis vtcunque exæstuat aut deficit mare. cōtinenti vrbem iugum ducentos ferè & quinquaginta passus patens coniungit. Vnde cum tam parui operis munitio esset, non obiecit vallum imperator Romanus: seu fiduciam hosti superbè ostentans, siue vt subeunti sæpe ad mœnia vrbis recursus pateret. Cætera, quæ munienda erant, cùm perfecisset, naues etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem instruxit. circumuectúsque classem, cum monuisset præfectos nauium, vt vigilias nocturnas intenti seruarent (omnia vbique primò obsessum hostem conari) regressus in castra, vt consilii sui rationem, quod ab vrbe potissimum oppugnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet, & spem potiundæ
Scipionis ad milites oratio. cohortando faceret, concione aduocata ita disseruit. Ad vrbem vnam oppugnandum si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, quàm emolumenti rationem exactam milites habet. oppugnabitis enim verè mœnia vnius vrbis, sed in vna vrbe vniuersam ceperitis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium regum populorúmque: qui simul in potestate vestra erunt, extemplò omnia quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, in deditionem tradent. hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alant, & quæ nobis maximo vsui ad conciliandos animos barbarorum erit. hic tormenta, arma, armamenta, & omnis apparatus belli est, qui simul & nos instruet, & hostes nudabit. Potiemur præterea cùm pulcherrima opulentissimaq; vrbe, tum opportunissima portu egregio: vnde terra maríque quæ belli vsus poscunt, suppeditentur. quæ cum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo maiora. hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est, huc rectus ex Africa cursus est, hæc vna inter Pyreneum & Gades statio, hinc omnis Hispania imminet Africæ. Sed quoniam vos instructos & ordinatos cognosco, ad Carthaginem nouam oppugnandam totis viribus, & bono animo transeamus. Cúmque omnes vna voce hoc faciendum succlamarent, eos Carthaginem duxit. tum
Mago Carthaginē nouam tuetur. terra, maríque eam oppugnari iubet. Contrà Mago Pœnorum dux, cùm terra marique instrui oppugnationem videret, & ipse copias ita disponit. Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit: quingentis militibus arcem insedit: quingentos tumulo vrbis in orientem verso imponit: multitudinem aliam quò clamor, quò subita vis aduocasset, resistentem ad omnia occurrere iubet. Patefacta deinde porta, eos quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani duce ipso præcipiente parumper cessere, vt propiores subsidiis certamine ipso summittendis essent. Et primò haud impari stetere acie. subsidia deinde identidem summissa, è castris non auerterunt solùm in fugam hostes: sed adeò effusis institerunt, vt nisi receptui cecinisset, permisti fugientibus irrupturi fuisse in vrbem viderentur. Trepidatio verò non prælio maior, quàm tota vrbe fuit. multæ stationes pauore atque loca deserta sunt, relictíque muri, cùm quà cuique erat proximum, desiluissent. Quod vbi versus Scipio in tumulum, quem Mercurium Teutatem appellant, aduertit, multis B
Carthaginis oppugnatio. partibus nudata defensoribus mœnia esse, omnes è castris excitos ire ad oppugnandum vrbem, & ferre scalas iubet. ipse trium præ se iuuenum validorum scutis oppositis (ingens enim iam vis omnis generis telorum è muris volabat) ad vrbem succedit. hortatur, imperat quæ in rem sunt: quódque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatórque virtutis atque ignauiæ cuiusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt: neque illos muri, neque superstantes armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab nauibus eodem tempore ea quæ mari alluitur, pars vrbis oppugnari cœpta est, cæterùm tumultus inde maior, quàm vis videri poterat: dum applicant, dum partim exponunt scalas militésque, dum quà cuique proximum est, in terram euadere properant. ipsa festinatione & certamine alii alios impediunt. Inter hæc repleuerat iam Pœnus armatis muros, & vis magna & ingens copia congesta telorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quicquam aliud æquè quàm mœnia ipsa sese defendebant. raræ enim scalæ altitudini æquari poterant: & quo quæque altiores, eo infirmiores erant. itaque cum summus quisque euadere non posset, subirent tamē alii, onere ipso frangebantur. quidam stantibus scalis, cum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et cùm passim homines, scalæque ruerent, & ipso successu audacia atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum est. quod spem non præsentis modò ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit, scalis & corona capi vrbem non posse: opera & difficilia esse, & tempus datura ad ferendam opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, cùm Scipio ab defessis iam vulneratísque recenteis integrósque alios accipere scalas iubet, & vi maiore aggredi vrbem. ipse, vt ei nunciatum est, æstum decedere: quod per piscatores Tarraconenses, nunc leuibus cymbis, nunc, vbi eæ sederent, vadis peruagatos per stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari: eò armatos duxit. Medium fermè diei erat: & ad id quod sua sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eodem quò æstus ferebat: & adeò nudauerat vada, vt alibi vmbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagna auferrent, viásque antè nunquam initas humano vestigio aperirent: Neptunum iubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno euadere ad mœnia. Ab terra ingens labor succedentibus erat: nec altitudine tantum mœnium impediebantur, sed quòd euntes ad ancipites vtrinque

A vtrinque ictus subiectos habebant Romanos, vt latera infestiora subeuntibus, quàm aduersa corpora essent. At parte in alia quietus, & per stagnum facilis transitus, & in murum ascensus inde fuit. nam neque opere emunitus erat, vt vbi ipsius loci ac stagni præsidio satis creditum foret: nec vlla armatorum statio, aut custodia opposita, intentis omnibus ad opem eò ferendam, vnde periculum ostendebatur. Vbi vrbem sine certamine intrauere, pergunt inde quanto maximo cursu poterant, ad eam portam circa quam omne contractum certamen erat. in quod adeò intenti omnium non animi solùm fuerant, sed etiam oculi, auresque pugnantium, spectantiúmque & adhortantium pugnantes: vt nemo antè ab tergo senserit captam vrbem, quàm tela in auersos inciderunt, & vtrinque ancipitem hostem habebant. tunc turbatis defensoribus metu, & mœnia capta, & porta intus forísque pariter refringi cœpit: & mox cædendo confractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt. Magna multitudo & muros transcendebat, sed hi passim ad cædem oppidanorum versi. illa, quæ portam ingressa erat, iusta acies cum ducibus, cum ordinibus media vrbe in forum processit. Inde cùm duobus itineribus fugientes videret hostes: alios ad tumulum in orientem versum, qui tenebatur quingentorum militum præsidio: alios in arcem, in quam & ipse Mago cum omnibus ferè armatis, qui muris pulsi fuerát, refugerat: partem copiarum ad tumulum expugnandum mittit, ipse ad arcem ducit. Et tumulus primo impetu est captus: & Mago arcem conatus defendere, cùm omnia hostium plena videret, neque spem vllam esse, se arcémque & præsidium dedidit. Quoad dedita arx est, cædes tota vrbe passim factæ: nec vlli puberum, qui obuius fuit, parcebatur. Tum signo dato cædibus finis factus. ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit. Liberorum capitum virilis sexus ad decem millia capta. inde qui ciues nouæ Carthaginis erant, dimisit: vrbémque, & sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant. eos publicos fore populo Romano edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixè operam nauassent. cæteram multitudinem incolarum iuuenum, ac validorum seruorum in classem ad supplementum remigum dedit. & auxerat nauibus octo captiuis classem. Extra hanc multitudinem Hispanorũ obsides erant. quorum perinde, ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus & apparatus ingens belli, catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores CCLXXXI, balistæ maiores XXXIII, minores LII, scorpionum maiorum minorúmque, & armorum telorúmque ingens numerus, signa militaria LXXIIII. Et auri argentíque relata ad imperatorem magna vis. pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI, † librales fermè omnes pondo: argenti facti, signatíque † decem & octo millia & CCC pondo: vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio quæstori appensa adnumeratáque sunt. tritici XL millia modiorum, hordei CCLXX. Naues onerariæ LXIII in portu expugnatæ, captæque: quædam

Carthago noua capitur.

Mago se, arcem, & præsidium Scipioni dedit.

† Constabãt ergo hę pateræ coronatis 30912.

† Valent 183000 coron.

B cum suis oneribus, frumento, armis, ære præterea, ferróque, & linteis, & sparto, & nauali alia materia ad classem ædificandam: vt minimum omnium inter tantas opes belli captas Carthago ipsa fuerit. Eo die Scipio C. Lælio cum sociis naualibus vrbem custodire iusso, ipse in castra legiones reduxit: fessósq; milites omnibus vno die belli operibus (quippe qui & acie dimicassent, & capienda vrbe tantum laboris periculíque adissent: & capta, cum iis qui in arcem confugerant iniquo etiam loco pugnassent) curare corpora iussit. Postero die militibus, naualibúsque sociis conuocatis, primum diis immortalibus laudes, gratiásque egit, qui se non vrbis solùm opulentissimæ omnium in Hispania vno die compotem fecissent, sed ante eò congessissent omnis penè Africæ atque Hispaniæ opes, vt neque hostibus quicquam relinqueretur, & sibi ac suis omnia superessent. Militum deinde virtutem collaudauit, quòd eos non eruptio hostium, non altitudo mœnium, non inexplorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia, perrumperéntque. Itaque quanquam omnibus omnia deberet, præcipuum tamen muralis coronæ decus eius esse, qui primus murum ascendisset. profiteretur, qui se dignum eo duceret dono. Duo professi sunt, Q. Trebellius centurio legionis quartæ, & Sex. Digitius socius naualis. Nec ipsi tam inter se acriter contendebant, quàm studia excitauerant vterque sui corporis hominum. sociis C. Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat. Ea contentio cum prope seditionem veniret, Scipio tres recuperatores cum se daturum pronuntiasset, qui cognita causa, testibúsque auditis iudicarent, vter prior in oppidum transcendisset: C. Lælio, & M. Sempronio aduocatis partis vtriusq;, P. Cornelium Caudinum de medio adiecit: eósque tres recuperatores considere, & causam cognoscere iussit. Cùm res eo maiore ageretur certamine, quòd admoti tantæ dignitatis non tam aduocati, quàm moderatores studiorum fuerant: C. Lælius relicto consilio, ad tribunal ad Scipionem accedit, eúmque docet, rem sine modo ac modestia agi: ac prope esse, vt manus inter se conserant. cæterum etiam si vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi: quippe vbi fraude ac periurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes deos paratos iurare magisquæ velint, quàm quæ sciant vera esse, & obstringere periurio non se solùm, suúmque caput, sed signa militaria & aquilas, sacramentíque religionem. Hæc se ad eum de sententia P. Cornelii, & M. Sempronii deferre. Scipio collaudato Lælio, ad concionem vocauit, pronuntiauítque: se satis compertum habere, Q. Trebellium & Sext. Digitium pariter in murum ascendisse: séque eos ambos virtutis causa coronis muralibus donare. Tum reliquos, prout cuiusque meritum virtúsq; erat, donauit. ante omnes C. Lælium præfectum classis, & omni genere laudis sibimet ipsi æquauit, & corona aurea ac XXX bobus donauit. Tum obsides ciuitatum Hispaniæ vocari iussit. quorum quantus numerus fuerit, piget scribere: quippe cùm alibi CCC fermè alibi DCCXXV fuisse inueniam. Aequè & alia inter authores discrepant. Præsidium Punicum alius X, alius VII, alius haud plus quàm duûm millium fuisse scribit.

Contentio grauissima pro murali corona.

Authorum inter se discrepantia.

Capta alibi decem millia capitum, alibi supra v & x x, inuenio. Scorpiones maiores minorésque ad A
L x captos scripserim, si auctiorem Græcum sequar Silenum. Si Valerium Antiatem, maiorum scor-
pionum sex millia, minorum x i i i. adeò nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem conue-
nit. plerique Lælium præfuisse classi, sunt qui M. Iunium Syllanum dicant. Armen præfuisse Punico
præsidio, deditúmque Romanis, Antias Valerius: Magonem alii scriptores tradunt. Non de numero
nauium captarum, non de pondere auri atque argenti, & redacta pecunia cõuenit. Si aliquibus assen-

Scipionis in obsides humanitas.

tiri necesse est, media similia veri sunt. Cæterùm Scipio vocatis obsidibus, primùm vniuersos bonum
animum habere iussit. venisse eos in populi Romani potestatem, qui beneficio quàm metu obligare
homines malit: exterásque gentes fide ac societate iunctas habere, quàm à tristi subiectas seruitio.
deinde acceptis nominibus ciuitatum, recensuit captiuos: quot cuiusque populi essent: & nuntios
domum misit, vt ad suos quisque recipiendos veniret. si quarum fortè ciuitatum legati aderant, eis
præsentibus suos restituit: cæterorum curam benignè tuendorum C. Flaminio quæstori attribuit. Inter
hæc è media turba obsidum mulier magno natu, Mandonii vxor, qui frater Indibilis Ilergetum re-
guli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit: obtestaríque cœpit, vt curam cultúmque fœmina-
rum impensius custodibus commendaret. Cùm Scipio nihil profectò defuturum iis diceret: tum
rursus mulier, Haud magni ista facimus, inquit. quid enim huic fortunæ nõ satis est? alia me angit cura,
ætatem harum intuentem: nam ipsa iam extra periculum iniuriæ muliebris sum. simul ætate & for-
ma florentes circa eam Indibilis filiæ erant. aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente co-
lebant. Tum Scipio, Meæ, populíque Romani disciplinæ causa facerem, inquit, ne quid, quod san-
ctum vsquam esset, apud nos violaretur. nunc vt id curem impensius, vestra quoque virtus dignitásq;
facit, quæ nec in malis quidem oblitæ decoris matronalis estis. Spectatæ deinde integritatis viro tra-
didit eas: tueríque haud secus verecundè ac modestè, quàm hospitum coniuges ac matres iussit.

Captiuã virginem eximiæ formæ sponso reddidit Scipio.

Captiua deinde à militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeò eximia forma, vt quácunque ince-
debat, conuerteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam, parentésque, inter cætera accepit,
desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat. Extemplò igitur paren-
tibus, sponsóque ab domo accitis, cùm interim audiret deperire eum sponsæ amore: vbi primùm
venit, accuratiore eum sermone quàm parentes alloquitur. Iuuenis, inquit, iuuenem appello: quo mi-

Scipionis ad Celtiberorũ principẽ oratio.

nus sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego, cùm sponsa tua capta à militibus nostris ad me de-
ducta esset, audirémque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem: quia ipse, si frui liceret ludo æta-
tis, præsertim recto & legitimo amore, & non Respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi
dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cuius possum, amori faueo. Fuit sponsa tua apud me
eadem, qua apud soceros tuos, parentésque suos verecundia: seruata tibi est, vt inuiolatum, & di- B
gnum me téque dari tibi donum posset. hanc mercedem vnam pro eo munere paciscor, amicus po-
pulo Romano sis. & si me virum bonum credis esse, qualeis patrem, patruúmque meum iam antè hæ
gentes norant, scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse: nec vllum in terris populum ho-
die dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum malis. Cùm adolescens simul
pudore, gaudióque perfusus, dextram Scipionis tenens, deos omneis inuocare ad gratiam illi pro se
referendam: quoniam sibi nequaquam satis facultatis pro suo animo, atque illius erga se merito, esset:
parentes inde, cognatíque virginis appellati. qui quoniam gratis sibi redderetur virgo: ad quam re-
dimendam satis magnum attulissent auri pondus: orare Scipionem, vt id ab se donum acciperet, cœ-
perunt: haud minorem eius rei apud se gratiam fore affirmantes, quàm redditæ inuiolatæ foret vir-
ginis. Scipio, quando tantopere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes iussit: vocatóque

Scipionis liberalitas.

ad se Allucio: Super dotem, inquit, quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona acce-
dent. aurúmque tollere, ac sibi habere iussit. His lætus donis honoribúsque dimissus domum, imple-
uit populares laudibus & meritis Scipionis. Venisse diis simillimum iuuenem, vincentem omnia
cùm armis, tum benignitate ac beneficiis. Itaque delectu clientium habito, cum delectis mille &

Scipio Romam mittit Magonẽ cũ reliquis captiuis.

c c c c equitibus intra paucos dies ad Scipionem rediit. Scipio retentum secum Lælium, dum capti-
uos obsidésque & prædam ex cõsilio eius disponeret, rebus omnibus compositis, data quinqueremi,
captiuis cum Magone, & quindecim ferè senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in naue imposi-
tis, nuntium victoriæ Romam mittit. ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercen-
dis naualibus pedestribúsque copiis absumpsit. Primo die legiones in armis quatuor millium spatio
decurrerunt. secundo die arma curare & tergere ante tentoria iussit. tertio die sudibus inter se in mo-
dum iustæ pugnæ concurrerunt: præpilatísque missilibus iaculati sunt. quarto die quies data. quinto
iterum in armis concursum est. Hunc ordinem laboris, quietísque, quoad Carthagine morati sunt,
seruauerunt. Remigio classici milites tranquillo in altum euecti, agilitatem nauium simulachris na-
ualis pugnæ experiebantur. Hæc extra vrbem terra, maríque corpora simul, animósque ad bellum
acuebant. vrbs ipsa strepebat apparatu belli, fabris omnium generum in publica officina inclusis.
dux cuncta pari cura obibat: nunc in classe ac nauali erat, nunc cum legionibus decurrebat, nunc
operibus aspiciendis tempus dabat, quæque in officinis, quæque in armamentario ac naualibus fa-

Scipio proficiscitur Tarraconẽ, quò conuentum socijs edixerat.

brorum multitudo plurima in singulos dies certamine ingenti faciebat. His ita inchoatis, refectísque
quos quassauerat muris, dispositísq; præsidiis ad custodiam vrbis, Tarraconem est profectus, à mul-
tis legationibus protinus in via aditus. quas partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit
Tarraconem, quò omnibus nouis veteribúsque sociis edixerat conuentum. Et cuncti ferè, qui cis
Iberum incolunt, populi, multíque etiam vlterioris Hispaniæ conuenerunt. Carthaginiensium duces

primò

A primò ex industria famam captæ Carthaginis compresserant: deinde vt clarior res erat, quàm vt tegi ac dissimulari posset, eleuabant verbis. Nec opinato aduentu ac prope furto vnius diei vrbem vnam Hispaniæ interceptam. cuius rei tam paruæ præmio elatum insolentem iuuenem immodico gaudio speciem magnæ victoriæ imposuisse. at vbi appropinquare tres duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursuram ei extemplò domesticorum funerum memoriam. Hæc in vulgus iactabant, haudquaquam ipsi ignari, quantum sibi ad omnia virium Carthagine amissa decessisset.

DECADIS TERTIAE LIBER SEPTIMVS.

Cn. Fuluius Prætor cum exercitu ab Annibale cæsus est. Meliore euentu à Claudio Marcello Cos. aduersus eundem ad Numistronem pugnatum est. inde Annibal noctu recessit. Marcellus insecutus est, & subinde cedentem pressit, donec effugeret. priore pugna Annibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater Cos. Tarentinos per deditionem accepit. In Hispania ad Beculam Scipio cum Asdrubale Amilcaris conflixit & uicit. inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad auunculum Masanissam cum donis misit. Claudius Marcellus, T. Quintius Crispinus Cos. speculandi causa egreßi è castris, insidijs ab Annibale circumuenti sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res præterea à P. Sulpitio Pr. aduersus Philippum & Achæos gestas continet. Lustrum à censoribus conditum est: censa sunt ciuium capita centum triginta septem millia, septem & octo. ex quo numero apparuit quantum hominum tot præliorum aduersa fortuna populo Romano abstulisset. Asdrubal qui cum exercitu nouo transcenderat Alpes, ut se Annibali coniungeret, cum millibus hominum L V I. cæsus est. M. Liuij consulis ductu, non minore opera Claudij Neronis consulis. qui cum Annibali oppositus esset, relictis castris, ita ut inimicum falleret, electa manu profectus, Asdrubalem circumuenit.



Ic status rerum Hispaniæ erat. In Italia consul Marcellus, Salapia per proditionem recepta, Maroneam, & Meles de Samnitibus vi cepit. Ad tria millia militum ibi Annibalis, quæ præsidii causa relicta erant, oppressa. prædæ aliquantum eius militi fuit concessum. tritici quoque c c x l millia modiûm, & c x millia hordei inuenta. Cæterùm nequaquam inde tantum gaudii fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est haud procul ab Herdonea vrbe. Castra ibi Cn. Fuluius proconsul habebat, spe recipiundæ Herdoneæ: quæ post Cannensem cladem ab Romanis defecerat, nec loco satis tuto posita, nec præsidiis firmata. Negligentiã insitam ingenio ducis augebat spes ea, quòd labare iis aduersus Pœnum fidem senserat. Postquam Salapia amissa excessisse his locis Annibalem in Brutios auditum est, ab Herdonea ea omnia per occultos nuntios delata Annibali, simul curam sociæ retinendæ vrbis, & spem fecere incautum hostem aggrediendi. Exercitu expedito, ita vt famam propè præueniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit. & quo plus terroris hosti obiiceret,

Marcellus Salapiã recepit.

B acie instructa accessit. Par audacia Romanus, consilio & viribus impar, copiis raptim eductis conflixit. quinta legio, & sexta alacriter pugnã inierunt. Cæterùm Annibal signo equitibus dato, vt cùm pedestres acies occupassent præsenti certamine oculos animósque, circumuecti, pars castra hostium, pars terga pugnantium inuaderent: ipse Cn. Fuluii similitudinem nominis, quòd Cn. Fuluium prætorem biennio antè in iisdem deuicerat locis: increpans, similem euentum pugnæ fore affirmabat. Neque ea spes vana fuit. nam cùm comminus acie & peditum certamine multi cecidissent Romanorum, starent tamen ordines signáque, equestris à tergo tumultus, simul à castris clamor hostilis auditus, sextam ante legionem, quæ in secunda acie posita, prior ab Numidis turbata est: quintam deinde, atque eos qui ad prima signa erant, auertit. Pars in fugam effusi, pars in medio cæsi. vbi & ipse Cn. Fuluius cum duodecim tribunis militum cecidit. Romanorum sociorúmque quot cæsa in eo prælio millia sint, quis pro certo affirmet? cùm tredecim millia alibi, alibi haud plus quàm septem inueniam? Castris, prædáque victor potitur. Herdoneam, quia & defecturam fuisse ad Romanos cœperit: nec mansuram in fide, si inde abscessisset: multitudine omni Metapontum ac Thurios traducta, incendit, occiditque principes, qui cum Fuluio colloquia occulta habuisse comperti sunt. Romani, qui ex tanta clade euaserant, diuersis itineribus semiermes ad Marcellum consulem in Samnium confugerunt. Marcellus nihil admodum tanta clade territus, literas Romam ad Senatum de duce & exercitu ad Herdoneam amisso scribit. Cæterùm eundem se, qui post Cannensem pugnam ferocem victoria Annibalem contudisset, ire aduersus eum, breuem illi lætitiam qua exultet facturum. Et Romæ quidem cùm luctus ingens ex præterito, tum timor in futurum erat. Consul ex Samnio in Lucanos trãsgressus ad Numistronem in conspectu Annibalis loco plano, cùm Pœnus collem teneret, posuit castra. addit & aliam fidentis speciẽ, quòd prior in aciem eduxit. Nec detrectauit Annibal, vt signa portis efferri vidit. Ita tamen aciem instruxerunt, vt Pœnus dexterum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad oppidum applicarent. Ab hora tertia cùm ad noctem pugnam extendissent, fessæq; pugnando primæ acies essent, ab Romanis prima legio & dextera ala, ab Annibale Hispani milites & funditores baleares, elephanti quoq;, commisso iam certamine, in prælium acti. Diu pugna neutrò inclinata stetit. Primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit. & apud hostes integri à fessis pugnam accepêre. Nouum atq; atrox prælium ex tam segni repentè exarsit, recentibus animis corporibúsq;. sed nox incerta victoria diremit pugnãtes. Postero die Romani ab sole orto in multum diem stetêre in acie: vbi nemo hostium aduersus prodiit, spolia per otium legere, & cõgestos in vnum locum cremauere suos. Nocte insequenti Annibal silentio mouit castra, & in Apuliam abiit. Marcellus vbi lux fugam hostiũ aperuit, sauciis cum præsidio modico Numistrone relictis, præpositóque his L. Furio Purpurione tribuno militum, vestigiis institit sequi. Ad Venusiam adeptus eum est. Ibi per dies aliquot cùm ab stationibus procursaretur, mista equitum peditúmque tumultuosa magis prælia, quàm magna, & fermè

Annibal ad Herdoneam Cn. Fuluiũ cum exercitu fudit.

Herdonea incẽditur ab Annibale.

Marcellus ad Numistronem cũ Annibale pugnam commisit.

Annibal silentio castra mouit.

omnia Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus sine vllo memorãdo certamine, A cùm Annibal nocte signa moueret, locũ insidiis quærens: Marcellus, nisi certa luce, & explorato antè, non sequeretur.

Capuæ bona principum vendit Flaccus.

Capuæ interim Flaccus dum bonis principum vendendis, agro, qui publicatus fuerat, locando (locauit autem omnem frumento) tempus terit, ne deesset materia in Campanos sæuiendi, nouum in occulto gliscens per indicium protractũ est facinus. milites ædificiis emotos, simul vt cum agro tecta vrbis fruenda locarentur: simul metuens, ne suum quoq; exercitum, sicut Annibalis, nimia vrbis amœnitas emolliret: in portis murísque sibimetipsos tecta militariter coegerat ædificare. erant autem pleraq; ex cratibus, aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia velut de industria alimentis ignis.

Campanorũ indicata cõiuratio.

Hæc noctis vna hora vt omnia incenderent, c l x x Campani, principibus fratribus Blosiis coniurauerant, indicio eius rei ex familia Blosiorum facto, portis repentè iussu proconsulis clausis, cùm ad arma signo dato milites concurrissent, comprehensi omnes qui in noxa erant, & quæstione acriter habita, damnati necatíque. indicibus libertas, & † æris dena millia data.

† Val. 100 coron.

Nucerinos, & Acerranos quærentes vbi habitarent non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fuluius ad senatum misit. Acerranis permissum, vt ædificarent quæ incensa erant. Nucerini Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare iussis, traducti. Inter multas magnásque res, quæ nunc secundæ, nunc aduersæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria. M. Ogulnius, & P. Aquilius in Aetruriam legati ad frumentum coemendum, quod Tarentum portaretur, profecti: & mille milites de exercitu vrbano, par numerus Romanorũ, sociorúmq; eódem in præsidium cum frumento missi sunt. Iam æstas in exitu erat, comitiorúmque consularium instabat tempus. sed literæ Marcelli negantis è Republica esse, vestigium abscedi ab Annibale, cui cedenti, certaménq; abnuenti grauius ipse instaret: curam iniecerant, ne aut consulem tum maximè res agentem à bello auocarent, aut in annum consules deessent. optimum visum est, quanquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem ex Sicilia reuocari. Ad eum literæ iussu senatus ab L. Manlio prætore vrbis missæ cum literis consulis M. Marcelli: vt ex iis nosceret, quæ causa patribus eum potius quàm collegam reuocandi ex prouincia esset.

Legati ab rege Syphace Roman ueniunt.

Eo fortè tempore legati ab rege Syphace Romam venerunt, quæ is prospera prælia rex cum Carthaginiensibus fecisset, memorantes. Regem nec inimiciorem vlli populo quàm Carthaginiensi, nec amiciorem quàm Romano affirmabant esse. misisse eum antea legatos in Hispaniam ad Cn. & P. Cornelios imperatores Romanos. nunc ab ipso velut fonte petere Romanam amicitiam voluisse. Senatus non legatis modò benignè respondit, sed & ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium. Dona tulere, togam, & tunicã purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex † quinq; pondo factam.

† Valebat ergo cor. 560

Protinus & alios Africæ regulos iussit adire. iis quoque quæ darentur, portata, togæ prætextæ, & ternûm pondo pateræ aureæ. Et Alexan- B driam ad Ptolemæum Cleopatrámque reges M. Attilius, & M. Acilius legati ad cõmemorandam renouandámque amicitiam missi dona tulere: Regi togam, & tunicam purpuream cum sella eburnea: Reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo.

Prodigia.

Multa æstate, qua hæc facta sunt, ex propinquis vrbibus agrísque nuntiata sunt prodigia. Tusculi agnum cum vbere lactanti natum: Iouis ædis culmen fulmine ictum, ac propè omni tecto nudatum. Iisdem fermè diebus Anagniæ terram ante portam ictam, diem ac noctem sine vllo ignis alimento arsisse: & aues ad compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquisse. Tarracinæ in mari haud prócul portu angues magnitudinis miræ lasciuientium piscium more exultasse. Tarquiniis porcum cum ore humano genitum. Et in agro Capenate ad lucum Feroniæ i i i i signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Hæc prodigia hostiis maioribus procurata decreto pontificum: & supplicatio diem vnum Romæ ad omnia puluinaria, alterum in Capenate agro ad Feroniæ lucum indicta.

Valerius cõsul in Senatu res à se gestas commemorat.

M. Valerius cõsul literis excitus, prouincia, exercitúque mandato Cincio prætori, M. Valerio Messala præfecto classis cum parte nauium in Africam prædatum simul, speculatúmque, quæ populus Carthaginiensis ageret pararétque, misso: ipse x nauibus Romam profectus cùm prosperè peruenisset, senatum extemplò habuit. ibi de suis rebus gestis commemorauit. Cum annos propè l x in Sicilia terra maríque sæpe magnis cladibus bellatum esset, se eam prouinciam confecisse. neminem Carthaginiensem in Sicilia esse: neminem Siculum, qui metu inde fugati absuerint, non esse. omnes in vrbes agrósque suos reductos, arare, serere: desertam recoli tandem terram, frugiferam ipsis cultoribus, populóque Romano pace ac bello fidissimum annonæ subsidium. Exin Mutine, & si quorum aliorum merita erga populum Romanum erant, in senatum introductis, honores omnibus ad exoluendam fidem consulis habiti.

Mutines ciuitate Romana donatur.

Mutines etiam ciuis Romanus factus, rogatione ab tribuno plebis ex authoritate patrum ad plebem lata. Dum hæc Romæ geruntur, M. Valerius Messala l nauibus cùm ante lucem ad Africam accessisset, improuisò in agrũ Vticensem excursionem fecit: eúmq; latè depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naues rediit, atq; in Siciliam transmisit: tertiodecimo die, quàm profectus inde erat, Lilybæum reuectus. Ex captiuis, quæstione habita, hæc comperta: consulíque Leuino omnia ordine perscripta, vt sciret in quo statu res Africæ essent. Quinque millia Numidarum cum Masanissa Galæ filio acerrimo iuuene Carthagine esse: & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniã ad Asdrubalem traiicerentur, vt is quàmmaximo exercitu primo quoque tempore in Italiam transgressus, iungeret se Annibali. in eo positam victoriam credere Carthaginienses. classem præterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam, eámque se credere breui traiecturam. Hæc recitata à cõsule ita mouêre senatum, vt non expectanda comitia consulis censeret, sed dictatore comitiorum habendorum causa dicto extemplò in prouinciam redeundum. Illa disceptatio tenebat, quòd consul in Sicilia se M.

De dictatore dicendo maxima concertatio.

A Valerium Messalam, qui tum classi præesset, dictatorem dicturum esse aiebat: patres extra Romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lucretius tribunus plebis cùm de ea re consuleret, ita decreuit senatus, vt consul prius quàm ab vrbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret: eúmque quem populus iussisset, dictatorem diceret. si consul noluisset, prætor vrbanus populum rogaret. si ne is quidem vellet, tum tribuni ad plebem ferrent. Cùm consul se populum rogaturũ negasset, quod suæ potestatis esset, prætorémque vetuisset rogare: tribuni plebis rogarũt, plebésque sciuit, vt Q. Fuluius, qui tum ad Capuam erat, dictator diceretur. Sed quo die id plebis concilium futurum erat, consul clàm nocte in Siciliam abiit, destitutíque patres literas ad Marcellum mittendas censuerunt, vt desertæ à collega Reipublicæ subueniret, diceretque, quem populus iussisset, dictatorem. Ita à Marcello consule Q. Fuluius dictator dictus, & ex eodem plebiscito à Q. Fuluio dictatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equitum dictus. Dictator posteaquam Romam venit, Cn. Sempronium Blesum legatum, quem ad Capuam habuerat, in Hetruriam prouinciam ad exercitũ misit, in locum C. Calpurnii prætoris: quem, vt Capuæ exercituíque suo præesset, literis exciuit. ipse comitia in quem diem primum potuit, edixit: quæ certamine inter tribunos dictatorémque iniecto, perfici non potuerant. Galeria iuniorũ, quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium & Q. Fabium consules dixerat. eodémque iure vocatæ reliquæ inclinassent, ni tribuni plebis C. & L.

Certamen inter dictatorem & tribunos pleb.

Ariani se interposuissent: qui neque magistratum continuari satis ciuile esse aiebãt: & multo fœdioris exempli, eum ipsum creari qui comitia haberet. itaque si suum nomen dictator acciperet, se comitiis intercessuros. si aliorum, præterquam ipsius, ratio haberetur, comitiis se moram non facere. Dictator causam comitiorũ authoritate senatus, plebiscito, exemplísque tutabatur. Nam Cn. Seruilio Cos. cùm Flaminius alter consul ad Thrasymenum cecidisset: ex authoritate patrũ ad plebem latum, plebémq; sciuisse, vt quoad bellum in Italia esset, ex iis qui cõsules fuissent, quos & quoties vellet, reficiẽdi consules populo ius esset. exemplúmque ea in re se habere, vetus L. Posthumii Megilli, qui interrex iis comitiis quæ ipse habuisset, consul cum Cn. Iunio Bubulco creatus esset: recens Q. Fabii, qui sibi continuari cõsulatum, nisi id bono publico fieret, profectò nunquam siuisset. His orationibus cùm diu certatum esset, postremò ita inter dictatorem ac tribunos conuenit, vt eo quod censuisset senatus, staretur. Patribus id tempus Reipub. visum est, vt per veteres & expertos, bellique peritos imperatores Respublica gereretur. itaque moram fieri comitiis, nõ placere. Concedentibus tribunis, comitia habita. Declarati consules Q. Fabius Maximus quintùm, Q. Fuluius Flaccus III. Prætores inde creati, L. Veturius Philo, T. Quintius Crispinus, C. Hostilius Tubulus, C. Aurunculeius. Magistratibus in annũ creatis, Q. Fuluius dictatura se abdicauit. Extremo æstatis huius classis Punica nauium XL cum præfecto

Classis Punica in Sardiniã traiecta.

B Amilcare in Sardiniam traiecta, Olbiensem primò, dein postquam ibi P. Manlius Volso prætor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterũ insulæ latus, Caralitanum agrum vastauit: & cum præda omnis generis in Africam rediit. Sacerdotes Romani eo anno mortui aliquot, suffectiq;. C. Seruilius pontifex factus in locum T. Octacilii Crassi. Decemuir item sacris faciundis in locum T. Sempronii T. F. Longi T. Sempronius C. F. Longus suffectus. M. Martius rex sacrorum mortuus est: & M. Aemylius Pappus maximus curio: neque in eorũ locum sacerdotes eo anno suffecti. Et censores hic annus

Censores.

habuit L. Veturium Philonem, & P. Licinium Crassum pontificem maximum. Crassus Licinius nec consul, nec prætor antè fuerat, quàm censor est factus. ex ædilitate gradum ad censuram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt, nec quicquam publicæ rei egerunt. mors diremit L. Veturii. inde & Licinius cẽsura se abdicauit. Aediles curules L. Veturius, & P. Licinius Varus, ludos Romanos diem vnum instaurarunt. Aediles plebis Q. Catius, & L. Porcius Licinius ex multatitio argento signa ænea ad Cereris dedere: & ludos pro temporis eius copia magnificè apparatos fecerunt. Exitu anni huius die IIII & XXX, quàm ab Tarracone profectus erat, C. Lælius legatus Scipionis Romam venit. isque

Lælius cum captiuis Romam venit.

cum agmine captiuorum ingressus vrbem, magnum concursum hominum fecit. Postero die in senatum introductus, captam Carthaginem caput Hispaniæ vno die, receptásque aliquot vrbes, quæ defecissent: nouásque in societatem ascitas, exposuit. Ex captiuis comperta his ferè congruentia, quæ in literis fuerant M. Valerii Messalæ. Maximè mouit patres Asdrubalis transitus in Italiam, vix Annibali atque eius armis obsistentem. Productus in concionem Lælius eadem disseruit. Senatus ob res feliciter à P. Scipione gestas supplicationẽ in vnum diem decreuit. C. Lælium primo quoque tempore cum

Supplicatio in unum diẽ ob res feliciter à Scipione gestas decreta.

quibus venerat nauibus, redire in Hispaniam iussit. Carthaginis expugnationem in hunc annum cõtuli multis authoribus: haud nescius quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint. Sed mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerendo in Hispania consumpsisse. Q. Fabio Maximo quintùm, Q. Fuluio Flacco III consulibus Idibus Martiis, quo die magistratum inierunt: Italia ambobus prouincia decreta: regionibus tamen partitum imperiũ, Fabius ad Tarentum, Fuluius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. M. Claudio prorogatum in annum imperiũ. Prætores sor-

Prouinciarum & exercituũ diuisio.

titi prouincias: C. Hostilius Tubulus vrbanam, L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia, T. Quintius Crispinus Capuam, C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per prouincias diuisi. Fuluio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Leuinus haberet: Q. Fabio, quibus in Hetruria C. Calpurnius præfuisset. exercitus vrbanus vt in Hetruriam succederet. C. Calpurnius eidem præesset prouinciæ, exercituique quem Q. Fuluius habuisset. Capuam, exercitúmque T. Quintus obtineret. C. Hostilius ab C. Lectorio proprætore prouinciam, exercitúmque, qui tum iam Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ. M. Valerio cum L. Cincio (his quoq; est in annum prorogatum in Sicilia imperium) Cannensis exercitus datus: eúmque supplere ex militibus, qui ex le-

gionibus Cn.Fuluii supereſſent,iuſsi.Conquiſitos eos,conſules in Siciliam miſerunt : additáq; eadem militiæ ignominia, ſub qua Cannenſes militabant : quíque ex prætoris Cn. Fuluii exercitu ob ſimilem iram fugæ miſsi eò ab ſenatu fuerant. C.Auruncuieio eædem in Sardinia legiones, quibus P.Manlius Volſo eam prouinciam obtinuerat,decretæ.P.Sulpitio eadem legione, eadémque claſſe Macedoniam obtinere iuſſo,prorogatum in annum imperium. x x x quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q.Fabium conſulem mitti iuſſæ:cætera claſſe placere prædatum in Africam, aut ipſum M.Valerium Leuinum traiicere:aut mittere,ſeu L.Cincium,ſeu M.Valerium Meſſalam vellet.Nec de Hiſpania quicquã mutatum,niſi quòd non in annum Scipioni Syllanóque, ſed donec reuocati ab ſenatu forent, prorogatum imperium eſt : ita prouinciæ exercitúſque in eum annum partita imperia. Inter maiorũ rerum curas comitia maximi curionis,cùm in locum M.Aemylii ſacerdos crearetur, vetus excitauerũt certamen,patriciis negantibus C.Manlii Attelii,qui vnus ex plebe petebat,habendam rationẽ eſſe:quia nemo ante eum,niſi ex patribus,id ſacerdotium habuiſſet. Tribuni appellati, ad ſenatum reiecerunt. Senatus populo poteſtatem fecit.Ita primus ex plebe creatus maximus curio C.Manlius Attelius.Et flaminem dialem inuitum inaugurari coegit P.Licinius pontifex maximus C.Valerium Flaccum: decemuir ſacris faciundis creatus in locum Q.Mutii Scæuolæ demortui C.Lectorius. Cauſam inaugurari coacti flaminis libens reticuiſſem,ni ex mala fama in bonam vertiſſet. Ob adoleſcẽtiam negligentem,luxurioſámque C.Flaccus flamen captus à P.Licinio pontifice maximo erat, L.Flacco fratri germano,cognatíſque aliis ob eadem vitia inuiſus.Is,vt animum eius cura ſacrorũ & cærimoniarum cepit,ita repentè exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuentute haberetur prior : nec probatior primoribus patrum,ſuis pariter,alieníſque eſſet.Huius famæ conſenſu elatus ad iuſtam fiduciam ſui,rem intermiſſam per multos annos ob dignitatem flaminum priorum repetiuit, vt in ſenatum introiret. Ingreſſum eum curiam cùm L.Licinius prætor inde eduxiſſet,tribunos plebis appellauit flamen.Vetuſtum ius ſacerdotii repetebat : datum id cum toga prætexta, & ſella curuli C.Flaminio eſſe. Prætor non exoletis vetuſtate annalium exemplis ſtare ius,ſed recentiſsimæ cuiuſque conſuetudinis vſu volebat:nec patrum,nec auorum memoria dialem quenquam id ius vſurpaſſe. Tribuni rem inertia flaminum obliteratam, ipſis,non ſacerdotio damno fuiſſe cùm æquum cenſuiſſent,ne ipſo quidem cõtrà tendente prætore,magno aſſenſu patrum plebíſque flaminem in ſenatum introduxerunt:omnibus ita exiſtimantibus, magis ſanctitate vitæ, quàm ſacerdotii iure, rem eam flaminem obtinuiſſe. Conſules prius quàm in prouincias irent,duas vrbanas legiones in ſupplementum,quantum opus erat cæteris exercitibus militum, ſcripſerunt. Vrbanum veterem exercitum Fuluius conſul C.Fuluio Flacco legato (frater hic conſulis erat) in Hetruriam dedit ducendum : & legiones, quæ in Hetruria erant, Romam deducendas. Et Fabius conſul reliquias exercitus Fuluiani conquiſitas (fuerunt autem ad tria millia c c c x x x v i) Q.Maximum filium ducere in Siciliam ad M.Valerium procõſulem iuſsit:atque ab eo duas legiones, & triginta quinqueremes accipere. Nihil hæ eductæ ex inſula legiones minuerunt nec viribus,nec ſpecie eius prouinciæ præſidium.nam cum præter egregiè ſuppletas duas veteres legiones,transfugarum etiam Numidarum equitum peditúmque magnam vim haberet : Siculos quoque qui in exercitu Epicidis aut Pœnorum fuerant,belli peritos viros,milites ſcripſit. Ea externa auxilia cum ſingulis Romanis legionibus adiunxiſſet,duorum ſpeciem exercituum ſeruauit:altero L. Cincium partem inſulæ,qua regnum Hieronis fuerat, tueri iuſsit : altero ipſe cæteram inſulam tuebatur,diuiſam quondam Romani Punicíq; imperii finibus.Claſsis quoq; nauium l x x parata, vt omni ambitu litorum præſidio oræ maritimæ eſſent.Ipſe cum Mutinis equitatu prouinciam peragrabat, vt viſeret agros,cultáque ab incultis notaret:& perinde dominos laudaret, caſtigarétque. Ita tantum ea cura frumenti prouenit,vt & Romam mitteret,& Catanam cõueheret, vnde exercitui,qui ad Tarentum æſtiua acturus eſſet, poſſet præberi. Cæterùm tranſportati milites in Siciliam (& erat maior pars Latini nominis,ſociorúmq;) propè magni motus cauſa fuêre:adeò ex paruis ſæpe magnarũ momenta rerum pendent:fremitus enim inter Latinos,ſociósque in cõciliis ortus.Decimum annum delectibus & ſtipendiis exhauſtos eſſe:quotannis fermè clade magna pugnare:alios in acie occidi, alios morbo abſumi:magis perire ſibi ciuem,qui ab Romano miles lectus ſit,quàm qui à Pœno captus:quippe ab hoſte gratis remitti in patriã , ab Romanis extra Italiam in exilium verius,quàm in militiã ablegari. Octauũ iam ibi annum ſeneſcere Cannenſem militem, moriturũ antequam Italia hoſtis,quippe nunc cùm maximè florens viribus, excedat.ſi veteres milites non redeant in patriã, noui legãtur, breui neminem ſuperfuturũ.Itaq; quod prope diem res ipſa negatura ſit,prius quàm ad vltimam ſolitudinem atq; egeſtatẽ perueniant,negandum populo Romano eſſe.ſi conſentientes in hoc ſocios videant Romani,profectò de pace cum Carthaginienſibus iungenda cogitaturos. aliter nunquã viuo Annibale ſine bello Italiã fore.Hæc acta in conciliis.Triginta tum coloniæ populi Romani erant,ex iis duodecim,cùm omniũ legationes Romæ eſſent,negauerũt cõſulibus eſſe, vnde milites pecuniámq; darent. Eæ fuere,Ardea,Nepete,Sutrium,Circeii,Alba,Carſeoli,Sueſſa,Sora, Setia,Cales, Narnia, Interamna. Noua re conſules icti cùm abſterrere eos à tam deteſtabili conſilio vellent, caſtigando increpandóq; plus quàm leniter agendo profecturos rati,eos auſos eſſe conſulibus dicere,aiebant,quòd conſules in ſenatu vt pronuntiarent,in animũ inducere non poſſent.non enim detrectationẽ eam munerũ militiæ, ſed apertam defectionem à populo Romano eſſe. Redirent itaq; properè in colonias, & tanquã integra re locuti magis quàm auſi tantum nefas,cum ſuis conſulerent.admonerent,nõ Campanos,neque Tarẽtinos eos eſſe,ſed Romanos.inde oriundos,inde in colonias atq; in agrũ bello captũ ſtirpis augendæ cauſa miſſos.quæ liberi parentibus deberẽt,ea illos Romanis debere,ſi vlla pietas, ſi memoria antiquæ

Maximi curionis comitia.

C. Manlius primus ex plebe maximus Curio creatus.

Latinorum aliorũq; ſociorũ fremitus in Pop. Rom.

Coloniarum nomina,quæ milites pecuniamq; negarent Romanis ſe daturas.

A

B

A antiquæ patriæ esset. Cōsulerent igitur de integro. nam tum quidem quæ temerè agitassent, ea prodendi imperii Romani, tradēdæ Annibali victoriæ esse. Cùm alternis hæc cōsules diu iactassent, nihil moti legati, neque se quod domum renunciarent, habere dixerunt, neque senatum suum quid noui consuleret: vbi nec miles qui legeretur, nec pecunia quæ daretur in stipendium, esset. Cùm obstinatos eos viderent consules, rem ad Senatum detulerunt. vbi tantus pauor animis hominum est iniectus, vt magna pars actum de imperio diceret. idem alias colonias facturas, idem socios consensisse omnes, ad prodendam Annibali vrbem Romam. Consules hortari & consolari senatum: & dicere, alias colonias in fide atque officio pristino fore. eas quoque ipsas quæ officio decesserint, si legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperii habituros esse. Permissum ab senatu iis cùm esset, agerent, facerentque, vt è Republica ducerent: pertentatis prius aliarum coloniarum animis citauerunt legatos: quæsiuerúntque ab iis, ecquid milites ex formula paratos haberent? Pro duodeuiginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: & milites ex formula paratos esse: & si pluribus opus esset, plureis daturos: & quicquid aliud imperaret, vellétque populus Romanus, enixè facturos. ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Consules sibi parum videri præfati pro merito eorum, sua voce collaudari eos, nisi vniuersi patres in curia gratias egissent, sequi in Senatum iusserunt. Senatus quàm poterat honoratissimo decreto allocutus eos, mandat consulibus, vt ad populum quoque eos producerent: & inter multa alia præclara, quæ ipsis maioribúsque suis præstitissent, recens etiam meritum eorum in Rempublicam commemorarent. Ne nunc quidem post tot secula sileantur, fraudentúrve laude sua. Signini fuere, & Nolani, & Norbani, Satriculaníque, & Brundusini, & Fregellani, & Lucerini, & Venusini, & Adriani, & Firmani, & Ariminenses: & ab altero mari, Pontiani, & Pestani, & Cossani: & mediterranei, Beneuentani, & Esernini, & Spoletini, & Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: iisque gratiæ & in senatu, & apud populum actæ.

Coloniarum nomina, quæ sua omnia in pop. Romani potestate esse dixerūt.

Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectauerunt imperium, mentionem fieri patres vetuerunt: neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari à consulibus. Ea tacita castigatio maximè ex dignitate populi Romani visa est. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur, promi placuit. prompta ad †quatuor millia pondo auri. Inde †quingena pondo data consulibus, & M. Marcello, & P. Sulpitio pro c o s s. & L. Veturio prætori, qui Galliam prouinciam sortitus erat: additúmque Fabio c o s. †c. pondo auri præcipuum, quod in arcem Tarentinam portaretur: cætero auro vsi sunt ad vestimenta præsenti pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama, ducísque gerebat.

Aurum vicesimarium.

† Valent 448000 coron.

† Valent 56000 coron.

† Valent 11200 coron.

Prodigia quoque, prius quàm ab vrbe coss. proficiscerentur, procurari placuit.

B In Albano monte tacta de cælo erant, signum Iouis, arbórque templo propinqua, & Hostiæ lacus, & Capuæ murus, Fortunæque ædes, & Sinuessæ murus portáque. Hæc de cælo tacta. Cruentam etiam fluxisse aquam Albanam, quidam authores erant. Et Romæ intra cellam ædis Fortis Fortunæ de capite signum, quod in corona erat, in manus sponte sua prolapsum. Et Priuerni satis constabat bouem locutum, vulturémque frequenti foro in tabernam deuolasse. Et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac fœminam sexu infantem: quos androgynos vulgus, vt pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone, appellat. & lacte pluisse, & cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis maioribus procurata, & supplicatio circa omnia puluinaria, & obsecratio in vnum diem indicta. & decretum, vt C. Hostilius Pr. ludos Apollinis, sicut his annis voti factíque erāt, voueret faceretque.

Prodigia.

Androgyni.

Per eos dies & censoribus creandis Q. Fuluius c o s. comitia habuit. Creati censores, ambo qui nondum consules fuerant: M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus. duo censores vt agrum Campanum fruendum locarent, ex authoritate patrum latum ad plebem est, plebésque sciuit.

Cēsores creantur.

Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat. Cæterùm Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, vt qui primus censor ex iis qui viuerent, fuisset, eum principem legerent: is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui dii sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse deos. se id suo arbitrio facturum: lecturúmq; Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanæ ciuitatis esse, vel Annibale iudice victurus esset. Cùm diu certatum esset verbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus c o s.

Cōtentio inter censores de principe legēdo in senatu.

Inde alius lectus senatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis author deserendæ Italiæ post Cannensem cladem. In equestribus quoque notis eadem seruata causa. sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret. Illis omnibus (& multi erant) adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiuerunt, qui equo merere deberent. atque ex iis qui principio eius belli sexdecim annos nati fuerant, neque militauerant, omneis ærarios fecerunt. Locauerunt inde reficienda quæ circa forum incendio consumpta erant, v i i tabernas, macellum, atrium regium. Transactis omnibus quæ Romæ agenda erant, consules ad bellum profecti: prior Fuluius prægressus Capuam. post paucos dies cōsecutus Fabius. qui & collegam coràm obtestatus, & per literas Marcellum, vt quàm acerrimo bello detineret Annibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret: ea vrbe adempta hosti vndique pulso, nec vbi consisteret, nec quid fidum respiceret habenti, ne morandi quidem causam in Italia fore. Rhegyum etiam nuntium mittit ad præfectum præsidii, quod ab Leuino c o s. aduersus Brutios ibi locatum erat, octo millia hominum: pars maxima ab Agatirna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta, & rapto viuere hominum assuetorum. additi erāt Brutiorum indidem perfugæ, & audacia & audendi

Marcellum per literas admonet Fabius, ne cum Annibale manum consereret.

A omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad Brutium primum agrum depopulandum duci iussit, inde ad Cauloniam vrbem oppugnandam. Imperata non impigrè solùm, sed etiam auidè executi, direptis fugatísque cultoribus agri, summa vi vrbem oppugnabant. Marcellus & consulis literis excitatus, & quia ita in animum induxerat, neminem ducem Romanum tam parem Annibali quàm se esse: vbi primùm in agris pabuli copia fuit, ex hybernis profectus, ad Cannusium Annibali occurrit. Solicitabat ad defectionem Cannusios Pœnus. cæterum vt appropinquare Marcellum audiuit, castra inde mouit. Aperta erat regio sine vllis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit. Marcellus vestigiis instabat, castráque castris conserebat: & opere perfecto, extemplò in aciem legiones educebat. Annibal turmatim per equites, peditúmque iaculatores leuia certamina serens, casum vniuersæ pugnæ non necessarium ducebat. tractus est tamen ad id quod vitabat certamen. Nocte prægressum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus. castra inde ponentem, pugnando vndique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatúmque totis copiis: & cùm iam nox instaret, Marte æquo discessum est. castra exiguo distantia spatio raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in aciem copias eduxit. Nec Annibal detrectauit certamen, multis verbis adhortatus milites, vt memores Thrasymeni Cannarúmque, contunderent ferociam hostis. vrgere atque instare eum: non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circumspicere. quotidie simul orientem solem, & Romanam aciem in campis videndam esse. si vno prælio haud incruentus abeat, qnietius deinde tranquilliúsque eum bellaturum. His iritati adhortationibus, simúlque tædio ferociæ hostium quotidie instantium lacessentiúmque, acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. cedere iode ab Romanis dextera ala, & extraordinarii cepere. quod vbi Marcellus vidit, duodeuicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidè cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est: dein prorsus fusa, & vincente pudorem metu terga dabant. Cecideréque in pugna fugáq; ad duo millia & septingenti ciuium, sociorúmq;. in his quatuor Romani centuriones fuere: duo tribuni militum, M. Licinins & M. Fuluius. signa militaria quatuor de ala prima, quæ fugit: duo de legione quæ cedentibus sociis successerat, amissa. Marcellus, postquam in castra reditum est, concionem adeò sæuam atque acerbam apud milites habuit, vt prælio per diem totam infeliciter tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. Diis immortalibus vt io tali re laudés gratésque, inquit, ago, quòd victor hostis cum tanto pauore incidentibus vobis in vallum portásque, non ipsa castra est aggressus. deseruissetis profectò eodem terrore castra, quo omisistis pugnã. Qui pauor hic? qui terror? quæ repentè, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos inuasit? nempe iidem sunt ii hostes, quos vincendo & victos sequendo priorem æstatem absumpsistis: quibus dies noctésque fugientibus per hos dies institistis: quos leuibus præliis fugastis, quos hesterno die nec iter fa- B cere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: cuius & ipsios pudere ac pœnitere vos oportet. oempe æquis maoibus hesterna die diremistis pugnã. quid hæc nox, quid hæc dies abstulit? vestræ his copiæ imminutæ sunt, an illorũ auctæ? Nõ equidem mihi cũ exercitu meo loqui videor, nec cũ Romaois militibus. corpora tantũ atq; arma eadem sunt. an si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? Non adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur? vos illi hodierno die primùm fugati exercitus dedistis decus. Clamor inde ortus, vt veniam eius diei daret, vbi vellet deinde experiretur militum suorum animos. Ego verò experiar, inquit, milites: & vos crastina die in aciem educam, vt victores potius quàm victi veniam impetretis, quam petitis. Cohortibus quæ signa amiserant, hordeum dari iussit: centurionésque manipulorum, quorũ signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit: & vt postero die omnes pedites equitésq; armati adessent, edixit. Ita concio dimissa, fatentium iure ac meritò sese increpitos: neque illo die virum quenquam in acie Romana fuisse, præter vnum ducem, cui aut morte satisfaciendum, aut egregia victoria esset. Postero die armati ornatíque ad edictum aderant. Imperator eos collaudat: pronontiátque, à quibus orta pridie fuga esset, cohortésque quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum: edicere iam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse: & adoitendum singulis vniuersísque, ne prius hesternæ fugæ, quàm hodiernæ victoriæ fama Romam perueniat. Inde cibo corpora firmare iussit, vt si longior esset pugna, viribus sufficerent. Vbi omnia dicta factáque sunt, quibus excitarentur animi militum, in aciem procedunt. Quod vbi Annibali nuntiatum est, cum eo nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen. Signa inde canere iussit, & copias educit. Pugnatum vtrinque aliquanto quàm pridie acrius est: Pœnis ad obtineodum hesternum decus. adnitentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Sinistra ala ab Romanis & cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant. & legio vicesima ab dextro corno instructa. L. Cornelins Lentulos, & C. Claudius Nero legati cornibus præerant: Marcellus mediam aciem hortator, testísque præsens firmabat. Ab Annibale Hispani primam obtinebát frontem. & id roboris in omni exercitu erat. Cùm anceps diu pugna esset, Annibal elephantos in primam aciem induci iussit: si quem iniicere ea res tumultum ac pauorem posset. Et primò turbarunt signa ordinésque, & partim occultatis, partim dissipatis terrore qui circà erant, nudauerant vna parte aciem. latiúsqoe fuga manasset, ni C. Decimius Flauus tribunos militum signo arrepto primi hastati manipolum eius signi se sequi iussisset. duxit vbi maximè tumultum conglobatæ belluæ faciebant: piláque io eas coniici iussit. Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictn, & tam conserta turba. sed vt non omnes vulnerati sunt: ita in quorũ tergis infixa stetere pila, vt est genus anceps, io fugam versi etiã integros auertere. Tum iam non

Marcellus auidus pugnæ contra Annibalẽ castra mouit.

Marcellus cum Annibale æquo Marte pugnat.

Marcellus uincitur ab Annibale.

Marcelli grauis oratio in milites.

De Marcello Annibalis iudicium.

A non vnus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modò assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conijcere. eo magis ruere in suos belluæ: tantóque maiorem stragem edere, quàm inter hostes ediderant. quanto acrius pauor consternatas agit, quàm insidentis magistri imperio reguntur. In perturbatam transcursu belluarum aciem signa inferunt Romani pedites: & haud magno certamine dissipatos, trepidantésque auertunt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus. nec antè finis sequendi est factus, quàm in castra pauentes compulsi sunt. nam super alia, quæ terrorem trepidationémque facerent, elephanti fortè duo in ipsa porta corruerant, coactíque erant milites per fossam, vallúmque ruere in castra. ibi maxima hostium cædes facta. Cæsa ad octo millia hominum, quinque elephanti. Nec Romanis incruenta victoria fuit. mille fermè, & septingenti de duabus legionibus, & sociorum supra M & C C C occisi: vulnerati permulti ciuium, sociorúmque. Annibal nocte proxima castra mouit. Cupientem insequi Marcellum prohibuit multitudo sauciorum. Speculatores, qui sequerentur agmen missi, postero die retulerunt, Brutios Annibalem petere. Iisdem fermè diebus & ad Q. Fuluium consulem Hirpini, & Lucani, & Volscentes, traditis præsidiis Annibalis, quæ in vrbibus habebant, dediderunt sese: clementérque à consule cum verborum tantùm castigatione ob errorem præteritum accepti. Et Brutiis similis spes veniæ facta est, cùm ab iis Vibius & Pactius fratres, longè nobilissimi gentis eius, eandem quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent. Q. Fabius consul oppidum in Salentinis Manduriam vi cepit. ibi ad quatuor millia hominum capta: & cæteræ prædæ aliquantum. Inde Tarentum profectus, in ipsis faucibus portus posuit castra. naues, quas Liuius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatúque mœnium oppugnandorum: partim tormentis & saxis, omníque missilium telorum genere instruit: onerarias quoque, non eas solùm quæ remis agerentur, vt alii machinas scalásque ad muros ferrent, alii procul ex nauibus vulnerarent mœnium propugnatores. Eæ naues ab aperto mari, vt vrbem aggrederentur, instructæ paratæque sunt. Et erat liberum mare classe Punica, cùm Philippus oppugnare Aetolos pararet, Corcyram transmissa. In Brutiis interim Cauloniæ oppugnatores sub aduentum Annibalis, ne opprimerentur, in tumulum à præsenti impetu tutum, ad cætera inopem, concessere. Fabium Tarentum obsidentem leue dictu momentum ad rem ingentem potiundam adiuuit. Præsidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. eius præsidii præfectus deperibat amore muliérculæ, cuius frater in exercitu Fabii consulis erat. Is certior literis sororis factus de noua consuetudine aduenæ locupletis, atque inter populares tam honorati, spem nactus per sororem quolibet impelli amantem posse, quid speraret, ad consulem detulit. Quæ cùm haud vana cogitatio visa esset, perfuga iussus Tarentum transire, ac per sororem præfecto conciliatus, primò occultè animum eius tentando, dein

B satis explorata leuitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem custodiæ loci, cui præpositus erat. Vbi & ratio agendæ rei, & tempus conuenit, miles nocte per interualla stationum clàm ex vrbe emissus, ea quæ acta erant, quæque vt agerentur conuenerant, ad consulem refert. Fabius vigilia prima dato signo iis qui in arce erant, quíque custodiam portus habebant, ipse circuito portu ab regione vrbis in orientem versa occultus consedit. Canere inde tubæ simul ab arce, & à portu & à nauibus, quæ aperto mari appulsæ erant: clamórque vndique cum ingenti tumultu, vnde minimum periculi erat, de industria ortus. Consul interim silentio continebat suos. Igitur Democrates, qui præfectus antea classis fuerat, fortè illi loco præpositus, postquam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu personare, vt captæ vrbis interdum excitaretur clamor, veritus ne inter cunctationem suam consul aliquam vim faceret, ac signa inferret, præsidium ad arcem, vnde maximè terribilis accidebat sonus, traducit. Fabius cùm ex temporis spatio, & ex silentio ipso (quod vbi paulo antè strepebant excitantes vocantésque ad arma, inde nulla accidebat vox) deductas custodias sensisset, ferri scalas ad eam partem muri, qua Brutiorum cohortem præsidium agitare proditionis conciliator nuntiauerat, iubet. Ea primùm captus est murus, adiuuantibus recipientibúsque Brutiis, & transcensum in vrbem est. deinde proxima refracta porta, vt frequenti agmine signa inferrentur. Tum clamore sublato sub ortum fermè lucis nullo obuio armato in forum perueniunt: omnésque vndique, qui ad arcem portúmque pugnabant, in se conuerterunt. Prælium in aditu fori maiore impetu, quàm perseuerantia commissum est. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis, par Romano Tarentinus erat. Igitur pilis tantum cõiectis, priùs penè quàm consererent manus, terga dederunt, dilapsíque per nota vrbis itinera in suas amicorúmque domos. Duo ex ducibus Nico & Democrates, fortiter pugnantes cecidere. Philomenes, qui proditionis ad Annibalem author fuerat, cùm citato equo ex prælio auectus esset, vacuus paulo pòst equus erránsque per vrbem cognitus, corpus nusquã inuentum est. creditum vulgo est, in puteum apertum ex equo præcipitasse. Carthalonem autem præfectum Punici præsidii, cum commemoratione paterni hospitii positis armis venientẽ ad consulem, miles obuius obtruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos inermésque cædunt, Carthaginienses Tarentinósq; pariter. Brutii quoq; multi interfecti, seu per errorem, seu vetere in eos insito odio: seu ad proditionis famam, vt vi potius atq; armis captum Tarentum videretur, extinguendam. Tum à cæde ad diripiendam vrbẽ discursum. Triginta millia seruiliũ capitũ dicuntur capta, ingens argẽti vis facti signatiq;, †auri LXXXIII millia pondo, signa tabulæq;, propè vt Syracusarũ ornamẽta æquarent. Sed maiore animo generis eius præda abstinuit Fabius quàm Marcellus: qui interroganti scribæ, quid fieri de signis vellet (ingentis magnitudinis dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantiũ formati) deos iratos Tarentinis relinqui iussit. Murus inde, qui vrbẽ ab arce dirimebat, dirutus est ac disiectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal iis qui Cauloniã obsidebant in deditionẽ acceptis, audita oppugnatione

Marcellus compellit in castra Annibalem multis cæsis.

Annibal nocte castra mouit.

Fabius Manduria vi capta obsidet Tarentum.

Tarentum proditione captum à Fabio cos.

† Valent 9196000 coron.

ne

ne Tarenti, dies noctésque cursim agmine acto cùm festinans ad opem ferendam, captam vrbem A audisset: & Romani, inquit, suum Annibalem habent. eadem, qua ceperamus, arte Tarentum amisimus. Ne tamen fugientis modo conuertisse agmen videretur, quo constiterat loco, quinque millia fermè ab vrbe posuit castra. ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit. Inde duos Metapontinos cum literis principum eius ciuitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem ab consule accepturos, impunita priora fore, si Metapontum ei cum præsidio Punico prodidissent. Fabius vera quæ afferrent esse ratus, diem, qua accessurus esset Metapontum, constituit: literásque ad principes dedit, quæ ad Annibalem delatæ sunt. Enimuero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo inuictus esset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti, prius quàm egrederetur ab Tarento, aues semel atque iterum non addixerunt. hostia quoque cæsa consulenti deos, aruspex cauendum à fraude hostili, & ab insidiis, prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi vt cunctantem hortarentur, repentè comprehensi metu grauioris quæstionis detegunt insidias. Aestatis eius principio, qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania cùm hyemem totam reconciliandis barbarorum animis partim donis, partim remissione obsidum captiuorúmque absumpsisset: Edesco ad eum, clarus inter duces Hispanos venit. Erant coniux liberíque eius apud Romanos. sed præter eam causam etiam velut fortuita inclinatio animorum, quæ Hispaniam omnem auerterat ad Romanum à Punico imperio, traxit eum. Eadem causa Indibili Mandonióque fuit, haud dubiè omnis Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu relicto Asdrubale, secedendi in imminenteis castris eius tumulos, vnde per continentia iuga tutus receptus ad Romanos esset. Asdrubal cùm hostium res tacitis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore, vt nisi audendo aliquid moueret, quà cœpissent ruerent: dimicare quamprimum statuit. Scipio auidior etiam certaminis erat, cùm à spe, quam successus rerum augebat: tum quòd prius quàm iungerentur hostium exercitus, cum vno dimicare duce, exercitúque, quàm simul cum vniuersis malebat. Cæterum etiam si cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat. nam cùm videret nullum esse nauium visum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus Punicis erat, subductis nauibus Tarraconem, naualeis socios terrestribus copiis addidit. Et armorum affatim erat captorum Carthagine: & quæ post captam eam fecerat, tanto opificum numero incluso. Cum iis Scipio veris principio ab Tarracone egressus (iam enim & Lælius redierat ab Roma, sine quo nihil maioris rei motum volebat) ducere ab hostem pergit. Per omnia pacata eunti, vt cuiusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibúsque sociis, Indibilis & Mandonius cum suis copiis occurrerunt. Indibilis pro vtroque locutus, haudquaquam vt barbarus stolidè incautéque, sed potius cum verecunda grauitate: prorpiórque excusanti transitionem vt necessariam, quàm glorianti ea velut ad primam occasionem rapta. B Scire enim se, transfugæ nomen execrabile veteribus sociis, nouis suspectum esse. neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium causa, non nomen faciat. Merita inde sua in duces Carthaginienses commemorauit: auaritiam contrà eorum, superbiámque, & omnis generis iniurias in se atque populares. Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse: animum iam pridem ibi esse, vbi ius ac fas crederet coli. ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque iniurias pati. se id Scipionem orare, vt transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit. quales ex ea die experiundo cognouerit, perinde operæ eorum pretium faceret. Ita prorsus respondet facturum Romanus: nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, vbi nec diuini quicquam. nec humani sanctum esset. Productæ deinde in conspectum eius coniuges, liberíque lacrymantibus gaudio redduntur: atque eo die in hospitium abducti. Postero die fœdere accepta fides, dimisśique ad copias adducendas. Iisdem deinde in castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem peruentum est. Proximus Carthaginiensium exercitus Asdrubalis prope vrbem Betulam erat. pro castris equitum stationes habebat. In eas velites, antesignaníque, & qui primi agminis erant, aduenientes ex itinere, priusquam castris locum caperent, adeò contemptim impetum fecerunt, vt facilè appareret, quid vtrique parti animorum esset. In castra trepida fuga compulsi equites sunt: signáque Romana portis propè ipsis illata. Atque illo quidem die irritatis tantum ad certamen animis, castra Romani posuerunt. Nocte Asdrubal in tumulum copias recepit, plano campo in summo patentem: fluuius ab tergo, antè circáque velut ripa præceps oram eius omnem cingebat. suberat & altera inferior summissa fastigio planicies. eam quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem campum postero die Asdrubal, postquam stantem pro castris hostium aciem vidit: equites Numidas, leuiúmque armorum Baleares, & Afros demisit. Scipio circumuectus ordines signáque, ostendebat hostem, prædamnata spe æquo dimicandi campo, captantem tumulos, loci fiducia, non virtutis aut armorum, stare in conspectu, sed altiora mœnia habuisse Carthaginem, quæ transcendisset miles Romanus. nec tumulos, nec arcem, ne mare quidem armis obstitisse suis. ad id fore altitudines, quas cepissent, hostibus, vt per præcipitia & prærupta salientes fugerent. eam quoque se illis fugam clausurum. Cohortésque duas, alteram tenere fauces vallis, per quam defertur amnis, iubet: alteram viam insidere, quæ ab vrbe per tumuli obliqua in agros ferret. ipse expeditos, qui pridie stationes hostium pepulerant, ad leuem armaturam infimo stantem supercilio ducit. Per asprera primùm, nihil aliud quàm via impedit iere. deinde vt sub iactum venerunt telorum, primò omnis generis vis ingens effusa est in eos. ipse contrà saxa, quæ locus strata passim omnia fermè missilia præbet, ingerere: nō milites solùm, sed etiā turba calonū immista armatis. Cæterùm quāquàm ascensus difficilis erat, & propè obruebātur telis saxisq;, & assuetudine succedēdi muros, & pertinacia animi subierūt primi.

Metapontinorū dolus.

Hispaniæ principes ab Asdrubale ad Scipionē secedunt.

Indibilis ad Scipionem oratio.

Scipio Asdrubalē adoritur.

Scipio suos hortatur.

A Qui simul cepere aliquid æqui loci, vbi firmo consisterent gradu, leuem & concursatorem hostem, atque interuallo tutum, cùm procul missilibus pugna eluditur, instabilem eundem ad comminus conferendas manus, expulerunt loco: & cæde magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere. inde Scipio iussis aduersus mediam euadere aciem victoribus, cæteras copias cum Lælio diuidit: atque eum parte dextra tumuli circumire, donec mollioris ascensus viam inueniret, iubet. ipse ab læua circuitu haud magno in transuersos hostes incurrit. Inde primò turbata acies est, dum ad circum sonantem vndique clamorem flectere cornua & obuertere ordines volunt. Hoc tumultu & Lælius subiit. & dum pedem referunt, ne ab tergo vulnerarentur, laxata prima acies, locúsque ad euadendum & mediis datus est: qui per tam iniquum locum stantibus integris ordinibus, elephantísque ante signa locatis, nunquam euasissent. Cùm ab omni parte cædes fierent, Scipio, qui læuo cornu in dextrum incurrerat, maximè in nuda hostium latera pugnabat. Et iam ne fugæ quidem patebat locus. nam & stationes vtrinque Romanæ, dextra læuáque insederant vias: & portam castrorum ducis principúmque fuga clauserat, addita trepidatione elephantorum, quos territos æquè atque hostes timebant. Cæsa igitur ad octo millia hominum. Asdrubal iam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantísque præmissis, quamplurimos poterat de fuga excipiens, præter Tagum flumen ad Pyrenæum tendit.

Asdrubal in fugam versus.

Scipio castris hostium potitus, cùm præter libera capita omnem prædam militibus concessisset, in recensendis captiuis decem millia peditum, duo millia equitum inuenit. ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit: Afros vendere quæstorem iussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum & antè deditorum, & pridie captorum, regem eum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio silentio per præconem facto, sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent. regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum esse. regalem animorum in se esse, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacitè iudicarent, vocis vsurpatione abstinerent. Sensere etiam barbari magnitudinem animi, cuius miraculo nominis alii mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis.

Scipio castris Asdrubalis potitur.

Scipio rex ab Hispanis appellatus, regium nomen deprecatur.

Dona inde regulis principibúsque Hispanorum diuisa. & ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem iussit. Cùm Afros venderet iussu imperatoris quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni, cum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. Quem cùm percunctaretur Scipio, quis, & cuiâs, & cur id ætatis in castris fuisset: Numidam se esse ait. Massiuam populares vocare. orbum à patre relictum, apud maternum auum Galam regem Numidarum educarum: cum auunculo Masanissa, qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam traiecisse. prohibitum propter ætatem à Masanissa, nonquam antè prælium iniisse. eo die se, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio auunculo clàm armis equóque sumpto in aciem exisse: ibi

B prolapso equo effusum in præceps, captum ab Romanis esse. Scipio cum asseruari Numidam iussisset, quæ pro tribunali agenda erant, peragit. inde cùm se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, velletne ad Masanissam reuerti? Cùm effusis gaudio lacrymis, cupere verò diceret: tum puero annulum aureum, tunicam lato clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equúmque ornatum donat: iussísque prosequi quoad vellet equitibus, dimisit.

Scipio Massiuã ad Masanissam remittit.

De bello inde consilium habitum. & authoribus quibusdam vt confestim Asdrubalem persequeretur, anceps id ratus, ne Mago atque Asdrubal cum eo iungerent copias, præsidio tantùm ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum æstatis recipiendis in fidem Hispaniæ populis absumpsit. Paucis post prælium factum ad Betulam diebus, cùm Scipio rediens iam Tarraconem saltu Castulonensi excessisset: Asdrubal Gisgonis filius & Mago imperatores ex vlteriore Hispania ad Asdrubalem venere, serum post malè gestam rem auxilium, consilio in cætera exequenda belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus, quid in cuiusq; prouinciæ regione animorum Hispanis esset, vnus Asdrubal Gisgonis vltimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum & Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum esse, eóque Carthaginiensibus satis fidam censebat.

Asdrubal vterque & Mago de rerum summa consultant.

Inter Asdrubalem alterum, & Magonem constabat, beneficiis Scipionis occupatos omnium animos publicè priuatímque esse: nec transitionis finem antè fore, quàm omnes Hispani milites aut in vltima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam forent. Itaque etiam si senatus Carthaginiensium non censuisset, eundum tamen Asdrubali fuisse in Italiam, vbi belli caput & rerum summa esset, simul vt Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret. exercitum eius cùm transitionibus, tum aduerso prælio imminutum Hispanis repleri militibus. Et Magonem, Asdrubali Gisgonis filio tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baleares traiicere. Asdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire: nec cum Romano manus conferere. Masanissæ ex omni equitatu quod roboris esset, tria millia equitum expleri: eúmque vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari. His decretis, ad exequenda quæ statuerat, duces digressi. Hæc eo anno in Hispania acta. Romæ fama Scipionis in dies crescere. Fabio Tarentum captum astu magis quàm virtute, gloriæ tamen esse. Fuluii senescere famam. Marcellus etiam aduerso rumore esse, super quàm quòd primò malè pugnauerat, quia vagante per Italiam Annibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis. Is iam à prima pugna quæ aduersa fuerat, assiduis concionibus infamem inuisúmque plebi Claudium fecerat, & iam de imperio abrogando eius agebat: cùm tamen necessarii Claudii obtinuerunt, vt relicto Venusiæ legato, Marcellus Romam veniret ad purganda ea, quæ inimici obiicerent: nec de imperio eius abrogando absente ipso ageretur.

Marcellus accusatur à Bibulo tribuno pl.

Fortè sub idem tempus & Marcellus ad deprecandam ignominiam, & Q. Fuluius consul comitiorum causa Romam venit. Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio est, ingenti concursu plebísque

bisque & omnium ordinum. Accusauit tribunus plebis non Marcellum modò, sed omnem nobilitatem. Fraude eorum, & cunctatione fieri, vt Annibal decimum iam annum Italiam prouinciam habeat, diutius ibi quàm Carthagine vixerit. habere fructum imperii prorogati Marcello populum Romanum. bis cæsum exercitum eius, æstiua Venusiæ sub tectis agere. Hanc tribuni orationem ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, vt non rogatio solùm de imperio eius abrogando antiquaretur, sed postero die consulem eum ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Additur collega T. Quintius Crispinus, qui tum prætor erat. Postero die prætores creati P. Licinius Crassus Diues, pontifex maximus P. Licinius Varus, Sex. Iulius Cæsar, Q. Claudius Flamen. Comitiorum ipsorum diebus solicita ciuitas de Hetruriæ defectione fuit. Principium eius rei ab Arretinis fieri, C. Calpurnius scripserat, qui eam prouinciam proprætor obtinebat. Itaque confestim eò missus Marcellus consul designatus, qui rem inspiceret, ac si digna videretur, exercitu accito bellum ex Apulia in Hetruriam transferret. Eo metu compressi Hetrusci quieuerunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate, ac legibus suis, responsum ab senatu est, vt redirent cùm Fabius consul Romam venisset. Ludi & Romani & plebeii eo anno in singulos dies instaurati. Aediles curules fuêre L. Cornelius Caudinus, & Ser. Sulpicius Galba: plebeii, C. Seruilius, & Q. Cæcilius Metellus. Seruilium negabant iure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse, quòd patrem eius, quem triumuirum agrarium occisum à Boiis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat, viuere, atque in hostium potestate esse satis constabat. Vndecimo anno Punici belli consulatum inierunt M. Marcellus quintùm (vt numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) & T. Quintius Crispinus. Vtrique consulum Italia decreta prouincia est, & duo consulum prioris anni exercitus: tertius cum erat Venusiæ, cui M. Marcellus præfuerat: ita vt ex tribus eligerent duos quos vellent, tertius ei traderetur cui Tarentum & Salentini prouincia euenisset. Cæteræ prouinciæ ita diuisæ prætoribus, P. Licinio Varo vrbana, P. Licinio Crasso pont. max. peregrina, & quò senatus censuisset: Sex. Iulio Cæsari Sicilia, Q. Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum imperium in annum est Q. Fuluio Flacco, vt prouinciam Capuam, quæ T. Quintii prætoris fuerat, cum vna legione obtineret. Prorogatum & C. Hostilio Tubulo est, vt proprætor in Hetruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio. Prorogatum & L. Veturio Philoni est, vt proprætor Galliam eandem prouinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret, quibus prætor obtinuisset. Quod in L. Veturio, idem in C. Aurunculeio decretum ab senatu, latúmque de prorogando imperio ad populum est. qui prætor Sardiniam prouinciam cum duabus legionibus obtinuerat. additæ ei ad præsidium prouinciæ quinquaginta longæ naues, quas P. Scipio ex Hispania misisset. Et P. Scipioni, & M. Syllano suæ Hispaniæ, suique exercitus in annum decreti. Scipio ex octuaginta nauibus, quas aut secum ex Italia adductas, aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere iussus: quia fama erat, magnum naualem apparatum eo anno Carthagine esse: c c nauibus omnem oram Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ impleturos. Et in Sicilia ita diuisa res est. Sex. Cæsari exercitus Cannensis est datus. M. Valerius Leuinus (ei quoque enim in annum prorogatum imperium est) classem quæ ad Siciliam erat, nauium l x x obtineret. adderet eò x x x naues, quæ ad Tarentum priore anno fuerant. cum ea centum nauium classe, si videretur ei, prædatum in Africam traiiceret. Et P. Sulpitio, vt eadem classe Macedoniam Græciámque prouinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus quæ ad vrbem Romam fuerant, legionibus nihil mutatum. Supplementum, quo opus esset, vt scriberent, consulibus permissum. Vna & viginti legionibus eo anno defensum imperium Romanum est. Et P. Licinio Varo prætori vrbis negotium datum, vt naues longas x x x veteres reficeret, quæ Hostiæ erant, & viginti nouas naues sociis naualibus compleret, vt quinquaginta nauium classe oram maris vicinam vrbi Romæ tueri posset. C. Calpurnius vetitus ab Arretio mouere exercitum, nisi cùm successor venisset. Idem & Tubulo imperatum, vt inde præcipuè caueret ne qua noua consilia orirentur. Prætores in prouincias profecti. Consules religio tenebat, quòd prodigiis aliquot nuntiatis, non facilè litabant. Ex Campania nuntiata erant, Capuæ duas ædes, Fortunæ & Martis, & sepulchra aliquot de cælo tacta: cum iis (adeò minimis etiam rebus praua religio inserit deos) mures in æde Iouis aurum rosisse. Casini examen apum ingens in foro consedisse. Et Hostiæ murum, portámq; de cælo tactam. Cære vulturium volasse in ædem Iouis. Vulsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum causa diem vnum supplicatio fuit. Per dies aliquot hostiæ maiores sine litatione cæsæ, diúque non impetrata pax deûm. in capita consulum, Republ. incolumi, exitiabilis prodigiorum euentus vertit. Ludi Apollinares Q. Fuluio, Ap. Claudio c o s s. à Cornelio Sulla prætore vrbis primùm facti erant. inde omnes deinceps prætores vrbani fecerant: sed in vnum annum vouebant, diéque incerta faciebant. Eo anno pestilentia grauis incidit per vrbem, agrósque, quæ tamen magis in longos morbos quàm in perniciales euasit. Eius pestilentiæ causa, & supplicatum per compita tota vrbe est, & P. Licinius Varus prætor vrbis legem ferre ad populum iussus, vt hi ludi in perpetuum in statam diem vouerentur. Itaque ipse primus ita vouit, fecitq; ad III Nonas Quintiles. is dies deinde solennis seruatus. De Arretinis, & fama in dies grauior, & cura crescere patribus. Itaq; C. Hostilio scriptũ est, ne differret obsides ab Arretinis accipere, cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio missus. qui vt aduenit, extemplò Hostilius legionem vnam, quæ ante vrbem castra habebat, signa in vrbem ferre iussit, præsidiáque locis idoneis disposuit. tum in foro citatis senatoribus obsides imperauit. Cùm senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplò dare, aut se postero die senatorum omneis liberos sumpturum, edixit. inde portas custodire iussit tribunos militum, præfectósq; sociûm & centuriones, ne quis nocte vrbe

Marginalia: *Marcellus omniũ centuriarũ consensu consul creatur.* — *Hetruriæ defectio.* — *Prouinciarum diuisio.* — *Prodigia.* — *Apollinares ludi.* — *Pestilentia.* — *C. Hostilius obsides Arretinis imperat.*

A vrbe exiret. Id segnius, negligentiúsque factum. septem principes senatus, prius quàm custodiæ in
portis locarentur, ante noctem cum liberis euaserunt. Postero die luce prima cùm senatus in forum
citari cœptus esset, desiderati, bonáque eorum venierunt. à cæteris senatoribus c x x obsides, liberi
ipsorum accepti, traditíque C. Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quàm antè fue-
rant, in senatu fecit. itaque tanquam imminente Hetrusco tumultu, legionem alteram ex vrbanis
Arretium ducere iussus ipse C. Terentius, eámque habere in præsidio vrbis. C. Hostilium cum cæ-
tero exercitu placuit totam prouinciam peragrare, & cauere ne qua occasio nouare cupientibus res
daretur. C. Terentius vt Arretium cum legione venit, claues portarum cùm magistratus poposcis-
set, negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quàm negligentia intercidisse, ipse alias cla-
ues omnibus portis imposuit: cauítque, cum cura vt omnia in potestate sua essent. Hostilium intentins
monuit, vt in eo spem non moturos quicquam Hetruscos poneret, si ne quid mouere possent, præca-
uisset. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, defendente ipso quos ce-
perat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanorum noxæ, pœnæque. s. c. in senten-
tiam M. Acilii factum est, vt oppidum præsidio custodiretur: Tarentiníque omnes intra mœnia con-
tinerétur: res integra postea referretur, cum tranquillior status Italiæ esset. Et de M. Liuio præfecto ar-
cis Tarentinæ haud minore certamine actum est, aliis sententiis notantibus præfectum, quòd eius se-
cordia Tarentum proditum hosti esset: aliis præmia decernentibus, quòd per quinquennium arcem
tutatus esset, maximéque vnius eius opera receptum Tarentum foret. mediis ad censores, non ad se-
natum cognitionem de eo pertinere dicentibus. cuius sententiæ & Fabius fuit. adiecit tamen, fateri se
opera Liuii Tarentum receptum, quod amici eius vulgo in senatu iactassent. neq; enim recipiendum
fuisse, nisi amissum foret. Consulum alter T. Quintius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fuluius Flac-
cus habuerat, cum supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ animo
religiones tenebant. in quibus, quòd, cùm bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vo-
uisset, dedicatio eius à pontificibus impediebatur: quòd negabant vnam cellam amplius quàm vni
deo rectè dedicari. quia si de cælo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio fo-
ret: quod vtri deo diuina res fieret, sciri non posset. neque enim duobus, nisi certis deis ritè vna hostia
fieri. Ita addita Virtutis ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt. Tum
demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros
in Brutiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse fabio Tarentum ferebatur,
omne genus tormentorum, machinarúmque ex Sicilia accersierat: & naues indidem accitæ erant,
quæ vergentem ad mare partem vrbis oppugnarent. Ea omissa oppugnatio est, quia Lacinium Anni-
B bal admouerat copias: & collegam eduxisse iam à Venusia exercitum fama erat, cui coniungi vo-
lebat. Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum, & inter Venusiam Brutiámque minus trium millium
passuum interuallo consules binis castris consederant. In eandem regionem & Annibal rediit, auer-
so ab Locris bello. Ibi consules ambo ingenio feroces propè quotidie milites in aciem excire, haud
dubia spe, si duobus exercitibus consularibus iunctis commisisset sese hostis, debellari posse. Annibal
quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat, victúsque erat: vt cum eodem si dimicandum
foret, nec spem nec metum ex vano haberet: ita duobus consulibus haudquaquam sese parem futu-
rum credebat. Itaque totus in suas artes auersus, insidiis locum quærebat. Leuia tamen prælia inter
bina castra vario euentu fiebant. quibus cùm extrahi æstatem posse consules crederent, nihilominus
oppugnari Locros posse rati, L. Cincio, vt ex Sicilia Locros cum classe traiiceret, scribunt. Et vt ab ter
ra quoque oppugnari mœnia possent, ab Tarento partem exercitus, quæ in præsidio erat, duci eò ius-
serunt. Et ita futura per quosdam Thurinos comperta Annibali cùm essent, mittit ad insidendam ab
Tarento viam. Ibi sub tumulo Petelliæ equitum duo, peditum tria millia in occulto locata: in quæ
inexploratò euntes Romani cùm incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, & mille & c c fermè viui
capti. alii dissipati fuga per agros, saltúsque Tarentum redière. Tumulus erat syluestris inter Punica
& Romana castra, ab neutris primò occupatus: quia Romani qualis pars eius, quæ vergeret in ho-
stium castra, esset, ignorabant. Annibal insidiis, quàm castris aptiorem eum crediderat, itaque nocte
ad id missas aliquot Numidarum turmas medio in saltu condiderat. quorum interdiu nemo ab statio-
ne mouebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris Romanis, oc-
cupandum eum tumulum esse, & castello firmandum: ne, si occupatus ab Annibale foret, velut in cer
uicibus haberent hostem. Mouit ea res Marcellum. & collegæ, Quin imus, inquit, ipsi cum equitibus
paucis exploratum? subiecta res oculis certius dabit consilium. Adsentiente Crispino, cum equitibus
ducentis & viginti, ex quibus quadraginta Fregellani, cæteri Hetrusci erant, proficiscuntur. Secuti
M. Marcellus consulis filius, & A. Manlius, tribuni militum, simul & duo præfecti sociûm, L. Aren-
nius, & M. Aulius. Immolasse eo die quidam memoriæ prodidere Consulem Marcellum, & prima
hostia cæsa, iecur sine capite inuentum, in secũda omnia comparuisse, quæ assolent. Auctum etiã visum
in capite: nec id sanè aruspici placuisse, quòd secundum trunca & turpia exta, nimis læta apparuissent.
Cæterũ consulẽ Marcellũ tanta cupiditas tenebat dimicandi cũ Annibale, vt nunquã satis castra castris
collata diceret. Tum quoq; vallo egrediens signũ dedit, vt ad locũ miles esset paratus: si collis, in quẽ
speculatum irent, placuisset, vasa colligerent, ac sequerentur. Exiguum campi ante castra erat, inde in
collem aperta vndique, & conspecta ferebat via. Numidis speculator nequaquam in spem tantæ rei
positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum causa longius à castris progressos possent excipere, si-
gnum dat, vt pariter ab suis quisq; latebris exorirẽtur. Non antè apparuère, quibus obuiis ab iugo ipso
consurg

De Tarentinis Senatus consultum.

Liuius arcis Tarentinæ præfectus accusatur.

Virtutis ædes.

Annibal collem inter castra sitũ occupat.

Marcelli cupiditas dimicandi cũ Annibale.

consurgendum erat, quàm circumiêre qui ab tergo intercluderent viam. Tum vndique omnes exor- A
ti, & clamore sublato impetum fecêre. Cùm in ea valle consules essent, vt neque euaderent in iugum
occupatum ab hoste, nec receptum ab tergo circumuenti haberent: extrahi tamen diutius certamen
potuisset, ni cœpta ab Hetruscis fuga pauorem cæteris iniecisset. Non tamen omisere pugnam deserti
ab Hetruscis Fregellani, donec integri consules hortando, ipsique ex parte pugnando rem sustine-

Marcellus consul lancea transfixus.

bant. Sed postquam vulneratos ambos consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem
ex equo moribundum vidêre, tum & ipsi (perpauci autem supererant) cum Crispino consule duobus
iaculis icto, & Marcello adolescente, saucio & ipso, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus militũ,
& ex duobus præfectis sociûm M. Aulius occisus, L. Arennius captus. & lictores consulum quinque
viui in hostium potestatem venerunt. cæteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt. equites tres
& XL aut in prælio, aut in fuga ceciderunt: duodeuiginti viui capti. Tumultuatum & in castris fuerat,
vt consulibus irent subsidio: cùm consulem, & filium alterius consulis saucios, exiguásque infelicis ex-
peditionis reliquias ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli cùm alioqui miserabilis fuit: tum quòd
nec pro ætate, (maior iam enim LX annis erat) neque pro veteris prudentia ducis, tam improuidè se

De Marcelli morte variant authores.

collegámque, & propè totam Rempub. in præceps dederat. Multos circa vnam rem ambitus fecerim,
si quæ de Marcelli morte variant authores, omnia exequi velim. Vt omittam alios, C. Læuius triplicem
rei gestæ ordinem edit: vnam traditam fama: alteram scripta laudatione filii, qui rei gestæ interfuerit:
tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Cæterùm ita fama variat, vt tamen plerique lo-
ci speculandi causa castris egressum, omnes insidiis circumuentum tradant. Annibal magnum terro-
rem hostibus morte consulis vnius, vulnere alterius iniectum esse ratus, ne cui deesset occasioni, castra
in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplò transfert. ibi iuuentum Marcelli corpus sepelit. Crispi-
nus & morte collegæ, & suo vulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos na-
ctus est monteis: in iis loco alto & tuto vndique castra posuit. Ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter
ad inferendam, alter ad cauendã fraudem. Annulo Marcelli simul cum corpore Annibal potitus erat.
eius signi errore ne qui dolus necteretur à Pœno, metuens Crispinus, circa ciuitates proximas mise-
rat nuntios: occisum collegam esse, annulóque eius hostem potitum: ne quibus literis crederent nomi
ne Marcelli compositis. Paulò antè hic nuntius consulis Salapiam venerat, cùm literæ ab Annibale
allatæ sunt, Marcelli nomine compositæ: se nocte, quæ diem illum secutura esset, Salapiam venturum.

Salapiani fraudem Annibalis eludunt.

parati milites essent, qui in præsidio erant, si quo opera eorum opus esset. Sensere Salapiani fraudem: &
ab ira non defectionis modò, sed etiam equitum interfectorum rati occasionem supplicii peti, remisso
retro nuntio, (perfuga autem Romanus erat) vt sine arbitro milites quæ vellent agerent, oppidanos
per muros vrbísque opportuna loca in stationibus disponunt: custodias, vigiliásque in eam noctem B
intentius instruunt: circa portam, qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat, op-
ponunt. Annibal quarta vigilia fermè ad vrbem accessit. Primi agminis erant perfugæ Romanorum,
& arma Romana habebant. ii vbi ad portam est ventum, latinè omnes loquentes excitant vigiles: ape
riríque portam iubent. consulem adesse. Vigiles velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare,
moliri. porta cataracta deiecta clausa erat. eam partim vectibus leuant: partim funibus subducunt in
tantum altitudinis, vt subire recti possent. Vix dum satis patebat iter, cùm perfugæ certatim ruunt per
portam: & cum sexcenti fermè intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu ceci-
dit. Salapiani, alii perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, vt inter pacatos, gerentes arma
inuadunt: alii è turribus portæ murísque saxis, sudibus, pilis absterrent hostem. Ita inde Annibal sua-

Annibal ad soluendã Locrorum obsidionẽ proficiscitur.

metipse fraude captus abiit: profectúsque ad Locrorum soluendam obsidionem, quam Cincius sum-
ma vi, operibus, tormentorúmque omni genere ex Sicilia aduecto oppugnabat. Magoni iam haud fer
mè fidenti, retenturum defensurúmque se vrbem, prima spes morte nuntiata Marcelli affulsit: secutus
inde nuntius, Annibalem Numidarum equitatu præmisso, ipsum quantum accelerare posset, cum pe-
ditum agmine sequi. Itaque vbi primùm Numidas edito speculis signo aduẽtare sensit, & ipse patefa-
cta repentè porta ferox in hostes erumpit. Et primò, magis quia improuiso id fecerat, quàm quòd par
viribus esset, anceps certamen erat. deinde vt superuenere Numidæ, tantus pauor Romanis est inie-
ctus, vt passim ad mare ac naues fugerent, relictis operibus machinísque, quibus muros quatiebant.
Ita aduentu Annibalis soluta Locrorum obsidio est. Crispinus postquam in Brutios profectum Anni-
balem sensit, exercitum cui collega præfuerat, M. Marcellum tribus. mil. Venusiam abducere iussit.
ipse cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ grauitate vulnerum patiens,

Crispini cos. literæ ad Senatũ.

Romam literas de morte collegæ scripsit, quantóque ipse in discrimine esset. Se comitiorum causa non
posse Romam venire: quia nec viæ laborem passurus videretur, & de Tarento solicitus esset, ne ex
Brutiis Annibal eò conuerteret agmen. legatos opus esse ad se mitti viros prudenteis, cum quibus
quæ vellet, de Repub. loqueretur. Hæ literæ recitatæ, & magnum luctum morte alterius consulis, & me
tum de altero fecerunt. Itaque & Q. Fabium filium ad exercitum Venusianum miserunt: & ad consu-
lem tres legati missi, Sex. Iulius Cæsar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Alimentius, cùm paucis autè die-
bus ex Sicilia redisset. Hi nuntiare consuli iussi, vt si ad comitia ipse Romam venire non posset, dicta-
torem in agro Romano diceret comitiorum causa. si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium
Prætorem placere in eam regionẽ inde abducere legiones, in qua plurimas sociorum vrbes tueri pos-
set. Eadem æstate M. Valerius cum classe centum nauium ex Sicilia in Africam transmisit: & ad Clu-
peam vrbem exscensione facta, agrum latè nullo fermè obuio armato vastabat. inde ad naues raptim
prædatores recepti, quia repente fama accidit, classem Punicam aduentare. LXXX erant & tres naues.

Cum

A Cum iis haud procul Clupea prosperè pugnat Romanus. Decem & octo nauibus captis, fugatis aliis,cum magna terrestri naualíque præda Lilybæum rediit.Eadem æstate & Philippus implorantibus Achæis auxilium tulit.quos & Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello vrebat:& Aetoli nauibus per fretum,quod Naupactũ & Patras interfluit (Rhion incolæ vocant) exercitu traiecto,depopulati erant.Attalum quoque regem Asiæ,quia Aetoli summum gentis suæ magistratum ad eum proximo concilio detulerant,fama erat in Europam traiecturum. Ob hæc Philippo in Græciam descendenti ad Lamiam vrbem Aetoli duce Physia,qui prætor in eum annum cum absente Attalo creatus erat,occurrerunt.Habebant & ab Attalo auxilia secũ:& mille fermè ex Romana classe à P.Sulpitio missos. Aduersus hunc ducem,atque has copias Philippus bis prospero euentu pugnauit:multos admodum hostium vtraque pugna occidit.Inde cum Aetoli metu compulsi Lamiæ vrbis mœnibus tenerent sese,Philippus ad Phalerã exercitum reduxit.In Maliaco sinu is locus est,quondam frequenter habitatus propter egregium portum,tutásque circà stationes, & aliam opportunitatem maritimam,terrestrémque.Eò legati ab rege Aegypti Ptolemæo Rhodiísque & Atheniensibus & Chiis venerunt,ad dirimendum inter Philippum atque Aetolos bellum. Adhibitus ab Aetolis ex finitimis pacificator Aminander rex Athamanum. Omnium autem non tanta pro Aetolis cura erat, ferocioribus quàm pro ingeniis Græcorum gentis: quàm ne Philippus regnúmque eius,graue libertati futurum,rebus Græciæ immisceretur.De pace dilata cõsultatio est in conciliũ Achæorum:conciliõque ei & locus,& dies certa indicta.interim triginta dierum induciæ impetratæ.Profectus inde rex per Thessaliam Bœotiámque, Chalcidem Eubœæ venit,vt Attalum, quem classe Eubœam petiturũ audierat,portubus & litorum appulsu arceret. Inde præsidio relicto aduersus Attalũ,si fortè interim traiecisset,profectus ipse non cũ paucis equitum,leuísque armaturæ, Argos venit.Ibi curatione Hereorum,Nemeorúmque suffragiis populi ad eum delata,quia se Macedonum reges ex ea ciuitate oriundos referunt:Hereis peractis,ab ipso ludicro extẽplò Rhium profectus est ad indictũ multo antè sociorũ concilium.Ibi de Aetolico finiendo bello actũ,causa aut Romanis,aut Attalo intrandi Græciã esset.Sed ea omnia vixdũ induciarũ tempore circumacto, Aetoli turbauere:postquã & Attalum Aeginã venisse,& Romanã classem stare ad Naupactũ audiuere. Vocati enim in conciliũ Achæorũ,in quo eædẽ legationes erant,quæ ad Phalerã egerant de pace:primùm questi sunt quædã contra fidem cõuentionis tempore induciarũ facta:postremò negarunt dirimi bellum posse,nisi Messeniis Achæi Pylum redderent: † Sationis restitueretur Athamanis,Scerdileto & Pleurato Parthini.id verò indignum ratus Philippus,victos victori sibi vltro conditiones ferre:ne antea quidem se aut de pace audisse,aut inducias pepigisse dixit,spem vllam habentẽ quie-
B turos Aetolos:sed vt omnes socios testes haberet,se pacis,illos belli causam quæsisse.Ita infecta pace concilium dimisit,quatuor millibus armatorum relictis ad præsidium Achæorũ,& quinque longis nauibus acceptis.quas si adiecisset missæ nuper ad se classi Carthaginiensium,& ex Bithynia ab rege Prusia venientibus nauibus,statuerat nauali prælio lacessere Romanos,iamdiu in ea regione potentes maris:ipse ab eo concilio Argos regressus.iam enim Nemeorum appetebat tempus,quæ celebrari volebat præsentia sua. Occupato rege apparatu ludorum,& per dies festos licentius quàm inter belli tempora remittente animum, P. Sulpitius ab Naupacto profectus classem appulit inter Sicyonem & Corinthum,agrúmque nobilissimæ fertilitatis effuse vastauit.Fama eius rei Philippum ab ludis exciuit: raptímque cum equitatu profectus,iussis subsequi peditibus,palatos passim per agros,grauésque præda,vt qui nihil tale metuerẽt,adortus Romanos compulit ad naues.Classis Romana haudquaquam læta præda Naupactum rediit. Philippus ludorum quoque qui reliqui erant, celebritatem quantæcunque de Romanis tum victoriæ partæ fama auxerat. lætitiáque ingenti celebrati festi dies:eo magis etiam,quòd populariter dempto capitis insigni, purpura atque alio regio habitu,æquauerat cæteris se in speciem:quo nihil gratius est ciuitatibus liberis. Præbuissétque haud dubiam eo facto spem libertatis,nisi omnia intoleranda libidine fœda ac deformia effecisset.vagabatur enim cum vno aut altero comite per maritimas domos dies noctésque: & submittendo se in priuatum fastigium,quo minus conspectus,eo solutior erat:& libertatem cùm aliis vanam ostendisset,totam in suam licentiam verterat.Neque enim omnia emebat aut eblandiebatur,sed vim etiam flagitiis adhibebat:periculosúmque & viris & parentibus erat,moram incommoda seueritate libidini regiæ fecisse.vni etiam principi Achæorum Arato adempta vxor nomine Polycratia,ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. Per hæc flagitia solenni Nemeorum peracto, paucísque additis diebus,Dymas est profectus ad præsidium Aetolorum,quod ab Eleis accitum acceptúmque in vrbem erat,eiiciendum. Cycliadas (penes eum summa imperii erat) Achæique ad Dymas regi occurrere:& Eleorum accensi odio,quòd à cæteris Achæis dissentirent:& infensi Aetolis,quos Romanum quoque aduersus se mouisse bellum credebant.Profecti à Dymis,cõiuncto exercitu transeunt Larissum amnem,qui Eleum agrum ab Dymeo dirimit.Primum diem,quo fines hostium ingressi sunt,populando absumpserunt.Postero die acie instructa ad vrbem accesserunt,præmissis equitibus,qui obequitando portis promptum ad excursiones genus lacesserent Aetolorum. Ignorabant Sulpitium cum quindecim nauibus ab Naupacto Cyllenem traiecisse: & expositis in terram quatuor millibus armatorum silentio noctis,ne conspici agmen posset,intrasse Elim. Itaque improuisa res ingentem iniecit terrorem,postquam inter Aetoles Eleósque Romana signa atque arma cognouere.Et primò recipere suos voluerat rex:dein contracto iam inter Aetolos & Triballos (Illyriorum id est genus) certamine,cùm vrgeri videret suos,& ipse rex cum equitatu in cohortem

Nauali pugna Pœnos Romani uincunt.

Philippus prosperè pugnat aduersus Aetolos & socios.

De dirimendo inter Aetolos & Philippum bello legationes.

† Codex Ald. pax Romanis restitueretur, Athamanis, Scerdileto, Pleurato, & Archidi.

Ludi Nemei.

Philippi flagitiosæ libidines.

Philippus Dymas proficiscitur.

Philippus Eleum agrũ populatur.

A

Philippus in cohortē Romanam incurrit.

Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus, cùm prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna vtrinque accensa est:& ab Romanis impetu in regem facto,& protegentibus regiis. Insignis & ipsius pugna fuit, cùm pedes inter equites coactus esset prælium inire. deinde cùm iam impar certamen esset, caderéntque circa eum multi,& vulnerarētur, raptus ab suis, atque alteri equo iniectus fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab vrbe Eleorum posuit. postero die omneis copias ad propinquum Eleorum castellum, (Pyrgum vocant) duxit: quò agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat. eam inconditam inermémque multitudinem primo statim terrore adueniens cepit: compensauerátque ea præda, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat. Diuidenti prædam, captiuósque (fuerunt autem quatuor millia hominum, pecorúmque omnis generis ad viginti millia) nuntius ex Macedonia venit: Eropum quendam corrupto arcis præsidiíque præfecto, Lychnidum cepisse: tenere & Dassaretiorum quosdam vicos,& Dardanos etiam concire.

Philippus ab Aetolico bello reuocatur ob domesticas seditiones,

Omisso igitur Achaico atque Aetolico bello, relictis tamen duobus millibus & quingentis omnis generis armatorum, cum Menippo & Polyphante ducibus ad præsidium sociorū, profectus ab Dymis per Achaiam Bœotiámque & Bebœidem, decimis castris Demetriadem in Thessaliam peruenit. Ibi alii maiorem afferentes tumultum nuntii occurrunt: Dardanos in Macedoniam effusos Orestidem iam tenere, ac descendisse in Aestræum campum: famámque inter barbaros celebrē esse, Philippum occisum. Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnauit: in arborem illatus impetu equi ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit. id inuentum ab Aetolo quodam, perlatúmque in Aetoliam ad Scerdiletum, cui notum erat insigne galeæ: famam interfecti regis vulgauit. Post profectionem ex Achaia Philippi Sulpitius Aeginam classe profectus cum Attalo sese coniunxit. Achæi cum Aetolis, Eleísque haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt. Attalus rex,& P. Sulpitius Aeginæ hybernarunt. Exitu huius anni T. Quintius consul, dictatore comitiorum ludorúmque faciendorum causa dicto L. Manlio Torquato, ex vulnere moritur. Alii Tarenti, alii in Campania mortuum tradunt. Id quod nullo antè bello acciderat : duo consules sine memorãdo prælio interfecti, velut orbam rempub. reliquerant. Dictator Manlius magistrū equitum C. Seruilium (tum ædilis curulis erat) dixit. Senatus quo die primùm est habitus, ludos magnos facere dictatorem iussit, quos M. Aemylius prætor vrb. C. Flaminio, Cn. Seruilio consulibus, fecerat.&

Ludi magni.

in quinquennium vouerat. Tum dictator & ludos fecit,& insequens lustrum vouit. Cæterùm cùm duo consulares exercitus tam prope hostem sine ducibus esseot, omnibus aliis omissis, vna præcipua cura patres populúmque incessit, consules primo quoque tempore creandi:& vt eos potissimū crearent, quorum virtus satis tuta à fraude Punica esset. Cùm toto eo bello damnosa, præpropera ac feruida ingenia imperatorum fuisse: tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conferendi cum ho- B ste manum in nec opinatam fraudem lapsos esse. cæterum deos immortales misertos nominis Romani, pepercisse innoxiis exercitibus: temeritatem consulū ipsorum capitibus damnasse. Cùm circunspicerent patres, quósnam consules facerent, longè ante alios eminebat C. Claudius Nero. ei collega quærebatur.& virum quidem eum egregium ducebant: sed promptiorem acriorémque, quàm tempora belli postularent, aut hostis Aonibal. temperandum acre eius ingenim moderato & prudenti viro adiuncto collega censebant. M. Liuius erat multis antè annis ex consulatu populi iudicio da-

M. Liuius consulatum recusat.

mnatus. quam ignominiã adeò ægrè tulerat, vt & rus migrarit:& per multos annos & vrbe,& omni cœtu caruerit hominum. octauo fermè post damnationem anno M. Claudius Marcellus,& M. Valerius Leuinus consules reduxerant eum in vrbem. sed erat veste obsoleta, capillóque & barba promissa, præferens in vultu babitúque insignem memoriam ignominiæ acceptæ. L. Veturius,& P. Licinius censoreseum tondere,& squallorem deponere,& in senatum venire, fungíque aliis publicis muneribus coegerunt. sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, dooec cognati hominis eum causa M. Liuii Macati, cùm de fama eius ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto interuallo auditus conuertit ora hominum in se, causámque sermonibus præbuit, mdigno iniuriam à populo factam, magnóque id damno fuisse, quòd tam graui bello nec opera nec consilio talis viri vsa respub. esset. C. Neroni neque. Q. Fabium, neque M. Valerium Leuinū dari collegas posse, quia duos patricios creari non liceret, eandem causam in T. Manlio esse, præterquam quòd recusasset delatum consulatum, recusaturúsque esset. egregium par cõsulum fore, si M. Liuium C. Claudio collegam adiunxissent. Nec populus mentionem eius rei ortam à patribus est aspernatus. Vnus eam rem in ciuitate, is cui deferebatur honos, abnuebat: leuitatem ciuitatis accusans. Sordidati rei non misertos, candidam togam inuito offerre: eodeni honores, pœnásque congeri. si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent: si noxium comperissent, quid ita malè credito priore consulatu, alterum crederent? Hæc taliáque arguentem,& querentem castigabant patres,& M. Furium memorantes reuocatum de exilio, patriam pulsam sede sua restituisse: vt parentum sæuitiam, sic patriæ patiendo ac ferendo leniendam esse. Adnixi omnes cum C. Claudio M. Liuiū con-

M. Liuius cum Claudio Nerone fit consul.

sulem fecerunt. Post diem tertium eius diei prætorum comitia habita. Prætores creati L. Porcius Licinius, C. Manlius, A.& C. Hostilii Catones. Comitiis perfectis, ludísque factis, dictator & magister equitum magistratu abierunt. C. Terentius Varro in Hetruriam proprætor missus, vt ex ea prouincia C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum iret, quem T. Quintius consul habuerat.& L. Manlius trans mare legatus iret, viserétque quæ res ibi gererentur: simul, quòd Olympiæ ludierum ea æstate futurū erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur: vt si tutò per hostem posset, adiret id consiliū: vt qui Siculi bello ibi profugi, aut Tarentini ciues relegati ab Annibale essent, domos redirene: sci-

réntque

A réntque ſua omnia, quæ ante bellum habuiſſent, reddere populum Romanum. Quia periculoſiſsimus
annus imminere videbatur, neque conſules in republica erant, in conſules deſignatos omnes verſi,
quamprimum eos ſortiri prouincias, & præſciſcere quam quiſque eorum prouinciam, quem hoſtem
haberet, volebant. De reconciliatione etiam gratiæ eorũ in ſenatu actum eſt, principio facto à Q. Fa-
bio Maximo. Inimicitiæ autẽ nobiles inter eos erant, & acerbiores eas, indignioréſque Liuio ſua ca-
lamitas fecerat, quòd ſpretum ſe in ea fortuna credebat. itaque is magis implacabilis erat: & nihil
opus eſſe reconciliatione aiebat. acrius & intentius omnia geſturos, timentes ne creſcendi ex ſe ini-
mico collegæ poteſtas fieret. Vicit tamen authoritas ſenatus, vt poſitis ſimultatibus, communi ani-
mo conſilióque adminiſtrarent rempublicam. Prouinciæ iis non permiſtæ regionibus, ſicut ſuperio- *Prouinciarum & exercituum diuiſio.*
ribus annis, ſed diuerſæ extremis Italiæ finibus, alteri aduerſus Annibalem Brutii, Lucani: alteri Gal-
lia aduerſus Aſdrubalem, quem Alpibus appropinquare fama erat, decreta. Exercitum ex duobus,
qui in Gallia, quíque in Hetruria eſſent, addito vrbano eligeret quem mallet, qui Galliã eſſet ſortitus.
Cui Brutii prouincia eueniſſet, nouis legionibus vrbanis ſcriptis, vtrius mallet conſulum prioris anni
exercitum ſumeret. Relictum à conſule exercitum Q. Fuluius proconſul acciperet: eique in annum
imperium eſſet. & C. Hoſtilio, cui pro Hetruria Tarentum mutauerant prouinciam, pro Tarento Ca
puam mutauerunt. legio vna data, cui Fuluius proximo anno præfuerat. De Aſdrubalis aduentu in *Aſdrubalis in Italiam aduētus nuntiatur Romæ.*
Italiam cura in dies creſcebat. Maſsilienſium primùm legati nuntiauerant, eum in Galliam tranſgreſ-
ſum: erectóſque aduentu eius, quia magnũ pondus auri attuliſſe diceretur ad mercede auxilia condu-
cenda, Gallorum animos. miſsi deinde cũ iis legati ab Roma Sex. Antiſtius, & M. Retius ad rem in-
ſpiciendam, retulerant, miſiſſe ſe cum Maſsilienſibus ducibus, qui per hoſpites eorum principes Gal-
lorum omnia explorata referrent. pro comperto habere, Aſdrubalẽ ingenti iam coacto exercitu pro
ximo vere Alpeis traiecturum: nec tum eum quicquam aliud morari, niſi quòd clauſæ hyeme Al-
pes eſſent. In locum M. Marcelli L. Aquilius Pætus augur creatus, inauguratúſque. Et Cn. Cornelius
Dolabella rex ſacrorum inauguratus eſt in locum M. Martii, qui biennio antè mortuus erat. Hoc eo- *Luſtrum conditur.*
dem anno & luſtrum conditum eſt à cenſoribus P. Sempronio Tuditano, & M. Cornelio Cethego.
Cenſa ciuium capita CXXXVII millia C. & VIII. minor aliquanto numerus quàm qui ante bel-
lum fuerat. Eo anno primùm, ex quo Annibal in Italiam veniſſet, comitium tectũ eſſe, memoriæ pro-
ditum eſt, & ludos Romanos ſemel inſtauratos ab ædilibus curulibus Q. Metello, & C. Seruilio, & ple
beiis ludis biduum inſtauratum ab Q. Manlio, & M. Cæcilio Metello ædilibus plebis. & tria ſigna ad
Cereris ædem dederunt. & Iouis epulum fuit, ludorum cauſa. Conſulatum inde ineunt C. Claudius Ne *Iouis epulũ.*
ro, & M. Liuius iterũ. qui, quia iam deſignati prouincias ſortiti erant, prætores ſortiri iuſſerunt. C. Ho-
B ſtilio vrbana iuriſdictio euenit: addita & peregrina, vt tres in prouincias exire poſſent. A. Hoſtilio
Sardinia, C. Manlio Sicilia, L. Porcio Gallia euenit. Summa legionum trium & XX. ita per prouincias
diuiſa, binæ conſulum eſſent, quatuor Hiſpania haberet. tres prætores binas, in Sicilia, in Sardinia, &
Gallia: duas C. Terentius in Hetruria, duas Q. Fuluius in Brutiis: duas Q. Claudius circa Tarentum
& Salentinos, vnam C. Hoſtilius Tubulus Capuæ: duæ vrbanæ vt ſcriberentur. primis quatuor legio-
nibus populus tribunos creauit. in cæteras conſules miſerunt. Priuſquàm conſules proficiſcerentur,
nouendiale ſacrum fuit: quia Veiis de cælo lapidauerat. Sub vnius prodigii (vt fit) mentionem alia *Nouendiale ſacrum Prodigia.*
quoque nuntiata. Minturnis ædem Iouis, & lucum Maricæ, item Atellæ murum, & portam de cælo
tactam. Minturnenſes terribilius quod eſſet, adiiciebant, ſanguinis riuum in porta fluxiſſe. Et Capuæ
lupus nocte portam ingreſſus, vigilem laniauerat. Hæc procurata hoſtiis maioribus prodigia & ſup-
plicatio diem vnum fuit ex decreto pontificum. inde iterum nouendiale inſtauratum, quòd in Armi-
luſtro lapidibus viſum pluere. Liberatas religione mẽtes turbauit rurſus nuntiatum, Fruſinone infan-
tem natum eſſe quadrimo parem: nec magnitudine tam mirandum, quàm quòd is quoque, vt Si-
nueſſæ biẽnio antè, incertus mas an fœmina eſſet, natus erat. Id verò aruſpices ex Hetruria acciti, fœ-
dum ac turpe prodigium dicere: extorrem agro Romano procul terræ contactu alto mergendum.
viuum in arcam condidere, prouectúmque in mare proiecerunt. Decreuere item pontifices, vt virgi-
nes ter nouenæ per vrbem euntes carmen canerent. Id cùm in Iouis Statoris æde diſcerent condi- *Virgines ter nouenæ per urbem euntes carmen canunt.*
tum ab Liuio poeta carmen, tacta de cælo ædes in Auentino Iunonis Reginæ. prodigiúmque id ad
matronas pertinere aruſpices cùm reſpondiſſent, donóque diuam placandam eſſe, ædilium curulium
edicto in Capitolium conuocatæ, quibus in vrbe Roma, intráque decimum lapidem ab vrbe domici-
lia eſſent, ipſæ inter ſe quinque & viginti delegerunt, ad quas ex dotibus ſtipem conferrent. inde do-
num peluis aurea facta, latáque in Auentinũ, puréque & caſtè à matronis ſacrificatum. Confeſtim ad
aliud ſacrificium eidem diuæ ab decemuiris edicta dies, cuius ordo talis fuit. Ab æde Apollinis bo-
ues fœminæ albæ duæ porta Carmentali in vrbem ductæ. poſt eas duo ſigna cupreſſea Iunonis regi-
næ portabantur. tum ſeptem & viginti virgines longam indutæ veſtem, carmen in Iunonem reginã
canentes ibant, illa tempeſtate forſitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditũ, ſi
referatur. virginũ ordinem ſequebantur decemuiri coronati laurea, prætextatíque. à porta Iugario vi
co in forum venere. in foro pompa cõſtitit: & per manus reſte data; virgines ſonũ vocis pulſu pedũ
modulantes inceſſerunt. inde vico Tuſco, Velabróque per Boarium forum in cliuũ Publicium, atque
ædem Iunonis reginæ perrectũ. ibi duæ hoſtiæ ab decemuiris immolatæ, & ſimulachra cupreſſea in
ædem illata. Diis ritè placatis, delectum conſules habebant acrius intentiúſque, quàm prioribus an-
nis quiſquam meminerat habitum. nam & belli terror duplicatus noui hoſtis in Italiam aduentu: & *Sacroſancta uacatio.*
minus iuuentutis erat, vnde ſcriberent milites. itaque colonos etiã maritimos, qui ſacroſanctam va-

cationem dicebantur habere,dare milites cogebant.quibus recusantibus edixere in diem certam,vt A quo quisque iure vacationem haberet,ad senatum deferret.Ea die hi populi ad senatũ venerunt:Hostiensis,Alsiensis,Antiâs,Anxurâs,Minturnensis,Sinuessanus,& à supero mari Senẽsis.Cùm vacationes suas quisque populus recitaret,nullius,cũ in Italia hostis esset,præter Antiatẽ Hostiensémque,vacatio obseruata est.& earum coloniarũ iuniores iureiurando adacti,supra dies triginta nõ pernoctaturos se esse extra mœnia coloniæ suæ,donec hostis in Italia esset.Cùm omnes censerent,primo quoque tempore consulibus eundum ad bellum(nam & Asdrubali occurrendum esse descendẽti ab Alpibus,ne Gallos Cisalpinos,néve Hetruriam erectam in spem rerũ nouarum solicitaret,& Annibalẽ suo proprio occupandũ bello,ne emergeret ex Brutiis,atque obuiam fratri ire posset)Liuius cunctabatur,parum fidens suarum prouinciarũ exercitibus:collegam ex duobus cõsularibus egregiis exercitibus,& tertio,cui Q.Claudius Tarenti præesset,electionem habere.intulerátque meotionem de volonibus reuocandis ad signa.Senatus liberam potestatem consulibus fecit,& supplendi vnde vellent,& eligendi de omnibus exercitibus quos vellent,permutandíque:& ex prouinciis,quos è republica censerent esse,traducendi.Ea omnia cum summa cõcordia consulum acta.Volones in vndeuicesimam & vicesimã legiones scripti.Magni roboris auxilia ex Hispania quoque à P.Scipione Liuio missa quidam ad id bellum authores sunt,octo millia Hispanorũ Gallorúmque,& duo millia de legionibus militum,equitum ad mille octingentos,mistos Numidas Hispanósque. M.Lucretium has copias oauibus aduexisse:& sagittariorum,funditorúmque ad quatuor millia ex Sicilia C.Manlium

Asdrubal Alpes transire nunciatur.

misisse. Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Gallia missæ ab L.Porcio prætore: Asdrubalem mouisse ex hybernis,& iam Alpes transire:octo millia Ligurum conscripta,armatáque, coniuncturáque se transgresso in Italiam esse,nisi mitteretur in Ligures qui eos bello occuparet.se cum inualido exercitu,quoad tutum putaret,progressurum.Hæ literæ consules raptim confecto delectu maturius quã constituerant,exire in prouincias coegerunt:ea mente,vt vterque hostem in sua prouincia contineret,neque coniungi,aut conferre in vnum vires pateretur.Plurimum in eam rem adiuuit opinio Annibalis:quod etsi ea æstate transiturum in Italiam fratrem crediderat,recordãdo quæ ipse in transitu nunc Rhodani,ounc Alpium,cum hominibus locísque pugnando per quinque menses exhausisset, haudquaquam tam facilem maturúmque transitum expectabat.ea tardius mouendi ex hybernis causa fuit.Cæterùm Asdrubali & sua,& aliorum spe omnia celeriora , atque expeditiora fuere.non

Asdrubalem recipiunt Gallicæ atque Alpinæ gentes.

enim receperunt modò Aruerni eum,deincépsque aliæ Gallicæ atque Alpinæ gentes,sed etiam secutæ sunt ad bellum.& cùm per munita pleraque transitu fratris,quæ antea inuia fuerant,ducebat: tum etiam duodecim annorum assuetudine peruiis Alpibus factis,inter mitiora iam hominũ transibat ingenia.inusitati oanque antea alienigenis,nec videre ipsi aduenam in sua terra assueti,omni ge- B neri humano insociabiles erant.& primò ignari quò Pœnus pergeret,suas rupes suáque castella,& pecorum hominúmque prædam peti crediderant.fama deinde Punici belli, quo duodecimum annum Italia vrebatur,satis edocuerat,viam tantùm Alpeis esse:duas præualidas vrbes,magno inter se maris terrarúmque spatio discretas,de imperio & opibus certare. Hæ causæ aperuerant Alpes Asdrubali.Cæterùm quod celeritate itineris profectum erat,id mora ad Placentiam,dum frustra obsi-

Placentiam obsidet Asdrubal.

det magis,quàm oppugnat,corrupit. Crediderat campestris oppidi facilem expugnationem esse:& nobilitas coloniæ induxerat eum,magnum se excidio eius vrbis terrorem cæteris iniecturum . Non ipse se solùm ea oppugnatione impediit:sed Annibalem post famam transitus eius tanto spe sua celeriorem,iam mouentem ex hybernis,continuerat.quippe reputantem non solùm quàm lenta vrbium oppugnatio esset,sed etiam quàm ipse frustra eandem illam coloniã ab Trebia victor regressus ten-

Romanorũ solicitæ mentes ob Asdrubalis aduentum.

tasset.Consules diuersis itioeribus profecti ab vrbe velut in duo pariter bella,distenderant curas hominum:simul recordantium,quas primus aduentus Annibalis intulisset Italiæ clades:simul,cùm illa angeret cura,quos tam propitios vrbi atque imperio fore deos,vt eodem tempore vtrobique respublica prosperè gereretur.aduersa secundis pensando,rem ad id tempus extractam esse.cùm in Italia ad Thrasymenũ & Cannas præcipitasset Romana respublica,prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse.postea cùm in Hispania alia super aliam clades,duobus egregiis ducibus amissis,duos exercitus ex parte delesset,secunda in Italia Siciliáque gesta quassatam rempublicam excepisse:& ipsum interuallum loci,quod in vltimis terrarum oris alterum bellum gereretur,spatium dedisse ad respirandum.nunc duo bella in Italiam accepta,duos celeberrimi nominis duces circunstare vrbem Romam,& vnum in locum totam periculi molem,omne onus incubuisse.qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero iuncturum. Terrebat & proximus annus lugubris duorum consulum funeribus.His anxii curis homioes digredientes in prouincias consules prosecuti sunt.Memo-

Liuius consul ira in ciues plenus.

riæ proditum est,plenum adhuc ira in ciues M.Liuium ad bellum proficiscentem moneuti Q.Fabio, oe priusquam genus hostium cognosset,temerè manum cõsereret,respondisse:vbi primùm hostium agmen conspexisset,pugnaturum.cùm quæreretur,quæ causa festinandi esset:Aut ex hoste egregiam gloriam,inquit,aut ex ciuibus victis gaudium,meritum certè,etsi nõ honestum,capiam. Priusquam Claudius consul in prouinciam perueniret,per extremum finem agri Larinatis ducentem in Salentinos exercitum Annibalem cum expeditis cohortibus adortus C.Hostilius Tubulus,incomposito

Hostilius Tubulus prospere cũ Annibale pugnauit.

agmini terribilẽ tumultum intulit.Ad quatuor millia hominum occidit , nouem signa militaria cepit.Mouerat ex hybernis ad famam hostis Q.Claudius,qui per vrbes agri Salentini castra disposita habebat.Itaque ne cum duobus exercitibus simul confligeret Annibal,nocte castra ex agro Tarentino mouit,atque in Brutios concessit.Claudius in Salentinos agmen conuertit. Hostilius Capuam

peteos,

A petens, obuius ad Venusiam fit consuli Claudio. Ibi ex vtroque exercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia & quingenti equites, quibus consul aduersus Annibalem rem gereret. reliquas copias Hostilius Capuam ducere iussus, vt Q. Fuluio proconsuli traderet. Annibal vndique contracto exercitu, quem in hybernis, aut in præsidiis agri Brutii habuerat, in Lucanos ad Grumentum venit, spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecissent. eódem à Venusia consul Romanus exploratis itineribus cótendit, & mille ferè & quingentos passus castra ab hoste locat. Grumenti mœnibus propè iunctum videbatur Pœnorum vallum. quingenti passus erant inter castra Punica, ac Romana. interiacebat campus: colles imminebant nudi, sinistro lateri Carthaginiensium, dextro Romanorum, neutris suspecti: quòd nihil syluæ, neque ad insidias latebrarũ habebant. In medio campo ab stationibus procursantes, certamina haud satis digna dictu serebant. Id modò Romanum quærere apparebat, ne abire hostem pateretur. Annibal inde euadere cupiens, totis viribus in aciem descendebat. Tum consul ingenio hostis vsus, quo minus in tam apertis collibus timeri insidiæ poterant: quinque cohortes additis quinque manipulis, nocte iugum superare, & in aduersis vallibus considere iubet: tempus exurgendi ex insidiis, & aggrediendi hostem, T. Claudium Asellum tribunum militum, & P. Claudium præfectum sociũm edocet: quos cum iis mittebat. Ipse luce prima copias omnes peditum, equitúmque in aciem eduxit. Paulo pòst & ab Annibale signum pugnæ propositum est: clamórque in castris ad arma discurrentium est sublatus. inde eques, pedésque certatim portis ruere, ac palati per campum properare ad hostes. Quos vbi effusos consul videt, tribuno militum tertiæ legionis C. Aurunculeio imperat, vt equites legionis quanto maximo impetu posit, in hostem emittat. ita pecorum modo incompositos toto passim campo se fudisse: vt sterni opprimíque, priusquàm instruantur, posśint. Nondum Annibal è castris exierat, cùm pugnantium clamorem audiuit. Itaque excitus tumultu raptim ad hostem copias agit. Iam primos occupauerat equestris terror. peditum etiam prima legio, & dextra ala prælium inibant. incompositi hostes vt quenque aut pediti, aut equiti casus obtulit, ita conserunt manus. crescit pugna subsidiis: & procurrentium ad certamen numero augetur. pugnantésque (quod nisi in veteri exercitu, & duce vetere haud facile est) inter tumultum ac terrorem instruxisset Annibal, ni cohortium ac manipulorum decurrentium per colles clamor ab tergo auditus metum, ne intercluderentur à castris, iniecisset. Inde pauor incussus: & fuga passim fieri cœpta est. minórque cædes fuit, quia propinquitas castrorum breuiorem fugam perculsis fecit. equites enim in tergo inhærebant: in transuersa latera inuaserant cohortes secundis collibus via nuda ac facili decurrentes. tamen supra octo millia hominum occisa: supra septingentos capti: signa militaria nouem adepta. elephanti etiam, quorum nullus vsus in repentina ac tumultuaria

Castra Punica Romanis opposita.

Prælium inter Neronē cons. & Annibalem.

Pœnorum fuga & cædes.

B pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti. Romanorum sociorúmque ducenti ceciderunt. Postero die Pœnus quieuit. Romanus in aciem copiis eductis, posteaquam neminem signa contrà efferre vidit, spolia legi cæsorum hostium, & suorum corpora collata in vnum sepeliri iussit. inde insequentibus continuis diebus aliquot ita institit portis, vt propè inferre signa videretur. donec Annibal tertia vigilia crebris ignibus tabernaculísque, quæ pars castrorũ ad hostes vergebat: & Numidis paucis, qui in vallo portísque se ostenderent, relictis, profectus Apuliam petere intendit. Vbi illuxit, successit vallo Romana acies. & Numidæ ex composito paulisper in portis se vallóque ostentauere: frustratíque aliquandiu hostem, citatis equis agmen suorum assequuntur. Consul vbi silentium in castris, & ne paucos quidem qui prima luce obambulauerant, parte vlla cernebat: duobus equitibus speculatũ in castra præmissis, postquã satis tuta omnia esse exploratũ est, inferri signa iussit. tantúmque ibi mo ratus, dum milites ad prædam discurrunt: receptui deinde cecinit: multóque ante noctem copias reduxit. Postero die prima luce profectus, magnis itineribus famam & vestigia agminis sequẽs, haud procul Venusia hostem assequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit. supra duo millia Pœnorum cæsa. Inde nocturnis, montanísque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit. Hanno inde (is enim præsidio eius loci præfuerat) in Brutios cum paucis ad exercitũ nouum cóparandum missus. Annibal copiis eius ad suas additis, Venusiã retro quibus venerat itineribus repetit: atque inde Cannusium procedit. Nunquã Nero vestigiis hostis abstiterat: & Q. Fuluium, cùm Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne regio ea sine præsidio esset, accersierat. Inter hæc ab Asdrubale, postquàm Placentiæ obsidione abscessit, quatuor Galli equites, duo Numidæ cum literis ad Annibalem missi, cùm per medios hostes totam fermè longitudinem Italiæ emensi essent, dum Metapontum cedentem Annibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, à vagis per agros pabulatoribus Romanis ad Q. Claudium proprætorem deducuntur. Eum primò incertis implicantes responsis, vt metus tormentorum admotus fateri vera coegit, edocuerunt literas se ab Asdrubale ad Annibalem ferre. Cum iis literis, sicut erant, signatis L. Virginio tribuno militũ ducendi ad Claudium cõsulem traduntur. duæ simul turmæ Samnitum præsidii causa missæ. Qui vbi ad consulẽ peruenerunt, literæque lectæ per interpretem sunt, & ex captiuis percunctatio facta. tum Claudius non id tempus esse reipublicæ ratus, quo consiliis ordinariis prouinciæ suæ quisque finibus per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu bellum gereret, audendum ac nouandum aliquid improuisum, inopinatum, quod cœptum non minorem apud ciues, quàm hosteis, terrorem faceret, perpetratum in magnam lætitiam ex magno metu verteret, literis Asdrubalis Romam ad senatum missis, simul & ipse patres conscriptos quid paret, edocet, vt cũ in Vmbria se occursurũ Asdrubal fratri scribat, legionem à Capua Romam accersant, delectum Romæ habeant, exercitum vrbanum ad Narniã hosti opponant. Hæc senatui scripta. Præmissi item per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferenti-

Annibal relictis castris Apuliam petit.

Consul Nero Annibalem prope Venusiam assequitur.

Asdrubalis literæ interceptæ.

num,Prætutianum,quà exercitum ducturus erat,vt omnes ex agris vrbibúsqoe commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent,equos iumentáque alia producerent,vt vehiculorū fessis copia esset.ipse de toto exercitu ciuium,sociorúmque quod roboris erat,delegit,sex millia peditum, mille equites.pronuntiat, occupare se in Lucanis proximam vrbem,Punicúmque in ea præsidium velle,vt ad iter parati omnes essent.Profectus nocte,flexit in Picenum.Et consul quidem quantis maximis poterat itineribus,ad collegam ducebat,relicto Q. Tatio legato, qui castris præesset. Romæ haud minus terroris ac tumultus erat,quàm fuerat biennio antè,cùm castra Punica obiecta Romanis mœnibus portísque fuerant.neque satis constabat animis,tam audax iter consulis laudarent,vituperaréntne.apparebat (quo nihil iniquius est) ex euentu famam habiturum. Castra prope Annibalem hostem relicta sine duce cum exercitu,cui detractum foret omne quod roboris,quod floris fuerat:& consulem in Lucanos ostendisse iter,cùm Picenum & Galliam peteret,castra relinquentē nulla alia re tutiora , quàm errore hostis,qui ducem inde atque exercitus partem abisse ignoraret. Quid futurum,si id palàm fiat?& aut insequi Neronem cum sex millibus armatorum profectum,Annibal toto exercitu velit?aut castra iouadere prædæ relicta, sine viribus,sine imperio,sine auspicio? Veteres eius belli clades,duo consules proximo anno interfecti terrebāt.& ea omnia accidisse,cùm vnus imperator,vnus exercitus hostium in Italia esset.nunc duo bella Punica facta , duos ingentes exercitus,duos propè Annibales in Italia esse.quippe & Asdrubalem patre eodem Amilcare genitum,æquè impigrum ducem,per tot in Hispania annos Romano exercitum bello,gemina victoria insignem,duobus exercitibus cum clarissimis ducibus deletis.nam itineris quidem celeritate ex Hispania,concitatis ad arma Gallicis gentibus,multo magis quàm Annibalem ipsum gloriari posse.quippe in iis locis hunc coegisse exercitum,quibus ille maiorem partem militum fame,ac frigore,quæ miserrima mortis genera sunt,amisisset. Adiiciebant etiam periti rerum Hispaniæ,haud cum ignoto duce C.Nerone congressurum:sed quem in saltu impedito deprehensus fortè,haud secus quā puerum,conscribendis fallacibus conditionibus pacis frustratus elusisset. Omnia maiora etiam vero præsidia hostium,minora sua,metu interprete semper in deteriora inclinato,ducebant.Nero postquam iam tantum interualli ab hoste fecerat,vt detegi consilium satis tutum esset,paucis milites alloquitur.Negat vllius consilium imperatoris in speciem audacius,re ipsa tutius fuisse,quàm suum. Ad certam eos se victoriam ducere.quippe ad quod bellum collega non antequàm ad satietatem ipsius peditum atque equitum datæ ab senatu copiæ fuissent,maiores,instructioresque quàm si aduersus ipsum Annibalem iret,profectus sit:eò ipsos,quantumcunque virium momētum addiderint, rem omnem inclinaturos.auditum modò in acie (nam ne antè audiatur,daturum operam) alterum consulem,& alterum exercitum aduenisse,haud dubiam victoriam facturum.Famam bellum conficere,& parua momenta in spem metúmque impellere animos.Gloriæ quidem ex re bene gesta partæ fructum propè omnem ipsos laturos.Semper quod postremum adiectum sit,id rem totam videri traxisse.Cernere ipsos,quo concursu,qua admiratione,quo fauore hominum iter suum celebretur. Et Hercule per instructa omnia ordinibus virorum mulierúmque vndique ex agris effusorum,inter vota ac preces & laudes ibant.illos præsidia reipublicæ,vindices vrbis Romæ imperiíque appellabant,in illorum armis dextrísque suam liberorúmque suorum salutem ac libertatem repositam esse: deos omnes deásque precabantur,vt illis faustum iter,felíxque pugna,matura ex hostibus victoria esset:damnaréntúrque ipsi votorum,quæ pro iis suscepissent:vt quemadmodum nunc soliciti prosequerentur eos,ita paucos post dies læti ouantibus victoria obuiam irent.Inuitare inde pro se quisque,& offerre,& flagitare precibus,vt quæ ipsis iumentísque vsui essent,ab se potissimum sumerent. benignè omnia cumulata dare.Modestia certare milites,ne quid vltra vsum necessarium sumerent. nihil morari,nec ab signis absistere.cibum capientes diem ac noctem ire,vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset,quieti dare.Et ad collegam præmissi erant,qui nuntiarent aduentū,percunctarentúrque,clàm an palàm,interdiu an noctu venire sese vellet,iisdē an aliis considere castris. Nocte clàm ingredi visum est. Tessera per castra ab Liuio consule data erat,vt tribunū tribunus,centurio centurionem,eques equitem,pedes peditē acciperet.neque enim dilatari castra opus esse,ne hostis aduentum alterius consulis sentiret:& coartatio plurium in angusto tendentium facilior futura erat,quòd Claudianus exercitus nihil fermè,præter arma,secum in expeditionem tulerat. Cæterū in ipso itinere auctum voluntariis agmen erat,offerentibus sese vltro & veteribus militibus,perfunctis iam militia:& iuuenibus,quos certatim nomina dantes,si quorum corporis species,robúrque virium aptum militiæ videbatur,conscripserat. Ad Senam castra alterius consulis erant:& quingentos inde fermè passus Asdrubal aberat.Itaque cùm iam appropinquaret , tectus montibus substitit Nero,ne ante noctem castra ingrederetur.Silentio ingressi,ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria adducti,cum summa omnium lætitia hospitaliter excipiuntur.Postero die concilinm habitum, cui & L.Porcius Licinius prætor affuit.Castra iuncta consulum castris habebat:& ante aduentum eorum per loca alta ducendo exercitum,cùm modò insideret angustos saltus,vt transitum clauderet, modò ab latere aut ab tergo carperet agmen,ludificatus hostē omnibus artibus belli fuerat. is tum in concilio aderat.Multorum eò inclinabant sententiæ,vt dum fessum via ac vigiliis reficeret militem Nero,simul & ad noscendum hostem paucos sibi sumeret dies,tempus pugnandi differretur. Nero non suadere modò,sed summa ope orare instituit,ne consilium suum,quod tutum celeritas fecisset,temerarium morando facerent.Errore,qoi non diuturnus futurus esset,velut torpentem Annibalem,nec castra sua sine duce relicta aggredi,nec ad sequendum iter intendisse.antequam se moueat,

Nero consul relicto Annibale aduersus Asdrubalē ire properat.

Neronis cos. ad milites oratio.

Ad Senam castra Liuij consulis posita.

De oppugnando Asdrubale consules deliberant.

A

B

A ueat, delere exercitum Asdrubalis posse, redireque in Apuliam. Qui prolatando spatium hosti det, eum & illa castra prodere Annibali, & aperire in Galliam iter, vt per otium, vbi velit, Asdrubali coniungatur. Extemplò signum dandum, & exeundum in aciem: abutendúmque errore hostium absentium, præsentiúmque: dum neque illi sciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus & validioribus rem esse. Concilio dimisso, signum pugnæ proponitur, confestímque in aciem procedūt. Iam hostes ante castra instructi stabant. Moram pugnæ attulit, quòd Asdrubal prouectus ante signa cum paucis equitibus scuta vetera hostium notauit, quæ antè non viderat, & strigosiores equos. multitudo quoque maior solita visa est. Suspicatus id quod erat, receptui properè cecinit, ac misit ad flumen vnde aquabantur: vbi & excipi aliqui possent, & notari oculis, si qui fortè adustioris coloris, vt ex recenti via, essent. simul circumuehi procul castra iubet, specularíque, num auctum aliqua parte sit vallum: & attendant, semel, bísne signum canat in castris. Ea cùm ordine omnia relata essent, castra nihil aucta errorem faciebant. Bina erant, sicut ante aduentum consulis alterius fuerant: vna M. Liuii, altera L. Porcii. neutris quicquam, quo latius tenderetur, ad munimenta adiectum. Illud veterem ducem assuetúmque Romano hosti mouit: quòd semel in prætoriis castris signum, bis in consularibus referebant cecinisse. duos profectò consules esse. & quonam modo alter ab Annibale abscessisset, cura angebat. minime id quod erat, suspicari poterat, tantæ rei frustratione Annibalem elusum: vt vbi dux, vbi exercitus esset, cnm qno castra collata haberet, ignoraret. profectò haud mediocri clade absterritum, insequi non ausum. magnopere vereri, ne perditis rebus serum ipse auxilium venisset: Romanísque eadem iam fortuna in Italia: quæ in Hispania esset. interdum literas suas ad eum non peruenisse, credere: interceptísque iis, consulem ad sese opprimendum accelerasse. His anxius curis, extinctis ignibus, vigilia prima dato signo, vt taciti vasa colligerent, signa ferri iussit. In trepidatione & nocturno tumultu duces parum intentè asseruati, alter in destinatis iam antè animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranauit. Ita desertum à ducibus agmen primò per agros palatur: fessíque aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia relinquunt signa. Asdrubal dum lux viam ostēderet, ripa fluminis signa ferri iubet. & per tortuosi amnis sinus flexúsque cùm errore obiens haud multum processisset: vbi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat. sed cùm, quantū à mari abscedebat, tanto altioribus coercentibus amnē ripis, non inueniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequēdum sese hosti. Nero primùm cum omni equitatu aduenit. Porcius deinde assecutus cum leui armatura. Qui cum fessum agmen carperent ab omni parte, incursaréntque, & iam omisso itinere, quod fugæ simile erat, castrametari Pœnus in tumulo super fluminis ripam vellet: aduenit Liuius peditum omnibus copiis, non itineri mo-

Asdrubalis mira solertia.

Asdrubal nocte castra mouet.

Ambo consules & prætor Asdrubalē sequuti assequuntur ad Metauri ripas.

B dò, sed ad conserendnm extemplò prælium instructis, armatísque. Sed vbi omnes copias coniunxerunt, directáque acies est, Claudius dextro in cornu, Liuius ab sinistro pugnam instruit, media acies prætori tuenda datur. Asdrubal omissa munitione castrorum, postquam pugnandum vidit, in prima acie ante signa elephantos locat. circa eos læuo in cornu aduersus Claudium Gallos opponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat. ipse dextrum cornu adnersus M. Liuium sibi, atque Hispanis (& ibi maximè in vetere milite spem habebat) sumpsit. Ligures in medio post elephantos positi. sed longior, quàm latior acies erat. Gallos prominens collis tegebat. Ea frons, quā Hispani tenebant, cum sinistro Romanorum cornu cōcurrit. dextra omnis acies extra prælium eminens cessabat. collis oppositus arcebat, ne aut à fronte, aut ab latere aggrederentur. Inter Liuiū, Asdrubalémque ingens contractum certamen erat, atróxque cædes vtrinque edebatur. ibi duces ambo, ibi pars maior peditum, equitúmque Romanorum: ibi Hispani, vetus miles peritúsque Romanæ pugnæ, & Ligures, durum in armis genus. eódem versi elephanti, qui primo impetu turbauerant antesignanos, etiam signa mouerant loco: deinde crescente certamine & clamore, impotentius iam regi, & inter duas acies versari, velut incerti quorum essent, haud dissimiliter nauibus sine gubernaculo vagis. Claudius, Quid ergo præcipiti cursu tam longum iter emensi sumus? clamitans militibus, cùm in aduersum collem frustra signa erigere conatus esset, postquam ea regione penetrari ad hostem nó videbat posse, cohortes aliquot subductas è dextro cornu, vbi stationem magis segnem, quàm pugnam futuram cernebat, post aciem circunducit: & non hostibus modò, sed etiam suis inopinantibus, in sinistrum hostium latus incurrit: tantáque celeritas fuit, vt cùm ostendissent se in latere, mox in terga iam pugnarent. Ita vt omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidarētur Hispani, Ligurésque: & ad Gallos iam cædes peruenerat. Ibi minimū certaminis fuit. nā & pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi, stratíque somno passim per agros: & qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora, vix arma humeris gerebant. Et iam diei medium erat, sitísque & calor hianteis cædendos, capiendósque affatim præbebat. Elephanti plures ab ipsis rectoribus quàm ab hoste, interfecti. fabrile scalprum cum malleo habebant. id, vbi sæuire belluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum ipsa in compage, qua iungitur capiti ceruix, quanto maximo poterat ictu, adigebat. ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inuenta erat, vbi regendi spem vi vicisset. primúsque id Asdrubal instituerat, dux cùm sæpe aliàs memorabilis, tum illa præcipue pugna. ille pugnantes hortando, paritérque obeundo pericula, sustinuit: ille fessos, abnuenteísque tædio & labore, nunc precando, nunc castigando accendit: ille fugientes reuocauit, omissámque pugnam aliquot locis restituit. postremò cùm haud dubia fortuna hostium esset, ne superstes tanto exercitui suum nomen secuto esset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. ibi vt patre Amilcare, & Annibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Nunquam eo

Consules & prætor coniunctis copiis Asdrubalem adoriuntur.

Qua arte elephantos rector interficiebat, si quando sæuirent.

bello vna acie tantum hostium interfectum est.redditáque æqua Cannensi clades vel ducis vel exer- A
citus interitu videbatur.Quinquaginta sex millia hostium occisa:capta quinque millia & quadrin-
genti,præda alia magna tum omnis generis,tum auri etiam,argentíque.ciuium etiam Romanorum,
qui capti apud hostes erant,supra quatuor millia capitum recepta.id solatii fuit pro amissis eo præ-
lio militibus.Nam haudquaquam incruenta victoria fuit:octo fermè millia Romanorum,sociorúm-
que occisa.Adeóque etiam victores sanguinis cædísque ceperat satietas,vt postero die,cũ esset nun-
tiatum Liuio consuli:Gallos Cisalpinos, Liguréſque,qui aut prælio non affuissent,aut inter cædem
effugissent,vno agmine abire sine certo duce,sine signis,sine ordine vllo aut imperio posse:si vna
equitum ala mittatur,omnes deleri:supersint,inquit,aliqui nuntii & hostium cladis,& nostræ virtu-
tis. Nero ea nocte quæ secuta est pugnam,citatiore quàm inde venerat,agmine die sexto ad statiua
sua,atque ad hostem peruenit.Iter eius frequentia minore, nemo enim præcesserat nuntius,lætitia
vero tanta,vix vt compotes mentium gaudio essent,celebratum est.Nam Romæ neuter animi ha-
bitus satis dici,narraríque potest:nec quo incerta expectatione euentus ciuitas fnerit,nec quo vi-
ctoriæ famam acceperit. Nunquam per omnes dies,ex quo Claudium consulem profectum fama
attulit,ab orto sole ad occidentem, aut senator quisquam à curia,atque ab magistratibus absces-
sit,aut populus è foro.Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat,in preces obtestationésque versæ,per
omnia delubra vagæ suppliciis votísque fatigauere deos. Tam solicitæ ac suspensæ ciuitati fama in-
certa primò accidit:duos Narnienses equites in castra,quæ in faucibus Vmbriæ opposita erant,
venisse ex prælio nuntiantes, cæsos hostes.& primò magis auribus, quàm animis id acceptum
erat, vt maius,lætiúsque,quàm quod mente capere,aut satis credere possent.& ipsa celeritas fidem
impediebat,quòd biduo antè pugnatum dicebatur.literæ deinde ab L. Manlio Acidino missæ ex
castris afferuntur,de Narniensium equitum aduentu. Eæ literæ per forum ad tribunal Prætoris
latæ senatum curia exciuerunt:tantóque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursum
est,vt adire nuntius non posset:traheretúrque à percunctantibus, vociferantibúsque, vt in rostris
priusquàm in senatu literæ recitarentur.tandem summoti, & coerciti à magistratibus,vsxque ser-
uari lætitia inter impotentes eius animos potuit:in senatu primùm,deinde in concione literæ re-
citatæ sunt:& pro cuiusque ingenio,aliis iam certum gaudium, aliis nulla antè futura fides erat,
quàm legatos consulum, vel literas audissent. Ipsos deinde appropinquare legatos, allatum est.
Tunc enimuero omnis ætas currere obuiam, primus quisque oculis auribúsque haurire tantum
gaudium cupientes. Ad Miluium vsque pontem continens agmen peruenit. Legati erant: L.Ve-
turius Philo, P. Licinius Varus, Q. Cæcilius Metellus. Circunfusi omnis generis hominum fre-
quentia in forum peruenerunt,cùm alii ipsos, alii comites eorum,quæ acta sint percunctarentur, B
& vt quisque audierat,exercitum hostium,imperatorémque occisum, legiones Romanas incolu-
mes,saluos consules esse,extemplò aliis porrò impertiebant gaudium suum. Cùm ægre in curiam
peruentum esset,multo ægregius summota turba, ne patribus misceretur,literæ in senatu recitatæ
sunt.inde traducti in concionem legati: L. Veturius literis recitatis, ipse planius omnia quæ acta
erant,exposuit,cum ingenti assensu,postremo etiam clamore vniuersæ concionis,cùm vix gaudium
animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa deûm,vt grates agerent: ab aliis domos,
vt coniugibus liberísque tam lætum nuntium impertirent.Senatus,quòd M. Liuius, & C. Claudius
consules incolumi exercitu, ducem hostium legionésque occidissent, supplicationem in triduum
decreuit. Eam supplicationem C.Hostilius prætor pro concione edixit: celebratáque à viris,fœ-
minísque est. Omniáque templa per totum triduum æqualem turbam habuere:cùm matronæ am-
plissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutæ metu deis immortalibus
grates agerent. Statum quoque ciuitatis ea victoria mouit:vt iam inde haud secus quàm in pace,res
inter se contrahere,vendendo,emendo, mutuum dando,argentum creditum soluendo, auderent.
C.Claudius consul cùm in castra redisset,caput Asdrubalis,quod seruatum cum cura attulerat,pro-
iici ante hostium stationes: captiuósque Afros vinctos, vt erant, ostendi: duos etiam ex iis solu-
tos ire ad Annibalem, & expromere quæ acta essent,iussit. Annibal tanto simul publico familia-
ríque ictus luctu,agnoscere se fortunam Carthaginis,fertur dixisse.castrísque inde motis,vt omnia
auxilia,quæ diffusa latius tueri non potuerat,in extremum Italiæ angulum, Brutios, contraheret:
& Metapontinos,ciuitatem vniuersam,excitos sedibus suis,& Lucanorum qui suæ ditionis erant,in
Brutium agrum traduxit.

Asdrubal pugnans cecidit.

Pœnorum & sociorum occisa 56000. capta 5400.

Nero ad statiua sua redit.

Consulũ literæ & legati de cæso Asdrubale & deleto eius exercitu.

Supplicatio in triduum decreta ob deletum Asdrubalem et eius exercitum.

Asdrubalis caput ante Annibalis stationes proiectum.

DECADIS TERTIAE LIBER OCTAVVS.

Res in Hispania prosperè gestæ à Syllano Scipionis legato, & L. Scipione fratre aduersus Pœnos, à Sulpitio Procos. & ab Attalo rege Asiæ aduersus Philippum regem Macedonum pro Aetolis referuntur. Cum M. Liuio, & Claudio Neroni Coss. triumphus decretus esset, Liuius, qui in prouincia sua rem gesserat, quadrigis inuectus est: Nero, qui in collegæ prouinciam, ut victoriã eius adiuuaret, uenerat, equo est secutus: & in hoc habitu plus gloriæ, reuerentiæque habuit. nam & plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia uirginis, quæ nõ custodierat, extinctus est. uirgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellauit XIIII. anno eius belli, anno quinto postea quã ierat: exclusisque in totũ possessione eius hostibus, Hispaniã recepit: & à Tarracone in Africam ad Syphacẽ regem Numidarũ duobus nauigijs transuectus, fœdus iunxit. Asdrubal Gisgonis ibi cũ eo in eodem lecto accubuit. munus gladiatorium in honorem patris, patruique Carthagini Nouæ dedit, non ex gladiatoribus, sed ex ijs qui aut in honorem ducis, aut ex prouocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Cum Astapa urbs ab Romanis

A *ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos & coniuges rogo extructo occiderunt, se insuper præcipitauerunt. Ipse Scipio dum graui morbo implicatus esset, seditionem in parte exercitus motam confirmatus discussit, rebellantesq; Hispaniæ populos coegit in deditionem uenire. Et amicitia facta est cum Masanissa rege Numidarum: qui illi quidem auxilium, si in Africam traiecisset, pollicebatur. cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam traijceret, Romam reuersus, consulq; creatus. Africam prouinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque, ut in Africam traijceret, si ex republica esse censeret. Mago Amilcaris filius à minore Baleari insula, ubi hyemarat, in Italiam traiecit.*


VM transitu Asdrubalis quantum in Italiam declinauerat belli, tantum leuatæ Hispaniæ viderentur, renatum ibi subitò par priori bellum est. Et Hispanias ea tempestate sic habebant Romani, Pœníque. Asdrubal Gisgonis filius ad oceanum penitus, Gadeísque concesserat. Nostri maris ora, omnísque fermè Hispania, qua in orientem vergit, Scipionis ac Romanæ ditionis erat. Nouus imperator Hanno in locum Barchini Asdrubalis nouo cum exercitu ex Africa transgressus, Magonique iunctus, cùm in Celtiberia, quæ media inter duo maria est, breui magnum hominum numerum armasset: Scipio aduersus eum M. Syllanum cum decem millibus peditum, equitibus quingentis misit.

Hanno in locum Asdrubalis successit.

Syllanus à Scipione mittitur aduersus Hannonem & Magonem.

Syllanus quantis maximis potuit itineribus, (impediebant autem & asperitates viarum, & angustiæ saltibus crebris, vt pleraque Hispaniæ sunt, inclusæ) tamen non solùm nuntios, sed etiam famam aduentus sui prægressus, ducibus indidem ex Celtiberia transfugis ad hostem peruenit. Eisdem authoribus compertum est, cùm decem circiter millia ab hoste abessent, bina castra circa viam qua irent, esse: læua Celtiberos, nouum exercitum supra nouem millia hominum, dextra Punica tenere castra. Ea stationibus, vigiliis, omni iusta militari custodia tuta & firma esse: illa altera soluta neglectáque, vt barbarorum, & tyronum & minus timentium, quòd in sua terra essent. Ea prius aggredienda ratus Syllanus, signa quammaximè ad læuam iubebat ferri, necunde ab stationibus Punicis conspiceretur. ipse præmissis speculatoribus, citato agmine ad hostem pergit. Tria millia fermè aberat, cùm haud dum quisquam hostium senserat. confragosa loca, & obsita virgultis tenebant colles. ibi in caua valle, atque ob id occulta, considere militem, & cibum capere iubet. interim speculatores, transfugarum dicta affirmantes, venerunt. Tum sarcinis in medium coniectis arma Romani capiunt: aciéque iusta in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, cùm ab hoste conspecti sunt, trepidaríque repente cœptum. Mago ex castris citato equo ad primum clamorem & tumultum aduehitur. Erant autem in Celtiberorum exercitu quatuor millia scutata, & CC equites. hanc iustam legionem (& id fermè roboris erat) in prima acie locat: ceteros, leuem armatu-
B ram, in subsidiis posuit. Cum ita instructos éduceret castris, vixdum in egressos valló Romani pila coniecerunt. Subsidunt Hispani aduersus emissa tela ab hoste, inde ad emittenda ipsi consurgunt. quæ cum Romani conferti, vt solent, densatis excepissent scutis, tum pes cum pede collatus, & gladiis geri res cœpta est. Cæterùm asperitas locorum & Celtiberis, quibus in prælio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat: & haud iniqua eadem erat Romanis stabili pugnæ assuetis, nisi quòd angustiæ & internata virgulta ordines dirimebant: & singuli, biníque velut cum paribus conserere pugnam cogebantur. Quod ad fugam impedimento hostibus erat, id ad cædem eos, velut vinctos, præbebat. Et iam fermè omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, leuis armatura, & Carthaginienses qui ex alteris castris subsidio venerant, perculsi cædebantur. Duo haud amplius millia peditum, & equitatus omnis, vix inito prælio, cum Magone effugerunt. Hanno alter imperatorcum eis qui postremi iam profligato prælio aduenerant, viuus capitur. Magonem fugientem equitatus fermè omnis, & quod veterum peditum erat secuti, decimo die in Gaditanam prouinciam ad Asdrubalem peruenerunt. Celtiberi, nouus miles, in proximas dilapsi syluas, inde domos diffugerunt.

Mago in fugam uertitur.

Hanno capitur.

Peropportuna victoria nequaquam tantum iam conflatum bellum, quanta futuri materia belli, si licuisset iis Celtiberorum gente excita, & alios ad arma solicitare populos, oppresserat. Itaque collaudato benignè Syllano, Scipio spem debellandi, si nihil etiam ipse cunctando moratus esset, nactus, ad id quod reliquum belli erat, in vltimam Hispaniam aduersus Asdrubalem pergit. Pœnus cùm castra sua fortè ad sociorum animos in Betica continendos in fide haberet, signis repentè sublatis, fugæ magis quàm itineris modo penitus ad Oceanum & Gadeis ducit. Cæterùm quoad continuisset exercitum, propositum bello se fore ratus, antequam freto Gades traiiceret, exercitum omnem passim in ciuitates dimisit: vt & muris seipsi, & armis muros tutarentur.

Scipio aduersus Asdrubalem Gisgonis pergit.

Scipio vbi animaduertit dissipatum passim bellum, & circunferre ad singulas vrbes arma, diutini magis quàm magni esse operis, retro vertit iter, ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, L. Scipionem fratrē cum decem millibus peditum, & mille equitum ad oppugnandam opulentissimam in iis locis vrbem, quam Oringin barbari appellabant, mittit. sita in Melessum finibus est, Hispaniæ gentis, ager frugifer, argentum etiam incolæ fodiunt. Ea arx fuit Asdrubalis, ad excursiones circà in mediterraneos populos faciendas. Scipio castris prope vrbem positis, prius quàm circumuallaret vrbem, misit ad portas qui ex propinquo alloquio animos tentarent: suaderéntq;, vt amicitiā potius quàm vim experirentur Romanorū. Vbi nihil pacati respondebatur, fossa duplicíq; vallo circundata vrbe in treis parteis exercitū diuidit: vt vna semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima pars cùm adorta oppugnare est, atrox sanè & anceps prælium fuit. non subire, non scalas ferre ad muros præ incidētibus telis, facile erat. & iam qui erexerant ad murū scalas, alii furcis ad idipsum factis detrudebantur, in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murū extraherētur. Quod vbi

L. Scipio Oringin oppugnat.

A

animaduertit Scipio, nimia paucitate ſuorum exæquatum certamen eſſe: etiam eo ſuperare hoſtem, quòd ex muro pugnaret: duabus ſimul partibus, prima recepta, vrbem eſt aggreſſus. Quæ res tantum pauoris ioiecit feſsis iam cum primis pugnando, vt & oppidani mœnia repentina fuga deſererent: & Punicum præſidium metu, ne prodita vrbs eſſet, relictis ſtationibus in vnum locum ſe colligeret. Timor inde oppidanos inceſsit, ne, ſi hoſtis vrbem intraſſet, ſine diſcrimine, Pœnus an Hiſpanus eſſet, obuii paſsim cæderentur. itaque patefacta repentè porta, frequentes ex oppido ſeſe eiecerunt: ſcuta præ ſe tenentes, ne tela procul coniicerentur: dextras nudas oſtentantes, vt gladios abieciſſe appareret, Id vtrum parum ex interuallo ſit conſpectum, an dolus aliquis ſuſpectus fuerit, incompertum eſt. Impetus hoſtilis in transfugas factus: nec ſecus, quàm aduerſa acies cæſi: eadémque porta ſigna

Oringis capitur,

infeſta vrbi illata. & aliis partibus ſecuribus dolabríſque cædebantur, & refringebantur portæ. & vt quiſque intrauerat eques, ad forum occupandum (ita enim præceptum erat) citato equo pergebat. additum erat & triariorum equiti præſidium. legionarii cæteram partem vrbis peruadunt direptione, & cæde obuiorum, niſi qui armis ſe tuebantur. Carthaginienſes omnes in cuſtodiam dati ſunt: oppidanorum quoque c c c fermè, qui clauſerant portas, cæteris traditum oppidum, ſuæ redditæ res. Cecidere in vrbis eius oppugnatione hoſtium duo millia fermè. Romanorum haud plus x c. Læta & ipſis qui rem geſſere, vrbis eius expugnatio fuit: & imperatori cæteróque exercitui ſpecioſum aduentum ſuum, ingentem turbam captiuorum præ ſe agentes, fecerunt. Scipio collaudato fratre, cùm quanto poterat verborum honore Carthagini ab ſe captæ captam ab eo Oringin, æquaſſet, quia & hyems inſtabat, vt nec tentare Gades, nec diſiectum paſsim per prouinciam exercitum Aſ-

L. Scipio Hannonem & cæteros nobiles captiuos Romam ſecum ducit,

drubalis conſectari poſſet, in citeriorem Hiſpaniam recipit exercitum: dimiſsíſque in hyberna legionibus, L. Scipione fratre Romam miſſo, & Hannone hoſtium imperatore, cæteríſque nobilibus captiuis, ipſe Tarraconem conceſsit. Eodem anno claſsis Romana cum M. Valerio Leuino proconſule ex Sicilia in Africam tranſmiſſa, in Vticenſi Cathaginienſíque agro latè populationes fecit. extremis finibus Carthaginienſium, circa ipſa mœnia Vticæ, prædæ actæ ſunt. Repetentibus Siciliam claſsis Punica (ſeptuaginta erant longæ naues) occurrit. decem & ſeptem naues ex iis captæ ſunt,

Romana claſsis agros Vticẽſem & Carthaginienſem populatur. Punica claſsis fuſa ac fugata. Res in Græcia geſtæ aduerſus Philippum.

quatuor in alto merſæ, cætera fuſa ac fugata claſsis. Terra maríque victor Romanus cum magna omnis generis præda Lilybæum repetit. Toto inde mari pulſis hoſtium nauibus, magni commeatus frumenti Romam ſubuecti. Principio æſtatis eius, qua hæc ſunt geſta, P. Sulpitius proconſul, & Attalus rex cum Aeginæ (ſicut antè dictum eſt) hybernaſſent, Lemnum inde claſſe iuncta Romanæ v & x x quinqueremes, regiæ v & x x x tranſmiſerunt. Et Philippus, vt ſeu terra ſeu mari obuiam eundum hoſti foret, paratus ad omnes conatus eſſet, ipſe Demetriadem ad mare deſcendit, Lariſſam diem ad conueniendum exercitui edixit. Vndique ab ſociis legationes Demetriadem ad famam regis conuenerunt, Suſtulerant enim animos Aetoli, cùm ob Romanam ſocietatem, tum poſt Attali aduentum: B finitimóſque depopulabantur. nec Acarnanes ſolum Bœotíque, & qui Eubœam incolunt, in magno metu erant, ſed Achæi quoque, quos ſuper Aetolicum bellum Machanidas etiam Lacedæmonius tyrannus haud procul Argiuorum fine poſitis caſtris terrebat. Hi omnes ſuis quiſque vrbibus quæ pericula terra maríque portenderentur, memorantes, auxilia regem orabant. Ne ex regno quidem ipſius tranquillæ nuntiabantur res. Et Scerdiletum Pleuratúmque motos eſſe, & Thracum maximè Medos, ſi quod longinquum bellum regem occupaſſet, proxima Macedoniæ incurſuros. Bœoti quidem, & interiores Græciæ populi, Thermopylarum ſaltum, vbi anguſtæ fauces coartant iter, foſſa vallóque intercludi ab Aetolis nuntiarant, ne tranſitum ad ſociorum vrbes tuendas Philippo darent. Vel ſegnem ducem tot excitare tumultus circunfuſi poterant. Legationes dimittit: pollicitus prout tempus ac res ſineret, omnibus laturum auxilium. in præſentia quæ maximè vrgebant, res pararent. Tum præſidium vrbi mittit vnde allatum erat, Attalum ab Lemno claſſe tranſmiſſa omnem circa vrbem agrum depopulatum. Polyphantem cum modica manu in Bœotiam, Menippum item quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis (pelta certæ haud diſsimilis eſt) Chalcidem mittit. additi quingenti Aenianum: vt omnes inſulæ partes tueri poſſent, ipſe Scotuſam eſt profectus: eodémque ab Lariſſa Macedonum copias traduci iuſsit. Eò nuntiatum eſt, concilium Aetolis Heracleam indictum: regémque Attalum ad conſultandum de ſumma belli venturum. Hunc conuentum vt turbaret ſubito aduentu, magnis itineribus Heracleam duxit. & concilio quidem dimiſſo iam venit: ſegetibus tamen, quæ iam prope maturitatem erant, maximè in ſinu Aeniano euaſtatis, Scotuſam copias reducit. Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem ſeſe recipit. Inde vt ad omnes hoſtium motus poſſet occurrere, etiam in Phocidem, atque Eubœam, & Peparethum mittit, qui loca alta eligerent, vnde editi ignes apparerent. ipſe in Ciſſeo (mons eſt in altitudinem ingentem cacuminis editi) ſpeculam poſuit: vt ignibus procul ſublatis ſignum, vbi quid molirentur hoſtes, momento temporis acciperet. Romanus imperator, & Attalus rex à Pe-

Oreum oppugnatur à Romanis & Attalo.

paretho Niceam traiecerunt. inde claſſem in Eubœam ad vrbem Oreum tranſmittunt: quæ ab Demetriaco ſinu Chalcidem & Euripum petenti ad læuam prima vrbium Eubœæ poſita eſt. Ita inter Attalum ac Sulpitium conuenit, vt Romani à mari, regii à terra oppugnarent. Quatriduo poſtquam appulſa claſsis eſt, vrbem aggreſsi ſunt. id tempus occultis cum Platore, qui à Philippo præpoſitus vrbi erat, colloquiis abſumptum eſt. Duas arces vrbs habet, vnam imminentem mari, altera vrbis media eſt: cuniculo inde via ad mare ducit, quam à mari turris quinque tabulatorum, egregium propugnaculũ, claudebat. Ibi primò atrociſsimum contractũ eſt certamen, & turre inſtructa omni genere telorũ, & tormẽtis, machiníſq; ad oppugnandã eam ex nauibus expoſitis. Cùm omniũ animos,

oculóſque

A oculósque id certamen auertiſſet, porta maritimæ arcis Plator Romanos accepit, momentóque arx
occupata eſt. Oppidani puſſi inde in mediam vrbem ad alteram tendere arcem. Et ibi poſiti erant,
qui fores portæ obiicerent. ita excluſi in medio cæduntur, capiuntúrque. Macedonum præſidium
Oreum proditione captum.
conglobatum ſub arcis muro ſtetit, nec fuga effuſè petita, nec pertinaciter prælio inito. Eos
Plator venia à Sulpitio impetrata in naues impoſitos ad Demetrium Phthiotidis expoſuit: ipſe ad At-
talum ſe recepit. Sulpitius tam facili ad Oreum ſucceſſu elatus, Chalcidem inde protinus victrici claſ-
ſe petit. vbi haudquaquam ad ſpem euentus reſpondit. Ex patenti vtrinque coactum in anguſtias
mare, vt ſpeciem intuenti primò gemini portus in ora duo verſi præbuerit. ſed haud facilè alia in-
feſtior claſſi ſtatio eſt. nam & venti ab vtriuſque terræ prealtis montibus ſubiti ác procelloſi deci-
dunt, & fretum ipſum Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat, ſed
temerè in modum venti nunc huc nunc illuc verſo mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens
rapitur. ita nec nocte, nec die quies nauibus datur. Cùm claſſem tam infeſta ſtatio accepit, tum
& oppidum alia parte clauſum mari, alia à terra egregiè munitum, præſidióque valido firmatum,
& præcipuè fide præfectorum principúmque, quæ fluxa & vana apud Oreum fuerat, ſtabile atque
inexpugnabile fuit. Id prudenter, vt in temerè ſuſcepta re, Romanus fecit, quòd circumſpectis diffi-
cultatibus, ne fruſtra tempus tereret, celeriter abſtitit incœpto, claſſémque inde ad Cynum Locridis
(emporium id eſt Opuntiorum, vrbis mille paſſuum à mari ſitæ) traiecit. Philippum & ignes ab Oreo
editi mouerant, ſed ſerius Platoris fraude è ſpecula elati, & impari maritimis viribus, haud facilis
erat in inſulam claſſi acceſſus. Ita res per cunctationem omiſſa. Ad Chalcidis auxilium, vbi ſignum
accepit, impigrè eſt motus. nam & ipſa Chalcis, quanquam eiuſdem inſulæ vrbs eſt, tamen adeò arcto
interſcinditur freto, vt ponte continenti iungatur, terra aditum faciliorem quàm mari habeat. igi-
tur Philippus deiecto præſidio, fuſis Aetolis, qui ſaltum Thermopylarum inſidebant, cùm ab De-
metriade Scotuſam, inde tertia vigilia profectus trepidos hoſtes Heracleam compuliſſet, ipſe vno
die Phocidis Elatiam millia amplius L X contendit. Eodem fermè die ab Attalo rege Opuntiorum
Opuntiorũ urbs diripitur.
vrbs capta diripiebatur. conceſſerat eam prædam regi Sulpitius, quia Oreum paucos antè dies ab
Romano milite, expertibus regiis, direptum fuerat: Romana claſſis Oreum ſeſe receperat, & At-
talus ignarus aduentus Philippi, pecuniis à principibus exigendis terebat tempus. adeóque impro-
uiſa res fuit, vt niſi Cretenſium quidam fortè pabulatum ab vrbe longius progreſſi agmen hoſtium
procul conſpexiſſent, opprimi potuerit. Attalus inermis atque incompoſitus, curſu effuſo mare ac
naues petit. & molientibus ab terra naues Philippus aduenit, metúmque etiam ex terra nauticis
præbuit. inde Opuntem rediit, deos hominéſque accuſans, quòd tantæ rei fortunam ex oculis pro-
B pè raptam amiſiſſet. Opuntii quoque ab eadem ira increpiti, quòd cùm trahere obſidionem in ad-
uentum ſuum potuiſſent, viſo ſtatim hoſte propè in voluntariam deditionem conceſſiſſent. Compo-
ſitis circa Opuntem rebus, Toronen eſt profectus. Et Attalus primò Oreum ſe recepit. inde cùm
Philippus in Aſiam traijcit.
fama accidiſſet, Pruſiam Bithyniæ regem in fines regni ſui tranſgreſſum, omiſſis Romanis rebus, atq;
Aetolico bello, in Aſiam traiecit. Et Sulpitius Aeginam claſſem recipit. vnde initio veris profectus
erat. Haud maiore certamine quàm Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronen cepit. Incole-
bant vrbem eam profugi ab Thebis Phthioticis. vrbe ſua capta à Philippo, cùm in fidem Aetolo-
rum perueniſſent, ſedem eis Aetoli eam dederant, vrbis vaſtæ ac deſertæ priore quidem Philippi
bello. Tum ab Torone, ſicut paulò antè dictum eſt, recepta profectus, Tritonnn, & Drymas, Dori-
dis parua atque ignobilia oppida cepit. inde Elatiam, iuſſis ibi ſe operiri Ptolemæi Rhodiorúmque
legatis, venit. vbi cum definiendo Aetolico bello ageretur (affuerant enim legati nuper Heracleæ
concilio Romanorum, Aetolorúmque) nuntius affertur, Machanidam Olympiorum ſolenne ludi-
crum paranteis Eleos aggredi ſtatuiſſe. Præuertendum id ratus, legatis cum benigno reſponſo di-
miſſis: ſe neque cauſam eius belli fuiſſe: nec moram, ſi modò æqua & honeſta conditione liceat, pa-
ci facturum: cum expedito agmine profectus per Bœotiam Megaram, atque inde Corinthum de-
ſcendit. vnde commeatibus ſumptis, Phliunta Pheneúmque petit. & iam cum Eream veniſſet, audi-
to Machanidam fama aduentus ſui territũ refugiſſe Lacedæmonem, Aegium ſe ad concilium Achæo
rum recepit: ſimul claſſem Punicam, vt mari quoque aliquid poſſet, accitam, ibi ratus ſe inuenturum.
Paucis antè diebus in Phoceas traiecerant Pœni, inde portus Acarnanum petierant, cùm ab Oreo
profectum Attalum Romanóſq; audiſſent, veriti ne in ſe iretur, & intra Rhium (fauces eæ ſunt Corin-
thii ſinus) opprimerentur. Philippus mœrebat quidem & angebatur, cùm ad omnia ipſe raptim iſſet,
nulli tamẽ ſe rei in tempore occurriſſe, & rapientem omnia ex oculis eluſiſſe celeritatem ſuam for-
Philippi ad ſocios oratio.
tunam. In concilio autem diſſimulans ægritudinem, elato animo diſſeruit: teſtatus deos hominéſq;,
ſe nulli loco, nec tempori defuiſſe, quin vbi hoſtium arma concrepuiſſent, eò quanta maxima poſſet
celeritate tenderet. ſed vix rationem inire poſſe, vtrum ab ſe audacius, an fugacius ab hoſtibus ge-
ratur bellũ. ſic ab Opunte Attalum, ſic Sulpitium à Chalcide, ſic his ipſis diebus Machanidam è ma-
nibus ſuis elapſum. Sed non ſemper felicem eſſe fugam: nec pro difficili id bellum habendũ: in quo, ſi
modò congreſſus cum hoſte ſis, viceris. quod primum eſſet, confeſſionem ſe hoſtium habere, nequa-
quam pares eſſe eos: breui & victoriam haud dubiam habiturũ, nec meliore euentu eos ſecum quàm
ſpe pugnaturos. Læti regem ſocii audierunt. Reddidit inde Achæis Eream, & Triphyliam. Alphe-
ram autem Megalopolitis, quod ſuorum fuiſſe finium ſatis probabant, reſtituit. inde nauibus ac-
ceptis ab Achæis (erant autem tres quadriremes, & biremes totidem) Anticyram traiecit. inde
quinqueremibus ſeptem, & lembis viginti amplius, quos vt adiungeret Carthaginienſium claſſi,
miſerat

miserat in Corinthium sinum: profectus ad Erythras Aetolorum, quæ propè Eupalium sunt, exscensionem fecit. A Haud fefellit Aetolos. nam honninum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Potidaniæ ac Apolloniæ fuit, in syluas montésque refugit. Pecora, quæ inter festinationem abigi nequiuerant, sunt direpta, & in naues compulsa. Cum his, cæteráque præda Nicia prætore Achæorum Aegium misso, cùm Corinthum petisset, pedestres inde copias per Bœotiam terra duci iussit. ipse à Cenchreis præter Atticen super Sunium nauigans, inter medias propè hostium classes Chalcidem peruenit. inde collaudata fide ac virtute, quòd neque timor neque spes flexissent eorum animos, hortatúsque in posterum, vt eadem constantia permanerent in societate, si suam quàm Oreanorum atque Opuntiorum fortunam mallent, ab Chalcide Oreum nauigat. principúmque iis qui fugere capta vrbe, quàm se Romanis tradere, maluerant, summa rerum & custodia vrbis permissa, ipse Demetriadem ab Eubœa, vnde primò ad opem ferendam sociis profectus erat, traiecit. Casandreæ deinde centum nauium longarum carinis positis, contractáque ad effectum eius operis multitudine fabrorum naualium, quia res in Græcia tranquillas & profectio Attali fecerat, & in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium, retro in regnum concesit, vt Dardanis bellum inferret. Extremo æstatis eius, qua hæc in Græcia sunt gesta, cùm Q. Fabius Maximus prætor legatus ab M. Liuio consule Romam ad senatum missus nuntiasset, consulem satis præsidii Galliæ prouinciæ credere L. Porcium cum suis legionibus esse, decedere se inde, ac deduci exercitum consularem posse: patres non M. Liuium tantùm redire ad vrbem, sed collegam quoque eius C. Claudium iusserunt. Id modò in decreto interfuit, quòd M. Liuii exercitum reduci, Neronis legiones Annibali oppositas manere in prouincia iusserunt. Inter consules ita per literas conuenit, vt quemadmodum vno animo rempublicam gessissent: ita, quanquam ex diuersis regionibus conuenirent, vno tempore ad vrbem accederent. Præneste qui prior venisset, collegam ibi opperiri iussus. Fortè ita euenit, vt eodem die ambo Præneste venirent. inde præmisso edicto, vt triduo pòst frequens senatus ad ædem Bellonæ adesset, omni multitudine obuiam effusa ad vrbem accessere. Non salutabant modò vniuersi, sed contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes, alii gratulabantur: alii gratias agebant, quòd eorum opera incolumis respublica esset. In senatu cùm more omnium imperatorum expositis rebus ab se gestis postulassent, vt pro republica fortiter fideliterque administrata, & diis immortalibus haberetur honos, & ipsis triumphantibus vrbem inire liceret: se vero ea que postularent, decernere partes merito deorum primùm, dein secundum deos consulum, responderunt, & supplicatione amborum nomine, & triumpho vtrique decreto. Inter ipsos, ne, cùm bellum communi animo gessissent, triumphum separarent, ita conuenit: quoniam in prouincia M. Liuii res gesta esset, & eo die, quo pugnatum foret, eius fortè auspicium fuisset: exercitus Liuianus deductus B Romam venisset, Neronis de prouincia deduci non potuisset: vt M. Liuium quadrigis vrbem ineuntem milites sequerentur, C. Claudius equo sine militibus inueheretur. Ita consociatus triumphus, cùm vtrique, tum magis ei, qui quantum merito anteibat, tantum honore collegæ cesserat, gloriam auxit.

Ambos cõsules in vrbem redire senatus iussit.

Liuius quadrigis, Claudius equo inuectus, triũphat.

Illum equitem aiebant sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ: & eo die cum Asdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra aduersus sese in Apulia posita habere Annibal credidisset. ita vnum consulem pro vtraque parte Italiæ aduersus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse. nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Annibalem: Asdrubalem verò qua alia re, quàm aduentu eius obrutum, atque extinctum esse? Itaque iret alter consul sublimis curru multiiugis, si vellet, equis, vno equo per vrbem verum triumphum vehi: Neronémque etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. Hi sermones spectantium Neronem vsque in Capitolium prosecuti sunt. Pecuniæ in ærarium tulerunt † sestertiûm tricies, † octoginta millia æris. militibus M. Liuius † quinquagenos senos asses diuisit tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cùm ad exercitum redisset. Notatum, ea die plura carmina militaribus iocis in C. Claudium, quàm in consulem suum iactata, equites L. Veturium, & Q. Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus: hortatósque esse plebem, vt eos consules in proximum annum crearent. adiecisse equitum prærogatiuæ authoritatem consules, postero die in concione, quàm forti fidelíque duorum præcipuè legatorum opera vsi essent, commemorantes. Cùm comitiorum tempus appeteret, & per dictatorem comitia habere placuisset, C. Claudius consul M. Liuium collegam dictatorem dixit, Liuius Q. Cæcilium magistrum equitum. A` M. Liuio dictatore creati consules L. Veturius, Q. Cæcilius, is ipse qui tum erat magister equitum. Inde prætorum comitia habita. Creati C. Seruilius, M. Cæcilius Metellus, T. Claudius Asellus, Q. Manlius Thurinus, qui tum ædilis plebis erat. Comitiis perfectis, dictator magistratu abdicato, dimissóque exercitu, in Hetruriam prouinciam ex s c est profectus ad quæstiones habendas, qui Hetruscorum Vmbrorúmve populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalẽ sub aduentum eius consilia agitassent, quíq; eum auxiliis, aut cõmeatu, aut ope aliqua iuuissent.

† Tricies sestertium ualent 75000 coron.

† 80000 æris ualent 800 coron.

† 55 asses ualent paulò minus dimidio coronato.

Hæc eo anno domi, militiæque gesta. Ludi Romani ter toti instaurati ad ædilibus curulibus, Cn. Seruilio Cepione, Ser. Cornelio Lentulo. Item ludi plebeii semel toti instaurati ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Manlio Thurino. Tertiodecimo anno Punici belli, L. Veturio Philone, & Q. Cæcilio Metello consulibus, Brutii ambobus, vt cum Annibale bellum gererent, prouincia decreta. Prætores exinde sortiti sunt: M. Cæcilius Metellus vrbanam, Q. Manlius peregrinam, C. Seruilius Siciliam, T. Claudius Sardiniam. Exercitus ita diuisi: consulum alteri quem C. Claudius prioris anni consul: alteri, quem Q. Claudius proprætor (eæ binæ legiones erant) habuissent

Ludi Romani & plebeij.

Exercituum diuisio.

A habuissent exercitum. In Hetruria duas volonum legiones à C. Terentio proprætore M. Liuius proconsul, cui prorogatum in annum imperium erat, acciperet. Et Q. Manlio vt collegæ iurisdictione tradita, Galliam cum exercitu, cui L. Porcius proprætor præfuerat, obtineret, decretum est: iussúsque populari agros Gallorum, qui ad Pœnos sub aduentum Asdrubalis defecissent. C. Seruilio cum Cannensibus duabus legionibus, sicut P. Manlius tenuerat, Sicilia tuenda data. Ex Sardinia vetus exercitus, cui A. Hostilius præfuerat, deportatus. nouam legionem, quam T. Claudius traiiceret secum, consules conscripserunt. Q. Claudio, vt Tarentum: C. Hostilio Tubulo, vt Capuam prouinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. M. Valerius proconsul, qui tuendæ circa Siciliam maritimæ oræ præfuerat, x x x nauibus C. Seruilio traditis, cum cætera omni classe redire ad vrbem iussus. In ciuitate tanto discrimine belli solicita, cùm omnium secundorum aduersorúmque causas in deos verterent, multa prodigia nuntiabantur. Tarracinæ Iouis ædem, Satrici matris Matutæ de cælo tactam. Satricanos haud minus terrebant in ædem Iouis foribus ipsis duo prolapsi angues. Ab Antio nuntiatum est, cruentas spicas metentibus visas esse. Cære porcus biceps, & agnus mas idémque fœmina natus erat. Et Albæ duos soles visos referebant, & nocte Fregellis lucem obortam. Et bos in agro Romano locutus, & ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio dicebatur, & ædes Cereris, Salutis, Quirini de cælo tactæ. Prodigia consules hostiis maioribus procurare iussi, & supplicationem vna die habere. Ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nuntiatis peregrè, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus. ob quam causam cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinii pontificis. Id quanquam nihil portendentibus deis, cæterùm negligentia humana acciderat, tamen & hostiis maioribus procurari, & supplicationem ad Vestæ haberi placuit. Priusquam proficiscerentur consules ad bellum, admoniti ab senatu sunt, vt in agros reducendæ plebis curam haberent. deûm benignitate summotum bellum ab vrbe Roma, & Latio esse, & posse sine metu in agris habitari, minimè conuenire, Siciliæ, quàm Italiæ, colendæ maiorem curam esse. Sed res haudquaquam erat populo facilis, & liberis cultoribus bello absumptis, & inopia seruitiorum, & pecore direpto, villisque dirutis aut incensis: magna tamen pars authoritate consulum compulsa in agros remigrauit. Mouerant autem huiusce rei mentionem Placentinorum & Cremonensium legati, querentes agrum suum ab accolis Gallis incursari, ac vastari: magnámque partem colonorum suorum delapsam esse: & infrequentes se vrbes, agrum vastum ac desertum habere. Manlio prætori mandatum, vt colonias ab hoste tueretur. Consules ex s c edixerunt, vt qui ciues Cremonenses atque Placentini essent, ante certam diem in colonias reuerterētur. principio deinde veris & ipsi ad bellum profecti sunt. Q. Cæcilius

Prodigia.

Ignis in æde Vestæ extinctus.

In agros plebs reducitur.

B consul exercitum ab C. Nerone, L. Veturius ab Q. Claudio proprætore accepit, nouísque militibus quos ipse conscripserat suppleuit. In Consentinum agrum consules exercitū duxerunt, passímq; depopulati, cum agmen iam graue præda esset, in saltu angusto à Bruttiis, iaculatoribúsque Numidis turbati sunt, ita vt non præda tantùm, sed armati quoq; in periculo fuerint. maior tamen tumultus, quàm pugna fuit: & præmissa præda, incolumes legiones in loca culta euasere. inde in Lucanos profecti. Ea sine certamine tota gens in ditionē populi Romani rediit. Cum Annibale nihil eo anno rei gestum est. nam neque ipse se obtulit in tam recenti vulnere publico priuatóque, neq; lacessierunt quietū Romani. tantam inesse vim, & si omnia alia circa eum ruerent, in vno illo duce censebant. Ac nescio an mirabilior fuerit aduersis, quàm secundis rebus. quippe qui, cùm & in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellū gereret exercitu non suo ciuili, sed misto ex colluuione omnium gentium, quibus non lex, non mos, nō lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii propè dii essent, ita quodam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla nec inter ipsos, nec aduersus ducem seditio extiterit, cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostiū agro deessent: quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter duces, militésque cōmissa fuerant. Post Asdrubalis verò exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum, cedendóque in angulum Brutium cætera Italia concessum, cui non videatur mirabile, nullum motum in castris factum? nam ad cætera id quoque accesserat, vt ne alendi quidem exercitus, nisi ex Brutio agro spes esset. qui vt omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat: tum magnam partem iuuentutis abstractam à cultu agrorum bellum occupauerat, & mos vitio etiam insitus genti inter latrocinia militiam exercendi. nec ab domo quicquam mittebatur, de Hispania retinenda solicitis, tanquam omnia prospera in Italia essent. In Hispania res quadam ex parte eandē fortunam, quandam longè disparem habebant. eandem, quòd prælio victi Carthaginienses duce amisso in vltimam Hispaniæ oram vsque ad Oceanum compulsi erant. disparem autem, quòd Hispania nō quàm Italia modò, sed quàm vlla pars terrarum bello reparando aptior erat locorum hominúmque ingeniis. Itaque ergo prima Romanis inita prouinciarum, quæ quidem continentis sint, postrema omnium nostra demū ætate ductu, auspicióq; Augusti Cæsaris perdomita est. Ibi tum Asdrubal Gisgonis filius, maximus clarissimúsque eo bello secundum Barchinos dux, regressus ab Gadibus, rebellandi spem adiuuāte Magone Amilcaris filio, delectibus per vlteriorem Hispaniam habitis, ad quinquaginta millia peditum, & quatuor millia & quingentos equites armauit. De equestribus copiis fermè inter authores conuenit. peditum L x x millia quidam adducta ad Silpiam vrbem scribunt. Ibi super campos patentes duo duces Pœni ea mente, ne detrectarent certamen, consederunt. Scipio, cùm ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, neque Romanis legionibus tantæ se parem multitudini ratus, vt non in speciem saltem opponerentur barbarorum auxilia: neque in iis tamen

Annibalis laudes.

Hispania bello reparando aptissima, & postrema omniū prouinciarum perdomita.

Punicus exercitus in Hispania.

tantum

A tantum virium ponendum, vt mutando fidem, quæ cladis causa fuisset patri patruóque, magnum momentum facerent: præmisso Syllano ad Colcam duodetriginta oppidis regnantem, vt equites peditésque ab eo, quos se per hyemem conscripturum pollicitus erat, acciperet: ipse à Tarracone profectus, protinus ab sociis, qui accolunt viam, modica contrahendo auxilia, Castulonem peruenit. Eò adducta ab Syllano auxilia, tria millia peditum, & quingenti equites. Inde ad Betulam vrbem processum cum omni exercitu ciuium, sociorum, peditum equitúmque v & x L millibus.

Romanus exercitus in Hispania.

Castra ponenteis eos Mago & Masanissa cum omni equitatu aggressi sunt. turbasséntq; munie̋tes, ni abditi post tumulum, opportunè ad id positi ab Scipione equites improuiso in effusos incurrissent. Hi promptissimum quenque, & proximè vallum atque in ipsos munitores primum inuectum, vix dum prælio inito fuderunt: cum cæteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, longior & diu ambigua pugna fuit. sed cùm ab stationibus primùm expeditæ cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere iussi plures & vsq; integri fessis subirent, magnúmq; iam agmen armatorum à castris in prælium rueret, terga haud dubiè vertunt Pœni Numidæq;.

Pœni in fugam uersi.

Et primò turmatim abibant, nihil propter pauorem, festinationémve confusis ordinibus: dein postquam acrius vltimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat, nihil iam ordinum memores, passim quà cuique proximum fuit in fugam effunduntur. Et quanquam eo prælio aliquantum & Romanis aucti, & diminuti hostibus animi erant, tamen nunquam per aliquot insequentes dies ab excursionibus equitum leuísque armaturæ cessatum est. Vbi satis tentatæ per hæc leuia certamina vires sunt, prior Asdrubal in aciem copias eduxit, deinde & Romani processere. sed vtraque acies pro vallo stetit instructa. & cùm ab neutris pugna cœpta esset, iam die ad occasum inclinante, à Pœno prius, deinde ab Romano in castra copiæ reductæ. Hoc idem per dies aliquot factum. prior semper Pœnus copias castris educebat, prior fessis stando signum receptui dabat. ab neutra parte procursum, telúmve missum, aut vox vlla orta. mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses misti Afris: cornua socii tenebant. erant autē vtrinque Hispani pro cornibus. ante Punicam aciem elephanti castellorum procul speciem præbebant. Iam hoc in vtrisque castris sermonis erat, ita vt instructi stetissent, pugnaturos medias acies, Romanū Pœnúmq;, quos inter belli causa esse, pari robore animorum armorúmq; cōcursuras. Scipio vbi hæc obstinatè credita animaduertit, omnia de industria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutauit. Tesseram vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri equíque pransi essent, armatus eques frenatos stratósque teneret equos.

Scipio Asdrubalem adoritur.

Vixdum satis certa luce equitatum omnem cum leui armatura in stationes Punicas immisit, inde confestim ipse cum graui agmine legionum procedit, præter opinionem destinatam suorum hostiúmque, Romano milite cornibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis. Asdrubal clamore equitū excitatus, vt ex tabernaculo prosiluit, tumultúmq; B ante vallum, & trepidationē suorum, & procul signa legionum fulgentia, plenósque hostium campos vidit, equitatum omnem extemplò in equites emittit. ipse cum peditum agmine castris egreditur: nec ex ordine solito quicquam acie instruenda mutat. Equitum iamdiu anceps pugna erat: nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsis (quod propè inuicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat. sed vbi iam haud plus quingentos passus acies inter sese aberant, signo receptui dato Scipio, patefactísque ordinibus, equitatum omnem leuémque armaturam in mediū acceptam, diuisámq; in partes duas in subsidiis post cornua locat. inde vbi incipiendæ iam pugnæ tempus erat, Hispanos (ea media acies fuit) presso gradu incedere iubet. ipse è dextro cornu (ibi nanque præerat) nuncium ad Syllanum & Martium mittit, vt cornu extenderent in sinistra parte, quemadmodum se tendentem à dextra vidissent: & cum expeditis peditum equitúmque prius pugnam consererent cum hoste, quàm coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus cum ternis peditum cohortibus, ternísque equitum turmis, ad hoc velitibus, citato gradu in hostem ducebant, sequentibus in obliquum aliis. Sinus in medio erat, quia segnius Hispanorum signa incedebant. & iam conflixerant cornua, cùm, quod roboris in acie hostium erat, Pœni veterani, Afríque nondum ad teli coniectum venissent, neque in cornua, vt adiuuarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex aduerso hosti. Cornua ancipiti prælio vrgebantur. eques, leuísque armatura, & velites circunductis alis in latera incurrebant, cohortes à fronte vrgebant, vt abrumperent cornua à cætera acie. Et cùm ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum quòd turba lixarum, tyronúmque Hispanorum Romano Latinóque militi obiecta erat. procedente iam die vires etiam deficere Asdrubalis exercitum cœperant, oppressos matutino tumultu, coactósque priusquam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire. Ad id sedulò diem extraxerat Scipio, vt sera pugna esset. nam ab septima demum hora peditum signa cornibus concurrerunt. ad medias acies aliquanto serius peruenit pugna, ita vt prius æstus à meridiano sole, labórque standi sub armis, & simul fames sitísque corpora afficerent, quàm manus cum hoste consererent. itaq; steterunt scutis innixi. nam super cætera elephanti etiam, tumultuoso genere pugnæ equitū velitúmque & leuis armaturæ cōsternati, è cornibus in mediam aciem sese intulerant. Fessi igitur corporibus animísque retulere pedē, ordines tamen seruantes haud secus, quàm si imperio ducis cederet integra acies. Sed cum eo ipso acrius, vbi inclinatā sensere, victores se vndique inueherent, nec facilè impetus sustineri posset: quanquam retinebat obsistebátq; cedentibus Asdrubal, ab tergo esse colleis tutúmque receptum, si modicè se reciperent, clamitans: tamen vincente verecundiam metu, cùm proximus quisque hostem cæderet, terga extemplò data, atque in fugam sese omnes effuderunt.

Pœni in fugam uersi.

Ac primò consistere signa in radicibus collium, ac reuocare in ordines militem cœperant, cunctantibus in aduersum collem erigere aciem Romanis. deinde vt

A inferri impigrè signa viderunt, integrata fuga, in castra pauidi compelluntur. Nec procul vallo Romanus aberat. cepissétque tanto impetu castra, nisi ex vehementi sole, qualis inter graues imbre nubes effulget, tanta vis aquæ deiecta esset, vt vix in castra sua reciperent se victores. quosdam etiam religio ceperat, vlterius quicquam eo die conandi. Carthaginienses, quanquam fessos labore ac vulneribus, nox imbérque ad necessariam quietem vocabat: tamen quia metus & periculum cessandi non dabat tempus, prima luce oppugnaturis hostibus castra, saxis vndique circà ex propinquis vallibus congestis augent vallum, munimento sese, quando in armis parum præsidii foret, defensuri. Sed transitio sociorum, fuga vt tutior mora videretur, fecit. principium defectionis ab Attane regulo Turdetanorum factum est. is cum magna popularium manu transfugit. inde duo munita oppida cum præsidiis tradita à præfectis Romano. Et ne latius, inclinatis semel ad defectionem animis, serperet res, silentio proximæ noctis Asdrubal castra mouet. Scipio, vt prima luce qui in stationibus erant retulerunt, profectos hostes, præmisso equitatu signa ferri iubet. adeóque citato agmine ducti sunt, vt si via recta vestigia sequentes issent, haud dubiè assecuturi fuerint. ducibus est creditum, breuius aliud esse iter ad Bætim fluuium, vt transeuntes aggrederentur. Asdrubal clauso transitu fluminis ad Oceanum flectit. & iam inde fugientium modo effusi abibant: idque aliquantum ab legionibus Romanis interualli fecit. eques, leuísque armatura nunc ab tergo, nunc ab lateribus occurrendo, fatigabat morabatúrque. sed cùm ad crebros tumultus signa consisterent, & nunc equestria, nunc cum velitibus auxiliísque peditum prælia consererent, superuenerunt legiones. Inde non iam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri, donec ipse dux fugæ author in proximos colles cum septem millibus fermè semiermium euasit. cæteri cæsi captíque. castra tumultuaria raptim Pœni tumulo editissimo communierunt: atque inde, cùm hostes ne quicquam subire iniquo ascensu conati essent, haud difficulter sese tutati sunt: sed obsidio in loco nudo atque inopi vix in paucos dies tolerabilis erat. itaque transitiones ad hostem fiebant. postremò ipse dux nauibus acceptis, (nec procul inde aberat mare) nocte relicto exercitu Gadeis perfugit. Scipio fuga ducis hostium audita, decem millia peditum, mille equites relinquit Syllano ad castrorum obsidionem. ipse cum cæteris copiis, septuagesimis castris, protinus causis regulorum ciuitatúmque cognoscendis, vt præmia ad veram meritorum æstimationem tribui possent, Tarraconem redit. Post profectionem eius Masanissa cum Syllano clàm congressus, vt ad noua consilia gentem quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam traiecit, non tam euidenti eo tempore subitæ mutationis causa, quàm documento post id tempus constantissimæ ad vltimam senectam fidei, ne tum quidem eum sine probabili causa fecisse. Mago inde remissis ab Asdrubale nauibus, Gades petit. Cæteri deB serti ab ducibus, pars transitione, pars fuga dissipati per proximas ciuitates sunt, nulla manus numero aut viribus insignis. Hoc maximè modo ductu atque auspicio P. Scipionis pulsi Hispania Carthaginienses sunt, tertiodecimo anno post bellum initum, quinto postquam P. Scipio prouinciam & exercitum accepit. Haud multo pòst Syllanus debellatum referens, Tarraconem ad Scipionem rediit. L. Scipio cum multis nobilibus captiuis nuntius receptæ Hispaniæ Romam est missus. Et cum cæteri lætitia gloriáque ingenti eam rem vulgo ferrent, vnus qui gesserat, inexplebilis virtutis veræque laudis, paruum instar eorum quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat. iam Africam magnámque Carthaginem, & in suum decus noménque velut consummatam eius belli gloriam spectabat. Itaque præmoliendas ibi ratus iam res, conciliandósque regum gentiúmque animos, Syphacem primum regem statuit tentare. Masæsylorum is rex erat Masæsyli gens affinis Mauris, regionem Hispaniæ, maximè quà sita Noua Carthago est, spectant. Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginiensibus erat. quod haud grauius ei sanctiúsque, quàm vulgo barbaris, quibus ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad eum C. Lælium cum donis mittit. Quibus barbarus lætus, & quia res tum prosperæ vbique Romanis, Pœnis in Italia aduersæ, in Hispania nullæ iam erant, amicitiam se Romanorum accipere annuit. firmandæ eius fidem nec dare, nec accipere, nisi cum ipso coram duce Romano. Ita Lælius in id modò fide ab rege accepta tutum aduentum fore, ad Scipionem redit. Magnum in omnia momentum Syphax affectanti res Africæ erat, opulentissimus eius terræ rex, bello iam expertus ipsos Carthaginienses, finibus etiam regni aptè ad Hispaniam, quòd freto exiguo dirimuntur, positis. Dignam itaque rem Scipio ratus, quæ, quoniam non aliter posset, magno periculo peteretur: L. Martio Tarracone, M. Syllano Carthagine Noua, quò pedibus ab Tarracone itineribus magnis ierat, ad præsidiū Hispaniæ relictis: ipse cū C. Lælio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus tranquillo mari plurimum remis, interdum & leni iuuante vento in Africam traiecit. Fortè ita incidit, vt eo ipso tempore Asdrubal pulsus Hispania septem triremibus portum inuectus, anchoris positis terræ applicaret naues: cùm cōspectæ duæ quinqueremes haud cuiquā dubio, quin hostium essent, opprimíque à pluribus priusquàm portum intrarent, possent, nihil aliud quàm tumultum ac trepidationem simul militum ac nautarum, nequicquam armaque & naues expedientium, fecerunt. percussa enim ex alto vela paulo acriori vento prius in portum intulerunt quinqueremes, quàm Pœni anchoras molirentur. nec vltra tumultum agere quis quiequam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Asdrubal, mox Scipio & Lælius egressi, ad regem pergunt. Magnificúmque id Syphaci (nec erat aliter) visum, duorum opulentissimorum ea tempestate duces populorum vno die suam pacem amicitiámque petenteis venisse. Vtrunque in hospitium inuitat. & quoniam fors eos sub vno tecto esse, atque ad eosdem penates voluisset, contrahere in colloquium dirimendarum simultatum causa est conatus: Scipione abnuente, aut priuatim sibi vllum

Pœnorum socij ad Romanos transeunt.

Asdrubal noctis silentio castra mouet.

Asdrubalis exercitus funditur.

Asdrubal relicto exercitu in Gades perfugit.

L. Scipio nuntius receptæ Hispaniæ Romā à fratre mittitur.

Masæsylorum rex Syphax.

Scipio ad Syphacem cum duabus quinqueremibus traiecit.

Scipio & Asdrubal eodem die ad Syphacem uenērūt.

vllum cum Pœno odium esse, quod colloquendo finiret: aut de republica se quicquam cum hoste A agere iniussu senatus posse. Illud magnopere contendente rege, ne alter hospitum exclusus mensa videretur, vt in animum induceret ad easdem venire epulas, haud abnuit. cœnatúmque simul apud regem est, eodem etiam lecto Scipio atque Asdrubal, quia ita cordi erat regi, accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas. vt non Syphacem modò barbarum, insuetúmque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum facundè alloquendo sibi conciliarit. mirabiliorémque sibi eum congressu corám visum præ se ferebat, quàm bello rebus gestis. nec dubitare, quin Syphax, regnúmque eius in Romanorum esset potestate. eam artem illi viro ad conciliandos animos esse. Itaque non quo modo Hispania amissa sit, quærendum magis Carthaginiensibus esse, quàm quo modo Africam retineant, cogitandum. Non peregrinabundum, neque circa amœnas oras vagantem tantum ducem Romanum, relicta prouincia nouæ ditionis, relictis exercitibus, duabus nauibus in Africam traiecisse, & commisisse sese in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam, sed potiundæ Africæ spem affectantem. hoc eum iampridem volutare in animo, hoc palàm fremere, quòd non quemadmodum Annibal in Italia, sic Scipio in Africa bellum gereret. Scipio fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa, dubiísque & plerumque sæuis in alto iactatus ventis, die quarto Nouæ Carthaginis portum tenuit. Hispaniæ sicut à bello Punico quietæ erant, ita quasdam ciuitates propter conscientiam culpæ metu magis quàm fide quietas esse apparebat: quarum maximè insignes & magnitudine & noxa, Illiturgi & Castulo erant. Castulonenses cùm prosperis rebus socii fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones defecerant ad Pœnos. Illiturgitani prodendis, qui ex illa clade ad eos perfugerant, interficiendísque, scelus etiam defectioni addiderant. In eos populos primo aduentu, cùm dubiæ Hispaniæ essent, meritò magis quàm vtiliter sæuitum foret. tunc iam tranquillis rebus, quia tempus expetendæ pœnæ videbatur venisse, accitum ab Tarracone L. Martium cum tertia parte copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit. ipse cum cætero exercitu quintis fermè ad Illiturgim castris peruenit. Clausæ erant portæ, omniáque instructa & parata ad oppugnationem arcendam. adeò conscientia, quid se meritos scirent, pro indicto eis bello fuerat. Hinc & hortari milites Scipio orsus est. Ipsos claudendo portas indicasse Hispanos, quid vt timerent meriti essent. itaque multo infestioribus animis cum eis, quam cum Carthaginiensibus bellum gerendum esse. quippe cum illis propè sine ira de imperio & gloria certari: ab iis perfidiæ & crudelitatis & sceleris pœnas expetendas esse. venisse tempus, quo & nefandam commilitonum necem, & in semetipsos, si eódem fuga delati forent, instructam fraudem vlciscerentur: & in omne tempus graui documento sancirent, ne quis vnquam Romanum ciuem, militémve in vlla fortuna opportunum iniuriæ duceret. Ab hac exhortatione du- B cis incitati scalas electis per manipulos viris diuidunt. partito exercitu, ita vt parti alteri Lælius præesset legatus, duobus simul locis ancipiti terrore vrbem aggrediuntur. Non dux vnus, aut plures principes oppidanos, sed suus ipsorum ex conscientia culpæ metus ad defendendam impigrè vrbem hortatur. & meminerant, & admonebant alios, supplicium ex se, non victoriam peti: vbi quisque mortem oppeteret, id referre: vtrum in pugna & in acie, vbi mars communis & victum sæpe erigeret, & affligeret victorem: an postmodum cremata & diruta vrbe ante ora captarum coniugum liberorúmque inter verbera & vincula, omnia fœda atque indigna passi expirarent. Igitur non militaris modò ætas, aut viri tantùm, sed fœminæ quoque puerique supra animi corporísque vires adsunt: propugnantibus tela ministrant, saxa in muros munientibus gerunt. non libertas solùm agebatur, quæ virorum fortium tantum pectora acuit: sed vltima omnibus supplicia, & fœda mors ob oculos erat. accendebantur animi & certamine laboris ac periculi, atque ipso inter se conspectu. Itaque tanto ardore certamen initum est, vt domitor ille totius Hispaniæ exercitus ab vnius oppidi iuuentute sæpe repulsus à muris, haud satis decoro prælio trepidarit. Id vbi vidit Scipio, veritus ne vanis tot conatibus suorum hostibus cresceret animus, & segnior miles fieret: sibimet conandum ad partem periculi capessendam esse ratus, increpita ignauia militum, ferri scalas iubet: seipsum, si cæteri cunctentur, ascensurum minatur. Iam subierat haud mediocri periculo mœnia, cùm clamor vndique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus: scalæque multis simul partibus erigi cœptæ. Et ex altera parte Lælius institit. Tum victa oppidanorum vis, deiectísque propugnatoribus occupantur muri. arx etiam ab ea parte, quæ inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est. Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana erant, & oppidanis in ea tuenda, vnde periculum videbatur, versis, & Romanis subeuntibus quà adire poterant: conspexerunt editissimam vrbis partem, quia rupe præalta tegebatur, neque opere vllo munitam, & ab defensoribus vacuam leuium corporum homines, & multa exercitatione pernicium, clauos secum ferreos portantes, quà per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt. sicubi nimis arduum & leue saxū occurrebat, clauos per modica interualla figentes, cùm velut gradus fecissent: primi insequētes extrahentes manu, postremi subleuātes eos qui præ se irent: in summū euadunt. inde decurrūt cū clamore in vrbem iam captā ab Romanis. Tum verò apparuit, ab ira & ab odio vrbem oppugnatā esse, nemo capiendi viuos, nemo patentibus ad direptionem omnibus, prædæ memor est. trucidāt inermes iuxtà atq; armatos, fœminas pariter ac viros: vsq; ad infantiū cædem ira crudelis peruenit. ignē deinde tectis iniiciūt, ac diruūt quæ incendio absumi nequeūt. adeò vestigia quoq; vrbis extinguere, ac delere memoriā hostiū sedis cordi est. Castulonē inde Scipio exercitū ducit. quā vrbē nō Hispani modò cōuenæ, sed Punici etiā exercitus è dissipata passim fuga reliquiæ tutabātur. sed aduentum Scipion

Scipio & Asdrubal eodem lecto accūbentes apud Syphacem cœnauerunt.

Scipio fœdus icit cum Syphace.

Illiturgim oppugnat Scipio.

Illiturgitani urbem suam fortiter defendunt.

Scipio Illiturgim capit, & solo equat.

Castulonem Scipio deditione accipit.

A Scipionis præuenerat fama cladis Illiturgitanorum, terrórque inde ac desperatio inuaserat, & in diuersis causis cum sibi quisque consultum sine alterius respectu vellet, primò tacita suspicio, deinde aperta discordia secesſionem inter Carthaginienses atque Hispanos fecit. His Cerdubellus propalàm deditionis author, Himilco Punicis auxiliaribus præerat: quos vrbémque, clàm fide accepta, Cerdubellus Romano prodit. Mitior ea victoria fuit. nec tantundem noxæ admissum erat, & aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio. Martius inde in barbaros, si qui nondum perdômiti erant, sub ius, ditionémque redigendos missus. Scipio Carthaginem ad vota soluenda diis, munúsq; gladiatorium, qnod mortis causa patris patruíque parauerat, edendum rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, seruorum delectu ac libertorum, qui venalem sanguinem habent. voluntaria omnis & gratuita opera pugnātium fuit. nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostendendnm: alii ipsi professi se pugnaturos in gratiam ducis: alios æmulatio & certamen, vt prouocarent, prouocatíque haud abnuerent, traxit. quidam quas disceptando controuersias finire nequiuerant, aut noluerant, pacto inter se, vt victorem res sequeretur, ferro decreuerunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustrésque, Corbis & Orsua, patrueles fratres, de principatu ciuitatis quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis maior erat ætate. Orsuæ pater princeps proximè fuerat, à fratre maiore post mortem eius principatu accepto. Cùm verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras, negatum id ambo dicere communibus cognatis: nec alium deorum hominúmve, quàm Martem se iudicem habituros esse. Robore maior, minor flore ætatis ferox, mortē in certamine, quàm vt alter alterius imperio subiiceretur, præoptantes, quòd ab tanta rabie dirimi nequirent, insigne spectaculum exercitui præbuêre, documentúmque, quantum cupiditas imperii malum inter mortales esset. Maior vsu armorum & astu facile stolidas vires minoris superauit. Huic gladiatorum spectaculo ludi funebres additi pro copia, & prouinciali & castrensi apparatu. Res interim nihilo minus ab legatis gerebātur. Martius superato Bæte amni, quem incolæ Cirtium appellant, duas opulentas ciuitates sine certamine in deditionē accipit. Astapa vrbs erat, Carthaginiensium semper partis: neque id tam dignum ira erat, quàm quòd extra necessitates belli præcipuum in Romanos gerebant odium. nec vrbem aut situ, aut munimento tutam habebant, quæ ferociores iis animos faceret: sed ingenia incolarum latrocinio læta, vt excursiones in finitimum agrum sociorum populi Romani facerent, impulerant, & vagos milites Romanos, lixásque aut mercatores exciperent, magnum etiam comitatum, quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem fines positis insidiis circumuentum iniquo loco interfecerant. Ad hanc vrbem oppugnandam cum admotus exercitus esset, oppidani conscientia scelerum, quia nec deditio tuta ad tam infestos vide-

Munus gladiatoriū edidit Scipio ex voluntariis hominibus.

Inter fratres patrueles de ciuitatis principatu duellum.

Ludi funebres.

Astapæ oppugnatio.

B batur: nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, facinus in se ac suos fœdum ac ferum consciscunt. Locum in foro destinant, quò pretiosissima rerum suarum congererent. super eum cumulum coniuges ac liberos considere cùm iussissent, ligna circà extruunt, fascésque virgultorum coniicinnt. quinquaginta deinde armatis iuuenibns præcipiunt, vt donec incertus enentus pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum, corporúmqne, quæ cariora fortunis essent, seruarent. si rem inclinatam viderent, atque in eo iam esse vt vrbs caperetur: scirent, omnes, quos euntes in prælium cernerent, mortem in ipsa pugna obituros. illos se per deos superos inferósque orare, vt memores libertatis, quæ illo die aut morte honesta, aut seruitute infami finienda esset, nihil relinquerent in quod sæuire iratus hostis posset. ferrum ignémq; in manibus esse. amicæ, ac fideles potius ea quæ peritura forent, absumerent manus, quàm insultarent superbo ludibrio hostes. His adhortationibus execratio dira adiecta, si qnem à proposito spes mollitiáve animi flexisset. inde concitato agmine patentibus portis ingenti cum tumultu erumpunt. Neque erat vlla satis firma statio opposita, quia nihil minus quàm vt egredi mœnibus auderent, timeri poterat. perpaucæ equitum turmæ, leuísque armatura repente è castris ad idipsum emissa occurrit. Acrior impetu atque animis, quàm compositior ordine vllo pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primùm hosti se obtulerat, terrorem intulit leui armaturæ. pugnatúmque sub ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruendum dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, cum cæci furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent. dein vetus miles aduersus temerarios impetus pertinax, cæde primorum insequentes suppressit. conatus paulo pòst vltrò inferre pedem, vt neminem cedere, atque obstinatos mori in vestigio quenque suo vidit: patefacta acie, quod vt facere posset, multitudo armatorum facilè suppeditabat, cornua hostium amplexus, in orbem pugnantes ad vnum omnes occidit. Atque hæc tamen hostium iratorum, ac tum maximè dimicantium iure belli in armatos repugnantésque edebantur. fœdior alia in vrbe trucidatio erat, cum turbam fœminarum puerorúmque imbellem, inermem ciues sui cæderent, & in succensum rogum semianima pleraque inücerent corpora, riuíq; sanguinis flammam orientem restinguerent: postremò ipsi cæde miseranda suorum fatigati, cum armis medio se incendio iniecerunt. Iam cædi perpetratæ victores Romani superuenerunt. ac primo conspectu tam fœdæ rei mirabundi parumper obstupuerunt. dein cum aurum argentúmque cumulo rerum aliarum interfulgens auiditate ingenii humani rapere ex igne vellent, correpti alii flamma sunt, alii ambusti afflatu vaporis: cùm receptus primis vrgente ab tergo ingenti turba non esset. Ita Astapa sine præda militum ferro ignique absumpta est. Martius cæteris eius regionis metu in deditionem acceptis, victorem exercitum Carthaginem ad Scipionem reduxit. Per eos ipsos dies perfugæ à Gadibus venerunt, pollicentes, vrbem, Punicúmq; præsidium, quod in ea esset, & imperatorem præsidii cum classe prodituros esse. Mago ibi ex fuga substiterat: nauibúsque in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum &

Astapenses liberos ac cōiuges exuri iubēt, si bello ipsi vincantur.

Astapenses ad vnum omnes occisi.

Perfugæ à Gadibus ad Scipionē ueniunt.

trans fretum Africæ oræ, & ex proximis Hispaniæ locis per Hannonem præfectum coëgerat. Fide accepta datáque perfugis, & Martius eò cum expeditis cohortibus, & Lælius cum septem triremibus, quinqueremi vna est missus, vt terra maríque communi consilio rem gererent. A

Scipio graui morbo implicitus.

Scipio ipse graui morbo implicitus, grauiore tamen fama, cùm ad id quisq; quod audierat, insita hominibus libidine alendi de industria rumores, adiiceret aliquid, prouinciam omnem ac maximè longinqua eius turbauit: apparuítque, quantam excitatura molem vera fuisset clades, cùm vanus rumor tantas procellas exciuisset. non socii in fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius & Indibilis, quibus quia regnum sibi Hispaniæ pullis inde Carthaginiensibus destinarant animis, nihil pro spe contigerat: concitatis popularibus (Lacetani autem erant) & iuuentute Celtiberorum excitata, agrum Suessitanum Sedetanúmque sociorum populi Romani hostiliter depopulati sunt.

Castrensis tumultus.

Ciuilis alius furor in castris ad Sucronem ortus. Octo ibi millia militum erant, præsidium gentibus quæ cis Iberum incolunt, impositum. Motæ autem eorum mentes sunt, nō tum cùm primùm de vita imperatoris dubii rumores allati sunt: sed iam antè, licentia ex diutino, vt fit, otio collecta, & nonnihil, quod in hostico laxius rapto suetis viuere arctiores in pace res erant. Ac primò sermones tantùm occulti ferebantur. si bellum in prouincia esset, quid sese inter pacatos facere? si debellatum iam & confecta prouincia esset, cur in Italiam non reueli? Flagitatum quoque stipendium procacius, quàm ex more & modestia militari erat, & à custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos iacta: & noctu quidam prædatū in agrum circà pacatum ierant: postremò interdiu, ac propalàm sine commeatu ab signis abibant. omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum qui præerant, gerebatur. forma tamen Romanorum castrorū constabat vna ea spe, quòd tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis defectionísque rati fore, & iura reddere in principiis sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes ac vigilias ordine ibant: & vt vim imperii abstulerant, ita speciem dicto parentium vltrò ipsi imperātes seruabant. Erupit deinde seditio, postquam reprehendere, atque improbare tribunos ea quæ fierent, & conari obuiam ire, & propalàm abnuere furoris eorum se futuros socios, senserunt. Fugatis itaque ex principiis, ac paulo pòst è castris tribunis, ad principes seditionis

Authores seditionis.

gregarios milites, C. Albium Calenum, & C. Atrium Vmbrum, delatum omnium consensu imperium est. qui nequaquam tribunitiis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperii, fasces securésq; attrectare ausi: neq; iis venit in mentem, suis tergis, suis ceruicibus virgas illas securésq; imminere, quas ad metum aliorū præferrent. Mors Scipionis falsò credita occæcabat animos: sub cuius vulgatam iam famam non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello. in eo tumultu & sociis pecunias imperari, & diripi propinquas vrbes posse. & turbatis rebus, cùm omnia omnes auderent, minus insignia fore quæ ipsi fecissent. Cum alios subinde recentes nuntios nō mortis modò, sed etiā funeris expectarent, B neque superueniret quisquam, euanescerétque temerè ortus rumor: tum primi auhores requiri cœpti. & subirascentes quoque, vt credidisse potius temerè, quàm finxisse rem talem videri possent: destituti duces iam sua ipsi insignia, & pro vana imagine imperii quod gererent, veram iustámque mox in se versuram potestatem exhorrebāt. Stupenti ita seditioni cùm viuere primò, mox etiam valere Scipionem, certi authores afferrent, tribuni militum septem, ab ipso Scipione missi, superuenerūt.

Septem tribuni militū adcōpescendam seditionem missi.

Ad quorum primum aduentum exasperati animi: mox ipsis placido sermone permulcentibus notos, cum quibus congressi erant, leniti sunt. circumeuntes enim tentoria primò, deinde in principiis prætorióque, vbi sermones inter se ferentium circulos vidissent, alloquebantur: percunctantes magis, quæ causa iræ consternationísque subitæ foret, quàm factum accusantes. Vulgo stipendium non datum ad diem iactabatur: & cum eodem tempore, quo scelus Illiturgitanum extitisset, post duorum imperatorum duorúmque exercituum stragem sua virtute defensum nomen Romanum, ac retenta prouincia esset, Illiturgitanos pœnam noxæ meritam habere, suis rectè factis gratiam qui exoluat non esse. Talia querentes æqua orare, séque ea relaturos ad imperatorem respondebant. lætari, quòd nihil tristius, nec insanabilius esset: & P. Scipionem deûm benignitate, & Rempublicam esse gratiæ referēdæ. Scipionem bellis assuetum, ad seditionum procellas rudem, solicitum habebat res, ne aut exercitus peccando, aut ipse puniendo modum excederet. in præsentia, vt cœpisset, leniter agi placuit, & missis circa stipendiarias ciuitates exactoribus, stipendii spem propinquam facere. Edictum subinde pro-

Seditiosi milites ad stipendium petendum cōuenire Carthaginē noui iubētur.

positum, vt ad stipendium petendum cōuenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu vniuersi mallent. Tranquillam seditionem iam per se languescentem repentina quies rebellantium Hispanorum fecit. redierant enim in fines omisso incœpto Mandonius & Indibilis, postquàm viuere Scipionem allatum est. nec iam erat aut ciuis, aut externus, cum quo furorem suum consociarent. omnia circunspectantes consilia nihil reliqui habebant, præter vulgatissimum à malis consiliis receptum, vt imperatoris vel iustæ iræ, vel non desperandæ clementiæ sese committerent. etiam hostibus enim ignouisse, cum quibus ferro dimicasset. suam seditionem sine vulnere, sine sanguine fuisse: nec ipsam atrocem, nec atroci pœna dignam: vt ingenia humana sunt ad suam cuique leuandam culpam nimio plus facunda. Illa dubitatio erat, singulæne cohortes, an vniuersi ad stipēdium petendum irent. inclinauit eò sententia, quod tutius censebant, vniuersos ire. Per eosdem dies, quibus hæc illi cōsultabant, consilium de iis Carthagine erat: certabatúrque sententiis, vtrum in authores tantùm seditionis (erant autem hi numero haud plus quàm quinque & triginta) animaduerteretur, an pluriū supplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis quàm seditio esset. Vicit sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret. ad multitudinem castigationem satis esse. Concilio dimisso, vt id actum videretur, expeditio aduersus Mandonium Indibilémque edicitur exercitui, qui Carthagine erat, & cibaria die-

rum

A rum aliquot parare iubentur. tribunis septem, qui & antea Sucronem ad leniendam seditionē ierant, obuiam exercitui missis (quina nomina principum seditionis edita sunt) vt eos per idoneos homines benigno vultu ac sermone in hospitium inuitatos, sopitósque vino vincirent. Haud procul iam Carthagine aberant, cùm ex obuiis auditum, postero die omnem exercitum cum M. Syllano in Lacetanos proficisci, non metu modò omni, qui tacitus incidebat animis, liberauit eos, sed lætitiam ingentem fecit: quòd magis habituri solum imperatorem, quàm ipsi futuri in potestate eius essent. Sub occasum solis vrbem ingressi sunt, exercitúmque alterum parantem omnia ad iter vident. Excepti sermonibus de industria compositis, lætum opportunúmque aduentum eorum imperatori esse, quòd sub ipsam profectionem alterius exercitus venissent: corpora curant. à tribunis sine vllo tumultu authores seditionis per idoneos homines inducti in hospitia, comprehensi ac vincti sunt. Vigilia quarta impedimenta exercitus, cui simulabatur iter, proficisci cœpere. sub lucem signa mota, & ad portam retentum agmen: custodésque circa omnes portas missi, ne quis vrbe egrederetur. Vocati deinde ad concionem qui pridie venerant, ferociter in forum ad tribunal imperatoris, vt vltro territuri succlamationibus, concurrunt. Simul & imperator in tribunal conscendit, & reducti armati à portis inermi se concioni ab tergo circunfuderunt. tum omnis ferocia concidit, & (vt postea fatebantur) nihil æquè eos terruit, quàm præter spem robur & color imperatoris, quem affectum visuros crediderant, vultúsque qualem ne in acie quidem aiebant meminisse. Sedit tacitus paulisper, donec nuntiatum est, deductos in forum authores seditionis, & parata iam omnia esse. Tum silentio per præconem facto, ita cœpit. Nunquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi: non quo verba vnquam potius quàm res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus assueueram militaribus ingeniis. apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos nec quo nomine quidem appellare debeam, scio. ciues? qui à patria vestra desciuistis. an milites? qui imperium auspiciúmque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. hostes? corpora, ora, vestitum, habitum ciuium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, aut optastis aliud, aut sperastis? & illi tamen Mandonium, atque Indibilem, regiæ nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium & imperium ad Vmbrum Atrium, & Calenum Albinum detulistis. Negate vos id omnes fecisse. aut factum voluisse milites. paucorum eum furorem atque amentiam esse, libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa, quæ vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. inuitus ea, tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta, tractatáque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum tota prouincia, nullos homines credebam esse, vbi vita inuisa esset mea. sic me

Authores seditionis comprehensi.

Scipionis ad seditiosos milites oratio.

B non solum aduersus socios gesseram, sed etiam aduersus hostes. In castris meis (en quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta solùm, sed etiā expectata est. non quòd ego vulgari facinus per omnes velim (equidem si totum exercitū meum mortem mihi optasse crederem, hic statim ante oculos vestros morerer: nec me vita iuuaret inuisa ciuibus, & militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: vt venti & auræ cient: aut tranquilli, aut procellosi. & causa in vobis atq; origo omnis furoris penes authores est, vos cōtagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quò amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriā, parentésq; ac liberos vestros, quid in deos sacramēti testes, quid aduersus auspicia, sub quibus militastis, quid aduersus morē militiæ disciplinámq; maiorū, quid aduersus summi imperii maiestatē ausi sitis. De meipso taceo. temerè potius, quàm auidè credideritis: is deniq; ego sim, cuius imperii tædere exercitū, minimè mirandum sit. patria quid de vobis meruerat, quā cum Mandonio & Indibili consociando cōsilia prodebatis? quid populus Romanus? cùm imperiū ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines priuatos detulistis? cùm, eo ipso non cōtenti, si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos, quibus seruus, cui imperarent, nunquam fuerat: Romanus exercitus detulistis. In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali proconsulis Scipionis: lictor apparuit: submouente eo incesserunt: fasces & secures prælatæ sunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo, & insuetos fœtus animalia edere, vos portenta esse putatis? hoc est portentum, quod nullis hostiis, nullis supplicationibus sine sanguine eorum qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Atque ego, quanquam nullum scelus rationem habet: tamen vt in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegyum quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus ciuitatis, vrbem opulentam per decem annos tenuit. propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ securi percussi sunt. Sed illi primùm non Atrium Vmbrum semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Iubellium tribunum militum secuti sunt: nec cum Pyrrho, nec Samnitibus aut Lucanis, hostibus populi Romani se coniunxerant. vos cum Mandonio & Indibili consilia communicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam Tuscis veteribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam, sic Rhegyum habituri perpetuam sedem erant: nec populum Romanum, nec socios populi Romani vltrò lacessituri bello. Sucronémne vos domicilium habituri eratis? vbi si vos decedens cōfecta prouincia imperator relinquerem, deûm hominúmque fidem implorare debebatis, quòd nō rediretis ad coniuges liberósque vestros. sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meíque, eieceratis ex animis vestris. Viam consilii scelerati, sed non ad vltimum dementis exequi volo. Méne viuo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die vna Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugaui, Hispania expuli, vos octo millia hominum, maioris certè

omnes pretii, quàm Albius & Atrius sunt, quibus vos subiecistis, Hispaniam prouinciam populo Romano erepturi eratis? Amolior & amoueo nomen meum, nihil vltra facile creditam mortem meam à vobis violatus sim. quid? si ego morerer, mecum expiratura Respublica, mecum casurum imperium populi Romani erat? ne istuc Iupiter Optimus Maximus sinat, vrbem auspicatò diis authoribus in æternum conditam fragili huic & mortali corpori æqualem esse. Flaminio, Paulo, Graccho, Posthumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, Cn. Fuluio, Scipionibus meis, tot tam claris imperatoribus vno bello absumptis superstes est populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro nunc morbo morientibus, meo vnius funere elata populi Romani esset Respublica? Vos ipsi hic in Hispania patre & patruo meo, duobus imperatoribus interfectis, Septimium Martium ducem vobis aduersus exultanteis recenti victoria Pœnos delegistis. & sic loquor, tãquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint. M. Syllanus eodem iure, eodem imperio mecum in prouinciam missus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius legati, vindices maiestatis imperii deessent? vtrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, arma contra patriã, contra ciues vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem vrbi Romæ imperare velletis? quam ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio iniusta, miserum & indignum exilium, vt iret ad oppugnãdam patriam, impulit: reuocauit tamen à publico parricidio priuata pietas. vos qui dolor, quæ ira incitauit? stipendiúmne diebus paucis imperatore ægro serius numeratum, satis digna causa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Illergetes desciseretis à populo Romano? cur nihil diuinarũ, humanarúmve rerum inuiolatũ vobis esset? insanistis profectò milites: nec maior in corpus meum vis morbi, quàm in vestras mentes inuasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint. auferat omnia irrita obliuio, si potest: si non, vtcunque silentium tegat. Non negauerim, tristem atrocémque vobis visam orationem. quanto creditis facta vestra atrociora esse, quàm dicta mea? & me ea quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo feretis? sed ne ea quidem ipsa vltra exprobrabuntur. vtinam tam facilè vos obliuiscamini eorum, quàm ego obliuiscar. Itaque quod ad vos vniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis supérque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Vmber, & cæteri nefariæ seditionis authores sanguine luent quod admiserũt. vobis supplicii eorum spectaculum non modò non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens redit, debet esse. de nullis enim, quàm de vobis infestius, aut inimicius consuluerunt. Vix finem dicendi fecerat, cùm ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribúsque est offusus. Exercitus, qui corona concionẽ circundederat, gladiis ad scuta concrepuit. præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio. nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. deligati ad palum, virgísque cæsi, & securi percussi, adeò torpentibus metu qui aderant, vt non B

Seditionis authores virgis cæsi & securi percussi.

modò ferocior vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed ne gemitus quidem exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatóque loco, citati milites nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis iurarunt, stipendiúmque ad nomen singulis persolutum. Hunc finem exitúmque seditio militum cœpta apud Sucronem habuit. Per idem tempus ad Bætim fluuium Hanno præfectus à Magone, missus à Gadibus cum parua manu Afrorum, mercede Hispanos solicitando, ad IIII millia iuuenum armauit. castris deinde exutus ab L. Martio, maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiam in fuga amissis, palatos persequente equite, cum paucis ipse effugit.

Hãno à Martio in fugam versus.

Dum hæc ad Bætim fluuium geruntur, Lælius interim freto in Oceanum euectus, ad Carteiam classe accessit. Vrbs ea in ora Oceani sita est, vbi primùm è faucibus angustis panditur mare. Gadeis sine certamine proditione recipiendi, vltro qui eam rem pollicerẽtur, in castra Romana venientibus, spes, sicut antè dictum est, fuerat. sed patefacta immatura proditio est, comprehensósque omnes Mago Adherbali prætori Carthaginem deuehendos tradit.

Adherbalis & Lælij naualis pugna.

Adherbal coniuratis in quinqueremem impositis, præmissáque ea, quia tardior quàm triremis erat, ipse cum octo triremibus modico interuallo sequitur. Iam fretum intrabat quinqueremis, cum Lælius & ipse in quinqueremi è portu Carteiæ sequẽtibus septem triremibus euectus, in Adherbalem ac triremes inuehitur, quinqueremem satis credens deprehẽsam rapido in freto in aduersum æstum reciprocari non posse. Pœnus in re subita parumper incertus trepidauit, vtrum quinqueremem sequeretur, an in hosteis rostra conuerteret. Ipsa cunctatio facultatem detrectandæ pugnæ ademit. iam enim sub ictu teli erant, & vndique instabant hostes. æstus quoque arbitrium moderandi naues ademerat. neque erat nauali, pugna similis: quippe vbi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. vna natura freti, æstúsque totius certaminis potens, suis alienis nauibus nequicquam remigio in contrarium tendentes inuehebat, vt fugientem videres retro vertice intortam victricibus illatam: & sequentem, si in contrarium tractum incidisset maris, fugientis modo sese auertentem. Iam in ipsa pugna hæc cum infesto rostro peteret hostium nauem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa cum transuersa obiiceretur hosti, repentè intorta in proram circumagebatur. Cum inter triremes fortuna regente anceps prælium misceretur, quinqueremis Romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vertices, cum facilius regeretur, duas triremes suppressit, vnius prælata impetu lateris alterius remos detersit. cæteráſq;, quas indepta esset, mulctasset, ni cum reliquis v. nauibus Adherbal velis in Africam transmisisset.

Adherbal fugã vers.

Lælius victor Carteiam reuectus, auditis quæ acta Gadibus erant: patefactam proditionem, coniuratósque missos Carthaginem, spe in irritum redacta, qua venissent: nuntiis ad L. Martium missis, nisi terere frustra tempus sedendo ad Gadeis vellent, redeundum ad imperatorem esse: assentiente Martio, paucos post dies ambo Carthaginem rediere. Ad quorum discessum non respirauit modò Mago, cum terra maríque

ancipiti

A ancipiti metu vrgeretur: sed etiam audita rebellione Illergetum, spem recuperandæ Hispaniæ nactus, nuntios Carthaginem mittit ad senatum: qui simul seditionem ciuilem in castris Romanis, simul defectionem sociorum in maius verbis extollentes, hortarentur, vt auxilia mitterent, quibus traditum à patribus imperium Hispaniæ repeti posset. Mandonius & Indibilis in fines regressi, paulisper, dum quidnam de seditione statueretur, scirent, suspensi quieuerunt: si ciuium errori ignosceretur, non diffidentes sibi quoque ignosci posse. postquam vulgata est atrocitas supplicii, suam quoq; noxam pari pœna æstimatam rati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractísque quæ ante habuerant auxiliis, in Sedetanum agrum, vbi principio defectionis statiua habuerant, cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum & quingentis transcenderunt. Scipio cum fide soluendi pariter omnibus noxiis innoxiisque stipendii, tum vultu ac sermone in omneis placato facile reconciliatis militum animis, priusquam castra à Carthagine moueret, concione aduocata, multis verbis in perfidiam rebellantium regulorum inuectus, nequaquam eodem animo se ire professus est ad vindicandum id scelus, quo ciuilem errorem nuper sanauerit. Tum se haud secus, quàm viscera secantem sua, cum gemitu & lacrymis triginta hominum capitibus expiasse octo millium seu imprudentiam, seu noxam: nunc læto & erecto animo ad cædem Illergetum ire. non enim eos neque natos in eadem terra, nec vlla secum societate iunctos esse. eam, quæ sola fuerit, fidem, atque amicitiam ipsos per scelus rupisse. in exercitu suo se, præterquam quod omnes ciues, aut socios, Latinique nominis videat, etiam eo moueri: quòd nemo ferè sit miles, qui non aut à patruo suo Cn. Scipione, qui primus Romani nominis in eam prouinciam venerit, aut à patre consule, aut à se sit ex Italia aduectus. Scipionum nomini auspiciisque omneis assuetos, quos secum in patriam ad meritum triumphum deducere velit: quos consulatum petenti, velut si omnium communis agatur honos, affuturos speret. Quod ad expeditionem eam attineat, quæ instet, immemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellum ducat. Magonis hercule sibi, qui extra orbem terrarũ in circunfusam Oceano insulam cum paucis perfugerit nauibus, maiorem curam esse, quàm Illergetum. quippe illic & ducem Carthaginiensem, & quantumcunque Punicum præsidium esse: hic latrones, latronúmque duces: quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectáque vrenda, & rapienda pecora aliqua vis sit, ita in acie ac signis collatis nullum esse. magis velocitate ad fugam, quàm armis fretos, pugnaturos esse. Itaque non quòd vllum inde periculum, aut semen maioris belli videat, ideo se, priusquam prouincia decedat, opprimendos Illergetes duxisse: sed primùm, ne impunita tam scelerata defectio esset: deinde, ne quis in prouincia simul virtute tanta & felicitate perdomita relictus hostis dici posset. Proinde deis bene iuuantibus sequerentur non tam ad bellum gerendum (neque enim cum pari hoste certamen esse) quàm ad expe-

B tendas ab hominibus scelestis pœnas. Ab hac oratione dimissos ad iter se comparare in diem posterum iubet. profectúsque decimis castris peruenit ad Iberum flumen, inde superato amni die quarto in conspectu hostium posuit castra. Campus autem montibus circunseptus erat. in eam vallem Scipio cùm pecora, rapta pleraque ex ipsorum hostium agris, propelli ad irritandam feritatem barbarorum iussisset, velites subsidio mittit. à quibus vbi per procursationem commissa pugna esset, Lælium cum equitatu impetum ex occulto facere iubet. mons opportunè prominens equitum insidias texit. Nec vlla mora pugnæ facta est. Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrêre. primò missilibus territauere. deinde missis leuibus telis, quæ irritare magis quàm decernere pugnam poterant, gladios nudant, & collato pede res cœpta geri est: ancépsque pedestre certamen erat, ni equites superuenissent, neque ex aduerso tantùm illati obuios obtriuere, sed circunuecti etiam quidam per infima cliui ab tergo se, vt plerósque intercluderẽt, obiecere. maiórque cædes fuit, quàm quantam edere leuia per excursiones prælia solent. Ira magis accensa aduerso prælio barbaris est, quàm imminuti animi. itaque ne perculsi viderentur, prima luce postero die in aciem processere. Non capiebat omnes copias angusta, sicut ante dictum est, vallis. duæ fermè peditũ partes, & omnis equitatus in aciem descendit: quod reliquum peditum erat, obliquo constiterunt colle. Scipio pro se esse loci angustias ratus, & quòd in arcto pugna Romano aptior quàm Hispano militi futura videbatur: & quòd in eum locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multitudinem eorum caperet: nouo etiam consilio adiecit animum. equitem nec se posse circundare cornibus in tam angusto spatio: & hosti, quem cum pedite eduxisset, inutilem fore. itaque imperat Lælio, vt per colles quàm occultissimo itinere circunducat equites: segregétque quantum posset, equestrem à pedestri pugna. ipse omnia signa peditũ in hostes vertit: quatuor cohortes in fronte statuit, quia latius pandere aciem non poterat, moram pugnandi nullam fecit, vt ipso certamine auerteret à conspectu transeuntium per colles equitum. nec antè circunductos sensere, quàm tumultum equestris pugnæ ab tergo accepere. Ita duo diuersa prælia erãnt. duæ peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi (quia misceri ex genere vtroque prælium angustiæ non patiebantur) pugnabant. Hispanorum, cum neque pedes equiti, nec eques pediti auxilio esset: pedes fiducia equitis temerè commissus campo cæderetur, eques circumuentus nec peditem à fronte (iam enim stratæ pedestres copiæ erant) nec ab tergo equitem sustineret: & ipsi cum diu in orbem sese stantibus equis defendissent, ad vnum omnes cæsi sunt: nec quisquam peditum equitúmve superfuit, qui in valle pugnauerunt. Tertia pars, quæ in colle ad spectaculum magis tutum quàm ad partem pugnæ capessendam steterat, & locum & tempus ad fugiendum habuit. inter eos & reguli ipsi fugerunt, priusquam tota circumueniretur acies, inter tumultum elapsi. Castra eodem die Hispanorum præter cæteram prædam cum tribus fermè millibus hominum capiuntur. Romani sociíque ad mille c c eo prælio ceciderũt, vulnerata amplius tria millia

Mandonius & Indibilis propalàm à Romanis deficiunt.

Scipionis ad milites oratio.

Scipio aduersus Mandonium & Indibilem copias ducit.

Mandonius & Indibilis cũ paucis fugit, reliquis cæsis.

hominum. minus cruenta victoria fuisset, si patentiore campo, & ad fugam capessendam facili foret A pugnatum. Indibilis abiectis belli consiliis, nihil tutius afflictis rebus experta fide & clementia Sci-

Mandonius ad Scipionẽ supplex venit.

pionis ratus, Mandonium fratrem ad eum mittit. Qui aduolutus genibus, fatalem rabiem temporis eius accusat, cùm velut contagione quadam pestifera non Illergetes modò & Lacetani, sed castra quoque Romana insanierint. suam quidem & fratris, & reliquorum popularium eam conditionem esse: vt aut, si ita videatur, reddant spiritum P. Scipioni, ab eodem illo acceptum: aut seruati bis vni debitum pro eo in perpetuũ deuoueant. antea in causa sua fiduciam sibi fuisse, nondum experta clementia eius: nunc contrà, nullam in causa, omnem in misericordia victoris spem repositam habere. Mos vetustus erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus iungerentur amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum vti, quàm omnia diuina humanáque dedisset: obsides accepti, arma

Scipionis clementia in Mãdonium.

adempta, præsidia vrbibus imposita forent. Scipio multis inuectus in præsentem Mandonium, absentémque Indibilem verbis, illos quidem meritò perituros fuisse ipsorum maleficio, ait: victuros suo atque populi Romani beneficio. cæterùm se neque arma iis adempturum (quippe ea pignora timentium rebellionem esse, se libera arma relinquere, solutósque metu animos) neque se in obsides innoxios, sed in ipsos si defecerint, sæuiturum: nec ab inermi, sed ab armato hoste pœnas expetiturum. vtranque fortunam expertis permittere sese, vtrum propitios, an iratos habere Romanos mallent. Ita dimissus Mandonius, pecunia tantummodo imperata, ex qua stipendium militi præstari posset: ipse Martio in vlteriorem Hispaniam præmisso, Syllano Tarraconem remisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniã Illergetes pernumerarent, cum expeditis Martium iam appropinquantem Oceano assequitur. Inchoata res iam antè de Masanissa aliis atque aliis de causis dilata erat, quòd Numida

Scipionis & Masanissæ colloquium.

cum ipso vtique congredi Scipione volebat, atq; eius dextra fidem sancire. ea tum itineris tam longi, ac tam deuii causa Scipioni fuit. Masanissa cum Gadibus esset, certior aduentare eum à Martio factus, causando corrumpi equos inclusos in insula, penuriámque omnium rerum & facere cæteris, & ipsos sentire, ad hoc equitem marcescere desidia: Magonem perpulit, vt se traiicere in continentem ad depopulandos proximos Hispaniæ agros pateretur. Transgressus treis principes Numidarum præmittit ad tempus locúmque colloquio statuendum: duos pro obsidibus retineri à Scipione iubet. remisso tertio, qui quò iussus erat, adduceret Masanissam: cum paucis in colloquium venerunt. Ceperat iam antè Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri: substituerátque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam. cæterùm maior præsentis veneratio cepit, & præterquam quod suapte natura multa maiestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitúsque corporis nõ cultus munditiis, sed virilis verè ac militaris: & ætas erat in medio virium robore, quod plenius nitidiúsque ex morbo

Masanissæ ad Scipionẽ oratio.

velut renouatus flos iuuentæ faciebat. Propè attonitus ipso congressu Numida, gratias de fratris filio B remisso agit. Ex eo tempore affirmat eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam deũm immortaliũ beneficio non omiserit. cupere se illi, populóq; Romano operam nauare: ita, vt nemo vnus externus magis enixè adiuuerit rem Romanam. id se, etiam si iampridem vellet, minus præstare in Hispania, terra aliena atque ignota potuisse, in qua autem genitus educatúsque in spem paterni regni esset, facilè præstaturum. si quidem eundem Scipionem ducem in Africam mittant Romani, satis sperare perbreuis æui Carthaginem esse. Lætus eum Scipio vidit, audiuítque, cùm caput rerum in omni hostium equitatu Masanissam fuisse sciret, & ipse iuuenis specimen animi præ se ferret. Fide data acceptáque, profectus retro Tarraconem est. Masanissa permissu Romanorum, ne sine causa traiecisse in

Masanissa & Scipio fide data acceptáque discedunt.

continentem videretur: populatus proximos agros, Gades rediit. Magoni, desperatis in Hispania rebus, in quarum spem seditio primùm militaris, deinde defectio Indibilis animos eius sustulerant, paranti traiicere in Africam nuntiatum ab Carthagine est, iubere senatum, vt classem quam Gadibus haberet, in Italiam traiiceret: conductáque ibi Gallorum ac Ligurum quanta maxima posset iuuentute, coniungeret se Annibali: neu senescere bellum maximo impetu, maiore fortuna cœptum sineret. Ad

Mago iubetur à senatu Carthaginiẽsi, vt classem, quã habebat, in Italiam traijciat.

eam rem & à Carthagine pecunia Magoni aduecta est: & ipse quantam potuit, à Gaditanis exegit: non ærario modò eorum, sed etiam templis spoliatis, & priuatim omnibus coactis aurum argẽtúmq; in publicum conferre. Cùm præteruheheretur Hispaniæ oram, haud procul Carthagine Noua expositis in terram militibus proximos depopulatus agros, inde ad vrbem classem appulit. ibi cùm interdiu milites in nauibus tenuisset, nocte in litus expositos ad partem eam muri, qua capta Carthago ab Romanis fuerat, ducit: nec præsidio satis valido vrbem teneri ratus, & aliquos oppidanorum ad spem nouandi res aliquid moturos. Cæterùm nuntii ex agris trepidi simul populationem agrestiúmque fugam & hostium aduentum attulerant: & visa interdiu classis erat, nec sine causa electam ante vrbem stationem apparebat. itaque instructi armatíque intra portam ad stagnum ac mare versam con-

Mago ad nouam Carthaginem in fugã vertitur.

tinebantur. Vbi effusi hostes, mista inter milites nauali turba, ad muros tumultu maiore quàm vi subiere: patefacta repentè porta, Romani cum clamore erumpunt: turbatósque hostes, & ad primum incursum coniectúmque telorum auersos vsque ad litus cum multa cæde persequuntur. nec nisi naues litori appulsæ trepidos accepissent, superfuisset fugæ aut pugnæ quisquam. In ipsis quoque trepidatum nauibus est, dum ne hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas orásque: & anchoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt. multíque adnantes nauibus, incerto præ tenebris quid aut peterent aut vitarent, fœdè interierunt. Postero die cum classis inde retro ad Oceanum, vnde venerat, fugisset, ad

Gaditani portas claudunt Magoni.

octingentos homines cæsi: inter murum litúsque ad duo millia armatorum inuenta. Mago cum Gadeis repetisset, exclusus inde ad Cimbim (haud procul Gadibus is locus abest) classe appulsa, mittendis legatis, querendóque quòd portæ sibi socio atque amico clausæ forent: purgantibus multitudinis

concursu

A concursu factum, infestæ ob direpta quædam ab cōscendentibus naues militibus, ad colloquium Suf-
fetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus, cum quæstore elicuit, laceratósque verberibus cruci
affigi iussit: inde nauibus ad Pityusam insulam centum millia fermè à continenti (Pœni tum eam in- *Pityusa.*
colebant) traiecit. itaque classis bona cum pace accepta est, nec commeatus modò benignè præbiti,
sed in supplementū classis iuuentus armáque data. quorum fiducia Pœnus in Baleares insulas (quin- *Baleares insulæ.*
quaginta inde millia absunt) transmisit. Duæ sunt Baleares. maior altera atq; opulentior armis virísq;:
& portum habet, vbi commodè hybernaturum se (& iam extremum autumni erat) censebat. cæterùm
haud secus quàm si Romani eam insulam incolerent, hostiliter classi occursum est. Fundis vt nunc
plurimum, ita tunc solo eo telo vtebantur. nec quisquam alterius gentis vnus tantum ea arte, quantum
inter alios omnes Baleares excellunt. Itaque tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in pro-
pinquantem iam terræ classem effusa est, vt intrare portum nō ausi, auerterent in altum naues. In mi-
norem inde Baleariū insulam traiecerunt, fertilem agro, viris, armis haud æquè validam. itaq; egressi
nauibus supra portum loco munito castra locant: ac sine certamine vrbe agróque potiti, duobus mil-
libus auxiliarium inde conscriptis, missísque Carthaginem ad hybernandum, naues subduxerūt. Post
Magonis ab Oceani ora discessum Gaditani Romanis deduntur. Hæc in Hispania P. Scipionis ductu *Gaditani*
auspicióque gesta. Ipse L. Lentulo & L. Manlio Acidino prouincia tradita, decem nauibus Romā re- *Romanis de*
diit. & senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hispania gessisset, disseruit: quoties signis *duntur.*
collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset. quas gentes in ditionem populi Romani re- *Scipio Ro-*
degisset. aduersus quatuor se imperatores, quatuor victores exercitus in Hispaniam iuisse, neminem *mam redit.*
Carthaginiensem in iis terris reliquisse. Ob has res gestas magis tentata est triumphi spes, quàm pe-
tita pertinaciter: quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.
Senatu misso, vrbem est ingressus, argentíque præ se in ærarium tulit † quatuordecim millia pondo *† Valent*
CCCXLII, & signati argenti magnum numerum. Comitia inde creandis consulibus habuit L. Vetu- *14;420*
rius Philo: centuriæque omnes ingenti fauore P. Scipionem consulem dixerunt. collega additur ei P. *coron.*
Licinius Crassus pontifex maximus. Cæterùm comitia maiore quàm vlla per id bellum celebrata fre-
quentia, proditum memoriæ est. conuenerant vndique non suffragandi modò, sed etiam spectandi
causa P. Scipionis: concurrebántque & domum frequentes, & in Capitolium ad immolantem eum,
cùm centum bobus votis in Hispania Ioui sacrificaret: despondebántque animis, sicut C. Luctatius
superius bellum Punicum finisset, ita id quod instaret P. Corneliū finiturum: atque vt Hispania omni
Pœnos expulisset, sic Italia pulsurum esse: Africámque ei, perinde ac debellatū in Italia foret, prouin-
ciam destinabant. Prætoria inde comitia habita. creati duo, qui tum ædiles plebis erant, Sp. Lucretius
B & Cn. Octauius, & ex priuatis Cn. Seruilius Cepio & L. Aemylius Pappus. Quartodecimo anno Puni-
ci belli P. Cornelius Scipio & P. Licinius Crassus consulatum inierunt, nominatæ consulibus prouin-
ciæ sunt: Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega, quia cura sacrorum pontificem maximum *Prouinciarū*
in Italia retinebat, Brutii Crasso. Tum prætoriæ prouinciæ in sortem coniectæ. vrbana Cn. Seruilio ob- *diuisio.*
tigit: Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio, Sicilia L. Aemylio, Cn. Octauio Sardinia. Se-
natus in Capitolio habitus. ibi referente P. Scipione, senatusconsultum factum est, vt quos ludos
inter seditionem militarem in Hispania vouisset, ex ea pecunia quam ipse in ærarium detulisset, face-
ret. Tum Saguntinorū legatos in senatum introduxit. ex eis maximus natu. Etsi nihil vltra malorum
est Patres conscripti, quàm quod passi sumus, vt ad vltimum fidem vobis præstaremus: tamen ea ve- *Legatorum*
stra merita, imperatorúmque vestrorum erga nos fuerunt, vt nos cladium nostrarum non pœniteat. *Saguntino-*
Bellum propter nos suscepistis: susceptum quartumdecimum annum tam pertinaciter geritis, vt sæpe *rum oratio.*
ad vltimum discrimen & ipsi veneritis, & populum Carthaginiensem adduxeritis. Cùm in Italia tam
atrox bellum & Annibalem hostem haberetis, cōsules cum exercitu in Hispaniam, velut ad colligen-
das reliquias naufragii nostri misistis. P. & Cn. Cornelii ex quo in prouinciam venerūt, nullo tempore
destiterunt, quæ nobis secunda, quæque aduersa hostibus nostris essent, facere. iam omnium primùm
oppidum nobis restituerunt: per omnem Hispaniam ciues nostros venundatos, dimissis qui conqui-
rerent, ex seruitute in libertatem restituerunt, cùm iam propè esset, vt optabilem ex miserrima fortu-
nam haberemus: P. & Cn. Cornelii imperatores vestri luctuosius nobis propè quàm vobis perierunt.
tum verò ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam videbamur, vt iterum periremus, &
alterum excidium patriæ videremus: nec ad perniciem nostram Carthaginiensi vtique aut duce aut
exercitu opus esse, ab Turdetanis veterrimis hostibus, qui prioris quoque excidii causa nobis fue-
rant, extingui posse: cum ex insperato repentè misistis nobis hunc P. Scipionem: quem, fortunatissimi
omnium Saguntinorum videmur, quia consulem declaratum vidimus, ac vidisse nos ciuibus nostris
renuntiaturi sumus: spem, opem, salutem nostram. qui cùm plurimas hostium vestrorum cepisset in
Hispania vrbes, vbique ex captorū numero excerptos Saguntinos in patriam remisit. postremò Tur-
detaniam adeò infestam nobis, vt illa gente incolumi, stare Saguntum non posset, ita bello afflixit, vt
non modò nobis, (absit verbo inuidia) sed ne posteris quidem timenda nostris esset. deletam vrbem
cernimus eorum, quorum in gratiā Saguntum deleuerat Annibal. vectigal ex agro eorum capimus,
quod nobis nō fructu iucundius est, quàm vltione. Ob hæc quibus maiora neque sperare, neque optare
ab diis immortalibus poteramus: gratias actum nos decem legatos Saguntinus senatus populúsque
ad vos misit: simul gratulatum, quòd ita res per hos annos in Hispania atque Italia gessistis, vt Hispa-
niam non Ibero amne tenus, sed quà terrarū vltimus finis Oceanus, domitam armis habeatis: Italiæ,
nisi quatenus vallum castrorū cingit, nihil reliqueritis Pœno. Ioui Opt. Max. præsidi Capitolinæ arcis

non grates tantum ob hæc agere iussi sumus,sed donum hoc etiã, si vos permitteretis, coronam aureã in Capitolium victoriæ ergò ferre. Id vti permittatis,quæsumus: vtique si vobis ita videtur, quæ nobis imperatores vestri commoda tribuerunt,ea rata atque perpetua authoritate vestra faciatis. Senatus legatis Saguntinis respondit:& dirutum & restitutum Saguntum fidei socialis vtrinque seruatæ documentũ omnibus gentibus fore.suos imperatores rectè & ordine,& ex voluntate senatus fecisse, quòd Saguntum restituerint, ciuésque Saguntinos seruitio exemerint. quæque alia eis benignè fecerint, ea senatum ita voluisse fieri, donum permittere vt in Capitolio ponerent. Locus inde lautiáque legatis præberi iussa,& muneris ergò in singulos dari ne minus † dena millia æris. Legationes deinde cæteræ in senatum introductæ,auditæque. Et petentibus Saguntinis,vt quatenus tutò possent, Italiam spectatum irent:duces dati,literæque per oppida missæ, vt Hispanos comiter acciperét. Tum de Republica,de exercitibus scribendis, de prouinciis relatum. Cùm Africam nouam prouinciã extra sortem P.Scipioni destinari,homines fama ferrent:& ipse nulla iam modica gloria contentus,non ad gerendum modò bellum,sed ad finiendum diceret se consulem declaratũ esse:neq; aliter finiri id posse, quàm si ipse in Africam exercitum transportasset: & acturum se id per populum apertè ferret,si senatus aduersaretur:idque consiliũ haudquaquam primoribus patrum placeret: cæteriq; per metum aut ambitionem mussarent:Q.Fabius Maximus rogatus sententiã:Scio,inquit,multis vestrûm videri Patres conscripti,rem actam hodierno die agi,& frustra habiturum orationem,qui tanquam de integra re,de Africa prouincia sententiã dixerit. Ego autem primùm illud ignoro, quemadmodum iam certa prouincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit,quam nec senatus censuit in hunc annum prouinciã esse, nec populus iussit. deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre,senatum ludibrio habet:non senatorem,qui de quo consulitur,suo loco dicit sententiam. Atque ego certum habeo,dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam traiiciendi, duarũ rerum subeundam opinionem esse. vnius,insitæ ingenio meo cunctationis : quam metum pigritiámque homines adolescentes sanè appellent,dum me non pœniteat:adhuc aliorum speciosiora primo aspectu consilia semper visa, mea vsu meliora. alterius, obtrectationis atque inuidiæ aduersus crescentem in dies gloriam fortissimi consulis. A qua suspicione si me neque vita acta & mores mei, neque dictatura cum quinque consulatibus,tantúmque gloriæ belli domiq; partæ vindicat, vt propius fastidium eius sim, quàm desideriũ : ætas saltem liberat. quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest, qui ne filio quidem meo æqualis sit?Me dictatorem,cùm vigerem adhuc viribus,& in cursu maximarum rerum essem,recusantem nemo aut in senatu,aut ad populum audiuit,quo minus insectanti me magistro equitũ,quod fando nunquam antè auditum erat,imperium mecum æquaretur.rebus quàm verbis assequi malui,vt qui aliorum iudicio mihi cõparatus erat,sua mox confessione me sibi præferret. nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atq; æmulationes,cum adolescente florentissimo proponã : videlicet vt mihi iam viuendo,non solùm rebus gerendis fesso,si huic negata fuerit, Africa prouincia decernatur.cum ea gloria quæ parta est, viuendum atq; moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalem,vt à vobis,quorũ vigent nunc vires,etiam vinci posset. Illud te mihi ignoscere P.Corneli æquum erit , si cùm in me ipso nunquã pluris famam hominũ quàm Rempub. fecerim:ne tuam quidem gloriã bono publico proponam.quanquã si aut bellum nullum in Italia,aut is hostis esset,ex quo victo nihil gloriæ quæreretur:qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret. simul cum bello materiã gloriæ tuæ ire ereptum videri posset.cùm verò Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat,pœnitebit te P.Corneli gloriæ tuæ,si hostem eum,qui tot funerũ, tot cladiũ nobis causa fuit,tu cõsul Italia expuleris?& sicut penes C.Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit,ita penes te huius fuerit?nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus,aut illud bellum huic,aut victoria illa maior clariórque,quàm hæc(modò contingat vt te consule vincamus) futura est. Ab Drepano atq; Eryce detraxisse Amilcarẽ, quàm Italia expulisse Pœnos atq; Annibalem malis ? Ne tu quidem, & si magis partam quàm speratam gloriã amplecteris:Hispania potius quàm Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est Annibal,quem non magis timuisse videatur,quàm cõtempsisse,qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris?nec per istos circuitus, vt cùm in Africam traieceris, secuturũ te illuc Annibalem speres,potius quàm rectò hinc itinere,vbi Annibal est,eò bellum intendis?Egregiã istam palmam belli Punici patrati petis?hoc & natura prins est,tua cùm defenderis,aliena ire oppugnatum. pax antè in Italia quàm bellum in Africa sit:& nobis prius decedat timor, quàm vltro aliis inferatur. si vtrunque tuo ductu auspicióque fieri potest: Annibale hîc victo, illic Carthaginem expugna. si alterutra victoria nouis consulibus relinquenda est:prior cùm maior clariórque,tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quòd & in Italia & in Africa duos diuersos exercitus alere ærariũ non potest,præterquam quòd vnde classes tueamur, vnde cõmeatibus præbendis sufficiamus,nihil reliqui est,periculi tandem,quantũ adeatur,quem fallit?P.Licinius in Italia,P.Scipio bellum in Africa geret. Quid?si(quod omnes dii omen auertant, & dicere etiã reformidat animus,sed quæ acciderũt,accidere possunt)victor Annibal ire ad vrbem pergat : tum demum te consulem ex Africa,sicut Q.Fuluium à Capua,accersemus?Quid?quòd in Africa quoque Mars communis belli erit?Domus tibi tua,pater patruúsque intra triginta dies cum exercitibus cæsi documẽto sint,vbi per aliquot annos maximis rebus terra maríque gerendis amplissimũ nomen apud exteras gentes populi Romani vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat,si reges imperatorésq; temerè in hostiũ terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituúmque suorũ,enumerare velim. Athenienses,prudẽtissima ciuitas,bello domi relicto,aut hore æquè impigro ac nobili iuuene magna classe in Sicil

† Val. 100 coron.

Q. Fabij Maximi oratio,qua suadet, ne Scipioni Africa prouincia extra sortem mandetur.

A in Siciliam transmissa, vna pugna nauali florentem Rempublicam suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & M. Attilius, insigne vtriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Næ tibi P. Corneli, cùm ex alto Africam conspexeris, ludus & iocus, fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ, Galliæque vectus Emporias in vrbem sociorum classem appulisti: expositos milites per tutissima omnia ad socios & amicos populi Romani, Tarraconem duxisti: ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos imperatores ferociores calamitate ipsa facti: & dux tumultuarius quidem ille L. Martius, & militari suffragio ad tempus electus, cæterùm si nobilitas ac iusti honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cætera, neque ea eleuo, nullo tamen modo Africo bello comparanda, vbi non portus vllus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non ciuitas socia, non rex amicus, non consistendi vsquam locus, non procedendi. quacunque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? satis sit semel creditum, non semper temeritas est felix: & fraus fidem in paruis sibi præstruit, vt cum operæpretium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem patruúmque tuum armis prius, quàm Celtiberi socii fraude, circumuenerunt, nec tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostium ducibus, quantum ab Indibili & Mandonio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax & Masanissa se quàm Carthaginienses, malunt potentissimos in Africa esse: Carthaginienses, quàm quenquam alium. nunc illos æmulatio inter sese, & omnes causæ certaminum acuunt, quia procul externus metus est. ostende Romana arma, & exercitum alienigenam: iam velut ad commune restinguendum incendium concurrent. Aliter iidem illi Carthaginienses Hispaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templa deûm, aras & focos defendent: cùm euntes in prælium pauida prosequetur coniunx, & parui liberi occursabunt. Quid porrò? si satis confisi Carthaginienses consensu Africæ, fide sociorum regum, mœnibus suis, cùm tuo exercitúsque tui præsidio nudatam Italiam viderint: ipsi vltro nouum exercitum in Italiam aut ex Africa miserint? aut Magonem, quem à Balearibus classe transmissa iam præter oram Ligurum Alpinorum vectari constat, Annibali se coniungere iusserint? nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, cùm Asdrubal in Italiam transcendit. quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italiam emisisti. Victum à te dices. eo quidem minus vellē, & id tua, non Reipub. solum causa, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quæ prospera tibi ac Reipub. in imperio euenere, tuo consilio assignare: aduersa casibus incertis belli & fortunæ legare. quo melior fortiórque es, eo magis talem præsidem sibi patria atque vniuersa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, vbi Annibal sit, ibi caput atq; arcem huius belli esse. quippe qui præ te feras, eam tibi causam traiiciēdi in Africam esse, vt Annibalem eò trahas. Siue igitur hic, siue illic, cum Annibale est tibi futura res. vtrum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic tuo collegæque exercitu coniuncto? ne Claudius quidem & Liuius coss. tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid Annibalem vtrum tandem extremus angulus agri Brutii frustra iamdiu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa potentiorem armis virisq; faciet? Quod istuc consilium est, ibi malle decernere, vbi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo maiores: quàm vbi duobus exercitibus aduersus vnum tot præliis & tam diuturna & graui militia fessum pugnandum sit? Quàm compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa, ille consul profectus in Hispaniam, vt Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex prouincia rediit. tu, cùm Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras: non quia Reipublicæ id vtile, sed quia tibi amplum & gloriosum censes esse. sicut cùm prouincia & exercitu relicto sine lege, sine senatusconsulto duabus nauibus populi Romani imperator fortunam publicam & maiestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cornelium, P C. Reipublicæ nobisque, non sibiipsi priuatim creatum consulem existimo: exercitúsque ad custodiam vrbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules quò terrarum velint, traiiciant.

B

Cùm oratione ad tempus parata Fabius, tum authoritate & inueterata prudentiæ fama magnam partem senatus & seniores maximè mouisset: plurésque cōsilium senis quàm animum adolescentiæ ferocem laudarent, Scipio ita locutus fertur. Et ipse Q. Fabius principio orationis P C. commemorauit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse. cuius ego rei nō tam ipse ausim tantum virum insimulare, quàm ea suspicio, vitio orationis an rei, haud sanè purgata est. sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit verbis ad extinguendum inuidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur: & non ab eo qui, quia super cæteros excellat, quò me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit. sic senem se perfunctum, & me infra ætatem filii sui posuit, tanquam non longius quàm quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur: maximáque pars eius in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, vt se non cum præsentibus modò, sed cum omnis æui claris viris comparet. Equidem haud dissimulo, me tuas Q. Fabi laudes non assequi solùm velle, sed (bona venia tua dixerim) si possim, etiam exuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit, vt nolimus quenquam nostri similem euadere ciuem: id enim non eorum modò quibus inuiderimus, sed Reipublicæ, & penè omnis generis humani detrimentum sit. Commemorauit quantum essem periculi aditurus, si in Africam traiicerem: vt meam quoque, non solùm Reipublicæ & exercitus vicem videretur solicitus. Vnde hæc repentè de me cura exorta? cùm

Scipionis oratio, qua Fabiano respondet.

pater patruúsque meus interfecti, cùm duo exercitus eorum propè occidione occisi essent: cùm amissæ Hispaniæ, cùm quatuor exercitus Pœnorum, quatuórque duces omnia metu armísque tenerent: cùm quæsitus ad id bellum imperator nemo se ostenderet, præter me, nemo profiteri nomen ausus esset: cùm mihi quatuor & viginti annos nato detulisset imperium populus Romanus: quid ita tum nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem belli, patris patruíque recentem cladem commemorabat? vtrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm tunc in Hispania erat? an maiores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioréſque quàm tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quàm nunc est? an cum Carthaginiensi hoste in Hispania, quàm in Africa bellum geri aptius est? Facile est post fusos fugatósque quatuor exercitus Punicos, post tot vrbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia vsque ad Oceanum, tot regulos, tot sæuas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita vt vestigium nullum belli reliquum sit, eleuare meas res gestas: tam Hercule quàm si victor ex Africa redierim, ea ipsa eleuare, quæ nunc retinendi mei causa, vt terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse in Africam, negat vllos patère portus: M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquam M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit: neque recordatur, illi ipsi tam infelici imperatori patuisse tamen portus Africæ, & res egregias primo anno gessisse: & quantum ad Carthaginienses duces attinet, inuictum ad vltimum permansisse. Nihil igitur me isto exemplo terrueris: si hoc bello, non priore, si nuper, non annis ante quadraginta ista clades accepta foret: qui ego minus in Africam Regulo capto, quàm Scipionibus occisis in Hispaniam, traiicerem: nec felicius Xanthippum Lacedæmonium Carthagini, quàm me patriæ meæ sinerem natum esse: cresceretque mihi ex eo ipso fiducia, quòd possit in hominis vnius virtute tantum momenti esse. At etiam Athenienses audiendi sunt, temerè in Siciliam omisso domi bello transgressi. Cur ergo, quoniam Græcas fabulas narrare vacat, non Agathoclem potius Syracusanum regem, cùm diu Sicilia Punico bello vreretur, transgressum in hanc eandem Africam, auertisse eò bellum, vnde venerat, refers? Sed quid vltro metum inferre hosti, & ab se remoto periculo alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externísque exemplis admonere opus est? maius præsentiúsve vllum exemplum esse quàm Annibal potest? Multum interest, alienos populère fines, an tuos vri excindíque videas. plus animi est inferenti periculum, quàm propulsanti. Ad hoc maior ignotarum rerum est terror. bona maláque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias. Non sperauerat Annibal fore, vt tot in Italia populi ad se deficerent, quot defecerunt post Cannensem cladem: quanto minus quicquam in Africa Carthaginiensibus firmum ac stabile est, infidis sociis, grauibus ac superbis dominis? Ad hæc, nos etiam deserti ab sociis viribus nostris, milite Romano stetimus. Carthagine nihil ciuilis roboris est, mercede paratos milites habent, Afros Numidásque leuissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil moræ sit, vnà & traiecisse me audietis, & ardere bello Africam, & molientem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. lætiores, & frequentiores ex Africa expectate nuntios, quàm ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subiicit fortuna populi Romani, dii fœderis ab hoste violati testes, Syphax & Masanissa reges: quorum ego fidei ita innitor, vt veriturus perfidiam sim. Multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet. & id est viri & ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. Habebo Q. Fabi, parem quidem Annibalem: sed illum potius ego traham, quàm ille me retineat. in sua terra cogam pugnare eum: & Carthago potius præmium victoriæ erit, quàm semiruta Brutiorum castella. Ne quid interim dum traiicio, dum expono exercitum in Africam, dum castra ad Carthaginem promoueo, Respublica hic detrimenti capiat, quod tu Q. Fabi, cùm victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare: hoc vide ne contumeliosum sit concusso iam, & penè fracto Annibale negare, posse P. Licinium consulem virum fortissimum præstare. qui ne à sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ prouinciæ non venit. Si hercule nihilo maturius hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum: tamen ad dignitatem populi Romani, famámque apud reges gentésque externas pertinebat, non ad defendendam modò Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse: nec hoc credi vulgaríque, quòd Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum cùm de Sicilia certaretur, toties Africam nostris exercitibus, & classibus oppugnatam: nunc cùm de Italia certatur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando diu vexata Italia, vratur populetúrque inuicem Africa. castra Romana potius Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugáque, populatio agrorum, defectio sociorum, ceteræ belli clades, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt, vertantur. Quæ ad rem publicam pertinent, & bellum quod instat, & prouincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit, si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania eleuauit, sic & ego contrà gloriam eius eludere, & meam verbis extollere velim. neutrum faciam P. C. & si nulla alia re, modestia certè & temperamento linguæ adolescens senem vicero. ita & vixi, & res gessi, vt tacitus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facilè contentus essem. Minus æquis animis auditus est Scipio, quia vulgatum erat, si apud senatum non obtinuisset, vt prouincia Africa sibi decerneretur, ad populum extemplò laturum. Itaque Q. Fuluius, qui consul quater, & censor fuerat, postulauit à consule, vt palàm in senatu diceret, permitteretne patribus, vt de prouinciis decernerent: staturúsque eo esset

quod

A quod censuissent, an ad populum laturus. Cùm Scipio respondisset, se quod è Republica esset, facturum: tum Fuluius, Non ego ignarus quid responsurus facturúsve esses, quæsiui: quippe cùm præ te feras tentare magis, quàm consulere senatum: & ni prouinciam tibi quam volueris, extemplò decernamus, paratam rogationem habeas. Itaque à vobis tribuni plebis postulo, inquit, vt sententiam mihi ideo non dicenti, quod si in meam sententiam discedatur, non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis. Inde altercatio orta, cùm consul negaret æquum esse tribunos intercedere, quo minus suo quisque loco senator rogatus sententiam diceret. Tribuni ita decreuerunt. Si consul senatui de prouinciis permittit, stari eo quod senatus censuerit, placet: nec de ea re ferri ad populum patiemur. si non permittit, qui de ea re sententiam recusabit dicere, auxilio erimus. Consul diem ad colloquendum cum collega petiit. Postero die permissum senatui est. Prouinciæ ita decretæ. Alteri consuli Sicilia, & triginta rostratæ naues, quas C. Seruilius superiore anno habuisset: permissúmque vt in Africam, si id è Republica esse censeret, traiceret. Alteri Brutii, & bellum cum Annibale cum eo exercitu, quem L. Veturius & Q. Cæcilius sortirentur inter se, compararéntve, vter in Brutiis duabus legionibus, quas consul reliquisset, rem gereret: imperiúmque in annum ei prorogaretur, cui ea prouincia euenisset. Et cæteris prætoribus consulibúsque, qui exercitibus prouinciísque præfuturi erant, prorogata imperia. Q. Cæcilio sorte euenit, vt cum consule in Brutiis aduersus Annibalem bellum gereret.

Altercatio orta inter Scipionem & Tribunos plebis.

Senatus cōsultū de prouinciis.

Ludi deinde Scipionis magna freqnentia & fauore spectantium celebrati. Legati Delphos ad donum ex præda Asdrubalis portandum missi, M. Pomponius Matho, & Q. Catulus, tulerunt coronam auream † cc. pondo, & simulachra spoliorum, ex † M. pondo argenti facta. Scipio, cùm vt delectum haberet, neque impetrasset, neque magnopere tetendisset, vt voluntarios ducere sibi milites liceret, tenuit: & quia impensæ negauerat Reipublicæ futuram classem, vt quæ à sociis darentur ad nouas fabricandas naues, acciperet. Hetruriæ primùm populi pro suis quisque facultatibus consulem adiuturos polliciti. Cærites frumentum sociis naualibus, commeatúmque omnis generis, Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela, Volaterrani armamenta nauium & frumentum: Aretini xxx millia scutorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cuiusque generis numero expleturos: secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in xl. longas naues opus esset: tritici centum & xx millia modiûm, & in viaticum decurionibus remigibúsque collaturos: Perusini, Clusini, Rusellani, abietem in fabricandas naues, & frumenti magnum numerum: abiete ex publicis syluis est vsus. Vmbriæ populi, Nursiníque & Reatini & Amiternini, Sabinúsque omnis ager, milites polliciti. Marsi, Peligni Marruciníque multi voluntarii nomina in classem dederunt. Camertes cum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem

Scipionis ludi.

† Valent 22400 coron.

† Valent 10000 coron.

Hetruriæ populi Scipionem in ornanda classe iuuant.

B armatam sexcentorum hominum miserunt. xxx nauium carinæ, xx quinqueremes, x quadriremes cùm essent positæ, ipse ita instituit operi, vt die quadragesimo quinto, quàm ex syluis detracta materia erat, naues instructæ armatæque in aquam deductæ sint. Profectus in Siciliam est xxx nauibus longis, voluntariorum septem fermè millibus in naues impositis. Et P. Licinius in Brutios ad duos exercitus consulares venit. ex eis eum sibi sumpsit, quem L. Veturius Consul habuerat. Metello, quibus præfuisset legionibus, iis præesset, facilius cum assuetis imperio rem gesturum ratus, permisit. Et prætores diuersi in prouincias profecti. Et quia pecunia ab bellum deerat, agri Campani regionem à fossa Græca ad mare versam vendere quæstores iussi. indicio quoque permisso, qui ager ciuis Campani fuisset, vt is publicus populi Romani esset: indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima. Et Cn. Seruilio Prætori vrbis negotium datum, vt Campani ciues vbi cuique ex s c liceret, habitarent: animaduerterétque in eos, qui alibi habitarent.

Scipio in Siciliam proficiscitur.

Eadem æstate Mago Amilcaris filius ex minore Balearium insula, vbi hybernarat, iuuentute lecta in classem imposita, in Italiam xxx fermè rostratis nauibus & multis onerariis, xii millia peditum, duo fermè equitum traiecit: Genuámque nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino aduentu cepit: inde ad oram Ligurum Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem appulit. Ingauni (Ligurum ea gens est) bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis montanis. Igitur Pœnus Sauone oppido Alpino præda deposita, & decem longis nauibus in statione ad præsidium relictis, cæteris Carthaginem missis ad tuendam maritimam oram, quia fama erat, Scipionem traiecturum esse: ipse societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita, montanos instituit oppugnare. Et crescebat exercitus in dies, ad famam nominis eius Gallis vndique confluentibus. Ea literis cognita Sp. Lucretii, ne frustra Asdrubale cum exercitu deleto biennio antè forent lætati, si par aliud inde bellum duce tantùm mutato oriretur, curam ingentem accenderunt patribus. Itaque & M. Liuium Procos. ex Hetruria volonum exercitum admouere Ariminum iusserunt. & Cn. Seruilio prætori negotiū datum, vt si è Republica censeret esse, duas vrbanas legiones, cui imperio videretur dato, ex vrbe duci iuberet. M. Valerius Leuinus Arretium eas legiones duxit.

Mago cum exercitu in Italiam traiecit.

Genua à Magone capta.

Eisdem diebus naues onerariæ Pœnorum ad lxxx circa Sardiniam ab C. Octauio, qui prouinciæ præerat, captæ. Eas Cælius frumento misso ad Annibalem, commeatúque onustas: Valerius prædam Hetruscam Ligurúmque montanorum captiuos, Carthaginem portantes, captas tradit. In Brutiis nihil fermè anno eo memorabile gestum est. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnósque, nisi quòd Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. Propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Annibal egit: ibíque aram condidit, dedicauítque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, Punicis Græcísque literis insculpto.

Pœnorū naues onerariæ 80 captæ.

Pestilentia.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam à Scipione missus, ingentem prædam reportauit: & mandata Masanissæ Scipioni exposuit, conquerentis quòd non exercitum in Africam traiecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano, quod Indibilis excitauerat. ipse in acie occisus Mandonius exposcentibus Romanis à suis deditus est. Magoni, qui in Galliam & Liguriam ierat, ex Africa & militum ampla manus missa, & pecuniæ quibus auxilia conduceret: præceptúmque, ut se Annibali iungeret. Scipio à Syracusis in Brutios traiecit, & Locros pulso Punico præsidio, fugatóque Annibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam à Pessinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis inuento: pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset. tradita autē est Romanis per Attalum regē Asiæ. Lapis erat, quē Matrem deum incolæ dicebant. excepit P. Scipio Nasica, Cn. filius, eius qui in Hispania perierat, uir optimus à senatu iudicatus, adolescens nondum quæstorius: quoniam ita responsum habebatur, ut numen id ab optimo uiro reciperetur, consecraretúrque. Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminij legati quererentur, quòd pecuniam Proserpinæ abstulerat, & liberos eorum & coniuges stuprauerat. Pleminius in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Cùm falsus rumor de P. Scipione Procos. qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tanquam luxuriaretur: missis ob hoc legatis à senatu, qui explorarent an ea uera essent, purgatus infamia Scipio in Africam traiecit senatus permissu. Syphax accepta filia in matrimonium Asdrubalis Gisgonis, amicitiæ quam cum Scipione ipse iunxerat, renunciauit. Masanissa rex Masæsuliorum, dum pro Carthagine in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. quo per bellum sæpe repetito, aliquot prælijs à Syphace rege Numidarum uictus, in totum priuatus est: & cum ducentis equitibus exul Scipioni se iunxit, & cum eo primo statim bello Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio aduentu Asdrubalis & Syphacis, qui propè cum centum millibus armatorum uenerat, ab obsidione Uticæ depulsus, hyberna communiuit. Sempronius COS. in agro Crotoniensi prosperè aduersus Annibalem pugnauit. Lustrum à censoribus conditum est. censa sunt ciuium capita CCXV. millia. Inter censores M. Liuium & Claudium Neronem notabilis discordia fuit. nam & Claudius Liuio collegæ equum ademit, quòd à populo Romano damnatus, actusque in exilium fuerat: & Liuius Claudio, quòd falsum in se testimonium dixisset. & quòd minime bona fide secum in gratiam redisset. idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit, quòd & innocentem se damnassent, & postea consulem censorémque fecissent.



SCIPIO posteaquam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinauit, centuriauítque ex iis trecentos iuuenes florentes ætate, & virium robore insignes circa se habebat, ignorantes quem ad vsum neque centuriati, neque armati seruarentur. tum ex totius Siciliæ iuniorum numero principes genere & fortuna trecentos equites, qui secum in Africam traiicerent, legit: diémque iis qua equis armísque instructi atque ornati adessent, edixit. Grauis ea militia procul domo terra maríque multos labores, magna pericula illatura videbatur: neque ipsos modò, sed parentes cognatósque eorum ea cura angebat. Vbi dies quæ dicta erat, aduenit, arma equósque ostenderunt. tum Scipio renunciari B sibi dixit, quosdam equites Siculorum tanquam grauem & duram horrere eam militiam. si qui ita animati essent, malle eos sibi iam tunc fateri, quàm post modum querentes, segnes atque inutiles milites Reipublicæ esse. exprome rent quid sentirent. cum bona venia se auditurum. Vbi ex his vnus ausus est dicere, se prorsus, si sibi vtrum vellet, liberum esset, nolle militare: tum Scipio ei. Quando igitur adolescens quid sentires non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equúmque & cætera instrumenta militiæ tradas, & tecum hinc extemplò domum ducas, exerceas, docendum cures, equo tradito armísque. Læto conditionem accipienti vnum ex ccc, quos inermes habebat, tradit. Vbi hoc modo exauthoratum equitem cum gratia imperatoris cæteri viderunt: se quisque excusare, & vicarium accipere. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti sine publica impensa, docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt: quia edictum imperatoris erat, ipsum militaturum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitū euasisse ferunt, multísq; prælijs Remp. adiuuisse. Legiones inde cum inspiceret, plurimorū stipendiorū ex iis milites delegit, maximè qui sub duce Marcello militauerát: quos cùm optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritissimos esse vrbium oppugnandarum. nihil enim paruum, sed Carthaginis iam excidia agitabat animo. Inde exercitum per oppida dispertit: frumentum Siculorum ciuitatibus imperat: ex Italia aduecto parcit, veteres naues reficit, & cum iis C. Lælium in Africam prædatum mittit, nouas Panormi subducit, quia ex viridi materia raptim factæ erant, vt in sicco hybernarent. Præparatis omnibus ad bellum, Syracusas nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas venit. Græci res à quibusdam Italici generis eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu repetebant. Omnium primum ratus, tueri publicam fidem, partim edicto, partim iudiciis etiam in pertinaces ad obtinendam iniuriam redditis, suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum ea res, sed omnibus Siciliæ populis grata fuit, eóque enixius bellum adiuuerunt. Eadem æstate in Hispania coortum ingens bellum, conciente Illergete Indibili nulla alia de causa, quàm per admirationem Scipionis contemptu imperatorum aliorum orto. Eum superesse vnum ducem Romanis, cæteris ab Annibale interfectis, rebantur. eo nec in Hispaniam cæsis Scipionibus alium, quem mitterent, habuisse: & posteaquam in Italia grauius bellum vrgeret, aduersus Annibalem eum accersitum, præterquam quòd nomina tātum ducum in Hispania Romani haberent, exercitum quoque inde veterem deductum. trepida omnia & incon ditam turbam tyronum esse. nunquam talem occasionem liberandæ Hispaniæ fore. seruitum ad eam diem aut Carthaginiensibus, aut Romanis: nec inuicem his, aut illis, sed interdum vtrisque simul. pulsos ab Romanis Carthaginienses: ab Hispanis, si cōsentirent, pelli Romanos posse: vt ab omni externo imperio soluta in perpetuum Hispania in patrios rediret mores ritúsque. Hæc talíaque dicendo non populares modò, sed Ausetanos quoque vicinam gentem concitat, & alios finitimos sibi atque illis

populos

Scipio trecentos iuuenes Romanos delegit, quos Siculorum loco armis & equis ornauit.

Marcelli milites.

Syracusæ nondum tranquillæ erāt.

Indibilis deficit à Romanis.

A populos. itaque intra paucos dies x x x. millia peditum, quatuor fermè equitum in Sedetanum agrum, quò edictum erat, conuenerunt. Romani quoque imperatores, L. Lentulus & L. Manlius Acidinus, ne gliſceret prima negligendo bellum: iunctis & ipſi exercitibus per agrum Auſetanum hoſtico, tanquam pacato clementer ductis militibus, ad ſedem hoſtium peruenere. trium millium ſpatio procul à caſtris eorum poſuerunt caſtra. Primò per legatos nequicquam eſt tentatum, vt diſcederetur ab armis. deinde cùm in pabulatores Romanos impetus repentè ab equitibus Hiſpanis factus eſſet, ſummiſſo ab ſtatione Romana equitatu, prælium equeſtre fuit, haud ſanè memorando in partem vllam euentu. Sole oriente poſtero die armati inſtructíque omnes mille fermè paſſus procul à caſtris Romanis aciem oſtendère: Medii Auſetani erant. cornua, dextrum Illergetes, læuum ignobiles tenebant Hiſpani populi, inter cornua & mediam aciem interualla patentia ſatis latè fecerunt: quà equitatum, vbi tempus eſſet, emitterent. Et Romani more ſuo exercitum cùm inſtruxiſſent, id modò hoſtium imitati ſunt, vt inter legiones & ipſi patentes equiti relinquerent vias. Cæterùm Lentulus ei parti vſum equitis fore ratus, quæ prior in dehiſcentem interuallis hoſtium aciem equites immiſiſſet: Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hoſtium aciei vias immittere equos iubeat: ipſe cœpta parum proſperè pedeſtri pugna, tantum moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in læuo cornu aduerſus Illergetes locata erat, tertiamdecimam legionem ex ſubſidiis in primam aciem firmamentum ducit. poſteaquam æquata ibi pugna eſt, ad L. Manlium inter prima ſigna hortantem, ac ſubſidia quibus res poſtulabat locis inducentem, venit. indicat tuta ab læuo cornu eſſe: iam miſſum ab ſe Ser. Cornelium, procella equeſtri hoſteis circunfuſurum. Vix hæc dicta dederat, cùm Romani equites in medios inuecti hoſtes, ſimul pedeſtres acies turbarunt, ſimul equitibus Hiſpanorum viā immittendi equos clauſerunt. itaque omiſſa pugna equeſtri, ad pedeſtrem Hiſpani deſcenderunt. Romani imperatores vt turbatos hoſtium ordines, & trepidationem pauorémq; & fluctuantia viderunt ſigna, hortantur, orant milites, vt perculſos inuadant, neu reſtitui aciem patiantur. Non ſuſtinuiſſent tam infeſtum impetum barbari, ni regulus ipſe Indibilis cum equitibus ad pedes digreſsis ante prima ſigna peditum ſe obieciſſet. Ibi aliquandiu atrox pugna ſtetit. tandem poſtquam ii qui circa regem ſeminecem reſtantem, deinde pilo terræ affixum pugnabant, obruti telis occubuerunt, tum fuga paſſim cœpta, plures cæſi, quia equos conſcendendi equitibus ſpatium nō fuerat, & quia perculſis acriter inſtiterunt Romani. nec antè abſceſſum eſt, quàm caſtris quoque exuerunt hoſtem. Tredecim millia Hiſpanorum cæſa eo die, D C C C fermè capti. Romanorum ſociorúmque paulo amplius C C, maximè in læuo cornu ceciderunt. Pulſi caſtris Hiſpani, aut qui ex prælio effugerant, ſparſi primò per agros, deinde in ſuas quiſque ciuitates redierunt. Tum à Mandonio euocati in concilium, conqueſtique ibi

Hiſpanorū exercitus aduerſus imperatores Romanos Lentulū & Mālium Acidinum.

Hiſpani in fugam verſi cōpluribus cæſis.

B clades ſuas increpitis authoribus belli, legatos mittendos ad arma tradenda, deditionémque faciendam cenſuerunt. Quibus culpam in authores belli Indibilem, cæteróſque principes, quorum plerique in acie cecidiſſent, conferentibus, tradentibúſque arma & dedentibus ſeſe reſponſum eſt. In deditionem ita accipi eos, ſi Mandonium cæteróſque belli concitatores tradidiſſent viuos. ſin minus, exercitus ſe in agrum Illergetum Auſetanorúmque & deinceps aliorum populorum ducturos. Hæc dicta legatis, renunciatáque in concilium. Ibi Mandonius, cæteríque principes comprehenſi, traditi ad ſupplicium. Hiſpanis populis reddita pax: ſtipendium eius anni duplex, & frumentum ſex menſium imperatum, ſagáque & togæ exercitui: & obſides ab triginta fermè populis accepti. Ita Hiſpaniæ rebellantis tumultu haud magno motu intra paucos dies concito & compreſſo, in Africam omnis terror verſus. C. Lælius nocte ad Hipponem Regium cùm acceſsiſſet, luce prima ad populandum agrum ſub ſignis milites, ſociósque nauales duxit. Omnibus pacis modo incautiosè agentibus, magna clades illata: nuntiíque trepidi Carthaginem terrore ingenti compleuêre, claſſem Romanam Scipionémque imperatorem (& fama fuerat iam in Siciliam tranſgreſſum) aduenisse. Nec quot naues vidiſſent, nec quanta manus agros popularetur, ſatis gnari, omnia in maius metu augente accipiebant. itaque primò terror pauórque, deinde mœſtitia animos inceſsit: tantum fortunam mutaſſe, vt qui modo ipſi exercitum ante mœnia Romana habuiſſent victores, ſtratis tot hoſtium exercitibus, omnes Italiæ populos aut vi aut voluntate in deditionem accepiſſent, ii verſo marte Africæ populationes, & obſidionem Carthaginis viſuri forent: nequaquam pari ad patienda ea robore, ac Romani fuiſſent. Illis Romanam plebem, illis Latium iuuentutem præbuiſſe, maiorem ſemper, frequentiorémque pro tot cæſis exercitibus ſoboleſcentem. cæterùm ſuam plebem imbellem in vrbe, imbellem in agris eſſe: mercede parari auxilia ex Afris, gente ad omnem auram ſpei mobili atque infida. iam reges, Syphacem poſt colloquium cum Scipione alienatum, Maſaniſſam aperta defectione infeſtiſsimum hoſtem. nihil vſquam ſpei, nihil auxilii eſſe. nec Magonem ex Gallia mouere tumultus quicquam, nec coniungere ſe Annibali: & Annibalem ipſum iam & fama ſeneſcere, & viribus. In hæc deflenda prolapſos ab recenti nuntio animos, rurſus terror inſtans reuocauit ad conſultandum, quónam modo obuiam præſentibus periculis iretur. Delectus raptim in vrbe agríſque haberi placet, mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire vrbem, frumentum conuehere, tela, arma parare, inſtruere naues, ac mittere ad Hipponem aduerſus Romanam claſſem. Iam hæc agentibus nuntius tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiáſque, quantæ ad incurſiones agrorum ſatis ſint, tranſuectas, ſummam belli molem adhuc in Sicilia eſſe. Ita reſpiratum, mittíque ad Syphacem legationes, alióſque regulos firmandæ ſocietatis cauſa cœptæ. Ad Philippum quoque miſsi, qui † ducenta argenti talenta pollicerêtur, vt in Siciliam, aut Italiam traiiceret. Miſsi & ad ſuos imperatores in Italiam, vt omni terrore Scipionem retinerent. ad Magonem non legati modò, ſed x x v naues

Mandonius cæteriq; belli authores deduntur Romanis.

Carthaginienſes exterriti audito Scipionis aduentu.

† Valent 12000 coronas.

naues longæ, ſex millia peditum, octingenti equites, ſeptem elephanti, ad hæc magna pecunia ad con- A
ducenda auxilia, quibus fretus propius vrbem Romam exercitum admoueret, coniungerétque ſe Annibali. Hæc Carthagine parabant, agitabántque, cùm ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi

Maſſaniſſa ad Lælium venit.

ac nudo præſidiis agentem Maſaniſſa fama Romanæ claſsis excitus, cum equitibus paucis venit. Is ſegniter rem agi à Scipione queſtus, quòd nõ iam exercitum in Africam traiecisſet, perculſis Carthaginienſibus, Syphace impedito finitimis bellis, quem certum haberet, ſi ſpatium ad ſua vt velit componenda detur, nihil ſyncera fide cum Romanis acturum. Hortaretur, ac ſtimularet Scipionem ne ceſſaret. ſe, quanquam regno pulſus eſſet, cùm haud contemnendis copiis affuturum peditum equitúmque. nec ipſi Lælio morandum in Africa eſſe. claſſem credere profectam à Carthagine, cum qua abſente Scipione non ſatis tutum eſſet contrahi certamen. Ab hoc ſermone dimiſſo Maſaniſſa, Lælius poſtero die naues præda onuſtas ab Hippone ſoluit: reuectúſque in Siciliam, mandata Maſaniſſæ Scipioni expoſuit. Eiſdem fermè diebus naues, quæ ab Carthagine ad Magonem miſſæ erant, inter Albingaunos Ligures Genuámque acceſſerunt. In iis locis tum fortè Mago tenebat claſſem. qui legatorum auditis verbis, iubentium exercitus quàm maximos comparare, extemplò Gallorum & Ligurum (nanque vtriuſque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium habuit.

Mago Gallos & Ligures in concilium vocat.

& miſſum ſe ad eos vindicandos in libertatem ait: &, vt ipſi cernant, mitti ſibi ab domo præſidia: ſed quantis viribus, quãto exercitu id bellum gereretur, in eorum poteſtate eſſe. duos exercitus Romanos, vnum in Gallia, alterum in Hetruria eſſe, ſatis ſcire: Sp. Lucretium ſe cum M. Liuio iuncturum. multa millia ipſis etiam armanda eſſe, vt duobus ducibus, duobus exercitibus Romanis reſiſtatur. Galli ſummam ad id ſuam voluntatem eſſe dicere. ſed cùm vna caſtra Romana intra fines, altera in finitima terra Hetruria propè in conſpectu habeant, ſi palàm fiat auxiliis adiutum ab ſeſe Pœnum, extemplò infeſtos vtrinque exercitus in agrum ſuum incurſuros. ea ab Gallis deſideraret, quibus occultè adiuuari poſſet. Liguribus, quòd procul agro, vrbibúſque eorum caſtra Romana ſint, libera conſilia eſſe. illos armare iuuentutem, & capeſſere pro parte bellum, æquum eſſe. Ligures haud abnuere. tempus modò duorum menſium petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis dimiſsis, clàm per agros eorum mercede conducere. commeatus quoque omnis generis occultè ad eum à Gallicis populis mittebantur. M. Liuius exercitum volonum ex Hetruria in Galliam traducit: iunctúſque Lucretio, ſi ſe Mago ex Liguribus propius vrbem moueat, obuiam ire parat. ſi Pœnus ſub angulo Alpium quietus ſe contineat, & ipſe in eadem ſtatione circa Ariminum Italiæ præſidio futurus. Poſt reditum ex Africa C. Lælii, & Scipione ſtimulato Maſaniſſæ adhortationibus, & militibus prædam ex hoſtium terra cernentibus tota claſſe efferri, accenſis

Locros vrbem recipiendi ſpes. Scipionem ab Africa auocanda [illegible].

ad traiiciendum quàmprimum, interuenit maiori minor cogitatio, Locros vrbem recipiendi, quæ ſub defectionem Italiæ deſciuerat & ipſa ad Pœnos. Spes autem affectandæ eius rei ex minima re af- B
fulſit: quòd latrociniis magis quàm iuſto bello in Brutiis gerebantur res, principio ab Numidis facto, & Brutiis non ſocietate magis Punica, quàm ſuopte ingenio promptis in eum morem. poſtremò Romani quoque milites iam contagione quadam rapto gaudentes, quantum per duces liberat, excurſiones in hoſtium agros facere. Ab iis egreſsi quidam vrbe Locrenſes circumuenti, Rhegyúmque abſtracti fuerant. in eo captiuorum numero fabri quidam fuere, aſſueti fortè apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. ii cogniti ab Locrenſium principibus, qui exulabant Rhegyi pulſi ab aduerſa factione, quæ Annibali Locros tradiderat: cum cætera percunctantibus (vt mos eſt iis qui diu abſunt) quæ domi agerentur, expoſuiſſent: ſpem fecerũt, ſi redempti ac remiſsi forent, arcem ſe iis tradituros. ibi ſe habitare, fidémq; ſibi rerum omnium inter Carthaginienſes eſſe. Itaq; vt qui ſimul deſiderio patriæ agerentur, ſimul cupiditate inimicos vlciſcendi arderent, redemptis extemplò iis, remiſsiſq;, cum ordinem agendæ rei compoſuiſſent, ſignáq; quæ procul edita obſeruarent: ipſi ad Scipionem Syracuſas profecti, apud quem pars exulum erat, referẽtes ibi promiſſa captiuorũ, cùm ſpem ab effectu haud abhorrentem conſuli feciſſent: tribuni militum cum iis M. Sergius & P. Matienus miſsi, iuſsiq; ab Rhegyo tria millia militum Locros ducere. & Q. Pleminio proprætori ſcriptum, vt rei agendæ adeſſet. Profecti ab Rhegyo, ſcalas ad dictam altitudinem arcis fabricatas portantes, media fermè nocte ex eo loco, vnde conuenerat, ſignum dedere proditoribus arcis, qui parati, intentiq;, & ipſi ſcalas ad idipſum

Locrorum arx capitur à Romanis.

factas cùm demiſiſſent, pluribúſq; ſimul locis ſcandentes accepiſſent, priuſquam clamor oriretur, in vigiles Pœnorum, vt in nullo tali metu ſopitos, impetus eſt factus. quorũ gemitus primò moriẽtium exauditus: deinde ſubita cõſternatio ex ſomno, & tumultus. cùm cauſa ignoraretur, poſtremò certior res aliis excitantibus alios, iámq; ad arma pro ſe quiſque vocabat. hoſtes in arce eſſe, & cædi vigiles, oppreſsiq; forent Romani, nequaquam numero pares, ni clamor ab iis qui extra arcem erant ſublatus, incertum vnde accidiſſet, omnia vana augente nocturno tumultu, feciſſet. Itaq; velut plena iam hoſtium arce territi Pœni, omiſſo certamine in alterã arcem (duæ ſunt haud multum inter ſe diſtantes) confugiunt. Oppidani vrbem habebant, victoribus præmiũ in medio poſitã. Ex arcibus duabus prælis quotidie leuibus certabatur. Q. Pleminius Romano, Amilcar Punico præſidio præerat: & accerſentes ex propinquis locis ſubſidia, copias augebãt. Ipſe poſtremò veniebat Annibal. nec ſuſtinuiſſent Romani, niſi Locrenſiũ multitudo exacerbata ſuperbia atq; auaritia Pœnorũ ad Romanos inclinaſſet. Scipioni

Annibal Locros contendit ſuis auxilium laturus.

vt nuntiatũ eſt, in maiore diſcrimine Locris rem verti, ipſúmq; Annibalem aduentare: ne præſidium etiã periclitaretur haud facili inde receptu, & ipſe à Meſſana, L. Scipione fratre in præſidio ibi relicto, cùm primùm æſtu fretum inclinatũ eſt, naues mari ſecũdo miſit. Et Annibal à Butroto amni (haud procul is ab vrbe Locris abeſt) nuntio præmiſſo, vt ſui luce prima ſumma vi præliũ cum Romanis ac Locrenſibus cõſererent, dum ipſe auerſos omnibus in eum tumultũ ab tergo vrbẽ incautã aggrederetur:

vbi

A vbi luce cœptam inuenit pugnam, ipse nec in arcē se includere, turba locum arctum impediturus, voluit: neq; scalas, quibus scanderent muros, attulerant. sarcinis in aceruum cõiectis, cùm haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumequitabat vrbem. dum scalæ, quæque alia ad oppugnandum opus erant, parantur, ad visendum qua maximè parte aggrederetur, progressus ad murum, scorpione ictus, qui proximus eum fortè steterat. territus inde tam periculoso casu, receptui canere cùm iussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis Romana à Messana Locros multa die superante accessit. expositi omnes nauibus: & ante occasum solis vrbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce à Pœnis pugna. & Annibal iam scalis, alijsque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros: cùm repentè in eum nihil minus quàm tale quicquam timentem, patefacta porta erumpunt Romani. ad CC improuidos cùm inuasissent, occidunt. cæteros Annibal, vt consulem adesse sensit, in castra recipit: nuntióque misso ad eos qui in arce erant, vt sibimetipsis consulerent, nocte motis castris abiit. Et qui in arce erant, igni iniecto tectis quæ tenebant, vt is tumultus hostem moraretur, agmen suorum fugæ simili cursu ante noctem assecuti sunt. Scipio vt & arcem relictam ab hostibus, & vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses grauiter ob defectionem incusauit: de authoribus supplicium sumpsit, bonáque eorum alterius factionis principibus ob egregiam fidem aduersus Romanos concessit. publicè nec dare, nec eripere se quicquam Locrensibus dixit. Romam mitterent legatos. quam senatus æquum censuisset, eã fortunam habituros, illud satis scire, & si malè de populo Romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quàm sub amicis Carthaginiensibus fuerint. Ipse Q. Pleminio legato, præsidióque quod arcem ceperat, ad tuendam vrbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam traiecit. Ita superbè crudeliterque habiti Locrenses à Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, vt modicas iniurias non æquo modò animo pati, sed propè libenti videri possent. verumenimuero tantum Pleminius Amilcarem præsidii præfectum, tantum præsidiarii milites Romani Pœnos scelere atque auaritia superauerunt, vt non armis, sed vitiis videretur certari. nihil omnium, quæ inopi inuisas opes potentioris faciunt, prætermissum in oppidanos est ab duce, aut à militibus. in corpora ipsorum, in liberos, in coniuges infandæ contumeliæ editæ. Iam auaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit: nec alia modò templa violata, sed Proserpinæ etiam intacti omni ætate thesauri: præterquam quòd à Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut antè regiæ naues laceratæ naufragiis nihil in terram integri, præter sacram pecuniam deæ, quam asportauerant, extulerunt: tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem obiecit: atque inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit.

B Summæ rei Pleminius præerat: militum pars sub eo, quam ipse ab Rhegyo adduxerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex oppidani domo Pleminii miles fugiens, sequentibus quorum erat, obuius fortè Sergio & Matieno tribunis militum fuit. cui cùm iussu tribunorum ademptum poculum esset, iurgium inde & clamor, pugna postremò orta inter Pleminii milites, tribunorúmque, vt suis quisq; opportunus aduenerat, multitudine simul ac tumultu crescente. Victi Pleminii milites cùm ad Pleminium cruorem & vulnera ostentantes non sine vociferatione atque indignatione concurrissent, probra in eum ipsum iactata in iurgiis referentes, accensus ira domo sese proripuit: vocatósque tribunos nudari, ac virgas expediri iubet. Dum spoliandis iis (repugnabant enim, militúmque fidem implorabant) tempus teritur, repentè frequentes milites feroces recenti victoria ex omnibus locis, velut aduersus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt. & cùm violata iam virgis corpora tribunorum vidissent, tum verò in multo impotentiorem subito rabiem accensi, sine respectu non maiestatis modò, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulctatis, faciunt. tum ipsum ab suis interceptum & seclusum hostiliter lacerant, & propè exanguem, naso auribúsque mutilatis, relinquunt. His Messanam nuntiatis, Scipio post paucos dies Locros hexeri aduectus, cùm causam Pleminii & tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictóque in eiusdem loci præsidio, tribunis sontibus iudicatis, & in vincula coniectis, vt Romam ad senatum mitteren tur, Messanam atque inde Syracusas redit. Pleminius impotens iræ, neglectam ab Scipione & nimis leuiter latam suam iniuriam ratus: nec quenquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem eius patiendo sensisset, tribunos attrahi ad se iussit: laceratósque omnibus, quæ pati corpus vllum potest, suppliciis interfecit: nec satiatus viuorum pœna, insepultos proiecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est vsus, quos ad conquerendas iniurias ad Scipionem profectos audiuit. & quæ antea per libidinem atque auaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere: infamiæ atque inuidiæ non sibi modò, sed etiam imperatori esse. Iam comitiorum appetebat tempus, cùm à P. Licinio literæ Romam allatæ sunt. se exercitúmque suum graui morbo afflictari: nec subsisti potuisse, nisi eadem vis mali, aut grauior etiam, in hostes ingruisset. itaque quoniam ipse venire ad comitia non posset, si ita patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum dictatorem comitiorum causa dicturum: exercitum Q. Cæcilii dimitti, è Repub. esse, nam neque vsum eius vllum in præsentia esse, cum Annibal iam in hyberna suos receperit: & tantam incessisse in ea castra vim morbi, vt nisi maturè dimittantur, nemo omniũ superfuturus videatur. Ea consuli à patribus facienda, vt è Rep. fidéque sua duceret, permissa. Ciuitatem eo tempore repens religio inuaserat, inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cælo lapidatum inspectis. Quandocunque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia, vinciq; posse, si mater Idæa Pesinunte Romã aduecta esset. Id carmẽ ab decemuiris inuentũ eo magis patres mouit, quòd & legati, qui donũ Delphos portauerant, referebant:

Annibal scorpione ictus.

Annibal noctè Locris discessit.

Pleminij & præsidiariorum militum Romanorũ in Locrenses crudelitas.

Seditio in Locrẽsi præsidio inter Pleminij & tribunorum milites.

Pleminius naso auribúsque mutilatus prope exanguis relinquitur.

Pleminij crudelitas.

Idæa mater.

bant:& ſacrificātibus ipſis Pythio Apollini, omnia læta exta fuiſſe,& reſpouſum oraculo editum, ma- A
iorem multo victoriam,quàm cuius ex ſpoliis dona portarēt,adeſſe populo Romano. In eiuſdem ſpei
ſummam conferebant P.Scipionis velut præſagientem animum de fine belli,quòd depopoſciſſet pro
uinciam Africam.Itaque quo maturius fauſtis ominibus oraculíſque portendentis ſeſe victoriæ com-
potes fierent,id cogitare,quæ ratio tranſportandæ Romam deæ eſſet. Nullas tum in Aſia ciuitates ſo-
cias habebat populus Romanus. tameu memores, Aeſculapium quoque ex Græcia quondam haud
dum vllo fœdere ſociata valetudinis populi cauſa accerſitum : & iam cum Attalo rege propter com-
mune aduerſus Philippum bellum cœptam amicitiam eſſe,facturum eum quæ poſsit, populi Romani
Legati Romani ad aduehendū Romam matrē Ideam in Aſiam miſſi.
cauſa:legatos ad eum decernunt,M.Valerium Leuinum, qui bis conſul fuerat, ac res in Græcia geſſe-
rat:M.Cæcilium Metellum prætorium,Sulpitium Galbam ædilitium, duos quæſtorios,C.Tremelium
Flaccum,& M.Valerium Falconem.His quinque naues quinqueremes,vt ex dignitate populi Roma-
ni adirent eas terras,ad quas conciliãda maieſtas nomini Romano eſſet,decernunt.Legati Aſiam pe
tentes protinus Delphos cùm exſcendiſſent, oraculum adierunt, conſulentes, ad quod negotium do-
mo miſsi eſſent,perficiendi eius quam ſibi ſpem,populóque Romano portenderet.Reſponſum eſſe fe-
Delphicum oraculum.
runt, per Attalum regem compotes eius fore quod peterent.cùm Romam deam deuexiſſent, tum cu
rarent, vt eam qui vir optimus Romæ eſſet, hoſpitio acciperet. Pergamum ad regem venerunt. Is le-
gatos comiter acceptos Peſinuntem in Phrygiam deduxit: ſacrúmque iis lapidem, quem matrem
deûm incolæ eſſe dicebant,tradidit, ac deportare Romam iuſsit.Remiſſus ab legatis M. Valerius Fal-
co nuntiauit deam apportari,quærendum virum optimum in ciuitate eſſe, qui eam ritè hoſpitio acci-
peret.Q.Cæcilius Metellus dictator ab conſule in Brutiis comitiorum cauſa dictus, exercitúſque eius
dimiſſus,magiſter equitum L.Verurius Philo. Comitia per dictatorem habita. Conſules facti M.Cor-
nelius Cethegus,P.Sempronius Tuditanus abſens,cùm prouinciam Græciam haberet.Prætores inde
creati,T.Claudius Nero,M.Martius Ralla,L.Scribonius Libo,M.Pomponius Matho. Comitiis perfe-
ctis dictator ſeſe magiſtratu abdicauit.Ludi Romani ter,plebeii ſepties inſtaurati. Curules erant ædi-
les Cn.& L.Cornelii Lentuli.Lucius Hiſpaniam prouinciam habebat. abſens creatus, abſeus eum ho-
norem geſsit.T.Claudius Aſellus,& M.Iunius Pœnus plebeii ædiles fuerunt.Aedem Virtutis eo anno
ad portam Capenam M.Marcellus dedicauit,ſeptimodecimo anno poſtquam à patre eius primo con-
ſulatu vota in Gallia ad Claſtidium fuerat.Et flamen martialis eo anuo eſt mortuus, M. Aemylius Re-
Philippus cum Aetolis, quibus voluit conditionibus, pacem fecit.
gillus.Neglectæ eo biennio res in Græcia erant.itaque Philippus Aetolos deſertos ab Romanis, cui
vni fidebant auxilio,quibus voluit conditionibus ad petendam & paciſcendam ſubegit pacem. quod
niſi omni vi perficere maturaſſet,bellantem eum cum Aetolis P.Sempronius proconſul,ſucceſſor im-
perii miſſus Sulpitio,cum decem millibus peditum,& mille equitibus,trigintaquinque roſtratis naui- B
bus,haud paruum momentum ad opem ferendam ſociis,oppreſsiſſet.Vixdum pace facta nuntius re-
gi venit, Romanos Dyrrhachium veniſſe: Parthinóſque, & propinquas alias gentes motas eſſe ad
ſpem nouandi res:Dimallúmque oppugnari.eò ſe auerterant Romani ab Aetolorum,quò miſsi erant,
auxilio:irati,quòd ſine authoritate ſua aduerſus fœdus cum rege pacem feciſſent.Ea cùm audiſſet Phi-
lippus, ne qui motus maior iu finitimis gentibus populíſque oriretur, magnis itineribus Apolloniam
contendit:quò Sempronius ſe receperat,miſſo Lectorio legato cum parte copiarum,& xv nauibus in
Aetoliam ad viſendas res,pacémque,ſi poſſet,turbandam.Philippus agros Apolloniatum vaſtauit, &
ad vrbem admotis copiis, poteſtatem pugnæ Romano fecit. quem poſteaquam quietum muros tan-
tummodò tueri vidit: nec ſatis fidens viribus, vt vrbem oppugnaret, & cum Romanis quoque, ſi-
cut cum Aetolis, cupiens pacem, ſi poſſet, ſin minus, inducias facere: nihil vltra iritatis nouo cer-
tamine odiis, in regnum ſe recepit. Per idem tempus tædio diutini belli Epirotæ, tentata prius Ro-
Epirotæ de communi pace Legatos ad Philippū mittunt.
manorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum miſere, ſatis confidere conuenturam
eam affirmantes, ſi ad colloquium cum P.Sempronio imperatore Romano veniſſet. Facile impetra-
tum (neque enim ue ipſius qnidem regis abhorrebat animus) vt iu Epirum tranſiret. Phœnice vrbs
eſt Epiri.ibi prius collocutus rex cum Eropo, & Darda, & Philippo Epirotarum prætoribus, poſtea
cum P.Sempronio congreditur. Affuit colloquio & Aminander Athamanum rex, & magiſtratus
alii Epirotarum, & Acarnanum. Primus Philippus prætor verba fecit, & petiit ſimul ab rege, & ab
imperatore Romano, vt finem belli facerent, daréntque eam Epirotis veniam. P. Sempronius con-
ditiones pacis dixit, vt Parthini, & Dimallum, & Bargulum, & Eugenium, Romanorum eſſent.
Atintanas, miſsis Romam legatis ab ſenatu impetraſſe, vt Macedoni accederent. In eas conditiones
Pax cū Philippo & Romanis.
cùm pax conueniſſet, ab rege fœderi aſcripti, Pruſia Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Theſſali, Acar-
nanes, Epirotæ: ab Romanis, Ilienſes, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus,
Elei, Meſſenii, Athenienſes. Hæc conſcripta conſignatáque ſunt, & in duos menſes induciæ factæ,
donec Romam mitterentur legati,vt populus in has conditiones pacem iuberet.Iuſſerúntque omnes
tribus,quia verſo in Africam bello, omnibus aliis in præſentia lenari bellis volebant.P. Sempronius
pace facta ad conſulatum Romam deceſsit.M.Cornelio,P.Sempronio conſulibus (quintuſdecimus is
annus Punici belli erat) prouinciæ,Cornelio Hetruria cum vetere exercitu:Sempronio Brutii, vt no-
Prouinciarū & legionum diuiſio.
uas ſcriberet legiones,decretæ.Prætoribus,M.Martio vrbana,L.Scribonio Liboni peregrina,& eidem
Gallia,M.Pomponio Mathoni Sicilia,T.Claudio Neroni Sardinia euenit.P.Scipioni cum eo exercitu,
cúmque ea claſſe,quam habebat,prorogatum in annum imperium eſt.Item P.Licinio,vt Brutios cum
duabus legionibus obtineret, quoad eum in prouincia cum imperio morari conſuli è Republica vi-
ſum eſſet. Et. M. Liuio, & Sp.Lucretio cum binis legionibus, quibus aduerſus Magonem Galliæ præ-
ſidio

A sidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octauio, vt cum Sardioiam, legionémque T. Claudio tradidisset, ipse nauibus longis x L maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio prætori in Sicilia Cannensis exercitus duæ legiones decretæ. T. Quintius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno, cum vetere vterque præsidio obtinerent. De Hispaniæ imperio, quos in eam prouinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum proconsules sicut priore anno tenuissent, obtinere eas prouincias iusserunt. Consules delectum habere instituerunt, & ad nouas scribendas in Brutios legiones, & cæterorum (ita enim iussi ab senatu erant) exercituum supplementum. Quanquam nondum apertè Africa prouincia decreta erat, occultantibus id, credo, patribus ne præsciscerent Carthaginienses: tamen in eam spem erecta ciuitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finémque bello Punico adesse. Impleuerat ea res superstitione animos: pronsque & ad nuntianda, & ad credenda prodigia erant. ea plura vulgabantur: duos soles visos: & nocte interluxisse: & facem Setiæ ab ortu solis in occidentem porrigi visam. Tarracinæ portam, Anagniæ & portam, & multis locis murum de cælo tactum. in æde Iunonis Sospitæ Lanuuii cum horrendo fragore strepitum editum. Eorum procurandorum causa diem vnum supplicatio fuit: & nouendiale sacrum, quòd de cælo lapidatum esset, factum. Eò accessit consultatio de matre Idæa accipienda. quam præterquàm quòd M. Valerius vnus ex legatis regressus, actutum in Italia fore nuntiauerat, recens nuntius aderat, Tarracinæ iam esse. Haud paruæ rei iudicium senatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset. veram certè victoriam eius rei sibi quisque mallet, quàm vlla imperia, honorésve suffragio seu patrum, seu plebis delatos. P. Scipionem, Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse. Id quibus virtutibus inducti ita iudicauerint, sicut proditum memoriæ à primis temporum illorum scriptoribus libens posteris tradiderim: ita meas opiniones coniectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam obuiam ire deæ iussus: is'que eam de naue acciperet, & in terram elatam traderet ferendam matronis. Postquam nauis ad ostium amnis Tyberini accessisset, sicut erat iussus, in salum naue euectus ab sacerdotibus deam accepit, extulítque in terram. Matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quintiæ insigne est nomen, accepere: cui dubia (vt traditur) antè fama, clariorẽ ad posteros tam religioso ministerio pudicitiã fecit. Eæ per manus succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa ciuitate obuiam, thuribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atque accenso thure, precantibus vt volens propitiáque vrbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in palatio, pertulere deam pridie idus Aprilis, i'sque dies festus fuit. populus frequens dona deæ in Palatium tulit, lectisterniúmq; & ludi fuere, Megalesia appellata. Cùm de supplemento legionum, quæ in prouinciis erant, ageretur, tempus esse, à quibusdam senatoribus subiectum est, quæ dubiis in rebus vtcunque tolerata essent, ea dempto iam tandem deûm benignitate metu, non vltrà pati. Erectis expectatione patribus, subiecerunt: colonias Latinas duodecim, quæ Q. Fabio & Q. Fuluio consulibus abnuissent milites dare, eas annum iam fermè sextum vacationem militiæ, quasi honoris & beneficii causa habere: cum interim boni, obedientésq; socii pro fide atq; obsequio imperii Romani cõtinuis omniũ annorum delectibus exhausti essent. Sub hanc vocem nõ memoria magis patribus renouata rei propè iam obliteratæ, quàm ira iritata est. Itaque nihil prius referre consules passi, decreuerunt, vt consules magistratus, denósque principes Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circeis, Narnia, Interamna (eæ nanque coloniæ in ea causa erant) Romam excirẽt: iis imperarent, quantum quæque earum coloniarum militum plurimùm dedisset populo Romano ex quo hostes in Italia essent, duplicatum eius summæ numerum peditum daret, & equites centenos vicenos. si qua eum numerum equitum explere non posset, pro equite vno treis pedites liceret dare. pedites, equitésque quàm locupletissimi legerentur, mitterentúrque, vbicunque extra Italiam supplemento opus esset. si qui ex iis recusarent, retineri eius coloniæ magistratus, legatósq; placere: neque, si postularent, senatum dari, priusquam imperata fecissent. stipendium præterea iis coloniis tria millia æris, asses singulos imperari, exigíque quotannis: censúmque in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data. dari autẽ placere eandem, quam populo Romano: deferríque Romam ab iuratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent. Ex hoc senatusconsulto accitis Romam magistratibus, primoribúsque earum coloniarum, consules cùm milites stipendiúmque imperassent, alii aliis magis recusare ac reclamare, negare tantum militum effici posse: vix, si simplum ex formula imperetur, enixuros. orare, atque obsecrare, vt sibi senatum adire ac deprecari liceret. nihil se, quare perire meritò deberent, admisisse. sed si pereundum etiam foret, neque suum delictum, neque iram populi Romani, vt plus militum darent, quàm haberent, posse efficere. Consules obstinati manere legatos Romæ iubent, magistratus ire domos ad delectus habendos, nisi summa militum, quæ imperata esset, Romam adducta, neminem iis senatum daturum. Ita precisa spe senatum adeundi, deprecandíque delectus in iis duodecim coloniis, per longam vacationem numero iuniorum aucto, haud difficulter est prefectus. Altera itidem res, propè æquè longo neglecta silẽtio, re ata à M. Valerio Leuino est: qui priuatis collatas pecunias, se ac M. Claudio consule, reddi tandem æquum esse dixit. nec mirari quenquam debere, in publica obligata fide suam præcipuam curam esse. nam præterquam quòd aliquid propriè ad consulem eius anni, quo collatæ pecuniæ essent, pertineret, etiam se authorem ita conferendi fuisse inopi ærario, nec plebe ad tributum sufficiente. Grata ea patribus admonitio fuit. iussísque referre

Prodigia.

P. Scipio Cn. filius in tota ciuitate optimus vir indicatus.

Idæa mater in ædem Victoriæ delata. Megalesia.

Senatusconsultũ in duodecim colonias Latinas, quæ milites dare abnuissent.

Senatuſcōſ. de reddēdis pecunijs, quas priuati pro rep. contuliſſent.

Locrenſium legatorū in ſenatu oratio de Pleminij crudelitate.

conſulibus, decreuerunt: vt tribus penſionibus ea pecunia ſolueretur: primam præſentem ii qui tum A
eſſent, duas tertii & quinti conſules numerarent. Omnes deinde alias curas vna occupauit, poſt-
quàm Locrenſium clades, quæ ignotæ ad eam diem fuerant, legatorum aduentu vulgatæ ſunt. nec
tam Q. Pleminii ſcelus, quàm Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritauit. De-
cem legati Locrenſium obſiti ſquallore & ſordibus, in comitio ſedentibus conſulibus, velamenta ſup-
plicum ramos oleæ (vt Græcis mos eſt) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi
procubuerunt. Quærentibus conſulibus Locrenſes ſe dixerunt eſſe, ea paſſos à Q. Pleminio lega-
to, Romaníſque militibus, quæ pati ne Carthaginienſes quidem velit populus Romanus: orare,
vti ſibi patres adeundi, deplorandíque erumnas ſuas poteſtatem facerent. Senatu dato, maximus
natu ex iis: Scio, inquit quanti, æſtimentur noſtræ apud vos querelæ, patres conſcripti, plurimum
in eo momenti eſſe, ſi propè ſciatis, & quomodo proditi Locri Annibali ſint: & quo modo pulſo An-
nibalis præſidio, reſtituti in ditionem veſtram. quippe ſi & culpa defectionis procul à publico con-
ſilio abſit, & reditum in veſtram ditionem appareat, non voluntate ſolùm, ſed ope etiam ac virtu-
te noſtra, magis indignemini bonis ac fidelibus ſociis tam atroces atque indignas iniurias ab legato
veſtro, militibúſque fieri. Sed ego cauſam vtriuſque defectionis noſtræ in aliud tempus differen-
dam arbitror eſſe, duarum rerum gratia: vnius, vt coram P. Scipione, qui Locros recepit, quíque
omnium nobis rectè perperámque factorum eſt teſtis, agatur: alterius, quòd qualeſcunque ſumus,
tamen hæc quæ paſsi ſumus, pati non debuimus. Non poſſumus diſsimulare P. C. nos, cùm præſidium
Punicum in arce noſtra haberemus, multa fœda, indigna & à præfecto præſidii Amilcare, & ab Nu-
midis Afríſque paſſos eſſe. ſed quid illa ſunt, collata cum iis quæ hodie patimur? Cum bona venia
quæſo audiatis P. C. id quod inuitus eloquar. In diſcrimine eſt nunc humanum omne genus, vtrum
vos, an Carthaginienſes principes orbis terrarum videat. ſed ſi ex iis quæ Locrenſes aut ab illis paſsi
ſumus, aut à veſtro præſidio nunc cùm maximè patimur, æſtimandum Romanum ac Punicum im-
perium ſit, nemo non illos ſibi quàm vos dominos præoptet. Et tamen videte quemadmodum *Lo-
crenſes* in vos animati ſint. cùm à Carthaginienſibus iniurias multo minores acciperemus, ad ve-
ſtrum imperatorem confugimus: cùm à veſtro præſidio pluſquam hoſtilia patiamur, nuſquam aliò,
quàm ad vos querelas detulimus. Aut vos reſpicietis perditas res noſtras P. C. aut ne ab diis quidem
immortalibus quod precemur, quicquam ſupereſt. Q. Pleminius legatus miſſus eſt cum præſidio
ad recuperandos à Carthaginienſibus Locros, & cum eodem ibi relictus eſt præſidio. in hoc legato
veſtro (dant enim animum ad loquendum liberè vltimæ miſeriæ) nec hominis quicquam eſt P. C.
præter figuram & ſpeciem, neque Romani ciuis, præter habitum, & ſonum Latinæ linguæ. peſtis,
ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciem nauigantiū cir- B
cunſediſſe fabulæ ferunt. Ac ſi ſcelus, libidinem, & auaritiam ſolus ipſe exercere in ſocios veſtros ſa-
tis haberet, vnam profundam quidem voraginem tamen patientia noſtra expleremus. nunc omnes
centuriones militéſque veſtros (adeò in promiſcuo licentiam atque improbitatem eſſe voluit) Ple-
minios fecit: omnes rapiunt, ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt, conſtuprant matronas, vir-
gines, ingenuos raptos ex complexu parentum. quotidie capitur vrbs noſtra, quotidie diripitur, dies
noctéſque omnia paſsim mulierum puerorúmque qui rapiuntur atque aſportantur, ploratibus ſonant.
Miretur, qui neſciat, quomodo aut nos ad patiendum ſufficiamus: aut illos qui faciunt, nondum tan-
tarum iniuriarum ſatietas ceperit. Neque ego exequi poſſum, nec vobis operæ eſt audire ſingula, quæ
paſsi ſumus. communiter omnia complectar, Nego domum vllam Locris, nego quenquam homi-
nem expertem iniuriæ eſſe: nego vllum genus ſceleris, libidinis, auaritiæ ſupereſſe, quod in vllo, qui
pati potuerit, prætermiſſum ſit. Vix ratio iniri poteſt, vter caſus ciuitatis ſit deteſtabilior: cùm ho-
ſtes bello vrbem cepere, an cum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppreſsit. omnia, quæ captæ vr-
bes patiuntur, paſsi ſumus, & nunc cùm maximè patimur P. C. omnia quæ crudeliſsimi atque impor-
tuniſsimi tyranni ſcelera in oppreſſos ciues edunt, Pleminius in nos, liberóſque noſtros, & coniuges
edidit. Vnum eſt, de quo nominatim & nos queri religio infixa animis cogat: & vos audire, &
exoluere remp. veſtram religione, ſi ita vobis videbitur, velimus P. C. vidimus enim cum quanta
cærimonia non veſtros ſolùm colatis deos, ſed etiam externos accipiatis. Fanum eſt apud nos Pro-
ſerpinæ, de cuius ſanctitate templi credo aliquam famam ad vos perueniſſe Pyrrhi bello. qui cùm ex
Sicilia rediens Locros claſſe præteruheheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem noſtram erga vos
in ciuitatem noſtram facinora edidit, theſauros quoque Proſerpinæ intactos ad eam diem ſpoliauit:
atque ita pecunia in naues impoſita, ipſe terra eſt profectus. Quid ergo euenit P. C. Claſsis poſtero die
fœdiſsima tempeſtate lacerata: omnéſque naues, quæ ſacram pecuniam habebant, in litora noſtra
eiectæ ſunt. qua tanta clade edoctus tandem deos eſſe ſuperbiſsimus rex, pecuniam omnem inquiſi-
tam in theſauros Proſerpinæ referri iuſsit. nec tamen illi vnquam poſtea proſperè quicquam euenit:
pulſúſq; Italia, ignobili atque inhoneſta morte temerè nocte ingreſſus Argos occubuit. Hæc cùm au-
diſſet legatus veſter, tribuníq; militum, & mille alia, quæ nō augendæ religionis cauſa, ſed præſentis
deæ numine ſæpe comperta nobis maioribúſq; noſtris, referebantur: auſi ſunt nihilo minus ſacrilegas
admouere manus intactis illis theſauris: & nefanda præda ſeipſos, ac domos contaminare ſuas, &
milites veſtros, quibus per vos fidémque veſtram P. C. priuſquam eorum ſcelus expietis, neq; in Italia,
neque in Africa quicquam rei gesſeritis: ne quod piaculi commiſerunt, non ſuo ſolùm ſanguine, ſed
etiam publica clade luant. quanquam ne nunc quidē P. C. aut in ducibus, aut in militibus veſtris ceſſat
ira deæ. aliquoties iam inter ſe ſignis collatis concurrunt. dux alterius partis Pleminius, alterius
duo

A duo tribuni militum erant, non acrius cum Carthaginiensibus, quàm ipsi inter se ferro dimicauerunt. præbuissentque occasionem furore suo Locros recipiendi Annibali: ni accitus à nobis Scipio interuenisset. At Hercule milites contactos sacrilegio furor agitat, in ducibus ipsis puniendis nullum deæ numen apparuit. imò ibi præsens maximè fuit. virgis cæsi tribuni ab legato sunt. legatus deinde insidiis tribunorum interceptus, præterquam quòd toto corpore laceratus, naso quoque auribúsque decisis exanguis est relictus. recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula coniectos, dein verberatos, seruilibúsque omnibus suppliciis cruciando occidit: mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has dea pœnas à templi sui spoliatoribus habet: nec antè desinet omnibus eos agitare furiis, quàm reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Maiores quondam nostri graui Crotoniensium bello, quia extra vrbem templum est, transferre in vrbem eam pecuniam voluerunt. nocte audita ex delubro vox est, abstinerent manus, deam sua templa defensuram. quia mouendi inde thesauros incussa erat religio, muro circundare templum voluerunt. ad aliquantum iam altitudinis excitata erant mœnia, cùm subitò collapsa ruina sunt. Sed & nunc, & sæpe aliàs dea suam sedē, suúmque templum aut tutata est, aut à violatoribus grauia piacula exegit. nostras iniurias nec potest, nec possit alius vlcisci, quàm vos P. C. ad vos, vestrámque fidem supplices confugimus. nihil nostra interest, vtrū sub illo legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato Annibali & Pœnis ad suppliciū dedatis. Non postulamus vt exceptō nobis, de absente, vt indicta causa credatis. veniat, corām ipse audiat, ipse diluat. si quicquam sceleris, quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit, non recusamus quin & nos omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur, & ille omni diuino humanóque liberetur scelere. Hæc cùm ab legatis dicta essent, quæsissétque ab iis Q. Fabius, detulissént-ne eas querelas ad P. Scipionem, responderunt: missos legatos esse, sed eum belli apparatu occupatum esse: & in Africam aut iam traiecisse, aut intra paucos dies traiecturum. & legati gratia quanta esset apud imperatorem, expertos esse: cùm inter eum & tribunos cognita causa, tribunos in vincula coniecerit: legatum æquè sontem, aut magis etiam, in ea potestate reliquerit. Iussis excedere è templo legatis, non Pleminius modò, sed etiam Scipio principum orationibus lacerari. ante omnes Q. Fabius natum ad corrumpendam disciplinam militarem arguere. sic & in Hispania plus propè per seditionem militum, quàm bello amissum. externo & regio more & indulgere licentiæ militum, & sæuire in eos. Sententiam deinde trucem orationi adiecit. Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, & ex vinculis causam dicere: ac si vera forent, quæ Locrenses quererentur, in carcere necari, bonáque eius publicari. P. Scipionem, quòd de prouincia decesserit iniussu senatus, reuocari: agíque cum tribunis plebis, vt de imperio eius abrogando ferrent ad populum. Locrensibus

Scipio à Fabio in senatu absens accusatur.

B corām senatum respondere: quas iniurias sibi factas quererentur, neque senatum neque populum Romanum factas velle. viros bonos, sociósque & amicos eos appellari. liberos, coniuges, quæque alia erepta essent, restitui. pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, conquiri: duplámque pecuniam in thesauris reponi: & sacrum piaculare fieri: ita vt prius ad collegium pontificum referretur: quòd sacri thesauri moti, aperti, violatique essent, quæ piacula quibus diis, quibus hostiis, fieri placeret. milites qui Locris essent omnes in Siciliam transportari: quatuor cohortes sociorum Latini nominis in præsidium Locros adduci. Perrogari eo die sententiæ accensis studiis pro Scipione, & aduersus Scipionem, non potuere. Præter Pleminii facinus, Locrensiúmque cladem, ipsius etiam imperatoris non Romanus modò, sed ne militaris quidem cultus iactabatur. cum pallio crepidisq; inambulare in gymnasio, libellis etiam palæstræq; operam dare: æquè segniter mollitérque cohortem totam Syracusarum amœnitate frui: Carthaginem, atque Annibalem excidisse de memoria: exercitum omnem licentia corruptum, qualis Sucrone in Hispania fuerit, qualis nunc Locris, sociis magis quàm hosti metuendus. Hæc quanquam partim vera, partim mista, eóq; similia veris iactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia: qui de Cæteris Maximo assensus, de Scipionis causa dissensit. Quî enim conuenire, quem modo ciuitas iuuenem admodum vnum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem, quem recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creauerit consulē, spe destinauerit Annibalem ex Italia retractură, Africam subacturum: eum repentè, tanquā Q. Pleminium, indicta causa propè damnatū ex prouincia reuocari? cùm ea, quæ in se nefariè facta Locrenses quererentur, ne præsente quidem Scipione facta dicerent, neque aliud quàm patientia, aut pudor, quòd legato pepercisset, insimulari posse? Sibi placere, M. Pomponium prætorē, cui Sicilia prouincia sorte euenisset, triduo proximo in prouinciam proficisci: cōsules, decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum prætore mitterent, & duos tribunos plebis, atque ædilem, cum eo cōsilio prætorē cognoscere, si ea quæ Locrenses facta quererentur, iussu aut volūtate P. Scipionis facta essent, vt eum de prouincia decedere iuberent: si P. Scipio iam in Africam traiecisset, tribuni plebis, atque ædilis cum duobus legatis, quos maximè prætor idoneos cēsuisset, in Africam proficiscerētur: tribuni atque ædilis, qui reducerēt inde Scipionē: legati, qui exercitui præessent, donec nouus imperator ad eum exercitū venisset. Sin M. Pomponius, & decem legati cōperissent, neq; iussu neq; voluntate P. Scipionis ea facta esse, vt in exercitu Scipio maneret, bellúmque vt proposuisset, gereret. Hoc facto s c cum tribunis plebis actum est, aut compararent inter se, aut sorte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata, elatáque inde essent. Tribuni plebis cum prætore & decem legatis profecti, M. Claudius Marcellus, & M. Cincius Alimentius, iisque ædilis plebis datus est: quem, si aut in Sicilia prætoris dicto audiens non esset Scipio, aut iam in Africam traiecisset, cōprehendere tribuni iuberent, ac iure sacro-

Variæ senatus senten tiæ de Scipione.

Q. Metelli de Scipione sententia.

sanctæ potestatis reducerent. Prius Locros ire, quàm Messanam consilium erat. Cæterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet. alii, auditis quæ Romæ acta essent, in exilium Neapolim euntem, fortè in Q. Metellum vnum ex legatis incidisse, & ab eo Rhegyum vi tractum. alii, ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum, qui Q. Pleminium in catenas, & cum eo seditionis principes conijcerent. Ii omnes, seu antè Scipionis, seu tum prætoris iussu traditi in custodiam Rhegynis sunt. Prætor legatíque Locros profecti primam, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere. omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. tum vocatos in concionem milites prætor signa extra vrbem efferre iubet: castráque in campo locat, cum graui edicto, si quis miles aut in vrbe restitisset, aut secum extulisset quod suum non esset: Locrensibus se permittere, vt quod suum quisque cognosceret, prehenderet: si quid non compareret, repeteret. ante omnia libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui: non leui defunctorum pœna, qui non restituisset. Locrensium deinde concionem habuit, atque iis libertatem legésque suas populum Romanum senatúmque restituere dixit. si qui Pleminium, aliúmve quem accusare vellet, Rhegyum sequeretur. si de P. Scipione publicè queri vellent, ea quæ Locris nefariè in deos hominésque facta essent, iussu aut voluntate P. Scipionis facta esse, legatos mitterent Messanam: ibi se cum consilio cogniturum. Locrenses prætori legatísque, & senatui ac populo Romano gratias egere: se ad Pleminium accusandum ituros. Scipionem, quanquam parum iniuriis ciuitatis suæ doluerit, eum esse virum, quem amicum sibi quàm inimicum malint esse. pro certo se habere, neque iussu neque voluntate P. Scipionis tottam nefanda commissa: sed aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum. natura insitum quibusdam esse, vt magis peccari nolint, quàm satis animi ad vindicanda peccata habeant. Et prætori & consilio haud mediocre onus demptum erat de Scipione cognoscendi. Pleminium, & ad duos & triginta homines cum eo damnauerunt, atque in catenis Romam miserunt. ipsi ad Scipionem profecti sunt, vt ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris, solutáque militiæ disciplina, comperta oculis perferrent Romam. Venientibus iis Syracusas, Scipio res, non verba, ad purgandum se parauit. exercitum omnem eò conuenire, classem expediri iussit, tanquam dimicandum eo die terra maríq; cum Carthaginiensibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter accepti. postero die terrestrem naualémque exercitus non instructos modò, sed hos decurrenteis, classem in portu simulachrum & ipsam edentem naualis pugnæ ostendit: tum circa armamentaria & horrea aliúmque belli apparatum visendum prætor legatíque ducti. tantáque admiratio singularum vniuersarúmque rerum incussa, vt satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci Carthaginiensem populum, aut nullo alio posse: iuberéntque, quod dii bene verterent, traiiceret, & spei conceptæ, quo die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent, primo quoque tempore compotem populum Romanum faceret. adeòque lætis inde animis profecti sunt, tanquam victoriam, non belli magnificum apparatum nunciaturi Romam essent. Pleminius, quique in eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplò in carcerem conditi. ac primò producti ad populum ab tribunis apud præoccupatos Locrensium clade animos nullum misericordiæ locum habuerunt. postea cùm sæpius producerentur, iam senescente inuidia molliebatur ira: & ipsa deformitas Pleminii, memoriáque absentis Scipionis fauorem ad vulgum conciliabat. mortuus tamen prius in vinculis est, quàm iudicium de eo perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanorum refert ludis votiuis, quos Romæ Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdã, quos precio corruperat, aliquot locis vrbem incendere, vt frangẽdi carceris fugiendíque haberet occasionem: patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex s c. De Scipione nusquam, nisi in senatu actum. vbi omnes legatíque & tribuni classem, exercitum, ducémque verbis extollentes, effecerunt, vt senatus censeret primo quoque tempore in Africam traiiciendum: Scipionique permitteretur, vt ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, ipse eligeret, quos in Africam secum traiiceret, quos prouinciæ relinqueret præsidio. Dum hæc apud Romanos geruntur, Carthaginienses quoque cùm speculis per promontoria omnia positis, percunctantes pauentésque ad singulos nuncios solicitam hyemem egissent, haud paruum & ipsi tuendæ Africæ momentum adiecerunt societatem Syphacis regis, cuius maximè fiducia traiecturum in Africam Romanum crediderunt. Erat Asdrubali Gisgonis filio non hospitium modò cum rege, de quo antè dictum est, cùm ex Hispania fortè in idem tempus Scipio atque Asdrubal conuenerunt: sed mentio quoque inchoatæ affinitatis, vt rex duceret filiam Asdrubalis. Ad eam rem confirmandam, tempúsque nuptiis statuendum (iam enim nubilis erat virgo) profectus Asdrubal, vt accensum cupiditate (& sunt ante omnes barbaros Numidæ effusi in venerem) sensit, virginem ab Carthagine accersit, maturátque nuptias: & inter aliam gratulationem, vt publicum quoq; fœdus priuato adiiceretur, societas inter populum Carthaginiensem regémq;, data vltro citróq; fide eosdem amicos inimicósq; habituros, iureiurãdo affirmatur. Cæterùm Asdrubal memor & cum Scipione initæ regi societatis, & quàm vana & mutabilia barbarorũ ingenia essent: veritus ne, si traiiceret in Africam Scipio, paruum vinculum eæ nuptiæ essent: dum accensum recenti amore Numidã habet, perpellit, blanditiis quoq; puellæ adhibitis, vt legatos in Siciliam ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, ne prioribus suis promissis fretus in Africam traiiciat. se & nuptiis ciuis Carthaginiensis filiæ Asdrubalis, quem viderit apud se in hospitio, & publico etiam fœdere cum populo Carthaginiensi iunctum. hortari primùm, vt procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Carthaginiensibus gerant, ne sibi interesse certaminibus

Sacra pecunia è templo Proserpinæ erepta reponitur.

Locrensibus libertas restituitur.

Pleminius & triginta duo homines cum eo in catenis Romã missi.

Scipio rebus non uerbis ostendit se falsò fuisse accusatum.

Pleminius in uinculis moritur.

Syphax Asdrubalis filiam ducit.

Syphax ad Scipionem legatos mittit.

A taminibus eorum, armáq; aut hæc, aut illa abnuentem alteram societatem sequi necesse sit. si non abstineat Africa Scipio, & Carthagini exercitũ admoueat, sibi necessariũ fore, & pro terra Africa, in qua & ipse sit genitus, & pro patria coniugis suæ, próq; parẽte ac penatibus dimicare. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionẽ missi, Syracusis eum cõuenerunt. Scipio quanquã magno momento rerum in Africa gerendarum, magnáque spe destitutus erat, legatis properè, priusquam res vulgaretur, remissis in Africam literas dat ad regem. quibus etiam atque etiam monet eum, ne iura hospitii secum, neu cum populo Romano initæ societatis, neu fas, fidem, dexteras, deos testes atq; arbitros conuẽtorum fallat. Cæterũ quando neque celari aduentus Numidarum poterat (vagati enim in vrbe, obuersatíq; prætorio erant) &, si sileretur quid petentes venissent, periculum erat, ne vera eo ipso quòd celarentur, sua sponte magis emanarent: timórq; in exercitum incideret ne simul cum rege & Carthaginiensibus foret bellandum: auertit à vero falsis præoccupando mentes hominum. Et vocatis ad concionem militibus, nõ vltrà esse cunctandum ait. instare, vt in Africam quamprimum traiiciat, socios reges. Masanissam prius ipsum ad Lælium venisse, querentem, quòd cunctãdo tempus tereretur. nunc Syphacem mittere legatos, idem admirantẽ, quæ tam diuturnæ moræ sit causa: postulantémq;, vt aut traiiciatur tandem in Africam exercitus: aut, si mutata cõsilia sint, certior fiat, vt & ipse sibi ac regno possit cõsulere. Itaq; iam satis omnibus instructis apparatísq;, & re iam nõ vltrà recipiente cunctationẽ, in animo sibi esse, Lilybæũ classe traducta, eodémq; omnibus peditũ equitúmq; copiis contractis, quæ prima dies cursum nauibus daret, deis bene iuuãtibus in Africã traiicere. Literas ad M. Pomponiũ mittit, vt si ei videretur, Lilybæũ veniret: vt cõmuniter cõsulerent, quas legiones potissimum, & quantum militum numerũ in Africam traiiceret. item circũ oram omnem maritimam misit, vt naues onerariæ cõprehensæ, Lilybæum omnes cõtraherentur. Quicquid militum nauiúmque in Scilia erat, cùm Lilybæũ conuenissent, & nec vrbs multitudinẽ hominum, nec portus naues caperet, tantus omnibus ardor erat in Africã traiiciendi, vt nõ ab bellũ duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. præcipuè qui superabant ex Cannensi exercitu milites, illo, nõ alio duce credebãt nauata reipub. opera finire se militiã ignominiosam posse. Et Scipio minimè id genus militum aspernabatur, vt qui neq; ad Cannas ignauia eorum cladem acceptam sciret, neq; vllos æquè veteres milites in exercitu Romano esse, expertósq; nõ variis prælus modò, sed vrbibus etiam oppugnandis. Quinta & sexta Cannenses erãt legiones. eas se traiecturum in Africam cùm dixisset singulos milites inspexit: relictísq; quos non idoneos credebat, in locũ eorum subiecit quos secum ex Italia adduxerat: suppleuítq; ita eas legiones, vt singulæ sena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites. sociorum item Latini nominis pedites equitésq; de exercitu Cannensi legit. Quantum militum in Africã transportatum sit,

Scipionis ad milites oratio.

Cannenses legiones.

B non paruo numero inter authores discrepat. alibi decem millia peditum, duo millia & ducentos equites: alibi x v millia peditũ, mille & quingentos equites: alibi parte plus dimidia rem auctam, v & x x x millia peditum equitúmq; in naues imposita inuenio. quidam non adiecere numerũ, inter quos me ipse in re dubia poni malim. Cœlius vt abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. volucres ad terrã delapsas clamore militum, ait: tantámque multitudinẽ conscendisse naues, vt nemo mortalium aut in Italia, aut in Sicilia relinqui videretur. Milites vt in naues ordine ac sine tumultu cõscenderent, ipse eam sibi curam sumpsit, nauticos C. Lælius, qui classis præfectus erat, nauibus antè conscendere coactos continuit. cõmeatus imponendi M. Pomponio prætori cura data, v & x L dierum cibaria, è quibus x v dierum cocta, imposita. vt omnes iam in nauibus erant, scaphas circummisit, vt ex omnibus nauibus gubernatorésq; & magistri nauium, & bini milites in forum conuenirent ad imperia accipienda. Posteaquam conuenerunt, primùm ab iis quæsiuit, si aquam hominibus, iumentísque in totidem dies, quot frumentum, imposuissent. vbi responsum est, aquam dierum v & x L in nauibus esse: tum edixit militibus, vt silentiũ quieti nautis sine certamine ad ministeria exequenda bene obedientes præstarent. cum x x rostratis se ac L. Scipionẽ ab dextro cornu, ab læuo totidẽ rostratis C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone (quæstor tum is erat) onerariis futurum præsidio. lumina in nauibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent: in prætoria naue insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia vt peterẽt, gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eóq; abundans omniũ copia rerũ est regio, & imbelles (quod plerúque in vbere agro euenit) barbari sunt: priúsq;, quàm à Carthagine subueniretur, opprimi videbãtur posse. Iis editis imperiis, redire ad naues iussi: & postero die diis bene iuuantibus signo dato soluere naues. Multæ classes Romanæ è Sicilia, atq; ipso illo portu profectæ erant. cæterùm nõ eo bello solum (nec id mirũ, prædatũ enim tantúmodo pleræq; classes ierãt) sed ne priore quidẽ vlla profectio tanti spectaculi fuit. quanquam si magnitudine classes æstimares, & bini consules cũ binis exercitibus antè traiecerant: & propè totidẽ rostratæ in illis classibus fuerãt, quot onerariis Scipio tum traiiciebat. nam præter x L longas naues, quadringẽtis fermè onerariis exercitũ transuexit. sed & bellũ bello, secundũ priore vt atrocius Romanis videretur, cùm quòd in Italia bellabatur, tum ingẽtes strages tot exercituũ simul cæsis ducibus effecerãt. & Scipio dux partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadã ingenti, ad incremẽta gloriæ celebratus cõuerterat animos: simul & mens ipsa traiiciẽdi, nulli antè eo bello duci tentata, quòd ad Annibalem detrahendum ex Italia, transferendúmq; & finiendũ in Africa bellũ, se trãsire vulgauerat. Cõcurrerat ad spectaculũ in portum omnis turba nõ habitantium modò Lilybæi, sed legationũ omniũ ex Sicilia: quæ & ad prosequendũ Scipionem officii causa conuenerant, & prætorẽ prouinciæ M. Pomponiũ secutæ fuerant. ad hoc legiones, quæ in Sicilia relinquebantur, ad prosequẽdos cõmilitones processerãt. nec classis modò prospectãtibus è terra, sed terra etiã omnis circà referta turba spectaculo nauigan-

De numero exercitus, quem Scipio in Africam transportauit.

Emporia.

Scipionis classis omnes alias priores antecellit.

Scipionis precatio.

† Ald. cod. uertant,

A tibus erat. Vbi illuxit: Scipio è prætoria naue, silentio per præconē facto. Dii deæ´que, inquit, qui maria terráſque colitis, vos precor, quæſóque, quæ iu meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſt´que gerētur, ea mihi, populo plebique Romanæ, ſociis nomini que Latino, qui populi Romani quique meam ſectam, imperium auſpiciúmque terra, mari, amnibúſque ſequuntur, bene † verruncent: eáque vos omnia bene iuuetis: bonis auctibus auxitis: ſaluos incolumeſque victis perduellibus victores ſpoliis decoratos, præda onuſtos triumphantéſque mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum hoſtiúmque vlciſcendorum copiam ſaxitis: quæque populus Carthaginienſis in ciuitatem noſtrā facere molitus eſt, ea vt mihi populóque Romano in ciuitatē Carthaginienſium exēpla edendi facultatē detis. Secundū eas preces cruda exta cæſa victima (vti mos) in mare proiecit, tubáq; ſignum dedit proficiſcēdi. Vento ſecundo vehemēti ſatis profectis, celeriter cōſpectu terræ ablati ſunt. & à meridie nebula occepit, ita vt vix concurſus nauiū inter ſe vitarent. lenior ventus in alto factus. noctem inſequentem eadem caligo obtinuit: ſole orto eſt diſcuſſa, & addita vis vento. Iam terram cernebant. haud ita multo pòſt gubernator Scipioni ait: nō plus quinque millia paſſuum Africā abeſſe, Mercurii promontorium ſe cernere. ſi iubeat eò dirigi, iam in portu fore omnē claſſem. Scipio vt in cōſpectu terra fuit, precatus deos, vti bono reipub. ſuóque Africā viderit, dare vela, & alium infrà nauibus acceſſum petere iubet. vento eodem ferebantur. cæterùm nebula ſub idē fermè tempus, quo pridie, exorta conſpectum terræ ademit, & ventus premente nebula cecidit. nox deinde incertiora omnia fecit. itaque anchoras, ne aut inter ſe concurrerent naues, aut terræ inferrentur, iecere. vbi illuxit, ventus idem coortus, nebula diſiecta aperuit omnia Africæ litora. Scipio quod eſſet proximum promontoriū percunctatus, cum Pulchri promontorium id vocari audiſſet: placet omen, inquit, huc dirigite naues, eò claſſis decurrit: copiæ omnes in terram expoſitæ ſunt. Proſperā nauigationem ſine terrore ac tumultu fuiſſe, permultis Græcis Latiníſq; authoribus credidi: Cœlius vnus præterquàm quòd nō merſas fluctibus naues, cæteros omnes cæleſtes maritimóſq; terrores, poſtremò abreptam tēpeſtate ab Africa claſſem ad inſulā Aegimurum, inde ægrè correctum curſum exponit: & propè obrutis nauibus, iniuſſu imperatoris ſcaphis haud ſecus quàm naufragos milites ſine armis cum ingēti tumultu in terram euaſiſſe. Expoſitis copiis Romani caſtra in proximis tumulis metantur. Iam non in maritimos modò agros cōſpectu primùm claſsis, dein tumultu egredientiū in terram pauor terrórq; peruenerat, ſed in ipſas vrbes. neque enim hominū modò turba mulierū puerorúmque agminibus immiſta omnes paſſim cōpleuerat vias, ſed pecora quoque præ ſe agreſtes agebāt, vt relinqui ſubitò Africā diceres, vrbibus verò ipſis maiorē quàm quem ſecum attulerat, terrorē inſerebant. Præcipuè Carthagini propè vt captæ tumultus fuit. nam poſt M. Attilium Regulum & L. Manlium C O S S. annis propè quinquaginta, nullum Romanum exercitū viderant, præter prædatorias claſſes, quibus exſcenſiones in agros maritimos factæ erant: raptíſque quæ obuia fors fecerat, prius recurſum ſemper ad naues quàm clamor agreſtes cōciret, fuerat. B eo maior tum fuga pauórque in vrbe fuit. Et hercule neq; exercitus domi validus, neque dux quē opponerēt, erat. Aſdrubal Giſgonis filius, genere, ſama, diuitiis, regia tum etiam affinitate longè primus ciuitatis erat. ſed eum ab illo ipſo Scipione aliquot præliis fuſum, pulſúmque in Hiſpania meminerāt. nec magis ducem duci parem, quàm tumultuarium exercitum ſuum Romano exercitui eſſe. itaque velut ſi vrbē extemplò aggreſſurus Scipio foret, ita ad arma eſt conclamatū: portæq; raptim clauſæ, & armati in muris, vigiliæq; & ſtationes diſpoſitæ, ac nocte inſequenti vigilatū eſt. Poſtero die quingenti equites ſpeculatum ad mare turbandóſque egredientes ex nauibus miſſi, in ſtationes Romanorum inciderūt. iam enim Scipio claſſe Vticam miſſa, ipſe haud ita multum progreſſus à mari, tumulos proximos ceperat, & equites in ſtationibus locis idoneis poſuerat, & per agros miſerat prædatum. Ii cum Carthaginienſi equitatu prælium cùm commiſiſſent, paucos in ipſo certamine, pleroſque fugientes perſecuti, in quibus præfectum quoq; Hannonem nobilem iuuenem, occiderunt.

Ad Pulchri promontorium Scipionis claſſis appulit.

Carthaginienſium pauor ob Scipionis aduentum.

Scipio agros uaſtat.

Scipio non agros modò circà vaſtauit, ſed vrbem etiam proximā Afrorum ſatis opulentam cepit. vbi præter cætera quæ extemplò in naues onerarias impoſita, miſſáq; in Siciliā erant, octo millia liberorū capitum ſeruorúmque, ſunt capta. Lætiſsimus tamen Romanis in principio rerum gerendarū aduentus Maſaniſſæ fuit. quē quidam cum C C haud amplius equitibus, plerique cum duûm millium equitatu tradunt veniſſe. Cæterum cum longè maximus omniū ætatis ſuæ regum hic fuerit, plurimúmq; rem Romanā iuuerit: operæprecium videtur excedere paululum ad enarrandum quàm varia fortuna vſus ſit in amittendo recuperandóque paterno regno. Militante eo pro Carthaginienſibus in Hiſpania, pater eius moritur: (Galæ nomē erat) regnum ad fratrē regis Deſalcem pergrandē natu (mos ita apud Numidas eſt) peruenit. haud multo pòſt Deſalce quoque mortuo, maior ex duobus filiis eius Capuſa, puero admodum altero, paternū imperium accepit. cæterùm cum magis iure gentis authoritate inter ſuos, quàm viribus obtineret regnū extitit quidam Mezetullus nomine, nō alienus ſanguine regibus, familiæ ſemper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis qui tum obtinebant, certantis. Is concitatis popularibus, apud quos inuidia regum magnæ authoritatis erat, caſtris palàm poſitis, deſcendere regē in aciem ac dimicare de regno coegit. in eo prælio Capuſa cum multis principum cecidit, gens Maſæſylorum omnis in ditionem imperiúmque Mezetulli cōceſsit. regio tamē nomine abſtinuit: cōtentúſq; nomine modico tutoris, puerum Lacumacen, qui ſtirpis regiæ ſupererat, regem appellat. Carthaginienſem nobilem fœminam, ſororis filiam Annibalis, quæ proximè Deſalci regi nupta fuerat, matrimonio ſibi iungit, ſpe Carthaginienſium ſocietatis: & cum Syphace hoſpitium vetuſtum legatis miſsis renouat, omnia ea auxilia præparans aduerſus Maſaniſſam. Et Maſaniſſa audita morte patrui, dein nece fratris patruelis, ex Hiſpania in Mauritaniam (Bocchar ea

Maſaniſſa ad Scipionē accedit.

De uaria Maſaniſſæ fortuna in amittendo recuperandoque regno paterno.

tempeſt

A tempestate rex Maurorum erat) traiicit. ab eo supplex infimis precibus auxilium itineri, quoniam bello non poterat, quatuor millia Maurorum impetrauit. Cum iis, præmisso nuntio ad paternos suosque amicos, cùm ad fines regni peruenisset, quingenti fermè Numidæ ad eum conuenerunt. Igitur Mauris inde, sicut conuenerat, retrò ad regem remissis, quanquam aliquanto minor spe multitudo, nec cum qua tantam rem aggredi satis auderet, conueniret: ratus agendo ac moliendo vires quoque ad agendum aliquid collecturum, proficiscenti ad Syphacem Lacumaci regulo ad Tapsum occurrit. trepidum agmen cùm in vrbem refugisset, & vrbem Masanissa primo impetu capit, & ex regiis alios tradentes se recepit, alios vim parantes occidit. pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem, quò primùm intenderant iter, peruenerunt. Fama huius modicæ rei in principio rerum prosperè actæ conuertit ad Masanissam Numidas. affluebántque vndique ex agris vicísque veteres milites Galæ, & incitabant iuuenem ad recuperandum paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetullus superabat. nam & ipse eum exercitum quo Capusam vicerat, & ex receptis post cædem regis aliquot habebat: & puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat, quindecim millia peditum. Mezetullo decem millia equitum erant. Quibuscum Masanissa, nequaquam tantum peditum equitúmve habens, acie conflixit. vicit tamen & veterum militum virtus, & prudentia inter Romana & Punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore & exigua Masæsylorum manu in Carthaginiensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno Masanissa, quia sibi cum Syphace haud paulo maiorem restare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare, missis qui & puero spem facerent: si in fidem Masanissæ sese permisisset, futurum in eodem honore quo apud Galam Desalces quondam fuisset: & qui Mezetullo præter impunitatem sua omnia cum fide restitui sponderent: ambos præoptanteis exilio modicam domi fortunam, omnia, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus, ad sese perduxit. Asdrubal tum fortè cùm hæc gerebantur, apud Syphacem erat. qui Numidæ haud sanè multum ad se pertinere credenti, vtrum penes Lacumacen, an Masanissam regnum Masæsylorum esset, falli eum magnopere ait, si Masanissam eisdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patruum eius Desalcem, credat. multo maiorem indolem in eo animi ingeniiq; esse, quàm in vllo gentis vnquam fuisset. sæpe eum in Hispania raræ inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibúsque. & Syphacē & Carthaginienses, nisi orientem illum ignē oppressissent, ingenti mox incēdio, cùm iam nullam opem ferre possent, arsuros. adhuc teneras & fragiles eius vires esse: vixdum coalescere fouenti regnum. Instando stimulandóq; peruicit, vt exercitum ad fines Masæsylorum admoueat: atque in agro de quo sæpe cum Gala non verbis modò disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubiè iuris sui castra

Masanissa Tapsum vrbem capit.

Asdrubalis consilio Syphax aduersus Masanissam bellum suscipit.

B locet: si quis arceat, quod maximè opus sit, acie dimicaturū. sin per metum agro cedatur, in medium regni eundum, aut sine certamine concessuros in ditionem eius Masæsylos, aut nequaquam pares futuros armis. His vocibus incitatus Syphax Masanissæ bellum infert: & primo certamine Masæsylos fundit, fugátq;. Masanissa cum paucis equitibus ex acie in montem (Balbum incolæ vocant) perfugit. familiæ aliquot cum mapalibus pecoribúsq; suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt regem. cætera Masæsylorum multitudo in ditionē Syphacis concessit. Quem ceperant exules montem, herbidus aquosúsq; est: & quia pecori bonus alendo erat, hominū quoque carne ac lacte vescentium abundè sufficiebat alimētis. Inde nocturnis primò ac furtiuis incursionibus, deinde aperto latrocinio infesta omnia circà esse: maximè vri Carthaginiēsis ager, quia & plus prædæ quàm inter Numidas & latrocinium tutius erat. iámq; adeò licenter eludebant, vt ad mare deuectam prædam venderent mercatoribus, appellentibus naues ad id ipsum: pluresq; quàm iusto sæpe in bello Carthaginiēsium cæderentur, caperéntúrque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensúmq; & ipsum ad reliquias belli persequendas instigabant. sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consectari. Bocchar ex præfectis regiis, vir acer & impiger ad id delectus. ei data quatuor millia peditum, duo equitum: præmiorúmque ingentium spe oneratus, si caput Masanissæ retulisset, aut viuum (id verò inæstimabile gaudiū fore) cepisset. Palatos incurioséque agentes improuiso adortus, pecorum hominúmq; ingenti multitudine à præsidio armatorum exclusa, Masanissam ipsum cum paucis in verticem montis compellit, inde propè vt iam debellato, nec præda modò pecorum hominúmque captorum missa ad regem, sed copiis etiam, vt aliquanto maioribus quàm pro reliquiis belli, remissis, cum quingentis haud amplius peditibus, ducentísque equitibus de gressum iugis Masanissam persecutus in valle arcta, faucibus vtrinque obsessis, inclusit. ibi ingens cædes Masæsylorū facta. Masanissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus mōtis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamē vestigia Bocchar: adeptúsque eum patētibus prope Clupeam vrbē campis ita circundedit, vt præter quatuor equites, omnes ad vnū interfecerit. cum iis ipsum quoque Masanissam saucium propè è manibus inter tumultum amisit. In conspectu erant fugientis alæ equitū dispersæ lato campo, quibusdam vt occurrerent per obliqua tēdētibus, quacunque hostis flectebat. amnis ingens fugientes accepit, (neque enim cunctanter, vt quos maior metus vrgeret, immiserant equos) raptique gurgite, & in obliquum relati. duobus in conspectu hostium in præruptum gurgitem haustis, ipse perisse creditus, duo reliqui equites cum eo virgulta interioris ripæ tenuerūt. Is finis Bocchari sequendi fuit, nec ingredi flumē auso, nec habere credenti se iam quē sequeretur. inde vanus author absumpti Masanissæ ad regem redit: missíque qui Carthaginem gaudium ingens nuntiarent: totáque Africa fama mortis Masanissæ repleta, variè animos affecit. Masanissa in spelunca occulta cum herbis curaret vulnus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit. vbi primùm ducta cicatrix, patiq; posse visus est iactationē, audacia

Masanissa victus à Syphace in montē Balbum perfugit.

Masanissa agrum Carthaginiensium populatur.

Masanissa cum solis quatuor equitibus effugit.

Masanissæ mors falsò credita.

ingenti pergit ire ad regnum repetendum.atque in ipso itinere hand plus x l equitibus collectis,cum A
in Masæsylos palàm iam quis esset ferens venisset, tantum motum cùm fauore pristino, tum gaudio
insperato, quod quem periisse crediderant, incolumem cernebant, fecit, vt intra paucos dies v i millia
Masanissa collecto exercitu Syphacis & Carthaginiensium sociorũ agros vastat. peditum armatorum, quatuor equitum ad eum conuenirent: atque nõ in possessione modò paterni
regni esset, sed etiam socios Carthaginiensium populos, Masæsylorúmque fines (id Syphacis regnum
erat) vastaret. iritato ad bellum Syphace, inter Cirrham Hipponémque in iugis opportuniorum ad
omnia montium cõsedit. Maiorem igitur eam rem Syphax ratus, quàm vt per præfectos ageret, cum
filio iuuene (nomen Verminæ erat) parte exercitus missa, illum circumducto agmine in se intentum
hostem ab tergo inuadere iubet. Nocte profectus Vermina, qui ex occulto aggressurus erat. Syphax
tum interdiu aperto itinere, vt qui signis collatis acie dimicaturus esset, mouit castra. Vbi tempus
visum est, quo peruenisse iam circunimissi videri poterant: & ipse leni cliuo ferente ad hostem cùm
multitudine fretus, tum præparatis à tergo insidiis, per aduersum montem erectam aciem ducit. Ma-
sanissa fiducia maximè loci, quo multo æquiore pugnaturus erat, & ipse dirigit suos. Atrox prælium
& diu anceps fuit: loco & virtute militum Masanissam, multitudine quæ nimio maior erat, Sypha-
Masanissa victus à Syphace cum paucis equitibus ad minorem Syrtum perfugit. cem iuuante. Ea multitudo diuisa, cùm pars à fronte vrgeret, pars ab tergo se circumfudisset, vi
ctoriam haud dubiam Syphaci dedit. & ne effugium quidem patebat, hinc à fronte, hinc à tergo in-
clusis. itaque cæteri pedites equitésque cæsi. Ducentos fermè equites Masanissa circa se conglobatos,
diuisósque turmatim in treis partes erumpere iubet, loco prædicto in quem ex dissipata conueni-
rent fuga. ipse quà intenderat, inter media tela hostium euasit. duæ turmæ hæsere. altera metu dedi-
ta hosti, altera pertinacior in repugnando telis obruta & confixa est. Verminam propè vestigiis in-
stantem in alia atque alia flectendo itinera eludens, tædio & desperatione tandem fessum absistere
sequendo coegit. ipse cum l x x equitibus ad minorem Syrtim peruenit. ibi cum conscientia egre-
giè sæpe repetiti regni paterni inter Punica emporia, gentémque Garamantum omne tempus vsque
ad C. Lælii, classísque Romanæ aduentum in Africam consumpsit. Hæc animum inclinant, vt cum
modico potius, quàm cum magno præsidio equitum ad Scipionem quoque postea venisse Masanis-
sam credam. quippe illa regnanti multitudo, hæc paucitas exulis fortunæ conueniens est. Carthagi-
nienses ala equitum cum præfecto amissa, alióque equitatu per nouum delectum comparato, Hanno-
Carthaginiensium legati ad Asdrubalẽ & Syphacem. nem Amilcaris filium præficiunt. Asdrubalem subinde ac Syphacem per literas nuntiósque, postre-
mò etiam per legatos accersunt. Asdrubalem opem ferre propè circumsessæ patriæ iubent: Sypha-
cem orant, vt Carthagini & vniuersæ Africæ subueniat. Ad Vticam tum castra Scipio, fermè mille
passus ab vrbe habebat, translata à mari, vbi paucos dies statiua coniuncta classi fuerant. Hanno
nequaquam satis valido non modò ad lacessendum hostem, sed ne ad tuendos quidem à populatio- B
nibus agros equitatu accepto, id omnium primùm egit, vt per conquisitionem numerum equitum
augeret. nec aliarum gentium aspernatus, maximè tamen Numidas (id longè primum equitum in
Hanno ad Saleram castra ponit. Africa est genus) conducit. Iam ad quatuor millia equitum habebat, cùm Saleram nomine vrbem
occupauit, x v fermè millia ab Romanis castris. Quod vbi Scipioni relatum est, æstiua sub tectis
agere equitatus: sint, inquit, vel plures, dum talem ducem habeant. eóque minus sibi cessandum
ratus, quo illi segnius rem agerent: Masanissam cum equitatu præmissum portis obequitare, atque
hostem ad pugnam elicere iubet. vbi omnis multitudo se effudisset, grauiórque iam in certamine
esset, quàm vt facilè sustineri posset, cedere paulatim, se in tempore pugnæ venturum. Tantum mo-
ratus, quantum satis temporis prægresso visum ad eliciendos hostes, cum Romano equitatu secutus,
Masanissa Hannonem ad pugnam elicit. tegentibus tumulis, qui opportunè circa viæ flexus oppositi erant, occultus processit. Masanissa ex
composito nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo cum timo-
ris simulati specie audaciam hosti faceret, ad inseqnendum temerè eliciebat. Nondum omnes egres-
si erant, variéque dux fatigabatur: alios vino & somno graues arma capere, & frenare equos cogen-
do: aliis, ne sparsi & inconditi sine ordine, sine signis omnibus portis excurrerent, obsistendo. Pri-
mò incautè se inuehentes Masanissa excipiebat: mox plures simul conferti porta effusi, æquaue-
rant certamen: postremò iam omnis equitatus prælio cùm adesset, sustineri vltra nequiuere. Nõ tamen
effusa fuga Masanissa, sed cedendo sensim impetus eorum excipiebat: donec ad tumulos tegentes Ro
manum equitatum pertraxit. Inde exorti equites, & ipsi integris viribus, & recẽtibus equis Hannoni
Afrísq; pugnãdo ac sequendo fessis se circunfudere: & Masanissa flexis subitò equis in pugnã redit.
Hanno interficitur. Mille fermè qui primi agminis fuerant, vt quibus haud facilis receptus fuit, cũ ipso duce Hannone
interclusi atq; interfecti sunt. cæteros ducis præcipuè territos cæde effusè fugientes per triginta mil-
lia passuum victores secuti, ad duo præterea millia equitum, aut ceperunt, aut occiderunt. inter eos
satis constabat, nõ minus ducentos Carthaginiensiũ equites fuisse, & diuitiis quosdam & genere illu-
stres. Eodem fortè quo hæc gesta sunt die, naues quæ prædam in Siciliã vexerant, cum cõmeatu redie
re: velut ominatæ ad prædam alteram repetendam sese venisse. Duos eodem nomine Carthaginien-
sium duces duobus equestribus præliis interfectos, nõ omnes authores sunt: veriti, credo, nec falleret
bis relata eadẽ res. Cœlius quidem & Valerius captũ Hannonẽ tradunt. Scipio præfectos equitésque,
prout cuiusq; opera fuerat, & ante omneis Masanissam insignibus donis donat. & firmo præsidio Sa-
Scipio Saleram firmo præsidio munit. leræ imposito, ipse cũ cætero exercitu profectus, nõ agris modò quacunq; incedebat populatis, sed vr
bibus etiam quibusdam vicísque expugnatis, latè fuso terrore belli, septimo die quàm profectus erat,
magnam vim hominum, & pecoris, & omnis generis prædæ trahens, in castra redit: grauésque ite-
rum hostium spoliis naues dimittit. inde omissis expeditionibus paruis populationibúsque, ad oppu-
gnandam

A gnandam Vticam omnes belli vires conuertit:eam deinde si cepisset,sedem ad cætera exequenda habiturus.Simul & à classe nauales socii,qua ex parte vrbs mari alluitur:simul & terrestris exercitus ab imminente propè ipsis mœnibus tumulo est admotus.tormenta machinásque & aduexerat secum,& ex Sicilia cum commeatu missæ erant:& nouæ in armamentario multis talium operum artificibus de industria inclusis,fiebant. Vticensibus tanta vndique mole circunsessis in Carthaginiensi populo,Carthaginiensibus in Asdrubale,ita si is mouisset Syphacem,spes omnis erat.sed desiderio indigentium auxilii tardius cuncta mouebantur. Asdrubal intentissima conquisitione cum ad x x x. millia peditum,tria equitum effecisset:non tamen ante aduentum Syphacis castra propius hostem mouere est ausus. Syphax cum quinquaginta millibus peditum,decem equitum aduenit:confestímque motis ab Carthagine castris,haud procul Vtica munitionibúsque Romanis consedit. Quorum aduentus hoc tamen momenti fecit,vt Scipio,cùm quadraginta fermè dies nequicquam omnia experiens obsedisset Vticam,abscederet inde irrito incœpto.iam enim hyems instabat.castra hyberna in promontorio,quod tenui iugo continenti adhærens in aliquantum maris spatium extenditur, communit:vno vallo & naualia castra amplectitur.iugo medio legionum castris impositis,litus ad septentrionem versum subductæ naues naualésque socii tenebant,meridianam vallem ad alterum litus deuexam equitatus. Hæc in Africa vsque ad extremum autumni gesta. Præter conuectum vndique ex populatis circà agris frumentum,commeatúsque ex Sicilia atque Italia aduectos, Cn. Octauius Propr. ex Sardinia ab T. Claudio Pr. cuius ea prouincia erat,ingentem vim frumenti aduexit: horreáque non solum ea quæ iam facta erant,repleta,sed noua ædificata. Vestimenta exercitui deerant.id mandatum Octauio,vt cum prætore ageret,si quid ex ea prouincia cōparari ac mitti posset.ea quoque haud segniter curata res.mille ducentæ togæ breui spatio,duodecim millia tunicarum missa. Aestate ea qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius C O S. cui Brutii prouincia erat,in agro Crotoniensi cum Annibale in ipso itinere tumultuario prælio conflixit. agminibus magis quàm acie pugnatum est. Romani pulsi:& tumultu verius quàm pugna ad mille & c c. de exercitu consulis interfectis,in castra trepidi rediere.neque oppugnare tamen ea hostes ausi. Cæterùm silentio proximæ noctis profectus inde consul,præmisso nuntio ad P. Licinium proconsulem,vt suas legiones admoueret,copias coniunxit.ita duo duces,duo exercitus ad Annibalem redierunt.nec mora dimicandi facta est,cum consuli duplicatæ vires,Pœno recens victoria animos faceret. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit:in subsidiis locatæ P. Licinii legiones. Consul principio pugnæ ædem fortunæ Primigeniæ vouit,si eo die hostes fudisset:compósque eius voti fuit. fusi ac fugati Pœni,supra quatuor millia armatorum cæsa:paulo minus trecenti viui capti:equi quadragin-

B ta,& vndecim militaria signa. Perculsus aduerso prælio Annibal, Crotonem exercitum abduxit. Eodem tempore M. Cornelius C O S. altera parte Italiæ non tam armis, quàm iudiciorum terrore Hetruriam continuit,totam fermè ad Magonem,ac per eum ad spem nouandi res versam. Eas quæstiones ex senatusconsulto minimè ambitiose habuit. multíque nobiles Hetrusci,qui aut ipsi ierant, aut miserant ad Magonem de populorum suorum defectione, primò erant præsentes condemnati: postea conscientia sibimet ipsi exilium consciscentes,cùm absentes damnati essent,corporibus subtractis,bona tantum quæ publicari poterant,pigneranda pœnæ præbebant. Dum hæc consules diuersis regionibus agunt,censores interim Romæ M. Liuius & C. Claudius senatum recitarunt. princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus. notati septem,nemo tamen qui sella curuli sedisset. sarta tecta acriter,& cum summa fide exegerunt. viam è foro Boario ad Veneris,& circa foros publicos,& ædem Matris magnæ in Palatio faciendam locauerunt. vectigal etiam nouum ex salaria annona statuerunt. sextante sal & Romæ,& per totā Italiam erat Romæ pretio eodem,pluris in foris & conciliabulis,& alio alibi pretio præbendum locauerunt. Id vectigal cōmentum alterum ex censoribus satis credebant:populo iratum,quòd iniquo iudicio quondam damnatus esset,& in pretio salis maximè oneratas tribus,quarum opera damnatus erat,credebant. Inde Salinatori Liuio inditū cognomen. Lustrum conditum serius,quia per prouincias dimiserunt censores,vt ciuium Romanorū in exercitibus,quantus vbique esset,referretur numerus. Censa cū iis c c l x v. millia hominum. condidit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde coloniarum,quod nunquam antea factum erat, deferentibus censoribus,censum receperunt:vt quantum numero militum,quantum pecunia valerent,in publicis tabulis monumenta extarent. Equitum deinde census agi cœptus est.& ambo fortè censores equum publicum habebant. cùm ad tribum Polliam ventū est,in qua M. Liuii nomen erat, & præco cunctaretur citare ipsum censorem:cita,inquit Nero,M. Liuium.& siue ex residua & vetere simultate,siue intempestiua iactatione seueritatis inflatus,M. Liuium,quia populi iudicio esset cōdemnatus,equum vendere iussit. Item. M. Liuius cùm ad tribum Narniensem & nomen collegæ ventum est,vendere equum C. Claudiū iussit duarū rerū causa: vnius,quòd falsum aduersus se testimoniū dixisset:alterius,quòd nō syncera fide secū in gratiā redisset. Itaq; ibi fœdū certamē inquinādi famā alterius cum suæ famæ dāno,factū est. Exitu cēsuræ cùm in leges iurasset C. Claudius,& in ærarium ascendisset,inter nomina eorū quos ærarios relinquebat,dedit collegæ nomen. Deinde M. Liuius in ærariū venit,& præter Metiam tribū,quæ se nec cōdemnasset,neque condēnatum consulem aut censorem fecisset:populū Romanum omnem,quatuor & triginta tribus,ærarios reliquit:quòd & innocentem se condemnassent,& condemnatum consulem & censorem fecissent:neque inficiari possent, aut iudicio semel,aut comitiis bis ab se peccatum esse. inter quatuor & triginta tribus & C. Claudiū ærarium fore. quòd si exemplum haberet bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudium nomi-

Vticam obsidet Scipio.

Asdrubalis & Syphacis ingentes copiæ aduersus Scipionem.

Scipio abscedit Vtica.

Sempronius consul cum Annibale tumultuario prælio conflixit.

Sempronius Pœnos fudit ac fugauit.

Vectigal nouum ex salaria annona.

Lustrum conditur.

Certamen notarum inter cēsores.

natum se inter ærarios fuisse relicturum. Paruum certamen notarum inter censores, castigatio incon- A
stantiæ populi censoria grauitate temporum illorum digna. In inuidia censores cùm essent, crescen-
di ex his ratùs esse occasionem, Cn. Bebius tribunus plebis diem ad populum vtrique dixit. Ea res
cõsensu patrũ discussa est, ne postea obnoxia populari auræ cẽsura esset. Eadem æstate in Brutiis iam
Petilia à consule vi capta, Consentia & Pandosia, & ignobiles aliæ ciuitates voluntate in deditionẽ
venerunt. Et cùm comitiorum iam appeteret tempus, Cornelium potius ex Hetruria, vbi nihil belli
erat, Romam acciri placuit. Is consules Cn. Seruilium Cepionem, & Cn. Seruilium Geminum crea-
uit. Inde prætoria comitia habita. Creati P. Cornelius Lentulus, P. Quintilius Varus, P. Aelius Pætus,
P. Vilius Tappulus. Hi duo cùm ædiles plebis essent, prætores creati sunt. Consul comitiis perfe-
ctis, ad exercitum in Hetruriam rediit. Sacerdotes eo anno mortui, atque in locum eorum suffecti,
T. Veturius Philo flamen Martialis in locum M. Aemylij Regilli, qui priore anno mortuus erat, crea
tus inauguratúsque: & in M. Pomponii Mathonis auguris & decemuiri locũ creati, decemuir M. Au-
relius Cotta, augur Tib. Sempronius Gracchus admodũ adolescens, quod tunc perrarũ in mandan-
dis sacerdotiis erat. Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio positæ ab ædilibus curulibus, C. Liuio &
M. Seruilio Gemino. Et ludi Romani biduum instaurati. itẽ per biduum plebeii ab ædilibus P. Aelio,
P. Villio: & Iouis epulum fuit ludorum causa.

Censoribus dies ad populum dictus à tribuno plebis.

Quadrigæ aureæ in Capitolio positæ.

DECADIS TERTIAE LIBER X.

In Africa Scipio Carthaginienses & eundem Syphacem Numidarum regem, Asdrubalémque pluribus prælijs uicit, adiuuante Masanissa. bináque hostium castra expugnauit, in quibus XL. millia hominum ferro ignique consumpta sunt, Syphacem per C. Lælium cepit. Masanissa Sophonisbam uxorem Syphacis, filiam Asdrubalis captam statim adamauit: & nuptijs factis uxorem habuit: castigatúsque à Scipione, uenenum ei transmisit: quo quidem hausto illa decessit. Effectúmque est multis Scipionis uictorijs, ut Carthaginienses in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis Annibalem ex Italia reuocarent. Isque anno decimosexto Italia discedens, in Africam traiecit, tentauitque per colloquium pacem cum Scipione componere: & cùm de conditionibus pacis non conuenisset, acie uictus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus, Annibal Gisgonem pacem dissuadentem manu sua detraxit: excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit: Mago bello, quo in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, uulneratus, dum in Africam per legatos reuocatus reuerteretur, ex uulnere mortuus est. Reuersus in urbem Scipio, amplissimum nobilissimúmque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Scipio Africanus, incertum militari prius fauore, an populari aura ita cognominatus sit. primus certè hic imperator uictæ à se nomine gentis nobilitatus est.



N. SERVILIVS Cepio, & Cn. Seruilius Geminus COSS. (sextusdecimus is
annus belli Punici erat) cùm de republica bellóque & prouinciis ad senatum re-
tulissent, censuerunt patres, vt consules inter se cõpararent, sortirentúrve, vter Bru-
tios aduersus Annibalem, vter Hetruriam ac Ligures prouinciam haberet. cui Bru B
tii euenissent, exercitum à P. Sempronio acciperet. P. Sempronius (ei quoque enim
proconsuli imperium in annum prorogabatur) P. Licinio succederet: is Romam
reuerteretur. Bello quoque bonus habitus ad cætera, quibus nemo ea tempestate
instructior ciuis habebatur, congestis omnibus humanis à natura fortunáque bonis, nobilis idẽ ac
diues erat, forma viribúsque corporis excellebat, facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in
senatu & ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset, iuris pontificii peritissimus. super hæc bel
licæ quoque laudis consulatus compotem fecerat. Quod in Brutiis prouincia, idem in Hetruria ac
Liguribus decretum. M. Cornelius nouo consuli tradere exercitum iussus: ipse prorogato imperio
Galliam prouinciã obtineret cum legionibus iis, quas prætor L. Scribonius priore anno habuisset.
Sortiti deinde prouincias. Cepioni Brutii, Seruilio Gemino Hetruria euenit. Tum prætorum prouin
ciæ in sortem coniectæ. Iurisdictionem vrbanam P. Aelius, Sardiniã P. Lentulus, Siciliam P. Villius,
Ariminum cum duabus legionibus (sub Spurio Lucretio eæ fuerant) Quintilius Varus est sortitus.
Et Lucretio prorogatum imperium, vt Genuam oppidum à Magone Pœno dirutum exædifica-
ret. P. Scipioni non temporis, sed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum
imperium est. decretúmque vt supplicatio fieret, quòd is in Africam prouinciam traiecisset, vt ea
res salutaris populo Romano, ipsique duci atque exercitui esset. In Sicilia tria millia militum sunt
scripta. & quia quòd roboris ea prouincia habuerat, in Africam trasuectum fuerat, ne qua classis ex
Africa traiiceret, XL. nauibus custodiri placuerat Siciliæ maritimam oram. Tredecim naues
Villius secum in Siciliam duxit: cæteræ in Sicilia veteres refectæ. Huic classi M. Pomponius
prioris anni prætor prorogato imperio præpositus, nouos milites ex Italia aduectos in naues im-
posuit. Parem nauium numerum Cn. Octauio Pr. item prioris anni cum pari iure imperii ad tuen-
dam Sardiniæ oram patres decreuerunt. Lentulus Pr. duo millia militum dare in naues iussus. Et Ita-
liæ ora, quia incertum erat quò missuri classem Carthaginienses forent, videbantur autem quic-
quid nudatum præsidiis esset petituri, M. Martio Pr. prioris anni cum totidem nauibus tuenda
data est: tria millia militum in eam classem ex decreto patrum consules scripserunt, & duas legiones
vrbanas ad incerta belli. Hispaniæ cum exercitibus imperióque veteribus imperatoribus, L. Lentu
lo & L. Manlio Acidino decretæ. Viginti omnino legionibus, & CLX. nauibus longis res Romana
eo anno gesta. Prætores in prouincias ire iussi. Consulibus imperatum, vt priusquã ab vrbe profici-
scerentur, ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vouis-
set, si eodem statu respublica staret. Et nouas religiones excitabant in animis hominum prodi-
gia ex pluribus locis nuntiata. Aurum in Capitolio corui non lacerasse tantùm rostris crediti, sed
etiam edisse. Mures Antii coronam auream arroserunt. Circa Capuam omnem agrum locusta-
rum vis

Prouinciæ sortitio.

Ludi magni.

Prodigia.

A rum vis ingens, ita vt vnde aduenissent parum constaret, compleuit. Equuleus Reate cum quinque pedibus natus. Anagniæ sparsi primùm ignes in cælo, dein fax ingens arsit. Frusinone arcus solem tenui linea amplexus: circulum deinde ipsum maior solis orbis extrinsecus inclusit. Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit. Consulum alteri primam hostiam immolanti caput iecinori defuit. Ea prodigia maioribus hostiis procurata. editi à collegio pontificum dii quibus sacrificaretur. Iis transactis, consules prætorésque in prouincias profecti. omnibus tamen, velut eam sortitis, Africæ cura erat, seu quia ibi summam rerum bellique verti cernebant: seu vt Scipioni gratificarentur, in quem tum omnis versa ciuitas erat. itaque non ex Sardinia tantum, (sicut ante dictum) sed ex Sicilia quoque & Hispania vestimenta frumentúmque, & arma etiam ex Sicilia & omne genus commeatus eò portabantur. Nec Scipio vllo tempore hyemis belli opera remiserat, quæ multa simul vndique eum circunstabant. Vticam obsidebat, castra in conspectu Asdrubalis erant. Carthaginienses deduxerant naues, classem paratam instructámque ad commeatus intercipiendos habebant. inter hæc ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo dimiserat: si fortè iam satias amoris in vxore ex multa copia eum cepisset. Ab Syphace magis pacis cū Carthaginiensibus conditiones, vt Romani Africa, Pœni Italia excederent, quàm si bellaretur, spes vlla desciturum afferebatur. Hæc per nuntios magis equidē acta crediderim (& ita pars maior authores sunt) quàm ipsum Syphacem, vt Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. Primò eas conditiones imperator Romanus vix auribus admisit. postea vt causa probabilis suis commeandi foret in castra hostiū, mollius eadem illa abnuere: ac spem facere, sæpius vltro citróque agitantibus rem conuenturū. Hybernacula Carthaginiensium, congesta temerè ex agris materia exædificata, lignea fermè tota erât. Numidæ præcipuè arundine textis storiáque pars maxima tectis passim nullo ordine, quidam vt sine imperio occupatis locis, extra fossam etiam vallúmque habitabant. Hæc relata Scipioni spem fecerant, castra hostium per occasionē incendēdi. Cum legatis quos mitteret ad Syphacem, calonum loco primos ordinis spectatæ virtutis atque prudentiæ seruili habitu mittebat: qui dum in colloquio segati essent, vagi per castra alius alia, aditus exitúsque omnes, situm formámque & vniuersorū castrorum & partium, quà Pœni, quà Numidæ haberent, quantum interualli inter Asdrubalis ac regia castra esset, specularentur: morémque simul noscerent stationū, vigiliarúmque: nocte, an interdiu opportuniores insidiantibus essent. & inter crebra colloquia alii atque alii de industria, quo pluribus omnia nota essent, mittebantur. Cùm sæpius agitata res certiorem spem pacis in dies & Syphaci & Carthaginiensibus per eum faceret, legati Romani vetitos se reuerti ab imperatore aiunt, nisi certū responsum detur. proinde seu ipsi staret iam sententia, seu consulendus Asdrubal & Carthaginienses

B essent, cōsuleret. tempus esse, aut pacem cōponi, aut bellū nauiter geri. Dum consulitur Asdrubal ab Syphace, ab Asdrubale Carthaginienses, & speculatores omnia visendi, & Scipio ad cōparanda quæ in rem opus erant, tēpus habuit: & ex mentione ac spe pacis negligentia, vt fit, apud Pœnos Numidásque orta cauendi, ne quid hostile interim paterentur. Tandē relatū responsum, quibusdam, quia nimis cupere Romanus pacem videbatur, iniquis per occasionē adiectis: quæ peropportunè cupienti tollere inducias Scipioni causam præbuere. ac nuntio regis, cùm relaturum se ad consilio dixisset, postero die respondit: se vno frustra tendente, nulli alii pacem placuisse. renuntiaret igitur, nullam aliam spem pacis, quàm relictis Carthaginiensibus, Syphaci cum Romanis esse. Ita tollit inducias, vt libera fide incepta exequeretur. deductísque nauibus (& iam veris principium erat) machinas tormentáque, velut à mari aggressurus Vticam, imponit. duo millia militum ad capiēdum quem antea tenuerat, tumulum super Vticam mittit: simul vt ab eo quod parabat, in alterius rei curam conuerteret hostium animos: simul ne qua, cùm ipse ad Syphacem Asdrubalémque profectus esset, eruptio ex vrbe & impetus in castra sua relicta cum leui præsidio fieret. His præparatis, aduocatóque consilio, & dicere exploratoribus iussis quæ comperta afferrent, Masanissáque, cui omnia hostium nota erant: postremò quid ipse pararet in proximam noctem, proponit. tribunis edicit, vt vbi prætorio dimisso signa concinuissent, extemplò educerent è castris legiones. Ita, vt imperauerat, signa sub occasum solis efferri sunt cœpta. ad primam fermè vigiliam agmen explicauerunt: media nocte (septem enim millia itineris erant) modico gradu ad castra hostium peruentum. Ibi Scipio partem copiarum Lælio, Masanissámque ac Numidas attribuit: & castra Syphacis inuadere, ignésque conicere iubet. singulos deinde separatim, Lælium ac Masanissam seductos obtestatur, vt quantum nox prouidentiæ adimat, tantum diligentia expleant, curáque. se Asdrubalem Punicáque castra aggressurū. cæterùm non antè cœpturum, quàm ignem in regiis castris conspexisset. Neque ea res morata diu est. nam vt proximis castris iniectus ignis hæsit, extemplò proxima quæque, & deinceps continua amplexus, totis se passim dissipauit castris. & trepidatio quidem, quanta necesse erat in nocturno effuso tam latè incendio, orta est. cæterùm fortuitum, non hostilem ac bellicum ignem rati esse, sine armis ad restinguendum incendium effusi, in armatos inciderunt hostes, maximè Numidas ab Masanissa notitia regiorum castrorum ad exitus itinerum idoneis locis dispositos. Multos in ipsis cubilibus semisomnes hausit flamma: multi in præcipiti fuga ruentes super alios alii in angustiis portarum obtriti sunt. Relucentem flammam primò vigiles Carthaginiensium, deinde excitati alii nocturno tumultu cùm conspexissent, ab eodem errore credere & ipsi sua sponte incendium ortum. & clamor inter cædem & vulnera sublatus, an ex trepidatione nocturna esset confusus, sensum veri adimebat. Igitur pro se quisque inermes, vt quibus nihil hostile suspectum esset, omnibus portis quà cuique proximum erat, ea modò quæ restinguendo igni forent portantes, in agmen Romanum

Scipionem multa belli opera circumstabant.

Carthaginiensium Hybernacula.

Calonum loco spectatissimum quenque cum legatis ad Syphacem Scipio mittit.

In Syphacis castra ignes coniiciunt Lælius & Masanissa.

manum ruebant. Quibus cæsis omnibus, præterquam hostili odio, etiam ne quis nuntius effugeret, A extemplò Scipio neglectas, vt in tali tumultu, portas inuadit. ignibúsque in proxima tecta coniectis, effusa flamma primò veluti sparsa pluribus locis reluxit: dein per continua serpens vno repentè omnia incendio hausit. Ambusti homines iumentáque fœda primùm fuga, dein strage obruerant itinera portarum. quos non oppresserat ignis, ferro absumpti. bináque castra clade vna deleta. duces tamen ambo, & ex tot millibus armatorum M M peditum, & quingenti equites semiermes, magna pars saucii, afflatíque incendio effugerunt. Cæsa, aut hausta flammis ad X L. millia hominum sunt: capti supra V I. millia: multi Carthaginiensium nobiles, X I. senatores, signa militaria C L X X V I I I. equi Numidici suprà I I. millia O C C. elephanti sex capti: octo flamma ferróque absumpti, magnáque vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacrata incendit. Asdrubal ex fuga cum paucis Afrorum vrbem proximam petierat: eóque omnes qui supererant, vestigia ducis sequentes, se contulerant. metu deinde ne dederetur Scipioni, vrbe excessit. Mox eodem patentibus portis Romani accepti, nec quicquã hostile, quia voluntate concesserant in deditionẽ, factum. duæ subinde vrbes captæ direptæque. ea præda & quæ castris incensis ex igne rapta erat, militi concessa est. Syphax octo millium fermè inde spatio loco munito consedit. Asdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. quò tantus primò terror est allatus, vt omissa Vtica Carthaginem crederent extemplò Scipionem oppressurum. Senatum itaque Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocauerunt. ibi tribus dictis sententiis, vna de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera Annibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam reuocabat: tertia Romanæ in aduersis rebus constantiæ exemplo reparandum exercitum, Syphacémque orandum, ne bello absisteret, censebat. Hæc sententia, quia Asdrubal præsens, Barchinæque omnes factionis bellum malebant, vicit. Inde delectus in vrbe agrísque haberi cœptus, & ad Syphacem legati missi, summa ope & ipsum reparantem bellum: cùm vxor iam non vt antè blanditiis satis potentibus ad animũ amantis, sed precibus & misericordia valuisset, plena lacrymarum obtestans, ne patrẽ suum patriámque proderet: iisdémque flammis Carthaginẽ, quibus castra conflagrassent, absumi sineret. Spem quoque opportunè oblatam afferebant legati: quatuor millia Celtiberorum circa vrbem nomine Olbam ab conquisitoribus suis conducta in Hispania, egregiæ iuuentutis sibi occurrisse: & Asdrubalẽ propediẽ affore cum manu haudquaquã contemnenda. Is non benignè modò legatis respondit, sed ostendit etiam multitudinem Numidarum agrestium, quibus per eosdem dies arma equósque dedisset, & omnem iuuentutem affirmat exciturum ex regno. scire incendio, nõ prælio cladem acceptam. eum bello inferiorem esse, qui armis vincatur. Hæc legatis responsa. Et post dies paucos rursus Asdrubal & Syphax copias iunxerunt. is omnis exercitus fuit X X X. fermè millium armatorum. Scipionem B velut debellato iam, quod ad Syphacem Carthaginiensésque attineret, Vticæ oppugnandæ intentũ, iámque machinas admouentem muris, auertit fama redintegrati belli. modicísque præsidiis ad speciem modo obsidionis terra maríque relictis, ipse cum robore exercitus ire ad hostes pergit. Primo in tumulo quatuor fermè millia distante ab castris regis cõsedit. postero die cũ equitatu in Magnos (ita vocant) campos subiectos ei tumulo degressus, succedendo ad stationẽ hostium, lacessendóque leuibus præliis diem absumpsit: & per insequens biduum tumultuosis hinc atque illinc excursionibus inuicem nihil dictu satis dignum fecerunt. quarto die vtrinque in aciẽ descensum est. Romanus post principes hastatorum prima signa in subsidiis triarios cõstituit: equitatum Italicum ab dextro cornu, ab læuo Numidas, Masanissámque opposuit. Syphax Asdrubálque Numidis aduersus Italicũ equitatũ, Carthaginiensibus cõtra Masanissam locatis, Celtiberos in mediam aciem in aduersa signa legionum accepere. Ita instructi concurrunt. Primo impetu simul vtraque cornua & Numidæ & Carthaginienses pulsi. nam neque Numidæ, maxima pars agrestis, Romanum equitatum: neque Carthaginienses, & ipse nouus miles, Masanissam recenti supra cætera victoria terribilem sustinuere. Nudata vtrinque cornibus Celtiberorum acies stabat: quòd nec in fuga salus vlla ostendebatur locis ignotis: neque spes veniæ ab Scipione erat, quem benemeritum de se & gente sua mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Igitur circunfusis vndique hostibus, alii super alios cadentes obstinati moriebantur. omnibúsque in eos versis, aliquantum ad fugam temporis Syphax & Asdrubal præceperunt. fatigatos cæde diutius, quàm pugna victores nox oppressit. Postero die Scipio Læliũ Masanissámque cũ omni Romano & Numidico equitatu expeditissimísque militum ad persequẽdos Syphacẽ atque Asdrubalẽ mittit. ipse cũ robore exercitus vrbes circà omnes quæ Carthaginiẽsium ditionis erãt, partim vi, partim metu subegit. Carthagini quidẽ erat ingẽs terror, & circunferentẽ arma Scipionẽ omnibus finibus raptim perdomitis, ipsam Carthaginẽ repentè aggressurũ credebant. itaque & muri reficiebãtur. propugnaculísque armabãtur: & pro se quisque quæ diutinæ obsidioni tolerãdæ sunt, ex agris cõuehebat. Rara mẽtio est pacis, frequẽtior legatorũ ad Annibalẽ accercendũ mittendorũ. pars maxima classem, quæ ad cõmeatus excipiẽdos parata erat, mittere iubẽt ad opprimendã stationẽ nauiũ, ad Vticam incautè agentẽ: forsitan etiã naualia castra relicta cũ leui præsidio oppressuros. In hoc consiliũ maximè inclinant: legatos tamen ad Annibalem mittendos censent. quippe classe vt felicissimè geratur res, parte aliqua leuari Vticæ obsidionem: Carthaginem ipsam qui tueantur, neque imperatorem alium quàm Annibalem, neque exercitum alium quàm Annibalis superesse. Deductæ ergo postero die naues, simul & legati in Italiam profecti. raptímque omnia stimulante fortuna agebantur: & in quo quisque cessasset, prodi ab se salutem omnium rebatur. Scipio grauem iam spoliis multarum vrbium exercitum trahens, captiuis aliáque

præda

Asdrubalis castra incendit Scipio.

Asdrubal & Syphax cum paucis fugiunt.

Variæ in senatu Carthaginiensi sententiæ.

Asdrubal & Syphax reparant exercitum.

Syphax & Asdrubal in fugam versi.

Carthaginiensium terror.

Legati mittuntur ad Annibalẽ reuocandum.

A præda in vetera castra ad Vticam missis, iam in Carthaginem intentus occupat relictum fuga custodum Tuneta (abest ab Carthagine XII. millia fermè passuum) locum cùm operibus, tum suapte natura tutum, & qui ab Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum cùm ad vrbem, tum ad circumfusum mare vrbi posset.

Scipio occupat Tuneta.

Inde cùm maximè vallum Romani iacerent, conspecta classis hostium est Vticam Carthagine petens. Igitur omisso opere, pronuntiatū iter, signáque raptim ferri sunt cœpta, ne naues in terram & obsidionē versæ, ac minimè nauali prælio aptæ opprimerentur. quì enim restitissent agili & nautico instrumento aptæ & armatæ classi, naues tormenta machináque portantes? & aut in onerariarū vsum versæ: aut ita appulsæ muris, vt pro aggere ac pontibus præbere ascensum possent? Itaque Scipio, postquam eò ventum est, contrà quàm in nauali certamine solet, rostratis quæ præsidio aliis esse poterant, in postremam aciem receptis prope terram, onerariarū quadruplicem ordinem pro muro aduersus hostem opposuit. easque ipsas, ne in tumultum pugnæ turbari ordines possent, malis antennísque de naue in nauem traiectis, ac validis funibus velut vno inter se vinculo illigatis comprehendit: tabulásque superstrauit, vt peruius in totum nauium ordo esset: & sub ipsis pontibus interualla fecit, quà procurrere speculatoriæ naues in hostem, ac tutò recipi possent. His raptim pro tempore instructis, mille fermè delecti propugnatores onerariis imponūtur: telorum maximè missilium, vt quamuis longo certamine sufficerent, vis ingens congeritur. Ita parati atque intenti hostium aduentum opperiebantur.

Carthaginienses classem Romanam oppugnant.

Carthaginienses, qui, si maturassent, omnia permista turba trepidantium primo impetu deprehendissent: perculsi terrestribus cladibus, atque inde ne in mari quidem vbi ipsi plus poterant, satis fidentes, die segni nauigatione absumpto, sub occasum solis in portum (Ruscinona Afri vocant) classem appulere. postero die sub ortum solis instruxere ab alto naues, velut ad iustum prælium nauale, & tanquam exituris contrà Romanis. Cùm diu stetissent, postquàm nihil moueri ab hostibus viderunt, tum demum onerarias aggrediuntur. Erat res minimè certamini nauali similis, proximè speciem muros oppugnantium nauium. altitudine aliquantum onerariæ superabant. ex rostratis Pœni vana pleraque, vt pote supino iactu, tela in locum superiorem mittebant. grauior ac pondere ipso libratior supernè ex onerariis ictus erat. speculatoriæ naues ac leuia ipsa nauigia, quæ sub constratis pontium per interualla excurrebant, primò ipso tantum impetu ac magnitudine rostratarum obruebantur: deinde & propugnatoribus quoque incommodæ erant, quòd permistæ cum hostium nauibus inhibere sæpe tela cogebant, metu ne ambiguo ictu suis inciderent: postremò asseres ferreo vnco præfixi (harpagones vocant milites) ex Punicis nauibus iniici in Romanas cœpti. quos cùm neque ipsos neque catenas quibus suspensi iniiciebantur, incidere possent: vt quæque retro inhibita rostrata onerariam hærētem vnco traheret, scindi

B videres vincula, quibus aliis innexa erat: seriémque aliam simul plurium nauium trahi. Hoc maximè modo lacerati quidem omnes pontes, & vix transiliendi in secūdum ordinem nauium spatium propugnatoribus datum est. Sex fermè onerariæ puppibus abstractæ Carthaginē sunt. maior quàm pro re lætitia, sed eo gratior, quòd inter assiduas clades ac lacrymas vnum quantumcunque ex insperato gaudium affulserat, cum eo, vt appareret haud procul exitio fuisse Romanam classem, ni cessatum à præfectis suarum nauium foret, & Scipio in tempore subuenisset. Per eosdem fortè dies cùm

Masanissa regnum paternum recipit.

Lælius & Masanissa quintodecimo fermè die in Numidiam peruenissent, Masæsyli regnum paternum Masanissæ læti, vt ad regem diu desideratum, concessere. Syphax, pulsis inde præfectis præsidiísque suis, vetere se continebat regno, neutiquàm quieturus. Stimulabant ægrum amore, vxor socérque: & ita viris equísque abundabat, vt subiectæ oculis regni per multos florentis annos vires etiam minus barbaro atque impotenti animo spiritus possent facere. Igitur omnibus qui bello apti erant, in vnum coactis, equos, arma, tela, diuidit: equites in turmas, pedites in cohortes, sicut quondā ab Romanis centurionibus didicerat, distribuit. Exercitu haud minore quam quem prius habuerat. cæterùm omni propè nouo atque incondito ire ad hostes pergit. Et castris in propinquo positis,

Syphax aduersus Lælium & Masanissam copias educit.

primò pauci equites ex tuto speculantes ab stationibus progredi, inde iaculis summoti recurrere ad suos: inde excursiones inuicem fieri, & cùm pulsos indignatio accenderet, plures subire: quod iritamentum certaminum equestrium est, cùm aut vincentibus spes, aut pulsis ira aggregat suos. Ita tum à paucis prælio accenso, omnes vtrinque postremò equitum certaminis studiū effudit. ac dum equestre prælium erat, multitudo Masæsylorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat. deinde vt pedes Romanus repentino per turmas suas viam danteis intercursu stabilem aciem fecit, absterruítque effusè inuehentem sese hostem: primò barbari segnius permittere equos, dein stare ac propè turbari nouo genere pugnæ: postremò non pediti solùm cedere, sed ne equitem quidem sustinere peditis præsidio audentem. Iam signa quoque legionum appropinquabant. tum verò Masæsyli non modò primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt. tantum seu memoria priorum cladium, seu præsens terror valuit.

Syphax capitur.

Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis: si pudore, si periculo suo fugam sistere posset, equo grauiter icto effusus opprimitur, capitúrque: & viuus, lætum ante omnes Masanissæ præbiturus spectaculum, ad Lælium attrahitur.

Cirtha Syphacis regia.

Cirtha caput regni Syphacis erat: eóque se ingens vis hominum ex fuga contulerat. Cædes in eo prælio minor quàm victoria fuit, quia equestri tantummodo prælio certatū fuerat. non plus quinque millia occisa, minus dimidium eius hominum captum est: impetu in castra facto, quò perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masanissa Lælio dicere, sibi quidem nihil esse in præsentia pulchrius, quàm victorem recuperatum tanto post interuallo inuisere receptum patrium regnum. sed tam secundis, quàm aduersis rebus non dari spatium ad cessandum. si

se Lælius

ſe Lælius cum equitatu victóque Syphace Cirtham præcedere ſinat,trepida omnia metu ſe oppreſ- A
ſurum,Lælium cum peditibus ſubſequi modicis itineribus poſſe.Aſſentiente Lælio prægreſſus Cir-
tham,euocari ad colloquium principes Cirthenſium iubet.ſed apud ignaros regis caſus,neque quæ
acta eſſent promendo,nec minis nec ſuadendo antè valuit,quàm rex vinctus in conſpectum datus.

Cirtha deditur Maſaniſſæ.

eſt. Tum ad ſpectaculum tam fœdum comploratio orta:& partim pauore mœnia ſunt deſerta,par-
tim repentino conſenſu gratiam apud victorem quærentium patefactæ portæ.Et Maſaniſſa præſidio
circa portas opportunáque mœnium dimiſſo,ne cui fugæ pateret exitus,ad regiam occupandam
citato vadit equo.Intranti veſtibulum in ipſo limine Sophoniſba vxor Syphacis,filia Aſdrubalis
Pœni occurrit:& cùm in medio agmine armatorum Maſaniſſam inſignem cùm armis,tum cætero
habitu conſpexiſſet,regem eſſe(id quod erat)rata,genibus aduoluta eius: Omnia quidem,inquit,vt
poſſes in nos,dii tibi dederunt,virtúſque & felicitas tua.ſed ſi captiuæ apud dominũ vitæ necíſque

Sophoniſbæ vxoris Syphacis ad Maſaniſſam oratio.

ſuæ vocem ſupplicem mittere licet:ſi genua,ſi victricẽ attingere dextram,precor quæſóque per ma-
ieſtatem regiam,in qua pauloantè nos quoque fuimus:pérque gentis Numidarum nomen,quod ti-
bi cum Syphace commune fuit:per huiuſce regiæ deos,qui te melioribus omnibus accipiant,quàm
Syphacem hinc miſerunt:hanc veniam ſupplici des,vt ipſe quodcunque fert animus,de captiua ſta-
tuas:neque in cuiuſquam Romani ſuperbum ac crudele arbitrium venire ſinas.ſi nihil aliud quàm
Syphacis vxor fuiſſem,tamen Numidæ atque in eadem mecum Africa geniti, quàm alienigenæ &
externi fidem experiri mallem.quid Carthaginiẽſi ab Romano,quid filiæ Aſdrubalis timendum ſit,
vides.ſi nulla alia re potes,morte me vindices ab Romanorũ arbitrio,oro obteſtórque. Forma erat
inſignis & florentiſsima ætas.itaque cùm modò dextram amplectens,in id,ne cui Romano tradere-
tur,fidem expoſceret:propiúſque iam blanditias oratio eſſet quàm preces:non in miſericordiá mo-
dò prolapſus eſt animus victoris,ſed (vt eſt genus Numidarum in venerem preceps) amore captiuæ
victor captus,data dextera in id quod petebatur obligandæ fidei,in regiam concedit.Inſtitit deinde
reputare ſecum ipſe,quemadmodũ promiſsi fidem præſtaret.quod cùm expedire nõ poſſet,ab amo-
re temerarium atque impudens mutuatur conſilium.nuptias in eum ipſum diem repentè parari iu-

Maſaniſſa ducit Sophoniſbam.

bet,ne quid relinqueret integri aut Lælio,aut ipſi Scipioni conſulendi velut in captiuam,quæ Maſa-
niſſæ iam nupta foret.Factis nuptiis ſuperuenit Lælius:& adeò non diſsimulauit improbare factum,
vt primò etiam cum Syphace & ceteris captiuis detractam eam thoro geniali mittere ad Scipionẽ
conatus ſit.victus deinde precibus Maſaniſſæ orantis,vt arbitrium , vtrius regum duorum fortunæ
acceſsio Sophoniſba eſſet,ad Scipionem reiiceret:miſſo Syphace & cæteris captiuis,cæteras vrbes
Numidiæ quæ præſidiis regiis tenebantur,adiuuante Maſaniſſa recipit. Syphacem in caſtra adduci

Syphax cũ reliquis captiuis ad Scipionem ducitur.

cùm eſſet nuntiatum,omnis velut ad ſpectaculũ triumphi multitudo effuſa eſt.Præcedebat ipſe vin- B
ctus,ſequebatur grex nobilium Numidarum.tum quantum quiſque plurimum poſſet magnitudini
Syphacis famæque gentis,victoriam ſuam augendo,addebat. Illum eſſe regem,cuius tantum maie-
ſtati duo potentiſsimi in terris tribuerint populi,Romanus Carthaginienſiſque,vt Scipio imperator
ſuus ad amicitiam eius petendam,relicta prouincia Hiſpania exercitúque,duabus quinqueremibus
in Africam nauigarit:Aſdrubal Pœnorum imperator non ipſe modò ad eum in regnum venerit,ſed
etiam filiá ei nuptum dederit.habuiſſe eum tempore vno in poteſtate duos imperatores, Pœnũ Ro-
manúmque.ſicut ab diis immortalibus pars vtraque hoſtiis mactandis pacẽ petiſſet,ita ab eo vtrin-
que pariter amicitiam petitam.iam tantas habuiſſe opes,vt Maſaniſſam regno pulſum eò redegerit:
vt vita eius fama mortis & latebris,ferarum modo in ſyluis rapto viuentis tegeretur. His ſermoni-
bus circumſtantium celebratus rex,in prætorium ad Scipionem eſt perductus.Mouit & Scipionem
cùm fortuna priſtina viri præſenti fortunæ collata:tum recordatio hoſpitii dextræque datæ,& fœde-
ris publicè ac priuatim iuncti.Eadem hæc & Syphaci animũ dederunt in alloquendo victore. nam

Syphacis ad Scipionem oratio.

cùm Scipio quid ſibi voluiſſet quæreret,qui non ſocietatem ſolùm abnuiſſet Romaná,ſed vltro bel-
lum intuliſſet:tum ille peccaſſe quidem ſeſe,atque inſaniſſe fatebatur.ſed tum demum,cùm arma ad-
uerſus populum Ro.cepiſſet,exitum ſui furoris fuiſſe,non principium.tunc ſe inſaniſſe,cùm hoſpi-
tia priuata & publica fœdera omnia ex animo eieciſſet:cùm Carthaginienſem matronam domum
acceperit.illis nuptialibus facibus regiam conflagraſſe ſuam:illam furiam peſtémque omnibus de-
linimentis animum ſuum auertiſſe atque alienaſſe:nec quieuiſſe,donec ipſa manibus ſuis nefaria ſibi
arma aduerſus hoſpitem atque amicum induerit.perdito tamen atque afflicto ſibi hoc in miſeriis ſo-
latii eſſe,quòd in omniũ hominũ inimiciſsimi ſibi domũ ac penates eandẽ peſtẽ ac furiá tranſiſſe vi-
deat.neque prudentiorẽ,neque conſtantiorẽ Maſaniſſam quá Syphacẽ eſſe,etiá ab iuuenta incautio-
rem.certè ſtultius illũ atque intẽperantius eam quá ſe duxiſſe.Hæc nõ hoſtili modò odio,ſed amoris
etiá ſtimulis,amatá apud æmulũ cernẽs,cũ dixiſſet,nõ mediocri cura Scipionis animũ pepulit.& fi-
dẽ criminibus factæ propè inter arma nuptiæ,neque cõſulto neq; expectato Lælio,faciebát:támque
præceps feſtinatio,vt quo die captá reginá vidiſſet,eodẽ matrimonio iunctá acciperet,& apud pena-
tes hoſtis ſui nuptiale ſacrũ cõficeret.Eo fœdiora hæc videbátur Scipioni,quod ipſum in Hiſpania iu-
uenẽ nullius forma pepulerat captiuæ.Hæc ſecũ volutáti Lælius ac Maſaniſſa ſuperuenerũt,quos cũ

Scipio Maſaniſſam reprehẽdit ob Sophoniſbæ nuptias.

pariter ambos & benigno vultu excepiſſet,& egregiis laudibus frequẽti prætorio celebraſſet,abdu-
ctũ in ſecretũ Maſaniſſam ſic alloquitur.Aliqua te exiſtimo Maſaniſſa intuentẽ in me bona,& princi-
piò in Hiſpaniá ad iungendá mecum amicitiá veniſſe,& poſtea in Africa teipſum , ſpéſque omneis
tuas in fidẽ meá cõmiſiſſe.atqui nulla earũ virtus eſt,propter quas appetẽdus tibi viſus ſim,qua ego
æquè atque tẽperátia & cõtinentia libidinũ gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas exi-
mias

A mias virtutes Masanissa adiecisse velim.nam non est (mihi crede)tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi,quantũ ab circumfusis vndique voluptatibus.qui eas sua temperantia frenauit ac domuit,multo maius decus maiorémque victoriam sibi peperit,quã nos Syphace victo habemus. Quæ me absente strenuè ac fortiter fecisti, libenter & commemoraui,& memini:cætera teipsum reputare tecum,quàm me dicẽte erubescere malo.Syphax populi Romani auspiciis victus captúsque est:itaque ipse,coniunx,regnũ,ager,oppida,homines qui incolunt,quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani est : & regem,coniugémque eius , etiam si non ciuis Carthaginiensis esset, etiam si non patrem eius imperatorẽ hostium videremus,Romam oporteret mitti:ac senatus populíque Romani de ea iudicium atque arbitrium esse,quæ regem nobis socium alienasse,atque in arma coegisse præcipitem dicatur.Vince animum,caue deformes multa bona vno vitio,& tot meritorũ gratiam maiore culpa,quàm causa culpæ est,corrumpas.Masanissæ hæc audienti non rubor solum suffusus,sed lacrymæ etiam obortæ.& cùm se quidem in potestate futurũ imperatoris dixisset,orassétque eum,vt quantum res sineret, fidei suæ temerè obstrictæ consuleret (promisisse enim,sese in nullius potestatem eam traditurum) ex prætorio in tabernaculũ suum confusus concessit.Ibi arbitris remotis cum crebro suspirio,& gemitu,quod facilè à circunstantibus tabernaculum exaudiri posset,aliquantum tẽporis consumpsisset,ingẽti ad postremum edito gemitu,fido ex seruis vno accito,sub cuius custodia regio more ad incerta fortunæ venenũ erat,ci mistũ in poculo ferre ad Sophonisbam iubet,ac simul nuntiare:Masanissam libenter primam ei fidem præstaturum fuisse,quam vir vxori debuerit.quoniam arbitrium eius,qui possint,adimant:secundam fidem præstare,ne viua in potestatem Romanorum veniat:memor patris imperatoris,patriæque.& duorum regum,quibus nupta fuisset,sibi ipsa consuleret.Huc nuntiũ,ac simul venenũ ferens minister,cùm ad Sophonisbam venisset:Accipio,inquit,nuptiale munus,nec ingratum:si nihil maius vir vxori præstare potuit.hoc tamen nuntia:melius me morituram fuisse,si non in funere meo nupsissem.nec locuta est ferocius, quàm acceptum poculum nullo trepidationis signo dato impauidè hausit.

Masanissa uenenum in poculo missum ad Sophonisbam mittit.

Quod vbi nunciatum est Scipioni:ne quid æger animo ferox iuuenis grauius consuleret,accitum eum extemplò nunc solatur:nunc quòd temeritatem temeritate alia luerit,tristiorémque rem quàm necesse fuit fecerit,leniter castigat.

Sophonisba uenenum impauide hausit.

Postero die vt à præsenti motu auerteret animũ eius,in tribunal ascendit:& concionem aduocari iussit.ibi Masanissam primùm regem appellatum,eximiísque ornatum laudibus,aurea corona,aurea patera,sella curuli,& scipione eburneo,toga picta,& palmata tunica donat.addit verbis honorem,neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos,neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse,quo vnum omnium externorum dignum Masanissam populus Romanus du-

Scipio Masanissam amplissimis donis decorat.

B cat.Lælium deinde & ipsum collaudatum aurea corona donat.& alii militares viri,prout à quoque nauata opera erat,donati.Iis honorib.mollitus regis animus,erectúsque in spem propinquam sublato Syphace omnis Numidiæ potiundæ.Scipio C.Lælio cum Syphace aliísque captiuis Romã misso, cum quibus & Masanissæ legati profecti sunt,ipse ad Tuneta rursum castra refert:& quæ munimenta inchoauerat,permuniit.

Lælius Syphacem & reliquos captiuos Romam deportat.

Carthaginienses non breui solùm,sed propè vano gaudio ab satis prospera in præsens oppugnatione classis perfusi,post famam capti Syphacis,in quo plus propè,quàm in Asdrubale atque exercitu suo spei reposuerant,perculsi,iam nullo authore belli vltro audito,oratores ad pacem petendam mittunt x x x. seniorum principes.id erat sanctius apud illos cõsilium,maximáque ad ipsum senatum regendum vis. Qui vbi in castra Romana & prætorium peruenerunt, more adorantium (accepto,credo,ritu ex ea regione,ex qua oriundi erant) procubuerunt . Conueniens oratio tam humili adorationi fuit,non culpam purgantium,sed transferentium initium culpæ in Annibalem,impotentiæque eius fautores. veniam ciuitati petebant, ciuium temeritate bis iam antè euersæ,incolumi futuræ iterum hostium beneficio.imperium ex victis hostibus populum Romanum,non perniciem petere.paratis obedienter seruire,quæ vellet,imperaret.

Carthaginienses à Scipione pacem petunt.

Scipio & venisse ea spe in Africam se ait,& spem suam prospero belli euentu auctam,victoriam se,non pacem domum reportaturum esse.tamen cùm victoriam propè in manibus habeat,pacem non abnuere:vt omnes gentes sciant,populum Romanum & suscipere iustè bella,& finire.Leges pacis se has dicere.Captiuos & perfugas & fugitiuos restituant.exercitus ex Italia & Gallia deducant. Hispania abstineant. insulis omnibus,quæ inter Italiam & Africam sunt,decedant.naues longas,præter viginti,omnes tradant.tritici quingenta,hordei c c c. millia modiûm. Pecuniæ summam quantam imperauerit,parum conuenit † alibi quinque millia talentûm,alibi † quinque millia pondo argenti,alibi duplex stipendium militibus imperatum inuenio.His conditionibus,inquit,placeátne pax,triduum ad consultandum dabitur.si placuerit,mecum inducias facite,Romam ad senatum mittite legatos.

Scipionis responsio.

† Valent 3000000. coron.

† Valent 50000. coron.

Ita dimissi Carthaginienses,nullas recusandas cõditiones pacis cùm censuissent:quippe qui moram temporis quærerent,dum Annibal in Africam traiiceret:legatos alios ad Scipionem,vt inducias facerent : alios Romam ad pacem petendam mittunt,ducentes paucos in speciem captiuos,perfugásque & fugitiuos,quo impetrabilior pax esset.Multis antè diebus Lælius cum Syphace primoribúsque Numidarum captiuis Romam venit : quæque in Africa gesta essent , omnia exposuit ordine patribus, ingenti omnium & in præsens lætitia , & in futurum spe. Consulti inde patres, regem in custodiam Albam mittendum censuerunt , Lælium retinendum , donec legati Carthaginienses venirent . Supplicatio in quatriduum decreta est. P. Aelius prætor senatu misso,& concione inde aduocata,cũ C.Lælio in Rostra ascendit.Ibi verò audientes,fusos Carthaginiensium exercitus, deuictum & captum ingentis nominis regem,Numidiam omnem egregia victoria peragratam:ta-

Lælius cum captiuis Romam uenit

citum

citum continere gaudium non poterant,quin clamoribus,quibúsque aliis multitudo solet,lætitiam A
immodicam significarent.Itaque prætor extemplò edixit, vti æditui ædes sacras omnes tota vrbe aperirent,circumeundi,salutandique deos,agendíque gratias per totum diem populo potestas fieret. Postero die legatos Masanissæ in senatum introduxit.Gratulati primùm senatui sunt,quòd P.Scipio prosperè res in Africa gessisset:deinde gratias egerunt,quòd Masanissam non appellasset modò regem,sed fecisset,restituendo in paternum regnum:in quo post Syphacem sublatum,si ita patribus visum esset,sine metu & certamine esset regnaturus.deinde,quòd collaudatum pro côcione amplissimis decorasset donis:quibus ne indignus esset,& dedisse operam Masanissam,& porrò daturum esse.petere,vt regium nomen,cæteráque Scipionis beneficia & munera senatus decreto confirmaret:&,nisi molestum esset,illud quoque petere Masanissam,vt Numidas captiuos,qui Romæ in custodia essent, remitterent.id sibi amplum apud populares futurum esse.Ad ea responsum legatis.Rerum gestarum in Africa prosperè communem sibi cum rege gratulationem esse.Scipionem rectè atque ordine videri fecisse,quòd eum regem appellasset:& quidquid aliud fecisset,quod honori foret Masanissæ,ea patres comprobare atque laudare.Munera,quæ legati ferrent regi,decreuerunt:sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis,& lato clauo tunicis:& equos duos phaleratos,bina equestria arma cum loricis:& tabernacula, militarémque supellectilem, qualem præberi consuli mos est.Hæc regi prætor mittere iussus.legatis in singulos dona ne minus † quinûm millium,comitibus eorum † millibus æris:& vestimenta bina legatis,singula comitibus, Numidísque,qui ex custodia missi redderentur regi.ad hoc ædes,libera loca,lautia legatis decreta.Eadem æstate,qua hæc decreta Romæ,& in Africa gesta sunt,P. Quintilius Varus prætor,& M.Cornelius Procos.in agro Insubrium Gallorum cum Magone Pœno signis collatis pugnauerunt. Prætoris legiones in prima acie fuerût:Cornelius suas in subsidiis tenuit,ipse ad prima signa equo aduectus.próque duobus cornibus prætor ac proconsul milites ad inferenda in hostes signa summa vi hortabantur. posteaquàm nihil cômouebant,tum Cornelio Quintilius:Lentior,vt vides,fit pugna,inquit:& induratus præter spem resistendo hostium timor ac ne vertat in audaciam,periculum est.equestrem procellâ excitemus oportet,si turbare ac statu mouere volumus.itaque vel tu ad prima signa prælium sustine,ego inducam in pugnam equites:vel ego hic in prima acie rem geram,tu quatuor legionû equites in hostem emittito.Vtram vellet prætor muneris partem proconsule accipiente, Quintilius prætor cum filio,cui Marco prænomen erat,impigro iuuene,ad equites pergit,iussósque ascendere in equos,repentè in hostem emittit.Tumultum equestrem auxit clamor ab legionibus additus:nec stetisset hostium acies,ni Mago ad primû equitû motum paratos elephantos extemplò in prælium induxisset. ad quorum stridorem odorémque & aspectum territi equi,vanum equestre prælium fecerunt.& vt B permixtus,vbi cuspide vti & comminus gladio posset,roboris maioris Romanus eques erat:ita in ablatum pauentibus procul equis melius ex interuallo Numidæ iaculabâtur.simul & peditum legio duodecima magna ex parte cæsa,pudore magis quàm viribus tenebat locû:nec diutius tenuisset,ni ex subsidiis tertiadecima legio in primam aciem inducta prælium dubium excepisset,Magóque ex subsidiis Gallos integræ legioni opposuisset.quibus haud magno certamine fusis,hastati legionis vndecimæ conglobant sese,atque elephantos iam etiam peditum aciem turbantes inuadunt.in quos cum pila confertos coniecissent,nullo fermè frustra emisso,omnes retrò in aciem suorû auerterunt. quatuor grauati vulneribus corruerunt.Tum prima commota hostiû acies,simul omnibus peditibus,vt auersos videre elephantos,ad augendum pauorem ac tumultum effusis.sed donec stetit ante signa Mago,gradum sensim referentes ordines tenoré pugnæ seruabant:posteaquam femine transfixo cadentem,auferríque ex prælio propè exanguem videre,extemplò in fugam omnes conuersi. Ad V.millia hostium eo die cæsa,& signa militaria duodeuiginti capta.nec Romanis incruenta victoria fuit. II.millia & CCC.de exercitu prætoris,pars multo maxima ex legione XII. amissa.inde & tribuni militum duo, M.Cosconius,& M.Mænius:tertiæ decimæ quoque legionis,quæ postremo prælio affuerat,Cn.Heluius tribunus militum in restituenda pugna cecidit,& duodeuiginti fermè equites illustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquot perierunt.& longius certamen fuisset,ni vulnere ducis concessa victoria esset.Mago proximæ noctis silentio profectus,quantû pati viæ per vulnus poterat,itineribus extentis,ad mare in Ligures Ingaunos peruenit,ibi eum legati ab Carthagine paucis antè diebus in sinû Gallicum appulsis nauibus adierunt,iubentes primo quoque tempore in Africam traiicere.idem & fratré eius Annibalé(nam ad eum quoque isse legatos eadem iubentes) facturû.non in eo esse Carthaginiensium res,vt Galliâ atque Italiâ armis obtineant.Mago non imperio modò senatus periculóque patriæ motus,sed metuens etiam,ne victor hostis moranti instaret:Liguréisque ipsi relinqui Italiam à Pœnis cernentes,ad eos quorum mox in potestate futuri essent,deficerent:nihil sperans leuiorem in nauigatione quàm in via iactationé vulneris fore,& curationi omnia commodiora:impositis copiis in naues profectus,vixdum superata Sardinia ex vulnere moritur.naues quoque aliquot Pœnorû disiectæ in alto à classe Romana,quæ circa Sardiniâ erat, capiuntur.Hæc terra maríque in parte Italiæ,quæ iacet ad Alpes,gesta Côsul Cn.Seruilius nulla memorabili re in prouincia Hetruria,& Gallia(nâ eò quoque processerat)gesta,patre Cn.Seruilio,& C. Lutatio patruo ex seruitute post decimumsextû annû receptis,qui ad vicum Tanetû à Boiis capti fuerât:hinc patre,hinc patruo latera circuudátibus,priuato magis quâ publico decore insignis Romam rediit.Latû ad populum est,ne Cn.Seruilio fraudi esset,quòd patre,qui sella curuli sedisset, viuo,cùm id ignoraret,tribunus pl.atque ædilis pl.fuisset,côtrà quàm sancitû legibus erat.Hac rogatione

Masanissæ legati in senatum Romanum introducti.

† Val. 50. coron.

† Val. 10. coron.

Prælium cũ Magone in Insubria.

Mago femine transfixo cadit.

Cæsorum numerus.

Mago in Liguriam perfugit.

Mago ex vulnere moritur.

A tione perlata, in prouinciam rediit. Ad Cn Seruilium consulem, qui in Brutiis erat, Consentia, Vffu-
gum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Dampetia, multique alii ignobiles populi
senescere Punicum bellum cernentes, defecere. Idem consul cum Annibale in agro Crotonensi acie
conflixit. Obscura eius pugnæ fama est. Valerius Antias quinque millia hostium cæsa ait. quæ tanta

Ad Seruiliũ cepionẽ cõs. Brutiorũ vrbes deficiũt.

res est, vt aut impudenter ficta sit, aut negligenter prætermissa. Nihil certè vltrà rei in Italia ab Anni-
bale gestum. nam ad eum quoque legati ab Carthagine vocantes in Africam iis fortè diebus, quibus
ad Magonem, venerunt. Frendens geménsque ac vix lacrymis temperans dicitur legatorum verba
audisse. Posteaquam edita sunt mandata: iam non perplexè, inquit, sed palàm reuocant, qui vetando

Annibalis indignatio quòd ab Italia reuocaretur.

supplementum & pecuniam mitti, iampridem retrahebant. Vicit ergo Annibalem non populus Ro-
manus toties cæsus fugatúsque, sed senatus Carthaginiensis obtrectatione, atque inuidia. neque hac
deformitate reditus mei tam P. Scipio exultabit, atque efferet sese, quàm Hanno qui domum nostram,
quando alia re non potuit, ruina Carthaginis oppressit. Iam hoc ipsum præsagiens animo præpara-
uerat antè naues. itaque inutili militum turba præsidii specie in oppida Brutii agri, quæ pauca magis
metu, quàm fide continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat, in Africam transuexit: multis

Annibal in Africã traijcit.

Italici generis, quia in Africam secuturos abnuentes concesserant in Iunonis Laciniæ delubrum, in-
uiolatum ad eam diem, in templo ipso fœdè interfectis. Raro quenquam alium patriam exilii causa
relinquentem magis mœstum abisse ferunt, quàm Annibalem hostium terra excedentem. respexisse
sæpe Italiæ litora, & deos hominésque accusantem: se quoque ac suum ipsius caput execratum, quòd
non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum,
qui consul hostem in Italia Pœnum non vidisset: se centum millibus armatorum ad Thrasymenum
& Cannas cæsis, circa Casilinum, Cumas, Nolámque consenuisse. Hæc accusans, querénsque ex diu-
tina possessione Italiæ est detractus. Romam per eosdem dies, & Magonem & Annibalem profe-
ctos allatum est. cuius duplicis gratulationis minuit lætitiam, & quòd parum duces in retinendis iis,
cùm id mandatum ab senatu esset, aut animi, ant virium habuisse videbantur: & quòd soliciti erant,
omni belli mole in vnum ducem exercitúmque inclinata, quò euasura esset res. Per eosdem dies le-
gati Saguntini venerunt, comprehensos cum pecunia adducentes Carthaginienses, qui ad condu-
cenda auxilia in Hispaniam traiecissent. † ducenta & quinquaginta auri, † octingenta pondo argenti

† Valent 28000. coron.

in vestibulo curiæ posuerunt. Hominibus acceptis, & in carcerem conditis, auro argentóque reddi-
to, gratiæ legatis actæ: atque insuper munera data, ac naues, quibus in Hispaniam reuerterentur.
Mentio deinde ab senioribus facta est, segnius homines bona quàm mala sentire. transitus Anniba-
lis in Italiam quantum terroris pauorísque iniecisset, sese meminisse. quas deinde clades, quos luctus

† Valent 8000. cor.

Segnius bona quàm mala sentiri.

B incidisse? visa castra hostium è muris vrbis: quæ vota singulorum, vniuersorúmque fuisse? quoties in
conciliis voces manus ad cælum porrigentium auditas? en vnquam ille dies futurus esset, quo va-
cuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent? dedisse tandem id deos sextodecimo de-
mum pòst anno: nec esse qui diis gratias agendas censeat. adeò ne aduenientem qnidem gratiam ho-
mines benignè accipere, nedum vt præteritæ satis memores sint. Conclamatum deinde ex omni
parte curiæ est, vti referret P. Aelius prætor: decretúmque, vt quinque dies circa omnia puluinaria
supplicaretur, victimæque maiores immolarentur c x x. Iam dimisso Lælio, legatísque Masanissæ, cùm

Quinq; dierum supplicatio ob uacuam hostibus Italiam.

Carthaginiensium legatos de pace ad senatum venientes Puteolis visos, inde terra venturos allatum
esset: reuocari C. Lælium placuit, vt coram eo de pace ageretur. Q. Fuluius Gillo legatus Scipionis
Carthaginienses Romam adduxit: quibus vetitis ingredi vrbem, hospitium in villa publica, senatus
ad ædem Bellonæ datus est. Orationem eandem fermè, quam apud Scipionem, habuerunt, culpam

Carthaginiensium legatorum in senatu petitio.

omnem belli à publico consilio in Annibalem vertentes. Eum iniussu senatus non Alpes modò, sed
Iberum quoque transgressum: nec Romanis solum, sed antè etiam Saguntinis, priuato consilio bel-
lum intulisse. senatui ac populo Carthaginiensi, si quis vera æstimet, fœdus ad eam diem inniolatum
esse cum Romanis. itaque nihil aliud sibi mandatum esse vti peterent, quàm vt in ea pace, quæ postre-
mò cum consule Luctatio facta esset, manere liceret. Cum more tradito à patribus potestatem inter-
rogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset: senioréсque qui fœderibus interfuerant, alia alii
interrogarent, nec meminisse se per ætatem (etenim omnes fermè iuuenes erant) dicerent legati: con-
clamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cuius non
ipsi meminissent. Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ. M. Liuius Cn. Seruilium
c o s. qui propior esset, accersendnm, vt coram eo de pace ageretur, censebat. cum de re maiore, quàm
quanta esset, cousultatio incidere non posset: non videri sibi absente consulum altero, ambobúsve eam
rem agi, satis ex dignitate populi Romani esse. Q. Metellus, qui triennio antè consul, dictatórque fue-
rat: cum P. Scipio cædendo exercitus, agros populando, in eam necessitatem compulisset hostes, vt
supplices pacem peterent: & nemo omnium verius existimare posset, qua mente ea pax peteretur,

Variæ in Senatu sententiæ de pace cum Carthaginiensibus facienda.

quàm is qui ante portas Carthaginis bellum gereret: nullius alterius consilio, quàm Scipionis acci-
piendam, abnuendámq; pacẽ esse. M. Valerius Leuinns, qui bis consul fuerat, speculatores, nõ legatos
venisse arguebat: iubendósque eos Italia excedere, & custodes cum iis vsque ad naues mittendos: Sci-
pioníque scribendum, ne bellum remitteret. Lælius Fuluiúsque adiecerunt, & Scipionem in eo posi-
tam habuisse spem pacis, si Annibal & Mago ex Italia non reuocarentur, cæterum omnia simnlaturos
Carthaginienses, duces eos exercitúsque expectantes: deinde qnamuis recentium fœderum, & deo-
rum omnium oblitos, bellum gesturos. Eo magis in Leuini sententiam discessum. Legati pace infecta,
ac propè sine responso di missi. Per eos dies Cn. Seruilius cõsul, haud dubius quin pacatæ Italiæ penes

se gloria esset, velut pulsum ab se Annibalem persequens, in Siciliam, inde io Africam transiturus, traiecit. Quod vbi Romæ vulgatum est, primò censuerunt patres, vt prætor scriberet consuli, seoatum æquum censere in Italiam reuerti eum: deinde, cum prætor spreturum eum literas suas diceret, dictator ad idipsum creatus P. Sulpitius, pro iure maioris imperii consulem in Italiam reuocauit. reliquū anni cum M. Seruilio magistro equitum circumeundis in Italia vrbibus, quæ bello alienatæ fuerāt, noscendísque singularū caulis consumpsit. Per induciarū tempus, & ex Sardinia ab Lentulo prætore centum onerariæ naues cum commeatu, & viginti rostratarum præsidio, & ab hoste, & ab tempestatibus mari tutò in Africam transmiserunt. Cn. Octauio c c onerariis, x x x longis nauibus ex Sicilia traiicieoti, nō eadem fortuna fuit. In conspectum fermè Africæ prospero cursu vectum primò destituit ventus, dein versus in Africum turbauit, ac passim naues disiecit. ipse cum rostratis per aduersos fluctus ingenti remigum labore enixus, Apollinis promontorium tenuit. onerariæ pars maxima ad Aegimurum insulam (ea sinum ab alto claudit, in quo sita Carthago est) x x x fermè millia ab vrbe, alia aduersus vrbem ipsam ad Calidas Aquas delatæ sunt. Omnia in coospectu Carthaginis erant. itaqoe ex tota vrbe in forum concursum est. magistratus senatum vocare, populus in curiæ vestibulo fremere, ne tanta ex oculis manibúsque amitteretur præda. Cum quidam pacis petitæ, alii induciarum (necdum enim dies exierat) fidem opponerent: postremò permisto penè senatus populíq; consilio, cōsensum est, vt classe quinquaginta nauium Asdrubal Aegimurum traiiceret: inde per litora portúsque dispersas Romanas naues colligeret. Desertæ fuga nautarū primum ab Aegimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt. Nondum reuerterant ab Roma legati, neque sciebatur quæ senatus Romani de bello, aut pace scotentia esset: occdum induciarū dies exierat. eo indigniorem iniuriam ratus Scipio, ab iis qui petiissent pacem & inducias, spem pacis & fidem induciarum violatam esse, legatos Carthaginem, L. Bebium, M. Seruilium, L. Fabium extemplò misit. Qui cum multitudinis cōcursu propè violati essent, nec reditum tutiorem futurum cernerent: petierunt à magistratibus, quorū auxilio vis prohibita erat, vt naues mitterent, quæ se prosequerentur. Datæ triremes duæ cum ad Bagradam flumen peruenissent, vnde castra Romana conspiciebantur, Carthaginem rediere. Classis Puoica ad Vticam stationē habebat: ex ea tres quadriremes, seu clàm misso à Carthagine nuntio vti fieret seu Asdrubale qui classi præerat, sine publica fraude auso facinus, quinqueremem Romanam superantem promōtorium ex alto repentè aggressæ sunt. sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem poteraot, oeque transilire armati ex humilioribus in altiorem nauem. & defendebatur egregiè, quoad tela suppeditarunt: quibus deficiētibus, cum iam nulla alia res eam, quàm propinquitas terræ, multitudóq; à castris in litus effusa tueri potuisset, concitatam remis quanto maximo impetu poterant, in terrā cum immisissent, nauis tantū iactura facta, incolumes ipsi euaserunt. Ita alio super aliud scelere cum haud dubiè induciæ ruptæ essent, Lælius Fuluiúsq; ab Romanis cum legatis Carthaginiensibus superuenerūt. quibus Scipio, etsi non induciarū modò fides à Carthagioiensibus, sed etiam ius gentiū in legatis suis violatum esset, tamen se nihil nec institutis P. R. nec suis moribus indignū in iis facturū esse cum dixisset, legatis dimissis, bellum parabat. Annibale iam terræ appropinquante iossus è nautis vnus ascendere in malom, vt specularetur quam tenerent regionē, cum dixisset sepulchrū dirutum proram spectare, abominatus, præteruehi iusso gubernatore, ad Leptim appulit classem, atq; ibi copias exposuit. Hæc eo anno in Africa gesta. Insequentia exceduot in eum annum, quo M. Seruilius Geminus, qui tum magister equitū erat, & T. Claudius Nero consules facti sunt. Cæterùm exitu soperioris anni cum legati sociarū vrbium ex Græcia questi essent, vastatos agros ab regiis præsidiis, missósque in Macedoniam legatos ad res repetendas, non admissos ad Philippum regem: simul ountiassent, quatuor millia militum cum Sopatro duce traiecta in Africam doci, vt essent Carthaginiēsibus præsidio, & pecuniæ aliquantum vnà missum: legatos ad regem, qui hæc aduersos fœdus facta videri patribus nuntiarēt, mittendos censuit senatus. Missi C. Terētios Varro, Cn. Manlius, M. Aurelius. iis tres quinqoeremes datæ. Annus insignis incendio ingenti, quo cliuus publicus ad solum exustus est, & aquarū magnitudine, & annonæ vilitate fuit, præterquā quòd pace omnis Italia erat aperta, etiā quòd magnā vim frumenti ex Hispania missam M. Valerius Falco, & M. Fabius Buteo ædiles curules quaternis æris vicatim populo descripserunt. Eodem anno Q. Fabius Maximus moritur, exactæ ætatis, si quidem verum est, augurem duos & quadragiota annos fuisse, quòd quidam authores sunt. Vir certè fuit dignus tanto cognomioe, vel si nouū ab eo inciperet. superauit pateroos honores, auitos æquauit. Pluribus victoriis, & maioribus prælìis aous insignis Rullus, sed omnia æquare vnus hostis Annibal potest. cautior tamen quàm promptior hic habitus fuit. & sicut dubites, vtrū ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello propriè, quod tum gerebatur, aptum erat: sic nihil certius est, quàm vnum hominē nobis conctando rem restituisse, sicut Ennius ait. Augur in locū eius inauguratus Q. Fabius Maximus, filius. in eiusdem locum pontifex (oam duo sacerdotia habuit) Seruios Sulpitius Galba. Ludi Rom. diem vnum, plebeii ter toti instaurati ab ædilibus M. Sestio Sabino, & Cn. Tremellio Flacco. Ii ambo prætores facti, & cum iis C. Liuius Salinator, & C. Aurelius Cotta. Comitia eius anni vtrum Cn. Seruilius consul habuerit, an quia eum res in Hetruria tenuerint, quæstiones ex sociis de coniurationibus principū habentem, dictator ab eo dictus P. Sulp. incertū diuersi authores faciunt. Principio insequētis anni M. Seruilios, T. Claudius senatu in Capitoliū vocato de prooinciis retulerunt. Italiā atq; Africam in sortem coniici, Africam ambo cupientes, volebant. cæterùm Q. Metello maximè annitente neq; data, neq; negata est Africa. Consules iussi cum tribunis plebis agere: vt si iis videretur, populum rogarent, quem vellet in Africa bellum gerere. omnes tribus P. Scipionē iusserunt. nihilominus consules prouinciam Africam (ita

Dictator creatur P. Sulpitius ut Seruilium Cons. in Italiam reuocaret.

Legati Romani à Carthaginensibus propè uiolati.

Annibal in Africā appulit.

Legati Romani ad Philippum.

Q. Fabius Maximus moritur.

Prouinciarū sortitio.

A (ita enim senatus decreuerat)in sortem coniecerunt. T. Claudio Africa euenit, vt quinquaginta nauiū classem, omnes quinqueremes, in Africā traiceret, parísq; imperio cum Scipione imperator esset. M. Seruilius Hetruriā sortitus. In eadem prouincia & Cn. Seruilio prorogatū imperiū, si consulem remorari ad vrbē senatui placuisset. Praetores, M. Sextius Galliā est sortitus, vt duas legiones, prouinciámq; traderet ei P. Quintilius Varus, C. Liuius Brutios cum duabus legionibus, quibus P. Sempronius proconsul priore anno praefuerat: Cn. Tremellius Siciliam, vt ab P. Villo Tappulo Praet. prioris anni prouinciam & duas legiones acciperet. Villius propraetor cum viginti nauibus longis, militibus mille oram Siciliae tutaretur: inde M. Pomponius viginti nauibus reliquis mille & quingentos milites Romam deportaret. C. Aurelio Cottae vrbana euenit. caeteris ita, vti quisque obtinebant prouincias, exercitúsque, prorogata imperia. Sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est. Et vt placatis diis omnia inciperent, agerentque, quos ludos M. Claudio Marcello, T. Quintio coss. T. Manlius dictator, quásque hostias maiores vouerat, si per quinquennium illud Respublica eodem statu fuisset, vt eos consules prius quàm ad bellum proficiscerentur, facerent. Ludi in circo per quatriduum facti: hostiaeque quibus votae erant diis, caesae. Inter haec simul spes, simul cura in dies crescebat: nec satis certum constare apud animos poterat, vtrum gaudio dignius esset, Annibalem post XVI annum ex Italia decedentem vacuam possessionē eius reliquisse pop. Rom. an magis metuendum, quòd incolumi exercitu in Africam traiecisset. Locum nimirum, non periculum mutatum. cuius tantae dimicationis vatem, qui nuper decessit, Q. Fabium haud frustra canere solitum, grauiorem in sua terra futurum hostem Annibalem, quàm in aliena fuisset. nec Scipioni aut cum Syphace, inconditae barbariae rege, qui statarios semilixas ducere exercitus solitus sit, aut cum socero eius Asdrubale, fugacissimo duce rem futuram, aut tumultuariis exercitibus, ex agrestium semiermi turba subitò collectis: sed cum Annibale, propè nato in praetorio patris fortissimi ducis, alito atque educto inter arma, puero quondam milite, vixdum iuuene imperatore: qui senex vincendo factus, Hispanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad fretum monumentis ingentium rerum complesset. ducere exercitum aequalem stipendiis suis, duratum omnium rerum patientia, quas vix fides fiat homines passos, perfusum millies cruore Romano, exuuias non militum modò, sed etiam imperatorū portantem. multos occursuros Scipioni in acie, qui praetores, qui consules Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribúsq; insignes coronis, peruagatos capta castra, captas vrbes Romanas. non esse hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quot captos ex caede imperatorū prae se ferre posset Annibal. Has formidines agitando animis, ipsi curas & metus augebant, etiam quòd, cum assuessent per aliquot annos bellum ante oculos aliis atq; aliis in Italiae partibus lenta spe in nullum propinquum debellandi finem gerere, erexerant

B omnium animos Scipio & Annibal, velut ad supremum certamen comparati duces. ii quoq;, quibus ingens erat in Scipione fiducia, & victoriae spes, quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curae intentioris erant. Haud dispar habitus animorum Carthaginiensibus erat: quos modò petisse pacem, intuentes Annibalem ac rerum gestarū eius magnitudinem, poenitebat: modò, cum respicerent, bis sese acie victos, Syphacem captum, pulsos se Hispania, pulsos Italia, atq; ea omnia vnius virtute & consilio Scipionis facta, velut fatalem eum ducem in exitium suū natum horrebāt. Iam Adrumetum peruenerat Annibal. vnde ad reficiendum ex iactatione maritima militē paucis diebus sumptis, excitus pauidis nuntiis, omnia circa Carthaginem obtineri armis afferentium, magnis itineribus Zamam contendit. Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest. inde praemissi speculatores cum excepti à custodibus Romanis deducti ad Scipionem essent: traditos eos tribunis militum, iussósque omisso metu visere omnia, per castra quà vellent circunduci iussit: percunctatúsque, satin percōmodè omnia explorassent, datis qui prosequerentur, retro ad Annibalem dimisit. Annibal nihil quidem eorum quae nuntiabantur (nam & Masanissam cum sex millibus peditum, quatuor equitū venisse eo ipso forte die afferebant) laeto animo audiuit, maximè hostis fiducia, quae non de nihilo profectò concepta est, perculsus. itaque quanquam & ipse causa belli eius erat, & aduentu suo turbauerat pactas inducias, & spem foederum: tamen, si integer, quàm si victus peteret pacem, aequiorem impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem misit, vt colloquendi secum potestatem faceret. Id vtrum sua sponte fecerit, an publico cōsilio, neutrum cur affirmem habeo. Valerius Antias primo praelio victum eum à Scipione, quo duodecim millia armatorum in acie sint caesa, mille & septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. Caeterùm Scipio cum colloquium haud abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, vt coire ex propinquo possent. Scipio haud procul Nadagara vrbe, tum ad caetera loco opportuno, tum quòd aquatio intra teli cōiectum erat, consedit. Annibal tumulum à quatuor millibus inde, tutum commodúmq; alioqui, nisi quòd longinquae aquationis erat, cepit. ibi in medio locus conspectus vndique, ne quid insidiarū esset, delectus. Summotis pari spatio armatis, cū singulis interpretibus congressi sunt nō suae modò aetatis maximi duces, sed omnis ante se memoriae omnium gentium cuilibet regum imperatorúmve pares. Paulisper alter alterius cōspectu, admiratione mutua propè attoniti conticuere. Tum Annibal prior. Si hoc ita fato datum erat, vt qui primus bellum intuli populo Romano, quíque toties propè in manibus victoriā habui, is vltro ad pacem petendam venirem, laetor te mihi potissimū datum, à quo peterem. Tibi quoq; inter multa egregia non in vltimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui de tot Romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse: téque huic bello vestris prius quàm nostris cladibus insigni finem imposuisse. hoc quoque ludibrium fortunae casus ediderit, vt cum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa cōtulerim, ad filiū eius inermis ad pacem petendam veniam. Opti-

Ludi.

Quanta cura sollicitabantur Romani ob Africanū bellum.

Varie afficiebantur Carthaginienses ob Annibalis reditū.

Annibal à Scipione petit, vt sibi liceat colloqui.

Scipionis & Annibalis congressus.

Annibalis ad Scipionē oratio.

mum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, vt & vos Italiæ, & nos Africæ A imperio contenti essemus. neque enim ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot támq; egregiis amissis ducibus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Ita aliena appetiuimus, vt de nostris dimicaremus. nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa est: sed & vos in portis vestris propè, ac mœnibus signa armáque hostiũ vidistis: & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorũ exaudiuimus. Quod igitur nos maximè abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimúsq; ii, quorum & maximè interest pacem esse, & qui quodcunq; egerimus ratum ciuitates nostræ habituræ sint. animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis consiliis. Quod ad me attinet, iam ætas senem in patriam reuertentem, vnde puer profectus sum, iam secundæ, iam aduersæ res ita erudierunt, vt rationem sequi quàm fortunã malim. tuam & adolescentiam, & perpetuam felicitatẽ, ferociora vtraque, quàm quietis opus est consiliis, metuo. Non temerè incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Thrasymenum, ad Cannas, id tu hodie es. vixdum militari ætate imperio accepto, omnia audacissimè incipientem nusquã fefellit fortuna. patris & patrui persecutus mortem, ex calamitate vestræ domus decus insigne virtutis pietatísq; eximiæ cepisti: amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis. consul creatus, cum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensis castris, Syphace potentissimo rege capto, tot vrbibus regni eius, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum iam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam malle, quàm pacem animus. Noui vobis spiritus magnos magis, quàm vtiles. & mihi talis aliquãdo fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent dii, nõ ea solum quæ euenissent, sed etiam ea quæ euenire possent, reputaremus. Vt omnium obliuiscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. quem modò castris inter Anienem atque vrbem vestrã positis, ac iam propè scandentem mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus clarissimis imperatoribus orbatum ante mœnia propè obsessæ patriæ, quibus terrui vestram vrbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minimè credendum est. In bonis tuis rebus nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax: nobis petentibus magis necessaria, quàm honesta. Melior tutiórque est certa pax, quàm sperata victoria. hæc in tua, illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen. cùm tuas vires, tum vim fortunæ, martémque belli communem propone animo. vtriuque ferrum, corpora humana erunt. nusquam minus quàm in bello euentus respõdent. Non tantum ad id quod data pace iam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adieceris: quantum ademeris, si quid aduersi eueniat. simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest. omnia in B pace iungenda tuæ potestatis sunt P. Corneli. tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutísque exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuẽdo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. Est quidem eius, qui dat, nõ qui petit, conditiones dicere pacis. sed forsitan non indigni simus, qui nobismetipsis mulctam irrogemus. non recusamus, quin omnia propter quæ bellum initum est, vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiámque continetur mari: Carthaginienses inclusi Africæ litoribus vos, quando ita diis placuit, externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negauerim, propter non nimis syncere petitam aut expectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem, multum per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet Scipio. vestri quoque (vt audio) patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Annibal peto pacem: qui neque peterem, nisi vtilem crederem: & propter eandem vtilitatem tuebor eam, propter quam petii. & quemadmodum, quia à me bellum cœptum est, ne quem eius pœniteret, quoad ipsi inuidêre dei, præstiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat. Aduersus hæc imperator Romanus in hanc ferè sententiam respondit. Non me fallebat Annibal, aduentus tui spe Carthaginienses & præsentem induciarum fidem, & spem pacis turbasse: neque tu id sanè dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea quæ iampridem in nostra potestate sunt. cæterùm sicut tibi curæ est, sentire ciues tuos quanto per te onere leuentur: sic mihi laborãdum est, ne quæ tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis præmia perfidiæ habeant. indigni, quibus eadem pateat conditio, vt etiam prosit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. & tunc Mamertinorum sociorũ periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. vos lacessisse, & tu ipse fateris, & dii testes sunt: qui & illius belli exitum secundum ius fásque dederunt, & huius dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subiecta esse mille casibus scio. cæterùm quemadmodum superbè, & violenter me facerer facere, si priusquã in Africam traiecissem, te tua voluntate cedentem Italia, & imposito in naues exercitu ipsum veniẽtem ad pacem petendam aspernarer: sic nunc, cum propè manu cõserta restitantem ac tergiuersantem in Africam traduxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. proinde si quid ad ea, in quæ tum pax cõuentura videbatur (quæ sunt nosti) mulctæ nauium cum commeatu per inducias expugnatarum, legatorúmque violatorum, adiicitur, est quod referam ad consilium. sin illa quoque grauia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis. Ita infecta pace ex colloquio ad suos cum se recepissent, frustra verba pacata renuntiant: armis decernendum esse, habendámque eam fortunam quam dii dedissent. In castra vt est

Scipionis ad Annibalis orationem responsio.

veotum

A ventum,pronuntiant ambo,arma expedirent milites animósque ad supremũ certamen non iu vnum
diem,sed in perpetuum,si felicitas adesset,victores. Roma an Carthago iura gentibus daret,ante cra-
stinam noctem scituros.neque enim Africam,aut Italiam,sed orbem terrarum victoriæ præmiũ fore:
par perienlum præmio,quibus aduersæ pugnæ fortuna fuisset. Nam neque Romanis, effugium vllum
patebat iu aliena ignotáque terra:& Carthagini supremo auxilio effuso adesse videbatur præsens ex-
cidium.Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longè
clarissimi duces,duo fortissimi exercitus,multa antè parta decora aut cumulaturi eo die,aut euersuri.

Annibal & Scipio suos ad certamen instruunt.

Anceps igitur spes & metus miscebant animos:contemplantibúsque modò suam, modò hostiũ aciẽ,
cùm oculis magis quàm ratione pensarent vires,simul læta , simul tristia obuersabantur.quæ ipsis sua
sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subiiciunt. Pœnus x v i annorum in
terra Italia res gestas,tot duces Romanos tot exercitus occidione occisos,& sua cuiq; decora,vbi ad
insignem alicuius pugnæ memoria militem venerat,referebat.Scipio Hispanias, & recẽtia in Africa
prælia,& confessionem hostium,quod neque non petere pacem propter metum,neque manere in ea
præ insita animis perfidia potuissent.ad hoc,colloquium Annibalis in secreto habitũ, ac liberum fin-
genti, quà velit flecti : ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnauerint ad Aegateis
insulas,ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos.adesse finẽ belli,ac laboris:in manibus esse præ-
dam Carthaginis,reditum domum in patriam ad parentes,liberos,coniuges, penatésque deos. Adeò
celsus hæc corpore,vultúq; ita læto,vt vicisse iam crederes, dicebat. Instruit deinde primos hastatos,
post eos principes:triariis postremam aciem clausit.non cõfertas autem cohortes ante sua quemque
signa instruebat,sed manipulos aliquantum inter se distantes vt esset spatium, quo elephanti hostium
accepti nihil ordines turbarent.Lælium,cuius antè legati,eo anno quæstoris extra sortem ex Senatus
consulto opera vtebatur, cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masanissam Numidásque ab dextro
opposuit.vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus(ea tunc leuis armatura erat) com-
pleuit:dato præcepto,vt ad impetum elephantorũ aut post rectos refugerent ordines,aut in dextram
læuámque discursu applicãtes se antesignanis viam quà irruerent in ancipitia tela,belluis darent.An-
nibal ad terrorem primum elephãtos(L x x x autem erant,quot nulla vnquam in acie antè habuerat)
instruxit:deinde auxilia Ligurum Gallorúmque,Balearibus,Maurísque admistis:in secunda acie Car-
thaginienses Afrósque,& Macedonũ legionem:modico deinde interuallo relicto subsidiariam aciem
Italicorum militum(Brutii pleriq; erant,vi ac necessitate plures quàm sua voluntate decedentem ex
Italia secuti) instruxit. equitatũ etiã ipsum circundedit cornibus dextrum Carthaginienses, sinistrum
Numidæ tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines,quibus non lingua, non mo-
B res,non lex,non arma,non vestitus habitúsque,non causa militandi eadem esset. auxiliaribus & præ-
sens,& multiplicata merces ex præda ostentatur. Galli proprio atque insito in Romanos odio accen-
duntur.Liguribus campi vberes Italiæ deductis ex asperrimis mõtibus in spem victoriæ ostentantur.
Mauros Numidásque impotenti Masanissæ futuro dominatu terret.aliis aliæ spes ac metus iactautur.
Carthaginiensibus mœnia patriæ,dii penates,sepulchra maiorum, liberi cum parentibus cõiugésque
pauidæ,ant excidium seruitiúmque,aut imperiũ orbis terrarũ,nihil aut in metum, aut in spem mediũ
ostentatur.Cùm maximè hæc imperator apud Carthaginienses duces suarum gentiũ inter populares
pleraque per interpretes intermistos alienigenis ageret,tubæ cornuáq; ab Romanis cecinerunt : tan-
túsque clamor ortus,vt elephãti in suos,sinistro maximè cornu,verterent, Manros ac Numidas. addi-
dit facile Masanissa perculsis terrorẽ:nudauítque ab ea parte aciem equestri auxilio. paucæ tamen be-

Romani Pœnos adoriuntur.

stiarum intrepidæ in hostem actæ inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentẽ stragem
edebant.resilientes enim ad manipulos velites,cum viam elephantis ne obtererentur fecissent,in an-
cipites ad ictum vtrinque coniiciebant hastas:uec pila ab antesignanis cessabant : donec vndique in-
cidentibns telis exacti ex Romana acie,hi quoque in suo dextro cornu ipsos Carthaginiensiũ. equites
in fugam verterunt. Lælius vt turbatos vidit hostes,addit perculsis terrorem. Vtrinque equite nudata
erat Punica acies,cum pedes cõcurrit,nec spe,nec viribus iam par.ad hoc,dictu parua,sed magni ea-
dem in re gerenda momenti res:cõgruens clamor à Romanis,eóq; maior & terribilior:dissonæ illis,
vt gentium multarũ discrepantibus linguis,voces.pugna Romana stabilis & suo & armorũ pondere
incumbentiũ in hostem:concursatio & velocitas illinc maior,quàm vis.Igitur primo impetu extem-
plò mouêre loco hostium aciem Romani:ala deinde,& vmbonibus pulsantes,in summotos gradu il-
lato,aliquantum spatii,velut nullo resistente,incessere:vrgentibus & nouissimis primos,vt semel mo-
tam aciem sensere,quod ipsum vim magnã ad pelleudum hostem addebat. Apud hosteis auxiliareis
cedenteis secunda acies Afri & Carthaginienses adeò non sustiuebant,vt contra etiam, ne resistentes
pertiuaciter primos cædendo ad se perueniret hostis, pedem referrent. Igitur auxiliares terga dant
repentè: & in suos versi,partim refugere in secundam aciem:partim non recipientes cædere,vti paulo
antè non adiuti,& tunc exclusi.& propè duo iam permista prælia erant, cum Carthaginienses simul
cum hostibus,simul cum suis cogerentur conserere manus.nõ tamen ita perculsos iratósque in aciem
accepere,sed densatis ordinibus,in cornua,vacuísque circà campum extra prælium eiecere, ne paui-
dos fuga vulneribúsque milites in certam & integram aciem miscerent. Cæterùm tanta strages ho-
minum armorúmque locum in quo steterant paulo antè auxiliares compleuerat : vt propè difficilior
transitus esset,quàm per cõfertos hostes fuerat:itaque qui primi erant hastati,per cumulos corporum
armorúmque,& labem sanguinis,quà quisque poterat,sequentes hostem & signa & ordines confude-
runt.principum quoque signa fluctuare cœperant, vagam ante se cernentes aciem. Quod Scipio vbi

vidit, receptui properè canere hastatis iussit: & sauciis in postremam aciem subductis, principes tria- A
riósque in cornua inducit, quo tutior firmiórque media hastatorum acies esset. Ita nouum de integro
prælium ortum est: quippe ad veros hostes peruentum erat, & armorū genere, & vsu militiæ, & fama
rerum gestarū, & magnitudine vel spei vel periculi pares. sed numero Romanus superior erat, & ani-
mo: quòd iam equites, iam elephantos fuderat: iam prima acie pulsa, in secundam pugnabat. In tem-
pore Lælius ac Masanissa pulsos per aliquantum spatii secuti equites, reuertentes in auersam hostium
aciem incurrère. Is demum impetus perculit hostem. multi circumuenti in acie cæsi. multi per paten-

Pœni funduntur cæsis suorum 20 millibus & totidē captis. Annibal Adrumetum perfugit.

tem circa campum fuga sparsi, tenente omnia equitatu, passim interierunt. Carthaginiensium socio-
rúmq; cæsa eo die supra millia viginti. par fermè numerus captus est, cum signis militaribus centum
triginta tribus, elephantis vndecim. Victores ad decem millia cecidere. Annibal cum paucis equiti-
bus inter tumultum elapsus Adrumetum perfugit: omnia & in prælio, & ante aciem, priusquam ex-
cederet pugna, expertus: & cōfessione etiam Scipionis, omniúmque peritorum militiæ illam laudem
adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. elephātos in prima fronte: quorum fortuitus impetus,
atque intolerabilis vis signa sequi, & seruare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Romanos pro-
hiberet, deinde auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines misti colluuione omnium gen-
tium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent: simul primum ardorem
hostium excipientes fatigarent: ac si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent. tum, vbi
omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrósq;, vt omnibus rebus aliis pares, eo quòd integri cum
fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent. Italicos interuallo quoque diremptos, incertos socii an
hostes essent, in postremam aciem summotos. Hoc edito velut vltimo virtutis opere, Annibal cùm

Annibal Carthaginē accitus, in curia fatetur se non prælio solùm sed bello uictū.

Adrumetum refugisset, accitúsque inde Carthaginem sexto ac trigesimo pòst anno, quàm puer inde
profectus erat, redisset: fassus in curia est, non prælio modò se, sed bello victum: nec spem salutis alibi,
quàm in pace impetranda esse. Scipio cōfestim à prælio expugnatis hostium castris direptísque, cum
ingenti præda ad mare ac naues rediit, nuntio allato: P. Lentulum cum L. rostratis, C onerariis omni
genere commeatus, ad Vticam accessisse. Admouendum igitur vndique terrorem perculsæ Cartha-
gini ratus, misso Lælio Romam cum victoriæ nuntio, Cn. Octauium terrestri itinere ducere legiones
Carthaginem iubet. ipse ad suam veterem noua Lentuli classe adiuncta, profectus ab Vtica portum

Legati Carthaginenses ad Scipionē, qui pacē orarent.

Carthaginis petit. Haud procul aberat, cùm velata infulis ramísque oleæ Carthaginiensium occurrit
nauis. decem legati erant principes ciuitatis, authore Annibale missi ad petendam pacem. qui cùm
ad puppim prætoriæ nauis accessissent, velamenta supplicum porrigentes, orantes, implorantésque
fidem & misericordiam Scipionis, nullum iis aliud responsum datum, quàm vt Tunetem venirent: eò
se moturū castra. ipse ab contemplato situ Carthaginis non tam noscendi in præsentia, quàm terrendi B
hostis causa, Vticam, eódem & Octauio reuocato, rediit. Inde procedentibus ad Tunetem nuntius al-
latus: Verminam Syphacis filium cum equitibus pluribus, quàm peditibus, venire Carthaginiensibus

Vermina Syphacis filius deleto exercitu suo fugit.

auxilio. Pars exercitus cum omni equitatu missa, turmalibus primis in agmine, aggressa Numidas leui
certamine fudit. exitu quoq; fugæ intercluso, à parte omni circundatis equitibus, XV millia hominum
cæsa, mille & CC viui capti sunt, & equi Numidici mille & D. signa militaria duo & septuaginta. Regu-
lus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Tum ad Tunetem eodem, quo antea, loco castra posita.
legatíque XXX Carthagine ad Scipionem venerūt. & illi quidem multo miserabilius quàm antè, quo
magis cogebat fortuna, egerunt: sed aliquanto minore cum misericordia ab recenti memoria perfidiæ
auditi sunt. In consilio quanquam iusta ira omneis ad delendam stimulabat Carthaginem: tamen cùm
& quanta res esset, & quàm longi temporis obsidio tam munitæ & validæ vrbis, reputarent: & ipsum
Scipionem expectatio successoris, venturi ad paratam alterius labore ac periculo finiti belli famam

Pacis conditiones cum Carthaginiensibus.

sollicitaret, ad pacem omniū animi versi sunt. Postero die reuocatis legatis, & cum multa castigatione
perfidiæ monitis, vt tot cladibus edocti tandem deos & iusiurandum esse crederent, conditiones pa-
cis dictæ. Vt liberi legibus suis viuerent. quas vrbes, quósque agros, quibúsque finibus ante bellum te-
nuissent, tenerent, populandíque finem eo die Romanus faceret. perfugas, fugitiuósque, & captiuos
omneis, & naues rostratas, præter decem triremes, traderent: elephantósque, quos haberent domitos,
neque domarent alios. bellum néve in Africa, néve extra Africam iniussu populi Romani gererent.
Masanissæ res redderent, fœdúsque cum eo facerent. frumentum, stipendiúmque auxiliis, donec ab
Roma legati redissent, præstarent. decem millia talentûm argenti descripta pensionibus æquis in an-
nos quinquaginta soluerent. obsides centum arbitratu Scipionis darent: ne minores XIIII. annis, neu
XXX maiores. inducias ita se daturum, si per priores inducias naues onerariæ captæ, quæque fuissent
in nauibus, restituerentur. aliter nec inducias, nec spem pacis vllam esse. Has conditiones legati cùm

Gisgo dissuadens pacem ex superiore loco detrahitur ab Annibale.

domum ferre iussi in concione ederent, & Gisgo ad dissuadendam pacem processisset, audiretúrque
à multitudine inquieta eadem & imbelli. indignatus Annibal dici ea in tali tempore, audiríque, arre-
ptum Gisgonem manu sua ex superiore loco detraxit. quæ insueta liberæ ciuitati species cum fremi-
tum populi mouisset, perturbatus militaris vir vrbana libertate: Nouem, inquit, annorum à vobis pro-
fectus, post sextū & tricesimū annum redii. militares artes, quas me à puero fortuna nūc priuata nunc
publica docuit, probè videor scire: vrbis ac fori iura, leges, mores vos me oportet doceatis. Excusata
impudentia, de pace multis verbis disseruit, quàm nec iniqua, & necessaria esset. Id omniū maximè dif
ficile erat, quod ex nauibus per inducias captis nihil, præter ipsas cōparebat naues: nec inquisitio erat
facilis. Cùm aduersantes paci arguerentur, placuit naues reddi, & homines vtiquè inquiri: cætera, quæ
abessent, æstimanda Scipioni permitti: atque ita pecunia luere Carthaginienses. Sunt qui Annibalem
ex acie

A ex acie ad mare peruenisse, inde præparata naue ad regem Antiochum extemplò profectū tradant: postulantíque ante omnia Scipioni, vt Annibal sibi traderetur, responsum esse, Annibalem in Africa non esse. Posteaquam redierunt ad Scipionem legati: quæ publica in nauibus fuerant, ex publicis descripta rationibus quæstores: quæ priuata, profiteri domini iussi: pro ea summa pecuniæ † x x v millia pondo argenti præsentia exacta. induciæque Carthaginiensibus datæ in tres menses. additum, ne per induciarum tempus aliò vsquam quàm Romam mitterent legatos: & quicunque legati Carthaginem venissent, ne antè dimitterent eos, quàm Romanum imperatorem, qui, & quæ petentes venissent, certiorem facerēt. Cum legatis Carthaginiensibus Romam missi L. Veturius Philo, & M. Martius Ralla, & L. Scipio imperatoris frater. Per eos dies commeatus ex Sicilia Sardiniáque tantam vilitatem annonæ effecerunt, vt pro vectura frumentum mercator nautis relinqueret. Romæ ad nuntium primum rebellionis Carthaginiensium trepidatū fuerat: iussúsque erat T. Claudius maturè in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam traiicere: & alter consul M. Seruilius ad vrbem morari, donec quo statu res in Africa essent, sciretur. Segniter omnia in comparanda deducendáque classe ab T. Claudio consule facta erant, quòd patres de pace, Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quàm consulis censuerant. Prodigia quoque nuntiata sub ipsam famam rebellionis terrorem attulerant. Cumis solis orbis minui visus, & pluit lapideo imbri. & in Veliterno agro terra ingentibus cauernis cōsedit, arborésque in profundum haustæ. Ariciæ forum, & circà tabernæ, Frusinone murus aliquot locis, & porta de cælo tacta: & in Palatio lapidibus pluit. Id prodigium more patrio nouendiali sacro, cætera hostiis maioribus expiata. Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. nam ita abundauit Tyberis, vt ludi Apollinares, circo inundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint. cæterùm ludorum ipso die serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, reuocata, deductáque in circum est, cùm decessisse inde aquam nuntiatum esset: lætitiámq; populo, & ludis celebritatem addidit sedes sua solenni spectaculo reddita. Claudium cos. profectum tandem ab vrbe inter portus Cossanum Lauretanúmque atrox vis tempestatis adorta, in metum ingentem adduxit. Populonios inde cùm peruenisset, stetissetque ibi dum reliquum tempestatis exsæuiret: Iluam insulam, & ab Ilua Corsicam, à Corsica in Sardiniam traiecit. ibi superantem Insanos montes multo & sæuior & infestioribus locis tempestas adorta disiecit classem. multæ quassatæ, armamentísque spoliatæ naues: quædam fractæ. ita vexata ac lacerata classis Carales tenuit. vbi dum subductæ reficiuntur naues, hyems oppressit: circumactúmque anni tempus. & nullo prorogante imperium, priuatus T. Claudius classem Romam reduxit. M. Seruilius, ne comitiorum causa ad vrbem reuocaretur: dictatore dicto Cn. Seruilio Gemino, in prouinciam est profectus. Dictator magistrum equitum P. Aelium Pætum dixit. Sæpe comitia indicta perfici tempestates prohibuerunt.

† Valent 250000 coron.

Legati Carthaginiensium Romã missi.

Prodigia.

Claudii consulis classis tempestate disiicitur.

B itaque cum præter Idus Martias veteres magistratus abissent, noui suffecti non essent, Respublica sine curulibus magistratibus erat. L. Manlius Torquatus pontifex eo anno mortuus. in locum eius suffectus C. Sulpitius Galba. Ab L. Licinio Lucullo, & Q. Fuluio ædil. curul. ludi Romani tertiò instaurati. Pecuniam ex ærario scribæ, viatorésque ædilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt, non sine infamia Luculli ædilis. P. Aelius Tubero, & L. Lectorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, cùm ludos, ludorúmque causa epulum Ioui fecissent, & signa tria ex mulctatitio argento facta in Capitolio posuissent. Cereales ludos dictator, & magister equitum ex senatusconsulto fecerunt. Legati ex Africa Romani simul Carthaginiensésque cùm venissent Romam, senatus ad ædem Bellonæ habitus est. vbi cùm L. Veturius Philo pugnatum cum Annibale esse suprema Carthaginiensibus pugna, finémque tandem lugubri bello impositum lætitia patrum exposuisset, adiecit: Verminam etiam Syphacis filium, quæ parua bene gestæ rei accessio erat, deuictum. in cōcionem inde prodire iussus, gaudiúmque id populo impertire. Tum patefacta gratulatione omnia in vrbe templa, supplicationésque in triduum decretæ. Legatis Carthaginiensium & Philippi regis (nam ii quoque venerant) petentibus vt senatus sibi daretur, responsum iussu patrum à dictatore est, consules nouos eis senatum daturos esse. Comitia inde habita: creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Aelius Pætus: prætores M. Iunius Pœnus, cui sors vrbana euenit. M. Valerius Falto Brutios, M. Fabius Buteo Sardiniam, P. Aelius Tubero Siciliam est sortitus. De prouinciis consulum nihil antè placebat agi, quàm legati Philippi regis, & Carthaginiensium auditi essent. belli finem alterius, principium alterius prospiciebant animis. Cn. Lentulus consul cupiditate flagrabat prouinciæ Africæ: seu bellum foret, facilem victoriam: seu iam finiretur, finiti tanti belli se consule gloriam petens. negare itaque prius quicquam agi passurum, quàm sibi Africa decreta esset: concedente collega, moderato viro & prudenti: qui gloriæ eius certamen cum Scipione præterquam quod iniquum esset, etiam impar futurum cernebat. Q. Minutius Thermus & M. Acilius Glabrio tribuni plebis rem priore anno nequicquam tentatam ab T. Claudio consule Cn. Cornelium tentare aiebāt. ex authoritate patrum latum ad populum esse, cuius vellent imperium in Africa esse. omnes v. & x x x. tribus P. Scipioni id imperiū decreuisse. Multis contentionibus & in senatu, & ad populum acta res, postremò eò deducta est, vt senatui permitterent. Patres igitur iurati (ita conuenerat) censuerunt vti consules prouincias inter se compararent, sortirentúrve, vter Italiam, vter classem nauium quinquaginta haberet. cui classis obuenisset, in Siciliam nauigaret. si pax cum Carthaginiensibus componi nequisset, in Africam traiiceret: consul mari, Scipio eodem, quo adhuc, iure imperii terra rem gereret. si conditiones conuenirent pacis, tribuni plebis populum rogarent, vtrùm consulem, an P. Scipionem iuberent pacem dare: & quem, si deportandus exercitus victor ex Africa esset, deportare. si pacem per P. Scipionem dari, atque ab en-

Cereales ludi.

Supplicationes in triduū decretæ ob debellatam Africam.

De prouinciis decernēdis certamē.

Senatusconsultū de prouinciarum sortitione.

dem exercitum deportari iussissent, ne consul ex Sicilia in Africam traiiceret. alter consul, cui Italia A euenisset, duas legiones à Sextio prætore acciperet. P. Scipioni cum exercitibus, quos haberet, in prouincia Africa prorogatum imperium. Prætori M. Valerio Falconi duæ legiones in Bruttiis, quibus C. Liuius priore anno præfuerat, decretæ. P. Aelius prætor duas legiones in Sicilia ab Cn. Tremellio acciperet. Legio vna M. Fabio in Sardiniam, quam P. Lentulus proprætor habuisset, decernitur. M. Seruilio prioris anni consuli cum suis duabus item legionibus in Hetruria prorogatum imperium est. Quod ad Hispanias attineret, aliquot iam annos ibi L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum esse. vt ii consules cum tribunis agerent, si eis videretur, vt plebem rogarent, cui iuberent in Hispania imperium esse. is ex duobus exercitibus in vnam legionem conscriberet Romanos milites, & in x v cohortes socios Latini nominis, quibus prouinciam obtineret. veteres milites L. Cornelius, & L. Manlius in Italiam deportareot. Cornelio cõsuli quinquaginta nauium classis ex duabus classibus, Cn. Octauii, quæ io Africa esset, P. Villii, quæ Siciliæ oram tuebatur, decreta: vt quas oaues vellet, deligeret. Scipio quinquaginta longas naues haberet, quas habuisset. quibus si Cn. Octauiũ, sicut præfuisset, præesse vellet, Octauio proprætori in eum annũ imperiũ esset: si Lælium præficeret, Octauius Romam decederet. reduceretq; naues, quibus proconsuli vsus nõ esset. Et M. Fabio in Sardiniam decem longæ naues decretæ. Et consules duas legiones vrbanas scribere iussi, vt quatuordecim legionibus eo anno, centum nauibus longis Respublica administraretur. Tum de legatis Philippi, & Carthaginiensium actum. priores Macedones introduci placuit. quorum varia oratio fuit: partim purgantium, quæ questi erant missi ad regem à Roma legati de populatione sociorum: partim vltro accusantium quidem & socios populi Romani, sed multo infestius M. Aurelium: quem ex tribus ad se missis legatis delectu habito substitisse, & se bello lacessisse contra fœdus, & sæpe cum præfectis suis signis collatis pugnasse: partim postulantium, vt Macedones, dúxque eorũ Sopater, qui apud Annibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Aduersus ea M. Furius, missus ad idipsum ab Aurelio ex Macedonia, disseruit. Aurelium relictum, ne socii populi Romani fessi populationibus, atque iniuria ad regem deficerent, finibus sociorum non excessisse. dedisse operam, ne impunè in agros eorum transcenderent populatores. Sopatrom ex purpuratis & propinquis regis esse: eum cum quatuor millibus. Macedonum & pecunia missum nuper in Africam esse, Annibali Carthaginiensibúsque auxilio. De his rebus interrogati Macedones cùm perplexè respõderent, ipsi antè responsum tulerunt: Bellum quærere regem, & si pergat, propediem inuenturum. dupliciter ab eo fœdus violatum: & quòd sociis populi Romani iniurias fecerit, bello armísque lacessiuerit: & quòd hostes auxilii & pecunia iuuerit. & P. Scipionem rectè atq; ordine videri fecisse, & facere, quòd eos qui arma contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat. & M. Aurelium è Republica facere, gratúmque id senatui esse, quòd socios populi Romani quando iure fœderis non posset, armis tueatur. Cum hoc tam tristi respõsõ dimissis Macedonibus legati Carthaginienses vocati. quorum ætatibus dignitatibúsque conspectis (nam longè primi ciuitatis erant) tuoi pro se quisque dicere, verè de pace agi. Insignis tamen inter cæteros Asdrubal erat (Hædum populares cognomine appellabant) pacis semper author, aduersúsque factioni Barchinæ. eo tum plus illi authoritatis fuit, belli culpam in paucorum cupiditatem à Republica transferenti. Qui cùm varia oratione vsus esset, nunc purgando crimina, nunc quædam fatendo, ne impudenter certa negãtibus difficilior venia esset: nunc monendo etiam patres conscriptos, vt rebus secundis modestè ac moderatè vterentur: Si se atque Hannonem audiissent Carthaginienses, & tempore vti voluissent, daturos fuisse pacis conditiones, quas tunc peterent. Rarò simul hominibus bonam fortunam, bonámque mentem dari. populum Romanum eo inuictum esse, quòd in secundis rebus sapere, & consulere meminerit. & hercule mirandum fuisse, si aliter facerent. ex insolentia, quibus noua bona fortuna sit, impotentes lætitiæ insanire: populo Romano vsitata, ac propè iam obsoleta ex victoria gaudia esse: ac plus penè parcendo victis, quàm vincendo imperium auxisse. Cæterorum miserabilior oratio fuit, commemorantium, ex quantis opibus quò recidissent Carthaginiensium res. nihil eis qui modò orbem propè terrarum obtinuissent armis, superesse, præter Carthaginis mœnia. iis inclusos non terra, non mari quicquam sui iuris cernere. vrbem quoque ipsam, ac penates ita habituros, si non in ea quoque, quo nihil vlterius sit, sæuire populus Romanus velit. Cùm flecti misericordia patres appareret, senatorũ vnum infestum perfidiæ Carthaginiensium succlamasse ferunt: per quos deos fœdus icturi essent, cùm eos, per quos antè ictum esset, fefellissent? Per eosdem, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus. Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul, cui classis prouincia erat, senatusconsultũ intercessit. Tum M. Attilius & Q. Minutius tribuni plebis ad populum tulerunt: vellent, iuberéntne senatum decernere, vt cum Carthaginiẽsibus pax fieret? & quem eam pacem dare, quémque ex Africa exercitus deportare iuberent? De pace vti rogatæ omnes tribus erant, iusserunt pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Ex hac rogatione senatus decreuit, vt P. Scipio ex x legatorũ sententia pacẽ cum populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Gratias deinde patribus egere Carthaginienses: petierúntq;, vt sibi in vrbem introire, & colloqui cum ciuibus suis liceret, qui capti in publica custodia essent, esse in iis partim propinquos, amicósq; suos, nobiles homines, partim ad quos mandata à propinquis haberent. Quibus cõuentis cùm rursus peterẽt, vt sibi quos vellent ex iis redimendi potestas fieret, iussi nomina edere. & cum c c fermè ederent, S C. factũ est, vt legati Romani ducẽtos ex captiuis, quos Carthaginienses vellent, ad P. Corneliũ Scipionẽ in Africam deportarent: nuntiarẽntq; ei, vt si pax cõuenisset, sine pretio eos Carthaginiensibus redderet. Fœciales cùm in Africam B

Macedones legati in senatum introducti.

Carthaginiẽses legati in senatũ vocati.

P. Scipionẽ dare pacem, & exercitus deportare iubent omnes tribus.

Fœciales in Africam ad fœdus feriẽdũ, ire iussi.

A Africam ad fœdus feriendum ire iuberētur, ipsis postulantibus Senatusconsultū in hæc verba factum est. Vt priuos lapides silices, priuásq; verbenas secū ferrent: vti prætor Romanus his imperaret, vt fœdus ferirent, illi prætorem sagmina poscerēt. Herbæ id genus ex arce sumptū dari fœcialibus solet. Ita dimissi ab Roma Carthaginienses, cum in Africam venissent ad Scipionem, quibus antè dictum est legibus pacem fecerunt. Naues longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum quatuor milia tradiderunt. inter quos Q. Terentius Culleo senator fuit. Naues prouectas in altum incendi iussit. Quingentas fuisse omnis generis, quæ remis agerentur, quidam tradunt. quarum conspectum repentè incendium tam lugubre fuisse Pœnis, quàm si ipsa Carthago arderet. De perfugis grauius, quàm de fugitiuis cōsultum. nominis Latini qui erant, securi percussi. Romani in crucem sublati. Annis ante XL pax cum Carthaginiensibus postremò facta erat, Q. Luctatio, A. Manlio consulibus bellum initum annis pòst tribus & XX, P. Cornelio T. Sempronio cōsulibus. Finitum est, octauodecimo anno Cn. Cornelio, P. Aelio Pæto consulibus Sæpe postea ferunt Scipionem dixisse: T. Claudii primum cupiditatem, deinde Cn. Cornelii fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret. Carthaginiensibus cùm prima collatio pecuniæ diutino bello exhaustis difficilis videretur, mœstitiáque & fletus in curia esset, ridentem Annibalem ferunt conspectum. cuius cùm Asdrubal Hædus risum increparet in publico fletu cùm ipse lacrymarum causa esset: Si quemadmodum oris habitus cernitur oculis, inquit, sic & animus intus cerni posset, facilè vobis appareret, nō læti, sed propè amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. qui tamen nequaquam adeò intempestiuus, quàm vestræ istæ absurdæ atque abhorrētes lacrymæ sunt. tunc flesse decuit, cum adempta nobis arma, incensæ naues, interdictum externis bellis. illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna ciuitas diu quiescere potest. si foris hostem non habet, domi inuenit: vt præualida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat. Itaque cum spolia victæ Carthagini detrahebantur, cum inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit. nūc quia tributum ex priuato cōferendum est, tanquam in publico funere comploratis. quàm vereor, ne propediem sentiatis leuissimo in malo vos hodie lacrymasse. Hæc Annibal apud Carthaginienses. Scipio concione aduocata Masanissam ad regnum paternum Cirtha oppido, & cæteris vrbibus agrísque, quæ ex regno Syphacis in populo Romano potestatem venissent, adiectis donauit. Cn. Octauium classem in Siciliam ductam Cn. Cornelio consuli tradere iussit. legatos Carthaginiensium Romam proficisci, vt quæ ab se ex decem legatorum sententia acta essent, ea patrum authoritate, populíque iussu confirmarentur. Pace terra maríque parta

B exercitu in naues imposito, in Siciliam Lilybæum traiecit. inde magna parte militum in nauibus missa, ipse per lætam pace non minus quàm victoria Italiam, effusis non vrbibus modò ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam peruenit, triumphóque omnium clarissimo vrbem est inuectus. Argenti tulit in ærarium † pondo centum millia XXXIII militi ex præda † quadragenos æris diuisit. Morte subtractus spectaculo magis hominum, quàm triumphantis gloriæ Syphax est. Tybure haud ita multò ante mortuus, quò ab Alba traductus fuerat. conspecta mors tamen eius fuit, quia publico funere est elatus. Hunc regem in triumpho ductum Polybius haudquaquam spernendus author tradit. Secutus Scipionem triumphantē est pileo capiti impositoQ. Terentius Culleo, omníque deinde vita, vt dignum erat, libertatis authorem coluit. Africanum cognomen, militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit: an sicuti Felicis Syllæ, Magníque Pompeii patrum memoria cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus: exemplo deinde huius nequaquam victoria pares insignes imaginum titulos, claráque cognomina familiæ fecēre.

Pax inter Romanos et Carthaginienses.

Pœnis in curia flentibus Annibal risisse fertur.

Scipio Romam reuersus triumphat.

†*Valent* 1230000 *coron.*

†*Aliàs quadringenos, qui faciunt coronatos* 4.

Scipio primus imperator nomine victæ ab se gentis nobilitatur.

DECADIS TERTIAE FINIS.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA DECADIS QVARTAE

LIBER PRIMVS

BELLI aduersus Philippum Macedoniæ regem, quod intermissum erat, repetiti causæ feruntur hæ. Tempore initiorum duo iuuenes Acarnânes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, & in sacrarium Cereris cum alijs pluribus suis intrauerunt. ob hoc tanquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnânes mortibus suorum commoti, ad uindicandum illos auxilium à Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam, quingentesimo quadragesimo anno ab urbe condita, cùm Atheniensium, qui obsidebantur à Philippo, legati auxilium à senatu petissent, & senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor grauis erat, dissentiente, tenuit authoritas patrum, ut sociæ ciuitati ferri opem populus quoque iuberet. Bellum id P. Sulpitio consuli mandatum est, qui exercitu in Macedoniam ducto, equestribus prælijs cum Philippo prospere pugnauit. Abydeni à Philippo obsessi ad exemplum Saguntinorum, suos seque occiderunt. L. Furius prætor Gallos Insubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum bellum in ea parte molientem acie uicit. Amilcar eo in bello occisus est, & millia hominum XXXV. Præterea expeditiones Philippi regis, & Sulpitij consulis, expugnationésque urbium ab utroque factas continet. Sulpicius Cos. adiuuantibus rege Attalo, & Rhodijs, bellum gerebat. Triumphauit de Gallis L. Furius prætor.



E quoque iuuat, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerim, ad finem
belli Punici peruenisse. nam etsi profiteri ausum, perscripturum res o-
mneis Romanas, in partibus singulis tanti operis fatigari minimè con-
uenit: tamen cùm in mentem venit, tres & LX annos (tot enim sunt à
primo Punico ad secundum bellum finitum) æquè multa volumina oc-
Anni ab urbe condita. cupasse mihi, quàm occuparint quadringenti LXXXVIII anni à con-
dita vrbe ad Appium Claudium consulem, qui primus bellum Cartha-
giniensibus intulit, iam prouideo animo, velut qui proximis litori va-
dis inducti mare pedibus ingrediuntur: quicquid progredior, in vastio-
Macedonici belli causæ. rem me altitudinem, ac velut profundum inuehi, & crescere penè opus,
quod prima quæque perficiendo minui videbatur. Pacem Punicam bel
lum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum
robore: claritate regum antiquorum, vetustæque fama gentis, & magnitudine imperii, quo multa
quondam Europæ, maiorem partem Asiæ obtinuerant armis, propè nobilius. Cæterum cœptum bel-
lum aduersus Philippum decem fermè antè annis, triennio prius depositum erat, cùm Aetoli & bel-
li & pacis fuissent causæ. vacuos deinde pace Punica iam Romanos, & infensos Philippo, cùm ob in-
fidam aduersus Aetolos, aliósque regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper
in Africam missa Annibali, Pœnísque, preces Atheniensium, quos agro peruastato in vrbem compu-
2. lerat, excitauerunt ad renouandum bellum. Sub idem ferè tempus & ab Attalo rege, & Rhodiis legati
venerunt, nuntiantes, Asiæ quoque ciuitates solicitari. His legationibus responsum est: curæ Asia-
nam rem senatui fore. Consultatio de Macedonico bello integra ad COSS. qui tunc in prælio cum
Romani legati ad Ptolemæum Aegypti regē. Boiis erant, reiecta est. Interim ad Ptolemæum Aegypti regem legati tres missi, C. Claudius Nero,
M. Aemylius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus: vt & annuntiarent victum Annibalem, Pœnós-
que: & gratias agerent regi, quòd in rebus dubiis, cùm finitimi etiam socii Romanos desererent, in
fide mansisset: & peterent, vt si coacti iniuriis bellum aduersus Philippum suscepissent, pristinum ani-
mum erga populum Romanum conseruaret. Eodem ferè tempore P. Aelius COS. in Gallia, cùm au-
disset à Boiis ante suum aduentum incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subita-
riis tumultus eius causa scriptis, additísque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium
præfectum sociûm hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum
Boiorum inuadere iussit. ipse eodem aperto itinere per montes duxit. Appius ingressus hostium fines
primò populationes satis prosperè, ac tutò fecit. delecto deinde ad castrum Mutilum satis idoneo lo-
co ad demetenda frumenta (iam enim maturæ erant segetes) profectus neque explorato circà, nec
Appius sociūm præfectus a Gallis cæditur. stationibus satis firmis, que armatæ inermes, atque operi intentos tutarentur, positis, improuiso im-
petu Gallorum cum frumentatoribus est circumuentus. inde pauor fugáque etiam armatos cepit. ad
septem millia hominum palata per segetes sunt cæsa: inter quos ipse C. Appius præfectus. cæteri in
castra metu compulsi, inde sine certo duce consensu militari proxima nocte, relicta magna parte re-
rum suarum, ad consulem per saltus propè inuios peruenêre. qui, nisi quòd populatus est Boiorum
fines, & cum Ingaunis Liguribus fœdus icit, nihil, quod esset memorabile, aliud in prouincia
3. *De bello aduersus Philippum ad senatum refertur.* cùm gessisset, Romam rediit. Cùm primum senatum habuit, vniuersis postulantibus, ne quam
prius rem quàm de Philippo sociorúmque querelis ageret, relatum extemplò est: decreuítque
frequens senatus, vt P. Aelius COS. quem videretur ei, cum imperio mitteret, qui classe accepta,
quam ex Sicilia Cn. Octauius reduceret, in Macedoniam traiiceret. M. Valerius Leuinus pro
prætor missus, circa Vibonem duodequadraginta nauibus ab Cn. Octauio acceptis in Mace-
doniam transmisit. ad quem cùm M. Aurelius legatus venisset, edocuissetque eum quantos exer-
citus,

A citus, quantum nauium numerum comparasset rex: & quemadmodum circa omnes non continentis modò vrbes, sed etiam insulas, partim ipse adeundo, partim per legatos conciret homines ad arma: maiore conatu Romanis id capessendum bellum esse, ne cunctantibus iis auderet Philippus, quod Pyrrhus prius ausus ex aliquanto minore regno esset: hæc eadem scribere Aurelium consulibus & senatui placuit. Exitu huius anni cùm de agris veterum militum relatum esset, qui ductu atque auspicio proconsulis Scipionis in Africa bellum perfecissent: decreuerunt patres, vt M. Iunius prætor vrbis si ei videretur, decemuiros agro Samniti Apulóque, quod eius publicum populi Romani esset, metiendo diuidendóque crearet. Creati P. Seruilius, Q. Cæcilius Metellus, Cn. & M. Seruilii (Geminis ambobus cognomen erat) L. & A. Hostilii Catones, P. Villius Tappulus, M. Fuluius Flaccus, P. Aelius Pætus, Q. Flaminius. Per eos dies P. Aelio consulum comitia habente, creati c o s s. P. Sulpitius Galba, C. Aurelius Cotta. Prætores exinde facti, Q. Minutius Rufus, L. Furius Purpurio, Q. Fuluius Gillo, Cn. Sergius Plancus. Ludi Romani scenici eo anno magnificè apparatéque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio, biduum instaurati sunt. frumentíque vini ingentem, quod ex Africa proconsul Scipio miserat, quaternis æris populo cum summa fide & gratia diuiserunt. Et plebeii ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minutio Rufo: qui ex ædilitate prætor creatus erat. & Iouis epulum fuit ludorum causa. 4.

Decemuiri creantur, ut veteranis Scipionis militibus agrum metirentur, ac diuiderēt. Ludi scenici.

5\. Anno quingentesimo quadragesimo quarto ab vrbe condita, P. Sulpitio Galba, C. Aurelio c o s s. bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, P. Sulpitius c o s. retulit: senatúsque decreuit, vti c o s s. maioribus hostiis rem diuinam facerent, quibus diis ipsis videretur, cum precatione ea. Quam rem senatus populúsque Romanus de Republica, déque ineundo nouo bello in animo haberet: ea res vti populo Romano, sociisque, ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret. secundum rem diuinam, precationémque, vt de Republica, déque prouinciis senatum consulerent. Per eos dies opportunè irritandis ad bellum animis & literæ à M. Aurelio legato, & M. Valerio Leuino proprætore allatæ: & Atheniensium noua legatio venit, quæ regem appropinquare finibus suis nuntiaret: breuíque non agros modò, sed vrbem etiam in ditione eius futuram, nisi quid in Romanis auxilii foret. Cum pronuntiassent c o s s. rem diuinam ritè perfectam esse, & precationi annuisse deos, aruspices respondêre: lætáque exta fuisse, & prolationem finium, victoriámque, & triumphum portendi: tum literæ Valerii, Aureliíque lectæ, & legati Atheniensium auditi. Senatus inde consultum factum est: vt sociis gratiæ agerentur, quòd diu sollicitati, ne obsidionis quidem metu fide decessissent. de auxilio mittendo tum respondere, placere, cùm consules prouincias

Anni ab urbe condita.

Atheniensiū legati ad Senatum.

B sortiti essent: atque is c o s. cui Macedonia prouincia euenisset, ad populum tulisset, vt Philippo regi Macedonum indiceretur bellum. P. Sulpitio prouincia Macedonia sorte euenit, ísque rogationem promulgauit: vellent, iuberent Philippo regi Macedonibúsque, qui sub regno eius essent, ob iniurias, armáque illata sociis populi Romani bellum indici? Alteri consuli Aurelio Italia prouincia obtigit. Prætores exinde sortiti sunt: Cn. Sergius Plancus vrbanam, Q. Fuluius Gillo Siciliam: Q. Minutius Rufus Brutios, L. Furius Purpurio Galliam. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus fermè centuriis antiquata est. id cum fessi diuturnitate & grauitate belli sua sponte homines tædio laborum, periculorúmque fecerant, tum Q. Bebius tribunus plebis viam antiquam criminandi patres ingressus, incusauerat bella ex bellis seri, ne pace vnquam frui plebs posset. Ægrè eam rem passi patres, laceratúsque probris in senatu tribunus plebis, & consulem pro se quisque hortari, vt de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, castigarétque segnitiem populi: atque doceret quanto damno, dedecoríque dilatio ea belli futura esset. Consul in campo Martio comitiis habitis, priusquam centurias in suffragium mitteret concione aduocata, Ignorare, inquit, videmini mihi Quirites, non vtrum bellum an pacem habeatis, vos consuli: (neque enim liberum id vobis permittet Philippus, qui terra marique ingens bellum molitur) sed vtrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiatis. hoc quantum intersit, si vnquam antè aliàs, Punico certè proximo bello experti estis. Quis enim dubitat: quin, si Saguntinis obsessis fidémque nostram implorantibus impigrè tulissemus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant: totum in Hispaniam auersuri bellum fuerimus, quod cunctando cum summa clade nostra in Italiam accepimus? Ne illud quidem dubium est, quin hunc ipsum Philippum pactum iam per legatos, literásque cum Annibale in Italiam traiicere, misso cum classe Leuino, qui vltro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus. & quod tunc fecimus, cùm hostem Annibalem in Italia haberemus: id nunc pulso Italia Annibale, victis Carthaginiensibus, cunctamur facere? Patiamur expugnandis Athenis, sicut Sagunto expugnando Annibalem passi sumus, segnitiem nostram experiri regem: non quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die, quàm ab Corintho soluerit naues, in Italiam perueniet. Ne æquaueritis Annibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas. Pyrrho certè æquabitis: dico quantum vel vir viro, vel gens genti præstat. Minima accessio semper Epirus regno Macedoniæ fuit, & hodie est. Peloponnesum totam in ditione Philippus habet, Argósque ipsos, non vetere fama magis, quàm morte Pyrrhi nobilitatos. nostra nunc compara. quanto magis florentem Italiam, quanto magis integras res, saluis ducibus, saluis tot exercitibus, quos Punicum postea bellum absumpsit: aggressus Pyrrhus tamen concussit, & victor propè ad ipsam vrbem Romam venit. nec Tarentini modò, oráque illa Italiæ, quam maiorem Græciam vocant, vt linguam, vt nomen secutos crederes: sed Lucanus, & Brutius, & Samnis à nobis defecerunt.

Ad populū tulit Sulpitius Cos. de bello Macedonico. 6.

Rogationē de bello Macedonico antiquarunt omnes fermè centuriæ.

7\.

Sulpitij cōs. ad populum oratio de bello Macedonico.

defecerunt.hæc vos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura aut mansura in fide creditis? man- A
serunt enim Punico postea bello. nunquam isti populi, nisi cùm deerit ad quem desciscant, à nobis
non deficient. Si piguisset vos in Africam traiicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginienses
hostes haberetis. Macedonia potius, quàm Italia bellum habeat: hostium vrbes agríque ferro atque
igni vastentur. experti iam sumus foris nobis, quàm domi feliciora, potentioráque arma esse. Ite in
suffragium bene iuuantibus diis: & quæ patres censuerunt, vos iubete. Huius vobis sententiæ non
consul modò author est, sed etiam dii immortales, qui mihi sacrificanti precantíque, vt hoc bellum
mihi, senatui, vobísque & sociis ac nomini Latino, classibus exercitibúsque nostris bene ac feliciter
Populus bellum aduersus Philippū iubet.
8. eueniret: læta omnia, prosperáque portendêre. Ab hac oratione in suffragium missi, vti rogarat bel-
lum iusserunt. Supplicatio inde à c o s s. in triduum ex Senatus consulto indicta est, obsecratíque cir-
ca omnia puluinaria dii, quod bellum cum Philippo populus iussisset, id bene ac feliciter eueniret.
consultíque fœciales ab cos. Sulpitio, bellum quod indiceretur regi Philippo, vtrum ipsi vtique nun-
tiari iuberent: an satis esset, in finibus regni quod proximum præsidium esset, eò nuntiari. fœciales
decreuerunt, vtrum eorum fecisset, rectè facturum. Consuli à patribus permissum, vt quem videre-
tur ex iis, qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Tum de exerciti-
bus consulum, prætorúmque actum. consules binas legiones scribere iussi: veteres dimittere exer-
De exercituum delectu, & prouinciarū sortitione.
citus. Sulpitio, cui nouum, ac magni nominis bellum decretum erat, permissum: vt de exercitu,
quem proconsul Scipio ex Africa deportasset, voluntarios quos posset, duceret: inuitum ne quem
militem veterem ducendi ius esset. Prætoribus L. Furio Purpurioni, & Q. Minutio Rufo quina millia
sociûm Latini nominis consul daret: quibus præsidiis alter Galliam, alter Brutios prouinciam obti-
neret. Q. Fuluius Gillo & ipse iussus ex eo exercitu, quem P. Aelius c o s. habuisset: vt quisque mini-
mè multa stipendia haberet, legere donec & ipse quinque millia sociûm ac nominis Latini effecisset:
id præsidio Siciliæ prouinciæ esset. M. Valerio Falconi, qui prætor priore anno Campaniam prouin-
ciam habuerat: prorogatum in annum imperium est, vti proprætor in Sardiniam traiiceret: quódque
de exercitu, qui ibi esset, quinque millia sociûm nominis Latini, qui eorum minimè multa stipendia
haberet, legeret. Et consules duas vrbanas legiones scribere iussi: quæ si quò res posceret, multis in
Italia contactis gentibus Punici belli societate, iráque inde tumentibus, mitterentur. Sex legionibus
Legati Ptolomæi ad Pop. Rom.
9. Romanis eo anno vsura Respublica erat. In ipso apparatu belli legati ab rege Ptolomæo venerunt, qui
nuntiarunt, Athenienses aduersus Philippum petisse ab rege auxilium. cæterùm etsi communes socii
sint: tamen nisi ex authoritate populi Romani, neque classem, neque exercitum defendendi aut op-
pugnandi cuiusquam causa regem in Græciam missurum esse. vel quieturum eum in regno, si populo
Romano socios defendere liceat: vel Romanos quiescere, si malint, passurum: atque ipsum auxilia, B
quæ facilè aduersus Philippum tueri Athenas possent, missurum. Gratiæ regi ab senatu actæ, respon-
sumque: tutari socios populo Romano in animo esse, si qua re ad bellum opus sit: indicaturos regi. re-
gníque eius opes scire subsidia firma ac fidelia suæ Reipublicæ esse. Munera deinde legatis in singulos
† Valent 50 coron.
† quinûm millium æris ex Senatus consulto missa. Cùm delectum consules haberent, pararéntque quæ
ad bellum opus essent: ciuitas religiosa, in principiis maximè nouorum bellorum, supplicationibus
Romanorū in votis suscipiendis religio.
habitis iam, & obsecratione circa omnia puluinaria facta, ne quid prætermitteretur, quod aliquádo fa-
ctum esset: ludos Ioui, donúmque vouere consulem, cui prouincia Macedonia euenisset, iussit. Mo-
ram voto publico Licinius pontifex maximus attulit, qui negauit ex incerta pecunia vouere debere.
si ea pecunia non posset in bellum vsui esse, reponi statim debere, nec cum alia pecunia misceri. quod
nisi factum esset, votum ritè solui non posse. Quanquam & res, & author mouebat: tamen ad colle-
gium pontificum referre consul iussus, si posset rectè votum incertæ pecuniæ suscipi. posse, rectiúsque
etiam esse pontifices decreuerunt. Vouit in eadem verba c o s. præeunte maximo pontifice, quibus
antea quinquennalia vota suscipi solita erant: præterquam quod tanta pecunia, quantum tum, cùm
solueretur, senatus censuisset, ludos donáque facturum vouit. toties ante ludi magni de certa pecu-
10. nia voti erant: ii primi de incerta. Omnium animis in bellum Macedonicum versis, repente nihil
Gallici tumultus.
minus eo tempore timentibus, Gallici tumultus fama exorta est. Insubres, Cenomaníque, & Boii,
Placentia direpta.
excitis Sallyis, Iluatibúsque, & cæteris Liguſticis populis, Amilcare Pœno duce, qui in iis locis de
Asdrubalis exercitu substiterat: Placentiam inuaserunt, & direpta vrbe, ac per iram magna ex par-
Cremona oppugnata.
te incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinásque relictis, traiecto Pado ad Cremo-
nam diripiendam pergunt. Vicinæ vrbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas por-
tas, præsidiáque per muros disponenda: vt obsiderentur tamen prius quàm expugnarentur, nun-
tiósque mitterent ad populum Romanum. L. Furius Purpurio, tum prouinciæ præerat, cætero ex Se-
natus consulto exercitu dimisso, præter quinque millia sociûm ac Latini nominis, cum iis copiis in
proxima regione prouinciæ circa Ariminum substiterat. is tum senatui scripsit, quo in tumultu pro-
uincia esset. duarum coloniarum, quæ ingentem illam tempestatem Punici belli subterfugissent, al-
teram captam ac direptam ab hostibus, alteram oppugnari. nec in exercitu suo satis præsidii colonis
laborantibus fore, nisi quinque millia sociûm x l millibus hostium (tot enim in armis esse) trucidan-
da obiicere velit, & tanta sua clade iam inflatos excidio coloniæ Romanæ augeri hostium animos.
11. His literis recitatis decreuerunt, vt C. Aurelius c o s. exercitum cui in Hetruriam ad conuenien-
dum diem edixerat, Arimini eadem die adesse iuberet, & aut ipse, si per commodum Reipublicæ
posset, ad opprimendum Gallicum tumultum proficisceretur: aut L. Furio prætori scriberet, vt cùm
ad eum legiones ex Hetruria venissent, missis inuicem earum quinq; millibus sociorum, qui interim
Hetruriæ

A Hetruriæ præsidio essent, proficisceretur ipse ad coloniam liberandam obsidione. Legatos item mit-
tendos in Africam censuerunt, eosdem Carthaginem, eosdem in Numidiam ad Masanissam. Car-
thaginem, vt nunciarent, ciuem eorum Amilcarem relictum in Gallia, haud satis scire ex Asdruba-
lis prius, an ex Magonis postea exercitu, bellum contra fœdus facere. exercitus Gallorum, Ligu-
rúmque exciuisse ad arma contra populum Romanum. eum si pax placeret, reuocandum illis, & de-
dendum populo Romano esse, simul nuntiare iussi, perfugas sibi non omnes redditos esse, magnam
partem eorum palàm Carthagini obuersari dici, quos comprehendi conquiríque debere, vt sibi ex
fœdere restituantur. Hæc ad Carthaginienses mandata. Masanissæ gratulari iussi, quòd non patrium
modò recuperasset regnum, sed parte florentissima Syphacis finium adiecta etiam auxisset. Nuntia-
re præterea iussi, bellum cum rege Philippo susceptum, quòd Carthaginienses auxiliis iuuisset, in-
iuriásque inferendo sociis populi Romani, flagrante bello Italia coëgisset classes exercitúsque in Græ-
ciam mitti, & distinendo copias causa in primis fuisset serius in Africam traiiciendi. peterent, vt ad
id bellum mitteret auxilia Numidarum equitum. Dona ampla data, quæ ferrēt regi, vasa aurea argen-
teáque, toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sella. ius-
sique polliceri, si quid ei ad firmandum augendúmque regnum opus esse iudicasset, enixè id popu-
lum Romanum merito eius præstaturum. Verminæ quoque Syphacis filii legati per eos dies sena-
tum adierunt, excusantes errorem adolescentiámque, & culpam omnem in fraudem Carthaginien-
sium auertentes. Et Masanissam Romanis ex hoste amicum factum: Verminam quoque annixurum,
ne officiis in populum Romanum aut à Masanissa, aut ab vllo alio vincatur. peteret vt rex, sociúsque, &
amicus ab senatu appellaretur. Responsum legatis est: & patrem eius Syphacem sine causa ex socio
& amico hostem repentè populi Romani factum: & eum ipsum rudimentum adolescentiæ bello la-
cessentem Romanos posuisse. itaque pacem illi prius petendam à populo Romano esse, quàm vt rex,
sociúsque & amicus appelletur. nominis eius honorem pro magnis erga se regum meritis dare po-
pulum Romanum consuesse, legatos Romanos in Africa fore: quibus mandaturum senatum, vt Ver-
minæ pacis dent leges: liberum arbitrium eis populo Romano permittente. si quid ad eas addi, de-
mi, mutarive vellet, rursus ab senatu ei postulandum fore. Legati cum iis mandatis in Africam mis-
si, C. Terentius Varro, Sp. Lucretius, Cn. Octauius. quinqueremes singulis datæ. Literæ deinde in
senatu recitatæ sunt Q. Minutii prætoris, cui Brutii prouincia erat: pecuniam Locris ex Proserpinæ 12.
thesauris nocte clàm sublatam: nec ad quos pertineat facinus, vestigia vlla extare. Indignè passus Sena-
tus nō cessari ab sacrilegiis: & ne Pleminium quidem, tam clarum recensque noxæ simul ac pœnæ ex-
emplum, homines deterrere. C. Aurelio consuli negotium datum, vt ad prætorem in Brutios scribe-
B ret: senatui placere, quæstionem de expilatis thesauris eodem exemplo haberi, quo M. Pomponius
prætor triennio antè habuisset. que inuenta pecunia esset, reponi. si quo minus inuentum foret, exple-
ri: ac piacularia, si videretur, sicut antè pontifices censuissent, fieri causa expiandæ violationis eius
templi. Prodigia etiam sub idem tempus pluribus locis nuntiata acciderunt. In Lucanis cælum ar-
sisse afferebant. Priuerni sereno per diem totum rubrum solem fuisse: Lanuuii templo Sospitæ Iuno
nis nocte strepitum ingentem exortum. iam animalium obscœni fœtus pluribus locis nuntiabantur,
in Sabinis incertus infans natus, masculus an fœmina esset. alter sexdecim iam annorum item ambi-
guo sexu inuentus. Frusinone agnus cum suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano natus: in
Lucanis in agro publico equuleus cum quinque pedibus. Fœda omnia & deformia, errantísque in
alienos fœtus naturæ visa. ante omnia abominati semimares, iussíque in mare exemplò deportari: si-
cut proximè C. Claudio, M. Liuio C O S S. deportatus similis prodigii fœtus erat. nihilominus de-
cemuiros adire libros de portento eo iusserunt. decemuiri ex libris res diuinas easdem, quæ proxi-
mè secundum id prodigium factæ essent, imperarunt. carmen præterea ab ter nouenis virginibus
cani per vrbem iusserunt, donúmque Iunoni reginæ ferri. Ea vti fierent, C. Aurelius C O S. ex decem-
uirorum responso curauit. carmen sicut patrum memoria Liuius, ita tum condidit P. Licinius Tegu-
la. Expiatis omnibus religionibus (nam etiam Locris sacrilegium peruestigatum à Q. Minutio erat, 13.
pecuniáque ex bonis noxiorum in thesauris reposita) cùm consules in prouincias proficisci vellent:
priuati frequentes, quibus ex pecunia, quàm M. Valerio & M. Claudio C O S S. mutuam dederant,
tertia pensio debebatur eo anno, adierunt senatum: quia consules, cùm ad nouum bellum, quod
magna classe magnísque exercitibus gerendum esset, vix ærarium sufficeret: negauerant esse, vnde
iis in præsentia solueretur. Senatus querentes eos non sustinuit: si in Punicum bellum pecunia data,
in Macedonicum quoq; bellum vti Respublica vellet: aliis ex aliis orientibus bellis, quid aliud quàm
publicam pro beneficio tanquam ob noxam suam pecuniam fore? Cùm & priuati æquum postula-
rent: nec tamen soluendo ære alieno Respublica esset, quod medium inter æquum & vtile erat, de-
creuerunt: vt, quoniam magna pars eorum agros vulgo venales esse diceret, & sibimet emptis opus
esse, agri publici, qui intra quinquagesimum lapidem esset, copia iis fieret. consules agrum æstima-
turos, & in iugera asses vectigales, testandi causa publicum agrum esse impositituros, vt si quis, cùm
soluere posset populus, pecuniam habere quàm agrum mallet, restitueret agrum populo. Læti eam
conditionem priuati accepere. Trientius, Tabuliúsque is ager, quia pro tertia parte pecuniæ datus
erat, appellatus. Tum P. Sulpitius secundum vota in Capitolio nuncupata paludatus cum lictoribus 14.
profectus ab vrbe, Brundusium venit, & veteribus militibus voluntariis ex Africano exercitu in le-
giones descriptis, nauibúsque ex classe consulis Cornelii lectis: altera die, quàm à Brundusio soluit,
in Macedoniam traiecit. ibi ei præstò fuere Atheniensium legati, orantes, vt se obsidione exime-
ret.

Romani legatos in Africam mittunt ad Carthaginienses & Masanissā.

Verminæ Syphacis filij ad Senatum Ro. legati.

Ex Proserpinæ thesauris pecunia clàm sublata.

Prodigia.

Androgini in mare deportabatur.

Expiantur prodigia.

Ager Trientius.

Sulpitius cōsul in Macedoniam traiicit.

ret. Missus extemplò Athenas est C. Claudius Cento cum x x longis nauibus, & militum copiis. neque enim ipse rex Athenas obsidebat. eo maximè tempore Abydum oppugnabat, iam com Rhodiis & Attalo nauatibus certaminibus, neutro feliciter prælio vires expertus. sed animos ei faciebat præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho Syriæ rege: diuisæque iam cum eo Aegypti opes, cui morte audita Ptolemæi regis ambo imminebant. Contraxerant autem cum Philippo bellum Athenienses haudquaquam digna causa: dum ex vetere fortuna nihil præter animos seruant. Acarnânes duo iuoenes per initiorum dies non initiati, templum Cereris imprudentes religionis cum cætera turba ingressi sunt. facilè eos sermo prodidit, absurdè quædam percunctantes: deductique ad antistites templi, cùm palàm esset per errorem ingressos, tanqoam ob infandum scelus iotersecti sunt. Id tam fœdè atque hostiliter factum gens Acarnanum ad Philippum detulit: impetrauitque ab eo, vt datis Macedonum auxiliis, bellum se inferre Atheniensibus pateretur. Hic exercitus primò terram Atticam ferro igníque depopulatus, cum omnis generis præda in Acarnaniam rediit. & iritatio animorum ea prima fuit: postea iustum bellum decretis ciuitatis vltro indicendo factum.

Philippus.

Causa belli Atheniensium cum Philippo.

Attalus rex Piræeum traiecit.

Attalus enim rex, Rhodiique secuti sedentem in Macedoniam Philippum, cùm Aeginam venissent: rex Piræeum, renouandæ firmandæque cum Atheniensibus societatis causa traiecit. Ciuitas omnis obuiam effusa cum coniugibus ac liberis, sacerdotes cum insignibus suis intrantem vrbem, ac dii

15. propè ipsi exciti sedibus suis exceperunt. In concionem extemplò populus vocatus, vt rex quæ vellet, coràm ageret: deinde ex dignitate magis visum, scribere eum, de quibus videretur: quàm præsentem aut referendis suis io ciuitate beneficiis erubescere: aut significationibus acclamationibúsque multitudinis, assentatione immodica pudorem onerantis. In literis autem, quæ missæ in conciooem, recitatæque sunt, commemoratio erat beneficiorum primùm in ciuitatem suam: deinde rerum, quas aduersus Philippum gessisset: ad postremum adhortatio. capessendum bellum, dum se, dum Rhodios, tum quidem dum etiam Romanos haberent. nequicquam postea, si tum cessassent, prætermissam occasionem quæsituros. Rhodii deinde legati auditi sunt, quorum recens erat beneficium, quòd naues longas quatuor Atheniensium captas nuper à Macedonibus, recuperatásque remiserant. Itaque ingenti consensu bellum aduersus Philippum decretum. Honores regi primùm Attalo immodici, deinde & Rhodiis habiti: tum primùm mentio illata de tribu, quam Attalida appellarent, ad decem veteres tribus addenda. & Rhodiorum populus corona aurea virtutis ergò donatus, ciuitásque Rhodiis data: quemadmodum Rhodii prius Atheniensibus dederant. Secundum hæc rex Attalus Aeginam ad classem se recepit. Rhodii Ceam ab Aegina, inde per insulas Rhodum nauigarunt, omnibus, præter Andrum, Parúmque, & Cythnum, quæ præsidiis Macedonum tenebantur, in societatem acceptis. Attalum Aeginæ missi io Aetoliam nuntii, expectatíque inde legati aliquandiu nihil agentem tenuere. & neque illos excire ad arma potuit, gaudentes vtcunque composita cum Philippo pace: & ipse, Rhodiique, cùm, si institissent Philippo, egregium liberatæ per se Græciæ titulum habere potuissent: patieodo rursus, eum in Hellespootum traiicere, occupantémque Græciæ opportuna loca vires colligere, bellum aluere: gloriámque eius gesti, perfectíque Romanis

Attalo honores immodici ab Atheniensibus habiti.

Attalus solicitat Aetolos ad defectionem.

16. concesserunt. Philippus magis regio animo est vsus: qui cùm Attalum Rhodiósque hostes non sustinuisset, ne Romano quidem quod imminebat, bello territus, Philocle quodam ex præfectis suis cum duobus millibus peditum, equitibus ducentis ad populandos Atheniensium agros misso, classe tradita Heraclidi, vt Maroneam peteret: ipse terra eódem cum expeditis duobus millibus peditum, equitibus ducentis pergit. & Maroneam quidem primo impetu expugnauit. Aenum inde cum magno labore, postremò per proditionem Ganymedis præfecti Ptolemæi cepit. deinceps alia castella, Cypsela, & Doriscon, & Serrheum occupat. inde progressus ad Chersonesum, Eleunta & Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recipit. Callipolis quoque & Madytos dedita, & castella quædam ignobilia. Abydeni ne legatis qnidem admissis, regi portas clauserunt. ea oppugnatio diu Philippum tenuit. eripique ex obsidione, ni cessatum ab Attalo & Rhodiis foret, potuerunt. Attalus trecentos tantum milites in præsidium, Rhodii quadriremem vnam ex classe, cùm ad Teoedum staret, miserunt. eódem postea cùm iam vix sustinerent obsidionem, & ipse Attalus cùm traiecisset, spem

Abydenos oppugnat Philippus.

17. tantum auxilii ex propinquo ostendit, neque terra neque mari adiutis sociis. Abydeni primò tormentis per muros dispositis, non terra modò adeuntes aditu arcebant. sed nauium qnoque stationem infestam hosti faciebant. postea cùm & muri pars strata ruinis, & ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis iam peruentum esset: legatos ad regem de conditionibus tradendæ vrbis miserunt. Paciscebantur autem, vt Rhodiam quadriremem cum sociis naualibus, Attalíque præsidium emitti liceret: atque ipsis vrbe excedere, cum singulis vestimentis. quibus cùm Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus respondisset: adeò renuntiata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, vt ad Saguntinam rabiem versi, matronas omnes in templo Dianæ, pueros ingenuos virginésqoe, infantes etiam cum suis nutricibus in gymnasium includi iuberent: aurum & argentum in forum deferri, vestem pretiosam in naues, Rhodiam Cyzicenámque, quæ in portu erant, coniici: sacerdotes victimásque adduci, & altaria in medio poni. ibi delecti primùm, qui vbi cæsam aciem sοorum pro diruto muro pugnantem vidissent, extemplò coniuges liberósque interficerent: aurum, argentum, vestémque quæ in oauibus esset, in mare deiicerent: tectis publicis, priuatísque quamplurimis locis possent, ignes subiicerent: & se facinus perpetraturos, præeuntibus execrabile carmen sacerdotibus, iureiurando adacti. tum militaris ætas iurare, neminem viuum, nisi victorem, acie excessurum. Hi memores deorum adeò pertinaciter pugnauerunt, vt

Abydeni Saguntinorum exemplo se suosque occiderant.

cùm

A cùm nox prælium diremptura esset, rex prior territus rabie eorum, pugna abstiterit. Principes quibus atrocior pars facinoris delegata erat: cum paucos & confectos vulneribus ac lassitudine superesse prælio cernerent, luce prima sacerdotes cum infulis ad vrbem dedendam Philippo mittunt. 18.
Ante deditionem ex iis legatis Romanis, qui Alexandriam missi erant, M. Aemylius duorum consensu, minimus natu, audita obsidione Abydenorum ad Philippum venit. qui questus Attalo, Rhodiísque arma illata, & quòd tum maximè Abydum oppugnaret: cùm rex ab Attalo & Rhodiis vltro se bello lacessitum diceret: Num Abydeni quoque, inquit, vltro tibi intulerunt arma? Insueto vera audire ferocior oratio visa est, quàm quæ habenda apud regem esset. Aetas, inquit, & forma, & super omnia Romanum nomen te ferociorem facit. ego autem primùm velim vos fœderum memores seruare mecum pacem. si bello lacessitis, mihi quoque in animo est facere, vt regnum Macedonum noménque, haud minus quàm Romanum, nobile bello sentiatis. Ita dimisso legato Philippus auro argentóque, quæ coaceruata erant, accepto, hominum prædam omnem amisit. tanta enim rabies multitudinem inuasit, vt repentè proditos rati, qui pugnantes mortem occubuissent: periuriúmque aliis alii exprobrantes, & sacerdotibus maximè, qui quos ad mortem deuouissent, eorum deditionem viuorum hosti fecissent: repentè omnes ad cædem coniugum liberorúmq; discurrerent, séque ipsi per omnes vias lethi interficerent. Obstupefactus eo furore rex suppressit impetum militum: & triduum se ad moriendum Abydenis dare dixit: quo spatio plura facinora in se victi ediderunt, quàm infesti edidissent victores. nec nisi quem vincula, aut alia necessitas mori prohibuit, quisquam viuus in potestatem venit. Philippus imposito Abydi præsidio, in regnum rediit. Cùm velut Sagunti excidium Annibali, sic Philippo Abydenorum clades ad Romanum bellum animos fecisset, nuntii occurrerunt, consulem iam in Epiro esse, & Apolloniam terrestres copias, nauales Corcyram in hyberna deduxisse.

M. Aemylius legatus ad Philippum.

Abydenorũ interitum.

Inter hæc legatis, qui in Africam missi erant de Amilcare Gallici exercitus duce, responsum à Carthaginiensibus est: nihil vltrà se facere posse, quàm vt exilio eum mulctarent, bonáque eius publicarent. 19.
perfugas & fugitiuos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse. & de ea re missuros legatos Romam, qui senatui satisfacerent. Ducenta millia modiûm tritici Romam, ducenta ad exercitum in Macedoniam miserunt. Inde in Numidiam ad reges profecti legati. dona data Masanissæ, mandatáque edita. Equites M Numidæ, cùm MM daret, accepti. ipse in naues imponendos curauit: & cum ducentis millibus modiûm tritici, ducentis hordei, in Macedoniam misit. Tertia legatio ad Verminam erat. Is ad primos fines regni legatis obuiam progressus, vt scriberent ipsi quas vellent pacis conditiones permisit. omnem pacem bonam iustámque fore sibi cum populo Romano. datæ leges pacis, iussúsque ad eam confirmandam mittere legatos Romam.

Vermina Syphacis filius pacis conditiones accepit.

B Per idem tempus L. Cornelius Lentulus proconsul ex Hispania rediit, qui cùm in senatu res ab se per multos annnos fortiter felicitérque gestas exposuisset, postulassétque vt triumphanti sibi inuehi liceret in vrbem, res triumpho dignas esse censebat senatus: sed exemplum à maioribus non accepisse: vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet. proconsulem illum Hispaniam prouinciam, non consulem, aut prætorem obtinuisse. decurrebatur tamen eò, vt ouans vrbem iniret: intercedente T. Sempronio Longo tribuno plebis qui nihilo magis id more maiorum, aut vllo exemplo futurum diceret. postremò victus consensu patrum tribunus cessit: & ex S C L. Lentulus ouans vrbem est ingressus. Argenti tulit ex præda † quadragintaquatuor millia pondo: †auri duo milia quadringenta L. militibus ex præda † centum X X asses diuisit. 20.

† Valent 440000 coron.

† Valent 274400 coron.

† Val. Coron. unũ & quintam eius partem.

Iam exercitus consularis ab Arretio Ariminum traductus erat, & quinque millia sociûm Latini nominis ex Gallia in Hetruriam transierant. itaque L. Furius magnis itineribus ab Arimino aduersus Gallos Cremonam tum obsidentes profectus, castra mille quingentorum passuum interuallo ab hoste posuit. Occasio egregiè rei gerendæ fuit, si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset. palati passim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio. lassitudini militum timuit, quòd raptim ductum agmen erat. Galli clamore suorum ex agris reuocati, omissa præda, quæ in manibus erat, castra repetiuere. & postero die in aciem progressi, nec Romanus moram pugnandi fecit. sed vix spatium instruendi fuit, eo cursu hostes in prælium venerunt. Dextera ala (in alas diuisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est, in subsidiis duæ Romanæ legiones. M. Furius dextræ alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius Flaccus (legati omnes erant) præpositi. Prætor secum duos legatos, Cn. Lectorium, & P. Titinium habebat, cum quibus circunspicere, & obire ad omneis hostium subitos conatus posset. Primò Galli omni multitudine in vnum locum connixi, obruere atque obterere sese dextram alam, que prima erat, sperarunt posse. vbi id parum procedebat, circumuenire à cornibus & amplecti hostium aciem, quòd multitudini aduersus paucos facilè videbatur, conati sunt. Id vbi vidit prætor, vt & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis dextra læuáque alæ quæ in prima acie pugnabat, circundat: ædémque deo Ioui vouit, si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, vt altera parte duarum legiorum equites, altera sociorum equitatum in cornua hostium emittat, nec circumuenire eos aciem patiatur. simul & ipse, vt extenuatam mediam diductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites, & perrumpere ordines iubet. & cornua ab equitibus, & medii à pedite pulsi, ac repentè, cùm omni parte cæde ingenti sternerentur: Galli terga vertunt, fugáque effusa repetunt castra. fugientes persecutus eques, mox & legiones insecutæ in castra impetum fecerunt. Minus sex millia hominum inde effugerunt. cæsa & capta supra quinque & X X X millia cum signis militaribus L X X, carpentis Gallicis multa præda oneratis plus ducentis. Amilcar dux Pœnus eo prælio cecidit, & tres imperatores nobiles Gallorum. Placentini captiui ad duo millia 21.

Galli Romanos ad Cremonam bello lacessunt.

Galli terga vertunt.

Amilcar occisus.

22. *Supplicatio in triduum decreta.* millia liberorum capitum redditi colonis. Magna victoria, lætáque Romæ fuit literis allatis, supplicatio in triduum decreta est. Romanorum, sociorúmque ad duo millia eo prælio ceciderunt, plurimi dexteræ alæ, in quam primo impetu vis ingens hostium illata est. Quanquam à prætore propè debellatum erat, consul quoque C. Aurelius perfectis quæ Romæ agenda fuerant: profectus in Galliam, victorem exercitum à prætore accepit. Consul alter, cùm autumno fermè exacto in prouinciam venisset, circa Apolloniam hybernabat. ab classe, quæ Corcyræ subducta erat, C. Claudius, triremésque Romanæ (sicut antè dictum est) Athenas missæ cum Pyræum peruenissent, despondentibus iam animos sociis spem ingentem attulerant. nam & terrestres ab Corintho, quæ per Megaram incursiones in agros fieri solitæ erant, non fiebant, & prædonum à Chalcide naues, quæ non mare solùm in festum, sed etiam omnes maritimos agros Atheniensibus fecerant, non modò Sunium superare, sed nec extra fretum Euripi committere aperto mari se audebant. Superuenerunt his tres Rhodiæ quadriremes, & erant Atticæ tres apertæ naues ad tuendos maritimos agros comparatæ. Hac classe si vrbs agrísque Atheniensium defenderentur, satis in præsentia existimanti Claudio esse, maioris etiam rei

23. fortuna oblata est. Exules ab Chalcide regiorum iniuriis pulsi attulerunt, occupari Chalcidem sine certamine vllo posse. nam & Macedonas, quia nullus in propinquo sit hostium metus, vagari passim, & oppidanos præsidio Macedonum fretos, custodiam vrbis negligere. His authoribus profectus, quanquam Sunium ita maturè peruenerat, vt inde prouehi ad primas angustias Euboæ posset: ne superato promontorio conspiceretur, classem in statione vsque ad noctem tenuit. primis tenebris

Chalcis à Romanis capta & direpta. mouit: & tranquillo profectus Chalcidem paulo ante lucem, quà infrequentissima vrbis sunt: paucis militibus turrim proximam, murúmque circà scalis cepit: alibi sopitis custodibus, alibi nullo custodiente. progressi inde ad frequentia ædificiis loca, custodibus interfectis, refractáque porta, cæteram multitudinem armatorum acceperunt. inde in totam vrbem discursum est: aucto etiam tumultu, quòd circa forum ignis tectis iniectus erat. conflagrarunt & horrea regia, & armamentarium cum ingenti apparatu machinarum, tormentorúmque. cædes inde passim fugientium pariter ac repugnantium fieri cœpta est. nec vllo iam, qui militaris ætatis esset, non aut cæso, aut fugato: Sopatro etiam Acarnâne præfecto præsidii interfecto, præda omnis primo in forum collata, deinde in naues imposita. carcer etiam ab Rhodiis refractus: emissísque captiui, quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat, statuis inde regis deiectis, truncatísque, signo receptui dato, conscenderunt naues: & Piræum, vnde profecti erant, redierunt. Quòd si tantum militum Romanorum fuisset, vt & Chalcis teneri, & non deseri præsidium Athenarum potuisset: magna res principio statim belli,

24. *Euripus.* Chalcis & Euripus adempta regi forent. nam vt terra Thermopylarum angustiæ Græciam, ita mari fretum Euripi claudit. Demetriade tum Philippus erat. quò cum esset nuntiata clades sociæ vrbis, B quanquam serum auxilium perditis erat, tamen quæ proxima auxilio est, vltionem petens, cum expeditis quinque millibus peditum. & CCC equitibus extemplò profectus, cursu prope Chalcidem contendit, haudquaquam dubius opprimi Romanos posse. à qua destitutus spe, nec quicquam aliud, quàm ad deforme spectaculum semirutæ ac fumantis sociæ vrbis cùm venisset: paucis vix qui sepelirent bello absumptos, relictis, æquè raptim ac venerat, transgressus ponte Euripum, per Bœotiam Athenas ducit, pari incepto haud disparem euentum ratus responsurum. & respondisset, ni specula-

Hemerodromi. tor (hemerodromos vocant Græci, ingens die vno cursu emetientes spatium) contemplatus regium agmen è specula quadam, prægressus nocte media Athenas peruenisset. idem ibi somnus, eademque negligentia erat: quæ Chalcidem dies ante paucos prodiderat. Excitati nuntio trepido & prætor Atheniensium, & Dioxippus præfectus cohortis mercede militantium auxiliorum, conuocatis

Philippus Athenas oppugnat. in forum militibus, tuba signum ex arce dari iubent, vt hostes adesse omnes scirent. ita vndique ad portas, ad muros discurrunt. Paucas post horas Philippus, aliquanto tamen ante lucem appropinquans vrbi, conspectis luminibus crebris, & fremitu hominum trepidantium (vt in tali tumultu) exaudito, sustinuit signa: & considere, ac conquiescere agmen iussit, vi aperta propalàm vsurus: quando parum dolus profuerat, ad Dipylon accessit. Porta ea, velut in ore vrbis posita, maior aliquantò patentiórque, quàm cæteræ, est: & intra eam extráque latæ sunt viæ, vt & oppidani dirigere aciem à foro ad portam possent: & extrà limes mille fermè passus in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitíque hostium liberum spatium præberet. Eo limite Athenienses cum Attali præsidio, & cohorte Dioxippi, acie intra portam instructa, signa extulerunt. Quod vbi Philippus vidit, habere se hostes in potestate ratus, & diu optata cæde (neque enim vlli Græcarum ciuitatum infestior erat) expleturum, cohortatus milites, vt se intuentes pugnarent, sciréntque ibi signa, ibi aciem esse debere, vbi rex esset, concitat in hostes equum, non ira tantum, sed etiam gloria elatus, quòd ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem egregium ducebat. Aliquantum ante aciem cum equitibus paucis euectus in medios hostes, ingentem cùm suis ardorem, tum pauorem hostibus iniecit. plurimos manu sua comminus eminúsque vulneratos, compulsósque in portam consecutus & ipse, cùm maiorem in angustiis trepidantium edidisset cædem, in temerario incepto tutum tamen receptum habuit: quia qui in turribus portæ erant, sustinebant tela, ne in permistos hostibus suos coniicerent. intra muros deindè tenentibus milites Atheniensibus, Philippus signo rece-

Cynosarges. ptui dato, castra ad Cynosarges (templum Herculis, gymnasiúmque & lucus erat circumiectus) po-

Philippus Athenis re infecta discessit. suit. sed & Cynosarges, & Lyceum, & quicquid sancti amœnive circa vrbem erat, incensum est: dirutáque non tecta solùm, sed etiam sepulchra: nec diuini humaníve iuris quicquam præ impotenti

25. ira est seruatum. Postero die cùm primò clausæ fuissent portæ, deinde subitò apertæ: quia præsidium

Attali

A Attali ab Aegina, Romanísque ab Piræeo intrauerant vrbem,castra ab vrbe retulit rex tria fermè millia passuum.inde Eleusinem profectus,spe improuiso templi castellíque,quod & imminet & circundatum est templo,capiendi,cùm haudquaquam neglectas custodias animaduertisset,& classem à Pyræeo subsidio venire:omisso incepto,Megarã,ac protinus Corinthũ ducit.& cũ Argis Achæorum concilium esse audisset,inopinantibus Achæis,concioni ipsi superuenit. Consultabant de bello aduersus Nabin tyrannum Lacedæmoniorum.qui translato imperio à Philopœmene ad Cycliaden, nequaquam parem illi ducem,dilapsa cernẽs Achæorum auxilia,redintegrauerat bellum,agrósque finitimorum vastabat,& iam vrbibus quoque erat terribilis.Aduersus hunc hostẽ cùm quantum ex quaque ciuitatum militum conscriberetur consultarent,Philippus dempturum se eis curam,quod ad Nabin & Lacedæmonios attineret,pollicitus:nec tantum agros sociorum populationibus prohibiturum,sed terrorem omnem belli in ipsam Laconicam,ducto eò extemplò exercitu,translaturum.hæc oratio cùm ingenti hominum assensu acciperetur,ita tamen æquum est,inquit,me vestra meis armis tutari,ne mea interim nudentur præsidiis.itaque si vobis videtur,tantum parate militũ, quantum ad Oreum,& Chalcidem,& Corinthũ tuenda satis sint:vt meis ab tergo tutis,securus bellũ Nabidi inferam & Lacedæmoniis.Non fefellit Achæos,quò spectasset tam benigna pollicitatio,auxiliúmque oblatum aduersus Lacedæmonios:id quæri,vt obsidem Achæorum iuuẽtutem educeret ex Peloponneso ad illigandam Romano bello gentem.& id quidem coarguere Cycliades prætor Achæorum nihil attinere ratus,id modò cũ dixisset,non licere legibus Achæorum de aliis rebus referre,quàm propter quas cõuocati essent,decreto de exercitu parando aduersus Nabin facto,concilium fortiter ac liberè habitũ dimisit,inter assentatores regios ante eam diem habitus. Philippus magna spe depulsus,voluntariis paucis militibus conscriptis,Corinthum,atque in Atticam terram rediit.Per eos ipsos dies,quibus Philippus in Achaia fuit,Philocles præfectus regius ex Eubœa profectus cum duobus millibus Thracum Macedonúmque ad depopulandos Atheniensium fines,è regione Eleusinis saltum Cithæronis transcendit.inde dimidia parte militum ad prædandum passim per agros dimissa,cum parte ipse occultus loco ad insidias opportuno consedit,vt si ex castello ab Eleusine in prædantes suos impetus fieret,repentè hostes effusos ex improuiso adoriretur. Non fefellere insidiæ.itaque reuocatis,qui discurrerant ad prædandum, militibus,instructísque,ad oppugnandum castellum Eleusinem profectus,cum multis inde vulneribus recessit, Philippóque se venienti ex Achaia cõiunxit.Tentata & ab ipso rege oppugnatio eius castelli est.sed naues Romanæ à Piræeo veniẽtes,intromissúmque præsidium,absistere incepto coegerunt. Diuiso deinde exercitu rex cum parte Philoclem Athenas mittit,cum parte ipse Piræeum pergit,vt dum Philocles subeun-
B do muros,& comminanda oppugnatione contineret vrbe Athenienses,ipsi Piræeum leui cum præsidio relictum expugnandi facultas esset.Cæterùm nihilo ei Piræei,quàm Eleusinis facilior,iisdem ferè defendentibus,oppugnatio fuit.A Piræeo Athenas repentè duxit.inde eruptione subita peditum equitúmque inter angustias semiruti muri,qui brachiis duobus Piræeum Athenis iungit,repulsus: omissa oppugnatione vrbis,diuiso cum Philocle rursus exercitu,ad vastãdos agros profectus,cùm priorem populationem sepulchris circa vrbem diruendis exercuisset,ne quid inuiolatum relinqueret,templa deûm,quæ pagatim sacrata habebant,dirui atque incendi iussit.Exornata eo genere operum eximiè terra Attica,& copia domestici marmoris,& ingeniis artificũ præbuit huic furori materiam.neque enim diruere modò ipsa tẽpla,ac simulachra euertere satis habuit,sed lapides quoque ne integri cumularent ruinas,frangi iussit. & posteaquam non tam ira satiata,quàm iræ exercendæ materia hæc deerat,agro hostium in Bœotiam excessit,nec aliud quicqnam dignum memoria in Græcia egit.Consul Sulpitius eo tempore inter Apolloniam ac Dyrrhachium ad Apsum flumen habebat castra.quò accersitum T.Apustium legatum cum parte copiarum ad depopulandos hostium fines mittit.Apustius extrema Macedoniæ populatus,Corrhago,& Gerrhunio,& Orgesso castellis primo impetu captis,ad Antipatriam,in faucibus angustis sitam vrbem,venit:ac primo euocatos principes ad colloquium,vt fidei Romanorum se committerent,perlicere est conatus:deinde vbi magnitudine ac mœnibus,sitúque vrbis freti dicta aspernabantur,vi atque armis adortus expugnauit:puberibúsque interfectis,præda omni militibus concessa,diruit muros,atque vrbem incendit. Hic metus Codrionem,satis validum & munitum oppidum,sine certamine vt dederetur Romanis, effecit.præsidio ibi relicto, Ilion(nomen propter alteram in Asia vrbem,quàm oppidum,notius) vi capitur.Reuertentem legatum ad Cos.cum satis magna præda,Athenagoras quidam regius præfectus in transitu fluminis à nouissimo agmine adortus,postremos turbauit.ad quorum clamorem,& trepidationem cum reuectus equo properè legatus signa conuertisset,coniectísque in medium sarcinis,aciem direxisset,non tulere impetum Romanorum militum regii. multi ex iis occisi,plures capti.Legatus incolumi exercitu reducto ad Cos.remittitur inde extemplò ad classem.Hac satis felici expeditione bello cõmisso,reguli ac principes accolæ Macedonum in castra Romana veniunt, Pleuratus Scerdileti filius,& Aminander Athamanũ rex,& ex Dardanis Bato,Longari filius.Bellũ suo nomine Longarus cum Demetrio Philippi patre gesserat.Pollicentibus auxilia respondit Cos. Dardanorum,& Pleurati opera,cùm exercitum in Macedoniam induceret,se vsurum. Aminandro Aetolos concitandos ad bellum attribuit.Attali legatis(nam ii quoque per id tempus venerant)...iã dat,vt Aeginæ rex,vbi hybernabat,classem Romanam operiretur:qua adiuncta,bello maritimo,sicut antè,Philippum vrgeret.Ad Rhodios quoque missi legati,vt capesserent partem belli.Nec Philippus segnius(iam enim in Macedoniam peruenerat)apparabat bellum.filiũ Persea,puerum admo-

Achæi consultant de bello aduersus Nabin Lacedæmoniorum regem.

Achæos tentat Philippus illigare Romano bello.

Philocles Philippi præfectus Atheniensium fines populatur.

Philippus Piræeũ, Philocles Athenas oppugnat.

Philippus Atheniensiũ agros vastat templáque diruit.

Apustius Sulpitij consulis legatus Macedoniæ fines populatur.

Principes accolæ Macedonum deficiunt ad Romanos.

Philippus apparat bellum.

26. 27. 28.

dum, datis ex amicorum numero, qui ætatem eius regerent: cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quæ ad Pelagoniam sunt, mittit. Sciathum, & Peparethum, haud ignobiles vrbes, ne classi hostium prædæ ac præmio essent, diruit. Ad Aetolos mittit legatos, ne gens inquieta aduentu Romano- A

29. *Panætolii.* rum fidem mutaret. Concilium Aetolorum statuta die, quod Panætolium vocant, futurum erat. huic vt occurrerent, & legati regis iter accelerarunt, & ab Cos, missus L. Furius Purpurio legatus venit. Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt. Primi Macedones, cum quibus recentissimum fœdus erat, auditi sunt. qui nulla noua re nihil se noui habere, quod afferrent, dixerunt. quibus enim de causis, experta inutili societate Romana, pacem cum Philippo fecissent, compositam semel seruare eos debere.

Legatus Philippi ad Aetolos. An imitari, inquit vnus ex legatis, Romanorum licentiam, an leuitatem dicam, mauultis? qui cum legatis vestris Romæ responderi ita iussissent: quid ad nos venitis Aetoli, sine quorum authoritate pacem cum Philippo fecistis? iidem nũc, vt bellum secum aduersus Philippum geratis, postulant: & antea propter vos, & pro vobis arma sumpta aduersus eum simulabant: nunc vos in pace esse cum Philippo prohibent. Messanæ vt auxilio essent, primò in Siciliam conscenderunt: iterum, vt Syracusas oppressas ab Carthaginiensibus in libertatem eximerent. Et Messanam, & Syracusas, & totam Siciliam ipsi habent: vectigalémque prouinciam securibus & fascibus subiecerunt. Scilicet sicut vos Naupacti legibus vestris per magistratus à vobis creatos concilium habetis, socium hostémque libere, quem velitis, lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro: sic Siculorum ciuitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium. prætor Romanus conuentus agit: eo imperio euocati conueniunt: excelso in suggestu superba iura reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures ceruicibus imminent: & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur. Nec id mirari debent, aut possunt: cùm Italiæ vrbes, Rhegyum, Tarentum, Capuã, ne finitimas nominem, quarum ruinis creuit vrbs Roma, eiusdem subiectas videant imperio. Capua quidem sepulchrum ac monumentum Campani populi, elato & extorri eiecto ipso populo superest vrbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium, relicta crudelius habitanda quàm si delata foret. Furor est, si alienigenæ homines plus lingua & moribus & legibus, quàm maris terrarúmque spatio discreti, hæc tenuerint, sperare quicquã eodem statu mansurũ. Philippi regnum officere aliquid videtur libertati vestræ: qui cum merito vestro vobis infestus esset, & nihil à vobis vltra quàm pacem petiit, fidémque hodie pacis pactæ desiderat. Assuefacite iis terris legiones externas, & iugum accipite: serò ac nequicquam, cùm dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Aetolos, Acarnânas, Macedonas eiusdem linguæ homines, leues ad tempus ortæ causæ disiungunt, coniungúntque: cum alienigenis, cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum est, erítque. natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis, hostes sunt. sed vnde cœpit ora- B
tio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines de eiusdem Philippi pace triennio antè decreuistis, iisdem improbantibus eam pacem Romanis, qui nunc pactam & cõpositam turbare volunt.

30. in qua consultatione nihil fortunã mutauit: cur vos mutetis, non video. Secundum Macedonas, ipsis

Athenienses legati ad Aetolos. Romanis ita concedentibus iubentibúsque, Athenienses, qui fœda passi iustius in crudelitatem sæuitiámque regis inuehi poterant, introducti sunt. Deplorauerunt vastationem populationémque miserabilem agrorum. Neque id se queri, quòd hostilia ab hoste passi forent. esse enim quædam belli iura: quæ vt facere, ita pati sit fas. sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorúmque agi, misera magis, quàm indigna patienti esse. verumenimuero id se queri, quòd is qui Romanos alienigenas & barbaros vocet, adeò omnia simul diuina humanáque iura polluerit, vt priore populatione cum infernis diis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit: omnia sepulchra monumentáque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi: delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim habitantes in paruis illis castellis vicísque consecrata, ne in vnam vrbem quidem contributi maiores sui deserta reliquerint. circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes: semiusta & truncata simulachra deûm inter prostratos iacere postes tẽplorũ. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam, opulentámque: talem eum, si liceat, Aetoliam, Græciámque omnẽ facturum. Vrbis quoque suæ similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subuenissent. eodem enim scelere vrbem colentem hos deos, præsidémque arcis Mineruam petitam, eodem Eleusinæ Cereris templum, eodem Piræei Iouem Mineruámque. sed ab eorum non templis modò, sed etiam mœnibus vi atque armis repulsum, in ea delubra, quæ sola religione tuta fuerint, sæuisse. Itaque se orare atque obsecrare Aetolos, vt miserti Atheniensium, ducibus diis immortalibus, deinde Roma-

31. *Romanus legatus ad Aetolos.* nis, qui secundum deos plurimum possint, bellum susciperent. Tum Romanus legatus: Totam orationis meæ formam Macedones primùm, deinde Athenienses mutarunt. nam & Macedones, cùm ad conquerendas Philippi iniurias in tot socias nobis vrbes venissem: vltro accusando Romanos, defensionem vt accusatione potiorem haberem, effecerunt. & Athenienses in deos superos inferósque nefanda atque inhumana scelera eius referendo, quid mihi aut cuiquam reliquerunt, quod obiicere vltrà possim? Eadem Chios, Abydenos, Aeneos, Maronitas, Thasios, Parios, Samios, Larissenses, Messenios: hinc ex Achaia existimate queri grauiora etiam acerbioráque eos, quibus nocendi maiorem facultatem habuit. Nam quod ad ea attinet, quæ nobis obiecit: nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi non posse. Rhegyum, & Capuam, & Syracusas nobis obiecit. Rhegyum Pyrrhi bello legio à nobis, Rhegynis ipsis vt mitteremus orantibus, in præsidium missa, vrbem ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit. comprobauimus ergo id facinus? an bello persecuti sceleratam legionem in potestatem nostram redactam tergo & ceruicibus pœnas sociis pendere cùm

coegisse

A coegiſſemus,vrbem,agros,ſuáque omnia cum libertate,legibúſque Rhegynis reddidimus?Syracu-
ſanis oppreſsis ab externis tyrannis,quo indignius eſſet,cùm tuliſſemus opem,& fatigati propè per
triennium terra maríque vrbe munitiſsima oppugnāda eſſemus:cùm iam ipſi Syracuſani ſeruire ty-
rannis,quàm capi à nobis mallent:captam iiſdem armis,& liberatam vrbem reddidimus.neque in-
ficias imus,Siciliam prouinciam noſtram eſſe:& ciuitates quæ in parte Carthaginienſium fuerunt,
& vno animo cum illis aduerſus nos,bellum geſſerunt,ſtipendiarias nobis,ac vectigales eſſe.quin
contrà,hoc & vos & omnes gentes ſcire volumus,pro merito cuique erga nos fortunam eſſe. An
Campanorum pœnæ,de qua neque ipſi quidem queri poſſunt,nos pœniteat?Hi homines,cùm pro
iis bellum aduerſus Samnites per annos propè ſeptuaginta cū magnis noſtris cladibus geſsiſſemus:
ipſos fœdere primùm , deinde connubio,atque inde cognationibus , poſtremò ciuitate nobis con-
iunxiſſemus:tempore noſtro aduerſo primi omnium Italiæ populorum,præſidio noſtro fœdè inter-
fecto,ad Annibalem defecerunt:deinde indignati ſe obſideri à nobis, Annibalē ad oppugnandam
Romā miſerunt.Horum ſi neque vrbs ipſa,neque homo quiſquam ſupereſſet,quis durius quàm pro
merito ipſorum ſtatutum indignari poſſet?Plures ſibimet ipſi conſcientia ſcelerum mortem conſci-
uerunt,quàm à nobis ſupplicio affecti ſint.cæteris ita oppidum,ita agros ademimus,vt agrum lo-
cúmque ad habitandum daremus:vrbem innoxiam ſtare incolumē pateremur,vt qui hodie videat
eam,nullum oppugnatæ captæve ibi veſtigium inueniat.Sed quid ego Capuam dico? cùm Carthagi
ni victæ pacem ac libertatem dederimus?magis illud eſt periculum:ne nimis facilè victis ignoſcen-
do,plures ob idipſum ad experiendam aduerſus nos fortunā belli incitemus. Hæc pro nobis dicta
ſint,hæc aduerſus Philippum:cuius domeſtica parricidia,& cognatorum amicorúmque cædes,& li
bidinem inhumaniorem propè quàm crudelitatem,vos,quo propiores Macedoniæ eſtis,melius no-
ſtis.Quod ad vos attinet Aetoli,nos pro vobis bellum ſuſcepimus aduerſus Philippum:vos ſine no-
bis cū eo pacē feciſtis.& forſitā dicatis:bello Punico occupatis nobis,coactos metu vos leges pacis
ab eo qui tum plus poterat accepiſſe.& nos cū alia maiora vrgerēt,depoſitū à vobis bellū & ipſi omi
ſimus.Nūc & nos deûm benignitate Punico perfecto bello,totis viribus noſtris in Macedoniā incu
buimus:& vobis reſtituēdi vos in amicitiā ſocietatémque noſtrā fortuna oblata eſt:niſi perire cum
Philippo,quàm vincere cū Romanis mauultis. Hæc dicta ab Romano cùm eſſent,inclinatis omniū 32.
animis ad Romanos,Damocritus prætor Aetolorum,pecunia,vt fama eſt,ab rege accepta,nihil aut
huic aut illi parti aſſenſus,rem magni diſcriminis conſiliis nullam eſſe tam inimicam,quàm celerita-
tem,dixit.celerem enim pœnitentiam,ſed eandem ſeram atque inutilem ſequi:cùm præcipitata ra-
ptim conſilia neque reuocari,neque in integrū reſtitui poſsint.deliberationis autem eius,cuius ipſe
B maturitatem expectandam putaret,tempus ita iam nunc ſtatui poſſe,cùm legibus cautum eſſet,ne
de pace bellóve,niſi in Panætolico, & Pylaico concilio ageretur,decernerent extemplò,vt prætor
ſine fraude,cum de bello aut de pace agere velit,aduocet concilium,& quod tum referatur decer-
natúrque,vt perinde ius ratúmque ſit,ac ſi in Panætolico,aut Pylaico concilio actum eſſet. Dimiſsis
ita ſuſpenſa re legatis,egregiè conſultum genti aiebat.nam vtrius partis melior fortuna belli eſſet,ad
eius ſocietatem inclinaturos.Hæc in concilio Aetolorum acta.Philippus impigrè terra maríque pa- 33.
rabat bellum.nauales copias Demetriadem in Theſſalia contrahebat.Attalum,Romanámque claſ-
ſem principio veris ab Aegina ratus moturos : nauibus maritimæque oræ præfecit Heraclidam,
quem & antè præfecerat.ipſe terreſtreis copias comparabat,magna ſe duo auxilia detraxiſſe Roma
nis credens,ex vna parte Aetolos,ex altera Dardanos,faucibus ad Pelagoniam à filio Perſeo inter-
cluſis.Ab Coss.non parabatur,ſed gerebatur iam bellum,per Daſſaretiorum fines exercitum duce-
bat,frumentum quod ex hybernis extulerat,integrū vehens,quod in vſum militi ſatis eſſet,præben-
tibus agris.oppida vicíque partim voluntate,partim metu ſe trahebant.quædam vi expugnat:quæ-
dam deſerta,in montes propinquos refugientibus barbaris,inueniebantur.Ad Lingum ſtatiua po-
ſuit prope flumen Beuum,inde frumentatū circa horrea Daſſaretiorum mittebat. Philippus con-
ſternata quidem omnia circà,pauorémque ingentem hominum cernebat:ſed parum gnarus quam
partem petiſſet Cos. alam equitum ad explorandum, quónam hoſtes iter intendiſſent,miſit. Idem
error apud Cos.erat.mouiſſe ex hybernis regem ſciebat,quam regionem petiſſet ignorans.is quo-
que ſpeculatū miſerat equites.Hæ duæ alæ ex diuerſo,cùm diu incertis itineribus vagatæ per Daſſa-
retios eſſent,tandem in vnum iter conuenerunt.neutros fefellit,vt fremitus procul hominum equo-
rúmque exauditus eſt,hoſtes appropinquare.itaque prius quàm in conſpectum venirent,equos ar-
máque expedierāt.nec mora,vbi primùm hoſtem vidêre,concurrendi facta eſt.Fortè & numero,&
virtute,vtpote lecti vtrinque,haud impares,æquis viribus per aliquot horas pugnarunt,fatigatio
ipſorum equorúmque incerta victoria diremit prælium. Macedonum x l. equites , Romanorum
quinque & x x x ceciderunt.Neque eo magis explorati quicquam, in qua regione caſtra hoſtium
eſſent,aut illi ad regem,aut hi ad Cos.retulerunt.per transfugas cognitum eſt:quos leuitas ingenio-
rum ad cognoſcendas hoſtium res in omnibus bellis præbet. Philippus aliquid & ad charitatem 34.
ſuorum,& vt promptius pro eo periculum adirent,ratus profecturum ſe,ſi equitum,qui ceciderant
in expeditione,ſepeliendorum curam habuiſſet:afferri eos in caſtra iuſsit,vt conſpiceretur ab omni
bus funeris honos. Nihil tam incertum,nec tam ineſtimabile eſt , quàm animi multitudinis.quod
promptiores ad ſubeundam omnem dimicationem videbatur facturum, id metum pigritiámque
incuſsit.nam qui haſtis ſagittíſque,& rara lanceis vulnera facta vidiſſent,cum Græcis Illyriíſque pu-
gnare aſſueti:poſteaquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora brachiis abſciſis,aut tota ceruice

Damocriti prætoris Aetolorum ſententia.

Philippi in apparatu bellico diligentia.

Sulpitius Cos. Daſſaretiorum fines populatur.

Romanorū & Philippi exploratores manus conſerunt.

Macedonū pauor conſpectis ſuorū vulneribus.

A 2

dèsecta,diuisa à corpore capita,patentiáque viscera,& fœditatem aliam vulnerum viderunt:aduer- A
sus quæ tela,quósque viros pugnandum esset,pauidi vulgò cernebant.ipsum quoque regem terror
cepit,nondum iusto prælio cum Romanis congressum.itaque reuocato filio,præsidióque quod in
Pelagoniæ faucibus erat,vt iis copiis suas augeret,Pleurato Dardanísque iter in Macedoniam pate-
Philippi exercitus. fecit.Ipse cum x x millibus peditum,quatuor millibus equitum,ducibus transfugis ad hostem pro
fectus,paulo plus ducentis passibus à castris Romanis tumulum propinquum Athaco fossa vallo
communiuit:ac subiecta cernens Romana castra,admiratus esse dicitur,& vniuersam speciem ca-
strorum,& descripta suis quæque partibus,tum tendentium ordine,tum itinerum interuallis:& ne-
gasse barbarorum ea castra vlli videri posse.Biduum Cos.& rex,alter alterius conatus expectantes,
35. continere suos intra vallum.tertio die Romanus omneis copias in aciem eduxit.Rex verò tam ce-
lerem aleam vniuersi certaminis timens,quadringētos Tribalos(Illyricorum id,sicut alio diximus
Leuia quædam certamina inter Cos. & Philippum. loco,est genus)& Cretenses c c c. addito iis peditibus pari numero equitum cum duce Athenago-
ra,vno ex purpuratis,ad lacessendos hostium equites misit.Ab Romanis cùm aberat acies eorum
paulo plus quingentos passus,velites & equitum duæ fermè alæ emissæ:vt numero quoque eques pe
désque hostem æquarent.Credidere regii genus pugnæ,cui assueuerant,fore,vt equites inuicem inse
quentes refugientésque,nunc telis vterentur,nunc terga darent:Illyriorum velocitas ad excursio-
nes,& impetus subitos vsui esset:Cretenses in inuehentem se effuse hostem sagittas coniicerent. Tur
bauit hunc ordinem pugnādi non acrior,quàm pertinacior impetus Romanorum.nam haud secus,
quàm si tota acie dimicarent,& velites emissis hastis comminus gladiis rem gerebant:& equites vt
semel in hostem euecti sunt,stantibus equis partim ex ipsis equis,partim desiliētes immiscentésque
se peditibus pugnabant.ita nec eques regius equiti par erat,insuetus ad stabilem pugnam:nec pe-
des concursator,& vagus,& propè seminudus genere armorum veliti Romano parmam gladiúm-
36. que habenti,pariterque & ad se tuendum,& ad hostem petendum armato.non tulere itaque dimica-
tionem:nec alia re quàm velocitate tutantes se,in castra refugerunt.Vno deinde intermisso die,cùm
omnibus copiis equitum leuísque armaturæ pugnaturus rex esset,nocte cetratos,quos peltastas vo-
cant,loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat.præceperátque Athenagoræ & equiti-
bus , vt si aperto prælio procederet res,vterentur fortuna:si minus,cedendo sensim ad insidiarum
locum hostem pertraherent.& equitatus quidem cessit.duces cetratæ cohortis,non satis expectato
signo ante tempus excitatis suis,occasionem benè gerendæ rei amisere. Romanus & aperto præ-
lio victor,& tutus à fraude insidiarum in castra sese recepit.Postero die omnibus copiis Cos.in aciē
Nunc primùm elephātis in bello usi sunt Romani. descendit,ante prima signa locatis elephātis.quo auxilio tum primùm Romani,quia captos aliquot
bello Punico habebant,vsi sunt.vbi latentem intra vallum sensit,exprobrans metū successit. Postea- B
quam ne tum quidem potestas pugnandi dabatur,quia ex tam propinquis statiuis parum tuta fru-
mentatio erat,dispersos milites per agros equitibus extemplò inuasuris:octo fermè inde millia in-
teruallo tutiorem frumentationem habiturus,castra ad Octolophum(id est loco nomen)mouit.Cùm
in propinquo agro frumentarentur Romani,primò rex intra vallum suos tenuit,vt cresceret simul
& negligentia cum audacia hosti.vbi effusos vidit,cum omni equitatu,& Cretensium auxiliaribus,
quantum equitem velocissimi pedites cursu æquare poterant,citato profectus agmine, intra castra
Romana & frumentatores constituit signa.inde copiis diuisis,partem ad consectandos vagos fru-
mentatores emisit,dato signo ne quem viuum relinquerent:cum parte ipse substitit,itineráque,qui-
Philippus Romanos frumentatores intercipit. bus ad castra recursuri videbantur hostes,obsedit.Iam passim cædes ac fuga erat,nec dum quisquā
in castra Romana nuntius cladis peruenerat:quia refugientes in regiam stationē incidebant:& plu-
res ab obsidentibus vias,quàm ab emissis ad cædem interficiebantur.tandē inter medias hostium
stationes elapsi quidam trepidi tumultum magis,quàm certum nuntium intulerunt castris.Consul
37. equitibus iussis quà quisque posset,opem ferre laborantibus,ipse legiones è castris educit:& agmi-
ne quadrato ad hostem ducit.Dispersi equites per agros quidā aberrarunt,decepti clamoribus aliis
ex alio existentibus loco : pars obuios habuerunt hostes. pluribus locis simul pugna cœpit. Regia
statio atrocissimum prælium edebat.nam & ipsa multitudine equitū peditúmque propè iusta acies
erat:& Romanorum,quia medium obsederat iter,plurimi in eam inferebantur.Eò quoque superio-
res Macedones erant,quòd & rex ipse hortator aderat,& Cretensium auxiliares multos ex impro-
uiso vulnerabant,conferti præparatíque in dispersos & effusos pugnantes. Quod si modum in inse-
quendo habuissent,non in præsentis modò certaminis gloriam,sed in summā etiam belli profectum
foret.nunc auiditate cædis intemperantius insecuti,in prægressas cum tribunis militum cohortes
Romanas incidêre.& fugiens eques vt primò signa suorum vidit,cōuertit in effusum hostem equos,
versáque momento tēporis fortuna pugnæ est,terga dantibus qui modò secuti erant.multi commi-
nus congressi,multi fugientes interfecti:nec ferro tantùm periere,sed in paludes quidam coniecti
profundo limo cum ipsis equis hausti sunt.Rex quoque in periculo fuit.nā ruente saucio equo præ-
Philippus equo delapsus ferè capitur. ceps ad terram datus:haud multum abfuit quin iacens opprimeretur. saluti fuit eques,qui raptim
ipse desiluit,pauidúmque regem in equum subiecit.ipse cum pedes æquare cursu fugientes non pos-
set equites,ab hostibus ad casum regis concitatis confossus periit.Rex circūuectus paludes peruias
inuiásque trepida fuga,in castra tandem,iam desperantibus plerísque incolumē euasurum,peruenit.
Ducenti Macedonum equites eo prælio periere,centum fermè capti,L x x x.admodum ornati equi,
38. spoliis simul armorum relatis,abducti.Fuerunt,qui hoc die regem temeritatis,consulem segnitiæ
accusarent.nam & Philippo quiescendum fuisse,cum paucis diebus hostes exausto circà omni agro
ad vlti

A ad vltimum inopiæ venturos sciret:& consolem cùm equitatum hostium leuémque armaturam fu-
disset,ac propè regem ipsum cepisset,protinus ad castra hostium ducere debuisse.nec enim mansu-
ros ita perculsos hostes fuisse,debellaríque momento temporis potuisse. Id dictu,quàm re,vt plera-
que facilius.nam si omnibus peditum quoque copiis rex cōgressus fuisset,forsitan inter tumultum,
cum omnes victi metúque perculsi ex prælio intra vallum,protinus inde superuadentem munimen
ta victorem hostem fugerent,exui castris potuerit rex.cùm verò integræ copiæ peditum in castris
mansissent,stationes ante portas,præsidiáque disposita essent,quid,nisi vt temeritatem regis effusè
paulo antè secuti perculsos equites imitaretur,profecisset?neque enim ne regis quidē primum con-
silium,quo impetum in frumentatores palatos per agros fecit,reprehendendum foret,si modum
prosperæ pugnæ imposuisset. Eo quoque minus est mirum,tentasse eum fortunam : quòd fama erat,
Pleuratum,Dardanósque ingentibus copiis profectos domo iam in Macedoniam transcēdisse:qui-
bus si vndique circumuentus copiis foret,sedentem Romanum debellaturum credi poterat. Itaque
secundū duas aduersus equestreis pugnas multo minus tutam moram in iisdem statiuis fore Philip-
pus ratus,cùm abire inde,& fallere abiens hostem vellet,caduceatore sub occasum solis ad consulē
misso,qui inducias ad sepeliendos equites peteret,frustratus hostem secunda vigilia,multis ignibus
per tota castra relictis,silenti agmine abiit. Corpus iam curabat Cos.cùm venisse caduceatorem,& 39.
quid venisset,nuntiatum est. Responso tantū dato,mane postero die fore copiá conueniēdi,id quod
quæsitum erat,nox,diéique insequentis pars ad præcipiendum iter Philippo data est.montes,quam
viam non ingressurum graui agmine Romanum sciebat, petit. Cos. prima luce caduceatore datis
induciis dimisso,haud ita multo pòst abisse hostem cùm sensisset,ignarus quà sequeretur,iisdem sta-
tiuis frumentando dies aliquot consumpsit. Stuberam deinde petit,atque ex Pelagonia frumentum,

Philippus nocte silenti agmine discedit.

quod in agris erat,conuexit.inde ad Pluuinam est progressos,nondum comperto, quam regionem
hostes petissent. Philippus cùm primo ad Bruannam statiua habuisset,profectus inde transuersis li-
mitibus,terrorem præbuit subitum hosti.mouere itaque ex Pluuina Romani:& ad Osphagum flu-
men posuerunt castra. Rex haud procul inde & ipse vallo super ripam amnis ducto (Erigonum in-
colæ vocant) consedit.inde satis comperto Erduæam petituros Romanos,ad occupandas angu-
stias,ne superare hostes arctis faucibus inclusum aditum possent,præcessit.ibi alia vallo,alia fossa,
alia lapidum congerie,vt pro muro essent:alia arboribus obiectis,ita vt locus postulabat,aut mate-
ria suppeditabat,opere permuniit,atque(vt ipse rebatur)viam suapte natura difficilem,obiectis per
omnes transitus operibus inexpugnabilem fecit. Erant pleraque syluestria circà,incommoda pha-
langi maximè Macedonom:quæ,nisi vbi prælongis hastis velut vallum ante clypeos obiecit: (quod

Philippus occupat angustias,ne Erduæam peterent Romani.

B vt fiat,libero campo opus est)nullius admodum vsus est. Thracas quoque rompheæ,ingētis & ipsæ
longitudinis,inter obiectos vndique ramos impediebant. Cretensium vna cohors non inutilis erat:
sed ea quoque ipsa,vt si quis impetum faceret,in patentem vulneri equum,equitémque sagittas con-
iicere poterat:ita aduersus scuta Romana nec ad traiiciendum satis magnam vim habebat,nec aper
ti quicqoam erat quod peteret. Itaque id vt vanum teli genus senserunt esse , saxis passim tota valle
iacentibus incessabant hostem.ea maiore cum sonitu,quàm vulnere vllo,pulsatio scutorum.parum-
per succedentes Romanos tenuit. Deinde iis quoque spretis,partim testudine facta per aduersos va-
dunt hostes:partim breui circuitu cùm in iugum collis euasissent,trepidos ex prælidiis stationibús-
que Macedonas deturbāt:&,vt in locis impeditis difficili fuga,plerosque etiam obtruncant.ita an- 40.
gustiæ minore certamine,quàm quod animis proposuerant,superatæ:& in Erduæam peruentū,vbi
peruastatis passim agris,in Elimeam se recepit.inde impetum in Orestidem fecit:& oppidum Cele-
trum est aggressus,in peninsula situm. lacus mœnia cingit:angustis faucibus vnum ex continenti
iter est. Primo situ ipso freti,clausis portis imperium abnuere:deinde postquam signa ferri,ac testu-
dine succedi ad portam,obsessásque fauces agmine hostium viderunt,priusquam experirentur cer-
tamen,metu in deditionem venerunt. A b Celetro in Dassaretios processit:vrbémque Pelium vi ce-
pit.seruitia inde cum cætera præda abduxit,& libera capita sine pretio dimisit:oppidúmque iis red-
didit,præsidio valido imposito:nam & sita opportunè vrbs erat ad impetus in Macedoniam facien-
dos. Ita peragratis hostium agris,consul in loca pacata ad Apolloniam,vnde orsus bellum erat,co-
pias reduxit. Philippū auerterant Aetoli,& Athamânes,& Dardani,& tot bella repentè alia ex aliis
locis exorta. Aduersus Dardanos iam recipientes ex Macedonia sese,Athenagoram eum expeditis

Romani deuiebant ex angustiis Macedones,& in Erduæam perueniunt. Celetrum deditur,& Pelium ui capitur.

peditibus,ac maiore parte equitatus misit,iussum instare ab tergo abeuntibus,& carpendo postre-
mum agmen,segniores eos ad mouendos domo exercitus efficere, Aetolos Damocritus prætor,
qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum author fuerat,idem proximo concilio ad arma
conciuerat,post famam equestris ad Octolophum pugnæ,Dardanorúmque & Pleurati cum Illyriis
transitum in Macedoniam,ad hæc classis Romanæ aduentum in Oreum,& super circunfusas tot Ma
cedoniæ gentis maritimam quoque instantem obsidionem. Hæ causæ Damocritum Aetolósque re- 41.
stituerant Romanis:& Aminandro rege Athamanum adiuncto profecti Cercinium obsedêre. Clau-
serant portas,incertum vi,an voluntate:quia regium habebant præsidium. cæterùm intra paucos
dies captum est Cercinium,atque incensum.qoi superfuerant è magna clade,liberi seruíque inter
cæteram prædam abducti. Is timor omneis,qui circumcolunt Bœben paludem:relictis vrbibus,
montes coegit petere. Aetoli inopia prædæ inde auersi,in Perrœbiam ire pergunt. Cyretias ibi vi ca
piunt,fœdéque diripiunt:qui Mallœam incolunt , voluntate in deditionem societatémque accepti.
Ex Perrœbia Gomphos petendi Aminander author erat:(& imminet Athamania huic vrbi,videba

Aetolos ad arma contra Philippum conciuit eorum prætor Damocritus.

Aetolos Thessaliæ campos populantes opprimit Philippus,

túrque expugnari sine magno certamine posse.) Aetoli campos Thessaliæ opimos ad prædam pe- A
tiere, sequente, quanquam non probante Aminandro nec effusas populationes Aetolorũ, nec castra
quo sors tulisset loco, sine vllo discrimine ac cura munieodi polita. itaque ne temeritas eorum, ne-
gligentiáque sibi ac suis etiam cladis alicuius causa esset, cùm campestribus locis subiicientes eos
castra Phecado vrbi videret, ipse paulo plus quingentorum passuum inde tumulum suis, quamuis le
ui munimento tutum, cepit. Cùm Aetoli, nisi quòd populabantur, vix meminisse viderentur se in ho
stium agro esse: alii palati semiermes vagarentur, alii in castris sine stationibus per somnum vinúm-
que dies noctibus æquarent: Philippus inopinátibus aduenit. quem cum adesse refugientes ex agris
quidam pauidi nuntiassent, trepidare Damocritus, cæteríque duces. & erat fortè meridianũ tempus,
quo plerique graues cibo sopiti iacebant. excitare igitur alii alios, iubere arma capere, alios dimit-
tere ad reuocandos qui palati per agros prædabantur. tantáque trepidatio fuit, vt sine gladiis quidã
equitum exirent, loricas plerique non induerent. ita raptim educti, cum vniuersi sexcentorum ægrè
simul equites peditésque numerũ explessent, inciduot io regiũ equitatum, numero, armis, animísque
præstantem. itaque primo impetu fusi, vix tentato certamine turpi fuga repetunt castra. cæsi, capti-
42. que quidam, quos equites ab agmine fugientiũ interclusere. Philippus suis iam vallo appropinquan-
tibus receptui cani iussit. fatigatos enim equos, virósque non tam prælio, quàm itineris simul longi-
tudine, simul præpropera celeritate habebat. itaque turmatim equites, inuicémque manipulos leuis
armaturæ aquatum ire, & prandere iubet: alios in statione armatos retinet, opperiens agmen pedi-
tum tardius ductum propter grauitatem armorum. quod vbi aduenit, & ipsis imperatum, vt statutis
signis, armísque ante se positis, raptim cibũ caperent, binis, ternísve summùm ex manipulis aquandi
causa missis: interim eques cum leui armatura paratus, iostructúsque stetit, si quid hostis moueret.
Aetoli (iam enim & quæ per agros multitudo sparsa fuerat, receperat se in castra) vt defensuri muni-
menta, circa portas vallúmque armatos disponunt, dum quietos hostes ipsi feroces ex tuto specta-
bant. posteaquam mota signa Macedonum sunt, & succedere ad vallum parati atque instructi cœ-
pere, omnes repentè relictis stationibus per auersam partem castrorum ad tumulũ, ad castra Atha-
mánum perfugiunt. multi in hac quoque tam trepida fuga capti, cæsique sunt Aetolorum. Philip-
pus, si satis diei superesset, non dubius quin Athamânes quoque exui castris potuissent, die per præ-
lium, deinde per direptionem castrorum absumpto, sub tumulo in proxima planitie consedit, prima
luce insequentis diei hostem aggressurus. Sed Aetoli eodem pauore, quo sua castra reliquerant, no-
cte proxima dispersi fugerunt. Maximè vsui fuit Aminander, quo duce Athamânes itinerum periti
summis montibus per calles ignotos sequentibus eos hostibus in Aetoliam perduxerunt. non ita

Athenagoras regius præfectus Dardanos adoritur.

multos in dispersa fuga error intulit in Macedonum equites, quos luce prima Philippus, vt desertũ B
43. tumulum vidit, ad carpendum hostium agmen misit. Per eos dies & Athenagoras regius præfectus
Dardanos recipientes se in fines adeptus, postremum agmen primò turbauit. dein posteaquam Dar
dani conuersis signis direxere aciem, æqua pugna iusto prælio erat. vbi rursus procedere Dardani
cœpissent, equite & leni armatura regii nullum talis auxilii genus habentes Dardanos, oneratos im
mobilibus armis vexabant, & loca ipsa adiuuabant. Occisi perpauci sunt, plures vulnerati, captus
nemo, quia non excedunt temere ordinibus suis, sed confertim & pugnant & cedunt. Ita damna Ro
mano accepta bello, duabus per opportunas expeditiones coercitis gẽtibus, restituerat Philippus
incepto forti, non prospero solùm euentu. Minuit deinde ei fortè oblata res hostium Aetolorum nu-
merum. Scopas princeps gentis ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo mis-
sus, sex millia peditum, & equites mercede conductos Aegyptum auexit. nec ex iuuentute Aetolo-
rum quenquam reliquisset, ni Damocritus nunc belli quod instaret, nunc futuræ solitudinis admo-
nens (iocertuoi cura gentis, an vt aduersaretur Scopæ, parum donis cultus) partem iuniorum casti-
44. gando domi cõtinuisset. Hæc ea æstate ab Romanis, Philippóque gesta erant. Classis à Corcyra eius-
dem principio æstatis cum L. Apustio legato profecta, Malea superata, circa Scyllæum agri Her-
mionici Attalo regi coniuncta est. Tum verò Atheniensium ciuitas, cui odio in Philippum per me-
tum iam diu moderata erat, id omne in auxilii præsentis spem effundit. Nec vnquam ibi desunt lin-
guæ promptæ ad plebem concitandam. quod genus cùm in omnibus liberis ciuitatibus, tum præ-
cipuè Athenis, vbi oratio plurimum pollet, fauore multitudinis alitur. Rogationem extemplò tule-

Plebiscitum Atheniensiũ aduersus Philippum.

runt, plebésque sciuit, vt Philippi statuæ, imagines omnes, nomináque earum, item maiorum eius vi-
rilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerentúrque: dies festi, sacra, sacerdotes, quæ ipsius
maiorúmve eius honoris causa instituti essent, omnia profanarentur. loca quoque, in quibus positũ
aliquid inscriptúmve honoris eius causa fuisset, detestabilia esse, neque in iis quicquam postea poni
dedicaríque placere, eorum quæ in loco puro poni dedicaríque fas esset. sacerdotes publicos, quo-
tiescunque pro populo Atheniensi, sociisque, & exercitibus, & classibus eorum precarentur, toties
detestari, atque execrari Philippum, liberos eius, regnúmque, terrestres naualésque copias, Macedo
num genus omne, noménque. additúmque decreto: si quis quid postea, quod ad notã ignominiám-
que Philippi pertineret, ferret, id omnẽ populum Atheniensem iussurum. si quis contra ignominiã,

Athenienses literis verbisque magis quàm re bellum gerebant.

próve honore eius dixisset, fecissétve: qui occidisset eum, iure cæsurum. postremò inclusum, vt omnia
quæ aduersus Pisistratidas decreta quondam erant, eadem in Philippo seruarentur. Atheniẽses qui-
45. dem literis, verbísque, quibus solis valent, bellum aduersus Philippum gerebant. Attalus, Romaní-
que cum Pyræeum primò ab Hermione petissent: paucos ibi morati dies, oneratíque æquè immo-
dicis ad honores sociorum, ac quæ in iram aduersus hostem fuerant, Atheniensium decretis, naui-
gant à

Agant à Pyræeo Andrum.& cùm in portu,quem Gaureleon vocant,constitissent,missis qui tentarent oppidanorum animos,si voluntate tradere vrbem,quàm vim experiri mallent,postquam præsidio regio arcem teneri,nec se potestatis suæ esse respondebant,expositis copiis,omníque apparatu vrbium expugnandarum,diuersis partibus rex & legatus Romanus ad vrbem subeunt. Plus aliquanto Græcos Romana signa,armáque non antè visa,animíque militum tam promptè succedẽtium muro terruere.

Andros insula capitur à Romanis.

itaque fuga extemplò in arcem facta est,vrbe hostes potiti.& in arce cùm biduum loci se magis,quàm armorum fiducia tenuissent:tertio die pacti ipsi præsidiúmque,vt cum singulis vestimentis Delium Bœotiæ transueherentur. Ea ab Romanis regi Attalo concessa,prædam ornamentáque vrbis ipsi auexerunt. Attalus ue desertam haberet insulá,& Macedonum ferè omnibus,& quibusdam Andriorũ vt manerent,persuasit. postea & ab Delio,qui ex pacto transuecti eò fuerant,promissis regis cùm desiderium quoque patriæ facilius ad credendum inclinarent animos,reuocati. Ab Andro Cythnum traiecerunt. ibi dies aliquot oppugnanda vrbe nequicquam absumpti:& quia vix operæpretium erat,abscessere. Ad Prasias(coutiuentis Atticæ is locus est)Issæorum x x. lembi classi Romanorum adiuncti sunt. ii missi ad populandos Caristiorum agros,cætera classis Geræstum,nobilem Eubœæ portum,dum à Carysto Issæi redirent,tenuit. Inde omnes velis in altum datis,maris medio præter Scyrum insulam Icum peruenere. ibi paucos dies sæuiente borea retenti,vbi prima tranquillitas data est,Sciathum traiecere,vastatam vrbem,direptámque nuper à Philippo. Per agros palati milites frumentum,& si qua alia vsui esse ad vescendum poterant,ad naues retulere. prædæ nec erat quicquam,nec meruerant Græci cur diripereutur. Inde Casandream petẽtes,primò ad Mendin,maritimum ciuitatis eius vicum,tenuere. inde cùm superato promontorio ad ipsa mœnia vrbis circumagere classem vellent,sæua coorta tẽpestate propè obruti fluctib. dispersi magna ex parte amissis armamentis in terram effugerunt. Omen quoque ea maritima tempestas ad rem terra gerendam fuit. nam collectis in vnum nauibus,expositísque copiis aggressi vrbem,cum multis vulneribus repulsi,(& erat validum ibi regium præsidium)irrito iucepto regressi Canastæum Pallenes traiecêre. inde superato Toronæ promontorio,nauigantes Acanthum petiere. ibi primò ager vastatus,deinde ipsa vrbs vi capta,ac direpta. nec vltrà progressi,(iam enim & graues præda naues habebant)retro,vnde venerant,Sciathum,& ab Sciatho Eubœam repetunt.

Sæua tempestas classem Romanam propè fluctibus obruit.

Ibi relicta classe,decem nauibus expeditis sinum Maliacum intrauere ad colloqueudum cum Aetolis de ratione gerẽdi belli. Sipyrrhicas Aetolus princeps legionis eius fuit:qui ad communicãda consilia Heracleam cum rege,& cum Romano legato venit. Petitum ex fœdere ab Attalo est,vt mille milites præstaret. tantum enim numerum bellum gerentibus aduersus Philippum debebat. Id negatum Aetolis. quòd illi quoque grauati prius essent ad populandum Macedoniam exire,quo tempore Philippo circa Pergamum vrente sacra prosanáque,abstrahere eum inde respectu rerum suarum potuissent. Ita Aetoli cum spe magis,Romanis omnia pollicentibus,quàm cum auxilio dimissi. Apustius cũ Attalo ad classem rediit.

Romani & Attalus cum Aetolis de ratione belli gerendi colloquuntur.

B inde consultari de Oreo oppugnando cœptum. Valida ea ciuitas & mœnibus,& quia antè fuerat tentata,firmo erat præsidio. Coniunxerant se iis post expugnationem Andri cum præfecto Agesimbroto,x x. Rhodiæ naues,tectæ omnes:eam classem in stationem ad Zelasium miserunt (Isthmiæ id super Demetriadem promontorium est peropportunè obiectum)vt si quid inde mouerent Macedonum naues in præsidio essent. Heraclides præfectus regius classem ibi tenebat:magis per occasionẽ,si quam negligentia hostium dedisset,quàm aperta vi quicquam ausurus.

Rhodiorum viginti naues coniunctæ classi Romanæ.

Oreum diuersi Romani,& rex Attalus oppugnabant:Romani à maritima arce,regii aduersus vallum inter duas iacentem arces,quà & muro intersepta vrbs est.& vt loca diuersa,sic dispari modo etiam oppugnabant:Romani testudinibus,& vineis,& ariete admouendo muris:regii balistis,catapultísque,& alio omni genere tormentorum tela ingerentes,& pondere ingenti saxa iacebant,& cuniculos,& quicquid aliud priore oppugnatione expertum profuerat. Cæterùm non plures tantùm Macedones,quàm ante tuebantur vrbem,sed etiam præsentioribus animis,& castigationibus regis in amissa culpa,& simul minarum,simul promissionum in futurum memores:ita vt parum in expugnatione celeri spei esset.

Oreum oppugnatur à Romanis & Attalo.

Interim & aliud agi posse ratus legatus,relictis quod satis videbatur ad opera perficienda,traiicit in proxima continentis:Larissámque,non illam in Thessalia nobilem vrbem,sed alteram,quam Cremasten vocant,subito aduentu,præter arcem,cepit. Attalus quoque Aegeleon,nihil minus quàm tale quicquam in alterius oppugnatione vrbis timentibus,oppressit. Et iam cùm opera in effectu erãt circa Oreum:tum,præsidium quod intus erat,labore assiduo,vigiliis diurnis pariter nocturnísque,& vulneribus confectum. muri quoque pars ariete incusso subruta,multis iam locis prociderat. pérque apertum ruina iter nocte Romani,quódque super portum est,in arcem perruperunt. Attalus luce prima,signo ex arce dato ab Romanis,& ipse vrbem inuasit,stratis magna ex parte muris:præsidium,oppidaníque in alterá arcem perfugêre,vnde biduo pòst deditio facta. vrbs regi,captiua corpora Romanis cessere.

Oreum capitur.

Iam autumnale æquinoctium instabat : & est sinus Euboicus,quem Cæla vocant,suspectus nautis. itaque ante hyemales motus euadere cupientes, Pyræeum,vnde profecti ad bellum erant,repetunt. Apustius triginta nauibus ibi relictis,super Maleam nauigat Corcyram. regem spatium initiorum Cereris,vt sacris interesset,tenuit. secundum initia & ipse in Asiam se recepit,Agesimbroto & Rhodiis domum remissis. Hæc ea æstate terra maríque aduersus Philippum,sociósque eius à consule & legato Romanis,adiuuantibus rege Attalo & Rhodiis gesta. Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum cùm in prouinciã veuisset,haud clàm tulit iram aduersus prætorem,quòd absente se rem gessisset. misso igitur eo in Hetruriam,ipse in agrum hostium legiones

induxit: populandóque cum præda maiore, quàm gloria bellum gessit. L. Furius, simul quod in Hetruria nihil erat rei quod gereret, simnl Gallico triumpho imminens, quem absente consule irato atque inuidente facilius impetrari posse ratus, Romam inopinatò cum venisset, senatum in æde Bello- A

48 næ habuit: expositísque rebus gestis, vt triumphanti sibi in vrbem inuehi liceret, petit. Apud magnã

De Furij prætoris triumpho uariæ in senatu sententiæ.

partem senatus, & magnitudine rerum gestarum valebat, & gratia. maiores natu negabant triumphum: & quòd alieno exercitu rem gessisset, & quòd prouinciam reliquisset auiditate rapiendi per occasionem triumphi: id verò eum nullo exemplo fecisse. consulares præcipuè expectandum fuisse consulem dicebant. potuisse enim castris prope vrbem positis, tutanda colonia, ita vt acie non decerneret, in aduentum eius rem extrahere. & quod prætor non fecisset, senatui faciendum esse. consulem expectarent: vbi coràm disceptantes consulem & prætorem audissent, verius de causa existimaturos esse. Magna pars senatus nihil, præter res gestas, & an in magistratu suísque auspiciis gessisset, censebant spectare senatum debere. Ex duabus coloniis, quæ velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus oppositæ fuissent, cùm vna direpta & incensa esset, traiecturúmque id incendium velut ex continentibus tectis in alteram tam propinquam coloniam esset, quid tandem prætori faciendum fuisse? nam si sine consule geri nihil oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit: (potuisse enim, si non cum prætoris, sed consulis exercitu rem geri voluerit: ita finire S C. ne per prætorem, sed per consulem gereretur:) aut consulem, qui non, cùm exercitum ex Hetruria transire in Galliam iussisset: ipse Arimini occurrerit, vt bello interesset, quod sine eo geri fas nõ esset. Non expectare belli tempora moras, & dilationes imperatorum. & pugnandum esse interdum, non quia velis, sed quia hostis cogat. pugnam ipsam, euentúmque pugnæ spectari oportere. fusos cæsósque hosteis: castra capta ac direpta, coloniam liberatam obsidione: alterius coloniæ captiuos recuperatos, restitutósque suis: debellatum vno prælio esse. non homines tantùm ea victoria lætatos, sed diis quoque immortalibus per triduum supplicationes habitas: quòd bene ac feliciter, non quòd malè ac temerè respnblica à L. Furio prætore gesta esset. data fato etiam quodã Furiæ genti Gallica bel-

Triumphus L. Furio decernitur.

49 la. Huius generis orationibus ipsius amicorúmque victa est præsentis gratia prætoris, absentis consulis maiestas: triumphúmque frequentes L. Furio decreuerunt. Triumphauit de Gallis in magistratu L. Furius prætor. In ærarium tulit † trecenta viginti millia æris, † argenti C L X X. millia pondo. neque captiui vlli ante currum ducti, neque spolia prælata, neque milites secuti. omnia præter victoriam, penes consulem esse apparebat. Ludi deinde à P. Cornelio Scipione, quos consul in Africa vouerat, magno apparatu facti. Et de agris militum eius decretum, vt quot quisque eorum annos in Hispania, aut in Africa militasset, in singulos annos bina iugera acciperet. eum agrum decemuiri assignarent. Triumuiri inde creati ad supplendum Venusinis colonorum numerum, quòd bello Anni- B

† Val. 3200. coron.

† Valent. 170000. coron.

balis attenuatæ vires eius coloniæ erant: C. Terentius Varro, T. Quintius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. Scipio. ii colonos Vennsiam ascripserunt. Eodem anno C. Cornelius Cethegus, qui proconsul Hispaniam obtinebat, magnum hostium exercitum in agro Sedetano fudit. quindecim millia Hispanorum eo prælio dicuntur cæsa, signa militaria capta octo & L X X. C. Aurelius Cos. cùm ex prouincia Romam comitiorum causa venisset, non id quod animis præceperat, questus est non expectatum se ab senatu, neque disceptandi cum prætore consuli potestatem factam: sed ita triumphum decreuisse senatum, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus esset, haud eorum qui bello interfuissent, verba audiret. Maiores ideo instituisse vt legati, Tr. mil. centuriones, milites denique triumpho adessent, vt virtutes rerum gestarum eius cui tantus honos haberetur, publicè viderentur, ecquem ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnauerit, si non militem, lixam saltem fuisse, quem percunctari posset senatus, quid veri prætor vaníve referret? Comitiis deinde diem indixit. quibus creati sunt con

C. Cornelius Cethegus in Hispania feliciter pugnauit.

50 sules L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus. Prætores inde facti L. Quintius Flaminius, L. Valerius Flaccus, L. Villius Tappulus, C. Bebius Pamphilus. Annona quoque eo anno peruilis fuit. frumenti vim magnam ex Africa aduectam ædiles curules M. Claudius Marcellus, & Sex. Aelius Pætus † binis æris in modios populo diuiserunt: & ludos Romanos magno apparatu fecerunt: diem vnum instaurarunt: signa ænea quinque ex multatitio argento in ærario posuerunt. Plebeii ludi ab ædilibus L. Terentio Massaliota, & C. Bebio Pamphilo, quem prætorem designauerant: ter toti instaurati. Et ludi funebres eo anno per quadriduum in foro mortis M. Valerii Leuini causa à P. & M. filiis eius facti: & munus gladiatorium datum ab iis. paria quinque & viginti pugnarunt. M. Aurelius Cotta decemuir sacrorum mortuus: in eius locum M. Acilius Glabrio suffectus. Comitiis ædiles curules creati sunt fortè ambo, qui statim accipere magistratum non possent. nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, cùm Hispaniam obtineret prouinciam: C. Valerius Flaccus, quem præsentem creauerant, quia flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat: magistratnm autem plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, vt legibus solueretur, senatus decreuit, vt si ædilis qui pro se iuraret, arbitratu consulum daret: consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, vti ad plebem ferrent. Datus qui iuraret pro fratre: L. Valerius Flaccus prætor designatus. tribuni ad plebem tulerunt, plebésque sciuit, vt perinde esset, ac si ipse ædilis iurasset. Et de altero ædile plebiscitum est factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire iuberent, vt C. Cornelius ædilis curulis ad magistratum gerendum veniret, & L. Manlius Acidinus decederet de prouincia multos post annos. plebes Cn. Cornelio Lentulo, & L. Stertinio proconsulibus imperium esse in Hispania iussit.

† Vno ferè solido turonensi.

Ludi funebres.

In leges iurabant magistratum gesturi.

DECA

A DECADIS QVARTAE LIBER SECVNDVS.

Complura prodigia ex diuersis regionibus nuntiata referuntur: inter quæ, in Macedonia in puppi longæ nauis lauream esse natam. T. Quintius Flaminius Cos. aduersus Philippum feliciter pugnauit in faucibus Epiri, fugatúmque coegit in regnum reuerti. Ipse Thessaliam, quæ est uicina Macedoniæ, socijs Aetolis & Athamanibus, uexauit. L. Quintius Flaminius consulis frater nauali prælio, Attalo rege & Rhodijs adiuuantibus, Eubœam & maritimam oram cepit. Achæi in amicitiam recepti sunt. Coniuratio seruorum facta de soluendis Carthaginiensibus obsidibus oppressa est. Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cos. Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmonijs, & tyranno eorum Nabide amicitia iuncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.



CONSVLES, prætoréſque cùm Idibus Martiis magiſtratum iniſſent, prouincias ſortiti ſunt. L. Lentulo Italia, P. Villio Macedonia: prætoribus, L. Quintio vrbana, C. Bebio Ariminum, L. Valerio Sicilia, L. Villio Sardinia euenit. Lentulus Cos. nouas legiones ſcribere iuſſus: Villius à P. Sulpitio exercitum accipere. in ſupplementum eius quantum militum videretur vt ſcriberet, ipſi permiſſum. Prætori Bebio legiones, quas C. Aurelius Cos. habuiſſet, ita decretæ, vt retineret eas, donec conſul nouo cum exercitu ſuccederet in Gallia. vbi is veniſſet, omnes milites exauctorati domum dimitterentur, præter quinque millia ſociûm. his obtineri circa Ariminum prouinciam ſatis eſſe prorogato imperio prætoribus prioris anni: Cn. Sergio, vt militibus qui in Hiſpania, Sicilia, Sardinia ſtipendia per multos annos feciſſent, agrum aſsignandum curaret: Q. Minutio, vt in Brutiis idem de coniurationibus quæſtiones, quas prætor cum fide curáque exercuiſſet, perficeret: & eos, quos ſacrilegii compertos in vinculis Romam miſiſſet, Locros mitteret ad ſupplicium: quæ'que ſublata ex delubro Proſerpinæ eſſent, reponenda cum piaculis curaret. Feriæ Latinæ pontificum decreto inſtauratæ ſunt: quòd legati ab Ardea queſti in ſenatu erant, ſibi in monte Albano Latinis carnem, vt aſſolet, datam non eſſe. Ab Sueſſa nuntiatum eſt, duas portas, quódque inter eas muri erat, de cælo tactum. & Formiani legati, ædem Iouis: item Oſtienſes, ædem Iouis: & Veliterni, Apollinis & Sangi ædes: & in Herculis æde capillum enatum: & ex Brutiis ab Q. Minutio proprætore ſcriptum, equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos tres cum ternis pedibus natos eſſe. inde à P. Sulpitio proconſule ex Macedonia literæ allatæ, in quibus inter cætera ſcriptum erat, lauream in puppi nauis longæ enatam. Priorum prodigiorum cauſa ſenatus cenſuerat, vt conſul maioribus hoſtiis quibus diis videretur, ſacrificaret. ob hoc vnum prodigium aruſpices in ſenatum vocati, atque

Prouinciarum ſortitio. 1.

Prodigia.

B ex reſponſo eorum ſupplicatio populo in diem vnum edicta, & ad omnia puluinaria res diuinæ factæ. Carthaginienſes eo anno argentum in ſtipendium impoſitum primùm Romam aduexerunt. id quia probum non eſſe quæſtores renuntiauerant, experientibúſque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutua ſumpta, intertrimentum argenti ſuppleuerunt. Petentibus deinde, vt ſi iam videretur ſenatui, obſides ſibi redderentur, centum redditi obſides. de cæteris, ſi in fide permanerent, ſpes facta. Petentibus iiſdem, qui non reddebantur obſides, vt ab Norba, vbi parum commodè eſſent, aliò traducerētur, conceſſum vt Signiã & Ferentinum tranſirent. Gaditanis item petētibus remiſſum, ne præfectus Gadeis mitteretur, aduerſus quod iis in fidem populi Romani venientibus cum L. Martio Septimio cōueniſſet. Et Narnienſium legatis, querentibus ad numerū ſibi colonos non eſſe, & immiſtos quoſdā non ſui generis pro colonis ſe gerere, earum rerū cauſa triumuiros creare L. Cornelius Cos. iuſſus. creati P. & Sex. Aelii (Pæti fuit ambobus cognomē) & C. Cornelius Lentulus. quod Narnienſibus datū erat, vt colonorū numerus augeretur, id Coſſani petentes non impetrauerūt. Rebus, quæ Romæ agendæ erant, perfectis, conſules in prouincias profecti. P. Villium, in Macedoniā cùm veniſſet, atrox ſeditio militū iam antè irritata, nec ſatis in principio compreſſa, excepit. MM ea militū fuere, quæ ex Africa poſt deuictum Annibalem in Siciliā, inde anno ferè pòſt in Macedoniam pro voluntariis tranſportata erant. id voluntate factum negabant. ab tribunis recuſantes in naues impoſitos, ſed vtcunq; ſeu in vita, ſeu ſuſcepta foret militia, & eam exhauſtā, & finem aliquem militandi fieri æquum eſſe. multis annis ſeſe Italiā non vidiſſe, conſenuiſſe ſub armis in Sicilia, Africa, Macedonia: confectos iam ſe labore & opere, exangues tot acceptis vulneribus eſſe. Conſul cauſam poſtulādæ miſsionis probabilem, ſi modeſtè peteretur, videri dixit: ſeditionis nec eam, nec vllā aliam ſatis iuſtam cauſam eſſe. itaque ſi manere ad ſigna, & dicto parere velint, ſe de miſsione eorum ad ſenatum ſcripturum, modeſtia facilius quàm pertinacia quod velint impetraturos.† Thaumacos eo tempore Philippus ſumma vi oppugnabat aggeribus, vineiſque: & iam arietem muris admoturus erat. cæterùm incepto abſiſtere eum coēgit Aetolorum aduentus, qui Archidamo duce inter cuſtodias Macedonum mœnia ingreſsi, nec die nec nocte finem vllum erumpendi nunc in ſtationes, nunc in opera Macedonum faciebant. & adiuuabat eos natura ipſa loci. Nanque Thaumaci à Pylis, ſinúque Maliaco per Lamiam eunti loco alto ſiti ſunt, ipſis faucibus imminentes, quam Cœlen vocant. Theſſaliæ'que tranſeunti confragoſa loca, implicatáſque flexibus vallium vias, vbi ventum ad hanc vrbem eſt, repentè velut maris vaſti, ſic immenſa panditur planities, vt ſubiectos campos terminare oculis haud facilè queas, ab eo miraculo Thaumaci appellati. nec altitudine ſolùm tuta vrbs, ſed quòd ſaxo vndique abſciſſo rupibus impoſita eſt. Hæ difficultates, & quod haud ſatis dignum tanti laboris periculique precium erat, vt abſiſteret incepto Philippus, effecerunt. hyems quoque iam inſtabat, cùm inde abſceſsit, & in Macedoniam in hyberna copias reduxit. Ibi cæteri quidem data quantacunque quiete

Carthaginienſes ſtipendium Romam aduexerunt. 2.

Pœnis centum obſides redditi.

Seditio in exercitu Romano. 3.

Thaumacos oppugnat Philippus. 4.

† Thaumacos Ald. cod. habet.

5.

Philippi in apparando bello diligentia.

temporis, ſimul animos, corporáque remiſerant: Philippum, quantum ab aſsiduis laboribus itinerum pugnarúmque laxauerat animum, tanto magis intentum in vniuerſum euentum belli curæ angunt: non hoſtes modò timentem, qui terra marique vrgebant, ſed nunc ſociorum, nunc etiam popularium animos, ne & illi ad ſpem amicitiæ Romanorum deficerent, & Macedonas ipſos cupido nouandi res caperet. itaque & in Achaiam legatos miſit, ſimul qui inſiurandum (ita enim pepigerant quotannis iuraturos in verba Philippi) exigerent: ſimul qui redderent Achæis Orchomenon, & Heream, & Triphyliam: Eleis Alipheram condentibus, nunquam eam vrbem fuiſſe ex Triphylia, ſed ſibi debere reſtitui: quia vna eſſet ex iis quæ ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadum contributæ forent. Et cum Achæis quidem per hac ſocietatem firmabat. Macedonum animos ſibi cõciliauit cum Heraclide. nam cùm eũ maximæ inuidiæ ſibi eſſe cerneret, multis criminibus oneratũ in vincula coniecit ingenti popularium gaudio. Bellum, ſi quando vnquã antè aliàs, cũ magna cura apparauit, exercuítq; in armis & Macedonas & mercenarios milites: principióq; veris cùm Athenagora omnia externa auxilia, quódque leuis armaturæ erat, in Channiam per Epirum ad occupãdas, quæ ad Antigoniam fauces ſunt (Sthena vocant Græci) miſit. ipſe pòſt paucis diebus grauiore ſecutus agmine, cùm ſitum omnem regionis aſpexiſſet, maximè idoneum ad muniendum locũ credidit eſſe, præter amnem Aoum. Is inter montes, quorum alterum Aeropum, alterum Aſnaum incolæ vocant, anguſta valle fluit, iter exiguum ſuper ripam præbẽs: Aſnaum Athenagoram cum leui armatura tenere ac communire iubet: ipſe in Aeropo poſuit caſtra. quà abſciſſæ rupes erant, ſtatio paucorum armatorũ tenebat: quæ minus tuta erát, alia foſsis, alia vallis, alia turribus muniebat. magna tormentorũ etiam vis, vt miſsilibus procul arcerent hoſtẽ, idoneis locis diſpoſita eſt. tabernaculũ regium pro vallo in conſpectu maximè tumulo, vt terrorem hoſtibus, ſuiſq; ſpem ex fiducia faceret, poſitum.

Philippus fauces, quæ ad Antigoniam ſunt occupat.

6. Conſul per Charopum Epirotem certior factus, quos ſaltus cum exercitu inſediſſet rex, & ipſe cùm Corcyræ hybernaſſet, vere primo in continentem trabeatus ad hoſtem ducere pergit. quinque millia fermè ab regiis caſtris cùm abeſſet, loco munito relictis legionibus, ipſe cum expeditis progreſſus ad ſpeculanda loca, poſtero die conſilium habuit, vtrum per infeſſum ab hoſte ſaltum, quanquam labor ingens periculúmque proponeretur, tranſitum tentaret, an eodem itinere, quo priore anno Sulpitius Macędoniam intrauerat, circunduceret copias. Hoc conſilium per multos dies agitanti nuntius venit: T. Quintium conſulem factum, ſortitúmque prouinciam Macedoniam, maturato itinere iam Corcyram traieciſſe. Valerius Antiâs intraſſe ſaltum Villium tradit, quia recto itinere nequierit, omnibus à rege infeſsis, ſecutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis: ponte raptim facto in ripam, in qua erant caſtra regia, tranſgreſſum acie conflixiſſe: fuſum, fugatúmque regem, caſtris exutum. XII millia hoſtium eo prælio cæſa, capta duo millia, & ducentos: & ſigna militaria centum XXXII, equos CCXXX. ædem etiam Ioui in eo prælio votam, ſi res proſperè geſta eſſet. Cæteri Græci Latiníque authores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile à Villio actum, integrúmque bellum inſequentem conſulem, T. Quintium accepiſſe tradunt.

Villius conſul Philippum fudit fugauitque.

7. Dum hæc in Macedonia geruntur, conſul alter L. Lentulus, qui Romæ ſubſtiterat, comitia cenſoribus creandis habuit. multis claris petentibus viris creati cenſores P. Cornelius Scipio Africanus, & P. Aelius Pætus. Hi magna inter ſe concordia, & ſenatum ſine vllius nota legebant: & portoria venalium Capuæ, Puteoliſque item caſtrorum portorium, quo in loco nunc oppidum eſt, fruendum locarunt: colonóſque eò trecentos (is enim numerus finitus ab ſenatu erat) adſcripſerunt, & ſub Tifatis Capuæ agrum vendiderunt. Sub idem tempus L. Manlius Acidinus ex Hiſpania decedens, prohibitus à M. Porcio Lecca tribuno plebis, ne ouans rediret, cùm à ſenatu impetraſſet, priuatus vrbem ingrediens † MCC pondo argenti † XXX pondo fermè auri in ærarium tulit. Eodem anno C. Bebius Pamphilus, qui ab C. Aurelio conſule anni prioris prouinciam Galliam acceperat, temerè ingreſſus Gallorum Inſubrium fines propè cum toto exercitu eſt circumuentus. ſupra ſex millia, & ſexcentos milites amiſit. tanta ex eo bello, quod iam timeri deſierat, clades accepta eſt. Ea res L. Lentulum conſulem ab vrbe exciuit. qui vt in prouinciam venit plenam tumultus, trepido exercitu accepto, prætorem multis probris increpitum prouincia decedere, atque abire Romam iuſsit. neq; ipſe conſul memorabile quicquam geſsit comitiorum cauſa Romam reuocatus, quæ ipſa per M. Fuluium, & M. Curium tribunos plebis impediebantur: quòd T. Qnintium Flamininum cõſulatum ex quæſtura petere non patiebantur. Iam ædilitatem, præturámque faſtidiri: nec per honorum gradus documentum ſui dantes nobiles homines tendere ad conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare. Res ex cãpeſtri certamine in ſenatum venit. patres cenſuerunt, qui honorem, quem ſibi capere per leges, liceret, peteret: in eo populo creandi quem velit, poteſtatem fieri æquum eſſe. in authoritate patrum fuere tribuni. creati Coss. Sex. Aelius Pætus, & T. Quintius Flaminius. Inde Prætorum comitia habita. creati L. Cornelius Merula, M. Claudius Marcellus, M. Porcius Cato, C. Heluius, qui ædiles plebis fuerát. ab iis ludi plebeii inſtaurati. & epulum Iouis fuit ludorum cauſa. Et ab ædilibus curulibus C. Valerio Flacco flamine Diali, & C. Cornelio Cethego ludi Romani magno apparatu facti. Ser. Sulpitius, & L. Galba pontifices eo anno mortui ſunt. in eorum locum M. Aemylius Lepidus, & Cn. Cornelius Scipiò pontifices ſuffecti ſunt.

† Valent 12000 coron.

† Valent 3360 coron.

C. Bebius prætor cum exercitu à Gallis circumuentus.

8. Sex. Aelius Pætus, T. Quintius Flamininus conſules magiſtratu inito ſenatũ in Capitolio cùm habuiſſent, decreuerunt patres, vt prouincias Macedoniam atque Italiam conſules compararent inter ſe, ſortirentúrve, vtri eorum Macedonia eueniſſet, in ſupplementum legionum tria millia militum Romanorum ſcriberet, & CCC equites: item ſociorum Latini nominis quinque millia peditum, quingentos equites. Alteri conſuli nouus omnis exercitus decretus. L. Lentulo prioris anni conſuli

prorog

A prorogatum imperium est: vetitúsque aut ipse prouincia decedere prius, aut veterem exercitum deducere, quàm legionibus nouis consul venisset. Sortiti consules prouincias. Aelio Italia, Quintio Macedonia euenit. Prætores, L. Cornelius Merula vrbanam, M. Claudius Siciliam, M. Porcius Sardiniam, C. Heluius Galliam est sortitus. Delectus inde haberi est cœptus. nam præter consulares exercitus prætores quoque iussi scribere milites erant. Marcello in Siciliam quatuor millia peditum sociûm Latini nominis, & c c c equites: Catoni in Sardiniam ex eodem genere militum tria millia peditum, c c equites: ita vt prætores ambo cùm in prouincias venissent, veteres dimitterent pedites, equitésque. Attali deinde regis legatos in senatum consules introduxerunt. Hi regem classe sua, copiísque omnibus terra maríque Romanam rem iuuare, quæque imperarent Romani consules, impigrè atque obedienter ad eam diem fecisse cùm exposuissent, vereri dixerunt, ne id præstare ei per Antiochum regem vltrà non liceret. vacuum nanque præsidiis naualibus, terrestribúsque regnum Attali Antiochum inuasisse. itaque Attalum orare P C. si sua classe, suáque opera vti ad Macedonicum bellum vellent, mitterent ipsi præsidium ad regnum eius tutandum: si id nollent, ipsum ad sua defendenda cum classe, ac reliquis copiis redire paterentur. Senatus legatis ita responderi iussit, quòd rex Attalus classe, copiísque aliis duces Romanos iuuisset, id gratum senatui esse. auxilia nec ipsos missuros Attalo aduersus Antiochum, socium & amicum populi Romani: nec Attali auxilia retenturos vltrà quàm regi commodum esset. Semper populum Romanum alienis rebus arbitrio alieno vsum. & principium & finem in potestate ipsorum, qui ope sua velint adiutos Romanos esse. Legatos ad Antiochum missuros, qui nuntient, Attali, nauiúmque eius & militum opera aduersus Philippum communem hostem vti populum Romanum: gratum eum facturum senatui, si regno Attali abstineat, belloque absistat. æquum esse, socios & amicos populi Romani, reges inter se quoq; ipsos pacem seruare. consulem T. Quintium, ita habito delecto, vt eos ferè legeret, qui in Hispania aut Africa meruissent spectatæ virtutis milites, properantem in prouinciam prodigia nuntiata, atque eorum procuratio Romæ retinuerunt. De cælo tacta erant, via publica Veiis, forum & ædes Iouis Lanuuii: Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus & turres, & ædes quæ Alba dicitur. cælum ardere visum erat Arretii. terra Velitris trium iugerum spatio cauerna ingenti desederat. Suessæ Auruncæ nuntiabant agnum cum duobus capitibus natum: & Sinuessæ porcum humano capite. Eorum prodigiorum causa supplicatio vnum diem habita. & consules rebus diuinis operam dederunt: placatísque diis profecti in prouincias sunt. Aelius cum C. Heluio prætore in Galliam: exercitúmque ab L. Lentulo acceptum, quem dimittere debebat, prætori tradidit, ipse nouis legionibus, quas secum adduxerat, bellum gesturus: neque memorabilis rei quicquam gessit. Et T. Quintius alter Cos. maturius, quàm B priores soliti erant Coss. à Brundusio cùm transmisisset, Corcyram tenuit cum octo millibus peditum, equitibus octingentis. à Corcyra in proxima Epiri quinqueremi traiecit: & in castra Romana magnis itineribus contendit. inde Villio dimisso paucos moratus dies, dum se copiæ à Corcyra assequerentur, consilium habuit, vtrum recto itinere per castra hostium viam facere conaretur: an ne tentata quidem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios potius, Lingúmque tuto circuitu Macedoniam intraret. vicissétque ea sententia, ni timuisset, ne, cùm à mari longius recessisset, misso è manibus hoste, si (quod antea fecerat) solitudinibus syluísque se tutari rex voluisset: sine vllo effectu æstas extraheretur. vtcunque esset igitur, illo ipso tam iniquo loco aggredi hostem placuit. sed magis fieri id placebat, quàm quo modo id fieret, satis expediebat: diésque x l sine vllo conatu sedentes in conspectu hostium absumpserant. inde spes data Philippo est, per Epirotarum gentem tentandæ pacis. habitóque concilio delecti ad eam rem agendam, Pausanias prætor, & † Alexander magister equitum, consulem & regem, vbi in artissimas ripas Aous cogitur amnis, in colloquium adduxerunt. Summa postulatorum consulis erat, præsidia ex ciuitatibus rex deduceret: iis, quorum agros vrbésque populatus esset, redderet res, quæ comparerent: cæterorum æquo arbitrio æstimatio fieret. Philippus aliam aliarum ciuitatum conditionem esse respondit. quas ipse cepisset, eas liberaturum. quæ sibi traditæ à maioribus essent, earum hæreditaria ac iusta possessione non excessurum. si quas quererentur belli clades eæ ciuitates, cum quibus bellatum foret: arbitrio quo vellent populorum, cum quibus pax vtrísque fuisset, se vsurum. Consul nihil ad id quidem arbitro aut iudice opus esse dicere. cui enim non apparere, ab eo qui prior arma intulisset, iniuriam ortam? nec Philippum ab vllis bello lacessitum, priorem vim omnibus fecisse. Inde cùm ageretur, quæ ciuitates liberandæ essent, Thessalos primos omnium nominauit consul. ad id verò adeò accensus indignatione est rex, vt exclamaret, Quid victo grauius imperares T. Quinti? atque ita se ex colloquio proripuit. & temperatum ægrè est, quin missilibus, quia dirempti medio amne fuerant, pugnam inter se consererent. Postero die per excursiones ab stationibus primò in planitie satis ad id patenti multa leuia commissa prælia sunt: deinde recipientibus se regiis in arcta & confragosa loca, auiditate accensi certaminis eò quoque Romani penetrauêre, pro his ordo, & militaris disciplina, & genus armorum erat, aptum vrgendis regiis: pro hoste loca, & catapultæ balistæque in omnibus propè rupibus, quasi in muris dispositæ. Multis hinc atque illinc vulneribus acceptis, cùm etiam, vt in prælio iusto, aliquot cecidissent, nox pugnæ finem fecit. Cùm in hoc statu res esset, pastor quidam à Charopo principe Epirotarum missus deducitur ad consulem. Is se in eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat, armentum pascere ait: omnes montium eorum anfractus callésque nosse. Si secum aliquot mittere velit, non iniquo, nec perdifficili aditu supra caput hostium deducturum. hæc, Charopus renunciari iubet, ita crederet, vt suæ potius omnia, quàm illius

Prouinciarum sortitio.

Attalus auxilium petit aduersus Antiochum.

Prodigia. 9.

T. Quintius à Brundusio soluit in Græciã.

10.

† Hypsellus ex Alexandri Magnetis equitibus, sic Ald. cod.

Consules Romani & Philippi colloquium.

Inter consulem & Philippum leuia prælia commissa.

Pastor quidam dux fit. 11.

illius potestatis essent. Cùm magis vellet credere quàm auderet consul, mistúmque gaudio ac metu A
animum gereret, authoritate motus Charopi, experiri spem oblatam statuit. & vt auerteret rem à
suspicione, biduo insequenti lacessere hostem, dispositis ab omni parte copiis, succedentibúsque in-
tegris in locum defessorum, non destitit. quatuor millia inde lecta peditum,& trecentos equites tri-
buno militum tradit. equites, quoad loca patiantur, ducere iubet: vbi ad inuia equiti ventum sit, in
planitie aliqua locari equitatum. pedites quà dux monstraret viam; ire: vbi, vt polliceatur, super
caput hostium peruentum sit, fumo dare signum: nec antè clamorem tollere, quàm ab se signo ac-
cepto pugnam cœptam arbitrari pòsset. nocte itinera fieri iubet: (& pernox fortè luna erat) inter-
diu cibi, quietísque sumeret tempus. ducem promissis ingentibos oneratum, si fides extet vinctum
tamen tribuno tradit. His copiis ita dimissis, eo intentius Romanus vndiqoe instat capere statio-
12. nes. Interim die tertio cùm verticem, quem petierant, Romani cepisse, ac tenere se fumo signifi-

Consul exercitum admouet Philippi castris.

carent: tum verò trifariam diuisis copiis, consul valle media cum militum robore succedit: cornua
dextra læuáque admouet castris. nec segnius hostes obuiam eunt.& dum auiditate certaminis pro-
uecti extra munitiones pugnant, haud paulo superior est Romanus miles & virtute & scientia & ar-
morum genere. Posteaquam multis vulneratis interfectísque recepere se regii in loca aut muni-
mento aut natura tuta, verterat periculum in Romanos, temerè in loca iniqua, nec faciles ad rece-
ptum angustias progressos. neq; impunita temeritate inde recepissent sese, ni clamor primũ à tergo
auditus, dein pugna etiam cœpta amentes repentino terrore regios fecisset. Pars in fugam effusi sunt.
pars quia magis locus fugæ deerat, quàm quòd animi satis esset ad pugnam, cùm substitissent: ab ho-
ste & à fronte & à tergo vrgente circumuenti sunt. Deleri totus exercitus potuit, si fugientes per-

Philippus fugit, & Thessaliam petit.

secuti victores essent: sed equitum angustiæ locorúmque asperitas, peditem armorum grauitas im-
pediit. Rex primò effusè ac sine respectu fugit. dein quinque millium spatium progressus, cum ex ini-
quitate locorum, id quod erat, suspicatus esset sequi non posse hostem, substitit in tumulo quodam,
dimisítque suos per omnia iuga, vallésque qui palatos in vnum colligerent. Non plus duobus milli-
bus hominum amissis, cætera omnis multitudo, velut signum aliquod secuta, in vnum cùm conue-
nisset, frequenti agmine petunt Thessaliam. Romani quoad tutum fuit insecuti, cædentes, spoliantés-

Philippi castra diripiuntur.

que cæsos, castra regia, etiam sine defensoribus difficili aditu, diripiunt: atque ea nocte in suis castris
13. manserunt. Postero die consul per ipsas angustias, quà se inter valles flomen insinuat, hostem sequi-
tur. Rex primo die ad castra Pyrrhi peruenit. locus quem ita vocant, est in Triphylia terræ Melo-
tidis. inde postero die ingenti itinere agminis (& metus vrgebat) in montem Lingon perrexit. Ipsi
montes Epiri sunt, interiecti Macedoniæ, Thessaliæque: latus quod vergit in Thessaliam, oriens spe-
ctat: septentrio à Macedonia obiicitur. vestiti frequentibus syluis sunt, iuga summa campos paten- B
tes aquásque perennes habent. Ibi statiuis rex per aliquot dies habitis fluctuatus animo est, vtrum
protinus in regnum se reciperet, an reuerti in Thessaliam posset. inclinauit sententia, suom in Thes-
saliam agmẽ dimitteret: Triccámq; proximis limitibus petit: inde obuias vrbes raptim peragrauit.

Philippus oppida Thessaliæ quà veniret hostis, incendebat.

homines, qui sequi possent, sedibus excibat: oppida incendebat: rerum suarum, quas possent, feren-
darum secum dominis ius fiebat: cætera militis præda erat. nec quod ab hoste crudelius pati possent,
reliqui quicquam fuit: quàm quæ ab sociis patiebantur. Hæc etiam facienti Philippo acerba erant,
sed è terra mox futura hostium corpora saltem eripere sociorũ volebat. ita euastata sunt oppida, Pha-
cium, Iresiæ, Euhydrium, Eretria, Palæpharus. Pheras cum peteret, exclusus: quia res egebat mora,

Aetoli fines Thessaliæ populantur

si expugnare vellet, nec tẽpus erat: omisso incepto, in Macedoniam transcẽdit. nam etiam Aetolos ap
propinquare fama erat. qui audito prælio, quod circa amnem Aoum factum erat, proximis prius eua-
statis circa Sperchias & Macran (quam vocant) comen, transgressi inde in Thessaliam Cymines &
Angeas primo impetu potiti sunt. à Metropoli dum vastant agros, concursu oppidanorum ad tuen-
da mœnia facto, repulsi sunt. Callithera inde aggressi similem impetum oppidanorũ pertinacius su-
stinuerunt: compulsísque intra mœnia qui eruperant, contenti ea victoria, quia spes nulla admodum
expugnandi erat, abscesserunt. Theuma inde, & Calathana vicos expugnant, diripiúntque. Acharras
per deditionem receperunt. Xyniæ simili metu à cultoribus desertæ sunt. Hoc sedibus suis extorre
agmen in præsidium incidit, quod Athamânum, quo tutior frumento esset, ducebatur: incondita
inermísque multitudo, mista imbelli turba, ab armatis cæsa est. Xyniæ desertæ diripiuntur. Cypha-
ra inde Aetoli capiunt, opportunè Dolopiæ imminens castellum. Hæc raptim intra paucos dies ab

Athamânes Thessaliam populantur.

14. Aetolis gesta. Nec Aminander atque Athamânes post famam prosperæ pugnæ Romanorum quieoe
runt. Cæterum Aminander quia suo militi parum fidebat, petito ab consule modico præsidio, cum
Gomphos peteret oppidũ protinus nomine Phecam, situm inter Gomphos, faucésque angustas, quæ
ab Athamania Thessaliam dirimunt, vi cepit. inde Gomphos adortus, & per aliquot dies summa vi
vrbem tuentes, cùm scalas ad mœnia erexisset, eodem metu perpulit ad deditionem. Hæc deditio
Gomphorum ingentem terrorem Thessalis intulit. dedidêre deinceps sese, qui Argenta, quíque Phe-
rinum, & Thimarum, & Lisinas, & Stimonem, & Lampsum habent, aliáque castella iuxtà ignobi-
lia. Dum Athamanes, Aetolísque summoto Macedonum metu, in aliena victoria suam prædã faciunt:
Thessaliáque à tribus simul exercitibus, incerta quem hostem, quémve socium crederet, vastatur:
consul faucibus, quas fuga hostium aperuerat, in regionem Epiri transgressus, & si probè scit cui parti,

Consul in Epirũ transgreditur.

Charopo principe excepto, Epirotæ fauissent: tamen quia ab satisfaciendi quoque cura imperata eni-
xè facere videt, ex præsenti eos potius, quàm ex præterito æstimat habitu, & ipsa facilitate veniæ ani-
mos eorum in posterum conciliat. Missis deinde nuntiis Corcyram, vt onerariæ naues in sinum
venirent

A venirent Ambracium: ipse progressus modicis itineribus, quarto die in monte Cercetio posuit castra, eodem Aminandro cum suis auxiliis accito, non tam virium eius egens, quàm vt duces in Thessaliam haberet ab eodem consilio & plerique Epirotarum voluntarii inter auxilia accepti. Primam vr 15.
bium Thessaliæ Phaleriam est aggressus. duo millia Macedonum in præsidio habebat. qui primò summa vi restiterunt, quantum arma, quantum mœnia tueri poterant. sed oppugnatio continua non die non nocte remissa, cùm consul in eo verti crederet cæterorum Thessalorum animos, si primi vim Romanam non sustinuissent, vicit pertinaciam Macedonum. Capta Phaleria, legati à Metropoli & à Piera dedentes vrbes venerunt, venia eisdem petentibus datur. Phaleria incensa ac direpta est. Inde Aeginium petit. quem locum cùm vel modico præsidio tutum, ac propè inexpugnabilem vidisset, paucis in stationem proximam telis coniectis, ad Gomphorum regionem agmen vertit. digressúsque in campos Thessaliæ, cùm iam omnia exercitui deessent, quia Epirotarũ pepercerat agris: explorato antè, vtrum Leucadem, an sinum Ambracium onerariæ tenuissent, frumentatum Ambraciam inuicem cohortes misit. & est iter à Gomphis Ambraciam, sicut impeditum ac difficile, ita spatio perbreui. intra paucos itaque dies, transuectis à mari commeatibus, repleta omni rerum copia sunt castra. Inde ad Rhagen est profectus. Decem fermè millia à Larissa abest, ex Perræbia oriundi sunt: sita est super Peneum amnem. Nihil trepidauere Thessali ad primum aduentum Romanorum.

Phaleriam expugnat Consul, & diripit.

Et Philippus, sicut in Thessaliam ipse progredi non audebat, ita intra Tempe statiuis positis, vt quisque locus ab hoste tentabatur, prælidia per occasiones summittebat. Sub idem ferè tempus, quo 16.
consul aduersus Philippum primùm in Epiri faucibus castra posuit, & L. Quintius frater consulis, cui clasis cura, maritimæ'que oræ imperium mandatum ab senatu erat, cum duabus quinqueremibus Corcyram transuectus, postquam profectam inde classem audiuit, nihil morandum ratus, cùm ad Zamnam insulam assecutus esset, dimisso L. Apustio, cni successerat: tardè inde ad Maleam trahendis plerunqne remulco nauibus, quæ cum commeatu sequebantur, peruenit. A' Malea, iussis cæteris quantum maximè possent maturatè sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis Piræum præcepit, accepítque naues ibi relictas ab L. Apustio legato ad præsidium Athenarum. Eodem tempore duæ ex Asia classes profectæ, vna cum Attalo rege: (eæ quatuor & viginti quinqueremes erant) Rhodia altera x x nauium tectarum. Agesimbrotus præerat. hæ circa Andrum insulam classes coniunctæ, Eubœam inde exiguo distantem freto traiecerunt. Carystiorum primùm agros vastarunt: deinde vbi Carystus præsidio à Chalcide raptim misso, firma visa est, ad Eretiam accesserunt. Eodem & L. Quintius cum iis nauibus quæ Piræei fuerant, Attali regis aduentu audito venit, iussítque, vt quæ ex sua classe venissent naues, Eubœam peterent. Eretria summa vi oppugnabatur: nam &

Philippus intra Tẽpe statiua posuit.

B trium iunctarum classium naues omnis generis tormenta, machinásque ad vrbium excidia secum portabant: & agri affatim materiæ præbebant ad noua molienda opera. Oppidani primò haud impigrè tuebantur mœnia: deinde fessi vulneratíque aliquot, cùm & muri partem euersam operibus hostium cernerent, ad deditionem inclinarunt. sed præsidium erat Macedonum, quos non minus quàm Romanos metuebant: & Philocles regius præfectus à Chalcide nuntios mittebat, se in tempore affuturum, si sustinerent obsidionem. Hæc mista metu spes vltra quàm vellent, aut quàm possent, trahere eos tempus cogebat. deinde posteaqnam Philoclem repulsum, trepidantémque refugisse Chalcidem acceperunt, oratores extemplò ad Attalum veniam, fidémque eius petentes miserunt. Dum in spem pacis intenti segnius munera belli obeunt: & ea modò parte, qua murus dirutus erat, cæteris neglectis, stationes armatas opponunt: Quintius noctu ab ea parte, quæ minimè suspecta erat, impetu facto, scalis vrbem cepit. oppidanorum omnis multitudo cum coniugibus ac liberis in arcem confugit: deinde in deditionem venit. pecuniæ auríque & argenti haud sanè multum fuit: signa, tabulæ priscæ artis, ornamentáque eius generis plura, quàm pro vrbis magnitudine, aut opibus cæteris inuenta. Carystus inde repetita. inde, priusquàm è nauibus copiæ exponerentur, omnis multitudo vrbe deserta in arcem confugit. inde ad fidem ab Romano petendam oratores mittunt. oppidanis extemplò vita ac libertas concessa est: Macedonibus † trecenti nummi in capita statutum est pretium: & vt armis traditis abirent. hac summa redempti, in Bœotiam inermes traiecti. Nauales copiæ duabus claris vrbibus Eubœæ intra dies paucos captis, circumuectæ Sunium Atticæ terræ promontorium, Cenchreas Corinthiorum emporium petierunt. Consul interim omnium spe longiorem atrocioremque oppugnationem habuit: & eà, quà minimum credidisset, resistebant hostes. nam omnem laborem in muro diruendo crediderat fore. si aditum armatis in vrbem patefecisset, fugam inde, cædémque hostium fore, qualis captis vrbibus fieri solet. cæterùm posteaquam parte muri arietibus decussa per ipsas ruinas transcenderunt in vrbem armati: illud principium velut noui atque integri laboris fuit. nam Macedones, qui in præsidio erant & multi & delecti, gloriam etiam egregiam rati, si armis potius & virtute, quàm mœnibus vrbem tuerentur: conferti pluribus introrsus ordinibus acie firmata, cùm transcendere ruinas sensissent Romanos, per impeditum ac difficilem ad receptum locum expulerunt. Id consul ægrè passus, nec eam ignominiam ad vnius modò expugnãdæ moram vrbis, sed ad summam vniuersi belli pertinere ratus, quòd ex momentis paruarum plerunque rerum penderet: purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat, turrim ingentis altitudinis, magnam vim armatorum multiplici tabulato portantem, promouit. & cohortes inuicem sub signis, quæ cuneum Macedonum (phalangem ipsi vocant) si possent, vi perrumperent, emittebat. Sed ad loca angusta, hand latè patente interuallo diruti muri, genus armorum pugnæ'que hosti aptius erat. vbi conferti hastas ingentis longitudinis præ se Macedones obiecissent,

Eretria oppugnatur à classe Romana & sociorum.

Eretria capitur.

17.

Carystus per deditionem accipitur.

† Valent 6 coron. & 24 sol. Turon. aut circiter.

Consul in Rhage oppugnanda nihil non molitur.

obiecissent, velut in constructam densitate clypeorum testudinem Romani pilis nequicquam emissis A
cùm strinxissent gladios: neque congredi propius, neque præcidere hastas poterant: & si quam inci-
dissent aut præfregissent, hastile fragmento ipso acuto inter spicula integrarum hastarum velut val-
lum explebat. ad hoc & muri pars adhuc integra vtraque tuta præstabat latera: nec ex longo spatio
aut cedendum, aut impetus faciendus erat: quæ res turbare ordines solet. accessit etiam fortuita res
ad animos eorum firmandos. nam cùm turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota vna in
altiorem orbitam depressa ita turrim inclinauit, vt speciem ruentis hostibus, trepidationémque insa-
18. nam superstantibus armatis præbuerit. Cùm parum quicquam succederet, consul minimè æquo ani-
mo comparationem militum generis armorúmque fieri patiebatur: simul nec maturam expugnandi
spem, nec rationem procul à mari, & in euastatis belli cladibus locis hybernandi vllam cernebat. ita-

Consul relicta obsidione à Rhage discedit.

que relicta obsidione, quia nullus in tota Acarnaniæ atq; Aetoliæ ora portus erat, qui simul & omneis
onerarias, quæ commeatum exercitui portabant, caperet: & tecta ad hybernãdum legionibus præbe-
ret, Anticyra in Phocide in Corinthium versa sinum ad id opportunissimè sita visa: quia nec procul
Thessalia, hostiúmque locis abibant: & ex aduerso Pelopõnesum exiguo maris spatio diuisam, ab ter
go Aetoliam Acarnaniámque, ab lateribus Locridem ac Bœotiam habebant. Phocidis primo impe-

Panopeam cõsul cepit, & Anticyram,

tu Panopeam sine certamine cepit. Anticyra haud multum in oppugnando præbuit moræ, Ambry-
sus inde, Hyampolísque receptæ. Daulis, quia in tumulo excelso sita est, nec scalis, nec operibus ca-
pi poterat. lacessendo missilibus eos qui in præsidio erant, cùm ad excursiones elicuissent, refugien-
do inuicem, insequendóque, & leuibus sine effectu certaminibus, eò negligentiæ & contemptus ad-
duxerunt, vt cum refugientibus in portam permisti impetum Romani facerent. & alia ignobilia ca-
stella Phocidis terrore magis, quàm armis in potestatem venerunt. Elatia clausit portas: nec nisi vi
19. cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem, aut exercitum Romanum. Elatiam obsiden-

Achæi solicitantur ut à Philippo deficiant ad Romanos.

ti cõsuli rei maioris spes affulsit, Achæorum gentem ab societate regia ad Romanam amicitiam auer
tendi. Cycliadam principem factionis ad Philippum trahentium res expulerant. Aristhenus, qui
Romanis gentem iungi volebat, prætor erat. Classis Romana cum Attalo & Rhodiis Cenchreis sta-
bat, parabántque communi omnes cõsilio Corinthum oppugnare. Optimũ igitur ratus est, priusquam
eam rem aggrederentur, legatos ad gentẽ Achæorum mitti, pollicentes, si ab rege ad Romanos de-
fecissent, Corinthum iis contributuros in antiquum gentis conciliũ. Authore consule legati à fratre

Achæorum animi uariè affecti ob legatos Romanorum & sociorum.

eius L. Quintio, Attalo, & Rhodiis, & Atheniensibus ad Achæos missi. Sicyone datum iis est conci-
lium. Erat autem non admodum simplex habitus animorum inter Achæos. terrebat eos Lacedæmo-
nius, grauis & assiduus hostis: horrebant Romana arma: Macedonum beneficiis & veteribus & re-
centibus obligati erant: regem ipsum suspectum habebant: pro eius crudelitate perfidiáque ex iis B
quæ tum ad tempus faceret, æstimantes, grauiorem post bellum dominum futurum cernebant: neq;
solùm quid in senatu quisque ciuitatis suæ, aut in communibus conciliis gentis pro sententia dicerẽt,
ignorabant: sed ne ipsis quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, satis consta-
bat. Ad homines ita incertos introductis legatis potestas dicendi facta est. Romanus primum lega-
tus L. Calpurnius, deinde Attali regis legati, post eos Rhodii disseruerunt. Philippi deinde legatis
dicendi potestas facta est. postremi Athenienses, vt refellerent Macedonum dicta, auditi sunt. ii ferè
atrocissimè in regem, quia nulli nec plura, nec tam acerba passi erant, inuecti sunt. Et illa qnidem
concio sub occasum solis, tot legatorum perpetuis orationibus die absumpto, dimissa est. Postero die
20. aduocatur concilium. vbi cum per præconem, sicut Græcis mos est, suadendi, si quis vellet, potestas
à magistratibus facta esset, nec quisquam prodiret: diu silentium aliorum alios intuentium fuit. ne-
que mirum, si, quibus sua sponte volutantibus res inter se pugnantes obtorpuerant quodãmodo ani-
mi, eos orationes quoque insuper turbauerant, vtrinque quæ difficilia essent promendo, admonendó-

Aristheni prætoris Achæorum oratio, suadentis ut à Philippo deficerẽt, & Romanis adiungerẽtur.

que per totum diem habitæ. Tandem Aristhenus prætor Achæorum, ne tacitum concilium dimit-
teret: Vbi, inquit, illa certamina animorum Achæi sunt, quibus in conuiuiis, & circulis, cum de Phi-
lippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperatis? nunc in concilio ad eãm rem vnã indicto,
cùm legatorum vtrinq; verba audieritis, cùm referant magistratus, cùm præco ad suadendum vocet,
obmutuistis: si non cura communis salutis, ne studia quidem, quæ in hanc aut illam partem animos
vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? cùm præsertim nemò tam hebes sit, qui
ignorare possit, dicendi ac suadẽdi quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc occasionem esse,
priusquã quicquam decernamus: vbi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus antè displicue-
rit, pro bono atq; vtili fœdere defendendũ. Hæc adhortatio prætoris non modò quenquam vnum e-
licuit ad suadendũ: sed ne fremitum quidem, aut murmur concionis tantæ, ex tot populis congrega-
21. tæ, mouit. Tum Aristhenus prætor rursus: Non magis consilium vobis principes Achæorum deest,
quàm lingua. sed suo quisq; periculo in cõmune cõsultum non vult. forsitan ego quoq; tacerẽ, si priua-
tus essem. nũc prætor video aut nõ dandũ concilium legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimitten
dos non esse. respondere autẽ nisi ex vestro decreto qui possum? & quando nemo vestrûm, qui in hoc
concilium aduocati estis, pro sententia quicquam dicere vult, aut audet: orationes legatorum he-
sterno die dictas pro sententiis percenseamus: perinde ac non postulauerint quæ è re sua essent, sed
suaserint quæ nobis censerent vtilia esse. Romani Rhodiíque, & Attalus societatem amicitiámque
nostram petunt: & in bello quod aduersus Philippum gerunt, se à nobis adiuuari æquum censent.
Philippus societatis secum admonet, & iurisiurandi: & modò postulat vt secum stemus, modò ne in-
tersimus armis, contentũ ait se esse. Nullíne venit in mentem, cur qui nondum socii sunt, plus petunt,
quàm

A quàm socius? Non fit hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum. Achæi portus & dant fiduciam postulantibus, & demunt. Philippi præter legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, vrbium Eubœæ spolia præ se ferens: consulem, legionésque eius exiguo maris spacio disiunctas Phocidem ac Locridem peruagantes videmus. Miramini cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, vt pro rege arma caperemus aduersus Romanos, modò egerit. qui si ex eodem fœdere ac iureiurando, cuius nobis religionem iniiciebat: rogemus eum, vt nos Philippus & ab Nabide ac Lacedæmoniis, & ab Romanis defendat: non modò præsidium, quo nos tueatur, sed ne quid respondeat quidem nobis, sit inuenturus: non hercle magis, quàm ipse Philippus priore anno. qui pollicendo se aduersus Nabidem bellum gesturum, cùm tentasset nostram iuuentutem hinc in Eubœam extrahere, posteaquam nos neque decernere id sibi præsidium, neque velle illigari Romano bello vidit, oblitus societatis eius quam nunc iactat, vastandos depopulandósque Nabidi ac Lacedæmoniis reliquit. Ac mihi quidem minimè conueniens inter se oratio Cleomedontis visa est. Eleuabat Romanum bellum euentúmque eius eundem fore, qui prioris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, quàm præsens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur? nos dico? quid ita passus est Eretriam, Carystúmque capi? quid ita tot Thessaliæ vrbes? quid ita Locridem, Phocidémque? quid ita nunc Elatiam oppugnari patitur? cur excessit faucibus Epiri, claustrísque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem aut vi, aut metu, aut voluntate? relictóque, quem insidebat, saltu, penitus in regnum abiit? si sua voluntate tot socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare potest quin & socii sibi consulant? si metu, nobis quoque ignoscat timentibus. si victus armis cessit, Achæi nos arma Romana sustinebimus, Cleomedon, quæ vos Macedones non sustinuistis? An tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis, nec viribus bellum gerere, quàm antea gesserint: potius quàm res ipsas intueamur? Aetolos tum classe adiuuerunt. nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt. sociorum Philippi maritimæ vrbes in terrore ac tumultu erant. mediterranea adeò tuta ab Romanis armis fuerunt, vt Philippus Aetolos nequicquam opem Romanorum implorantes depopularetur. nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sexdecim annos velut intra viscera Italiæ tolerauerunt: non præsidium Aetolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra maríque simul Macedoniæ intulerunt. tertius iam consul summa vi gerit bellum. Sulpitius in ipsa Macedonia congressus, fudit fugauítque regem, partem opulentissimam regni eius depopulatus. nunc Quintius tenentem claustra Epiri, natura loci, munimentis, exercitúque fretum castris exuit: fugientem in Thessaliam persecutus, præsidia regia, sociásq; eius vrbes propè in conspectu regis ipsius expugnauit. Ne sint vera quæ Atheniensis

B ses modò legati de crudelitate, auaritia, & libidine regis dixerunt: nihil ad nos pertineant quæ in terra Attica scelera in superos inferósque deos sint admissa: multo minus, quàm quæ Elæuntii, Abydenique, qui procul à nobis absunt, passi sunt: nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliuiscamur: cædes direptionesq; honorum Messenæ in media Peloponneso factas, & hospitem Cyparissiæ Garitenẽ contra ius omne ac fas inter epulas propè ipsas occisum: & Aratum patrem filiúmq; Sicyonios, cum senem infelicẽ parentem etiam appellare solitus esset, interfectos: filii etiam vxorẽ libidinis causa in Macedoniã asportatam: cætera stupra virginũ, matronarúmq; obliuioni dentur. ne sint cũ Philippo res, cuius crudelitatis metu obmutuistis omnes: (nam quæ alia tacendi aduocatis in concilium causa est?) cum Antigono mitissimo ac iustissimo rege, & de nobis omnibus optimè merito existimemus disceptationẽ esse: num id postularet facere nos, quod tum fieri nõ posset? Peninsula est Peloponnesus, angustiis Isthmi faucibus continenti adhærens, nulli apertior atque opportunior quàm nauali bello. si centum tectæ naues, & quinquaginta leuiores apertæ, & triginta Issaici lembi maritimam oram vastare, & expositas propè in ipsis litoribus vrbes cœperint oppugnare, in mediterraneas scilicet nos vrbes recipiemus? tanquam non intestino, & hærente in ipsis visceribus vramur bello? cùm terra Nabis, & Lacedæmonii, mari Romana classis vrgebunt: vnde regiam societatẽ, & præsidia Macedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano tutabimur vrbes, quæ oppugnabuntur? egregiè enim Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorum nobis alienæ clades præbent: ne quæramus quemadmodum cæteris exemplo simus. Nolite, quia vltro Romani petunt amicitiã, id quod optandum vobis ac summa ope petendum erat, fastidire. metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub vmbra auxilii vestri latère volunt, in societatẽ vestram confugiunt, vt portubus vestris recipiantur, vt commeatibus vtantur. Mare in potestate habent, terras quascunque adeunt extemplò ditionis suæ faciunt. quod rogãt, cogere possunt: quia pepercisse volunt, cõmittere vos cur pereatis nõ patiuntur. Nam quod Cleomedon modò tanquam mediam, & tutissimam vobis viam consilii, vt quiescere-tis, abstineretísque armis ostendebat, ea non media, sed nulla via est. etenim præterquàm quòd aut accipienda, aut aspernãda vobis Romana societas est: quid aliud quàm nusquam gratia stabilis, velut qui euentum expectauerimus, vt fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victoris erimus? Nolite, si quod omnibus votis petendũ erat, vltro offertur, fastidire. non quemadmodũ hodie vtrumq; vobis licet, sic semper liciturum est. nec sæpe, nec diu eadem occasio erit. Liberare vos à Philippo iandiu magis votis, quàm armis audetis. sine vestro labore & periculo qui vos in libertatem vindicarent, cum magnis classibus exercitibúsq; mare traiecerunt. hos si socios aspernamini, vix sanæ mẽtis estis. sed aut socios, aut hostes habeatis oportet. Secundum orationem prætoris murmur ortum aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentiẽtes increpantium: & iam nõ singuli tantum, sed populi vniuersi inter se altercabantur: tum inter magistratus gentis (Damiurgos vocant, decẽ numero creantur) 22.

certamen

Damiurgi Achæorum de summa rerum dissentiunt.

certamen nihilo segnius, quàm inter multitudinem esse. quinque relaturos se de societate Romana A aiebant, suffragiúmque daturos: quinque lege cautum testabantur, nequid, quod aduersus Philippi societatem esset, aut referre magistratibus, aut decernere concilio ius esset. Hic quoque dies iurgiis est consumptus. Supererat vnus iusti concilii dies: (tertio enim lex iubebat decretum fieri) in quem adeò exarsere studia, vt vix parentes à liberis temperauerint. Rhisiasus Pellenensis erat, filium Damiurgum, nomine Memnonem habebat, partis eius, quæ decretum recitari, perrogaríque sententias prohibebat. is diu obtestatus filium, vt consulere Achæos communi saluti pateretur, neu pertinacia sua gentē vniuersam perditum iret: posteaquam parum proficiebant preces, iuratus se eum sua manu interempturum: nec pro filio, sed pro hoste habiturum: minis peruicit, vt postero die coniungeret iis se, qui referebant. qui cùm plures facti referrent, omnibus ferè populis haud dubiè approbātibus relationem, ac præ se ferentibus quid decreturi essent: Dymæi, ac Megalopolitani, & quidam Argiuorum, priusquàm decretum fieret, consurrexerunt, ac reliquerunt concilium, neque mirante vllo, neque improbante. nam Megalopolitanos auorum memoria pulsos ab Lacedæmoniis restituerat in patriam Antigonus: & Dymæis captis nuper, direptísq; ab exercitu Romano, cum redimi eos vbicunque seruirent, Philippus iussisset: nō libertatem modò, sed etiam patriam reddiderat. iam Argiui præterquam quòd Macedonum reges ab se oriundos credunt, priuatis etiam hospitiis, familiarique amicitia plerique illigati Philippo erant. ob hæc concilio, quòd inclinauerat ad Romanam societatem ineundam, excesserunt: veniáque iis huius secessionis fuit, & magnis & recentibus obligatis beneficiis.

Achæi deficiunt à Philippo.

23. Cæteri populi Achæorum, cùm sententiæ perrogarentur, societatem cum Attolo ac Rhodiis præsenti decreto confirmarunt: cum Romanis, quia iniussu populi non poterat rata esse, in id tempus, quo Romam mitti legati possent, dilata est. in præsentia tres legatos ad L. Quintium mitti placuit, & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoueri, captis Cenchreis, iam vrbem ipsam Quintio oppugnante.

Corinthus oppugnatur

Et ii quidem è regione portæ, quæ fert Sicyonem, posuerunt castra: Romani ad Cenchreas versam partem vrbis, Attalus traducto per Isthmum exercitu, ab Lechæo alterius maris portu, oppugnabant primò segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos, ac regium præsidium, posteaquam vno animo omnes, & Macedones tanquam communem patriam tuebantur: & Corinthii ducem præsidii Androsthenem haud secus quàm ciuem, & suffragio creatum suo, imperio iusto patiebantur. omnis inde spes pugnantibus in vi, & armis, & operibus erat: vndique aggeres haud facili aditu ad mœnia admouebantur. Aries ex ea parte, quam Romani oppugnabant, aliquantum muri diruerat. in quem locum, quia nudatus munimento erat, protegendum armis cùm Macedones concurrissent, atrox prælium inter eos ac Romanos ortum est. ac primò multitudine facilè expellebantur Romani: assumptis deinde Achæorum, Attalíque auxiliis, æquabant certamen: nec du B biū erat, quin Macedones Græcósq; facilè loco pulsuri fuerint. Transfugarum Italicorū magna multitudo erat: pars ex Annibalis exercitu metu pœnæ à Romanis Philippū secuti, pars nauales socii relictis nuper classibus ad spem honoratioris militiæ trāsgressi. hos desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem magis, quàm audaciam accendebat. Promontorium est aduersus Sicyonem Iunonis, quam vocant Acræam, in altum excurrens: traiectus inde Corinthum, septem millia fermè passuum, eò Philocles regius & ipse præfectus, mille & quingentos milites per Bœotiam ducit. præsto fuere à Corintho lembi, qui præsidium id acceptū Lechæum traiicerent. Author erat Attalus, in censis operibus omittendæ extemplò oppugnationis. pertinacius Quintius in incepto perstabat. is quoque, vt pro omnibus portis disposita vidit præsidia regia, nec facilè erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit. ita irrito incepto, dimissis Achæis, reditum ad naues est. Attalus Piræeum,

Elatia oppugnatur à Romanis.

24 Romani Corcyram petierunt. Dùm hæc à nauali exercitu geruntur, Cos. in Phocide ad Elatiam castris positis, primò colloquiis rem per principes Elatiensium tentauit. posteaquam nihil esse in manu sua, & plures validioresque esse regios, quàm oppidanos respondebatur, tum simul ab omni parte operibus armísque vrbem est aggressus. Ariete admoto quantum inter turres muri erat prorutū, cum ingenti fragore ac strepitu nudasset vrbem, simul & cohors Romana per apertum recenti strage iter inuasit: & ex omnibus oppidi partibus, relictis suis quisque stationibus, in eum qui premebatur impetu hostium, locum concurrerunt. Eodem tempore Romani & ruinas muri superuadebant, & scalas ad stantia mœnia inferebant. & dum in vnam partem oculos animósque hostium certamen auerterat, pluribus locis scalis capitur murus, armatíque in vrbem transcenderunt. quo tumultu audito territi hostes, relicto, quem conferti tuebantur, loco, in arcem omnes metu, inermi quoque sequente turba, confugerunt. ita vrbe potitur Cos. qua direpta, missis in arcem, qui vitam re-

Elatia capitur.

25. giis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fidéque in hæc data, post paucos dies arcem recipit. Cæterùm aduentu in Achaiam Philoclis regii præfecti non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argiuorum quoque ciuitas per quosdam principes Philocli prodita est, tentatis prius animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo velut omnis causa prætores pronunciare Iouem Apollinémque & Herculem. additum legi erat, vt iis Philippus rex adiiceretur. cuius nomen post pactam cum Romanis societatem quia præco non adiecit, fremitus primò multitudinis ortus: deinde clamor subiicientium Philippi nomen, iubentiúmque legitimum honorem vsurpare: donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Huius fiducia fauoris Philocles accersitus, nocte occupat collem imminentem vrbi, (Larissam eam arcem vocant) positóque ibi præsidio, cùm lucis principio signis infestis ad subiectum arci forum vaderet, instructa acies ex aduerso occurrit. præsidium erat Achæorum nuper impositum, quingenti ferè iuuenes delecti omnium ciuitatum. Aenesidemus Dymæus præerat.

A præerat. Adhortator à præfecto regio missus,qui excedere vrbe iuberet: (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idem quod Macedones sentirent, nedum adiunctis Macedonibus esse, quos ne Romani quidem ad Corinthum sustinuissent) primò nihil nec ducem, nec ipsos monit: pòst paulo vt Argiuos quoque armatos ex parte altera veoientes magno agmine viderunt, certam perniciem cernentes, omnem tamen casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri. Aenesidemus, ne flos Achæorum iuuentutis simul cum vrbe amitteretur, pactus cum Philocle vt abire illis liceret,ipse quo loco steterat, armatus cum paucis clientibus non excessit. missus à Philocle qui quæreret, quid sibi vellet?nihil fatus,tantummodo cum proiecto præ se clypeo staret,in præsidio creditæ vrbis moriturum se armatum respondit.tum iussu præfecti à Thracibus coniecta tela,interfectíque omnes.Et post pactam inter Achæos & Romanos societatem duæ nobilissimæ ciuitates, Argi & Corinthus, in potestate regis erant. Hæc ab Romanis ea æstate in Græcia terra maríque gesta. In Gallia nihil sanè memorabile ab Sext. Aelio cos. gestum, cùm duos exercitus in prouincia habuisset, vnum retentum, quem dimitti oportebat, cui L.Cornelius procos.præfuerat (ipse ei C.Aelium prætorem præfecit) alterum,quem in prouinciam adduxit, totum propè annum Cremonensibus Placentinísque cogendis redire in colonias,vnde belli casibus dissipati erant,consumpsit. Quemadmodum Gallia præter spem quieta eo anno fuit, ita circa vrbem seruilis propè tumultus excitatus est. Obsides Carthaginiensium Setiæ custodiebantur: cum iis, vt principum liberis, magna vis seruorum erat. augebant eorum numerum, vt ab recenti Africo bello, & ab ipsis Setinis captiua aliquot nationis eius ex præda empta mancipia. Cùm coniurationem fecissent, missis ex eo numero qui in Setino agro, deinde circa Norbam & Circeios seruitia solicitarent: satis iam omnibus præparatis ludis, qui Setiæ propediem futuri erant, spectaculo intentum populum aggredi statuerant: Setia per cædem & repentinum tumultum capta, Norbam & Circeios occupare. Huius rei tam fœdæ indicium Romam ad L.Cornelium Lentulum prætorem vrbis delatum est. Serui duo ante lucem ad eum venerunt, atque ordine omnia quæ acta futuráque erant, exposuerunt. quibus domi custodiri iussis, prætor senatu vocato, edoctóque quæ indices afferrent, proficisci ad eam coniurationem quærendam atque opprimendam iussus.cum quinque legatis profectus, obuios in agris sacramento rogatos arma capere, & sequi cogebat.hoc tumultuario delectu duobus millibus fermè hominum armatis,Setiam,omnibus quò pergeret ignaris, venit.ibi raptim principibus coniurationis comprehensis, fuga seruorum ex oppido facta est.dimissi deinde per agros,qui vestigarent. Egregia duorum opera seruorū indicum & vnius liberi fuit. ei † centum millia grauis æris dari patres iusserunt: seruis † vicena quina millia æris, & libertatem.pretium eorum ex ærario solutum est dominis. Haud ita multo pòst,ex eiusdem coniura-

B tionis reliquiis nuntiatū est seruitia Præneste occupatura. Eò L.Cornelius prætor profectus, de quingentis ferè hominibus,qui in ea noxa erant,supplicium sumpsit. In timore ciuitas fuit, obsides captiuósque Pœnorum ea moliri, itaque & Romæ vigiliæ per vicos seruatæ: iussíque circumire eas minores magistratus,& triumuiri carceris latomiarum intentiorem custodiam habere iussi:& circa nomen Latinum à prætore literæ missæ, vt & obsides in priuato seruarentur, neque in publicum prodeundi facultas daretur,& captiui ne minus decem pondo compedibus vincti in nulla alia, quàm in carceris publici custodia essent. Eodem anno legati ab rege Attalo coronam auream † CCXLVI pondo in Capitolio posuerunt: gratiásque senatui egerunt,quòd Antiochus legatorum Romanorum authoritate motus, finibus Attali exercitum deduxisset. Eadem æstate equites ducenti, & elephanti decem, & tritici modiûm CC millia ab rege Masanissa ad exercitum,qui in Græcia erat, peruenerunt. Item ex Sicilia Sardiniáque magni commeatus, & vestimenta exercitui missa. Siciliam M.Marcellus, Sardiniam M.Porcius Cato obtinebat,sanctus & innocens, asperior tamen in fœnore coercendo habitus.fugatíque ex insula fœneratores:& sumptus,quos in cultum prætorū socii facere soliti erant, circumcisi,aut sublati. Sext. Aelius cos.ex Gallia comitiorum causa Romam cùm redisset, creauit coss.Cn.Cornelium Cethegum,& Q.Minutium Rufum.Biduo pòst prætorum comitia hábita. Sex prætores illo anno primùm creati: crescentibus iam prouinciis, & latius patescente imperio. creati autem hi,L.Manlius Volso,Cn.Sempronius Tuditanus,M.Sergius Silus,M.Heluius,M.Minutius Rufus,L.Acilius.Sempronius,& Heluius ex iis ædiles plebis erant. ædiles curules, Q. Minutius Thermus,& T.Sempronius Longus, Ludi Romani eo anno quater instaurati. Cn.Cornelio, & Q.Minutio coss. omnium primùm de prouinciis consulum prætorúmque actum,prius de prætoribus transacta res, quæ transigi sorte poterat. vrbana Sergio, peregrina iurisdictio Minutio obtigit. Sardiniam Acilius,Siciliam Manlius,Hispaniam Sempronius citeriorem, Heluius vlteriorem est sortitus. Consulibus Italiam Macedoniámque sortiri parantibus,L.Oppius, & Q.Fuluius Tribunus plebis impedimento erant,quòd longinqua prouincia Macedonia esset: neque vlla alia res maius bello impedimentum ad eam diem fuisset, quàm quòd vixdum inchoatis rebus in ipso conatu gerendi belli prior cos.reuocaretur.Quartum iam annum esse ab decreto Macedonico bello,quærendo regem,& exercitum eius,Sulpitium maiorem partem anni absumpsisse. Villium congredientem cum hoste, re infecta reuocatum.Quintium rebus diuinis Romæ maiorem partem anni retentum: ita gessisse tamen res,vt si aut maturius in prouinciam venisset, aut hyemis magis sera fuisset, potuerit debellare. nunc propè in hyberna profectum ita comparare dici bellum,vt nisi successor impediat,perfecturus æstate proxima videatur.His orationibus peruicerunt: vt consules in senatus authoritate fore dicerent se, si idem tribuni facerent. Permittentibus vtrisque liberam consultationem, patres consulibus ambobus Italiam prouinciam decreuerūt, T.Quintio prorogarunt imperium,donec successor ei venisset. Con-

Aenesidemi constantia.

Sext. Aelius Cos. nihil in Gallia memorabile gessit. 26

Seruilis tumultus.

Seruorū cōiuratio detegitur.

† Val. 1000 coron.

† Val. 250 coron.

† Valent 2755½ cor. 27

Sex prætores hoc anno primùm creati. 28

Tribuni plebis intercedunt ne nouus Cos. prouincia mandetur Macedonia.

sulibus binæ legiones decretæ: & vt bellum cum Gallis cisalpinis, qui defecissent à populo Romano, A
gererent. Quintio in Macedoniam supplementum decretum peditum quinque millia, & trecenti
equites, & sociorum naualium tria millia. Præesse idem qui præerat, classi L. Quintius Flaminius ius-
sus. Prætoribus in Hispanias octona millia peditum sociûm ac Latini nominis data: & quadringenti
equites, vt dimitterent veterem ex Hispaniis militem. & terminare iussi, quà vlterior citeriórve pro-
uincia seruaretur. Macedoniæ legatos P. Sulpitium, & P. Villium, qui COSS. in ea prouincia fuerant,
29. *Prodigia.* adiecerunt. Prius quàm COSS. prætoresque in prouincias proficiscerentur, prodigia procurari pla-
cuit: quòd ædes Vulcani Summanique Romæ, quòd & Fregellis murus, & porta de cælo tacta erant:
& Frusinone inter noctem lux orta: & Asculo agnus biceps cum quinque pedibus natus: & For-
miis duo lupi oppidum ingressi, obuios aliquot laniauerant: Romæ non in vrbem solùm, sed in Ca-
pitolium penetrauerat lupus. C. Acilius Tribunus plebis tulit, vt quinque coloniæ in oram mariti-
Quinque coloniæ in orã maritimam deductæ. mam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique, vna Puteolos, vna ad castrum Sa-
lerni. his Buxentum adiectum. tricenæ familiæ in singulas colonias iubebantur mitti. triumuiri de-
ducendis iis qui per triennium magistratû haberent, creati, M. Seruilius Geminus, Q. Minutius Ther-
mus, T. Sempronius Longus. Delectu rebúsque aliis diuinis humanisque, quæ inter ipsos agendæ
erant, perfectis, COSS. ambo in Galliam profecti. Cornelius recta ad Insubres via, qui tum in armis
erant, Cenomanis assumptis, Q. Minutius in læua Italiæ ad inferum mare flexit iter: Genuámque ex-
ercitu abducto, ab Liguribus orsus est bellum. Oppida Clastidium & Litubium, vtraque Ligurum, &
duæ gentis eiusdem ciuitates, Celelates, Cerdiciatésque sese dediderunt. Et iam omnia cis Padum,
præter Gallorum Boios, Iluates Ligurum, sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti
30. millia esse dicebantur, quæ se dediderant. Inde in agrum Boiorum legiones duxit. Boiorum exerci-
tus haud ita multo antè traiecerat Padum, iunxerátque se Insubribus & Cenomanis: quòd ita acce-
perant, coniunctis legionibus COSS. rem gesturos, vt & ipsi collatas in vnum vires firmarent. post-
eaquam fama accidit, alterum COS. Boiorum vrere agros: seditio extemplò orta est. postulare Boii,
vt laborantibus opem vniuersi ferrent. Insubres negare se sua deserturos. ita diuisæ copiæ, Boiisque in
agrum suum tutandum profectis, Insubres cum Cenomanis super amnis Mincii ripas consederunt.
Cons. Cornelius aduersus Insubres prospere pugnauit. Infra eum locum quinque millia passuum. & COS. Cornelius eidem flumini castra applicuit. inde
mittendo in vicos Cenomanorum, Brixiámque, quæ caput gentis erat, vt satis comperit, non ex au-
thoritate seniorum iuuentutem in armis esse, ne publico consilio Insubrium defectioni Cenomanos se
adiunxisse, excitis ad se principibus, id agere ac moliri cœpit, vt desciscerent ab Insubribus Ceno-
mani, & signis sublatis aut domos redirent, aut ad Romanos transirent. & id quidem impetrari ne-
quiit. in id data fides COS. est, vt in acie aut quiescerent: aut si qua etiam occasio fuisset, adiuuarent B
Romanos. Hæc ita conuenisse Insubres ignorabant: suberat tamen quædam suspicio animis, labare
fidem sociorum. itaque cùm in aciem eduxissent, neutrum iis cornu committere ausi, ne si dolo ces-
sissent, rem totam inclinarent, post signa in subsidiis eos locauerunt. COS. principio pugnæ vouit
ædem Sospitæ Iunoni, si eo die hostes fusi fugatique essent: à militibus clamor sublatus, compotem
voti COS. se facturos, & impetus in hostes est factus. non tulerunt Insubres primum concursum.
Quidam & à Cenomanis terga repentè in ipso certamine aggressis tumultum ancipitem iniectum
authores sunt, cæsaque in medio quinque & triginta millia hostium, quinque millia & DCC viuos ca-
Amilcar captus in bello Gallico. ptos: in iis Amilcarem Pœnorum imperatorem, qui belli causa fuisset: signa militaria CXXX, & car-
31. penta supra CC. Oppida, quæ defectionem secuta erant, dediderunt se Romanis. Minutius COS. pri-
mò effusis populationibus peragrauerat fines Boiorum, deinde vt relictis Insubribus ad sua tuenda
receperant sese, castris se tenuit, acie dimicandum cum hoste ratus. Nec Boii detrectassent pugnam,
ni fama victos Insubres allata animos fregisset. itaque relicto duce castrísque, dissipati per vicos, sua
vt quisque defenderent, rationem gerendi belli hosti mutarunt. omissa enim spe per vnam dimica-
tionem rei decernendæ, rursus populari agros, & vrere tecta, vicósque expugnare cœpit. Per eos-
dem dies Clastidium incensum. inde in Ligusticos Iluates, qui soli non parebant, legiones ductæ. Ea
quoque gens vt Insubres acie victos, Boios, ita vt tentare spem certaminis non auderent, territos au-
diuit, in deditionem venit. Literæ consulum à Gallia de gestis prosperè sub idem tempus Romam al-
latæ. M. Sergius Prætor vrbanus in senatu eas, deinde ex authoritate patrum ad populum recitauit.
32. *Supplicatio in quatriduũ decreta ob res in Gallia prospere gestas.* supplicatio in quatriduum decreta. Hyems iam eo tempore erat. Cùm T. Quintius capta Elatia, in
Phocide ac Locride hyberna disposita haberet. Opunte seditio orta est. Factio vna Aetolos, qui pro-
piores erant: altera Romanos accersebat. Aetoli priores venerunt. sed opulentior factio exclusis Ae-
tolis, missóque ad imperatorem Romanum nuntio, vsque ad aduentum eius tenuit vrbem. arcem re-
gium tenebat præsidium: neque vt discederent inde, aut Opuntiorum minis, aut authoritate impe-
rantis COS. Romani perpelli potuerunt. Mora cur non extemplò oppugnarentur, ea fuit: quòd ca-
duceator ab rege venerat, locum ac tempus petens colloquio. id grauatè cõcessum regi est. non quin
cuperet Quintius per se partim armis, partim conditionibus cõfectum videri bellum. necdum enim
sciebat, vtrum successor sibi alter ex nouis consulibus mitteretur: an, quod summa vi vt tenderent,
amicis & propinquis mandauerat, imperium prorogaretur. aptum autem fore colloquium credebat,
vt sibi liberum esset, vel ad bellum manenti, vel ad pacem decedenti rem inclinare. In sinu Maliaco
Philippi & Quintij colloquium. prope Niceam litus elegere. eò rex ab Demetriade cum quinque lembis, & vna naue rostrata venit.
Erant cum eo principes Macedonum, & Achæorum exul vir insignis Cycliadas. Cum imperatore
Romano rex Amynander erat, & Dionysodorus Attali legatus, & Agesimbrotus præfectus Rhodiæ
classis,

A clasſis, & Phaneas prioceps Aetolorum, & Achæi duo, Aristhenus & Xenophon. Inter hos Romanus ad extremum litus progreſſus, cùm rex in proram nauis in anchoris ſtantis proceſsiſſet. Commodius, inquit, ſi in terram egrediaris, ex propinquo dicamus inuicem, audiamúſque. Cùm rex facturum ſe id negaret: Quem tandem, inquit Quintius, times? Ad hoc ille ſuperbo & regio animo: Neminem equidem timeo, præter deos immortales: non omnium autem credo fidei, quos circa te video, atque omnium minimè Aetolis. Iſtud quidem, ait Romanns, par omnibus periculum eſt, qui cum hoſte ad colloquium congrediuntur, vt nulla fides ſit. Non tamen, inquit rex, T. Quinti par perfidiæ præmium eſt, ſi fraude agatur, Philippus & Phaneas. neque enim æquè difficulter Aetoli prætorem alium, ac Macedones regem in meum locum ſubſtituant. Secundum hæc ſilentium fuit. Cùm Romanus eum æquum cenſeret priorem dicere, qui petiſſet colloquium: rex, eius eſſe priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet: tum Romanus, ſimplicem ſuam orationem eſſe. ea enim ſe dicturum, quæ ni fiant, nulla ſit pacis conditio. 33. Deducenda ex omnibus Græciæ ciuitatibus regi præſidia eſſe. captinos & transfugas ſociis populi Romani reddendos, reſtituenda Romanis ea Illyrici loca, quæ poſt pacem in Epiro factam occupaſſet. Ptolemæo regi Aegypti reddendas vrbes, quas poſt Philopatoris Ptolemæi mortem occupaſſet. Suas populíque Romani conditiones has eſſe: cæterùm & ſociorum audiri poſtulata verum eſſe. Attali regis legatus naues captiuóſq;, quæ ad Chium nauali prælio capta eſſent, & Nicephorium, Veneríſque templum, quæ ſpoliaſſet euaſtaſſétque, pro incorruptis reſtitui: Rhodii Peræam (regio eſt continentis aduerſus inſulam, vetuſtæ eorum ditionis) repetebant, poſtulabántque præſidia deduci ab Iaſſo, & Bargyllis, & Euromenſium vrbe, & in Helleſponto Seſto atque Abydo, & Panopolin Byzantiis in antiqui formulam iuris reſtitui, & liberari omnia Aſiæ emporia portúſque. Achæi Corinthum & Argos repetebãt. Prætor Aetolorum Phaneas cùm eadem ferè quæ Romani, vt Græcia decederetur, poſtulaſſet, redderentúrque Aetolis vrbes, quæ quondam iuris aut ditionis eorum fuiſſent, excepit orationem eius princeps Aetolorum Alexander, vir (vt inter Aetolos) facundus. Iamdudum ſe reticere, ait, non quò quicquam agi putet eo colloquio, ſed ne quem ſociorum dicentem interpellet. Neque de pace cum fide Philippum agere, neqne bella vera virtute vnquam geſsiſſe. in colloquiis inſidiari & captare, in bello non congredi æquo campo, neque collatis ſignis dimicare, ſed refugientem incendere ac diripere vrbes, & vincentium præmia victum corrumpere. At non antiquos Macedonum reges, ſed acie bellare ſolitos, vrbibus parcere quantum poſſent, quo opulentius imperium haberent. Nam de quorum poſſeſsione dimicetur tollentem, nihil ſibi præter bellum relinquere, quod conſilium eſſe? Plures priore anno ſociorum vrbes in Theſſalia euaſtaſſe Philippum: quàm omnes qui vnquam hoſtes Theſſaliæ fuerint. ipſis quoque Aetolis eum

Pacis leges dat Quintius.

Alexandri Aetolorum principis ad Philippum oratio.

B plura ſocium, quàm hoſtem ademiſſe. Lyſimachiam pulſo prætore & præſidio Aetolorum occupaſſe eum. Chium item ſuæ ditionis vrbem funditus euertiſſe ac deleſſe. eadem fraude habere eum Thebas Phthias, Echinum, Lariſſam & Pharſalum. Motus oratione Alexandri Philippus nauem, vt exaudiretur, propius terram applicuit. 54. Orſum eum dicere in Aetolos maximè violenter, Phaneas interfatus, non in verbis rem verti, ait: aut bello vincendum, aut melioribus parendum eſſe. Apparet id quidem, inquit Philippns, etiam cæco: iocatus in valetudinem oculorum Phaneæ. & erat dicacior natura, quàm regem decet: & ne inter ſeria quidem riſu ſatis temperans. Indignari iode cœpit: Aetolos, tanquam Romanos decedi Græcia iubere: qui, quibus finibus Græcia ſit, dicere non poſsint. ipſius enim Aetoliæ Agræos Apodeotáſque & Amphilochos, quæ permagna eorum pars ſit, Græciam non eſſe. An quod à ſociis eorum non abſtinuerim, iuſtam querelam habent? cùm ipſi pro lege hunc morem antiquitus ſeruent: vt aduerſus ſocios ipſi ſuos publica tantum authoritate dempta, iuuentutem ſuam militare ſinant: & contrariæ perſæpe acies in vtraque parte Aetolica auxilia habeant? Neque ego Chium expugnaui, ſed Pruſiam ſocium & amicum oppugnantem adiuui: & Lyſimachiam ab Thracibus vindicaui. ſed quia me neceſsitas ad hoc bellum à cuſtodia eius auertit, Thraces habent. Et Aetolis hæc. Attalo autem Rhodiíſque nihil iure debeo. non enim à me, ſed ab illis principium belli ortum eſt. Romanorum autem honoris cauſa Peræam Rhodiis, & naues Attalo cum captiuis, qui comparebunt, reſtituam. nam quod ad Nicephorium Veneríſque templi reſtitutionem attinet: quid ea reſtitui poſtulantibus reſpondeam? niſi quo vno modo luci ſyluæque cæſæ reſtitui poſſunt, curam impenſámque ſationis me præſtaturum: quoniam hæc inter ſe reges poſtulare & reſpondere placet. Extrema eius oratio aduerſus Achæos fuit: in qua orſus ab Antigoni primùm, ſuis deinde erga eam gentem meritis, recitari decreta eorum iuſsit, omneis diuinos humanóſque honores complexa. atque ad ea adiecit recens de exercitu, quòd ab ſe deſciuiſſet. inuectúſque grauiter in perfidiam eorum, Argos tamen ſe redditurum eis dixit. de Corintho cum imperatore Romano deliberaturum eſſe, quæſiturúmque ſimul ab eo, vtrum iiſne vrbibus decedere ſe æquum cenſeat, quas à ſeipſo captas iure belli habeat? an iis etiam, quas à maioribus ſuis accepiſſet? Parantibus Achæis Aetolíſque ad ea reſpondere, cùm prope occaſum ſol eſſet: dilato in poſterum diem colloquio, Philippus in ſtationem, ex qua profectus erat, Romani ſociique in caſtra redierunt. Quintius 55. poſtero die ad Nicæam (is enim locus placuerat) ad conſtitutum tempus venit. Philippi oullus vſquam nec nuntius ab eo per aliquot horas veniebat: & iam deſperantibus venturum repentè apparuerunt naues. atque ipſe quidem, cùm tam grauia & indigna imperarentur, inopem conſilii diem ſe conſumpſiſſe deliberando aiebat. Vulgo credebatur de induſtria rem in ſerum tractam, ne tempus dari poſſet Achæis Aetolíſque ad reſpõdendum. & eam opinionem ipſe affirmauit, petendo, vt ſummotis aliis, nec tempus altercando tereretur, & aliquis finis rei impooi poſſet: cum ipſo imperatore

Philippus natura dicacior.

Philippus ad pacis leges reſpondet.

Romano liceret ſibi colloqui. Id primò non acceptum, ne excludi colloquio viderentur ſocii.deinde A
cùm haud abſiſteret petere,ex omnium conſilio Romanus imperator cum Appio Claudio Tribuno militum cæteris ſummotis, ad extremum litus proceſsit. Rex cum duobus, quos pridiè adhibuerat, in terram eſt egreſſus. Ibi cùm aliquandiu ſecreto locuti eſſent, quæ acta ad ſuos Philippus retulerit, minus compertum eſt. Quintius hæc retulit ad ſocios. Romanis eum cedere tota Illyrici ora, perfugas remittere,ac ſi qui eſſent captiui. Attalo naues,& cum iis captos nauales ſocios: Rhodiis regionem, quam Peræam vocant, reddere:Iaſſo & Bargyllis non ceſſurum. Aetolis Pharſalum Lariſſamq; reddere, Thebas nō reddere. Achæis non Argis modò,ſed etiam Corintho ceſſurum. Nulli omnium placere partium, quibus ceſſurus, aut non ceſſurus eſſet, deſtinatio. plus enim amitti in iis, quàm acquiri: nec vnquam, niſi tota deduxiſſet Græcia præſidia,cauſas certaminum deponere. Cùm hæc toto

Philippus & Romanus imperator excluſis ſocijs ſoli colloquuntur.

36 ex concilio certatim omnes vociferarentur, ad Philippum quoque procul ſtantem vox eſt perlata. itaque à Quintio petit, vt rem totam in poſterum diem differret. profectò aut perſuaſurum ſe, aut perſuaderi ſibi paſſurum. Litus ad Thronium colloquio deſtinatur.eò maturè conuentum eſt.Ibi Philippus primò & Quintium, & omnes qui aderant, rogare, ne ſpem pacis turbare vellent. poſtremò petere tempus, quo legatos Romam ad ſenatum mittere poſſet. aut his conditionibus ſe pacem impetraturum, aut quaſcunque ſenatus dediſſet, leges pacis accepturum. Id cæteris haudquaquam placebat.nec enim aliud,quàm moram & dilationem ad colligendas vires quæri. Quintius verum id futurum fuiſſe, dicere: ſi æſtas, & tempus rerum gerendarum eſſet. nunc hyeme inſtante nihil amitti, dato ſpatio ad legatos mittendos. nam neque ſine authoritate ſenatus quicquam eorum ratum fore, quæ cum rege ipſi pepigiſſent: & explorari, dum bello neceſſariam quietem ipſa hyems daret, ſenatus authoritatem poſſe. In hanc ſententiam & cæteri ſociorum principes conceſſerunt: induciiſque datis in duos menſes, & ipſos mittere ſingulos legatos ad edocendum ſenatum, ne fraude regis caperetur, placuit. additum induciarum pacto, vt regia præſidia Phocide ac Locride extemplò deducerentur. Et ipſe Quintius cum ſociorum legatis Amynandrum Athamânum regem: vtque ſpeciem legationis adiiceret, Q.Fabium (vxoris Quintii ſororis filius erat) & Q.Fuluium, & P.Claudium mi-

Philippi cū Romano imperatore & ſocijs colloquium.

37 ſit. Vt ventum Romam eſt, prius ſociorum legati, quàm regis auditi ſunt. cætera eorum oratio conuiciis regis conſumpta eſt. mouerunt eo maximè ſenatum,demonſtrando maris terrarúmque regionis eius ſitum: vt omnibus appareret, ſi Demetriadem in Theſſalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret: non poſſe liberam Græciam eſſe: & ipſum Philippum non contumelioſius, quàm verius, compedes eas Græciæ appellare. Legati deinde regis intromiſsi, quibus longiorem exorſis orationem breuis interrogatio, ceſſurúſne iis tribus vrbibus eſſet, ſermonem incīdit: cùm mandatum ſibi de his nominatim negarent quicquam. Sic infecta pace regii dimiſsi Quintio liberum arbitrium pacis ac belli permiſſum. Quod vt ſatis apparuit, non tædere belli ſenatum: & ipſe B
victoriæ quàm pacis auidior, neque colloquium poſtea Philippo dedit, neque legationem aliam,

Legati ad ſenatum miſſi tur de pace cum Philippo facienda.

38 quàm quæ omni Græcia decedi nunciaret, admiſſurum dixit. Philippus cùm acie decernendum videret, & vndique ad ſe contrahendas vires, maximè de Achaiæ vrbibus, regionis ab ſe diuerſæ, & magis tamen de Argis, quàm de Corintho ſolicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciariam dare, vt victori ſibi reſtitueret: ſi quid aduerſi accidiſſet, ipſe haberet.Philocli, qui Corintho Argiſque præerat, ſcribit, vt tyrannum ipſe conueniret. Philocles præterquàm quòd iam veniebat cum munere, adiicit ad pignus futuræ regi cum tyranno amicitiæ: filias ſuas regem Nabidis filiis matrimonio coniungere velle. Tyrannus primò negare aliter vrbem eam ſe accepturum, niſi Argiuorum ipſorum decreto accerſitus ad auxilium vrbis eſſet. deinde, vt frequenti concione non aſpernatos modò, ſed abominatos etiam nomen tyranni audiuit, cauſam ſe ſpoliandi eos nactum ratus, tradere vbi vellet, vrbem, Philoclem iuſsit. Nocte ignaris omnibus acceptus in vrbem eſt tyrannus. prima luce occupat ſuperiora omnia loca, portæque clauſæ, paucis principum tumultum inter primum elapſis. eorum abſentium direptæ fortunæ: præſentibus aurum atque argentum ablatum: pecuniæ imperatæ ingentes. qui non cunctanter contulere, ſine contumelia & laceratione corporum ſunt dimiſsi: quos occulere aut retrahere aliquid ſuſpicio fuit,in ſeruilem modum lacerati atque extorti. Concione inde aduocata, rogationem promulgauit,vnam de tabulis nouis, alteram de agro viritim diuidendo, duas faces nouantibus res ad plebem in optimates accen-

Argorū urbem Nabidi fiduciariam tradit Philippus.

Nabidis in Argiuos crudelitas.

39 dendam. Poſteaquam in poteſtate Argiuorum ciuitas erat,nihil eius memor tyrannus,à quo eam ciuitatem, & quam in conditionem accepiſſet, legatos Elatiam ad Quintium & Attalum Æginæ hybernantem mittit, qui nunciarent, Argos in poteſtate ſua eſſe: eò ſi veniret Quintius ad colloquium, non diffidere ſibi omnia cum eo conuentura. Quintius, vt eo quoque præſidio Philippum nudaret, cùm annuiſſet ſe venturum,mittit ad Attalum, vt ab Aegina Sicyonem ſibi occurreret. ipſe ab Anticyra decem quinqueremibus, quas iis fortè ipſis diebus L.Quintius frater eius adduxerat ex hybernis Corcyræ, Sicyonem tranſmiſit. Iam ibi Attalus erat. qui cùm tyranno ad Romanum imperatorem, non Romano ad tyrannum eundum diceret, in ſententiam ſuam Quintium traduxit, ne in vrbem ipſam Argos iret. Haud procul vrbe Mycenica vocatur. in eo loco vt congrederentur, conuenit. Quintius cum fratre & Trib.milit.paucis, Attalus cum regio comitatu, Nicoſtratus Achæorum Prætor, cum auxiliaribus paucis venit. tyrannum ibi cum omnibus copiis opperientem inuenerunt. progreſſus armatus cum ſatellitibus armatis eſt in medium ferè interiacentis campi: inermis Quintius cum fratre & duobus Tribunis militum, inermes item regi Prætor Achæorum, & vnus ex purpuratis latus cingebant. Initium ſermonis ab excuſatione tyranni ortum: quòd armatus ipſe armatiſque

Nabidis & Quintij Romani imperatoris colloquium.

A tísque septus, cùm inermes Romanum imperatorem regémque cerneret, in colloquiũ venisset. neque
enim se illos timere dixit, sed exules Argiuorum. Inde vbi de conditionibus amicitiæ cœptum agi
est, Romanus duas postulare res: vnam, vt bellum cum Achæis finiret: alteram, vt aduersus Philip-
pum mitteret secum auxilia. Auxilia se missurum dixit. pro pace cum Achæis induciæ impetratæ, do-
nec bellum cum Philippo finiretur. De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege est nata, cum fraude 40.
Philoclis proditam vrbem vi ab eo teneri argueret: ille, ab ipsis Argiuis, vt se defenderet, accitum.
Concionem Argiuorum rex postulabat, vt id sciri posset. nec tyrannus abnuere: sed deductis ex vrbe
præsidiis liberam concionem, non immistis Lacedæmoniis declaraturam quid Argiui vellent, præ-
beri debere dicebat rex. tyrannus negauit deducturum. Hæc disceptatio sine exitu fuit. de collo-
quio discessum: sexcentis Cretensibus ab tyranno datis Romano, induciísque inter Nicostratum
Præt. Achæorum & Lacedæmoniorum tyrannum in quatuor menses factis. Inde Quintius Corin-
thum est profectus: & ad portam cum Cretensium cohorte accessit, vt Philocli præfecto vrbis appa-
reret tyrannum à Philippo descisse. Philocles & ipse ad imperatorem Romanum in colloquium ve-
nit: hortantíque vt extemplò transiret, vrbémque traderet, ita respondit: vt distulisse rem magis, quàm
negasse videretur. A Corintho Quintius Anticyram traiecit: inde fratrem ad tentandam Acarnã-
num gentem misit. Attalus ab Argis Sicyonem est profectus. Ibi & ciuitas nouis honoribus veteres
regis honores auxit: & rex ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi quondam pecunia redeme-
rat eis, tum quoque ne sine aliqua munificentia præteriret ciuitatem sociam atque amicam, decem ta-
lenta argenti dono dedit: & decem millia medimnûm frumenti. atque ita Cenchreas ad naues rediit.
Et Nabis firmato præsidio Argis Lacedæmonem regressus, cùm ipse viros spoliasset: ad fœminas
spoliandas vxorem Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se iun-
ctas domum accersendo, blandiendóque ac minando, non aurum modò iis, sed postremò vestem
quoque, mundúmque omnem muliebrem ademit.

Cõditiones amicitiæ inter Romanos & Nabidem.

Nabidis uxor Argiuas spoliat.

DECADIS QVARTAE LIBER TERTIVS ACEPHALVS.

Titus Quintius Flamininus proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellauit. L. Quintius Flamininus frater proconsulis, Acarnanes, Leucade urbe, quæ caput est Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu cæsus est. Attalus à Thebis ob subitam ualetudinem translatus decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius, & Claudius Marcellus consules Boios, & Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphauit. Annibal frustra in Africa bellum molitus, & ob hoc Romanis per epistolas aduersæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem.

B

* *

iis partibus cohærens Acarnaniæ. quingentos fermè passus longæ fauces erant: latæ haud amplius
centum & viginti. in his angustiis Leucas posita est, colli applicata verso in orientem, & Acarna-
niam. ima vrbis plana sunt, iacentia ad mare: quo Leucadia ab Acarnania diuiditur. inde terra ma-
ríque expugnabilis est. nam & vada sunt stagno similiora, quàm mari: & campus terrenus omnis,
operísque facilis. itaque multis simul locis aut subruti, aut ariete decussi ruebant muri. Sed quàm
vrbs ipsa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hostium animi. die ac nocte intenti
reficere quassata muri, obstruere quæ patefacta ruinis erant, prælia impigrè inire, & armis magis mu-
ros quàm seipsos mœnibus tutari. diutiúsque spe Romanorum obsidionem eam extraxissent, ni exu-
les quidam Italici generis Leucade habitantes, ab arce milites accepissent. eos tamen ex superiore
loco magno cum tumultu decurrentes, acie in foro instructa iusto prælio aliquandiu Leucadii susti-
nuerunt. interim & scalis capta multis locis mœnia, & per stragem lapidum ac ruinas transcensum
in vrbem. iámque ipse legatus magno agmine circumuenerat pugnantes. pars in medio cæsi, pars ar-
mis abiectis dediderunt sese victori. Et post dies paucos audito prælio, quod ad Cynoscephalas pu-
gnatum erat, omnes populi Acarnaniæ in deditionem legati venerunt. Iisdem diebus, omnia simul 18
inclinante fortuna, Rhodii quoque ad vindicandam à Philippo continentem regionem (Peræam
vocant) possessam à maioribus suis: Pausistratum prætorem cum octingentis Achæis peditibus, mil-
le & noningentis ferè armatis ex vario genere auxiliorum collectis, miserunt. Galli, & Nisuetæ, &
Pisuetæ, & Taniani, & Arei ex Africa, & Laodiceni ex Asia erant. cum his copiis Pausistratus ten-
debat in Stratonicensi agro. locum peropportunum, ignaris regiis qui tenuerant, occupauit. In
tempore & ad idipsum excitum auxilium mille Achæi pedites cum centum equitibus superuene-
runt. Theoxenus iis præerat. Dinocrates regius præfectus recuperandi castelli causa primò castra
ad ipsa tendebat. mouit inde ad alterum castellum, item Stratonicensis agri: Astragon vocant. o-
mnibúsque ex præsidiis, quæ multifariam disiecta erant, deuocatis, & ab ipsa Stratonicea Thessa-
lorum auxiliaribus, Alabanda, vbi hostes erant, ducere pergit. Nec Rhodii pugnam detrectaue-
runt. atque castris in propinquum collatis, extemplò in aciem descensum est. Dinocrates quin-
gentos Macedonas dextro cornu, læuo Agrianos locat: in medium accipit contractos ex castello-
rum (Cares maximè erant) præsidiis, equites cornibus circundat. Cretensium auxiliares Thra-
cúmque Rhodia cohors dextro cornu, sinistro mercenarios milites, lectam peditum manum ha-
buere: medios mista ex pluribus gentibus auxilia: equites leuísque armaturæ quod erat, cornibus

Leucadis situs.

Leucas capitur.

Acarnaniæ populi dedunt sese Romanis.

Rhodij Peræam à Philippo armis uindicant.

circuniectum. Eo die steterunt tantum acies vtræque super ripam, qui tenui aqua interfluebat tor- A
rentis: paucísque telis emissis, in castra receperunt sese. Postero die eodem ordine instructi, maius
aliquanto prælium quàm pro numero edidere pugnantium. nec enim plus terna millia peditum fue-
re, & centeni fermè equites. cæterum non numero tantum, nec armorum genere, sed animis quoque
paribus, & æqua spe pugnauerunt. Achæi primi torrente superato in Agrianos impetum fecere: dein-
de tota propè cursu transgressa amnem acies est. diu anceps pugna stetit. numero Achæi mille & ipsi

Rhodij funcdunt Macedones & Peræa potiuntur.

quadringentos loco expulere. inclinat dein dextrum omne cornu. Macedones, vsque dum ordine &
velut stipata phalanx consistebat, moueri nequiuerunt. postquàm læuo latere nudato circumiacere ha-
stas in venientem ex transuerso hostem conati sunt, turbati extemplò tumultum primò inter se fece-
runt: terga deinde vertunt: postremò abiectis armis, in præcipitem fugam effusi, Bargilla petentes fu-
gerunt. Eódem & Dinocrates perfugit. Rhodii quantum diei superfuit secuti, receperunt sese ad ca-
stra. Satis constat, si confestim victores Stratoniceam petissent, recipi eam vrbem sine certamine po-
tuisse. Prætermissa eius rei occasio est, dum in castellis vicísque Perææ recipiendis tempus teritur. in-
terim animi eorum, qui Stratoniceam præsidio obtinebant, confirmati sunt. mox & Dinocrates cum
iis quæ prælio supererant, copiis intrauit muros. nequicquam inde obsessa oppugnatáque vrbs est. re-
cipi nisi aliquanto pòst per Antiochum non potuit. Hæc in Thessalia, hæc in Achaia, hæc in Asia per

Philippus Dardanos opprimit.

19. eosdem dies fermè gesta. Philippus cùm audisset Dardanos transgressos fines regni, superiora Mace-
doniæ euastare: quamuis toto propè orbe terrarum vndique se suósque profligante fortuna vrgeba-
tur: tamen morte tristius ratus Macedoniæ etiam possessione pelli, delectu raptim per vrbes Macedo-
num habito, cum sex millibus peditum & quingentis equitibus circa Stobos Pelagoniæ improuiso
hosteis oppressit. Magna multitudo hominum in prælio, maior prædandi cupidine palata per agros
cæsa est. quibus fuga expeditior fuit, ne tentato quidem casu pugnæ, in fines suos redierunt. Ea vna
expeditione non pro reliquo statu fortunæ facta, refectis suorum animis, Thessalonicam sese recepit.
Non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul & cum Philippo foret bellandum:
quàm opportunè iam Antiocho in Syria moliente bellum, Philippus est superatus. nam præterquam
quod facilius cum singulis, quàm si in vnum ambo simul contulissent vires, bellatum est: Hispania

Antiochus molitur bellum aduersus Romanos.

quoque sub idem tempus magno tumultu ad bellum consurrexit. Antiochus cùm priore æstate omni
bus, quæ in Cœle Syria sunt, ciuitatibus Ptolemæi in suam potestatem redactis, in hyberna Antio-
chiam concessisset: nihilo quietiores postea res habuit. omnibus enim regni viribus connixus, cùm
ingentes copias terrestres maritimásque comparasset, principio veris præmissis terra cum exercitu
filiis duobus, Ardue ac Mithridate, iussísque Sardibus se opperiri, ipse cum classe centum tectarum na
uium, ad hoc leuioribus nauigiis cercurísque ac lembis ducentis proficiscitur: simul per omnem B
oram Ciliciæque & Cariæ tentaturus vrbes, quæ in ditione Ptolemæi essent: simul Philippum (nec

Rhodiorum fides erga populũ Romanum.

20. dum enim debellatum erat) exercitu nauibúsque adiuturus. Multa egregia Rhodii pro fide erga po-
pulum Romanum próq; vniuerso nomine Græcorum terra maríque ausi sunt: nihil magnificentius,
quàm quòd ea tempestate non territi tanta mole imminentis belli legatos ad regem miserunt: Ne-
phelida (promontorium Ciliciæ est, inclytum fœdere antiquo Atheniensium) si eo non contineret co
pias suas, se obuiam ituros: non ab odio vllo, sed ne coniungi cum Philippo paterentur, & impedi-
mento esse Romanis liberantibus Græciam. Coracesium eo tempore Antiochus operibus oppu-
gnabat: Zephyrio, & Solis, & Aphrodisiade, & Coryco, & superato Anemurio (promontorium id
quoque Ciliciæ est) Selinunte recepto. omnibus his aliísque eius oræ castellis aut metu, aut voluntate
sine certamine in deditionem acceptis, Coracesium præter spem clausis portis tenebat eum. ibi lega-
ti Rhodiorum auditi. & quanquam ea legatio erat, quæ accendere regium animum posset, temperauit
iræ: & legatos se Rhodum missurum respondit: iísque mandaturum, vt renouarent vetusta iura cum
ea ciuitate, sua maiorúmque suorum: & vetarent eos aduentum pertimescere regis, nihil his aut sociis
eorum noxæ futurum fraudive. nam Romanorum amicitiam se non violaturum, argumento & suam
recentem ad eos legationem esse, & senatus honorifica in se decreta, responsáque. tum fortè legati re-
dierant ab Roma, comiter auditi, dimissíque: vt tempus postulabat, incerto adhuc aduersus Philip-
pum euentu belli. Cùm hæc legati regis in concione Rhodiorum agerent, nuntius venit, debel-
latum ad Cynoscephalas esse. Hoc nuntio accepto Rhodiis, dempto metu à Philippo omni, erat con-
silium obuiam eundi classe Antiocho. illam alteram curam non omiserunt tuendæ libertatis ciuita-
tum sociarum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat. nam aliàs auxiliis iuuerunt, alias
prouidendo ac præmonendo conatus hostis: causáque libertatis fuerunt Cauniis, Myndiis, Halicar-
nassensibus, Samiísque. Non operæ est persequi vt quæque acta in his locis sint, cum ad ea quæ pro-

Attalus rex moritur.

21. priè Romani belli sunt, vix sufficiam. Eodem tempore & Attalus rex æger Thebis Pergamum adue-
ctus moritur, altero & septuagesimo anno: cùm quatuor & quadraginta annos regnasset. Huic viro
præter diuitias nihil ad spem regni fortuna dederat. his simul prudenter, simul magnificè vtendo effe
cit: primùm vt sibi, deinde vt aliis non indignus videretur regno. victis deinde prælio vno Gallis, quæ
tum gens recenti aduentu terribilior Asiæ erat, regium asciuit nomen: cuius magnitudini semper ani
mum æquauit. summa iustitia suos rexit: vnicam fidem sociis præstitit. vxorem, ac liberos duos super-

Ingens bellum in vlteriore Hispania coortũ.

stites habuit. mitis ac munificus amicus fuit. regnum adeò stabile ac firmum reliquit, vt ad tertiam
stirpem possessio eius descenderit. Cùm is status rerum in Asia Græciáque & Macedonia esset, vix-
dum terminato cum Philippo bello, pace certè nondum perpetrata, ingens in Hispania vlteriore
coortum est bellum. M. Heluius eam prouinciam obtinebat. is literis senatum certiorem fecit, Cul-

cam &

A cam & Luscinum regulos in armis esse:cum Culca decem & septem oppida:cum Luscino validas vr
bes,Cardonem & Bardonem,& maritimam oram omnem,quæ nondum animos nudauerat, ad fini-
timorum motus consurrecturam. His literis à M.Sergio Pr.cuius iurisdictio ioter ciues & peregri-
nos erat, recitatis, decreuerunt patres,vt comitiis prætorum perfectis, cui prætori prouincia Hispa-
nia obuenisset,is primo quoque tempore de bello Hispaniæ ad senatum referret. Sub idem tempus 22.
c o s s. Romam venerunt:quibus in æde Bellonæ senatum habentibus,postulantibúsque triumphum
ob res prosperè bello gestas, C.Atioius Labeo, & C. Vrsanius Tr.pl.vt separatim de triumpho age-
rent c o s s. postularunt:communem se relationem de ea re fieri non passuros,ne par honos in dispari
merito esset.Cúmque Minutius vtrique prouinciam Italiam obtigisse diceret,communi animo consi-
lióque se & collegam res gessisse, Cornelius adiiceret:Boios aduersus se transgredieotes Padum,vt
Insubribus Cenomanisque auxilio essent,depopulante vicos eorum atque agros collega,ad sua tuen-
da auersos esse : tribuni res tantas bello gessisse Cornelium fateri, vt non magis de triumpho eius,
quàm de honore diis immortalibus habeudo dubitari posset.oon tamen nec illum, nec quenquam
alium ciuem,tantum gratia atque opibus valuisse, vt cùm sibimet triumphum impetrasset, collegæ
eundem honorem impudenter peteoti daret.Q.Minutium io Liguribus leuia prælia,vix digna dictu
fecisse,in Gallia magnum numerum militum amisisse.uominabant etiam tribuoos militum T.Iuueo-
cium,& Cneum Labeònis fratrem, qui aduersa pugna cum multis aliis viris fortibus, ciuibus ac so-
ciis cecidissent.oppidorum paucorum ac vicorum falsas, & io tempus simulatas, sine vllo pignore
deditiooes factas esse.Hæ inter consules tribunósque altercationes biduum tenuerunt,victíque perse-
uerantia tribunorum consules separatim retulerunt.Cn.Cornelio omnium coosensu decretus trium- 23.
phus.& Placentini Cremonensésque addiderunt fauorem consuli, gratias agentes, commemoran-
tésque,obsidione se esse ab eo liberatos:pleró sque etiam, cùm apud hostes essent, seruitute exceptos.
Q. Minutius tentata tantùm relatione,cùm aduersum omnem senatum videret:in monte Albano se
triumphaturum & iure imperii consularis,& multorum clarorum virorum exemplo dixit. Cn.Cor-
nelius de Insubribus Cenomanísque in magistratu triumphauit.multa signa militaria tulit:multa Gal
lica spolia captiuis carpentis transuexit.multi nobiles Galli ante currum traducti : inter quos quidam
Amilcarem ducem Pœnorum fuisse,authores sunt.cæterum magis in se conuertit oculos Cremonen
sium Placentinorúmque colonorum turba, pileatorum currum sequentium. Tulit in triumpho†du-
centa triginta septem millia quingentos,†argenti bigati septuaginta nouem millia.†septuagenos æris
militibus diuisit : duplex equiti, triplex centurioni. Q. Minutius c o s. de Liguribus Boiisque Gallis
in monte Albauo triumphauit.is triumphus vt loco,& fama rerum gestarum,& quòd sumptum ooo
B erogatum ex ærario omnes sciebant,inhonoratior fuit:ita signis,carpentísque,& spoliis fermè æqua-
bat.pecuniæ etiam propè par summa fuit,†æris translata ducenta & quinquaginta quatuor millia,†ar
genti bigati quinquagintatria millia,& ducenti.militib.centurionibúsque & equitibus item in singu-
los datum,quod dederat collega. Secundum triumphum consularia comitia habita.creati c o s s.
L.Furius Purpurio,& M.Claudius Marcellus.Prr.postero die facti, Q. Fabius Buteo, T.Sempronius 24.
Longus,Q. Mioutius Thermus,M.Acilius Glabrio,L.Apustius Fullo,C.Lælius. Exitu eius anni lite-
ræ à T.Quintio venerunt:se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse:hostium exerci-
tum fusum,fugatúmque. Hæ literæ prius in senatu à Sergio Pr.deinde ex authoritate patrum in con
cione sunt recitatæ.Ob res prosperè gestas in dies quinque supplicationes decretæ. Breui pòst lega-
ti & à T.Quintio,& ab rege venerunt.Macedones deducti extra vrbem in villam publicam : ibíque
iis locus,& lautia præbita & ad ædem Bellonæ senatus est habitus.haud multa verba facta : cùm Ma-
cedones quæcunque senatus censuisset, id regem facturum esse dicerent. Decem legati more maio-
rum,quorum ex consilio T.Quintius imperator leges pacis Philippo daret,decreti:adiectúmque,vt
in eo numero legatorum P.Sulpitius, & P.Villius essent : qui c o s s.prouinciam Macedoniam obti-
nuissent. Cossanis eo die postulantibus vt sibi colonorum numerus augeretur, mille ascribi iussi:
dum ne quis in eorum numero esset,qui post M. Cornelium & T. Sempronium c o s s. hostis fuisset.
Ludi Romani eo anno in circo scenáque ab ædilibus curulibus,Cornelio Scipione,& Cn.Manlio Vol 25.
sone,& magnificentius quàm aliàs facti,& lætius propter res bello bene gestas spectati,totíque ter in
staurati.Plebeii septies instaurati.Acilius Glabrio,C.Lælius eos ludos fecerunt.ex argento mulctati-
tio tria signa ænea,Cereri Liberóque & Liberæ posuerunt.L.Furius,& M.Claudius Marcellus consula
tu inito,cùm de prouiociis ageretur,& Italiam vtrique prouinciam senatus decerneret : vt Macedo-
niam cum Italia sortirentur,petebant.Marcellus prouinciæ cupidior, pacem simulatam ac fallacem
dicendo,& rebellaturum,si exercitus iode deportatus esset,regem,dubios sententia patres fecerat.&
forsitan obtiuuissent c o s s.ni Q. Martius Rex,& C.Atinius Labeo Trr.pl.se intercessuros dixissent:
ni prius ipsi ad plebem tulissent,vellent,iuberéntne cum rege Philippo pacem esse? Ea rogatio in Ca-
pitolio ad plebem lata est,omnes quinque & triginta tribus vti rogatæ iusserunt. Et quo magis pa-
cem ratam esse io Macedouia vulgo lætarentur, tristis ex Hispania nuntius allatus effecit, vulgatæ
que literæ,C.Sempronium Tuditanum procos.in citeriore Hispania prælio victum, exercitum eius
fusum fugatúmque: & illustres viros in acie cecidisse. Tuditanum cum graui vulnere latum ex præ-
lio,haud ita multo pòst expirasse. c o s s. ambobus Italia prouincia cum his legionibus, quas supe-
riores c o s s.habuissent,decreta.& vt quatuor legiones nouas scriberent:duas, quæ quò senatus cen-
suissent,mitterentur.& T.Quiotius Flamininus cum duabus legionibus prouinciam eodem exercitu

Inter consules & tribunos plebis de triũpho certamen.

Cn. Cornelij triũphus.

†Hic numerus videtur referre HS. Et sic faciet Coronatos 5163, & duos sol Turõ. vel circiter.

†Valent 7900 coro. si per bigatos, denarios intelligas.

†70 æris faciunt dimidium coron. cum 9 solid. & duobus denarijs Turo.

†Valent 2540 cor.

†Valent 5320 cor.

Supplicatio in dies quinque decreta, ob res in Græcia prosperè gestas.

Ludi Romani & plebei.

Tuditanus proconsul in Hispania cũ exercitu fuso fus.

Prouinciarũ sortitio.

26. obtinere iussus, imperium ei prorogatum. Prr. deinde prouincias sortiti, L. Apustius Fullo vrbanam A
iurisdictioné, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos, Q. Fabius Buteo Hispaniam vlteriorem,
Q. Minutius Thermus citeriorem, C. Lælius Siciliam, T. Sempronius Longus Sardiniam. Q. Fabio
Buteoni, & Q. Minutio, quibus Hispaniæ prouinciæ euenerant, coss. legiones singulas ex quatuor
ab se scriptis quas viderentur vti darent, decretum est: sociûm ac nominis Latini quaterna millia peditum, trecenos equites. híque primo quoque tempore in prouincias ire iussi. Bellum in Hispania
quinto pòst anno exortum est, quàm simul cum Punico bello fuerat finitum. Priusquàm hi prætores ad bellum propè nouum, quia tum primùm suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce ad arma
Prodigia ierant, proficiscerentur: aut ipsi coss. ab vrbe mouerent: procurare, vt assolet, prodigia, quæ nunciabantur, iussi. L. Iulius equestris in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equúsque exanimati fuerant.
ædes Feroniæ in Capenate de cælo tacta erat. ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant. lupus
Esquilina porta ingressus, frequentissima parte vrbis cùm in forum decurrisset, Tusco vico atque inde Melio per portam Capenam propè intactus euaserat. Hæc prodigia maioribus hostiis sunt procurata.
27. Iisdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hispaniam obtinuerat, cum ex Senatusconsulto vrbem esset ingressus, tulit præ se † auri mille & quingenta pondo quindecim, † argenti viginti millia, † signati denarios triginta quatuor millia, & quingentos
quinquaginta. L. Stertinius ex vlteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe, † quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit: & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem,
& matris Matutæ, vnum in maximo circo fecit: & his fornicibus signa aurata imposuit. Hæc per
hyemem fermè acta. Hybernabat eo tempore Athenis Quintius. à quo cùm multa socii peterent,
Bœoti petierunt impetrauerúntque: vt hi, qui suæ gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur. id à Quintio facilè impetratum: non quia satis dignos eos credebat, sed quia Antiocho rege iam
suspecto fauor conciliandus nomini Romano apud ciuitates erat. Restitutis, confestim apparuit,
quàm nulla inita apud Bœotos gratia esset. nam & ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus, perinde atque ab ipso hi, & non à Quintio & Romanis dati essent, miserunt: & comitiis proximis Bœotarchen nullam aliam ob causam Barcillam quendam, quàm quòd præfectus Bœotorum
apud regem militantium fuisset, fecerunt, præteritis Zeusippo & Pisistrato, aliísque qui Romanæ societatis authores fuerunt. Id ægrè & in præsentia hi passi, & in futurum etiam metum ceperunt: cùm
ad portas propè sedente exercitu Romano ea fierent: quídnam se futurum esset profectis in Italiam
Romanis, Philippo ex propinquo socios adiuuante, & infesto his qui partis aduersæ fuissent. Dum
28. Romana arma propinqua habebant, tollere Barcillam principem fautorum regis statuerunt. & tempore ad eam rem capto, cùm in publico epulatus reuerteretur domum temulentus, prosequentibus B
mollibus viris, qui ioci causa conuiuio celebri interfuerant: ab sex armatis, quorum tres Italici, tres
Aetoli erant, circumuentus occiditur. Fuga comitum, & quiritatio facta: & tumultus tota vrbe discurrentium cum luminibus. percussores proxima porta euaserunt. Luce prima concio frequens, velut
extante indicio, ad vocem præconis conuocata in theatro erat. palàm ab suo comitatu, & obscœnis
illis viris fremebant interfectum: animis autem Zeusippum authorem destinabant cædis. in præsentia placuit comprehendi eos, qui simul fuissent, quæstionémque ex his haberi. Qui dum quæruntur,
Zeusippus consimili animo auertendi ab se criminis causa in concionem progressus, errare ait homines, qui tam atrocem cædem pertinere ad illos semiuiros crederent. multáque in eam partem probabiliter argumentatus, quibus fidem apud quosdam fecit, nunquam si conscius esset, oblaturum se multitudini, mentionémve cædis nullo lacessente facturum fuisse. alii non dubitare, obuiam eundo impudenter criminis suspicionem auerti. Torti pòst paulo insontes, cùm scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio vsi Zeusippum & Pisistratum nominauerunt: nullo adiecto, cur scire quicquam viderentur, argumento. Zeusippus tamen cum Stratonida quodam nocte perfugit Tanagram,
suam magis conscientiam, quàm indicium hominum nullius rei consciorum metuens. Pisistratus
spretis indicibus Thebis mansit. Seruus erat Zeusippo, totius internuncius & minister rei. quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit. literas ad Zeusippum mittit, seruum
conscium tolleret. non tam idoneum ad celandam rem eum videri sibi, quàm ad agendam fuerit.
Has qui tulit literas, iussit Zeusippo dare quàmprimum. is, quia non sibi conueniendi eius copia fuit,
ipsi illi seruo, quem ex omnibus domino fidissimum credebat, tradidit: & adiecit, à Pisistrato de re
magnopere pertinente ad Zeusippum esse. Conscientia ictus, cùm extemplò traditurum eas affirmasset, aperit, perlectis literis pauidus Thebas refugit. Et Zeusippus quidem fuga serui motus Athenas, tutiorem exilio locum ratus, concessit. De Pisistrato aliquæ quæstiones tormentis habitæ: & sum-
29. ptum supplicium est. Efferauit ea cædes Thebanos Bœotósque omnes ad execrabile odium Romanorum: Zeusippum principem gentis id facinus consciisse. ad rebellandum neque vires, neque
ducem habebant. proximum bello quod erat, in latrocinium versi, alios hospites, alios vagos per hyberna milites ad varios commeantes vsus excipiebant. quidam in ipsis itineribus ad notas latebras
insidiantibus, pars in deserta per fraudem diuersoria deuecti deductíque opprimebantur. postremò
non tantum odio, sed etiam auiditate prædæ ea facinora faciebant: quia negotiandi fermè causa argentum in zonis habentes in commeatibus erant. Cùm primò pauci, deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Bœotia omnis cœpit: & timidius quàm in hostico egredi castris miles.
tum Quintius legatos ad querendum de latrociniis per ciuitates mittit. Plurimi pedites circa Copaidem

† Valent 169680 coron.
† Valent 200000. coron.
† Valent 3455. coro.
† Valent 500000. coron.
Bœotorum perfidia.
Bœotarches occiditur, de cuius morte diligenter inquiritur.
Thebani Bœotiq; in latrocinium vertuntur.
Milites Romani à Bœotis ex insidijs occisi.

A paidem paludem inuenti: ibi ex limo eruta, extractáque ex stagno cadauera, saxis aut amphoris, vt
pondere traherentur in profundum, adnexa. multa facinora Acræphiæ, & Coroneæ facta inuenie-
bantur. Quintius primò noxios tradi sibi iussit: & pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant)
† quingenta talenta Bœotos conferre. quorum neutrum cùm fieret, verbis tantùm ciuitates excusa-
rent, nihil publico consilio factum esse: missis Athenas, & in Achaiam legatis, qui testarentur so-
ciis, iusto pióque bello se persecuturum Bœotos: & cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam ire
iusso, cum parte Coroneam circumsedit: euastatis prius agris, quà ab Elatia duo diuersa agmina iêre.
Hac perculsi clade Bœoti, cùm omnia terrore ac fuga complessent, legatos mittunt. qui cùm in ca-
stra non admitterentur, Achæi Athenienséque superuenerunt. Plus authoritatis Achæi habuerunt
deprecantes. ac ni impetrassent pacem Bœotis, bellum simul gerere decreuerunt. Per Achæos &
Bœotis copia adeundi alloquendíque Romanum facta est. iussisque tradere noxios, & mulctæ no
mine † triginta talenta conferre, pax data: & ab oppugnatione recessum. Post pancos dies decem 30.
legati ab Roma venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est. Omnes Græcorum
ciuitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. quæ earum sub
ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret: his, quæ in Asia essent, Euromo Pe-
dasísque & Bargyllis, & Iasso, & Myrina, & Abydo, & Thasso, & Perintho. eas quoque enim pla-
cere liberas esse Decianorum libertate. Quintius Prusiæ Bithyniorum regi scriberet, quid senatui &
decem legatis placuisset. captiuos', transfugásq; reddere Philippum Romanis, & naues omnes tectas
tradere: quin & regiam vnam inhabilis propè magnitudinis, quam sexdecim versus remorum age-
bant: ne plus quingentis armatorum haberet, néve elephantum vllum. bellum extra Macedoniæ fi-
nes ne iniussu senatus gereret. † mille talentûm daret populo Romano: dimidium præsens, dimidium
pensionibus decem annorum. Valerius Antiâs quaternûm millium pondo argenti vectigal in decem
annos, triginta quaterna millia pondo, & ducenta, præsens viginti millia pondo. idem nominatim
adiectum scribit, ne cum Eumene Attali filio (nouus is tum rex erat) bellum gereret. In hæc obsides
accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. Adiicit Valerius, Antiâs, Attalo absenti Aeginam
insulam elephantósque dono datos, & Rhodiis Stratoniceam Cariæ, atque alias vrbes, quas Philip-
pus tenuisset: Atheniensibus insulas datas, Paron, Imbrum, Delum, Scyrum. Omnibus Græciæ ci- 31.
uitatibus hanc pacem approbantibus, soli Aetoli id decretum decem legatorum clàm mussantes car
pebant. literas inanes vana specie libertatis adumbratas esse. cur enim alias Romanis tradi vrbes, nec
nominari eas? alias nominari, & sine traditione iubere liberas esse? nisi vt quæ in Asia sint, liberen-
tur longinquitate ipsa tutiores: quæ in Græcia sint, ne nominatæ intercipiantur, Corinthus, & Chal-
B cis, & Oreum, cum Eretria & Demetriade. Nec tota ex vano criminatio erat. dubitabatur enim de
Corintho, & de Chalcide, & Demetriade, quia in Senatusconsulto quo missi decem legati ab vrbe
erant, cæteræ Græciæ atque Asiæ haud dubiè liberabantur: de his tribus vrbibus legati, quod tempo-
ra Reipublicæ postulassent, id è Republica fidéque sua facere statuere iussi erant. Antiochus rex erat:
quem trangressurum in Europam, cùm primùm ei res suæ placuissent, non dubitabant. ei tam op-
portunas ad occupandum patêre vrbes nolebant. Ab Elatia Anticyram cum decem legatis, inde
Corinthum traiecit. ibi consilia decem legatorum tractabantur. Identidem Quintius: liberandam
omnem Græciam, si Aetolorum linguas retunderet: si veram charitatem, maiestatem apud omnes
nominis Romani vellent esse: si fidem facere, ad liberandam Greciam, non ad transferendum à
Philippo ad se imperium, se mare traiecisse. nihil contra ea de libertate vrbium alii dicebant. cæte-
rùm ipsis tutius esse, manere paulisper sub tutela præsidii Romani, quàm pro Philippo Antiochum
dominum accipi. Postremò ita decretum est: Corinthus redderetur Achæis, vt in Acrocorintho ta-
men præsidium esset: Chalcidem ac Demetriadem retineri, donec cura de Antiocho decessisset.
Isthmiorum statum ludicrum aderat, semper quidem & aliâs frequens, cùm propter spectaculi stu- 32.
dium insitum genti, quo certamina omnis generis artium viriúmque ac pernicitatis visuntur, tum
quia propter opportunitatem loci per duo diuersa maria omnium Græcorum vndique conuentus
erat. Sed expectatione erecti, qui deinde status futurus Græciæ, quæ sua fortuna esset: alii non taci-
ti solùm opinabantur, sed sermonibus etiam serebant. Romani ad spectaculum consederunt. & præ-
co cum tubicine, vt mos est, in mediam arenam, vnde solenni carmine ludicrum indici solet, pro-
cessit: & tuba silentio facto ita pronuntiat. Senatus Romanus, & T. Quintius imperator, Philippo
rege, Macedonibúsque deuictis, liberos, immunes suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses,
Locrenséque omnes, & insulam Eubœam: & Magnetas, Thessalos, Perrœbios, Achæos, Phthio-
tas. Percensuerat omnes gentes, quæ sub ditione Philippi regis fuerant. Audita voce præconis, maius
gaudium fuit, quàm quod vniuersum homines caperent. vix satis credere se quisque audisse: alii alios
intueri mirabundi, velut somnii vanam speciem: quod ad quenque pertineret, suarum aurium fidei
minimum credentes, proximos interrogabant. Reuocatus præco, cùm vnusquisque non audire, sed
videre libertatis suæ nuntium aueret: iterum pronuntiaret eadem. tum ab certo iam gaudio tantus
cum clamore plausus est ortus, totiésque repetitus, vt facilè appareret, nihil omnino bonorum
multitudini gratius, quàm libertatem esse. Ludicrum deinde ita raptim peractum est, vt nullius
nec animi, nec oculi spectaculo intenti essent. adeò vnum gaudium præoccupauerat omnium
aliarum sensum voluptatum. Ludis verò dimissis, cursu propè omnes tendere ad imperatorem 33.
Romanum: vt ruente turba in vnum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscósque iacientium, haud procul periculo fuerit. Sed erat trium fermè & triginta annorum: & cùm robur

† Valent 300000 coron.

Bœotorũ vrbes oppugnantur à Quintio.

† Valent 18000 coron.

Pacis cum Philippo leges.

† Valent 600000 coron.

Isthmia celebrantur.

Isthmijs pronunciãtur uoce præconis totius Græciæ ciuitates liberæ.

iuuentæ, tum gaudium ex tam insigni gloriæ fructu vires suppeditabant. nec præsens omnium modò effusa lætitia est, sed per multos dies gratis & cogitationibus & sermonibus reuocata. Esse aliquam A
in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum. nec hoc finitimis, aut propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti iunctis præstet. maria traiciat: ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, & vbique ius, fas, lex potentissima sint. vna voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ vrbes. hoc spe concipi audacis animi fuisse:

Quintius & decem legati Romani, legationes regum & gentium audiunt.

34. ad effectum adducere, virtutis & fortunæ gentis. Secundum ista iam Quintius, & decem legati, legationes regum, gentium, ciuitatúmque audiuere. Primi omnium regis Antiochi vocati legati sunt. his eadem quæ ferè Romæ erant verba sine fide rerum iactantibus, nihil iam perplexè, vt antè, cum dubiæ res incolumi Philippo erant: sed apertè pronuntiatum, vt excederet Asiæ vrbibus: quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent: abstineret liberas, omnésque Græcas. ante omnia denuntiatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias traiiceret. Dimissis regis legatis, conuentus gentium ciuitatúmque est haberi cœptus. eóque maturius peragebatur, quòd decreta decem legatorum ciuitates nominatim pronuntiabant. Orestis, (Macedonum ea gens est) quod primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ. Magnetes, & Perrœbi, & Dolopes liberi quoque pronuntiati. Thessalorum genti præter libertatem concessam, Achæi Phthiotæ dati, Thebis Phthioticis & Pharsalo excepto. Aetolos de Pharsalo & Leucade postulantes, vt ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum reiecerunt. Phocenses, Locrenses, & quæ sicut antè fuerant adiecta, decreti authoritate his contribuerunt. Corinthus & Triphylia & Herea (Peloponnesi & ipsa vrbs est) reddita Achæis. Oreum & Eretriam decem legati Eumeni regi Attali filio dabant: dissentiente Quintio, venit res in arbitrium senatus: senatus libertatem his ciuitatibus dedit, Caristo adiecto. Pleurato Lingus & Partheni dati. Illyriorum vtraque gens sub ditione Philippi fuerat. Animandrum tenere iusserunt castel-

35. la, quæ per belli tempus Philippo capta ademisset. Dimisso conuentu, decem legati partiti munia inter se, ad liberandas suæ quisque regionis ciuitates discesserunt, P. Lentulus Bargyllas, L. Stertinius Hephæstiam & Thassum & Thraciæ vrbes, P. Villius & L. Terentius ad regem Antiochum,

Cn. Cornelius legatus suadet Philippo, ut legatos Romã mittat.

Cn. Cornelius ad Philippum. Cui de minoribus rebus editis mandatis, percunctatus si consilium non vtile solùm, sed etiam salutare admittere auribus posset. cùm rex gratias quoque se acturum diceret, si quid quod in rem suam esset, exprimeret: magnopere ei suasit. quoniam pacem impetrasset, ad societatem amicitiámq; petendam mitteret Romam legatos: ne si quid Antiochus moueret, expectasse, & temporũ opportunitates captasse ad bellandum videri posset. Ad Tempe Thessalica Philippus est conuentus, qui cùm se missurum extemplò legatos respondisset: Cornelius Thermopylas, vbi frequens Græciæ statis diebus esse solet conuentus (Pylaicum appellant) venit, Aetolos præci B

Cornelij & Aetolorum colloquium.

puè monuit, vt constanter & fideliter in amicitia populi Romani permanerent. Aetolorum principes alii interquesti sunt, quòd non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset: alii ferocius incusarunt, exprobrarúntque: non modò vinci sine Aetolis Philippum, sed ne transire quidem in Græciam Romanos potuisse. Aduersus ea respondere, ne altercationem excederet res, cùm supersedisset Romanus: omnia eos æqua impetraturos, si Romam misissent, dixit. itaque ex authoritate eius decreti legati sunt. Hunc finem bellum cum Philippo habuit. Cùm

Coniuratio seruorum in Hetruria.

36. hæc in Græcia Macedoniáq;, & Asia gererentur, Hetruriam infestam propè coniuratio seruorum fecit. Ad quærendam opprimendámque eam M. Acilius prætor, cui inter ciues peregrinósque iurisdictio obtigerat, cum vna ex duabus legione vrbana missus, alios iam congregatos pugnando vicit. ex his multi occisi, multi capti. alios verberatos crucibus affixit, qui principes coniurationis fuerant: alios dominis restituit. Consules in prouincias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum fines, fatigato per diem totum milite via facienda, castra in tumulo quodam ponentem Corolamus regulus

Corolamus regulus Boiorũ ad tria millia Romanorum occidit.

Boiorum cum magna manu adortus, ad tria millia hominum occidit. & illustres viri aliquot in illo tumultuario prælio ceciderunt: inter quos præfecti sociũm T. Sempronius Gracchus, M. Iunius Syllanus: & tribuni militum de legione secunda, A. Ogulnius, & P. Claudius. castra tamen ab Romanis impigrè permunita, retentáque, cùm hostes à prospera pugna nequicquam oppugnassent. Statiuis deinde eisdem per dies aliquot sese tennit, dum & saucios curaret, & tanto terrore animos militum reficeret. Boii, vt est gens minimè ad moræ tædium patiens, in castella sua vicósque dilapsi sunt. Marcellus

Marcellus Gallorum supra quadraginta millia cecidit, eorũ castra diripuit, & Comum expugnauit.

Pado confestim traiecto in agrum Comensem, vbi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, ducit. legiones in ipso itinere prælium committunt. & primò adeò acriter inuaserunt, vt ante signanos impulerint. quod vbi animaduertit, veritus ne moti semel pellerentur, cohortẽ Marsorum opposuit: & equitum Latinorum omnes turmas in hostem emisit. quorum cùm primus secundúsq; impetus retudisset inferentem se ferociter hostem, cõfirmata & reliqua acies Romana restitit primò, deinde signa acriter intulit. nec vlterâ sustinuerunt certamẽ Galli, quin terga verterent, atq; effusè fugerẽt. In eo prælio supra quadraginta millia hominum cæsa, Valerius Antias scribit: & quingenta septem signa militaria capta, & carpenta quadringenta triginta duo, & aureos torques multos, ex quibus vnum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in æde positum scribit. Castra eo die Gallorum expugnata, direptáque: & Comum oppidum intra dies paucos captum. Castella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. Id quoque inter scriptores ambigitur, vtrum in Boios prius, an Insubres consul exercitum induxerit, aduersámque prospera pugna obliterauerit: an victoria ad Comum parata, defor-

37. mata clade in Boiis accepta sit. Sub hæc tam varia fortuna gesta, L. Furius Purpurio alter consul per tribum Sappiniam in Boios venit. Iam castro Mutilo appropinquabat, cùm veritus ne intercludere-

tur

A tur ſimul à Boiis Liguribúſque, eadem via qua adduxerat, reduxit, & magno circuitu per aperta, eáque tuta loca ad collegam peruenit. Dein iunctis exercitibus primùm Boiorum agrum vſque ad Feſinam oppidum populantes peragrauerunt. Ea vrbs cæteráque caſtella, & Boii ferè omnes, præter iuuentutem, quæ prædandi cauſa in armis erat (tunc in deuias ſyluas receſſerat) in deditionem venerunt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boii negligentius coactum agmen Romanorum, quia ipſi procul abeſſe viderentur, improuiſo aggreſſuros ſe rati, per occultos ſaltus ſecuti ſunt. quos non adepti, Pado repentè nauibus traiecto, Leuos Libuóſque cùm peruaſtaſſent, redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agreſti præda in agmen incidunt Romanum. Celerius prælium acriúſque commiſſum, quàm ſi tempore locóque ad certamen deſtinatis, præparatis animis concurriſſent. Ibi quantam vim ad ſtimulandos animos ira haberet, apparuit. nam ita cædis magis quàm victoriæ auidi pugnarunt Romani, vt vix nuntium cladis hoſti relinquerent. Ob eas res geſtas, conſulum literis Romam allatis, ſupplicatio in triduum decreta eſt. Breui pòſt Marcellus Romam venit, triumphúſque ei magno conſenſu patrum eſt decretus. Triumphauit in magiſtratu de Inſubribus, Comenſibúſque. Boiorum triumphi ſpem collegæ reliquit: quia ipſi propriè aduerſa pugna in ea gente euenerat, collegæ ſecunda. Multa ſpolia hoſtium captiuis carpentis traducta: multa militaria ſigna lata † æris treccenta viginti millia, † argenti bigati ducenta triginta quatuor millia. in pedites ſingulos dati † octingenti æris: triplex equiti, centurioníque. Eodem anno Antiochus rex cùm hybernaſſet Epheſi, omnes Aſiæ ciuitates in antiquam imperii formulam redigere eſt conatus: reliquas 38.

Boii ferè omnes in deditionem veniunt.

Marcellus de Inſubribus & Comenſibus triumphat.

† Valent 3020. coro.

† Valent 23400 coron.

quidem, aut quia locis planis poſitæ erant, aut quia parum mœnibus armiſque ac iuuentuti fidebant, haud difficulter iugum accepturas. Smyrna & Lampſacus libertatem vſurpabant. periculúmque erat, ne ſi conceſſum his foret quos metuebat, Smyrnam in Aeolide Ioniáque, Lampſacum in Helleſponto, aliæ vrbes ſequerentur. Igitur & ipſe ab Epheſo ad Smyrnam obſidendam miſit: & quæ Abydi copiæ erant præſidio tantum modico relicto, duci ad Lampſacum oppugnandum iuſsit. nec vi tantùm terrebat: ſed per legatos leniter alloquendo, caſtigandóque temeritatem & pertinaciam, ſpem conabatur facere, breui quæ peterent habituros. & tum ſatis & ipſis & omnibus aliis apparere, ab rege impetratam eos libertatem, non per occaſionem raptam habere. Aduerſus quæ reſpondebant, nihil neque mirari, neque ſuccenſere Antiochum debere, ſi ſpem libertatis differri non ſatis æquo animo paterentur. Ipſe initio veris nauibus ab Epheſo profectus, Helleſpontum petit. terreſtreis copias ab Abydo traiicit Cherſoneſi vrbem: terreſtri naualem exercitum iunxit. & quia clauſerant portas, circumdedit mœnia armatis. & iam opera admouenti, deditio eſt facta. Idem metus tum incolentes alias Cherſoneſi vrbes in deditionem dedit. Lyſimachiam inde omnibus ſimul na-

† Abás octogeni, qui faciunt 36 ſolid. cum 10 denariis Turonenſ.

Antiochus Smyrnã & Lampſacum oppugnari iubet

B ualibus terreſtribúſque copiis venit. quam cùm deſertam ac ſtratam propè ruinis inueniſſet, (ceperant autem, direptámque incenderant Thraces paucis antè annis) cupido eum reſtituendi nobilem vrbem, & loco ſitam opportuno, cepit. itaque omni cura ſimul eſt aggreſſus & tecta muróſque reſtituere, & partim redimere ſeruienteis Lyſimachienſes, partim fuga ſparſos per Helleſpontum Cherſoneſúmque conquirere, contrahereque: partim nouos colonos, ſpe commodorum propoſita, aſcribere, & omni modo frequentare. ſimul vt Thracum ſummoueretur metus, ipſe parte dimidia terreſtrium copiarum ad depopulandum proxima Thraciæ eſt profectus: partem, naualéſque ſocios omnes reliquit in operibus reficiendæ vrbis. Sub hoc tempus & L. Cornelius, miſſus ab ſenatu 39.

Antiochus Lyſimachiã dirutam reſtituit.

ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæúmque reges certamina, Selymbriæ ſubſtitit: & decem legatorum P. Lentulus à Bargyllis, P. Villius & L. Terentius à Thaſſo Lyſimachiam petierunt. eódem & à Selymbria L. Cornelius, & ex Thracia poſt paucos dies Antiochus conuenerunt. Primus congreſſus cum legatis, & deinceps inuitatio benigna & hoſpitalis fuit. vt de mandatis ſtatúque præſenti Aſiæ agi cœptum eſt, animi exaſperati ſunt. Romani omnia acta eius, ex quo tempore è Syria claſſe ſoluiſſet, diſplicere ſenatui non diſsimulabant, reſtituíque Ptolemæo ciuitates omnes, quæ ditionis eius fuiſſent, æquum cenſebant. nam quod ad eas ciuitates attineret, quas à Philippo poſſeſſas Antiochus per occaſionem, auerſo Philippo in Romanum bellum intercepiſſet, id verò ferendum non eſſe, Romanos per tot annos terra maríque tanta pericula ac labores exhauſiſſe, Antiochum belli præmia habere. Sed vt in Aſiam aduentus eius diſsimulari ab Romanis, tanquam nihil ad eos pertinens, potuerit: quòd iam etiam in Europam omnibus naualibus terreſtribúſque copiis tranſierit, quantum à bello aperto Romanis abeſſe? illum quidem etiam ſi in Italiam traiiciat, negaturum. Ad ea rex: Satis iam antè videre ſe, Romanos inquirere quid regi Antiocho faciendum: 40.

Antiochi & legatorũ Romanorum cõuentus.

at quouſque terra maríque progrediendum fuerit ipſis, non cogitare. Aſiam nihil ad populum Romanum pertinere: nec magis illis inquirendum eſſe, quid Antiochus in Aſia, quàm Antiocho, quid in Italia populus Romanus faciat. Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademptas ciuitates querantur: ſibi cum Ptolemæo & amicitiam eſſe: & id agere ſe, vt breui etiam affinitas iungatur. Nec ex Philippi quidem aduerſa fortuna ſpolia vlla ſe petiſſe: aut aduerſus Romanos in Europam traieciſſe. ° fuerit, quo victo omnia, quæ illius fuiſſent, iure belli Seleuci facta ſint: exiſtimare ſuæ ditionis eſſe. occupatis maioribus ſuis rerum aliarum alia cura, primò quædam ex his Ptolemæum, deinde & Philippum vſurpando aliena poſſediſſe: ſicut quædam ex proxima Thraeia, quæ indubitatè Lyſimachi fuerint. ad ea facienda in antiquum veniſſe: & Lyſimachiam deletam Thracum impetu deintegro condere, vt Seleucus filius eam ſedem regni habebat. His diſceptationibus per dies aliquot 41.
habitis, rumor ſine vllo ſatis certo authore allatus de morte Ptolemæi regis, vt nullus exitus imponeretur ſermonibus. nam diſsimulabat pars vtraque ſe audiſſe. & L. Cornelius, cui legatio ad duos reges,

Antiochi ad legatos Romanos reſpõſio.

Antioc

Antiochum Ptolemæúmque mandata erat, ſpatium modici temporis ad conueniendum Ptolemæum A
petebat: vt priuſquàm moueretur aliquid in noua poſſeſsione regni, perueniret in Aegyptum. &
Antiochus ſuam fore Aegyptum, ſi tum occaſio eſſet, cenſebat, itaque dimiſsis Romanis, relictó-
que Seleuco filio cum terreſtribus copiis ad reſtituendam, vt inſtituerat, Lyſimachiam: ipſe omni
claſſe nauigans Epheſum, legatis ad Quintium miſsis, qui ad fidem de ſocietate agerent, oram Aſiæ
legens, peruenit in Lyciam. Patariſque cognito viuere Ptolemæum, nauigandi quidem in Aegy-
ptum omiſſum conſilium eſt. Cyprum nihilominus tendens, cùm Chelidonium promontorium ſu-
peraſſet, pauliſper ſeditione remigum eſt retentus in Pamphylia circa Eurymedontem amnem. Inde
profectum eum ad capita (quæ vocant) Sari fluminis, fœda tempeſtas oborta propè cum omni claſ-
ſe demerſit. multæ naues eiectæ: multæ ita hauſtæ mari, vt nemo in terram enauerit. magna vis ho-
minum ibi interiit, non remigum tantùm, militúmque ignotorum, ſed etiam inſignium amicorum.
Collectis reliquiis naufragii, cùm res non in eo eſſet vt Cyprum tentaret, minus opulento agmine
quàm profectus erat, Seleuciam redit. ibi ſubduci nauibus iuſsis (iam enim hyems inſtabat) ipſe in
42. *Triumuiri Epulones hoc anno primum facti.* hyberna Antiochiam proceſsit. In hoc ſtatu regum erant res. Romæ eo primùm anno triumuiri epu-
lones facti, C. Licinius Lucullus, T. Romuleius qui legem de creandis his tulerat: & P. Porcius
Lecca. His triumuiris item, vt pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ ius. Sed magnum cer-
tamen cum omnibus ſacerdotibus eo anno fuit quæſtoribus vrbanis, Q. Fabio Labeoni, & L. Aure-
lio. Pecunia opus erat, quod vltimam penſionem pecuniæ in bellum collatæ perſoluere placuerat pri-
uatis. quæſtores ab auguribus, pontificibus, quòd ſtipendium per bellum non contuliſſent, pete-
A ſacerdotibus ſtipendiũ exactũ. bant. ab ſacerdotibus tribuni nequicquam appellati, omniúmque annorum, per quos non dederant,
exactum eſt. Eodem anno duo mortui pontifices, nouíque in eorum locum ſuffecti. M. Marcellus
conſul in locum T. Sempronii Tuditani, qui prætor in Hiſpania deceſſerat: & L. Valerius in locum
M. Cornelii Cethegi. Et Q. Fabius Maximus augur mortuus eſt, admodum adoleſcens, priuſquàm
vllum magiſtratum caperet: nec eo anno augur in eius locum eſt ſuffectus. Comitia inde conſularia
43. habita à M. Marcello conſule. creati COSS. L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato. Prætores inde fa-
cti C. Fabricius Luſcinus, C. Atinius Labeo, C. Manlius Volſo, Ap. Claudius Nero, P. Manlius,
P. Porcius Lecca. Aediles curules, M. Fuluius Nobilior, & C. Flaminius, tritici decies centum mil-
† uno ſolido Turonenſi lia † binis æris populo diuiſerunt: id C. Flaminii honoris cauſa, ipſius patríſque, aduexerant Siculi
Romam. Flaminius gratiam eius communicauerat cum collega. Ludi Romani & apparati magnificè
ſunt, & ter toti inſtaurati. Aediles plebis Cn. Domitius Aenobarbus, & C. Scribonius curio maxi-
mus multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt: tres ex his condemnati ſunt. ex eorum mul-
ctaticia pecunia ædem in inſula Fauni fecerunt. Ludi plebeii per biduum inſtaurati, & epulum fuit lu- B
Prouinciarum ſortitio. dorum cauſa. L. Valerius Flaccus, & M. Porcius, quo die magiſtratum inierunt, de prouinciis cùm
ad ſenatum retuliſſent, patres cenſuerunt cùm in Hiſpania tantum gliſceret bellum, vt iam conſulari
& duce & exercitu opus eſſet, placere, conſules Hiſpaniam citeriorem & Italiam prouincias aut
comparare inter ſe, aut ſortiri, vtri Hiſpania prouincia eueniſſet, eum duas legiones & quinque mil-
lia ſociûm Latini nominis, & quingentos equites ſecum portare, & naues longas viginti ducere. al-
ter COS. duas legiones ſcriberet. his Galliam prouinciam obtineri ſatis eſſe, fractis proximo anno
Inſubrium & Boiorum animis. Cato Hiſpaniam, Valerius Italiam eſt ſortitus. Prætores deinde pro-
uincias ſortiti, C. Fabricius Luſcinus vrbanam, C. Atinius Labeo peregrinam, C. Manlius Volſo
Siciliam, Ap. Claudius Nero Hiſpaniam vlteriorem, P. Porcius Lecca Piſas, vt ab tergo Liguribus
eſſet, P. Manlius in Hiſpaniam citeriorem adiutor conſuli datur. T. Quintio, ſuſpectis non ſolùm
Antiocho & Aetolis, ſed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno, prorogatum in annum impe-
rium eſt, duas legiones vt haberet. in eas ſi quid ſupplementi opus eſſet, conſules ſcribere, & mitte-
re in Macedoniam iuſsi. Ap. Claudio præter legionem, quam Q. Fabius habuerat, duo millia pedi-
tum & ducentos equites nouos conſcribere permiſſum. Par numerus peditum equitúmque nouorum
P. Manlio in citeriorem Hiſpaniam decretus: & legio eadem, quæ fuerat ſub Minutio prætore, da-
ta. Et P. Porcio Leccæ ad Hetruriam circa Piſas ducenti peditum, & quingenti equites ex Gallico
44. exercitu decreti. In Sardinia prorogatum imperium Sempronio Longo. Prouinciis ita diſtributis, cõ-
Ver ſacrum. ſules priuſquàm ab vrbe proficiſcerentur, ver ſacrum ex pontificum iuſſu fecere: quod C. Cornelius
Mammula prætor vouerat de ſenatus ſententia, populíque iuſſu, Cn. Seruilio, C. Flaminio COSS.
annis poſt vno & viginti factum eſt, quàm votum. Per eoſdem dies C. Claudius, Appii filius, Pul-
cher, augur in Q. Fabii Maximi locum, qui priore anno mortuus erat, lectus inauguratúſque eſt. Miran
Q. Minutius proſperè pugnauit in Hiſpania. tibus iam vulgo hominibus, quòd Hiſpania mouiſſet bellum, negligi: literæ à Q. Minutio allatæ ſunt,
ſe ad Turbam oppidum cum Budare & Beſaſide imperatoribus Hiſpanis ſignis collatis proſperè pu-
gnaſſe: duodecim millia hoſtium cæſa: Budarem imperatorem captum: cæteros fuſos fugatóſque. His
literis lectis, minus terroris ab Hiſpanis erat, vnde ingens bellum expectatum fuerat. Omnes curæ
poſt aduentum vtique decem legatorum in Antiochum regem conuerſæ. Hi expoſitis prius quæ cum
Decem Legati referũt quanã ſit in Græcia ſtatus. Philippo acta eſſent, & quibus legibus data pax: non minorem belli molem reſtare ab Antiocho do-
cuerũt. Ingenti claſſe, egregio terreſtri exercitu in Europã eum traieciſſe. niſi auertiſſet vana ſpes ex va
niore rumore orta, Aegypti inuadendæ, mox bello Græciam arſuram fuiſſe. neque enim ne Aetolos
quidem quieturos, cùm ingenio inquietam, tum iratam Romanis gentem. hærere & aliud in viſce-
ribus Græciæ ingens malum: Nabin nunc Lacedæmoniorum, mox ſi liceat, vniuerſæ Græciæ futu-
rum tyrannum, auaritia & crudelitate omneis fama celebratos tyrannos æquãtem. cui ſi Argos velut
arcem

A arcem Peloponneſo impoſitam tenere liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, neqoicquam liberatam à Philippo Græciam fore: pro rege, ſi nihil aliud, longinquo vicinum tyrannum dominum habituram. Hæc cùm iam ab grauibus authoribus, tum qui omnia per ſe ipſos explorata referrent, audirent maiores, quod ad Antiochum attineret, maturanda his, cùm rex quacunque de cauſa in Syriam conceſsiſſet, de tyranno conſultatio viſa eſt. Cùm diu diſceptatum eſſet, vtrum iam cauſæ ſatis videretur, cur decerneretur: an permitterent T. Quintio, quod ad Nabin Lacædemonium attineret, faeeret quæ è Republica cenſeret eſſe, permiſerunt: eam rem eſſe rati, quæ maturata dilatáve non tam magni momenti ad ſummam rem populi Romani eſſet: magis id animaduertendum eſſe, quid Annibal & Carthaginienſes ſi cum Antiocho ortum foret bellum, acturi eſſent. Aduerſæ Annibali factionis homines principibus Romanis, amicis quiſq; ſuis, identidem ſcribebãt: nuntios literáſq; ab Annibale ad Antiochum miſſas, & ab rege ad eum clam legatos veniſſe. vt feras quaſdam nunquàm miteſcere: ſic immitem, implacabilem eius viri animum eſſe. marceſcere otio ſitúq; ciuitatem, queri eum, & inertia operis, nec ſine armorum ſonitu excitari poſſe. Hæc probabilia memoria prioris belli, per vnum illum non magis geſti quàm moti, faciebat. Iritauerat etiam recenti ſacto multorum potentium animos. Iudicum ordo Carthagine ea tempeſtate dominabatur, eo maximè, quòd iidem perpetui iudices erant. res, fama, vitáque omnium in illorum poteſtate erat: qui vnum eius ordinis, idem omneis aduerſos habebat. nec accuſator apud iudices infenſos deerat. Horum in tam impotenti regno (neque enim ciuiliter nimiis opibus vtebantur) prætor factus Annibal, vocare ad ſe quæſtorem. Idem pro nihilo habuit. nam & aduerſæ factionis erat: & quia ex quæſtura in iudices, potentiſſimum ordinem referebantur, iam pro futuris mox opibus animos gerebat. Enimuero indignum id ratus Annibal: viatorem ad præhendendum quæſtorem miſit: ſubductúmq; in concionem non ipſum magis quàm ordinem iudicum, præ quorum ſuperbia atque opibus nec leges quicquam eſſent, nec magiſtratus, accuſauit. & vt ſecundis auribus accipi orationem animaduertit, & infimorum quoque libertati grauem eſſe ſuperbiam eorum: legem extemplò promulgauit, pertulítque, vt in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis biennium continuum iudex eſſet. Cæterùm quantam eo facto ad plebem inierat gratiam, tantum magnæ partis principum offendebat animos. Adiecit aliud, quòd bono publico ſibi proprias ſimultates iritauit. Vectigalia publica partim negligentia dilabebantur: partim prædæ ac diuiſui principum quibuſdam & magiſtratibus erant. quin & pecunia, quæ in ſtipendium Romanis ſuo quoque anno penderetur, deerat: tributúmque graue priuatis imminere videbatur. Annibal poſtquam vectigalia quanta terreſtria maritimáque eſſent, & in quas res erogarentur, animaduertit, & quid eorum ordinarii Reip. vſus conſumerent, quantum peculatus auerteret: omnibus re-
B ſiduis pecuniis exactis tributo priuatis remiſſo, ſatis locupletem Rempublicam fore ad vectigal præſtandum Romanis, pronuntiauit in concione, & præſtitit promiſſum. Tum verò iſti, quos pauerat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infenſi & irati Romanos in Annibalem, & ipſos cauſam odii quærentes, inſtigabant. Itaque diu repugnante Scipione Africano, quia parum ex dignitate ſua ducebat ſubſcribere odiis accuſationibúſque Annibalis, & factionibus Carthaginienſium inſerere publicam authoritatem: nec ſatis habere bello viciſſe Annibalem, niſi velut accuſatores calumniam in eum iurarent, ac nomen deferrent: tandem peruicerunt, vt legati Carthaginem mitterentur: qui apud ſenatum eorum arguerent Annibalem cum Antiocho rege conſilia belli faciendi inire. Legati tres miſsi, C. Seruilius, M. Claudius Marcellus, Q. Terentius Culleo. qui cùm veniſſent, ex conſilio inimicorum Annibalis, quærentibus cauſam aduentus, dici iuſſerunt: veniſſe ad controuerſias, quæ cum Maſaniſſa rege Numidarum Carthaginienſibus eſſent, dirimendas. id creditum vulgo. Annibalem vnum ſe peti ab Romanis non fallebat, & ita pacem Carthaginienſibus datam eſſe, vt inexpiabile bellum aduerſum ſe vnum maneret. itaque cedere tempori & fortunæ ſtatuit, & præparatis iam omnibus antè ad fugam, obuerſatus eo die in foro auertendæ ſuſpicionis cauſa, primis tenebris veſtitu forenſi ad portam cum duobus comitibus ignaris conſilii eſt egreſſus. Cùm equi quo in loco iuſſerant præſto fuiſſent, nocte via cita regionem quandam agri Vocani tranſgreſſus, poſtero die mane inter Acyllam & Thapſum ad ſuam turrim peruenit. ibi eum parata, inſtructáque remigio recepit nauis. ita Africa Annibal exceſsit, ſæpius patriæ quàm ſuorũ euentus miſeratus. Eo die in Cercinã inſulam traiecit. vbi cùm in portu naues aliquot Pœni onerarias cum mercibus inueniſſent, & ad egreſſum eum è naue concurſus ſalutantium eſſet factus: percontantibus legatum ſe Tyrum dici iuſsit. veritus tamen ne qua earum nauis nocte profecta Thapſum aut Acyllam nuntiaret, ſe Cercinæ viſum: ſacrificio apparari iuſſo, magiſtros nauium mercatoréſque inuitari iuſsit: & vela cum antennis ex nauibus corrogari, vt vmbra (etenim media æſtas fortè erat) cœnantibus in litore fieret. quantum res & tempus patiebatur, apparatæ celebrátæque eius diei epulæ ſunt: multóq; vino in ſerum noctis conuiuium productum. Annibal quumprimum fallendi eos qui in portu erant, tẽpus habuit, nauem ſoluit. cæteri ſopiti cùm poſtero die tandem ex ſomno pleni crapulæ ſurrexiſſent, id quod ſerũ erat, aliquot horas remis in naues collocandis & aptandis armamentis abſumpſerunt. Carthagine & multitudinis aſſuetæ domum Annibalis frequentare concurſus ad veſtibulum ædium eſt factus: & vt non comparere eum vulgatum eſt, in forum turba cõuenit, principem ciuitatis quærentium. & alii fugam cõſciſſe: (id quod erat) alii fraude Romanorum interfectũ, ídq; magis ferebant: varióſq; vultus cerneres, vt in ciuitate aliorum alias partes fouentium factionibus. viſum deinde Cercinæ eum, tandem allatum eſt. Romani legati cùm in ſenatu expoſuiſſent, compertum patribus Romanis eſſe, & Philippum regem antè ab Annibale maximè accenſum, bellum populo Romano feciſſe, &

Iudicum ordo Carthagine dominatur.

Annibal ordinem iudicum accuſat.

Annibalis de vectigalibus conſiliũ multos ſibi infenſos reddidit.

Legati tres à Sen. tu Carthaginẽ miſſi.

Annibal ex Africa diſcedit.

Romani legati in Carthagin. Sẽnatu de Annibale queruntur.

cisse, & nunc literas nunciósque ab eo ad Antiochum regem profectos, haud quieturum antè, quàm A
bellum toto orbe terrarum concisset:ne his * debere impunè esse, si satisfacere Carthaginienses populo Romano vellent:nihil eorum sua voluntate, nec publico consilio factum esse, Carthaginienses responderunt.quicquid æquum censuissent Romani, facturos esse. Annibal prospero cursu Tyrum peruenit: exceptúsque à conditoribus Carthaginis vt alia patria vir tam clarus omni genere honorum, paucos moratus dies Antiochiam nauigat.ibi profectum iam regem cùm audisset, filium eius solenne ludorum ad Daphnen celebrantem conuenisset: comiter ab eo exceptus, nullam moram nauigandi fecit. Ephesi regem est consecutus, fluctuantem adhuc animo, incertúmque de Romano bello. sed haud paruum momentum animo eius ad moliendum aduentus Annibalis fecit. Aetolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt:quorum legatos Pharsalum & Leucadem, & quasdam alias ciuitates ex primo fœdere petentes senatus ad Quintium reiecit.

Annibal Tyrum peruenit, & ab Antiocho comiter excipitur.

DECADIS QVARTAE LIBER QVARTVS.

Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico destringendis cultibus matronarum tulerat, cum maxima contentione abrogata est: cùm Porcius Cato author fuisset, ne ea lex aboleretur. Is in Hispaniam profectus bello, quod Emporijs orsus est, citeriorem Hispaniam pacauit. T. Quintius Flaminius bellum aduersus Lacedæmonios, & tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, data ijs pace, qualem ipse voluit: liberatísque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finiuit. Senatus tunc primùm secretus à populo ludos spectauit. ut id fieret, Sex. Aelius Pætus, & L. Cornelius Cethegus censores interuenerunt cum indignatione plebis. Coloniæ plereque deductæ sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphauit. Res præterea aduersus Boios & Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur. T. Quintius Flaminius qui Philippum Macedonum regem, & Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciámque omnem liberauerat, ob hanc rerum gestarum multitudinem triduo triumphauit. Legati Carthaginiensium nuntiauerunt, Annibalem qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. tentauerat autem per Aristonem Tyrium, sine literis Carthaginem missum, ad rebellandum Pœnos concitare.



1. NTER bellorum magnorum, aut vixdum finitorum, aut imminentium curas, intercessit res parua dictu, sed quæ studiis in magnum certamen excesserit. M. Fundanius, & L. Valerius tribuni plebis ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis, Q. Fabio, T. Sempronio coss. in medio ardore Punici belli: ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolori vteretur: neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. M. & P. Iunii Bruti tribuni plebis legem Op- B
piam tuebantur: nec eam se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendúmque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fauentium aduersantiúmque legi complebatur. matronæ nulla nec authoritate, nec verecundia, nec imperio virorum cōtineri limine poterant: omnes vias vrbis, aditúsque in forum obsidebant, viros descendentes ad forum orantes, vt florente Repub. crescente in dies priuata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. augebatur hæc frequentia mulierum in dies: nam etiam ex oppidis conciliabulísque conueniebant. iam & consules prætorésque, & alios magistratus adire & rogare audebant. cæterùm minimè exorabilem alterum

Lex Oppia de cultu matronarum.

2. vtique consulem M. Porcium Catonem habebant, qui pro lege quæ abrogabatur, ita disseruit: Si in sua quisq; nostrûm matrefamiliâs Quirites, ius & maiestatem viri retinere instituisset, minus cum vniuersis fœminis negotii haberemus. nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, vniuersas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo genere non summum periculum est, si cœtus & concilia, & secretas consultationes esse sinas. Atque ego vix statuere apud animum meum possum, vtrum prior ipsa res, an peiore exemplo agatur. quorum alterum ad nos coss. reliquósque magistratus, alterum ad vos Quirites magis pertinet. nam vtrum è Republica sit, nec ne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, siue sua sponte, siue authoribus vobis M. Fundani & L. Valeri facta est, haud dubiè ad culpam magistratuum pertinens, nescio vobis tribuni, an coss. magis sit deformis. vobis, si fœminas ad concitandas tribunitias seditiones iam adduxistis: nobis, si vt plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulo antè per medium agmen mulierum in forum perueni. quod nisi me verecūdia singularum magis maiestatis & pudoris, quàm vniuersarū tenuisset, ne compellatæ à consule viderentur, dixissem. qui hic mos est in publicū procurrendi & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? istud ipsum suos quæq; domi rogare non potuistis? an blandiores in publico quàm in priuato, & alienis quàm vestris estis? quanquàm ne domi quidem vos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur abrogarentúrve curare decuit. Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas sine authore voluerunt: in manu esse parentū, fratrū, virorū. nos (si diis placet) iam etiā Remp. capessere eas patimur, & foro propè, & cōcionibus & comitiis immisceri. quid enim nūc aliud per vias & compita faciunt, quàm quòd aliæ rogationes tribunorum plebis suadent, aliæ legem abrogandam censent? Date frenos impotēti naturæ, & indomito animali, & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminæ sibi aut moribus aut legibus iniunctum patiuntur. omniū rerum libertatē, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderāt. quid enim si hoc

M. Porcij Catonis oratio pro Oppia lege.

A si hoc expugnauerint, nõ tentabunt? Recensete omnia muliebria iura, quibus licentiã earum alligauerint maiores nostri, per quæque subiecerint viris: quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. quid si carpere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini, tolerabiles
vobis eas fore creditis? extemplò simul pares esse cœperint, superiores erunt. At Hercule ne quid 3.
nouum in eas rogetur, recusant, non ius, sed iniuriam deprecantur. imò vt quam accepistis, iussistis suffragiis vestris legem, quam vsu tot annorum & experiendo comprobastis, hanc vt abrogetis: id est, vt vnam tollendo legem cæteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est. id modò quæritur, si maiori parti, & in summam prodest. si quod cuiquam priuatim officiet ius, id destruet ac demolietur: quid attinebit vniuersos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum: ac vix foro se & concione abstineant. vt captiui ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum? procul absit, absitque semper talis fortuna Reipublicæ, sed tamen cùm fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas, nec solicitudo pro suis, sed religio congregauit eas. matrem Ideam Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? vt auro & purpura fulgeamus, inquiunt, vt carpentis profestis quoque diebus velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragiis vestris per vrbem vectemur: ne vllus modus sumptibus nec luxuriæ sit. Sæpe me querentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de priuatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus audistis: diuersísque duobus vitiis, auaritia & luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ego quò melior lætiórque in dies fortuna Reipublicæ est, quo magis imperium crescit: & iam in Græciam Asiámque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas.

Auaritia & luxuria pestes rerũ public.

Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic vrbi. iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudanteis, miranteísque, & antè fixa fictilia deorum Romanorum ridenteis. ego hos malo propitios deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus non virorum modò, sed etiam mulierum animos donis tentauit. nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat, tamen nulla accepit. quam causam fuisse censetis? eadem fuit, quæ maioribus nostris, nihil de hac re lege sanciendi. nulla erat luxuria quæ coerceretur. Sicut antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic cupiditates prius natæ sunt quàm leges, quæ iis modum facerent. Quid legem Licinian excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis iam & stipendiaria plebs esse senatui

Cupiditates prius natæ, quàm leges.

B cœperat? Itaque minimè mirum est, nec Oppiam, nec aliam vllam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret, cùm aurum & purpuram data & oblata vltrò non accipiebant.
Si nunc cum illis donis Cyneas vrbem circumiret, stantes in publico inuenisset quæ acciperent. Atq;
ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum. nam vt quod alii liceat, 4.
tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris: aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid vnaquæque vestrûm veretur, ne in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est vel parsimoniæ, vel paupertatis: sed vtrunque lex vobis demit, cùm id quod habere non licet, non habetis. Hanc, inquit, ipsam exæquationem non fero, illa locuples. cur nõ insignis auro & purpura conspicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet? vt quod habere non possunt, habituræ, si liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen vxoribus vestris iniicere Quirites, vt diuites id habere velint, quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Ne simul pudere, quod non oportet, cœperit: quod oportet, non pudebit. quæ de suo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, & qui exoratus, & qui nõ exoratus erit, cùm quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, & quod maius est, legem & suffragia rogant: & à quibusdam impetrant aduersus te & rem tuam, & liberos tuos inexorabiles. simul lex modum sumptibus vxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare Quirites futuram rem, quo fuit, antequàm lex de hoc ferretur. & hominem improbum non accusari tutius est, quàm absolui: & luxuria non mota tolerabilior esset, quàm erit nunc ipsis vinculis: sicut fera bestia, irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo. vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim. Post hæc tribuni quoque plebis, qui se intercessuros professi erant, cùm pauca
in eandem sententiam adiecissent: tum L. Valerius pro rogatione ab se promulgata ita disseruit. Si pri- 5.
uati tantummodo ad suadendum dissuadendúmque id quod à nobis rogatur, processissent, ego quoque cùm satis dictum pro vtraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra expectassem. nunc cùm vir grauissimus COS. M. Porcius nõ authoritate solùm, quæ tacita satis momenti habuisset: sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere. qui tamen plura verba in castigandis matronis, quàm in rogatione nostra dissuadenda consumpsit. & quidem vt in dubio poneret, vtrum id quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis authoribus fecissent: rem defendam, non nos: in quos iecit magis hoc COS. verbo tenus, quàm vt re insimularet.

L. Valerij tribuni plebis pro abrogãda Oppia lege oratio.

Cœptum & seditiones, & interdum secessionem muliebrem appellauit, quòd matronæ in publico vos rogassent, vt legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace & florente ac beata Rep. abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ causa conquirantur, & hæc & alia esse scio: & M. Catonem oratorẽ non solùm grauẽ, sed interdum etiam trucẽ esse scimus omnes, cùm ingenio sit mitis. Nam quid tandem noui matronæ fecerunt, quòd frequentes in causa ad se pertinẽte in publicũ processerunt? nunquã

ante

ante hoc tempus in publico apparuerunt? tuas aduersus te origines reuolnam. accipe quoties id fe- A
cerint, & quidem semper bono publico. Iam à principio regnante Romulo, cùm Capitolio ab Sa-
binis capto medio in foro signis collatis dimicaretur, nónne intercursu matronarum inter acies duas
prælium sedatum est? Quid regibus exactis, cùm Coriolano Martio duce legiones Volscorum castra
ad quintum lapidem posuissent, nónne id agmen, quo obruta hæc vrbs esset, matronæ auerterunt?
Iam vrbe capta à Gallis, aurum, quo vrbs redempta est, nempe matronæ consensu omnium in pu-
blicum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam) nónne & cùm pecunia opus fuit, vidua-
rum pecuniæ adiuuerunt ærarium? & cùm dii quoque noui ad opem ferendam dubiis rebus accerse-
rentur, matronæ vniuersæ ad mare profectæ sunt ad matrem Idæam accipiendam. Dissimiles, inquit,
causæ sunt. nec mihi causas æquare propositum est. nihil noui factum purgare satis est. Cæterum quod
in rebus ad omnes pariter viros fœminásque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in causa pro-
priè ad ipsas pertinente miramur fecisse? quid autem fecerunt? superbas mediusfidius aures habemus,
si cùm domini seruorum non fastidiant preces, non rogari ab honestis fœminis indignamur. Venio
6. nunc ad id de quo agitur, in quo duplex consulis oratio fuit. nam & legem vllam omnino abrogari est
indignatus: & eam præcipuè legem, quæ luxuriæ muliebris coercendæ causa lata esset. & illa commu-
nis pro legibus visa consularis oratio est, & hæc aduersus luxuriam seuerissimis moribus conuenie-
bat. Itaque periculum est, nisi quid in vtraque vani sit, docuerimus, ne quis error vobis offundatur.
Ego enim, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causa
in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut vsus coarguit, aut status aliquis
Reipublicæ inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (vt ita dicam) &
temporibus ipsis mutabiles esse video. quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat. quæ in bel-
lo, pax: vt in nauis administratione alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt. Hæc cùm
ita natura distincta sint, ex vtro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? quid, vetus re-
gia lex, simul cum ipsa vrbe nata? aut (quod secundum est) à decemuiris ad condenda iura creatis
in XII tabulis scripta? sine qua cùm maiores nostri non existimarint matronale decus seruari posse:
nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatémque fœminarum abrogemus? Quis igi-
tur nescit, nouam istam legem esse, Q. Fabio., T. Sempronio consulibus XX annis antè latam? sine
qua cùm per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem ne abrogata ea effundan-
tur ad luxuriam, periculum est? nam si ista lex ideo lata esset, vt finiret libidinem muliebrem, ve-
rendum foret, ne abrogata incitaret. cur sit autem lata, ipsum indicauit tempus. Annibal in Italia erat
victor ad Cannas: iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam habebat, ad vrbem Romam admotu-
rus exercitum videbatur: defecerant socii, non milites in supplementum, non socios nauales ad clas- B
sem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: serui, quibus arma darentur, ita vt pretium pro
iis bello perfecto dominis solueretur, emebantur: in eandem diem frumentum & cætera quæ belli
vsus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erant. seruos ad remum, numero ex
censu constituto, cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne, à senatoribus eius rei
initio orto, in publicum conferebamus: viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant. cau-
tum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Ta-
li tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant, vt ad eam coercendam lex Oppia desidera-
ta sit: cùm quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finiri lu-
ctum triginta diebus iussit. Cui non apparet, inopiam & miseriam ciuitatis, quia omnium priuato-
rum pecuniæ in vsum publicum vertendæ erant: istam legem scripsisse, tandiu mansuram, quandiu
causa scribendæ legis mansisset? nam si quæ tunc temporis causa aut decreuit senatus, aut populus
iussit, in perpetuum seruari oportet, cur pecunias reddimus priuatis? cur publica præsenti pecunia
locamus? cur serui, qui militent, non emuntur? cur priuati non damus remiges, sicut tunc dedimus?
7. Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum Reipublicæ sentient, ad con-
iuges tantum nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura viri vtemur,
prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur, magistrati-
bus in coloniis municipiísque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum, togæ prætextæ haben-
dæ ius permittemus: nec id vt viui solum habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo crementur
mortui: fœminis duntaxat purpuræ vsu interdicemus? & cùm tibi viro liceat purpura in veste stra-
gula vti, matremfamiliâs tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius in-
stratus erit, quàm vxor vestita? Sed in purpura, quæ teritur, absumitur, iniustam quidem, sed aliquam
tamen causam tenacitatis video: in auro vero, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit,
quæ malignitas est? præsidium potius in eo est & ad publicos & ad priuatos vsus, sicuti experti estis.
Nullam æmulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse aiebat. At Hercule vniuersis do-
lor & indignatio est, cùm sociorum Latini nominis vxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi
adempta sint: cùm insignes eas esse auro & purpura, cùm illas vehi per vrbem, se pedibus sequi, tan-
quam in illarum ciuitatibus, non in sua imperium sit. Virorum hoc animos vulnerare posset: quid mu-
Mundus muliebris. liercularum censetis, quas etiam parua mouent? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec in-
signia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt: munditiæ & ornatus, & cultus, hæc fœmina-
rum insignia sunt: his gaudent & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri.
Quid aliud in luctu, quàm purpuram atque aurum deponunt? quid cùm eluxerunt, sumunt? quid in gra
tulationibus supplicationibúsque, nisi excellentiorem ornatum adiiciunt? Scilicet si legem Oppiam
abrogauer

A abrogaueritis, non vestri arbitrii erit, si quid eius vetare volueritis, quod nunc lex vetat. minus filiæ, vxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam saluis suis exuitur seruitus muliebris. & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum, quàm in legis, malunt esse. & vos in manu & tutela, non in seruitio debetis habere eas: & malle patres vos, aut viros, quàm dominos dici. Inuidiosis nominibus vtebatur modò COS. seditionem muliebrem & secessionē appellando. id enim periculum est, ne Sacrum montem, sicut quondā irata plebs, aut Auentinum capiant. Patiendum huic infirmitati est quodcunque vos censueritis. quo plus potestis, eo moderatius imperio vti debetis. Hæc cùm contra legem, próque lege dicta essent, aliquanto maior frequentia mulierum postero die sese in publicum effudit: vnóq; agmine omnes Brutorū ianuas obsederunt, qui collegarum rogationi intercedebant: nec antè abstiterūt, quàm remissa intercessio à tribunis est. Nulla déinde dubitatio fuit, quin omnes tribus legē abrogarent: annis XX pòst abrogata est, quàm lata. M. Porcius COS. posteaquam abrogata est Oppia lex, extemplò XXV nauibus longis, quarū quinque sociorum erant, ad Lunæ portū profectus, eódem exercitu conuenire iusso, & edicto per oram maritimam misso nauibus omnis generis contractis, à Luna proficiscens edixit, vt ad portū Pyrenei sequerentur, inde se frequenti classe ad hostes iturū. Præteruecti Ligustinos montes, sinúmq; Gallicum, ad diem quam edixerat, conuenerunt. inde Rhodam ventum: & præsidium Hispanorū, quod in castello erat, vi deiectum. ab Rhoda secundo vento Emporias peruentū. ibi copiæ omnes præter socios nauales, in terram expositæ. Iam tunc Emporiæ duo oppida erant muro diuisa. vnum Græci habebant à Phocæa, vnde & Massilienses oriundi: alterū Hispani. sed Græcum oppidum in mare expositū, totum orbem muri minus quadringentos passus patentē habebat: Hispanis retractior à mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab diuo Cæsare post deuictos Pōpeii liberos adiecti. nunc in corpus vnum cōfusi omnes: Hispanis prius, postremò & Græcis in ciuitatem Romanā ascitis. Miraretur quis, cū cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ & bellicosæ genti obiectos, quæ res eos tutaretur. disciplina erat custos infirmitatis, quā inter validiores optimè timor continet. Partem muri versam in agros egregiè munitam habebant, vna tantùm in eam regionem porta imposita: cuius assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat. nocte pars tertia ciuium in muris excubabat, neque moris tantum aut legis causa, sed quanta si hostis ad portas esset, obseruabant vigilias, & circumibant cura. Hispanum neminem in vrbem recipiebant, ne ipsi quidem temerè vrbe excedebant. ad mare patebat omnibus exitus. porta ad Hispanorum oppidum versa nunquam nisi frequentes, pars tertia ferè, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. causa exeundi hæc erat. commercio eorum Hispani imprudentes maris gaudebant: mer-

B carísque & ipsi ea que externa nauibus inueherentur, & agrorum exhibere fructus volebant. huius mutui vsus desiderium vt Hispana vrbs Græcis pateret, faciebat. Erant etiam eo tutiores, quòd sub vmbra Romanæ amicitiæ latebant, quam sicut minoribus viribus, quàm Massilienses, ita pari colebant fide. tunc quoque consulem exercitúmque comiter ac benignè acceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret, vbi & quantæ hostium copiæ essent, vt ne mora quidem segnis esset, omne id tempus exercendis militibus consumpsit. Id erat fortè tēpus anni, vt frumentum in areis Hispani haberent. itaque redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimissis: Bellum, inquit, seipsum alet. profectus ab Emporiis, agros hostium vrit, vastátque: omnia fuga & terrore complet. Eodem tempore M. Heluio decedenti ex vlteriore Hispania cum præsidio sex millium dato ab Ap. Claudio prætore, Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Iliturgi occurrerunt. Viginti millia armatorum fuisse Valerius scribit, duodecim millia ex iis cæsa, oppidum Iliturgi receptum, & puberes omneis interfectos. Inde ad castra Catonis Heluius peruenit. & quia tuta iam ab hostibus regio erat, præsidio in vlteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus, & ob rem feliciter gestam ouans vrbem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium †quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo: & signati† bigatorum XVII millia XXIII, & Oscensis argenti† XX millia CCCCXXXVII. Causa triumphi negandi senatui fuit, quòd alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. Cæterùm biennio pòst redierat, cùm prouincia successori Q. Minutio tradita, annum insequentem retentus ibi longo & graui morbo fuisset. itaque duobus modò mensibus antè Heluius ouans vrbem est ingressus, quàm successor eius Q. Minutius triumpharet. Hic quoque tulit †argenti pondo triginta quatuor millia octingenta: † bigatorum LXXVIII millia, & Oscensis argenti † CCLXXVIII millia. In Hispania interim consul haud procul Emporiis castra habebat. eò legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus vnus filius erat, venerunt, querentes castella sua oppugnari: nec spem vllam esse resistendi*, nisi præsidio Romanus miles esset. V millia militum satis esse: nec hostes, si tanta manus venisset, mansuros. Ad ea consul, moueri quidem se vel periculo eorum vel metu dicere: sed sibi nequaquam tantum copiarum esse, vt cùm magna vis hostium haud procul absit, cum qua mox signis collatis dimicandum sibi in dies expectet, diuidendo exercitum, minuere tutò vires posset. Legati vbi hæc audiuerunt, flentes ad genua consules prouoluuntur. Orant, ne se in rebus tam trepidis deserat. quò enim se, repulsos ab Romanis, ituros? nullos se socios, nihil vsquam in terris aliud spei habere. potuisse se extra id periculum esse, si decedere fide, si coniurare cum cæteris voluissent. nullis minis, nullis terriculis se motos, sperantes satis opis & auxilii sibi in Romanis esse. id si nullum sit, si sibi à consule negetur, deos hominésque se testes facere, inuitos & coactos se, ne eadem quæ Saguntini passi sunt patiantur, defecturos: & cum cæteris potius Hispanis, quàm solos perituros esse. Et illo quidem die sic sine responso* dimissi. Consulem

Oppia lex abrogatur.

M. Porcius Cato in Hispaniam traijcit.

Emporiæ.

Disciplina custos infirmitatis.

Hispanorū duodecim millia cæsa.

† Coron. 147320

† Coron. 1702. cum solid. 14 & denariolis 5

† Valent 348000 coron.

† Valent 78?00 coron.

† Valent 278000 coron. sed numerus hoc loco suspectus est. Crescit enim in immēsum.

Ilergetum legati ad Catonem cos. missi.

8. 9. 10. 11. 12.

C

nocte quæ insecuta est, anceps cura agitare. nolle deserere socios, nolle minuere exercitum, quòd A
aut moram sibi ad dimicandum, aut in dimicando periculum afferre posset. stat sententia, non minuere copias, ne quid interim hostes inferant ignominiæ, sociis spem pro re ostendendam censet. Sæpe vana pro veris, maximè in bello valuisse: & credentem se aliquid auxilii habere, perinde atque haberet, ipsa fiducia & sperando atque audendo seruatum. Postero die legatis respondit, quanquam vereatur ne suas vires, aliis eas commodando minuat, tamen illorum se temporis ac periculi magis quàm sui rationem habere. denuntiari militum parti tertiæ ex omnibus cohortibus iubet, vt cibum quem in naues imponant, maturè coquant: nauésque in diem tertium expediri iussit. duos ex legatis Bilistagi atque Illergetibus nuntiare ea iubet: filium reguli comiter habendo, & muneribus apud se retinet. Legati non antè profecti quàm impositos in naues milites viderunt: id pro haud dubio iam nuntiantes, non suos modò, sed etiam hostes fama Romani auxilii aduentantis impleuerunt.

13. Consul vbi satis quod in speciem fuit, ostentatum est, reuocari ex nauibus milites iubet. ipse cum iam id tempus anni appeteret, quo geri res possent, castra hyberna mille passuum ab Emporiis posuit. inde per occasiones nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium agros educebat. Nocte fermè proficiscebantur, vt & quam longissimè à castris procederent, & inopinantes opprimerent. & exercebat ea res nouos milites, & hostium magna vis excipiebatur: nec iam egredi extra munimenta castellorum audebant. Vbi satis admodum & suorum & hostium animos est expertus, conuocari tribunos præfectósque & equites omnes & centuriones iussit. tempus, inquit, quod sæpe optastis, venit: quo vobis potestas fieret virtutem vestram ostendendi. adhuc prædonum magis quàm bellantium militastis more. nunc iusta pugna hostes cum hostibus conseretis manus. non agros inde populari, sed vrbium opes haurire licebit. Patres nostri, cùm in Hispania Carthaginiensium & imperatores ibi & exercitus essent, ipsi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent: tamen addere hoc in fœdere voluerunt, vt imperii sui Iberus fluuius esset finis. nunc cùm duo prætores cũ c o s. cùm tres exercitus Romani Hispaniam obtineant: Carthaginiensium iam propè x annis nemo in his prouinciis sit, imperium nobis citra Iberum amissum est. hoc armis & virtute recuperetis oportet: & nationem rebellantem magis temerè, quàm constanter bellantem, iugum quo se exuit accipere rursus cogatis.

Catonis ad Tribunos & præfectos oratio.

14. In hunc modum maximè adhortatus, pronuntiat, se nocte ad castra hostium ducturum. ita ad corpora curanda dimisit. Media nocte cùm auspicio operam dedisset, profectus, vt locum quem vellet, priusquàm hostes sentirent, caperet, præter castra hostium circunducit, & prima luce acie instructa sub ipsum vallum tres cohortes mittit. Mirantes barbari à tergo apparuisse Romanum, discurrere ipsi ad arma. interim consul apud suos: Nusquam, nisi in virtute spes est milites, inquit: & ego sedulò, ne esset feci. inter castra nostra & nos, medii hostes, ab tergo hostium ager est. quod pulcherrimum, idem tutissimum est, in virtute spem positam habere. Sub hæc cohortes recipi iubet, vt barbaros simulatione fugæ eliceret. Id quod crediderat, euenit. pertimuisse & cedere rati Romanos, porta erumpunt: & quantum inter castra sua & hostium aciem relictum erat loci, armatis complent. Dum trepidant acie instruenda, consul iam paratis ordinatísque omnibus, incompositos aggreditur. equites primos ab vtroque cornu in pugnam induxit. sed in dextro extemplò pulsi, cedentésque trepidi, etiam pediti terrorem intulere. Quod vbi vidit c o s. duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci iubet: & ab tergo se ostendere, prius quàm cõcurrerent peditum acies. Is terror obiectus hosti, rem metu Romanorum equitum inclinatam æquauit. tamen adeò turbati erant dexteræ alæ equites, peditésque, vt quosdam c o s. manu ipse reprehenderit, & aduersos in hostem verterit. ita & quandiu missilibus pugnatum est, anceps pugna erat & iam ab dextra parte, vnde terror & fuga cœperat, ægrè Romanus resistebat. à sinistro cornu, & ab fronte vrgebantur barbari: & cohortes ab tergo instantes pauidi respiciebát. Vt emissis soliferreis falaricísq; gladios strinxerunt, tum velut redintegrata est pugna. non cæcis ictibus procul ex improuiso vulnerabãtur: sed pede collato, tota in virtute ac viribus spes erat.

Cato Hispanos adoritur. B

15. Fessos iam suos c o s. ex secunda acie subsidiariis cohortibus in pugnam inductis, accendit: noua acies facta, integri recentibus telis fatigatos adorti hostes, primùm acri impetu velut cuneo perculerunt: deinde dissipatos in fugam auerterunt: effusóque per agros cursu, castra repetebantur. Vbi omnia fuga completa vidit Cato, ipse ad secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, equo reuehitur: & signa præ se ferri, plenóque gradu ad castra hostium oppugnanda succedere iubet. si quis extra ordinem auidius procurrit, & ipse interequitans sparo percutit, & tribunos centurionésque castigare iubet. Iam castra hostium oppugnabantur: saxísque & sudibus & omni genere telorum summouebantur à vallo Romani. vbi recens admota legio est, tum & oppugnantibus animus creuit, & infensius hostes pro vallo pugnabant. c o s. omnia oculis perlustrat: vt quà minima vi resistatur, ea parte irrumpat. ad sinistram portam infrequentes videt: eò secundæ legionis principes hastatósque inducit. Non sustinuit impetum eorum statio, quæ portæ opposita erat. & cæteri posteaquam intra vallum hostes vident, ipsis castris exuti signa armáque abiiciunt. cæduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto hærentes. secundani terga hostium cædunt, cæteri castra diripiunt.

Hispani in fugam uertuntur.

16. Valerius Antiâs supra L X millia hostium cæsa eo die scribit. Cato ipse haud sanè detrectator laudum suarum, multos cæsos ait, numerum non scribit. Tria eo die laudabilia fecisse putatur. vnum, quòd circumducto exercitu, procul nauibus suis castrísque, vbi spem nisi in virtute haberent, inter medios hosteis prælium commisit. alterum, quòd cohortes ab tergo hostibus obiecit. tertium, quòd secundam legionem, cæteris omnibus effusis ad sequendos hosteis pleno gradu sub signis compositam, instructámque subire ad portam

Hispanorum castra diripiũtur. Catonis laus.

A portam castrorum iussit. Nihil deinde à victoria cessatum: cùm receptui signo dato suos spoliis onustos in castra reduxisset, paucis horis noctis ad quietem datis, ad prædandum in agros duxit. effusius, vt sparsis hostibus fuga, prædati sunt. quæ res non minus, quàm pugna pridiè aduersa Emporitanos, Hispanos, accolásque eorum in deditionem compulit. multi & aliarum ciuitatum, qui Emporias perfugerant, dediderunt se. quos omneis appellatos benignè, vinóque & cibo curatos, domos dimisit. Confestim inde castra mouit. & quácunque incedebat agmen, legati dedentium ciuitates suas occurrebant. & cùm Tarraconem venit, iam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat, captiuíque & Romani & sociûm ac Latini nominis variis casibus in Hispania oppresi, donum c o s. à barbaris reducebantur. Fama deinde vulgatur, Cos. in Turdetaniam exercitum ducturum: & ad deuios montanos profecturum etiam falso perlatum est. Ad hunc vanum, & sine authore vllo rumorem Bergistanorum ciuitatis septem castella defecerunt. eos deducto exercitu c o s. sine memorando prælio in potestatem redegit. Haud ita multo pòst iidem, regresso Tarraconem c o s. priusquam inde quóquam procederet, defecerunt. Iterum subacti: sed non eadem venia victis fuit. sub corona veniêre omnes, ne sæpius pacem solicitarent.

Hispanorũ plerique in deditionem accepti.

17. Interim P. Manlius Pr. exercitu vetere à Q. Minutio, cui successerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudii Neronis ex vlteriore Hispania vetere item exercitu, in Turdetaniam proficiscitur. Omnium Hispanorum maximè imbelles habentur Turdetani. freti tamen multitudine sua, obuiam ierunt agmini Romano. Eques immissus turbauit extemplò aciem eorum. pedestre prælium nullius fermè certaminis fuit. milites veteres periti hostium bellíque, haud dubiam pugnam fecerunt. Nec tamen ea pugna debellatum est. x millia Celtiberum mercede Turduli conducunt, aliensíque armis parabant bellum. Cos. interim rebellione Bergistanorum ictus, cæteras quoque ciuitates ratus per occasionem idem facturas, arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit. quam rem adeò ægrè passi, vt multi mortem sibimetipsi consciscerent: ferox gens nullam vitam rati sine armis esse. Quod vbi Cos. renuntiatum est, senatores omnium ciuitatum ad se vocari iussit. atque iis, Non nostra, inquit, magis, quàm vestra refert, vos non rebellare. siquidem id maiore Hispanorum malo, quàm exercitus Romani labore semper adhuc factum est. id vt ne fiat, vno modo arbitror caueri posse si, effectũ erit ne posſitis rebellare. volo id quàm mollisſima via consequi. vos quoque in ea re consilio me adiuuate. nullum libentius sequar, quàm quod vosmetipsi attuleritis. Tacentibus, spatium se ad deliberandum dierum paucorum dare dixit. cùm reuocati secũdo quoque concilio tacuissent, vno die muris omnium dirutis, ad eos qui nondum parebant, profectus, vt in quanq; regionem venerat, omnes, qui circà incolebant, populos in deditionem accepit. Segesticam tantum, grauẽ atque opulentam ciuitatem, vineis & pluteis cepit.

Hispani armis exuti mortem sibi consciuerũt.

Cato muros vrbium Hispaniæ diruit.

18. Eo maiorem habebat difficulB tatem in subigendis hostibus, quàm qui primi venerant in Hispaniã: quòd ad illos tædio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant, huic ex vsurpata libertate in seruitutem velut asserendi erant; & ita mota omnia accepit, vt alii in armis essent, alii obsidione ad defectionem cogerentur: nec, nisi in tempore subuentum foret, vlterà sustentaturi fuerint. Sed in c o s. ea vis animi atque ingenii fuit, vt omnia maxima minimáque per se adiret atque ageret: nec cogitaret modò imperarétque, quæ in rem essent, sed pleraq; ipse per se trãsigeret: nec in quenquã omniũ grauius seueriúsq;, quàm in semetipsum imperium exerceret: parsimonia & vigiliis & labore cum vltimis militum certaret: nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorẽ atque imperium haberet.

Catoni quãta fuerit in domanda Hispania difficultas.

19. Difficilius bellum in Turdetania prætori P. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hostibus, sicut antè dictum est, faciebant. itaque eò c o s. accersitus literis prætoris legiones duxit. Vbi eò venit, (castra separatim Celtiberi & Turdetani habebant) cum Turdetanis extemplò leuia prælia incursantes in stationes eorum, Romani facere: sempérque victores ex quamuis temerè cœpto certamine abire. Ad Celtiberos in colloquium tribunos militum ire c o s. atque iis trium conditionum electionem ferre iubet. primam, si transire ad Romanos velint, & duplex stipendium accipere quàm quantum à Turdetanis pepigissent. alteram, si domos abire, publica fide accepta, nihil eam rem noxæ futuram, quòd hostibus se Romanorum iunxissent. tertiam, si vtique bellum placeat, diem locúmque constituant, vbi secum armis decernant. A` Celtiberis dies ad consultandum petita. concilium immistis Turdetanis habitum magno cum tumultu: eo minus decerni quicquam potuit. Cùm incertum, bellum an pax cum Celtiberis esset, commeatus tamen haud secus quàm in pace, ex agris castellísque hostium Romani portabant: dein sæpe munimenta eorum, velut communi pacto commercio priuatis induciis ingredientes. c o s. vbi hostes ad pugnam elicere nequit, primùm prædatum sub signis aliquot expeditas cohortes in agrum integræ regionis ducit: deinde audito, Seguntiæ Celtiberûm omneis sarcinas impedimentáque relicta, eò pergit ducere ad oppugnandum. Posteaquam nulla mouentur re, persoluto stipendio non suis modò, sed etiam prætoris militibus, relictóque omni exercitu in castris prætorianis, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est regressus.

In Turdetaniam ducit exercitum Cato à prætore accersitus.

20. Ea tam exigua manu oppida aliquot cepit. defecêre ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani. Lacetanos, deuiam & syuestrem gentem, cùm insita feritas continebat in armis: tum conscientia, dum c o s. exercitúsque Turdulo bello est occupatus, depopulatorum subitis incursionibus sociorum. Igitur ad oppidum eorum oppugnandum C o s. ducit non Romanas modò cohortes, sed iuuentutem etiam merito infensorum iis sociorum. Oppidum longum, in latitudinem haudquaquam tantundem patens habebant. quadringentos inde fermè passus constituit signa. ibi delectarum cohortium stationem relinquens, præcepit eis, ne se ex eo loco antè mouerent, quàm ipse ad eos venisset. cæteras copias ad vlteriorem partem vrbis circunducit. maximum ex omnibus auxiliis numerum Suessetanæ iuuentutis habebat: eos ad murum oppugnan-

Lacetanos Cato oppugnat.

dum ſubire iubet. Quorum vbi arma ſignáque Lacetani cognouere, memores, quàm ſæpe in agro A
eorum impunè perſultaſſent, quoties ipſos ſignis collatis fudiſſent, fugaſſéntque, patefacta repen-
tè porta, vniuerſi in eos erumpunt. Vix clamorem eorum, nedum impetum Sueſſetani tulere. quod
poſteaquam ſicut futurum ratus erat, Cos. fieri etiam vidit, equo citato ſubter murum hoſtium
ad cohortes aduehitur. atque eas arreptas, effuſis omnibus ad ſequendos Sueſſetanos, quà ſilen-

Lacetanorũ urbs capitur.

tium ac ſolitudo erat, in vrbem inducit: priúſque omnia cepit, quàm ſe reciperent Lacetani. mox
21. ipſos nihil præter arma habentes in deditionem accepit. Confeſtim inde victor ad Vergium caſtrum
ducit. Receptaculum id maximè prædonum erat: & inde curſiones in agros pacatos prouinciæ eius

Vergium oppugnatur à Catone.

fiebant. Transfugit inde ad Cos. princeps Vergeſtanus: & purgare ſe ac populares cœpit. non
eſſe in manu ipſis remp. prædones receptos totum ſuæ poteſtatis id caſtrum feciſſe. Cos. eum do-
mum redire, conficta aliqua probabili cur abfuiſſet cauſa iuſsit. cùm ſe muros ſubiſſe cerneret, inten-
tóſque prædones ad tuenda mœnia eſſe: tum vti cùm ſuæ factionis hominibus meminiſſet arcem oc-
cupare. Id vti præceperat, factum. repentè anceps terror, hinc muros aſcendentibus Romanis, il-
linc arce capta, barbaros circumuaſit. Huius potitus loci cos. eos qui arcem tenuerant, liberos
eſſe cum cognatis, ſuáque habere iuſsit: Vergeſtanos cæteros quæſtori vt venderet imperauit: de
prædonibus ſupplicium ſumpſit. Pacata prouincia, vectigalia magna inſtituit ex ferraris argenta-

Supplicatio in triduum decreta ob res in Hiſpania feliciter geſtas.

riíſque, quibus tum inſtitutis locupletior in dies prouincia fuit. Ob has res geſtas in Hiſpania ſup-
plicationem in triduum patres decreuerunt. Eadem æſtate alter cos. L. Valerius Flaccus in Gal-
lia cum Boiorum manu propter Litaniam ſyluam ſignis collatis ſecundo prælio conflixit. Octo mil-
lia Gallorum cæſa traduntur. cæteri omiſſo bello in vicos ſuos atque agros dilapſi. cos. reliquum
æſtatis circa Padum Placentiæ & Cremonæ exercitum habuit, reſtituitque quæ in iis oppidis bello
22. diruta fuerant. Cùm hic ſtatus rerum in Italia Hiſpaniáque eſſet, T. Quintio in Græcia ita hyber-
nis actis, vt exceptis Aetolis, quibus nec pro ſpe victoriæ præmia contigerant, nec diu quies place-
re poterat, vniuerſa Græcia ſimul pacis libertatíſque perfruens bonis egregiè ſtatu ſuo gauderet: nec
magis in bello virtutem Romani ducis, quàm in victoria temperantiam iuſtitiámque & modera-
tionem miraretur: ſenatuſconſultum, quo bellum aduerſus Nabin Lacedæmonium decretum erat,
affertur. Quo lecto Quintius, conuentu Corinthum omnium ſociarum ciuitatum legationibus in

Quintij ad ſociarum in Græcia ciuitatum legatos oratio.

diem certam edicto, vbi frequentes vndique principes conuenerunt, ita vt ne Aetoli quidem
abeſſent, tali oratione eſt vſus. Bellum aduerſus Philippum non magis communi animo conſilió-
que Romani & Græci geſſerunt, quàm vtrique ſuas cauſas belli habuerunt. nam & Romanorum
amicitiam, nunc Carthaginienſes hoſtes eorum iuuando, nunc hîc ſociis noſtris oppugnandis vio-
lauerat: & in vos talis fuit, vt nobis, etiam ſi noſtrarum obliuiſceremur iniuriarum, veſtræ iniu- B
riæ ſatis digna cauſa belli fuerint. Hodierna conſultatio tota ex vobis pendet. refero enim ad vos,
vtrum Argos, ſicut ſcitis ipſi, ab Nabide occupatos pati velitis ſub ditione eius eſſe: an æquum
cenſeatis nobiliſsimam vetuſtiſsimámque ciuitatem in media Græcia ſitam repeti in libertatem, &
eodem ſtatu, quo cæteras vrbes Peloponneſi & Græciæ eſſe. Hæc conſultatio, vt videtis, tota de re
pertinente ad vos eſt: Romanos nihil contingit, niſi quatenus liberatæ Græciæ vnius ciuitatis ſer-
uitus non plenam, nec integram gloriam eſſe ſinit. Cæterùm ſi vos nec cura eius ciuitatis, nec exem-
plum, nec periculum mouet, ne ſerpat latius contagio eius mali: nos æqui boníque facimus. de
23. hac re vos conſulo, ſtaturus eo quod plures cenſueritis. Poſt orationem Romani imperatoris per-
cenſeri aliorum ſententiæ cœptæ ſunt. Cùm legatus Athenienſium quantum poterat gratiis agendis
Romanorum in Græciam merita extuliſſet, imploratos auxilium aduerſus Philippum tuliſſe opem:
non rogatos vltro aduerſus tyrannum Nabin offerre auxilium: indignatúſque eſſet hæc tanta meri-
ta ſermonibus tamen aliquorum carpi futura calumniantium, cùm fateri potius præteritorum gra-
tiam deberent, apparebat inceſsi Aetulos. Igitur Alexander princeps gentis inuectus primùm in

Alexandri Aetolorum principis oratio.

Athenienſes, qui libertatis quondam duces & authores, aſſentationis propriæ gratia communem
cauſam proderent: queſtus deinde Achæos Philippi quondam milites, poſtremùm ab inclinata
eius fortuna transfugas, & Corinthum recepiſſe, & id agere, vt Argos habeant: Aetolos primos
hoſtes Philippi, ſemper ſocios Romanorum, pactos in fœdere ſuas vrbes agróſque fore deuicto
Philippo: fraudari Echino & Pharſalo: inſimulauit fraudis Romanos, quòd vano titulo libertatis
oſtentato, Chalcidem & Demetriadem præſidiis tenerent: qui Philippo cunctanti deducere inde præ
ſidia obiicere ſemper ſoliti ſunt, nunquam, donec Demetrias Chalcíſque & Corinthus tenerentur, li-
beram Græciam fore: poſtremò, manendi in Græcia, retinendíque exercitus Argos & Nabin cauſam
facerent. Deportarent legiones in Italiam: Aetolos polliceri, aut conditionibus & voluntate ſua
Nabin præſidium Argis deducturum: aut vi atque armis coacturos in poteſtate conſentientis Græciæ
eſſe. Hac vaniloquentia primum Ariſtænum prætorem Achæorum excitauit. Ne iſtuc, inquit, Iupi-

Ariſtæni Achæorum prætoris oratio.

24. ter Opt. Max. ſiuerit, Iunóque regina: cuius in tutela Argi ſunt, vt illa ciuitas inter tyrannum Lace-
dæmonium & latrones Aetolos præmium ſit poſita in eo diſcrimine, vt miſerius à nobis recipiatur,
quàm ab illo capta eſt. Mare interiectum ab iſtis prædonibus non tuetur nos T. Quinti. quid, ſi in
media Pelopõneſo arcem ſibi fecerint, futurum nobis eſt? Linguam tantum Græcorum habent, ſicut
ſpeciem hominum, moribus ritibúſque efferacioribus quàm vlli barbari, imò quàm rapaciſs. belluæ
vtuntur. Itaque vos rogamus Romani, vt & ab Nabide Argos recuperetis: & ita res Græciæ conſti-
tuatis, vt à latrocinio quoque Aetolorum ſatis pacata hæc relinquatis. Romanus cunctis vndique in-
crepantibus Aetolos, reſponſurum ſe fuiſſe iis dixit, niſi ita infenſus omneis in eos videret, vt ſedandi
potius,

A potiùs, quàm iritandi essent. contentum itaque opinione ea, quæ de Romanis Aetolísque esset, refer-
re se dixit: quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achæis Argos. Cùm omnes bellum de-
crevissent, auxilia vt pro viribus suis quæque ciuitates mitterent, est hortatus. Ad Aetolos legatum
etiam misit, magis vt nudaret animos, id quod euenit, quàm spe impetrari posse. Tribunis militum
vt exercitum ab Elatia accerserent, imperauit. Per eosdem dies & Antiochi legatis de societate agen
tibus respondit, nihil se absentibus decem legatis sententiæ habere, Romam eundum ad senatum iis
esse. Ipse copias eductas ab Elatia ducere Argos pergit. atque ei circa Cleonas Aristænus Pr. cum x 25.
millibus Achæorum, equitibus mille occurrit. & haud procul inde iunctis exercitibus posuerunt ca-
stra. Postero die in campum Argiuorum descenderunt: & quatuor ferè millia ab Argis locum ca-
stris capiunt. Præfectus præsidio Laconum erat Pythagoras, gener idem tyranni, & vxoris eius
frater: qui sub aduentum Romanorum, & vtrasque arces, (nam duas habent Argi) & loca alia, quæ
aut opportuna, aut suspecta erant, validis præsidiis firmauit. sed inter agenda hæc pauorem iniectum
aduentu Romanorum dissimulare haudquaquam poterat: & ad externum terrorem intestina etiam
seditio accessit. Damocles erat Argiuus, adolescens maioris animi, quàm consilii: qui primò, iu-
reiurando interposito, de præsidio expellendo cum idoneis collocutus, dum vires adiicere coniu-
rationi studet, incautior fidei æstimator fuit. colloquentem eum cum suis satelles à præfecto mis-
sus cùm accerseret, sensit proditum consilium esse: hortatúsque coniuratos qui aderant, vt potiùs
quàm extorti morerentur, arma secum caperent: atque ita cum paucis in forum ire pergit, clami-
tans, vt qui saluam remp. vellent, authorem & ducem se libertatis sequerentur. Haud sanè mouit
quenquam, quia nihil vsquam spei propinquæ, nedum satis firmi præsidii cernebant. Hæc vocife-
rantem eum Lacedæmonii circumuentum cum suis interfecerunt. comprehensi deinde quidam &
alii: ex iis occisi plures, pauci in custodiam coniecti. multi proxima nocte funibus per murum de-
missi ad Romanos transfugerunt. Quintius affirmantibus iis, si ad portas Romanus exercitus fuis- 26.
set, non sine effectu futurum eum motum fuisse: & si propius castra admouerentur, non quieturos
Argiuos: misit expeditos pedites equitésque, qui circa Cylarabin (gymnasium id est minus trecen-
tos passus ac vrbe) cum erumpentibus à porta Lacedæmoniis prælium commiserunt, atque eos haud
magno certamine compulerunt in vrbem. & castra eo ipso loco, vbi pugnatum erat, imperator Ro-
manus posuit. Diem inde vnum in speculis fuit, si quid noui motus oriretur. posteaquam oppressam
metu ciuitatem vidit, aduocat concilium de oppugnandis Argis. Omnium principum Græciæ, præ-
ter Aristænum, eadem sententia erat, cùm causa belli non alia esset, inde potissimum ordiendum
bellum. Quintio id nequaquam placebat, sed Aristænum contra omnium consensum differentem
B cum haud dubia approbatione audiuit. & ipse adiecit, cùm pro Argiuis aduersus tyrannum bellum
susceptum sit, quid minus conueniens esse, quàm omisso hoste Argos oppugnari? se verò caput bel-
li Lacedæmonem & tyrannum petiturum. Et dimisso concilio, frumentatum expeditas cohortes
misit. quod maturi erat circà, demissum & conuectum est. viride, ne hostes mox haberent, protri-
tum & corruptum. castra deinde mouit, & Parthenio monte superato, præter Tegeam tertio die ad
Caryas posuit castra. ibi, priusquam hostium intraret agrum, sociorum auxilia expectauit. Venerunt
Macedones à Philippo mille quingenti, & Thessalorum equites quadringenti. nec iam auxilia, quo-
rum affatim erat, sed commeatus finitimis vrbibus imperati morabantur Romanum. Nauales quo-
que magnæ copiæ conueniebant. iam ab Leucade L. Quintius cum x L nauibus venerat: iam Rho-
diæ x & octo tectæ naues: iam Eumenes rex circa Cycladas insulas erat cum x tectis nauibus, tri-
ginta lembis, mistísque aliis minoris formæ nauigiis. ipsorum quoque Lacedæmoniorum exules per-
multi tyrannorum iniuria pulsi, spe recuperandæ patriæ in castra Romana conuenerant. Multi au-
tem erant iam per aliquot ætates, ex quo tyranni tenebant Lacedæmonem, alii ab aliis pulsi. prin-
ceps erat exulum Agesipolis, cuius iure gentis regnum Lacedæmone erat: pulsus infans ab Lycur-
go tyranno post mortem Cleomenis, qui primus tyrannus Lacedæmone fuit. Cùm terra maríque 27.
tantum belli circumstaret tyrannum, & propè nulla spes esset vires suas hostiúmque æstimanti, non
tamen omisit bellum. sed & à Creta mille delectos iuuentutis eorum exciuit, cùm mille iam habe-
ret: & tria millia mercenariorum militum, x millia popularium cum castellanis agrestibus in ar-
mis habuit: & fossa vallóque vrbem communiuit, & ne quid intestini motus oriretur, metu & acer-
bitate pœnarum tenebat animos. Quoniam vt saluum vellent tyrannum, sperare non poterat, cùm
suspectos quosdam ciuium haberet: eductis in campum omnibus copiis, (Dromon ipsi vocant) po-
sitis armis ad concionem vocari iussit Lacedæmonios, atque eorum concioni satellites armatos cir-
cumdedit. & pauca præfatus, cur sibi omnia timenti cauentíque ignoscendum in tali tempore fo-
ret: & ipsorum referre, si quos suspectos status præsens rerum faceret, prohiberi potiùs ne quid
moliri possint, quàm puniri molientes. itaque quosdam se in custodia habiturum, donec ea quæ instet
tempestas prætereat. hostibus repulsis, à quibus, si modò proditio intestina satis caueatur, minus pe-
riculi esse, extemplò eos emissurũ. Sub hæc citari nomina octoginta fermè principum iuuẽtutis iussit,
atque eos vt quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit: & nocte insequenti omnes interfe-
cit. Ilotarum deinde quidam (hi sunt iam inde antiquitus castellani, agreste genus) trãsfugere voluis-
se insimulati, per omnes vicos sub verberibus acti necantur. Hoc terrore obstupuerant multitudinis
animi ab omni conatu nouorũ consiliorum. Intra munitiones copias continebat, nec parem se ratus,
si dimicare acie vellet: & vrbem relinquere tam suspensis & incertis omnium animis metuens. Quin- 28.
tius satis iam omnibus paratis profectus ab statiuis, die altero ad Sellasiam super Oenunta fluuiũ per-

Quintius Argos oppugnat.

Damocles cum paucis coniurat.

Quintius relictis Argis Lacedæmonem pergit oppugnaturus.

Sociorum auxilia ad oppugnandam Lacedæmonem.

Nabidis in apparando contra Romanos bello diligentia.

uenit : quo in loco Antigonus Macedonum rex cum Cleomene Lacedæmoniorum tyranno signis A
collatis dimicasse dicebatur. inde, cùm audisset ascensum difficilis & artæ viæ esse, breui per monteis
circuitu præmissis qui munirent viam, lato satis & patenti limite ad Eurotam amnem sub ipsis pro-
pe fluentem mœnibus, peruenit. vbi castra metantes Romanos, Quintiúmque ipsum cum equitibus
Auxiliares Nabidis Quintium adoriuntur. atque expeditis prægressum auxiliares tyranni adorti, in terrorem ac tumultum coniecerunt, nihil
tale expectantes: quia nemo his obuius toto itinere fuerat, ac veluti pacato agro transierant. Aliquan
diu peditibus equites, equitibus pedites vocantibus, cùm in se cuique minimum fiduciæ esset, trepi-
datum est. tandem signa legionum superuenerunt : & cùm primi agminis cohortes inductæ in præ-
lium essent, qui modò terrori fuerant, trepidantes in vrbem compulsi sunt. Romani cùm tantum à
muro recessissent, vt extra ictum teli essent, acie directa paulisper steterunt. Posteaquàm nemo ho-
stium contrà exibat, redierunt in castra. Postero die Quintius prope flumen præter vrbem sub ipsas
Mænali montis radices ducere copias instructas pergit. primæ legionariæ cohortes ibant : leuis ar-
matura & equites agmen cogebant. Nabis intra murum instructos paratósque sub signis habebat
mercenarios milites, in quibus omnis fiducia erat, vt ab tergo hostem aggrederetur. posteaquam
extremum agmen præteriit, tum ab oppido eodem, quo pridie eruperant, tumultu pluribus simul
locis erumpunt. Ap. Claudius agmen cogebat : qui ad id quod futurum erat, ne inopinatum accide-
ret, præparatis suorum animis, signa extemplò conuertit, totúmque in hostem agmen circumegit.
itaque velut rectæ acies concurrissent, iustum aliquandiu prælium fuit. tandem Nabidis milites in
fugam inclinarunt. quæ minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi locorum prudentes institissent. hi
& cædem ingentem ediderunt, & dispersos passim fuga plerosque armis exuerunt. Quintius prope
Amyclas posuit castra. inde cùm perpopulatus omnia circumiecta vrbi frequentis & amœni agri
loca esset, nullo iam hostium porta excedente, mouit castra ad flumen Eurotam. inde vallem Tay-
29. geto subiectam, agrósque ad mare pertinentes euastat. Eodem ferè tempore L. Quintius maritimæ
Gytheum oppugnatur à Romanis. oræ oppida partim voluntate, partim metu aut vi recepit. certior deinde factus, Gyttheum oppidum
omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum esse : nec procul à mari castra Romana
abesse, omnibus id copiis aggredi constituit. Erat eo tempore valida vrbs & multitudine ciuium
incolarúmque, & omni bellico apparatu instructa. In tempore Quintio rem haud facilem aggre-
dienti rex Eumenes & classis Rhodiorum superuenerunt. ingens multitudo naualium sociorum è
tribus contracta classibus intra paucos dies omnia, quæ ad oppugnationem vrbis terra maríque
munitæ facienda opera erant, effecit. Iam testudinibus admotis murus subruebatur : iam arieti-
bus quatiebatur. itaque vna crebris ictibus euersa est turris: quod´que circà muri erat, casu eius pro-
stratum. & Romani simul à portu, vnde aditus planior erat, vt distenderent ab apertiore loco ho- B
stes : simul per patefactum ruina iter irrumpere conabantur. nec multum abfuit, quin quà inten-
derant, penetrarent. sed tardauit impetum eorum spes obiecta dedendæ vrbis, mox deinde eadem
turbata. Dexagoridas & Gorgopas pari imperio præerant vrbi. Dexagoridas miserat nuntium ad
legatum Romanum, traditurum se vrbem. & cùm ad eam rem tempus & ratio conuenisset, à Gor-
gopa proditor interficitur : intentiúsque ab vno vrbs defendebatur. & difficilior facta oppugnatio
erat, ni T. Quintius cum quatuor millibus delectorum militum superuenisset. Is cùm supercilio
haud procul distantis tumuli ab vrbe instructam aciem ostendisset, & ex altera parte L. Quintius ab
operibus suis terra maríque instaret: tum vera desperatio Gorgopam quoque coegit id consilii, quod
in altero morte vindicauerat, capere. & pactus vt abducere inde milites, quos præsidii causa habe-
Gyttheum Quintio traditur. bat, liceret, tradidit Quintio vrbem. Priusquam Gyttheom traderetur, Pythagoras præfectus Ar-
30. gis relictus, tradita custodia vrbis Timocrati Pellenensi, cum mille mercenariis militibus, & duo-
bus millibus Argiuorum Lacedæmonem ad Nabin venit. Nabis sicut primo aduentu Romanæ clas-
sis, & traditione oppidorum maritimæ oræ conterritus erat : sic parua spe cùm acquieuisset, Gyttheo
ab suis retento: posteaquam id quoq; traditum Romanis audiuit esse: cùm ab terra omnibus circà ho-
stibus nihil spei esset: à mari quoque toto se interclusum: cedendum fortunæ ratus, caduceatorem pri-
mùm in castra misit ad explorandum, si paterentur legatos ad se mitti. qua impetrata re, Pythago-
Nabis per legatos petiit, ut cum Quintio colloquatur. ras ad imperatorem venit nullis cum aliis mandatis, quàm vt tyranno colloqui cum imperatore
liceret. Concilio aduocato, cùm omnes dandum colloquium censuissent, dies locúsque constitui-
tur. In mediæ regionis tumulos modicis copiis sequentibus cùm venissent, relictis ibi in statione
conspecta vtrinque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus corporis, Quintius cum fratre &
Eumene rege, & Sosilao Rhodio, & Aristæno Achæorum prætore, tribunísque militum paucis
31. *Nabidis ad Quintium oratio.* descendit. Ibi permisso vt seo dicere prius, seu audire mallet, ita cœpit tyrânus. Si ipse per me T. Quin
ti, vósque qui adestis, causam excogitare, cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, possem,
tacitus euentum fortunæ meæ expectassem : nunc imperare animo nequiui, quin priusquam peri-
rem, cur periturus essem scirem. & hercule si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est,
apud quos nihil societatis fides sancti haberet : in me quoque vobis quid faceretis minus pensi esse,
non mirarer. nunc cùm vos intueor, Romanos esse video, qui rerum diuinarum fœdera, huma-
narum fidem socialem sanctissimam habeatis : cùm me ipse respexi, eum esse spero, cui & publicè,
sicut cæteris Lacedæmoniis, vobiscum vetustissimum fœdus sit : & meo nomine priuatim amici-
tia ac societas nuper Philippi bello renouata. At enim ego eam violaui, & euerti, quòd Argiuo-
rum ciuitatem teneo. Quo modo hoc tuear? re, an tempore? Res mihi duplicem defensionem
præbet. nam & ipsis vocantibus ac tradentibus vrbem eam accepi, non occupaui. & accepi, cùm
Philippi

A Philippi partium, non in vestra societate esset. Tempus autem eo me liberat, quòd cùm iam Argos
haberem, societas mihi vobiscum conuenit: & vt vobis mitterem ad bellum auxilia, non vt Ar-
gis præsidium deducerem, pepigistis. At hercle in ea controuersia, quæ de Argis est, superior sum,
& æquitate rei, quòd non vestram vrbem, sed hostium, quòd volentem, non vi coactam accepi, &
vestra confessione, quòd in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Cæterùm nomen ty-
ranni, & facta me premunt, quòd seruos ad libertatem voco, quòd in agros inopem plebem dedu-
co. De nomine hoc respondere possum: me, qualiscunque sum, eundem esse, qui fui cùm tu ipse
mecum T. Quinti societatem pepigisti. tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum
vocari video. itaque si ego nomen imperii mutassem, mihi meæ inconstantiæ, cùm vos mutetis,
vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem seruis liberatis auctam, & egentibus di-
uisum agrum attinet: possum quidem & in hoc me iure temporis tutari. iam feceram hæc, qualia-
cunque sunt, cùm societatem mecum pepigistis, & auxilia in bello aduersum Philippum accepistis.
sed si nunc ea fecissem, non dico, quid in eo vos læsissem, aut vestram amicitiam violassem: sed il-
lud, me more atque instituto maiorum fecisse. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea,
quæ Lacedæmone fiunt. nihil comparare singula necesse est. vos à censu equitem, à censu peditem
legitis; & paucos excellere opibus, plebem subiectam esse illis vultis. noster legum lator non in pau-
corum manu remp. esse voluit, quem vos senatum appellatis: nec excellere vnum aut alterum or-
dinem in ciuitate: sed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, vt multi essent, qui ar-
ma pro patria ferrent. Pluribus me ipse egisse, quàm pro patriæ sermone breuitatis, fateor. & bre-
uiter peroratum esse potuit: nihil me postea quàm vobiscum amicitiam institui: cur eius vos pœni-
teret, commisisse. Ad hæc imperator Romanus. Amicitia & societas nobis nulla tecum, sed cum 32.
Pelope rege Lacedæmoniorum iusto ac legitimo facta est. cuius ius tyranni quoque, qui postea per
vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis
occupauerant) vsurparunt, sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti. nam quid minus conueni-
ret, quàm nos qui pro pro libertate Græciæ aduersus Philippum gereremus bellum, cum tyranno
instituere amicitiam? & eo tyranno, quàm qui vnquam fuit, sæuissimo & violentissimo in suos? No-
bis verò, etiam si Argos nec cepisses per fraudem, nec teneres, liberantibus omnem Græciam La-
cedæmon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat, atque in leges suas: quarum modò, tan-
quam æmulus Lycurgi, mentionem fecisti. An vt ab Iasso & Bargyllis præsidia Philippi deducan-
tur, curæ erit nobis: Argos & Lacedæmonem, duas clarissimas vrbes, lumina quondam Græciæ,
sub pedibus tuis relinquemus: quæ titulum nobis liberatæ Græciæ seruientes deforment? At enim
B cum Philippo Argiui senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. satis compertum
habemus, duorum, aut summum trium in ea re non ciuitatis culpam esse: tam hercle, quam in te tuó-
que præsidio accersendo, accipiendóqne in arcem, nihil sit publico consilio actum. Thessalos & Pho
censes & Locrenses consensu omninm scimus partium Philippi fuisse. tamen cùm cæteram liberaue
rimus Græciam, quid tandem censes in Argiuis, qui insontes publici consilii sint, facturos? Seruorum
ad libertatem vocatorum, & egentibus hominibus agri diuisi crimina tibi obiici dicebas: nõ quidem
nec ipsa mediocria. sed quid ista sunt præ iis quæ à te tuísque quotidie alia super alia facinora edun-
tur? exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedæmone. si audire iuuat vera dominationis impo-
tentissimæ crimina. Vt omnia alia vetustiora omittam, quam cædẽ Argis Pythagoras iste gener tuus
penè in oculis meis edidit? quam tu ipse, cùm iam propè in finibus Lacedæmoniorũ essem? Agedum,
quos in concione comprehensos, omnibus audientibus ciuibus tuis, in custodia te habiturũ esse pro-
nuntiasti: iube vinctos produci, vt miseri parentes, quos falsò lugent, viuere sciant. At enim vt iam ita
sint hæc, quid ad vos Romani? hoc tu dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui vt liberare possent, ma-
re traiecerunt, terra maríque gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestrámque amicitiam ac societa-
tem propriè non violaui. Quoties vis te id arguam fecisse? sed nolo pluribus: summam rem cõplectar.
Quibus igitur rebus amicitia violatur? nẽpe his maximè duabus, si socios meos pro hostibus habeas,
si cũ hostibus te coniungas. Vtrunque à te factum est. nam & Messenen vno atq; eodem iure fœderis,
quo & Lacedæmonem, in amicitiã nostram acceptam socius ipse sociam nobis vrbem vi atque armis
cepisti: & cum Philippo hoste nostro nõ societatem solùm, sed si diis placet, affinitatem etiam per Phi
loclem præfectum eius pepigisti: & bellum aduersum nos gerens mare circa Maleam infestum naui-
bus piraticis fecisti: & plures propè ciues Romanos, quàm Philippus, cepisti atqne occidisti: tutiórq;
Macedoniæ ora, quàm promontorium Maleæ commeatus ad exercitus nostros portantibus nauibus
fuit. Proinde parce sic fidem ac iura societatis iactare: & omissa populari oratione, tanquã tyrannus
& hostis loquere. Sub hæc Aristænus nunc monere Nabin, nunc etiam orare: vt dum liceret, dum oc- 33.
casio esset, sibi, ac fortunis suis consuleret. referre deinde nominatim tyrannos ciuitatum finitimarum
cœpit: qui deposito imperio, restitutáque libertate suis, non tutam modò, sed etiam honoratam inter
ciues senectutem egissent. His dictis inuicem, auditísque, nox propè diremit colloquium. postero die
Nabis Argis se cedere ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret: & captiuos & perfugas
redditurum dixit. aliud si quid postularẽt, scriptum vt ederent petiit, vt deliberare cum amicis posset.
Ita & tyranno ad consultandum tẽpus datum est: & Quintius sociorum etiam principibus adhibitis,
habuit consilium. Maximæ partis sententia erat, perseuerandum in bello esse, & tollendum tyran-
num: nunquam aliter tutam libertatem Græciæ fore. satius multo fuisse, non moueri bellum aduer-
sus eum, quàm omitti motum. & ipsum velut comprobata dominatione firmiorem futurum, authore

Quintij ad Nabidem responsio.

Quintius cum socijs de obsidenda Lacedæmone deliberat.

iniusti imperii assumpto P R. & exemplo multos in aliis ciuitatibus ad insidiandum libertati ciuium A
suorum incitaturum. Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat. videbat enim, compul-
so intra mœnia hoste, nihil præter obsidionem restare: eam autem fore diuturnam. non enim Gy-
theum, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset: sed Lacedæmonem validissimam vr-
bem viris armisque oppugnaturos. vnam spem fuisse, si qua admouentibus exercitum dissensio in-
ter ipsos ac seditio excitari posset: cùm signa portis propè inferri cernerent, neminem se mouisse.
Adiiciebat & cum Antiocho infidam pacem, Villium legatum inde redeuntem nuntiare, multo
maioribus quàm antè, terrestribus naualibúsque copiis in Europam eum transisse. si occupasset ob-
sidio Lacedæmonis exercitum, quibus aliis copiis aduersus regem tam validum ac potentem bel-
lum gesturos? Hæc propalàm dicebat, illa tacita suberat cura, ne nouus c o s. Græciam prouinciam
34. sortiretur: & inchoati belli victoria successori tradenda esset. Cùm aduersus tendendo nihil moueret
socios: simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilii sui traduxit. Bene ver-
tat, inquit, obsideamus Lacedæmonem, quando ita placet. cæterùm cùm res tam lenta, quàm ipsi sci-
tis, oppugnatio vrbium sit: & obsidentibus prius sæpe quàm obsessis tædium afferat: iam nunc hoc
ita proponere vos animis oportet, hybernandum circa Lacedæmonis mœnia esse. quæ mora si labo-
rem tantum, ac periculum haberet, vt & animis & corporibus ad sustinenda ea parati essetis, horta-
rer vos. nunc impensa quoque magna eget in opera, in machinationes & tormenta, quibus tanta
vrbs oppugnanda est, in commeatus nobis vobísque in hyemem expediendos. Itaque ne aut repen-
tè trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum antè vestris ciuitatibus censeo, ex-
plorandúmque, quid quæque animi, quid virium habeat. Auxiliorum satis superq; habeo. sed quo plu
res sumus, pluribus rebus egebimus. nihil iam præter nudum solum ager hostiū habet: ad hoc hyems
accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis. Hæc oratio primū animos omnium ad respicien-
da cuique domestica mala conuertit: segnitiam, inuidiam & obtrectationem domi manentium ad-
uersus militantes: libertatem difficilem ad consensum, inopiam publicam, malignitatem conferen-
di ex priuato. versis itaque subitò voluntatibus, facere quod è repub. populi Romani, sociorúmque
35. esse crederet, imperatori permiserunt. Inde Quintius adhibitis legatis tantùm, tribunísque militum,
Pacis conditiones cum Nabide. conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit. Sex mensium induciæ vt essent Nabi-
di, Romanísque, & Eumeni regi, & Rhodiis. Legatos extemplò mitterent Romam, T. Quintius,
& Nabis, vt pax ex authoritate senatus confirmaretur. Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Na
bidi forent, ea dies vt induciarum principium esset: & vt ex ea die intra decimum diem ab Argis cæ
terísque oppidis, quæ in Argiuorum agris essent, præsidia omnia deducerentur: vacuáque & libera
traderentur Romanis: & ne quod inde mancipium regium, publicúmve aut priuatum educere- B
tur: & si qua antè educta forent, dominis rectè restituerentur. Naues, quas ciuitatibus maritimis
ademisset, redderet: néve ipse nauem vllam, præter duos lembos, qui non plus quàm sexdecim
remis agerentur, haberet. Perfugas & captiuos omnibus sociis populi Romani ciuitatibus redde-
ret, & Messeniis omnia quæ comparerent, quæ'que domini cognoscerent. Exulibus quoque Lace-
dæmoniis liberos & coniuges restitueret, quæ earum viros sequi voluissent: inuita ne qua exulis co-
mes esset. Mercenariorum militum Nabidis, qui aut in ciuitates suas, aut ad Romanos transissent,
iis res suæ omnes rectè redderentur. In Creta insula ne quam vrbem haberet: quas habuisset, redde-
ret Romanis. ne quam societatem cum vllo Cretensium, aut quoquam alio institueret, neu bellum
gereret. Ciuitatibus omnibus quas ipse restituisset, quæ'que se suáque in fidem ac ditionem populi
Romani tradidissent, omnia præsidia deduceret: séque ipse, suósque ab his abstineret. Ne quod op-
pidum, ne quod castellum in suo alienóve agro conderet. Obsides ea ita futura, daret quinque: quos
36. *† Valent 60000 coron.* imperatori Romano placuisset: filium in his suum, & † talenta centum argenti in præsenti, & † quin-
quaginta talenta in singulos annos per annos octo. Hæc conscripta, castris propius vrbem motis,
Lacedæmonem mittuntur. nec sanè quicquam eorum satis placebat tyranno: nisi quòd præter spem
† Valent 30000 coron. reducendorum exulum mentio nulla facta erat. maximè autem omnium ea res offendebat, quòd &
naues & maritimæ ciuitates ademptæ erant. fuerat tamen ei magno fructui mare, omnem oram à
Malea prædatoriis nauibus infestam habenti, iuuentutem præterea ciuitatum earum ad supplemen-
tum longè optimi generis militum habebat. Has conditiones, quanquam ipse in secreto volutaue-
rat cum amicis, vulgo tamen omnes fama ferebant: vanis, vt ad cæteram fidem, sic ad secreta te-
genda satellitum regiorum ingeniis. Non tam omnia vniuersi, quàm ea quæ ad quenque pertinerent,
singuli carpebant. qui exulum côiuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possede-
Pacis conditiones multitudini Lacedæmoniorum non placent. rant, tanquam amissuri, non redditiuri, in dignabantur. seruis liberatis à tyranno non irrita modò fu-
tura libertas, sed multo fœdior quàm fuisset antè, seruitus, redeuntibus in iratorum dominorum po-
testatem, ante oculos obuersabatur. mercenarii milites & pretia militiæ casura in pace ægrè ferebant,
37. & reditum sibi nullum esse in ciuitates videbant, infensas non tyrannis magis, quàm satellitibus eo-
rum. Hæc inter se primò in circulis serentes fremere: deinde ad arma subitò discurrerūt. quo tumultu
cùm per se satis iritatam multitudinem cerneret tyrannus, concionem aduocari iussit, ibi cùm ea quæ
imperarentur à Romanis, exposuisset, & grauiora atque indigniora quædam falsò affinxisset, & ad sin-
gula nunc ab vniuersis, nunc à partibus concionis acclamaretur, interrogauit: quid se respondere
ad ea, aut quid facere vellent? propè vna voce omnes, nihil respondere, bellum geri iusserunt: & pro
se quisque, qualia multitudo solet, bonum animum habere, & bene sperare iubentes, fortes fortu-
nam adiuuare aiebant. His vocibus incitatus tyrannus, & Antiochum Aetolósq; adiuturos pronun-
tiat: &

A tiat:& sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Exciderat pacis mentio ex omnium
animis,& in stationes non vltrà quieturi discurrunt. Paucorum lacessentium excursio,& emissa iacu-
la extemplò Romanis dubitationem,quin bellandum esset,exemerunt.leuia inde prælia per quatri-
duum primùm sine vllo satis certo euentu commissa.quinto die propè iusta pugna adeò pauentes in
oppidum Lacedæmonii compulsi sunt,vt quidam milites Romani terga fugientium cædentes per
intermissa,vt tunc erant,mœnia vrbem intrarint. Et tunc quidem Quintius satis eo terrore coerci- 38
tis excursionibus hostium,nihil præter ipsius oppugnationẽ vrbis superesse ratus:missis qui omnes
nauales socios à Gytheo accerserent,ipse interim cum tribunis militum ad visendum vrbis situm
mœnia circumuehitur. Fuerat quondam sine muro Sparta.tyranni nuper locis patẽtibus planísque
obiecerant murum:altiora loca,& difficiliora aditu stationibus armatorum pro munimento obie-
ctis tutabantur. Vbi satis omnia inspexit,corona oppugnandum ratus,omnibus copiis(erant autem
Romanorum sociorúmque,simul peditum equitúmque, simul terrestriúmque ac naualium copia-
rum ad quinquaginta millia hominum) vrbem cinxit. Alii scalas,alii ignem,alii alia quibus non op-
pugnarent modò,sed etiam terrerent,portabant.iussi clamore sublato subire vndique omnes,vt quà
primum occurrerent,quáve opem ferrent,ad omnia simul pauẽtes Lacedæmonii ignorarent. Quod
roboris in exercitu erat,trifariam diuisum,parte vna à Phœbeo,altera à Dictynneo,tertia ab eo lo-
co quem Heptagonias appellant (omnia autem hæc aperta sine muro loca sunt) aggredi iubet.

Sparta (quæ & Lacedæmon appellatur) situs.

Sparta à Romanis obsidetur.

Cùm tantus vndique terror vrbem circunuasisset,primò tyrannus & ad clamores repentinos,& ad
nuntios trepidos motus,vt quisque maximè laboraret locus,aut ipse occurrebat,aut aliquos mitte-
bat.deinde circumfuso vndique pauore,ita obtorpuit, vt nec dicere quod in rem esset,nec audire
posset:nec inops modò consilii,sed vix mentis compos esset. Romanos primò sustinebant in angu- 39
stiis Lacedæmonii,ternæque acies tempore vno locis diuersis pugnabant.deinde crescente certami
ne nequaquàm erat prælium par.missibilibus enim Lacedæmonii pugnabant,à quibus se & magni
tudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles,& quòd alii vani, alii leues admodum ictus erant.
nam propter angustias loci,confertámque turbam non modò ad emittenda cum procursu,quo plu
rimum concitantur tela,spatium habebant:sed ne vt de gradu quidem libero ac stabili conarentur.
itaque ex aduerso missa tela nulla in corporibus,rara in scutis hærebant.à circumstantibus ex supe-
rioribus locis quidam vulnerati sunt:mox progressos iam etiam ex tectis non tela modò,sed tegulæ
quoque inopinantes perculerunt.sublatis deinde supra capita scutis,continuatísque ita inter se, vt
non modò ad cæcos ictus,sed ne ad inserendum quidem ex propinquo telum loci quicquam esset,
testudine facta subibant.& primò angustiæ paulisper sua hostiúmque refertæ turba tenuerũt.postea-
B quam in patentiorem viam vrbis paulatim vrgentes hostem processere,non vltra vis eorum atque
impetus sustineri poterant. Cùm terga vertissent Lacedæmonii,& effusa fuga superiora peterent
loca: Nabis quidem,vt capta vrbe trepidans,quánam ipse euaderet,circumspectabat. Pythagoras
cùm ad cætera animo officióque ducis fungebatur:tum verò vnus ne caperetur vrbs,causa fuit.
succendi enim ædificia proxima muro iussit.quæ cùm momento temporis arsissent,vt adiuuanti-
bus ignem,qui aliâs ad extinguendum opem ferre solent,ruere in Romanos tecta: nec tegularum
modò fragmenta,sed etiam ambusta tigna ad armatos peruenire,& flamma latè fundi,fumus terro
rem etiam maiorem quàm periculum facere. Itaque & qui extra vrbem erant Romanorum,tum ma
ximè impetus facientes recessere à muro:& qui iam intrauerant,ne incendio à tergo oriente inter-
cluderẽtur à suis,receperunt sese.& Quintius posteaquam quid rei esset,vidit:receptui canere iussit.
ita iam à capta propè vrbe reuocati,redierunt in castra. Quintius plus ex timore hostium quàm ex 40.
re ipsa spei nactus,per triduum insequens territauit eos,nunc præliis lacessendo,nunc operibus in-
tersepiendo quædam,ne exitus ad fugam esset. His comminationibus compulsus tyrannus, Pytha-
goram rursus oratorem misit.quem Quintius primò aspernatus,excedere castris iussit:deinde sup-
pliciter orantem,aduolutúmque genibus,tandem audiuit. Prima oratio fuit,omnia permittentis ar-
bitrio Romanorum.dein cùm ea velut vana & sine effectu nihil proficerent, eò deducta res est,vt
his conditionibus,quæ ex scripto paucis antè diebus editæ erant, induciæ fierent, pecuniáque &
obsides accepti. Dum oppugnatur tyrannus,Argiui nuntiis aliis propè super alios afferentibus,tan
tum non iam captam Lacedæmonem esse,erecti & ipsi,simul eo quòd Pythagoras cum parte vali-
dissima præsidii excesserat,contẽmpta paucitate eorum qui in arce erant,duce Archippo quodam
præsidium expulerunt. Timocratem Pollenensem,quia clementer præfuerat,viuum fide data emi-
serunt. Huic lætitiæ Quintius superuenit,pace data tyranno, dimissísque ab Lacedæmone Eumene

Argiui præsidium Lacedæmoniorũ expellunt.

& Rhodiis,& L. Quintio fratre ad classem. Læta ciuitas celeberrimum festorum dierum ac nobi- 41.
le ludicrum Nemeorum,die stata propter belli mala prætermissum, in aduentum Romani exer-
citus ducísque indixerunt: præfecerúntque ludis ipsum imperatorem. Multa erant,quæ gaudium
cumularent. reducti ciues ab Lacedæmone erant, quos nuper Pythagoras, quósque antè Nabis
abduxerant. redierunt, qui post compertam à Pythagora coniurationem, & cæde iam cœpta
effugerant. libertatem ex longo interuallo, libertatísque authores Romanos, quibus causa bel-
landi cum tyranno ipsi fuissent, cernebant.testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis li-
bertas est Argiuorum. Achæis quantum restituti Argi in commune Achaiæ concilium lætitiæ af-
ferebant:tantum serua Lacedæmon relicta, & lateri adherens tyrannus, non syncerum gaudium
præbebant. Aetoli verò eam rem omnibus conciliis lacerare. Cum Philippo non antè desitum bel-
lari, quàm omnibus excederet Græciæ vrbibus. tyranno relictam Lacedæmonem: regem autem

Nemea celebratur Argis.

legitimum,qui in Romanis fuerat castris,cæterósque nobilissimos ciues in exilio victuros.Nabidis A

Spartanum bellum uariè narratur.

dominantis satellitem factum populum Ro.Quintius ab Argis Elatiam,vnde ad bellum Spartanum profectus erat,copias reduxit.Sunt,qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant,sed castris aduersus Romana castra positis:diúque cunctatum,cùm Aetolorum auxilia expectasset,coactum ad extremum acie confligere,impetu in pabulatores suos ab Romanis facto.eo prælio victum,castrísque exutum pacem petisse,cùm cecidissent quindecim millia militum, capta

42. plus quatuor millia essent.Eodem ferè tempore & à T.Quintio de rebus ad Lacedæmonem gestis, & ab M. Porcio c o s. ex Hispania literæ allatæ.vtriusque nomine ternos in dies supplicatio à senatu decreta est.L.Valerius c o s. cum post fusos circa Litanam syluam Boios quietam prouinciam habuisset,comitiorum causa Romam rediit:& creauit c o s s. P.Cornelium Scipionem Africanum iterum,& T.Sempronium Longum.Horum patres primo anno secundi Punici belli c o s s. fuerant. Prætoria inde comitia habita.Creati P.Cornelius Scipio,& duo Cn.Cornelii,Merenda & Blasio, & Cn.Domitius Aenobarbus,& Sex.Digitius,& T.Iuuencius Talua.Comitiis perfectis c o s. in prouinciam rediit.Nouum ius eo anno à Ferentinatibus tentatum, vt Latini,qui in coloniam Romanam nomina dedissent,ciues Romani essent. Puteolos, Salernúmque & Buxentum ascripti coloni, qui nomina dederant,cùm ob id se pro ciuibus Romanis ferrent,senatus iudicauit nō esse eos ciues

Pacem cum Nabide à Quintio factam Senatus confirmat.

43. Romanos. Principio anni,quo P.Scipio Africanus iterum,& T. Sempronius Longus c o s s. fuerunt,legati Nabidis tyranni Romam venerunt duo.his extra vrbem in æde Apollinis senatus datus est.pax,quæ cum T.Quintio conuenisset,vt rata esset petierunt,impetrauerúntque. De prouinciis cùm relatum esset,senatus frequens in eam sententiam ibat:vt,quoniam in Hispania & Macedonia debellatum foret,consulibus ambobus Italia prouincia esset.Scipio satis esse Italiæ vnum consulem censebat:alteri decernendam Macedoniam esse. Bellū graue ab Antiocho imminere.iam ipsum sua sponte in Europam transgressum,quid deinde facturum censerēt?cùm hinc Aetoli haud dubiè hostes vocarent ad bellum,illinc Annibal Romanis cladibus insignis imperator stimularet? Dum de

Prouinciarū sortitio.

prouinciis consulum disceptatur, prætores sortiti sunt. Cn. Domitio vrbana iurisdictio, T.Iuuencio peregrina euenit,P.Cornelio Hispania vlterior,Sex,Digitio citerior:duobus Cn. Corneliis,Blasioni Sicilia,Merēdæ Sardinia.In Macedoniam nouum exercitū transportari nō placuit:eum qui esset ibi, reduci in Italiā à Quintio,ac dimitti.itē eum exercitum dimitti,qui cum M.Porcio Catone in Hispania esset,consulibus ambobus Italiam prouinciam esse,& duas vrbanas eò legiones scribere: vt dimissis,quos senatus censuisset,exercitibus, v i i i. omnino Romanæ legiones essent. Ver sacrum factum erat priore anno,M.Porcio,& L.Valerio c o s s. id cum P.Licinius pontifex non esse rectè factum collegio primùm,deinde ex authoritate collegii patribus renuntiasset,deintegro faciendum B arbitratu pontificum censuerunt,ludósque magnos,qui vnà voti essent:tanta pecunia,quanta assole-

44. ret,faciendos.Ver sacrum videri pecus,quod natum esset inter Cal.Martias,& pridie Cal. Maias, P. Cornelio Scipione,& T.Sempronio Longo c o s s. Censorum inde comitia habita sunt.creati censores Sex.Aelius Pætus,& C.Cornelius Cethegus,principem senatus P. Scipionem c o s.quem & priores censores legerant,legerunt:treis omnino senatores,neminem curuli honore vsum,prætereerunt.gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt,quòd ludis Romanis ædilibus cu-

Senatoria loca à reliquis in Romanis ludis secernūtur.

rulibus imperaruht,vt loca senatoria secernerent à populo.nam antea in promiscuo spectabāt.equitibus quoque perpaucis adempti equi,nec in vllum ordinem sæuitum.atrium Libertatis,& villa publica ab eisdem refecta,amplificatáque.Ver sacrum,ludíque votiui,quos vouerat Ser.Sulpitius Galba c o s.facti.Cum spectaculo eorum occupati animi omnium essent,Q.Pleminius,qui propter multa in deos hominésque scelera Locris admissa in carcerem coniectus fuerat,comparauerat homines,qui pluribus simul locis vrbis nocte incendia facerent,vt in consternata nocturno tumultu ci-

Coloniæ ciuium Romanorum deductæ.

45. uitate refringi carcer posset.ea res indicio consciorum palàm facta,delatáque ad senatum est.Pleminius in inferiorem demissus carcerem est,necatúsque.Coloniæ ciuium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos,Vulturnum,Literum,treceni homines in singulas.Item Salernū, Buxentúmque coloniæ ciuium Ro.deductæ sunt.deduxēre triumuiri, T. Sempronius Longus,qui tum c o s.erat: M.Seruilius,Q.Minutius Thermus,Ager diuisus est, qui Campanorum fuerat. Sipontum item in

Prodigia. M.Porcij Catonis ex Hispania triumphus.

agrum qui Arpinorum fuerat,coloniam ciuium Romanorum alii triumuiri,D.Iunius Brutus,M.Bæbius Pamphilus,M.Heluius deduxerunt.Tempsam item,& Crotonem ciuium Romanorum coloniæ deductæ.Tempsanus ager de Brutiis captus erat.Brutii Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant.Triumuiri,Cn.Octauius,L.Aemylius Paulus,C.Pletorius Crotonem: Tempsam L.Cornelius Merula,& C.Salonius deduxerunt. Prodigia quoque alia visa eo anno Romæ sunt,alia nuntiata.in foro & comitio & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt.& terra aliquoties pluit. & caput Vulcani arsit.nuntiatum est, Interamnæ lac fluxisse:pueros ingenuos Arimini sine oculis ac naso:& in Piceno agro non manus,non pedes habentem natum. Ea prodigia ex pontificum decreto procurata,& sacrificium nouendiale factum,quòd Adriani nuntiauerāt,in agro suo lapidibus pluis-

46. se. In Gallia L. Valerius Flaccus procos.circa Mediolanum cum Gallis, Insubribus & Boiis, qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnauit. x. millia hostium sunt cæsa. Per eos dies collega eius M.Porcius Cato ex Hispania triumphauit. tulit in eo triumpho † argenti infecti x x v. millia pondo, † bigati centum viginti tria millia, Oscensis † quingenta quadraginta: † auri pondo mille quadringenta.militibus ex præda diuisit,in singulos † ducenos septuagenos æris triplex equiti.T.Sempronius c o s. in prouinciam profectus,

† Coron. 250000
† Coron. 12300
† Coron. 5400
† Coron. 156800
† Coron. 2 cum sol.d. Turonē. 34 vel circiter.

in Boio

A in Boiorum primùm agrum legiones duxit. Boiorix tum regulus eorum, cum duobus fratribus to-
ta gente concitata ad rebellandum, castra locis idoneis posuit: vt appareret dimicaturos, si hostis
fines intrasset. c o s. vbi quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti, sensit: nuntium ad collegam mit-
tit, vt si videretur ei, maturaret venire: se tergiuersando in aduentũ eius rem extracturum. Quæ causa
c o s. cunctandi, eadem Gallis, præterquam quòd cunctatio hostium animos faciebat: rei maturan-
dæ erat, vt priusquam coniungerentur consulum copiæ, rem transigerent. per biduum tamen nihil
aliud, quàm steterunt parati ad pugnam, si quis contrà egrederetur. tertiò subiere ad vallum, castrá-
que omni simul parte aggressi sunt. c o s. extemplò arma capere milites iussit. armatos inde pau-
lisper continuit, vt & stolidam fiduciam hosti augeret: & disponeret copias, quibus quæque portis
erũperent. duæ legiones duabus principalibus portis signa efferre iussæ. sed in ipso exitu ita confer
ti obstitere Galli, vt clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est: nec dextris magis gladiísque
gerebatur res, quàm scutis corporibúsque ipsis obnixi vrgebant: Romani, vt signa foras efferrent:
Galli, vt aut ipsi in castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. nec antè in hanc aut illam
partem moueri acies potuerunt, quàm Q. Victorius primi pili centurio, & C. Atinius Tr. mil. quar-
tæ hic, ille secundæ legionis (rem in asperis præliis sæpe tentatam) signa adempta signiferis in ho-
stes iniecerunt. dum repetunt enixè signum, priores secundani se porta eiecêre. Iam hi extra vallum 47.
pugnabant, quarta legione in porta hærente, cùm alius tumultus ab aduersa parte castrorũ est exor-
tus. in portam quæstoriam irruperant Galli: resistentésque pertinacius occiderant L. Posthumium
quæstorem, cui Tympano fuit cognomen: & M. Atinium, & P. Sempronium præfectos sociũm, &
ducentos fermè milites. Capta ab ea parte castra erant, donec cohors extraordinaria missa à Cos. ad
tuendam quæstoriam portam, & eos qui intra vallum erant, partim occidit, partim expulit castris,
& irrumpentibus obstitit. Eodem ferè tempore & quarta legio cum duabus extraordinariis cohor-
tibus porta erupit. ita simul tria prælia circa castra locis distãtibus erant. clamorésque dissoni ad in-
certos suorum euentus à præsenti certamine animos pugnantium auertebant. Vsque ad meridiem
æquis viribus, ac propè pari spe pugnatum est. labor & æstus mollia & fluida corpora Gallorum, &
minimè patientia sitis, cùm decedere pugna coegisset, in paucos restantes impetum Romani fe-
cerunt, fusósque compulerunt in castra. Signum inde receptui à Cos. datum est. ad quod pars maior
receperunt sese: pars certaminis studio, & spe potiundi castris hostium perstitit ad vallum. eorum
paucitate contempta, Galli vniuersi ex castris erumpunt. fusi inde Romani, quæ imperio Cos. nolue-
rant, suo pauore ac terrore castra repetunt. ita varia hinc atque illinc nunc victoria, nunc fuga fuit.
Gallorum tamen ad XI. millia, Romanorum V. millia sunt occisa. Galli recepere in intima finium sese.
B Consul Placentiam legiones duxit. Scipionem alii coniuncto exercitu cum collega, Boiorum Li-
gurúmque agros populatum isse, quoad progredi syluæ paludésque passæ sint, scribunt: alii, nulla me
morabili re gesta comitiorum causa rediisse Romam. Eodem hoc anno T. Quintius Elatiæ, quò in 48.
hyberna reduxerat copias, totum hyemis tempus iure dicundo consumpsit: mutandísque iis quæ
aut ipsius Philippi, aut præfectorum eius licentia in ciuitatibus facta erant, cùm suæ factionis homi-
num vires augendo, ius ac libertatem aliorum deprimeret. Veris initio Corinthum, conuentu edi-
cto, venit. ibi omnium ciuitatum legationes in concionis modum circumfusas est allocutus, orsus
ab inita primùm Romanis amicitia cum Græcorum gente, & imperatorum qui antè se in Macedo-
nia fuissent, suísque rebus gestis. Omnia cum approbatione ingenti sunt audita, præterquam cùm ad
mentionem Nabidis ventum esset. id minimè conueniens liberanti Græciam videbatur, tyrannum
reliquisse, non suæ solum patriæ grauem, sed omnibus circà ciuitatibus metuendum, hærentem vi-
sceribus nobiliss. ciuitatis. Nec ignarus huius habitus animorum Quintius, si sine excidio Lacedæ-
monis fieri potuisset, fatebatur pacis cum tyranno mentionem admittendam auribus non fuisse:
nunc cùm aliter quàm ruina grauissima ciuitatis opprimi non posset, satius visum esse, tyrannum de-
bilitatum, ac totis propè viribus ad nocendum cuiquam ademptis, relinqui: quàm intermori ve-
hementioribus, quàm quæ pati posset, remediis ciuitatem sinere, in ipsa vindicta libertatis peritu-
ram. Præteritorum commemorationi subiecit: proficisci sibi in Italiam, atque omnem exercitum 49.
deportare, in animo esse. Demetriadis Chalcidísque prætidia intra decimum diem audituros dedu-
cta: Acrocorinthum ipsis extemplò vidẽtibus vacuam Achæis traditurum: vt omnes scirent, vtrum
Romanis an Aetolis mentiri mos esset: qui malè commissam libertatem populo Ro. sermonibus
distulerint, & mutatos pro Macedonibus Romanos dominos. Sed illis nec quid dicerent, nec quid
facerent, quicquam vnquam pensi fuisse. Reliquas ciuitates monere, vt ex factis, non ex dictis ami-
cos pensent: intelligántque quibus credendum, & à quibus cauendum sit. libertate modicè vtan-
tur. temperatam eam salubrem & singulis & ciuitatibus esse. nimiam & aliis grauem, & ipsis qui ha-
beant effrenatam & præcipitem esse. concordiæ in ciuitatibus principes, & ordines inter se, & in
commune omnes ciuitates consulerent. aduersus consentientes nec regem quenquam satis vali-
dum, nec tyrannum fore. discordiam & seditionem omnia opportuna insidiantibus facere: cùm
pars quæ domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet, quàm ciui cedat. alienis ar-
mis partem, externa fide redditam libertatem, sua cura custodirent, seruaréntque: vt populus Ro-
manus dignis datam libertatem, ac munus suum bene positum sciret. Has velut parentis voces 50.
cùm audirent, manare omnibus gaudio lacrymæ, adeò vt ipsum quoque confunderent dicentem.
Paulisper fremitus approbantium dicta fuit: monentiúmque aliorum alios, vt eas voces velut ora-
culo missas in pectora animósque demitterent. silentio deinde facto petiit ab iis, vt ciues Romanos,
si qui

Sempronium consulẽ Boij adoriuntur.

Gallorum & Romanorum occisorũ numerus.

Quintius Romam rediturus, omnium ciuitatum legationes Corinthum vocatas alloquitur.

si qui apud eos in seruitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam. ne A
ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores eius seruire. Omnes acclamarunt: gratias se
inter cætera etiam ob hoc agere, quòd admoniti essent, vt tam pio ac necessario officio fungerentur.
Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Annibal, cum à suis non redimerentur, venun-

† 60000 coron.

dederat. Multitudinis eorum argumentum est, quod Polybius scribit † centum talentis eam rem

† Coron. 50.

Achæis stetisse: cùm † quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent.
mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. adiice nunc pro portione, quot verisimile sit totam
51. Græciam habuisse. Nondum conuentus dimissus erat, cùm respiciunt præsidium ab Acrocorin-
tho descendens protinus, ad portam duci atque abire. Quorum agmen imperator secutus, prose-
quentibus cunctis, seruatorem liberatorémque acclamantibus, salutatis dimissísque eis, eadem qua
venerat via Elatiam rediit. inde cum omnibus copiis Ap. Claudium legatum dimittit. per Thessa-
liam atque Epirum ducere Oricum iubet: atque ibi se opperiri. inde namque in animo esse, exercitũ

Quintius præsidia deducit à Chalcide, Oreo & Eretria.

in Italiam traiicere. & L. Quintio fratri legato & præfecto classis scribit, vt onerarias ex omni Græ
ciæ ora eódem contraheret. Ipse Chalcidem profectus, deductis non à Chalcide solùm, sed etiam ab
Oreo atque Eretria præsidiis, conuentum ibi Euboicarum ciuitatum habuit: commonitósque in
quo statu rerum accepisset eos, & in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur: dedu-
ctóque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi & Chalcide, pergit ire in Thessaliam: vbi
non liberandæ modò ciuitates erant, sed ex omni colluuione & confusione in aliquam tolerabilem
formam redigendæ. Nec enim temporum modò vitiis, ac violentia, & licentia regia turbati erant,
sed inquieto etiam ingenio gentis: nec comitia, nec conuentum, nec concilium vllum, non per sedi-
tionem ac tumultum, iam inde à principio ad nostram vsque ætatem traducentes. A censu maximè
& senatum & iudices legit: potentiorémque eam partem ciuitatum fecit, cui salua tranquilláque
52. omnia magis esse expediebat. Ita cùm percensuisset Thessaliam, per Epirum in Oricum, vnde erat
traiecturus, venit. Ab Orico copiæ omnes Brundusium transportatæ, inde per totam Italiam ad vr-
bem propè triumphantes non minore agmine rerum captarum, quàm suo præ se acto venerunt.

Quintius triduũ triũphauit.

Posteaquam Romam ventum est, senatus extra vrbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est:
triumphúsque meritus ab lubentibus decretus. Triduũ triumphauit. die primo arma, tela, signáque
ærea & marmorea transtulit: plura Philippo adempta, quàm quæ ex ciuitatibus ceperat. secundo die

† Valent 182700 coron.

aurum argentúmque, factum infectúmque & signatum. infecti argenti fuit † decem & octo millia
pondo, & ducenta L X X. facti: vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis: &
ex ære multa fabrefacta: ad hoc clypea argentea X. signati argenti octoginta quatuor millia fuere
Atticorum. tetradrachmam vocant: trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus. † auri B

† Coron. 415968

† Coron. 43542

pondo fuit tria millia septingenta quatuordecim, & clypeum vnum ex auro totum: & † Philippei
nummi aurei quatuordecim millia, quingenti X I I I I. tertio die coronæ aureæ, dona ciuitatum, trans-
latæ C X I I I I. & hostiæ ductæ: & ante currum multi nobiles captiui obsidésque, inter quos Deme-
trius regis Philippi filius fuit, & Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedæmonius. ipse deinde Quin-
tius in vrbem est inuectus. milites secuti currum frequentes, vt omni ex prouincia exercitu depor-

† Valent coron. duos & dimidiũ.

tato. his † duceni quinquageni æris in pedites diuisi: duplex centurioni, triplex equiti. præbuerunt
53. speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exempti fuerant. Exitu huius anni Q. Aelius
Tubero trib. pleb. ex S C tulit ad plebem, plebésque sciuit, vt Latinæ duæ coloniæ, vna in Brutios, al-
tera in Thurinum agrum deduceretur. his deducendis triumuiri creati, quibus in triennium impe-
rium esset: in Brutios Q. Næuius, M. Minutius Rufus, M. Furius Crassipes: in Thurinum agrum A.
Manlius, P. Aelius, L. Apustius. ea bina comitia Cn. Domitius prætor vrbanus in Capitolio habuit.

Aedes aliquot dedicatæ.

Aedes eo anno aliquot dedicatæ sunt. vna Iunonis Matutæ in foro olitorio, vota locatáque qua-
driennio antè à C. Cornelio consule Gallico bello. censor idem dedicauit. altera Fauni. ædiles eam
biennio antè ex mulctatitio argento faciendam locarant, C. Scribonius, & Cn. Domitius: qui prætor
vrbanus eam dedicauit. & ædem Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Ral-
la, duumuir ad idipsum creatus. vouerat eam decem annis antè Punico bello P. Sempronius Sophus:
locauerat idem censor. & in insula Iouis ædem C. Seruilius duumuir dedicauit. vota erat sex annis
antè Gallico bello ab L. Furio Purpurione prætore: ab eodem postea consule locata. Hæc eo an-
54. no acta. P. Scipio ex prouincia Gallia ad consules subrogandos rediit. Comitia consulum fuere.
quibus creati sunt L. Cornelius Merula, & Q. Minutius Thermus. Postero die creati sunt prætores L.
Cornelius Scipio, M. Fuluius Nobilior, C. Scribonius, M. Valerius Messala, L. Porcius Licinus, & C.

Megalesia celebrãtur, quæ senatus à populo secretus spectauit.

Flaminius. Megalesia, ludos scenicos, C. Attilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi
fecerunt. Horũ ædiliũ ludos Romanos primùm senatus à populo secretus spectauit: præbuítque ser-
mones (sicut omnis nouitas solet) aliis tandem quod multo antè debuerit, tributum censentibus
amplissimo ordini: aliis demptum ex dignitate populi, quicquid maiestati patrum adiectum esset,
interpretantibus: & omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ & liberta-
ti æquè minuendæ esse. Ad quingentesimum octauum annum in promiscuo spectatum esse. quid re-
pentè factum? cur immiscere sibi in cauea patres plebem nollent? cur diues pauperem consessorem
fastidiret? nouam & superbam libidinem ab nullius antè gentis senatu neque desideratam, neque
institutam. Postremò ipsum quoque Africanum, quòd consul author eius rei fuisset, pœnituisse
ferunt. Adeò nihil motum ex antiquo probabile est. veteribus, nisi quæ vsus euidenter ar-
55. guit, stari malunt. Principio anni, quo L. Cornelius, Q. Minutius Coss. fuerunt, terræmotus
ita cre

A ita crebri nuntiabantur, vt non rei tantùm ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homioes tæderet. nam neque senatus haberi, neque respublica administrari poterat, sacrificando expiãdóque occupatis consulibus. postremò decemuiris adire libros iussis, ex responso eorum supplicatio per triduum fuit. coronati ad omnia puluioaria supplicauerunt. edictúmque est, vt omnes qui ex vna familia essent, pariter supplicarent. item ex authoritate senatus consules edixerunt, ne quis, quo die terræ motu nuntiato feriæ indictæ essent, eo die alium terræ motum nuntiaret. Prouincias deinde consules prius, tum prætores sortiti. Cornelius Galliam, Minutius Ligures sortiti sunt. C. Scribonius vrbanam, M. Valerius peregrinam. L. Cornelius Siciliam, L. Porcius Sardiniam, C. Flaminius Hispaniam citeriorem, M. Fuluius Hispaniam vlteriorem. Nihil belli eo anno expectaotibus consulibus, literæ M. Ciocii (præfectus is Pisis erat) allatæ: Ligurum x x. millia armatorum, coniuratione per omnia conciliabula vniuersæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulatos, Pisanum deinde finem transgressos, omnem oram maris peragrasse. Itaque Minutius Coss. cui Ligures prouincia euenerat, ex authoritare patrum in Rostra ascendit: & edixit, vt legiones duæ vrbanæ, quæ superiore anno conscriptæ essent, post diem decimum Arretii adessent. in earum locum se duas legiones vrbanas scripturum. item sociis & Latini nominis magistratibus, legatísque eorum qui milites dare debebant, edixit, vt in Capitolio se adirent. ex iis x v. millia peditum, & quingentos equites pro numero cuiusque iuniorum descripsit: & inde è Capitolio protinus ire ad portam: & vt maturaretur res, proficisci ad delectum iussit. Fuluio Flaminióque terna millia Romanorum peditum, & centeni equites in supplementum, & quina millia sociûm Latini nominis & duceni equites decreti: mandatúmque prætoribus, vt veteres dimitterent milites, cùm in prouinciam venissent. Cùm milites qui in legionibus vrbanis erant, frequentes tribunos plebeios adissent, vti causas cognoscerent eorum, quibus aut emerita stipendia, aut morbus causæ essent, quo minus militarent: eam rem literæ T. Sempronii discusserunt. in quibus scriptum erat, Ligurum x. millia in agrum Placentinum venisse: & eum vsque ad ipsa coloniæ mœnia, & Padi ripas cum cædibus & incendiis perpopulatos esse. Boiorum quoque gentem ad rebellionem spectare: ob eas res tumultum esse. Decreuit senatus, tribunos plebis non placere causas militares cognoscere, quo minus ad edictum conueniretur. adiecerunt etiam, vt socii nominis Latini, qui in exercitu P. Cornelii, T. Sempronii fuissent: & dimissi ab iis consulibus essenr, ad quam diem L. Cornelius Cos. edixisset: & in quem locum edixisset Hetruriæ, conuenirent. & vt L. Cornelius Cos. in prouinciam proficiscens io oppidis agrísque, quà iturus esset: si quos ei videretur, milites scriberet, armarétque, & duceret secum: dimittendíque ei, quos eorum, quandóque vellet, ius esset.

Ob terræ motus feriæ indicuntur.

Prouinciarũ sortitio. 56.

Ligures in armis esse nuntiantur.

Posteaquam consules dele- 57.

B ctu habito profecti sunt in prouincias, tum T. Quintius postulauit, vt de his quæ cum decem legatis ipse statuisset, senarus audiret: eáque, si videretur, authoritate sua confirmaret. id eos facilius facturos, si legatorum verba, qui ex vniuersa Græcia, & magna parte Asiæ, quíque ab regibus venissent, audissent. Hæ legationes à C. Scribonio Pr. Vrbano in senatum introductæ sunt: benignéque omnibus responsum. cum Antiocho, quia longior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia, aut Lysimachiæ apud regem fuerant, delegata est. Quintio madatum, vt adhibitis iis legatorum regis verba audiret: responderétque iis, quæ ex dignitate atque vtilitate populi Romani responderi possent. Menippus & Hegesianax principes regiæ legationis erant. ex iis Menippus ignorare se dixir, quídnam perplexi sua legatio haberet. cùm simpliciter ad amicitiam petendam, iungendámque societatem venissent. Esse autem tria genera fœderum, quibus integrè paciscerentur amicitias ciuitates regésque. vnum, cùm bello victis dicerentur leges: vbi enim omnia ei qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius ius atque arbitrium esse. alterum cùm pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiã venirent: tunc enim repeti reddíque per conuentionem res, & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque commodo componi. tertium esse genus, cùm qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungẽdam coeant, eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris & victi esse. ex eo genere cùm Antiochus esset, mirari se, quòd Romani æquum censeant ei leges dicere, quas Asiæ vrbium liberas & immunes, quas stipendiarias esse velint: quas iotrare præsidia regia regémque vetent. cum Philippo enim hoste pacem, non cum Antiocho amico societatis fœdus ita sanciendum esse.

Legationes Græciæ audiuntur.

Menippi Antiochi regis legati oratio.

Ad ea Quintius. Quoniam vobis distinctè agere libet, & genera iungendarum amicitiarum enumerare: ego quoque duas conditiones ponam, extra quas nullam esse regi nuntietis amicitiæ cum populo Romano iungendæ. vnam, si nos nihil, quòd ad vrbes Asiæ attinet, curare velit, vt & ipse omni Europa abstineat. alteram, si se ille Asiæ finibus non contineat, & in Europam transcendat. vt & Romanis ius sit, Asiæ ciuitatum amicitias & tueri quas habeant, & nouas complecti. Eniniuero id auditu etiam dicere indignum esse Hegesianax, Thraciæ & Chersonesi vrbibus arceri Antiochum, quæ Seleucus proauus eius, Lysimacho rege bello victo, & in acie cæso, per summum decus parta liquerit: pari cum laude eadem ab Thracibus possessa, partim armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, & renocatis cultoribus frequentauerit: & quæ strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis ædificauerit. Quid igitur simile esse, ex ea possessione ita parta, ita recuperata deduci Antiochum, & Romanos abstinere Asia, quæ nunquam eorum fuerit? Amicitiam Romanorum expetere Antiochum: sed quæ impetrata gloriæ sibi, non pudori sit. Ad hæc Quintius: Quandoquidem, inquit, honesta pensamus: sic, vt aut sola, aut prima certè pensari decet principi orbis terrarum populo, & tanto regi: vtrum tandem

Quintij ad Menippum Antiochi legatum responsio. 58.

videtur

videtur honestius,liberas velle omneis quæ vbique sunt Græciæ vrbes,an seruas & vectigales face- A re? Si sibi Antiochus pulchrum esse censet,quas vrbes proauus belli iure habuerit, auus paterque nunquam vsurpauerint,pro suis eas repetere in seruitutem:& populus Romanus susceptum patrocinium libertatis Græcorum nõ deserere,fidei constantiæque suæ ducit esse.sicut à Philippo Græciã liberauit,ita ab Antiocho Asiæ vrbes,quæ Graii nominis sint,liberare in animo habet.neque enim in Aeolidem Ioniámque coloniæ in seruitutem regiam missæ sunt:sed stirpis augendæ causa, gen-
59 tísque vetustissimæ per orbem terrarum propagandæ. Cùm hæsitaret Hegesianax,nec inficiari posset, honestiorem causam libertatis quàm seruitutis prætexi titulo: Quin mittimus ambages, inquit P. Sulpitius, qui maximus natu ex decem legatis erat.alteram ex duabus conditionibus quæ modò disertè à Quintio datæ sunt, legite: aut superfedete de amicitia agere. Nos verò, inquit Menippus, nec volumus, nec possumus pacisci quicquam, quo regnum Antiochi minuatur. Postero die Quintius legationes vniuersas Græciæ Asiæque cùm in senatum introduxisset,vt scirent quali animo populus Romanus, qualísque Antiochus erga ciuitates Græciæ essent: postulata & sua & regis exposuit. Renuntiarent ciuitatibus suis,populum Romanum qua virtute quáque fide libertatem eorum à Philippo vindicauerit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum. Tum Menippus deprecari & Quintium & patres instituit,ne festinarent decernere, quo decreto turbaturi orbem terrarum essent: tempus & sibi sumerent, & regi ad cogitandum darent.cogitaturum, cùm renuntiatæ conditiones essent,& impetraturum aliquid: aut pacis cau-
60 sa consensurum.

Ad Antiochum legati mittuntur.

Ita integra dilata res est.legatos mitti ad regem eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fuerant,placuit: P.Sulpitium, P. Villium, P. Aelium. Vix dum ii profecti erant,cùm à Carthagine legati bellum haud dubiè parare Antiochum Annibale ministro attulerunt: iniecerúntque curam,ne simul & Punicum bellum excitaretur. Annibal patria profugus peruenerat ad Antiochum,sicut antè dictum est:& erat apud regem in magno honore.nulla alia arte,nisi quòd volutanti diu consilia de Romano bello,nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat. Sententia eius vna atque eadem semper erat,vt in Italia bellum gereretur. Italiam & commeatus & militem præbituram externo hosti.si nihil ibi moueatur,liceátque populo Romano viribus & copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere: neque regem neque gentem vllam parem Romanis esse. Sibi centum tectas naues, x v i.millia peditum,mille equites deposcebat.ea se classe primùm Africam petiturum. magnopere confidere, & Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse.si illi cunctentur, se aliqua parte Italiæ bellum excitaturum Romanis. Regem cum cæteris omnibus
61 transire in Europam debere, & in aliqua parte Græciæ copias continere: neque traiicientem, & quod in speciem famámque belli satis sit,paratum traiicere.

Annibal suadet Antiocho,vt in Italia cõtra Romanos bellũ gerat.

In hanc sententiam cùm adduxisset re- B gem,præparandos sibi ad id popularium animos ratus,literas,ne quo casu interceptæ palàm facerent conata,scribere non est ausus. Aristonem quendam Tyrium nactus Ephesi,expertúsque solertiam leuioribus ministeriis,partim donis,partim spe præmiorum oneratum,quibus etiam ipse rex annuerat,Carthaginem cum mandatis mittit.edit nomina eorum,quibus conuentis opus esset.instruit etiam secretis notis,per quas haud dubiè agnoscerent sua mandata esse. Hunc Aristonem Carthagine obuersantem,non prius amici quàm inimici Annibalis,qua de causa venisset,cognouerunt. & primò in circulis cõuiuiísque celebrata sermonibus res est.deinde in senatu quidam nihil actum esse dicere exilio Annibalis:si absens quoque nouas moliri res,solicitandóque animos hominum turbare statum ciuitatis posset. Aristonem quendam Tyrium aduenam, instructum mandatis ab Annibale & ab Antiocho rege,venisse:certos homines quotidie cum eo secreta colloqoia serere, & in occulto colloqui,quod mox in omnium perniciem erupturum esset.Conclamauere omnes,vocari Aristonem debere,& quæri quid venisset:& nisi exprometet,cum legatis Romã mitti.satis pro temeritate vnius hominis suppliciorũ pensum esse.priuatos suo periculo peccaturos.rempublicam non extra noxam modò,sed etiam extra famam noxæ conseruandam esse. Vocatus Ariston purgare sese,& firmissimo propugnaculo vti,quòd nihil literarum ad quenquam attulisset. cæterùm nec causam aduentus satis expediebat: & in eo maximè hæsitabat,quòd cum Barchinæ solùm factionis hominibus collocutum eum arguebant. Orta deinde altercatio est,aliis pro speculatore comprehendi iam & custodiri iubentibus,aliis negantibus tumultuandi causam esse.mali rem exempli esse,de nihilo hospites corripi.idem Carthaginiensibus & Tyri,& in aliis emporiis in quæ frequenter commeent,euenturum. Dilata eo die res est. Ariston Punico ingenio inter Pœnos vsus, tabellas conscriptas celeberrimo loco supra sedem quotidianam magistratus prima vespera suspendit. ipse de tertia vigilia nauem conscendit & profugit. postero die cùm Suffetes ad ius dicendum consedissent, conspectæ tabellæ, demptæque & lectæ. scriptum erat: Aristonem priuatim ad neminem, publicè ad seniores (ita senatum vocabant) mandata habuisse. Publicato crimine, minus intenta de paucis quæstio erat. mitti tamen Legatos Romam, qui rem ad Coss.
62 & senatum deferrent, placuit: simul qui de iniuriis Masanissæ quererentur. Masanissa posteaquam & infames Carthaginienses, & inter seipsos discordes sensit, principibus propter colloquia Aristonis senatui, senatu propter indicium eiusdem Aristonis populo suspecto,locum iniuriæ esse ratus, agrum maritimum eorum & depopulatus est, & quasdam vrbes vectigales Carthaginiensium sibi coegit stipendium pendere. Emporia vocant eam regionem.ora est minoris Syrtis, & agri vberis. vna ciuitas eius Leptis: ea singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedit. Hanc tum regionem & totam infestam Masanissa, & ex quadam parte dubiæ possessionis,

Annibal Aristonem quendã Tyrium mittit Carthaginem.

Ariston vocatur in senatum Carthaginiensem.

Ariston profugit.

Pœni legatos Romam mittunt.

A sionis, sui regni an Carthaginiensium esset, effecerat. & quia simul ad purganda crimina, & quæstum de se Romam eos ituros comperit, qui & illa onerarent suspicionibus, & de iure vectigalium disceptarent, legatos & ipse Romam misit. Auditi de Tyrio aduena primùm Carthaginienses, curã iniecere patribus, ne cum Antiocho simul & Pœnis bellandum esset. maximè ea suspicio crimen vrgebat, quòd quem comprehẽsum Romam mitti placuisset, nec ipsum nec nauem eius custodissent. De agro deinde cum regis legatis disceptari cœptum. Carthaginienses iure finium causam tutabantur, quòd intra eos terminos esset, quibus P. Scipio victor agrum, qui iuris esset Carthaginiensium finisset: & confessione regis, qui cùm Aphirem profugum ex regno suo cum parte Numidarum vagantem circa Cyrenas persequeretur: precario ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubiè Carthaginiensium iuris, petisset. Numidæ & de terminatione Scipionis mentiri eos arguebant: & si quis veram originem iuris exigere vellet, quem proprium agrum Carthaginiensium in Africa esse? aduenis, quantum secto bouis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad vrbem communiendam precario datum. quicquid Byrsam sedem suam excesserint, vi atque iniuria partum habere. Neque enim de quo agatur, probare eos posse: non modò semper, ex quo cœperint, sed ne diu quidem eos possedisse. per opportunitates nunc illos, nunc reges Numidarum vsurpasse ius: sempérque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset. Cuius conditionis res fuerit, priusquam hostes Romanis Carthaginienses, socius atque amicus rex Numidarum esset, eius sinerent esse: nec se interponerent, quo minus qui possent, tenerent. Responderi legatis vtriusque partis placuit: missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginiensem, & regem in re præsenti disceptarent. Missi P. Scipio Africanus, & C. Cornelius Cethegus, & M. Minutius Rufus: audita inspectáque re suspensa omnia, neutrò inclinatis sententiis, reliquere. Id vtrum sua sponte fecerint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum est, quàm videtur tempori aptum fuisse, integro certamine eos relinqui. nam ni ita esset, vnus Scipio vel notitia rei, vel authoritate, ita de vtriusque meritus, finire nutu disceptationem potuisset.

De Masanissa queruntur legati Pœnorum.

Romani legatos mittunt, qui de causa Masanissæ & Carthaginiensiũ cognoscant.

DECADIS QVARTAE LIBER QVINTVS.

P. Scipio Africanus legatus missus ad Antiochum, Ephesi cum Annibale, qui se Antiocho iunxerat, collocutus est: ut, si fieri posset, metum uitæ, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia cùm quæreret ab Annibale, quem fuisse maximum imperatorem Annibal crederet: respondit, Alexandrum Macedonum regem, quod parua manu innumerabiles exercitus fudisset: quódque ultimas oras, quas uisere supra fidem humanam esset, peragrasset. quærenti deinde quem secundum poneret, inquit, Pyrrhum, eo B *quód castra metari docuisset: ad hæc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse. exequenti quem tertium diceret: semet dixit. ridens Scipio, Quidnam tu diceres, si me, inquit, uicisses? tunc uero, inquit, me & ante Alexandrũ, & ante Pyrrhum, & ante alios posuissem. Inter ea prodigia, quæ plurima fuisse traduntur, bouem, Cn. Domitio consule, locutum, Roma caue tibi, refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus incitatus ab Aetolis, qui & Philippum, & Antiochum ad inferendum bellum populo Romano solicitabant, à populo Romano desciuit: & bello aduersus Philopœmenem Achæorum pratorẽ gesto, ab Aetolis interfectus est. Aetoli quoque ab amicitia populi Romani defecerunt. cum quibus societate iuncta Antiochus Syriæ rex cùm bellum Græciæ intulisset, complures urbes occupauit, inter quas Chalcidem, & totam Eubœam. Res præterea in Liguribus gestas, & apparatum belli ab Antiocho continet.*



PRINCIPIO anni, quo hæc gesta sunt, Sex. Digitius prætor in Hispania citeriore cum ciuitatibus iis, quæ post profectionem M. Catonis permultæ rebellauerant, crebra magis quàm digna dictu prælia fecit: & adeò pleraque aduersa, vt vix dimidium militum, quàm quod acceperat, successori tradiderit. nec dubium est, quin omnis Hispania sublatura animos fuerit: ni alter prætor P. Cornelius Cn. F. Scipio, trans Iberum multa secunda prælia fecisset: quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc gesserat Scipio. Idem proprætor Lusitanos peruastata vlteriori prouincia cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere aggressus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, superior aliis: nam & acie frequenti armatis aduersus longum & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere cõcurrerat. tertia nanque vigilia exierant hostes: huic nocturno itineri tres diurnæ horæ accesserant: nec vlla quiete data, laborem viæ prælium exceperat. itaque principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus animísque fuit. & turbauerant primò Romanos: deinde æquata paulisper pugna est. In hoc discrimine ludos Ioui, si vi fudisset cæcidissétque hostes, proprætor vouit. tandẽ gradũ acrius intulere Romani, cessítque Lusitanus: deinde prorsus terga dedit. & cùm institissent fugientibus victores, ad XII. millia hostiũ sunt cæsa: capti quingẽti quadraginta, omnes fermè equites, & signa militaria capta centũ triginta quatuor. De exercitu Romano septuaginta & tres amissi. Pugnatũ inde haud procul Ilipa vrbe est. eò victorẽ opulentum præda exercitũ P. Cornelius reduxit. ea omnis ante vrbẽ exposita est: potestásque dominis suas res cognoscẽdi facta. cætera vendenda quæstori data: quod inde effectum est, militi diuisum. Nondum ab Roma profectus erat. C. Flaminius prætor, cùm hæc in Hispania gerebantur. itaque tam aduersæ quàm secundæ res per ipsum amicósque eius magnis sermonibus celebrabantur. & tentauerat, quoniam bellum ingens in prouincia exarsisset, & exiguas reliquias exercitus ab Sex. Digitio, atque eas ipsas plenas pauoris ac fugæ accepturus esset, vt vnam sibi ex vrbanis legionibus decernerent: ad quam cùm militem

Sex. Digitius prætor in Hispania infeliciter rem gessit.

P. Cornelij Scipionis prætoris alterius in Hispania res feliciter gestæ.

ab se

ab se ipso scriptum ex senatusconsulto adiecisset, eligeret ex omni numero tria millia & ducentos A
pedites,& equites trecentos.ea se legione (nam in Sex.Digitii exercitu haud multum spei esse) rem
gesturum. Seniores negare:ad rumores à priuatis temerè in gratiam magistratuum confictos sena-
tusconsulta facienda esse.nisi quòd aut prætores ex prouinciis scriberent,aut legati renuntiarent:ni-
hil ratum haberi debere.si tumultus in Hispania esset, placere, tumultuarios milites extra Italiam
scribi à prætore. Mens ea senatus fuit,vt in Hispania tumultuarii milites legerentur. Valerius An-
tiâs & in Siciliam nauigasse delectus causa C.Flaminium scribit: & ex Sicilia Hispaniam peten-
tem,tempestate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P.Africani sacramento rogasse:his

3 *Ligures Pisas circumsedent.* duarum prouinciarum delectibus tertium in Hispania adiecisse. Nec in Italia segnius Ligurum
bellum crescebat. Pisas iam quadraginta millibus hominum, affluente quotidie multitudine ad
famam belli, spémque prædæ, circumsedebant. Minutius Cos. Arretium die, quem edixerat ad
conueniendum militibus,venit. inde quadrato agmine ad Pisas duxit.& cùm hostes mille pas-
suum ab oppido trans fluuium mouissent castra, consul vrbem haud dubiè seruatam aduentu suo
est ingressus. Postero die & ipse trans fluuium quingentos ferè passus ab hoste posuit castra. inde
leuibus præliis à populationib.agrum sociorum tutabatur.in aciem exire non audebat,nouo milite
& ex multis generibus hominum collecto,necdum noto satis inter se,vt fidere alii aliis possent. Li-
gures multitudine freti & in aciem exibant,parati de summa rerum decernere:& abundantes mili-
tum numero passim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant:& cùm coacta
vis magna pecorum prædæque esset,paratum erat præsidium per quod in castella eorum vicósque

4 *L.Cornelius Merula consul Boiorum agros populatur.* ageretur.Cùm bellum Ligustinum ad Pisas constitisset,consul alter L.Cornelius Merula præter ex-
tremos Ligurum fines exercitum in agrum Boiorum induxit,vbi longè alia belli ratio quàm cum
Liguribus erat.consul in aciem exibat,hostes pugnam detrectabant:prædatúmque vbi nemo obuiã
exiret,discurrebant Romani:Boii diripi sua impunè,quàm tuendo ea cõserere certamen malebant.
posteaquam omnia ferro igníque satis euastata erant,consul agro hostium excessit,& ad Mutinam
agmine incauto,vt inter pacatos ducebat.Boii vbi egressum è finibus suis hostem sensere,sequeban-
tur silenti agmine,locum insidiis quærẽtes.nocte prætergressi castra Romana saltum,quà transeun
dum erat Romanis,insederunt.Id cùm parum occultè fecissent,consul qui multa nocte solitus erat
mouere castra,ne nox terrorẽ in tumultuario prælio augeret,lucem expectauit.& cùm luce mouc-
ret,tamen turmam equitum exploratum misit.Posteaquàm relatum est,quantæ copiæ & in quo lo-
co essent,totius agminis sarcinas in medium coniici iussit,& triarios vallum circumiicere:cætero
exercitu instructo ad hostem accessit.Idem & Galli fecerunt,posteaquam apertas esse insidias,&

5 *L.Cornelius cũ Boijs ad Mutinam dimicat.* recto ac iusto prælio,vbi vera virtus vinceret,dimicandum viderunt.Hora secunda fermè concur-B
sum est sinistra sociorum equitum ala,& extraordinarii prima in acie pugnabant.præerant duo con
sulares legati,M.Marcellus,& T.Sempronius prioris anni consul.Nouus Cos.nunc ad prima signa
erat,nunc legiones cõtinebat in subsidiis,ne certaminis studio prius procurrerent,quàm datum si-
gnum esset.equites earum extra aciem in locum patentem Q.& P.Minutios tribunos militum edu-
cere iussit:inde cum signum dedisset,impetum ex aperto facerent. Hæc agenti nuntius venit à T.
Sempronio Longo,non sustinere extraordinarios impetum Gallorum : & cæsos permultos esse.&
qui supersint,partim labore,partim metu remisisse ardorem pugnæ.legionem alteram ex duabus , si
videretur,summitteret,priusquam ignominia acciperetur.Secunda legio missa est & extraordinarii
recepti.tum redintegrata est pugna:cùm & recens miles & frequens ordinibus legio successisset &
sinistra ala ex prælio subducta est,dextera in primam aciem subiit.Sol ingenti ardore torrebat mini
mè patientia æstus corpora Gallorum : densis tamen ordinibus nunc alii in alios,nunc in scuta in-
cumbentes,sustinebant impetus Romanorum.Quod vbi animaduertit Cos.ad perturbandos ordi-
nes eorum C.Liuium Salinatorem,qui præerat alariis equitibus,quamconcitatissimos equos immit-
tere iubet:& legionarios equites in subsidiis esse.Hæc procella equestris primò confudit & turba-
uit,deinde dissipauit aciem Gallorum,nõ tamen vt terga darent.obstabant duces,hastilibus cæden-
tes terga trepidantiũ,& redire in ordines cogentes:sed interequitantes alarii non patiebantur.Con-
sul orabat milites,vt paululum adniterentur:victoriam in manibus esse.dum perturbatos & trepi-
dantes viderent,instarent.si restitui ordines siuissent,integro rursus eos prælio & dubio dimicatu-

Boij terga dederunt. Boiorũ cæsa 14.millia, Romanorũ verò quinque millia. ros. Inferre vexillarios iussit signa.omnes connixi tandem auerterunt hostem,postquam terga da-
bant,& in fugam passim effundebantur:tum ad persequendos eos legionarii equites immissi. Qua-
tuordecim millia Boiorum eo die cæsa sunt,viui capti mille nonaginta duo:equites ducenti viginti-
unus:tres duces eorum,signa militaria ducenta XII. carpenta CII. Nec Romanis incruenta victo-

6 ria fuit.supra quinque millia militum ipsorum,aut sociorum sunt amissa:centuriones tres & XX. præ
fecti sociũm quatuor,& M.Genutius & M.Martius trib.militum secundæ legionis.Eodem ferè tem-
pore duorum consulum literæ allatæ sunt:L.Cornelii de prælio ad Mutinã cum Boiis facto & Q.Mi-
nutii à Pisis.Comitia suæ sortis esse.cæterũ adeò suspensa omnia in Ligurib.se habere,vt abscedi inde
sine pernicie sociorũ & damno reip.nõ possit.si ita videretur patribus,mitterent ad collegã:vt is qui
profligatum bellum haberet,ad comitia Romam rediret:si id facere grauaretur,quòd non suæ sor-
tis id negotium esset,se quidem facturũ,quodcunque senatus cẽsuisset:sed etiam atque etiã viderẽt,si
maxis è repub.esset interregnũ iniri,quã ab se in eo statu reliqui prouinciã.Senatus C.Scribonio ne
gotiũ dedit,vt duos legatos ex ordine senatorio mitteret ad L.Corneliũ consulẽ,qui literas collegæ
ad senatũ missas deferrent ad eum:&.nuntiarẽt,senatũ,ni is ad magistratus subrogãdos Romã veni-
ret,po

A ret, potiùs quàm Q. Minutius à bello integro auocaretur, interregnum iniri passurum. Missi legati re-
nuntiarunt, L. Cornelium ad magistratus subrogãdos Romam venturum. De literis L. Cornelii, quas
scripserat secundum prælium cum Boiis factum, disceptatio in senatu fuit: quia priuatim plerisque se-
natoribus legatus M. Claudius scripserat, fortunæ populi Ro. & militum virtuti gratiam habendam,
quòd res bene gesta esset. consulis opera & militum aliquantum amissum: & hostium exercitum, cu-
ius delendi oblata fortuna fuerat, elapsum. milites eo plures perisse, quòd tardius ex subsidiis qui labo
rantibus opem ferrent, successissent. hostes è manibus emissos, quòd equitibus legionariis & tardius
datum signum esset, & persequi fugientes non licuisset. De ea re nihil temerè decerni placuit: ad fre-
quentiores consultatio delata est. instabat enim cura alia, quòd ciuitas fœnore laborabat: & cùm mul- 7
tis fœnebribus legibus constricta auaritia esset, via fraudis inita erat, vt in socios qui non tenerentur
iis legibus, nomina transcriberent. ita libero fœnore obruebant debitores. cuius coërcendi cùm ratio
quæreretur, diem finiri placuit, Feralia quæ proximè fuissent: vt qui post eam diem socii ciuibus Ro-
manis credidissent pecunias, profiterentur: & ex ea die pecuniæ creditæ, debitor quibus vellet legi-
bus, ius creditori diceretur. Deinde posteaquàm professionibus detecta est magnitudo æris alieni
per hanc fraudem contracti: M. Sempronius tribunus ple. ex authoritate patrum plebem rogauit. ple
bésque sciuit, vt cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem, quod cum ciuibus Roma-
nis, esset. Hæc in Italia domi militiæque acta. In Hispania nequaquam tantum belli fuit, quantum au-
xerat fama. C. Flaminius in citeriori Hispania oppidum Iluciam in Oretanis cepit: deinde in hyberna
milites deduxit, & per hyemem prælia aliquot nulla memoria digna aduersus latronum magis quàm
hostium excursiones, vario tamen euentu, nec sine militum iactura sunt facta. Maiores res gestæ à M.
Fuluio. Is apud Toletum oppidum cum Vacceis Vectonibúsque & Celtiberis signis collatis dimica-
uit: exercitum earum gentium fudit, fugauítque. regem Hilermum viuum cepit. Dum hæc in Hispa- 8
nia agerentur, comitiorum iam appetebat dies. itaque L. Cornelius Cos. relicto ad exercitum M. Clau
dio legato, Romam venit. Is in senatu cùm de rebus à se gestis disseruisset, quóque in statu prouincia
esset: questus est cum patribus conscriptis, quòd tanto bello vna secunda pugna tam feliciter perfe-
cto, non esset habitus diis immortalibus honos. postulauit deinde, vt supplicationem simul trium-
phúmque decernerent. Prius tamen quàm relatio fieret, Q. Metellus, qui consul dictatórque fuerat, li
teras eodem tempore dixit & consulis L. Cornelii ad senatum, & M. Marcelli ad magnam partem se-
natorum allatas, esse inter se pugnantes: eóque dilatam esse consultationem, vt præsentibus authori-
bus earum literarum disceptaretur. itaque expectasse sese, vt consul qui sciret ab legato suo aduersus se
scriptum aliquid, cùm ipsi veniendum esset, deduceret eum secum Romam: cùm etiam verius esset,
B T. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quàm legato. nunc videri esse amotum de indu-
stria, ne ea quæ scripsisset, præsens diceret, aut argueret coràm: & si quid vani afferret, argui posset, do-
nec ad liquidum veritas explorata esset. itaque nihil eorum quæ postularet Cos. decernendum in præ-
sentia censere. Cùm pergeret nihilo segnius referre, vt supplicatio decerneretur, triumphantíque si-
bi in vrbem inuehi liceret: M. & C. Titinii tribuni plebis se intercessuros, si de ea re fieret senatuscon-
sultum, dixerunt. Censores erant priore anno creati Sex. Aelius Pætus, & C. Cornelius Cethegus: Cor- 9
nelius lustrum condidit. censa sunt ciuium capita C X L I I I. millia septingenta quatuor. Aquæ ingen-
tes eo anno fuerunt: & Tyberis loca plana vrbis inundauit. circa portam Flumentanam etiã collapsa
quædam ruinis sunt. & porta Cœlimontana fulmine icta est, murúsque circà multis locis de cælo ta-
ctus. & Aritiæ & Lanuuii & in Auentino lapidibus pluit. & à Capua nuntiatum est, examen vespa-
rum ingens in forum aduolasse, & in Martis æde consedisse. eas collectas cum cura, & igni crematas
esse. Horum prodigiorum causa decemuiri libros adire iussi, & nouendiale sacrum factum, & suppli-
catio indicta est, atque vrbs lustrata. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ virginis prope ædem Victo-
riæ M. Porcius Cato dedicauit, biennio pòst quàm vouit. Eodem anno coloniam Latinam in agrum
Ferentinum triumuiri deduxerunt, Cn. Manlius Volso, L. Apustius Fullo. P. Aelius Tubero, cuius le-
ge deducebantur tria millia peditum ferè, C C C. equites: numerus exiguus pro copia agri. Dari potue
re tricena iugera in pedites, sexagena in equites. Apustio authore tertia pars agri dempta est: quò
postea si vellent, nouos colonos ascribere possent: vicena iugera pedites, quadragena equites accepe-
runt. In exitu iam annus erat, & ambitio magis quàm vnquam aliàs exarserat consularibus comi- 10.
tiis. multi & potentes petebant patricii, plebeiique: P. Cornelius Cn. filius, Scipio, qui ex Hispania pro
uincia nuper decesserat magnis rebus gestis: & L. Quintius Flamininus, qui classi in Græcia præfue-
rat: & Cn. Manlius Volso: hi patricii. plebeii autem, C. Lælius, Cn. Domitius, C. Liuius Salinator, M. Aci
lius. sed omnium oculi in Quintium, Corneliúmque coniecti. nam & in vnum locum petebant ambo
patricii, & rei militaris gloria recens vtrunque commẽdabat. Cæterùm ante omnia accendebant fra-
tres candidatorum, duo clarissimi ætatis suæ imperatores. maior gloria Scipionis: & quo maior, eo
propior inuidiæ. Quintii recentior, vt qui eo anno triumphasset. Accedebat, quòd alter decimũ iam
propè annum assiduus in oculis hominum fuerat, quæ res minus verendos magnos homines ipsa sa-
tietate facit: consul iterum post deuictum Annibalem, censórque fuerat. in Quintio noua & recentia
omnia ad gratiam erant. nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat. Pro fratre ger
mano, non patruele se petere aiebat: pro collega & participe administrandi belli. se terra, fratrem ma-
ri rem gessisse. Is obtinuit, vt præferretur candidato, quem Africanus frater ducebat: quem Cornelia
gens, Cornelio consule comitia habente: quem tantum præiudicium senatus, virum è ciuitate opti-
mum iudicatum, qui matrem Idæam Pessinunte venientem in vrbem acciperet. L. Quintius & Cn.

De prælio Cornelii cũ Boiis facto disceptatur in senatu.

De fœnore, quo laborabat ciuitas, agitur.

Res gestæ in Hispania à prætoribus.

Lustrum cõditur.

Prodigia.

Ambitio maxima in consularibus comitiis.

Domitius Aenobarbus coss. facti.adeò ne In plebeio quidem consule, cùm pro C.Lælio niteretur, A
Africanus valuit.Postero die prætores creati, L.Scribonius Libo, M.Fulvius Centimalus, A.Attilius Serranus, M. Bebius Pamphilus, L.Valerius Tappus, Q. Salonius Sarra. Aedilitas insignis eo anno fuit M.Aemylii Lepidi,& L.Aemylii Pauli. Multos pecuarios damnarunt : ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Iouis ædis posuerunt.porticum vuam extra portam Trigeminam,emporio ad Tyberim adiecto:alteram à porta Fontinali ad Martis aram,quà in campum iter esset,perduxerunt.

11\. Diu nihil in Liguribus dignum memoria gestum erat. Extremo eius anni bis in magnum periculum res adducta est.nam & castra consulis oppugnata,ægrè sunt defensa:& non ita multo pòst per saltum angustum cùm duceretur agmen Romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit.quà cùm exitus non pateret,conuerso agmine redire instituit consul.& à tergo fauces saltus occupatæ à parte hostium erant:Caudinæque cladis memoria non animis modò,sed propè oculis obuersabatur.Numidas octingentos fermè equites inter auxilia habebat. Eorum præfectus consuli pollicetur, se parte vtra vellet cum suis erupturum.tantum vti diceret,vtra pars frequentior vicis esset.in eos se impetum facturum: & nihil prius quàm flammam tectis iniecturum,vt is pauor cogeret Ligures excedere saltu quem obsiderent,& discurrere ad opem ferendam suis.Collaudatum eum consul spe præmiorum onerat. Numidæ equos conscendunt,& obequitare stationibus hostium neminem lacessentes cœperunt. Nihil primo aspectu contemptius,equi hominésque paululi & graciles : discinctus & inermis eques, præterquam quod iacula secum portat:equi sine frenis,deformis ipse cursus rigida ceruice & extento capite currentium.Hunc contemptum de industria augentes labi ex equis,& per ludibrium spectaculo esse. Itaque qui primo intenti paratíque,si lacesserêtur,in stationibus fuerât,iam inermes, sedentésque pars maxima spectabant.Numidæ adequitare,dein refugere:sed propius saltum paulatim euehi : velut quos impotentes regendi equi inuitos efferrent.postremò subditis calcaribus per medias stationes hostium erupere : & in agrum latiorem euecti , omnia propinqua viæ tecta incendunt: proximo deinde vico inferunt ignem , ferro flammâque omnia peruastant. Fumus primò conspectus , deinde clamor trepidantium in vicis auditus , postremò seniores puerique refugientes tumultum in castris fecerunt.itaque sine consilio, sine imperio pro se quisque currere ad sua tutâda:momentóque temporis castra relicta erant:& obsidione liberatus Cos.quò intenderat,peruenit.

Ligures castra consulis oppugnant : deinde saltus angusti fauces occupât.

Numidæ equites primo aspectu contemptissimi.

12\. Sed neque Boii,neque Hispani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam inimici infestíque erant Romanis, quàm Aetolorum gens.Ii post deportatos ex Græcia exercitus primò in spe fuerant,& Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum:nec Philippum aut Nabin quieturos.vbi nihil vsquam moueri viderunt,agitandum aliquid miscendúmque rati,ne cunctando senescerent consilia : concilium Naupactum indixerunt.Ibi Thoas prætor eorû conquestus iniurias Romanorum,statúmque Aetoliæ,quòd omnium B
Græciæ gentium ciuitatúmque inhonoratissimi post eam victoriam essent,cuius causa ipsi fuissent:legatos censuit circa reges mittendos,qui non solum tentarent animos eorum,sed suis quenque stimulis mouerent ad Romanum bellum. Damocritus ad Nabin,Nicander ad Philippum,Dicæarchus frater prætoris ad Antiochum est missus.Tyranno Lacedæmonio Damocritus, ademptis maritimis ciuitatibus eneruatam tyrannidem dicere:inde militem,inde naues, naualésque socios habuisse:inclusum suis propè muris Achæos videre dominantes in Peloponneso:nunquam habiturum recuperandi sua occasionem, si eam quæ tum esset, prætermisisset.nullum exercitum Romanum in Græcia esse: nec propter Gyttheum, aut maritimos alios Laconas dignâ causam existimaturos Romanos,cur legiones in Græciam rursum transmittant.Hæc ad incitandum animum tyranni dicebantur : vt cùm in Græciam Antiochus traiecisset,conscientia violatæ per sociorum iniurias Romanæ amicitiæ,coniungeret se cum Antiocho. Et Philippum Nicander haud dissimili oratione incitabat.erat etiam maior orationi materia,quo ex altiore fastigio rex,quàm tyrannus,detractus erat : quóque plures ademptæ res.ad hoc vetusta regum Macedoniæ fama,peragratúsque loca orbis terrarum victoriis eius gentis referebatur. Et tutum vel incœpto vel euentu se consilium afferre.nam neque vt antè se moueat Philippus,quàm Antiochus cum exercitu transierit in Græciam,suadere:& qui sine Antiocho aduersus Romanos Aetolósque tandiu sustinuerit bellum,ei adiuncto Antiocho,sociis Aetolis,qui tum grauiores hostes quàm Romani fuerint, quibus tandem viribus resistere Romanos posse? Adiiciebat de duce Annibale,nato aduersus Romanos hoste,qui plures & duces & milites eorum occidisset,quàm quot superessent. Hæc Philippo Nicander. Alia Dicæarchus Antiocho , & omnium primùm prædam de Philippo Romanorum esse dicere,victoriam Aetolorum.& aditû in Græciam Romanis nullos alios, quàm Aetolos dedisse.& ad vincendum vires eosdem præbuisse.deinde quantas peditum equitúmque copias præbituri Antiocho ad bellum essent : quæ loca terrestribus copiis, quos portus maritimis. Tum de Philippo & Nabide libero mendacio abutebatur : paratum vtrunque ad rebellandum esse:& primam quanque occasionem recuperandi ea quæ bello amisissent, arrepturos. Ita per totum simul orbem terrarum Aetoli Romanis concitabant bellum.reges tamen aut non moti, aut tardius

Aetoli concitât reges Antiochum & Philippû,tyrannûq; Nabin aduersus Romanos.

Aetolorû legatus ad Nabin.

Aetolorû legatus ad Philippum.

Aetolorû legatus ad Antiochum.

13\. moti sunt.Nabis extemplò circa omneis vicos maritimos dimisit ad seditiones in iis miscendas : & alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit.Achæis omnium maritimorum Laconum tuendorum ab T. Quintio cura mandata erat.itaque extemplò & ad tyrannum legatos miserunt , qui admonerent fœderis eum Romani, denuntiarentq; ne pacem,quam tantopere petisset, turbaret: & auxilia ad Gyttheum,quod iam oppugnabatur à tyranno:& Romam qui ea nuntiarent,legatos miserunt. Antiochus rex ea hyeme Rhaphiæ in Phœnicæ Ptolemæo regi Aegypti filia in matrimonium data,cùm Antiochiam se recepisset, per Ciliciam

Nabis à Romanis deficit.

Antiochi filiam Ptolemæus rex Aegypti ducit.

Tauro

A Tauro monte ſuperato, extremo iam hyemis Epheſum peruenit. inde principio veris, Antiocho filio
miſſo in Syriam ad cuſtodiam vltimarum partium regni, ne quid abſente ſe à tergo moueretur: ipſe
cum omnibus terreſtribus copiis ad Piſidas, qui circa Sidgam incolunt, oppugnandos eſt profectus.
Eo tempore legati Romani P. Sulpitius, & P. Villius, qui ad Antiochum (ſicut ante dictum eſt) miſsi
erant, iuſsi prius Eumenem adire, Elæam venere: inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) aſcenderũt.

Eumenes rex Aſiæ minoris.

Cupidus belli aduerſus Antiochum Eumenes erat: graue ſi pax eſſet, accolã tanto potẽtiorem regem
credens: eundem ſi motum bellũ eſſet, non magis parem Romanis fore quàm Philippus fuiſſet: & aut
funditus ſublatũ iri: aut ſi pax victo daretur, multa illi detracta ſibi acceſſura: vt facile deinde ſe ab eo ſi
ne vllo Romano auxilio tueri poſſet. etiã ſi quid aduerſi caſurũ foret, ſatius eſſe Romanis ſociis quam-
cunque fortunam ſubire, quàm ſolum aut imperium pati Antiochi: aut abnuentem vi atque armis co
gi. Ob hæc quantum authoritate, quantum conſilio valebat, incitabat Romanos ad bellum. Sulpitius 14
æger Pergami ſubſtitit. Villius cum Piſidiæ bello occupatum eſſe regem audiſſet, Epheſum profectus,
dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, vt cum Annibale, qui tum ibi fortè erat, ſæpe congredere
tur: vt animum eius & tentaret, ſi qua poſſet: & metũ demeret periculi ei quicquam ab Romanis eſſe.
His colloquiis aliud quidem actum nihil eſt: ſecutum tamen ſua ſponte eſt, velut cõſilio petitum eſſet,
vt vilior ob ea regi Annibal, & ſuſpectior ad omnia fieret. Claudius ſecutus Græcos Acilianos libros,

Scipionis cũ Annibale colloquium.

P. Africanum in ea fuiſſe legatione tradit: eúmque Epheſi collocutum cum Annibale. & ſermonem
etiam vnum refert, quo quærenti Africano quem fuiſſe maximum imperatorem Annibal crederet,
reſpondiſſet, Alexandrum Macedonum regem: quòd parua manu innumerabiles exercitus fudiſſet:
quódque vltimas oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet. quærenti deinde quem ſe-
cundum poneret, Pyrrhum dixiſſe. caſtra metari primum docuiſſe: ad hoc neminem elegantius loca
cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe: artem etiam conciliandi ſibi homines eam habuiſſe, vt Italicæ gentes re-
gis externi, quàm populi Romani tandiu principis in ea terra imperium eſſe mallent. exequẽti, quem
tertium duceret, haud dubie ſemetipſum dixiſſe. tum riſum obortũ Scipioni, & ſubieciſſe. Quidnam tu
diceres, ſi me viciſſes? tum me verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios
imperatores eſſe. & perplexum Punico aſtu reſponſum, & aſſentationis genus Scipionem mouiſſe:
quod è grege ſe imperatorum velut inæſtimabilem ſecreuiſſet. Villius ab Epheſo Apameam proceſ- 15.
ſit. eò & Antiochus audito Romanorum legatorum aduentu occurrit. Apameæ congreſsis diſcepta-
tio eadem fermè fuit, quæ Romæ inter Quintium & legatos regis fuerat. mors nuntiata Antiochi filii
regis, quem miſſum paulo antè dixeram in Syriam, diremit colloquia. Magnus luctus in regia fuit, ma

Antiochus Antiochi filius moritur.

gnúmque eius iuuenis deſiderium. id enim iam ſpecimen ſui dederat, vt ſi vita longior contigiſſet, ma
B gni iuſtíque regis in eo indolem fuiſſe appareret. Quo carior acceptiórque omnibus erat, eo mors
eius ſuſpectior fuit. grauem ſucceſſorem eum inſtare ſenectuti ſuæ patrem credentem, per ſpadones
quoſdam, talium miniſteriis facinorum acceptos regibus, veneno ſuſtuliſſe. Eam quoque cauſam clan
deſtino facinori adiiciebant, quòd cùm Seleuco filio Lyſimachiam dediſſet: Antiocho quam ſimi-
lem daret ſedem, vt procul ab ſe per honorem eum quoque ablegaret, non habuiſſet. Magni tamen
luctus ſpecies per aliquot dies regiam tenuit: legatúſque Romanus, ne alieno tempore incommodus
obuerſaretur, Pergamum cõceſsit. rex Epheſum, omiſſo quod inchoauerat bello, rediit. ibi per luctum
regia clauſa, cum Minione quodam, qui princeps amicorum eius erat, ſecreta conſilia agitauit. Minio
ignarus omnium externorum, viréſque æſtimans regis ex rebus in Syria aut Aſia geſtis, non cauſa
modò ſuperiorem eſſe Antiochum, quòd nihil æqui poſtularent Romani, ſed bello quoque ſuperatu-
rum credebat. Fugienti regi diſceptationem cum legatis, ſeu iam experto eam minus proſperam, ſeu
mœrore recenti confuſo, profeſſus Minio, ſe quæ pro cauſa eſſent dicturum, perſuaſit vt à Pergamo ac
cerſerentur legati. Iam conualuerat Sulpitius. itaque ambo Epheſum venerunt. rex à Minione excuſa- 16.
tus, & abſente eo res agi cœpta eſt. Ibi præparata oratione Minio: Specioſo titulo, inquit, vti vos Ro-
mani Græcarum ciuitatum liberandarum video. ſed facta veſtra orationi non cõueniunt: & aliud An

Minionis ad legatos Romanos pro Antiocho oratio.

tiocho iuris ſtatuiſtis, alio ipſi vtimini. Qui enim magis Smyrnæi Lampſacenique Græci ſunt, quàm
Neapolitani & Rhegini & Tarentini, à quibus ſtipendium, à quibus naues ex fœdere exigitis? Cur
Syracuſas atque in alias Siciliæ Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & ſecuri-
bus mittitis? nihil aliud profectò dicatis, quàm armis ſuperatis vos iis has leges impoſuiſſe. Eandẽ de
Smyrna & Lampſaco, ciuitatibúſque quæ Ioniæ aut Aeolibus ſunt, cauſam ab Antiocho accipite. bel
lo ſuperatas à maioribus, & ſtipendiarias ac vectigales factas, in antiquum ius repetit. itaque ad hæc
ei reſponderi velim, ſi ex æquo diſceptatur, & non belli cauſa quæritur. Ad ea Sulpitius: Fecit verecun
dè, inquit, Antiochus, qui, ſi alia pro cauſa eius non erant, quæ dicerentur, quemlibet iſta quàm ſe di-

Sulpitij legati Romani ad Minionẽ reſponſio.

cere maluit. Quid enim ſimile habet ciuitatum earum quas comparaſti cauſa? Ab Rheginis & Neapo
litanis & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem: vno & perpetuo tenore iuris ſemper
vſurpato, nunquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent, exigimus. Potéſne tandem dicere, vt ii populi
non per ſe, non per alium quenquam fœdus mutauerint: ſic Aſiæ ciuitates, vt ſemel venerunt in maio-
rum Antiochi poteſtatem, in perpetua poſſeſsione regni veſtri permanſiſſe? & non alias earum in Phi
lippi, alias in Ptolemæi fuiſſe poteſtate? alias per multos annos nullo ambigente libertatem vſurpaſ-
ſe? Nam ſi, quod aliquando ſeruierunt temporum iniquitate preſsi, ius poſt tot ſecula aſſerendi eos in
ſeruitutem faciet: quid abeſt quin actum nobis nihil ſit, quod à Philippo liberauimus Græciam? & re-
petant poſteri eius Corinthum, Chalcidem, Demetriadem, & Theſſalorum totam gentem? Sed quid
ego cauſam ciuitatum ago, quam ipſis agentibus & nos, & regem ipſum cognoſcere æquius eſt? Vo- 17.

cari deinde ciuitatum legationes iussit, præparatas iam antè & instructas ab Eumene: qui quantum- A
cunque virium Antiocho decessisset, suo id accessurum regno ducebat. Admissi plures, dum suas
quisque nunc querelas, nunc postulationes inserit, æqua iniquis miscentes, è disceptatione altercatio-
nem fecerunt. itaque neque remissa vlla re, neque impetrata, æquè ac venerant omnium incerti legati

Antiochus consilium de bello Romano capit.

Romam redierunt. Rex dimissis iis consilium de bello Romano habuit. Ibi alius alio ferocius: quia
quo quisque asperius aduersus Romanos locutus esset, eo spes gratiæ maior erat. alius superbiam po-
stulatorum increpare, tanquam Nabidi victo, sic Antiocho, maximo Asiæ regum, imponentium le-
ges. quanquam Nabidi tamen dominationem in patriam suam, & patriam Lacedæmonem remissam:
Antiocho, si Smyrna & Lampsacus imperata faciant, indignum videri. alii paruas, & vix dictu di-
gnas belli causas tanto regi eas ciuitates esse. sed initium semper per ius iniusta imperandi fieri. nisi
crederent, Persas cùm aquam terrámque ab Lacedæmoniis petierunt, gleba terræ & haustu aquæ
eguisse. per similem tentationem Romanis de duabus ciuitatibus agi. & alias ciuitates, simul duas
iugum exuisse vidissent, ad liberatorem populum defecturas. si non libertas seruitute potior sit, ta-
18. men omni præsenti statu spem cuique nouandi res suas blandiorem esse. Alexander Acarnân in con-
cilio erat, Philippo quondam amicus, nuper relicto eo secutus opulentiorem regiam Antiochi: & tan-
quam peritus Græciæ, nec ignarus Romanorum, in eum gradum amicitiæ regis, vt consiliis quoque
arcanis interesset, acceptus erat. Is tanquam non vtrum bellandum esset, nec ne, consuleretur: sed vbi,
& qua ratione bellum gereretur, victoriam se haud dubiam proponere animo affirmabat: si in Euro-

Vnde sperãda esset Antiocho auxilia, si bellum Romanis inferret.

pam transisset rex, & in aliqua Græciæ parte sedem bello cepisset. Iam primùm Aetolos, qui vmbili-
cum Græciæ incolerent in armis eum inuenturum, antesignanos, ad asperrima quæque belli paratos.
in duobus velut cornibus Græciæ Nabin à Peloponneso concitaturum omnia, repetentem Argiuo-
rum vrbem, repetentem maritimas ciuitates: quibus eum depulsum Romani Lacedæmonis muris in-
clusissent. à Macedonia Philippum, vbi primùm bellicum cani audisset, arma capturum. nosse se spi-
ritus eius, nosse animum: scire ferarum modo, quæ claustris aut vinculis teneantur, ingenteis iamdiu
iras eum in pectore voluere. meminisse etiam se, quoties in bello precari omnes deos solitus sit vt
Antiochum sibi darent adiutorem. cuius voti si compos nunc fiat, nullam moram rebellandi factu-
rum. tantùm non cunctandum, neque cessandum esse. in eo enim victoriam verti, si & loca opportu-
na, & socii præoccuparentur. Annibalem quoque sine mora mittendum in Africam esse ad distrin-

Annibal suspectus Antiocho recõciliatur.

19. gendos Romanos. Annibal non adhibitus est in consilium, propter colloquia cum Villio suspectus
regi, & in nullo postea honore habitus. Primò eam contumeliam tacitus tulit: deinde melius esse ra-
tus, & percunctari causam repentinæ alienationis, & purgare se tempore apto, quæsita simpliciter ira-
cundiæ causa, auditáque. Pater Amilcar, inquit, Antioche paruum admodum me, cùm sacrificaret, B
altaribus admotum iureiurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani. sub hoc sacramento
sex & x x x. annos militaui: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam
adduxit: hoc duce, si tu spem meam destitueris, vbicunque vires, vbi arma esse sciam, inueniam toto
orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te
crescere libet, aliam materiam crescendi ex me quærant. odi, odióque sum Romanis: id me verum di-
cere pater Amilcar, & dii testes sunt. proinde cùm de bello Romano cogitabis, inter primos amicos
Annibalem habeto. si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium cum quo deliberes quæ-
rito. Non mouit modò talis oratio regem, sed etiam reconciliauit Annibali. Ex consilio ita discessum
20. est, vt bellum gereretur. Romæ destinabant quidem sermonibus hostem Antiochum, sed nihil dum

Prouinciarũ sortitio.

ad id bellum præter animos parabant. Consulibus ambobus Italia prouincia decreta est: ita vt inter se
compararent, sortirentúrve, vter comitiis eius anni præesset: ad vtrum ea non pertineret cura, vt para-
tus esset, si quò eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Huic consuli permissum, vt duas legio-
nes scriberet nouas, & sociûm ac Latini nominis viginti millia, & equites D C C C. Alteri Cos. duæ le-
giones decretæ, quas L. Cornelius Cos. superioris anni habuisset: & sociûm ac Latini nominis ex eo-
dem exercitu pedites quindecim millia, & equites quingenti. Q. Minutio cum exercitu, quem in Li-
guribus habebat, prorogatum imperium. additum in supplementum vt quatuor millia peditum Ro-
manorum scriberentur, & C L. equites: & sociis eódem quinque millia peditum imperarentur, C C L.
equites, Cn. Domitio extra Italiam, quò senatus censuisset, prouincia euenit, L. Quintio Gallia. & comi-
tia prætorum habita. Prætores deinde prouincias sortiti: M. Fuluius Centimalus vrbanam, L. Scribo-
nius Libo peregrinam. L. Valerius Tappus Siciliam, Q. Salonius Sarra Sardiniam, M. Bebius Pamphi-
lus Hispaniam citeriorem, A. Attilius Serranus vlteriorem. Sed his duobus primùm Senatusconsul-
to, deinde plebis etiam scito permutatæ prouinciæ sunt. Attilio classis & Macedonia, Bebio Brutii de-
creti. Flaminio Fuluióque in Hispaniis prorogatum imperium. Bebio Pamphilo in Brutios duæ le-
giones decretæ, quæ priore anno vrbanæ fuissent: vt & sociis eódem millia peditum quindecim impe-
rarentur, & quingenti equites. A. Attilius triginta naues quinqueremes facere iussus, & ex naualibus
veteres deducere, si quæ vtiles essent, & scribere nauales socios. Et consulibus imperatum, vt ei duo
millia sociûm ac Latini nominis, & mille pedites darent Romanos. Hi duo Prr. & duo exercitus, ter-
restris naualísque, aduersus Nabin apertè iam oppugnantem socios populi Romani dicebantur pa-
rari. cæterùm legati ad Antiochum missi expectabantur: & priusquam ii redissent, vetuerat Cn. Do-
21. mitium Cos. senatus ab vrbe discedere. Prr. Fuluio & Scribonio, quibus vt ius dicerent Romæ pro-
uincia erat, negotium datum, vt præter eam classem, cui Attilius præfuturus erat, centum quinquere-
mes pararent. Priusquam Cos. prætorésque in prouincias proficiscerentur, supplicatio fuit prodi-
giorum

A giorum causa. Capram sex hœdos vno fœtu edidisse, ex Piceno nuntiatum est: & Arretii puerum
Prodigia.
natum vnimanum: Amiterni terra pluisse: Formiis portam murúmque de cælo tacta. & (quod maximè terrebat Cos. Cn. Domitium) bouem locutum: Roma caue tibi. Cæterorum prodigiorum causa supplicatum est. bouem cum cura seruari alíque, aruspices iusserunt. Tyberis infestiore, quàm priore impetu illatus, vrbi duos pontes, ædificia multa, maximè circa portam Flumentanam euertit. saxum ingens, siue imbribus, siue motu terræ leniore quàm vt alioqui sentiretur, labefactatum, in vicum Iugarium ex Capitolio procidit, & multos oppressit. in agris passim inundatis pecua ablata: villarum strages facta est. Priusquam L. Quintius Cos. in prouinciam perueniret, Q. Minutius in agro Pisano
Q. Minutius Liguru nouem millia occidit.
cum Liguribus signis collatis pugnauit: nouem millia hostium occidit: cæteros fusos fugatósque in castra compulit. ea vsque in noctem magno certamine oppugnata, defensáque sunt. nocte clàm profecti Ligures, prima luce Romanus vacua castra inuasit. prædæ minus inuentum est, quod subinde spolia agrorum capta domos mittebant. Minutius nihil deinde laxamenti hostibus dedit. ex agro Pisano in Ligures profectus, castella vicósque eorum igni ferróque peruastauit. ibi præda Hetrusca,
quæ missa à populatoribus fuerat, repletus est miles Romanus. Sub idem tempus legati ab regibus 22.
Romam reuerterunt. qui cùm nihil, quod satis maturam causam belli haberet, nisi aduersus Lacedæmonium tyrannum attulissent: quem & Achæi legati nuntiabant contra fœdus maritimam oram Laconum oppugnare: Attilius Pr. cum classe missus est in Græciam ad socios tuendos. Coss. quando nihil ab Antiocho instaret, proficisci ambo in prouincias placuit. Domitius ab Arimino, quà proximum fuit: Quintius per Ligures in Boios venit. Duo consulum agmina diuersa latè agrum hostium peruastarunt. Primò equites eorum pauci cum præfectis, deinde vniuersus senatus, postremò in quibus aut fortuna aliqua, aut dignitas erat, ad mille quingenti ad coss. transfugerunt. Et in vtraque Hispania eo anno res prosperè gestæ. nam & C. Flaminius oppidum Litabrum munitum opulentúmque vineis expugnauit, & nobilem regulum Corribilonem viuum cepit: & M. Fuluius procos. cum duobus exercitibus hostium duo secunda prælia fecit: oppida duo Hispanorum, Vesceliam Holonémque, & castella multa expugnauit. alia voluntate ad eum defecerunt. tum in Oretanos progressus, & ibi duobus potitus oppidis, Noliba & Cusibi, ad Tagum amnem ire pergit. Toletum ibi parua vrbs erat, sed loco munita. eam cùm oppugnaret, Vectonum magnus exercitus Toletanis subsidio venit. cum his signis collatis prosperè pugnauit: & fusis Vectonibus, operibus Toletum cepit.

Attilius Pr. cũ classe mittitur in Græciam.

In utraque Hispania res prosperè gestæ.

M. Fuluius Toletum cepit.

Cæterùm eo tempore minus ea bella quæ gerebantur, curæ patribus erant, quàm expectatio nondum 23.
cœpti cum Antiocho belli. nam & si per legatos identidem omnia explorabantur, tamen rumores temerè sine vllis authoribus orti multa falsa veris miscebant. inter quæ allatum erat, cùm in Aetoliam
B venisset Antiochus, extemplò classem eum in Siciliam missurũ. Itaque senatus & si Pr. Attilium cum classe miserat in Græciam: tamen quia non copiis modò, sed etiam authoritate opus erat ad tuendos sociorum animos, T. Quintium & Cn. Octauium & Cn. Seruilium & P. Villium legatos in Græciam misit: & vt M. Bebius ex Brutiis ad Tarentum & Brundusium promoueret legiones, decreuit: vt inde, si res posceret, in Macedoniam traiiceret: & vt M. Fuluius Pr. classem nauium triginta mitteret ad tuendam Siciliæ oram: & vt cum imperio esset, qui classem eam duceret: (duxit L. Oppius Salinator, qui priore anno ædilis plebis fuerat) & vt idem Pr. L. Valerio collegæ scriberet, periculum esse ne classis regis Antiochi ex Aetolia in Siciliam traiiceret. itaque placere senatui, ad eum exercitum quem haberet, tumultuariorum militum ad duodecim millia pedites, & quadringentos equites scribere eum: quibus oram maritimam prouinciæ, quà vergeret in Græciam, tueri posset. Eum delectum Pr. non ex Sicilia ipsa tantùm, sed etiam ex circumiacentibus insulis habuit: oppidáque omnia maritima, quæ in Græciam versa erant, præsidiis firmauit. Addidit alimenta rumoribus aduentus Attali Eumenis fratris, qui nuntiauit, Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse: Aetolos ita se parare, vt sub aduentum eius in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ: & ædes liberæ Attalo, ac lautia decreta, & munera data, equi duo, bina equestria arma, & vasa argentea † centum pondo, & aurea † viginti pondo. Cùm alii atque alii nuntii bellum instare afferrent, ad rem per 24
tinere visum est, coss. primo quoque tempore creari. itaque Senatusconsultum factum est, vt M. Fuluius Pr. literas extemplò ad Cos. mitteret, quibus certior fieret senatui placere: prouincia exercitúque tradito legatis, Romam reuerti eum: & ex itinere præmittere edictum, quo comitia coss. creandis ediceret. Paruit his literis cos. & præmisso edicto, Romam venit. Eo quoque anno magna ambitio fuit: quòd patritii tres in vnum locum petierunt: P. Cornelius Cn. F. Scipio, qui priore anno repulsam tulerat: & L. Cornelius Scipio, & Cn. Manlius Volso. P. Scipioni, vt dilatum viro tali, non negatum honorem appareret, consulatus datus est. additus ei de plebe collega, M. Acilius Glabrio. Postero die Prr. creati L. Aemylius Paulus, M. Aemylius Lepidus, M. Iunius Brutus, A. Cornelius Mammula, C. Liuius, & L. Oppius. vtique eorum Salinator cognomen erat. Oppius is erat, qui classem triginta nauium in Siciliam duxerat. Interim dum noui magistratus sortirentur prouincias, M. Bebius à Brundusio cum omnibus copiis transire in Epirum est iussus, & circa Apolloniam copias continere: & M. Fuluio prætori vrbano negotium datum est, vt quinqueremes nouas quinqua
ginta faceret. Et populus quidem Romanus ita se ad omnes conatus Antiochi præparabat. Nabis 25.
iam non differebat bellum, sed summa vi Gyttheum oppugnabat: & infestus Achæis, quòd miserant obsessis præsidium, agros eorum vastabat. Achæi non antea ausi capessere bellum, quàm ab Roma reuertissent legati: vt quid senatui placeret, scirent: post reditum legatorum, & Sicyonem concilium edixerunt, & legatos ad T. Quintium miserunt, qui consilium ab eo peterent. In concilio omnium

Attalus Romam uenit, & Antiochũ cũ exercitu Hellespontum trãsisse nũtiat.

† Valent 1000. coro.

† Coron. 2240.

Aduersus Antiochum Romani bellum undiq; apparant.

Nabis Achæorum agros populatur.

ad bellum extemplò capessendum inclinatæ sententiæ erant: literæ T. Quintii cunctationem iniecerunt, quibus author erat, prætorem classémque Romanam expectandi. Cùm principum alii in sententia permanerent: alii vtendum eius, quem ipsi consuluissent, consilio censerent: multitudo Philopœmenis sententiam expectabat. Pr. is tum erat, & omnes eo tempore & prudentia & authoritate anteibat. Is præfatus, bene comparatum apud Aetolos esse, ne Pr. cùm de bello consuluisset, ipse sententiam diceret: statuere quàmprimum ipsos quid vellent, iussit. prætorem decreta eorum cum fide & cura executurum: annixurúmque, vt quantum in consilio humano positum esset, nec pacis eos pœniteret, nec belli. Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quàm si apertè suadendo cupiditatem res gerendi ostendisset. itaque ingenti consensu bellum decretum est: tempus & ratio administrandi eius libera prætori permissa sunt. Philopœmenes præterquàm quòd ita Quintio placeret, & ipse existimabat classem Romanam expectandam, quæ à mari Gytheum tueri posset. sed metuens, ne dilationem res non pateretur, & non Gytheum solùm, sed præsidium quoque missum ad

Philopœmenes prætor Achæorum aduersus Nabin classem deducit.

26 tuendam vrbem amitteretur: naues Achæorum deduxit. Comparauerat & tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari summitterentur, præsidia, tres tectas naues, & lembos pristesque, tradita vetere classe ex fœdere Romanis. harum nouarum nauium agilitatem vt experiretur: simul vt omnia satis apta ad certamen essent, profectos in altum quotidie remigem militémque simulachris naualis pugnæ exercebat: in eo ratus verti spem obsidionis, si præsidia maritima interclusisset. Prætor Achæorum sicut terrestrium certaminum arte quemuis clarorum imperatorum vel vsu vel ingenio æquabat, ita rudis in re nauali erat: Arcas, mediterraneus homo, externorum etiam omnium, nisi quòd in Creta præfectus auxiliorum militauerat, ignarus. Nauis erat quadriremis vetus, capta annis octoginta antè: cum Crateri vxorem Nicæam à Naupacto Corinthum veheret. huius fama motus (fuerat enim nobile in classe regia quondam nauigium) deduci ab Aegio putrem iam admodum, & vetustate dilabentem iussit. Hac tum prætoria naue præcedente classem, cùm in ea Patrensis Tiso præfectus clasis veheretur, occurrerunt à Gytheo Laconum naues: & primo statim incursu ad nouam & firmam nauem vetus, quæ per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet, diuulsa est: captique omnes, qui in naui erant. cætera classis prætoria naue amissa, quantum

Philopœmenes fuga.

quæque remis valuit, fugerunt. ipse Philopœmenes in leui speculatoria naue fuit: nec antè fugæ finem, quàm Patras ventum sit, fecit. Nihil ea res animum militaris viri, & multos experti casus imminuit: quin contrà, si in re nauali, cuius esset ignarus, offendisset: eo plus in ea, quorum vsu calleret, spei

27 nactus, breue id tyranno gaudium se effecturum affirmabat. Nabis cùm prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil iam à mari periculi fore, & terrestes aditus claudere opportune positis præsidiis voluit. tertia parte copiarum ab obsidione Gythei abducta, ad Pleias posuit castra. Imminet is locus & Leucis & Acris: quà videbantur hostes exercitum admoturi. Cùm ibi statiua essent, B
& pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundinibus textas fronde, quæ vmbram modò præberet, texissent: priusquam in conspectum hostium veniret Philopœmenes, nec opinantem eum improuiso genere belli aggredi statuit. Nauigia parua in stationem occultam agri Argini contraxit: in ea expeditos milites, cetratos plerósque cum fundis & iaculis & alio leui genere armaturæ imposuit. inde litora legens cùm ad propinquum castris hostium promontorium venisset, egressus callibus notis nocte Pleias peruenit: & sopitis vigilibus vt in nullo propinquo metu, ignem casis ab

Philopœmenes Lacedæmonios nocturnis insidijs oppressit.

omni parte castrorum iniecit. Multi prius incendio absumpti sunt, quàm hostium aduentum sentirent: & qui senserant, nullam opem ferre potuerunt. ferro flammáque omnia absumpta. perpauci tamen ex tam ancipiti peste ad Gyttheum in maiora castra perfugerunt. Ita perculsis hostibus Philopœmenes protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est, duxit: & magna vi pecorum hominúmque inde abrepta, priusquam à Gyttheo tyrannus præsidium agris mitteret, discessit. Idem Tegeam exercitu contracto, concilióque eòdem & Achæis & sociis indicto, in quo & Epirotarum & Acarnânum fuere principes: statuit, quoniam satis & suorum à pudore maritimæ ignominiæ restituti animi, & hostium conterriti essent, ad Lacedæmonem ducere: eo modo vno ratus ab obsidione Gytthei hostem abduci posse. Ad Carias primùm in ho-

Gytheum expugnat Nabis.

stium terra posuit castra. Eo ipso die Gyttheum expugnatum est. cuius rei ignarus Philopœmenes, castra ad Barbosthenem (mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) promouit. Et Nabis recepto Gyttheo, cum expedito exercitu inde profectus, cùm præter Lacedæmonem raptim duxisset: Pyrrhi (quæ vocant) castra occupauit: quem peti locum ab Achæis, non dubitabat. inde hostibus occurrit. Obtinebant autem longo agmine propter angustias viæ propè quinque millia passuum: cogebatur agmen ab equitibus, & maximè à parte auxiliorum: quòd existimabat Philopœmenes, tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, à tergo suos aggressurum. Duæ res simul inopinatæ perculerunt eum: vna, præoccupatus quem petebat locus: altera, quòd primo agmini occurrisse hostem cernebat. vbi cum per loca confragosa iter esset, sine leuis armaturæ præsidio signa

28 ferri non videbat posse. Erat autem Philopœmenes præcipuæ in ducendo agmine locisque capiendis solertiæ atque vsus: nec belli tantùm temporibus, sed etiam in pace ad id maximè animum exercuerat. Vbi iter quópiam faceret, & ad difficilem transitu saltum venisset, contemplatus ab omni

Philopœmenis studia.

parte loci naturam, cùm solus iret, secum ipse agitabat animo: cùm comites haberet, ab iis quærebat: si hostis eo loco apparuisset, quid si à fronte, quid si ab latere hoc, aut illo, quid si à tergo adoriretur, capiendum consilii foret? posse instructos rectâ acie, posse inconditum agmen, & tantummodo aptum viæ, occurrere. quem locum ipse capturus esset, cogitando aut quærendo exequebatur: aut

quot

A quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) visurus: quò impedimenta, quò sarcinas, quò turbam inermem reiiceret: quanto ea, aut quali præsidio custodiret: & vtrum pergere qua cœpisset ire via, an eam qua venisset repetere melius esset: castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, quà opportuna aquatio, quà pabuli lignorúmque copia esset: quà postero die castra moventi tutum maximè iter, quæ forma agminis foret. His curis cogitationibúsque ita ab ineunte ætate animum agitauerat, vt nulla ei noua in tali re cogitatio esset. Et tum omnium primum agmen constituit: dein Cretenses auxiliares, & quos Tarentinos vocabant, equites binos secum trahentes equos ad prima signa misit: & iussis equitibus subsequi, super torrentem, vnde aquari possent, rupem occupauit. eò impedimenta omnia, & calonum turbam collectam armatis circumdedit: & pro natura loci castra communiuit. tabernacula statuere in asperis, & inæquabili solo difficile erat. Hostes quingentos passus aberant. ex eodem riuo vtrinque cum præsidio leuis armaturæ aquati sunt: & priusquam, qualia in propinquis castris solent, contraheretur certamen, nox interuenit. postero die apparebat, pugnandum pro aquatoribus circa riuum esse. nocte in valle à conspectu hostium auersa, quantam multitudinem locus occulere poterat, condidit cetratorum. Luce orta Cretensium leuis armatura & Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt. Letemnastus Cretensis popularibus suis, equitibus Lycortas Megalopolitanus præerat. Cretenses & hostium auxiliares, equitúmque idem genus Tarentini præsidio aquatoribus erant. aliquandiu dubium prælium fuit: vt eodem ex parte vtraque hominum genere, & armis paribus procedente certamine, & numero vicere tyranni auxiliares: & quia ita præceptum à Philopœmene præfectis erat, vt modico edito prælio in fugam inclinarent, hostémque ad insidiarum locum pertraherent. effusè secuti fugientes per conuallem, plerique & vulnerati, & interfecti sunt, priusquam occultum hostem viderent. Cetrati ita, quantum latitudo vallis patiebatur, instructi sederant: vt facile per interualla ordinum fugientes suos acciperent. consurgunt deinde ipsi integri, recentes, instructi: & in hostes inordinatos, effusos, labore etiam & vulneribus fessos impetum faciunt. nec dubia victoria fuit: extemplò terga dedit tyranni miles: & haud paulo concitatiore cursu, quàm secutus erat, fugiens in castra est compulsus. multi cæsi captíque in ea fuga sunt. & in castris quoque foret trepidatum, ni Philopœmenes receptui cani iussisset: loca magis confragosa, & quacunque temerè processisset, iniqua quàm hostem metuens. Inde & ex fortuna pugnæ & ex ingenio ducis coniectans, in quo tum is pauore esset, vnum de auxiliaribus specie transfugæ mittit ad eum, qui pro comperto afferret: Achæos statuisse postero die ad Eurotam amnem, qui propè ipsis affluit mœnibus, procedere, vt intercluderent iter: ne aut tyrannus cùm vellet, receptum ad vrbem haberet: aut commeatus ab vrbe in castra

Philopœmenis & Nabidis prælium. 29.

B portarentur: simul etiam tentaturos, si quorum animi solicitari ad defectionem à tyranno possent. Non tam fidem dictis perfuga fecit, quàm perculso metu relinquendi castra causam probabilem præbuit. Postero die Pythagoram cum auxiliaribus & equitatu stationem agere pro vallo iussit. ipse tanquam in aciem, cum robore exercitus egressus, signa ocyus ferri ad vrbem iussit. Philopœmenes posteaquam citatum agmen per angustam & procliuem viam duci raptim vidit, equitatum 30.
omnem & Cretensium auxiliares in stationem hostium, quæ pro castris erat, emittit. Illi vbi hostes adesse, & à suis se desertos viderunt, primò in castra recipere se conati sunt: deinde posteaquam instructa acies tota Achæorum admouebatur, metu ne cum ipsis castris caperentur, sequi suorum agmen aliquantum prægressum insistunt. Extemplò cetrati Achæorum in castra impetum faciunt, & diripiunt: cæteri ad persequendos hostes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hostili metu agmen expediri posset. Vt verò ad postremos prælium ortum est, clamórque terribilis à tergo pauentium ad prima signa est perlatus: pro se quisque armis abiectis in circumiectas itineri syluas diffugiunt: momentóque temporis strage armorum septa via est: maximè hastis, quæ pleræque aduersæ cadentes, velut vallo obiecto iter impediebant. Philopœmenes vtcumque possent, instare & persequi auxiliaribus iussis (vtique enim equitibus haud facilem futuram fugam) ipse grauius agmen via patentiore ad Eurotam amnem deduxit. ibi castris sub occasum solis positis, leuem armaturam, quam ad persequendum reliquerat hostem, opperiebatur. qui vbi prima vigilia venerunt, nuntiantes, tyrannum cum paucis ad vrbem penetrasse, cæteram multitudinem inermem toto sparsam vagari saltu: corpora curare eos iubet. ipse ex cætera copia militum, qui, quia priores in castra venerant, refecti & cibo sumpto & modica quiete erant, delectos, nihil præter gladios secum ferentes extemplò educit: & duarum portarum itineribus, quæ Pheras, quæque Barbosthenem ferunt, eos instruxit: quà ex fuga recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit. nam Lacedæmonii quoad lucis superfuit quicquam, deuiis callibus medio saltu se recipiebant. primo vespere vt lumina in castris hostium conspexere, è regione eorum occultis semitis se tenuerunt. vbi prætergressi ea sunt, iam tutum rati, in patenteis vias descenderunt. ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi cæsi captíque sunt, vt vix quarta pars de toto exercitu euaserit. Philopœmenes incluso tyranno in vrbem, insequentes dies propè triginta vastandis agris Laconum absumpsit: debilitatísque ac propè fractis tyranni viribus, domum rediit: æquantibus eum gloria rerum Achæis imperatori Romano: & quod ad Laconicum bellum attineret, præferentibus etiam. Dum inter Achæos & tyrannum bellum erat, legati Romanorum circumire sociorum vrbes soliciti, ne Aetoli partis alicuius animos ad Antiochum auertissent, minimum operæ in Achæis adeundis consumpserunt: quos, quia Nabidi infesti erant, ad cætera quoque satis fidos cen-

Nabidis castra diripiũtur.

Nabis Lacedæmonem se recepit fu so suo exercitu.

Philopœmenes Laconũ agrũ depopulatur. 31.

Romanorũ legati sociorũ urbes in Græcia circumeunt.

ſebant eſſe. Athenas primùm, inde Chalcidem, inde in Theſſaliam iére: allocutíque concilio fre- A
quenti Theſſalos, Demetriadem iter flexere.eò Magnetum concilium indictum eſt. Accuratior ibi
habenda oratio fuit:quòd pars principum alienati à Romanis,totíque Antiochi & Aetolorum erant:
quia cùm reddi filium obſidem Philippo allatum eſſet: ſtipendiúmque impoſitum remitti, inter cæ-
tera vana allatum erat, Demetriadem quoque ei reddituros Romanos eſſe. id ne fieret, Eurylochus
princeps Magnetum, factioníſque eius quidam, omnia nouari Aetolorum Antiochíque aduentu
malebant. Aduerſus eos ita diſſerendum erat: ne timorem vanum iis demendo, ſpes inciſa Philip-
pum abalienaret: in quo plus ad omnia momenti, quàm in Magnetibus eſſet. Illa tantùm comme-
morata, cùm totam Græciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis eſſe, tum eam ciuitatem præ-
cipuè.ibi enim non præſidium modò Macedonum fuiſſe, ſed regiam exædificatam: vt præſens ſem-
per in oculis habendus eſſet dominus. cæterùm nequicquam ea facta, ſi Aetoli Antiochum in Phi-

Magnetarches.

lippi regiam adducerent: & nouus & incognitus pro vetere & experto habendus rex eſſet. Magne-
tarchen ſummum magiſtratum vocant.is tum Eurylochus erat: ac poteſtate ea fretus, negauit diſsi-
mulandum ſibi & Magnetibus eſſe, quæ fama vulgata de reddenda Demetriade Philippo foret. id ne
fieret, omnia & conanda & audenda Magnetibus eſſe. & inter dicendi contentionem inconſultius
euectus proiecit: tum quoque ſpecie liberam Demetriadem eſſe, re vera omnia ad nutum Romano-
rum fieri. Sub hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit, partim aſſentientium, partim in-
dignantium, dicere id auſum eum. Quintius quidem adeò exarſit ira, vt manus ad cælum tendens,
deos teſtes ingrati ac perfidi animi Magnetum inuocaret. Hac voce perterritis omnibus, Zeno ex
principibus vnus, magnæ cùm ob eleganter actam vitam authoritatis, tum quod ſemper Romano-
rum haud dubiè partis fuerat: ab Quintio legatíſque aliis flens petiit, ne vnius amentiam ciuitati
aſsignarent. ſuo quemque periculo furere. Magnetas non libertatem modò, ſed omnia quæ homi-
nibus ſancta caráque ſint, T.Quintio & populo Romano debere. nihil quenquam à diis immorta-
libus precari poſſe, quod non Magnetes ab illis haberent: & in corpora ſua citius per furorem
32. ſæuituros, quàm vt Romanam amicitiam violarent. Huius orationem ſubſecutæ multitudinis pre-
ces ſunt. Eurylochus ex concilio itineribus occultis ad portam, atque inde protinus in Aetoliam

Aetoli palàm à Romanis deficiunt.

profugit. Iam enim, & id magis in dies, Aetoli defectionem nudabant: eóque ipſo forte tempore
Thoas princeps gentis, quem miſerant ad Antiochum, redierat: indéque Menippum ſecum addu-
xerat, regis legatum. qui, priuſquam concilium iis daretur, impleuerant omnium aures, terreſtres
naualéſque copias commemorando: ingentem vim peditum equitúmque venire: ex India elephan-
tos accitos: ante omnia, quo maximè moueri credebant multitudinis animos, tantum aduehi auri,
vt ipſos emere Romanos poſsit. Apparebat, quid ea oratio in concilio motura eſſet: nam & veniſſe B
eos, & quæ agerent, omnia Romanis legatis deferebantur. & quanquam propè abſciſſa res erat, ta-
men non ab re eſſe Quintio viſum eſt, ſociorum aliquos legatos intereſſe ei concilio, qui admone-
rent Romanæ ſocietatis Aetolos, qui vocem liberam mittere aduerſus regis legatum auderent.
Athenienſes maximè in eam rem idonei viſi ſunt, propter & ciuitatis dignitatem, & vetuſtam ſo-

Panætolicũ concilium.

Menippus Antiochi legatus.

cietatem cum Aetolis. ab iis Quintius petiit, vt legatos ad Panætolicum concilium mitterent. Thoas
primus in eo concilio renuntiauit legationem. Menippus poſt eum intromiſſus: Optimum fuiſſe
omnibus qui Græciam Aſiámque incolerent, ait, integris rebus Philippi potuiſſe interuenire An-
tiochum. ſua quenque habiturum fuiſſe, neque omnia ſub nutum ditionémque Romanam peruen-
tura. nunc quoque, inquit, ſi modò vos quæ inchoaſtis, conſilia conſtanter perducitis ad exitum: po-
terit diis iuuantibus, & Aetolis ſociis, Antiochus quamuis inclinatas Græciæ res reſtituere in priſtinã
dignitatem. ea autem in libertate poſita eſt, quæ ſuis ſtat viribus, non ex alieno arbitrio pendet. Athe-
nienſes, quibus primis poſt regiam legationem dicẽdi quæ vellent, poteſtas facta eſt, mentione omni
regis prætermiſſa, Romanæ ſocietatis Aetolos, meritorúmque in vniuerſam Græciam T.Quintii ad-
monuerunt, ne temerè eam celeritate nimia conſiliorũ euerterent. Conſilia callida & audacia prima
ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia eſſe. legatos Romanos, & in iis T.Quintium haud procul inde
abeſſe. dum integra omnia eſſent, verbis potius de iis quæ ambigerentur diſceptarent, quàm Aſiam
33. Europámq; ad funeſtum armarent bellum. Multitudo auida nouandi res, Antiochi tota erat: & ne ad-
mittendos quidem in concilium Romanos cenſebant. principum maximè ſeniores authoritate obti-
nuere, vt daretur iis cõcilium. Hoc decretũ Athenienſes cùm retuliſſent, eundum in Aetoliã Quintio
viſum eſt. aut enim moturũ aliquid, aut omneis homines teſtes fore, penes Aetolos belli culpam eſſe:

Quintius Aetolis ſuadet, ut Romanam amicitiam tueantur.

Romanos iuſta ac propè neceſſaria ſumpturos arma. Poſteaquam ventum eſt eò, Quintius in cõcilio
orſus à principio ſocietatis Aetolorũ cum Romanis, & quoties ab iis fides mota fœderis eſſet, pauca
de iure ciuitatũ, de quibus ambigeretur, diſſeruit. Si quid tamen æqui ſe habere arbitrarentur, quanto
eſſe ſatius Romã mittere legatos, ſeu diſceptare, ſeu rogare ſenatũ mallent: quàm populum Romanũ
cum Antiocho laniſtis Aetolis, non ſine motu magno generis humani & pernicie Græciæ, dimicare?
nec vllos prius cladẽ eius belli ſenſuros, quàm qui mouiſſent. Hæc nequicquã velut vaticinatus Ro-
manus. Thoas deinde cæteríq; factionis eiuſdem cum aſſenſu omniũ auditi peruicerunt, vt ne dilato
quidem cõcilio, & abſentibus Romanis decretum fieret, quo accerſeretur Antiochus ad liberandam
Græciã, diſceptandúmq; inter Aetolos & Romanos. Huic tam ſuperbo decreto addidit propriã cõtu-
meliam Damocritus Pr. eorũ. nam cùm idipſum decretũ poſceret eum Quintius, nõ veritus maieſtatẽ
viri, aliud in præſentia, quod magis inſtaret, præuertendum ſibi eſſe dixit: decretũ reſpõſúmq; breui in
Italia,

Aetolorum prætoris superbum responsum.

Aetolorum apocleti.

A Italia, castris super ripam Tyberis positis, datutum. tãtus furor illo tempore gentem Aetolorum, tantúsq; magistratus eorum cepit. Quintius legatíq; Corinthum redierunt. Inde, vt quæq; de Antiocho nihil per se ipsi moti, & sedentes expectare aduentum viderentur regis: concilium quidem vniuersæ gentis post dimissos Romanos non habuerunt, per apocletos autem (ita vocant sanctius concilium, ex delectis constat uiris) id agitabant, quónam modo res in Græcia nouarentur. Inter omnes constabat, in ciuitatibus principes, & optimum quenq; Romanæ societatis esse, & præsenti statu gaudere: multitudinem, & quorum res nõ ex sententia ipsorum essent, omnia nouare velle. Aetoli consilium vno die spei quoque non aodacis modò, sed etiam impudentis cœperunt, Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes: Thoax Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonẽ, Diocles Demetriadem. Hunc exul Eurylochus, de cuins fuga causáq; fugæ antè dictum est, quia reditus in patriam nulla spes alia erat, adiuuit. Literis Eurylochi admoniti propinqui amicíq;, & qui eiusdem factionis erant, liberos & coniugem eius cum sordida veste tenentes velamenta supplicũ concionem frequentem adire iubent, singulos vniuersósq; obtestantes, ne insontem, indemnatũ consenescere in exilio sinerent. Et simplices homines misericordia, & improbos seditiosósq; immiscendi res tumultu Aetolico spes mouit: pro se quisq; reuocare iubebant. His præparatis Diocles cum omni equitatu (& erat tunc præfectus equitum) specie reducentis exulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, cùm millia sex ab vrbe abesset: luce prima tribus electis turmis, cætera multitudine equitum subseqoi iussa, præcessit. posteaquam portæ appropinquabat, desilire omnes ex equis iussit, & loris ducere equos, itineris maximè modo solutis ordinibus: vt comitatus magis præfecti videretur, quàm præsidium. Ibi vna ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media vrbe ac per fotum manu Eurylochum tenens, multis occurrentibus gratulantibúsque, domum deduxit. mox equitum plena vrbs erat, & loca opportuna occupabantur. tum in domos missi, qui principes aduersæ factionis interficerent. Ita Demetrias Aetolorum facta est. Lacedæmone non vrbi vis afferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat: quem spoliatum maritimis oppidis à Romanis, tunc intra mœnia etiam Lacedæmonis ab Achæis compulsum, qui occupasset occidere, eum totius gratiam rei apud Lacedæmonios laturum. Causam mittendi ad eum habuerunt, quòd fatigabat precibus, vt auxilia sibi, cum illis authoribus rebellasset, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt, & triginta delecti ex iuuentute equites. Iis à Prætore Damocrito in consilio arcano gentis de quo antè dictum est, denuntiatum, ne se ad bellum Achaicom, aut rem vllam, quam sua quisque opinione præcipere posset, crederent missos esse. quicquid Alexamenum res mouisset subiti consilii capere: ad id quamuis inopinatum, temerarium, audax, obedienter exequendum parati essent, ac pro eo acciperent, tanquam ad id vnom agendum missos à domo se scirent.

Demetriadẽ occupãt Aetoli

Alexameno datur ab Aetolis prouincia interficiendi Nabidis.

B Cùm his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adueniens extemplò spei impleuit: Antiochum iam in Europam transisse, mox in Græcia fore, terras, maria armis viris completurum. non cum Philippo rem esse credituros Romanos. numetum iniri peditum equitúmque, ac nauium non posse: elephantotum aciem conspectu ipso debellaturam. Aetolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedæmonem, cùm res poscat: sed frequentes armatos ostendere aduenienti regi voluisse. Nabidi quoque & ipsi faciendum esse, vt quas haberet copias, non sineret sub tectis marcescere otio. sed educeret, & in armis decurrere cogeret, simul animos acueret, & corpora exerceret. consuetudine leuiorem laborem fore, & comitate ac benignitate ducis etiam non iniucundum fieri posse. Edoci inde frequenter ante vrbem in campum ad Eurotam amnem cœpere. Satellites tyranni media ferè in acie consistebant. tyrannus cum tribus summùm equitibus, inter quos plerunque Alexamenus erat, ante signa vectabatur, cornua extrema inuisens. in dextro cornu Aetoli erant, & qui antè auxiliares tyranni fuerant: & qui venerant mille cum Alexameno. Fecerat sibi morem Alexamenus, nunc cum tyranno inter paucos ordines circumeundi, monendíque eum quæ in rem esse videbantur: nunc in dextrum cornu ad suos adequitandi: mox inde, velut imperato quod res poposcisset, recipiendi se ad tyrannum. Sed quem diem patrando facioori statuerat, eò paulisper cum tyranno vectatus, cùm ad suos concessisset, tum equitibus à domo secum missis: Agenda, inquit, res est iuuenes, audendáque, quam me duce impigrè exequi iussi estis. parate animos dextrásque, ne quis in eo quod me viderit facientem, cesset. qui cunctatus fuerit, & suum consilium meo interponet, sciat sibi reditum ad penates non esse. Horror cunctos cepit: & meminerant, cum quibus mandatis exissent. Tyrannus ab læuo cornu veniebat. Ponere hastas equites Alexamenus iubet, & se intueri. colligit & ipse animum confusum tantæ cogitatione rei. posteaquam appropinquabat, impetum facit: & transfixo equo, tyrannum deturbat. iacentem equites cõfodiunt: multis frustra in loricam ictibus datis, tandem io nodum corpus vulnera peruenerunt: & priusquam à media acie succurreretur, expirauit. Alexamenus cum omnibus Aetolis citato gradu ad regiam occupãdam pergit. Corporis custodes, cùm res in oculis gereretur, pauor primò cepit: deinde posteaquam abire Aetolorum agmen vidêre, concurrunt ad relictum tyranni corpus: & spectatotum turba ex custodibus vitæ mortisque vltoribus est facta. nec mouisset se quisqoam, si extemplò positis armis vocata in concionem multitudo fuisset, & oratio habita tempori conueoiens. Frequentes inde retenti in armis Aetoli, sine iniuria cuiusqoam. sed, vt oportuit in concilio fraude cœpto, omnia in maturandam perniciem eorum qui fecerant, sunt acta. Dux regia inclusus, diem ac noctẽ in scrutandis thesauris tyranni consumpsit: Aetoli velut capta vrbe, quam liberasse videri volebant, in prædam versi. Simul indignitas rei, simul contemptus, animos

Nabis interficitur.

Aetoli Lacedæmonem diripientes interficiuntur.

Lacedæmoniis ad coëundum fecit. alii dicere, exturbandos Aetolos, & libertatem, cùm restitui videretur, interceptam repetendam. alii, vt caput agendæ rei esset, regii generis aliquem in speciem assumendum. Laconicus eius stirpis erat puer admodum, educatus cum liberis tyranni. eum in equum imponunt, & armis arreptis Aetolos vagos per vrbem cædunt: tum regiam inuadunt: ibi Alexamenum cum paucis resistentem obtruncant. Aetoli circa Chalciœcon (Mineruæ est templum æreum) cõgregati cæduntur. pauci armis abiectis, pars Tegeam, pars Megalopolin perfugiũt. ibi cõprehensi à magistratibus, sub corona venierũt. Philopœmenes audita cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, cùm omnia turbata metu inuenisset: euocatis principibus, & oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achæorum Lacedæmonios adiunxit: eo etiam facilius, quòd ad idem

Philopœmenes Lacedæmonios societati Achæorum adiunxit.

37. fortè tempus A. Attilius cum quatuor & viginti quinqueremibus ad Gyttheum accessit. Iisdem diebus circa Chalcidem Thoas per Euthymidam principem pulsum opibus eorum qui Romanæ societatis erant, post T. Quintii legatorúmque aduentum, & Herodorum Cianum mercatorem, sed potentem Chalcide propter diuitias, præparatis ad proditionem iis qui Euthymidæ factionis erant: nequaquam eandem fortunam, qua Demetrias per Eurylochum occupata erat, habuit. Euthymidas ab Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas primùm, hinc Salganea processit. Herodorus ad Thronium, inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum: & Thoas ducentos equites, onerarias leues ad triginta habebat, eas cum sexcentis peditibus Herodorus traiicere in insulam Atalantam iussus: vt inde, cùm pedestres copias appropinquare iam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem traiiceret. ipsi cæteras copias nocturnis maximè itineribus quanta poterant celeritate, Chalcidem ducebant.

Chalcidem nequicquam occupare Aetoli tentant.

38. Mictio & Xenoclides, penes quos tum summa rerum pulso Euthymida, Chalcide erat: seu ipsi per se suspicati, seu indicata re, primò pauidi nihil vsquam spei, nisi in fuga ponebant. deinde posteaquam resedit terror, & prodi & deseri non patriam modò, sed etiam Romanorum societatem cernebant, consilio tali animum adiecerunt. Sacrum anniuersarium eo fortè tempore Eretriæ Amarynthidis Dianæ erat: quod non popularium modò, sed Carystiorum etiam cœtu celebratur. Eò miserunt qui orarent Eretrienses Carystiósque, vt & suarum fortunarum in eadem insula geniti misererentur: & Romanam societatem respicerent: ne sinerent Aetolorum Chalcidem fieri. Eubœam habituros, si Chalcidem habuissent. graues fuisse Macedonas dominos, multo minus tolerabiles futuros Aetolos. Romanorum maximè respectus ciuitates mouit, & virtutem nuper in bello, & in victoria iustitiam benignitatémque expertas. itaque quod roboris in iuuentute erat, vtraque ciuitas armauit, misitque. His tuenda mœnia Chalcidis oppidani cùm tradidissent, ipsi omnibus copiis transgressi Euripum, ad Salganea posuerunt castra. inde caduceator primum, deinde legati ad Aetolos missi percunctatum: quo suo dicto factóve, socii atque amici ad se oppugnandos venirent. B
Respondit Thoas dux Aetolorum. non ad oppugnandos, sed ad liberandos ab Romanis venire sese. splendidiore nunc eos catena, sed multo grauiore vinctos esse, quàm cùm præsidium Macedonum in arce habuissent. Se verò negare Chalcidenses aut seruire vlli, aut præsidio cuiusquam egere. Ita digressi ex colloquio legati ad suos. Thoas & Aetoli, vt qui spem omnem in eo, vt improuiso opprimerent, habuissent: ad iustum bellum oppugnationémque vrbis mari ac terra munitæ haudquaquam pares domum redière. Euthymidas posteaquam castra popularium ad Salganea esse, profectósque Aetolos audiuit, & ipse à Thebis Athenas rediit. Et Herodorus cum per aliquot dies intentus ab Atalanta signum nequicquam expectasset, missa speculatoria naue, vt quid moræ esset, sciret: posteaquam

39. rem omissam à sociis vidit, Thronium, vnde venerat, repetit. Quintius quoque his auditis à Corintho veniens nauibus, in Chalcidis euripo Eumeni regi occurrit. placuit, quingentos milites præsidii causa relinqui Chalcide, ab Eumene rege: ipsum Athenas ire. Quintius quò profectus erat, Demetriadem contendit, ratus Chalcidem liberatam momenti aliquid apud Magnetas ad repetendam societatem Romanam facturam. & vt præsidii aliquid esset suæ partis hominibus, Eunomo Prætori Thessalorum scripsit, vt armaret iuuentutem. & Villium ad Demetriadem præmisit ad tentandos animos, non aliter, nisi pars aliqua inclinaret ad respectum pristinæ societatis, rem aggressurus. Villius quinqueremi naue ostium portus est inuectus. Eo multitudo Magnetum omnis cùm se effudisset, quæsiuit Villius, vtrum ad amicos, an ad hostes sese venisse mallent? Respondit Magnetarches Eurylochus: ad amicos venisse eum. sed abstineret portu, & sineret Magnetas in concordia & libertate esse: nec per colloquii speciem multitudinem solicitaret. Altercatio inde, non sermo fuit: cùm Romanus vt ingratos increparet Magnetas, imminentésque prædiceret clades: multitudo obstreperet, nunc senatum, nunc Quintium accusando. Ita irrito incepto Villius ad Quintium sese recepit. At Quin

40. tius nuntio ad Prætorem misso, vt reduceret domum copias, ipse nauibus Corinthum rediit. Abstulerunt me velut de spatio, Græciæ res immistæ Romanis: non quia ipsas operæ pretium esset perscribere, sed quia causæ fuerunt cum Antiocho belli. c o s s. designatis (inde namque diuerteram) L. Quintius, & Cn. Domitius coss. in prouincias profecti sunt: Quintius in Ligures, Domitius aduersus Boios. Boii quieuerunt: atque etiam senatus eorum cum liberis, & præfecti cum equitatu) summa omnium mille & quingenti) c o s. dederunt sese. Ab altero c o s. ager Ligurum latè est vastatus, castelláque aliquot capta: vnde non præda modò omnis generis cum captiuis parta, sed recepti quóque aliquot ciues, sociíque, qui in hostium potestate fuerant. Eodem hoc anno Vibonem colonia deducta est ex Senatusconsulto plebísque scito. tria millia & septingenti pedites ierunt, trecenti equites. triumuiri deduxerunt eos, Q. Næuius, M. Minutius, M. Furius Crassipes. quinadena iugera agri data

Boij Domitio Cos. sese dedunt.

in

A in singulos pedites sunt: duplex equitibus. Brutiorum proximè fuerat ager: Brutii ceperant de Græcis. Romæ per idem tempus duo maximi fuerunt terrores, diutinus alter, sed segnior. terra dies duodequadraginta mouit. per totidem dies feriæ in solicitudine ac metu fuere. in triduum eius rei causa supplicatio habita est. alter non pauor vanus, sed vera multorum clades fuit. incendio à foro Boario orto, diem noctémque ædificia in Tyberim versa arsere, tabernæque omnes cum magni pretii mercibus conflagrauerunt. Iam ferè in exitu annus erat: & in dies magis fama de Antiochi bello, & cura patribus crescebat. itaque de prouinciis magistratuum designatorum, quo intentiores essent omnes, agitari cœptum est. Decreuere, vt c o s s. Italia, & quò senatus censuisset, (iam esse bellum aduersus Antiochum regem omnes sciebant) prouinciæ essent. cuius ea sors esset, quatuor millia peditum ciuium Romanorum, & trecenti equites, sex millia sociûm Latini nominis, cum quadringentis equitibus sunt decreta. eorum delectum habere L. Quintius c o s. iussus: ne quid moraretur, quo minus c o s. nouus, quò senatus censuisset, extemplò proficisci posset. Item de prouinciis prætorum decretum est: prima vt sors duæ, peregrina vrbanáque, & inter ciues ac peregrinos iurisdictio esset: secunda Brutii: tertia classis, vt nauigaret, quò senatus censuisset: quarta, Sicilia: quinta, Sardinia: sexta, Hispania vlterior. Imperatum præterea L. Quintio c o s. est, vt duas legiones ciuium Romanorum nouas conscriberet: & sociûm ac Latini nominis viginti millia peditum, & octingentos equites. eum exercitum prætori, cui Brutii prouincia euenisset, decreuerunt. Aedes duæ Ioui eo anno in Capitolio dedicatæ sunt. Vouerat L. Furius Purpurio prætor Gallico bello vnam, alteram c o s. Dedicauit Q. Martius Ralla duûmvir. Iudicia in fœneratores eo anno multa seuerè sunt facta, accusantibus priuatos ædilibus curulibus, M. Tuccio, & P. Iunio Bruto. de mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iouis supra fastigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata. & iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt. Intentis in apparatum noui belli Romanis, ne ab Antiocho quidem cessabatur. Tres eum ciuitates tenebant, Smyrna, & Alexandria Troas, & Lampsacus: quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere: neque à tergo relinquere traiiciens ipse in Europam volebat. Tenuit eum & de Annibale deliberatio: & primò naues apertæ, quas cum eo missurus in Africam fuerat, moratæ sunt: deinde an omnino mittendus esset, consultatio mota est: maximè à Thoante Aetolo, qui omnibus in Græcia tumultu completis, Demetriadem afferebat in potestate esse: & quibus mendaciis de rege, multiplicando verbis copias eius, erexerat multorum in Græcia animos: iisdem & regis spem inflabat: omnium votis eum accersiri. concursum ad litora futurum, vnde classem regiam prospexissent. Hic idem ausus de Annibale est mouere sententiam propè iam certam regis.

Romæ terræ motus & incendium.

41.

Prouinciarũ sortitio.

Aedes duæ Ioui dedicatæ.

42.

Antiochi deliberatio de Annibale classi præficiendo.

B nam neque dimittendam partem nauium à classe regia censebat: neque si mittendæ naues forent, minus quenpiam ei classi, quàm Annibalem præficiendum. Exulem illum, & Pœnum esse, cui mille in dies noua consilia vel fortuna sua, vel ingenium posset facere. & ipsam eam gloriam belli qua velut dote Annibal concilietur, nimiam in præfecto regio esse. regem conspici, regem vnum ducem, vnum imperatorem videri debere. Si classem, si exercitum amittat Annibal, idem damni fore, ac si per alium ducem amittantur. si quid prosperè eueniat, Annibalis eam, non Antiochi gloriam fore. Si verò vniuerso bello vincendi Romanos fortuna detur, quam spem esse, sub rege victurum Annibalem vni subiectum, qui patriam propè non tulerit? non ita se à iuuenta eum gessisse, spe animóque complexum orbis terrarum imperium, vt in senectute dominum laturus videatur. Nihil opus esse regi Annibale duce, comite & consiliario eodem ad bellum vti posse. modicum fructum ex ingenio tali neque grauem neque inutilem fore. si summa petantur, & dantem & accipientem prægrauatura. Nulla ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quàm eorum qui genus ac fortunam suam animis non æquant: quia virtutem & bonum alienum oderunt. Extemplò consilium mittendi Annibalis, quod vnum in principio belli vtiliter cogitatum erat, abiectum est. Demetriadis maximè defectione ab Romanis ad Aetolos elatus, non vltrà differre profectionem in Græciam constituit. Priusquam solueret naues, Ilium à mari ascendit, vt Mineruæ sacrificaret. Inde ad classem regressus, proficiscitur quadraginta tectis nauibus, apertis sexaginta, & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicóque alio apparatu sequebantur. Imbrum primò insulam tenuit: inde Scyathum traiecit. ibi collectis in alto quæ dissipatæ erant nauibus, ad Pteleum primùm continentis venit. Ibi Eurylochus ei Magnetarches, principésque Magnetum ab Demetriade occurrerunt. quorum frequentia lætus, die postero in vrbis portum nauibus est inuectus. Copias haud procul inde exposuit Decem millia peditum fuere, & quingenti equites, sex elephanti: vix ad Græciam nudam occupandam satis copiarum, nedum ad sustinendum Romanum bellum. Aetoli posteaquam Demetriadem venisse Antiochum allatum est, concilio indicto decretum, quo accerserent eum, fecerunt. Iam profectus ab Demetriade rex, quia ita decreturos sciebat, Phalaram in sinum Maliacum processerat. inde decreto accepto Lamiam venit, exceptus ingenti fauore multitudinis cum plausibus clamoribúsque, & quibus aliis lætitia effusa vulgi significatur. In concilium vt ventum est, à Phanea prætore principibúsque aliis introductus, facto silentio rex dicere orsus. Prima eius oratio fuit primò excusantis, quòd tanto minoribus spe atque opinione omnium copiis venisset. Id suæ impensæ erga eos voluntatis maximum debere indicium esse, quòd nec paratus satis vlla re, & tempore ad nauigandum immaturo, vocantibus legatis eorum haud grauatè obsecutus esset: credidissétque, cùm se vidissent Aetoli, omnia vel in se vno posita præsidia existimaturos esse. Cæterùm eorum quoque se, quorum expectatio destituta in præsentia videatur, spem abunde expleturum. nam simul primùm anni tempus

43.

Antiochi classis in Græciã traiectum.

Antiochi copiæ.

Antiochi oratio. 44.

pus naoigabile præbuiſſet mare, omnem ſe Græciam armis, viris, equis, omnem oram maritimam A
claſsibus completurum, nec impenſæ, nec labori, oec periculo parſurum: donec depulſo ceruici-
bus eorum imperio Romano, liberam verè Græciam, atqoe in ea principes Aetolos feciſſet. cum
exercitibus commeatus quoque omnis generis ex Aſia venturos. in præſentia curæ eſſe Aetolis de-
46. bere, vt copia frumenti ſuis & annona tolerabilis rerum aliarum ſuppeditetur. In hanc ſententiam

Inter Aetolorum principes contentio.

rex cum magno omnium aſſenſu locutus diſceſsit. Poſt diſceſſum regis inter duos principes Aeto-
lorum, Phaneam & Thoantem, contentio fuit. Phaneas reconciliatore pacis, & diſceptatore de
iis quæ in controuerſia cum populo Romano eſſent, vtendum potius Antiocho cenſebat, quàm du-
ce belli. Aduentum eius & maieſtatem ad verecundiam faciendam Romanis vim maiorem habitu-
ram, quàm arma. Multa homines, ne bellare neceſſe ſit, voluntate remittere, quæ bella & armis co-
gi oon poſsint. Thoas negare, paci ſtudere Phaneam: ſed diſcutere apparatum belli velle: vt tædio
& impetus relangueſcat regis, & Romani tempus ad comparaodum habeant. Nihil enim æqui ab
Romanis impetrari poſſe, toties legationibus miſsis Romam, toties cum ipſo Quintio diſceptando,
ſatis expertum eſſe. nec niſi abſciſſa omni ſpe, auxilium Antiochi imploraturos fuiſſe. quo celerius
ſpe omnium oblato, oon eſſe elangueſcendum: ſed orandum potius regem, vt quoniam, quod
maximum fuerit, ipſe vindex Græciæ venerit, copias quoque terreſtres naualeſque accerſat, arma-
tum regem aliquid impetraturum: inermem non pro Aetolis modò, ſed ne pro ſe quidem ipſo mo-

Antiochus imperator appellatur.

menti vllius futurum apud Romanos. Hæc vicit ſententia: imperatorémque regem appellandum
cenſuerunt: & triginta principes, cum quibus, ſi qua vellet, conſultaret, delegerunt. Ita dimiſſo
45. concilio, multitudo omnis in ſuas ciuitates dilapſa eſt. Rex poſtero die cum apocletis eorum, vnde

Antiochus Chalcidẽ aggredi primũ ſtatuit.

bellum ordiretur, conſultabat. optimum viſum eſt, Chalcidem fruſtra nuper ab Aetolis tentatam
primùm aggredi: & celeritate in eam rem magis, quàm magno conatu & apparatu opus eſſe. Ita-
que cum mille peditibus rex, qui ab Demetriade ſecuti erant, profectus per Phocidem eſt. & alio
itinere principes Aetoli, iuniorum paucis euocatis, ad Chæroniam occurrerunt: & decem conſtra-
tis nauibus ſecuti ſunt. Rex ad Salganea caſtris poſitis, nauibus ipſe cum principibus Aetolorum Eu-
ripum traiecit. & cùm haud procul portu egreſſus eſſet, magiſtratus quoque Chalcidenſium, & prin-
cipes ante portam proceſſerunt. pauci vtrinque ad colloquium congreſsi ſunt. Aetoli magnopere ſua-
dere, vt ſalua Romanorum amicitia, regem quoque aſſumerént ſocium atque amicum. Neque enim
eum ioferendi belli, ſed liberandæ Græciæ cauſa in Europam traieciſſe, & re liberandæ, non verbis
& ſimulatione, quod feciſſent Romani. Nihil autem vtilius Græciæ ciuitatibus eſſe, quàm vtranque
complecti amicitiam. ita enim ab vtriuſque iniuria tutam alterius ſemper præſidio & fiducia fore. nam
ſi non recepiſſent regem, viderent quid patiendum iis extemplò foret: cùm Romanorum procul au- B
xilium, hoſtis Antiochus, cui reſiſtere viribus ſuis non poſſent, ante portas eſſet. Ad hæc Miction
vnus ex principibus, mirari ſe dixit, ad quos liberandos Antiochus relicto regno ſuo in Europam
traieciſſet. nullam enim ciuitatem ſe in Græcia noſſe, quæ aut præſidium habeat, aut ſtipendium Ro-
manis pendat: aut fœdere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. itaque Chalcidenſes neque vin-
dice libertatis vllo iodigere, cùm liberi ſint: neque præſidio, cùm pacem eiuſdem populi Romani
beoeficio & libertatem habeant. Amicitiam regis non aſpernari, neque ipſorum Aetolorum. id pri-
mùm eos pro amicis facturos, ſi inſula excedant, atque abeant. nam ipſis certum eſſe, non modò non
recipere mœnibus, ſed ne ſocietatem quidem vllam paciſci, niſi ex authoritate Romanorum. Hæc re-
47. nuntiata regi ad naues, vbi reſtiterat, cùm eſſent: io præſentia (neque enim iis venerat copiis, vt vi
agere quicquam poſſet) reuerti Demetriadem placuit. ibi, quoniam primùm inane incœptum eua-
ſiſſet, conſultare cum Aetolis rex quid deinde fieret. Placuit, Achæos & Aminandrum regem Atha-
manum tentare. Bœotiorum gentem auerſam ab Romanis iam inde à Barcyllæ morte, & quæ ſecutæ
eam fuerant, cenſebant. Achæorum Philopœmenem principem æmulatione gloriæ in bello Laco-
num, infeſtum inuiſúmque eſſe Quintio credebant. Aminander vxorem Apamiam, filiam Alexan-
dri cuiuſdam Megalopolitani, habebat: qoi ſe oriundum à Magno Alexandro ferens, filiis duobus
Philippum atque Alexandrum, & filiæ Apamiam nomina impoſuerat: quam regiis inclytam nu-
ptiis, maior ex fratribus Philippus ſecutus in Athamaniam fuerat. Hunc fortè ingenio vanum Ae-
toli & Antiochus impulerant in ſpem, quòd iis verè regum ſtirpis eſſet, regni Macedoniæ, ſi Ami-
nandrum Athamanéſque Antiocho conionxiſſet. & ea vanitas promiſſorum non apud Philippum
48. modò, ſed etiam apud Aminandrum valuit. In Achaia legatis Antiochi Aetolorúmque coram T.

Antiochi Legatus in Achæorũ concilio.

Quintio Aegii datum eſt coocilium. Antiochi legatus prior, quàm Aetoli eſt auditus. Is, vt plerique
quos opes regiæ alunt, vaniloquus maria terras inani ſonitu verborum compleuit. Equitum ionume-
rabilem vim traiici Helleſponto in Europam: partim loricatos, quos cataphractos vocant: partim ſa-
gittis ex equo vtentes, & à quo nihil ſatis tecti ſit, auerſos refugiente equo certius figentes. His eque-
ſtribus copiis quanquam vel totius Europæ exercitus in vnum coacti obrui poſſent, adiiciebant mul-
tiplices copias peditum: & nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat: Dahas, Medos,
Elimæóſque & Caduſios appellans. Naualium verò copiarum, quas nulli portus capere in Græcia poſ-
ſent, dextrum cornu Sidonios & Tyrios, ſiniſtrum Aradios, & ex Pamphylia Sidetas tenere: quas
gentes nullæ voquam nec arte, nec virtute oauali æquaſſent. Iam pecuniam, iam alios belli appara-
tus referre ſuperuacaneum eſſe. ſcire ipſos, abundaſſe ſemper auro regna Aſiæ. Itaque non cum Phi-
lippo, nec Annibale rem futuram Romanis principe altero ciuitatis: altero Macedoniæ tantum re-
gni finibus incluſo: ſed cum magno Aſiæ totius, partiſque Europæ rege. Eum tamen, quanquam ab
vltimis

A vltimis orientis terminis ad liberandam Græciam veniat, nihil postulare ab Achæis, in quo fides
eorum aduersus Romanos, priores socios atque amicos lædatur. non enim vt secum aduersus eos
arma capiant: sed vt neutri parti sese coniungant, petere pacem vtrique parti, quòd medios deceat
amicos, optent: bello se non interponant. Idem fermè & Aetolorum legatus Archidamus petiit,
vt quæ facillima & tutissima esset, quietem præstarent: spectatorésque belli fortunarum alienarum
euentum sine vllo discrimine rerum suarum opperirentur. Prouectus deinde est intemperantia lin-
guæ in maledicta, nunc communiter Romanorum. nunc propriè ipsius Quintii: ingratos appel-
lans, & exprobrans non victoriam modò de Philippo virtute Aetolorum partam, sed etiam salu-
tem: ipsum, & exercitum sua opera seruatos. Quo enim illum vnquam imperatoris functum officio
esse? auspicantem immolantémque, & vota nuncupantem sacrificuli vatis modo in acie vidisse,
cùm ipse corpus suum pro eo telis hostium obiiceret. Ad ea Quintius: Coram quibus magis, quàm 49.
apud quos verba faceret, dicere Archidamum rationem habuisse. Achæos enim probè scire, Aeto-
lorum omnem ferociam in verbis, non in factis esse: & in conciliis magis concionibúsque, quàm
in acie apparere. itaque parui Achæorum existimationem, quibus notos esse se scirent, fecisse: le-
gatis regis, & per eos absenti tegi eum se iactasse. Quod si quis antea ignorasset, quæ res Antiochum
& Aetolos coniunxisset, ex legatorum sermone potuisset apparere. mentiendo inuicem, iactandó-
que vires, quas non haberent, inflasse vana spe, atque inflatos esse: dum ii ab se Philippum victum,
sua virtute protectos Romanos, & quæ modò audiebatis, narrant: vos, cæterásque ciuitates & gen-
tes, suam sectam esse secuturos: rex contrà peditum equitúmque nubes iactat, & consternit maria
suis classibus. Est autem res simillima cœnæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni, & sciti con-
uiuatoris. apud quem solstitiali tempore comiter accepti cum miraremur, vnde illi eo tempore an-
ni tam multa & varia venatio: homo non quàm isti sunt gloriosus, renidens condimentis ait varie-
tatem illam, & speciem ferinæ carnis ex mansueto sue factam. Hoc dici aptè in copias regis, quæ
paulo antè iactatæ sint, posse. varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum,
Dahas, & Medos, & Cadusios, Elimæos, Syros omnes esse: haud paulò mancipiorum melius,
propter seruilia ingenia, quàm militum genus. Et vtinam subiicere oculis vestris Achæi possem
concursationem regis magni ab Demetriade nunc Lamiam in concilium Aetolorum, nunc Chalci-
dem. videretis vix duarum malè plenarum legiuncularum instar in castris regis. videretis regem
nunc mendicantem propè frumentum ab Aetolis, quod militi admetiatur: nunc mutuas pecunias
fœnore in stipendium quærentem: nunc ad portas Chalcidis stantem: & mox inde exclusum, nihil
aliud quàm Aulide atque Euripo spectatis, in Aetoliam redeuntem. Malè crediderunt & Antiochus
B Aetolis, & Aetoli regiæ vanitati. quo minus vos decipi debetis, sed expertæ potius spectatæque
Romanorum fidei credere. Nam quod optimum esse dicant, non interponi vos bello: nihil imò
tam alienum rebus vestris est. quippe sine gratia, sine dignitate præmium victoris eritis. Nec ab- 50.
surdè aduersus vtrosque respondisse visus est: & facile erat orationem apud fauentes æquis auribus
accipi. nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes, eosdem genti Achæorum ho-
steis & amicos, quos populus Romanus censuisset, iudicarent: bellúmque & Antiocho & Aeto-
lis nuntiari iuberent. Auxilia etiam quò censuit Quintius, quingentorum militum Chalcidem,
quingentorum Piræeum extemplò miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res, trahen-
tibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem, donec ab iis qui
Romanæ partis erant, Quintius est accitus, & accusante Leonte quodam Apollodorus author de-
fectionis damnatus, atque in exilium est eiectus. Et ab Achæis quidem cum tristi responso legatio
ad regem rediit. Bœoti nihil certi responderunt. Cùm Antiochus in Bœotiam venisset, tum quid
sibi faciundum esset, se deliberaturos esse. Antiochus cùm ad Chalcidis præsidium & Achæos &
Eumenem regem misisse audisset: maturandum ratus, vt & præuenirent sui: & venientes si possent,
exciperent, Menippum cum tribus fermè millibus militum, & cum omni classe Polyxenidam mit-
tit. ipse paucos post dies sex millia suorum militum, & ex ea copia quæ Lamiæ repentè colligi po-
tuit, non ita multos Aetolos ducit. Achæi quingenti, ab Eumene rege modicum auxilium mis-
sum, duce Xenoclide Chalcidensi nondum obsessis itineribus tutò transgressi Euripum, Chalci-
dem peruenerunt. Romani milites quingenti fermè & ipsi, cùm iam Menippus castra ante Salga-
nea ad Hermeum, quà transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt. Miction
erat cum iis legatus à Chalcide ad Quintium ad id ipsum præsidium petendum missus. qui postea-
quam obsessas ab hostibus fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium conuertit, vt inde in
Eubœam transmissurus. Templum est Apollinis Delium, imminens mari: quinque millia passuum 51.
à Tanagra abest. minus quatuor millium inde in proxima Eubœæ est mari traiectus. Vbi & in fa-
no lucóque, ea religione & eo iure sancto quo sunt templa quæ asyla Græci appellant: & nondum
aut indicto bello, aut ita commisso, vt strictos gladios, aut sanguinem vsquam factum audissent:
cùm per magnum otium milites, alii ad spectaculum templi lucíque versi, alii in litore inermes va-
garentur: magna pars per agros lignatum pabulatúmque dilapsa esset: repentè Menippus palatos
passim aggressus, eos cæcidit, ad quinquaginta viuos cepit. perpauci effugerunt, in quibus Miction
parua oneraria naue exceptus. Ea res Quintio Romanísque, sicut iactura militum molesta, ita
ad ius inferendi Antiocho belli adiecisse aliquantum videbatur. Antiochus admoto ad Aulidem
exercitu, cùm rursus oratores partim ex suis, partim Aetolos Chalcidem misisset, qui eandem
illa quæ nuper cum minis grauioribus agerent, nequicquam contrà Mictione & Xenoclide ten-
dentibus,

Aetolorum legatus in eodem cōcilio.

Quintij in concilio Achæorũ oratio.

Achæi auxilia, quò censuit Quintius, miserunt.

Deliũ Apollinis templum.

Chalcis deditur Antiocho.

A dentibus, facilè tenuit, vt portæ sibi aperirentur. Qui Romanæ partis erant, sub aduentum regis vrbe excesserunt. Achæorum & Eumenis milites Salganea tenebant. Et in Euripo castellum Romani milites pauci custodiæ causa loci communiebant. Saganea Menippus, rex ipse castellum Euripi oppugnare est adortus. Priores Achæi & Eumenis milites pacti vt sine fraude liceret abire, præsidio excesserunt. pertinacius Romani Euripum tuebantur. Hi quoque tamen cùm terra maríque obsiderentur, & iam machinas tormentáque comportari viderent, non tulere obsidionem. Cùm id quod caput erat Eubœæ, teneret rex, ne cæteræ quidem eius insulæ vrbes imperium abnuerunt. magnóque principio sibi orsus bellum videbatur: quòd tanta insula & tot opportunæ vrbes in suam ditionem venissent.

Euboicæ vrbes ad Antiochum deficiunt.

DECADIS QVARTAE LIBER SEXTVS.

Marcus Acilius Glabrio Cos. Antiochum apud Thermopylas, Philippo rege adiuuante, victum Græcia expulit, idémque Aetolos subegit. P. Cornelius Scipio Nasica Cos. ædem matris deûm, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus à senatu iudicatus, dedicauit. idémque Boios & Gallos victos in deditionem accepit, & de iis triumphauit. Præterea naualia certamina prospera aduersus præfectos Antiochi regis referuntur.



PVBLIVM Cornelium Cn. F. Scipionem, & M. Acilium Glabrionem, consules inito magistratu, patres priusquam de prouinciis agerent, res diuinas facere maioribus hostiis iusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium maiore parte anni fieri solet: precaríque, quòd senatus de nouo bello in animo haberet, vt ea res senatui populóque Romano bene atque feliciter eueniret. Ea omnia sacrificia læta fuerunt: primísque hostiis perlitatum est: & ita aruspices responderunt, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi. Hæc cùm renuntiata essent, solutis religione animis, patres rogationem ad populum ferri iusserunt: vellent iuberéntne cum Antiocho rege, quíque sectam eius secuti essent, bellum iniri: si ea rogatio perlata esset, tum, si ita videretur consulibus, rem integram ad senatum referrent. P. Cornelius eam rogationem pertulit. tum senatus decreuit, vt consules Italiam & Græciam prouincias sortirentur: cui Græcia euenisset, vt præter eum numerum militum, quem L. Quintius in eam prouinciam ex authoritate senatus scripsisset, imperassétve, eum exercitum acciperet, quem M. Bebius prætor anno priore ex B Senatusconsulto in Macedoniam traiecisset. & extra Italiam permissum, vt si res postulasset, auxilia ab sociis ne supra quinque millium numerum acciperet. L. Quintium superioris anni consulem legari ad id bellum placuit. Alter COS. cui Italia prouincia euenisset, cum Boiis iussus bellum gerere vtro exercitu mallet ex duobus, quos superiores COSS. habuissent; alterum vt mitteret Romam: eæque vrbanæ legiones essent paratæ, quò senatus censuisset. His ita in senatu ad id, quæ cuius prouincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit. Acilio Græcia, Cornelio Italia euenit. Certa deinde sorte senatusconsultum factum est: quod populus Romanus eo tempore duellum iussisset cum rege Antiocho esse: quíque sub imperio eius essent, vt eius rei causa supplicationem imperarent consules: vtique M. Acilius COS. ludos magnos Ioui voueret, & dona ad omnia puluinaria. Id votum in hæc verba præeunte P. Licinio pontifice maximo consul nuncupauit. Si duellum, quod cum Antiocho rege sumi populus iussit, id ex sententia senatus populíque Romani confectum erit: tum tibi Iupiter populus Romanus ludos magnos dies X continuos faciet: donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreuerit. quisquis magistratus eos ludos quando vbique faxit, hi ludi rectè facti, donáque data rectè sunto. Supplicatio inde ab duobus COSS. edicta per biduum fuit. Consulibus sortitis prouincias, extemplò & prætores sortiti sunt. M. Iunio Bruto iurisdictio vtraque euenit: A. Cornelio Mammulæ Brutii, M. Aemylio Lepido Sicilia, L. Oppio Sardinia, C. Liuio Salinatori classis, L. Aemylio Paulo Hispania vlterior. His ita exercitus decreti. A. Cornelio noui milites, conscripti priore anno ex Senatusconsulto à L. Quintio consule dati sunt: iussúsque tueri omnem oram circa Tarentum Brundusiúmque. L. Aemylio Paulo in vlteriorem Hispaniam præter eum exercitum, quem à M. Fuluio proprætore accepturus esset, decretum, vt nouorum militum tria millia duceret, & trecentos equites: ita vt in iis duæ partes sociûm Latini nominis, tertia ciuium Romanorum esset. Idem supplementi ad C. Flaminium, cui imperium prorogabatur, in Hispaniam citeriorem est missum. M. Aemilius Lepidus à L. Valerio, cui successurus esset, simul prouinciam exercitúmque accipere iussus: L. Valerium, si ita videretur, proprætorem in prouincia retinere: & prouinciam ita diuidere, vt vna ab Agrigento ad Pachinum esset: altera à Pachino Tyndarium. eam maritimam oram L. Valerius viginti nauibus longis custodiret. Eidem prætori mandatum, vt duas decimas frumenti exigeret: id ad mare comportandum, deuehendúmque in Græciam curaret. Idem L. Oppio de alteris decimis exigendis in Sardinia imperatum. Cæterùm non in Græciam, sed Romam id frumentum portari placere. C. Liuius prætor, cui classis euenerat, cum triginta nauibus paratis traiicere in Græciam primo quoque tempore iussus, & ab Attilio naues accipere: veteres naues quæ in naualibus erant, vt reficeret & armaret, M. Iunio prætori negotium datum est, & in eam classem socios nauales libertinos legeret.

Rogatio ad populum fertur de bello contra Antiochum ineundo.

Ludi magni vouentur.

Prouinciarũ sortitio.

Apparatus belli contra Antiochum.

Legan

A Legati terni in Africam, ad Carthaginienses & in Numidiam, ad frumentum rogandum, quod in Græciam portaretur, missi; pro quo pretium solueret populus Romanus. Adeóque in apparatum curámque eius belli ciuitas intenta fuit, vt P. Cornelius COS. ediceret, qui senatores essent, quibúsque in senatu sententiam dicere liceret, quíque minores magistratus essent: ne quis eorum longius ab vrbe Roma abiret, quàm vnde eo die redire posset: néve vno tempore quinque senatores ab vrbe Roma abessent. In comparanda impigrè classe C. Liuium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paulisper tenuit. nam cùm cogerentur in Classem, tribunos plebis appellarunt. ab iis ad senatum reiecti sunt. senatus ita, vt ad vnum omnes consentirent, decreuit: vacationem rei naualis his colonis non esse. Hostia, & Fregena, & Castrum nouum, & Pyrgi, & Antium, & Tarracina, & Minturnæ, & Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certauerunt. Consul deinde M. Acilius ex Senatusconsulto ad collegium fœcialium retulit: ipsíne vtique regi Antiocho indiceretur bellum, an satis esset ad præsidium aliquod eius nuntiare? & num Aetolis quoque separatim indici iuberent bellum? & num prius societas eis & amicitia renuntianda esset, quàm bellum indicendum? Fœciales responderunt: iam antè sese, cùm de Philippo consulerentur, decreuisse: nihil referre, ipsi coràm, an ad præsidium nuntiaretur. amicitiam renuntiatam videri, cùm legatis toties repetentibus res nec reddi, nec satisfieri æquum censuissent. Aetolos vltrò sibi bellum indixisse, cùm Demetriadem sociorum vrbem per vim occupassent: Chalcidem terra maríque oppugnatum issent: regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxissent. Omnibus iam satis comparatis, M. Acilius COS. edixit: vt quos L. Quintius milites conscripsisset, & quos sociis nomíníque Latino imperasset, quos secum in prouinciam ire oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, vti omnes Brundusium idibus Maiis conuenirent, ipse ad quintum nonas Maias paludatus vrbe egressus est. Per eosdem dies & prætores in prouincias profecti sunt. Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo & Ptolemæo Aegypti rege, Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum. ab Ptolemæo etiam † mille pondo auri, † XX millia pondo argenti allata. Nihil est acceptum, gratiæ regibus actæ. & cùm vterque se cum omnibus copiis in Aetoliam venturum, bellóque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id remissum. Philippi legatis responsum: gratum eum senatui populóque Romano facturum, si M. Acilio consuli non defuisset. Item ab Carthaginiensibus & Masanissa rege legati venerunt. Carthaginienses tritici modium mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium eius Romam apportaturos polliciti sunt: id vt ab se munus Romani acciperent, petere se, & classem suorum suo sumptu comparaturos: & stipendium quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos. Masanissæ legati quingenta millia modium tritici,
B trecenta hordei ad exercitum in Græciam: Romam trecenta millia modium tritici, CC quinquaginta hordei. equites quingentos, elephantos XX regem ad M. Acilium consulem missurum. De frumento vtrísque responsum: ita vsurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginiensibus remissum: præterquam si quid nauium ex fœdere deberent. de pecunia ita responsum: nullam ante diem accepturos. Cùm hæc Romæ agebantur: Chalcide Antiochus ne cessaret per hybernorum tempus, partim ipse sollicitabat ciuitatum animos mittendis legatis, partim vltrò ad eum veniebant: sicut Epirotæ communi gentis consensu, & Elei è Peloponneso venerunt. Elei auxilium aduersus Achæos petebant, quos post bellum non ex sua sententia indictum Antiocho, primùm ciuitati suæ arma illaturos credebant. Mille iis pedites cum duce Cretensi Euphane sunt missi. Epirotarum legatio erat minimè in partem vllam liberi aut simplicis animi. Apud regem gratiam initam volebant, cum eo vt cauerent ne quid offenderent Romanos. petebant enim, ne se temerè in causam deduceret, expositos aduersus Italiam pro omni Græcia, & primos impetus Romanorum excepturos. sed si ipse posset terrestribus naualibúsque copiis præsidere Epiro, cupidè eum omnes Epirotas & vrbibus & portubus suis accepturos. si id non posset, deprecari, ne se nudos atque inermes Romano bello obiiceret. Hac legatione id agi apparebat, vt siue (quod magis credebant) abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud exercitus Romanos essent, conciliata satis apud regem gratia, quòd accepturi fuissent venientem: siue venisset, sic quoque spes veniæ ab Romanis foret, quòd non expectato longinquo auxilio ab se, præsentis viribus succubuissent. Huic tam perplexæ legationi quia non satis in promptu erat quid responderet, legatos se missurum ad eos dixit, qui de iis quæ ad illos séque communiter pertinerent, loquerentur. In Bœotiam ipse profectus est, causas in speciem iræ aduersus Romanos eas, quas antè dixi, habentem, Barcillæ necem, & bellum à Quintio Coroneæ propter Romanorum militum cædes illatum: re vera per multa iam secula publicè priuatímque labente egregia quondam disciplina gentis, & multorum eo statu qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset. Obuiam effusis vndique Bœotiæ principibus, Thebas venit. Ibi in concilio gentis, quanquam & ad Delium impetu in præsidium Romanum facto, & ad Chalcidem commiserat nec à paruis, nec dubiis principiis bellum: tamen eandem orationem exorsus, qua in colloquio primò ad Chalcidem, quáque per legatos in concilio Achæorum vsus erat, vt amicitiam secum institui, non bellum indici Romanis postularet, neminem quid ageretur, fallebat. decretum tamen sub leui verborum prætextu pro rege aduersus Romanos factum est. Hac quoque gente adiuncta, Chalcidem regressus, præmissis inde literis, vt Demetriadem conuenirent principes Aetolorum, cum quibus de summa rerum deliberaret: nauibus eò ad diem indictam concilio venit. Et Aminander accitus ad consultandum ex Athamania, & Annibal Pœnus iamdiu non adhibitus, interfuit ei consilio. Consultatum de Thessalorum

Aliquot coloniæ de uacatione bella disceptāt.

Legati Philippi & Ptolomæi Romam ueniūt.

† Coron. 12000.

† Coron. 200000.

Carthaginienses & Masanissæ legati.

Elei & Epirotæ ad Antiochum legatos mittunt.

Antiochus in Bœotiam proficiscitur.

rum gente eſt, quorum omnibus qui aderant, voluntas tentanda videbatur. in eo modò diuerſæ ſententiæ erant: quòd alii extemplò agendum, alii ex hyeme, quæ tunc fermè media erat, differendum in veris principium: & alii legatos tantummodo mittendos, alii cum omnibus copiis eundum cenſebant, terrendóſque metu, ſi cunctarentur. Cùm circa hanc ferè conſultationem diſceptatio omnis verteretur, Annibal nominatim interrogatus ſententiam, in vniuerſi belli cogitationem regem, atque eos qui aderant, tali oratione auertit. A

Annibalis ad Antiochum & ſocios oratio.

Si ex quo traiecimus in Græciam, adhibitus eſſem in conſilium: cùm de Eubœa, de Achæis, de Bœotia agebatur, eandem ſententiam dixiſſem, quam hodie cùm de Theſſalis agitur, dicam. Ante omnia Philippum & Macedonas in ſocietatem belli quacunque ratione cenſeo deducendos eſſe. nam quod ad Eubœam Bœotóſque & Theſſalos attinet, cui dubium eſt, quin vt quibus nullæ ſuæ vires ſint, præſentibus adulando ſemper quem metum in conſilio habeant, eodem ad impetrandam veniam vtantur? ſimul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad conſuetum imperium ſe auertant? nec iis noxæ futurum ſit, quòd cum Romani procul abeſſent, vim tuam præſentis, exercitúſque tui experiri noluerint? Quantò igitur prius potiúſque eſt Philippum nobis coniungere, quàm hos: cui ſi ſemel in cauſam deſcenderit, nihil integri futurum ſit: quique eas vires afferat, quæ non acceſsio tantum ad Romanum eſſe bellum, ſed per ſe ipſæ nuper ſuſtinere potuerint Romanos. Hoc ego adiuncto (abſit verbo inuidia) qui dubitare de euentu poſſim? cùm quibus aduerſus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam vt ipſi oppugnentur. Aetoli, qui Philippum (quod inter omnes conſtat) vicerunt, cum Philippo aduerſus Romanos pugnabunt. Aminander atque Athamânum gens, quorum ſecundum Aetolos plurima fuit opera in eo bello, nobiſcum ſtabunt. Philippus tum te quieto totam molem ſuſtinebat belli: nunc duo maximi reges, Aſiæ Europæque viribus aduerſus vnum populum, vt meam vtranque fortunam taceam, patrum certè ætate ne vni quidem Epirotarum regi parem, quicquid tandem erit vobiſcum comparatus, geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet coniungi nobis Philippum poſſe? vna, communis vtilitas, quæ ſocietatis maximum vinculum eſt: altera, authores vos Aetoli, veſter enim legatus hic Thoas inter cætera quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere eſt ſolitus, ante omnia hoc ſemper affirmauit: fremere Philippum, & ægrè pati ſub ſpecie pacis leges ſeruitutis ſibi impoſitas. ille quidem feræ beſtiæ vinctæ aut clauſæ, & refringere clauſtra cupienti, regis iram verbis æquabat. cuius ſi talis animus eſt, ſoluamus nos eius vincula, & clauſtra refringamus: vt erumpere diu coërcita ira in hoſtes communes poſsit. Quòd ſi nihil eum legatio noſtra mouerit: at nos, quoniam nobis eum adiungere non poſſumus, ne hoſtibus noſtris ille adiungi poſsit, caueamus. Seleucus filius tuus Lyſimachiæ eſt: qui ſi eo exercitu quem ſecum habet, per Thraciam proxima Macedoniæ cœperit depopulari: facile ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad ſua potiſsimum tuenda auertet. B De Philippo meam ſententiam habes. De ratione vniuerſi belli quid ſentirem, iam ab initio non ignoraſti. quòd ſi tum auditus forem, non in Eubœa Chalcidem captam, & caſtellum Euripi expugnatum Romani, ſed Hetrúriam Ligurúmque & Galliæ Ciſalpinæ oram bello ardere: & qui maximus iis terror eſt, Annibalem in Italia eſſe audirent. Nunc quoque accerſas cenſeo omneis nauales terreſtréſque copias: ſequantur claſſem onerariæ cum commeatibus. nam hic ſicut ad belli munera pauci ſumus, ſic nimis multi pro inopia commeatuum. Cùm omneis tuas contraxeris vires, diuiſa claſſe partem Corcyræ in ſtatione habebis, ne tranſitus Romanis liber ac tutus pateat: partem ad litus Italiæ, quod Sardiniam Africámque ſpectat, traiicies: ipſe cum omnibus terreſtribus copiis in Byllionum agrum procedes: inde Græciæ præſidebis, & ſpeciem Romanis traiecturum te præbens, & ſi res popoſcerit, traiecturus. Hæc ſuadeo, qui vt non omnis peritiſsimus ſim belli, cum Romanis certè bellare bonis maliſque meis didici. In quæ conſilium dedi, in eadem nec infidelem, nec ſegnem operam polliceor. Dii approbent eam ſententiam, quæ tibi optima viſa fuerit. Hæc fermè Annibalis oratio fuit: quam laudarunt magis in præſentia, qui aderant, quàm rebus ipſis executi ſunt. nihil enim eorum eſt factum, niſi quòd ad claſſem copiáſque accerſendas ex Aſia Polyxenidam miſit. Legati Lariſſam ad concilium Theſſalorum ſunt miſsi. & Aetolis Aminandróque dies ad conueniendum exercitui Pheras eſt indictus: eódem & rex cum ſuis copiis confeſtim venit.

Antiochus oſſa Macedonũ circa Cynoſcephalas interfectorum colligi iubet.

Ibi dum operiretur Aminandrum atque Aetolos, Philippum Megaſopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda oſſa Macedonum circa Cynoſcephas, vbi debellatum erat cum Philippo, mitit: ſiue ab ipſo quærente ſibi commendationem ad Macedonum gentem & inuidiam regi, quòd inſepultos milites reliquiſſet, monitus; ſiue ab inſita regibus vanitate, ad conſilium ſpecie amplum, re inane, animo adiecto. Tumulus eſt in vnum oſsibus, quæ paſsim ſtrata erant, coaceruatis factus: qui nullam gratiam ad Macedonas, odium in gens ad Philippum mouit.

Philippus infenſus Antiocho.

Itaque qui ad id tempus fortunam eſſet in conſilio habiturus, is extem plò ad M. Bebium proprætorem miſit, Antiochum in Theſſaliam impetum feciſſe. ſi videretur ei, moueret ex hybernis. ſe obuiam proceſſurum, vt quid agendum eſſet, conſultarent. Antiocho ad Pheras iam caſtra habenti, vbi coniunxerant ei ſe Aetoli & Aminander: legati ab Lariſſa venerunt, quærentes, quod ob factum dictúmve Theſſalorum bello laceſſeret eos: ſimul orantes, vt remoto exercitu per legatos, ſi quid ei videretur, ſecum diſceptaret. eodem tempore quingentos armatos duce Hippolocho Pheras in præſidium miſerunt. hi excluſi aditu, iam omnia itinera obſidentibus regiis, Scotuſſam ſe receperunt. Legatis Lariſſæorum rex clementer reſpondit: non belli faciendi, ſed tuendæ & ſtabiliendæ libertatis Theſſalorum cauſa ſe Theſſaliam intraſſe. Similia his qui cum Pheræis ageret, miſſus. cui nullo dato reſponſo, Pheræi ipſi ſuum legatum ad regem, principem ciuitatis Pauſaniam miſerunt. Qui cùm haud diſsimilia his, vt in cauſa

pari,

Apari, quæ pro Chalcidensibus in colloquio ad Euripi fretum dicta erant, quædam etiam ferocius egisset: rex etiam atque etiam deliberare eos iussos, ne id consilii caperent: cuius dum in futurum nimis cauti & prouidi essent, extemplò pœniteret, dimisit. Hec renunciata Pheras legatio cùm esset, ne paulum quidem dubitarunt, quin pro fide erga Romanos quicquid sors belli tulisset, paterentur. Itaque & hi summa ope parabant se ad vrbem defendendam: & rex ab omni parte simul oppugnare mœnia est aggressus: & qui satis intelligeret, (neque enim dubium erat) in euentu eius vrbis positū esse, quam primam aggressus esset: aut sperni deinde ab vniuersa gente Thessalorum, aut timeri se: omnem vndique terrorem obsessis iniecit. Primum impetum oppugnationis satis constanter sustinuerunt: deinde cum multi propugnantes caderent, aut vulnerarentur, labare animi cœpere. reuocati deinde castigationibus principum ad perseuerādum in proposito, relicto exteriore circulo muri deficientibus iam copiis, in interiorem partem vrbis concesserunt: cui breuior orbis munitionis circumiectus erat. postremò victi malis cùm timerent, ne vi captis nulla apud victorem venia esset, dediderunt sese. Nihil inde moratus rex, IIII. millia armatorum, dum recens terror esset, Scotussam misit. Nec ibi mora deditionis est facta, cernentibus Pheræorum recens exemplum: qui quòd pertinaciter primò abnuerant, malo domiti tandem fecissent. cum ipsa vrbe Hippolochus. Larissæorúmque deditum est præsidium. Dimissi ab rege inuiolati omnes, quòd eam rem magni momenti futuram rex ad conciliandos Larissæorum animos credebat. Intra decimum diem quàm Pheras venerat, his perfectis, Cranonem profectus cum toto exercitu primo aduentu cepit. inde Cypæram & Metropolin, & iis circumiecta castella recepit: omniáque iam regionis eius, præter Atracem & Gyrtonem, in potestate erant. Tum aggredi Larissam constituit: ratus vel terrore cæterarum expugnatarum, vel beneficio præsidii dimissi, vel exemplo tot ciuitatum dedentium sese, non vltrà in pertinacia mansuros. Elephantis agi ante signa terroris causa iussis, quadrato agmine ad vrbem incessit: vt incerti fluctuarentur animi magnæ partis Larissæorum inter metum præsentem hostium, & verecundiam absentium sociorum. Per eosdem dies Aminander cum Athamanum iuuentute occupat Pellinæum: & Menippus cum tribus millibus peditum Aetolorum, & ducentis equitibus in Perrhæbiam profectus, Malloeam & Cyretias vi cepit, depopulatúsque est agrum Tripolitanum. His raptim peractis, Larissam ad regem redeunt: consultanti quidnam agendum esset de Larissa, superuenerunt. Ibi in diuersum sententiæ tendebant. aliis vim adhibendam, & non differendū censentib. quin operibus ac machinis simul vndique mœnia aggrederentur vrbis, sitæ in plano, à parte campestri vndique facilis aditu: aliis nunc vires vrbis nequaquam Pheris cōferendæ memorantib. nunc hyemē & tempus anni nulli bellicæ rei, minimè obsidioni atque oppugnationi vrbium aptum. Incerto regi inter spem metúmque legati à Pharsalo, qui ad dedendā vrbem suam fortè venerant, animos auxerunt. M. Bebius interim cum Philippo in Dassaretiis congressus, Ap. Claudium ex communi consilio ad præsidium Larissæ misit. qui per Macedoniam magnis itineribus in iugum montiū, quod super Gonnos est, peruenit. Oppidum Gonni XX millia ab Larissa abest, in ipsis faucibus saltus, quæ Tempe appellantur, situm. Ibi castra metatus latius quā pro copiis, & plureis ignes quàm quod satis in vsum erat, ignes cum accendisset, speciē quam quæsierat, hosti fecit: omnē ibi Ro. exercitum cum rege Philippo esse. Itaque hyemē instare apud suos causatus rex, vnū tantùm moratus diē ab Larissa recessit, & Demetriadem rediit. Aetolique & Athamanes in suos receperūt se fines. Appius etsi, cuius rei causa missus erat, solutā cernebat obsidionē: tamen Larissam ad confirmandos in reliquum sociorum animos descendit: dupléxque lætitia erat, quòd & hostes excesserant finibus, & intra mœnia præsidium Ro. cernebāt. Rex Chalcide à Demetriade profectus, amore captus virginis Chalcidensis Cleoptolemi filiæ: cùm patrem, primò adlegando, deinde corā ipse rogādo fatigasset, inuitū se grauioris fortunæ cōditioni illigantē: tandē impetrata re, tanquā in media pace nuptias celebrat: & reliquum hyemis, oblitus quantas simul duas res suscepisset, bellum Ro. & Græciam liberandā, omissa omnium rerum cura, in cōuiuiis & vinum sequentibus voluptatib. ac deinde ex fatigatione magis quàm satietate earum in somno traduxit. eadem omnes præfectos regios, qui vbique ad Bœotiam maximè præpositi hybernis erant, cepit luxuria. in eandē & milites effusi sunt: nec quisquā eorū aut arma induit, aut stationē aut vigilias seruauit: aut quicquā quod militaris operis aut muneris esset, fecit. Itaque principio veris cùm per Phocidem Cheroneā, quò cōuenire omnē vndique exercitū iusserat, venisset: facilè animaduertit, nihilo seueriore disciplina milites quā ducē hybernasse. Alexandrum inde Acarnānem & Menippum Macedonē Stratū Aetoliæ copias ducere iussit. ipse Delphis sacrificio Apollini facto, Naupactū processit. cōcilio principū Aetoliæ habito, via quæ præter Chalcidē & Lysimachiā fert ad Stratū, suis qui per Maliacum sinū veniebant, occurrit. Ibi Mnesilochus princeps Acarnānū multis emptus donis, nō ipse solùm gentē regi conciliabat, sed Clytū etiā prætorem, penes quē tum summa potestas erat, in suā sententiam adduxerat. Is cùm Leucadios, quod Acarnaniæ caput est, nō facile ad defectionem posse cerneret impelli propter metum Romanæ classis, quæ cū Attalo, quæve circa Cephaleniam erat, arte eos est aggressus. nam cùm in concilio dixisset, tuenda mediterranea Acarnaniæ esse, & omnibus qui arma ferrent, exeundum ad Medeonē & Tyrrheū, ne ab Antiocho aut Aetolis occuparentur: fuēre qui dicerent, nihil attinere omneis tumultuosè concitari: satis esse quingentorum hominū præsidiū. eam iuuentutē nactus, trecentis Medeone, ducētis Tyrrhei in præsidio positis, id agebat, vt pro obsidibus futuri venirent in potestatē regis. Per eosdē dies legati regis Medeonē venerunt. quibus auditis, cùm in concione quidnā respondendum regi esset, cōsultaretur: & alii manendū in Romana societate, alii non aspernandā amicitiam regis censerent: media visa est

Antiochus Pheras oppugnat.

Pheræi deduni sese Antiocho.

Larissam aggreditur Antiochus.

Antiochus metu Romani exercitus ab Larissa recedit.

Antiochus Chalcidēsem quandam virginem ducit uxorem.

Acarnanes deficiunt à Romanis.

E

A Clyti sententia, eóque accepta est: vt ad regem mitterẽt legatos, peteréntque ab eo, vt Medeonios super tanta re consultare in concilio Acarnanom pateretur. In eam legationẽ Mnesilochus, & qui eius factioois erant, de industria collecti, clàm missis qui regem admouere copias iuberent, ipsi terebant tempus. itaque vixdũ iis egressis legatis, Antiochus in finibus, & mox ad portas erat, & trepidantibus qui expertes proditionis fuerant, tumultuoséque iuuentutem ad arma vocantibus, ab Clyto & Mnesilocho in vrbẽ est inductus. & aliis sua volũtate affluentibus, metu coacti etiã qui dissentiebãt, ad regẽ conuenerunt. quos placida oratione territos cùm permulsisset, ad spem vulgatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defeceruot. Tyrrheũ à Medeone profectus est, Mnesilochio eódẽ & legatis præmissis. Cæterũ detecta Medeone fraus cautiores, nõ timidiores Tyrrhẽses fecit: dato ei haud perplexo responso, nullã se nouã societatẽ, nisi ex authoritate Romanorũ Impp. accepturos: portísque clausis, armatos in muris disposuerunt. Et peropportunè ad cõfirmãdos Acarnanũ animos Cn. Octauius missus à Quintio, cũ præsidiũ & paucas naues ab A. Posthumio, qui ab Attilio legato Cephaleoiæ præpositus fuerat, accepisset, Leucadẽ venit, impleuítque spei socios: M. Acilium Cos. iam cum legionibus mare traiecisse, & in Thessalia castra Romana esse. Hunc rumorem quia similẽ veri tempus anni maturũ iam ad nauigandũ faciebat, rex præsidio Medeone imposito, & io quibusdam aliis Acarnaniæ oppidis, Tyrrheo abscessit: & per Aetoliæ ac Phocidis vrbes Chalcidẽ rediit. Sub idem tẽpus M. Bebius & Philippus rex iam antè per hyemem in Dassaretis cõgressi. cum Ap. Claudium, vt obsidione Larissam eximeret, in Thessaliã misissent: quia id tẽpus rebus gerendis immaturum erat, in hyberna regressi, principio veris cõiunctis copiis in Thessaliã descenderunt. In Acarnania tum Antiochus erat. aduenientes, Philippus Mallœam Perræbiæ, Bebius Phacium est aggressus. quo primo propè impetu capto, Phestũ eadẽ celeritate capit. inde Atracẽ cùm se recepisset, Chyretias hinc & Eritiũ occupat: præsidiísque per recepta oppida dispositis, Philippo rursus obsidenti Mallœam se cõiungit. Sub aduentũ Romani exercitus seu ad metum virium, seu ad spem veniæ cùm dedidissent sese, ad ea recipienda oppida, quæ Athamânes occupaueraot, vno agmine ierunt. Erant autẽ hæc: Aeginiũ, Ericiniũ, Gomphi, Silana, Tricca, Meliboea, Phaloria. Inde Pellinæum, vbi Philippus Megalopolitanus cũ quingentis peditibus & equitibus x L. in præsidio erat, & circonsidunt, & priusquã oppugnarẽt, mittunt ad Philippum qui moneret, ne vim vltimã experiri vellet. Quibus ille satis ferociter respondit, vel Romanis vel Thessalis se crediturũ fuisse: in Philippi se potestatẽ commissurum nõ esse. Posteaquã apparuit vi agendum, quia videbatur & Limnæam eodem tempore oppugnari posse, regẽ ad Limnæam ire placuit: Bebius restitit ad Pellinæum oppugnandũ. Per eos fortè dies M. Acilius Cos. cum x. millibus peditũ, duobus millibus equitum, x v. elephantis mari traiecto, pedestres copias Larissam ducere delectos militũ tribunos iussit: ipse cum equitatu Limnæam B ad Philippum venit. Aduentu consulis deditio sine cunctatione est facta: traditúnique præsidium regium, & cum iis Athamânes. Ab Limnæa Pellinæum consul proficiscitur. Ibi primi Athamânes tradiderunt sese: deinde & Philippus Megalopolitanus. cui decedenti de præsidio, cũ obuius fortè fuisset Philippus rex, ad ludibrium regẽ eum consalutari iussit: ipse congressus fratrẽ haud sanè decoro maiestati suæ ioco appellauit. deductus inde ad Cos. custodiri iussus: & haud ita multo pòst in vinculis Romã missus. cætera multitudo Athamânũ aut militum Antiochi regis, quæ in præsidiis deditorum per eos dies oppidorũ fuerat, Philippo tradita regi est. fuere autẽ ad tria millia hominũ. Consul Larissam est profectus, ibi de summa belli consultaturus. in itinere ab Pieria & Metropoli legati tradentes vrbes suas occurrerunt. Philippus Athamanũ præcipuè captiuis indulgenter habitis, vt per eos conciliaret gentẽ, nactus spẽ Athamaniæ potiuodæ, exercitũ eò duxit, præmissis in ciuitates captiuis. Et illi magnã authoritatẽ apud populares habuerunt, clementiã erga se regis munificẽtiámque cõmemorantes: & Aminander cuius præsentis maiestas aliquos in fide continuisset, veritus ne traderetur Philippo iampridẽ hosti, & Romanis meritò tum propter defectionẽ infensis, cũ coniuge ac liberis regno excessit, Ambraciámque se cõtulit. ita Athamania omnis in ius ditionémque Philippi concessit. Consul ad reficienda maximè iumẽta, quæ & oauigatione & postea itineribus fatigata erant, paucos Larissæ moratus dies, velut reparato modica quiete exercitu, Cratonẽ est profectus. Venienti Pharsalus, Scotussa & Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur. ex iis interrogatis qui manere secũ vellent, mille volentes Philippo tradit: cæteros inermes Demetriadẽ remittit. Proernã inde recepit, & quæ circa eam castella erant. Ducere tum porrò in sinũ Maliacũ cœpit. Appropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci sunt, deserta vrbe iuuẽtus omnis armata syluas & itinera insedit: & in agmen Romanũ ex superioribus locis incursauit. Coosul primò mittere, qui ex propinquo colloquẽtes deterrerent eos à tali furore, posteaquã perseuerare in incœpto vidit, tribuno cum duorũ signorũ militibus circũmisso, interclusit ad vrbem iter armatis, vacuámque eam cepit. tum clamore ab tergo captæ vrbis audito, refugientiũ vodique ex syluis insidiatorũ cædes facta est. A Thaumacis altero die consul ad Sperchium amnẽ peruenit: inde Hypatæorũ agros vastauit. Cùm hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus. qui iam tum cernẽs, nihil se ex Græcia, præter amœna Chalcide hyberna & infanies nuptias petiisse, Aetolorum vana promissa incusare, & Thoantem: Annibalem verò nõ vt prudentem tantùm virum, sed propè vatem omnium quæ tum euenirẽt, admirari. ne tamen temerè cœpta segnitia insuper euerteret, nuntios in Aetoliam mittit, vt omni contracta iuuentute conuenirẽt. Iam & ipse eò decem millia ferè peditum ex iis qui postea venerant ex Asia expleta, & equites quingentos duxit. Quò cum aliquanto pauciores quàm vnquam antea conuenissent, & priocipes tantummodo cum paucis clientibus essent, atque ii dicerent omnia sedulò

Tyrrhenses obsistunt Antiocho.

Philippus & Bebius multa oppida recipiunt ab Antiocho capta.

Limnæa deditur M. Acilio Cos.

Athamania omnis deficit ad Philippum.

Thaumaci capiuntur.

ab se

A ab se facta, vt quàmplurimos ex ciuitatibus suis euocarent: nec authoritate, nec gratia, nec imperio aduersus detrectantes militiam valuisse: destitutus vndique & ab suis qui morabantur in Asia, & ab sociis qui ea in quorum spem vocauerant, non præstabant: intra saltum Thermopylarum sese recepit.

Thermopylarũ saltus.

Id iugum, sicut Apennini dorso Italia diuiditur, ita mediam Græciam dirimit. ante saltum Thermopylarum septentrionem versus Epirus, & Perræbia, & Magnesia & Thessalia est, & Phthiotæ Achæi, & sinus Maliacus. intra fauces ac meridiem vergunt, Aetoliæ pars maior, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia, adiunctáque insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio Attica terra sita ab tergo & Peloponnesus. Hoc iugũ ab Leucade & mari ad occidentẽ verso per Aetoliã ad alterum mare orienti obiectum tendẽs, ea aspreta rupésque interiectas habet, vt non modò exercitus, sed ne expediti quidem facile vllos ad transitũ calles inueniant. extremos ad orientem montes Oetam vocant, quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur: in cuius valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius quàm sexaginta passus. hæc vna militaris via est, quà traduci exercitus, si non prohibeantur, possunt. ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur: nobilis Lacedæmoniorum aduersus Persas morte magis memorabili, quàm pugna. Haudquaquã pari tũ animo Antiochus intra portas loci eius castris positis, munitionibus insuper saltum impediebat. & cùm duplici vallo fossáque, & muro etiam quà res postulabat, ex multa copia passim iacentium lapidum permuniisset omnia: satis fidens nunquam eà vim Romanum exercitũ facturum, Aetolos ex IIII. millibus (tot enim conuenerant) partim ad Heracleam præsidio obtinendam, quæ ante ipsas fauces posita est, partim Hypatam mittit: & Heracleã haud dubius consulem oppugnaturum, & iam multis nuntiantibus circa Hypatam omnia euastari.

Antiochus ad Thermopylas castra ponit.

Consul depopulatus Hypatensem primò, deinde Heracleensem agrum, inutili vtrobique auxilio Aetolorum, in ipsis faucibus prope fontes calidarum aquarum aduersus regem castra posuit. Aetolorum vtræque manus Heracleam sese incluserunt. Antiochum, cui priusquã hostem cerneret, satis omnia permunita & præsidiis obsepta videbantur, timor deinde incessit, ne quos per imminentia iuga calles inueniret ad transitum Romanus. nam & Lacedæmonios quondam ita à Persis circumitos fama erat: & nuper Philippum ab iisdem Romanis. itaque nuntium Heracleam ad Aetolos mittit, vt hanc saltem sibi operam eo bello præstarent, vt vertices circà montium occuparent obsideréntque, ne quà transire Romanus posset. Hoc nuntio audito dissensio inter Aetolos orta est. pars imperio parendum regis, atque eundũ censebant: pars subsistendum Heracleæ ad vtranque fortunam, vt siue victus à consule rex esset, in expedito haberent integras copias ad opem propinquis ferendam ciuitatibus suis: siue vinceret, vt dissipatos in fugam Romanos persequerentur. Vtraque pars non mansit

Acilius consul aduersus Antiochum castra locat.

B modò in sententia sua, sed etiam executa est consiliũ: duo millia Heracleæ substiterunt: duo trifariam diuisa, Callidromũ & Rhoduntiam, & Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt) occupauere. Consul posteaquã insessa superiora loca ab Aetolis vidit, M. Porcium Catonẽ & L. Valerium Flaccũ consulares legatos cum binis millibus delectorum peditũ ad castella Aetolorũ, Flaccum in Rhoduntiã & Tichiunta, Catonem in Callidromũ mittit. ipse priusquã ad hostem copias admoueret, vocatos in concionem milites paucis est allocutus: Plerosque omnium ordinum milites inter vos esse video, qui in hac eadem prouincia T. Quintii ductu auspicióque militaueritis.

Consulis ad milites oratio.

Macedonico bello inexuperabilis magis saltus ad amnem Aoum fuit, quàm hic. quippe portæ sunt hæ: & vnus inter duo maria clausis omnibus, velut naturalis transitus est. munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt, & validiores impositæ. exercitus hostium ille & numero maior, & militum genere aliquanto melior: quippe illic Macedones Thracésque & Illyrii erant, ferocissimæ omnes gentes: hic Syri & Asiatici Græci sunt, leuissima genera hominũ, & seruituti nata: rex ille bellicosissimus, exercitatus iam inde ab iuuẽta finitimis Thracũ atque Illyriorum, & circà omnium accolarum bellis: hic vt aliam omnẽ vitam omittã, is est, qui cùm ad inferẽdũ populo Ro. bellum ex Asia in Europam transisset, nihil memorabilius toto tempore hybernorum gesserit, quàm quòd amoris causa ex domo priuata & obscuri etiam inter populares generis vxorẽ duxit: & nouus maritus velut saginatus nuptialib. cœuis, ad pugnam processit. Summa viriũ speíque eius in Aetolis fuit, gente vanissima & ingratissima, vt vos prius experti estis, nunc Antiochus experitur. nam nec conuenerunt frequentes, nec contineri in castris potuerunt, & in seditione ipsi inter se sunt: & cùm Hypatam tuendam Heracleámque deposcissent, neutram tutati, pars refugerunt in iuga montiũ, pars Heracleæ incluserunt sese. Rex ipse confessus nusquam æquo campo non modò cõgredi se ad pugnam audere, sed nec castra quidem in aperto ponere, relicta omni ante se regione ea quã se nobis ac Philippo ademisse gloriabatur, condidit se intra rupes: ne ante fauces quidem saltus, vt quondam Lacedæmonios fama est, sed intrà penitus retractis castris. quod quantum interest ad timorem ostendendum, an muris alicuius vrbis obsidendũ sese incluserit? Sed neque Antiochum tuebuntur angustiæ: nec Aetolos vertices illi, quos ceperunt. satis vndique prouisum atque præcautum est, ne quid aduersus vos in pugna præter hosteis esset. Illud proponere animo vestro debetis, non vos pro Græciæ libertate tantùm dimicare, (quanquam is quoque egregius titulus esset, liberatam à Philippo antè, nunc ab Aetolis & ab Antiocho liberare) neque ea tantùm in præmium vestrum cessura, quæ nunc in regiis castris sunt: sed illũ quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso expectatur, prædæ futurũ: Asiam deinde Syriámque, & omnia vsque ad ortus solis ditissima regna imperio Ro. aperturos. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum oceano fineis terminemus, qui orbẽ terrarum amplexu finit? & omne humanum genus secundum deos nomen Romanum veneretur? In hæc tanta præmia dignos parate

E 2

animos, vt crastino die bene iuuantibus diis acie decernamus. Ab hac concione dimissi milites, A priusquàm corpora curarent, arma teláque parãt. Luce prima signo pugnæ proposito, instruit aciem

Consul aciẽ instruit aduersus Antiochum.

consul arcta fronte, ad naturam & angustias loci. Rex posteaquàm signa hostium conspexit, & ipse copias eduxit. Leuis armaturæ partem ante vallum in primo locauit: tum Macedonum robur, quos sarissophoros appellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones constituit. his ab sinistro cornu iaculatorum sagittariorúmque & funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, vt ex altiore loco nuda latera hostium incesserent. ab dextro Macedonibus ad ipsum munimentorum finem, quà loca vsque ad mare in via palustri limo & voraginibus claudunt. elephantos cum assueto præsidio posuit: post eos equites: tum modico interuallo relicto, cæteras copias in secunda acie. Macedones pro vallo locati, primò facile sustinebant Romanos, tentantes ab omni parte aditus: multũ adiuuantibus qui ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes & sagittas simul ac iacula ingerebant. deinde, vt maior nec iam toleranda vis hostium inferebat se, pulsi loco intra munimenta subductis ordinibus concesserunt. inde ex vallo propè alterum vallum hastis præ se obiectis fecerunt. & ita modica altitudo valli erat, vt & locum superiorem ad pugnandum suis præberet: & propter longitudinem hastarum subiectum haberet hostem. Multi temerè subeuntes vallum transfixi sunt: & aut incepto irrito recessissent, aut plures cecidissent, ni M. Porcius ab iugo Callidromi, deiectis inde Aetolis, & magna ex parte cæsis, (incautos enim & plerosque sopitos oppresserat) super imminentem castris collem apparuisset. Flacco non eadem fortuna ad Tichiunta & Rhodontiam, nequicquã subire ad ea castella conato, fuerat. Macedones, quíque alii in castris regiis erant, primò, dum procul nihil aliud quã turba & agmen apparebat: Aetolos credere visa procul pugna subsidio venire. cæterùm vt primùm signáque & arma ex propinquo cognita errorem aperuerunt, tantus repentè pauor omnes cepit, vt abiectis armis fugerent. Et munimenta sequentes impedierunt, & angustiæ vallis, per quam sequendi erant: & maximè omnium, quòd elephanti nouissimi agminis erant, quos pedes ægrè præterire, eques nullo poterat modo, timẽtibus equis, tumultúmque inter se maiorẽ quàm in prælio edentibus. aliquantum temporis & direptio castrorum tenuit. Lilæum tamen eo die persecuti sunt hostem. Multis in ipso itinere cæsis, captísque, non equis virísque tantùm, sed etiam elephantis, quos capere non potuerant, interfectis, in castra reuerterunt: quæ tentata eo die inter ipsum pugnæ tempus ab Aetolis Heracleam obtinentibus præsidio sine vllo haud parum audacis incepti effectu fuerant. Consul noctis insequentis tertia vigilia præmisso equitatu ad persequendum hostem, signa legionum prima luce mouit. Aliquantum viæ præceperat rex, vt qui non antè quàm Elatiæ ab effuso constiterit cursu: vbi primùm reliquiis pugnæque & fugæ collectis, cum perexigua manu semermium militum Chalcidem se recepit. Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiæ assecu- B tus non est, sed magnam partem agminis aut lassitudine subsistentis, aut errore, vt qui sine ducibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserũt. nec præter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit: etiam ex x. millibus militum, quos Polybio authore traiecisse secum regem in Græciam scripsimus, exiguus numerus. Quid si Antiati Valerio credamus, LX. millia militum fuisse in regio exercitu scribenti? XL. inde millia cecidisse? supra V. millia capta cum signis militaribus CCXXX? Romanorum CL. interfecti sunt. Consule per Phocidem & Bœotiam exercitũ ducente, consciæ defectionis ciuitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur: cæterũ per omnes dies haud secus quàm in pacato agro sine violatione vllius rei agmen processit, donec in agrum Coronensem ventum est. ibi statua regis Antiochi posita in templo Mineruæ Itoneæ iram accendit: permissúmque militi est, vt circumiectum templo agrum popularetur. deinde cogitatio animum subiit, cùm communi decreto Bœotiorum posita esset statua, indignũ esse in vnum Coronensem agrum sæuire. reuocato extemplò milite, finis populandi factus: castigati tantùm verbis Bœotii, ob ingratum in tantis támque recentibus beneficiis animum erga Romanos. Inter ipsum pugnæ tempus x. naues regiæ cum præfecto Isidoro ad Thronium in sinu Maliaco stabãt. eò grauis vulneribus Alexander Acarnân nuntius aduersæ pugnæ cùm perfugisset, trepidæ inde recenti terrore naues Cenæum Eubœæ petierunt. ibi mortuus sepultúsque Alexander. Tres, quæ ex Asia profectæ eundem portum tenuerant naues, audita exercitus clade, Ephesum redierunt. Isidorus ab Cenæo Demetriadem, si fortè eò deferret fuga regem, traiecit. Per eosdem dies A. Attilius præfectus Romanæ classis magnos regios commeatus iam fretum, quod ad Andrum insulam est, præteruectos excepit. alias mersit, alias cepit naues. quæ nouissimæ agminis erant, cursum in Asiam verterunt. Attilius Piræeum, vnde profectus erat, cum agmine captiuarum nauium reuectus, magnam vim frumenti & Atheniensib. & aliis eiusdem regionis sociis diuisit. Antiochus sub aduentum consulis à Chalcide profectus, Tenum primò tenuit, inde Ephesum transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ patuerunt, cum appropinquante eo Aristoteles præfectus regis vrbe excessisset. & cæteræ vrbes in Eubœa sine certamine traditæ. paucósque per dies omnibus perpacatis, sine vllius noxa vrbis exercitus Thermopylas reductus, multò modestia post victoriam, quàm ipsa victoria laudabilior. Inde consul M. Catonem, per quem quæ gesta essent, senatus populúsque Romanus haud dubio authore sciret, Romam misit. Is à Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras Achaiæ petit. à Patris Corcyram vsque Aetoliæ atque Acarnaniæ litora legit: atque ita ad Hydruntum Italiæ traiecit. quinto die inde pedestri itinere Romam ingenti cursu peruênit, ante lucem ingressus vrbem, à porta ad prætorem M. Iunium iter intendit. Is prima luce senatum vocauit. quò L. Cornelius Scipio aliquot diebus ante à consule dimissus, cùm adueniens audisset præ

Antiochi exercitus funditur.

Antiochus Chalcidem se recepit.

De Antiochi exercitu variant scriptores.

Bœotiorum ciuitates ad Romanos deficiunt.

Antiochus Ephesum perfugit.

set præ

A set prægressum Catonem in senatu esse, superuenit exponenti quæ gesta essent. Duo inde legati iussu
senatus in concionem sunt producti: atque ibi eadẽ, quæ in senatu de rebus in Aetolia gestis exposue
runt. Supplicatio in triduum decreta est: & vt x L. hostiis maioribus prætor, quibus diis ei videretur, *Supplicatio*
sacrificaret. Per eosdem dies & M. Fuluius Nobilior, qui biennio antè prætor in vlteriorẽ Hispaniam *in triduum*
erat profectus, ouans vrbem est ingressus: † Argenti bigati præ se tulit c x x x. millia: & extra nume- *decreta.*
ratum † x i i. millia pondo argẽti: † auri pondo c x x v i i. Acilius consul ab Thermopylis Heracleã *† Si tot biga*
ad Aetolos præmisit, vt tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscerent: traditáque Heraclea, *tos denarios*
cogitarent de petenda ab senatu seu furoris sui, seu erroris venia. Et cæteras Græciæ ciuitates defe- *intelligas,*
cisse eo bello ab optimè de se meritis Romanis: sed quia post fugam regis, cuius fiducia ab officio *efficient co-*
decessissent, non addidissent pertinaciam culpæ, in fide receptas esse. Aetolos quoque, quanquã non *ron. 13000*
secuti sint regem, sed accersierint: & duces belli, non socii fuerint: si pœnitere possint, posse & inco- *† Coron.*
lumes esse. Ad ea cùm pacati nihil responderetur, apparerétque armis rem gerendã: & rege supera- *120000*
to bellum Aetolicum integrũ restare, castra ab Thermopylis ad Heracleam mouit: eóque ipso die, *† Coron.*
vt situm nosceret vrbis, ab omni parte eqno mœnia est circumuectus. Sita est Heraclea in radicibus *14224*
Oetæ montis: ipsa in campo, arcem imminentem loco alto, & vndique præcipiti habet. Contempla-
tus omnia quæ noscenda erant, quatuor simul locis aggredi vrbem constituit. à flumine Asopo, quà *Heracleam*
& gymnasium est, L. Valerium operibus atque oppugnationi præposuit. arcem extra muros, quæ fre *oppugnat*
quentius propè quàm vrbs habitabatur, T. Sempronio Longo oppugnandam dedit. à sinu Maliaco, *consul.*
quæ aditum haud facilem pars habebat, M. Bebium: ab altero amniculo, quem Melana vocant, aduer
sus Dianæ templum, Ap. Claudium opposuit, Horum magno certamine intra paucos dies turres
arietésque, & alius omnis apparatus oppugnandarum vrbium perficitur. & cùm ager Heracliensis
paluster omnis, frequénsque proceris arboribus benignè ad omne genus operum materiam suppe-
ditabat: tum quia refugerant intra mœnia Aetoli, desertáque in vestibulo vrbis erant tecta, in varios
vsus non tigna modò & tabulas, sed laterem quoque & cæmenta & saxa variæ magnitudinis præbe-
bant. Et Romani quidem operibus magis quàm armis vrbem oppugnabant: Aetoli contrà armis se
tuebantur. nam cùm ariete quaterentur muri, non laqueis, vt solet, exceptos declinabant ictus: sed *Aetolorum*
armati frequentes quidam ignes etiã, quos aggeribus inicerent, ferebant. fornices quoque in muro *constantia*
erant apti ad excurrendum: & ipsi cùm pro dirutis reficerent muros, crebriores eos, vt pluribus *in tuenda*
erumperetur in hostem locis, faciebant. Hoc primis diebus, dum integræ vires erant, & frequentes *Heraclea.*
& impigrè fecerunt: in dies deinde pauciores, & segnius. etenim cùm multis vrgerentur rebus, nulla
eos res æquè ac vigiliæ conficiebant: Romanis in magna copia militum succedentibus aliis in sta-
B tionem aliorum, Aetulos propter paucitatem eosdẽ dies noctésque assiduo labore vrente. per i i i i.
& x x. dies, ita vt nullum tempus vacuum dimicatione esset, aduersus quatuor è partibus simul op-
pugnantem hostem nocturnus diurno continuatus labor est. Cùm fatigatos iam Aetolos sciret Cos.
& ex ratione temporis, & quod ita transfugæ affirmabant, tale consilium iniit. media nocte receptui
signum dedit, & ab oppugnatione simul omnes milites deductos vsque ad tertiam diei horam quie-
tos in castris tenuit: inde cœpta oppugnatio ad mediam rursus noctem perducta est, intermissa de-
inde vsque ad tertiam diei horam. Fatigationem rati causam esse Aetoli non continuandæ oppugna
tionis, quæ & ipsos affecerat: vbi Romanis datum receptui signum esset, velut ipsi quoque hoc reuo-
cati, pro se quisque ex stationibus decedebant: nec ante tertiam diei horam armati in muris appare-
bant. Consul cùm nocte media intermisisset oppugnationem, quarta vigilia rursus ab tribus partibus
summa ni aggressurus: ab vna T. Sempronium tenere intentos milites signúmque expectare iussit:
ad ea in nocturno tumultu, vnde clamor exaudiretur, haud dubiè ratus hostes concursuros. Aetoli
pars sopiti affecta labore ac vigiliis corpora ex somno moliebantur: pars vigilantes adhuc ad strepi
tum pugnantium in tenebris currunt. Hostes partim per ruinas iacentis muri transcendere conan-
tur: partim scalis ascensus tentant. aduersus quos vndique ad opem ferendam concurrunt Aetoli.
Pars vna, in qua ædificia extra vrbem erant, neque defenditur, neque oppugnatur: sed qui oppugna-
rent, intenti signum expectabant, defensor nemo aderat. Iam dilucescebat, cùm signum cõsul dedit:
& sine vllo certamine partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendêre. Simul cla- *Heraclea à*
mor index capti oppidi est exauditus, vndique Aetoli desertis stationibus in arcem fugiunt. Oppi- *consule ex-*
dum victores permissu consulis diripiunt: non tam ab ira, nec ab odio, qnàm vt miles coercitus in *pugnata, Ae*
tot receptis ex potestate hostium vrbib. aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret. Reuocatos *toli in arcẽ*
inde à medio fermè die milites cùm in duas diuisisset partes: vnam radicibus montium circumduci *fugiunt.*
ad rupem iussit: quæ fastigio altitudinis par, media valle velut abrupta ab arce erat: sed adeò propè
geminata cacumina eorum montium sunt, vt ex vertice altero conici tela in arcem possent, cum di-
midia militum parte consul ab vrbe ascensurus in arcem, signum ab iis qui ab tergo in rupem eua-
suri erant, expectabat. Non tulere qui in arce erant Aetoli primùm eorum qui rupem ceperant cla-
morem, deinde impetum ab vrbe Romanorum: & fractis iam animis, & nulla ibi præparata re ad
obsidionem diutius tolerandam: vt pote congregatis fœminis puerísque, & imbelli alia turba in ar-
cem, quæ vix capere, nedum tueri multitudinem tantam posset. itaque ad primum impetum abiectis *Aetoli de-*
armis dediderũt sese. Traditus inter cæteros principes Aetolorum & Damocritus est: qui principio *dunt se con-*
belli decretum Aetolorum, quo accersendum Antiochum censuerant, T. Quintio poscenti respon- *suli.*
derat: in Italia daturum, cùm castra ibi Aetoli posuissent. ob eam ferociam maius victoribus gau-
dium traditus fuit. Eodem tempore quo Romani Heracleam, Philippus Lamiam ex composito op-

pugnabat,circa Thermopylas cum consule redeunte ex Bœotia,vt victoriam ipsi populóque Romano gratularetur,excusarétque quòd morbo impeditus bello non interfuisset,congressus.inde diuersi ad duas simul oppugnandas vrbes profecti.intersunt septem millia fermè passuum.& quia Lamia cùm posita est in tumulo,tum regionem eâ maxime despectat oppidum,quâ breue interuallum videtur,& omnia in conspectu sunt.cùm enixè velut proposito certamine Romani Macedonésque diem ac noctè aut in operibus aut in prælus essent,hoc maior difficultas Macedonibus erat,quòd Romani aggere & vineis,& omnibus supra terrã operibus,subtus Macedones cuniculis oppugnabant:& in asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat.Et cùm parum procederet inceptum,per colloquia principum oppidanos tentabat rex, vt vrbem dederent: haud dubius,quin si prius Heraclea capta foret,Romanis se potius quàm sibi dedituri essent:suámque gratiam consul in obsidione liberanda facturus esset.Nec enim opinio est frustrata:confestim enim ab Heraclea capta nuntius venit,vt oppugnatione abstineret.Aequius esse,Romanos milites qui acie dimicassent cum Aetolis,præmia victoriæ habere. Ita recessum ab Lamia est,& propinquæ clade vrbis ipsi,ne quid simile paterentur,effugerunt.Paucis priusquam Heraclea caperetur diebus, Aetoli concilio Hypatam coacto,legatos ad Antiochum miserunt:inter quos & Thoas idem,qui & antea,missus est.mandata erãt,vt ab rege peterent primùm,vt ipse coactis rursus terrestribus naualibúsque copiis,in Græciam traiiceret:deinde,si qua ipsum teneret res,vt pecuniam & auxilia mitteret.id cùm ad dignitatem eius fidémque pertinere,non prodi socios:tum etiam ad incolumitatem regni,non sinere Romanos omni cura vacuos,cùm Aetolorum gentem sustulissent,omnibus copiis in Asiam traiicere. Vera erant quæ dicebantur:eo magis regem mouerunt.itaque in præsentia pecuniam quæ ad vsus belli necessaria erat,legatis dedit:auxilia terrestria naualiáque affirmauit missurum.Thoantem vnũ ex legatis retinuit,& ipsum haud inuitum morantem, vt exactor præsens promissorum adesset. Cæterùm Heraclea capta fregit tandem animos Aetolorum: & post paucos dies quàm ad bellum renouandum,acciendúmque regem in Asiam miserant legatos: abiectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad consulem miserunt. Quos dicere exorsos consul interfatus,cùm alia sibi præuertenda esse dixisset:redire Hypatam eos datis dierum x.induciis,& L.Valerio Flacco cum iis missso,iussit:ei quæ secum acturi fuissent,exponere:& si qua vellent alia.Hypatam vt est ventum, principes Aetolorum apud Flaccum concilium habuerunt, consultantes, quónam agendum modo apud consulem foret. Parantibus iis antiqua iura fœderum ordiri, meritáque in populum Romanum,absistere iis Flaccus iussit,quæ ipsi violassent:confessionem iis culpæ magis profuturam, & totam in preces orationem versam. nec enim in causa ipsorum, sed in populi Romani clementia spem salutis positam esse.& se suppliciter agentibus iis adfuturum,& apud consulem & Romæ in senatu.eò quoque enim mittendos fore legatos.Hæc vna via omnibus ad salutem visa est, vt in fidem se permitterent Romanorum.ita enim & illis violandi supplices verecundiam se impossituros: & ipsos nihilo minus suæ potestatis fore,si quid melius fortuna ostendisset. Posteaquam ad consulẽ ventum est, Phaneas legationis princeps longam orationem,& variè ad mitigandam iram victoris compositam,ita ad extremum finiuit,vt diceret,Aetolos se suáque omnia fidei populi Romani permittere. Id consul vbi audiuit,etiam atque etiam videte,inquit,Aetoli,vt ita permittatis. Tum decretum Phaneas,in quo id disertè scriptum erat,ostendit.Quando ergo,inquit,ita permittitis,postulo vt mihi Dicæarchum ciuem vestrum,& Menetam Epirotam,(Naupactũ is cum præsidio ingressus ad defectionem compulerat) & Aminandrũ cum principibus Athamãnum, quorum consilio ab nobis defecistis,sine mora dedatis.Propè dicentem interfatus Romanum, Non in seruitutem,inquit,sed in fidem tuam nos tradimus:& certum habeo te imprudentia labi:qui nobis imperes,quæ moris Græcorum non sint.Ad hæc Cos.Nec hercule,inquit,magnopere nunc curo,quid Aetoli satis ex more Græcorum factum esse censeant:dum ego more Romano imperium id habeam in deditos modò decreto suo,antè armis victos.itaque ni properè fit quod impero,vinciri vos iam iubeo. afferríque catenas,& circumsistere lictores iussit.Tum fracta Phaneæ ferocia, Aetolísque aliis est: & tandem cuius conditionis essent,sensere.& se quidem Phaneas,& qui adsint Aetolorum, scire facienda esse quæ imperentur,dixit: sed ad decernenda ea concilio Aetolorum opus esse. ad id petere, vt x.dierum inducias daret. Petente Flacco pro Aetolis, induciæ datæ: & Hypatam reditum est.Vbi cùm in concilio delectorum,quos apocletos vocant,Phaneas & quæ imperarentur, & quæ ipsis propè accidissent,exposuisset:ingemuerunt quidem principes conditioni suæ, parendũ tamen victori censebant,& ex omnibus oppidis conuocandos Aetolos ad concilium. Posteaquam verò omnis coacta multitudo eadem illa audiuit,adeò sæuitia imperii atque indignitate exasperati animi sunt,vt si in pace fuissent,illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum. Ad iram accedebat & difficultas eorum quæ imperarentur:quónam modo enim vtique regem Aminandrum se tradere posse?& spes fortè oblata,quòd Nicander eo ipso tempore ab rege Antiocho veniens,impleuit expectatione vana multitudinem:terra maríque ingens parari bellum.Is duodecimo die quàm conscenderat nauem,in Aetoliam perfecta legatione rediens, Phalaram in sinu Maliaco tenuit.inde Lamiam pecuniam cùm deuexisset,ipse eum expeditis vespera prima inter Macedonum Romanáque castra medio agro dum Hypatam notis callibus petit,in stationem incidit Macedonum: deductúsque ad regem est,nondum conuiuio dimisso. Quod vbi nuntiatum est,velut hospitis, non hostis aduentu motus Philippus,accumbere eum epularíque iussit:atque inde dimissis aliis solum retentum,ipsum quidem de se timere quicquam vetuit. Aetolorum praua consilia,atque in ipsorum

Lamiam Philippus oppugnat.

Aetoli legatos ad Antiochum mittunt.

Aetoli pacẽ à consule petunt.

Consulis & Phaneæ Aetolorum legati altercatio.

Aetoli de summa rerũ consultant.

A

B

A rum caput semper recidentia accusauit: qui primùm Romanos, deinde Antiochum in Græciam adduxissent.sed præteritorum,quæ magis reprehendi quàm corrigi possint, oblitum se,non facturum vt insultet aduersis rebus eorum.Aetolos quoque finire tandem aduersus se odia debere:& Nicandrum priuatim eius diei,quo seruatus à se foret,meminisse.Ita datis qui in tutum eum prosequerentur,Hypatam Nicander consultantibus de pace Romana superuenit.M.Acilius vendita aut concessa militi circa Heracleam præda,posteaquam nec Hypatæ pacata esse consilia,& Naupactū concurrisse Aetolos,vt inde totum impetum belli sustinerent,audiuit:præmisso Ap. Claudio cum IIII. millibus militum ad occupanda iuga quà difficilis transitus montium erant,ipse Oetam ascendit: Herculísque sacrificium fecit in eo loco,quem Pyram,quòd ibi mortale corpus eius dei sit crematū, appellant.inde toto exercitu profectus,reliquum iter satis expedito agmine fecit. Vt ad Coracem est ventum,(mons est altissimus inter Callipolin & Naupactum) ibi & iumenta multa ex agmine præcipitata cum ipsis oneribus sunt,& homines vexati.& facilè apparebat,quàm cum inerti hoste res esset,qui tam impeditum saltum nullo præsidio,vt clauderet transitum,insedisset. Tum quoque vexato exercitu,ad Naupactum descendit:& vno castello aduersus arcem posito,cæteras partes vrbis,diuisis copiis pro situ mœnium,circumsedit.nec minus operis laborísque ea oppugnatio,quàm Heracleæ habuit.Eodem tempore & Messene in Peloponneso ab Achæis,quòd concilii eorum recusaret esse,oppugnari cœpta est.Etenim duæ ciuitates Messene & Elis, extra concilium Achaicum erant,cum Aetolis sentiebant.Elei tamen post fugatum ex Græcia Antiochum legatis Achæorum lenius responderant:dimisso præsidio regio cogitaturos se quid sibi faciendum esset.Messenii sine responso dimissis legatis mouerant bellum: trepidíque rerum suarum,cùm iam ager effuso exercitu passim vreretur,castráque prope vrbem poni viderent:legatos Chalcidem ad T. Quintium authorem libertatis miserunt,qui nuntiarent,Messenios Romanis,non Achæis,& aperire portas,& dedere vrbem paratos esse.Auditis legatis extemplò profectus Quintius,à Megalopoli ad Diaphanem Pr.Achæorum misit,qui extemplò reducere eum à Messene exercitum,& venire ad se iuberet.Dicto paruit Diaphanes:& soluta obsidione expeditus ipse prægressus agmen,circa Andaniam,paruum oppidum inter Megalopolin Messenénque positum, Quintio occurrit.& cùm causas oppugnationis exponeret,castigatum leuiter,quòd tantam rem sine authoritate sua conatus esset, dimittere exercitum iussit:nec pacem omnium bono partam turbare.Messeniis imperauit,vt exules reducerent,& Achæorum concilii essent.si qua haberent,de quibus aut recusare,aut in posterum cauere sibi vellent,Corinthum ad se venirent.Diaphanem concilium Achæorum extemplò sibi præbere iussit. Ibi de Zacyntho intercepta per fraudem insula questus, postulauit vt restitueretur Romanis.Philippi
B Macedonum regis Zacynthus fuerat:eam mercedem Aminandro dederat,vt per Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem Aetoliæ liceret:qua expeditione fractis animis,Aetolos compulit ad petendam pacem.Aminander Philippum Megalopolitanum insulæ præfecit:postea per bellum,quo se Antiocho aduersus Romanos coniunxit,Philippo ad munia belli reuocato,Hieroclem Agrigentinū successorem misit.Is post fugam ab Thermopylis Antiochi,Aminandrúmque à Philippo Athamania pulsum,missis vltro ad Diaphanem Pr.Achæorum nuntiis,pecunia pactus insulam Achæis tradidit.Id præmium belli suum esse,æquum censebant Romani:non enim M. Acilium Cos.legionésque Romanas Diaphani & Achæis ad Thermopylas pugnasse. Diaphanes aduersus hæc purgare interdum sese,gentémque:interdum de iure facti disserere. Quidam Achæorum & initio eam se rem aspernatos testabantur,& tunc pertinaciam increpitabant prætoris:authoribúsque iis decretum est,vt T.Quintio ea res permitteretur. Erat Quintius sicut aduersantibus asper: ita,si cederes,idem placabilis.Omissa igitur contentione vocis vultúsque:Si vtilem,inquit,possessionem eius insulæ censerem Achæis esse,author essem senatui populóque Romano,vt eam vos habere sinerent.cæterùm sicut testudinem,vbi collecta in suum tegimen est,tutam ad omneis ictus video esse: vbi exerit partes aliquas,quodcunque nudauit,obnoxium atque infirmum habere:haud dissimiliter vos Achæi clausos vndique mari,quæ intra Peloponnesi sint terminos, ea & iungere vobis,& iuncta tueri facile:simul auiditate plura amplectendi hinc excedatis:nuda vobis omnia,quæ extra sint,& exposita ad omneis ictus esse. Assentiente omni concilio,nec Diaphane vltrà tendere auso, Zacynthus Romanis traditur. Per idem tempus Philippus rex proficiscentem Cos.ad Naupactum percunctatus,si se interim quæ defecissent ab societate Romana vrbes,recipere vellet: permittente eo ad Demetriadem copias mouit,haud ignarus,quanta ibi tum perturbatio esset. Destitui enim ab omni spe:cùm desertos se ab Antiocho,spem nullā in Aetolis esse cernerent:dies noctésque aut Philippi hostis aduentum,aut infestiorem etiam,quo iustius irati erant,Romanorum expectabant. Turba erat ibi incondita regiorum:qui primò pauci in præsidio relicti,postea plures,plerique inermes ex prælio aduerso fuga delati,nec virium,nec animi satis ad obsidionem tolerādam habeant.itaque præmissis à Philippo,qui spem impetrabilis veniæ ostendebant:responderunt,patêre portas regi. Ad primum eius ingressum principum quidam vrbe excesserunt:Eurylochus mortem sibi cōsciuit. Antiochi milites(sic enim pacti erant)per Macedoniam Thraciámque,prosequentibus Macedonibus ne quis eos violaret,Lysimachiam deducti sunt.Erant & paucæ naues Demetriade:quibus præerat Isidorus.eæ quoque cum præfecto suo dimissæ sunt.Inde Dolopiam & Aperantiam & Perræbiæ quasdam ciuitates recepit. Dum hæc à Philippo geruntur, T. Quintius recepta Zacyntho ab Achaico concilio Naupactum traiecit:quæ iam per duos menses (sed prope excidium erat) oppugnabatur:& si capta vi foret,omne ibi nomen Aetolorum ad internicionem videbatur venturum.

Aetoli Naupactum muniunt aduersus Romanos.

Consul Naupactum obsidet.

Messenij dedunt sese Romanis.

Zacynthus restituitur Romanis.

Demetriadē recipit Philippus.

Quintius Naupactum venit.

Ceterùm quanquam meritò iratus erat Aetolis, quòd solos obtrectasse gloriæ suæ, cùm liberaret A Græciam, meminerat: & nihil authoritate sua motos esse, cùm quæ tum maximè acciderant, casura præmonens, à furioso incepto eos deterreret: tamen, sui maximè operis esse credens, nullam gentem liberatæ à se Græciæ funditus euerti, obambulare muris, vt facilè nosceretur ab Aetolis, cœpit. Confestim à primis stationibus cognitus est, vulgatúmque per omnes ordines, Quintium esse. itaque concursu facto vndique in muros, manus pro se quisque tendentes, consonante clamore nominatim Quintium orare, vt opem ferret ac seruaret. Et tum quidem, quanquam moueretur his vocibus: manu tamen annuit, quidnam opis in se esset? Cæterùm posteaquam ad Cos. venit: Vtrum fallit, inquit, te M. Acili, quid agatur? an cùm satis prouideas, nihil id magnopere ad summam reip. pertinere censes? Erexerat expectatione Cos. & Quin expromis, inquit, quid rei sit? Tum Quintius: Ecquid vides te deuicto Antiocho in duabus vrbibus oppugnandis tempus terere: cùm iam propè annus circumactus sit imperii tui? Philippum autem, qui non aciem, non signa hostium vidit: non solùm vrbes, sed tot iam gentes, Athamaniam, Perræbiam, Aperantiam, Dolopiam sibi adiunxisse? atqui non tantum interest nostra, Aetolorum opes ac vires minui, quantum, non supra modum Philippum crescere, & victoriæ tuæ præmium te militésque tuos nondum duas vrbes, Philippum tot gentes Græciæ habere. Assentiebatur his Cos. sed pudor, si irrito incepto abscederet obsidione, occurrebat: tota inde Quintio res permissa est. Is rursus ad eam partem muri, qua pauloantè vociferati Aetoli fuerant, rediit: ibi cùm impensius orarent, vt misereretur gentis Aetolorum, exire aliquos ad se iussit. Phaneas ipse principésque alii extemplò egressi sunt. quibus prouolutis ad pedes: Fortuna, inquit, vestra facit, vt & iræ meæ & orationi temperem. euenerunt quæ prædixi euentura. & ne hoc quidem reliqui vobis est, vt indignis accidisse ea videantur. ego tamen sorte quadam nutriendæ Græciæ datus, ne ingratis quidem benefacere absistam. mittite oratores ad Cos. qui inducias tantum temporis petant, vt mittere legatos Romam possitis, per quos senatui de vobis permittatis. ego apud Cos. deprecator defensórque vobis adero. Ita vt censuerat Quintius, fecerunt: nec aspernatus est legationem Cos. induciisque in diem certam datis, qua legatio renuntiari ab Roma posset, soluta obsidio est, & exercitus in Phocidem missus. Cos. cum T. Quintio ad Achaicum concilium Aegium traiecit. ibi de Eleis & exulibus Lacedæmoniorum restituendis actum. & neutra perfecta res: quia suæ gratiæ reseruari eam Achæi, Elei per se ipsi, quàm per Romanos maluerunt Achaico contribui concilio. Epirotarum legati ad Cos. venerunt: quos non syncera fide in amicitia fuisse satis constabat, militem tamen nullum Anticho dederant, pecunia iuuisse eum insimulabantur, legatos ad regem ne ipsi quidem misisse inficiabantur. Is petentibus, vt in amicitia pristina esse liceret, respondit Cos. B se, vtrum hostium, an pacatorum eos numero haberet, nondum scire: senatum eius rei iudicem fore, integram se causam eorum Romam reiicere: inducias ad id dierum XC. dare. Epirotæ Romam missi senatum adierunt. iis magis quæ non fecissent hostilia referentibus, quàm purgantibus ea de quibus arguebantur, responsum datum est, quo veniam impetrasse, non causam probasse videri possent. Et Philippi regis legati sub idem tempus in senatum introducti, gratulantes de victoria. iis petentibus, vt sibi sacrificare in Capitolio, domúmque ex auro liceret ponere in æde Iouis OPTIMI MAXIMI permissum ab senatu. C. pondo coronam auream posuerunt. Non responsum solum benignè legatis est: sed Philippi quoque filius Demetrius, qui obses Romæ erat, ad patrem reducendus legatis datus est. Bellum quod cum Antiocho rege in Græcia gestum est à M. Acilio Cos. hunc finem habuit. Alter Cos. P. Cornelius Scipio Galliam prouinciam sortitus, prinsquam ad bellum, quod cum Boiis gerendum erat, proficisceretur, postulauit ab senatu, vt pecunia sibi decerneretur ad ludos, quos Propr. in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ vouisset. Nouum atque iniquum postulare est visus. censuerunt ergo, quos ludos inconsulto senatu ex sua vnius sententia vouisset, eos vel de manubiis, si quam pecuniam ad id reseruasset, vel sua ipse impensa faceret. Eos ludos per dies X. P. Cornelius fecit, Per idem ferè tempus ædes matris magnæ Idææ dedicata est: quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio Coss. in Palatium à mari detulerat. Locauerant ædem faciendam ex S. C. M. Liuius, C. Claudius censores, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. tredecim annis postquam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus: ludíque ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse, Valerius Antiâs est author, Megalesia appellatos. Item Iuuentutis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumuir dedicauit. vouerat eam sexdecim annis antè M. Liuius Cos. quo die Asdrubalem exercitúmque eius cæcidit. idem censor eam faciendam locauit, M. Cornelio, T. Sempronio Coss. Huius quoque dedicandæ causa ludi facti: & eo omnia cum maiore religione facta, quòd nouum cum Antiocho instabat bellum. Principio eius anni, quo hæc iam profecto ad bellum M. Acilio, manente adhuc Romæ P. Cornelio Cos. agebantur: boues duos domitos in Carinis per scalas peruenisse in tegulas ædificii, proditum memoriæ est. eos viuos comburi, cinerémque eorum deiici in Tyberim, aruspices iusserunt. Tarracinæ & Amiterni nuntiatum est, aliquoties lapidibus pluisse: Minturnis ædem Ionis, & tabernas circa forum de cælo tactas esse: Vulturni in ostio fluminis duas naues fulmine ictas conflagrasse. Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex SC decemuiri cùm adissent, renuntiarunt, ieiunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno seruandum: & vt nouendiale sacrum fieret, & vnum diem supplicatio esset: coronati supplica

Aetoli orãt Quintiũ ut sibi opem ferat.

Epirotarum legati ad Aciliũ Cos.

Philippi legati ad Senatum.

Demetrius Philippi filius ad patrē remittitur.

Aedes matris Idææ dedicatur.

Megalesia.

Prodigia.

Ieiunium Cereri instituitur.

A supplicarent: & Cos. P. Cornelius quibus diis quibúsque hostiis edidissent decemuiri, sacrificaret. Placatis diis nunc votis rite soluendis, nunc prodigiis expiandis, in prouinciam proficiscitur Cos. atque inde Cn. Domitium procos. dimisso exercitu Romam decedere iussit: ipse in agrum Boiorum legiones induxit. Sub idem ferè tempus Ligures lege sacrata coacto exercitu, nocte improuiso castra Q. Minutii procos. aggressi sunt. Minutius vsque ad lucem intra vallum militem instructum tenuit, intentus ne quà transcenderet hostis munimenta: prima luce duabus simul portis eruptionem fecit. nec primo impetu, quod sperauerat, Ligures pulsi sunt: duas amplius horas dubium certamē sustinuere. postremò cùm alia atque alia agmina erumperet, & integri fessis succederent ad pugnam, tandē Ligures inter cætera etiam vigiliis confecti, terga dederunt. cæsa supra quatuor millia hostium: ex Romanis, sociisq; minus CCC perierunt. Duobus ferè pòst mensibus P. Cornelius Cos. cū Boiorum exercitu signis collatis egregiè pugnauit. Duodetriginta millia hostium cæsa, Antiâs Valerius scribit: capta tria millia & quadringentos: signa militaria CXXIIII. equos mille ducentos triginta: carpenta ducenta quadraginta septem: ex victoribus mille quadringentos octogintaquatuor cecidisse. Vbi vt in numero scriptori parum fidei sit, quia in angendo eo non alius intemperantior est, magnam tamen victoriam fuisse apparet, quòd & castra capta sunt, & Boii post eam pugnam extemplò dediderunt sese, & quòd supplicatio eius victoriæ causa decreta ab senatu, victimæ que maiores cæsæ. Per eosdem dies M. Fuluius Nobilior ex vlteriore Hispania ouans vrbem est ingressus, † argenti transtulit X millia pondo: bigati argenti CXXX, † auri CXXVI. P. Cornelius Cos. primò obsidibus à Boiorum gente acceptis, agri parte ferè dimidia eos mulctauit: quò si vellet, P.R. colonias mittere posset. inde Romam, vt ad triumphum haud dubium, decedens, exercitum dimisit, & adesse Romæ ad diem triumphi iussit. ipse postero die quàm venit, senatu in ædem Bellonæ vocato, cùm de rebus ab se gestis disseruisset, postulauit, vt sibi triumphanti liceret in vrbem inuehi. P. Sempronius Blæsus Tr. pl. non negandum Scipioni, sed differendum honorem triumphi censebat. Bella Ligurum Gallicis semper iuncta fuisse: eas inter se gentes mutua ex propinquo ferre auxilia. Si P. Scipio deuictis acie Boiis, aut ipse cum victore exercitu in agrum Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minutio misisset: qui iam tertium ibi annum dubio detineretur bello, debellari cum Liguribus potuisse. Nunc ad triumphum frequentandum deductos esse milites, qui egregiam nauare operam reip. potuissent: possent etiam, si senatus, quod festinatione triumphi prætermissum esset, id restituere differēdo triumpho vellet. Iuberent Cos. cum legionibus redire in prouinciam: dare operam vt Ligures subigantur. nisi illi cogantur in ius ditionémque P.R. ne Boios quidem quieturos. aut pacem, aut bellum vtrobique habenda. deuictis Liguribus paucos post menses procos. P. Cornelium multorum exemplo, B qui in magistratu non triumphauerunt, triumphaturum esse. Ad ea Cos. ueque se Ligures prouinciam sortitum esse, ait, neque cum Liguribus bellum gessisse, neque triumphum de iis postulare. Q. Minutium confidere breui subactis iis meritum triumphum postulaturum atque impetraturum esse. se de Gallis Boiis postulare triumphum, quos acie vicerit, castris exuerit: quorum gentem biduo post pugnam totam acceperit in deditionem, à quibus obsides adduxerit, pacis futuræ pignus. Verùm enimuero illud multo maius esse, quòd tantum numerum Gallorum cæciderit in acie, quòd cum tot millibus certè Boiorum nemo ante se imperator pugnauerit. plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæsam, multa millia capta, senes puerósque Boiis superesse. Ita id quenquam mirari posse, cur victor exercitus, cùm hostem in prouincia neminem reliquisset, Romam venerit ad celebrandum Cos. triumphum? Quorum militum si & in alia prouincia opera vti senatus velit: vtro tandem modo promptiores ad aliud periculum, nouúmque laborem ituros credat? si persoluta iis sine detrectatione prioris periculi laborisque merces sit? an si spem pro re ferentes dimittant, iam semel in prima spe deceptos? Nam quod ad se attineat, sibi gloriæ in omnem vitam illo die satis quæsitum esse: quo se virum optimum iudicatum ad accipiendam matrem Idæam misisset senatus. hoc titulo, & si nec consulatus, nec triumphus addatur, satis honestam honoratámq; P. Scipionis Nasicæ imaginem fore. Vniuersus senatus non ipse modò ad decernendum triumphum consensit, sed etiam Tr. pl. authoritate sua compulit ad remittendam intercessionem. P. Coenelius Cos. triumphauit de Boiis. in eo triumpho Gallicis carpentis arma signáque & spolia omnis generis transuexit, & vasa ænea Gallica: & cum captiuis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torques transtulit MCCCCLXX. ad hæc † auri pondo CCXLV. argenti infecti factíque in Gallicis vasis non infabre suo more factis, † duo millia CCCXL. pondo † bigatorum nummorum CCXXXIIII. militibus, qui currum secuti sunt, † trecenos vicenos quinos asses diuisit: duplex centurioni, triplex equiti. Postero die concione aduocata de rebus ab se gestis, & de iniuria tribuni bello alieno se alligantis, vt suæ victoriæ fructu se defraudaret, eum disseruisset, milites exauthoratos dimisit. Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat, tanquam non transituris in Asiam Romanis. quam securitatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut assentando faciebat. Annibal vnus, cuius eo tēpore maxima apud regem authoritas erat, magis mirari se aiebat, qnòd nō iam in Asia essent Romani, quàm vēturos dubitare. Propius esse in Asiam ex Græcia, quàm ex Italia in Græciam traiicere: & multo maiorem causam Antiochum, quàm Aetolos esse. neq; enim mari minus, quàm terra pollere Romana arma. iampridē classem circa Maleam esse. audire sese nuper nouas naues, nouúmq; imperatorem rei gerendæ causa ex Italia venisse. itaq; desineret Antiochus pacē sibi ipse spe vana facere: in Asia, & de ipsa Asia breui terra maríque dimicandum ei cum Romanis esse, & aut imperium adimendum orbem terrarum affectantibus, aut

Ligures castra Q. Minutii procos. aggrediuntur.

Cornelius Cos. Boios fudit, & in deditionem accepit.

† Valent 100000 coron.

† Coron. 14112.

Cornelio triumphum postulanti Sempronius Trib. pleb. obsistit.

Cornelius triumphat de Boijs.

† Coron. 27440.

† Coron. 23400.

† *Si bi bigati, argētei fuerint, omnino 25. coron. non efficient: quare uerisimilius est aureos numos fuisse.*

† *325 asses efficiunt ferè coron. 2. solid. 37. cum denariol. 8.*

Antiochus de Annibalis consilio parat se aduersus Romanos.

ipsi regnum amittendum. Vnus vera & prouidere & fideliter prædicere visus. itaque ipse rex nauibus, quæ paratæ instructæ'que erant, Chersonesum petit: vt ea loca, si fortè terra venirent Romani, præsidiis firmaret. cæteram classem Polyxenidam parare & deducere iussit: speculatorias naues ad omnia exploranda circa insulas dimisit. C. Liuius præfectus Romanæ classis cum quinquaginta nauibus tectis profectus ab Roma Neapolim, quò ab sociis eius oræ conuenire iusserat apertas naues, quæ ex fœdere debebantur, Siciliam inde petit: fretóque Messanam præteruectus, cùm sex Punicas naues ad auxilium missas accepisset: ab Rheginis Locrísque, & eiusdem iuris sociis debitas exegisset naues: lustrata classe ad Lacinium, altum petit. Corcyram, quam primam Græciæ ciuitatem adiit, cùm venisset, percunctatus de statu belli (necdum enim omnia in Græcia perpacata erant) & vbi classis Romana esset, posteaquàm audiuit circa Thermopylarum saltum in statione Cos. ac regem esse, classem Piræei stare, maturandum ratus omnium rerum causa, pergit protinus nauigare Peloponnesum: Samum Zacynthúmque, quia partis Aetolorum maluerant esse, protinus depopulatus, Maleam petit: & prospera nauigatione vsus, paucis diebus Piræeum ad veterem classem peruenit. Ad Scyllæum Eumenes rex cum tribus nauibus occurrit, cùm Æginæ diu incertus consilii fuisset, vtrum ad tuēdum rediret regnum: (audiebat enim Antiochum Ephesi nauales terrestrésque parare copias) an nusquam abscederet ab Romanis, ex quorum fortuna sua penderet. A' Piræeo A. Attilius traditis successori quinque & x x nauibus tectis Romam est profectus. Liuius vna & L x x x rostratis nauibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum traiecit. Eo ferè tempore Cos. Acilius Naupactum oppugnabat. Liuium Deli per aliquot dies (& est ventosissima regio inter Cycladas, fretis alias maioribus, alias minoribus diuisas.) aduersi venti tenuerunt. Polixenidas certior per dispositas speculatorias naues factus, Deli stare Romanam classem, nuntios ad regem misit. qui omissis, quæ in Hellespponto agebat, cum rostratis nauibus, quantum accelerare potuit, Ephesum rediit: & consilium extemplò habuit, faciendúmne periculum naualis certaminis foret. Polyxenidas negabat cessandum: & vtique prius confligendum, quàm classis Eumenis, & Rhodiæ naues coniungerentur Romanis, ita numero non fermè impares futuros se, cæteris omnibus superiores, & celeritate nauium, & varietate auxiliorum. nam Romanas naues, cùm ipsas inscitè factas immobiles esse, tum etiam, vt quæ in terram hostium veniant, oneratas commeatu venire. suas autem, vt pacata omnia circa se relinquentes, nihil præter militem atque arma habituras. multum etiam adiuturam notitiam maris terrarúmque & ventorum, quæ omnia ignaros turbatura hostes essent. Mouit omnes author consilii, qui & re consilium executurus erat. Biduum in apparatu morati: tertio die C nauibus, quarum L x x tectæ, cæteræ apertæ, minoris omnes formæ erant, profecti Phocæam petierunt. inde cùm audisset appropinquare B iam Romanā classem rex, quia non interfuturus nauali certamini erat: Magnesiam, quæ ad Sipylū est, concessit ad terrestres copias cōparandas. classis ad Cissuntem portū Erythræorum, tanquā ibi aptius expectatura hostem, contendit. Romani vbi primùm aquilones (ii nanq; per aliquot dies tenuerant) cecidere, ab Delo Phanas, portum Chiorum in Aegeū mare versum, petunt: inde ad vrbem circumegere naues: commeatúq; sumpto, Phocæā traiiciūt. Eumenes Elæam ad suam classem profectus, paucis pòst inde diebus cum quatuor & x x nauibus tectis, apertis pluribus, paulò à Phocæa ad Romanos parantes instruentésq; se ad nauale certamen, rediit. Inde C quinquaginta tectis nauibus, apertis fermè L profecti, primò aquilonibus transuersis cùm vrgerentur in terram, cogebantur tenui agmine propè in ordinem singulæ naues ire: deinde vt lenita paulum vis venti est, ad Corycum portum, qui super Cissuntem est, conati sunt traiicere. Polixenidas, vt appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit: dextrum cornu præfectos nauium ad terram explicare iubet, & æqua fronte ad pugnam procedebat. Quod vbi vidit Romanus, vela contrahit, malósque inclinat, & simul armamenta componens opperitur insequentes naues. Iam fermè x x x in fronte erant: quibus vt æquaret læuum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit: iussis, qui sequebantur, aduersus dextrum cornu prope terram proras dirigere. Eumenes agmen cogebat: cæterùm vt demendis armamentis tumultuari primùm cœptum est, & ipse quanta maxima celeritate potest, concitat naues. Iam omnibus in conspectu erant: duæ Punicæ naues antecedebant Romanam classem. quibus obuiæ tres fuerunt regiæ naues: & vt in numero impari, duæ regiæ vnam circumsistunt. & primùm ab vtroque latere remos detergunt: deinde transcendunt armati, & deiectis cæsísque propugnatoribus, nauem capiunt. Vna quæ compari marte concurrerat, postquam captam alteram nauem vidit, priusquam à tribus simul circumueniretur, retro ad classem refugit. Liuius indignatione accensus, prætoria naue in hostes tendit. aduersus quam eadem spe duæ, quæ Punicam vnam nauem circumuenerant, cùm inferrentur, demittere in aquam remos ab vtroque latere remiges stabiliendæ nauis causa iussit, & in aduenientes hostium naues ferreas manus iniicere: & vbi pugnam pedestri similem fecisset, meminisse Romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia. Haud paulo facilius, quàm antè duæ vnam, tunc vna duas naues expugnauit, cepítque. Et iam classes quoque vndique concurrerant, & passim permistis nauibus pugnabatur. Eumenes, qui extremus commisso certamine aduenerat, vt animaduerit læuum cornu hostium ab Liuio turbatum: dextrum ipse, vbi æqua pugna erat, inuadit. Nec ita multo pòst, primùm ab læuo cornu fuga cœpit. Polyxenidas enim vt virtute militum haud dubiè superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugere intendit. mox idem & qui prope terram cum Eumene contraxerant certamen, fecerunt. Romani & Eumenes, quoad sufficere remiges potuerunt, & in spe erant

Classis noua Romanorum Piræeum peruenit.

Naualis pugna inter Romanos & Asianos.

Asiani fugiunt, victoribus Romanis.

A erant extremi agminis vexandi,fatis pertinaciter fecuti funt. poſteaquàm celeritate nauium,vtpote leuium, fuas commeatu onuſtas eludi fruſtra tendentes viderunt, tandem fubſtiterunt: x I I I captis nauibus cum milite ac remige,x demerfis.Romanæ claſsis vna Punica nauis in primo certamine ab duabus circumuenta periit. Polyxenidas non priuſquàm in portu Epheſi fugæ finem fecit. Romani eo die, vnde egreſſa regia claſsis erat, manſerunt: poſtero die hoſtem perſequi intenderunt. Medio ferè in curſu obuiæ fuere iis v & x x tectæ Rhodiæ naues, cum Pauſiſtrato præfecto claſsis. Iis adiunctis Epheſum hoſtem perſecuti, ante oſtium portus acie inſtructa ſteterunt. Poſteaquàm confeſsionem victis ſatis expreſſerunt, Rhodii & Eumenes domos dimiſsi: Romani Chium petentes Phœnicuntem primùm portum Erythrææ terræ prætervecti, nocte anchoris iactis, poſtero die in inſulam ad ipſam vrbem traiecerunt. vbi paucos dies remige maximè reficiendo morati, Phocæam tranſmittunt. ibi relictis ad præſidium vrbis I I I I quinqueremibus, ad Canas claſsis venit: & cùm iam hyems appeteret, foſſa vallóque eircundatis naues ſubductæ. Exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati ſunt Coss. L. Cornelius Scipio,& C. Lælius intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. Poſtero die Prr. creati, M. Tuccius, L. Aurunculeius, Cn. Fuluius, L. Aemylius, P. Iunius, C. Atinius Labeo.

DECADIS QVARTAE LIBER SEPTIMVS.

L. Cornelius Scipio Cos. legato P. Scipione Africano, qui ſe fratris legatum futurum dixerat, ſi ei Græcia & Aſia prouincia decerneretur, cùm C. Lælio, qui multum in ſenatu poterat, ea prouincia dari videretur. profectus ad bellum aduerſus Antiochum gerendum, in Aſiam primus omnium Romanorum ducum traiecit. Aemylius Regillus aduerſus regiam claſſem Antiochi feliciter pugnauit ad Myonneſum, Rhodijs adiuuantibus. Filius Africani ab Antiocho captus, patri remiſſus eſt. M. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat, & de Aetolis triumphauit. Victo deinde Antiocho à L. Cornelio Scipione, adiuuante Eumene rege Attali Pergameni filio, pax data, ea conditione, ut omnibus prouincijs citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo iuuante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodijs quoque, qui & ipſi iuuerant, quædam ciuitates conceſſæ. Colonia deducta eſt Bononia. Aemylius Regillus, qui præfectos Antiochi nauali certamine vicerat, naualem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellauerat, cognomine fratri coæquatus, Aſiaticus appellatus eſt.



VCIO Cornelio Scipione, & C. Lælio Coss. nulla prius ſecundum religiones acta in ſenatu res eſt, quàm de Aetolis. & legati eorum inſtitere, quia breuem induciarum diem habebant: & ab T. Quintio, qui tum Romam ex Græcia redierat, adiuti ſunt. Aetoli, vt quibus plus in miſericordia ſenatus, quàm in cauſa ſpei eſſet, ſuppliciter egerunt, veteribus benefactis noua penſantes maleficia. Cæterùm & præſentes interrogationibus vndique ſenatorum confeſsionem magis noxæ, quàm reſponſa exprimentium fatigati ſunt: & excedere curia iuſsi, magnum certamē præbuere. Plus ira, quàm miſericordia, in cauſa eorum valebat: quia non vt hoſtibus modò, ſed tanquam indomitæ & inſociabili genti, ſuccenſebant. Per aliquot dies cùm certatum eſſet, poſtremò neque dari, neque negari pacem placuit. duæ conditiones eis latæ ſunt: vel ſenatui liberum arbitrium de ſe permitterent: vel † mille talentum darent, eoſdémque amicos atque inimicos haberent. Exprimere cupientibus, quarum rerum in ſe arbitrium ſenatui permitterent, nihil certi reſponſum eſt, ita infecta pace dimiſsi, vrbe eodem die, Italia intra x v dies excedere iuſsi. Tum de conſulum prouinciis cœptum eſt agi. Ambo Græciam cupiebant: multum Lælius in ſenatu poterat. Is, cùm ſenatus aut ſortiri aut comparare inter ſe prouincias conſules iuſsiſſet, elegantius facturos dixit, ſi iudicio patrum, quàm ſi ſorti eam rem permiſiſſent. Scipio reſponſo ad hoc dato, cogitaturum quid ſibi faciendum eſſet, cum fratre vno locutus, iuſſúſque ab eo permittere audacter ſenatui, renuntiat collegæ, facturum ſe quod is cenſeret. Cùm res aut noua, aut vetuſtate exemplorum memoriæ iam exoletæ, relata expectatione certaminis ſenatum erexiſſet, P. Scipio Africanus dixit: ſi L. Scipioni fratri ſuo prouinciam Græciam decreuiſſent, ſe legatum iturum. Hæc vox magno aſſenſu audita, ſuſtulit certamē. Experiri libebat, vtrum plus regi Antiocho in Annibale victo, an in victore Africano Cos. legionibúſque Romanis auxilii foret: ac propè omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreuerunt. Prr. inde prouincias ſortiti: L. Aurunculeius vrbanam, Cn. Fuluius peregrinam: L. Aemylius Regillus claſſem, P. Iunius Brutus Tuſcos, M. Tuccius Apuliam & Brutios, C. Atinius Siciliam. Conſuli deinde, cui Græcia prouincia decreta erat: ad eum exercitum quem à M. Acilio (duæ autem legiones erant) accepturus eſſet: in ſupplementum addita peditum ciuium Romanorum tria millia, equites centum, & ſociûm Latini nominis quinque millia, equites c c. & adiectum, vt cùm in prouinciam veniſſet: ſi è rep. videretur eſſe, exercitum in Aſiam traiceret. Alteri Cos. totus nouus exercitus decretus: duæ legiones Romanæ, & ſociûm Latini nominis x v millia peditum, equites ſexcenti. Exercitum ex Liguribus Q. Minutius (iam enim confectam prouinciam ſcripſerat, & Ligurum omne nomen in deditionem veniſſe) traducere in Boios, & P. Cornelio procos. tradere iuſſus. Ex agro, quo victos bello mulctauerat Boios, deductæ vrbanæ legiones, quæ priore anno conſcriptæ erant, M. Tuccio Pr. datæ, & ſociûm Latini nominis peditum x v millia, equites ſexcenti, ad Apuliam Brutióſque obtinendos. A. Cornelio ſuperioris anni Pr. qui Brutios cum exercitu obtinuerat, imperatum, ſi ita conſuli videretur, vt legiones in Aetoliam traiectas M. Acilio traderet: ſi is

B

De Aetolorum cauſa agitur in ſenatu.

† Valent 60000 coron.

De conſularibus prouincijs agitur in ſenatu.

Prouinciarum ſortitio.

Ligures in deditione non venerunt.

si is manere ibi vellet.si Acilius redire Romã mallet,vt A.Cornelius cum eo exercitu in Aetolia re- A
maneret. C.Atinium Labeonem prouinciam Siciliam exercitúmque à M. Aemylio accipere placuit, & in supplementum scribere ex ipsa prouincia, si vellet, peditum duo millia,& centum equites. P. Iunius Brutus in Tuscos exercitum nouum, legionem vnam Romanam, & decem millia sociûm Latini nominis scribere,& quadringentos equites: L.Aemylius,cui prouincia maritima erat,viginti naues longas,& socios nauales à M.Iunio Pr.superioris anni accipere iussus,& scribere ipse mille nauales socios,duo millia peditum:cum iis nauibus militibúsque in Asiam proficisci,& classem à C.Liuio accipere. Duas Hispanias Sardiniámq; obtinentibus prorogatum in annum imperium est, & iidem exercitus decreti:Siciliæ Sardiniæ'que binæ eo anno decimæ frumenti imperatæ: Siculum omne frumentum in Aetoliam ad exercitum portari iussum:ex Sardinia pars in Romam,pars in Aetoliam,eódem quò Siculum.

Prodigia.

Priusquam Coss.in prouincias proficiscerentur,prodigia per pontifices procurari placuit.Romæ Iunonis Lucinæ templum de cælo tactum erat,ita vt fastigium valuæ'que deformarentur. Puteolis pluribus locis murus,& porta fulmine icta, & duo homines exanimati. Nursiæ sereno satis constabat nimbum ortum,ibi qnoque duos liberos homines exanimatos.Terra apud se pluisse Tusculani nuntiabant:& Reatini mulam in agro suo peperisse.Ea procurata: Latinæ'q; instauratæ, quòd Lanrentibus carnis, quæ dari debet, data non fuerat. Supplicatio quoque earum religionum causa fuit,qnibus diis decemuiri ex libris vt fieret, ediderunt.decem ingenui,decem virgines,patrimi omnes matrimíque ad id sacrificium adhibiti:& decemuiri nocte lactentibus rem diuinam fecerunt. P.Cornelius Scipio Africanus,priusqnàm proficisceretur,fornicem in Capitolio aduersus viam, qua in Capitolium ascenditur, cum signis septem auratis, duobus equis,& marmorea duo labra ante fornicem posuit.

Aetolorum principes in Latomias coniecti.

Per eosdem dies principes Aetolorum tres & x L, inter quos Damocritus & frater eius erant,ab duabus cohortibus missis à M.Acilio Romam deducti,& in Latomias coniecti sunt. cohortes inde ad exercitum redire L. Cornelius Cos. iussit.

Legati Ptolomæi ad senatum.

† 40 coronati.

Legati ad Ptolemæo & Cleopatra, regibus Aegypti, gratulantes, quòd M. Acilius Cos. Antiochum regem Græcia expulisset, venerunt: adhortantésque, vt in Asiam exercitum traijcerent. omnia perculsa metu nõ in Asia modò,sed etiam in Syria esse. reges Aegypti ad ea quæ censuisset senatus, paratos fore. Gratiæ regibus actæ: legatis munera dari iussa, in singulos † quaternûm millium æris. L. Cornelius Cos. peractis quæ Romæ agenda erant,pro concione edixit, vt milites,quos ipse in supplementum scripsisset, quíque in Bruttis cum A. Cornelio proprætore essent, vt hi omnes Idibus Quintilibus Brundusium conuenirent. item treis legatos nominauit: Sex Digitium, L. Apustium, C. Fabricium Luscinum, qui ex ora maritima vndique naues Brundusium contraherent, & omnibus iam paratis, paludatus ab vrbe est profectus. Ad v millia voluntariorum ex Romanis sociísque, qui emerita stipendia sub imperatore P. Africano B
habebant, præsto fuere exeunti Cos. & nomina dederunt. Per eos dies, quibus est profectus ad bellum Cos. ludis Apollinaribus, ad Quintium Idus Quintiles cælo sereno interdiu obscurata lux est, cùm luna sub orbem solis subisset. Et L. Aemylius Regillus, cui naualis prouincia euenerat, eodem tempore profectus est. L. Aruncul eio negotium ab senatu datum est, vt x x x quinqueremes, viginti triremes faceret: quia fama erat, Antiochum post prælium nauale maiorem classem aliquanto reparare. Aetoli posteaquàm legati ab Roma retulerunt, nullam spem pacis esse: quanquam omnis ora maritima eorumquæ in Peloponnesum versa est, depopulata ab Achæis erat, periculi magis quàm damni memores, vt Romanis intercluderent iter, Coracem montem occupauerunt. neque enim dubitabant, ad oppugnationem Naupacti eos principio veris redituros esse. Acilio, qui id expectari sciebat, satius visum est inopinatam aggredi rem, & Lamiam oppugnare. nam & à Philippo propè ad excidium adductos esse, & tunc eo ipso, quòd nihil tale timerent, opprimi incautos posse. Profectus ab Elatia primùm in hostium terra circa Sperchium amnem posuit castra: inde nocte motis signis, prima luce corona mœnia est aggressus.

Lamiam oppugnat Acilius.

Magnus pauor ac tumultus, vt in re improuisa, fuit. constantius tamen, quàm quis facturos crederet in tam subito periculo, cùm viri propugnarent, fœminæ tela omnis generis saxáque in muros gererent, multifariam scalis appositis, vrbem eo die defenderunt. Acilius signo receptui dato, suos in castra medio fermè diei reduxit: & tunc cibo & quiete refectis corporibus, priusquam prætorium dimitteret, denuntiauit, vt ante lucem armati paratíque essent: nisi expugnata vrbe se eos in castra non reducturum. Eodem tempore quo pridie pluribus locis aggressus, cùm oppidanos iam vires, iam tela, iam ante omnia animus

Lamia expugnatur.

deficeret, intra paucas horas vrbem cepit. Ibi partim diuendita, partim diuisa præda, consilium habitum, quid deinde faceret. Nemini ad Naupactum iri placuit, occupato ad Coracem ab Aetolis saltu. ne tamen segnia æstiua essent, & Aetoli non impetratam pacem ab senatu nihilo minus per

Amphissam oppugnat Acilius

suam cunctationem haberent, oppugnare Acilius Amphissam statuit, ab Heraclea per Oetam exercitus eò ductus. Cùm ad mœnia castra posuisset,non corona sicut Lamiam, sed operibus oppugnare vrbẽ est adortus.Pluribus simul locis aries admouebatur: & cùm quaterêtur muri,nihil aduersus tale machinationis genus parare, aut comminisci oppidani conabantur: omnis spes in armis & audacia erat eruptionibúsque crebris & stationes hostium, & eos ipsos qui circa opera & machinas erãt, turbabant. Multis tamen locis murus decussus erat, cùm allatum est, successorem Apolloniæ exposito exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire. Cum tribus millibus peditum & quingentis equitibus Cos. veniebat. Iam in sinum Maliacum venerat.& præmisis Hypatam,qui tradere vrbem iuberent, posteaquàm responsum est, nihil nisi ex communi Aetolorum decreto facturos, ne teneret se oppugnatio Hypatæ nondum Amphissa recepta: præmisso fratre Africano, Amphissam ducit. Sub

A aduentum eorum oppidani relicta vrbe (iam enim magna ex parte nudata mœnibus erat) in arcem, quam inexpugnabilem habent, omnes armati atque inermes concessere. c o s. sex millia fermè passuum inde posuit castra. eò legati Athenienses primùm ad P. Scipionem prægressum agmen (sicut antè dictum est) deinde ad c o s. venerunt, deprecantes pro Aetolis. Clementius responsum ab Africano tulerunt, qui causam relinquendi honestè Aetolici belli quærens, Asiam & regem Antiochum spectabat: iusseràtque Athenienses non Romanis solùm, vt pacem bello præferrent, sed etiam Aetolis persuadere. Celeriter authoribus Atheniensibus frequens ab Hypata legatio Aetolorum venit. & spem pacis eis sermo etiam Africani, quem priorem adierunt, auxit, commemorantis: multas gentes populósque in Hispania prius, deinde in Africa in fidem suam venisse: in omnibus se maiora clementiæ benignitatísque, quàm virtutis bellicæ monimenta reliquisse. Perfecta videbatur res, cùm aditus c o s. idem illud responsum retulit, quo fugati ab senatu fuerant. Eo tanquam nouo cùm icti Aetoli essent (nihil enim nec legatione Atheniensium, nec placido Africani responso profectum videbant) referre ad suos dixerunt velle. Reditum inde Hypatam est, nec consilium expediebatur. nam neque vnde mille talentûm daretur, erat: & permisso libero arbitrio, ne in corpora sua sæuiretur, metuebant. redire itaque eosdem legatos ad c o s. & Africanum iusserunt, & petere, vt si dare verè pacem, nõ tantùm ostendere, frustrantes spem miserorum, vellent, aut ex summa pecuniæ demerent, aut permissionem extra ciuium corpora fieri iuberent. Nihil impetratum, vt mutaret c o s. & ea quoque irrita legatio dimissa est. Secuti & Athenienses sunt. & princeps legationis eorum Echedemus fatigatos tot repulsis Aetolos, & complorantes inutili lamentatione fortunam gentis, ad spem reuocauit, author inducias sex mensium petendi: vt legatos Romam mittere possent. dilationem nihil ad præsentia mala, quæ vltima essent, adiecturam. leuari per multos casus tempore interposito præsentes clades posse. Authore Echedemo iidem missi, prius P. Scipione conuento, per eum inducias temporis eius, quod petebant à c o s. impetrauerunt. & soluta obsidione Amphissæ, M. Acilius tradito consuli exercitu, prouincia decessit. & c o s. ab Amphissa Thessaliam repetit, vt per Macedoniam Thraciámque duceret in Asiam. Tum Africanus fratri: Iter, quod insistis L. Scipio, ego quoque approbo: sed totum id vertitur in voluntate Philippi. qui si imperio nostro fidus est, & iter, & commeatus, & omnia quæ in lõgo itinere exercitus alunt iuuántque, nobis suppeditabit: si is destituat, nihil per Thraciam satis tutum habebis. itaque prius regis animum explorari placet: optimè explorabitur, si nihil ex præparato agentem opprimet qui mittetur. T. Sempronius Gracchus longè tum acerrimus iuuenum ad id delectus, per dispositos equos propè incredibili celeritate ab Amphissa (inde enim est dimissus) die tertio Pellam peruenit. In conuiuio rex erat, & in multum vini processerat: ea ipsa remis-
B sio animi suspicionem dempsit, nouare eum quicquam velle. Et tum quidem comiter acceptus hospes. postero die commeatus exercitui paratos benignè, pontes in fluminibus factos, vias, vbi transitus difficiles erant, munitas vidit. Hæc referens eadem, qua ierat celeritate Thaumacis occurit consuli. Inde certiore & maiore spe lætus exercitus ad præparata omnia in Macedoniam peruenit. Venientes regio apparatu accepit, & prosecutus est rex. Multa in eo & dexteritas & humanitas visa, quæ commendabilia apud Africanum erant, virum sicut ad cætera egregium, ita à comitate, quæ sine luxuria esset, non auersum. Inde non per Macedoniam modò, sed etiam Thraciam prosequente & præparante omnia Philippo, ad Hellespontum peruentum est. Antiochus post naualem ad Corycum pugnam, cùm totam hyemẽ liberam in apparatus terrestres maritimósque habuisset: classi maximè reparandæ, ne tota maris possessione pelleretur, intentus fuerat. Succurrebat, superatum se cùm classis abfuisset Rhodiorum: quòd si ea quoque (nec commissuros Rhodios, vt iterum morarentur) certamini adesset, magno sibi nauium numero opus fore, vt viribus & magnitudine classem hostium æquaret. Itaque & Annibalem in Syriam miserat ad Phœnicum accersendas naues, & Polyxenidam, quo minus prosperè gesta res erat, eo enixius & eas quæ erant reficere, & alias parare naues iussit. Ipse in Phrygia hybernauit. Vndique auxilia accersens, etiam in Gallogræciam miserat. Bellicosiores ea tempestate erant, Gallicos adhuc, nondum exoleta stirpe gentis, seruantes animos. Filium Seleucum in Aeolide reliquerat cum exercitu ad maritimas continendas vrbes, quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocæa Erythrísque Romani solicitabant. Classis Romana sicut antè dictum est, ad Canas hybernabat. Eò media fermè hyeme rex Eumenes cum duobus millibus peditum, equitibus centum venit. Is cùm magnam prædam agi posse dixisset ex hostium agro, qui circa Thyatira esset, hortando perpulit Liuium, vt quinque millia militum secum mitteret. missi ingentem prædam intra paucos dies auerterunt. Inter hæc Phocææ seditio orta, quibusdam ad Antiochum multitudinis animos auocantibus. Grauia hyberna nauium erant, graue tributum, quòd togæ quingentæ imperatæ erant cum quingentis tunicis: grauis etiã inopia frumenti, propter quam naues quoque, & præsidium Romanum excessit. tum verò liberata metu factio erat, quæ plebẽ in concionibus ad Antiochum trahebat. senatus & optimates in Romana societate perstandum censebant: defectionis authores plus apud multitudinem valuerunt. Rhodii, quo magis cessatum priore æstate erat, eo maturius æquinoctio verno eundem Pausistratum classis præfectũ cum sex & triginta nauibus miserunt. Iam Liuius à Canis cum x x x nauibus, & v i i quadriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat, Hellespontũ petebat, vt ad transitum exercitus, quem terra vẽturum opinabatur, præpararet quæ opus essent. In portum, quem vocant Achæorum, classem primùm aduertit: inde Ilium ascendit, sacrificióque Mineruæ facto, legationes finitimas ab Eleunte & Dardano & Rhœteo, tradentes in fidem ciuitates suas benignè audiuit. Inde ad Hellesponti fauces nauigat: & decem

nauibus

Athenienses legati pro Aetolis ad Scipionẽ & Cons. ueniunt.

Aetoli sex mẽsium inducias à cons. impetrant

Philippus L. Scipionem cons. cũ exercitu humaniter excepit.

Gallogræci.

Phocææ oritur seditio.

Rhodii ueniunt auxilio Romanis.

nauibus in statione contra Abydum relictis, cætera classe in Europam ad Seston oppugnandam traiecit. A Iam subeuntibus armatis muros fanatici Galli primùm cum solenni habitu ante portam occurrunt. iussu se matris deûm famulos deæ venire memorant, ad precandum Romanum, vt parceret mœnibus vrbique. Nemo eorum violatus est. mox vniuersus senatus cum magistratibus ad dedendam vrbem processit. Inde Abydum traiecta classis. vbi cùm tentatis per colloquia animis nihil pacati responderetur, ad oppugnationem sese expediebant. Dum hæc in Hellesponto geruntur, *Inter Polyxenidam & Pausistratu inimicitiæ.* Polyxenidas regius præfectus (erat autem exul Rhodius) cùm audisset, profectam ab domo popularium suorum classem, & Pausistratum præfectum superbè quædam & contemptim in se concionantem dixisse, præcipuo certamine animi aduersus eum sumpto, nihil aliud dies noctésque agitabat animo, quàm vt verba magnifica eius rebus confutaret. Mittit ad eum hominem & illi notum, qui diceret: & se Pausistrato patriæ'que suæ magno vsui, si liceat, fore, & à Pausistrato se restitui in patriam posse. Cùm quónam modo ea fieri possent, mirabundus Pausistatus percunctaretur, fidem petenti dedit agendæ cõmuniter rei, aut silentio tegendæ. Tum internuntius aperit, regiam classem aut totã aut maiorem eius partem Polyxenidam traditurum ei. pretium tãti meriti nullum aliud pacisci, quàm reditum in patriam. Magnitudo rei, nec vt crederet, nec vt aspernaretur dicta effecit. Panormum Samiæ terræ petit, ibíque ad explorandam rem, quæ oblata erat, substitit. Vltro citróque nuntii cursare: nec fides antè Pausistrato facta est, quàm corãm nuntio eius Polyxenidas sua manu scripsit, se ea quæ pollicitus esset, facturum: signóque suo impressas tabellas misit. eo vero pignore velut authoratum sibi proditorem ratus est. neque enim eum qui sub rege viueret, commissurum fuisse, vt aduersus semetipsum indicia manu sua testata daret. Inde ratio simulatæ proditionis composita. Omnium se rerum apparatum omissurum, Polyxenidas dicere, non remigem, non socios nauales ad classem frequentes habiturum: subducturum per simulationem reficiendi quasdam naues, alias in propinquos portus dimissurum, paucas ante portum Ephesi in salo habiturum: quas, si exire res cogeret, obiecturus certamini foret. Quam negligentiam Polyxenidarum in classe sua habiturum Pausistratus audiuit, eam ipse extemplò habuit: partem nauium ad commeatus accersendos Halicarnassum, partem Samum ad vrbem misit, vt paratus esset, cùm signum aggrediẽdi à proditore accepisset. Polyxenidas augere simulando errorem. subducit quasdam naues, alias velut subducturus esset, naualia reficit: remiges ex hybernis non Ephesum accersit, sed Magnesiam occultè cogit. Fortè quidam Antiochi miles, cùm Samum rei priuatæ causa venisset, pro speculatore comprehensus deducitur Panormum ad præfectum. is percunctanti quid Ephesi ageretur, incertum metu, an erga suos haud syncera fide, omnia aperit. classem instructam paratámque in portu stare: remigium omne Magnesiam ad Sipylum missum: perpaucas naues subductas esse, & naualia tegi: nunquàm intentius rem naualem administratam esse. B Hæc ne pro veris audirentur, animus errore & spe vana præoccupatus fecit. Polyxenidas satis omnibus comparatis, nocte remige à Magnesia accersito, deductísque raptim quæ subductæ erant nauibus, cùm diem non tam in apparatu absumpsisset, quàm quod conspici proficiscentem classem nolebat: post solis occasum profectus L X X nauibus tectis, vento aduerso ante lucem Pygela portum tenuit. vbi cùm interdiu ob eandem causam quieuisset, nocte in proxima Samiæ terræ traiecit. *Nicander archipirata.* Hinc Nicandro quodam archipirata cum quinque nauibus tectis Palinurum iusso petere, atque inde armatos, quà proximum per agros iter esset, Panormum ad tergum hostium ducere: ipse interim classe diuisa, vt ex vtraque parte fauces portus teneret, Panormum petit. Pausistratus primò, vt in re nec opinata, turbatus parumper, deinde vetus miles celeriter collecto animo, terra melius arceri, quàm mari hostes posse ratus, armatos duobus agminibus ad promontoria, quæ cornibus obiectis ab alto portum faciunt, ducit: inde facilè telis ancipitibus hostem summoturus. id inceptum eius Nicander à terra visus cùm turbasset, repentè mutato consilio naues conscendere omnes iubet. Tum verò ingens pariter militum nautarúmque trepidatio orta, & veluti fuga in naues fieri, cùm se mari terráque simul cernerent circumuentos. Pausistratus vnam viam salutis esse ratus, si vim facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum posset: postea quàm conscendisse suos vidit, sequi cæteris iussis, ipse princeps concitata naue remis ad ostium portus tendit. *Rhodiæ naues à præfecto Antiochi captæ.* Superantem iam fauces nauem eius Polyxenidas tribus quinqueremibus circunsistit. Nauis rostris icta supprimitur: telis obruuntur propugnatores: inter quos & Pausistratus impigrè pugnans interficitur. Nauium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehensæ: quædam à Nicandro, dum moliuntur à terra, captæ. Quinque tantum Rhodiæ naues cum duabus Cois effugerunt: terrore flammæ micantis via sibi inter confertas naues facta. contis enim binis à prora prominentibus trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant. Erythrææ triremes, cùm haud procul à Samo Rhodiis nauibus, quibus vt essent præsidio veniebant, obuiæ fugientibus fuissent, in Hellespontum ad Romanos cursum auerterunt. *Seleucus Antiochi filius Phocæam recipit.* Sub idem tempus Seleucus proditam Phocæam porta vna per custodes aperta, recepit: & Cymæ aliæ'que eiusdem oræ vrbes ad eum metu defecerunt. Dum hæc in Aeolide geruntur, Abydus cùm per aliquot dies obsidionem tolerasset, præsidio regio tutante mœnia, iam omnibus fessis, Philota quoque præfecto præsidii permittente, magistratus eorum cum Liuio de conditionibus tradendæ vrbis agebant. rem distinebat, quòd vtrum armati, an inermes emitterentur regii, parum conueniebat. hæc agentibus cùm interuenisset nuntius Rhodiorum cladis, emissa de manibus res est. metuens enim Liuius, ne successu tantæ rei elatus Polyxenidas, classem quæ ad Canas erat, opprimeret: Abydi obsidione custodiáque Hellesponti extemplò relicta, naues, quæ subductæ Canis erant, deduxit. Et Eumenes Elæã venit. Liuius omni classe, cui adiunx

A cui adiunxerat triremes duas Mitylenæas, Phoceam petit. quam cùm teneri valido regio præsidio audisset, nec procul Seleuci castra esse: depopulatus maritimam oram, & præda maximè hominum raptim in naues imposita, tantum moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. Rhodiis primò audita clades simul pauorem, simul luctum ingentem fecit. nam præter nauium militúmque iacturam, quod floris, quod roboris in iuuentute fuerat, amiserant: multis nobilibus secutis inter cætera authoritatem Pausistrati, quæ inter suos meritò maxima erat. deinde quòd fraude capti, quòd à ciue potissimum suo forent, in iram luctus vertit. Decem extemplò naues, & diebus pòst paucis decem alias præfecto omnium Eudamo miserunt: quem aliis virtutibus bellicis haudquaquam Pausistrato parem, cautiorem quo minus animi erat, ducem futurum credebant. Romani & Eumenes rex in Erytræam primùm classem applicuerunt: ibi noctem vnam morati, postero die Corycum Teiorum promontorium tenuerunt. inde cùm in proxima Samiæ vellent traiicere, non expectato solis ortu, ex quo statum cæli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt. medio in cursu aquilone in septentrionem verso, exasperato fluctibus mari iactari cœperunt. Polyxenidas Samum petituros ratus hostes, vt se Rhodiæ classi coniungerent, ab Epheso profectus, primò ad Myonesum stetit: inde ad Macrin (quam vocant) insulam traiecit: vt prætervehentis classis, si quas aberrantes ex agmine naues posset, aut postremum agmen opportunè adoriretur. Posteaquàm sparsam tempestate classem vidit, occasionem primò aggrediendi ratus, paulo pòst increbrescente vento, & maiores iam voluente fluctus, quia peruenire se ad eos videbat non posse, ad Aethaliam insulam traiecit: vt inde postero die Samium ex alto petentes naues aggrederetur. Romani pars exigua, primis tenebris portum Samiæ desertum tenuerunt: classis cætera noctem totam in alto iactata, in eundem portum decurrit. Ibi ex agrestibus cognito, hostium naues ad Aethaliam stare, consilium habitum, vtrum extemplò decernerent, an Rhodiam expectarent classem. dilata re (ita enim placuit) Corycum, vnde venerant, traiecerunt. Polyxenidas quoque cùm frustra stetisset, Ephesum rediit. Tum Romanæ naues vacuo ab hostibus mari Samum traiecerunt. Eódem & Rhodia classis post dies paucos venit. Quam vt expectatam esse appareret, profecti extemplò sunt Ephesum, vt aut decernerent nauali certamine, aut si detrectaret hostis pugnam, quòd plurimum interesset ad animos ciuitatum, timoris confessionem exprimerent. Contra fauces portus instructa in frontem nauium acie stetêre. posteaquàm nemo aduersus ibat, classe diuisa, pars in salo ad hostium portus in anchoris stetit: pars in terram milites exposuit. In eos iam ingentem prædam latè depopulato agro agentes, Andronicus Macedo qui in præsidio Ephesi erat, iam mœnibus appropinquantes eruptionem fecit, exutósque magna parte prædæ

Rhodiorum audita suorum clade luctus & ira.

Romana classis tempestate dispergitur.

Romana classis cum Rhodia Ephesum traijcit.

B dæ ad mare ac naues redigit. Postero die insidiis medio fermè viæ positis, ad eliciendum extra mœnia Macedonum Romani ad vrbem agmine iêre inde, cùm ea ipsa suspicio, ne quis exiret, deterruisset, redierunt ad naues: & terra maríque fugientibus certamen hostibus, Samum, vnde venerat, classis repetit. inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes cum præfecto Epicrate Rhodiorum ad fretum Cephaleniæ tuendum Pr. misit. infestum id latrocinio Lacedæmonius Hibristas cum iuuentute Cephalenum faciebat: clausúmque iam mare commeatibus Italicis erat. Piræei L. Aemylio Regillo succedenti ad nauale imperium Epicrates occurrit. qui audita clade Rhodiorum, cùm ipse duas tantum quinqueremes haberet: Epicratem cum quatuor nauibus in Asiam secum reduxit. prosecutæ etiam apertæ Atheniensium naues sunt. Aegeo mari traiecit. Eodem Timasicrates Rhodius cum duabus quadriremibus ab Samo nocte intempesta venit: deductúsque ad Aemylium, præsidii causa se missum ait: quòd eam oram maris infestam onerariis regiæ naues excursionibus crebris ab Hellesponto atque Abydo facerent. Traiicienti Aemylio à Chio Samum, duæ Rhodiæ quadriremes missæ obuiam à Liuio, & rex Eumenes cum duabus quinqueremibus occurrit. Samum posteaquàm ventum est, accepta à Liuio classe, & sacrificio, vt assolet, ritè facto, Aemylius concilium aduocauit. Ibi C. Liuius (is enim est primus rogatus sententiam) neminem fidelius dare posse consilium dixit, quàm eum qui id alteri suaderet, quod ipse si in eodem loco esset, facturus fuerit. Se in animo habuisse tota classe Ephesum petere, & onerarias ducere multa saburra grauatas, atque eas in faucibus portus supprimere. & eo minoris molimenti ea claustra esse, quòd in fluminis modum, longum & angustum & vadosum ostium portus sit. ita ademturum se maris vsum. hostibus fuisse, inutilémque classem facturum. Nulli ea placere sententia. Eumenes rex quæsiuit: quid tandem vbi demersis nauibus frenassent claustra maris? vtrum libera sua classe abscessuri inde forent ad opem ferendam sociis, terrorémque hostibus præbendum? an nihilo minus tota classe portum obsessuri? siue enim abscedant, cui dubium esse quin hostes extracturi demersas moles sint? & minore molimento aperturi portum quàm obstruatur? sin autem manendum ibi nihilominus sit, quid attinere claudi portum? Quin contrà, illos tutissimo portu, opulentissima vrbe fruentes, omnia Asia præbente, quieta æstiua acturos: Romanos aperto in mari fluctibus tempestatibúsq; obiectos, omnium inopes in assidua statione futuros: ipsos magis alligatos impeditósque, ne quid eorum quæ agenda sint, possint agere, quàm vt hostes clausos habeant. Eudamus præfectus Rhodiæ classis magis eam sibi displicere sententiam ostendit, quàm ipse quid censeret, faciendum dixit. Epicrates Rhodius, omissa in præsentia Epheso, mittendam nauium partem in Lyciam censuit: & Patara, caput gentis, in societatem adiungendam. in duas res magnas id vsui fore. & Rhodios pacatis contra insulam suam terris, totis viribus incumbere in vnius belli, quod aduersus Antiochum sit, curam posse: & eam classem quæ in Lycia cõpararetur, intercludi ne Polyxenidæ coniungatur. Hæc maximè mouit sententia.

Aemylius classe accepta concilium aduocat.

Epicrates Rhodij consilium.

placuit

placuit tamen Regillum tota classe euehi ad portum Ephesi, ad inferendum hostibus terrorem. C. A
Liuius cum duabus quinqueremibus Romanis, & quatuor quadriremibus Rhodiis, & duabus apertis Smyrnæis in Lyciam est missus, Rhodum prius iussus adire, & omnia cum iis communicare consilia. Ciuitates quas præteruectus est, Miletus, Myndus, Halicarnassus, Cnidus, Cous, imperata enixè fecerunt. Rhodum vt est ventum, simul & ad quam rem missus esset, iis exposuit, & consuluit eos. Approbantibus cunctis, & ad eam quam habebat classem assumptis tribus quadriremibus nauigat Patara. Primò secundus ventus ad ipsam vrbem ferebat eos: sperabántque subito terrore aliquid moturos. posteaquàm circumagente se vento fluctibus dubiis volui cœptum est mare, peruicerunt quidem remis, vt tenerent terram: sed neque circa vrbem tuta statio erat, nec ante hostium portus in salo stare poterant, aspero mari & nocte imminente. præteruecti mœnia portum Phœnicunta minus duûm millium spatio inde distantem petière, nauibus à maritima vi tutum. sed altæ rupes insuper imminebant: quas celeriter oppidani assumptis regiis militibus, quos in præsidio habebant, ceperunt. aduersus quos Liuius, quanquam erant iniqua ac difficilia ad exitus loca: Issæos auxiliares, & Smyrnæorum expeditos iuuenes misit. Ii, dum missilibus primò, & aduersus paucos leuibus excursionibus lacessebatur magis quàm conserebatur pugna, sustinuerunt certamen. posteaquàm plures ab vrbe affluebant, & iam omnis multitudo effundebatur, timor incessit Liuium, ne & auxiliares circumuenirentur, & nauibus etiam ab terra periculum esset. ita non milites solùm, sed etiam nauales socios, remigum turbam, quibus quisque poterat telis, armatos in prælium eduxit. Tum quoque anceps pugna fuit: neque milites solùm aliquot, sed L. Apustius tumultuario prælio cecidit. postremò tamen fusi fugatíque sunt Lycii, atque in vrbem compulsi: & Romani cum haud incruenta victoria ad naues redierunt. inde in Telmessicum profecti sinum, qui latere vno Cariam, altero Lyciam contingit, omissa Patara amplius tentandi spe Rhodii domum dimissi sunt.

Liuius in Italiam traijcit.

Liuius præteruectus Asiam, in Græciam transmisit, vt conuentis Scipionibus, qui tum cica Thessaliam erant, in Italiam traiiceret. Aemylius posteaquam omissas in Lycia res, & Liuium profectum in Italiam cognouit, cùm ipse ab Epheso repulsus tempestate irrito incepto Samum reuertisset, turpe ratus, tentata frustra Patara esse, proficisci eò tota classe, & summa vi aggredi vrbem statuit. Miletum & cæteram oram sociorum præteruecti, in Bargylletieo sinu exscensionem ad Iassum fecerunt. Vrbem regium tenebat præsidium: agrum circà Romani hostiliter depopulati sunt. Missis deinde qui per colloquia principum & magistratuum tentarent animos, posteaquam nihil in potestate sua responderunt esse, ad vrbem oppugnandam ducit.

Aemylius Iassum oppugnat.

Erant Iassensium exules cum Romanis: ii frequentes Rhodios orare instituerunt, ne vrbem & vicinam sibi & cognatam innoxiam perire sinerent. sibi exilii nullam aliam causam esse, quàm fidem erga Romanos. eadem vi regiorum, qui ipsi pulsi B
sint, teneri eos qui in vrbe maneant. omnium Iassensium vnam mentem esse, vt seruitutem regiam effugere vellent. Rhodii moti precibus, Eumene etiam rege assumpto, simul suas necessitudines cõmemorando, simul obsessæ regio præsidio vrbis casum miserando peruicerunt, vt oppugnatione abstineretur. Profecti inde pacatis cæteris, cùm oram Asiæ legerent, Loryma (portus aduersus Rhodum est) peruenerunt. Ibi in principiis sermo primò intra tribunos militum secretus oritur, deinde ad aures ipsius Aemylii peruenit abduci classem ab Epheso, ab suo bello: vt ab tergo liber relictus hostis, in tot propinquas sociorum vrbes omnia impunè conari posset. Mouère ea Aemylium: vocatósque Rhodios cùm percunctatus esset, possétne Pataris vniuersa classis in portu stare? cùm respondissent, non posse: causam nactus omittendæ rei, Samum reduxit naues.

Seleucus Eumenis agros populatur.

Per idem tempus Seleucus Antiochi filius, cùm per omne hybernorum tempus exercitum in Aeolide continuisset, partim sociis ferendo opem, partim quos in societatem pellicere non poterat, depopulandis: transire in fines regni Eumenis, dum is procul à domo cum Romanis & Rhodiis Lyciæ maritima oppugnaret, statuit. Ad Elæam primo infestis signis accessit: deinde omissa oppugnatione vrbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcémque regni Pergamum ducit oppugnandum. Attalus primo stationibus ante vrbem positis, & excursionibus equitum leuísque armaturæ, magis lacessebat quàm sustinebat hostē. postremò cùm per leuia certamina expertus nulla parte virium se parem esse, intra mœnia se recepisset, obsideri vrbs cœpta. Eodem fermè tempore & Autiochus ab Apamea profectus, Sardibus primùm, deinde haud procul Seleuci castris ad caput Caici amnis statiua habuit, cum magno exercitu misto variis ex gentibus. plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat. hos, paucis admistis, ad peruastandum passim Pergamenum agrum misit. Quæ posteaquàm Samum sunt nuntiata, primò Eumenes auocatus domestico bello cum classe Elæam petit: inde cùm præsto fuissent equites peditúmque expediti, præsidio eorum tutus priusquàm hostes sentirent aut mouerentur, Pergamum contendit. ibi rursus leuia per excursiones prælia fieri cœpta, Eumene summæ rei discrimen haud dubiè detrectante. Paucos post dies Romana Rhodiáque classis, vt regi opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Quos vbi exposuisse copias Eleæ, & tot classes in vnum conuenisse portum, Antiocho allatum est: & sub idem tempus audiuit consulem cum exercitu iam in Macedonia esse, pararíque quæ ad transitum Hellesponti opus essent: tempus venisse ratus, prius quàm terra maríque simul vrgeretur, agendi de pace, tumulum quendam aduersus Elæam castris cepit.

Antiochus de pace agit cum Aemylio & socijs.

ibi peditum omnibus copiis relictis, cum equitatu (erant autem sex millia equitum) in campos sub ipsa Elææ mœnia descendit: misso caduceatore ad Aemylium, velle se de pace agere. Aemylius Eumene à Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis, consilium habuit. Rhodii haud aspernari pacem: Eumenes nec honestum esse dicere, eo tempore de pace agi: nec exitum rei imponi posse.

A posse. Qui enim, inquit, aut honestè inclusi mœnibus, & obsessi velut leges pacis accipiemus? auctori rata ista pax erit, quam sine te consule, non ex authoritate senatus, non iussu populi Romani peregerimus? Quæro enim, pace per te facta, rediturúsne extemplò in Italiam sis? classem exercitúmque deducturus? an expectaturus, quid de ea re consuli placeat? quid senatus censeat? aut populus iubeat? Restat ergo, vt maneas in Asia: & rursus in hyberna copiæ reductæ, omisso bello, exhauriant commeatibus præbendis socios: deinde, si ita visum sit iis penes quos potestas fuerit, instauremus nouum de integro bellum, quod possumus, si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hyemem diis volentibus perfecisse. Hæc sententia vicit, responsúmque Antiocho est, ante consulis aduentum de pace agi non posse. Antiochus pace nequicquam tentata, vastatis Elæensium primùm, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, Adramytteum hostiliter itinere facto petit: agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum. neque alio vllo loco Asiæ maior regiis militibus parta est præda. Eódem Adramytteum, vt vrbi præsidio essent, nauibus circumuecti Aemylius & Eumenes venerunt. Per eosdem fortè dies Elæam ex Achaia mille pedites cum centum equitibus, Diaphane omnibus his copiis præposito, accesserunt. quos egressos nauibus obuiam missi ab Attalo, nocte Pergamum deduxerũt. veterani omnes & periti belli erant, & ipse dux, Philopœmenis, summi tum omnium Græcorum imperatoris discipulus. qui biduum simul ad quietem hominum equorúmque, & ad visendas hostium stationes, quibus locis temporibúsque accederent, recipierentque sese, sumpserunt. Ad radices ferè collis, in quo posita est vrbs, regii succedebant: ita libera ab tergo populatio erat, nullo ab vrbe, ne in stationes quidem qui procul iacularetur, excurrente. postquam semel compulsi metu se mœnibus incluserunt, contemptus eorum, & inde negligentia apud regios oritur: non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos: paucis ad arma & ordines relictis, dilapsi cæteri sparserant se toto passim campo: pars in iuueniles lusus lasciuiámque versi, pars vescentes sub vmbra, quidam somno etiam strati. Hæc Diaphanes ex alta vrbe Pergamo contemplatus, arma suos capere, & ad portam præsto esse iubet: ipse Attalum adit, & in animo sibi esse dixit, hostium stationem tentare. Aegrè id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus aduersus trecentos, mille peditibus cum quatuor millibus pugnaturum cerneret: porta egressus, haud procul statione hostium occasionem opperiens consedit. Et qui Pergami erant, amentiam magis quàm audaciam credere esse: & hostes paulisper in eos versi, vt nihil moueri viderunt, nec ipsi quicquam ex solita negligentia, insuper etiam eludentes paucitatem, mutarunt. Diaphanes quietos aliquandiu suos, velut ad spectaculum modò eductos, continuit: postea quam dilapsos ab ordinibus hostes vidit, peditibus quantum accelerare possent, sequi iussis, ipse princeps inter equi-
B tes cum turma sua quantum potuit effusissimis habenis, clamore ab omni simul pedite atque equite sublato, stationem hostium improuisò inuadit. Non homines solùm, sed equi etiam territi, cùm vincula abrupissent, trepidationem & tumultum inter suos fecerunt. pauci stabant impauidi equi: eos ipsos non sternere, non infrenare aut ascendere facilè poterant: multo maiorem quàm pro numero errorem Achæis inferentibus. Pedites verò ordinati & præparati sparsos per negligentiam, & semisomnes propè adorti sunt: cædes passim fugáque per campos facta est: Diaphanes secutus effusos quoad tutum fuit, magno Achæorum genti decore parto (spectauerant enim è mœnibus Pergami non viri modò, sed fœminæ etiam) in præsidium vrbis rediit. Postero die regiæ magis compositæ & ordinatæ stationes quingentis passibus longius ab vrbe posuerunt castra: & Achæi eodem fermè tempore atque in eundem locum processerunt. Per multas horas intenti vtrinque, velut iam futurum impetum expectauere: posteaquam haud procul occasu solis redeundi in castra tempus erat, regii signis collatis abire agmine ad iter magis quàm ad pugnam composito cœpere. Quieuit Diaphanes, dum in conspectu erant: deinde eodem, quo pridie, impetu in postremum agmen incurrit: tantúmque rursus pauoris ac tumultus incussit, vt cùm terga cæderentur, nemo pugnandi causa restiterit: trepidantésque, & vix ordinem agminis seruantes, in castra compulsi sunt. Hæc Achæorum audacia Seleucum ex agro Pergameno mouere castra coegit. Antiochus posteaquam Romanos & Eumenem ad tuendum Adramytteum venisse audiuit, ea quidem vrbe abstinuit: depopulatus agros, Peræam inde coloniam Mitylenæorum expugnauit. Cotton & Corylenus & Aphrodisias & Priene primo impetu captæ sunt. inde per Thyatira Sardeis rediit. Seleucus in maritima ora permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis Romana cum Eumene Rhodiísque Mitylenen primò, inde retro, vnde profecta erat, Elæam rediit. Inde Phocæam petentes, ad insulam quam Bacchium vocant, (imminet vrbi Phocensium) appulerunt: & quibus ante abstinuerant templis, signísque (egregiè autem exornata insula erat) cùm hostiliter diripuissent, ad ipsam vrbem transmiserunt. eam diuisis inter se partibus cùm oppugnarent, & viderent sine operibus, armis, scalísque capi non posse: missum ab Antiocho præsidium trium millium armatorum, cùm intrasset vrbem: extemplò oppugnatione omissa, classis ad insulam se recepit: nihil aliud quàm depopulato circa vrbem hostium agro. Inde placuit Eumenem domum dimitti, & præparare consuli atque exercitui, quæ ad transitum Hellesponti opus essent: Romanam Rhodiámque classem redire Samum, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moueret. Rex Elæam, Romani & Rhodii Samum redierunt. Ibi M. Aemylius frater prætoris decessit. Rhodii celebratis exequiis aduersus classem quam fama erat ex Syria venire, tredecim suis nauibus, & vna Coa quinqueremi, altera Gnidia, Rhodum vt ibi in statione essent, profecti sunt. Biduò ante quàm Eudamus cum classe à Samo veniret, tredecim à Rhodo naues cum Pamphilida præfecto aduersus eandem Syriacam classem missæ, assumptis

Thebes campus.

Diaphanes mille pedites & centũ equites Pergamum deducit.

Regiorũ militum negligentia.

Diaphanes regios adoritur & fundit.

Seleucus ex agro Pergameno mouet castra.

nauibus quatuor quæ Cariæ præsidio erant, oppugnantibus regiis Dæda la,& quædam alia parua castella obsidione exemerunt. Eudamum confestim exire placuit. additæ hu ic quoque sunt ad eam classem quam habebat,sex apertæ naues. Profectus cùm quantum accelerare poterat, maturasset: ad portum quem Megisten vocant,prægressos consequitur.inde vno agmine Phaselidem cùm venissent, optimum visum est ibi hostem operiri. In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaselis est: prominet penitus in altum,conspicitúrque prima terrarum Rhodum à Cilicia petentibus, & procul nauium præbet prospectum. eò maximè vt in obuio classi hostium essent,electus locus est. Cæterùm quod non prouiderunt,& loco graui & tempore anni(medium enim æstatis erat)ad hoc insolito odore ingruere morbi vulgo, maximè iu remiges cœperunt.cuius pestilentiæ metu profecti,cùm prætereueherentur Pamphylium sinum,ad Eurymedontem amnem appulsa classe, audiunt ab Aspendiis ad Sidam iam hostes esse. Tardius nauigauerant regii aduerso tempore etesiarum,quod velut statum fauoniis ventis esset. Rhodiorum duæ & triginta quadriremes, quatuor triremes fuere. Regia classis septem & triginta maioris formæ nauium erat, in quibus tres hepteres & quatuor hexeres habebat, præter has decem triremes erant.& ii adesse hostes ex specula quadam cognouere. Vtraque classis postero die luce prima, tanquam eo die pugnatura, è portu mouit: & posteaquam superauere Rhodii promontorium, quod ab Sida prominet in altum, extemplò & conspecti ab hostibus sunt, & ipsi eos viderunt. Ab regio sinistro comu,quod ab alto obiectum erat, Annibal: dextro Apollonius purpuratorum vnus præerat. & iam in frontem directas habebant naues. Rhodii longo agmine veniebant. prima prætoria nauis Eudami erat: cogebat agmen Charicltus: Pamphilidas mediæ classi præerat. Eudamus posteaquam hostium aciem instructam & paratam ad cōcurrendum vidit, & ipse in altum euehitur: & deinceps quæ sequebantur, seruantes ordinem in frontem dirigere iubet. Eares primò tumultum præbuit. nam nec sic in altum euectus erat, vt ordo omnium nauium ad terram explicari posset:& festinans ipse præproperè cum quinque solis nauibus Annibali occurrit.cæteri quia in frontem dirigere iussi erant, non sequebantur.extremo agmine loci nihil ad terram relicti erat: trepidantibúsque iis inter se, iam in dextro comu aduersus Annibalem pugnabatur. Sed momento temporis & nauium virtus & vsus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit. nam & in altum celeriter euectæ naues, locum post se quæque venienti ad terram dedere: & si qua concurrerat rostro cum hostium naui, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu prætereuecta in puppim impetum dabat.Maximè exterruit hepteris regia à multo minore Rhodia naue vno ictu demersa. itaque iam haud dubiè dexterum comu hostium in fugam inclinabat. Eudamum in alto multitudine nauium maximè Annibal, cæteris omnibus longè præstantem, vrgebat: & circuuenisset, ni signo sublato ex prætoria naue, quo dispersam classem in vnum colligi mos erat: omnes quæ in dextro cornu vicerant naues, ad opem ferendam suis concurrissent. tum & Annibal, quæque circa eum erant naues, capessunt fugam: nec insequi Rhodii ex magna parte ægris, & ob id celerius fessis remigibus, potuerunt. Cùm in alto vbi substiterant, cibo reficerent vires, contemplatus Eudamus hostes claudas mutilatásque naues apertis nauibus remulco trahentes, viginti paulo amplius integras abscedentes, è turri prætoriæ nauis silentio facto, Exurgite, inquit, & egregium spectaculum capessite oculis. Consurrexere omnes, contemplatíque trepidationem fugámque hostium, propè vna voce exclamauere omnes, vt sequerentur. Ipsius Eudami multis ictibus vulnerata nauis erat, Pamphilidam & Cariclitum insequi, quoad putarent tutum, iussit. Aliquandiu secuti sunt: postaquam terræ appropinquabat Annibal, veriti ne includerentur vento in hostium ora, ad Eudamum reuecti hepterem captam, quæ primo concursu icta erat, ægrè Phaselidem pertraxerunt. inde Rhodum non tam victoria læti, quàm alius alium accusantes, quòd cùm potuisset, non omnis summersa aut capta classis hostium foret, redierunt. Annibal ictus vno prælio aduerso, ne tum quidem prætereuehi Lyciam audebat, cùm coniungi veteri regiæ classi quamprimum cuperet. Et id ne ei facere liberum esset, Rhodii Chariclitum cum viginti nauibus rostratis ad Pataram & Megisten portom miserunt. Eudamum cum septem nauibus maximis ex ea classe cui præfuerat, Samum redire ad Romanos iusserunt: vt quantum consilio, quantum authoritate valeret, compelleret Romanos ad Pataram oppugnandam. Magnam lætitiam Romanis iam prius nuntius victoriæ, deinde aduentus attulit Rhodiorum. & apparebat, si ea cura Rhodiis dempta esset, vacuos eos tuta eius regionis maria præstaturos. sed profectò Antiocho ab Sardibus, ne opprimerentur vrbes maritimæ, abscedere custodia Ioniæ atque Aeolidis prohibuerunt. Pamphilidam cum quatuor nauibus tectis ad eam classem quæ circa Patara erat, miserunt. Antiochus non ciuitatum modò quæ circa se erant, contrahebat præsidia, sed ad Prusiam Bithyniæ regem miserat legatos literásque, quibus transitum in Asiam Romanorum increpabat. Venire eos ad omnia regna tollenda, vt nullum vsquam orbis terrarum, nisi Romanum imperium esset. Philippum & Nabin expugnatos, se tertium peti. vt quisque proximus ab oppresso sit, per omneis velut continens incendium peruasurum. ab se gradum in Bithyniam fore, quando Eumenes in voluntariam seruitutem concessisset. His motum Prusiam literæ Scipionis consulis, sed magis eius fratris Africani, à suspicione tali auerterunt. qui præter consuetudinem perpetuam populi Romani augendi omni honore regum sociorum maiestatem, domesticis ipse exemplis Prusiam ad promerendam amicitiam suam compulit. Regulos se acceptos in fidem in Hispania reges reliquisse: Masanissam non in patrio modò locasse regno, sed in Syphacis à quo ante expulsus fuisset, regnum imposuisse: & esse eum non Africæ modò regum longè opulentissimum, sed toto in orbe terrarum cuiuis regum vel maiestate vel viribus parem. Philippum & Nabin hostes & bello superatos

Phaselis. *Rhodiorum classis.* *Regia classis.* *Naualis pugna inter Rhodios & regios.* *Regia classis, cui præerat Annibal, fugit.* *Rhodij insequuntur classem Regiam.* *Antiochus ad Bithyniæ regem legatos mittit.* *Literæ Scipionis ad Bithyniæ regem.*

A ratos ab T. Quintio, tamen in regno relictos: Philippo quidem anno priore etiam stipendium remissum, & filium obsidem redditum: & quasdam ciuitates extra Macedoniam, patientibus Romanis imperatoribus, recepisse eum. In eadem dignitate & Nabin futurum fuisse, nisi eum suus primò furor, deinde fraus Aetolorum absumpsisset. Maximè confirmatus est animus regis, postea quam ad eum C. Liuius, qui prætor aote classi præfuerat, legatus ab Roma venit: & edocuit, quanto & spes victoriæ certior Romanis quàm Antiocho, & amicitia sanctior firmiórque apud Romaoos futura esset. Antiochus posteaquam à spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quæ per aliquot menses instructa ac parata fuerat, visendam: magis quia terrestribus copiis exercitum Romanum & duos Scipiones imperatores videbat sustineri non posse, qnàm quòd res naualis ipsa per se aut tentata sibi vnquam feliciter, aut tunc magnæ & certæ fiduciæ esset. erat tamen momentum in præsentia spei: quòd & magnam partem Rhodiæ classis circa Patara esse, & Eumenem regem cum omnibus nauibus suis consuli obuiam in Hellespontum profectum audierat. aliquid etiam inflabat animos classis Rhodia ad Samum per occasionem fraude præparata absumpta. His fretus, Polyxenida cum classe ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso, ipse copias ad Notium ducit: (id oppidum Colophonium mari imminens, abest à vetere Colophone duo fermè millia passuum) & ipsam vrbem suæ esse potestatis volebat, adeò propinquam Ephesò, vt nihil terra maríve ageret, quod non subiectum oculis Colophoniorum, ac per eos notum extemplò Romanis esset: quos audita obsidiooe non dubitabat ad opem ferendam sociæ vrbi classem à Samo moturos: eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Igitur operibus oppugnare vrbem aggressus, & ad mare partibus duabus pariter munitionibus deductis, vtrinque vineas & aggerem muro iunxit, & testudinibus arietes admouit. Quibus territi malis Colophonii oratores Samum ad L. Aemylium, fidem prætoris populíque Romani implorantes miserunt. Aemylium & Sami segnis diu mora offendebat, nihil mious opinantem quàm Polyxenidam bis nequicquam ab se prouocatum, potestatem pugnæ facturum esse: & turpe existimabat, Eumenis classem adiuuare consulem ad traiiciendas in Asiam legiones: se Colophonis obsessæ auxilio incertam finem habituro alligari. Eudamus Rhodius, qui & tenuerat eum Sami cupientem proficisci in Hellespontum, cunctíque instare & dicere: quanto satius esse vel socios obsidione eximere, vel victam iam semel classem vincere iterum, totámque maris possessionem hosti eripere, quàm desertis sociis, tradita Antiocho Asia terra maríque, in Hellespontum, vbi satis esset Eumenis classis, à sua parte belli discedere. Profecti à Samo ad petendos commeatus, consumptis iam omnibus, Chium parabant traiicere. Id erat horreum Romanis: eóque omnes ex Italia missæ onerariæ dirigebant cursum. Circumuecti ab vrbe ad auersa in-

B sulæ, obiecta aquiloni, ad Chium & Erythras sunt. Cùm pararent traiicere, literis certior fit prætor, frumenti vim magnam Chium ex Italia venisse: vinum portantes naues tempestatibus retentas esse. simul allatum est, Teios regiæ classi benignè commeatus præbuisse: quinque millia vasorum vini esse pollicitos. Teium ex medio cursu classem repentè auertit: aut volentibus iis vsurus commeatu parato hostibus, aut ipsos pro hostibus habiturus. Cùm direxissent ad terram proras, quindecim fermè eis naues circa Myonesum apparuerunt. quas primò ex classe regia prætor esse ratus, instituit sequi: apparuit inde, piraticas celoces & lembos esse. Chiorum maritimam oram depopulati, cum omnis generis præda reuertentes, posteaquam videre ex alto classem, in fugam verterunt. & celeritate superabant leuioribus & ad id fabrefactis nauigiis, & propiores terræ erant. itaque priusquam appropinquaret classis, Myonesum perfugerunt. vnde se à portu ratus abstractorum naues, ignarus loci sequebatur prætor. Myonesus promontorium inter Teium Samúmque est: ipse collis est in modum metæ in acutum cacumen à fundo satis lato fastigiatus: à continenti arctæ semitæ aditum habet: à mari exesæ fluctibus rupes claudunt: ita vt quibusdam locis superpendeotia saxa plus in altum quàm quæ in statione sunt naues, promineant. Circa ea appropinquare non ausæ naues, ne sub ictu superstantiū in rupibus piratarum essent, diem triuere. tandem sub noctem vano incœpto cùm abstitissent, Teium postero die accessere: & in portu qui à tergo vrbis est (Geræsticum ipsi appellant) nauibus constitutis, prætor ad depopulandum circa vrbem agrum milites emisit. Teii cùm in oculis populatio esset, oratores cum infulis & velamentis ad Romanum miserunt. Quibus purgantibus ciuitatem omnis facti dictíque hostilis aduersus Romanos, & iuuisse eos commeatu classem hostium arguit, & quantum vini Polyxenidæ promisissent. quæ si eadem classi Romanæ darent, reuocaturum se à populatione militem: si minus, pro hostibus eos habiturum. Hoc tam triste responsum cùm retulissent legati, vocatur in concionem à magistratibus populus, vt quid agerent, consultarent. Eò fortè Polyxenidas cum regia classe à Colophone profectus, posteaquam mouisse à Samo Romanos audiuit, & ad Myonesum piratas persecutos, Teiorum agrum depopulari, naues in Geræstico portu stare: ipse aduersus Myonesum in insula (Macrin nautici vocant) anchoras portu occulto iecit. inde ex propinquo explorans quid hostes agerent, primò in magna spe fuit, quemadmodum Rhodiam classem ad Samum circumsessis ad exitum faucibus portus expugnasset, sic & Romanam expugnaturum. nec est dissimilis natura loci: promontoriis coeuntibus inter se ita clauditur portus, vt vix duæ simul inde naues possint exire. nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat, & denis nauibus ad promontoria stantibus, quæ ab vtroque cornu in latera exeuntium nanium pugnarent: ex cætera classe, sicut ad Panormum fecerat, armatis in litora expositis, terra maríque simul hostes opprimere. quod non vanum ei consilium fuisset, ni cùm Teii facturos se imperata promisissent, ad accipiendos commeatus aptius visum esset Romanis in eum portum qui ante vrbem est, classem transire. Dicitur &

Notium urbs Colophoniorum oppugnatur à Polyxenida.

Myonesus promontorium.

Romani Teiorum agrũ depopulantur.

Polyxenidas aduersus classem Romanam proficiscitur.

Eudamus Rhodius vitium alterius portus ostendisse, cùm fortè duæ naues in arcto ostio implicitos remos fregissent. & inter alia id quoque mouit prætorem, vt traduceret classem, quòd ab terra periculum erat, haud procul inde Antiocho statiua habente. Traducta classe ad vrbem, ignaris omnibus egressi milites nautæque sunt, ad commeatus & vinum maximè diuidendum in naues, cùm medio fortè diei agrestis quidam ad prætorem adductus nuntiat: alterum iam diem classem stare ad insulam Macrin, & paulò antè visas quasdam moueri tanquam ad profectionem naues. A

Polyxenidæ consilia deteguntur.

Re subitâ perculsus prætor tubicines canere iubet, vt si qui per agros palati essent, redirent. tribunos in vrbem mittit ad cogendos milites, nautásque in naues. Haud secus quàm in repentino incendio aut capta vrbe trepidatur: aliis in vrbem currentibus ad suos reuocandos, aliis ex vrbe naues cursu repetentibus: incertísque clamoribus quibus ipsis tubæ obstreperent, turbatis imperiis, tandem concursum ad naues est. Vix suam quisque noscere aut adire præ tumultu poterat: trepidatúmque cum periculo & in mari & in terra foret, ni partibus diuisis Aemylius cum prætoria naue primus è portu in altum euectus, excipiens insequenteis suo quanque ordine in frontem instruxisset: Eudamus Rhodiáque classis substitissent ad terram, vt & sine trepidatione conscenderent, & vt quæque parata esset, exiret nauis. ita & explicuere ordinem primæ in conspectu prætoris, & coactum agmen ab Rhodiis est: instructáque acies velut cerneret regios, in altum processit. inter Myonesum & Corycum promontorium erant, cùm hostem cóspexere.

Polyxenidæ & Romanorum pugna naualis.

Et regia classis binis in ordinem nauibus longo agmine veniens, & ipsa aciem aduersam explicuit, tantum læuo euecta cornu, vt amplecti & circumire dexterum cornu Romanorum posset. quod vbi Eudamus qui cogebat agmen vidit, non posse exæquare ordinem Romanos, & tantum non iam circumiri à dextro cornu: concitat naues, (& erant Rhodiæ naues longè omnium celerrimæ tota classe) æquatóque cornu, prætoriæ naui, in qua Polyxenidas erat, suam obiecit. Iam totis classibus simul ab omni parte pugna concerta erat. Ab Romanis LXXX naues pugnabant, ex quibus Rhodiæ duæ & viginti erant: Hostium classis vndenonaginta nauium fuit, & maximæ formæ naues, tres hexeres habebat, duas hepteres. Robore nauium & virtute militum Romani longè Rhodios præstabant: Rhodiæ naues agilitate & arte gubernatorum & scientia remigum. Maximo tamen hostibus terrori fuere, quæ ignes præ se portabant: & quod vnum iis ad Panormum circumuentis saluti fuerat, id tum maximum momentum ad victoriam fuit. nam metu ignis aduersi regiæ naues, ne prora concurrerent, cùm declinassent, neque ipsæ ferire rostro hostem poterant, & obliquas se ipsæ ad ictus præbebant: & si qua concurrerat, obruebatur infuso igni: magísque ad incendium, quàm ad prælium, trepidabant. Plurimum tamen, quæ solet, militum virtus in bello valuit. mediam nanque aciem hostiũ Romani cùm rupissent, circumuecti ab tergo pugnantibus aduersus Rhodios regiis sese obiecere: momentóque temporis & media acies Antiochi, & læuo in cornu circumuentæ naues mergebantur. B Dextera pars integra sociorum magis clade quàm suo periculo terrebatur.

Polyxenidas fugit quadragita duabus ex suis nauibus amissis.

cæterùm posteaquam alias circumuentas, prætoriam nauem Polyxenidæ relictis sociis vela dantem vidêre: sublatis raptim dolonibus (& erat secundus petentibus Ephesum ventus) capessunt fugam: quadraginta duabus nauibus in ea pugna amissis: quarum tredecim captæ in potestatem hostium venerunt, cæteræ incensæ aut demersæ. Romanorum duæ naues fractæ sunt, vulneratæ aliquot. Rhodia vna capta, memorabili casu. nam cùm rostro percussisset Sidoniam nauem, anchora ictu ipso excussa è naue sua, vnco dente velut manu ferrea iniecta, alligauit alterius proram: inde tumultu iniecto cùm diuellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii, tractum anchorale & implicitum remis latus alterum detersit: debilitatam ea ipsa quæ icta cohæserat, nauim cepit. Hoc maximè modò ad Myonesum nauali prælio pugnatum est. Quo territus Antiochus, quia possessione maris pulsus longinqua tueri diffidebat se posse, præsidium ab Lysimachia, ne opprimeretur ibi ab Romanis, deduci

Antiochus Lysimachiæ præsidio deducto Sardeis se recepit.

parùm, vt res ipsa postea docuit, consilio iussit. non enim tueri solùm Lysimachiam à primo impetu Romanorum facile erat: sed obsidionem etiam per totam hyemem tolerare, & obsidentes quoque ad vltimam inopiam adducere extrahendo tempus, & interim spem pacis per occasiones tentare. Nec Lysimachiam tantùm hostibus tradidit post aduersam naualem pugnam, sed etiam Colophonis obsidione abscessit, & Sardeis recepit se: atque inde in Cappadociam ad Ariaraten, qui auxilia accerserent, & quócunque aliò poterant ad copias contrahendas, in vnum iam consilium, vt acie dimicaret, intentus misit. Regillus Aemylius post victoriam naualem profectus Ephesum, direptis ante portum nauibus, cùm confessionem concessi maris vltimam hosti expressisset, Chium, quo ante nauale prælium cursum a Samo intenderat, nauigat. ibi naues in prælio quassatas cùm refecisset, L. Aemylium Scaurum cum triginta nauibus Hellespontum ad exercitum traiiciendum misit. Rhodias parte prædæ & spoliis naualibus decoratas domum redire iubet. Rhodii impigrè præuertêre, ad traiiciendásque copias consulis iêre. atque eo quoque functi officio, tum demum Rhodum rediere.

Phocæa.

Classis Romana ab Chio Phocæam traiecit. In sinu maris intimo posita hæc vrbs est, oblonga forma, duûm millium & quingentorum passuum spatium murus amplectitur, coit deinde ex vtraque parte in arctiorem velut cuneum, Lamptera ipsi appellant. mille & ducentos passus ibi latitudo patet, inde in altum lingua mille passuum excurrens medium ferè sinum velut nota distinguit, vbi cohæret faucibus angustis, duos in vtranque regionem versus portus tutissimos habet. qui in meridiem vergit, Naustathmos ab re appellatur, quia ingẽtem vim nauium capit: alter prope ipsum Lamptera est.

Phocæã oppugnant Romani.

Hos portus tutissimos cùm occupasset Romana classis: priusquã aut scalis, aut operibus mœnia aggrederetur, mittendos censuit prætor qui principum magistratuúmq; animos tentarent. posteaquam obstinatos vidit, duobus simul locis oppugnare est adortus. Altera pars infrequens ædificiis erat: templa

deûm

A deûm aliquantum tenebant loci. eà prius ariete admoto, quatere muros turrésque cœpit. deinde cum eò multitudo occurreret ad defendendum, altera quoque parte admotus aries, & iam vtrinque sternebantur muri. ad quorum casum cùm impetum Romani milites per ipsam stragem ruinarum facerent, alii scalis etiam ascensum in muros tentarent, adeò obstinatè restiterunt oppidani, vt facilè appareret plus in armis & virtute, quàm in mœnibus auxilii esse. coactus ergo periculo militum prætor receptui cani iussit, ne obiiceret incautos furentibus desperatione ac rabie. Dirempto prælio, ne tum quidem ad quietem versi, sed vndique omnes ad munienda & obmolienda quæ ruinis strata erant, concurrerunt. Huic operi intentis superuenit Q. Antonius, à prætore missus: qui castigata pertinacia eorum, maiorem curam Romanis quàm illis ostenderet esse, ne in perniciem vrbis pugnaretur. si absisterè furore vellent, potestatem iis dare eadem conditione qua prius C. Liuii in fidem venissent, se tradendi. Hæc cùm audissent, quinque dierum spatio ad deliberandum sumpto, tentata interim spe auxilii ab Antiocho, posteaquam legati missi ad regem nihil in eo esse præsidii retulerant: tum portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur.

Phocæa capitur, & inuito prætore à militibus diripitur.

Cùm signa in vrbem inferrentur, & prouuntiasset prætor, parci se deditis velle: clamor vndique est sublatus, indignum facinus esse, Phocenses nunquàm fidos socios, semper infestos hostes, impunè eludere. ab hac voce, velut signo à prætore dato, ad diripiendam vrbem passim discurrerunt. Aemylius primò resistere & reuocare, dicendo, captas, non deditas diripi vrbes: & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum. posteaquam ira & auaritia imperio potentiora erant: præconibus per vrbem missis, liberos omnes in forum ad se conuenire iubet, ne violarentur: & in omnibus quæ ipsius potestatis fuerunt, fides constitit prætoris. vrbem agrósque & suas leges iis restituit: & quia iam hyems appetebat, Phoeææ portus ad hybernandum classi delegit. Per idem ferè tempus consuli transgresso Aeniorum Maronitarúmque fines nuntiatur: victam regiam classem ad Myonesum, relictámque à præsidio Lysimachiam esse. Id multo quàm de nauali victoria lætius fuit, vtique posteaquam eò venerunt, refertáque vrbs omnium rerum commeatibus, velut in aduentum exercitus præparatis, eos excepit, vbi inopiam vltimam, labórémque in obsidenda vrbe sibi proposuerant. Ibi paucos dies statiua habuere, vt impedimenta ægríque consequerentur, qui passim per omnia Thraciæ castella fessi morbis ac longitudine viæ relicti erant.

Hellespontũ peruenit Romanus exercitus.

Receptis omnibus ingressi rursus iter per Chersonnesum, Hellespontum perueniunt. vbi omnibus cura regis Eumenis ad traiiciendum præparatis, velut in pacata litora nullo prohibente, alius aliò delatis nauibus, sine tumultu traiecere. Ea verò res Romanis auxit animos, concessum sibi transitum cernentibus in Asiam, quam rem magni certaminis futuram crediderunt. Statiua deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt. quia dies fortè quibus ancylia mouentur, religiosi ad iter
B inciderant. iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia salius erat, disiunxerant ab exercitu, causáque & is ipse moræ erat, dum consequeretur.

Antiochi legatus ad Scipiones.

Per eos fortè dies legatus ab Antiocho in castra venerat, Byzantius Heraclides, de pace afferens mandata, quam impetrabilem fore magnam ei spem attulit mora & cunctatio Romanorum, quos simul Asiam attigissent, effuso agmine ad castra regia ituros crediderat. Statuit tamen non prius adire consulem, quàm P. Scipionem: & ita mandatum ab rege erat. in eo maximam spem habebat, præterquam quòd & magnitudo animi & satietas gloriæ placabilem eum maximè faciebat, notúmque erat gentibus, qui victor ille in Hispania, qui deinde in Africa fuisset: etiam quòd filius eius captus in potestate regis erat.

Scipionis Africani filius captus ab Antiocho

Is vbi & quando, & quo casu captus sit, sicut pleraque alia, parum inter authores constat, alii principio belli à Chalcide Oreum petentem, circumuentum ab regiis nauibus tradunt. alii, posteaquam transitum in Asiam est, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obuiam equitatu cùm reciperet sese, in eo tumultu delapso equo cum duobus equitibus oppressum. ita ad regem deductum esse. Illud satis constat, si pax cum populo Romano maneret, hospitiúmque priuatim regi cum Scipionibus esset, neque liberalius neque benignius haberi, colíque adolescentem, quàm cultus est, potuisse. Ob hæc cùm aduentum P. Scipionis legatus expectasset, vbi is venit, consulem adit, petítque vt mandata audiret.

Antiochi legati oratio.

Aduocato frequenti concilio legati verba sunt audita. Is multis antè legationibus nequicquam vltrò citróque de pace missis, eam ipsam fiduciam impetrandi sibi esse dixit, quòd priores legati nihil impetrassent. Smyrnam enim & Lampsacum & Alexãdriam Troadem & Lysimachiam in Europa, iactatas in illis disceptationibus esse: quarum Lysimachia iam cessisse regem, ne quid in Europa habere eum dicerent: eas quæ in Asia sint ciuitates tradere paratum esse: & si quas alias Romani quòd suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint. impensæ quoque in bellum factæ partem dimidiam regem præstaturum populo Romano. Hæ conditiones erant pacis. Reliqua oratio fuit, vt memores rerum humanarum & suæ fortunæ moderarentur, & alienam ne vrgerent. finirent Europa imperium, id quoque immensum esse: & parari singula acquirendo facilius potuisse, quàm vniuersa teneri posse. Quòd si Asiæ quoque partem aliquam abstrahere velint, dummodo non dubiis regionibus finiant: vinci suam temperantiam Romana cupiditate pacis & concordiæ causa regem passurum. Ea quæ legato magna ad pacem impetrandam videbantur, parua Romanis visa. nam & impensam quæ in bellum facta esset, omnem præstare regem æquum censebant: cuius culpa bellum excitatum esset. & non Ionia modò atque Aeolide deduci debere præsidia regia: sed sicut Græcia omnis liberata esset, ita quæ in Asia sint, omnes liberari vrbes. id aliter fieri non posse, quàm vt cis Taurum montem possessione Asiæ Antiochus cedat.

Antiochi legatus P. Scipionis animum tentare conatur.

Legatus posteaquam nihil æqui in concilio impetrare se censebat: priuatim (sic enim imperatum erat) P. Scipionis tentare animum est conatus. Omnium primùm filium ei sine pretio redditurum regem dixit: deinde ignarus & animi Sci-

pionis,& moris Romani, auri pondus ingens eſt pollicitus, & nomine tantum regio excepto, ſocietatem omnis regni,ſi per eum pacem impetraſſet. A
Ad ea Scipio. Quòd Romanos omneis, quod me ad quem miſſus es, ignoras, minus miror : cùm te fortunam eius à quo venis,ignorare cernam. Lyſimachia tenenda erat , ne Cherſonneſum intraremus : aut ad Helleſpontum obſiſtendum,ne in Aſiam traiiceremus: ſi pacem tanquã à ſolicitis de belli euentu petituri eratis. conceſſo verò in Aſiam tranſitu, & non ſolùm frænis,ſed etiam iugo accepto,quæ diſceptatio ex æquo, cùm imperium patiendum ſit, relicta eſt? Ego ex munificentia regia maximum donum filium habebo : aliis, deos precor,ne vnquam fortuna egeat mea, animus certè non egebit. pro tanto in me munere gratum me eſſe in ſe ſentiet,ſi priuatam gratiam pro priuato beneficio deſiderabit. publicè nec habebo quicquam ab illo,nec dabo. quod in præſentia dare poſsim,fidele conſilium eſt.abi,nuntia meis verbis, bello abſiſtat, pacis conditionem nullam recuſet. Nihil ea mouerunt regem, tutam fore belli aleam ratum, quando perinde ac victo iam ſibi leges dicerentur. omiſſa igitur in præſentia mentione pacis, totam curam in belli apparatum intendit.

Ilium peruenit Romanus exercitus.

Conſul omnibus præparatis ad propoſita exequenda, cùm ex ſtatiuis mouiſſet, Dardanum primùm, deinde Rhœteum, vtraque ciuitate obuiam effuſa, venit. inde Ilium proceſsit,caſtríſque in campo qui eſt ſubiectus mœnibus poſitis,in vrbem arcémque cùm aſcendiſſet,ſacrificauit Mineruæ præſidi arcis, & Llienſibus in omni rerum verborúmque honore ab ſe oriuodos Romanos præferentibus, & Romanis lætis origine ſua. inde profecti ſextis caſtris ad caput Caitci amnis peruenerunt. Eò & Eumeoes rex, conatus primò ab Helleſponto reducere claſſem in hyberna Elæam, aduerſis deinde ventis cum aliquot diebus ſuperare Lecton promontorium non potuiſſet, in terram egreſſus,ne deeſſet principiis rerum,quà proximum fuit, in caſtra Romana cum parua manu contendit. Ex caſtris Pergamum remiſſus ad commeatus expediendos , tradito frumento quibus iuſſerat C O S. in eadem ſtatiua rediit.inde plurium dierum præparatis cibariis, conſilium erat ire ad hoſtem priuſquam hyems opprimeret. Regia caſtra circa Thyatira erant.

Antiochus Scipionis filium ad patrē remittit.

ibi cùm audiſſet Antiochus P.Scipionem ægrum Elæam delatum, legatos qui filium ad eum reducerent, miſit. Non ſolùm animo patrio gratum munus,ſed corpori quoque ſalubre gaudium fuit : ſatiatúſq; tandem complexu filii, Renuntiate, inquit, gratias regi me agere : referre gratiam aliam nunc non poſſe, quàm vt ſuadeam, ne antè in aciem deſcendat,quàm vt in caſtra me rediſſe audierit. Quanquam ſeptuaginta millia peditum, plus duodecim millia equitum animos interdum ad ſpem certaminis faciebant, motus tamen Antiochus tanti authoritate viri,in quo ad incertos belli euentus omnis fortunæ poſuerat ſubſidia, recepit ſe tranſgreſſus Phrygium amnem : circáque Magneſiam, quæ ad Sipylum eſt,poſuit caſtra. & ne, ſi extrahere tempus vellet, munimenta Romani tentarent, foſſam ſex cubitis altam, duodecim latam cùm duxiſſet,extra duplex vallum foſſæ circundedit, interiore labro murum cum turribus crebris obiecit : vnde facile arceri tranſitu foſſæ hoſtis poſſet. B
Conſul circa Thyatira regem eſſe ratus,cõtinuis itineribus quinto die ad Hyrcanum campum deſcendit. inde cùm profectum audiſſet, ſecutus veſtigia citra Phrygium amnem quatuor millia ab hoſte poſuit caſtra.

Leuis quædam certamina inter Antiochum & Romanos.

Eò mille fermè equites (maxima pars Gallogræci erant, & Dacæ quidam, aliarúmque gentium ſagittarii equites intermiſti) tumultuoſe amne traiecto, in ſtationes impetum fecerunt. Primò turbauerunt incompoſitos. deinde cùm longius certamen fieret, Romanorum ex propinquis caſtris facili ſubſidio, creſceret numerus, regii feſsi iam & plures non ſuſtinentes recipere ſe conati, circa ripam amnis priuſquam flumen ingrederentur, ab inſtantibus tergo aliquot interfecti ſunt. Biduum deinde ſilentium fuit,neutris tranſgredientibus amnem. tertio pòſt die Romani ſimul omnes tranſgreſsi ſunt : & duo millia fermè & quingentos paſſus ab hoſte poſuerunt caſtra. Metantibus & muniendo occupatis tria millia delecta equitum peditúmque regiorum, magno terrore ac tumultu aduenere. aliquanto pauciores in ſtatione erant, & tamen per ſe nullo à munimento caſtrorum milite auocato, & primò æquum prælium ſuſtinuere, & creſcente certamine pepulerunt hoſtes, centum ex his occiſis, centum fermè captis. Per quatriduum inſequens, inſtructæ vtrinque acies pro vallo ſtetere. quinto die Romani proceſſere in medium campi. Antiochus nihil promouit ſigna, ita vt extremi minus mille pedes à vallo abeſſent. Conſul poſteaquam detrectari certamen vidit, poſtero die in conſilium aduocauit, quid ſibi faciendum eſſet,ſi Antiochus pugnandi copiam non faceret. inſtare hyemem : aut ſub pellibus habendos milites fore : aut ſi coocedere in hyberna vellent, differendum eſſe in æſtatem bellum. Nullum vnquam hoſtem Romani æquè contempſerunt. conclamatum vndique eſt,duceret extemplò & vteretur ardore militum , qui tanquam non pugnandum cum tot millibus hoſtium,ſed par numerus pecorum trucidandus eſſet. per foſſas, per vallum caſtra inuadere parati erant, ſi in prælium hoſtis non exiret. Cn.Domitius ad explorandum iter, & qua parte adiri vallum hoſtium poſſet, miſſus, poſteaquam omnia certa retulit, poſtero die propius caſtra admoueri placuit, tertio ſigna in medium campi prolata, & inſtrui acies cœpta eſt. Nec Antiochus vltra tergiuerſandum ratus, ne & ſuorum animos minueret detrectando certamen,& hoſtium ſpem augeret, & ipſe copias eduxit : tantum progreſſus à caſtris, vt dimicaturum appareret.

Romana acies aduerſus Antiochum.

Romana acies vnius propè formæ fuit & hominum & armorum genere. duæ legiones Romanæ, duæ ſociûm ac Latini nominis erant : quina millia & quadringenos ſingulæ habebant. Romani mediam aciem,cornua Latini tenuerunt,haſtatorum prima ſigna,deinde principum erant,triarii poſtremos claudebant. Extra hanc veluti iuſtam aciem à parte dextera conſul Achæorum cetratis immiſtos auxiliares Eumenis tria millia fermè peditum æquata fronte inſtruxit,vltra eos equitum minus tria millia oppoſuit, ex quibus Eumenis octingenti , reliquum omnis equitatus Romanus erat, extremos Tralleis & Cretenſes (quingentorum vtrique numerum explebant)

A bant) statuit. læuum cornu non videbatur egere talibus auxiliis, quia flumen ab ea parte ripæque diruptæ claudebant, quatuor tamen inde turmæ equitum oppositæ. Hæc summa copiarum erat Romanis: & duo millia mistorum Macedonum, Thracúmque, qui voluntate secutæ erant. hi præsidio relicti sunt castris. sexdecim elephantos post triarios in subsidio locauerunt. nam præterquam quòd multitudinem regiorum elephantorum (erant autem quatuor & quinquaginta) sustinere non videbantur posse, ne pari quidem numero Indicis Africi resistunt, siue quia magnitudine (longè enim illi præstant) siue robore animorum vincuntur. Regia acies varia magis multis gentibus, dissimilitudine armorum auxiliorúmque erat. decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. hæc media acies fuit in fronte in decem partes diuisa. partes eas interpositis binis elephantis distinguebat: à fronte introrsus in duos & triginta ordines armatorum acies patebat. hoc & roboris in regiis copiis erat, & perinde cùm alia specie, tum eminentibus tantum inter armatos elephantis magnum terrorem præbebat. Ingentes ipsi erant, addebant speciem frontalia & cristæ & tergo impositæ turres, turribúsque superstantes præter rectorem quaterni armati. Ad latus dexterum phalangitarum mille, & quingentos pedites Gallogræcorum opposuit. his tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adiunxit. addita his ala mille fermè equitum, agema eam vocabant. Medi erant lecti viri, & eiusdem regionis misti multarum gentium equites. continens his grex sexdecim elephantorum est oppositus in subsidiis. ab eadem parte paululum producto cornu regia cohors erat, Argyraspides à genere armorum appellabantur. Dacæ deinde equites sagittarii mille & ducenti. tum leuis armaturæ trium millium, pari fermè numero pars Cretenses, pars Tralles, duo millia & quingenti Mysi, sagittariis adiuncti erant. Extremum cornu claudebant quatuor millia misti Cirtæi funditores, & Elymæi sagittarii. Ab læuo cornu phalangitis adiuncti erant Gallogræci pedites mille & quingenti, & similiter his armati duo millia Cappadocum ab Ariarate missi rege. inde auxiliares misti omnium generum duo millia & septingenti, & tria millia cataphractorum equitum, & mille alii equites, regia ala leuioribus tegumentis suis equorúmque, alio haud dissimili habitu: Syri plerique erant Phrygibus & Lydis immisti, ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ & cameli, quos appellant dromadas. his insidebant Arabes sagittarii gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, vt ex tanta altitudine contingere hostem possent. inde alia multitudo par ei quæ in dextro cornu erat, primi Tarentini, deinde Gallogræcorum equitum duo millia & quingenti: inde Neocretes mille, & eodem armatu Cares & Cilices mille & quingenti, & totidem Tralles, & tria millia cetratorum: Pisidæ hi erant, & Pamphylii, & Lycii, tum Cyrtæorum & Elymæorum paria in dextero cornu locatis auxilia, & sexdecim elephanti modico interuallo distantes. Rex ipse in

Elephanti Indici præstāt Africis.

Regia acies ex varijs gētibus instructa.

B dextero cornu erat, Seleucum filium & Antipatrum fratris filium in læuo præposuit: media acies tribus permissa, Minioni & Zeusidi & Philippo magistro elephantorum. Nebula matutina crescente die leuata in nubes caliginem dedit, humor inde ab austro velut perfudit omnia. quæ nihil admodum Romanis, eadem perincommoda regiis erant. nam & obscuritas lucis in acie modica Romanis non adimebat in omneis parteis conspectum: & humor toto ferè graui armatu nihil gladios aut pila hebetabat. regii tam lata acie ne ex medio quidem cornua sua circumspicere poterant, nedum extremi inter se conspicerentur, & humor arcus fundásque, & iaculorum amenta emolliebat. falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturū hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. Armatæ autem in hunc maximè modum erant. cuspides circa temonem ab iugo decem cubita extantes, velut cornua habebant: quibus quicquid obuium daretur, transfigerent. & in extremis iugis binæ circà eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior in terram deuexa: illa, vt quicquid ab latere obiiceretur, abscinderet: hæc, vt prolapsos subeuntésque contingeret. item ab axibus rotarum vtrinque binæ eodem modo diuersæ deligabantur falces. Sic armatas quadrigas, quia si in extremo aut in medio locatæ forent, per suos agendæ erant, in prima acie, vt antè dictum est, locauerat rex. Quod vbi Eumenes vidit, haud ignarus pugnæ, & quàm anceps esset auxilii genus, si quis pauorem magis equis iniiceret quàm iusta adoriretur pugna: Cretenses sagittarios funditorésque & iaculatores equitum non confertos, sed quammaximè possent dispersos excurrere iubet, simul omnibus partibus tela ingerere. Hæc velut procella partim vulneribus missilium vndique coniectorum, partim clamoribus dissonis ita consternauit equos, vt repentè velut effrenati passim incerto cursu ferrentur: quorum impetus & leuis armatura, & expediti funditores, & velox Cretensis momento declinabant: & eques insequendo, tumultum ac pauorem equis camelísque & ipsis simul consternatis augebat, clamore & ab alia circunstantium turba multiplici adiecto. Ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ, amotóque inani ludibrio, tum demum ad iustum prælium, signo vtrinque dato, concursum est. Cæterum vana illa res veræ mox cladis causa fuit. auxilia enim subsidiaria, quæ proxima locata erant, pauore & consternatione quadrigarum territa, & ipsa in fugam versa, nudarunt omnia vsque ad cataphractos equites. ad quos cùm dissipatis subsidiis peruenisset equitatus Romanus, ne primum quidem impetum pars eorum sustinuerunt, alii fusi sunt, alii propter grauitatem tegumentorum armorúmque oppressi sunt: totum deinde læuum cornu inclinauit, & turbatis auxiliaribus qui inter equitem & quos appellant phalangitas erant: vsque ad mediam aciem terror peruenit. Ibi simul perturbati ordines, & impeditus intercursu suorum vsus prælongarum hastarum (sarissas Macedones vocant) intulere signa Romanæ legiones, & pila inter turbatos coniecere. ne interpositi quidem elephanti militem Romanum deterrebant, assuetum iam ab Africis bellis, & vitare impetum belluæ, & ex transuerso aut pilis incessere: aut si propius subire posset, gladio neruos inci-

Falcatæ quadrigæ.

Inferunt signa Romanæ legiones in Antiochi exercitum.

dere. Iam media acies ferè omnis à fronte prostrata erat, & subsidia circumita à tergo cædebantur: A
cùm in parte alia fugam suorum, & propè iam ad ipsa castra clamorem pauentium accepere. nanque Antiochus à dextro cornu, cùm ibi fiducia fluminis nulla subsidia cerneret, præter quatuor turmas equitum, & eas dum applicant se suis, ripam nudantes: impetum in eam partem cum auxiliis & cataphracto equitatu fecit: nec à fronte tantùm instabat, sed circumito à flumine cornu, iam ab latere vrgebat, donec fugati equites primùm, deinde proximi peditum effuso cursu ad castra compulsi sunt.

M. Aemylius Romanos à læuo cornu fugiētes retinet.

Præerat castris M. Aemylius tribunus militum, M. Lepidi filius, qui post annos paucos pontifex maximus factus est: is quà fugam cernebat suorum, cum præsidio omni occurrit: & stare primò, deinde redire in pugnam iubebat, pauorem & turpem fugam increpans. minæ exinde erant: in perniciem suam cæcos ruere, ni dicto parèrent. postremò dat signum suis, vt primos fugientium cædant: turbam insequentium ferro & vulneribus in hostes redigant. Hic maior timor minorem vicit. ancipiti coacti metu primò constiterunt, deinde & ipsi redierunt in pugnam, & Aemylius cum suo præsidio (erant autem duo millia virorum fortium) effusè sequenti regi acriter restitit: & Attalus Eumenis frater à dextro cornu, à quo læuum hostium primo impetu fugatum fuerat, vt ab sinistro fugam suorum & tumultum circa castra vidit, in tempore cum ducentis equitibus aduenit.

Antiochus in fugā uertitur.

Antiochus posteaquàm & eos quorum terga modò viderat, repetentes pugnam, & aliam à castris & ex acie affluentem turbam conspexit, in fugam vertit equum. ita vtroque cornu victores Romani per aceruos corporum, quos in media maximè acie cumulauerant: vbi & robur fortissimorum virorum, & arma grauitate fugam impedierant: pergunt ad castra diripienda. equites primi omnium Eumenis, deinde & alius equitatus toto passim campo sequuntur hostem, & postremos, vt quosque adepti sunt, cædunt. cæterùm fugientibus maior pestis intermistis quadrigis elephantísque & camelis erat sua ipsorum turba: cùm solutis ordinibus velut cæci super alios alii ruerent, & incursu belluarum obtererentur.

Antiochi castra diripiūtur.

In castris quoque ingens & maior propè quàm in acie cædes est edita. nam & primorum fuga in castra maximè inclinauit, & huius fiducia multitudinis, qui in præsidio erant pertinacius pro vallo pugnarunt. retenti in portis vallóque, quæ se impetu ipso capturos crediderant Romani, posteaquàm tandem perruperunt, ab ira grauiorem ediderunt cædem.

Interfectorū numerus.

Ad quinquaginta millia peditum cæsa eo die dicuntur: equitum quatuor millia, mille & quadringenti capti, & quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati sunt: ceciderunt non plus CCC pedites, quatuor & viginti equites, & de Eumenis exercitu quinque & viginti. Et illo quidem die victores direptis hostium castris cum magna præda in sua reuerterunt. postero die spoliabant cæsorū corpora, & captiuos contrahebant. legati ab Thyatira & à Magnesia ad Sypilum ad dedendas vrbes venerunt. Antiochus cum paucis fugiens, in ipso itinere pluribus congregantibus se, modica manu armatorum media fer- B
mè nocte Sardeis concessit. inde cùm audisset Seleucum filium & quosdam amicorum Apameam prægressos, & ipse quarta vigilia cum coniuge ac filia petit Apameam, Zenoni tradita custodia vrbis, Timone Lydiæ præposito. quibus spretis consensu oppidanorum & militum qui in arce erant, legati ad consulem missi sunt. Sub idem ferè tempus & ab Trallibus & à Magnesia quæ super Mæandrum est, & ab Epheso legati ad dedendas vrbes venerunt. Reliquerat Ephesum Polyxenidas audita pugna, & classe vsque ad Patara Lyciæ peruectus, metu stationis Rhodiarum nauium quæ ad Megisten erat, in terram egressus, cum paucis itinere pedestri Syriam petiit.

Asiæ ciuitates in fidem consulis sese tradunt.

Asiæ ciuitates in fidem consulis ditionémque populi Romani sese tradebant. Sardibus iam consul erat, eò & P. Scipio ab Elæa, cùm primùm pati laborē viæ potuit, venit. Sub idem ferè tempus caduceator ab Antiocho per P. Scipionem à consule petiit, impetrauítque, vt oratores mittere liceret regi. paucos post dies Zeusis, qui præfectus Lydiæ fuerat, & Antipater fratris filius, venerunt. hi prius Eumene conuento, quem propter vetera certamina auersum maximè à pace credebant esse, & placatiore eo & sua & regis spe inuento, tum P. Scipionem, & per eum COS. adierunt: præbitóque iis petentibus frequenti consilio ad mandata edenda.

Antiochi legatorum ad Scipiones oratio.

Non tam quid ipsi dicamus, habemus, inquit Zeusis, quàm vt à vobis quæramus Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniámque impetrare à victoribus possimus. Maximo semper animo victis regibus populísque ignouistis. quanto id maiore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria, quæ vos dominos orbis terrarum fecit? positis iam aduersus omnes mortales certaminibus, haud secus quàm deos consulere & parcere vos generi humano oportet.

Africani responsio.

Iam antequam legati venirent, decretum erat, quid responderetur. respondere Africanum placuit. is in hunc modum locutus fertur: Romani ex iis quæ in deûm immortalium potestate erant, ea habemus, quæ dii dederunt: animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus, gerimúsque: neque eos secundæ res extulerunt, nec aduersæ minuerunt. eius rei, vt alios omittam, Annibalem vestrum vobis darem testem, nisi vos ipsos dare possem.

Pacis cū Antiocho conditiones.

† Coron. 6000000. Valebat autē Euboicū tal. 4000 denarijs.

† Coron. 6000000.

† Valent. 440000.

Posteaquam Hellespontum traiecimus, priusquam castra regia, priusquam aciem videremus, cùm communis mars, & incertus belli euentus esset, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus. Europa abstinete, Asiáque omni, quæ cis Taurum montem est, decedite. pro impensis deinde in bellum factis † XV millia talentûm Euboicorum dabitis. quingenta præsentia, duo millia & quingenta, cùm Senatus populúsque Romanus pacem comprobauerint, † mille deinde talentûm per XII annos. Eumeni quoq; reddi † CCCC talenta, & quod frumēti reliquum ex eo, quod patri debitum est, placet. Hæc cùm pepigerimus, facturos vos vt pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus, si obsides viginti nostro arbitratu dabitis. Sed nunquam satis liquebit nobis, ibi pacem esse populo Romano, vbi Annibal erit, eum ante omnia deposcimus. Thoantem quoque Aetolum, cōcitatorem Aetolici belli, qui &

A qui & illorum fiducia vos, & vestra illos in nos armauit, dedetis, & cum eo Mnasimachum Acarnana, & Chalcidenses Philonem & Eubulidam. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit, quàm facere potuit. si nunc moratus fuerit, sciat, regum maiestatem difficilius ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm à mediis ad ima præcipitari. Cum his mandatis ab rege missi erant legati, vt omnem pacis conditionem acciperent. itaque Romam mitti legatos placuit. COS. in hyberna exercitum Magnesiam ad Mæandrum & Tralleis Ephesúmque diuisit. Ephesum ad COS. paucos post dies obsides ab rege adducti sunt: & legati, qui Romam irent, venerunt. Eumenes quoque eodem tempore profectus est Romam, quo legati regis. secutæ eos sunt legationes omnium Asiæ populorum. Dum hæc in Asia geruntur, duo ferè sub idem tempus cum triumphi spe proCOSS. de prouinciis Romam redierunt, Q. Minutius ex Liguribus, M. Acilius ex Aetolia. Auditis vtriusque rebus gestis, Minutio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus: ísque triumphans de rege Antiocho & Aetolis vrbem est inuectus. Prælata sunt in eo triumpho signa militaria CCXXX, & argenti infecti †tria millia pondo: signati †tetradrachmûm Atticûm CXIII millia: † cistophorûm CCXLVIII, vasa argentea cælata multa, magníque ponderis: tulit & supellectilem regiam argenteam, ac vestem magnificam: coronas aureas, dona sociarum ciuitatum, XLV, spolia omnis generis, captiuos nobiles, Aetolos, & regios duces sex & triginta duxit. Damocritus Aetolorum dux paucos ante dies cùm è carcere nocte effugisset, in ripa Tyberis consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit. milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus & spectaculo, & fama rerum triumphus fuit. Huius triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispania tristis: aduersa pugna in Vascetanis ductu L. Aemylii proprætoris apud oppidum Lyconem cum Lusitanis, sex millia de exercitu Romano cecidisse: cæteros pauentes intra vallum compulsos ægrè castra defendisse, & admodum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos. Hæc ex Hispania nuntiata. Ex Gallia legatos Placentinorum & Cremonensium L. Aurunculeius Prætor in senatum introduxit. Iis querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo absumptis, quosdam tædio accolarum Gallorum reliquisse colonias: decreuit senatus, vti C. Lælius COS. si ei videretur, sex millia familiarum conscriberet, quæ in eas colonias diuiderentur, & vt L. Aurunculeius Prætor triumuiros, crearet ad eos colonos deducendos. Creati M. Attilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappo. Haud ita multo pòst cùm iam consularium comitiorum appeteret tempus, C. Lælius COS. ex Gallia Romá rediit. is non solùm ex facto absente se Senatusconsulto in supplementum Cremonæ & Placentiæ colonos scripsit, sed vt nouæ coloniæ duæ in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur & retulit, & authore eo patres censuerunt. Eodem tépore L. Aemylii Prætoris literæ allatæ de nauali pugna ad Myonesum facta, & L. Scipionem COS. exercitum in Asiam traiecisse.

Acilij de Antiocho & Aetolis triumphus.

†Coron. 30000.

†Coron. 45200.

†Coron. 19840.

In Hispania infeliciter pugnatum.

B Victoriæ naualis ergò in vnum diem supplicatio decreta est: in alterum diem, quòd exercitus Romanus tum primùm in Asia posuisset castra, vt ea res prospera & læta eueniret: vicenis maioribus hostiis in singulas supplicationes sacrificare COS. est iussus. Inde consularia comitia magna contentione habita. M. Aemylius Lepidus petebat, aduersa fama hominum, quòd prouinciam Siciliá petendi causa, non consulto senatu vt sibi id facere liceret, reliquisset. petebant cum eo M. Fuluius Nobilior, Cn. Manlius Volso, M. Valerius Messala, Fuluius COS. vnus creatur, cùm cæteri centurias non explessent: ísque postero die Cn. Manlium, Lepido deiecto (nam Messala tacuit) collegam dixit. Prætores exinde facti, duo Q. Fabii Labeo & Pictor, (flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat) M. Sempronius Tuditanus, Sp. Posthumius Albinus, L. Plautius Hypseus, L. Bebius Diues. M. Fuluio Nobiliore, & Cn. Manlio Volsone COSS. Valerius Antias author est, rumorem celebrem Romæ fuisse, & penè pro certo habitum, recipiendi Scipionis adolescentis causa COS. L. Scipionem, & cum eo P. Africanum in colloquium euocatos regis, & ipsos comprehensos esse, & ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductum, eáque expugnata, & deletas omnes copias Romanorum esse: ob hæc Aetolos sustulisse animos, & abnuisse imperata facere, principésque eorum in Macedoniam & in Dardanos & in Thraciam ad conducenda mercede auxilia profectos: hæc qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem, & M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio proprætore ex Aetolia missos esse. Subtexit deinde fabulæ huic, legatos Aetolos in senatu inter cætera hoc quoq; interrogatos esse: vnde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege, & exercitum deletum esse? Aetolos respondisse, ab suis legatis se, qui cum COS. fuerint, certiores factos. Rumoris huius quia neminem alium authorem habeo, neque affirmata res mea opinione sit, nec pro vana prætermissa. Aetoli legati in senatum introducti, cùm & causa eos sua & fortuna hortaretur, vt confitendo seu suæ culpæ, seu errori veniam peterent supplices: orsi à beneficiis in populum Romanum, & propè exprobrantes virtutem suam in Philippi bello, & offenderunt aures insolentia sermonis, & eò vetera & obliterata repetendo rem adduxerunt, vt haud paulo plurium maleficiorum gentis, quàm beneficiorum memoria subiret animos patrum: & quibus misericordia opus erat, iram & odium irritarent. Interrogati ab vno senatore, permitteréntne arbitrium de se populo Romano? deinde ab altero, habituríne eosdem, quos populus Romanus, socios & hostes, essent? nihil ad ea respondentes, egredi templo iussi sunt. Conclamatum déinde propè ab vniuerso senatu est, totos adhuc Antiochi Aetolos esse, & ex vnica ea spe pendêre animos eorum. itaque bellum cum haud dubiis hostibus gerendum, perdomandósque feroces animos esse Etiam illa res accendit, quòd eo ipso tempore, quo pacem ab Romanis petebant, Dolopiæ atque Athamaniæ bellum inferebant. Senatusconsultum in M. Acilii sententiam, qui Antiochum Aetolósque deuicerat, factum est, vt Aetoli eo die iuberentur

Supplicationes decretæ ob res in Asia prospere gestas.

Consularia comitia magna contentione habita.

Valerius Antias de bello Asiano.

Aetolorum legati sermonis insolentia Patrum animos offenderunt.

proficiſci ab vrbe, & intra quintumdecimnm diem Italia excedere. A. Terentius Varro ad cuſtodiendum iter eorum miſſus: denuntiatúmque, ſi qua deinde legatio ex Aetolis, niſi permiſſu imperatoris, qui eam prouinciam obtineret, & cum legato Romano veniſſet Romam, pro hoſtibus omnes futuros. Ita dimiſsi Aetoli. A

Prouinciarū conſulariū. ſortitio.

De prouinciis deinde c o s s. retulerunt: ſortiri eos Aetoliam & Aſiam placuit. qui Aſiam ſortitus eſſet, exercitus ei quem L. Scipio haberet, eſt decretus, & in eum ſupplementum quatuor millia peditum Romanorum, ducenti equites, & ſociorum ac Latini nominis octo millia peditum, & quadringenti equites: his copiis vt bellum cum Antiocho gereret. Alteri c o s. exercitus, qui erat in Aetolia, eſt decretus: & vt ſupplementum ſcriberet permiſſum, ciuium ſociorúmque eundem numerum quem collega: naues quoque idem c o s. quæ priore anno paratæ erant, ornare iuſſus, ac ducere ſecum: nec cum Aetolis ſolùm bellum gerere, ſed etiam in Cephaleniam inſulam traiicere. Mandatum eidem, ſi per commodnm Reipublicæ facere poſſet, vt ad comitia Romam rediret. nam præterquam quòd magiſtratus annui ſubrogandi eſſent, cenſores quoque placere creari. ſi qua res eum teneret, ſenatum certiorem faceret, ſe ad comitiorum tempus occurrere non poſſe. Aetolia M. Fuluio, Aſia Cn. Manlio ſorte euenit. Prætores deinde ſortiti ſunt, Sp. Poſthumius Albinus vrbanam, & inter peregrinos M. Sempronius Tuditanus Siciliam, Q. Fabius Pictor flamen quirinalis Sardiniam, Q. Fabius Labeo claſſem, L. Plautius Hypſeus Hiſpaniam citeriorem, L. Bebius Diues Hiſpaniam vlteriorem. Siciliæ legio vna, & claſsis, quæ in ea prouincia

Exercituum dimiſio.

erat, decreta. & vt duas decimas frumenti nouus Prætor imperaret Siculis, earum alteram in Aſiam, alteram in Aetoliam mitteret. Idem ab Sardis exigi, atque ad eoſdem exercitus id frumentum, ad quos Siculum, deportari iuſſum. L. Bebio ſupplementum in Hiſpaniam datum mille Romani pedites, equites quinquaginta, & ſex millia peditum Latini nominis, & c c equites. Plautio Hypſeo in Hiſpaniam citeriorem mille Romani dati ſunt pedites, duo millia ſociûm Latini nominis, & ducenti equites. cum his ſupplementis, vt ſingulas legiones duæ Hiſpaniæ haberent. Prioris anni magiſtratibus, C. Lælio cum ſuo exercitu prorogatū in annum imperium eſt. prorogatum & P. Iunio proprætori in Hetruria cum eo exercitu qui in prouincia eſſet, & M. Tuccio proprætori in Brutiis & Apnlia. Priuſ-

Inter P. Licinium & Q. Fabiū Pictorem certamen.

quam in pronincias Prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximnm fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Poſthumium Albinum fuerat. c o s. illum cum C. Luctatio collega in Siciliam ad claſſem proficiſcentem ad ſacra retinuerat Metellus Pontifex Maximus prætorem hunc, ne in Sardiniam proficiſceretur, P. Licinius tenuit. & in ſenatu, & ad populum m gnis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita vltro citróque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & prouocatum ad populum eſt. religio ad poſtremum vicit, & dicto audiens eſſe flamen pontifici iuſſus: & mulctæ ex iuſſu populi remiſſæ. ira B pronnciæ ereptæ prætorem magiſtratu abdicare ſe conantem, patres authoritate ſua deterruerunt: & vt ius inter peregrinos diceret, decreuerunt. Delectibus deinde intra paucos dies (neque enim multi milites legendi erant) perfectis, c o s s. prætoréſque in prouincias proficiſcuntur. Fama deinde de rebus in Aſia geſtis temerè vulgata ſine authore: & poſt dies paucos nuntii certi, literæque imperatoris Romani allatæ. quæ non tantum gaudium ab recenti metu attulerant (deſierant enim victam Aetoliam metuere) quàm auerterunt famam: quòd ineuntibus id bellum grauis hoſtis & ſuis viribus, & quòd Annibalem rectorem militiæ haberet, viſus fuerat. nihil tamen aut de c o s. mittendo in Aſiam mutandnm, aut minuendas eius copias cenſuerunt: metu, ne cum Gallis foret bellandum. Haud multo pòſt M. Aurelius Cotta, legatus L. Scipionis, cum Antiochi regis legatis, & Eumenes rex Rhodiíque Romam venerunt. Cotta in ſenatu primùm, deinde in concione iuſſu patrum, quæ acta

Supplicatio in triduū decreta ob res in Aſia feliciter geſtas. Eumenes rex in Senatum introducitur

in Aſia eſſent, expoſuit. ſupplicatio inde in triduum decreta eſt, & x l maiores hoſtiæ immolari iuſſæ. Tum omnium primum Eumeni ſenatus datus eſt. Is cùm breuiter & egiſſet gratias patribus, quòd obſidione ſe ac fratrem exemiſſent, regnúmqne ab iniuriis Antiochi vindicaſſent, & gratulatus eſſet, quòd mari terráque proſperè res geſsiſſent: quòdque regem Antiochum fuſum fugatúmque & exutum caſtris, prius Europa, pòſt & Aſia, quæ cis Taurum montem eſt, expuliſſent: ſua deinde merita malle eos ex imperatoribus ſuis legatíſque quàm ſe commemorante, cognoſcere, dixit. Hæc approbantibus cunctis, iubentibúſque dicere ipſum omiſſa in id verecundia, quid ſibi a Senatu populóque Romano tribui æquum cenſeret: propenſius cumulatiúſque, ſi quo poſsit, prout eius merita ſint, ſenatum facturum: ad ea rex. Si ab aliis ſibi præmiorum optio deferretur, libenter, data modò facultate conſulendi ſenatum Romanum, conſilio ampliſsimi ordinis vſurum fuiſſe, ne quid aut immoderatè cupiſſe, aut petiſſe parum modeſtè videri poſſet. verùm enimuero cùm ipſi daturi ſint, multo magis munificentiam eorum in ſe fratréſq; ſuos, ipſorum arbitrii debere eſſe. Nihil hac oratione eius Patres conſcripti deterriti ſunt, quo minus dicere ipſum iuberent. & cùm aliquandiu, hinc indulgentia, hinc modeſtia, inter permittentes inuicem nō magis mutua quàm inexplicabili facilitate certatū eſſet, Eumenes templo exceſsit. Senatus in eadem perſtare ſententia, vt abſurdum eſſe diceret, ignorare regem quid ſperans aut petēs venerit. quæ commoda regno ſuo ſint, ipſum optimè ſcire: Aſiam longè melius, quàm ſenatū noſſe. reuocandum igitur & cogendum quæ vellet, quæq; ſentiret, expromere. Reductus à prætore in templum rex, & dicere iuſſus: Perſeueraſſem, inquit, tacere P C, niſi Rhodiorū legationem

Eumenis ad Patres oratio.

mox vocaturos vos ſcirem. & illis auditis, mihi neceſsitatem fore dicendi. quæ quidem eo difficilior oratio erit, quòd ea poſtulata eorum futura ſint, vt non ſolùm nihil quod contra me ſit, ſed ne quòd ad ipſos quidem propriè pertineat, petere videantur. agent enim cauſam ciuitatum Græcarum, & liberari eas dicent debere. quo impetrato, cui dubium eſt, quin & à nobis auerſuri ſint, non eas modò

ciuitates

A ciuitates quæ liberabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras? Ipsi autem tanto obligatos beneficio, verbo socios, re vera subiectos imperio & obnoxios habituri sint? & (si diis placet) cùm has tantas opes affectabunt, dissimulabunt vlla parte id ad se pertinere: vos modò id decere, & conueniens esse antefactis, dicent. Hæc vos ne decipiat oratio, prouidendum vobis erit: néve non solùm inæqualiter alios nimium deprimatis ex sociis vestris, alios præter modum extollatis: sed etiam ne qui aduersus vos arma tulerint, in meliore statu sint, quàm socii & amici vestri. Quod ad me attinet, in aliis rebus cessisse intra finem iuris mei cuilibet videri malim, quàm nimis pertinaciter in obtinendo co tetendisse. in certamine autem amicitiæ vestræ, beneuolentiæ erga vos, honoris qui à vobis habebitur, minimè æquo animo vinci possum. Hanc ego maximam hæreditatem à patre accepi, qui primus omnium Asiam Græciámque incolentium in amicitiam vestram venit, eámque perpetua & constanti fide ad extremum finem vitæ perduxit: nec animum duntaxat vobis bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis, quæ in Græcia gessistis, terrestribus naualibúsque: omni genere commeatuum ita, vt nemo sociorum vestrorum æquari vlla parte posset, vos adiunit. postremò cum Bœotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo pòst expirauit. Huius ego vestigia ingressus, voluntati quidem & studio in colendis vobis adiicere (etenim inexuperabilia hæc erant) nihil potui: rebus ipsis meritísque & impensis officiorum vt superare possem, fortuna, tempora, Antiochus, & bellum in Asia gestum præbuerunt materiam. Rex Asiæ, & partis Europæ Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat: extemplò ciuitates, quæ defecerant à nobis: spem magnam in posterum amplificandi regni faciebat, si secum aduersus vos bellum gessissem. Non gloriabor eo, quòd nihil in vos deliquerim. illa potius, quæ vetustissima domus nostræ vobiscum amicitia digna sunt, referam. terrestribus naualibúsque copiis, vt nemo vestrorum sociorum me æquiparare posset, imperatores vestros adiuui, commeatus terra maríque suppeditaui: naualibus prælius, quæ multis locis facta sunt, omnibus affui: nec labori meo, nec periculo vsquam peperci: quod miserrimum est in bello, obsidionem passus sum, Pergami inclusus cum discrimine vltimo simul vitæ regníque, liberatus deinde obsidione, cum alia parte Antiochus, alia Seleucus circa arcem regni mei castra haberent, relictis rebus meis tota classe ad Hellespontum L. Scipioni COS. vestro occurri, vt eum in traiiciendo exercitu adiuuarem. Postquàm in Asiam exercitus vester est transgressus, nunquam à COS. abscessi: nemo miles Romanus magis assiduus in castris vestris fuit, quàm ego, fratrésque mei. nulla expeditio, nullum equestre prælium sine me factum est. in acie ibi steti: eam partem sum tutatus, in qua me COS. esse voluit. Non sum hoc dicturus Patres conscripti, quis hoc bello meritis erga vos mecum comparari potest? ego nulli omnium neque populo-

B rum, neque regum, quos in magno honore habetis, non ausim me comparare. Masanissa hostis vobis antè quàm socius fuit: nec incolumi regno cum auxiliis suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis, cum turma equitum in castra confugit vestra. tamen eum, quia in Africa aduersus Syphacem & Carthaginienses fideliter atque impigrè vobiscum stetit, non in patrium solùm regnum restituistis, sed adiecta opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos præmio atque honore digni apud vos sumus, qui nunquam hostes, semper socii fuimus? pater, ego, fratrésque mei non in Asia tantum, sed etiam procul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Aetolia, Philippi, Antiochi, Aetolico bello, terra maríque pro vobis arma tulimus. Quid ergo postulas? dicat aliquis. Ego Patres conscripti quoniam dicere vtique volentibus vobis parendum est, si vos ea mente vltra Tauri iuga Antiochum emouistis, vt ipsi teneretis eas terras: nullos accolas, nec finitimos habere, quàm vos malo: nec vlla alia re tutius stabiliúsque regnum meum futurum spero. sed si vobis decedere inde, atq; exercitus deducere in animo est: neminem digniorem esse ex sociis vestris, qui bello à vobis parta possideat, quàm me, dicere ausim. At enim magnificum est liberare ciuitates seruas. ita opinor, si nihil hostile aduersus vos fecerunt. sin autem Antiochi partis fuerunt, quanto est vestra prudentia & æquitate dignius, sociis benemeritis, quàm hostibus vos consulere? Grata oratio regis patribus fuit, & facilè apparebat munificè omnia & propenso animo facturos. Interposita Smyrnæorum breuis legatio est, quia non aderant quidam Rhodiorum. Collaudatis egregiè Smyrnæis, quòd omnia vltima pati quàm se regi tradere maluissent: introducti Rhodii sunt. quorum princeps legationis, expositis initiis amicitiæ cum populo Romano meritísque Rhodiorum Philippi prius, *Rhodiorum* deinde Antiochi bello: Nihil, inquit, nobis tota nostra actione Patres conscripti neque difficilius, *legatorum ita* neque molestius est, quàm quòd cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo vno maximè regum, *Senatu oratio.* & priuatum singulis, & quod magis nos mouet, publicum ciuitati nostræ hospitium est. cæterùm non animi nostri Patres conscripti nos, sed rerum natura, quæ potentissima est, disiungit: vt nos liberi etiam aliorum libertatis causam agamus, reges serua omnia, & subiecta imperio suo esse velint. Vtcunque tamen res se habet, magis verecundia nostra aduersus regem nobis obstat, quàm ipsa disceptatio aut nobis impedita est, aut vobis perplexam deliberationem præbitura videtur. nam si aliter socio, atque amico regi, & benemerito hoc ipso in bello, de cuius præmiis agitur, honos haberi nullus posset, nisi liberas ciuitates ei in seruitutem traderetis, esset deliberatio anceps: ne aut regem amicum inhonoratum dimitteretis, aut decederetis instituto vestro, & gloriam Philippi bello partam nunc seruitute tot ciuitatum deformaretis. sed ab hac necessitate aut gratiæ in amicum minuendæ, aut gloriæ vestræ, egregiè vos fortuna vindicat. est enim deûm benignitate non gloriosa magis, quàm diues victoria vestra: quæ vos facilè isto velut ære alieno exoluat. nam & Lycaonia & Phrygia vtraque, & Pisidia omnis, & Chersonesus, quæque circumiacent Europæ, in vestra sunt potestate:

testate: quarum vna quælibet regi adiecta multiplicare regnum Eumenis potest: omnes verò datæ, A maximis eum regibus æquare. licet ergo vobis & præmiis belli ditare socios, & non decedere instituto vestro: & meminisse, quem titulum prætenderitis prius aduersus Philippum, nunc aduersus Antiochum belli: quid feceritis Philippo victo, quid nunc à vobis, non magis quia fecistis, quàm quia id vos facere decet, desideretur atque expectetur. alia enim aliis & honesta & probabilis est causa armorum. illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus oràmque aliquam maris vt possideant. vos nec cupistis hæc, antequam haberetis: nec nunc, cùm orbis terrarum in ditione vestra sit, cupere potestis. pro dignitate & gloria apud omne genus humanum, quod vestrum nomen imperiúmque iuxtà ac deos immortales iampridem intuetur, pugnastis. quæ parare & quærere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit. gentis vetustissimæ nobilissimæque vel fama rerum gestarum, vel omni commendatione humanitatis doctrinarúmque, tuendam ab seruitio regio libertatem suscepistis. hoc patrocinium receptæ in fidem & clientelam vestram vniuersæ gentis perpetuum vos præstare decet. Non quæ in solo modo antiquo sunt, Græcæ magis vrbes sunt, quàm coloniæ earum, illinc quondam profectæ in Asiam: nec terra mutata mutauit genus aut mores. certare piu certamine cuiuslibet bonæ artis ac virtutis ausi sumus cum parentibus quæque ciuitas, & conditoribus suis. Adistis Græciæ, adistis Asiæ vrbes plerique. nisi quòd longius à vobis absumus, nulla vincimur alia re. Massilienses, quos, si natura insita velut ingenio terræ vinci posset, iampridem efferassent tot indomitæ circunfusæ gentes, in eo honore, in ea meritò dignitate audimus apud vus esse, ac si medium vmbilicum Græciæ incolerent. non enim sonum modò linguæ, vestitúmque & habitum, sed aute omnia mores & leges & ingenium syncerum integrúmque à contagione accolarum seruarunt. Terminus est nunc imperii vestri mons Taurus. quicquid intra eum cardinem est, nihil longinquum vobis videri debet. quò arma vestra peruenerunt, eodem ius hinc profectum perueniat. Barbari, quibus pro legibus semper dominorum imperia fuerunt, quo gaudent, reges habeant: Græci suam fortunam, vestros animos gerunt. domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur. nunc imperium vbi est, ibi vt sit perpetuum, optant: libertatem vestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt. At enim quædam ciuitates cum Antiocho senserunt: & aliæ prius cum Philippo, & cum Pyrrho Tarentini, ne alios populos enumerem. Carthago libera cum suis legibus est. huic vestro exemplo quantum debeatis, videte Patres conscripti. in ducens in animum negare Eumenis cupiditati, quod iustissimæ iræ vestræ negastis. Rhodii & in hoc & in omnibus bellis, quæ in illa ora gessistis, quàm forti fidelíque opera vos adiuuerimus, vestro iudiciu relinquimus, nunc in pace id consilium afferimus, quod si comprobaueritis, magnificentius vos victoria vsos esse, quàm vicisse, omnes existimaturi sint. Apta magnitudini Romanæ oratio visa est. B

Antiochi regis Legati in Senatum introducti.

Post Rhodios Antiochi legati vocati sunt. Ii vulgato petentium veniam more, errorem fassi regis, obtestati sunt Patres conscriptos, vt suæ potius clementiæ, quàm regis culpæ, qui satis superque pœnarum dedisset, memores consulerent: postremò pacem datam à L. Scipione imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent authoritate sua. Et senatus eam pacem seruandam censuit, & paucos post dies populus iussit. fœdus in Capitolio cum Antipatro principe legationis, & eodem fratris filio regis Antiochi est ictum. Auditæ deinde & aliæ legationes ex Asia sunt. quibus omnibus datum est responsum, decem legatos more maiorum senatum missurum ad res Asiæ disceptandas, componendásque: summam tamen hanc fore, vt cis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam Cariámque, vsque ad Mæandrum amnem. ea ciuitatis Rhodiorum essent. cæteræ ciuitates Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atque immunes essent. Decem legatos hus decreuerunt, Q. Minutium Rufum, L. Furium Purpurionem, Q. Minutium Thermum, Ap. Claudium Neronem, Cn. Cornelium Merulam, M. Iunium Brutum, L. Aurunculeium, L. Aemylium Paulum, P. Cornelium Lentulum, P. Aelium Tuberonem. His quæ præsentis disceptationis essent, libera mandata. De summa rerum senatus constituit. Lycaoniam omnem, & Phygiam vtranque, & Mysiam, regias syluas, & Lydiæ Ioniæque, extra ea oppida quæ libera fuissent, quo die cum rege Antiocho pugnatum est, & nominatim Magnesiam ad Sipylum, & Cariam, quæ Hydrela appellatur, agrúmque Hydreletanum ad Phrygiam vergentem, & castella vicósque ad Mæandrum amnem, & oppida, nisi quæ libera ante bellum fuissent, Telmessum item nominatim, & castra Telmessium, præter agrum qui Ptolemæi Telmessii fuisset: hæc omnia, quæ suprà scripta sunt, regi Eumeni iussa dari. Rhodiis Lycia data, extra eundem Thelmessum, & agrum qui Ptolemæi Telmessi fuisset, hæc & ab Eumene & ab Rhodiis excepta. Ea quoque his pars data Cariæ, quæ propior Rhodium insulam trans Mæandrum amnem est, oppida, vici, castella, agri, qui ad Pisidiam vergunt: nisi quæ eorum oppida in libertate fuissent, pridie quàm cum Antiocho rege in Asia pugnatum est. Pro his cùm gratias egissent Rhodii, de Solis vrbe, quæ in Cilicia est, egerunt. Argis & illos, sicut sese, oriundos esse. ab ea germanitate fraternam sibi cum iis charitatem esse. petere hoc extraordinarium munus, vt eam ciuitatem ex seruitute regia eximerent. Vocati sunt regis Antiochi legati, actúmque cum iis est: nec quicquam impetratum, testante fœdera Antipatro: aduersus quæ ab Rhodiis non Solos, sed Ciliciam peti, & iuga Tauri transcendi. Reuocatis in senatum Rhodiis, cùm quantopere tenderet legatus regius, exposuissent patres, adiecerunt: si vtique eam rem ad ciuitatis suæ dignitatem pertinere censerent Rhodii, senatum omni modo expugnaturum pertinaciam legatorum. Tum verò impensius, quàm antè, Rhodii gratias egerunt: cessurósque se potius arrogantiæ Antipatri, quàm causam turbandæ

Decem legati mittuntur ad res Asiæ componendas.

Senatus consultũ de summa rerum Asiæ.

A bandæ pacis præbituros, dixerunt. ita nihil de Solis mutatum est. Per eos dies, quibus hæc gesta sunt, legati Massiliensium nuntiauerunt, L. Bebium Prætorem in prouinciam Hispaniam proficiscentem, ab Liguribus circumuentum, magna parte comitum cæsa, vulneratum ipsum cum paucis sine lictoribus Massiliam perfugisse, & intra triduum expirasse. Senatus ea re audita decreuit, vti P. Iunius Brutus, qui proprætor in Hetruria esset, prouincia exercitúque traditis vni cui videretur ex legatis, ipse in vlteriorem Hispaniam proficisceretur, eáque ei prouincia esset. Hoc Senatusconsultum, literæq; à Sp. Posthumio Prætore in Hetruria missæ sunt. profectúsque in Hispaniam est. P. Iunius proprætor.

Ligures L. Bebium Pr. circumueniunt.

in qua prouincia prius aliquanto, quàm successor veniret, L. Aemylius Paulus, qui postea regem Persea magna gloria vicit, cùm priore anno haud prosperè rem gessisset: tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis pugnauit. fusi fugatíque sunt hostes. cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia c c c capti, & castra expugnata. Huius victoriæ fama tranquilliores in Hispania res fecit, Eodem anno ante diem tertium calendas Ianuarias Bononiam Latinam coloniam ex Senatusconsulto L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappo triumuiri deduxerunt. tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena iugera, cæteris colonis quinquagena sunt data. ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuscos expulerant.

L. Aemilyus Paulus Lusitanos fudit ac fugauit.

Eodem anno censuram multi & clari viri petierunt. quæ res tanquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multo maiorem excitauit. petebant T. Quintius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M. Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Aetolósque deuicerat. in hunc maximè, quòd multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, fauor populi se inclinabat. Id cùm ægrè paterentur tot nobiles, nouum sibi hominem tantum præferri, P. Sempronius Gracchus, & C. Sempronius Rutilius Tribuni plebis ei diem dixerunt, quòd pecuniæ regiæ prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset. Varia testimonia legatorum tribunorúmque militum erant. M. Cato ante alios testes conspiciebatur. cuius authoritatem perpetuo tenore vitæ partam toga candida eleuabat. is testis, quæ vasa aurea atque argentea captis castris inter aliam prædam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse. postremò in huius maximè inuidiam desistere se petitione Glabrio dixit, quando quod taciti indignarentur nobiles homines, id æquè nouus competitor inæstimabili periurio incesseret. † centum millium mulcta irrogata erat. bis de ea re certatum est. tertiò, cùm de petitione destitisset reus, nec populus de mulcta suffragium ferre voluit, & tribuni eo negotio destiterunt. Censores, T. Quintius Flamininus, M. Claudius Marcellus creati.

Magnum inter Censuræ candidatos certamen.

†Valent 1000 coro.

Per eosdem L. Aemylio Regillo, qui classe præfectum Antiochi regis deuicerat, extra vrbem in æde Apollinis cùm senatus datus esset, auditis rebus gestis eius, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naues demersisset aut cepisset, magno consensu patrum triumphus naualis est decretus.

B Triumphauit Cal. Februariis. in eo triumpho vndequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt, pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi, † tetradrachma Attica x x x I I I I millia D C C † cistophorum c x x x I I millia c c c. Supplicationes deinde fuerunt ex Senatusconsulto, quòd L. Aemylius in Hispania prosperè Rempublicā gessisset.

L. Aemylius Regillus triumphat.

†Valent coron. 13880.

†Coron. 10584.

Haud ita multo pòst L. Scipio ad vrbem venit. qui, ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluit. & in senatu, & in concione de rebus ab se gestis disserit. Erant qui fama id maius bellum, quàm difficultate rei fuisse interpretarentur. vno memorabili prælio debellatum, gloriámq; eius victoriæ defloratam ad Thermopylas esse. Cæterùm verè æstimanti, Aetolicum magis ad Thermopylas bellum, quàm regium fuit. quota enim parte virium suarum ibi dimicauit Antiochus? in Asia totius Asiæ steterunt vires, ab vltimis orientis omnium gentium contractis auxiliis. Meritò ergo & diis immortalibus, quantus maximus poterat, habitus est honos, quòd ingentem victoriam facilem etiam fecissent, & imperatori triumphus est decretus.

L. Scipio Asiaticus cognominatur.

Triumphauit mense intercalario pridie Cal. Martias. qui triumphus spectaculo oculorum maior, quàm Africani fratris eius fuit, recordatione rerum, & æstimatione periculi certaminísque non magis comparandus, quàm si imperatorem imperatori, aut Antiochum ducem Annibali conferres. Tulit in triumpho signa militaria c c x x x I I I I, oppidorum simulachra c x x x I I I I, eburneos dentes mille c c x x I: aureas coronas c c x x x I I I I: † argenti pondo c x x x v I I millia, & c c c c x x: † tetradrachmûm Atticorū c c x x I I I I millia: † cistophorûm c c c x x x I millia, & L x x: † nummos aureos Philippeos c x L millia: vasorum argenteorum (omnia cælata erant) † mille pondo, & c c c c x x I I I I. aureorum † mille pondo x x I I I I. & duces regii præfecti, & purpurati duo & x x x ante currum ducti. Militibus † quiniuiceni denarii dati, duplex centurioni: triplex equiti. & stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum datum. prælio in Asia facto duplex dederat. Triumphauit anno ferè, posteaquā consulatu abiit.

L. Scipionis Asiatici triumphus.

†Coron. 1374200.

†Coron. 89600.

†Coron. 26485 $\frac{11}{15}$

†420000 coron.

†Coron. 14240.

†Coron. 114688.

†Coron. 2. cum dim.

Eodem ferè tempore & Cn. Manlius c o s. in Asiam, & Q. Fabius Labeo Prætor ad classem venit. Cæterùm c o s. non deerat cum Gallis belli materia. mare pacatum erat, deuicto Antiocho. cogitantíque Fabio, cui rei potissimum insisteret, ne otiosam prouinciam habuisse videri posset: optimum visum est, in Cretam insulam traiicere. Cydoniatæ bellum aduersus Gortynios Gnosiósque gerebant, & captiuorum Romanorum, atque Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totam insulam dicebatur. Classe ab Epheso profectus, cùm primùm Cretæ litus attigit, nuntios circa ciuitates misit, vt armis absisterent, captiuósque in suis quæque vrbibus agrísque conquisitos reducerent, & legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanósque pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses mouerunt. captiuos, præter Gortynios, nulli reddiderunt. Valerius Antiâs ad quatuor millia captiuorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit: eámque causam. Fabio, cùm rem

nullam

nullam aliam gesſiſſet, naualis triumphi impetrādi ab ſenatu fuiſſe. A Creta Epheſum Fabius rediit: inde tribus nauibus in Thraciæ oram miſsis, ab Aeno & Maronia præſidia Antiochi deduci iuſsit, vt in libertate eæ ciuitates eſſent. A

DECADIS QVARTAE LIBER OCTAVVS.

Marcus Fuluius Cos. in Epiro Ambracienſes obſeſſos, per deditionem accepit: Cephaleniam ſubegit: Aetolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius Cos. collega eius Gallogræcos, Toliſtobogios, Tectoſagos, & Trocmos, qui Brenno duce in Aſiam transierant, cùm ſoli citra Taurum montem minime parerent, uicit. Eorum origo, & cum eo loca quæ tenent, occupauerántque, referuntur. Exemplum quoque uirtutis & pudicitiæ in fœmina traditur. Quæ cùm regis Gallogræcorum uxor fuiſſet, capta, centurionem qui ei uim intulerat, occidit. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. cenſa ſunt ciuium capita CCLVIII millia, & CCCXXVIII. Cum Ariarathe rege Cappadociæ amicitia iuncta eſt. Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, ex quorum conſilio fœdus cum Antiocho conſcripſerat: de Gallogræcis, acta per ſe cauſa in ſenatu triumphauit. Scipio Africanus, die ei dicta, ut quidam aiunt, à Petilio Actęo tribuno plebis, ut quidam à Neuio, quòd præda cum Antiocho capta ærarium fraudaſſet: poſteaquam is dies uenit, euocatus in Roſtra, Hac die inquit, Quirites Carthaginem uici: & proſequente populo, Capitolium aſcendit: inde, ne amplius tribunitijs iniurijs uexaretur, in uoluntarium exilium Liternum conceßit, incertum ibi an Romæ defunctus. nam eius monimentum utrobique fuit. L. Scipio Aſiaticus frater Africani, eodem peculatus crimine accuſatus, damnatúſque, cùm in uincula & carcerem duceretur: Tib. Sempronius Gracchus trib. pleb. qui antea Scipionibus inimicus erat, interceßit: & ob id beneficium Africani filiam duxit. Cùm populus quæſtores in bona eius publicè poßidenda miſiſſet, non modò in ijs nullum ueſtigium pecuniæ regiæ apparuit, ſed nequaquam tantum in ærarium redactum, quantæ ſummæ erat damnatus. collatam à cognatis & amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit: quæ neceßitati ei erat ad cultum, retenta.

Athamania ſub præfectis Philippi tenetur.



Dvm in Aſia bellum geritur, ne in Aetolia quidem quietæ res fuerant, principio à gente Athamânum orto. Athamania ea tempeſtate, pulſo Aminandro, ſub præfectis Philippi regio tenebatur præſidio: qui ſuperbo atque immodico imperio deſiderium Aminandri fecerant. Exulanti tum Aminandro in Aetolia literis ſuorum, indicantium ſtatum Athamaniæ, ſpes recuperandi regni facta eſt. remiſsíque nuntii ab eo ad principes Argitheam, (id enim caput Athamaniæ erat) ſi popularium animos ſatis perſpectos haberet, impetrato ab Aetolis auxilio, in Athamaniam ſe venturum cum delectis Aetolorum, quod conſilium eſſet gentis, & Nicandro Prætore. Quos vbi ad omnia paratos eſſe vidit, certiores ſubinde facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingreſſurus eſſet. Quatuor primò fuere cōiurati aduerſus Macedonum præſidium. hi ſenos ſibi adiutores ad rem gerendam aſſumpſerunt. deinde paucitate parum freti, quæ celandæ rei quàm agendæ aptior erat, parem priori numerum adiecerunt. ita duo & quinquaginta facti, quadrifariam ſe diuiſerunt: pars vna Heracleam, altera Tetraphyliam petit, vbi cuſtodia regiæ pecuniæ eſſe ſolita erat: tertia Theudoriam, quarta Argitheam. Ita inter omnes conuēnit, vt primò quieti, velut ad priuatam rem agendam veniſſent, in foro obuerſarentur: die certa multitudinem omnem conuocarent ad præſidia Macedonum arcibus expellenda. Vbi ea dies aduenit, & Aminander cum mille Aetolis in finibus erat: ex compoſito quatuor ſimul locis præſidia Macedonum expulſa, literæque in alias vrbes paſsim dimiſſæ, vt vindicarēt ſeſe ab impotenti dominatione Philippi, & reſtituerent in patrium ac legitimum regnum. Vndique Macedones expelluntur. Theum oppidum, literis à Zenone præfecto præſidii interceptis, & arce ab regiis occupata, paucos dies obſidentibus reſtitit: deinde id quoque traditum Aminandro eſt, & omnis Athamania in poteſtate erat, præter Athenæum caſtellum, finibus Macedoniæ ſubiectum. Philippus audita defectione Athamaniæ, cum ſex millibus armatorum profectus ingenti celeritate Gomphos peruenit. ibi relicta maiore parte exercitus (neque enim ad tanta itinera ſuffeciſſent) cum duobus millibus Athenæum, quod vnum à præſidio ſuo retentum fuerat, peruenit. inde proximis tentatis, cùm facilè animaduertiſſet cætera hoſtilia eſſe, Gomphos regreſſus, omnibus copiis ſimul in Athamaniam redit. Zenonem inde cum mille peditibus præmiſſum Ethopiam occupare iubet, opportunè Argitheæ imminentem. quem vbi teneri à ſuis locum vidit, ipſe circa templum Ioui ſacrum poſuit caſtra. ibi vnum diem fœda tempeſtate retentus, poſtero die ducere ad Argitheam intendit. Euntibus extemplò apparuere Athamanes, in tumulos imminenteis viæ diſcurrentes. ad quorum conſpectum conſtitere prima ſigna, totóque agmine pauor & trepidatio erat: & pro ſe quiſque, quidnam futurum eſſet, cogitare, ſi in valles ſubiectas rupibus agmen foret demiſſum. Hæc tumultuatio regem cupientem, ſi ſe ſequerentur, raptim euadere anguſtias, reuocare primos, & eadem qua venerat via referre coegit ſigna. Athamanes primò ex interuallo quieti ſequebantur. poſteaquàm Aetoli ſe coniunxerunt, hos, vt ab tergo agmini inſtarent, reliquerunt. ipſi à lateribus ſe circunfuderunt. quidam per notos calles breuiore via progreſſi, tranſitus inſedere: tantúmque tumultus Macedonibus eſt iniectum, vt fugæ magis effuſæ, quàm itineris ordinati modo, multis armis virîſque relictis, flumen traiecerint. Hic finis ſequenti fuit. inde tutò Macedones Gomphos, & à Gomphis in Macedoniam redierunt. Athamanes Aetolíque Ethopiam ad Zenonem ac mille Macedonas opprimendos vndique concurrerunt. Macedones parum loco freti, ab Ethopia in altiorem diruptiorémque vndique tumulum conceſſere. quo pluribus locis aditu inuento, expulere eos Athamanes: diſperſóſque & per inuias atque ignotas rupes iter fugæ non expedientes, partim ceperunt, partim interfecerunt. multi pauore in derupta præcipitati, perpauci cum Zenone ad regem euaſerunt. poſtera die per inducias ſepeliendi cæſos poteſtas facta eſt. Aminander B

Macedones expelluntur vrbibus Athamaniæ.

Aetoli coniungunt ſe Athamanibus.

A der recuperato regno legatos ad Romam ad senatum, & ad Scipiones in Asiam, Ephesi post ma-
gnum cum Antiocho prælium morantes, misit. Pacem petebat, excusabátque sese, quòd per Aeto-
los recuperasset paternum regnum. Philippum incusabat. Aetoli ex Athamania in Amphilochos
profecti sunt, & maioris partis voluntate in ius ditionémque totam redegerunt gentem. Amphilo-
chia recepta (nam fuerat quoodam Aetolorum) eadem spe in Aperantiam transcenderunt. ea quo-
que magna ex parte sine certamine in deditiooem venit. Dolopes nunquam Aetolorum fuerant: Phi-
lippi erant. hi primùm ad arma concurrerunt: cæterùm posteaquam Amphilochos cum Aetolis
esse, fugámque ex Athamania Philippi, & cædem præsidii eius accepere, & ipsi à Philippo ad Ae-
tolos deficiunt. Quibus circumiectis gentibus, iam vndique se à Macedonibus tutos credentibus
esse Aetolis, fama affertur: Antiochum in Asia victum ab Romanis. nec in multo pòst legati ab Ro-
ma rediere, sine spe pacis: Fuluiúmque cos. ountiantes iam cum exercitu traiecisse. His territi,
prius ab Rhodo & Athenis legationibus excitis, vt per authoritatem ciuitatum earum suæ preces
ouper repudiatæ faciliorem aditum ad senatum haberent: principes gentis ad tentandum vltimam
spem Romam miserunt, nihil ne bellum haberent, priusquam penè in conspectu hostis erat, præme-
ditati. Iam M. Fuluius Apolloniam exercitu traiecto, cum Epirotarum principibus consultabat, vnde
bellum inciperet. Epirotis Ambraciam placebat aggredi: quæ tum contribuerat se Aetolis. siue ad
tuendam eam venirent Aetoli, apertos circà campos ad dimicandum esse: siue detrectarent certa-
men, oppugnationem fore haud difficilem. nam & copiam in propinquo materiæ ad aggeres exci-
tandos, & cætera opera esse: & Arethontem oauigabilem amnem opportunum ad comportanda
quæ vsui sint, præter ipsa mœnia fluere: & æstatem aptam rei gerendæ adesse. His persuaserunt, vt
per Epirum duceret. Consuli ad Ambraciam aduenienti, magni operis oppugnatio visa est. Am-
bracia tumulo aspero subiecta est. Perranthem incolæ vocant. vrbs, quà murus vergit in campos &
flumen, occidentem: arx, quæ posita in tumulo est, orientem spectat. amnis Arethon ex Acarna-
nia fluens cadit in sinum maris, ab nomine propinquæ vrbis Ambracium appellatum. præterquàm
quod hinc amnis munit, hinc tumuli, muro quoque firmo septa erat, patente in circuitu paulò am-
plius tria millia passuum. Fuluius bina à campo castra modico inter se distantia interuallo, vnum
castellum loco edito contra arcem obiecit. ea omoia vallo ac fossa ita iungere parat, oe exitus ioclu-
sis ab vrbe, néve aditus foris ad auxilia intromittenda esset. Ad famam oppugnatioois Ambraciæ
Stratum iam edicto Nicandri Prætoris cõuenerant Aetoli. inde primò copiis omnibus ad prohiben-
dam obsidiooem venire, in animo fuerat. deinde posteaquam vrbem iam magna ex parte operibus
septam viderunt, Epirotarum trans flumen loco plano castra posita esse: diuidere copias placuit. cum
B mille expeditis Eupolemus Ambraciam profectus, per nondum commissa inter se munimenta vr-
bem intrauit. Nicandro cum cætera manu primò Epirotarum castra nocte aggredi consilium fuerat:
haud facili ab Romanis auxilio, quia flumen intererat. deinde periculosum inceptum ratus, ne qua
sentirent Romani, & regressus inde in tutum non esset: deterritus ab hoc consilio ad depopulandam
Acarnaniam iter conuertit. cos. iam munimentis, quibus sepienda vrbs erat: iam operibus, quæ
admouere muris parabat, perfectis, quinque simul locis mœnia est aggressus: tria paribus interual-
lis faciliore aditu à campo, aduersus Pyrrheum quod vocant, admouit: voum è regione Aesculapii,
vnum aduersus arcem. arietibus muros quatiebat: asseribus falcatis detergebat pinnas. Oppidanos
primò & ad speciem, & ad ictus mœnium cum terribili sonitu editos pauor ac trepidatio cepit. de-
iode vt præter spem stare muros viderunt: collectis rursus animis, io arietes tollenooibus libramen-
ta plumbi aut saxorum, stipitésve robustos incutiebant, falces anchoris ferreis iniectis in interiorem
partem muri trahentes asserem præfriogebant: ad hoc eruptionibus & nocturnis in custodias ope-
rum, & diurois in stationes vltro terrorem inferebant. In hoc statu res ad Ambraciam cùm essene,
iam Aetoli à populatione Acarnaniæ Stratum redierant. inde Nicander Prætor spem nactus soluendæ
incœpto forti obsidionis, Nicodamum quendam cum Aetolis quingentis Ambraciam intromittit.
noctem certam, tempúsque etiam noctis constituit, quo & illi ab vrbe opera hostium, quæ aduersus
Pyrrheum erant, aggrederentur, & ipse ad castra Romana terrorem faceret: posse ratus ancipiti tu-
multu, & nocte augente pauorem, memorabilem rem geri. Et Nicodamus intempesta nocte, cùm
alias custodias fefellisset, per alias impetu constanti erupisset, superato brachio in vrbem penetrat,
animíque aliquantum ad omnia audenda, & spei obsessis adiecit: & simul constituta nox venit, ex
composito repeotè opera est aggressus. Id inceptum conatu, quàm effectu grauius fuit, quia nulla
ab exteriore parte vis admota est: seu metu deterrito prætore Aetolorum, seu quia potius visum est
Amphilochis opem ferre nuper receptis: quos Perseus Philippi filius missus ad Dolopiam Amphi-
lochósque recipiendos, summa vi oppugnabat. Tribus locis, sicut antè dictum est, ad Pyrrheum
opera Romana erant. quæ omnia simul, sed nec apparatu, nec vi simili Aetoli aggressi sunt. alii cum
ardentibus facibus, alii stuppam picémque & malleolos ferentes, tota collucente flammis acie, ad-
uenere: multos primo impetu custodes oppresserunt. deinde posteaquam clamor tumultúsque in ca-
stra est perlatus, datúmque à cos. signum, arma capiunt, & omnibus portis ad opem ferendam ef-
funduntur. vno io loco ferro ignique gesta res est. à duobus irrito incœpto, cùm tentassent magis
quàm ioissent certamen, Aetoli abscesserunt. atrox pugna in vnum inclinauerat locum. ibi diuersis
partibus duo duces, Eupolemus & Nicodamus pugnantes hortabantur, & propè certa fouebant spe.
iam Nicandrum ex composito affore, & terga hostium inuasurum. Hæc res aliquandiu animos pu-
gnantium sustinuit. cæterùm posteaquam nullum ex composito signum à suis accipiebant, & crescere
numerum

Aetoli recipiunt Amphilochiam & Aperantiam.

Dolopes ad Aetolos deficiunt.

Fuluius cõsul Ambraciam oppugnat.

Aetoli populantur Acarnaniam.

Perseus Philippi F. Dolopes Amphilochósq; oppugnat.

numerum hostium cernebant, destituti segnius instare postremò re omissa, iam vix tuto receptu, fugientes in vrbem compelluntur, parte operum incensa, & pluribus aliquanto, quàm ipsi ceciderant, interfectis. quod si ex composito acta res fuisset, haud dubium erat expugnari vna vtique parte opera cum magna cæde hostium potuisse. Ambracienses, quíque intus erant Aetoli, non ab eius solùm noctis incœpto recessere, sed in reliquum quoque tempus, velut proditi à suis, segniores ad pericula erant. iam nemo eruptionibus, vt antè, in stationes hostium, sed dispositi per muros & turres ex tuto pugnabant. Perseus vbi adesse Aetolos audiuit, omissa obsidione vrbis, quam oppugnabat, depopulatus tantum agros, Amphilochia excessit, atque in Macedoniam rediit. Et Aetolos inde auocauit populatio maritimæ oræ. Pleuratus Illyriorum rex cum sexaginta lembis Corinthium sinum inuectus, adiunctis Achæorum, quæ Patris erant, nauibus maritima Aetoliæ vastabat. aduersus quos mille Aetoli missi, quacunque se classis circumegerat, per litorum anfractus breuioribus semitis occurrebant. Et Romani ad Ambraciam pluribus locis quatiendo arietibus muros, aliquantum vrbis nudauerant: nec tamen penetrare in vrbem poterant. nam & pari celeritate nouus pro diruto murus obiiciebatur, & armati ruinis superstantes instar munimenti erant. Itaque cùm aperta vi parum procederet cos. res, cuniculum occultum, vineis antè contecto loco, agere instituit. & aliquandiu, cùm dies noctésque in opere essent, non solum sub terra fodientes, sed egerentes etiam humum, fefellere hostem. cumulus repentè terræ eminens, index operis oppidanis fuit. pauidíque ne iam subrutis muris facta in vrbem via esset, fossam intra murum è regione eius operis, quod vineis contectum erat, ducere instituunt. cuius vbi ad tantam altitudinem, quantæ esse solum infimum cuniculi poterat, peruenerunt: silentio facto pluribus locis aure admota, sonitum fodientium captabant. quem vbi acceperunt, aperiunt rectam in cuniculum viam. nec fuit magni operis. momento enim ad inane, suspenso fulturis ab hostibus muro, peruenerunt. ibi commissis operibus, cum è fossa in cuniculum pateret iter, primò ipsis ferramentis, quibus in opere vsi erant: dein celeriter armati etiam subeuntes occultam sub terram ediderunt pugnam. segnior deinde ea facta est, intersepientibus cuniculum, vbi vellent, nunc ciliciis prætentis, nunc foribus raptim obiectis. Noua etiam haud magni operis aduersus eos qui in cuniculo erant, excogitata res est. dolium à fundo pertusum, quà fistula modica inseri posset, & fistulam ferream, operculúmque dolii ferreum, & ipsum pluribus locis perforatum fecerunt. hoc tenui pluma completum dolium ore in cuniculum verso posuerunt. per operculi foramina prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad summouendos hostes eminebant, scintillam leuem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fistulæ imposito, flando accenderunt. inde non solum magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adusta pluma cùm totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat. Cùm in hoc statu res ad Ambraciam esset: legati ab Aetolis Phaneas & Damoteles cum liberis mandatis decreto gentis ad cos. venerunt. nam Prætor eorum cum alia parte Ambraciam oppugnari cerneret, alia infestam oram nauibus hostium esse, alia Amphilochos Dolopiámque à Macedonibus vastari: nec Aetolos simul ad tria diuersa bella occursantes sufficere: conuocato concilio Aetolos principes quid agendum esset, consuluit. Omnium eò sententiæ decurrerunt, vt pax, si posset, æquis: si minus, tolerandis conditionibus peteretur. Antiochi fiducia bellum susceptum. Antiocho terra maríque superato, & propè extra orbem terræ vltra iuga Tauri exacto, quam spem esse sustinendi belli? Phaneas & Damoteles, quod è re Aetolorum, vt in tali casu fidéque sua esse censerent, agerent. quod enim sibi consilium, aut cuius rei electionem à fortuna relictam? Cum his mandatis legati missi, orare cos. vt parceret vrbi, misereretur gentis quondam sociæ, nolle dicere iniuriis, miseriis certè coactæ insanire. non plus mali meritos Aetolos Antiochi bello, quàm boni antè, cùm aduersus Philippum bellatum sit, fecisse. nec tum largè gratiam relatam sibi, nec nunc immodicè pœnam iniungi debere. Ad ea cos. respondit: Magis sæpe, quàm verè vnquam Aetolos pacem petere. imitarentur Antiochum in petenda pace, quem in bellum traxissent. non paucis vrbibus eum, de quarum libertate certatum sit, sed omni Asia cis Taurum montem, opimo regno excessisse. Aetolos, nisi inermes, de pace agentes non auditurum se. arma illis prius, equósque omnes tradendos esse, deinde †mille talentûm argenti populo Romano dandum: cuius summæ dimidium præsens numeretur, si pacem habere vellent. ad ea adiecturum etiam in fœdus esse, vt eosdem, quos populus Romanus amicos atq; hostes habeant. Aduersus quæ legati, & quia grauia erant, & quia suorũ animos indomitos ac immutabiles nouerant: nullo reddito responso, domum regressi sunt: vt etiam atq; etiam, quid agendum esset, re integra prætorem & principes consulerent. Clamore & iurgio excepti, quàm diu rem traherent: qualemcunque pacem referre iussi, cùm redirent Ambraciam, Acarnanum insidiis prope viam positis, quibuscum bellum erat, circumuenti, Tyrrheum custodiendi deducuntur. Hæc mora iniecta est paci. Cùm iam Atheniensium Rhodiorúmque legati, qui ad deprecandum pro his venerant, apud cos. essent: Aminander quoque Athamanum rex fide accepta venerat in castra Romana, magis pro Ambracia, vbi maiorem partem temporis exulauerat, quàm pro Aetolis solicitus. per hos certior factus cos. de casu legatorum, adduci eos à Tyrrheo iussit. quorum post aduentum agi cœptum est de pace. Aminander, quod sui maximè operis erat, impigrè agebat, vt Ambracienses compelleret ad deditionem. id cùm per colloquia principum succedens murum parum proficeret: postremò cos. permissu ingressus vrbem, partim consilio, partim precibus euicit, vt permitterent se Romanis. Et Aetolos C. Valerius Leuini filius, qui cum ea gente primùm amicitiam pepigerat, consulis frater, matre genitus eadem, egregiè adiuuit. Ambracienses prius pacti, vt Aetolorum auxiliares sine fraude emitterent, aperuerunt

portas

Marginal notes:

A

Pleuratus Illyriorũ rex maritima Aetoliæ populatur.

B

Aetoli legatos ad Cons. de pace mittunt.

†Coron. 600000.

Atheniensiũ Rhodiorũmque legati ad Cons. pro Aetolis.

A portas. dein vt † quingenta Euboica darent talenta, ex quibus c c præsentia, c c c per annos sex pensionibus æquis: captiuos perfugásq; redderent Romanis. vrbem nequam formulæ sui iuris facerent, quæ post id tempus, quo T. Quintius traiecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset. Cephalenia insula vt extra ius fœderis esset. Hæc quanquã spe ipsorum aliquanto leuiora erant: petentibus Aetolis, vt ad concilium referretur, permissum est. Parua disceptatio de vrbibus tenuit. quæ cùm sui iuris aliquando fuissent, auelli velut à corpore suo ægrè patiebantur. ad vnum tamen omnes accipi pacem iusserunt. Ambracienses coronam auream Cos. † centum & quinquaginta pondo dederunt. signa ænea marmoreáque & tabulæ pictæ, quibus ornatior Ambracia, quia regia ibi Pyrrhi fuerat, quàm cæteræ regionis eius vrbes erant, sublata omnia, auectáque. nihil præterea tactum, violatúmve. Profectus ab Ambracia Cos. in mediterranea Aetolæ, ad Argos Amphilochium (x x i i millia ab Ambracia abest) castra posuit. eò tandem legati Aetoli mirante Cos. quòd morarentur, venerunt. Inde posteaquàm approbasse pacem concilium Aetolorum accepit, iussis proficisci Romam ad senatum, permissóque, vt & Athenienses & Rhodii deprecatores irent, dato qui simul cum iis proficisceretur, C. Valerio fratre, ipse in Cephaleniam traiecit. Præoccupatas aures animósque principum Romæ criminibus Philippi inuenerunt, qui per legatos, per literas, Dolopas, Amphilochósque & Athamaniam ereptas sibi querens, præsidiáque sua, postremò etiam filium Persea ex Amphilochis pulsum, auerterat senatum ab audiendis precibus eorum. Rhodii tamen & Athenienses cum silentio auditi sunt. Atheniensis legatus Leon, Icesiæ filius, eloquentia etiam dicitur mouisse. qui vulgata similitudine, mari tranquillo, quod ventis concitaretur, æquiparando multitudinem Aetolorum, vsus, cùm in fide Romanæ societatis mansissent, insita gentis tranquilitate quiesse eos aiebat. posteaquàm flare ab Asia Thoas & Dicæarchus, ab Europa Menetas & Democritus cœpissent: tum illam tempestatem coortam, quæ ad Antiochum eos, sicuti in scopulum, intulisset. Diu iactati Aetoli, tandem vt conditiones pacis conuenirent, effecerunt. fuerunt autem hæ. Imperium maiestatémque P. R. gens Aetolorum conseruato sine dolo malo. ne quem exercitum, qui aduersus socios amicósque eorum ducetur, per fines suos transire sinito: néve vlla ope iuuato. hostes eosdem habeto, quos P. R. armáque in eos ferto, bellúmque pariter gerito. perfugas, fugitiuos captiuósque reddito Romanis sociisque: præterquàm si qui capti, cùm domos redissent, iterum capti sunt: aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cùm inter præsidia Romana Aetoli essent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magistratibus sine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quisque eorum primùm inuentus fuerit, reddatur. obsides x l arbitratu Cos. Ro. dato: ne minores x i i annorum, neu maiores x l. obses ne esto prætor, præfectus

B equitum, scriba publicus: neu quis, qui antè obses fuerit apud Ro. Cephalenia extra pacis leges esto. De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibúsque eius nihil ex eo quod cum Cos. conuenerat, mutatum. pro argento si aurum dare mallent, darent, conuenit: dum pro argenteis decem aureus vnus valeret. Quæ vrbes, qui agri, qui homines Aetolorum iuris aliquando fuerunt: qui eorum L. Quintio, Cn. Domitio Coss. post've eos Coss. aut armis subacti, aut voluntate in ditionem P. R. venerunt, ne quem eorum Aetoli recepisse velint. Aeniadæ cum vrbe agrisque Acarnanum sunto. His legibus fœdus ictum cum Aetolis est. Eadem non æstate solùm, sed etiam iisdem prope diebus, quibus hæc à M. Fuluio Cos. in Aetolia gesta sunt: Cos. alter Cn. Manlius in Gallogræcia bellum gessit. quod nunc ordiri pergam. Vere primo Ephesum Cos. venit. acceptisque copiis à L. Scipione, & exercitu lustrato, concionem apud milites habuit. qua collaudata virtutes eorum, quòd cum Antiocho vno prælio debellassent: adhortatus eos ad nouum cum Gallis suscipiendum bellum, qui & auxiliis Antiochum iuuissent: & adeò indomita haberent ingenia, vt nequicquam Antiochus emotus vltra iuga Tauri montis esset, nisi frangerentur opes Gallorum: de se quoque pauca, nec falsa, nec immodica adiecit. Læti milites cum frequẽti assensu Cos. audiuerunt, partem virium Antiochi fuisse Gallos credentes: rege superato, nullum momentum in solis per se Gallorum copiis fore. Eumenem haud in tempore abesse (Romæ tunc erat) credere Cos. ignarum locorum hominúmq;, & cuius interesset frangi Gallorum opes. Attalum igitur fratrem eius accersit à Pergamo. hortatúsque ad capessendũ secum bellum, pollicentem suam suorúmque operã, domum ad cõparandum copias dimittit. Paucos post dies profecto ab Epheso Cos. ad Magnesiam occurrit Attalus cũ mille peditibus, equitibus c c Atheneo fratre iusso cum cæteris copiis subsequi: commendata iis custodia Pergami, quos fratri regnoq; fidos credebat. Cos. collaudato iuuene, cum omnibus copiis ad Mæandrum progressus, castra posuit, quia vado superari amnis nõ poterat: & contrahendæ naues erant ad exercitum traiiciendum. Transgressi Mæandrum, ad Hieran comen peruenerunt. fanum ibi augustum Apollinis, & oraculum: sortes versibus haud inconditis dare vates dicuntur. hinc alteris castris ad Harpasum flumen ventum est. quò legati ab Alabandis venerunt, vt castellum quod ab ipsis nuper descisceret, aut authoritate aut armis cogeret iura antiqua pati. Eodem & Athenæus Eumenis & Attali frater cum Cretensi Leuso, & Corrago Macedone venit. mille pedites mistarum gentium, & trecentos equites secum adduxerunt. Consul tribuno militum misso cum modica manu, castellum vi receptum Alabandensibus reddit. ipse nihil via digressus, ad Antiochiam super Mæandrum amnem posuit castra. Huius amnis fontes Celænis oriuntur. Celænæ vrbs caput quondam Phrygiæ fuit. migratum inde haud procul veteribus Celænis: nouæ'que vrbi Apamea nomen inditum ab Apamea sorore Seleuci regis. Et Marsyas amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. famáque ita tenet: Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. Mæander ex arce summa Celænarum ortus, media

Coron. 200000.

Est autem Euboicum talentum minus Attico.

Valent coron. 16800

Legati Atheniensis eloquentia.

Quibus conditionibus pax data sit Aetolis.

Cn. Mālius in Gallogræcia bellum gesssit.

Celænæ.

Marsyas.

vrbe decurrens per Caras primùm, deinde Ionas, in ſinum maris editur, qui inter Prienem & Mile- A
tum eſt. Ad Antiochiam in caſtra conſulis Seleucus Antiochi filius ex fœdere icto cum Scipione ad
frumentum exercitui dandum venit. parua diſceptatio de Attali auxiliaribus orta eſt: quòd Ro-
mano tantum militi pactum Antiochum, vt daretur frumentum Seleucus dicebat. diſcuſſa ea quo-
que eſt conſtantia conſulis. qui miſſo tribuno edixit, ne Romani milites acciperent, priuſquàm At-
tali auxilia accepiſſent. inde ad Gordiutichos (quod vocant) proceſſum eſt. ex eo loco ad Tabas
Piſidæ. tertiis caſtris peruentũ. In finibus Piſidarum poſita eſt vrbs, in ea parte quæ vergit ad Pamphyliũ ma
re. integris viribus regionis eius, feroces ad bellandũ habebat viros. Tum quoq; equites, in agmem
Romanum eruptione facta, haud modicè primo impetu turbauere. deinde vt apparuit, nec numero
† Coron. ſe nec virtute pares eſſe, in vrbem compulſi, veniam erroris petebant, dedere vrbem parati. † v & x x
15000. talenta argenti, & x millia medimnûm tritici imperata. ita in deditionem accepti. Tertio inde die ad
Chaum amnem peruentum: inde profecti Erizam vrbem, primo impetu ceperunt. Ad Thabuſion ca
ſtellum imminens flumini Indo ventum eſt, cui fecerat nomen Indus ab elephanto deiectus. Haud
procul à Cibyra aberant: nec legatio vlla à Moagete tyranno ciuitatis eius, homine ad omnia infido
Moagetes tyrannus Cibyræ. atq; importuno, veniebat. ad tentandum eius animum C. Heluium cum quatuor millibus peditum &
quingentis equitibus conſul præmittit. Huic agmini iam fineis ingredienti legati occurrerunt, nun-
tiantes, paratum eſſe tyrannum imperata facere. orabant, vt pacatus fines iniret, cohiberétque à po-
† Coron. pulatione agri militem. & in coronam auream † x v talenta afferebant. Heluius integros à populatio
9000. ne agros ſeruaturum pollicitus, ire ad conſulem legatos iuſsit. quibus eadem referentibus, cõſul, Ne-
que Romani. inquit, bonæ voluntatis vllum ſignum erga nos tyranni habemus: & ipſum talem eſſe
inter omnes conſtat, vt de pœna eius magis quàm de amicitia nobis cogitandum ſit. Perturbati hac
voce legati, nihil aliud petere quàm vt coronam acciperet: veniendíque ad eum poteſtatem tyran-
no, & copiam loquendi ac purgandi ſe, faceret. Permiſſu conſulis poſtero die in caſtra tyránus ve-
nit, veſtitus comitatúſque vix ad priuati modicè locupletis habitum. & oratio fuit ſummiſſa & infra-
cta, extenuantis opes ſuas, vrbiúmque ſuæ ditionis egeſtatem querentis. Erant autẽ ſub eo, præter Ci-
† Coron. byram, Syleum, & quæ Alimne appellatur. ex his, vt ſe ſuóſque ſpoliaret, † v & x x talenta ſe confectu
15000. rum, propè vt diffidens pollicebatur. Enimuero, inquit, conſul, ferri iam ludificatio iſta non poteſt,
parum eſt non erubuiſſe abſentem, cùm per legatos fruſtrareris nos, niſi præſens quoque in eadem
† Coron. impudentia perſiſtas? v & x x talenta tyrannidem tuam exhaurient? † quingenta ergo talẽta niſi tri-
300000. duo numeras, populationem in agris, obſidionem in vrbe expecta. Hac denuntiatione conterritus:
perſtare tamen in pertinaci ſimulatione inopiæ, & paulatim illiberali adiectione, nunc per cauilla-
† Coron. tionem, nunc precibus & ſimulatis lacrymis, ad † centum talenta eſt perductus. adiecta x millia B
60000. medimnûm frumenti. Hæc omnia intra ſex dies exacta. A` Cibyra per agros Sindenſium exercitus
ductus, tranſgreſſúſque Calaurem amnem, poſuit caſtra. poſtero die eſt præter Caralitin paludem ag-
men ductum. ad Mæandrum manſerunt. inde progredientibus ad Lagon proximam vrbem, metu
incolæ fugerunt. vacuum hominibus, & refertum rerum omnium copia oppidum diripuerunt. inde
ad Lyci fluminis fontem, poſtero die ad Cobulatum amnem progreſsi. Termeſſenſes eo tempore Hy
rienſium arcem vrbe capta oppugnabant: incluſi cùm alia ſpes auxilii nulla eſſet, legatos ad conſulem
orantes opem miſerunt. cum coniugibus ac liberis in arce incluſos ſe mortem indies aut ferro aut
fame patiẽdam expectare. Volenti conſuli cauſa in Pamphyliam diuertendi oblata eſt. aduenien
obſidione Hyrienſes exemit. Termeſſo pacem dedit, quinquaginta talentis argenti acceptis: item
Aſpendiis, cæteríſque Pamphyliæ populis. Ex Pamphylia rediens ad flumen Taurum primo die,
poſtero ad Xylinen (quam vocant) comen poſuit caſtra. profectus inde continentibus itineribus,
ad Cormaſam vrbem peruenit. Darſa proxima vrbs erat. eam metu incolarum deſertam, plenam o-
mnium rerum copia inuenit. Progrediendi præter paludes, legati ab Lyſinia dedentes ciuitatem
venerunt. Inde in agrum Sagalaſſenum, vberem fertilémque omni genere frugum, ventum eſt.
Colunt Piſidæ, longè optimi bello regionis eius. cùm ea res animos facit: tum agri fœcunditas &
multitudo hominum, & ſitus inter paucas munitæ vrbis. Conſul, quia nulla legatio ad fines præ-
Piſidæ. ſto fuerat, prædatum in agros miſit. tum demum fracta pertinacia eſt, vt ferri agíque res ſuas vi-
† Valent derunt. legatis miſsis pacti † quinquaginta talentis, & x x millibus medimnûm tritici, & x x hor-
30000 dei, pacem impetrauerunt. Progreſſus inde ad Obrimæ fontes, ad vicum quem Aporidos comen
coron. vocant, poſuit caſtra. Eò Seleucus ab Apamea poſtero die venit. Aegros inde & inutilia impedi-
menta cùm Apameam dimiſiſſet, ducibus itinerum à Seleuco acceptis, profectus eo die in Metro-
politanum campum, poſtero die Dinias Phrygiæ proceſsit. inde Sinnada venit: metu omnibus cir-
cà oppidis deſertis. quorum iam præda graue agmen trahens, vix quinque millium die toto itinere
profecto, ad Beudos, quod vetus appellant, peruenit. ad Anabura inde, & altero die ad Mæandri fon-
Gallogræcorum origo. tes, tertio ad Abbaſſum poſuit caſtra. ibi plures dies ſtatiua habuit: quia peruentum erat ad Toliſto-
bogiorum fines. Galli, magna hominum vis, ſeu inopia agri, ſeu prædæ ſpe, nullam gentẽ per quas itu-
ri eſſent, parem armis rati, Brenno duce in Dardanos peruenerunt. ibi ſeditio orta, & ad x x millia ho-
minũ cum Lomnorio ac Lutario regulis, ſeceſsione facta à Brenno, in Thraciam iter auerterunt, vbi
cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponendo, Byzantium cùm perue-
niſſent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis eius vrbes obtinuerunt. Cu-
pido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes ex propinquo quanta vbertas terræ eius eſſet, cepit.
& Lyſimachia fraude capta, Cherſonneſóque omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontum deſcenderunt.
ibi verò

A ibi verò exiguo diuisis freto cernentibus Asiam, multo magis animi ad transeundum accensi, nuntiósque ad Antipatrum præfectũ eius oræ de transitu mittebant. quæ res cùm lentiùs spe ipsorum traheretur, alia rursus noua inter regulos orta seditio est. Lomnorius retrò, vnde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzantium. Lutarius Macedonibus per speciem legationis ab Antipatro ad speculandum missis, duas tectas naues, & tres lembos adimit. his alios atque alios dies noctésque transuehendo, intra paucos dies omnes copias traiecit. Haud ita multo pòst Lomnorius, adiuuante Nicomede Bithyniæ rege, à Byzantio transmisit, coëunt deinde in vnum rursus Galli, & auxilia Nicomedi dant, aduersus Zybœam partem tenentem Bithyniæ gerenti bellum. atque eorum maxmè opera deuictus Zybœa est. Bithyniáque omneis in ditionem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia in Asiam processerunt. non plus ex x x millibus hominum quàm decem armata erant. tamen tantum terroris omnibus quæ cis Taurum incolunt, gentibus iniecerunt: vt quas adissent, quásque non adissent, pariter vltimæ propinquis imperio parērent. Postremò cùm tres essent gentes, Tolistobogi, Trocmi, Tectosagi: in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diuiserunt. Trocmis Hellesponti ora data: Tolistobogii Aeolida atque Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt. & stipendiũ tota cis Taurum Asia exigebāt. sedem autē ipsi sibi circa Halyn flumen ceperunt. tantúsque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, vt Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Primus Asiam incolentium abnuit Attalus, pater regis Eumenis. audacíque incepto præter omnium opinionem affuit fortuna: & signis collatis superior fuit. non tamen ita infregit animos eorum, vt absisterent imperio. Eisdem opes vsque ad bellnm Antiochi cum Romanis manserunt. tum quoque pulso Antiocho, magnam spem habuerunt: quia procul mari incolerent, Romanum exercitum ad se non peruenturum. Cum hoc hoste tam terribili omnibus regionis eius quia bellum gerendum erat, pro concione milites maximè in hunc modum allocutus est consul: Non me præterit milites, omnium quæ Asiam colnnt, gentium, Gallos fama belli præstare. inter mitissimum genus hominnm ferox natio peruagata bello propè orbem terrarum, sedem cepit. procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii: ad hoc cantus ineuntium prælium, & vlulatus & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus: omnia de industria composita ad terrorem. Sed hæc, quibus insolita atque insueta sunt, Græci & Phryges & Cares timeant: Romanis Gallici tumultus assuetis etiam vanitates notæ sunt. Semel primo congressu ad Alliam eos olim fuderunt: maiores nostri ex eo tempore per ducentos iam annos pecorum in modum consternatos cædunt, fugántque: & plures propè de Gallis triumphi, quàm de toto orbe terrarum acti sunt.

Mālij cons. ad milites oratio.

B Iam vsu hoc cognitum est: si primum impetum, quem feruido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra: labant arma: mollia corpora, molles vbi ira consedit animos, sol, puluis, sitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt. Non legionibus legiones eorum solùm experti sumus, sed vir vnus cum viro congrediendo, T. Manlius, M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus, docuerunt. iam M. Manlius vnus agmine scandentes in Capitoliũ Gallos detrusit. & illis maioribus nostris cum haud dubiis Gallis in terra sua genitis res erat. hi iam degeneres sunt, misti, & Gallogræci verè, quod appellantur. sicut in frugibus pecudibúsque, non tantùm semina ad seruandam indolem valent, quantum terræ proprietas, cælíque, sub quo aluntur, mutat. Macedones, qui Alexandriam in Aegypto, qui Seleuciam, ac Babyloniam, quíque alias sparsas per orbem tetrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Aegyptios degenerarunt. Massilia inter Gallos sita traxit aliquantum ab accolis animorum: Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? Generosius in sua quicquid sede gignitur: insitum alienæ terræ in id quo alitur, natura vertente se, degenerat. Phrygas igitur Gallicis oneratos armis, sicut in acie Antiochi cæcidistis, victos victores cædetis. Magis vereor, ne parum inde gloriæ, quàm ne nimium belli sit. Attalus eos rex sæpe fudit, fugauítque. Nolite existimare, belluas tantùm recens captas feritatem illam syluestrem primò seruare: deinde cùm din manibus humanis alantur, mitescere: in hominum feritate mulcenda non eandem naturam esse. Eosdémne hos creditis esse, qui patres eorum auíque fuerunt? extorres inopia agrorum profecti domo per asperrimam Illyrici oram, Pæoniam inde & Thraciam, pugnando cum ferocissimis gentibus emensi, has terras ceperunt. duratos eos tot malis exasperatósque accepit terra, quæ copia rerum omnium saginaret. vberrimo agro, mitissimo cælo, clementibus accolarum ingeniis omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas. Vobis mehercule Martis viris cauenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ. tantum hæ peregrinæ voluptates ad extinguēdum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morísque accolarum valet. Hoc tamen feliciter euenit: quòd sicut vim aduersus vos nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi antiquæ obtinent, cum qua venerunt: bellíque gloriam victores eandem inter socios habebitis, quam si seruantes antiquum specimen animorum Gallos vicissetis. Concione dimissa, missísque ad Eposognatum legatis, qui vnus ex regulis & in Eumenis amicitia manserat, & negauerat Antiocho aduersus Romanos auxilia, castra mouit. primo die ad Alandrum flumen, postero ad vicum quem vocant Tyscon, ventum. Eò legati Oeandensium cùm venissent amicitiam petentes, † c c talenta iis sunt imperata: precantibúsque vt domum renuntiarent. potestas facta. Ducere inde exercitum consul ad Plitendum. deinde ad Alyattos castra posita. Eò missi ad Eposognatum redierunt, & legati Compulsi reguli orantes ne Tectosagis bellũ inferrent. & ipsum in eam gentem iturum, & Eposognatum, persuasurúmqne vt imperata faciant. Data venia regulo, dnci inde exercitus

Oeadenses amicitiam P. R. petunt.

† Valent 120000. coron.

Axylos terra. per Axylon (quam vocaot) terram, cœptus. Ab reo nomen habet. non ligni modò quicquam, sed ne A spinas quidem, aut vllum alud alimentum fert ignis: fimo bubulo pro lignis vtuntur. Ad Cuballum Gallogræciæ castellum castra habentibus Romanis, apparuêre cum magno tumultu hostium equites. nec turbarunt tantum stationes Romanas repentè inuecti, sed quosdam etiam occiderunt. qui tumultus cùm in castra perlatus esset, effusus repentè omnibus portis equitatus Romanus fudit, fugauítque Gallos, & aliquot fugieotes occidit. Inde consul, vt qui iam ad hostes peruentum cerneret, explorato deinde, & cum cura coacto agmine procedebat. & continentibus itineribus cùm ad *Gallorum equites fugantur.* Sangarium flumẽ peruenisset, pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Sangarius ex *Sangarius flumen.* Adoreo monte per Phrygiam fluens, miscetur ad Bithyniam Tymbreti fluuio: inde maior iam gemi natis aquis per Bithyniam fertur, & in Propontidem sese effundit, non tamen tam magnitudine memorabilis, quàm quòd piscium accolis ingentem vim præbet. Transgressis ponte perfecto flumen præter ripam euntibus Galli matris magnæ à Pesinunte occurrere cum insignibus suis, vaticinantes fanatico carmine, deam Romanis viam belli & victoriam dare, imperiúmque eius regionis. Ac- *Gordium celebre emporium.* cipere se omen cùm dixisset consul, castro eo ipso loco posuit. postero die ad Gordium peruenit. Id haud magnum quidem oppidum est, sed plusquàm mediterraneum celebre & frequeos emporium. tria maria pari fermè distantia interuallo habet. Hellespontum ad Sinopen, & alterius oræ litora, quà Cilices maritimi colunt. multarum magnarúmque præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maximè locum mutui vsus contraxere. Id tum desertum fuga incolarum oppidum, refertum idem copia rerum omnium inuenerunt. Ibi statiua habentibus legati ab Eposognato venerunt, nuntiantes profectum eum ad regulos Gallorum, nihil æqui impetrasse. ex campestribus vicis agrísque frequentes demigrare, & cum coniugibus ac liberis quæ ferre atque agere possent, præ se agentes portantésque, Olympum montem petere, vt inde armis locorúmque situ sese tueantur. Certiora postea Oroandensium legati attulerunt. Tolistobogiorum ciuitatem Olympum montem cepisse. diuersos Tectosagos alium montem, qui Magana dicatur, petisse. Trocmos, coniugibus ac liberis apud Tectosagos depositis, armatorum agmine Tolistobogiis statuisse *Gallogræcorum reges.* auxilium ferre. Erant autem tunc trium populorum reguli Orgiago & Combolomarus, & Gaulotus. Iis hæc maximè belli ratio sumendi fuerat, quòd cùm montes editissimos eius regionis tenerent, conuectis omnibus quæ ad vsum quamuis longi temporis sufficerent: tædio se fatigaturos hostes censebant. nam neque ausuros per tam ardua atque iniqua loca subire eos: & si conarentur, vel parua manu prohiberi ac deturbari posse: nec quietos in radicibus gelidorum montium sedeotes frigus, aut inopiam laturos. Et cùm ipsa altitudo locorum eos tutaretur, fossam quoque & alia munimenta verticibus iis quos insederant, circumiecere. minima apparatus missilium telorum cura B fuit: quòd saxa affatim præbituram asperitatem ipsam locorum credebant. Consul, quia non comminus pugnam, sed procul, locis oppugnandis futuram præceperat animo, ingentem vim pilorum, velitarium hastarum, sagittarum, glandísque & modicorum qui funda mitti possent lapidum para- *Cons. Manlius ad Olympum castra locat.* uerat. instructúsque missilium apparatu ad Olympum montem ducit: & à quinque fermè millibus locat castra. Postero die cum quadringentis equitibus, & Attallo progressum eum ad naturam montis, sitúmque Gallicorum castrorum visendum, equites hostium, duplex numerus, effusi castris in fugam auerterunt. occisi quoque pauci fugientium, vulnerati plures. Tertio die cum omnibus ad loca exploranda profectus, quia nemo hostium extra munimenta procesit: tutò circumuectus montem, animaduertit meridiana regione terrenos, & placidè accliuos ad quendam finem colles esse, ad septentrionem arduas & rectas propè rupes. atque omnibus fermè aliis inuiis, itioera tria esse: vnum medio monte, quà terrena erant: duo difficilia ab hyberno solis ortu, & ab æstiuo occasu. Hæc contemplatus eo die, sub ipsis radicibus posuit castra. postero die sacrificio facto, cum *Manlius cons. exercitu trifariam diuiso Gallogræcos adoritur.* primis hostiis litasset, trifariam exercitum diuisum ducere ad hostem pergit. ipse cum maxima parte copiarum, quà æquissimum aditum præbebat mons, ascendit. L. Manlium fratrem ab hyberno ortu, quoad loca patiantur, & tutò possit, subire iubet. si qua periculosa & prærupta occurrant, non pugnare cum iniquitate locorum, neque inexuperabilibus vim afferre: sed obliquo monte ad se declinare, & suo agmioi coniungi. C Heluium cum tertia parte circumire sensim per infima montis, deinde ab æstiuo occasu erigere agmen. & Attali auxilia trifariã æquo numero diuisit: secum esse ipsum iuuenem iussit. equitatum cum elephantis in proxima tumulis planicie reliquit. edictum præfectis, vt intenti quid vbique geratur, animaduertant: opémque ferre, quò postulent res, properent. Galli duobus lateribus satis fidentes, inuia esse ab ea parte quæ in meridiem vergeret, vt armis clauderent viam: quatuor fermè millia armatorum ad tumulum imminentem viæ minus mille passuum à castris occupandum mittunt: eo se rati velut castello iter impedituros. Quod vbi Romani viderunt, expediunt sese ad pugnam. ante signa modico interuallo velites eunt, & ab Attalo Cretenses sagittarii, & funditores, & Triballi Thraces: signa peditum vt per arduum leni gradu ducuntur, ita præ se habentium scuta, vt missilia tantum vitarent, pede collato noo viderentur pugnaturi. Missilibus ex interuallo loci prælium commissum est, primò par, Gallos loco adiuuante: Romanos varietate & copia telorum. procedente certamine nihil iam æqui erat. scuta longa, cæterùm ad amplitudinem corporum parum lata, & ea ipsa plana malè tegebant Gallos. nec iam tela alia habebant, præter gladios: quorum, cùm manum hostis non consereret, nullus vsus erat. saxis, nec modicis, vt quæ non præparassent: sed quod vtique temerè trepidanti ad manũ venisset: vt insueti, nec arte, nec viribus adiuuantes ictum, vtebantur. sagittis, glande, iaculis incauti, ab omni parte cõfigebantur: nec quid agerent, ira

& pauore

A & pauore obcæcatis animis, cernebant. & erant deprehensi genere pugnæ, in quod minimè apti sunt. nam quemadmodum comminus, vbi inuicem pati ac inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum: ita vbi ex occulto & procul leuibus telis vulnerantur, nec quò ruant cæco impetu, habent, velut feræ transfixæ in suos temerè incurrunt. Detegebat vulnera eorum & quod nudi pugnant, & sunt fusa & candida corpora, vt quæ nunquam nisi in pugna nudentur: ita & plus sanguinis è multa carne fundebatur, & fœdiores patebant plagæ, & candor corporum magis sanguine atro maculabatur. sed non tam patentibus plagis mouentur, interdum insecta cute, vbi latior quàm altior plaga est, etiam gloriosius se pugnare putant. iidem, cùm aculeus sagittæ aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem vrit, & scrutanteis quæ vellant, telum non sequitur: tum in rabiem & pudorem tam paruæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic vt passim procumberent. alii ruentes in hostem vndique configebantur: & cùm comminus venerant, gladiis à velitibus trucidabantur. Hic miles tripedalem parmam habet: & in dextera hastas, quibus eminus vtitur, gladio Hispaniensi est cinctus. quòd si pede collato pugnandum est, translatis in læuam hastis, stringit gladium. Pauci supererant iam Gallorum. qui posteaquàm ab leui armatura superatos se viderunt, & instare legionum signa, effusa fuga castra repetunt, pauoris & tumultus iam plena: vt vbi fœminæ, puerique, & alia imbellis turba permista esset. Romanos victores deserti fuga hostium acceperunt tumuli. Sub idem tempus L. Manlius, & C. Heluius, cùm quoad viam colles obliqui dederunt, ascendissent: posteaquàm ad inuia ventum est, flexere iter in partem montis, quæ vna habebat iter: & sequi consulis agmen modico vterque interuallo, velut ex composito, cœperunt: quod primò optimum factu fuisset, in id necessitate ipsa compulsi. subsidia enim in talibus iniquitatibus locorum maximo sæpe vsui fuerunt: vt primis fortè deturbatis, secundi & tegant pulsos, & integri pugnam excipiant. Consul, posteaquàm ad tumulos ab leui armatura captos prima signa legionum peruenerunt, respirare, & conquiescere paulisper militem iubet. simul strata per tumulos corpora Gallorum ostentat. & cùm leuis armatura tale prælium ediderit, quid ab legionibus? quid ab iustis armis quid ab animis fortissimorum militum expectari, castra illis capienda esse, in quæ compulsus ab leui armatura hostis trepidet. præcedere tamen iubet leuem armaturam: quæ, cùm staret agmen, colligendis per tumulos telis, vt missilia sufficerent, haud segne idipsum tempus consumpserat. Iam castris appropinquabãt. & Galli, ne parum se munimenta sua tegerent, armati pro vallo constiterant. obruti deinde omni genere telorum, cùm quo plures ac densiores erãt, eo minus vani quicquam interciderет teli, intra vallum momento temporis compelluntur, stationibus tantum firmis ad ipsos aditus portarum relictis. In multitudinem compulsam in castra vis ingens missilium telorum coniiciebatur. & vulnerari multos, clamor permistus mulierum atque puerorum plo-

Gallogræci nudi pugnant.

Romani castra Gallogræcorum oppugnant.

B ratibus significabat. In eos qui portas stationibus suis clauserant, legionum antesignani pila coniecerunt. hi verò non vulnerabantur, sed transuerberatis scutis plerique inter se conserti hærebant. nec diutius impetum Romanorum sustinuerunt. Patentibus iam portis, priusquam irrumperent victores, fuga è castris Gallorum in omnes partes facta est. ruunt cæci per vias, per inuia: nulla præcipitia saxa, nullæ rupes obstant: nihil præter hostem metuunt. itaque plerique præcipites per vastam altitudinem prolapsi, aut debilitati exanimantur. consul castris captis, direptione prædaque abstinet. militem sequi pro se quenque & instare, & perculsis pauorem addere iubet. Superuenit & alterum cum L. Manlio agmen, nec eos castra intrare sinit. protinus ad persequendos hostes mittit. & ipse paulo pòst, tradita captiuorum custodia tribunis militum sequitur, debellatum ratus, si in illo pauore quamplurimi cæsi forent aut capti. Egresso consule, C. Heluius cum tertio agmine aduenit. nec cõtinere suos à direptione castrorum valuit: prædàque eorum iniquissima sorte, qui pugnæ non interfuerant, facta est. Equites diu ignari & pugnæ, & victoriæ suorũ steterunt. deinde & ipsi, quantum equi in colles subire poterant: sparsos fuga Gallos circa radices montis consectati cecidère, aut cepere. Numerus interfectorum haud facilè iniri potuit, quia latè inter omnes anfractus montium fugáque & cædes fuit: & magna pars rupibus inuiis in profundæ altitudinis conualles delapsa est, pars in syluis vepribúsque occisa. Claudius qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad XL millia hominum cæsa author est. Valerius Antiâs, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem millia. Numerus captiuorũ, haud dubiè millia X L expleuit: quia omnis generis ætatísque turbã secum traxerant, demigrantium magis quàm in bellum euntium modo. Consul armis hostium in vno concrematis cumulo, cæteram prædam conferre omnes iussit, & aut vendidit quod eius in publicum redigendum erat: aut cum cura, vt quàm æquissima esset, per milites diuisit. Laudati quoque pro concione omnes sunt, donatique pro merito quisque: ante omnes Attalus summo cæterorum assensu: nam singularis eius iuuenis cùm virtus & industria in omnibus laboribus periculisq; , tum modestia etiam fuerat. Supererat bellum integrum cum Tectosagis. Ad eos profectus Cos. tertiis castris Ancyram, nobilem in illis locis vrbem, peruenit: vnde hostes paulo plus X millia aberant. vbi cùm statiua essent, facinus memorabile à captiua factum est. Orgiagontis reguli vxor forma eximia custodiebatur inter plures captiuos. cui custodiæ centurio præerat, & libidinis & auaritiæ militaris, is primò eius animum tentauit. quem cùm abhorrentẽ à voluntario videret stupro, corpori quod seruum fortuna erat, vim fecit. deinde ad leniendam indignitatem iniuriæ, spem reditus ad suos mulieri facit, & ne eam quidem vt amans, gratuitã, certo auri pondere pactus, & ne quem conscium suorum haberet, ipsi permittit, vt quem vellet, vnum ex captiuis nuntium ad suos mitteret. locum prope flumen constituit: quò duo, ne plus, necessarii captiuæ cum auro venirent nocte insequenti ad eam accipiendam

Gallogræcorum castra diripiuntur.

Interfectorum numerus.

Mulieris captiuæ facinus memorabile.

Fortè ipsius mulieris seruus inter captiuos eiusdem custodiæ erat. hunc nuntium primis tenebris ex- A
tra custodiam centurio educit. Nocte insequenti & duo necessarii mulieris ad constitutum locum,
† Coron. 600. & centurio cum captiua venit. vbi cùm aurum ostenderent, quod summam † talenti Attici (tanti enim
pepigerat) expleret: mulier lingua sua, stringerent ferrum, & centurionem pensantem aurum occi-
derent, imperauit. Iugulati præcisum caput ipsa inuolutum veste ferens ad virum Orgiagontem, qui
ab Olympo domum refugerat, peruenit. quem priusquam complecteretur, caput centurionis ante
pedes eius abiecit. mirantique cuiúsnam id caput hominis, aut quod id facinus haudquaquam mulie-
bre esset, & iniuriam corporis & vltionem violatæ per vim pudicitiæ confessa viro est, aliáque (vt
traditur) sanctitate & grauitate vitæ huius matronalis facinoris decus ad vltimum conseruauit. Ad
Tectosagûm oratores ad Manlium consulem. Ancyram in statiua Tectosagûm oratores ad consulem venerunt, petentes, ne antè ab Ancyra castra
moueret, quàm collocutus cum suis regibus esset. nullas conditiones pacis iis non bello fore potio-
res. Tempus in posterum diem constituitur: locúsque qui maximè medius inter castra Gallorum &
Ancyram est visus. Quò cùm consul ad tempus cum præsidio quingentorum equitum venisset, nec
vllo Gallorum ibi viso regressus in castra esset: oratores iidem redeunt, excusantes, religione obiecta
venire reges non posse. principes gentis, per quos æquè res transigi posset, venturos. Consul, se quo-
que Attalum missurum dixit. Ad hoc colloquium vtrinque vētum est. trecentos equites Attalus præ-
sidii causa cùm adduxisset, actæ sunt pacis cōditiones. Finis rei quia absentibus ducibus imponi nō po-
terat, conuenit, vti consul regésque eo loco postero die congrederentur. Frustratio Gallorū eò specta-
Gallogræcorum perfidia. bat: primùm vt tererent tēpus, donec res suas cū quibus periclitari nolebāt, cum coniugibus ac libe-
ris trans Halyn flumen traiicerent: deinde quòd ipsi consuli parū cauto aduersus colloquii fraudē in-
sidiabantur. Mille ad eā rem ex omni numero audaciæ expertæ delegērūt equites. & successisset fraus,
ni pro iure gentium, cuius violandi consilium initum erat, stetisset fortuna. Pabulatores lignatorésq;
Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt: tutius id futurum tribunis ratis,
quia consulis præsidium & ipsum pro statione habituri erant, hosti oppositum. suam tamen alteram
stationem propius castra sexcentorum equitum posuerunt. Consul affirmante Attalo venturos reges
& transigi rem posse, profectus è castris cum eodem quo antea præsidio equitum quinque millia ferè
processisset, nec multum à constituto loco abesset: repentè concitatis equis cum impetu hostili vi-
det Gallos venientes, constituit agmen. & expedire tela animósque equitibus iussis, primò constan-
ter initium pugnæ accepit, nec cessit. dein cùm prægrauaret multitudo, cedere sensim, nihil con-
fusis turmarum ordinibus, cepit. postremò cum iam plus in mora periculi quàm in ordinibus con-
seruandis præsidii esset, omnes passim in fugam effusi sunt. tum verò instare dissipatis Galli, & cæ-
dere. magnáque pars oppressa foret, ni statio pabulatorum sexcenti equites occurrissent. ii procul B
clamore pauido suorum exaudito, cùm tela equósque expedissent: integri profligatam pugnam ac-
ceperunt. itaque versa extemplò fortuna est, versus in victores à victis terror. & primo impetu
fusi Galli sunt, & ex agris concurrebant pabulatores, & vndique obuius hostis Gallis erat: vt ne fu-
gam quidem facilem aut tutam haberent, quia recentibus equis Romani fessos sequebantur. pauci
ergo effugerunt: captus est nemo. maior multo pars per fidem violati colloquii pœnas morte lue-
runt: Romani ardentibus ira animis postero die omnibus copiis ad hostem perueniunt. Biduum
natura montis per seipsum exploranda, ne quid ignoti esset, absumpsit consul. tertio die cùm auspi-
cio operam dedisset, deinde immolasset, in quatuor partes diuisas copias educit: duas vt medio
monte duceret, duas ab lateribus vt aduersus cornua Gallorum erigeret. Hostium quod roboris e-
rat, Tectosagi & Trocmi mediam tenebant aciem, millia hominum quinquaginta. equitatum, quia
equorum nullus inter inæquales rupes vsus erat, ad pedes deductum x millia hominum, ab dextro
locauerunt cornu. Ariaratis Cappadoces & Morzi auxiliares in læuo quatuor fermè millium nu-
merum explebant. Consul, sicut in Olympo monte, prima in acie locata leui armatura, telorum o-
mnis generis vt æquè magna vis ad manum esset, curauit. Vbi appropinquarunt, omnia eadem
vtrinque quæ fuerant in priore prælio, erant: præter animos & victoribus ab re secunda auctos, &
hostibus fractos. quia & si non ipsi victi erant, suæ gentis hominum cladem pro sua ducebant. ita-
que à paribus initiis cœpta res, eundem exitum habuit. Velut nubes leuium telorum coniecta obruit
aciem Gallorum. nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudaret vndique corpus ad ictus,
audebat: & stantes quo densiores erant, hoc plura velut destinatum petentibus, vulnera accipie-
bant. Consul iam per se turbatis si legionum signa ostendisset, versuros extemplò in fugam omnes
ratus, receptis inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum, aciem promouit. Galli & memoria
Tolistobogiorum cladis territi, & inhærentia corporibus gerentes tela, fessíque & stando & vulne-
Galli in fugam uertuntur. ribus, ne primum quidem impetum & clamorem Romanorum tulerunt. Fuga ad castra inclinauit.
sed pauci intra munimenta se recepere. pars maior dextra læuáq; prælati, quà quenque impetus tulit,
fugerunt. victores vsque ad castra secuti, cæciderunt terga. deinde in castris cupiditate prædæ hæse-
runt, nec sequebatur quisquam. In cornibus Galli diutius steterunt, quia serius ad eos peruentū est. cæ-
terùm ne primū quidē coniectum telorum tulerūt. Consul, qui ingressos in castra ab direptione abstra-
here non poterat: eos qui in cornibus fuerant, protinus ad sequendos hostes misit. per aliquantum
spatium secuti, non plus tamen octo millia hominum in fuga (nam pugna nulla fuit) ceciderunt. re-
liqui flumen Halyn traiecerunt. Romanorum magna pars ea nocte in hostium castris mansit. cæte-
ros in sua castra consul reduxit. postero die captiuos prædámq; recēsuit: quæ tanta fuit, quantam aui-
dissima rapiendi gens, cùm cis montē Taurum omnia armis per multos tenuisset annos, coaceruare

potuit.

A potuit. Galli ex dissipata passim fuga in vnum locum congregati, magna pars saucii aut inermes, nudati omnibus rebus, oratores de pace ad consulem miserunt. Eos Manlius Ephesum venire iussit, ipse (iam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans, victorem exercitum in hyberna maritimæ oræ reduxit. Dum hæc in Asia geruntur, in cæteris prouinciis tranquillæ res fuerunt. Censores Romæ, T. Quintius Flamininus, & M. Claudius Marcellus senatum perlegerunt. princeps in senatu tertiùm lectus P. Scipio Africanus. quatuor soli præteriti sunt, nemo curuli vsus honore. & in equitatu recensendo mitis admodum censura fuit. substructionem super Aequimelium in Capitolio, & viam silice sternendam à porta Capena ad Martis locauerunt. Campani, vbi censerentur, senatum consuluerunt. decretum: vti Romæ censerentur. Aquæ ingentes eo anno fuerunt. Tyberis duodecies campum Martium, planáqua vrbis inundauit. Ab Cn. Manlio consule bello in Asia cum Gallis perfecto, alter Cos. M. Fuluius perdomitis Aetolis, cùm traiecisset in Cephaleniam, circa ciuitates insulæ misit percunctatum, vtrum se dedere Romanis, an belli fortunam experiri mallent? metus ad omnes valuit, ne deditionem recusarent. obsides inde imperatos pro viribus inopis populi, vicenos Nesiotæ, Cranonii, Palenses, & Samæi dederunt. Insperata pax Cephaleniæ affulserat: cùm repentè vna ciuitas, incertum quam ob causam Samæi desciuerunt. Quia opportuno loco vrbs posita esset, timuisse se aiebant, ne demigrare cogerentur ab Romanis. cæterùm ipsi ne sibi eum finxerint metum, & timore vano quietem exuerint: an iactata sermonibus res apud Romanos perlata ad eos sit, nihil comperti est, nisi quòd datis iam obsidibus, repentè portas clauserunt: & ne suorum quidem precibus (miserat enim sub muros consul ad tentandam misericordiam parentum populariúmque) desistere ab incepto voluerunt. Oppugnari deinde, posteaquàm nihil pacati respondebatur, cœpta vrbs est. apparatum omnem tormentorum machinarúmque transuectum ab Ambraciæ oppugnatione habebat: & opera quæ facienda erant, impigrè milites perfecerunt. duobus igitur locis admoti arietes quatiebant muros. Nec ab Samæis quicquã, quo aut opera aut hostis arceri posset, prætermissum est. duabus tamẽ maximè resistebant rebus: vna, interiorem semper iuxta validum pro diruto nouum obstruentes murum: altera, eruptionibus subitis nunc in opera hostium, nunc in stationes. & plerunq; iis præliis superiores erant. Vna ad coërcendos inuenta haud magna memoratu res est. centum funditores ab Aegio & Patris & Dymis acciti. A pueris ii more quodam gentis, saxis globosis, quibus fermè arenæ immistis strata litora sunt, funda mare apertum incessentes exercebantur. itaque longius certiúsque & validiore ictu quàm balearis funditor, eo telo vsi sunt. & est non simplicis habenæ, vt balearica aliarúmque gentium funda: sed triplex scytale crebris futuris duratum, ne fluxa habena volutetur in iactu glans, sed librata cùm

Gallogræci oratores de pace ad Cos. misſi.

Cephaleniæ ciuitates dedunt sese Romanis.

Samæi oppugnantur à M. Fuluio Cos.

B sederit, velut neruo missa excutiatur. coronas modici circuli magno ex interuallo loci assueti traiicere, non capita solùm hostium vulnerabant: sed quem locum destinassent oris. Eæ fundæ Samæos cohibuerunt, ne tam crebrò, neue tam audacter erumperent: adeò vt precarentur ex muris Achæos, vt parumper abscederent: & se cum Romanis stationibus pugnantes quietè spectarent. Quatuor menses obsidionem Samæi sustinuerunt. cùm ex paucis quotidie aliqui eorum caderent, aut vulnerarentur: & qui supererant, fessi & corporibus & animis essent: Romani nocte per arcem quam Cyatidem vocant (nam vrbs in mare deuexa, in occidentem vergit) muro superato in forum peruenerunt. Samæi posteaquàm captam vrbis partem ab hostibus senserunt, cum coniugibus ac liberis in maiorem refugerunt arcem. inde postero die dediti, direpta vrbe, sub corona omnes venierunt. Consul compositis rebus Cephaleniæ, præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum, iam diu accersentibus Aegiensibus maximè ac Lacedæmoniis traiecit. Aegium à principio Achaici concilii semper conuentus gentis indicti sunt, seu dignitati vrbis id, seu loci opportunitati datum est. hunc morem Philopœmenes eo primùm anno labefactare conatus, legem parabat ferre, vt in omnibus ciuitatibus quæ Achaici concilii essent, inuicem conuentus agerentur. & sub aduentum consulis Damiurgis ciuitatum, qui summus est magistratus, Aegium euocantibus, Philopœmenes (prætor tum erat) Argos conuentum edixit. quò cùm appareret omnes ferè conuenturos: consul quoque quanquam Aegiensium fauebat causæ, Argos venit, vbi cùm disceptatio fuisset, & rem inclinatam cerneret, incœpto destitit. Lacedæmonii deinde eum in sua certamina auerterunt. Solicitam eam ciuitatem exules maximè habebant. quorum magna pars in maritimis Laconicæ oræ castellis, quæ omnis adempta erat, habitabant. id ægrè patientes Lacedæmonii, vt aliquem liberum ad mare haberent aditum: si quando Romam, alióve quò mitterent legatos: simúlque vt emporium & receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios vsus esset: nocte adorti vicum maritimum, nomine † Lan, improuiso occupauêre. Vicani, quíque ibi exules habitabant, primò inopinata re territi sunt: deinde sub lucem congregati, leui certamine expulerunt Lacedæmonios. terror tamen omnem maritimam oram peruasit: legatósq; communiter & castella omnia vicíque, exules quibus ibi domicilia erant, ad Achæos miserunt. Philopœmenes prætor, iam inde ab initio exulũ causæ amicus, & author semper Achæis minuendi opes & authoritatẽ Lacedæmoniorum, conciliũ quærentibus dedit. decretúmq; eo referẽte factum est: cùm in fidem Achæorũ tutelámq; T. Quintius & Romani Laconicæ oræ castella & vicos tradidissent, & cùm abstinere his ex fœdere Lacedæmonii deberẽt, † Las vicus oppugnatus esset, cædésq; ibi facta: qui eius rei authores affinésq; essent, nisi dederẽtur Achæis, violatum videri fœdus. Ad exposcendos eos legati extemplò Lacedæmonem missi sunt. Id imperium adeò superbum & indignum Lacedæmoniis visum est, vt si antiqua ciuitatis fortuna esset, haud dubiè arma extemplò capturi fuerint. maximè autẽ consternauit eos metus, si semel primis imperiis

Romani Samæorum vrbem capiũt.

Aegium

Lacedæmonij ob exules maximè soliciti.

† Lamin, habet codex Ald.

† Lamis, habet codex Ald.

obediendo iugum accepissent, ne id quod iamdiu moliretur, Philopœmenes exulibus Lacedæmonem traderet. Furentes igitur ira, triginta hominibus ex factione, cum qua consiliorum aliqua societas Philopœmeni atque exulibus erat, interfectis, decreuerunt renunciandam societatem Achæis: legatósque extemplò Cephaleniam mittendos, qui consuli M. Fuluio, quíque Romanis Lacedæmonem dederent: orarentque eum, vt veniret in Peloponnesum ad vrbem Lacedæmonem in fidem, ditionémque populi Romani accipiendam. Id vbi legati ad Achæos retulerunt, omnium ciuitatum quæ eius concilii erant, consensu, bellum Lacedæmoniis indictum est. ne extemplò gereretur, hyems impediit. incursionibus tamen paruis, latrocinii magis quàm belli modo, non terra tantùm, sed etiam nauibus à mari fines eorum vastati. Hic tumultus consulem in Pelloponnesum adduxit: iussúq; eius Elin concilio indicto, Lacedæmonii ad disceptandum acciti. Magna ibi non disceptatio modò, sed etiam altercatio fuit. cui consul cùm alia satis ambitiosè, partem vtranque fouendo, incerta respondisset: vna denuntiatione, vt bello abstinerent, donec Romam legatos ad senatū misissent, finem imposuit. Vtrinque legatio missa Romam est. exules quoque Lacedæmoniorum suam causam legationémque Achæis iniunxerunt. Diaphanes & Lycortas, Megalopolitani ambo, principes legationis Achæorum fuerunt. qui dissidentes in rep. quoque minime inter se conuenientes orationes habuerunt. Diaphanes senatui disceptationem omnium rerum permittebat. eos optimè controuersias inter Achæos ac Lacedæmonios finituros esse. Lycortas ex præceptis Philopœmenis postulabat, vt Achæis ex fœdere ac legibus suis quæ decreuissent, agere liceret: libertatémque sibi illibatam, cuius ipsi authores essent, præstarent. Magnæ authoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat: nouari tamen nihil de Lacedæmoniis placebat. cæterùm responsum ita perplexum fuit, vt & Achæi sibi de Lacedæmone permissum acciperent: & Lacedæmonii non omnia concessa iis interpretarentur. Hac potestate immodicè Achæi ac superbè vsi sunt. Philopœmeni continuatur magistratus, qui veris initio exercitu indicto, castra in finibus Lacedæmoniorum posuit. legatos deinde misit ad deposcendos authores defectionis: & ciuitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens: & illos nihil indicta causa passuros. Silentium præ metu cæterorum fuit. quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros professi sunt: fide accepta ab legatis, vim abfuturam, donec causam dixissent. Ierunt alii etiam illustres viri, & aduocati priuatis: & quia pertinere causam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam aliàs exules Lacedæmoniorum Achæi secum adduxerant in fines: quia nihil æquè alienaturum animos ciuitatis videbatur. tunc exercitus totius propè antesignani exules erant. Ii venientibus Lacedæmoniis ad portam castrorum agmine facto occurrerunt. & primò lacessere iurgiis: deinde altercatione orta cùm accenderentur iræ, ferocissimi exulum impetum in Lacedæmonios fecerunt. Cùm illi deos & fidem legatorum testarentur: & legati & prætor summoueret turbas, & protegeret Lacedæmonios: vinculáque iam quosdam iniicientes arceret, crescebat tumultus concitata turba. Et Achæi ad spectaculum primò concurrerunt. deinde vociferantibus exulibus quæ passi forent, & orantibus opem, affirmantibúsque simul nunquam talem occasionem habituros, si eam prætermisissent: fœdus, quod in Capitolio, quod Olympiæ, quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse: priusquàm alio de integro fœdere obligarentur, noxios puniendos esse: accensa his vocibus multitudo ad vocem vnius, qui vt ferirent, inclamauit, saxa coniecit: atque ita XVII, quibus vincula per tumultum iniecta erant, interfecti sunt. LXIII postero die comprehensi, à quibus prætor vim arcuerat, nó quia saluos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat, obiecti multitudini iratæ, cùm auersis auribus pauca locuti essent, damnati omnes, & traditi sunt ad supplicium. Hoc metu iniecto Lacedæmoniis, imperatum primum, vt muros diruerent: deinde vt omnes externi auxiliares, qui mercede apud tyrannos militassent, terra Laeonica excederent. tum vti quæ seruitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat) ante diem certam abirent. qui ibi mansissent, eos prehendendi, vendendi, abducendi Achæis ius esset. Lycurgi leges, morésque abrogarent: Achæorum assuescerent legibus, institutísque. ita vnius eos corporis fore, & de omnibus rebus facilius consensuros. Nihil obedientius fecerunt, quàm vt muros diruerunt: nec ægrius passi sunt, quàm exules reduci. Decretum Tegeæ in concilio communi Achæorum de restituendis iis factum est. & mentione illata, externos auxiliares dimissos, & Lacedæmoniis ascriptos (ita enim vocabant, qui à tyrannis liberati erant) vrbe excessisse, in agros dilapsos, priusquàm dimitteretur exercitus: ire prætorem cum expeditis, & comprehendere id genus hominum, & vendere iure prædæ placuit. multi comprehensi venierunt. porticus ex ea pecunia Megalopoli permissu Achæorum refecta est: quam Lacedæmonii diruerant. Et ager Belbinatis, quem iniuria tyranni Lacedæmoniorum possederant, restitutus eidem ciuitati ex decreto vetere Achæorum: quod factum erat Philippo Amyntæ filio regnante. Per hæc velut eneruata ciuitas Lacedæmoniorum diu Achæis obnoxia fuit. nulla tamen res tanto erat damno, quàm disciplina Lycurgi, cui per octingentos annos assueuerant, sublata. A concilio, vbi apud consulem inter Achæos, Lacedæmoniósque disceptatum est, M. Fuluius, quia iam in exitu annus erat, comitiorum causa profectus Romam, creauit consules M. Valerium Messalam, & C. Liuium Salinatorem: cùm M. Aemylium Lepidum inimicum eo quoque anno petentem deiecisset. Prætores inde creati Q. Martius Philippus, M. Claudius Marcellus, C. Stertinius, C. Catinius, P. Claudius Pulcher, L. Manlius Acidinus. Comitiis perfectis, consulem M. Fuluium in prouinciam ad exercitum redire placuit eique, & collegæ Cn. Manlio imperium in annum prorogatum est. Eo anno in ædem Herculis signum dei ipsius ex decem virorum responso, & seiuges in Capitolio aurati ab Cn. Cornelio positi. consulem dedisse, inscriptum est. & XII clypea ærata ab ædilibus curulibus P. Claudio, & S. Sulpitio

Achæi Lacedæmoniis bellum indicunt.

Achæi & Lacedæmonij legatos Romam mittunt.

Quæ imperata sunt Lacedæmoniis ab Achæis.

Lycurgi disciplina Lacedæmoniis sublata.

A S.Sulpitio Galba,sunt posita ex pecunia,qua frumentarios ob annonam compressam damnarunt.& ædilis plebis Q.Fuluius Flaccus duo signa aurata,vno reo damnato (nam separatim accusauerant) posuit.collega eius A.Cæcilius neminem condemnauit.Ludi Romani ter,plebeii quinquies toti instaurati.M.Valerius Messala inde,& C.Liuius Salinator consulatum idibus Martiis cùm iniissent,de republica,déque prouinciis,& exercitibus senatum cōsuluerunt.De Aetolia & Asia nihil mutatum est.

Prouinciarū sortitio.

Consulibus,alteri Pisæ cum Liguribus,alteri Gallia prouincia decreta est.comparare inter se,aut sortiri iussi:& nouus exercitus,binas legiones scribere:& vt sociis Latini nominis quinadena millia peditum imperarent,& mille ducentos equites.Messalæ Ligures,Salinatori obtigit Gallia.Prætores inde sortiti sunt.M.Claudio vrbana,P.Claudio peregrina iurisdictio euênit. Q.Martius Siciliam,C. Stertinius Sardiniam,L.Manlius Hispaniam citeriorem,C.Catinius vlteriorem est sortitus.De exercitibus ita placuit.è Gallia legiones,quæ sub C.Lælio fuerant,ad M. Tutium proprætorem in Brutios traduci:& qui in Sicilia esset,dimitti exercitum:& classem,quæ ibi esset, Romam reducere M. Sempronium proprætorem. Hispaniis legiones singulæ,quæ tum in iis prouinciis erant,decretæ: & vt terna millia peditum,ducenos equites ambo prætores in supplementum sociis imperarent,secúmque transportarent.priusquàm in prouincias noui magistratus proficiscerentur,supplicatio in triduum pro collegio decemuirorum imperata fuit in omnibus compitis, quòd luce inter horam tertiam fermè & quartam tenebræ obortæ fuerant.& nouendiale sacrificium indictum est,quod in Auentino lapidibus pluisset.

Prodigia.

Campani,cùm eos ex senatusconsulto quòd priore anno factum erat, censores Romæ censeri coegissene (nam antea incertum fuerat,vbi censerentur) petierunt, vt sibi ciues Romanas ducere vxores liceret:& si qui prius duxissent,vt habere eas:& ante eam diem nati,vti iusti sibi liberi hæredésque essent.vtraque res imperata. De Formianis Fundanísque municipibus,& Arpinatib.C.Valerius Tappo tribunus plebis promulgauit:vti iis suffragii latio (nam anteè sine suffragio habuerant ciuitatem)esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis,quia non ex authoritate senatus ferretur,cùm intercederent:edocti,populi esse, non senatus ius,suffragium quibus velit impartiri,destiterunt incepto. Rogatio perlata est,vt in Aemylia tribu Formiani & fundani, in Cornelia Arpinates ferrent.atque in his tribubus tum primùm ex Valerii plebiscito censi sunt.

Populi non Senatus erat suffragij lationem impertiri.

M.Claudius Marcellus censor, sorte superato T. Quintio, lustrum condidit. censa ciuium capita CCLVIII. millia, CCCVIII. Lustro perfecto consules in prouincias profecti sunt. Hyeme ea qua hæc Romæ gesta sunt,ad Cn.Manlium consulem primùm, deinde proconsulem hybernantem in Asia,legationes vndique ex omnibus ciuitatibus gentibúsque,quæ cis Taurum montem incolunt, conueniebant:& vt clarior nobiliórque victoria Romanis de rege Antiocho fuit quàm de Gallis,ita

Ad Manliū consulem legationes ex omni Asia missæ.

B lætior sociis erat de Gallis quàm de Antiocho. Tolerabilior regia seruitus fuerat,quàm feritas immanium barbarorum,incertúsque indies terror,quo velut tempestas eos populantes inferret.itaque vt quibus libertas Antiocho pulso,pax,Gallis domitis,data esset:non gratulatum modò venerant, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus,attulerant.& ab Antiocho legati,& ab ipsis Gallis,vt pacis leges dicerentur.& ab Ariarate rege Cappadocum venerunt ad veniam petendam, luendámque pecunia noxam,quòd auxiliis Antiochum iuuisset. Ei † CC. talenta argenti sunt imperata.

† Valent 120000 coron.

Gallis responsum, cùm Eumenes rex venisset,tum daturum iis leges. ciuitatum legationes cum benignis responsis lætiores etiam quàm venerant,dimissæ. Antiochi legati pecuniam in Pamphyliam,frumentúmque ex pacto cum L.Scipione fœdere iussi aduehere.eò se cum exercitu venturum. Principio deinde veris lustrato exercitu profectus,die octauo Apameam venit.ibi triduum statiuis habitis,tertiis rursus ab Apamea castris in Pamphyliam,quò pecuniam frumentúmque regios conuehere iusserat, peruenit. † M & D talenta argenti accepta Apameam deportantur. frumentum exercitui diuiditur.

† Valent 900000 coron.

Inde ad Pergam ducit:quæ vna in iis locis regio tenebatur præsidio. appropinquanti præfectus præsidii obuius fuit, XXX. dierum tempus petens,vt regem Antiochum de vrbe tradenda consuleret.dato tempore,ad eam diem præsidio decessum est. à Perga L.Manlio fratre cum IIII. millibus militum Oroanda ad reliquum pecuniæ ex eo quod pepigerant exigendum misso,ipse quia Eumenem regem & decem legatos ab Roma Ephesum venisse audierat, iussis sequi Antiochi legatis,Apameam exercitum reduxit.

Pacis cum Romanis & Antiocho leges.

Ibi ex X. legatorum sententia fœdus in hæc verba ferè cum Antiocho conscriptum est. Amicitia regi Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus esto. Ne quem exercitum qui cum populo Romano,sociisve bellum gesturus erit,rex per fines regni sui,eorúmve qui sub ditione eius erunt,transire sinito. neu commeatu, neu qua alia ope iuuato.idem Romani sociíque Antiocho,et iis qui sub imperio eius erunt,præstent.Belli gerendi ius Antiocho ne esto cum iis qui insulas colunt,néve in Europā transeundi.Excedito vrbibus,agris,vicis,castellis cis Taurum montem vsque ad Tanaim amnem, & à valle Tauri vsque ad iuga quà in Lycaoniam vergit.Ne qua arma efferto ex iis oppidis,agris, castellísque, quibus excedat.si qua extulit,quæ quóque oportebit,rectè restituito. Ne militem,neu quem alium ex regno Eumenis recipito.Si qui earum vrbium ciues quæ regno abscedunt,cum rege Antiocho,intráque fines eius regni sunt,Apameam omnes ante diem certam redeant.Qui ex regno Antiochi apud Romanos sociósque sunt,iis ius abeundi manendíque esto. Seruos,seu fugitiuos,seu bello captos,seu qui liber captus aut transfuga erit,reddito Romanis,sociísque. Elephantos tradito omnes,neque alios parato. Tradito & naues longas armamentáque earum:néve plures quàm decem naues actuarias, nulla quarum plus quàm XXX. remis agatur, habeto:néve † monerem ex belli causa, quod ipse illaturus erit. néve nauigato citra Calycadnum, néve Sarpedonem, promontoria:

† Ald. minorem.

extra quàm si qua nauis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites mercede A conducendi ex iis gentibus quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi ius ne esto: ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum sociorúmve quæ ædes ædificiáque intra fines regni Antiochi sunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorúmve sunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendíque ius item esto. Si quas vrbes quas tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præsidia deducito: vtique rectè tradantur, curato. Argenti probi XII. millia Attica talenta dato intra duodecim annos pensionibus æquis. talentum ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat. & tritici DXL. millia modiûm. Eumeni regi talenta CCCL. intra quinquennium dato: & pro frumento quod æstimatione fiat: talenta CXXVII. Obsides Romanis XX. dato: & triennio mutato, ne minores octonûmdenûm annorum, neu maiores quinûmquadragenûm. Si qui sociorum populi Romani vltro bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi ius esto: dum ne quam vrbem aut belli iure teneat, aut in amicitiam accipiat. cōtrouersias inter se iure ac iudicio disceptent: aut si vtriusque placebit, bello. De Annibale Pœno, & Aetolo Thoante, & Mnasimacho Acarnane, & Chalcidensibus, Eubulo & Philone dedendis, in hoc quoque fœdere asscriptum est: & si quid postea addi mutaríve placuisset, vt id saluo fœdere fieret. Consul iurauit in hoc fœdus: ab rege qui exigerent iusiurandum, profecti Q. Minutius Thermus, & L. Manlius: qui tum fortè ab Oroandis rediit. & Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat, scripsit, vt Patara extemplò proficisceretur: quæque ibi naues regiæ essent, concideret, cremarétque. Profectus ab Ephesò quinquaginta tectas naues aut concidit, aut incendit. Telmessum eadem expeditione, territis subito aduentu classis oppidanis recepit. Ex Lycia protinus, iussis ab Ephesò sequi qui ibi relicti erant, per insulas in Græciam traiecit. Athenis paucos moratus dies, dum Piræum ab Ephesò naues venirent, totam inde classem in Italiam reduxit. Cn. Manlius, cùm inter cætera quæ accipienda ab Antiocho erant elephantos quoque accepisset, donóque Eumeni omnes dedisset: deinde causas ciuitatum, multis inter nouas res turbatis, cognouit. Et Ariarates rex, parte dimidia pecuniæ imperatæ Eumenis beneficio, cui desponderat per eos dies filiam, remissa, in amicitiam est acceptus. Ciuitatum autem cognitis causis, decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. Quæ stipendiariæ regi Antiocho fuerant, & cum populo Romano senserant, iis immunitatem dederunt: quæ partium Antiochi fuerant, aut stipendiariæ Attali regis, eas omneis vectigal pendere Eumeni iusserunt. nominatim præterea Colophoniis qui in Notio habitant, & Cymæis & Milesiis immunitatem concesserunt. Clazomeniis super immunitatem & Drymusam insulam dono dederunt. & Milesiis, quem Sacrum appellant agrum restituerunt. & Iliensibus Rhœteum & Gergithum addiderunt, non tam ob recentia vlla merita, quàm B originum memoria. eadem & Dardanum liberandi causa fuit. Chios quoque & Smyrnæos & Erythræos pro singulari fide quam eo bello præstiterunt, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus & ager quem ante bellum habuerant, redditus: & vt legibus antiquis vterentur, permissum. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto erant. Lycia & Caria datæ vsque ad Mæandrum amnem, præter Telmessum. Regi Eumeni Chersonnesum in Europa, & Lysimachiam, castella, vicos, agros eius, quibus finibus tenuerat Antiochus, adiecerunt: in Asia Phrygiam vtranque: alteram ad Hellespontum, maiorem alteram vocant: & Mysiam, quam Prusias rex ademerat ei restituerunt: & Lycaoniam, & Myliada, & Lydiam, & nominatim vrbes, Tralleis, atque Ephesum & Telmissum. De Pamphylia disceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cùm esset, quia pars eius citra, pars vltra Taurum est: integra res ad senatum reiicitur. His fœderibus decretísque datis, Manlius cum decem legatis, omníque exercitu ad Hellespontum profectus, euocatis eò regulis Gallorum, leges quibus pacem cum Eumene seruarent, dixit: denuntiauítque, vt morem vagandi cum armis finirent, agrorúmque suorum terminis se continerent. Contractis deinde ex omni ora nauibus, & Eumenis etiam classe per Athenæum fratrem regis ab Elæa adducta, copias omneis in Europam traiecit. inde per Chersonnesum modicis itineribus graue præda omnis generis agmen trahens, Lysimachiæ statiua habuit: vt quam maximè recentibus & integris iumentis Thraciam, per quam iter vulgò horrebant, ingrederetur. Quo profectus est ab Lysimachia die ad amnem Melana, quem vocant: inde postero die Cypsela peruenit. à Cypselis via decē milliū ferè syluestris, angusta, cōfragosa excipiebat. propter cuius difficultatē itineris in duas partes diuisus exercitus. & præcedere vna iussa, altera magno interuallo cogere agmē, media impedimēta interposuit: plaustra cū pecunia publica erant, pretiosáque alia præda. Itaque cū per saltū iret, Thracū decē haud amplius millia ex quatuor populis, Astii & Cæni & Maduateni & Cœletæ ad ipsas angustias viā circumsederunt. Opinio erat, nō sine Philippi regis Macedonum fraude id factum. cum sciisse, non alia, quàm per Thraciam redituros Romanos, & quantā pecuniam secum portarent. In primo agmine imperator erat, solicitus propter iniquitatem locorum. Thraces nihil se mouerunt, donec armati transirent. posteaquam primos superasse angustias viderunt, postremos nondū appropinquantes, impedimenta & sarcinas inuadunt. cæsísque custodibus, partim ea quæ in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus iumenta abstrahere. Vnde posteaquam clamor primùm ad eos qui iam ingressi sal tum sequebantur, deinde etiam ad primum agmen est perlatus, vtrinque in medium concurritur, & inordinatum simul pluribus locis prælium conseritur. Thracas præda ipsa impeditos oneribus, & plerosque, vt ad rapiendum manus vacuas haberent, inermes ad cædem præbet: Romanos iniquitas locorum barbaris per calles notos occursantibus, & latentibus interdum per

cauas

Antiochi naues concisæ, aut incensæ.

Ariarates Cappadociū rex in amicitiā Po. Ro. recipitur.

Quid cuique ciuitati in Asia datum, aut ademptum.

Gallogræcis pacis leges à consule dicuntur.

Thracum decem millia Manlij exercitum in angustijs ad Cypsela adoriuntur.

A cauas valles, prodebat. ipsa etiam onera plaustráque, vt sors tulit, his aut illis incommodè obiecta pugnantibus impedimento sunt: alibi prædo, alibi prædæ vindex cadit. prout locus iniquus æquúsve his aut illis, prout animus pugnantium est, prout numerus (alii enim pluribus quàm ipsi erant, alii paucioribus occurrerant) varia pugnæ fortuna est: multi vtrinque cadunt. Iam nox appetebat, cùm prælio excedunt Thraces, non fuga vulnerum, aut mortis: sed quia satis prædæ habebant. Romanorum primum agmen extra saltum circa templum Mendidium castra loco aperto posuit. pars altera ad custodiam impedimentorum medio in saltu duplici circundata vallo mansit. postero die prius explorato saltu, quàm mouerent, primis se coniungunt. In eo prælio, cùm & impedimentorum pars & calonum, & milites aliquot, cùm passim toto propè saltu pugnaretur, cecidissent: plurimum Q. Minutii Thermi morte damni est acceptum, fortis ac strenui viri. Eo die ad Hebrum flumen peruentum est. inde Aeniorum fines præter Apollinis, Zerynthium quem vocant incolæ, templum superaut. Aliæ angustiæ circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen est) nec minus confragosæ, quàm priores. sed quia nihil syluestre circà est, ne latebras quidem ad insidiádum præbent. Huc ad eandem spem prædæ Thrausi, gens & ipsa Thracum, conuenere. sed quia nudæ valles, procul vt conspicerentur angustias obsidentes, efficiebant: minus terroris tumultúsque fuit apud Romanos. quippè etsi iniquo loco, prælio tamen iusto, acie aperta, collatis signis dimicandum erat. confertisubeuntes cum clamore impetu facto primùm expulere loco hostes, deinde auertêre. fuga inde cædésque suis ipsos impedientibus angustiis fieri cœpta est. Romani victores ad vicum Maronitarum (Saren appellant) posuerunt castra. postero die patenti itinere Prianticus campus eos excepit, triduúmque ibi frumentum accipientes manserunt, partim ex agris Maronitarum, conferentibus ipsis, partim ex nauibus suis, quæ cum omnis generis commeatu sequebantur. Ab statiuis diei via Apolloniam fuit. hinc per Abderitarum agrum Neapolim peruentum est. Hoc omne per Græcorum colonias pacatum iter fuit. reliquum inde per medios Thracas dies noctésque, & si non infestum, suspectum tamen, donec in Macedoniam peruenerunt. Mitiores Thracas idē exercitus, cùm à Scipione eadem via duceretur, habuerat, nullam ob aliam causam, quàm quod prædæ minus quod peteretur, fuerat. Quanquam tum quoque Claudius author est, ad quindecim millia Thracum præcedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidæ occurrisse. quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos. Mutinis filium per medios hosteis cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse. eundem mox cùm iam Mutines in medio elephantis collocatis, in cornua equitibus dispositis, manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo præbuisse: atque inde turbatos equestri velut procella hosteis ad peditum agmen non accessisse. Cn. Manlius per Macedoniam in

Thrausi angustias circa Tempyra obsidētes fugantur à Romanis.

Per medios Thracas Mālius in Macedoniam peruenit.

B Thessaliam exercitum traduxit. inde per Epirum Apolloniam cùm peruenisset, nondum adeò hyberno contempto mari, vt traiicere auderet, Apolloniæ hybernauit. Exitu propè anni M. Valerius Cos. ex Liguribus ad magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili in prouincia re gesta, vt ea probabilis moræ causa esset, quòd solito serius ad comitia venisset. Comitia Coss. rogandis fuerunt ad XII. Cal. Martias. creati M. Aemylius Lepidus, C. Flaminius. Postero die Prr. facti Ap. Claudius Pulcher, Ser. Sulpitius Galba, Q. Terētius Culleo, L. Terentius Massaliota, Q. Fulnins Flaccus, M. Furius Crassipes. Comitiis perfectis, quas prouincias prætoribus esse placeret, retulit ad senatum Cos. decreuerunt duas Romæ iuris dicundi causa, duas extra Italiam, Siciliam & Sardiniam: duas in Italia, Tarentum, & Galliam. & extemplò, priusquam inirent magistratum, sortiri iussi. Ser. Sulpitius vrbanam, Q. Terentius peregrinam est sortitus. L. Terentius Siciliam, Q. Fuluius Sardiniam, Ap. Claudius Tarentum, M. Fnrius Galliam. Eo anno L. Minutius Myrtilus, & L. Manlius, quòd legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, iussu M. Claudii Pr. vrb. per fœciales traditi sunt legatis, & Carthaginem auecti. In Liguribus magni belli, & gliscentis in dies magis fama erat. itaque Coss. nouis, quo die de prouinciis & de rep. retulerunt, senatus vtrique Ligures prouinciam decreuit. Huic s c Lepidus Cos. intercedebat, indignum esse prædicans, Coss. ambos in valles Ligurum includi. M. Fuluium & Cn. Manlium biennium iam, alterum in Europa, alterum in Asia, velut pro Philippo atque Antiocho substitutos regnare. si exercitus in his terris esse placeat, Coss. iis potius quàm priuatos præesse oportere. Vagari eos cum belli terrore per nationes, quibus bellum indictum non sit, pacem pretio venditantes. si eas prouincias exercitibus obtinere opus esset: sicut M. Acilio, L. Scipioni Coss. M. Fuluius & Cn. Manlius successissent consules: ita Fuluio Manlióque C. Liuium & M. Valerium Coss. debuisse succedere. nunc certè perfecto Aetolico bello, recepta ab Antiocho Asia, deuictis Gallis, aut Coss. ad exercitus consulares mitti, aut reportari legiones inde, reddíque tandem reip. debere. Senatus his auditis in sententia perseuerauit, vt Coss. ambobus Ligures prouincia esset: Manlium Fuluiúmque decedere de prouinciis, & exercitus inde deducere, ac redire Romam placuit. Inimicitiæ inter M. Fuluium & M. Aemylium Cos. erant, & supra cætera Aemylius serius biennio se Cos. factum M. Fuluii opera aiebat. itaque ad inuidiam ei faciendam legatos Ambracienses in senatum subornatos criminibus introduxit. Qui sibi, cùm in pace essent, imperatáque à prioribus Coss. fecissent, & eadem præstare obedienter M. Fuluio parati essent, bellum illatum questi. agros primùm depopulatos, terrorem direptionis & cædis vrbi iniectum, vt eo metu claudere cogerentur portas. obsessos deinde, & oppugnatos se, & omnia exempla belli edita in se, cædibus, incendiis, ruinis, direptione vrbis. coniuges, liberos in seruitium abstractos: bona adempta: &, quod se ante omnia moneat, templa tota vrbe spoliata ornamentis. simulachra deûm, deos imò ipsos conuulsos ex sedibus suis ablatos esse. parietes postésque nuda

Ligures ambobus coss. prouincia decernitur.

Ambracienses legati de M. Fuluio in Senatu queruntur.

nudatos, quos adorent, ad quos præcentur & supplicent, Ambraciensibus superesse. Hæc querentes A interrogando criminosè ex composito Cos. ad plura, velut non sua sponte dicenda, eliciebat. Motis patribus, alter Cos. C. Flaminius M. Fuluii causam excepit: qui veterem & obsoletam viam ingressos Ambracienses dixit. Sic M. Marcellum à Syracusanis, sic Q. Fuluium à Campanis accusatos. quin eadem opera T. Quintium à Philippo rege, M. Acilium, & L. Scipionem ab Antiocho, Cn. Manlium à Gallis, ipsum Fuluium ab Aetolis & Cephaleniæ populis accusari paterentur? Ambraciam oppugnatam & captam, & signa inde ornamentáque ablata, & cætera facta, quæ captis vrbibus soleant, negaturum aut me pro M. Fuluio, aut ipsum M. Fuluium censetis P. C.? qui ob has res gestas triumphum à vobis postulaturus sit? Ambraciam captam, signáque, quæ ablata criminantur, & cætera spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis? Nihil est, quòd se ab Aetolis separent. eadem Ambraciensium & Aetolorum causa est. Itaque collega meus vel in alia causa inimicitias exerceat: vel si in hac vtique mauult, retineat Ambracienses suos in aduentum M. Fuluii. ego nec de Ambraciensibus, nec de Aetolis decerni quicquam absente M. Fuluio patiar. Cùm Aemylius callidam malitiam inimici, velut omnibus notam, insimularet, & tempus eum morando extracturum diceret, ne consule inimico Romam veniret, certamine consulum biduum absumptum est. nec præsente Flaminio decerni quicquam videbatur posse. captata occasio est, cùm æger fortè Flaminius abesset. & referente Aemylio, S. C. factũ est, vt Ambraciensibus omnes suæ res redderentur: in libertate essent, ac legibus suis vterentur. portoria, quæ vellent, terra maríque caperent, dum eorum immunes Romani ac socii Latini nominis essent. signa aliáque ornamenta, quæ quererentur ex ædibus sacris sublata esse: de iis, cum M. Fuluius Romam reuertisset, placere ad collegium pontificum referri, & quod ii censuissent, fieri. Neque his contentus Cos. fuit, sed postea per infrequentiam adiecit S. C. Ambraciam non videri vi captam esse. Supplicatio inde ex decemuirorum decreto pro valetudine populi fuit per triduum: quia grauis pestilentia vrbem atque agros vastabat. Latinæ inde fuerunt. Quibus religionibus liberati Coss. & delectu perfecto (nouis enim vterque maluit vti militibus) in prouinciam profecti sunt: veteresque omnes dimiserunt. Post consulum profectionem Cn. Manlius procos. Romam venit. cui cùm ab Ser. Sulpitio Pr. senatus ad ædem Bellonæ datus esset: & ipse commemoratis rebus ab se gestis postulasset, vt ob eas diis immortalibus honos haberetur, sibique triumphanti vrbem inuehi liceret: contradixerunt pars maior decem legatorum, qui cum eo fuerant, & ante alios L. Furius Purpurio, & L. Aemylius Paulus. Legatos sese Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ causa, fœderísque & legum, quæ cum L. Scipione inchoatæ fuissent, perficiendarum. Cn. Manlium summa ope tetendisse, vt eam pacem turbaret: & Antiochum, si sui potestatem fecisset, insidiis exciperet. sed illum cognita fraude Cos. cùm sæpe colloquiis petitis captatus esset, non congressum modò, sed conspectum etiam eius vitasse. cupientem transire Taurum, ægrè omnium legatorum precibus, ne carminibus Sibyllæ prædictam superantibus terminos fatales cladem experiri vellet, retentum. admouisse tamen exercitum, & propè ipsis iugis ad diuortia aquarum castra posuisse. cùm nullam ibi causam belli inueniret, quiescentibus regiis, circumegisse exercitum ad Gallogræcos. cui nationi non ex senatus authoritate, non populi iussu bellum illatum, quod quem vnquam de sua sententia facere ausum? Antiochi, Philippi, Annibalis, & Pœnorum recentissima bella esse. de omnibus his consultum senatum populum iussisse. sæpe legatos antè missos, res repetitas: postremò qui bellum indicerent, missos. Quid eorum Cn. Manli factum est, vt istud publicum P R bellum, & non tuum priuatum latrocinium dicamus? At eo ipso contentus fuisti, recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes desumpseras. an per omneis anfractus viarum, cùm ad biuia consisteres, vt quò flexisset agmen Attalus Eumenis frater, eò Cos. mercenarius cum exercitu Romano sequereris, Pisidiæ Lycaoniæque & Phrygiæ recessus omnes atque angulos peragrasti, stipem à tyrannis castellanísque deuiis colligens? quid enim tibi cum Oroádis? quid cum aliis æquè innoxiis populis? Bellum autem ipsum, cuius nomine triumphum petis, quo modo gessisti? loco æquo, tempore tuo pugnasti? Tu verò rectè, vt diis immortalibus honos habeatur, postulas: primùm, quòd pro temeritate imperatoris nullo iure gentium bellum inferentis pœnas luere exercitum noluerunt: deinde, quòd belluas, non hostes nobis obiecerunt. Nolite nomen tantum existimare mistum esse Gallogræcorum: multò ante & corpora & animi misti ac vitiati sunt. an si illi Galli essent, cum quibus millies vario euentu in Italia pugnatum est, quantum in imperatore nostro fuit, nuntius illinc redisset? bis cum iis pugnatum est, bis loco iniquo subiit, in valle inferiore pedibus penè hostium aciem subiecit, vt si non tela ex superiore loco mitterent, sed corpora sua nuda inicerent, obruere nos potuerint. Quid igitur incidit? magna fortuna P R est, magnum & terribile nomen. recenti ruina Annibalis, Philippi, Antiochi, propè attonitæ erant tantæ corporum moles. fundis sagittísque in fugam consternatæ sunt. gladius in acie cruentatus non est Gallico bello: velut auium examina ad crepitum primum missilium auolauere. At Hercule nos iidem (admonente fortuna, quid, si hostem habuissemus, casurum fuisset) cùm redeuntes in latrunculos Thracas incidissemus, cæsi, fugati, exuti impedimentis sumus. Q. Minutius Thermus, in quo haud paulo plus damni factum est, quàm si Cn. Manlius, cuius temeritate ea clades inciderat, perisset: cùm multis viris fortibus cecidit. exercitus spolia regis Antiochi referens, trifariam dissipatus: alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vepres in latebris ferarum noctem vnam delituit. Pro his triumphus petitur? Si nihil in Thracia cladis ignominiæque foret acceptum, de quibus hostibus triumphum peteres? de iis, vt opinor, quos tibi hostes B

C. Flaminius Cons. Fuluij causam defendit.

Senatus cõs. pro Ambraciensibus factum aduersus Fuluium.

Pestilentia grauis.

Accusatur Cn. Manlius quod iniussu P. R. bellum gesserit.

sena

A senatus, aut P R dedisset. sic huic L. Scipioni, sic illi M. Acilio de rege Antiocho, sic paulo antè T. Quintio de rege Philippo, sic P. Africano de Annibale & Pœnis & Syphace triumphus datus. & minima illa, cùm iam senatus censuisset bellum, quæsita tamen sunt, quibus nuntiandum esset? ipsis vtique regibus nuntiaretur? an satis esset ad præsidium aliquod nuntiari? Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi? tolli fœcialia iura? nullos esse fœciales? fiat (pace deûm dixerim) iactura religionis: obliuio deorum capiat pectora vestra. num senatum quoque de bello consuli non placet? non ad populum ferri, velint, iubeántne cum Gallis bellum geri? Modò certè Coss. Græciam atque Asiam volebant. tamen perseuerantibus vobis Ligures prouinciam decernere, dicto audientes fuerunt. meritò ergo à vobis prosperè bello gesto triumphum petent, quibus authoribus gesserunt. Talis oratio Furii & Aemylii fuit. Manlium in hunc maximè modum respondisse accepimus. Trr. pl. antea solebant triumphum postulantibus aduersari P C. quibus ego gratiam habeo, quòd seu mihi, seu magnitudini rerum gestarum hoc dederunt, vt non solùm silentio comprobarent honorem meum, sed referre etiam, si opus esset, viderētur parati esse. ex decem legatis, si diis placet, quod consilium dispensandæ cohonestādæque victoriæ imperatoribus maiores dederunt nostri, aduersarios habeo. L. Furius, L. Aemylius currum triumphalem me conscendere prohibent, coronam insignem capiti detrahunt. quos ego, si tribuni me triumphare prohiberent, testes citaturus fui rerum à me gestarum. Nullius equidem inuideo honori, P C. vos tribunos plebei nuper, viros fortes ac strenuos, impedientes Q. Fabii Labeonis triumphum authoritate vestra deterruistis. triumphauit, quem nō bellum iniustum gessisse, sed hostem omnino non vidisse, inimici iactabant. ego, qui cum centum millibus ferocissimorum hostium signis collatis toties pugnaui: qui plus XL. millia hominum cepi aut occidi, qui bina castra eorum expugnaui, qui citra iuga Tauri omnia pacatiora, quàm terra Italia est, reliqui: non triumpho modò fraudor, sed causam apud vos P C. accusantibus meis ipse legatis dico. Duplex eorum, vt animaduertistis P C. accusatio fuit. nam nec gerendum mihi fuisse bellum cum Gallis, & gestum temerè atque imprudenter, dixerunt. non erant Galli hostes, sed tu eos pacatos imperata facientes violasti. Non sum postulaturus à vobis P C. vt quæ communiter de immanitate gentis Gallorum, de infestissimo odio in nomen Romanum scitis: ea de illis quoque, qui Asiam incolunt, existimetis Gallis. remota vniuersæ gentis infamia atque inuidia, per se ipsos æstimate. Vtinam rex Eumenes, vtinam Asiæ ciuitates omnes adessent, & illos potius querentes, quàm me accusantem audiretis. mittite agedū legatos circa omnes Asiæ vrbes, & quærite, vtra grauiori seruitute, Antiocho vltra Tauri iuga emoto, an Gallis subactis, liberati sint? quoties agri eorum vastati sint, quoties prædæ abactæ, referant: cùm vix redimendi captiuos copia esset, & mactatas humanas hostias immolatósque liberos suos auderent. Stipendium scitote pependisse socios vestros Gallis: & nunc liberatos per vos regio imperio, fuisse pensuros, si à me foret cessatum. quo longius Antiochus emotus esset, hoc impotentius in Asia Galli dominarentur: & quicquid est terrarum citra Tauri iuga, Gallorum imperio, non vestro adiecissetis. At enim sunt quidem ista vera. etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum, Galli spoliauerunt: nec ideo P R his bellum indixit, aut intulit. Equidem aliquid interesse rebar inter id tempus, quo nondum in iure ac ditione vestra Græcia atque Asia erat, ad curandū animaduertendúmque quid in his terris fieret: & hoc, quo finem imperii Romani Taurum montem statuistis, quo libertatem immunitatémve ciuitatibus datis, quo aliis fines adiicitis, alias agro mulctatis, aliis vectigal imponitis: regna augetis, minuitis, donatis, adimitis: curæ vestræ censetis esse, vt pacem terra maríque habeant. An nisi præsidia deduxisset Antiochus, quæ quieta in suis arcibus erant, non putaretis liberatam Asiam? si Gallorum exercitus effusi vagarentur, rata dona vestra, quæ dedistis regi Eumeni, rata libertas ciuitatibus esset? Sed quid ego hæc ita argumentor? tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos? Te L. Scipio appello, cuius ego mihi, succedens in vicem imperii tui, virtutem felicitatémque pariter non frustra ab diis immortalibus precatus sum: te P. Scipio, qui legati ius, collegæ maiestatem, & apud fratrem Cos. & apud exercitum habuisti: sciatísne in exercitu Antiochi Gallorum legiones fuisse? videritis in acie eos, in cornu vtroque (id enim roboris esse videbatur) locatos? pugnaueritis vt cum hostibus iustis? cæcideritis? spolia eorum retuleritis? Atqui cum Antiocho, non cum Gallis bellum his senatus decreuerat, & populus iusserat. Sed simul, vt opinor, cum his decreuerant iusserántque, qui inter eius præsidia fuissent. ex quibus præter Antiochum, cum quo pacem pepigerat Scipio: & cum quo nominatim fœdus vt fieret, mandaueratis: omnes hostes erant, qui pro Antiocho arma aduersus nos tulerunt. in qua causa cùm Galli ante omnes fuissent, & reguli quidam & tyranni: ego tamen & cum aliis pro dignitate imperii vestri coactis luere peccata sua, pacem pepigi: & Gallorum animos, si possent mitigari à feritate insita, tentaui: & posteaquam indomitos atque implacabiles cernebam, tum demum vi atque armis coercendos ratus sum. Nunc quoniam suscepti belli purgatum est crimen, gesti reddenda est ratio. in quo confiderem equidem causæ meæ, etiam si non apud Romanum, sed apud Carthaginiensem senatum agerem: vbi in crucem tolli imperatores dicuntur, si prospero euentu, prauo consilio rem gesserunt. Sed ego in ea ciuitate, quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerendísque deos adhibet, quia nullius calumniæ subiicit ea quæ dii comprobauerunt: & in solennibus verbis habet, cùm supplicationem aut triumphum decernit, quòd bene ac feliciter rempub. administrarit: si nollem, si graue ac superbum existimarem virtute gloriari: pro felicitate mea exercitúsque mei, quòd tantam nationem sine vlla militum iactura deuicimus, postularem, vt diis immortalibus honos

Manlij pro se oratio.

habe

A haberetur,& ipse triumphans iu Capitolium ascenderem,vnde votis ritè nuncupatis profectus sum: negaretis hoc mihi cum diis immortalibus?Iniquo enim loco dimicaui.Dic igitur,quo æquiore potuerim dimicare?cùm montem hostes cepissent?loco munito se tenerent?nempe eundum ad hostes erat,si vincere vellem.Quid?si vrbem eo loco haberent?& mœnibus se tenerent?uempe oppugnandi erant.Quid?ad Thermopylas æquóne lóco M.Acilius cum rege Antiocho pugnauit? Quid?Philippum non eodem modo super Aoum amnem iuga tenentem montium T.Quintius deiecit?Equidem adhuc qualem aut sibi fingant,aut vobis videri velint hostem fuisse,non inuenio.si degenerem & emollitum amœnitate Asiæ,quid periculi vel iniquo loco subeuntibus fuit?si timendum & feritate animorum & robore corporum,huícne tantæ victoriæ triumphum negatis? Cæca inuidia est P.C. nec quidquam aliud scit, quàm detrectare virtutes,corrumpere honores ac præmia earum. Mihi, quæso,ita ignoscatis P.C, si longiorem orationem non cupiditas gloriandi de me,sed necessaria criminum defensio fecit. An etiam per Thraciam saltus patentes,qui angusti erant,& plana ex arduis,& culta ex syluestribus facere potui?& præstare,necubi notis sibi latebris delitescerent latrones Thraces?ne quid sarcinarum raperetur?ne quod iumentum ex tanto agmine abstraheretur?ne quis vulneraretur?ne ex vulnere vir fortis ac strenuus Q.Minutius moreretur? In hoc casu, quo infeliciter incidit,vt talem ciuem amitteremus,hærent.quòd saltu iniquo,loco alieno cùm adortus hostis nos esset,duæ simul acies primi & nouissimi agminis hærentem ad impedimenta nostra exercitum barbarorum circumuenerunt:quòd multa millia ipso die,plura multo post dies paucos ceciderunt & ceperunt:hoc si ipsi tacuerint,vos scituros,cùm testis orationis meæ totus exercitus sit, non credunt.Si gladium in Asia non strinxissem,si hostem non vidissem:tamen procos.triumphum in Thracia duobus præliis merueram.Sed iam dictum satis est. quin pro eo,quòd pluribus verbis vos,quàm volui,fatigaui,veniam à vobis petitam impetratámque velim P.C. Plus crimina eo die, quàm defensio valuissent,ni altercationem in serum perduxissent.dimittitur senatus in ea opinione, vt negaturus triumphum fuisse videretur. Postero die & cognati amicíque Cn.Manlii summis opibus annixi sunt,& authoritas seniorum valuit,negantium exemplum proditum memoriæ esse,vt imperator,qui perduellibus deuictis,cófecta prouincia,exercitum reportasset,sine curru & laurea priuatus,inhonoratúsque vrbem iniret.hic pudor malignitatem vicit,triumphúmque frequentes decreuerunt.

Manlio triũphus decernitur.

P. Scipioni Africano dies à tribunis pl.dicitur.

Oppressit deinde mentionem memoriámque omnem contentionis huius maius,& cum maiore & clariore viro certamen ortum. P.Scipioni Africano (vt Valerius Antiâs author est) duo Q.Petilii diem dixerunt.id,prout cuiusque ingenium erat,interpretabantur. Alii non tribunos pl. sed vniuersam ciuitatem,quæ id pati posset,incusabant.duas maximas orbis terrarum vrbes ingratas vno propè tempore in principes inuentas, Romam ingratiorem.si quidem victa Carthago victum B Annibalem in exilium expulisset:Roma victrix victorem Africanum expellat. Alii , neminem vnum ciuem tantum eminere debere, vt legibus interrogari non possit.nihil tam æquandæ libertatis esse,quàm potentissimum quenque posse dicere causam.quid autem tutò cuiquam ,nedum summam reip.permitti,si ratio non sit reddenda?qui iús æquum pati non possit,in eum vim haud iniustam esse.Hæc agitata sermonibus,donec dies dicendæ causæ venit.nec alius antea quisquam, nec ille ipse Scipio Cos.censórve maiore omnis generis hominum frequentia,quàm reus illo die in forum est deductus.

Scipio Africanus de rebus à se gestis dicit,nõ aduersariorum criminibus respondet.

Iussus dicere causam, sine vlla criminum mentione orationem adeò magnificam de rebus ab se gestis est exorsus,vt satis constaret,neminem vnquam neque melius , neque verius laudatum esse.dicebantur enim ab eodem animo ingenióque,à quo gesta erant.& aurium fastidium aberat:quia pro periculo,non in gloriam referebantur. Trr. pl. vetera luxuriæ crimina Syracusanorum hybernorum,& Locris Pleminianum tumultum cùm ad fidem præsentium criminum retulissent,suspicionibus magis,quàm argumentis pecuniæ captæ reum accusarunt.Filium captum sine pretio redditum.omnibúsque aliis rebus Scipionem,tanquam in eius vnius manu pax Romana bellúmque esset,ab Antiocho cultum:dictatorem eum consuli, non legatum in prouincia fuisse.nec ad aliam rem eò profectum,quàm vt id quod Hispaniæ,Galliæ, Siciliæ,Africæ iampridem persuasum esset,hoc Græciæ Asiæque & omnibus ad orientem versis regibus gentibúsque appareret:vnum hominem caput columénque imperii Romani esse:sub vmbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latêre:nutus eius pro decretis patrum,pro populi iussis esse. Infamia intactum,inuidia qua possunt vrgent.Orationibus in noctem perductis,producta dies est.vbi ea venit, tribuni in Rostris prima luce consederunt.citatus reus magno agmine amicorum clientiúmque per mediam concionem ad Rostra subiit.silentióque facto:

Scipionis oratio,tanto imperatore digna.

Hoc,inquit,die tribuni pl.vósque Quirites,cum Annibale & Carthaginensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnaui. itaque cùm hodie litibus & iurgiis supersederi æquum sit , ego hinc extemplò in Capitolium ad Iouem OPT. MAX. Iunonémque & Mineruam,cæterósque deos,qui Capitolio atque arci præsident,salutandos ibo:hísque gratias agam,quòd mihi & hoc ipso die,& sæpe aliàs egregiè reip.gerendæ mentem facultatémque dederunt.vestrûm quoque quibus cómodum est,ite mecum Quirites:& orate deos, vt mei similes principes habeatis:ita si ab annis septemdecim ad senectutẽ semper vos ætatẽ meam honoribus vestris anteistis,ego vestros honores rebus gerendis præcessi.Ab Rostris in Capitolium ascendit.simul se vniuersa concio auértit,& secuta Scipionem est:adeò,vt postremò scribæ viatorésque tribunos relinquerent:nec cum iis præter seruilem comitatum,& præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modò, sed per totam vrbem omnia templa deûm cum P.R. circumiit. Celebratior is propè dies fauore hominum, & æstimatione veræ ma-

A gnitudinis eius fuit, quàm quo triumphans de Syphace rege & Carthaginiensibus vrbē est inuectus. Hic speciosus vltimus dies P. Scipioni illuxit. post quē, cùm inuidiam & certamina cū tribunis prospiceret: die longiore producta, in Literninum concessit, certo consilio ne ad causam dicendam adesset. maior animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quàm vt reus esse sciret, & summittere se in humilitatem causam dicentium. Vbi dies venit, citaríque absens est cœptus, L. Scipio morbum causæ esse cur abesset, excusabat. quam excusationem cùm tribuni qui diem dixerant, non acciperent: & ab eadem superbia non venire ad causam dicendam arguerent, qua iudicium & tribunos pl. & concionem reliquisset: & quibus ius de se dicendæ sententiæ & libertatem ademisset, his comitatus, velut captos trahens, triumphum de P R egisset: secessionémque eo die in Capitolium à Trr. pl. fecisset: Habetis ergo temeritatis illius mercedem. quo duce & authore nos reliquistis, ab eo ipsi relicti estis. & tantum animorum indies nobis decrescit, vt ad quem antè annis XVII. exercitum & classem habentem tribunos plebis ædilémque in Siciliam mittere ausi sumus, qui prehenderent eum, & Romam reducerent: ad eum priuatum ex villa sua extrahendum ad causam dicendam mittere non audeamus? Tribuni pl. appellati ab L. Scipione ita decreuerunt, si morbi causa excusaretur, sibi placere accipi eam causam, diémque à collegis produci. Tribunus pl. eo tempore Tib. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiæ cum P. Scipiune intercedebant. is, cùm vetuisset nomen suum decreto collegarum ascribi, tristiorémque omnes sententiam expectarent, ita decreuit. Cùm L. Scipio excuset morbum esse causæ fratri, satis id sibi videri. se P. Scipionem, priusquam Romam redisset, accusari non passurum. tum quoque, si se appellet, auxilio ei futurum ne causam dicat. ad id fastigium rebus gestis, honoribus P R P. Scipionem deorum hominúmque consensu peruenisse, vt sub Rostris reum stare, & præbere aures adolescentium conuiciis, populo Romano magis deforme, quàm ipsi sit. Adiecit decreto indignationem. Sub pedibus vestris stabit, tribuni, domitor ille Africæ Scipio? ideo quatuor nobilissimos duces Pœnorum in Hispania, quatuor exercitus fudit, fugauitque: ideo Syphacem cepit, Annibalem deuicit, Carthaginem vectigalem nobis fecit, Antiochum (recepit enim fratrem consortem huius gloriæ L. Scipio) vltra Tauri iuga emouit, vt duobus Petiliis succumberet? vos de P. Africano palmam peteretis? nullísne meritis suis, nullis vestris honoribus vnquam in arcem tutam, & velut sanctam clari viri peruenient: vbi si non venerabilis, inuiolata saltem senectus eorum considat? Mouit & decretum, & adiecta oratio non cæteros modò, sed ipsos etiam accusatores: & deliberaturos se quid sui iuris & officii esset, dixerunt. Senatus deinde, concilio plebis dimisso, haberi est cœptus. ibi gratiæ ingentes ab vniuerso ordine, præcipuè à consularibus senioribúsque Tib. Graccho actæ sunt, quòd remp. priuatis simultatibus potiorem habuisset. &

Scipio in Literninum cōcessit.

Tib. Sempronij Gracchi tribuni pl. decretum de Scipione.

B Petilii vexati sunt probris, quòd splendere aliena inuidia voluissent, & spolia ex Africani triumpho peterent. Silentium deinde de Africano fuit. vitam Literni egit, sine desiderio vrbis. Morientem rure eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt, monumentúmque ibi ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret. Vir memorabilis, bellicis tamen quàm pacis artibus memorabilior prima pars vitæ, quàm postrema fuit: quia in iuuenta bella assiduè gesta, cum senecta res quoque defloruere, nec præbita est materia ingenio. quid ad primum consulatum secundus, etiam si censuram adiicias? quid Asiatica legatio & valetudine aduersa inutilis, & filii casu deformata, & post reditum necessitate aut subeundi iudicii, aut simul cum patria deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum neque maius neque periculosius Romani gessere, vnus præcipuam gloriam tulit. Morte Africani creuere inimicorum animi. quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui viuo quoque eo allatrare eius magnitudinem solitus erat. hoc authore existimantur Petilii & viuo Africano rem ingressi, & mortuo rogationem promulgasse. Fuit autem rogatio talis. Velitis, iubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, quíque sub eius imperio fuerunt: quod eius in publicum relatum non est, vti de ea re Ser. Sulpitius Pr. vrbanus ad senatum referat? quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores nunc sunt? Huic rogationi primò Q. & L. Nummii intercedebant. senatum quærere de pecunia non relata in publicum, ita vt antea semper factum esset, æquum censebant. Petilii nobilitatem & regnum in senatu Scipionum accusabant. L. Furius Purpurio consularis, qui in decem legatis in Asia fuerat, latius rogandum censebat: non quæ ab Antiocho modò pecuniæ captæ forent, sed quæ ab aliis regibus gentibúsque: Cn. Manlium inimicum incessens. Et L. Scipio, quē magis pro se quàm aduersus legem dicturum apparebat, dissuasor processit. is post mortem P. Africani fratris, viri omnium fortissimi clarissimíque eam exortam rogationem est conquestus. parum enim fuisse, non laudari pro Rostris P. Africanum post mortem, nisi etiam accusaretur. & Carthaginienses exilio Annibalis contentos esse, populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exatiari: nisi & ipsius fama sepulti laceretur, & frater insuper accessione inuidiæ mactetur. M. Cato suasit rogationem. extat oratio eius de pecunia regis Antiochi: & Nummios tribunos authoritate deterruit, ne aduersarentur rogationi. Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus vti rogasset, iusserunt. Ser. Sulpitio deinde referente, quem rogatione Petilia quærere vellent, Q. Terentium Culleonem patres iusserunt. Ad hunc prætorem adeò amicum Corneliæ familiæ, vt qui Romæ mortuum elatúmque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse, memoriæ prodiderint: & ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse, quòd ab eo inter alios captiuos in Africana ex hostibus receptus esset: aut adeò inimicum eundem, vt propter insignem simultatem ab ea factione quæ aduersa Scipionibus erat, delectus sit potissimum ad quæstionem exercendam: cæterùm ad hunc

Africanus Literni moritur ac sepelitur.

M. Porcius Cato Africani inimicus.

nimis

L. Scipio peculatus damnatur.

† Valent 672600 coron. *† 4800 coron.* *† 8960 coron.* *† 4030 coron.* *† 14560 coron.* *† 2000 coron.*

nimis æquum aut iniquum prætorem reus extemplò factus L.Scipio:simul & delata & recepta no- A
mina legatorum eius,A.& L.Hostiliorum Catonum,& C. Furii Aculeonis quæstoris:& vt omnia contacta societate peculatus viderentur,scribæ quoque duo & accensus. L.Hostilius, & scribæ & accensus,priusquam de Scipione iudicium fieret,absoluti sunt:Scipio & A. Hostilius legatus,& C. Furius damnati:quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem † v i millia pondo auri, † quadringẽta octoginta argenti plus accepisse,quàm in ærarium retulerit:A.Hostilium † L x x x. pondo auri, † argenti c c c c i i i.Furium quæstorem † auri centum x x x. † argenti c c. pondo. Has ego summas auri & argenti relatas apud Antiatem inueni.In L.Scipione malim equidem librarii mendum,quàm mendacium scriptoris esse,in summa auri atque argenti.similius enim veri est, argenti quàm auri maius pondus fuisse:& potius † quadragies,quàm ducenties quadragies litem æstimatam:eo magis,quòd tantæ summæ rationem etiam ab ipso P.Scipione requisitam esse in senatu tradunt:librúmque rationis eius cùm Lucium fratrem afferre iussisset,inspectante senatu suis ipsum manibus concerpsisse,indignantem quòd cùm bis millies in ærarium intulisset,quadragies ratio ab se posceretur.ab eadem fiducia animi,cùm quæstores pecuniam ex ærario contra legem promere non auderent:poposcisse claues,& se aperturum ærarium dixisse,qui vt clauderetur effecisset. Multa alia in Scipionis exitu maximè vitæ,diéque dicta,morte,funere,sepulchro in diuersum trahunt:vt cui famæ,quibus scriptis assentiar,non habeam.non de accusatore conuenit.alii M. Næuium,alii Petilios diem dixisse scribunt.non de tempore,quo dicta dies sit:non de anno,quo mortuus sit:non vbi mortuus,aut elatus sit.alii Romæ,alii Literni & mortuum & sepultum.vtrobique monumenta ostenduntur,& statuæ.nam & Literni monumentum,monumentóque statua superimposita fuit:quam tempestate disiectam nuper vidimus ipsi.& Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumẽto tres statuæ sunt:quarum duæ P.& L.Scipionum dicuntur esse:tertia poetæ Q.Ennii.Nec inter scriptores rerum discrepat solùm,sed orationes quoque (si modò ipsorum sunt, quæ feruntur, P. Scipionis & Tib.Gracchi) abhorrent inter se.Index orationis P.Scipionis , nomen M.Næuii Tr.pl. habet:*ipsa* oratio sine nomine est accusatoris:nebulonem modò,modò nugatorem appellat. Ne Gracchi quidem ratio aut Petiliorum accusatorum Africani,aut diei dictæ Africano vllam mentionem habet, alia tota ferenda fabula est Gracchi orationi conueniens:& illi authores sequendi sunt, qui,cùm L. Scipio & accusatus & damnatus sit pecuniæ captæ ab rege,legatum in Hetruria fuisse Africanum tradunt.quò post famam de fratris casu allatam,relicta legatione cucurrisse eum Romam:& cùm à porta rectà ad forum se contulisset,quòd in vincula duci fratrem dictum erat, repulisse à corpore eius viatorem,& tribunis retinentibus magis piè quàm ciuiliter vim fecisse. hæc enim ipsa Gracchus queritur,dissolutam esse à priuato tribunitiam potestatem.& ad postremũ,cùm auxilium L.Scipioni polliceretur,adiicit,tolerabilioris exempli esse à Tr.pl.potius,quàm à priuato victam videri & tribunitiam potestatem & remp.esse:sed ita hanc vnam impotentem eius iniuriam inuidia onerat,vt increpando quod degenerarit tantum à se ipse,cumulatas ei veteres laudes moderationis & temperantiæ pro reprehensione præsenti reddat. castigatum enim quondam ab eo populum ait, quòd eum perpetuum consulem & dictatorem vellet facere. prohibuisse statuas sibi in comitio,in rostris,in curia,in Capitolio,in cella Iouis poni.prohibuisse ne decerneretur,vt imago sua triumphali ornatu è templo Iouis Opt.Max.exiret.Hæc vel in laudatione posita, ingentem magnitudinem animi moderandis ad ciuilem habitum honoribus significarent:quæ exprobrando inimicus fatetur.Huic Graccho minorem ex duabus filiis (nam maior P.Cornelio Nasicæ haud dubiè à patre collocata erat) nuptam fuisse conuenit.Illud parum constat,vtrum post mortem patris & desponsa sit, & nupserit:an veræ illæ opiniones sint,Gracchum,cùm L.Scipio in vincula duceretur, nec quisquã collegarum auxilio esset,iurasse sibi inimicitias cum Scipionibus,quæ fuissent,manere,nec se gratiæ quærendæ causa quicquam facere,sed in quem carcerem reges & imperatores hostium ducentem vidisset P.Africanum,in eum se fratrem eius duci,non passurum.senatum eo die fortè cœnantem in Capitolio consurrexisse,& petisse, vt inter epulas Graccho filiam Africanus desponderet. quibus ita inter publicum solenne sponsalibus ritè factis,cùm se domum recepisset, Scipionem Aemyliæ vxori dixisse:filiam se minorem despondisse.cùm illa muliebriter indignabunda nihil de communi filia secum consultatum,adiecisset:non si Tib. Graccho daret, expertem consilii debuisse matrem esse:lætum Scipionem tam concordi iudicio,ipsi desponsam respondisse. Hæc de tanto viro,quanquam & opinionibus & monumentis literarum variarent,proponenda erant.Iudiciis à Q.Terẽtio Pr.perfectis,Hostilius & Furius damnati,prædes eodem die quæstoribus vrbanis dederunt. Scipio cùm contenderet,omnem quam accepisset pecuniam,in ærario esse:nec se quicquam publici habere,in vincula duci est cœptus.P.Scipio Nasica tribunos appellauit:orationémque habuit plenam veris decoribus,non communiter modò Corneliæ gentis,sed propriè familiæ suæ. Parentes suos & P. Africani ac L.Scipionis,qui in carcerẽ duceretur,fuisse Cn.& P.Scipiones, clarissimos viros.eos, cùm per aliquot annos in terra Hispania aduersus multos Pœnorum Hispanorúmque & duces & exercitus nominis Romani famam auxissent,non bello solùm,sed quod Romanæ temperãtiæ fideique specimen illis gentibus dedissent,& ad extremum ambos pro P R morte occubuisse, cùm illorum tueri gloriam posteris satis esset:P.Africanum tantum paternas superauisse laudes,vt fidem fecerit,non sanguine humano,sed stirpe diuina satum se esse,L.Scipionem,de quo agatur:vt quæ in Hispania,quæ in Africa,cùm legatus fratris esset,gessisset,prætereantur:consulem & ab senatu dignum visum,cui extra sortem Asia prouincia,& bellum cum Antiocho rege decerneretur:& à fratre,cu

post

† Quadragies sestertiûm fac. coro. 100000 *Ducenties quadragies fac. corona. 800000* *Bis millies sestertiûm fac. corona. 5000000*

Variant de Africani morte scriptores.

P. Scipionis Nasicæ pro Africano & Asiatico Scipionibus oratio.

A post duos consulatus censuramque & triumphum legatus in Asiam iret, ibi ne magnitudo & splendor legati laudibus c o s. officeret: fortè ita incidisse, vt quo die ad Magnesiam signis collatis L. Scipio Antiochum deuicisset, æger P. Scipio Elææ dierum aliquot via abesset. non fuisse minorem eum exercitum, quàm Annibalis, cum quo in Africa esset pugnatum. Annibalem eundem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit. & bellum quidem ita gestum esse, vt ne fortunam quidem quisquam criminari posit. in pace crimen quæri: eam dici venisse. hic decem legatos simul argui, quorum ex consilio data pax esset. quin extitisse ex decem legatis, qui Cn. Manlium accusarent: tamen non modò ad criminis fidem, sed ne ad moram quidem triumphi eam accusationem valuisse. At Hercule in Scipione ipsas leges pacis, vt nimium accommodatas Antiocho, suspectas esse. integrum enim ei regnum relictum: omnia possidere eum victum, quæ ante bellum eius fuerint. auri & argenti cùm vi magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in priuatum versum. An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in vnum conferatur, sit latum? Nam quid de finibus regni dicam? Asiam omnem, & proxima Europæ tenuisse Antiochum: ea quanta regio orbis terrarum sit, à Tauro monte in Aegeum vsque prominens mare: quot non vrbes modò, sed gentes amplectatur, omnes scire. hanc regionem dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem, vsque ad Tauri montis iuga Antiocho ademptam, expulso in vltimum angulum orbis terrarum. Quid, si gratuita pax esset, plus adimi ei potuisse? Philippo victo Macedoniam, Nabidi, Lacedæmonem relictam: nec Quintio crimen quæsitum. non enim habuisse eum Africanum fratrem: cuius cùm gloria prodesse L. Scipioni debuisset, inuidiam nocuisse. tantum auri argentique iudicatum esse in domum L. Scipionis illatum, quantum venditis omnibus bonis redigi non posset. vbi ergo esse regium aurum? vbi tot hæreditates acceptas? in domo, quam sumptus non exhauserint, extare debuisse nouæ fortunæ cumulum. At enim quod ex bonis redigi non posit, ex corpore & tergo per vexationem & contumelias L. Scipionis petituros inimicos: vt in carcere inter fures nocturnos & latrones vir clarissimus includatur, & in robore & tenebris expiret: deinde nudus aute carcerem proiiciatur. non id Corneliæ magis familiæ, quàm vrbi Romanæ fore erubescendum. Aduersus ea Terentius Prætor rogationem Petiliam, & senatusconsultum, & iudicium de L. Scipione factum recitauit. se, ni referatur pecunia in publicum, quæ iudicata sit nihil habere quod faciat, nisi vt reprehendi damnatum, & in vincula duci iubeat. Tribuni cùm in consilium secessissent, paulo pòst C. Fannius ex sua collegarúmque aliorum, præter Gracchum, sententia pronuntiauit, prætori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate vtatur. Tib. Gracchus ita decreuit. Quo minus

Tib. Gracchi de L. Scipione decretum.

B ex bonis L. Scipionis quod iudicatum sit, redigatur, se non intercedere prætori. L. Scipionem, qui regem opulentissimum orbis terrarum deuicerit, imperium populi Romani propagauerit in vltimos terrarum fines: regem Eumenem, Rhodios, alias tot vrbes Asiæ deuinxerit populi Romani beneficiis, plurimos duces hostium in triumpho ductos carcere incluserit, non passurum inter hostes populi Romani L. Scipionem in carcere & in vinculis esse, mittique eum se iubere. Tanto assensu auditum est decretum, adeò dimissum L. Scipionem læti homines viderunt, vt vix in eadem ciuitate videretur factum iudicium. In bona deinde L. Scipionis possessum publicè quæstor: s prætor misit. neque in iis non modò vestigium vllum comparuit pecuniæ regiæ, sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat. Collata pecunia à cognatis amicisque & clientibus est L. Scipioni, vt si acciperet eam, locupletior aliquanto esset, quàm ante calamitatem fuerat. nihil accepit: quæ necessaria ad cultum erant, redempta ei à proximis cognatis sunt. verteràtque Scipionum inuidia in prætorem, & consilium eius, & accusatores.

DECADIS QVARTAE LIBER NONVS.

Aemylius Cos. Liguribus subactis, uiam à Placentia usque Ariminum perductam. Flaminiæ iunxit. Initia luxuriæ introducta ab exercitu Asiatico referuntur. Ligures, quicunque citra Apenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia sacrum Græcum, & quidem nocturnum, scelerum omnium maximum seminarium, cùm ad ingentis turbæ coniurationem peruenisset: à consule inuestigatum, & multorum pœna sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone, uir & belli & pacis artibus maximus motus est senatu, L. Quintius Flamininus, T. Quintij frater, eo quòd cùm Galliam prouinciam Cos. obtinuerat, rogatus à Philippo Pœno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat: siue, ut quidam tradiderunt, unum damnatorum securi percusserat, rogatus à meretrice Placentina, cuius amore deperibat. Extat in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni decessit. Et, tanquam ingente fortuna circa id tempus duo funera maximorum uirorum. Annibal à Prusia Bithyniæ rege, ad quem uicto Antiocho cõfugerat, cùm dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quintium Flamininum miserant, ueneno sibi mortem consciuit. Philopœmenes quoque, dux Achæorum, uir maximus, est à Messenijs interemptus ueneno, cùm ab ijs bello captus esset. Coloniæ, Pollentia & Pisaurum, & Mutina & Parma deductæ sunt. Præterea res aduersum Celtiberos prosperè gestas, & initia causasq; belli Macedonici continet. cuius origo inde uenit, quòd Philippus ægrè ferebat regnum suum minui à Romanis, eo quòd cogeretur à Thracibus, alijsq; locis præsidia deducere.

Quid differret Ligur hostis ab Asiatico.



DVM hæc (si modò hoc anno acta sunt) Romæ aguntur, COSS. ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum interualla bellorum Romanis militarem disciplinam erat: nec alia prouincia militem magis ad virtutem acuebat. nam Asia & amœnitate vrbium, & copia terrestrium maritimarúmque rerum, & mollitia hostium, regiísque opibus ditiores, quàm fortiores exercitus faciebat. præcipuè sub imperio Cn. Manlii solutè ac negligēter habiti sunt. itaque asperius paulo iter in Thracia, & exercitatior hostis magna clade eos castigauit. in Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent: loca montana & aspera, quæ & ipsis capere labor erat, & ex præoccupatis deiicere hostem: itinera ardua, angusta, infesta insidiis: hostis leuis, & velox, & repentinus, qui nullum vsquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret: oppugnatio necessaria munitorum castellorum. laboriosa simul, periculosáque: inops regio, quæ parsimonia astringeret milites, prædæ haud multum præberet. Itaque non lixa sequebatur, non iumentorum longus ordo agmen extendebat. nihil, præter arma & viros omnem spem in armis habentes, erat. nec deerat vnquam cum iis vel materia belli, vel causa: quia propter domesticam inopiam vicinos agros incursabant: nec tamen in discrimen summæ rerum pugnabatur. A

C. Flaminius Cos. Ligures in deditionē accepit.

C. Flaminius COS. cum Friniatibus Liguribus in agro eorum pluribus præliis secundis factis, in deditionem gentem accepit, & arma ademit: & quia non syncera fide tradebant, cùm castigarentur, relictis vicis in montem Auginum confugerunt. confestim secutus est COS. Cæterùm effusi rursus, & pars maxima inermes per inuia & rupes diruptas præcipitantes fugerunt, quà sequi hostis non posset, ita trans Apenninum abierunt, qui castris se tenuerant, circumsessi & expugnati sunt. Inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, altitudine paulisper se tutati, mox in deditionem concesserunt. tum conquisita cum intentiore cura arma, & omnia adempta.

Apuanos Ligures perdomuit Flaminius Cos.

Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum Bononiensémque ita incursauerant, vt coli non possent. His quoque perdomitis COS. pacem dedit finitimis. & quia à bello quieta vt esset prouincia, effecerat: ne in otio militem haberet, viam à Bononia perduxit Arretium. M. Aemylius alter COS. agros Ligurum, vicósque. qui in campis aut vallibus erant: ipsis montes duos, Ballistam Suismontiúmque tenentibus, deussit, depopulatúsque est. deinde eos qui in montibus erant adortus, primò leuibus præliis fatigauit: postremò coactos in aciem descendere, iusto prælio deuicit, in quo & ædem Dianæ vouit.

Ligures, quos non adierat Flaminius Cos. omnes subegit Aemylius Cos.

Subactis cis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus (in his & Frisinates Ligures erant, quos non adierat C. Flaminius) omnes Aemylius subegit, armáque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit. viámque ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. prælio vltimo, quo B
cum Liguribus signis collatis conflixit, ædem Iunoni reginæ vouit. Hæc in Liguribus eo anno gesta. In Gallia M. Furius Prætor insontibus Cenomanis, in pace speciem belli quærens, ademerat arma. id Cenomani conquesti Romæ apud senatum, reiectíque ad COS. Aemylium, cui vt cognosceret statuerétque senatus permiserat, magno certamine cum prætore habito, tenuerunt causam. arma reddita Cenomanis, decedere è prouincia Prætor iussus. Legatis deinde sociorum Latini nominis, qui toto vndique ex Latio frequentes conuenerant, senatus datus est. his querentibus magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, & ibi censos esse, Q. Terentio Culleoni Prætori, negotium datum est, vt eos conquireret, & quem C. Claudio M. Liuio censoribus, póstve eos censores, ipsum parentémve eius apud se censum esse probassent socii, vt redire eò cogeret, vbi censi essent. Hac conquisitione duodecim millia Latinorum domos redierunt, iam tum multitudine alienigenarum vrbem onerante.

M. Fuluius procos. triumphum sibi decerni postulat.

Priusquam COSS. redirent Romam, M. Fuluius proconsul, ex Aetolia rediit. isque ad ædem Apollinis in senatu cùm de rebus in Aetolia Cephaleniáq; ab se gestis disseruisset, petiit à patribus, vt æquum censerent ob Rempublicam bene ac feliciter gestam, & diis immortalibus honorem haberi iubere, & sibi triumphum decernere. M. Aburius Tribunus plebis, si quid de ea re ante M. Aemylii COS. aduentum decerneretur, intercessurum se ostendit. eum contradicere velle, proficiscentémque in prouinciam ita sibi mandasse, vt ea disceptatio integra in aduentum suum seruaretur. Fuluium temporis iacturam facere. senatum etiam præsente COS. quod vellet, decreturum. M. Fuluius: Si aut simultas M. Aemylii: secum ignota hominibus esset, aut quàm is eas inimicitias impotenti ac propè regia ira exerceret: tamen non fuisse ferendum, absentem COS. & deorum immortalium honori obstare, & meritum debitúmque triumphum morari: imperatorem rebus egregiè gestis, victorémque exercitū cum præda ac captiuis ante portas stare, donec COS. ob hoc ipsum moranti redire Romam libitum esset. Verum enimuero cùm sint notissimæ sibi cum COS. inimicitiæ, quid ab eo quenquam posse æqui expectare? qui per infrequentiam furtim Senatusconsultū factum ad ærarium detulerit: Ambraciam non videri vi captam, quæ aggere ac vineis oppugnata sit, vbi incensis operibus alia deintegro facta sint, vbi circa muros supra subtérque terram per dies quindecim pugnatum: vbi à prima luce, cùm iam transcendisset muros miles, vsque ad noctem diu anceps prælium tenuerit: vbi plus tria millia hostium sint cæsa. Iam de deorum immortalium templis spoliatis in capta vrbe, qualem calumniam ad pontifices attulerit? nisi Syracusarum cæterarúmque captarum ciuitatum ornamentis vrbem exornari fas fuerit, in Ambraciam vnam captam non valuerit belli ius.

Tiber. Grachi pro Fuluio proconsule oratio.

se & Patres conscriptos orare, & à tribunis petere, ne se superbissimo inimico ludibrio esse sinant. Vndique omnes alii deprecari tribunum, alii castigare. Tib. Gracchi collegæ plurimum oratio mouit. Ne suas quidem simultates pro magistratu exercere boni exempli esse. alienarum verò

simult

A simultatum Tribunis plebis cognitorem fieri, turpe & indignum collegii eius potestate & sacratis legibus esse. suo quenque iudicio & homines odisse, aut diligere, & res probare aut improbare debere: non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi, astipularíque irato consuli tribunnm plebis, & quid priuatim M. Aemylius mandauerit, meminisse, tribunatum sibi à populo Romano mandatum obliuisci, & mandatum pro auxilio ac libertate priuatorum, non pro consulari regno. ne hoc quidem cernere eum, fore vt memoriæ ac posteritati mandetur, eiusdem collegii alterum è duobus Tribunis plebis suas inimicitias remisisse Reipublicæ, alterum alienas & mandatas exercuisse. His victus castigationibus tribunus, cùm templo excessisset, referente Ser. Sulpitio Prætore triumphus M. Fnluio est decretus. Is cùm gratias Patribus cõscriptis egisset, adiecit, ludos magnos se Ioui Optimo maximo eo die, quo Ambraciam cepisset, vouisse. in eam rem sibi † centum pondo auri à ciuitatibns collatum. petere vt ex ea pecunia quam in triumpho latam in ærario positurus esset, id aurum secerni iuberent. Senatus pontificum collegium consuli iussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset? cùm pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret: senatus Fuluio, quantum vellet impenderet, permisit, dnm ne summam octoginta millium excederet. Triumphare mense Ianuario statuerat. sed cùm audisset COS. Aemylium literis Aburii Tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum quàm in bello haberet, prætulit triumphi diem. Triumphauit ad X Cal. Ianuarias de Aetolis, & de Cephalenia. Aureæ coronæ centum XII pondo ante currum latæ sunt: † argenti pondo millia LXXXIII: † auri pondo CCXLIII: † tetradrachma Attica CXVIII millia: † Philippei nummi XII millia CCCCXXII. signa ænea CCLXXXV: signa marmorea CCXXX. arma, tela, cætera spolia hostium magnus nnmerus. ad hæc catapultæ, balistæ, tormenta omnis generis: duces aut Aetoli & Cephalenes, aut regii ab Antiocho ibi relicti ad septem & viginti. Multos eo die, priusquam in vrbem inueheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Romanos sociósque donis militaribus donauit: militibus ex præda vicenos quinos denarios diuisit: dnplex centurioni: triplex equiti. Iam consularium comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Aemylius, cuius sortis ea cura erat, occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit. ab eo creati COSS. Sp. Posthumius Albinus, Q. Martius Philippus. prætores inde facti T. Mænius, P. Cornelius Sulla, C. Calpurnius Piso, M. Licinius Lucullus, C. Aurelius Scaurus, L. Quintius Crispinus.

†11200 coron.

M. Fuluij triumphus.

† 830000 coron.

† 27216 coron.

† 47200 coron.

† 37266 coron.

Extremo anni magistratibus iam creatis, ad tertium nonas Martias Cn. Manlius Volso de Gallis, qui Asiam incolunt, triũphauit. serius ei triumphandi causa fuit, ne Q. Terentio Culleone Prætore causam lege Petilia diceret, & incendio alieni iudicii, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret: eo infensio-
B ribus in se quàm in illum iudicibus, quòd disciplinam militarem seuerè ab eo conseruatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat. neqne ea sola infamiæ erant, quæ in prouincia procul ab oculis facta narrabantur: sed etiam magis, quæ in militibus eius quotidie cõspiciebantur. Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico inuecta in vrbem est. ii primùm lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam aduexerunt. tunc psaltriæ sambucistriæque & cõuiualia ludionum oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ & cura, & sumptu maiore apparari cœptæ. tum coquus, vilissimũ antiqnis mancipium & æstimatione & vsu, in pretio esse: & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. vix tamen illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ lnxuriæ. In triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas CC duodecim pondo: † argẽti pondo CCX millia: † auri põdo MMCII: † tetradrachmûm Atticûm CXXVII millia, † cistophorûm CCL: † Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia CCCXX. & arma spoliáque multa Gallica, carpentis transuecta. duces hostium duo & quinquaginta ducti ante currum. Militibns quadragenos binos denarios diuisit, duplex centurioni. & stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. Multi omnium ordinum donati militaribus donis, currum secuti sunt. carmináque à militibus ea in imperatorem dicta, vt facilè appareret, in ducem indulgentem ambitiosúmque ea dici: triumphum esse militari magis fauore, quàm populari celebrem. Sed ad populi qnoq; gratiam cõciliandam amici Manlii valuerunt. quibus annitentibus Senatusconsultũ factum est, vt ex pecunia, quæ in triumpbo translata esset, stipendinm collatum à populo publicnm, quod eis solutum antea non esset, solueretur. vicenosquinos & semisses in millia æris quæstores vrbani cum fide & cura soluerunt. Per idem tempus Tribuni militum duo ex duabus Hispaniis cum literis C. Catinii & L. Manlii, qui eas prouincias obtinebant, venerunt. ex iis literis cognitum est, Celtiberos Lusitanósque in armis esse, & sociorum agros populari. de ea re consultationem integram senatus ad nouos magistratus reiecit. Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Posthumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procidit, atque id deiecit. ea religione moti patres, & diem vnum adiiciendum ludorum celebritati censuerũt, & signa duo pro vno reponenda, & nouum auratum faciendum. Et plebeii ludi ab ædilibus C. Sempronio Blæso, & M. Furio Lusco diem vnum instaurati sunt. Insequens annus Sp. Posthuminm Albinnm, & Q. Marcinm Philippum COSS. ab exercitu bellorúmque & prouinciarum cura ad intestinæ coniurationis vindictam auertit. Prætores prouincias sortiti sunt. T. Mænins vrbanam, M. Licinius Lucullus inter ciues & peregrinos, C. Aurelius Scaurus Sardiniam, P. Cornelius Sulla Siciliam, L. Quintius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calpurnius Piso Hispaniam vlteriorem. COSS. ambobus quæstio de clandestinis coniurationibus decreta est. Græcus ignobilis in Hetruriam primùm venit, nulla cum arte earum, qnas multas ad animorum corporúmque cultum nobis eruditissima omniũ gens inuexit, sed sacrificulus

Cn. Manlius de Gallogræcis triũphauit.

Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico Romam inuecta.

†2200000 coron.

†225344

† 50800 coron.

†Si tot millia cistophorûm intelligas fac. 20000 cor.

† 48960 coron.

Celtiberos Lusitanosq; in armis esse nuntiatur.

Clãdestinæ coniurationes religionis prætextu factæ.

& vates: nec is qui aperta religione propalam & quæstum & disciplinam profitendo animos errore imbneret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primò paucis tra dita sunt: deinde vulgari cœpta per viros, mulierésque. additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurium animi illicerentur. cùm vinum animos & nox, & misti fœminis mares, ætatis teneræ maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent: corruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ, cùm ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. nec vnum genus noxæ: stupra promiscua ingenuorum fœminarúmque erant. sed falsi testes, falsa signa testimoniáque & iudicia ex eadem officina exibant. venena indidem, intestinæque cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent. multa dolo, pleraque per vim audebantur. occulebat vim, quòd præ vlulatibus tympanorúmque & cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat. Huius mali labes ex Hetruria Romam velut contagione morbi penetrauit. primò vrbis magnitudo capacior, patientiórque talium malorum ea celauit. tandem indicium hoc maximè modo ad Posthumium consulem peruenit. P. Ebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus sub tutela Duroniæ matris & vitrici T. Sempronii Rutilii educatus fuerat. & mater dedita viro erat: & vitricus, quia tutelam ita gesserat, vt rationem reddere non posset: aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. via vna corruptelæ Bacchanalium erant, mater adolescentulum appellat, se pro ægroto vouisse, vbi primùm conualuisset, Bacchis eum se initiaturam. damnatam voti deûm benignitate exoluere id velle. decem dierũ castimonia opus esse. decimo die cœnatum, deinde purè lautum sacrarium deducturam. Scortum nobile libertina Hispala Fecenia non digna quæstu, cui ancillula assueuerat: etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur. huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Ebutio fuit, minimè adolescentis aut rei aut famæ damnosa. vltro enim amatus appetitúsque erat: & malignè omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. quin eò processerat consuetudine capta, vt post patroni mortem, quia in nullius manu erat: tutore à tribunis & prætore petito, cùm testamentum faceret, vnum Ebutium institueret hæredem. Hæc amoris pignora cùm essent, nec quicquam secretum alter ab altero haberent, per iocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset. religionis se causa, vt voto pro valetudine sua facto liberetur, Bacchis initiari velle. Id vbi mulier audiuit, perturbata, dii meliora, inquit. mori & sibi & illi satius esse, quàm id faceret. & in caput eorum detestari minas periculáque, qui id suasissent. Admiratus cum verba, tum perturbationem tantam adolescens, parcere execrationibus iubet. matrem id sibi assentiente vitrico imperasse. Vitricus ergo, inquit, tuus (matrem enim insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam, famam, spem, vitámque tuam perditum ire hoc facto properat? Eo magis mirabundo, quærentíque quid rei esset, pacem veniámque precata deorum dearúmque, si coacta caritate eius, silenda enuntiasset, ancillam se ait dominæ comitem id sacrarinm intrasse, liberam nunquam eò accessisse. scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse: & iam biennio constare, neminem initiatum ibi maiorem annis viginti, vt quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus. eos deducere in locum, qui circunsonet vlulatibus, cantúque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, cùm per vim stuprum inferatur, exaudiri posit. Orare deinde atque obsecrare, vt eam rem quocunque discuteret modo: nec se eò præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primùm, deinde facienda essent, neque antè dimisit eum, quàm fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. Posteaqnam domum venit, & mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps cæteris quæ ad sacra pertinerent, faciendum esset: negat eorum se quicquam facturnm, nec initiari sibi in animo esse. aderat sermoni vitricus. confestim mulier exclamat: Hispalæ concubitu carere eum decem noctes non posse. illins excetræ delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere: iurgantes hinc mater, hinc vitricus, cnm quatuor eum seruis domo exegerunt. Adolescens inde ad Ebutiam se amitam cõtulit: causamq; ei, cur esset à matre eiectus, narrauit. deinde ex authoritate eius postero die ad COS. Posthumium, arbitris remotis, rem detulit. Consul post diem tertium ad se iussum redire dimisit. ipse Sulpitiam grauem fœminam, socrum suam percunctatus est: ecquam anum Ebutiam ex Auentino nosset? cùm ea nosse probam, & antiqui moris fœminam, respondisset: opns esse sibi ea conuenta dixit. mitteret nuntium ad eam, vt veniret. Ebutia accita ad Sulpitiam venit. & consul paulo pòst, velut fortè interuenisset, sermonem de Ebutio fratris eius filio infert. Lacrymæ mulieri obortæ, & miserari casum adolescentis cœpit: qni spoliatus fortunis, à quibus minime oporteret, apud se tunc esset, eiectus à matre: quòd probus adolescens (dii propitii essent) obscœnis, vt fama esset, sacris initiari nollet. Satis de Ebutio exploratum ratus consul, non vanum authorem esse: dimissa Ebutia, socrum rogat, vt Hispalam indidem ex Auentino libertinam, non ignotam viciniæ accerseret ad sese. eam quoque esse quæ percunctari vellet. Ad cuius nuntium perturbata Hispala, quòd ad tam nobilem & grauem fœminam ignara causæ accerseretur: posteaquam lictores in vestibulo turbámque consularem & cõsulem ipsum conspexit, propè exanimata est. In interiorem partem ædium abductam socru adhibita consul, si vera dicere inducere in animum posset, negat perturbari debere. fidem vel ab Sulpitia tali fœmina, vel ab se acciperet. expromeret sibi quæ in luco Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Hoc vbi audiuit, tantus pauor tremórque omnium membrorum mulierem cepit, vt diu hiscere nõ posset, tandem confirmata, puellam admodum se ancillam initiatam cnm domina ait. aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil quid ibi fiat, scire. Iam idipsum consul laudare, quod initiatam se non inficiaretur. sed & cætera eadem fide expromeret. neganti vltra qnicquam scire, nõ eandem dicere, si coarguatur

ab alio

Nefariæ cõiurationis indicium.

Hispala Fecenia index coniurationis.

Hispala accersitur ad Consulem.

A

B

A ab alio, ac per se fatenti, veniam aut gratiam fore. eum sibi omnia exposuisse, qui ab illa audisset. Mulier haud dubiè, id quod erat, Ebutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpitiæ procidit: & eam primò orare cœpit, ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem in rem non seriam modò, sed capitalem etiam verti vellet. se terrendi eius causa, non quòd sciret quicquam, ea locutam esse. Hic Posthumius accensus ira, tum quoque ait eam cum Ebutio se amatore cauillari credere, non in domo grauissimæ fœminæ & cum consule loqui. & Sulpitia attollere pauentem, simul illam adhortari, simul iram generi leuire. Tandem confirmata, multum incusata perfidia Ebutii, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset: magnum sibi metum deorum, quorum occulta enuntiaret: maiorem multo dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. itaque hoc se Sulpitiam, hoc consulem orare, vt se extra Italiam aliquò amandarent, vbi reliquum vitæ degere tutò posset. Bono animo esse iubere eam consul, & sibi curæ fore dicere. vt Romæ tutò habitaret. Tum Hispala originem sacrorum expromit. Primò sacrarium id fœminarum fuisse, nec quenquam virum eò admitti solitum. tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. sacerdotes inuicem matronas creari solitas. Pacullam Miniam Campanam sacerdotem omnia tanquam deûm monitu immutasse. nam & viros eam primam suos filios initiasse, Minium & Herennium Cerrinios, & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri fœminis, & noctis licentia accesserit: nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum. plura virorum inter sese, quàm fœminarum esse stupra. si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari nihil nefas ducere. hanc summam inter eos religionem esse. viros velut mente capta cum iactatione fanatica corporis vaticinari. matronas baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim: demissásque in aquam faces, quia viuum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre. Raptos à diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant. eos esse, qui aut coniurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum iam propè populum esse: in his nobiles quosdam viros, fœmináſque. biennio proximo institutum esse, ne quis maior viginti annis initiaretur. captari ætates & erroris & stupri patientes. Peracto indicio, aduoluta rursus genibus preces easdem, vt se ablegaret, repetiuit. Consul rogat socrum, vt aliquam partem ædium vacuam faceret, quò Hispala immigraret. cœnaculum super ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. res omnes Feceniæ extemplò translatæ, & familia accersita: & Ebutius migrare ad consulis clientem iussus. Ita cùm indices ambo in potestate essent, rem ad senatum Posthumius defert. Omnibus ordine expositis, quæ delata primò, quæ

Hispala cõiurationis Bacchicæ originem expromit Con suli.

B deinde ab se inquisita forent, patres pauor ingens cepit: cùm publico nomine, ne quid eæ coniurationes cœtúsque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent: tum priuatim suorum quisque vice, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem senatus gratias consuli agendas, quòd eam rem & cum singulari cura & sine vllo tumultu inuestigasset. quæstionem deinde de Bacchanalibus sacrísque nocturnis extra ordinem consulibus mandat. indicibus Ebutio ac Feceniæ ne fraudi ea res sit, curare, & alios indices præmiis inuitare iubet. sacerdotes eorum sacrorum, seu viri seu fœminæ essent, non Romæ modò, sed per omnia fora & conciliabula conquiri, vt in consulum potestate essent. edici præterea in vrbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui Bacchis initiatus esset, coisse aut conuenisse causa sacrorum velit, neu quid talis rei diuinæ fecisse. ante omnia vt quæstio de his habeatur, qui coierint, coniurauerintve, quo stuprum flagitiúmve inferretur. Hæc senatus decreuit. Consules ædilibus curulibus imperarunt, vt sacerdotes eius sacri omnes conquirerent, comprehensósque libero conclaui ad quæstionem seruarent. ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent. triumuiris capitalibus mandatum est. vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque ne qui nocturni cœtus fierent: vtque ab incendiis caueretur, adiutores triumuiris quinqueuiri vti cis Tyberim suæ quisque regionis ædificiis præessent. Ad hæc officia dimisis magistratibus, consules in Rostra ascenderunt. & concione aduocata, cùm solenne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset consul, ita cœpit: Nulli vnquam concioni Quirites tam non solùm apta, sed etiam necessaria hæc solennis deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret: hos esse deos, quos colere, venerari, precarsque maiores vestri instituissent: non illos, qui prauis & externis religionibus captas mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, inuenio. si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem: si omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse. vt ad cauendum satis sit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota iampridem Italia, & nunc per vrbem etiam multis locis esse, non fama modò accepisse vos, sed crepitibus etiam vlulatibúsque nocturnis, qui personant tota vrbe, certum habeo: cæterùm quæ ea res sit, ignorare: alios deorum aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciuiam esse credere: & qualecunque sit, ad paucos pertinere. quod ad multitudinem eorum attinet, si dixero multa millia hominum esse, ilico necesse est exterreamini, nisi adiunxero, qui qualésq; sint. Primùm igitur mulierum magna pars est, & is fons mali huiusce fuit, deinde simillimi fœminis mares stuprati & constupratores, fanatici vigiles, vino, strepitibus, clamoribúsque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio, cæterùm incrementum ingens virium habet, quòd in dies plures fiunt. Maiores vestri ne vos quidem, nisi cùm aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium tribuni edixissent: aut aliquis ex magistratibus ad concio-

Posthumius Cos. de Bacchica cõiuratione refert ad senatum.

Senatuscõs. de Bacchica coniuratione.

Posthumij Cõs. ad Quirites oratio, qua ipsis Bacchanaliũ furores expromit.

nem vocaſſet,fortè temerè coire voluerunt: & vbicunque multitudo eſſet,ibi & legitimum rectorem A
multitudinis cenſebant debere eſſe. Quales primum nocturnos cœtus,deinde promiſcuos mulierum
ac virorum eſſe creditis?ſi quibus ætatibus initientur mares ſciatis: non miſereat vos eorum ſolùm,
ſed etiam pudeat. Hoc ſacramento initiatos iuuenes milites faciendos cenſetis Quirites? iis ex ob-
ſcœno ſacrario eductis arma committenda? hi cooperti ſtupris ſuis alieníſque pro pudicitia coniu-
gum ac liberorum veſtrorum ferro decernent?Minus tameo eſſet, ſi flagitiis tantùm effœminati fo-
rent (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abſtinuiſ-
ſeot. Nunquam tantum malum in Republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. quicquid iis
annis libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere peccatum eſt, ex illo vno ſacrario ſcitote ortum
eſſe. nec dum omnia in quæ coniurauerunt, edita facinora habent: adhuc priuatis noxiis, quia non-
dum ad Rempublicam opprimendam ſatis virium eſt, coniuratio ſeſe impia tenet. creſcit & ſerpit
quotidie malum: iam maius eſt, quàm vt capere id priuata fortuna poſsit: ad ſummam Reipublicæ
ſpectat. oiſi præcauetis Quirites: iam huic diurnæ legitimè ab conſule vocatæ par oocturoa concio
eſſe poterit.nunc illi vos ſinguli vniuerſos concionantes timent.iam vbi vos dilapſi domos,& in rura
veſtra eritis,illi coierint: conſultabunt de ſua ſalute ſimul,ac veſtra pernicie. tum ſingulis vobis vni-
uerſi timendi erunt. Optare igitur vnuſquiſque veſtrûm debet, vt bona mens ſuis omoibus fuerit. ſi
quem libido,ſi furor in illum gurgitem abripuit,illorum eum,cum quibus in omne flagitium & faci-
nus coniurauit,non ſuum iudicet eſſe.Ne quis etiam errore labatur veſtrûm quoque non ſum ſecurus.
Nihil enim io ſpeciem fallacius eſt,quàm praua religio. vbi deorum numen prætenditur ſceleribus,
ſubit animum timor,ne fraudibus humanis vindicandis diuini iuris aliquid immiſtum violemus.Hac
vos religione innumerabilia decreta pontificum, ſenatuſconſulta, aruſpicum denique reſponſa libe-
rant.Quoties hoc patrum auorúmque ætate negotium eſt magiſtratibus datum, vt ſacra externa fieri
vetarent?ſacrificulos vateſque foro,circo,vrbe prohiberent?vaticinos libros conquirerent,combure-
réntque?omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquàm more Romano, abolereot? Iudicabant enim
prudentiſsimi viri omnis diuini humaníq; iuris,nihil æquè diſſoluendæ religionis eſſe, quàm vbi non
patrio,ſed externo ritu ſacrificaretur.Hæc vobis prædicenda ratus ſum,ne qua ſuperſtitio agitaret ani
mos veſtros,cùm demolientes oos Bacchanalia,diſcutiétéſque nefarios cœtus cerneretis. omnia diis
propitiis,voleotibúſque ea faciemus.qui quia ſuum numen ſceleribus libidinibúſque contaminari in-
dignè ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri vt impunita eſſent, ſed vt
vindicarentur & opprimerentur,voluerunt.Senatus quæſtionem extra ordinem de ea re mihi colle-
gæque meo mandauit: nos, quæ ipſis nobis agenda ſunt,impigrè exequemur: vigiliarum nocturna-
rum curam per vrbem minoribus magiſtratibus mandauimus. vos quoque æquum eſt quæ veſtra B
munia ſunt,quo quiſque loco poſitus erit, quod imperabitur impigrè præſtare: & dare operam,ne
quid fraude ooxiorum periculi aut tumultus oriatur. Recitari deinde ſenatuſconſulta iuſſerunt, indi-
cíq; præmium propoſuerunt:ſi quis quem ad ſe deduxiſſet, nomén ve abſentis detuliſſet, qui nomina-
tus profugiſſet,diem certam ſe finituros:ad quam niſi citatus reſpondiſſet, abſens damnaretur.ſi quis
eorum qui tum extra terram Italiam eſſent,nominaretur,ei laxiorē diem daturos,ſi venire ad cauſam
dicendam vellet.Edixerunt deinde,ne quis quid fugæ cauſa vēdidiſſe,néve emiſſe vellet:ne quis reci-
peret,celaret,ope vlla iuuaret fugiētes.Concione dimiſſa,terror magnus vrbe tota fuit:nec mœnibus
ſe tantum vrbis,aut finibus Romanis cōtinuit:ſed paſsim per totā Italiam literis hoſpitum de ſenatuſ-
conſulto & concione & edicto conſulum acceptis,trepidari cœptū eſt.Multi ea nocte quæ diem inſe-
cuta eſt,quo in cōcione res palàm facta eſt,cuſtodiis circa portas poſitis,fugientes à triumuiris com-
prehenſi & reducti ſunt: multorum nomina delata. quidam ex iis viri fœminæque mortem ſibi con-
Auctores coniurationis Bacchicæ comprehenſi. ſciuerunt. Coniuraſſe ſupra ſeptem millia virorum ac mulierum dicebantur. capita autem coniuratio-
nis conſtabat eſſe, M.& L. Catinios de plebe Romana, & Faliſcum L. Opiternium, & Minium Cerri-
nium Campanum. ab his omnia facinora & flagitia orta, eos maximos ſacerdotes cōditoréſque eius
ſacri eſſe.data opera eſt, vt primo quoque tempore comprehenderentur. Adducti ad C O S.faſsíque,
de ſe nullam moram iudicio fecerunt. Cæterùm tanta fuga ex vrbe facta erat, vt quia multis actiones
& res peribant, cogerentur prætores T.Mænius & M.Licinius per ſenatum res io diem triceſimum
differre,donec quæſtiones à C O S S.perficerentur. Eadem ſolitudo,quia Romæ non reſpondebant,nec
inueniebantur,quorum nomina delata erant, coëgit conſules circa fora proficiſci, ibíque quærere &
iudicia exercere. Qui tantùm initiati erant,& ex carmine ſacro, præeunte verba ſacerdote, precatio-
Pœna coniuratorum. nes fecerant,in quibus nefanda coniuratio in omne facinus ac libidinem contioebatur: nec earum
rerum vllam rem,in quas iureiurando obligati erant, in ſe aut alios admiſerant, eos in vinculis relin-
quebant.qui ſtupris aut cædibus violati erant,qui falſis teſtimoniis, ſignis adulterinis, ſubiectione te-
ſtamentorum,fraudibus aliis contaminati,eos capitali pœna afficiebant. plures necati, quàm in vin-
cula coniecti ſunt.magna vis in vtraque cauſa virorum mulierúmque fuit.Mulieres damnatas cogna-
tis,aut in quorum manu eſſent,tradebant: vt ipſi in priuato animaduerterent in eas.ſi nemo erat ido-
neus ſupplicii exactor,in publico animaduertebatur.Datum deinde conſulibus negotiū eſt,vt omnia
Bacchanalia Romæ primum,deiode per totam Italiam diruerēt:extra quam ſi qoa ibi vetuſta ara, aut
ſignum conſecratum eſſet.io reliquum deinde Senatuſcōſulto cautum eſt,ne qua Bacchanalia Romæ,
Senatus conſ. aduerſus Bacchanalia. néve in Italia eſſent.ſi quis tale ſacrum ſolenne & neceſſarium duceret, nec ſioe religione & piaculo
ſe id omittere poſſe apud prætorem vrbanum profiteretur:prætor ſenatum conſuleret.ſi ei permiſſum
eſſet,cùm in ſenatu centum non minus eſſent,ita id ſacrum faceret,dum ne plus quinque ſacrificio in-
tereſſent:

A tereſſent: neu qua pecunia communis, neu quis magiſter ſacrorum, aut ſacerdos eſſet. Aliud deinde huic couiunctum, referente Q.Martio c o s. Senatuſconſultũ factum eſt, vt de iis quos pro indicibus conſules habuiſſent, integra res ad ſenatum referretur, cum Sp.Poſthumius quæſtionibus perfectis Romam rediſſet, Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum cenſuerunt: magiſtratibúſque Ardeatium prædicendum, vt in intentiore eum cuſtodia aſſeruarent, non ſolum ne effugeret, ſed ne mortis conſciſcendæ locum haberet. Sp.Poſthumius aliquãto pòſt Romam venit. eo referente de P.Ebutii & Hiſpalæ Feceniæ præmio, quòd eorum opera indicata Bacchanalia eſſent, Senatuſconſultũ factum eſt, vt ſingulis his † centena millia æris quæſtores vrbani ex ærario darent: vtique c o s. cum tribunis plebis ageret, vt ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P.Ebutio emerita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, néve cenſor ei equum publicum aſsignaret: vtique Feceniæ Hiſpalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item eſſet: quaſi ei vir teſtamento dediſſet, vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiǽve eſſet: vtique conſules prætoréſque qui nunc eſſent, quive poſtea futuri eſſent, curarent ne quid ei mulieri iniuriæ fieret, vtique tutò eſſet. id ſenatum velle & æquum cenſere, vt ita fieret. Ea omnia lata ad plebem, factáque ſunt ex Senatuſconſulto, & de cæterorum indicum impunitate præmiſſque cõſulibus permiſſum eſt.

Indicũ coniurationis præmia.

† 10000. coron.

Et iam Q.Martius quæſtionibus ſuæ regionis perfectis, in Ligures prouinciam proficiſci parabat, tribus millibus peditum Romanorum, c l equitibus, & quinque millibus Latini nominis peditum, ducentis equitibus in ſupplementum acceptis. Eadem prouincia, idem numerus peditum equitúmque & collegæ decretus erat. Exercitus acceperunt, quos priore anno C.Flaminius & M.Aemylius c o s s. habuerunt. duas præterea legiones nouas ex Senatuſconſulto ſcribere iuſsi ſunt. & viginti millia peditum ſociis & nomini Latino imperarunt, & equites mille trecentos, & tria millia peditum Romanorum, c c equites. totum hunc exercitum, præter legiones, in ſupplementũ Hiſpanienſis exercitus duci placebat. itaque conſules dum ipſi quæſtionibus impediebantur, T.Mænium delectui habendo præfecerũt. Perfectis quæſtionibus, prior Q.Martius in Ligures Apuanos eſt profectus. Dum penitus in abditos ſaltus, quæ latebræ receptaculáque ſemper illis fuerant, perſequitur: in præoccupatis anguſtiis loco iniquo eſt circunuentus. quatuor millia militum amiſſa, & legionis ſecundæ ſigna tria, vndecim vexilla ſociûm ac Latini nominis in poteſtatem hoſtium venerunt: & arma multa, quæ quia impedimento fugientibus per ſylueſtres ſemitas erant, paſsim iactabantur. nec prius ſequendi Ligures finem quàm fugæ Romani fecerunt. Conſul vbi primùm ex hoſtium agro euaſit, ne quantum diminutæ copiæ forent appareret, in locis pacatis exercitum dimiſit. nõ tamen obliterare famam rei malè geſtæ potuit. nam ſaltus, vnde eum Ligures fugauerant, Martius eſt appellatus.

Romanus exercitus à Liguribus Apuanis circumuentus.

Martius ſaltus.

Sub hunc nun-B tium ex Liguſtinis vulgatum literæ ex Hiſpania miſſam gaudio triſtitiam afferentes recitatæ ſunt. C.Catinius, qui biennio antè prætor in eam prouinciam profectus erat, cum Luſitanis in agro Aſtenſi ſignis collatis pugnauit. ad ſex millia hoſtium ſunt cæſa: cæteri fuſi, fugati, caſtríſque exuti. Ad oppidum deinde Aſtam oppugnandum legiones ducit. id quoque haud multo maiore certamine cepit, quàm caſtra. ſed dum incautius ſubit muros, ictus ex vulnere poſt dies paucos moritur. Literis de morte proprætoris recitatis, ſenatus cenſuit mittendum, qui ad Lunæ portum C.Calpurniũ prætorem conſequeretur: nuntiarétque ſenatum æquum cenſere, ne ſine imperio prouincia eſſet, maturare eum proficiſci. Quarto die, qui miſſus erat, Lunam venit. paucis autè diebus Calpurnius profectus erat.

Cum Luſitanis proſperè pugnatũ.

Et in citeriore Hiſpania L.Manlius Acidinus, qui eodem tempore quo C.Catinius in prouinciam ierat, cum Celtiberis acie conflixit. incerta victoria diſceſſum eſt. niſi quòd Celtiberi caſtra inde nocte proxima mouerunt: Romanis & ſuos ſepeliendi, & ſpolia legendi ex hoſtibus poteſtas facta eſt. Paucos poſt dies coacto maiore exercitu Celtiberi ad Calagurrim oppidum vltro laceſsiuerunt prælio Romanos. Nihil traditur, quæ cauſa numero aucto infirmiores eos fecerit. ſuperati prælio ſunt. ad duodecim millia hominum cæſa, plus duo capta, & caſtris Romanus potitus. & niſi ſucceſſor aduentu ſuo inhibuiſſet impetum victoris, ſubacti Celtiberi forent. Noui prætores ambo exercitus in hyberna deduxerunt.

Celtiberi prælio ſuperati.

Per eos dies, quibus hæc ex Hiſpania nuntiata ſunt, ludi Taurilia per biduũ facti religionis cauſa. apparatos deinde ludos M.Fuluius, quos vouerat Aetolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant honoris eius cauſa. athletarum quoq; certamen tum primo Romanis ſpectaculo fuit, & venatio data leonum & pantherarum: & propè huius ſeculi copia ac varietate ludicrum celebratum eſt.

Ludi Romæ religionis cauſa facti.

Prodigia.

Nouendiale deinde ſacrum tenuit, quòd in Piceno per triduum lapidibus pluerat, ignéſque cæleſtes multifariam orti aduſsiſſe complurium leui afflatu veſtimenta maximè dicebantur. Addita & vnum diem ſupplicatio eſt ex decreto pontificũ, quòd ædes Opis in Capitolio de cælo tacta erat. hoſtiis maioribus conſules procurarunt, vrbémque luſtrauerũt. Sub idem tempus & ex Vmbria nuntiatum eſt, ſemimarem duodecim fermè annos natum inuẽtum. id prodigiũ abominantes, arceri Romano agro, necaríque quamprimùm iuſſerunt. Eodem anno Galli tranſalpini tranſgreſsi in Venetiam ſine populatione, aut bello, haud procul inde, vbi nunc Aquileia eſt, locum oppido condendo ceperũt. Legatis Romanis de ea re trans Alpes miſsis, reſponſum eſt: neque profectos ex authoritate gentis eos, nec quid in Italia facerent, ſe ſcire. L.Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi vouiſſe ſeſe dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus ciuitatibúſque per dies decem fecit. Legatum eum poſt damnationem & bona vendita miſſum in Aſiam, ad dirimenda inter Antiochum & Eumenem reges certamina, Valerius Antiâs eſt author. tum collatas ei pecunias, cõgregatóſq; per Aſiam artifices: & quorum ludorũ poſt bellum, in quo votos diceret, mentionem nõ feciſſet, de iis poſt legationem demum in ſenatu actum. Cùm iam in exitu annus eſſet, Q.Martius abſens magiſtratu abiturus erat. Sp.Poſthu-

L.Scipio ludos fecit.

mius quæstionibus cum summa fide curáque perfectis, comitia habuit. creati sunt consules Ap. Claudius Pulcher, M. Sempronius Tuditanus. Postero die prætores facti P. Cornelius Cethegus, A. Posthumius Albinus, C. Afranius Stellio, C. Atilius Serranus, L. Posthumius Tępsanus, M. Claudius Marcellus. Extremo anni, quia Sp. Posthumius cos. renuntiauerat, peragrantem se propter quæstiones vtrunque litus Italiæ, desertas colonias Sipontum supero, Buxentum infero mari inuenisse, triumuiri ad colonos eò scribendos ex Senatusconsulto, ab T. Mænio prætore urbano creati sunt, L. Scribonius Libo, M. Tuccius, Cn. Bebius Pamphilus. Cum Perseo rege & Macedonibus bellum quod imminebat, non vnde plerique opinātur, nec ab ipso Perseo causas cepit. inchoata initia à Philippo sunt. & is ipse, si diutius vixisset, id bellū gessisset. Vna ea res cùm victo leges imponerētur, maximè angebat: quòd qui Macedonum ab se defecerāt in bello, in eo ius sæuiendi ademptum ei ab senatu erat: cùm quia rem integram Quintius in conditionibus pacis distulerat, nō desperasset impetrari posse. Antiocho rege deinde bello superato ad Thermopylas, diuisis partibus, cùm per eosdem dies consul Acilius Heracleā, Philippus Lamiā oppugnasset: capta Heraclea quia iussus abscedere à mœnibus Lamiæ erat, Romanísque oppidum deditū est, ægrè eam rem tulerat. permulsit iram eius consul. quòd ad Naupactum ipse festinās, quò se ex fuga Aetoli cōtulerant, Philippo permisit, vt Athamaniæ & Aminādro bellum inferret: & vrbes quas Thessalis Aetoli ademerant, regno adiiceret. Haud magno certamine & Amінandrum Athamania expulerat, & vrbes aliquot ceperat. Demetriadem quoque vrbem validam, & ad omnia opportunam, & Magnetum gentē suæ ditionis fecit. inde & in Thracia quasdam vrbes nouæ atque insuetæ libertatis vitio, seditionibus principū turbatas, partibus quæ domestico certamine vincerentur, adiungēdo se, cepit. His sedata in præsentia regis ira in Romanos est. nunquam tamen remisit animum à colligendis in pace viribus, quibus quandocunque data fortuna esset, ad bellum vteretur. Vectigalia regni non fructibus tantùm agrorū, portoriísque maritimis auxit: sed metalla etiam & vetera intermissa recoluit, & noua multis locis instituit. vt verò antiquā multitudinem hominum, quæ belli cladibus amissa erat, restitueret, nō sobolem tantùm stirpis parabat, cogēdis omnibus procreare atque educare liberos: sed Thracum etiā magnam multitudinem in Macedoniā traduxerat: quietúsque aliquandiu à bellis omni cura in augendas regni opes intentus fuerat. Rediere deinde causæ, quæ de integro iram mouerent in Romanos. Thessalorum & Perrhæborum querelæ de vrbibus suis ab eo possessis, & legatorū Eumenis regis de Thraciis oppidis per vim occupatis, traductáque in Macedoniam multitudine, ita auditæ erant, vt eas non negligi satis apparērent. Maximè mouerat senatum, quòd iam Aeni & Maroneæ affectari possessionem audierant. minus Thessalos curabant. Athamanes quoque legati venerunt, nō partis amissæ, non finium iacturam querentes, sed totam Athamaniam sub ius iudiciúmque regis venisse. Et Maronitarum exules erant pulsi, quia libertatis causam defendissent, ab regio præsidio. ii non Maroneam modò, sed etiā Aenum in potestate nuntiabant Philippi esse. Venerāt & à Philippo legati ad purganda ea: qui nihil nisi permissu Romanorū imperatorum factum affirmabant. Ciuitates Thessalorū & Perrhæborum & Magnetū, & cum Aminandro Athamanum gentem in eadem causa, qua Aetolos fuisse. Antiocho rege pulso, occupatū oppugnandis Aetolicis vrbibus cōsulem ad recipiendas eas ciuitates Philippum misisse. armis subactos parēre. Senatus ne quid absente rege statueret, legatos ad eas cōtrouersias disceptandas misit, Q. Cæcilium Metellum, M. Bebiū Pamphilum, T. Semproniū. Quorum sub aduentū, ad Thessalica Tempe omnibus iis ciuitatibus, quibus cum rege disceptatio erat, conciliū indictum est. Ibi cùm Romani legati disceptatorum loco, Thessali Perrhæbíque & Athamanes haud dubii accusatores, Philippus ad audienda crimina tanquā reus, consedissent: pro ingenio quisque eorū qui principes legationū erant, & gratia cum Philippo aut odio, acerbius leniúsve egerunt. In cōtrouersiam autē veniebāt, Philippopolis, Tricca, Phaloria, & Eurymenæ, & cætera circa eas oppida: vtrū Thessalorū iuris, cùm vi ademptæ possessǽque ab Aetolis forent: (nam Philippū Aetolis ademisse eas constabat) an Aetolica antiquitus ea oppida fuissent. ita enim Acilium regi cōcessisse, si Aetolorū fuissent: & si voluntate, non vi atque armis coacti, cū Aetolis essent. Eiusdem formulæ disceptatio de Perrhæborū Magnetúmque oppidis fuit. omniū enim iura possidendo per occasiones Aetoli miscuerant. Ad hæc quæ disceptationis erant, querelæ Thessalorū adiectæ, quòd ea oppida, si iam redderētur sibi, spoliata ac deserta redditurus esset. nam præter belli casibus amissos, quingentos principes iuuentutis in Macedoniā abduxisse, & opera eorū in seruilibus abuti ministeriis: & quæ reddiderit coactus Thessalis, inutilia vt redderet, curasse. Thebas Phthias vnum maritimū emporiū fuisse quondam Thessalis quæstuosum & frugiferū. ibi nauibus onerariis cōparatis regem, quæ præter Thebas Demetriadem cursum dirigerent: negotiationē maritimam omnem eò auertisse. Iam ne à legatis quidem, qui iure gentium sancti sint, violandis abstinere. insidias positas euntibus ad T. Quintium. itaque ergo in tantum metum omnes Thessalos coniectos, vt non in ciuitatibus suis, non in communibus gentis conciliis quisquam hiscere audeat. procul enim abesse libertatis authores Romanos: lateri adhærere grauem dominum, prohibentem vti beneficiis populi Romani. quid autem si vox libera non sit, liberum esse? nunc se fiducia & præsidio legatorum ingemiscere magis quàm loqui. nisi prouideant aliquid Romani, quo & Græcis Macedoniam accolentibus metus, & audacia Philippi minuatur: nequicquam & illum victum, & se liberatos esse. vt equum tenacem non parentem, frænis asperioribus castigandum esse. Hæc acerbè postremi: cùm priores leniter permulsissent iram eius, petentes, vt ignosceret pro libertate loquentibus: & vt deposita domini acerbitate assuesceret socium atque amicum sese præstare: & imitaretur populum Romanum, qui charitate quàm metu adiungere sibi socios mallet. Thessalis auditis, Perrhæbi Connocondylum, quod Philippus Olympiadem

Causæ belli Macedonici.

Permultorū querelæ ad Senatum de Philippo perferūtur.

Philippus legatos ad purganda crimina Romam misit.

Romani legati ad componendas sociorum cum Philippo cōtrouersias missi.

Thessalorū de Philippo querelæ.

A piadem appellauerat, Perræbiæ fuisse, & vt sibi restitueretur, agebant. & de Mallœa & Ericinio eadem postulatio erat. Athamanes libertatem repetebant, & castella Athenæum & Pœtneum. Philippus, vt accusatoris potius quàm rei speciem haberet, & ipse à querelis orsus, Menelaidem in Dolopia quæ regni sui fuisset, Thessalos vi atque armis expugnasse questus est. item Petram in Pieria ab iisdem Thessalis Perræbisque captam. Xynias quidem haud dubiè Aetolicum oppidum sibi eos contribuisse: & Paracheloida, quæ sub Athamania esset, nullo iure Thessalorum formulæ factam. Nam quæ sibi crimina obiiciantur de insidiis legatorum, & maritimis portubus frequentatis aut desertis: alterum deridiculum esse. se reddere rationem, quos portus mercatores, aut nautici petant: alterum mores suos respuere. tot annos esse, per quos nunquam cessauerint legati nunc ad imperatores Romanos, nunc Romam ad senatum crimina de se deferre. quem vnquam verbo violatum esse? semel ad Quintium euntibus insidias dici factas: sed quid iis acciderit, non adiici. quærentium quid falsò obiiciant, cùm veri nihil habeant, ea crimina esse. insolenter & immodicè abuti Thessalos indulgentia populi Romani, velut ex diutina siti nimis auidè meram haurientes libertatem. ita seruorum modo præter spem repentè manumissorum, licentiam vocis & linguæ experiri. & iactare sese insectatione & conuiciis dominorum. Elatus deinde ira adiecit, nondum omnium dierum solem occidisse. Id minaciter dictum nō Thessali modò in sese, sed etiam Romani acceperunt. & cùm fremitus post eam vocem ortus, & tandem sedatus esset: Perræborum inde Athamanúmque legatis respondit, eandem de quibus illi agant, ciuitatum causam esse. consulem Acilium & Romanos sibi dedisse eas, cùm hostium essent. si suum munus qui dedissent, adimere velint, scire se cedendum esse. sed meliori ac fideliori amico in gratiam leuium & inutilium sociorum iniuriam eos esse facturos. nec enim vllius rei minus diuturnam esse gratiam, quàm libertatis, præsertim apud eos qui malè vtendo eam corrupturi sint. Causa cognita pronuntiauerunt legati, placere deduci præsidia Macedonum ex iis vrbibus, & antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri. de iniuriis quas vltrò citróque illatas querantur, quo modo inter eas gentes & Macedonas disceptetur, formulam iuris exequendi constituendam esse. Inde grauiter offenso rege, Thessalonicen ad cognoscendum de Thraciæ vrbibus proficiscuntur. Ibi legati Eumenis. Si liberas esse Aenum & Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse vltrà dicere, quàm vt admoneant, re, non verbo eos liberos relinquant: nec suum munus intercipi ab alio patiantur. sin autem minor cura sit ciuitatum in Thracia positarum, multo verius esse, quæ sub Antiocho fuerint, præmia belli Eumenem quàm Philippum habere: vel pro patris Attali meritis bello, quod aduersus Philippum ipsum gesserit populus Romanus: vel suis, quod Antiochi bello terra maríque laboribus periculísque omnibus interfuerit. Habere eum præterea decem legatorum in eam rem præiudicium.

Philippi ad querelas responsio.

Eumenis legati de Philippo queruntur.

B qui cùm Chersonnesum Lysimachiámque dederint, Maroneam quoque atque Aenum profectò dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis velut appendices maioris muneris essent. Nam Philippum quidem quo aut merito in populum Romanum, aut iure imperii, cùm tam procul à finibus Macedoniæ absint, ciuitatibus his præsidia imposuisse? vocari Maronitas iuberent. ab iis certiora omnia de statu ciuitatum earum scituros. Legati Maronitarum vocati, non vno loco tantùm vrbis præsidium regium esse, sicut in aliis ciuitatibus, dixerunt: sed pluribus simul, & plenam Macedonum Maroneam esse. itaque dominari assentatores regios, his solis loqui & in senatu & in concionibus licere: eos omnes honores & capere ipsos, & dare aliis. optimum quemq; quibus libertatis, quibus legum cura sit, aut exulare pulsos patria, aut inhonoratos & deterioribus obnoxios silere. De iure pauca etiam finium adiecerunt. Q. Fabium Labeonem, cùm in regione ea fuisset, direxisse finem Philippo veterem viam regiam, quæ ad Thraciæ Paroreiam subeat, nusquam ad mare declinātem: Philippum nouam postea deflexisse viam, qua Maronitarum vrbes agrósq; amplectatur. Ad ea Philippus longè aliam, quàm aduersus Thessalos Perræbósq; nuper, ingressus differendi viam: Non cum Maronitis, inquit, mihi aut cum Eumene disceptatio est, sed iam vobiscum Romani, à quibus nihil æqui me impetrare iamdiu animaduerto. Ciuitates Macedonum quæ à me inter inducias defecerant, reddi mihi æquum censebam: non quia magna accessio ea regni futura esset, (sunt enim & parua oppida, & in finibus extremis posita) sed quia multū ad reliquos Macedonas cōtinendos exemplum pertinebat: negatū est mihi. Bello Aetolico Lamiā oppugnare iussus à cōsule M. Acilio, cùm diu fatigatus ibi præliis operibúsq; essem: transcendentē me iam muros à capta propè vrbe reuocauit consul, & abducere copias inde coegit. ad huius solatium iniuriæ permissum est, vt Thessaliæ Perræbiæq; & Athamanum reciperem quædam castella magis quàm vrbes. ea quoq; ipsa vos mihi Q. Cæcili, paucos ante dies ademistis. Pro non dubio paulo antè, si diis placet, legati Eumenis sumebāt, quæ Antiochi fuerunt Eumenem æquius esse quàm me habere. Id ego aliter longè iudico esse. Eumenes enim, nō nisi vicissent Romani, sed nisi bellum gessissent, manere in regno suo non potuit. itaq; ille vestrū meritū habet, non vos illius. mei autē regni tantum aberat vt vlla pars in discrimine fuerit: vt † tria millia talentum, & quinquaginta tectas naues, & omnes Græciæ ciuitates, quas antea tenuissem, pollicentem vltro Antiochum in mercedem societatis sim aspernatus. hostémq; ei me esse prius etiam quàm M. Acilius exercitū in Græciam traiiceret, præ me tuli: & cum eo consule belli partē quamcunq; mihi delegauit, gessi. & insequenti consuli L. Scipioni, cùm terra statuisset ducere exercitū ad Hellespontum, non iter tantùm per regnū nostrum dedi, sed vias etiā muniui, pontes feci, commeatus præbui: nec per Macedoniam tantùm, sed per Thraciam, vbi etiā inter cætera pax quoq; præstanda à Barbaris erat. Pro hoc studio meo arga vos, ne dicam merito, vtrum adiicere vos Romani aliquid, & amplificare & augere regnum meū munificentia vestra oportebat? an quæ haberem aut meo iure, aut beneficio vestro, eripere? id quod nunc facitis. Macedonum

Philippi defensio, qua Romanos sibi iniquos ostendit.

† 1200000 coron.

ciuitates, quas regni mei fuisse fatemini, non restituuntur. Eumenes tanquam ad Antiochum spoliandum me venit: & si diis placet, decem legatorum decretum calumniæ impudentissimæ prætendit, quo maximè & refelli & coargui potest. disertissimè enim planissiméque in ea scriptum est, Chersonesum & Lysimachiam Eumeni dari. vbi tãdem Aenus & Maronea & Thraciæ ciuitates ascriptæ sunt? quod ab illis ne postulare quidem est ausus, id apud vos tanquam ab illis impetrauerit, obtinebit? Quo in numero me apud vos esse velitis, refert. si tanquam inimicum & hostem insectari propositum est: pergite vt cœpistis, facere. sin aliquis respectus est mei, vt socii atque amici regis: deprecor, ne me tanta iniuria dignum iudicetis. Mouit aliquantum oratio regis legatos. itaque medio responso rem suspenderunt. si decem legatorum decreto Eumeni datæ ciuitates eæ essent, nihil se mutare. si Philippus bello cepisset, eas præmium victoriæ iure belli habiturum. si neutrum eorum foret, placere cognitionem senatui reseruari: & vt omnia in integro manerent, præsidia quæ in iis vrbibus sint, deduci. Hæ causæ maximè animum Philippi alienauerunt ab Romanis, vt non à Perseo filio eius nouis causis motum, sed ob has à patre bellum relictum filio videri possit. Romæ nulla belli Macedonici suspicio erat. L. Manlius proconsul ex Hispania redierat. cui postulanti ab senatu in æde Bel-

Manlius procos. ouans vrbẽ iniuit.

lonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum obstabat. quòd ita comparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatámque prouinciam tradidisset successori. medius tamen honos Manlio habitus, vt

† Valent 14784 coron.
† 163000 coron.
† 100000 coron.
† 8960 coron.

ouans vrbem iniret. Tulit coronas aureas quinquaginta duas: † auri præterea pondo c x x x i i, † argenti x v i millia c c c. & pronunciauit in senatu, † decem millia pondo argenti, & † l x x x auri Q. Fabium quæstorem aduehere. id quoque se in ærarium illaturum. Magnus motus seruilis eo anno in Apulia fuit. Tarentum prouinciam L. Posthumius prætor habebat. is de pastorum coniuratione, qui vias latrociniis pascuáque publica infesta habuerant, quæstionem seuerè exercuit. ad septem millia hominum condemnauit. multi inde fugerunt. de multis sumptum est supplicium. Consules diu retenti ad vrbem delectibus, tandem in prouincias profecti sunt. Eodem anno in Hispania prætores C. Calpurnius & L. Quintius, cum primo vere ex hybernis copias eductas in Beturia iunxissent, in Carpentaniam, vbi hostium castra erant, progressi sunt, communi animo consilióque parati rem gerere. Haud procul Hippone & Toleto vrbibus inter pabulatores pugna orta est. quibus dum vtrinque subuenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. in eo tumultuario certamine & loca sua, & genus pugnæ pro hoste fuere. duo exercitus Romani fusi, atq; in castra compulsi sunt. non

Duo exercitus Romani in Hispania fusi.

institere perculsis hostes. Prætores Romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis tacito signo exercitum abduxerunt. Luce prima Hispani acie instructa ad vallum accesserunt: vacuáque præter spem castra, ingressi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant, diripuerunt: regressíque in sua castra, paucos dies quietis statiuis manserunt. Romanorum sociorúmque in prælio fugáque ad quinque millia occisa, quorum se spoliis hostes armarunt. inde ad Tagum flumen profecti sunt. Prætores interim Romani omne id tempus contrahendis ex ciuitatibus sociis Hispanorum auxiliis, reficiendísq; ab terrore aduersæ pugnæ militum animis consumpserunt. vbi satis placuere vires, & iam miles quoque ad delendam priorem ignominiam hostem poscebat, x i i millia passuum ab Tago flumine posuerunt castra. inde tertia vigilia sublatis signis, quadrato agmine principio lucis ad Tagi ripam peruenerunt. Trans fluuium in colle hostium castra erant. extemplò quà duobus locis vada nudabat amnis, dextera parte Calpurnius, læua Quintius exercitum traduxerunt: quieto ho-

Romani refectis viribus Hispanos adoriuntur.

ste, dum miratur subitum aduentum, consultátque, qui tumultum iniicere trepidantibus in ipso transitu amnis potuisset. interim Romani impedimentis quoque omnibus traductis contractísque in vnum locum, quia iam moueri videbant hostem, nec spatium erat castra communiendi, aciem instruxerunt. in medio locatæ, quinta Calpurnii legio, & octaua Quintii. id robur totius exercitus erat. campum apertum vsque ad hostium castra habebant, liberum à metu insidiarum. Hispani posteaquam in citeriore ripa duo Romanorum agmina conspexerunt, vt priusquam se iungere atque instruere possent, occuparent eos castris repente effusi cursu ad pugnam tendunt. Atrox in principio prælium fuit, & Hispanis recenti victoria inflatis, & insueta ignominia milite Romano accenso. acerrimè media acies, duæ fortissimæ legiones dimicabant. quas cùm aliter moueri loco non posse hostis cerneret, cuneo instituit pugnare: & vsque plures confertioresque, medios vrgebant. Ibi posteaquam laborare aciem Calpurnius prætor vidit, T. Quintilium Varum, & L. Iuuentium Taluam legatos ad singulas legiones adhortandas properè mittit. docere & monere iubet, in illis spem omnem vincendi & retinendæ Hispaniæ esse. si illi loco cedant, neminè eius exercitus non modò Italiam, sed ne Tagi quidem vlteriorem ripam vnquam visurum. ipse cum equitibus duarum legionum paululum circumuectus, in cuneum hostium, qui mediam vrgebat aciem, ab latere incurrit. Quintius cum suis equitibus alterum hostium latus inuadit. sed longe acrius Calpurniani equites pugnabant, & prætor ipse ante alios. nam & primus hostem percussit, & ita se immiscuit mediis, vt vix vtrius partis esset, nosci posset. & equites prætoris eximia virtute & equitum pedites accensi sunt. pudor mouit primos centuriones, qui inter tela hostium prætorem conspexerunt. itaque vrgere signiferos pro se quisque, iubere inferre signa, & confestim militem sequi. renouatur ab omnibus clamor. impetus fit velut ex superiore loco. haud secus ergo quàm torrentis modo fundunt, sternúntque perculsos: nec sustinere alii super alios inferentes sese possunt. fugientes in castra equites persecuti sunt, & permisti turbæ hostiũ intra vallum penetrauerunt. vbi ab relictis in præsidio castrorum prælium instauratum: coactíque sunt Romani equites descendere ex equis. dimicantibus iis legio quinta superuênit: deinde, vt quæq; potuerant, copiæ

A pię affluebant. Cæduntur passim Hispani per tota castra: nec plus quàm quatuor millia hominum effugerunt. inde tria millia ferè qui arma retinuerant, montem propinquum ceperunt. mille, semiermes maximè per agros palati sunt. supra xxxv millia hostium fuerant, ex quibus tam exigua pars pugnæ superfuit. signa capta cxxxiii. Romani sociíque paulo plus sexcenti, & prouincialium auxiliorum centum & quinquaginta fermè ceciderunt. tribuni militum quinque amisi, & pauci equites Romani, cruentæ maximè victoriæ speciem fecerunt. In castris hostium, quia ipsis spatium sua communiendi non fuerat, manserunt. Pro concione postero die laudati, donatíque à C. Calpurnio equites phaleris. pronunciauítque, eorum maximè opera hostes fusos, castra capta & expugnata esse. Quintius alter prætor suos equites catellis ac fibulis donauit. donati & centuriones ex vtriusq; exercitu permulti, maximè qui mediam aciem tenuerunt. Consules delectibus aliísque quæ Romæ agendæ erant, peractis rebus, in Ligures prouinciam exercitum duxerunt. Sempronius à Pisis profectus in Apuanos Ligures, vastando agros, vrendóque vicos & castella eorum, aperuit saltum vsque ad fluuium Macram & Lunæ portum. Hostes montem antiquam sedem maiorum suorum, ceperunt. & inde, superata locorum iniquitate, prælio deiecti sunt. Et Ap. Claudius felicitatem virtutémque collegæ in Liguribus Ingaunis æquauit secundis aliquot præliis: sex præterea oppida eorum expugnauit. multa millia hominum in iis cepit. belli authores iii & xl securi percussit. Iam comitiorum appetebat tempus. prior tamen Claudius quàm Sempronius, cui sors comitia habendi obtigerat, Romam venit: quia P. Claudius frater eius consulatum petebat. Competitorésque habebat patricios, L. Aemylium, Q. Fabium Labeonem, Ser. Sulpitium Galbam, veteres candidatos, & ab repulsis eo magis debitum, quia primò negatus erat, honorem repetentes. etiam quia plus quàm vnum ex patriciis creari non licebat, arctior petitio quatuor petentibus erat. Plebeii quoque gratiosi homines petebant, L. Porcius, Q. Terentius Culleo, Cn. Bebius Pamphilus, & ii repulsi in spem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Claudius vnus ex omnibus nouus candidatus erat. Opinione hominum haud dubiè destinabantur Q. Fabius Labeo & L. Porcius Licinius. sed Claudius consul sine lictoribus cum fratre toto foro volitando, clamitantibus aduersariis, & maiore parte senatus, meminisse eum debere prius se consulem populi Romani, quàm fratrem P. Claudii esse: quin ille sedens pro tribunali aut arbitrum, aut comitiorum tacitum spectatorem se præberet? coërceri tamen ab effuso studio nequiit. Magnis contentionibus tribunorum quoque plebis, qui aut contra consulem, aut pro studio eius pugnabant, comitia aliquoties turbata: donec peruicit Appius, vt deiecto Fabio, fratrem traheret. Creatus P. Claudius Pulcher, præter spem suam & cæterorum: locum suum tenuit L. Porcius Licinius, quia moderatis studiis, non vi Claudiana, inter plebeios certatum est. Prætorum

B inde comitia sunt habita. C. Decimius Flauus, P. Sempronius Longus, P. Cornelius Cethegus, Q. Næuius Matho, C. Sempronius Blæsus, A. Terentius Varro, prætores facti. Hæc eo anno quo Ap. Claudius, M. Sempronius consules fuerunt, domi militiæque gesta. Principio insequentis anni, quo P. Claudius, L. Porcius consules erant: cùm Q. Cæcilius, M. Bebius, & T. Sempronius, qui ad disceptandum inter Philippum & Eumenem reges, Thessalorúmque ciuitates missi erant, legationem renuntiassent, regum quoque eorum ciuitatúmque legatos in senatum introduxerunt. Eadem vtrinque iterata, quæ dicta apud legatos in Græcia erant. Aliam deinde legationem nouam patres, cuius princeps Ap. Claudius fuit, in Macedoniam & in Græciam decreuerunt ad visendum, redditæne ciuitates Rhodiis & Thessalis & Perræbis essent. Iisdem mandatum, vt ab Aeno & Maronea præsidia deducerentur, maritimáque omnis Thraciæ ora à Philippo & Macedonibus liberaretur. Peloponnesum quoque adire iussi, vnde prior legatio discesserat incertiore statu rerum, quàm si non venissent. nam super cætera etiam sine responso dimissi, nec datum petentibus erat Achæorum concilium. de qua re querente grauiter Q. Cæcilio, simul Lacedæmoniis deplorantibus mœnia diruta, abductam plebem in Achaiam & venundatam, ademptas quibus ad eam diem ciuitas stetisset, Lycurgi leges. Achæi maximè concilii negati crimen excusabant, recitando legem: quæ nisi belli pacísve causa, & cùm legati ab senatu cum literis, aut scriptis mandatis venirent, vetaret indici concilium. Ea ne postea excusatio esset, ostendit senatus curæ iis esse debere, vt Romanis legatis semper adeundi concilium gentis potestas fieret: quemadmodum & illis, quoties vellent, senatus daretur. Dimissis iis legationibus, Philippus à suis certior factus, cedendum ciuitatibus, deducendáque præsidia esse, infensus omnibus in Maronitas iram effundit. Onomasto qui præerat maritimæ oræ mandat, vt partis aduersæ principes interficeret. Ille per Casandrum quendam vnum ex regiis iamdiu habitantem Maronæ, nocte Thracibus intromissis, velut in bello capta vrbe, cædem fecit. Id apud Romanos legatos querentes tam crudeliter aduersus innoxios Maronitas, tam superbè aduersus populum Romanum factum, vt quibus libertatem restituendam senatus censuisset, ii pro hostibus trucidarentur: abnuebat quicquam eorum ad se, aut quenquam suorum pertinere. seditione inter ipsos dimicatum, cùm alii ad se, alii ad Eumenem ciuitatem traherent. id facilè sciturum esse, si percunctarentur ipsos Maronitas: haud dubius, perculsis omnibus terrore tam recentis cædis, neminem hiscere aduersus se ausurum. Negare Appius, rem euidentem pro dubia quærendam: si ab se culpam remouere vellet, Onomastum & Casandrum, per quos acta res diceretur, mitteret Romam, vt eos senatus percunctari posset. Primò adeò perturbauit ea vox regē, vt non dolor, non vultus ei constaret. deinde collecto tādem animo, Casandrum qui Maroneæ fuisset, si vtiq; vellent, se missurum dixit. ad Onomastum quidem quid eam rem pertinere? qui non modò Maroneæ, sed ne in regione quidem propinqua fuisset. Et parcebat magis Onomasto honoratiori amico, & eundem indicem haud paulo plus timebat: quia

Hispani vincuntur & eorum castra capiuntur.

In Liguris feliciter ab utroque cōsule pugnatum.

Romam legati è Græcia reuersi.

Legatio noua mittitur in Græciam.

Philippus Maronitas, qui Eumeni fauerent, interficiendos curat.

quia & ipse sermonem cum eo contulerat, & multorum talium ministrum & conscium habebat. Cassander quoque, missis qui per Epirum ad mare prosequerentur eum, ne qua indicium emanaret, veneno creditur sublatus. Et legati à Philippi colloquio ita digressi sunt, vt præ se ferrent nihil eorum sibi placere: & Philippus minimè quin rebellandum esset, dubius, quia tamen immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam Demetrium minorem filium mittere Romam simul ad purganda crimina, simul ad deprecandam iram senatus statuit: satis credens ipsum etiam iuuenem, quòd Romæ obses specimen regiæ indolis dedisset, aliquid momenti facturum. Interim per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum iniiciendum profectus, perculsis iis vno prælio, & Amadoco duce capto, in Macedoniam rediit: missis ad accolas Istri fluminis barbaros, vt in Italiam irrumperent, solicitandos. Et in Peloponneso aduentus Romanorum legatorum, qui ex Macedonia in Achaiam ire iussi erant, expectabatur. aduersus quos vt præparata consilia haberent, Lycortas prætor concilium indixit. Ibi de Lacedæmoniis actum. Ex hostibus eos accusatores factos. & periculum esse, ne victi magis timendi forent quàm bellantes fuissent. quippe in bello sociis Romanis Achæos vsos: nunc eosdem Romanos æquiores Lacedæmoniis quàm Achæis esse: vbi Areus etiam & Alcibiades, ambo exules suo beneficio restituti, legationem Romam aduersus gentem Achæorum ita de ipsis meritam suscepissent: adeóque infesta oratione vsi essent, vt patria pulsi, non restituti in eam viderentur. Clamor vndique ortus, referret nominatim de iis. & cùm omnia ira, non consilio gererentur, capitis damnati sunt. Paucos post dies Romani legati venerunt. his Clitore in Arcadia datum est concilium. Priusquam agerent quicquam, terror Achæis iniectus erat & cogitatio, quàm non ex æquo disceptatio futura esset. quòd Areum & Alcibiadem, capitis ab se in concilio proximo damnatos, cum legatis videbant: nec hiscere quisquam audebat. Appius ea quæ apud senatum questi erant Lacedæmonii, displicere senatui ostendit: cædem primùm ad conflictum factam eorum, qui à Philopœmene ad causam dicendam euocati venissent: deinde cùm in homines ita sæuitum esset, ne in vlla parte crudelitas eorum cessaret: muros dirutos vrbis nobilissimæ esse, leges vetustissimas abrogatas, inclytámque per gentes Lycurgi disciplinam sublatam. Hæc cùm Appius dixisset, Lycortas & quia prætor, & quia Philopœmenis authoris omnium quæ Lacedæmone acta fuerant, factionis erat, ita respondit: Difficilior nobis Ap. Claudi apud vos oratio est, quàm Romæ nuper apud senatum fuit. tunc enim Lacedæmoniis accusantibus respondendum erat: nunc à vobis ipsis accusati sumus, apud quos causa dicenda est. quam iniquitatem conditionis subimus illa spe, iudicis animo te auditurum esse, posita contentione, qua paulo antè egisti. Ego certè, cùm ea, quæ & hic antea apud Q. Cæcilium, & postea Romæ questi sunt Lacedæmonii, à te paulo antè relata sint, non tibi, sed illis me apud te respondere credebam. Cædem obiicitis eorum, qui à Philopœmene prætore euocati ad causam dicendam interfecti sunt: hoc ego crimen non modò non à vobis Romani, sed ne apud vos quidem nobis obiiciendum fuisse arbitror. quid ita? quia in vestro fœdere erat, vt maritimis vrbibus abstinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis vrbes, à quibus abstinere iussi erant, nocturno impetu occupauerunt, si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut antea in Peloponneso fuisset, eò nimirum capti & oppressi confugissent. cùm vos procul essetis, quò aliò, nisi ad nos socios vestros, quos antea Gyttheo opem ferenteis, quos Lacedæmonem vobiscum simili de causa oppugnanteis viderant, confugerent? Pro vobis igitur iustum piúmque bellum suscepimus. quod cùm alii laudent, reprehendere ne Lacedæmonii quidem possint: & dii quoque ipsi comprobauerint, qui nobis victoriam dederunt: quónam modo ea quæ belli iure acta sunt, in disceptationem veniunt? quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos. nostrum est, quòd euocauimus eos ad causam dicendam, qui ad arma multitudinem exciuerant, qui expugnauerant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædem principum fecerant. quòd vero illi venientes in castra interfecti sunt: vestrum est Areu & Alcibiade, qui nunc nos, si diis placet, accusatis, non nostrum. exules Lacedæmoniorum, quo in numero ii quoque duo fuerunt, & tunc nobiscum erant, quòd domicilio sibi delegerant maritima oppida, se petitos credentes, in eos quorum opera patria extorres ne in tuto quidem exilio posse consenescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt. nec iure, an iniuria cæsi sint, argumentari refert. At enim illa certè vestra sunt Achæi, quòd leges disciplinámque vetustissimam Lycurgi sustulistis, quòd muros diruistis. quæ vtraque ab iisdem obiici qui possunt? cùm muri Lacedæmoniis non ab Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissoluendam Lycurgi disciplinam extructi sint? tyranni enim nuper eos arcem & munimentum sibi, non ciuitati parauerunt. & si existat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc se patriam & Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopœmenem expectare, nec Achæos, sed vos ipsi Lacedæmonii vestris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. vestræ enim illæ deformes veluti cicatrices seruitutis erant. & cùm sine muris per octingentos propè annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuissetis: muris velut compedibus circundatis vincti per centum annos seruistis. Quod ad leges ademptas attinet, ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademisse arbitror: nos non suas ademisse, quas non habebant, sed nostras leges dedisse: nec malè consuluisse ciuitati, cùm concilii nostri eam fecerimus, & nobis miscuerimus: vt corpus vnum, & concilium totius Peloponnesi esset. tunc opinor, si aliis ipsi legibus viueremus, alias istis iniunxissemus, queri se iniquo iure esse, & indignari possent. Scio ego Appi Claudi hanc orationem, qua sum adhuc vsus, neque sociorum apud socios, neque liberæ gentis esse: sed seruorum verius disceptantium apud dominos. nam si non vana illa vox præconis fuit,

qua

Philippus Demetrium filium Romam mittit.

Achæorum concilium.

Appius de Achæis in ipsorum concilio queritur.

Achæorum prætoris ad Appium oratio.

A qua liberos esse omnium primos Achæos iussistis: si fœdus ratum est, si societas & amicitia ex æquo obseruatur: cur ego quid Capua capta feceritis Romani, non quæro? vos rationem reposcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge, à nobis. quid? vos senatores Campanos securi non percussistis? muros diruimus. vos non muros tantùm, sed vrbem & agros ademistis. Specie, inquis, æquum est fœdus apud Achæos, re precaria libertas: apud Romanos etiam imperium est. Sentio Appi: & si non oportet, non indignor. sed oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos & Achæos, modò ne in æquo hostes vestri nostríque apud vos sint, ac nos socii: imò ne meliore iure sint. oani vt in æquo essent, nos fecimus: cùm leges iis nostras dedimus: cùm vt Achæi concilii essent, effecimus. parum est victis, quod victoribus satis est. plus postulant hostes, quàm socii habent. quæ iureiurando, quæ monumentis literarum in lapide insculptis in æternam memoriam sancta atque sacrata sunt, ea cum periurio nostro tollere parant. Veremur quidem vos Romani, & si ita vultis, etiam timemus: sed plus & veremur & timemus deos immortales. Cum assensu maximæ partis est auditus, & locutum omnes pro maiestate magistratus censebant, vt facile appareret, molliter agendo dignitatem suam tenere apud Romanos non posse. Tum Appius, suadere se magnopere Achæis dixit, vt dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inuiti & coacti facerent. Hæc vox audita quidem cum omnium gemitu est, sed metum iniecit imperata recusandi. id modò petierunt, vt Romani, quæ viderentur, de Lacedæmoniis mutarent, nec Achæos religione obstringerent, irrita ea, quæ iureiurando sanxissent, faciendi. damnatio tantum Arei & Alcibiadis, quæ nuper facta erat, sublata est. Romæ principio eius anni cùm de prouinciis consulum & prætorum actum esset, consulibus Ligures, quia bellum nusquam alibi erat, decreti. Prætores C. Decimius Flauus vrbanam, P. Cornelius Cethegus inter ciues & peregrinos sortiti sunt. C. Sempronius Blæsus Siciliam, Q. Næuius Matho Sardiniam, & vt idem de veneficiis quæreret. A. Terentius Varro Hispaniam citeriorem, P. Sempronius Longus Hispaniam vlteriorem. De iis duabus prouinciis legati per id ferè tempus L. Iuuentius Talua, & T. Quintilius Varus venerunt. qui quàntum bellum iam profligatum in Hispania esset, senatu edocto, postularunt simul, vt pro rebus tam prosperè gestis diis immortalibus haberetur honos, & vt prætoribus exercitum deportare liceret. Supplicatio in biduum decreta est. de legionibus deportandis, cùm de consulum prætorúmq; exercitibus ageretur, rem integrâ referri iusserût. Paucos post dies coss. in Ligures binæ legiones, quas Appius Claudius & M. Sempronius habuerât, decretæ sunt. De exercitibus Hispaniensibus magna côtentio fuit inter nouos Prætores & amicos absentium, Calpurnii Quintiíque, vtraque causa tribunos plebis vtraque c o s s. habebat. ii se intercessuros Senatusconsultô, si deportandos censerent exercitus, denuntiabant. illi si hæc intercesio fieret, nullam rem aliam se decerni passuros. Victa postremò absentium gratia est, & Senatusconsultum factum, vt prætores quatuor millia peditum Romanorum scriberent, quadringentos equites, & quinque millia sociorum peditum Latini nominis, quingentos equites, quos secum in Hispaniam portarent. cùm eas legiones quatuor descripsissent, quod plus quàm quina millia peditum, trecenti equites in singulis legionibus esset, dimitterent: eos primùm, qui emerita stipendia haberent, deinde vt cuiusque fortissima opera Calpurnius & Quintius in prælio vsi essent. Hac sedata contentione, alia subinde C. Decimii Prætoris morte exorta est. Cn. Sicinius, & L. Puppius, qui ædiles proximo anno fuerant: & C. Valerius flamen Dialis, & Q. Fuluius Flaccus: is quia ædilis curulis designatus erat, sine toga candida, sed maxima ex omnibus contentione petebat: certaménque ei cum flamine erat. & posteaquam primò æquare, mox superare etiam est visus: pars tribunorum plebis negare rationem eius habendam esse, quòd duos simul vnus magistratus, præsertim curules, neque capere posset, nec gerere: pars legibus eum solui æquum censere, vt quem vellet Prætor creandi populo potestas fieret. L. Porcius c o s. primò in ea sententia esse, ne nomen eius acciperet. deinde vt ex authoritate senatus idem faceret: conuocatis patribus, referre se ad eos dixit: quòd nec iure vllo, nec exemplo tolerabili liberæ ciuitati ædilis curulis designatus præturam peteret: sibi, nisi quid aliud iis videretur, in animo esse è lege comitia habere. Patres censuerunt, vti L. Porcius cos. cum Q. Fuluio ageret, ne impedimento esset, quo minus comitia Prætoris in locû C. Decimii subrogandi è lege haberentur. Agenti cos. ex Senatusconsulto, respondit Flaccus: nihil, quod se indignum esset, facturum. Medio responso spem ad voluntatem interpretantibus fecerat: cessurum patrû authoritati esse. comitiis acrius etiam quàm antè petebat, criminando extorqueri sibi à c o s. & senatu populi Romani beneficium & inuidiam geminati honoris fieri, tanquam non appareret, vbi designatus Prætor esset, extemplò ædilitate se abdicaturum c o s. cùm & pertinaciam petentis crescere, & fauorem populi magis magísq; in eum inclinari cerneret, dimissis comitiis senatum vocauit. censuerunt frequentes, quoniā Flaccum authoritas patrû nihil mouisset, ad populum cum Flacco agendum. Concione aduocata cùm egisset cos. ne tum quidem de sentêtia motus, gratias populo Romano egit, quòd tanto studio, quotiescunq; declarandæ voluntatis potestas facta esset, Pr. se voluisset facere. ea sibi studia ciuium suorum destituere non in animo esse. Hæc verò tam obstinata vox tâtum ei fauorem accendit, vt haud dubius Pr. esset, si c o s. accipere nomen vellet. Ingens certamê tribunis & inter se ipsos, & cum cos. fuit: donec senatus à cos. est habitus, decretúmq;: quoniam prætoris subrogandi comitia ne legibus fierent, pertinacia Q. Flacci, & praua studia hominum impedirent, senatum censere satis prætorum esse: P. Cornelius vtranque in vrbe iurisdictionem haberet, Apollinísque ludos faceret. His comitiis prudentia & virtute senatus sublatis, alia maioris certaminis, quo & maiore de re, & inter plures potentioréfque viros sunt exorta. Censuram summa contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. & L. Scipiones, Cn. Manlius Volso,

Appij ad Achæorum prætorē responsio.

Inter Coss. & Tribunos pl. contentio de Hispanico exercitu.

Alia de prætura contentio.

Grauißima inter Censuræ candidatos contentio.

Volſo, L. Furius Purpurio, patricii: plebeii autem, M. Porcius Cato, M. Fuluius Nobilior, T. & A
M. Sempronii, Longus & Tuditanus. ſed omneis patricios plebeióſque nobiliſsimarum familiarum

M. Porcij Catonis laus

M. Porcius longè anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniíque fuit, vt quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. nulla ars neque priuatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit. vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit. huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres, quodcunque ageret. in bello manu fortiſsimus, multíſque inſignibus clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores peruenit, ſummus imperator: idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſsimus: ſi cauſa oranda eſſet, eloquentiſsimus: nec iis tantùm, cuius lingua viuo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet. viuit imò, vigétque eloquentia eius, ſacrata ſcriptis

Catonis orationes.

omnis generis. orationes & pro ſe multæ, & pro aliis, & in alios. nam non ſolùm accuſando, ſed etiam cauſam dicendo fatigauit inimicos. ſimultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipſe exercuit eas. nec facilè dixeris, vtrum magis preſſerit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Aſperi proculdubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit, ſed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemptor gratiæ, diuitiarum: in parſimonia, in patientia laboris periculíque ferrei propè corporis, animíque, quem ne ſenectus quidem, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextum & octogeſimum annum agens cauſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſerítque, nonageſimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium. Hunc, ſicut omni vita, ita tum petentem premebat nobilitas: conſenſerántque, præter L. Flaccum, qui collega in conſulatu fuerat, candidati omnes, ad deiiciendum honore, non ſolùm vt ipſi potius adipiſcerentur: nec quia indignabantur nouum hominem cenſorem videre, ſed etiam quòd triſtem cenſuram, periculoſámque multorum famæ, & ab læſo à pleriſque, & lædendi cupido expectabant. etenim tum quoque minitabundus petebat, refragari ſibi qui liberam & fortem cenſuram timerent, criminando. & ſimul L. Valerio ſuffragabatur: illo vno collega caſtigare ſe noua flagitia, & priſcos mores reuocare poſſe. His accenſi

M. Porcius & L. Valerius cenſores inuita nobilitate creantur.

homines, aduerſa nobilitate non M. Porcium modò cenſorem fecerunt, ſed etiam collegam ei L. Valerium Flaccum adiecerunt. Secundum comitia cenſorum COSS. prætoréſque in prouincias profecti ſunt: præter Q. Næuium. quem quatuor non minus menſes, priuſquam in Sardiniam iret, quæſtiones veneficii, quarum magnam partem extra vrbem per municipia conciliabuláque habuit, quia ita aptius viſum erat, tenuerunt. Si Antiati Valerio credere libet, ad duo hominum millia damnauit. Et L. Poſthumius Prætor cui Tarentùm prouincia euenerat, magnas paſtorum cõiurationes vindicauit, & reliquias bacchanalium quæſtionis cum omni executus eſt cura. multos, qui aut citati non affuerant, aut vades deſeruerant, in ea regione Italiæ latentes, partim noxios iudicauit, partim com- B prehenſos Romam ad ſenatum miſit. in carcerem omnes à P. Cornelio coniecti ſunt. In Hiſpania vlteriore, fractis proximo bello Luſitanis, quietæ res fuerunt. In citeriore A. Terentius, in Sueſſetanis

Calpurnij & Criſpini triumphus.

oppidum Corbionem vineis & operibus expugnauit, captiuos vendidit. quieta deinde hyberna & citerior prouincia habuit. Veteres Prætores C. Calpurnius Piſo, & L. Quintius Romam redierunt: vtrique magno patrum conſenſu triumphus eſt decretus. prior C. Calpurnins de Luſitanis & Celtiberis triumphauit. coronas aureas tulit LXXXIII: & duodecim M pondo argenti. paucos poſt dies L. Quintius Criſpinus ex iiſdem Luſitanis Celtiberíſq; triumphauit. tantundem auri atqne argenti in eo triumpho translatum. Cenſores, M. Porcius & L. Valerius, metu miſta expectatione ſenatum legerunt. ſeptem mouerunt ſenatu: ex quibus vnum inſignem & nobilitate & honoribus, L. Quintium Flamininum conſularem. Patrum memoria inſtitutum fertur, vt cenſores motis ſenatu aſſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut ſenatorio loco mouit, aut quibus equos ademit. longè grauiſsima in L. Quintium oratio eſt. qua ſi accuſator ante notam, non cenſor poſt notam vſus eſſet, retinere Quintium in ſenatu ne frater quidem T. Quintius, ſi tum cenſor eſſet, potuiſſet. Inter cætera obiecit ei, Philippum Pœnum, carum ac nobile ſcortum, ab Roma in Galliam prouinciam ſpe ingentium donorum perductum. eum puerum, per laſciuiam cùm cauillaretur, ex-

Quam ob cauſam L. Quintius Flamininus motus fuerit Senatu à Cẽſoribus.

probrare conſuli perſæpe ſolitum, quòd ſub ipſum ſpectaculum gladiatorium abductus ab Roma eſſet, vt obſequium amatori iactaret. fortè epulantibus iis, cùm iam vino incaluiſſent, nuntiarum in conuiuio eſſe, nobilem Boium cum liberis transfugam veniſſe. conuenire COS. velle, vt ab eo fidem præſens acciperet. introductum in taberoaculum per interpretem alloqui COS. cœpiſſe. inter cuius ſermonem Quintius ſcorto, Vis tu, inquit, quoniam gladiatorium ſpectaculum reliquiſti, iam hunc Gallum morientem aſpicere? & eùm is vixdum feriò annuiſſet, ad nutum ſcorti COS. ſtricto gladio, qui ſuper caput pendebat, loquenti Gallo caput primùm percuſsiſſe, deinde fugienti, fidémque populi Romani atque eorum qui aderant imploranti, latus transfodiſſe. Valerius Antias, vt qui nec Catonis orationem legiſſet, & fabulæ tantùm ſine authore editæ credidiſſet: aliud argnmentum, ſimile tamen & libidine & crudelitate peragit. Placentiæ famoſam mulierem, cuius amore deperiret, in conuiuium accerſitam ſcribit. ibi iactantem ſeſe ſcorto inter cætera retuliſſe, quàm acriter quæſtiones exercuiſſet, & qnàm multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos ſecuri percuſſurus eſſet. tum illam infra eum accubantem negaſſe, vnquam vidiſſe quenquam ſecuri ferientem, & peruelle id videre. hic indulgentem amatorem, vnum ex illis miſeris attrahi iuſſum, ſecuri percuſsiſſe. Facinus ſiue eo modo quo cenſor obiecit, ſiue vt Valerius tradit, commiſſum eſt, ſæuum atque atrox: inter pocula atque epulas, vbi libare diis dapes, vbi bene precari mos eſſet, ad ſpectaculum ſcorti procacis, in ſinu COS. recubantis, mactatam humanam victimam eſſe, & cruore menſam reſperſam. In extrema ora-

tione

A tione Catonis conditio Quintio fertur, vt ſi id factum negaret, cæteráque quæ obieciſſet, ſponſione defenderet ſeſe: ſin fateretur, ignominia ne ſua quenquam doliturum cenſeret, cùm ipſe vino & venere amens, ſanguine hominis in conuiuio luſiſſet? In equitatu recognoſcendo L. Scipioni Aſiatico ademptus equus. in cenſibus quoque accipiendis triſtis & aſpera in omnes ordines cenſura fuit. ornamenta & veſtem muliebrem & vehicula, quæ pluris quàm † quindecim millium æris eſſent, in cenſum referre viatores iuſsi. item mancipia minora annis viginti, quæ poſt proximum luſtrum † decem millibus æris, aut eo pluris veniiſſent, vti ea quoque decem, tanto pluris quàm quanti eſſent, æſtimarentur, & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. aquam publicam omnem in priuatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt. & quæ in loca publica inædificata, immolitáve priuati habebant, intra dies triginta demoliti ſunt. opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta. lacus ſternendos lapide, detergendáſque quà opus eſſet cloacas, in Auentino & in aliis partibus: quà nondum erant, faciendas locauerunt. & ſeparatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, vt iter populo eſſet, & viam per Formianum montem. Cato atria duo, Mænium & Titium in Latomiis, & quatuor tabernas in publicum emit: baſilicámque ibi fecit, quæ Porcia appellata eſt. & vectigalia ſummis pretiis, vltrò tributa infimis locauerunt. Quas locationes cùm ſenatus precibus & lacrymis publicanorum victus induci, & de integro locari iuſsiſſet: cenſores edicto ſummotis ab haſta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis pretiis locauerunt. Nobilis cenſura fuit, ſimultatúmque plena: quæ M. Porcium, cui acerbitas ea aſsignabatur, per omnem vitam exercuerunt. Eodem anno coloniæ duæ, Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum deductæ ſunt. ſena iugera in ſingulos data. diuiſerunt agrum, coloniáſque deduxerunt iidem triumuiri, Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fuluii, Flaccus & Nobilior. c o s s. eius anni nec domi, nec militiæ memorabile quicquam egerunt. In inſequentem annum crearunt c o s s. M. Claudium Marcellum, Q. Fabium Labeonem. M. Claudius, Q. Fabius idibus Martiis, quo die conſulatum inierunt, de prouinciis ſuis prætorúmque retulerunt. Prætores creati erant, C. Valerius flamen Dialis, qui & priore anno petierat: & Sp. Poſthumius Albinus, & P. Cornelius Siſenna, L. Puppius, L. Iulius, Cn. Sicinius. Conſulibus Ligures cum iiſdem exercitibus, quos P. Claudius, & M. Porcius habuerant, prouincia decreta eſt. Hiſpaniæ extra ſortem prioris anni prætoribus cum ſuis exercitibus ſeruatæ. Prætores ita ſortiri iuſsi, vti flamini Diali vtique altera iuris dicendi Romæ prouincia eſſet. peregrinam eſt ſortitus. Siſennæ Cornelio vrbana, Sp. Poſthumio Sicilia, L. Puppio Apulia, L. Iulio Gallia, Cn. Sicinio Sardinia euenit. L. Iulus proficiſci maturè eſt iuſſus. Galli tranſalpini per ſaltus ignotæ antea uiæ (vt antè dictum eſt) in Italiam tranſgreſsi, oppidum in agro, qui nunc Aquileienſis eſt, ædi-

B ficabant. id eos vt prohiberet, quoad eius ſine bello poſſet, prætori mandatum eſt. ſi armis prohibendi eſſent, c o s s. certiores faceret. ex his placere alterum aduerſus Gallos ducere legiones. Extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant. in demortui Cn. Cornelii Lentuli locum creatus erat Sp. Poſthumius Albinus. Huius principio anni P. Licinius Craſſus Pontifex maximus mortuus eſt: in cuius locum M. Sempronius Tuditanus pontifex eſt cooptatus. Pontifex maximus eſt creatus C. Seruilius Geminus, P. Licinii funeris cauſa viſceratio data, & gladiatores c x x pugnauerunt. & ludi funebres per triduum facti: poſt ludos epulum. in quo, cùm toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum magnis procellis coorta, coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro. eadem paulo pòſt, cùm vndique conſerenaſſet, ſublata. defunctóſque vulgo ferebant, quòd inter fatalia vates cecíniſſent, neceſſe eſt tabernacula in foro ſtatui. Hac religione leuatis altera iniecta, quòd ſanguine per biduum pluiſſet in area Vulcani: & per decemuiros ſupplicatio indicta erat eius prodigii expiandi cauſa. Priuſquam c o s s. in prouincias proficiſcerentur, legationes tranſmarinas in ſenatum introduxerunt. nec vnquam antè tantum regionis eius hominum Romæ fuerat. nam ex quo fama per gentes, quæ Macedoniam accolunt, vulgata eſt, crimina querimoniáſque de Philippo non negligenter ab Romanis audiri, multis operæpretium fuiſſe queri, pro ſe quæque ciuitates gentéſque, ſinguli etiam priuatim (grauis enim accola omnibus erat) Romam aut ad ſpem leuandæ iniuriæ, aut ad deflendæ ſolatium venerunt. Et ab Eumene rege legatio cum fratre eius Athenæo venit ad querendum, ſimul quòd non deducerentur ex Thracia præſidia: ſimul quòd in Bithyniam Pruſiæ bellum aduerſus Eumenem gerenti auxilia miſſa forent. Reſpondendum ad omnia iuueni tum admodum Demetrio erat: cùm haud facile eſſet, aut ea quæ obiicerentur, aut quæ aduerſus ea dicenda erant, memoria complecti. nec enim multa ſolùm, ſed etiam pleraque oppidò quàm parua erant: de controuerſia finium, de hominibus raptis, pecoribúſque abactis, de iure aut dicto per libidinem, aut non dicto, de rebus per vim aut per gratiam iudicatis. nihil horum neque Demetrium docere dilucidè, nec ſe ſatis liquidò diſcere ab eo ſenatus cùm cerneret poſſe: ſimul & tyrocinio & perturbatione iuuenis moueretur, quæri iuſsit ab eo, ecquem de his rebus commentarium à patre accepiſſet? cùm reſpondiſſet, accepiſſe ſe, nihil prius nec potius viſum eſt, quàm regis ipſius de ſingulis reſponſa accipere. librum extemplò popoſcerunt: deinde vt ipſe recitaret, permiſerunt. Erant autem de rebus ſingulis in breue coactæ cauſæ: vt alia feciſſe ſe ſecundum decreta legatorum doceret: alia non per ſe ſtetiſſe, quo minus faceret, ſed per eos ipſos qui accuſarent. interpoſuerat & querelas de iniquitate decretorum, & quàm non ex æquo diſceptatum apud Cæcilium foret: indignéque ſibi, nec vllo ſuo merito inſultatum ab omnibus eſſet. Has notas irritati eius animi collegit ſenatus, cæterùm alia excuſanti iuueni, alia recipienti futura ita, vt maxime vellet ſenatus, reſponderi placuit: Nihil patrem eius neque rectius, nec magis quod ex voluntate ſenatus eſſet, feciſſe, quàm quod,

L. Scipioni Aſiatico equus ademptus eſt à Cenſoribus.

Tiſo coro. Tioocoro.

Galli tranſalpini in Italiam tranſgreſsi.

Prodigia.

Multorum legationes in Senatu de Philippo queruntur.

Senatusconſultū de Philippo.

quod, vtcunque ea gesta essent, per Demetrium filium satis fieri voluisset Romanis. multa & dissimulare & obliuisci & pati præterita senatum posse, & credere etiam Demetrio credendum esse. obsidem enim se animum eius habere, & si patri corpus reddiderit. & scire quantum salua in patrem pietate posit, amicum eum populo Romano esse. honorísque eius causâ missuros in Macedoniam legatos: vt si quid minus factum sit quàm debuerit, tum quoque sine piaculo rerum prætermissarum fiat. velle etiam sentire Philippum, integra omnia sibi cum populo Romano Demetrii filii beneficio esse. Hæc quæ augendæ amplitudinis eius causa facta erant, extemplò in inuidiam, mox etiam in perniciem adolescenti verterunt. Lacedæmonii deinde introducti sunt. Multæ & paruæ disceptationes iactabantur. sed quæ maximè rem continerent, erant: vtrum restituerent quos Achæi damnauerant, nec ne: iniquè, an iurè occidissent, quos occiderant. vertebatur & vtrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonii: an, vt antè fuerat, secretum eius vnius in Peloponneso ciuitatis ius esset. Restitui, iudiciáque facta tolli placuit: Lacedæmonem manere in Achaico concilio: scribíque id decretum, & consignari à Lacedæmoniis & Achæis. Legatus in Macedoniam Q. Martius est missus, iussus idem in Peloponneso sociorum res aspicere. nam ibi quoque & ex veteribus discordiis residui motus erant, & Messenii desciuerant à concilio Achaico. cuius belli & causas & ordinem si expromere velim, immemor sim propositi, quo statui non vltrà attingere externa, nisi quà Romanis cohærerent rebus. Euentus memorabilis est, quòd cùm bello superiores essent Achæi, Philopœmenes Prætor eorum capitur ad præoccupandam Coronen, profectus, quam hostes petebant: in valle iniqua cum equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere Thracum Cretensiúmque auxilio tradunt. sed pudor relinquendi equites nobilissimos gentis, ab ipso nuper lectos, tenuit. quibus dum locum ad euadendas angustias cogendo ipse agmen præbet, sustinens impetus hostium, prolapso equo, & suo ipse casu, & onere equi super eum ruentis, haud multum abfuit quin exanimaretur, septuaginta annos iam natus, & diutino morbo, ex quo tum primùm reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Iacentem hostes superfusi oppresserunt. cognitúmque primùm à verecundia memoriáque meritorum haud secus quàm ducem suum attollunt, reficiúntque, & ex valle deuia in viam portant, vix sibimet ipsi præ necopinato gaudio credentes. pars nuntios Messenem præmittunt, debellatum esse, Philopœmenem captum adduci. Primùm adeò incredibilis visa res, vt non pro vano modò, sed vix pro sano nuntius audiretur. deinde vt super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides. & priusquam appropinquare vrbi satis scirent, ad spectaculum omnes simul liberi ac serui, pueri quoque cum fœminis effunduntur. itaque clauserat portam turba, dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperto tantam rem habiturus videretur. Ægrè summouentes obuios intrare portam, qui adducebant Philopœmenem, potuerunt, atque turba conferta iter reliquum clauserat. & cum pars maxima exclusa à spectaculo esset, theatrum repente, quod viæ propinquum erat, compleuerunt, & vt eò in conspectum populi adduceretur, vna voce omnes exposcebant. Magistratus & principes veriti ne quem motum misericordia præsentis tanti viri faceret, cùm alios verecundia pristinæ maiestatis collata præsenti fortunæ, alios recordatio ingentium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt, deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt: Prætor Dinocrate dicente, esse quæ pertinentia ad summam belli percunctari eum magistratus vellent. inde adducto eo in curiam, & senatu vocato, consultari cœptum. Iam inuesperascebat, & non modò cætera, sed ne in proximam quidem noctem vbi satis tutò custodiretur, expediebant. obstupuerant ad magnitudinem pristinæ eius fortunæ virtutísque: & neque ipsi domum recipere custodiendum audebant, nec cuiquam vni custodiam eius satis credebant. admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato septum. eò vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operitur, machina superimpositum est. ita loco potius quàm homini cuiquam credendam custodiam rati, lucem insequentem expectauerunt. Postero die multitudo quidem integra, memor pristinorum eius in ciuitatem meritorum, parcendum, ac per eum remedia quærenda esse præsentium malorum, censebant: defectionis authores, quorum in manu Respublica erat, in secreto consultantes, omnes ad necem eius consentiebant: sed vtrum maturarent, an differrent, ambigebatur. vicit pars auidior pœnæ: missúsque qui venenum ferret. Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt, quàm quæsisse, si incolumis Lycortas (is alter imperator Achæorum erat) equitésque euasissent. posteaquàm dictum est, incolumes esse: Bene habet, inquit, & poculo impauidè exhausto, haud ita multo pòst expirauit. Nec diuturnum mortis eius gaudium authoribus crudelitatis fuit. victa nanque Messene bello exposcentibus Achæis noxios dedit, ossáque reddita Philopœmenis sunt: & sepultus ab vniuerso Achaico est concilio, adeò omnibus humanis congestis honoribus, vt ne diuinis quidem abstineretur. Ab scriptoribus rerum Græcis Latinísque tantum huic viro tribuitur, vt à quibusdam eorum velut ad insignem notam huius anni memoriæ mandatum sit: tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopœmenem, Annibalem, P. Scipionem adeò in æquo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt. Ad Prusiam regem legatus T. Quintius Flamininus venit, quem suspectum Romanis & receptus post fugam Antiochi Annibal, & bellum aduersus Eumenem motum faciebat. ibi seu quia à Flaminino inter cætera obiectum Prusiæ erat: hominem omnium qui viuerent infestissimum populo Romano apud eum esse. qui patriæ suæ primùm, deinde fractis eius opibus Antiocho regi author belli aduersus populum Romanum fuisset: seu quia ipse Prusias, vt gratificaretur præsenti Flaminino, Romanísque, per se necandi aut tradendi eius in potestatem consilium cepit: à primo colloquio Flaminini, milites extemplò ad domum Annibalis custodiendam missi sunt. Semper talem

Lacedæmoniorum legatis in Senatum introductis quid responsum sit.

Philopœmenes Achæorum prætor à Messeniis captus.

Philopœmeni venenum porrigitur à Messeniis.

Tres clari imperatores eodem anno decesserunt.

Prusias rex Annibalis domum custodiri iubet.

exitum

A exitum vitæ ſuæ Annibal proſpexerat animo,& Romanorum inexpiabile odium in ſe cernens,& fidei regum nihil ſanè confiſus. Pruſiæ verò leuitatem etiam expertus erat. Flaminini quoqne aduentum velut fatalem ſibi horruerat. ad omnia vndique infeſta vt iter ſemper aliquod præparatum fugæ haberet,ſeptem exitus è domo fecerat:& ex iis quoſdam occultos,ne cuſtodia ſepirentur. Sed graue imperium regum nihil inexploratum,quod veſtigari volunt,efficit. totius circuitum domus ita cuſtodiis complexi ſunt,ve nemo inde elabi poſſet. Annibal,poſteaquam eſt nuntiatnm milites regios in veſtibnlo eſſe:poſtico,quod deuium maximè atque occultiſsimi exitus erat,fugere conatus,vt id quoque occurſu militum obſeptum ſenſit,& omnia circà clauſa cuſtodiis diſpoſitis eſſe,venenum,quod multo antè præparatum ad tales habebat caſus,popoſcit. Liberemus,inquit, diuturna cura P R, quando mortem ſenis expectare longum cenſent:nec magnam,nec memorabilem ex inermi proditóque Flamininus victoriam feret. mores quidem P R quantum mutauerit,vel hic dies argumento erit. horum patres Pyrrho regi hoſti armato exercitum in Italia habenti,vt à veneno caueret,prædixerunt. hi legatum conſularem,qui author eſſet Pruſiæ per ſcelus occidendi hoſpitis,miſerunt. Execratus deinde in caput regnúmque Pruſiæ,& hoſpitales deos violatæ ab eo fidei teſtes inuocans,poculum exhauſit. Hic vitæ exitus fuie Annibalis.

Annibal hauſto veneno moritur.

Scipionem & Polybius & Rutilins hoc anno mortuum ſcribunt. Ego neque his,neque Valerio aſſentior:his,quòd cenſoribus M. Porcio,L. Valerio principem ſenatus ipſum L. Valerium cenſorem lectum inuenio, cùm ſuperioribus duobus luſtris Africanus fuiſſet:quo viuo,niſi vt ille ſenatu moueretur,quam notam nemo memoriæ prodidit,alius princeps in locum eius lectus non eſſet. Antiatem authorem refellit tribunus plebis M. Næuius,aduerſus quem oratio inſcripta P. Africani eſt. Hic Næuius in magiſtratuum libris eſt tribunus pl. P. Claudio,L. Porcio Coſs. ſed iniit tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio Coſs. ad quartum idus Decembres. inde tres menſes ad idus Martias ſunt:quibus P. Claudius,L. Porcius conſulatum inierunt. ita & vixiſſe in tribunatu Næuii videtur:diéſque ei dici ab eo potuiſſe,deceſsiſſe autem ante L. Valerii & M. Porcii cenſuram.

De Africani morte variant ſcriptores.

Trium clariſsimorum ſuæ cuiuſque gentis virorum non magis tempore congruente comparabilis mors videtur eſſe, quàm quòd nemo eorum ſatis dignum ſplendore vitæ exitum habuit. iam primùm omnes non in patrio ſolo mortui, nec ſepulti ſunt. veneno abſumpti Annibal & Philopœmênes:exul Annibal proditus ab hoſpite, captus Philopœmenes in carcere & in vinculis expirauit. Scipio,& ſi non exul,neque damnatus, die tamen dicta,ad quam non affuerat,reus abſens citatus,voluntarium non ſibimetipſe ſolùm,ſed etiam funeri ſuo exilium indixit.

Africani, Annibalis & Philopœmenis comparatio.

Dum ea in Peloponneſo,à quibus diuertit oratio, geruntur:reditus in Macedoniam Demetrii legatorúmque aliter aliorum affecerat animos. vulgus Macedonum, quos
B belli ab Romanis imminentis metus terruerat,Demetrium vt pacis authorem cum ingenti fauore conſpiciebant:ſimul & ſpe haud dubia regnum ei poſt mortem patris deſtinabant. nam etſi minor ætate,quàm Perſeus eſſet,hunc tamen iuſta matrefamilias,illum pellice ortum eſſe:illum,vt ex vulgato corpore genitum,nullam certi patris notam habere,hunc inſignem Philippi ſimilitudinem præ ſe ferre. ad hoc,Romanos Demetrium in paterno ſolio locaturos: Perſei nullam apud eos gratiam eſſe. Hæc vulgo loquebantur. itaque & Perſea cura angebat,ne parum pro ſe vna ætas valeret,cùm omnibus aliis rebus frater ſuperior eſſet:& Philippus ipſe,vix ſui arbitrii fore quem hæredem regni relinqueret credens,ſibi quoqne grauiorem eſſe quàm vellet,minorem filium cenſebat. offendebatur interdum concurſu Macedonum ad eum:& alteram iam ſe viuo regiam eſſe indignabatur.

Demetrius ſuſpectus ac inuiſus Philippo patri.

Et ipſe iuuenis haud dubiè inflatior redierat,ſubnixus erga ſe iudiciis ſenatus,conceſsíſque ſibi,quæ patri negata eſſent. & omnis mentio Romanorum quantam dignitatem ei apud cæteros Macedonas, tantam inuidiam non apud fratrem modò,ſed etiam apud patrem conciliabat: vtique poſteaquam alii legati Romani venerunt,& cogebatur decedere Thracia, præſidiáque deducere,& alia aut ex decreto priorum legatorum,aut ex noua conſtitutione ſenatus facere. ſed omnia mœrens quidem & gemens,eo magis,quòd filium frequentiorem propè cum illis,quàm ſecum cernebat:obedienter tamen aduerſus Romanos faciebat,ne quam mouendi extemplò belli cauſam præberet. auertendos etiam animos à ſuſpicione talium conſiliorum ratus,mediam in Thraciam,exercitum in Odryſas & Dentheletas & Beſſos duxit. Philippopolin vrbem fuga deſertam oppidanorum,qui in proxima montium iuga cum familiis receperant ſeſe,cepit:campeſtréſque barbaros,depopulatus agros eorum,in deditionem accepit. relicto inde ad Philippopolin præſidio, quod haud multo pòſt ab Odryſis expulſum eſt,oppidum in Derriopo condere inſtituit. Pæoniæ ea regio eſt prope Erigonnm fluuium,qui ex Illyrico per Pæoniam flnens,in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, vetere vrbe,nouam vrbem Perſeida,vt his filio maiori haberetur honos,appellari iuſsit. Dum hæc in Macedonia geruntur,Coſs. in pronincias profecti. Marcellus nuntium præmiſit ad L. Porcium proconſulem,vt ad nouum Gallorum oppidum legiones admoueret. aduenienti conſuli Galli ſeſe dediderunt. duodecim millia armatorum erant. plerique arma ex agris rapta habebant. ea ægrè patientibus iis adempta,quæque alia aut populantes agros rapnerant,aut ſecum attulerant. de his rebus qui quererentur,legatos Romam miſerunt. Introducti in ſenatum à C. Valerio Pr. expoſuerunt: ſe,ſuperante in Gallia multitudine,inopia coactos agri & egeſtate,ad quærendam ſedẽ Alpes tranſgreſſos. quæ inculta per ſolitudines viderent,ibi ſine vllius iniuria conſediſſe. oppidum quoque ædificare cœpiſſe:qnod indicium eſſet,nec agro,nec vrbi vlli vim allaturos veniſſe. nuper M. Claudium ad ſe nuntium miſiſſe:bellum ſe cum iis,ni dederentur,geſturum. ſe certam,etſi non ſpecioſam pacem,qnàm incerta belli præoptantes,dediſſe ſe prius in fidem,quàm in poteſtatem populi Romani.

L. Porcio coſ. Galli tranſalpini ſe dedunt.

I

post paucos dies iussos & agro & vrbe decedere, sese tacitos abire quò terrarum possent, in animo A
habuisse. arma deinde sibi, & postremò omnia alia quæ ferrent ageréntve, adempta. orare se S P Q R
ne in se innoxios deditos acerbius quàm in hostes sæuirent. Huic orationi senatus ita responderi
iussit. Neque illos rectè fecisse, cùm in Italiam venerint, oppidúmque in alieno agro nullius Roma
ni magistratus, qui ei prouinciæ præesset, permissu ædificare conati sint: neque senatui placere, dedi-
tos spoliari. itaque se cum iis legatos ad Coss. missuros: qui, si redeant, vnde venerint, omnia iis sua
reddi iubeant: quíque protinus eant trans Alpes, & denuntient Gallicis populis, multitudinem suam
domi contineant. Alpes propè inexuperabilem finem in medio esse. non vtique iis melius fore, qui
eas primi peruias fecissent. Legati missi L. Furius Purpurio, Q. Minutius, L. Manlius Acidinus.

Galli transalpini excedunt Italia.

Galli redditis omnibus, quæ sine cuiusquam iniuria habebant, Italia excesserunt. Legatis Romanis
transalpini populi benignè responderunt. seniores eorum nimiam lenitatem populi Romani castiga
runt: quòd eos homines, qui gentis iniussu profecti occupare agrum imperii Romani, & in alieno so
lo ædificare oppidum conati sunt, impunitos dimiserint: debuisse grauem temeritatis mercedem sta-
tui. quòd verò etiã sua reddiderint, vereri ne tanta indulgentia plures ad talia audenda impellantur.
Et exceperunt & prosecuti cum donis legatos sunt. M. Claudius Cos. Gallis ex prouincia exactis,
Istricum bellum moliri cœpit: literis ad senatum missis, vt sibi in Istriam traducere legiones liceret.

Aquileia.

Id senatui placuit. Illud agitabant, vti colonia Aquileia deduceretur. nec satis constabat, vtrum La
tinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremò Latinam potius coloniam deducendam
patres censuerunt. triumuiri creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Eodem

Mutina & Parma coloniæ ciuium Romanorũ.

anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum ciuium sunt deductæ. bina millia hominum in agro,
qui proximè Boiorum, antè Tuscorum fuerat, octona iugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. de-
duxerunt triumuiri, M. Aemylius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus. Et Saturnia
colonia ciuium Romanorum in agrum Caletranum est deducta. deduxerunt triumuiri, Q. Fabius
Labeo, C. Afranius Stellio, Tib. Sempronius Gracchus. iugera in singulos data decem. Eodem an-
no A. Terentius Propr. haud procul flumine Ibero in agro Ausetano, & prælia secunda cum Celti-

Prælia secunda cum Celtiberis facta.

beris fecit: & oppida, quæ ibi communierant, aliquot expugnauit. Vlterior Hispania eo anno in
pace fuit: quia & P. Sempronius Propr. diutino morbo est implicitus, & nullo lacessente, peroppor-
tunè quieuerunt Lusitani. Nec in Liguribus memorabile quicquam à Q. Fabio Cos. gestum. M. Mar
cellus ex Istria reuocatus, exercitu dimisso Romam comitiorum causa rediit. creauit Coss. Cn. Be-
bium Pamphilum, & L. Aemylium Paulum. Cùm M. Aemylio Lepido hic ædilis curulis fuerat.
à quo consule quintus annus erat: cùm is ipse Lepidus post duas repulsas Coss. factus esset. Prr. inde
facti, Q. Fuluius Flaccus, M. Valerius Leuinus, L. Manlius iterum, M. Ogulnius Gallus, L. Cæcilius B

Prodigia.

Dentrix, C. Terentius Istra. Supplicatio extremo anno fuit prodigiorum causa: quòd sanguinem
per biduum pluisse in area Concordiæ satis credebant: nuntiatúmque erat, haud procul Sicilia insu-
lam, quæ non antè fuerat, nouam editam è mari esse. Annibalem hoc anno Antiâs Valerius de-
cessisse author est: legatis ad eam rem ad Prusiam missis, præter T. Quintium Flamininum, cuius in
ea re celebre est nomen, L. Scipione Asiatico, & P. Scipione Nasica.

DECADIS QVARTAE LIBER DECIMVS.

Cùm Philippus liberos eorum, quos in uinculis nobilißimorum quidem hominum habebat, conquiri ad mortem iußisset, Theoxena pro liberis suis & sororis admodum pueris uerita regis libidinem, prolatis in medium gladijs. & poculo, in quo erat uenenum, suasit ijs, ut imminens ludibrium morte effugerent. & cùm persuasisset, ipsa etiam se interemit. Certamina inter Philippi Macedoniæ regis liberos Perseum & Demetrium referuntur: & ut fraude fratris sui Demetrius confictis criminibus, inter quæ accusatione parricidij, & affectati regni, primùm petitus: ad ultimum, quoniã populi Romani amicus erat, ueneno necatus est, regnúmque Macedoniæ mortuo Philippo ad Perseum deuenit. Item res in Liguribus, & Hispania contra Celtiberos à compluribus feliciter gestas continet. Libri Numæ Pompilij in agro L. Petilij scribæ sub Ianiculo à cultoribus agri in arca lapidea clausi & Græci & Latini inuenti sunt. in quibus plura, quæ dissoluendarum religionum erant, prætor ad quem delati erant, cùm legisset, iurauit senatui contra rempub. esse, ut legerentur, seruarentúrque, & ex S C in comitio exusti sunt. Colonia Aquileia deducta est. Philippus ægritudine animi confectus, quòd Demetriũ filiũ falsis alterius filij in eundẽ delationibus impulsus ueneno sustulisset, & de pœna Persei cogitauit, uolui-que Antigonũ potius amicum suum successorem regni sui relinquere. sed in hac cogitatione morte raptus est: regnũ Perseus accepit.



PRINCIPIO insequentis anni Coss. prætoresque sortiti prouincias sunt. consulibus nulla præter Ligures, quæ decerneretur, erat. Iurisdictio vrbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio euênit. Hispaniarum Q. Fuluio Flacco citerior, P. Manlio vlterior, L. Cæcilio Dentrici Sicilia, C. Terentio Istræ Sardinia. Coss. delectus habere iussi. Q. Fabius ex Liguribus scripserat, Apuanos ad rebellionem spectare: periculúmque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent. Et ex Hispaniis citeriorem in armis esse, & cum Celtiberis bellari sciebant: in vlteriore, quia diu æger Pr. esset, luxuria & otio solutam disciplinam militarẽ esse. Ob ea nouos exercitus conscribi placuit. quatuor legiones in Ligures: vti singulæ quina millia, & ducenos pedites, trecenos haberent equites: sociorũ iisdem Latini nominis x v. millia peditũ addita, & octingenti equites. hi duo cõsulares exercitus essent. scribere præterea iussi septẽ millia peditum sociorũ ac Latini nominis, & quadringentos equites, & mittere ad M. Marcellũ in Galliam: cui ex consulatu prorogatũ imperium erat. in Hispaniá etiam vtranque quæ ducerẽtur, quatuor millia peditum ciuium Romanorũ, & cc. equites,

A equites,& sociorum septem millia peditũ cum c c c.equitibus scribi iussa.& Q.Fabio Labeoni cum exercitu,quem habebat in Liguribus,prorogatum in annum imperium est. Ver procellosum eo anno fuit.pridie parilia medio fermè die atrox cum vento tempestas coorta,multis sacris profanisque locis stragē fecit.signa ænea in Capitolio deiecit:forē ex æde Lunæ,quæ in Auentino est,raptã tulit, & in posticis parietibus Cereris tēpli affixit:signa alia in circo maximo cũ columnis,quibus superstabant,euertit:fastigia aliquot templorũ à culminibus abrupta fœdè dissipauit.itaque in prodigiũ versa ea tempestas,procurarique aruspices iusserunt.simul procuratũ est,quòd tripedē mulũ Reate natum nunciatum erat:& à Formiis ædē Apollinis ac Caietæ de cælo tactam.ob ea prodigia x x.hostiis maioribus sacrificatum est,& diē vnum supplicatio fuit. Per eosdem dies ex literis A. Terentii proprætoris cognitũ,P.Sempronium in vlteriore prouincia,cùm plus annũ æger fuisset, mortuum esse.eo maturius in Hispaniã Prr.iussi proficisci.Legationes transmarinæ deinde in senatũ introductæ sunt.prima Eumenis & Pharnacis regũ,& Rhodiorum querentium de Sinopensium clade.Philippi quoque legati & Achæorũ & Lacedæmoniorum sub idē tempus venerunt.iis prius Martio audito,qui ad res Græciæ Macedoniæque visendas missus erat,responsa data sunt. Asiæ regibus ac Rhodiis responsum est,legatos ad eas res visendas missurum senatũ. De Philippo auxerat curã Martius. nam ita fecisse eum quæ senatui placuissent,fatebatur,vt facilè appareret,non diutius quàm necesse esset,facturũ:neque obscurum erat rebellaturum,omniaque quæ tunc ageret diceretque,eò spectare. Iam primùm omnē ferè multitudinem ciuium ex maritimis ciuitatibus cum familiis suis in Emathiam,quæ nũc dicitur,quondã appellata Pæonia est,traduxit:Thracibusque & aliis barbaris vrbes tradidit habitandas:fidiora hæc genera hominũ fore ratus in Romano bello. Ingentē ea res fremitũ in tota Macedonia fecit.relinquentesque penates suos cum coniugibus ac liberis pauci tacitum dolorem cõtinebant:execrationesque in agminibus proficiscentium in regem,vincente odio metum, exaudiebantur.His ferox animus omnes homines,omnia loca tēporáque suspecta habebat. Postremò negare propalàm cœpit,satis tutum sibi quicquam esse:nisi liberos eorum quos interfecisset,cõprehensos in custodia haberet,& tempore alium alio tolleret.Eam crudelitatē fœdam per se,fœdiorem vnius domus clades fecit. Herodicum principem Thessalorum multis antè annis occiderat. generos quoque eius postea interfecit.in viduitate relictæ filiæ, singulos filios paruos habentes. Theoxena & Archo nomina his mulieribus erant.Theoxena multis petentibus aspernata nuptias est.Archo Poridi cuidam longè principi gētis Aenianum nupsit:& apud eum plures enixa partus, paruis admodum relictis omnibus,decessit.Theoxena,vt in suis manibus liberi sororis educarētur, Poridi nupsit:& tanquam omnes ipsa enixa foret,suum sororisque filios in eadē habebat cura.postea

Prodigia.

Philippi crudelitas.

B quam regis edictum de comprehendendis liberis eorum,qui interfecti essent,accepit:ludibrio futuros non regis modò,sed custodum etiã libidinis rata,ad rem atrocē animum adiecit.ausáque est dicere,se sua manu pótius omnes interfecturam,quàm in potestatē Philippi venirent.Poris abominatus mentionē tam fœdi facinoris,Athenas deportaturum eos ad fidos hospites dixit,comitémque ipsum fugæ futurum esse.Proficiscuntur ab Thessalonica Aeniã ad statum sacrificiũ,quod conditori Aeneæ cum magna cærimonia quotannis faciunt.ibi die per solennes epulas cõsumpto,nauem præparatam à Poride sopitis omnibus de tertia vigilia conscendunt,tanquã redituri in Thessalonicam. sed traiicere in Eubœam erat propositũ.cæterùm in aduersum ventum nequicquam eos tendentes, prope terram lux oppressit.& regii,qui præerant custodiæ portus,lembum armatum ad pertrahendam eam nauim miserunt,cum graui edicto,ne reuerterentur sine ea.Cùm iam appropinquabant,Poris quidem ad hortationē remigum nautarúmque intentus erat:interdũ manus ad cælum tendens, opem vt dii ferrent,orabat.ferox interim fœmina ad multo antè præcogitatum reuoluta facinus,venenum diluit,ferrúmque promit.& posito in conspectu poculo,strictisque gladiis,mors,inquit,vna vindicta est.viæ ad mortē hæ sunt.qua quenque animus fert,effugite superbiam regiam.agite iuuenes mei primũ qui maiores estis,capite ferrum:aut haurite poculũ,si segnior mors iuuat. Et hostes aderant,& author mortis instabat.alii alio letho absumpti semianimes è naue præcipitãtur. ipsa deinde virum comitē mortis complexa in mare sese deiecit.naue vacua dominis regii potiti sunt. Huius atrocitas facinoris nouam velut flammam regis inuidiæ adiecit,vt vulgo ipsum liberósque eius execrarentur.quæ diræ breui ab omnibus diis exauditæ,vt sæuiret ipse in suum sanguinē,effecerunt. Perseus enim,cùm indies magis cerneret fauorē dignitatémque Demetrii fratris apud Macedonũ multitudinē crescere,& gratiam apud Romanos,sibi spem nullã regni superesse nisi in scelere ratus, ad id vnum omnes cogitationes intendit.cæterùm cùm se ne ad id quidē,quod muliebri cogitabat animo,satis per se validum crederet:singulos amicorũ patris tentare sermonibus perplexis instituit. & primò quidam ex his,aspernatium tale quicquã speciē præbuerũt,quia plus in Demetrio spei ponebant.deinde crescēte indies Philippi odio in Romanos,cui Perseus indulgeret,Demetrius summa ope aduersaretur:prospiciētes animo exitũ incauti à fraude fraterna iuuenis,adiuuãdũ quod futurũ erat rati,souendámque spē potentioris,Perseo se adiungunt:cætera in suũ quæque tēpus agenda differunt.in præsentia placet,omni ope in Romanos accendi regē,impellique ad cõsilia belli,ad quæ iam sua sponte animum inclinasset.simul vt Demetrius in dies suspectior esset,ex cõposito sermones ad spretionē Romanorum trahebant.ibi cũ alii mores & instituta eorũ,alii res gestas,alii speciē ipsius vrbis nondũ exornatæ,neque publicis,neque priuatis locis,alii singulos principũ eluderent,iuuenis incautus amore nominis Romani,& certamine aduersus fratrē,omnia tuendo suspectum se patri,& opportunũ criminibus faciebat.itaque expertē eũ pater omnium de rebus Romanis cõsiliorũ habe-

Perseus Demetrio fratri infensus.

bat.totus in Persea versus,cum eo cogitationes eius rei dies ac noctes agitabat.Redierant,quos fortè miserat in Bastarnas ad accersenda auxilia:adduxerántque inde nobiles iuuenes,& regii quosdā generis.quorum vnus sororem suam in matrimonium Philippi filio pollicebatur:erexerátque consociatio gentis eius animum regis.Tum Perseus:Quid ista prosunt?inquit.nequaquam tantū in externis auxiliis est præsidii,quantum periculi fraude domestica.proditorem nolo dicere,certè speculatorem habemus in sinu:cuius,ex quo obses Romæ fuit,corpus nobis reddiderunt Romani,animū ipsi habent.omnium penè Macedonum in eum ora conuersa sunt,nec regem se aliū habituros aiunt, quàm quē Romani dedissent.His per se ægra mens senis stimulabatur,& animo magis quàm vultu ea crimina accipiebat.Fortè lustrandi exercitus venit tempus,cuius solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ,& prior pars ad dexteram cum extis,posterior ad læuam viæ ponitur.inter hanc diuisam hostiam copiæ armatæ traducuntur.præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab vltima origine Macedoniæ regum,deinde rex ipse eum liberis sequitur.proxima est regia cohors,custodésque corporis:postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit.latera regis duo filii iuuenes cingebant,Perseus iam tricesimum annum agens, Demetrius quinquennio minor:medio iuuentæ robore ille,hic flore:fortunati patris matura soboles,si mens sana fuisset.Mos erat lustrationis,sacro peracto exercitum decurrere,& diuisas bifariam duas acies cōcurrere ad simulachrum pugnæ.regii iuuenes duces ei ludicro certamini dati.cæterùm non imago fuit pugnæ,sed tanquam de regno dimicaretur,ita concurrerunt:multáque vulnera sudibus facta,nec præter ferrum quicquam defuit ad iustā belli speciē.Pars ea quæ sub Demetrio erat,longè superior fuit.id ægrè patiente Perseo,lætari prudentes amici eius,eámque rem ipsam dicere præbituram causam criminandi iuuenis. Conuiuium eo die sodaliū,qui simul decurrerant,vterque habuit:cū vocatus ad cœnā ab Demetrio Perseus negasset.festo die inuitatio benigna,& hilaritas iuuenilis vtrosque in vinum traxit.commemoratio ibi certaminis ludicri,& iocosa dicta in aduersarios,ita vt ne ipsis quidē ducibus abstineretur,iactabantur.ad has excipiendas voces speculator ex conuiuis Persei missus cùm incautior obuersaretur,exceptus à iuuenibus fortè triclinio egressis malè mulctatur. Huius rei ignarus Demetrius,Quin comessatum,inquit,ad fratrē imus?& iram eius,si qua ex certamine residet,simplicitate & hilaritate nostra lenimus?omnes se ire cōclamarunt,præter eos,qui speculatoris ab se pulsati præsentem vltionē metuebant.cum eos quoque Demetrius traheret:ferrū veste abdiderunt,quò se tutari,si qua vis fieret,possent.Nihil occulti esse in intestina discordia potest:vtraque domus speculatorū & proditorū plena erat.præcucurrit index ad Persea,ferro succinctos nuntiās cum Demetrio quatuor adolescentes venire.& si causa apparebat,(nam ab iis pulsatū conuiuā suum audierat)tamen infamandæ rei causa ianuā obserari iubet:& ex parte superiore ædiū,versísque in viam fenestris,comessatores tanquā ad cædē suam venientes aditu ianuæ arcet. Demetrius per † vinū quòd excluderetur paulisper vociferatus,in conuiuiū redit,totius rei ignarus.Postero die Perseus quum primū conueniendi potestas patris fuit,regiam ingressus perturbato vultu in conspectu patris tacitus procul constitit.cui cùm pater,Satin saluæ?& quænā ea mæstitia esset?interrogaret eū:de lucro tibi,inquit,viuere me scito.iam nō occultis à fratre petimur insidiis.nocte cum armatis domū ad interficiendū me venit:clausísque foribus,parietū præsidio me à furore eius sum tutatus.Cùm pauorē mistum admiratione patri iniecisset:Atqui si aures præbere potes,inquit,manifestā rem teneas,faciā. Enimuero se Philippus dicere auditurū,vocaríque extēplo Demetrium iussit:& seniores duos amicos,expertes inter fratres certaminum,infrequentes iam in regia,Lysimachū & Onomastū accersit,quos in consilio haberet.Dum veniunt amici,solus,filio procul stante,multa secū animo volutans inambulauit. posteaquam venisse eos nuntiatū est,secessit in partem interiorē cum duobus amicis,totidē custodibus corporis.filiis vt ternos inermes secum introducerent,permisit. Ibi cùm consedisset:Sedeo,inquit,miserrimus pater iudex inter duos filios,accusatorē parricidii,& reum,aut conficti aut admissi criminis labem apud meos inuenturus.Iampridem quidē hanc procellam imminentē timebam,cū vultus inter vos minimè fraternos cernerē,cùm voces quasdam exaudirem.sed interdū spes animū subibat,deflagrare iras vestras,purgari suspiciones posse.etiam hostes armis positis fœdus icisse,& priuatas multorum simultates finitas.subituram vobis aliquando germanitatis memoriam,puerilis quondam simplicitatis cōsuetudinísque inter vos,meorū denique præceptorum:quæ vereor ne vana surdis auribus cecinerim.Quoties ego audientibus vobis detestatus exēpla discordiarum fraternarum,horrendos euentus eorū retuli?quibus se stirpémque suā,domos,regna funditus euertissent? meliora quoque exēpla parte altera posui,sociabilē consortionē inter binos Lacedæmoniorū reges, salutarem per multa secula ipsis patriæque.eandē ciuitatem,posteaquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit,euersam.iam hos Eumenē Attalúmque fratres à quàm exiguis rebus,propè vt puderet regii nominis:mihi,Antiocho,& cuilibet regum huius ætatis,nulla re magis quàm fraterna vnanimitate regnum æquasse.ne Romanis quidem exemplis abstinui,quæ aut visa,aut audita habebam:T.& L.Quintiorum,qui bellum mecum gesserunt:P.& L.Scipionum,qui Antiochum deuicerunt:patris patruíque eorum,quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque miscuit.neque vos illorū scelus,similísque sceleri euentus deterrere à vecordi discordia potuit:neque horum bona mens,bona fortuna,ad sanitatē flectere.Viuo & spirāte me hæreditatem meam ambo & spe & cupiditate improba creuistis.eousque me viuere vultis,donec alterius vestrûm superstes,haud ambiguum regem alterum mea morte faciam.nec fratrem,nec patrem potestis pati.nihil cari,nihil sancti est:in omniū vicem regni vnius insatiabilis amor successit.Agite conscelerate aures paternas:decernite

Solenne lustrandi exercitus Macedonici.

† Aliàs viā.

Perseus Demetrium fratrem apud Philippū patrem parricidij accusat.

Philippi ad filios suos oratio.

A cernite criminibus,mox ferro decreturi:dicite palàm,quicquid aut veri poteſtis,aut comminiſci libet.reſeratæ aures ſunt,quæ poſthac ſecretis alterius ab altero criminibus claudentur. Hæc furens ira cùm dixiſſet, lacrymæ omnibus obortæ,& diu mœſtum ſilentium tenuit. Tum Perſeus.

Perſei oratio Demetrium accuſantis.

Aperienda nimirum nocte ianua fuit,& armati comeſſatores accipiendi,præbendúmque ferro iugulum. quando non creditur niſi perpetratum facinus,& eadem petitus inſidiis audio,quæ latro atque inſidiator,nequicquam iſti vnum Demetrium filium te habere,me ſubditum & pellice genitum appellant.nam ſi gradum,ſi caritatem filii apud te haberem:non in me querentem deprehenſas inſidias, ſed in eum qui feciſſet,ſæuires:nec adeò tibi vilis vita eſſet noſtra,vt nec præterito periculo meo moucreris,neque futuro,ſi inſidiantibus ſit impunè.itaque ſi mori tacitum oportet,taceamus , precati tantùm deos,vt à me cœptum ſcelus in me finem habeat,nec per meum latus tu petaris.ſin autem, quod circunuentis in ſolitudine natura ipſa ſubiicit,vt hominum,quos nunquam viderint,fidem tamen implorent:mihi quoque ferrum in me ſtrictum cernenti vocẽ mittere liceat:per te,patriúmque nomen,quod vtri noſtrûm ſanctius ſit,iampridem ſentis,ita me audias precor , tanquam ſi voce & comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interueniſſes:Demetriũ cum armatis nocte intempeſta in veſtibulo meo deprehendiſſes.quod tum vociferarer in re præſenti pauidus,hoc nunc poſtero die queror.Frater,non comeſſantium in vicem iamdiu viuimus inter nos:regnare vtique vis: huic ſpei tuæ obſtat ætas mea,obſtat gentiũ ius,obſtat vetuſtus Macedoniæ mos,obſtat verò etiam patris iudicium.huc tranſcendere,niſi per meũ ſanguinẽ,non potes.omnia moliris & tentas.adhuc ſeu cura mea,ſeu fortuna reſtitit parricidio tuo.Heſterna die in luſtratione & decurſu & ſimulachro ludicro pugnæ funeſtum propè prælium feciſti.nec me aliud à morte vindicauit,quàm quòd me ac meos vinci paſſus ſum. ab hoſtili prælio tanquam fraterno luſu pertrahere me ad cœnam voluiſti. Credis me pater inter inermes conuiuas cœnaturum fuiſſe,ad quem armati comeſſatum venerunt? credis nihil à gladiis nocte periculum fuiſſe,quem ſudibus te inſpectante propè occiderunt? Quid hoc noctis,quid inimicus ad iratum,quid cum ferro ſuccinctis iuuenibus venis?conuiuam me tibi cõmittere auſus nõ ſum,comeſſatorem te cum armatis venientem recipiam? Si aperta ianua fuiſſet, funus meum parares hoc tẽpore pater,quo querentem audis. Nihil ego tanquam accuſator crimonoſè,nec dubia argumentis colligendo ago.quid enim?negat ſe cum multitudine veniſſe ad ianuam meam?an ferro ſuccinctos ſecũ fuiſſe?quos nominauero,accerſe. poſſunt quidem omnia audere,qui hoc auſi ſunt.non tamen audebunt negare.ſi deprehenſos intra limẽ meum cum ferro ad te ducerẽ, pro manifeſto haberes:fatẽtes pro deprehenſis habe.Execrare nunc cupiditatẽ regni,& furias fraternas concita.ſed ne ſint cæcæ pater execrationes tuæ,diſcerne & diſpice inſidiatorẽ & petitũ inſi-

B diis:noxium huic eſſe caput,qui occiſurus fratrem fuit,habeat etiam iratos paternos deos:qui periturus fraterno ſcelere fuit,perfugium in patris miſericordia & iuſtitia habeat.quò enim aliò confugiam?cui non ſolenne luſtrale exercitus tui,non decurſus militũ,non domus,non epulæ,non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus,tuta eſt?ſi iero ad fratrem inuitatus,moriendũ eſt:ſi recepero intra ianuam comeſſatum fratrẽ,moriendũ eſt.nec eundo,nec manendo inſidias euito.quò me conferam?Nihil præter deos pater,& te colui.non Romanos habeo,ad quos confugiam.periſſe expetunt,quia tuis iniuriis doleo,quia tibi ademptas tot vrbes,tot gentes,modò Thraciæ maritimam oram indignor.nec me,nec te incolumi Macedoniam ſuam futuram ſperãt.ſi me ſcelus fratris,te ſenectus abſumpſerit,aut nec ea quidem expectata fuerit, regem regnúmque Macedoniæ ſua futura ſciunt.Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquiſſent,mihi quoque id relictum crederem receptaculum.At in Macedonibus ſatis præſidii eſt.Vidiſti heſterno die impetum in me militum.quid illis defuit,niſi ferrum?quod illis defuit interdiu,cõuiuæ fratris noctu aſſumpſerunt.Quid de magna parte principum loquar?qui in Romanis ſpem omnem dignitatis & fortunæ poſuerunt,& in eo qui omnia apud Romanos poteſt.neque hercule iſtum mihi tantùm fratri maiori,ſed propè eſt vt tibi quoque ipſi regi & patri præferant.iſte enim eſt,cuius beneficio pœnã tibi ſenatus remiſit,qui nunc te ab armis Romanis protegit,qui tuam ſenectutem obligatam & obnoxiam adoleſcentiæ ſuæ eſſe æquum cenſet.pro iſto Romani ſtant,pro iſto omnes vrbes tuo imperio liberatæ,pro iſto Macedones,qui pace Romana gaudent.mihi præter te pater,quid vſquam aut ſpei aut præſidii eſt? Quò ſpectare illas literas ad te nunc miſſas T. Quintii credis? quibus & bene te conſuluiſſe rebus tuis ait, quòd Demetrium Romam miſeris:& hortatur,vt iterũ & cum pluribus legatis,& primoribus quoque Macedonũ remittas eum?T.Quintius nunc eſt author omnium rerum iſti,& magiſter.eum ſibi, te abdicato patre,in locum tuum ſubſtituit.illic antè omnia clandeſtina concocta ſunt conſilia.quæruntur adiutores conſiliis,cùm te plures,& principes Macedonũ cum iſto mittere iubet. qui hinc integri & ſynceri Romã eunt,Philippum regẽ ſe habere credentes,imbuti illinc & infecti Romanis delinimentis redeunt.Demetrius iis vnus omnia eſt,eum iam regem viuo patre appellãt.Hæc ſi indignor,audiendum eſt ſtatim nõ ab aliis ſolùm,ſed etiam à te pater cupiditatis regni crimen.ego verò,ſi in medio ponitur,non agnoſco.quem enim ſuo loco moueo,vt ipſe in eius locum ſuccedam? vnus antę me pater eſt:& vt diu ſit,deos rogo.ſuperſtes ei ita ſim,ſi merebor,vt ipſe me eſſe velit.hæreditatẽ regni ſi pater tradet,accipiam. Cupit regnum,& quidem ſceleratè cupit,qui tranſcendere feſtinat ordinẽ ætatis,naturæ,moris Macedonũ,iuris gentiũ. Obſtat frater maior,ad quem iure,voluntate etiam patris,regnum pertinet.tollatur.nõ primus regnũ fraterna cæde petiero.pater ſenex, & filio ſolus orbatus,de ſe magis timebit,quàm vt filii necem vlciſcatur. Romani lætabuntur,probabunt,defendent factum.Hæ ſpes incertæ pater,ſed non inanes ſunt.ita enim res ſe habet : pericu-

lum vitæ propellere à me potes,puniendo eos qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt: si fa- A
cinori eorum successerit,mortem meam idem tu persequi non poteris. Posteaquam dicendi finem
Perseus fecit,coniecti eorum qui aderant oculi in Demetrium sunt, velut confestim responsurus
esset.deinde diu silentium fuit.Cùm perfusum fletu adpareret omnibus loqui non posse,tandem vi-

Demetrij oratio qua sese apud patrem purgat aduersus fratris crimina.

cit dolorem ipsa necessitas,cùm dicere iuberent.atque ita orsus est. Omnia quæ reorum antea fue-
rant auxilia, pater,præoccupauit accusator: Simulatis lacrymis in alterius perniciem,veras meas la-
crymas suspectas tibi fecit.cùm ipse ex quo ab Roma redii,per occulta cum suis colloquia dies no-
ctesque insidietur,vltro mihi non insidiatoris modò,sed latronis manifesti & percussoris speciem
induit. Periculo suo te exterret , vt innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. perfugium
sibi nusquam gentium esset ait,vt ego ne apud te quidem quicquam spei reliquæ habeam.circunuen
tum,solum,inopem,inuidia gratiæ externæ,quæ obest potius quàm prodest,onerat. Iam illud quàm
accusatoriè?quòd noctis huius crimen miscuit cum cætera insectatione vitæ meæ? vt & hoc,quod
iam quale sit scies,suspectum alio vitæ nostræ tenore faceret : & illam vanam criminationem spei,
voluntatis,consiliorum meorum,nocturno hoc ficto & composito argumento fulciret.simul & il-
lud quæsiuit,vt repentina & minimè præparata accusatio videretur: quippe ex noctis huius metu &
tumultu repentino exorta.Oportuit autem Perseu,si proditor ego patris regníque eram,si cum Ro-
manis,si cum aliis inimicis patris inieram consilia,non expectatam fabulam noctis huius esse ,sed
proditionis meæ antè me accusatum:si illa separata ab hac vana accusatio erat,inuidiámque tuam
aduersus me magis quàm crimen meum indicatura,hodie quoque eam aut prætermitti,aut in aliud
tempus differri:vt perspiceretur,vtrum ego tibi,an tu mihi nouo quidem & singulari genere odii,
insidias fecisses.ego tamen quantum in hac subita perturbatione potero,separabo ea quæ tu confu-
disti:& noctis huius insidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi sui consilium me inisse, videri
vult;vt scilicet maiore fratre sublato,cuius iure gentium,more Macedonum , tuo etiam,ut ait,iudi-
cio regnum est futurum:ego minor in eius quem occidissem,succederem locum. Quid ergo *illa si-
bi* vult pars altera orationis,qua Romanos à me cultos ait?atque eorum fiducia in spem regni me
venisse?nam si & in Romanis tantum momenti esse credebam , vt quem vellene, imponerent Ma-
cedoniæ regem:& meæ tantum apud eos gratiæ confidebam,quid opus parricidio fuit?an vt cruen-
tum fraterna cæde diadema gererem?vt illis ipsis,apud quos aut vera,aut certè simulata probitate
partam gratiam habeo,si quam fortè habeo,execrabilis & inuisus essem ? nisi T.Quintium credis,
cuius virtute & cousiliis me nunc arguis regi,cùm & ipse tali pietate viuat cum fratre,mihi frater-
næ cædis fuisse authorem.Idem non Romanorum solùm gratiam,sed Macedonum iudicia,ac penè
omnium deorum hominúmque consensum collegit,per quæ omnia se mihi parẽ in certamine non B
futurum crediderit;idem tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem,ad sceleris spem vltimam
confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cogitationis esse?vt vter timuerit,ne alter dignior vi-
deretur regno,is consilium opprimendi fratris cepisse iudicetur?Exequamur tamen quocunque mo
do conficti ordiuem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est:& omneis insidiarum vias
in vnum diem contulit.volui interdiu eum post lustrationem,cùm concurrimus,& quidem,si diis
placet,lustrationum die occidere.volui,cùm ad cœnam inuitaui,veneno scilicet tollere.volui cùm
comessatum gladiis accincti me secuti sunt,ferro interficere.tempora quidem qualia sint ad parrici-
dium electa,vides:lusus,conuiuii,comessationis:quis dies?qualis?quo lustratus exercitus.quo inter
diuisam victimam prælatis omnium qui vnquam fuere Macedoniæ regum armis regiis,duo soli tua
tegentes latera,pater,præfecti sumus,& secutum est Macedonum agmen.hoc ego,etiam si quid antè
admisissem piaculo dignum,lustratus & expiatus sacro,tum cùm maximè iu hostiam itineri nostro
çircundatam intuens,parricidium,venena,gladios in comessationem præparatos volutabam in ani
mo,vt quibus aliis deinde sacris cõtaminatam omni scelere mentem expiarem?sed cæcus criminan
di cupiditate animus,dum omuia suspecta efficere vult,aliud alio confundit.nam si veneno te inter
cœnam tollere volui,quid minus aptum fuit,quàm pertinaci certamine & concursu iratum te effice-
re?vt meritò,sicut fecisti,inuitatus ad cœuam abnueres?cùm autem iratus negasses,vtrum vt placa-
rem te danda opera fuit,vt aliam quærerem occasionem,quoniam semel venenum parau eram : an
ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit,vt ferro te,& quidem eo die per speciem comessa-
tionis occiderem?quo deinde modo,si te metu mortis credebam cœnam euitasse meam,non ab eo-
dem metu comessationem quoque euitaturum existimabam?Non est res,qua erubescam pater,si die
festo inter æquales largiore vino sum vsus:tu quoque velim inquiras,qua lætitia,quo lusu apud me
celebratum hesternum conuiuiũ sit,illo etiam (prauo forsitan) gaudio prouehente,quod in iuuenili
armorum certamine pars nostra non inferior fuerat.miseria hæc & metus crapulam facilè excusse-
runt:quæ si non interuenissent,insidiatores nos sopiti iaceremus.Si domum tuam expugnaturus,ca-
pta domo dominum interfecturus eram,non temperassem vino in vnum diem?non milites absti-
nuissem meos? Et ne ego me solus nimia simplicitate tuear,ipse quoque minimè malus ac suspicax
frater,nihil aliud scio,inquit,nihil arguo,nisi quòd cum ferro comessatum venerunt.si quæram,vnde
idipsum scieas: necesse erit te fateri,aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam,aut illos
ita apertè sumpsisse ferrum,vt omnes viderent.Et ne quid ipse aut prius inquisisse,aut nunc crimino-
se argumenrari videretur,te quærere ex iis quos nominasset,iubebat:an ferrum habuissent?vt tan-
quam in re dubia cum id quæsisses,quod ipsi fatentur,pro conuictis haberentur. Quin tu illud quæri
iubes?num tui occidendi causa ferrum sumpserint?num me authore & sciente?hoc enim videri vis,
non

A non illud quod fatentur.& palàm est,& sui se tuendi causa sumpsisse dicunt.rectè an perperam fecerint,ipsi sui facti rationem reddent.meam causam quæ nihil eo facto contingitur,ne miscueris.aut explica,vtrum apertè an clàm te aggressuri fuerimus?si apertè,cur nos omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuum speculatorem pulsarunt?si clàm,quis ordo consilii fuit?conuiuio soluto cùm comessator ego discessissem,quatuor substitissent,vt sopitum te aggrederentur?quomodo fefellissent,& alieni,& mei,& maximè suspecti,quia paulo antè in rixa fuerant?quomodo autem trucidato te ipsi euasuri fuerint?quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit? Quin tu omissa ista nocturna fabula,ad id quod doles,quod inuidiam vrit,reuerteris?cur vsquam regni tui mentio fit Demetri?cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris,quàm ego?cur spem meam,quæ si tu non esses,certa erat,dubiam & solicitam facis?Hæc sentit Perseus,etsi non dicit:hæc istum inimicum,hæc accusatorem faciunt:hæc domum,hæc regnum tuum,criminibus & suspicionibus replent.Ego antè,pater,quemadmodum nec nunc sperare regnum,nec ambigere vnquam de eo forsitan debeam,quia minor sum,quia tu me maiori cedere vis: sic illud nec debui facere,nec debeo, vt indignus te patre,indignus omnibus videar.id enim vitiis meis,non cedendo cui ius fásque est, non modestia consequar.Romanos obiicis mihi:& ea quæ gloriæ esse debent,in crimen vertis.ego nec obses Romanis vt traderer,nec vt legatus mitterer Romam,petii:à te missus,ire non recusaui. vtroque tempore ita me gessi,ne tibi pudori,ne regno tuo,ne genti Macedonum essem.itaque mihi cum Romanis amicitiæ causa tu fuisti pater.quoad tecum illis pax manebit,mecum quoque gratia erit.si bellum esse cœperit,qui obses,qui legatus pro patre non inutilis fui,idem hostis illis acerrimus ero.Nec hodie vt prosit mihi gratia Romanorum,postulo:ne obsit,tantum deprecor.nec in bello cœpit,nec ad bellũ reseruatur.pacis pignus fui,ad pacem retinendam legatus missus sum.neutra res mihi nec gloriæ nec crimini sit.Ego si quid impiè in te pater,si quid sceleratè in fratrem admisi, nullam deprecor pœnã.si innocens sum,ne inuidia cõflagrem,cùm crimine non possim,deprecor. Non hodie me primùm frater accusat:sed hodie primùm apertè,nullo meo in se merito. Si mihi,pater,succenseret,te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat,te adolescentiæ,te errori veniam impetrare.in eo vbi præsidium esse oportebat,ibi exitium est. E conuiuio & comessationibus propè semisomnus raptus sum ad causam parricidii dicendam.sine aduocatis,sine patronis,ipse pro me dicere cogor.si pro alio dicendum esset,tempus ad meditandum & componendam orationem sumpsissem,cùm quid aliud quàm ingenii fama periclitarer?ignarus quid accersitus essem,te iratum & iubentem dicere causam,fratrem accusantem audiui.ille diu antè præparata,meditata in me oratione est vsus:ego id tantum tẽporis,quo accusatus sum,ad cognoscẽdum quid ageretur habui.vtrũ
B momento illo horæ accusatorem audirem?an defensionem meditarer?attonitus repentino atque inopinato malo,vix quid obiiceretur,intelligere potui:nedum satis sciam quo modo me tuear. Quid mihi spei esset,nisi patrem iudicem haberem?apud quem etiam si caritate à fratre maiore vincor,misericordia certè reus vinci non debeo.ego enim vt me mihi tibíque serues,precor:ille vt me in securitatem suam occidas,postulat.quid eum cùm regnum ei tradideris,facturum credis in me esse, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?Dicenti hæc,lacrymæ simul spiritum & vocem incluserunt.Philippus summotis iis,paulisper collocutus cum amicis,pronuntiauit:non verbis se,nec vnius horæ disceptatione causam eorum diiudicaturum,sed inquirendo in vtriusque vitam,mores & dicta factáque in magnis paruísque rebus obseruando:vt omnibus appareret,noctis proximæ crimen facile reuictum,suspectam nimiam cum Romanis Demetrii gratiam esse. Hæc viuo Philippo velut semina iacta sunt Macedonici belli,quod maximè cum Perseo gerendum erat. Consules ambo in Ligures,quæ tum vna consularis prouincia erat proficiscuntur.& quia prosperè ibi res gesserunt,supplicatio in vnum diem decreta est.Ligurum duo millia ferè ad extremum finem prouinciæ Galliæ,vbi castra Marcellus habebat,venerunt vti reciperẽtur orãtes.Marcellus opperiri eodem loco Liguribus iussis,senatum per literas consuluit.senatus rescribere M. Ogulnium prætorem Marcello iussit:verius fuisse,consules, quorum prouincia esset,quàm se,quid è republica esset, decernere.tum quoque non placere sibi,si per deditionem Ligures recipiet,receptis arma adimi. atque eos ad consules mitti senatum æquum censere. Prætores eodem tempore,P.Manlius in vlteriorem Hispaniam,quam & priore prætura prouinciam obtinuerat:Q.Fuluius Flaccus in citeriorẽ peruẽnit,exercitúmque à Terentio accepit.nam vlterior morte P.Sempronii proprætoris sine imperio fuerat.Fuluium Flaccum oppidum Hispanum Vrbicuam nomine, oppugnantem Celtiberi adorti sunt.dura ibi prælia aliquot facta:multi Romani milites & vulnerati & interfecti sunt.vicit perseuerantia Fuluius,quòd nulla vi abstrahi ab obsidione potuit.Celtiberi fessi præliis variis,abscesserunt. vrbs,amoto auxilio eorum,intra paucos dies capta & direpta est.prædam militibus prætor cõcessit.Fuluius hoc oppido capto,P.Manlius exercitu tantum in vnum coacto,qui dissipatus fuerat:nulla alia memorabili gesta re,exercitus in hyberna deduxerunt.Hæc ea æstate in Hispania gesta. Terentius,qui ex ea prouincia decesserat,ouans vrbem iniit.translatũ,† argenti pon IX millia CCCXX, † auri LXXX pondo:& duæ coronæ aureæ † pondo LXVII.Eodem anno inter populum Carthaginiensem & regem Masanissam in re præsenti disceptatores Romani de agro fuerunt.ceperat eum ab Carthaginiensibus pater Masanissæ Gala. Galam Syphax inde expulerat:postea in gratiam soceri Asdrubalis Carthaginiensibus dono dederat. Carthaginienses eo anno Masanissa expulerat. Haud minore certamine animorum,quàm cùm ferro & acie dimicarunt,res acta apud Romanos. Carthaginienses,quod primò maiorum suorum fuisset,deinde à Syphace ad se peruenisset,repetebant. Ma-

Res in Liguria gestæ.

De rebus Hispanicis.

† Coronæ. 93200

† Coron. 8960

† Coron. 7504

ſaniſſa paterni regni agrum ſe & recepiſſe,& habere iure gentium aiebat.& cauſa & poſſeſsione ſu- A
periorem eſſe.nihil aliud ſe in ea diſceptatione metuere,quàm ne pudor Romanorũ, dum vereantur
ne quid ſocio atque amico regi aduerſus communes ſuos atque illius hoſtes indulſiſſe videantur,
damno ſit.Legati poſſeſsionis ius non mutarunt.cauſam integram Romam ad ſenatum reiecerunt.
In Liguribus nihil poſtea geſtum.receſſerant primùm in deuios ſaltus.deinde dimiſſo exercitu,paſ-
ſim in vicos caſtelláque ſua dilapſi ſunt. Conſules quoque dimittere exercitum voluerunt,ac de ea
re patres conſuluerunt.Alterum ex his dimiſſo exercitu ad magiſtratus in annum creandos venire
Romam iuſſerunt:alterum cum legionibus ſuis Piſis hyemare.Fama erat,Gallos tranſalpinos iuuen
tutem armare:nec in quam regionem Italiæ effuſura ſe multitudo eſſet,ſciebatur.ita inter ſe conſules
compararunt,vt Cn.Bebius ad comitia iret,quia M.Bebius frater eius conſulatum petebat. Comitia
conſulibus rogandis fuere.creati P.Cornelius Lentulus,M.Bebius Pamphilus. Prætores inde facti
Prouinciarũ ſortitio. duo Q.Fabii,Maximus & Buteo,T.Claudius Nero,Q.Petilius Spurinus,M.Pinarius Poſca,L.Duro-
nius.his inito magiſtratu proninciæ ita ſorte euenerunt. Ligures conſulibus:prætoribus, Q. Petilio
vrbana,Q.Fabio Maximo peregrina,Q.Fabio Buteoni Gallia,T.Claudio Neroni Sicilia, M.Pinario
Sardinia,L.Duronio Apulia:& Iſtri adiecti,quòd Tarentini Brunduſiníque nuntiabant,maritimos
agros infeſtos tranſmarinarum nauium latrociniis eſſe.eadẽ Maſsilienſes de Ligurum nauibus que-
rebantur.Exercitus inde decreti.quatuor legiones conſulibus,quæ quina millia ducenos Romanos
pedites,trecenos haberent equites, & quindecim millia ſociũm ac Latini nominis,octingentos equi
tes. In Hiſpaniis prorogatum veteribus prætoribus imperium eſt,cum exercitibus quos haberent:
& in ſupplementum decreta tria millia ciuium Romanorum ducenti equites,& ſociũm Latini nomi
Duumuiri præficiuntur rei nauali. nis ſex millia peditum,trecenti equites.Nec rei naualis cura omiſſa.duumuiros in eam rem cõſules
creare iuſsi,per quos naues viginti deductæ naualibus ſociis ciuibus Romanis,qui ſeruitutem ſeruiſ-
ſent,complerentur:ingenui tantum in iis præeſſent.Inter duumuiros ita diuiſa tuenda denis naui-
bus maritima ora,vt promontorium iis Mineruæ velut cardo in medio eſſet:alter in dexteram partẽ
Prodigia. vſque ad Maſsiliam,læuam alter vſque ad Barium tueretur.Prodigia multa fœda & Romæ eo anno
viſa,& nuntiata peregrè.In Area Vulcani & Concordiæ ſanguinem pluit,& pontifices haſtas mo-
tas nuntiauere:& Lanuuii ſimulachrũ Iunonis Soſpitæ lacrymaſſe.& peſtilentia in agris foríſque &
conciliabulis,& in vrbe tanta erat,vt libitina tunc vix ſufficeret.His prodigiis cladibúſque anxii pa
tres decreuerunt,vt & conſules quibus diis videretur,hoſtiis maioribus ſacrificarent,& decemuiri
libros adirent.eorum decreto ſupplicatio circa omnia puluinaria Romæ in diem vnum indicta eſt.
iiſdem authoribus & ſenatus cenſuit,& conſules edixerunt,vt per totam Italiam triduum ſupplica-
Peſtilentia. tio & feriæ eſſent.Peſtilentiæ tanta vis erat, vt cùm propter defectionem Corſorum,bellúmque ab B
Iolenſibus concitatum in Sardinia,octo millia peditum ex ſociis Latini nominis ſcribi placuiſſet,
& ccc equites,quos M.Pinarius prætor ſecum in Sardiniam traiiceret:tantum hominum demor-
tuum eſſet,tantum vbique ægrorum conſules renuntiauerint,vt is numerus effici militum non po-
tuerit.quod deerat militum,ſumere à Cn.Bebio proconſule,qui Piſis hybernabat,iuſſus prætor,atque
inde in Sardiniam traiicere.L.Duronio prætori,cui prouincia Apulia euenerat,adiecta de Baccha-
nalibus quæſtio eſt:cuius reſidua quædam velut ſemina ex prioribus malis iam priore anno appa-
ruerant.ſed magis inchoatæ apud L.Puppium prætorem quæſtiones erant,quàm ad exitum vllum
Leges de ambitu latæ. perductæ.id perſecare nouum prætorem,ne ſerperet iterum latius,patres iuſſerunt.Et leges de am-
bitu conſules ex authoritate ſenatus ad populum tulerunt.Legationes deinde in ſenatum introdu-
Legationes in ſenatum introductæ. xerunt:regum primas, Eumenis, & Ariaratis Cappadocis, & Pharnacis Pontici.nec vltra quic-
quam iis reſponſum eſt,quàm miſſuros qui de controuerſiis eorum cognoſcerent,ſtatuerèntque. La
cedæmoniorum deinde exulum & Achæorum legati introducti ſunt.& ſpes data exulibus eſt,ſcri-
pturum ſenatum Achæis,vt reſtituerentur.Achæi de Meſſene recepta,compoſitiſque ibi rebus cum
aſſenſu patrum expoſuerunt. Et à Philippo rege Macedonũ duo legati venerunt,Philocles & Apel-
les,nulla ſuper re quæ ab ſenatu petenda eſſet:ſpeculatum magis inquiſitúmque miſsi de iis,quorum
Perſeus Demetrium inſimulaſſet ſermonum cum Romanis,maximè cum T. Quintio aduerſus fra-
trem de regno habitorum. Hos tanquam medios,nec in alterius fauorem inclinatos miſerat rex.
erant autem & hi Perſei fraudis in fratrem miniſtri & participes.Demetrius omnium, præterquam
fraterni ſceleris quod nuper eruperat,ignarus,primò neque magnam neque nullam ſpem habebat,
patrem ſibi placari poſſe.minus deinde indies patris animo fidebat,cùm obſideri aures à fratre cer-
neret.itaque circumſpiciens dicta factáque ſua,ne cuius ſuſpiciones augeret,maximè ab omni men
tione & contagione Romanorum abſtinebat,vt neque ſcribi ſibi vellet:quia hoc præcipuè criminũ
genere exaſperari animum ſentiebat.Philippus ſimul ne otio miles deterior fieret,ſimul auertendæ
Aemus mons. ſuſpicionis cauſa quicquam à ſe agitari de Romano bello,Stobos Pæoniæ exercitu indicto,in Mædi-
cam ducere pergit.Cupido eum ceperat in verticem Aemi montis aſcendendi, quia vulgatæ opi-
nioni crediderat:Ponticum ſimul & Adriaticum mare,& Iſtrum amnem,& Alpeis conſpici poſſe.
ſubiecta oculis ea haud parui ſibi momenti futura ad cogitationem Romani belli. Percunctatus re-
gionis peritos de aſcenſu Aemi,cùm ſatis inter omnes conſtaret, viam exercitui nullam eſſe, pau-
cis & expeditis perdifficillimum aditum: vt ſermone familiari minorem filium permulceret,
quem ſtatuerat non ducere ſecum: primùm quærit ab eo, cùm tanta difficultas itineris pro-
ponatur, vtrum perſeuerandum ſit in incepto? an abſtinendum? ſi pergat tamen ire, non
poſſe obliuiſci ſe in talibus rebus Antigoni: qui ſæua tempeſtate iactatus, cùm in eadem
naue

A naue secum suos omnes habuisset, præcepisse liberis diceretur : vt & ipsi meminissent, & ita posteris proderent, ne quis cum tota gente simul in rebus dubiis periclitari auderet. memorem ergo se præcepti eius, duos simul filios non commissurum in aleam eius, qui proponeretur, casus. & quoniam maiorem filium secum duceret, minorem ad subsidia spei & custodiam regni remissurum in Macedoniam esse. Non fallebat Demetrium ablegari se, ne adesset consilio : cùm in conspectu locorum consultaret, quà proximè itinera ad mare Adriaticum atque Italiam ducerent, quæ'que belli ratio esset futura. sed non solùm parendum patri tum, sed etiam assentiendum erat, ne inuitum parẽre suspicionem faceret. Vt tamen iter ei tutum in Macedoniam esset, Didas ex prætoribus regiis vnus, qui Pæoniæ præerat, iussus est prosequi eum cum modico præsidio. Hunc quoque Perseus, sicut plerosque patris amicorum, ex quo haud dubium cuiquam esse cœperat, ad quem ita inclinato regis animo hæreditas regni pertineret, inter coniuratos in fratris perniciem habuit. in præsentia dat ei mandata, vt per omne obsequiũ insinuaret se in quàm maximè familiarem vsum, vt elicere omnia arcana, specularísque abditos eius sensus posset. ita digreditur Demetrius cum infestioribus, quàm si solus iret, præsidiis. Philippus Mædicam primùm, deinde solitudines interiacentes Mædicæ atque Aemo transgressus, septimis demum castris ad radices montis peruẽnit. ibi vnum moratus diem, ad deligendos quos duceret secum, tertio die iter est ingressus. Modicus primò labor in imis collibus fuit. quantum in altitudinem egrediebantur, magis magísque syluestria & pleraque inuia loca excipiebant. peruenere deinde in tam opacum iter, vt præ densitate arborum immissorúmque aliorum in alios ramorum perspici cælum vix posset. vt verò iugis apropinquabant, quod rarum in aliis locis esset : adeò omnia contecta nebula, vt haud secus quàm nocturno itinere impedirentur. tertio demum die ad verticem peruentum. nihil vulgatæ opinioni digressi inde detraxerunt : magis credo ne vanitas itineris ludibrio esset, quàm quòd diuersa inter se maria montésque & amnes ex vno loco conspici potuerint. Vexati omnes, & ante alios rex ipse, quo grauior ætate erat, difficultate viæ est. duabus aris ibi, Ioui & Soli, sacratis cùm immolasset : (quatriduo ascenderat) biduo est digressus, frigora nocturna maximè metuens, quæ caniculæ ortu similia brumalibus erant. Multis per eos dies difficultatibus conflictatus, nihilo lætiora in castris inuenit : vbi summa penuria erat, vt in regione quam ab omni parte solitudines clauderent. itaque vnum tantùm moratus diem quietis eorum causa, quos habuerat secum, itinere inde simili fugæ in Dentheletas transcurrit. Socii erant : sed propter inopiam haud secus quàm hostium fines Macedones populati sunt. rapiendo enim passim villas primùm, dein quosdam vicos etiam euastarunt, non sine magno pudore regis: cùm sociorum voces nequicquam deos sociales noménque suum implorantes audiret. Frumento inde sublato, in Mædicam regressus vrbem quam Petram appellant, oppugnare est adortus. ipse à campestri aditu castra posuit. Perseum filium cum modica manu circummisit, vt à superioribus locis vrbem aggrederetur. Oppidani, cùm terror vndique instaret, obsidibus datis, in præsentia dediderunt sese. iidem, posteaquam exercitus recessit, obliti obsidum, relicta vrbe, in loca munita & montes refugerunt. Philippus omni genere laboris sine vllo effectu fatigatis militibus, & fraude prætoris Didæ auctis in filium suspicionibus, in Macedoniam rediit.

Aemum montem conscendit Philippus.

B *Petram Medicæ vrbem Philippus oppugnat.*

Missus hic comes (vt antè dictum est) cùm simplicitatem iuuenis incauti, & suis haud immeritò succẽsentis, assentando indignandóque & ipse vicem eius, captaret : in omnia vltro suam offerens operam, fide data arcana eius elicuit. Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur. cui consilio adiutor deûm beneficio oblatus videbatur Pæoniæ prætor : per cuius prouinciam spem ceperat, elabi tutò posse. Hoc consilium extemplò & fratri proditur, & authore eo indicatur patri. Literæ primùm ad obsidentem Petram allatæ sunt. inde Herodorus (princeps hic amicorum Demetrii erat) in custodiam est coniectus: & Demetrius dissimulanter asseruari iussus. Hæc super cætera tristem aduentum in Macedoniam regi fecerunt. mouebant eum & præsentia crimina. expectandos tamen quos ad exploranda omnia Romam miserat, censebat. His anxius curis cùm aliquot menses egisset, tandem legati, iam antè præmeditatis in Macedonia quæ ab Roma renunciarent, venerunt. qui super cætera scelera falsas etiam literas signo adulterino T. Quintii signatas reddiderunt regi. deprecatio erat in literis: si quid adolescens cupiditate regni prolapsus secum egisset, nihil eum aduersus suorum quenquam facturum : neque eum sese esse, qui vllius impii consilii author futurus videri possit. Hæ literæ fidem Persei criminibus fecerunt. itaque Herodorus extemplò diu excruciatus sine indicio rei vllius in tormentis moritur. Demetrium iterum ad patrem accusauit Perseus. fuga per Pæoniam præparata arguebatur : & corrupti quidam, vt comites itineris essent. maximè falsæ literæ T. Quintii vrgebant. nihil tamen palàm grauius pronunciatum de eo est, vt dolo potius interficeretur. nec id cura ipsius, sed ne pœna eius consilia aduersus Romanos nudaret. Ab Thessalonica Demetriadem ipsi cùm iter esset, ad Aestreum Pæoniæ Demetrium mittit, cum eodem comite Dida : Perseum ad Philippopolim, ad obsides Thracum accipiendos. digredienti ab se Didæ mandata dedisse dicitur, de filio occidendo. Sacrificiũ ab Dida seu institutũ, seu simulatum est: ad quod celebrandum inuitatus Demetrius ab Aestreo Heracleam venit. in ea cœna dicitur venenũ datum. poculo epoto extemplò sensit. & mox coortis doloribus, relicto conuiuio, cùm in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac Didæ scelus incusans, torquebatur. intromissi deinde, Thyrsis quidam Stubaræus, & Berreus Alexander, iniectis tapetibus in caput, faucésque, spiritum intercluserunt. ita innoxius adolescens, cùm in eo ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur. Dum hæc in Macedonia geruntur, L. Aemylius Paulus prorogato

Demetrium ad patrem iterum accusat Perseus.

Demetrius hausto veneno interficitur.

ex consulatu imperio, principio veris in Ligures Ingaunos exercitum introduxit. Vbi primùm in A hostium finibus castra posuit: legati ad eum per speciem pacis petendæ speculatum venerunt. neganti Paulo nisi cum deditis pacisci se pacem: nõ tam id recusabant, quàm tempore opus esse aiebant, vt generi agresti hominum persuaderetur. ad hoc decem dierum induciæ cùm darentur, petierunt deinde, ne trans montes proximos castris pabulatum lignatúmque milites irent. culta ea loca suorum finium esse. id vbi impetrauere, post eos ipsos montes, vnde auerterant hostem, exercitu omni coacto, repente multitudine ingenti castra Romanorum oppugnare simul omnibus portis aggressi sunt. Summa vi totum vnum diem oppugnarunt: ita, vt ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nec ad explicandam aciem locus esset. conferti in portis obstando magis quàm pugnando castra tutabantur. sub occasum solis cùm recessissent hostes, duos equites ad M. Bebium consulem cum literis Pisas mittit, vt obsesso sibi per inducias quamprimùm subsidio veniret. Bebius exercitum M. Pinario prætori eunti in Sardiniam tradiderat. cæterùm & senatum literis certiorem fecit, obsideri à Liguribus L. Aemylium: & Marco Claudio Marcello, cuius proxima inde prouincia erat, scripsit, vt si videretur ei exercitum ex Gallia traduceret in Ligures, & L. Aemylium liberaret obsidione. Hæc sera futura auxilia erant. Ligures postero die ad castra redeunt. Aemylius cùm venturos sciffet, & educere in aciem copias potuisset, intra vallum suos tenuit, vt extraheret rem in id tempus, quo Bebius cum exercitu venire à Pisis posset. Romæ magnam trepidationem literæ Bebii fecerunt: eo maiorem, quòd paucos post dies Marcellus tradito exercitu Fabio Romam cùm venisset, spem ademit eum qui in Gallia esset exercitum in Ligures traduci posse, quia bellum cum Istris esse, prohibentibus coloniam Aquileiam deduci. eò profectum Fabium, neque inde regredi bello incohato posse. Vna, & ea ipsa tardior quàm tempus postulabat, subsidii spes erat, si consules maturassent in prouinciam ire. id vt facerent, pro se quisque patrum vociferari. Consules nisi confecto delectu negare se ituros, nec suam segnitiam, sed vim morbi in causa esse, quo serius perficeretur. non tamen potuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati exirent, & militibus quos conscriptos haberent, diem dicerent, quo Pisas conuenirent. permissum vt quà irent, proximus subitarios milites scriberent, ducerentque secum. Et prætoribus Q. Petilio & Q. Fabio imperatum est, vt Petilius duas legiones ciuium Romanorum tumultuarias scriberet, & omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret: Fabio vt sociis Latini nominis x v. millia peditum, octingentos equites imperaret. Duumuiri nauales creati C. Matienus & C. Lucretius, nauésque iis ornatæ sunt: Matienóque, cuius ad Gallicum sinum prouincia erat, imperatum, vt classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo vsui esse L. Aemylio atq; eius exercitui posset.

Ligures castra Romanorum oppugnant.

Aemylius, posteaquam nihil vsquam auxilii ostendebatur, interceptos credens equites, nõ vltrà differendum ratus quin per se fortunam tentaret, priusquam hostes venirent, qui iam segnius secordiúsque oppugnabant: ad quatuor portas exercitum instruxit, vt signo dato simul ex omnibus partibus eruptionem facerent. quatuor extraordinariis cohortibus duos adiunxit, præposito M. Valerio legato: erumpere extraordinaria porta iussit. ad dexteram principalem hastatos legionis primæ instruxit: principes ex eadem legione in subsidiis posuit. M. Seruilius & L. Sulpitius Tribb. mil. his præpositi. Tertia legio aduersus principalem sinistram portam instructa est. id tantùm mutatum: principes primi, & hastati in subsidiis locati: Sex. Iulius Cæsar & L. Aurelius Cotta, Tribb. mil. huic legioni præpositi sunt. Q. Fuluius Flaccus legatus cum dextera ala ad quæstoriam portã positus. duæ cohortes & triarii duarum legionum in præsidio castrorum manere iussi. Omnes portas concionabundus ipse imperator circumiit: & quibuscunque iritamentis poterat, iras militum acuebat: nunc fraudem hostium incusans, qui pace petita, induciis datis, per ipsum induciarum tempus contra ius gentium ad castra oppugnanda venissent: nunc quantus pudor esset edocens, ab Liguribus latronibus verius quàm hostibus iustis Romanum exercitum obsideri. Quo ore quisquam vestrûm, si hinc alieno præsidio, non vestra virtute euaseritis, occurret, non dico eis militibus qui Annibalem, qui Philippum, qui Antiochum, maximos nostræ ætatis reges ducésque vicerunt: sed iis qui hos ipsos Ligures aliquoties pecorum modo fugientes per saltus inuios consectati cæciderunt? quod Hispani, quod Galli, quòd Macedones Pœni ve non audeant, Ligustinus hostis vallum Romanum subit: obsidet vltro & oppugnat: quem scrutantes antea deuios saltus, abditum & latentem vix inueniebamus? Ad hæc consentiens reddebatur militum clamor, nullam militum culpam esse: quibus nemo ad erumpendum signum dedisset. daret signum: intellecturum eosdem qui antea fuerint, & Romanos & Ligures esse. Bina cis montes castra Ligurum erant. ex iis, primis diebus sole orto pariter omnes compositi & instructi procedebant: tum nisi exsatiati cibo vinóque arma non capiebant. dispersi, inordinati exibant: vt quibus pro spe certum esset, hostes extra vallum signa non elaturos. Aduersus ita incompositos eos venientes, clamore pariter omnium qui in castris erant, calonum quoque & lixarum sublato, simul omnibus portis Romani eruperunt. Liguribus adeò improuisa res fuit, vt perinde ac si insidiis circumuenti forent, trepidarent. Exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit. fuga deinde effusa & fugientium passim cædes erat. equitibus dato signo, vt conscenderent equos, nec effugere quenquam finerent: in castra omnes trepida fuga compulsi sunt: deinde ipsis exuti castris. Supra x v. millia Ligurum eo die occisa: capta duo millia & quingenti. Triduo post Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in deditionem venit. gubernatores nautæ'que conquisiti, qui prædatores fuissent nauibus: atque omnes in custodiam coniecti. Et à Matieno duumuiro naues eius generis in Ligustina ora x x x I I captæ sunt. Hæc B

Aemylius exercitum aduersus Ligures instruit.

Aemylii ad milites oratio.

Ligures uicti in deditionem ueniunt.

qui

A qui nuntiarent, literásque ad senatum ferrent, L. Aurelius Cotta, C. Sulpitius Gallus Romam missi: simúlque peterent, vt L. Aemylio confecta prouincia decedere, & deducere secum milites liceret, atque dimittere. Vtrumque permissum ab senatu. & supplicatio ad omnia puluinaria per triduum decreta. iussique praetores, Petilius vrbanas dimittere legiones, Fabius sociis atque nomini Latino remittere delectum. & vti praetor vrbanus consulibus scriberet, senatum aequum censere, subitarios milites tumultus causa conscriptos primo quoque tempore dimitti. Colonia Grauiscae eo anno deducta est in agrum Hetruscum, de Tarquiniensibus quondam captum. quina iugera agri data. triumuiri deduxerunt, C.Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C.Terentius Istra. Siccitate & inopia frugum insignis annus fuit. sex menses nunquam pluisse, memoriae proditum est. Eodem anno in agro L.Petilii scribae sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram: duae lapideae arcae octonos fermè pedes longae, quaternos latae inuentae sunt, operculis plumbo deuinctis. Literis Latinis Graecísque vtraque arca inscripta erat. in altera Numam Pompilium, Pomponis filium, regem Romanorum sepultum esse: in altera, libros Numae Pompilii inesse. Eas arcas cùm ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat, inanis inuenta, sine vllo vestigio corporis humani, aut vllius rei per tabem tot annorum omnibus absumptis. in altera duo fasces candelis inuoluti, septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissima specie. septem Latini de iure pontificio erant. septem Graeci de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuit. Adiicit Antiâs Valerius, Pythagoricos fuisse, vulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numã, mendacio probabili accommodata fide. Primò ab amicis, qui in re praesenti fuerunt, libri lecti. mox pluribus legentibus cùm vulgarentur: Q. Petilius praetor vrbanus studiosus legendi eos libros à L. Petilio sumpsit. & erat familiaris vsus, quòd scribam eum quaestor Q.Petilius in decuriam legerat. Lectis rerum summis, cùm animaduertisset pleraque dissoluendarum religionum esse, L. Petilio dixit, sese eos libros in ignem coniecturum esse. prius quàm id faceret, ei permittere vti si quod seu ius, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur. id integra sua gratia eum facturum. Scriba tribunos plebis adit. ab tribunis ad senatum res est reiecta. praetor se iusiurandum dare paratum esse aiebat, libros eos legi seruaríque non oportere. Senatus censuit satis habendum, quod praetor iusiurandum polliceretur. libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse. pretium pro libris quantum Q.Petilio praetori maiorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse soluendum. id scriba non accepit. libri in comitio igne à victimariis facto in conspectu populi cremati sunt. Magnum bellum ea aestate coortum in Hispania citeriore. A d v. & x x x. millia hominum, quantum nunquam fermè antea, Celtiberi comparauerant. Q.Fuluius Flaccus eam obtinebat prouinciam. is

Duae lapideae arcae sub Ianiculo inuentae.

Numae Pompilij regis libri cremantur.

Celtiberi magnus copijs adoriũtur Flaccum praetorem.

B quia armare iuuentutem Celtiberos audierat, & ipse quanta poterat à sociis auxilia contraxerat, sed nequaquam numero militum hostem aequabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locauit ad oppidum Eburam, modico praesidio in vrbe posito. Paucis pòst diebus Celtiberi millia duo fermè inde sub colle posuerunt castra. quos vbi adesse praetor Romanus sensit, M. Fuluium fratrem cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quàm proximè succedere ad vallum iussum, vt videret quanta essent. pugna abstineret, reciperétque sese, si hostium equitatum exeuntem vidisset. Ita vt praeceptum erat, fecit. per dies aliquot nihil vltrà motum, quàm vt hae duae turmae ostenderentur: dein subducerentur, vbi equitatus hostium castris procurrisset. Postremò & Celtiberi omnibus simul peditum equitúmque copiis castris egressi, acie directa medio fermè spatio inter bina castra constiterunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnae. ibi stetere Hispani hostem expectantes. Romanus intra vallum suos continuit per quatriduum continuum, & illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. ab Romanis nihil motum. inde quieuere in castris Celtiberi, quia pugnae copia non fiebat. equites tantùm in stationem egrediebantur, vt parati essent, si quid ab hoste moueretur. ponè castra vtrique pabulatum & lignatum ibant, neutri alteros impedientes. Praetor Romanus vbi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum: L.Acilium cum ala sinistra, & sex millibus prouincialium auxiliorum circumire montem iubet, qui ab tergo hostibus erat: inde vbi clamorem audisset, decurrere ad castra eorũ, nocte pro fecti sunt, ne possent conspici. Flaccus luce prima C.Scribonium praefectũ sociũm ad vallum hostium cum equitibus extraordinariis sinistrae alae mittit. quos vbi & propius accedere, & plures quàm soliti erant, Celtiberi conspexerũt, omnis equitatus effunditur castris: simul & peditibus signũ ad exeũdum datur. Scribonius, vti praeceptum erat, vbi primùm fremitum equestrium audiuit, auertit equos, & castra repetit. eo effusius sequi hostes. primò equites, mox & peditũ acies aderat. haud dubia spe, castra eo die se oppugnaturos. quingẽtos passus non plus à vallo aberant. Itaq; vbi Flaccus satis abstractos eos à praesidio castrorum suorum ratus est, intra vallum exercitu instructo, tribus partibus simul erumpit: clamore non tantum ad ardorẽ pugnae excitandũ sublato, sed etiam vt qui in montibus erant, exaudirent. nec morati sunt quin decurrrerent, sicut imperatum erat, ad castra: vbi quingentorum armatorum, nõ amplius, relictum erat praesidium. quos cùm & paucitas sua & multitudo hostium & improuisa res terruisset, propè sine certamine capiuntur castra. castris, quae pars maximè à pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem. postremi Celtiberorum qui in acie erant, primi flammam conspexêre. deinde per totã aciem vulgatum est castra amissa esse, & tum cùm maximè ardere, vnde illis terror, inde Romanis animus creuit. iam clamor suorum vincentium accidebat, iam ardentia hostium castra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati sunt. caeterùm posteaquam receptus pulsis nullus erat, nec vsquam, nisi in certamine spes: pertinacius de integro capessunt

pugnam

pugnam. Acie media vrgebantur acriter à quinta legione. aduersus læuum cornu, in quo sui gene- A
ris prouincialia auxilia instruxisse Romanos cernebant, cum maiore fiducia intulerunt signa. Iam
propè erat vt sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset: simul ab oppido
Ebura, qui in præsidio relicti erant, in medio ardore pugnæ aduenerunt, & Acilius ab tergo erat.

Celtiberos uincit Flaccus.

Diu in medio cæsi Celtiberi. qui supererant, in omnes passim partes capessunt fugam. equites bipar-
tito in eos emissi, magnam cædem edidere. ad viginti tria millia hostium eo die cæsa: capta qua-
tuor millia, & DCCC, cum equis plus quingentis: & signa militaria LXXXVIII. Magna victoria,
non tamen incruenta fuit, Romani de duabus legionibus milites paulo plus CC, sociûm Latini no-
minis DCC triginta, externorum auxiliarium duo millia fermè & quadringenti ceciderunt. Pr. in
castra victorem exercitum reduxit: Acilius manere in castris ab se captis iussus. postero die spolia
de hostibus lecta: & pro concione donati, quorum virtus insignis fuerat. Sauciis deinde in oppi-

Contrebiam Flaccus obsidet.

dum Eburam deuectis, per Carpetaniam ad Contrebiam ductæ legiones. ea vrbs circunsessa cum à
Celtiberis auxilia accersisset, morantibus iis, non quia ipsi cunctati sunt, sed quia profectos à domo
inexplicabiles continuis imbribus viæ, & inflati amnes tenebant, desperato auxilio suorum in de-
ditionem venit. Flaccus quoque tempestatibus fœdis coactus, exercitum omnem in vrbem intro-
duxit. Celtiberi, qui domo profecti erant, deditionis ignari, cùm tandem superatis, vbi primùm

Contrebia deditur.

remiserunt imbres, amnibus Contrebiam venissent: posteaquam castra nulla extra mœnia viderunt,
aut in alteram partem translata rati, aut recessisse hostes, per negligentiam effusi ad oppidum acces-
serunt. In eos duabus portis Romani eruptionem fecerunt, & incompositos adorti fuderunt. quæ
res ad resistendum eos, & ad capessendam pugnam impediit, quòd non vno agmine, nec ad signa
frequentes veniebant, eadem magnæ parti ad fugam saluti fuit. sparsi enim toto passim campo se

Celtiberorum fuga & cædes.

diffuderunt: nec vsquam confertos eos hostis circunuênit. tamen ad duodecim millia sunt cæsa, ca-
pta plus quinque millia hominum, equi quadringenti. signa militaria LXII. qui palati è fuga domum
se recipiebant, alterum agmen Celtiberorum venientem, deditionem Contrebiæ & suam cladem
narrando, auerterunt. extemplò in vicos castelláque sua omnes dilapsi. Flaccus à Contrebia pro-

Celtiberiam populatur Flaccus.

fectus, per Celtiberiam populabundus ducit legiones: multa castella oppugnauit, donec maxima
pars Celtiberorum in deditionem venit. Hæc in citeriore Hispania eo anno gesta. Et in vlteriore
Manlius Pr. secunda aliquot prælia cum Lusitanis fecit. Aquileia colonia Latina eodem anno in a-
gro Gallorum est deducta. tria millia peditum, quinquagena iugera, centuriones centena, cente-
na quadragena equites acceperunt. triumuiri deduxerunt, P. Cornelius Scipio Nasica, C. Flami-
nius, L. Manlius Acidinus. Aedes duæ eo anno dedicatæ sunt: Vna Veneris Erycinæ ad portam Col-
linam, dedicauit L. Porcius, L. F. Licinius duumuir, vota erat ab Cos. L. Porcio Ligustino bello: B
Altera in foro olitorio Pietatis. eam ædem dedicauit M. Acilius Glabrio duumuir: statuámque au-

Pietatis statua, quæ prima omnium aurata in Italia fuit.

ratam, quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patris Glabrionis posuit. Is erat, qui ipse eam
ædem vouerat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset: locaueratque idem ex
SC. Per eosdem dies, quibus hæ ædes dedicatæ sunt, L. Aemylius Paulus procos. ex Liguribus
Ingaunis triumphauit. Transtulit coronas aureas quinque & viginti. nec præterea quicquam auri

† Valent 3. coron.

argentíque in eo triumpho latum. captiui multi principes Ligurum ante currum ducti. † æris trece-
nos militibus diuisit. Auxerunt eius triumphi famam legati Ligurum, pacem perpetuam orantes:
ita in animum induxisse Ligurum gentem, nulla vnquam arma, nisi imperata à PR sumere. Respon-
sum à Q. Fabio Pr. est Liguribus iussu senatus, orationem eam non nouam Liguribus esse: mens ve-
rò vt noua & orationi conueniens esset, ipsorum id plurimum referre. ad Coss. irent, & quæ ab iis
imperata essent, facerent. nulli alii quàm consulibus senatum crediturum esse, syncera fide in pace Li-

Corsi dant obsides.

gures esse. Pax in Liguribus fuit. In Corsica pugnatum est cum Corsis. ad duo millia eorum M. Pina-
rius Pr. in acie occidit. qua clade compulsi, obsides dederunt, & ceræ centum millia pondo. Inde
in Sardiniam exercitus ductus: & cum Iliensibus, gente ne nunc quidem omni parte pacata, secun-
da prælia facta. Carthaginiensibus eodem anno C. obsides redditi. pacémque cum iis PR non ab se
tantùm, sed ab rege etiam Masanissa præstitit: qui tum præsidio armato agrum, qui in controuersia,
erat obtinebat. Otiosam prouinciam Coss. habuerunt. M. Bebius comitiorum causa Romam re-
uocatus, Coss. creauit: A. Posthumium Albinum Luscum, & C. Calpurnium Pisonem. Prr. exin-
de facti, Tib. Sempronius Gracchus, L. Posthumius Albinus, P. Cornelius Mamercus, T. Minu-
tius Melliculus, A. Hostilius Mancinus, C. Mænius. ii omnes magistratum Idibus Martiis inierunt.
Principio eius anni, quo A. Posthumius Albinus, & C. Calpurnius Piso Coss. fuerunt: ab A. Post-
humio Cos. in senatum introducti, qui ex Hispania citeriore venerant à Q. Fuluio Flacco: L. Minu-
tius legatus, & duo Trr. mil. Mænius, & L. Terentius Massaliota. hi cùm duo secunda prælia, deditio-
nem Celtiberiæ, confectam prouinciam nuntiassent: nec stipendio, quod mitti soleret, nec frumen-
to portato ad exercitum in eum annum opus esse: petierunt ab senatu primùm, vt ob res prosperè
gestas diis immortalibus honos haberetur: deinde, vt Q. Fuluio decedenti de prouincia deportare
inde exercitum, cuius forti opera & ipse, & multi ante eum Prr. vsi essent, liceret. quod fieri, præter-

Hispanicus exercitus in Italiam deportari à Senatu postulat.

quam quod ita deberet, etiam propè necessarium esset. ita enim obstinatos esse milites, vt non vltrà
retineri posse in prouincia viderentur: iniussúque abituri inde essent, si non dimitterentur: aut in per-
niciosam, si quis impense retineret, seditionem exarsuri. Coss. ambobus prouinciam Ligures esse
senatus iussit. Prr. inde sortiti sunt: A. Hostilio vrbana, T. Minutio peregrina obuenit: P. Cor-
nelio Sicilia, C. Mænio Sardinia. Hispanias sortiti, L. Posthumius vlteriorem, Tib. Sempronius
citeriorem.

A citeriorem. Is quia succeſſurus Q. Fuluio erat, ne vetere exercitu prouincia ſpoliaretur: Quæro, in-
quit, de te L. Minuti, cùm confectam prouinciam nunties, exiſtiméſne Celtiberos perpetuò in fide
manſuros? ita vt ſine exercitu ea prouincia obtineri poſsit? ſi neque de fide barbarorum quicquam
recipere aut affirmare nobis potes: & habendum illic vtique exercitum cenſes: vtrum tandem au-
thor ſenatui ſis ſupplementum in Hiſpaniam mittendi? vt ii modò, quibus emerita ſtipendia ſint,
milites dimittantur: veteribus militibus tyrones immiſceantur? an deductis de prouincia veteribus
legionibus nouas conſcribendi & mittendi? cùm contemptum tyrocinium etiam mitiores barbaros
excitare ad rebellandum poſsit? dictu, quàm re facilius ſit, prouinciam ingenio ferocem rebellatri-
cem confeciſſe. Paucæ ciuitates vt quidem ego audio, quas vicina maximè hyberna premebant,
in ius ditionémque venerunt: vlteriores in armis ſunt. quæ cùm ita ſint, ego iam hinc prædico P. C.
me exercitu eo qui nunc eſt, remp. adminiſtraturum: ſi deducat ſecum Flaccus legiones, loca pa-
cata me ad hybernacula electurum, neque nouum militem ferociſsimo hoſti obiecturum. Legatus
ad ea quæ interrogatus erat, reſpondit: neque ſe, neque quenquam alium diuinare poſſe, quid in ani-
mo Celtiberi haberent, aut porrò habituri eſſent. itaque negare non poſſe, quin rectius ſit etiam ad pa
catos barbaros nõdum ſatis aſſuetos imperio exercitum mitti, nouo autem. an vetere exercitu opus
ſit, eius eſſe dicere, qui ſcire poſsit, qua fide Celtiberi in pace mãſuri ſint: ſimul & qui illud exploratum
habeat, quieturos milites, ſi diutius in prouincia retineantur. ſi ex eo, quòd aut inter ſe loquantur, aut
ſucclamationibus apud concionantem imperatorem ſignificent, quid ſentiant coniectandũ ſit: palàm
vociferatos eſſe, aut imperatorem in prouincia retẽturos, aut cum eo in Italiam venturos eſſe. Diſce-
ptationem inter prætorem legatúmque, conſulum relatio interrupit: qui ſuas ornari prouincias, priuſ-
quam de prætoris exercitu ageretur, æquum cenſebant. Nouus omnis exercitus conſulibus eſt de-
cretus: binæ legiones Romanæ cum ſuo equitatu, & ſociûm Latini nominis, quãtus ſemper numerus,
XV millia peditum, & DCCC equites. cum hoc exercitu Apuanis Liguribus vt bellum inferrent, man
datum eſt. P. Cornelio & M. Bebio prorogatum imperium: iuſsíque prouincias obtinere, donec Coss.
veniſſent. tum imperatum, vt dimiſſo quem haberent exercitu, reuerterentur Romam. de Tib. Sem-
pronii deinde exercitu actum eſt. nouam legionem ei quinque millium & ducentorum peditum cum
equitibus quadringentis conſules ſcribere iuſsi: & mille præterea peditum Romanorum, quinquagin
ta equites: & ſociis è nomine Latino imperare ſeptem millia peditum, CCC equites. cum hoc exerci-
tu placuit ire in Hiſpaniam citeriorem Tib. Sempronium. Q. Fuluio permiſſum, vt qui milites an-
te Sp. Poſthumium & Q. Martium Coss. ciues Romani ſociíue in Hiſpaniam tranſportati eſſent: &
præterea ſupplemento adducto, quod amplius duabus legionibus, quam X millia, & CCCC pedites,
B ſexcenti equites eſſent, & ſociûm Latini nominis XII millia, DC equites: quorum forti opera duo-
bus aduerſus Celtiberos prælis vſus Q. Fuluius eſſet, eos, ſi videretur, ſecum deportaret. Et ſup-
plicationes decretæ, quòd is proſperè rempublicam geſsiſſet: & cæteri Prr. in prouincias miſsi. Q.
Fabio Buteoni prorogatum in Gallia imperium eſt. Octo legiones præter exercitum veterem, qui
in Liguribus in ſpe propinqua miſsionis erat, eo anno eſſe placuit. & is ipſe exercitus ægrè exple- *Peſtilentia*
batur propter peſtilentiam, quæ iam tertium annum vrbem Romanam atque Italiam vaſtabat. Pr. T. *urbem Ita-*
Minutius, & haud ita multo pòſt Cos. C. Calpurnius moritur. multíque alii omnium ordinum illu- *liámque per*
ſtres viri. poſtremò prodigii loco ea clades haberi cœpta eſt. C. Seruilius PONT. MAX. piacula *uaſtat.*
iræ deûm conquirere iuſſus, decemuiri libros inſpicere: conſul Apollini, Aeſculapio, Saluti do-
na vouere, & dare ſigna inaurata, quæ vouit, deditque. Decemuiri ſupplicationem in biduum va- *Supplicatio*
letudinis cauſa in vrbe, & per omnia fora conciliabuláque edixerunt. maiores duodecim annis o- *ualetudinis*
mnes coronati, & lauream in manu tenentes ſupplicauerunt. Fraudis quoque humanæ inſinuaue- *ergò facta.*
rat ſuſpicio animis. & veneficii quæſtio ex S. C. quod in vrbe propiúſve vrbem decem millibus paſ-
ſuum eſſe commiſſum, C. Claudio Pr. qui in locum T. Minutii erat ſuffectus: vltra decimum lapi-
dem per fora conciliabuláque C. Mænio, priuſquam in Sardiniam prouinciam traiiceret, decreta. Su- *Veneficij*
ſpecta Cos. erat mors maximè. necatus à Quarta Hoſtilia vxore dicebatur. vt quidem filius eius, Q. *quæſtio de-*
Fuluius Flaccus in locum vitrici Cos. eſt declaratus: aliquanto magis infamis mors Piſonis cœpit *creta,*
eſſe. & teſtes exiſtebant, qui poſt declaratos COSS. Albinum & Piſonem, quibus comitiis Flaccus
tulerat repulſam, & exprobratum ei à matre dicerent, quòd iam ei tertiùm negatus conſulatus pe-
tenti eſſet: & adieciſſe, pararet ſe ad petendum: intra duos menſes effecturam vt COS. fieret. Inter
multa alia teſtimonia ad cauſam pertinentia, hæc quoque vox nimis vero euentu comprobata, va-
luit cur Hoſtilia damnaretur. Veris principio huius dum COSS. nouos delectus Romæ tenet mors
deinde alterius, & creandi comitia conſulis in locum eius omnia tardiora fecerunt: interim P. Corne-
lius, & M. Bebius, qui in conſulatu nihil memorabile geſſerant, in Apuanos Ligures exercitum indu-
xerunt. Ligures, qui ante aduentum in prouinciam conſulum non expectaſſent bellum, impro-
uiſo oppreſsi, ad duodecim millia hominum dediderunt ſe. Eos, conſulto per literas prius ſena- *Ligures ſeſe*
tu, deducere ex montibus in agros campeſtreis procul ab domo, ne reditus ſpes eſſet, Corne- *dedunt, &*
lius & Bebius ſtatuerunt, nullum alium antè finem rati fore Liguſtini belli. Ager publicus P. R. e- *in Taura-*
rat in Samnitibus, qui Tauraſinorum fuerat. cùm traducere Ligures Apuanos vellent, edixerunt, *ſinos tradu-*
Ligures ab Anido montibus deſcendere cum liberis coniugibúſque, ſua omnia ſecum portarent. *cuntur.*
Ligures ſæpe per legatos deprecati, ne penates, ſedem in qua geniti eſſent, ſepulchra maiorum coge-
rentur relinquere: arma, obſides pollicebantur. poſteaquam nihil impetrabant, neque vires ad rebel
landũ erant, edicto paruerunt. Traducti ſunt publico ſumptu ad quadraginta millia liberorũ capitum
cum fœm

† 3750. coron. cum fœminis puerisque. † argenti data centum & quinquaginta millia H S. vnde in nouas ædes comparatent quæ opus essent. agro diuidendo dandóque iidem qui traduxerant, Cornelius & Bebius præpositi. postulantibus tamen ipsis quinque viri ab senatu dati, quorum ex consilio agerent. Transacta re cùm veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab senatu est decretus. Hi omnium primi nullo bello gesto triumpharunt. tantùm hostes ducti ante currum: quia nec quid ferretur, neque quid duceretur captum, neque quid militibus daretur, quicquam in triumphis eorum fuerat. Eodem anno in Hispania Fuluius Flaccus Propr. quia successor in prouinciam tardius veniebat, educto exercitu ex hybernis, vlteriorem Celtiberiæ agrum, vnde ad deditionem non venerant, instituit vastare: qua re irritauit magis, quàm conterruit animos barbarorum: & clàm comparatis copiis saltum Manlianum, per quem transiturum exercitum Romanum satis sciebant, obsederunt. In Hispaniam vlteriorem eunti L. Posthumio Albino collegæ Gracchus mandauerat, vt Q. Fuluium certiorem faceret, Tarraconem exercitum adduceret. ibi dimitti veteranos, supplementúmq; distribuere, & ordinare omnem exercitum sese velle. dies quoque, & ea propinqua edita Flacco est, qua successor esset venturus. Hæc noua allata res, omissis quæ agere instituerat, Flaccũ raptim deducere exercitum ex Celtiberia cùm coëgisset: barbari causæ ignari suam defectionem, & clàm comparata arma sensisse eum, & pertimuisse rati, eo ferocius saltum insederunt. Vbi eum saltum prima luce agmen Romanum intrauit, repentè ex duabus partibus simul exorti hostes Romanos inuaserunt. quod vbi vidit Flaccus, primos tumultus in agmine per centuriones stare omneis suo quenque loco, & arma expedire iubendo, sedauit: & sarcinis iumentísque in vnum locum coactis, copias omneis partim ipse, partim per legatos tribunósque militum vt tempus, vt locus postulabat, sine vlla trepidatione instruxit: cum his deditis rem esse admonens, scelus & perfidiam illis, non virtutem nec animum accessisse. reditum nobilem in patriam, clarum ac memorabilem eos sibi fecisse: cruentos ex recenti cæde hostium gladios, & manantia sanguine spolia, Romam ad triomphum delaturos. Plura dici tempus non patiebatur. inoehebant se hostes, & in partibus extremis iam pugnabatur. deinde acies concurrerunt. atrox vbique prælium, sed varia fortona erat. egregiè legiones, nec segnius duæ alæ pugnabant: externa auxilia ab simili armatura, meliore aliquantum militum genere vrgebantur, nec locum tueri poterant. Celtiberi vbi ordinata acie, & signis collatis se non esse pares legionibus senserunt, cuneo impressionem fecerunt. quo tantum valent genere pognæ, vt quacunque parte percu lere impetu suo, sustineri nequeant. tunc quoque turbatæ legiones sunt, propè interrupta acies. Quam trepidationem vbi Flaccus conspexit, equo aduehitur ad legionarios equites: &, ecquid auxilii in vobis est? actum iam de hoc exercitu erit? cùm vndique acclamassent, quin ederet quid fieri velit, non segniter imperium executuros: Duplicate turmas, inquit, duarum legionum equites, & permittite equos in cuneum hostium, quo nostros vrgent. id cum maiore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis: quod sæpe Romanos equites cum magna laude fecisse sua, memoriæ proditum est. Dicto paruerunt, detractísque frenis bis vltro citróque cum magna strage hostium infractis omnibus hastis transcurrerunt. Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Celtiberi trepidare, & propè omissa pugna locum fugæ circumspicere. Et alarii equites, postquàm Romanorum equitum tam memorabile facinus vidêre, & ipsi virtute eorum accensi, sine vllius imperio, in perturbatos iam hostes equos immittunt. Tunc verò Celtiberi omnes in fugam effunduntur. & imperator Romanus auersos hosteis contemplatus, ædem Fortunæ equestri, Iouíque O P T. M A X. ludos vouit. cæduntur Celtiberi, per totum saltum dissipati fuga. Decem & septem millia hostium cæsa eo die traduntur. viui capti plus tria millia, ducentis septuaginta septem cum signis militaribus: equis propè mille centum. nullis castris eo die victor exercitus mansit: victoria non sine iactura militum fuit. quadringenti L X X I I milites Romani, sociûm ac Latini nominis mille decem & nouem, cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt. ita victor exercitus renouata priore gloria, Tarraconem est perductus. Venienti Foluio Tib. Sempronius Pr. qui biduo antè venerat, obuiam processit: gratulatúsque est, quòd remp. egregiè gessisset, cum summa concordia quos dimitterent, quósque retinerent milites, composuerunt. Inde Fuluius exauthoratis militibus in naues impositis, Romam est profectus. Sempronius in Celtiberiam legiones duxit. Coss. ambo in Ligures exercitus induxerunt, diuersis partibus. Posthumius prima & tertia legione Balistam Soismontiúmque monteis obsedit: & premendo præsidiis angustos saltus, eorum commeatus interclusit, inopiáq; omnium rerum eos perdomuit. Fuluius secunda & quarta legione adortus à Pisis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluuium incolebant, in deditionem acceptos, ad septem millia hominum in naueis impositos, præter oram Hetrusci maris Neapolim transmisit: inde in Samnium traducti, agérque his inter populares datus est. Montanorum Ligurum ab A. Posthumio vineæ cæsæ, frumentáque deusta. donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armáque tradiderunt. Nauibus inde Posthumius ad visendam oram Ingaonorum Intemeliorúmque Ligurum processit. Priusquam hi Coss. venirent ad exercitum qui Pisas inductus erat, præerant A. Posthumius, & frater Q. Fuluii M. Fuluius Nobilior. secondæ legionis Foluios Tr. mil. erat. is mensibus sois dimisit legionem, iureiurando adactis centurionibus, æs in ærarium ad quæstores esse delaturos. Hoc vbi Placentiam (nam eò fortè erat profectus) Fuluio nuntiatum est, cum equitibus expeditis secutus dimissos, quos eorum potuit assequi, deduxit castigatos Pisas. de cæteris Cos. certiorem fecit. eo referente S C. factum est, vt M. Fuluius in Hispaniam relegaretur vltra nouam Carthaginiem. Literæ que ei datæ sunt à Cos. ad P. Manlium in Hispaniam vlteriorem deferendæ. milites iussi ad signa redire. causa ignominiæ, vti sem

Celtiberi Romanos in saltu Manliano inuadunt.

Cuneo impressionem faciunt Celtiberi.

Celtiberi in fugam versi cæduntur.

De rebus in Liguria gestis.

A vti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni, decretum. qui miles ad exercitum non rediisset, eum ipsum bonáque eius vendere Cos. iussus. Eodem anno L. Duronius, qui prætor anno superiore ex Illyrico cum decem nauibus Brundusium redierat: inde in portu relictis nauibus cùm venisset Romam, inter exponendas res, quas ibi gessisset, haud dubiè in regem Illyriorum Gentium latrocinii omnis maritimi causam auertit. ex regno eius omnes naues esse, quæ superi maris oram depopulatæ essent. de his rebus se legatos misisse, nec conueniendi regis potestatem factam. Venerant Romam legati à Gentio: qui quo tempore Romani conueniendi regis causa venissent, ægrum fortè eum in vltimis partibus fuisse regni dicerent, petere Gentium ab senatu, ne crederent confictis criminibus in se, quæ inimici detulissent. ad ea Duronius adiecit, multis ciuibus Romanis & sociis Latini nominis iniurias factas in regno eius, & ciues Romanos dici Corcyræ retineri. eos omneis Romam adduci placuit C. Claudium Pr. cognoscere: neque antè Gentio regi legatísve eius responsum reddi. Inter multos alios, quos pestilentia eius anni absumpsit, sacerdotes quoque aliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus pontifex mortuus est. in eius locum suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex vlteriore Hispania redierat, triumuir epulo, Q. Fuluius, M. F. in locum eius triumuir cooptatus. tum prætextatus erat. de rege sacrificio sufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Seruilium PONT. MAX. fuit, & L. Cornelium Dolabellam duumuirum naualem, quem vt inauguraret pontifex, magistratu sese abdicare iubebat. recusantíque id facere, ob eam rem mulcta duumuiro dicta à pontifice, déque ea cùm prouocasset, certatum ad populum. cùm plures iam tribus intrò vocatæ dicto esse audientem pontifici duumuirum iuberent, mulctámque remitti, si magistratu se abdicasset: vltimum de cælo quod comitia turbaret interuênit. religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarunt: qui secundo loco inauguratus erat. Exitu anni & C. Seruilius Geminus PONT. MAX. decessit. idem decemuir sacrorum fuit. pontifex in locum eius à collegio cooptatus est, Q. Fuluius Flaccus. in pontificem maximum Aemylius Lepidus, cùm multi clari viri petiissent. & decemuir sacrorum Q. Martius Philippus in eiusdem locum est cooptatus, & augur Sp. Posthumius Albinus decessit. in locum eius P. Scipionem filium Africani augures cooptarunt. Cumanis eo anno petentibus permissum. vt publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi ius esset. Pisanis agrum pollicentibus, quò Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ. triumuiri creati ad eam rem, Q. Fabius Buteo, M. & P. Popilii Lenates. A` C. Mænio Pr. cui prouincia Sardinia cùm euenisset, additum erat, vt quæreret de veneficiis longius ab vrbe decem millibus passuum: literæ allatæ, se iam tria millia hominum damnasse, & crescere sibi quæstionem indiciis. aut eam sibi esse defendendam, aut prouinciam dimittendam.

Gentius Illyriorum rex.

Aliquot sacerdotes pestilentia absumpti.

B Q. Fuluius Flaccus ex Hispania rediit Romam cum magna fama gestarum rerum. qui cùm extra vrbem triumphi causa esset, Cos. est creatus cum L. Mālio Acidino. & post paucos dies cum militibus, quos secum deduxerat, triumphans vrbem est inuectus. Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor: præterea † auri pondo triginta vnum, & signati Oscensis * nummûm centum septuaginta tria M. ducentos. militibus de præda † quinquagenos denarios dedit: duplex centurionibus, triplex equiti. tantundem sociis Latini nominis: & stipendium omnibus duplex. Eo anno rogatio primùm lata est ab L. Iulio Tr. pl. quot annos nati quenque magistratum peterent, caperéntque. inde cognomen familiæ inditum, vt Annales appellarentur. Prr. quatuor post multos annos lege Bebia creati, quæ alternis quaternos iubebat creari. Hi facti, C. Cornelius Scipio, L. Valerius Leuinus. Q. & M. Mutii Scæuolæ. Q. Fuluio, & L. Manlio Coss. eadem prouincia, quæ superioribus, pari numero copiæ peditum, equitum, ciuium, sociorum decretæ. In Hispaniis duabus Tib. Sempronio & L. Posthumio cum iisdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium est. in supplementum Coss. scribere iussi ad tria millia peditum Romanorum, CCC equites: quinque millia sociorum Latini nominis, & quadringentos equites. P. Mutius Scæuola vrbanam sortitus prouinciam est: & vt idem quæreret de veneficiis in vrbe, & propius vrbem decem millia passuum. C. Cornelius Scipio peregrinam, Q. Mutius Scæuola Siciliam, L. Valerius Leuinus Sardiniam. Q. Fuluius Cos. priusquam nullam rem publicam ageret, liberare & se, & rempub. religione votis soluendis dixit velle. vouisse se, quo die postremùm cum Celtiberis pugnasset, ludos Ioui OPT. MAX. & ædem equestri Fortunæ sese facturum: in eas res sibi pecuniam collatam esse ab Hispanis. Ludi decreti: & vt duumuiri ad ædem locandam crearentur. de pecunia finitur, ne maior causa ludorum consumeretur, quàm quanta Fuluio Nobiliori post Aetolicum bellum ludos facienti decreta esset: néve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret aduersus id s ç quod L. Amylio, Cn. Bebio Coss. de ludis factum esset. Decreuerat id senatus propter effusos sumptus factos in ludos T. Sempronii ædilis, qui graues non modò Italiæ ac sociis Latini nominis, sed etiam prouinciis externis fuerant. Hyems eo anno niue sæua & omni tempestatum genere fuit: arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deussit cunctas: & ea tum aliquanto quàm aliàs longior fuit. itaque Latinas nox subitò coorta & intolerabilis tempestas in monte turbauit: instauratæ'que sunt ex decreto pontificum. Eadem tempestas & in Capitolio aliquot signa constrauit, fulminibúsque complura loca deformauit. ædem Iouis Tarracinæ, ædem albani Capuæ, portámque Romanam, muri pinnas aliquot locis decussit. Hæc inter prodigia nuntiatum: & ab Reate, tripedem natum mulum. Ob ea decemuiri iussi adire libros, edidêre quibus diis, & quot hostiis sacrificaretur: & ob fulminibus complura loca deformata, ad ædem Iouis vt supplicatio diem vnum esset. Ludi deinde votiui Q. Fuluii Cos. per dies decem magno apparatu facti. Censorum inde comitia habita. creati M. Aemylius Lepidus

Q. Fuluius Flaccus de Celtiberis triumphat.

† Coron. 3472.

* Locus hic corruptus, est & numerus suspectus.

† 50 denariis faciunt coronatos 5.

Hyemis sæuitia.

Prodigia.

Ludi.

PONT.

PONT. MAX. & M. Fuluius Nobilior, qui ex Aetolis triumphauerat. Inter hos viros nobiles inimicitiæ erant, sæpe multis & in senatu, & ad populum atrocibus celebratæ certaminibus. comitiis confectis, vt traditum antiquitus est, censores in campo ad aram Martis sellis curulibus consederunt, quò A

Q. Cæcilij Metelli ad Censores oratio.

repentè principes senatorum cum agmine venerũt ciuitatis: inter quos Q. Cæcilius Metellus verba fecit. Non obliti sumus censores, vos paulo antè ab vniuerso P. R. moribus nostris præpositos esse: & nos à vobis & admoneri & regi, non vos à nobis debere. indicandum tamen est, quid omneis bonos in vobis aut offendat, aut certè mutatum malint. Singulos cùm intuemur, M. Aemyli, M. Fului, neminem hodie in ciuitate habemus, quem, si reuocemur in suffragium, velimus vobis prælatum esse. ambo cùm simul aspicimus, non possumus non vereri ne malè comparati sitis. nec tantum reipub. prosit, quod omnibus nobis egregiè placetis: quàm quod alter alteri displicetis, noceat. Inimicitias per annos multos vobisipsis graues & atroces geritis: quæ, periculum est ne ex hac die nobis & reipub. quàm vobis grauiores fiant. De quibus causis hoc timeamus, multa succurrunt quæ dicerentur: nisi fortè implacabiles vestræ iræ implicauerint animos vestros. Has vt hodie, vt in isto templo finiatis simultates, quæsumus vos vniuersi: & quos coniunxit suffragiis suis P. R. hac etiam reconciliatione gratiæ cõiungi à nobis sinatis. vno animo, vno consilio legatis senatum, equites recenseatis: agatis censum, lustrum condatis. quod omnibus ferè precationibus nuncupabitis verbis, vt ea res mihi collegæ´que meo bene & feliciter eueniat: ita vt verè, vt ex animo velitis euenire: efficiatísq;, vt quod deos precati eritis, id vos velle etiam homines credamus. T. Tatius & Romulus, in cuius vrbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordes regnarunt. Non modò simultates, sed bella quoque finiuntur. ex infestis hostibus plerunque socii fideles, interdum etiam ciues fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti sunt: Latini, Sabini in ciuitatem accepti. Vulgatum illud quia verum

Prouerbiũ.

erat, in prouerbium venit: Amicitias immortaleis, inimicitias mortaleis debere esse. Fremitus ortus cum assensu, deinde vniuersorum voces idem petentium confusæ in vnum, orationem interpellarunt. Inde Aemylius questus cùm alia, tum bis à M. Fuluio se certo consulatu deiectum. Fuluius contrà queri, se ab eo semper lacessitum, & in probrum suum sponsionem factam. tamen ambo significare, si alter vellet, se in potestate tot principum ciuitatis futuros. Omnibus instantibus

Censores positis simultatibus in amicitiam redeunt.

qui aderant, dexteras fidémque dedere, mittere verè ac finire odium. deinde collaudantibus cunctis, deducti sunt in Capitolium. & cura super tali re principum, & facilitas censorum egregiè comprobata ab senatu & laudata est. Censoribus deinde postulantibus, vt pecuniæ summa sibi, qua in opera publica vterentur, atribueretur: vectigal annuum decretum est. Eodem anno in Hispania L. Posthumius & Tib. Sempronius Proprr. comparauerunt ita inter se, vt in Vacceos per Lusitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiam reuerteretur. Gracchus quod maius ibi bellum esset, in vltima Celti- B

Munda vrbs Celtiberiæ capitur.

beriæ penetrauit. Mundá vrbem primùm vi cepit, nocte ex improuiso aggressus. Acceptis deinde obsidibus, præsidióque imposito, castella oppugnare, agros vrere, donec ad præualidam aliam vrbem (Certimam appellant Celtiberi) peruenit. vbi cùm iam opera admoueret, veniunt legati ex oppi-

Celtiberorũ mira simplicitas.

do. quorum sermo antiquæ simplicitatis fuit, non dissimulantium bellaturos, si vires essent. petierunt enim vt sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accipienda. si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos. Permittente Gracccho ierunt, & pòst paucis diebus alios decem legatos secum adduxerunt. Meridianum tempus erat. nihil prius petierunt à Pr. quàm vt bibere sibi iuberet dari. epotis primis poculis, iterum poposcerunt, magno risu circunstantium in tam rudibus, & moris omnis ignaris ingeniis. tum maximus natu ex iis: Missi sumus, inquit, à gente nostra qui sciscitaremur, qua tandem re fretus arma nobis inferres? Ad hanc percunctationem Gracchus, exercitu se egregio fidentem venisse respondit. quem si ipsi visere velint, quo certiora ad suos referant, potestatem se eis facturum esse. tribunísque mil. imperat, vt ornari omneis copias peditum equitúmque, & decurrere iubeant armatas. Ab hoc spectaculo legati missi deterruerunt suos ab auxilio circunsessæ vrbi ferendo. Oppidani cùm ignes nocte turribus nequicquam (quod signum conuenerat) sustulissent, destituti ab vnica spe auxilii in deditionem venerunt. † se-

† Valent 60000. coron.

stertiûm nummûm quater & vicies ab iis est exactum, quadraginta nobilissimi equites: nec obsidum nomine (nam militare iussi sunt) & tamen re ipsa vt pignus fidei essent. Inde iam duxit ad Alcem vrbem, vbi castra Celtiberorum erant, à quibus venerant nuper legati. eos cùm per aliquot dies armaturam leuem immittendo in stationes lacessisset paruis preliis, indies maiora certamina serebat, vt omnes extra munitiones eliceret. Vbi quod petebatur sensit effectum, auxiliorum præfectis imperat, vt contracto certamine, tanquam multitudine superarentur, repentè tergis datis ad castra effusè fugerent: ipse intra vallum ad omneis portas instruxit copias. Haud multum temporis intecessit, cùm ex composito refugientium suorum agmen, pòst effusè sequentes barbaros conspexit. instructam ad hoc ipsum intra vallum habebat aciem. itaque tantum moratus, vt suos refugere in castra libero introitu sineret, clamore sublato simul omnibus portis erupit. Non sustinuere im-

Celtiberi fusi cæsique.

petum nec opinatum hostes: qui ad castra oppugnanda venerant, ne sua quidem tueri potuerunt. nam extemplò fusi, fugati, mox intra vallum pauentes compulsi, postremò exuuntur castris. Eo die nouem millia hostium cæsa: capti viui trecenti viginti, equi centum duodecim: signa militaria triginta septem. de exercitu Romano centum nouem ceciderunt. Ab hoc prælio Gracchus duxit ad depopu-

Celtiberiæ 103 oppida in deditionẽ accepta.

landum Celtiberiam legiones. & cùm ferret passim cuncta atque ageret, populíque, alii voluntate, alii metu iugum acciperent, C III oppida intra paucos dies in deditionem accepit. præda potitus ingenti est. Conuertit inde agmen retrò, vnde venerat, ad Alcen, atque eam vrbem oppugnare instituit.

Oppidani

A Oppidani primùm impetum hostium sustinuerunt. déinde cùm iam non armis modò, sed etiam operibus oppugnarentur, diffisi præsidio vrbis, in arcem vniuersi concesserunt. postremò & inde præmissis oratoribus, in ditionem se suáque omnia Romanis permiserunt. Magna inde præda facta est. multi captiui nobiles in potestatem venerunt. inter quos & Thurri filii duo, & filia. Regulus hic earum gentium erat, longè potentissimus omnium Hispanorum. Audita suorum clade, missis qui fidem venienti in castra ad Gracchum peterent, venit. & primùm quæsiuit, ab eóne sibi liceret, ac suis viuere? cùm prætor victurum respondisset: quæsiuit iterum, si cum Romanis militare liceret? id quoque Gracchi permittente, Sequar, inquit, vos aduersus veteres socios meos, quoniam illos ad me † propiunt suspicere. Secutus est inde Romanos, fortíque ac fideli opera multis locis rem Romanam adiuuit. Ergauia inde nobilis & potens ciuitas, aliorum circà populorum cladibus territa, portas aperuit Romanis. Eam deditionem oppidorum haud cum fide factam, quidam authores sunt. è qua regione abduxisset legiones, extemplò inde rebellatum, magnóque eum posteà prælio ad montem Chaunum cum Celtiberis à prima luce ad sextam horam diei signis collatis pugnasse: multos vtriuque cecidisse. nec aliud magnopere victores fuisse Romanos, nisi quòd postero die manentes intra vallum prælio lacessierint: spolia per totum diem legisse. tertio die prælio maiore iterum pugnatum: & tum demum haud dubiè victos Celtiberos: castráque eorum capta & direpta esse. vigintiduo millia hostium eo die esse cæsa: plus trecentos captos: parem ferè equorum numerum: & signa militaria septuaginta duo: inde debellatum, verámque pacem, non fluxa, vt antè, fide Celtiberos fuisse. Eadem æstate & L. Posthumium in Hispania vlteriore bis cum Vacceis egregiè pugnasse scribunt. ad triginta & quinque millia hostium occidisse, & castra oppugnasse. Propius vero esse, seriùs in prouinciam peruenisse, quàm vt ea æstate potuerit res gerere. Censores fideli concordia senatum legerunt. princeps electus est ipse censor M. Aemylius Lepidus Pontifex maximus, tres eiecti de senatu. retinuit quosdam Lepidus à collega præteritos. Opera ex pecunia attributa diuisáque inter se, hæc cófecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam, ingratum opus, quòd prædia habebat ibi, priuatámque publicæ rei impensam insuerat. Theatrum & proscenium ad Apollinis ædem Iouis in Capitolio, columnásque circà poliendas albo locauit. & ab his columnis, quæ incommodè opposita videbantur, signa amouit: clypeáque de columnis, & signa militaria affixa omnis generis dempsit. M. Fuluius plura, & maioris locauit vsus. portum, & pilas pontis in Tyberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus, & L. Mummius censores locauerunt imponendos: basilicam post argentarias nouas, & forum piscatorium circundatis tabernis, quas vendidit in priuatum: & forum & porticum extra portam Trigeminam, & aliam post naualia, & ad fanum Herculis, & post Spei ad Tyberim ædem Apollinis

B Medici. habuere & in promiscuo prætores pecuniam. ex ea communiter locarunt aquam adducendam, fornicésque faciendos. impedimento operi fuit M. Licinius Crassus, qui per fundum suum duci non est passus. Portoria quoque & vectigalia iidem multa instituerunt. complura sacella publicáque occupata à priuatis, publicáque sacra vt paterent, essséntque populo curarunt. mutarunt suffragia: regionatímque generibus hominum: causísque & quæstibus, tribus descripserunt. Et alter ex censoribus M. Aemylius petiit ab senatu, vt sibi dedicationis templorum Reginæ Iunonis & Dianæ, quæ bello Ligustino antè annis octo vouisset, pecunia ad ludos decerneretur. † viginti millia æris decreuerunt. Dedicauit eas ædes vtranque in circo Flaminio. ludósque scenicos triduum post dedicationem templi Iunonis, biduum post Dianæ, & singulos dies fecit in circo. Idem dedicauit ædem Larium permarinûm in campo: vouerat eam annis quadraginta antè L. Aemylius Regillus, nauali prælio aduersus præfectos regis Antiochi. supra valuas templi tabula cum titulo hoc fixa est: * Duello magno regibus dirimendo caput subigendis patrandæ pacis hæc pugna exeunti L. Aemylio M. Aemylii filio, auspicio, imperio, felicitate ductúque eius inter Ephesum Camuchúmque inspectante c o s. ipso Antiocho exercitu omni, equitatu, elephantísque classis regis Antiochi antea sic victa, fusa, contusa fugatáque est. ibíque eo die naues longæ cum omnibus sociis captæ quadraginta duæ. ea pugna pugnata rex Antiochus, regnúmque. eius rei ergô ædem Laribus permarinis vouit. Eodem exemplo tabula in æde Iouis in Capitolio supra valuas fixa est. Biduo quo senatum legerunt censores, Q. Fuluius c o s. profectus in Ligures, per inuios montes vallésque saltus cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnauit. neque tantùm acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. Tria millia ducenti hostium, omnísq; ea regio Ligurum in deditionem venit. c o s. deditos in campestreis agros deduxit, præsidiáque montibus imposuit. Celeriter & ex prouincia literæ Romam venerunt. supplicationes ob eas res gestas in triduum decretæ sunt. Prætores quadraginta hostiis maioribus per supplicationes rem diuinam fecerunt. Ab altero c o s. L. Manlio nihil memoria dignum in Liguribus est gestum. Galli transalpini tria millia hominum in Italiam trásgressi, neminem bello lacessentes, agrum à cos. & senatu petebant, vt pacati sub imperio populi Romani essent. Eos senatus excedere Italia iussit: & c o s. Q. Fuluium quærere & animaduertere in eos qui principes & authores transcendendi Alpes fuissent. Eodem anno Philippus rex Macedonum senio & mœrore consumptus, post mortem filii decessit. Demetriade hybernabat, cùm desiderio anxius filii, tum pœnitentia crudelitatis suæ, quæ stimulabat animum: & alter filius haud dubiè & sua & aliorum opinione rex, conuersique in eum omnium oculi, & destituta senectus: aliis expectantibus suam mortem: aliis ne expectantibus quidem, quo magis angebatur: & cum eo Antigonus Echecratis filius nomen patrui Antigoni ferens, qui tutor Philippi fuerat, regiæ vir maiestatis, nobili etiam pugna aduersus Cleomenem Lacedæmonium clarus. Tutorem eum Græci vt cognomine à cæteris regibus distinguerent, appellarunt. Huius

Thurrus Celtiberiæ rex.

† nonnulli legunt, prodeunt, sed locus omnino mutilus est.

Censorum opera publica.

† 200 cor.

De rebus in Liguria gestis.

Philippus rex Macedonũ moritur.

Antigonus.

fratris filius Antigonus ex honoratis Philippi amicis vnus incorruptus permanſerat: eíque ea fides A nequaquam amicum Perſea, inimiciſsimum fecerat. is proſpiciens animo, quanto cum periculo ſuo hæreditas regni ventura eſſet ad Perſea: vt primùm labare animum regis, & ingemiſcere interdum filii deſiderio ſenſit: nunc præbendo aureis, nunc laceſſendo etiam mentionem rei temerè actæ. ſæpe querenti querens & ipſe aderat: & cùm multa adſoleat veritas præbere veſtigia ſui, omni ope adiuuabat, quo maturius omnia emanarent. Suſpecti & miniſtri facinoris Apelles maximè & Philocles erant, qui Romam legati fuerant, literáſque exitiales Demetrio ſub nomine Flaminini attulerant. eas falſas eſſe, & à ſcriba vitiatas, ſignúmque adulterinum, vulgo in regia fremebant. Cæterùm cùm ſuſpecta magis, quàm manifeſta eſſet res: fortè Xychus obuius fit Antigono, comprehenſúſque ab eo, in regiam eſt perductus. relicto eo cuſtodibus, Antigonus ad Philippum proceſsit. Multis, inquit, ſermonibus intellexiſſe videor, magno te æſtimaturum, ſi ſcire vera omnia poſsis de filiis tuis, vter ab vtro petitus fraude & inſidiis eſſet. homo vnus omnium, qui nodum huius erroris exoluere poſsit, in poteſtate tua eſt Xychus. forte vocatum perductúmque in regiam, vocari iuberet. Adductus primò, ita negare inconſtanter, vt paruo metu admoto paratum indicem eſſe appareret. cóſpectum tortoris verberúmque non ſuſtinuit: ordinémque omnem facinoris legatorum miniſteriíque ſui expoſuit. Extemplò miſsi qui legatos comprehenderent: Philoclem, qui præſens erat, oppreſſerunt. Apelles miſſus ad Chæream quendam perſequendum, indicio Xychi audito, in Italiam traiecit. De Philocle nihil certi vulgatum eſt. alii primò audacter negantem, poſtquam in conſpectum adductus ſit Xychus, non vltrà tetendiſſe: alii tormenta etiam inficiantem perpeſſum affirmant. Philippo redintegratus eſt luctus, geminatúſque. & infelicitatem ſuam in liberis grauiorem quòd alter periſſet, cenſebat.

Perſei in Demetrium inſidiæ deteguntur.

Perſeus certior factus, omnia detecta eſſe, potentior quidem erat, quàm vt fugam neceſſariam duceret: tantùm vt procul abeſſet, curabat, interim velut ab incendio flagrantis iræ, dum Philippus viueret, ſe defenſurus. qui ſpe potiundi ad pœnam corporis eius amiſſa, quod reliquum erat, id ſtudere, ne ſuper impunitatem etiam præmio ſceleris frueretur. Antigonum igitur appellat: cui & palàm facti parricidii gratia obnoxius erat, neque pudendum aut pœnitendum eum regem Macedonibus propter recentem patrui Antigoni gloriam fore cenſebat. Quando in eam fortunam veni, inquit, Antigone, vt orbitas mihi, quam alii deteſtantur parentes, optabilis eſſe debeat, regnum, quod à patruo tuo forti, non ſolum fideli tutela eius cuſtoditũ & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo eſt. Te vnum habeo, quem dignum regno iudicem. ſi neminem haberem, perire & extingui id mallem, quàm Perſeo ſceleſtæ fraudis præmium eſſe. Demetrium excitatum ab inferis, reſtitutúmque credam mihi, ſi te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori vnus inlacrymaſti, in locum eius ſubſtitutum relinquam. Ab hoc ſermone omni genere honoris producere eum non deſtitit, cùm in B Thracia Perſeus abeſſet, circumire Macedoniæ vrbes, principibúſque Antigonum commendare. etſi vita longior ſuppetiſſet, haud dubium fuit quin eum in poſſeſsione regni relicturus fuerit. Ab Demetriade profectus, Theſſalonicæ plurimum temporis moratus fuerat. inde cùm Amphipolim veniſſet, graui morbo eſt implicitus. Sed animo tamen ægrum magis fuiſſe, quàm corpore, conſtat: curíſque & vigiliis, cùm identidem ſpecies & vmbræ inſontis interempti filii eum diris agitarent, extinctum eſſe cum execrationibus alterius. admoneri tamen potuiſſet Antigonus, ſi haud ſtatim palàm facta eſſet mors regis. medicus Calligenes, qui curationi præerat, non expectata morte regis, à primis deſperationis notis nuntios prædiſpoſitos, ita vt conuenerat, miſit ad Perſeum: & mortem regis in aduentum eius omnes, qui extra regiam erant, celauit. Oppreſsit igitur nec opinanteis ignaróſque omnes Perſeus, & regnum ſcelere partum inuaſit.

Antigono regnũ Macedoniæ à Philippo traditur.

Peropportuna mors Philippi fuit ad dilationem, & ad vires bello contrahendas. nam pòſt paucis diebus gens Baſtarnarum diu ſolicitata ab ſuis ſedibus magna peditum equitúmque manu Iſtrum traiecit. inde prægreſsi qui nuntiarent regi, Antigonus & Cotto: nobilis erat Baſtarna. de ea re Antigonus ſæpe inuitus cum ipſo Cottone legatus ad cócitandos Baſtarnas miſſus. haud procul Amphipoli famæ incerti nuntii occurrunt, mortuum eſſe regem: quæ res omnem ordinem cóſilii turbauit. Compoſitum autem ſic fuerat. tranſitum per Thraciam tutum, & commeatus Baſtarnis vt Philippus præſtaret. id vt facere poſſet, regionum principes donis coluerat, fide ſua obligata: pacato agmine tranſituros Baſtarnas. Dardanorum gentem delere propoſitum erat, inque eorum agro ſedes dare Baſtarnis. duplex inde erat commodum futurum, ſi & Dardani, gens ſemper infeſtiſsima Macedoniæ, temporibúſque iniquis regum imminens tolleretur: & Baſtarnæ relictis in Dardania coniugibus liberíſque, ad populandam Italiam poſſent mitti. per Scordiſcos iter eſſe ad mare Adriaticum, Italiámque. alia via traduci exercitum non poſſe. facilè Baſtarnis Scordiſcos iter daturos. nec enim aut lingua aut moribus æquales abhorrere. & ipſos adiuncturos ſe, cùm ad prædam opulentiſsimæ gentis ire vidiſſent. Inde in omnem euentum conſilia commodabantur. ſiue cæſi ab Romanis forent Baſtarnæ, Dardanos tamen ſublatos, prædámque ex reliquiis Baſtarnarum, & poſſeſsionem liberam Dardaniæ, ſolatio fore: ſiue proſperè geſsiſſent, Romanis auerſis in Baſtarnarum bellum, recuperaturum ſe in Græcia quæ amiſiſſet. Hæc Philippi conſilia fuerant. Ingreſsi ſunt pacato agmine, fide Cottonis & Antigoni: ſed haud multo poſt famam mortis Philippi, neque Thraces commercio faciles erant, neque Baſtarnæ empto contenti eſſe poterant, aut in agmine contineri, ne decederent via. Inde iniuriæ vltro citróque fieri: quarum indies incremento bellum exarſit. Poſtremò Thraces, cùm vim ac multitudinem ſuſtinere hoſtium non poſſent, relictis campeſtribus vicis in montem ingentis altitudinis (Donucam vocant) conceſſerunt. Quò vbi ire Baſtarnæ vellent, quali tempeſtate Gallos ſpoliantes Delphos fama eſt peremptos eſſe,

Baſtarnæ.

talis

A talis tum Bastarnas nequicquam ad iuga montium appropinquantes oppressit. Neque enim imbre tantum effuso, dein creberrima grandine obruti sunt, cum ingenti fragore cæli tonitribúsque & fulguribus præstringentibus aciem oculorum. sed fulmina etiam sic vndique micabant, vt peti viderentur corpora: nec solùm milites, sed etiam principes icti caderent. itaque cùm præcipiti fuga per rupes præaltas improuidi sternerentur, ruerèntque, instabant quidem perculsis Thraces. sed ipsi deos authores fugæ esse, cælúmque in se ruere aiebant. Dissipati procella, cùm tanquam ex naufragio plerique semiermes in castra, vnde profecti erant, rediissent, consultari quid agerent cœptum: inde orta dissensio, aliis redeundum, aliis penetrandum in Dardaniam censentibus. Triginta fermè millia hominum (Clondico duce profecti erant) peruenerunt. cætera multitudo retro quà venerat, transdanubianam regionem repetiit. Perseus potitus regno, interfici Antigonum iussit. & dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renouandam, petendúmque vt rex ab senatu appellaretur, misit. Hæc eo anno in Macedonia gesta. Alter consulum, Q. Fuluius ex Liguribus triumphauit. quem triumphum magis gratiæ, quàm rerum gestarum magnitudini datum, constabat. Armorum hostilium magnam vim transtulit. nullam pecuniam admodum. diuisit tamen in singulos milites tricenos æris: duplex centurionibus, triplex equiti. Nihil in eo triumpho magis insigne fuit, quàm quod fortè euênit vt eodem die triumpharet, quo priore anno ex prætura triumphauerat. Secundum triumphum comitia edixit. quibus creati coss. sunt, M. Iunius Brutus, A. Manlius Volso. Prætorum inde tribus creatis, comitia tempestas diremit. postero die reliqui tres facti, ante diem quartum Idus Martias, M. Titinius Curuus, T. Claudius Nero, T. Fonteius Capito. Ludi Romani instaurati ab ædilibus curulibus Cn. Seruilio Cepione, Ap. Claudio Centone, propter prodigia quæ euenerant. Terra mouit. in foris publicis, vbi lectisternium erat, deorum capita, quæ in lectis erant, auerterunt se: lanáq; cum integumentis, quæ Ioui opposita fuit, decidit. de mensa oleas quoque prægustasse mures, in prodigium versum est. Ad ea expianda nihil vltrà, quàm vt ludi instaurarentur, actum est.

Bastarnæ opprimuntur.

Q. Fuluius de Liguribus triumphat.

Prodigia.

DECADIS QVARTAE FINIS.

DECADIS QVINTAE LIBER PRIMVS.

Ignis in æde Vestæ extinctus est. Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit: monimentumq́; B operum suorum, Graccburim oppidum in Hispania constituit. A. Posthumio Albino proconsule, Vaccei ac Lusitani subacti sunt. de vtrisque triumphauit. Antiochus Antiochi filius obses Romanus à patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab urbe dimissus. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCLXXIII millia. CCXLIIII. Q. Volumnius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret. suasit legem M. Cato. extat oratio eius. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos, & Celtiberos à compluribus ducibus gestas continet. & initia belli Macedonici, quòd Perseus Philippi filius moliebatur. miserat enim ad Carthaginienses legationem, & ab iis nocte audita erat. sed & alias Græciæ ciuitates solicitabat. qui præter religionem, quod quàm multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Iouis Olympii, & Antiochiæ, vilissimum regem egit.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE. CONDITA DECADIS QVINTAE

LIBER PRIMVS

ACEPHALVS.

* *

à patre in pace habitam armasse, eóque iuuentuti prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur. Consilium de Histrico bello cùm haberet consul, alii gerendum extemplò, antequam contrahere copias hostes possent: alii consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileia consul, castra ad lacum Timaui posuit. Imminet mari is lacus. Eódem decem nauibus C. Furius duumuir naualis venit. Aduersus Illyriorũ classem creati duumuiri nauales erant, qui tuendam viginti nauibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora vsque ad Tarentum, C. Furius læua vsque ad Aquileiam tueretur. Eæ naues ad proximum portum in Histriæ fines cum onerariis & magno commeatu missæ: secutúsque cum legionibus consul quinque fermè millia à mari posuit castra. In portu emporium breui perfrequens factum, omniáque hinc in castra supportabantur: & quò id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt: in Histriámque suum præsidium statiuum, repentina cohors Placentina opposita inter mare & castra: & vt idem aquatoribus ad fluuium esset præsidium, M. Ebutius tribunus militum secundæ legionis duos manipulos militum adiicere iussus est. T. & C. Aelii tribuni

Timaui lacus.

Ancona.

militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tuêretur, via quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille fermè passuum castra erant Gallorum: Carmelus pro regulo erat tribus, aut amplius, millibus armatorum. Histri vt primùm ad lacum Timaui castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt: & inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti: nec quicquam eos quæ terra marique agerentur, fallebat. postquam stationes inualidas esse pro castris, eorum turbam inermis frequens inter castra & mare mercantium, sine vllo terrestri aut maritimo munimento viderunt, duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis adgrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: qua dilabente ad primum teporem solis, perlucens iam aliquid, incerta tamen, vt solet, lux speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo maiorem iis quàm erat hostium aciem ostendit: qua territi vtriusque stationis milites ingenti tumultu cùm in castra confugissent, haud paulo ibi plus, quàm quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugissent, nec percontantibus reddere responsum poterant: & clamor in portis, vt vbi nulla esset statio, quæ sustineret impetum, audiebatur: & concursat io in obscuro incidentium aliorum in alios, incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Vna vox audiebatur, ad mare vocantium. Id fortè temerè ab vno exclamatum, totis passim personabat castris. Itaque primò velut iussi id facere, pauci armati, maior pars inermes, ad mare decurrunt: dein plures, postremò propè omnes, & ipse consul, cùm frustra reuocare fugienteis conatus, nec imperio, nec authoritate, nec precibus ad extremum valuisset. Vnus remansit, M. Licinius Strabo, tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc in vacua castra impetu facto Histri, cùm alius armatus iis nemo obuiam isset, in prætorio instruentem atque adhortantem suos oppresserunt. Prælium atrocius quàm pro paucitate resistentium fuit: nec antè finitum est, quàm tribunus militum, quíque circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio deiecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum, quintanámque hostes peruenerunt. Ibi cùm omnium rerum paratam expositámque copiam, & stratos lectos in quæstorio inuenissent, regulus accubans epulari cœpit: mox idem cæteri omnes armorum hostiúmque obliti faciunt: &, vt quibus insuetus liberalior victus esset, auidius vino cibóque corpora onerant. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos: terra mari trepidatur, nautici tabernacula detendunt, commeatúmque in litore expositum in naues rapiunt: milites in scaphas & mare territi ruunt: nautæ metu ne compleantur nauigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naues in altum expellunt: inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus & cæde inuicem militum nautarúmque oritur, donec iussu consulis procul à terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit: vix mille & ducenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inuenti sunt: cætera deformis turba, velut lixarum calonúmque, præda verè futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius ad tertiam legionem reuocandam & Gallorum præsidium: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendámque ignominiam rediri cœptum est. Tribuni militum tertiæ legionis pabulum lignáque proiicere iubent: centurionibus imperant, vt grauiores ætate milites binos in ea iumenta, ex quibus onera deiecta erant, imponant: equites vt singulos è iuuenibus, pedites secum in equos tollant. egregiam gloriam legionis fore, si castra metu secundanorum amissa, sua virtute recipiant: & recipi facile esse, si in præda occupati barbari subitò opprimantur: sicut ceperint, posse capi. Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur: priores tamen consul copiæque, quæ à mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius tribunus primus secundæ legionis non hortabatur modò milites, sed docebat etiam: si victores Histri quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse, deinde stationes certè pro vallo habituros: vino somnóque verisimile esse mersos iacere. Sub hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum iussit. Ille si vnum se sequerentur, quo celerius fieret, facturum dixit: connixúsque cùm trans vallum signum traiecisset, primus omnium portam intrauit. Et parte alia T. & C. Aelii Tribuni militum tertiæ legionis cum equitatu aduenjunt: cóféstim & quos binos oneraria in iuméta imposuerant secuti: & cósul cum toto agmine. At Histrorū pauci, qui modicè vinosi erant, memores fuerant fugæ, aliis somno mors continuata est: integráque sua omnia Romani, præterquam quòd vini cibíque absumptum erat, receperunt. Aegri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis arreptis cædem ingentem fecerunt. Ante omneis insignis opera fuit C. Popilii equitis: Sabello cognomen erat. is pede saucio relictus, longè plurimos hostium occidit. Ad octo millia Histrorum sunt cæsa, captus nemo: quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Rex tamen Histrorum temulentus ex conuiuio raptim à suis in equum impositus fugit. Ex victoribus CCXXXVII milites perierunt, plures in matutina fuga quàm in recipiendis castris. Fortè ita euenit, vt Cn. & L. Gauillii, nouelli Aquileienses, cum commeatu venientes, ignari propè in capta castra ab Histris inciderent. Ii cùm Aquileiam relictis impedimentis refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Aquileiæ modò, sed Romæ quoque post paucos dies impleuerunt: quòd non capta tantùm castra ab hostibus, nec fuga quæ vera erat, sed perditas res deletúmque exercitum omnem adlatum est. Itaque, quod in tumultu fieri solet, delectus extra ordinem non in vrbe tantùm, sed tota Italia indicti. Duæ legiones ciuium Romanorum conscriptæ, & decem millia peditum cum equitibus quingentis sociis nominis Latini imperata. M. Iunius consul transire in Galliam, & ab ciuitatibus prouinciæ eius quantum

Carmelus Histrorum regulus.

Histri Romanorum castra inuadunt.

Ingens Romanorū trepidatio.

Romani ad castra sua recipienda redeunt.

Histri in Romanorū castris vino somnóque mersi cæduntur.

Histrorum rex aufugit.

Atum quæque poſſet militum exigere iuſſus. Simul decretum, vt T. Claudius Prætor militibus legionis quartæ, & ſociûm Latini nominis quinque millibus, equitum C C L, Piſas vt conuenirent ediceret, eámque prouinciam dum conſul inde abeſſet tutaretur. M. Titinius Prætor legionem primam, parem numerum ſociorum peditum equitúmque Ariminum conuenire iuberet. Nero paludatus Piſas in prouinciam eſt profectus. Titinius C. Caſsio Tribuno militum Ariminum qui præeſſet legioni miſſo, delectum Romæ habuit. M. Iunius c o s. ex Liguribus in prouinciam Galliam tranſgreſſus, auxiliis protinus per ciuitates Galliæ, militibúſque colonis imperatis, Aquileiam peruenit. Ibi certior factus exercitum incolumem eſſe, ſcriptis literis Romam ne tumultuarentur, ipſe remiſsis auxiliis quæ Gallis imperauerat, ad collegam eſt profectus. Romæ magna ex nec opinato lætitia fuit: delectus omiſſus eſt, exauctorati qui ſacramento dixerant: & exercitus qui Arimini peſtilentia affectus erat, domum dimiſſus. Hiſtri magnis copiis cùm caſtra haud procul conſulis caſtris haberent, poſtquam alterum conſulem cum exercitu nouo aduenisse audierunt, paſsim in ciuitates dilapſi ſunt: conſules Aquileiam in hyberna legiones reduxerunt. Sedato tandem Hiſtrico tumultu, Senatuſconſultũ factum eſt, vt conſules inter ſe compararent, vter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Cùm abſentem Manlium Tribuni plebis Licinius Nerua, & C. Papirius Turdus in concionibus lacerarent, rogationémque promulgarent, ne Manlius poſt Idus Martias (prorogatæ nanque cõſulibus iam in annum prouinciæ erant) imperium retineret: vti cauſam extemplò dicere, cùm abiſſet magiſtratu, poſſet: huic rogationi Q. Aelius collega interceſsit, magníſque contentionibus obtinuit ne perferretur. Per eos dies Tib. Sempronius Gracchus, & L. Poſthumius Albinus ex Hiſpania Romam cùm reuertiſſent, ſenatus iis à M. Titinio Prætore datus in æde Bellonæ, ad diſſerendas res quas geſsiſſent, poſtulandóſque honores meritos, vt diis immortalibus haberetur honos. Eodem tempore & in Sardinia magnum tumultum eſſe, literis T. Ebutii Prætoris cognitũ eſt, quas filius eius ad ſenatum attulerat. Ilienſes, adiunctis Balarorum auxiliis, pacatam prouinciam inuaſerant: nec eis inualido exercitu, & magna parte peſtilentia abſumpto reſiſti poterat. Eadem & Sardorum legati nuntiabant, orantes vt vrbibus ſaltem (iam enim agros deploratos eſſe) opem ſenatus ferret. Hæc legatio totúmque quod ad Sardiniam pertinebat, ad nouos magiſtratus reiectum eſt. Aequè miſerabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querebantur, fuiſſe ſub ditione Antiochi: eam regiam ſeruitutem collatam cum præſenti ſtatu, præclaram libertatem viſam. non publico tantùm ſe premi imperio, ſed ſingulos iuſtum pati ſeruitium: iuſtos coniuges liberóſque vexari: in corpus, in tergum ſæuiri: famam, quod indignum ſit, maculari, dehoneſtarique: & palàm res odioſas fieri, iuris etiam vſurpandi cauſa: ut pro dubio habeant, nihil inter

B ſe & argento parata mancipia intereſſe. Motus his ſenatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: nec Lycios Rhodiis, nec vllos alicui, qui nati liberi ſint, in ſeruitutem dari placere. Lycios ita ſub Rhodiorum ſimul imperium & tutelam eſſe, vt in ditione populi Romani ciuitates ſociæ ſint. Triumphi deinde ex Hiſpania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, ſociíſque eorum: poſtero die L. Poſthumius de Luſitanis, aliíſque eiuſdem regionis Hiſpanis triumphauit. quadraginta millia pondo argenti Tib. Gracchus tranſtulit, viginti millia Albinus. Militibus denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti, ambo diuiſerunt, ſociis tantundem quantum Romanis. Per eoſdem fortè dies M. Iunius c o s. ex Hiſtria comitiorum cauſa Romam venit. Eum cùm in ſenatu fatigaſſent interrogationibus Tribuni plebis Papyrius & Licinius, de his quæ in Hiſtria eſſent acta, in concionem quoque produxerunt. Ad quæ cùm conſul, ſe dies non plus vndecim in ea prouincia fuiſſe, reſponderet: quæ ſe abſente acta eſſent, ſe quoque, vt illos, fama comperta habere: exequebantur deinde, quærentes, quid ita non potius A. Manlius Romam veniſſet, vt rationem redderet populo Romano, cur ex Gallia prouincia quam ſortitus eſſet, in Hiſtriam tranſiſſet: quando id bellum ſenatus decreuiſſet, quando id bellum populus Romanus iuſsiſſet. At hercule priuato quidem cõſilio bellum ſuſceptum eſſe, ſed geſtum prudenter, fortitérque. Immo vtrum ſuſceptum ſit nequius, an inconſultius geſtum, dici non poſſe. Stationes duas nec opinantes ab Hiſtris oppreſſas, caſtra Romana capta: quod peditum, quod equitum in caſtris fuerit. cæteros inermeis, fuſóſque, ante omneis conſulem ipſum ad mare ac naueis fugiſſe. priuatum rationem redditurũ earum rerum eſſe, quoniam conſul noluiſſet. Comitia deinde habita: conſules creati C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus. & poſtero die prætores facti, P. Aelius Tubero iterum, C. Quintius Flamininus, C. Numiſius, C. Mummius, Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Læuinus. Tuberoni vrbana iuriſdictio, Quintio peregrina euenit, Numiſio Sicilia, Mummio Sardinia: ſed ea propter belli magnitudinem prouincia conſularis facta. Gracchus eam ſortitur, Hiſtriam Claudius, Scipio & Læuinus Galliam in duas diuiſam prouincias ſortiti ſunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiúſque conſulatum inierunt, mentio tantum de prouinciis Sardinia Hiſtriáque & vtriuſque hoſtibus fuit, qui in his prouinciis bellum conciuiſſent. Poſtero die legati Sardorum qui ad nouos magiſtratus dilati erant: L. Minutius Thermus, qui legatus Manlii conſulis in Hiſtria fuerat in ſenatum venit. Ab his edoctus eſt ſenatus quantum belli eæ prouinciæ haberent. Mouerunt ſenatum & legationes ſociûm nominis Latini, quæ & cenſores, & priores conſules fatigauerunt, tandem in ſenatum introductæ. Summa querelarum erat, ciues ſuos Romæ cenſos pleroſque Romam commigraſſe. Quod ſi permittatur, perpaucis luſtris futurum, vt deſerta oppida, deſerti agri, nullum militem dare poſſent. Fregellas quoque millia quatuor familiarum tranſiſſe ab ſe, Samnites Pelignique querebantur: neque eo minus aut hos, aut illos in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim ciuitatis inducta erant. Lex ſociis ac

Hiſtri domũ ſe recipiũt.

Tumultus in Sardinia.

Lycij de Rhodijs querũtur.

Gracchus de Celtiberis: Poſthumius de Luſitanis triũphauit.

Lex sociorū nominis Latini, qui ciues Romani fierent.

nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. Ea lege malè A
vtendo, alii socios, alii populo Romano iniuriam faciebant. Nam &, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem vt manumitterentur mancipio dabant, libertinique ciues essent: & quibus stirpes deesset quam relinquerent, vt ciues Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscuè sine lege, siue stirpe, in ciuitatem Romanam per migrationem & censum transibant. Hæc ne postea fierent, petebant legati, & vt redire in ciuitates iuberent socios. deinde vt lege cauerent, ne quis quem ciuitatis mutandæ causa suum faceret, néve alienaret, etsi quis ita ciuis Romanus factus esset. Hæc impetrata ab senatu. Prouinciæ deinde quæ in bello erāt, Sardinia atque Histria decretæ. In Sardiniam duæ legiones scribi iussæ, quina millia in singulas & duceni pedites, triceni equites, & duodecim millia peditum sociorum ac Latini nominis, & sexcenti equites, & decem quinqueremes naues, si deducere ex naualibus vellet. Tantundem peditum equitúmq; in Histriam, quantum in Sardiniam decretū. Et legionem vnam cum equitibus CCC, & quinque millia peditum sociorū, & CCL mittere equites in Hispaniam consules ad M. Titinium iussi. Priusquā

Prodigia.

consules prouincias sortirentur, prodigia nunciata sunt: lapidem in agro Crustumino in lacum Martis de cælo cecidisse. Puerum trunci corporis in agro Romano natum, & quadrupedem anguem visum: & Capuæ multa in foro ædificia de cælo tacta, & Puteolis duas naues fulminis ictu concrematas esse. Inter hæc quæ nuntiabantur, lupus etiā Romæ interdiu agitatus, cùm Collina porta intrasset, per Aesquilinam magno consectantium tumultu euasit. Eorum prodigiorū causa cōsules maiores hostias immolarūt, & diem vnū circa omnia puluinaria supplicatio fuit. Sacrificiis ritè perfectis, prouincias sortiti sunt. Claudio Histria, Sempronio Sardinia obuenit. Legem deinde sociis C. Claudius tulit Senatusconsulto, & edixit: qui socii ac nominis Latini ipsi maiorésve eorū, M. Claudio, T. Quintio censoribus, pósque ea apud socios nominis Latini censi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatem ante Cal. Nouembris redirent. Quæstio, qui ita nō redissent, L. Mummio Prætori decreta est. Ad legem & edictum COS. Senatusconsultū adiectum est: vt dictator, COS. interrex, censor, Prætor qui nunc esset apud forū, quem manumitteretur, in libertatem vindicaretur, vt iusiurandum daret: qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ causa manu non mittere: qui id nō iuraret, eum manu mittendum non censuerūt. Hæc in posterum causa iurísque dictio C. Claudio COS. decreta est. Dum hæc Romæ geruntur, M. Iunius, & A. Manlius, qui priore anno cōsules fuerant, cum Aquileiæ hybernassent, principio veris in fineis Histrorum exercitum introduxerunt. vbi cùm effusè popularentur, dolor magis & indignatio diripi res suas cernenteis Histros, quàm certa spes satis sibi virium aduersus duos exercitus, exciuit. eō cursu ex

Histri victi obsides dare iubentur.

omnibus populis iuuentutis facto, repentinus & tumultuarius exercitus acrius primo impetu quàm perseuerātius pugnauit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa, cæteri omisso bello in ciuitates passim B
diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos miserunt. Hæc cùm Romæ cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul veritus, ne fortè ea res prouinciam exercitúmq; sibi adimeret, non votis nuncupatis, nō paludatis lictoribus, vno omniū certiore facto collega, nocte profectus præceps in prouinciam abiit: vbi incōsultius quàm venerat se gessit. Nam cùm concione aduocata fugam è castris A. Manlii aduersis auribus militum, quippe qui primi ipsi fugissent, iactasset, ingessisset probra M. Iunio, quòd se dedecoris socium collegæ fecisset: ad

Claudius cōsul ab exercitu suo contemnitur.

extremum vtrumque decedere prouincia iussit. Quod cùm milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cùm is more maiorum secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab vrbe esset: furens ira vocatum qui pro quæstore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Iunium Manliúmque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est: & circumfusus exercitus fauens imperatorum causæ, & consuli infestus, animos, ad non parendum addebat. Postremò fatigatus consul & contumeliis singulorum, & multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, naue eadem qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegæ scripsit, vt militum nouorum ei parti, quæ scripta in Histriam prouinciam esset, ediceret, Aquileiam vt conueniret: ne quid se Romæ teneret, quo minus votis nuncupatis paludatus ab vrbe exiret. Hæc collegæ obsequenter facta, breuísque dies ad conueniendum edicta est. Claudius propè consecutus est literas suas. Concione adueniens de Manlio & Iunio habita, nō vltra triduum moratus Romæ, paludatis lictoribus, votísque in Capitolio nuncupatis, in prouinciā æquè amplius præcipiti celeritate abit. Paucis antè diebus Iu-

Nesatium in Histria obsidetur.

nius Manliúsque oppidum Nesatium, quò se principes Histrorum & regulus ipse Aepulo receperat, summa vi oppugnant. Eò Claudius duabus legionibus nouis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit: amnémque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Histris præbebat, multorum die-

Histri desperatis rebus suis cōiuges ac liberos trucidant.

rum opere exceptum nouo alueo auertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscissæ aquæ: & ne tum quidem memores pacis, in cædem coniugum ac liberorū versi, etiam vt spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palàm in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul cōplorationem fœminarum puerorúmque, simul nefandam cædem, milites transgressi murum, oppidum intrarunt. Cuius capti tumulum vt ex pauido clamore fugientium accepit rex, traiecit ferro pectus, ne viuus caperetur: cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida Mutila & Faueria vi capta, & deleta. Præda, vt in gente inopi

Histria pacata est, & in deditionē venit.

spe maior fuit, & omnis militibus concessa est. quinque millia capitum DCXXXII sub corona venierunt. Authores belli virgis cæsi, & securi percussi. Histria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata est: omnésque vndique populi obsidibus datis in ditionem venerunt. Sub Histrici finem belli, apud Ligures cōcilia deinde de bello haberi cœpta. T. Claudius proconsul, qui Prætor priore anno fuerat,

A rat, cum præsidio legionis vnius Pisis præerat. Cuius literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul iam in Sardiniam traiecerat) deferendas censet. & adiicit decretum, quoniam Histria prouincia confecta esset, si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures. Simul ex literis consulis quas de rebus in Histria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero consule Tib. Sempronio in Sardinia prosperè res gestæ. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant. Cum vtraque gente signis collatis conflixit. fusi fugatíque hostes, castrísque exuti. duodecim millia armatorũ cæsa. Postero die arma lecta coniici in aceruum iussit consul sacrúmque id Vulcano cremauit. Victorem exercitum in hyberna sociarum vrbium reduxit. Et C. Claudius literis T. Claudii & Senatusconsulto accepto, ex Histria legiones in Ligures transduxit. Ad Sculteunam flumen in campos progressi castra habebant hostes. Ibi cum his acie dimicatum. quindecim millia cæsa, plus D CC aut in prælio, aut in castris (nam ea quoque expugnata sunt) capti. & signa militaria vnum & quinquaginta capta. Ligures reliquiæ cædis in montes refugerunt passim, populantiq; campestreis agros consuli nulla vsquam apparuerunt arma. Claudius duarum gentium vno anno victor, duabus, quòd rarò alius, in consulatu pacatis prouinciis, Romam reuertit. Prodigia eo anno nuntiata: in Crustumino auem sangualem (quam vocant) sacrum lapidem rostro cecidisse. Bouem in Campania locutum. Vaccam æneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, initam, ac semine aspersam. In Crustumino diem vnum in ipso loco supplicatio fuit. & in Campania bos alenda publicè data: Syracusanúmque prodigium expiatũ, editis ab aruspicibus diis, quibus supplicaretur. Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui cõsul censórque fuerat. In eius locum suffectus est pontifex filius eius M. Marcellus. Et Lucam colonia eodem anno M M ciuium Romanorum sunt deducta. Triumuiri deduxerunt P. Aelius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & singula iugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat, Hetruscorum antè, quàm Ligurum fuerat. C. Claudius COS. ad vrbem venit: cui, cùm in senatu de rebus in Histria Liguribúsque prosperè gestis disseruisset, postulanti triumphus est decretus. triumphauit in magistratu de duabus simul gentibus. Tulit in eo triumpho denariũm CCCVII millia, & victoriatũm LXXXV millia DCCII. militibus in singulos quinideni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti: sociis, dimidio minus, quàm ciuibus, datum. Itaque taciti, vt iratos esse sentires, secuti sunt currum. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures postquam senserunt, non consularem tantùm exercitum Romam adductum, sed legionem ab T. Claudio Pisis dimissam: soluti metu clàm exercitu indicto, per transuersos limites superatis montibus in campos digressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Id vbi Romam allatum est, senatus C. Claudium

In Sardinia res feliciter gestæ.

Ligures expugnantur.

Prodigia.

Claudius cõsul de Histris & Liguribus triumphat.

Ligures Mutinam capiunt.

B consulem comitia primo quoque tempore habere iussit, creatísque in annum magistratibus in prouinciam redire, & coloniam ex hostibus eripere. Ita vti censuit senatus, comitia habita. COSS. creati, Cn. Cornelius Scipio Hispalus, Q. Petilius Spurinus. Prætores inde facti, M. Popilius Lænâs, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio, L. Papyrius Maso, M. Aburius, L. Aquilius Gallus. C. Claudio COS. prorogatum in annum imperium, & Gallia prouincia. Et ne Histri quoque idem, quod & Ligures, facerent, socios nominis Latini in Histriam mitteret, quos triumphi causa de prouincia deduxisset. Cn. Cornelio, & Q. Petilio COSS. quo die magistratum inierunt, immolantibus Ioui singulis bubus, vti solet: in ea hostia, qua Q. Petilius sacrificauit, in iocinore caput non inuentum. Id cùm ad senatum retulisset, boue perlitare iussus. De prouinciis deinde consultus senatus, Pisas & Ligures prouincias consulibus decreuit. Cui Pisæ prouincia obuenisset, cùm magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reuerti iussit. Additum decreto, vt binas legiones nouas scriberent, & trecentos equites: & dena millia peditum sociis nominíque Latino, & sexcentos imperarent equites. T. Claudio prorogatum est imperium in id tempus, quo in prouinciam COS. venisset. Dum de his rebus in senatu agitur, Cn. Cornelius euocatus à viatore, cùm templo egressus esset, paulo pòst rediit confuso vultu: & exposuit patribus conscriptis, bouis sescenaris, quem immolauisset, iecur defluxisse: id se victimario nuntianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla vbi exta coquerentur, iussisse, & vidisse cæteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabiliter absumptum. Territis eo prodigio patribus, & alter COS. curam adiecit: qui se, quòd caput iociuori defuisset, tribus bubus perlitasse negauit. Senatus maioribus hostiis vsque ad litationem sacrificari iussit. Cæteris diis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitasse negant. Inde consules prætorésque prouincias sortiti. Pisæ Cn. Cornelio, Ligures Petilio obuenerunt. Prætores L. Papyrius Maso vrbanam, M. Aburius inter peregrinos sortiti sunt. M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam vlteriorem, L. Aquilius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati sunt, ne in prouincias irent: M. Popilius in Sardiniam. Gracchum eam prouinciam pacare, & T. Ebutium Præt. adiutorem ab senatu datum esse. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minimè conuenire. Inter traditionem imperii, nouitatémque successoris, quæ noscendis prius quàm agendis rebus imbuenda sit, sæpe bene gerendæ rei occasiones intercidere. Probata Popilii excusatio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri solennibus excusabat, ne in prouinciam iret. Citerior Hispania obuenerat. Cæterùm aut ire iussus, aut iurare pro concione, solenni sacrificio se prohiberi. Id vbi in P. Licinio ita statutum est, & ab se vti iusiurandum acciperent, M. Cornelius postulauit, ne in Hispaniam vlteriorem iret. Prætores ambo in eadem verba iureiurarunt. M. Titinius & T. Fonteius proconsules manere cum eodem imperii iure in Hispania iussi: & vt in supplementum his tria millia ciuium Romanorum cum equitibus ducentis, quinque millia sociũm Latini nominis & trecenti equites mitterentur. Latinæ feriæ fuere ad diem tertium

Prodigia in sacris facien dis.

Latinæ feriæ.

Nonas Maii, in quibus quia in vna hostia magistratus Lanuuinus precatus non erat, P R Quiritium, A
religioni fuit. Id cùm ad senatum relatum esset, senatúsque ad pontificum collegium reiecisset:
pontificibus, quia non rectè factæ Latinæ essent, instauratis Latinis, placuit Lanuuinos, quorum opera
instauratæ essent, hostias præbere. Accesserat ad religionem, quòd Cn. Cornelius c o s. ex monte Al-
bano rediens concidit: & parte membrorũ captus, ad aquas Cumanas profectus ingrauescente mor-
bo Cumis decessit: sed inde mortuus Romam allatus, & funere magnifico elatus, sepultúsque est. Pon-
tifex idem fuerat c o s. Q. Petilius, cùm primùm per auspicia posset, collegæ subrogando comitia ha-
bere iussus, & Latinas edicere: comitia in diem I I I Nonas Sextiles, Latinas ad diem I I I Idus Sextiles,
Prodigia. edixit. Plenis religionũ animis prodigia insuper nuntiata: Tusculi facem in cælo visam: Gabiis ædem
Apollinis & priuata ædificia complura, Grauiscis murum portámque de cælo tacta. Ea patres procu-
rari, vti pontifices censuissent, iusserunt. Dum c o s s. primùm religiones, deinde alterũ alterius mors
Mutina recipitur. & comitia, & Latinarũ instaurationes impediunt: interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam
Ligures priore anno ceperant, admouit. Ante triduum quàm oppugnare ceperat, receptam ex hosti-
bus, colonis restituit. Octo millia ibi Ligurũ intra muros cæsa: literæq; Romam extemplò scriptæ, qui-
bus nõ modò rem exponeret, sed etiam gloriaretur: sua virtute ac felicitate neminem iam cis Alpeis
hostem populi Romani agríque aliquantum captum, qui multis millibus hominũ diuidi viritim pos-
set. Et Tib. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis præliis Sardos perdomuit. X V
millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. stipendiariis
Sardinia pacatur. veteribus duplex vectigal imperatũ, exactúmque: cæteri frumentum contulerunt. Pacata prouincia,
obsidibúsq; ex tota insula C C X X X acceptis, legati Romam, qui ea nuntiarent, missi: quíque ab senatu
peterent, vt ob eas res ductu auspicióque Tib. Sempronii prosperè gestas, diis immortalibus honos
haberetur, ipsique decedenti de prouincia exercitum secum deportare liceret. Senatus in æde Apolli-
nis legatorũ verbis auditis, supplicationem in biduum decreuit, & X L maioribus hostiis consules sa-
crificare iussit: Tib. Sempronium proconsulem exercitúmque eo anno in prouincia manere. Comitia
deinde consulis vnius subrogandi, quæ ad diem I I I Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt con-
fecta. Q. Petilius c o s. collegam, qui extemplò magistratũ occiperet, creauit, M. Valerium Leuinum.
Ligures rebellant. Is iam diu cupidus prouinciæ, cùm opportunæ cupiditati eius literæ allatæ essent, Ligures rebellasse:
Nonis Sextilibus paludatus, literis auditis, tumultus eius causa legionem tertiá ad C. Claudium pro-
consulem in Galliam proficisci iussit: & duumuiros nauales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram,
maritimum quoque terrorem admouentes, circumuectarentur. Eódem & Q. Petilius c o s. ad conue-
niendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius procõsul audita rebellione Ligurum, præter eas co-
pias quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus exercitũ ad fines Ligurũ admouit. Ho- B
stes sub aduentum C. Claudii, à quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos, fuga-
tósque, locorũ magis præsidio aduersus infeliciter expertá vim, quàm armis se defensuri, duos mon-
tes Letum & Balistam ceperunt: muróque insuper amplexi, tardius ex agris demigrãtes, oppressi ad
Ligures sæuiunt in captiuos. M. & D perierunt. Cæteri montibus se tenebant, & ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, sæuiunt
in prædam, quæ Mutinæ parta erat: captiuos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis truci-
daut verius passim, quàm ritè sacrificant. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant parietibus affi-
gunt, vasa omnis generis vsui magis quàm ornamento in speciem facta. Q. Petilius c o s. ne absente se
debellaretur, literas ad C. Claudium misit, vt cum exercitu ad se in Galliam veniret: campis Macris se
eum expectaturũ. Literis acceptis Claudius ex Liguribus castra mouit, exercitúmque ad campos Ma
cros consuli tradidit. Eódem paucis pòst diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi diuisis copiis, prius-
quam digrederentur, cõmuniter ambo exercitus lustrauerunt. tum sortiti, quia non ab eadem vtrunq;
parte aggredi hostem placebat, regiones quas peterẽt. Valerium auspicatò sortitũ constabat, quòd in
templo fuisset: in Petilio id vitio factũ, postea augures responderunt, quòd extra templum sortem in
sitellam in templum latam foris ipse posuerit. Profecti inde in diuersas regiones: Petilius aduersus Ba-
listæ & Leti iugum, quod eos mõtes perpetuo dorso inter se iungit, castra habuit. Ibi adhortantẽ eum
pro concione milites, immemorẽ ambiguitatis verbi ominatum ferunt: se eo die Letum capturũ esse.
Duabus simul partibus subire in aduersos mõtes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, impigrè succedebat.
Alterã hostes cũ propulissent, vt restitueret rem inclinatá, consul equo aduectus, suos quidẽ à fuga re-
Petilius consul à Liguribus occiditur. uocauit: ipse dum incautius ante signa obuersatur, missili traiectus cecidit. Nec hostes ducẽ occisum
senserũt: & suorũ pauci qui viderãt, haud negligẽter, vt qui in eo victoriá verti scirẽt, corpus occulta-
uẽre. Alia multitudo peditũ equitúmq;, deturbatis hostibus, mõteis sine duce cepere. Ad quinq; mil-
lia Ligurũ occisa: ex Romano exercitu I I & L ceciderũt. Super tam euidentẽ tristis ominis euentum
etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse, nec id consulem ignorasse. C. Valerius audita

deduxit. Cis Apenninum Garuli & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant. Inter
Audenam amnem Q. Mutius cum iis qui Lunam Pisásque depopulati erant, bellum gessit: omnibúsq;
in ditionem redactis, arma ademit. Ob eas res in Gallia Liguribúsque gestas duorum cõsulum ductu
auspicióque, senatus in triduum supplicationes decreuit, & X L hostiis sacrificari iussit. Et tumultus
quidem Gallicus & Ligustinus, qui principio eius anni exortus fuerat, haud magno conatu breui op-
pressus erat: belli Macedonici subibat iam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnásque certa-
mina. & legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, iam reuerterant Romam, renuntiaue-
rántque bellum in Dardania esse. Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec ac-
citos

A citos ab eo Bastarnas, nec authore eo quicquã facere. Senatus nec liberauit eius culpæ regem, neq; ar-
guit: moneri eum tantummodo iussit, vt etiã atq; etiã curaret, vt sanctum haberet fœdus, quod ei cum
Romanis esse videri posset. Dardani cùm Bastarnas non modò non excedere finibus suis, quod spera- *Dardanorũ cum Bastarnis bellum.*
uerant, sed grauiores fieri indies cernerent, subnixos Thracum accolarum & Scordiscorum auxiliis:
audendum aliquid vel temerè rati, omnes vndiq; armati ad oppidum quod proximum castris Bastar-
narum erat cõueniunt. Hyems erat, & id anni tempus elegerant, vt Thraces Scordiscíq; in fines suos
abirent. Quod vbi ita factum, & solos iam esse Bastarnas audierunt, bifariam diuidunt copias: pars, vt
recto itinere ad lacessendum ex aperto iret: pars deuio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Cæ-
terùm priusquam circumire castra hostium possent, pugnatũ est: victíq; Dardani compelluntur in vr-
bem, quæ ferè x i i millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt vrbem,
haud dubiè postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum alte-
ra manus, quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta

* *

more sella eburnea posita ius dicebat, disceptabátque controuersias minimarum rerum: adeóque nul- *Persei mores.*
li fortunæ adhærebat animus per omnia genera vitæ errans, vti nec sibi, nec aliis, quínam homo esset
satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere. munificentia inæquali sese alíósque
ludificari: quibusdam honoratis magnóq; æstimãtibus se, puerilia vt escæ aut lusus, munera dare, alios
nihil expectantes ditare. Itaq; nescire quid sibi vellet quibusdam videri. quidam ludere eum simplici-
ter, quidam haud dubiè insanire aiebant. In duabus tamen magnis honestísque rebus verè regius erat *Perseus vrbium donis, & deorum cultu magnificus.*
animus, in vrbium donis, & deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circundaturũ vrbi
est pollicitus, maiorémque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum è marmore facere in
stituit. Cyzici in prytaneum, id est penetrale vrbis, vbi publicè quibus is honos datus est vescuntur, va
sa aurea mensæ vnius posuit. Rhodiis nihil vnum insigne, ita omnis generis, vt quæque vsus eorum po
stulauerunt, dona dedit. Magnificentiæ verò in deos vel Iouis Olympii templum Athenis, vnũ in ter- *Prytaneum.*
ris inchoatũ pro magnitudine dei, potest testis esse. Sed & Delon maris insignibus, statuarúmq; copia
exornauit. & Antiochiæ Iouis Capitolini magnificũ tẽplum nõ laqueatũ auro tãtùm, sed parietibus to
tis lamina inauratũ, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreue tempus regni eius fuit, nõ per-
fecit. Spectaculorum quoq; omnis generis magnificẽtia superiores reges vicit. reliquorũ sui moris &
copia Græcorum artificum gladiatorum munus Romanæ consuetudinis, primò maiore cum terrore
hominum insuetorum ad tale spectaculum, quàm voluptate dedit: deinde sæpius dando, & modò
vulneribus tenus, modò sine missione etiam, & familiare oculis gratúmque id spectaculum fecit, &
B armorum studium plerisque iuuenum accendit. Itaque qui primò ab Roma magnis præmiis paratos
gladiatores accersere solitus erat, iam suo.

* *

pio inter peregrinos. M. Attilio Pr. prouincia Sardinia obuenerat: sed cum legione noua, quam con-
sules conscripserant, v millibus peditum, c c c equitibus in Corsicam iussus est transire. Dum is ibi bel-
lum gereret, Cornelio prorogatum imperium, vti obtineret Sardiniam, Cn. Seruilio Cepioni in Hispa-
niam vlteriorẽ, & P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites CL. & sociûm
Latini nominis v millia peditum, ccc equites. Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præte
rea legiones coss. scribere iussi, cum iusto numero peditũ equitúmq;, & x millia peditũ sociis impera- *Pestilentia.*
re, & oc equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quòd pestilentia quæ priore anno in boues in-
gruerat, eò verteret in hominũ morbos. qui inciderãt, haud facilè septimũ diẽ superabãt: qui superaue-
rãt, longinquo, maximè quartanæ, implicabãtur morbo. Seruitia maximè moriebãtur: eorũ strages per
omneis vias insepultorũ erat. Ne liberorum quidem funeribus libitina sufficiebat. Cadauera intacta à
canibus ac vulturibus tabes absumebat: satísq; cõstabat, nec illo, nec priore anno in tanta strage boum
hominúmq; vulturium vsquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Seruilius Ce-
pio pontifex pater prætoris, & Tib. Sempronius, T. F. Longus Decemuir sacrorum, & P. Aelius Pæ-
tus augur, & Tib. Sempronius Gracchus, & C. Attelius Aemylius curio maximus, & M. Sempronius
Tuditanus pontifex. Pontifices suffecti sunt, C. Sulpitius Galba in locum Tuditani. Augures suffecti
sunt: in Gracchi locũ T. Veturius Gracchus Sempronius: in P. Aelii, Q. Aelius Petus. Decemuir sacro-
rum C. Sempronius Longus: curio maximus C. Scribonius curio sufficitur. Cùm pestilentiæ finis non
fieret, senatus decreuit, vti Decemuiri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorũ diem vnum suppli-
catio fuit. & Q. Martio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit: si morbus pestilen-
tiáq; ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum. In Veienti agro bi *Prodigia.*
ceps natus puer, & Sinuessæ vnimanus, & Oximi puella cum dentibus, & arcus interdiu sereno cælo
super ædem Saturni in foro Romano intentus, & tres simul soles effulserunt: & faces eadem nocte plu
res per cælum lapsæ sunt in Lanuuino. Cærítésq; anguem in oppido suo iubatum aureis maculis spar- *Romani legati ex Africa redeũt.*
sum apparuisse affirmabant: & in agro Campano bouem locutum esse, satis constabat. Legati Nonis
Iulii ex Africa redierunt, qui conuento prius Masanissa rege, Carthaginem ierant: cæterùm certius ali-
quanto quæ Carthagine acta essent ab rege rescierant, quàm ab ipsis Carthaginiensibus. compertum *Legati in Macedonia mittuntur.*
tamẽ affirmauerunt, legatos ab rege Perseo venisse, iísq; noctu senatum in æde Aesculapii datum esse.
ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex affirmauerat, & ipsi parum constanter negaue-
rant. In Macedoniam quoq; mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius
Messala, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopũ nõ parebant, & de quibus ambige-

K 5

Perseus Dolopas subegit.

batur rebus disceptationẽ ab rege ad Romanos reuocabãt:cum exercitu profectus,sub ius iudiciúm- A
que suum totam coëgit gentem.Inde per Oetæos montes trãsgressus, religionibus quibusdam animo
obiectis,oraculum aditurus Delphos ascendit.Cùm in media repentè Græcia apparuisset, magnũ non
finitimis modò vrbibus terrorem præbuit , sed in Asiam quoque ad regem Eumenen nuntius tumultus eius venit. Triduum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem Achaiam , Thessaliámque sine

Perseus cõciliat sibi Græciæ ciuitates.

damno iniuriáque agrorum,per quos iter fecit,in regnũ rediit.Nec earum tantùm ciuitatum,per quas iturus erat,satis habuit animos sibi conciliare:aut legatos,aut literas dimisit,petens ne diutius simultatum,quæ cum patre suo fuissent,meminissent:nec enim tam atroces fuisse eas , vt non cum ipso potuerint ac debuerint finiri : secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam.

Perseus Achæos solicitat.

Cum Achæorum maximè gente reconciliandæ gratiæ viam quærebat.Hæc vna ex omni Græcia gens, & Atheniensium ciuitas,eò processerat irarum,vt finibus interdiceret Macedonibus.Itaq; seruitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat,quia cùm finibus suis interdixissent , intrare regni terminos ipsi non audebant.Id cùm Perseus animaduertisset,comprensis omnibus * literas.Cæterum ne similis fuga seruorũ postea fieret,cogitandum,& illis esse.Recitatis his literis per Xenarchum prætorem,qui priuatæ gratiæ aditum apud regem quærebat:& plerisq; moderatè & benignè scriptas esse censentibus literas,atq; his maximè,qui præter spem recepturi essent amissa mancipia : Callicrates ex

Callicratis ad Achæos oratio.

iis qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inuiolatum fœdus seruaretur : Parua, inquit,aut mediocris res Achæi quibusdam videtur agi:ego maximè grauissimam omnium , non agiq; tantum arbitror,sed quodam modo actam esse.Nam qui regibus Macedonum,Macedonibúsq;ipsis,finibus interdixissemus,manereq; id decretũ,scilicet ne legatos,ne nuntios admitteremus regum , per quos aliquorum ex nobis animi solicitarentur:ii concionantem quodammodo absentem audimus regem,& si diis placet,orationem eius probamus : & cùm feræ bestiæ cibum ad fraudem suam positum plerunq; aspernentur & refugiant,nos cæci specie parui beneficii inescamur:& seruulorũ minimi pretii recipiẽdorum spe,nostram ipsorum libertatem subrui & tentari patimur. Quis enim non videt,viã regiæ societatis quæri, qua Romanum fœdus, quo nostra omnia continentur,violetur?Nisi hoc dubiũ alicui est,bellandum Romanis cum Perseo esse:& quod viuo Philippo expectatum, morte eius interpellatum est,id post mortem Philippi futurum.Duos,vt scitis,habuit filios Philippus , Demetrium & Persea.Genere materno,virtute,ingenio,fauore Macedonum,longè præstitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii regnũ posuerat præmiũ,Demetrium nullo alio crimine , quàm Romanæ amicitiæ initæ,occidit:Persea,quẽ populus Romanus prius pœnæ quàm regni hæredem futurũ sciebat,regẽ fecit. Itaq; quid hic post mortem patris egit aliud,quàm bellum parauit? Bastarnas primùm ad terrorem omnium Dardaniã immisit:qui si sedem eam tenuissent,grauiores eos accolas Græcia habuisset , quàm B
Asia Gallos habeat.Ea spe depulsus,non tamen belli cõsilia omisit:imò si vera volumus dicere,iam inchoauit bellum.Dolopiam armis subegit , nec prouinciis de controuersis ad disceptationẽ populum Romanũ adiuit.inde transgressus Oetam , vt repentè in medio vmbilico Græciæ conspiceretur , Delphos ascendit.Hæc vsurpatio itineris insoliti quò vobis spectare videtur?Thessaliam deinde peragrauit,quòd sine vllius eorum quos oderat noxia,hoc magis tentationem metuo.Inde literas ad nos cum muneris specie misit:& cogitare iubet quomodo in reliquũ hoc munere non egeamus,hoc est, vt decretum quo arcentur Peloponneso Macedones,tollamus:rursus legatos regios,& hospitia cum principibus,& mox Macedonum exercitus,ipsum quoq; à Delphis (quantum enim interluit fretum?) traicientẽ in Peloponnesum videamus.Immiscemur Macedonibus armãtibus se aduersus Romanos. Ego nihil noui censeo decernendum,seruandáq; omnia integra donec ad certum dirigãtur,vanúsne hic timor noster,an verus fuerit.Si pax inuiolata inter Macedonas Romanósq; manebit,nobis quoq; amici

Arconis oratio superiori respondens.

tia & commercium sit:nunc de eo cogitare,periculosum & immaturum videtur. Post hunc Arco frater Xenarchi prætoris ita disseruit:Difficilem orationem Callicrates & mihi,& omnibus qui ab eo dissentimus,fecit.agendo enim Romanæ societatis causam ipse,tentaríq; & oppugnari dicendo,quã nemo neq; tentat neq; oppugnat:effecit vt qui ab se dissentiret,aduersus Romanos dicere videretur.Ac primùm omniũ tanquã non hic nobiscũ fuisset,sed aut ex curia populi Romani veniret , aut regũ arcanis interesset:omnia scit & nuntiat quæ occultè facta sunt:diuinat etiam quæ futura fuerãt, si Philippus vixisset.Quid ita Perseus regni hæres sit,quid parẽt Macedones,quid cogitent Romani.Nos autẽ, qui nec ob quã causam,nec quẽadmodum perierit Demetrius, scimus:nec quid Philippus , si vixisset, facturus fuerat:ad hæc quæ palàm geruntur,consilia nostra accõmodare oportet.Ac scimus Persea regno accepto ad legatos Romanos venisse,ac regem Persea à PR.appellatũ:audimus,legatos Romanos venisse ad regem,& eos benignè exceptos.Hæc omnia pacis equidem signa esse iudico,non belli:nec Romanos offendi posse,si vt bellum gerentes eos secuti sumus,nunc quoq; pacis authores sequamur. Cur quidẽ nos inexpiabile omniũ soli bellum aduersus regnũ Macedonũ geramus,nõ video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus:an infirmissimi omnium,tanquã quos nuper subiecit, Dolopes?Imò cõtra ea vel viribus nostris,deûm benignitate,vel regionis interuallo tuti. Sed sumus æquè subiecti ac Thessali,Aetolíque.nihilo plus fidei autoritatísq; habemus aduersus Romanos , qui semper socii atq; amici fuimus,quàm Aetoli,qui paulo antè hostes fuerunt. Quod Aetolis , quod Thessalis,quod Epirotis,omni deniq; Græciæ,cum Macedonibus iuris est, iidem & nobis sit.cur execrabilis ista nobis solis velut desertio iuris humani est?Fecerit aliquid Philippus , cur aduersus eum armatum & bellum gerentem hoc decerneremus ?quid Perseus nouus rex, omnis iniuriæ insons, suo beneficio paternas simultates obliterans meruit ? Cur soli omnium hostes ei sumus ? Quanquam & illud dicere

poteram,

A poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuisse, vt Philippi vnius iniurias, si quæ fortè fuerunt, vtique post mortem. cùm clasis Romana Cenchris staret, c o s. cum exercitu Vlatiæ esset, triduum in concilio fuimus, consultantes vtrum Romanos an Philippum sequeremur. nonnihil metus præsens ab Romanis sententias nostras inclinarit: fuit certè tamen aliquid, quod tam longam deliberationem faceret, id quod erat vetusta coniunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non vt præcipuè amici, sed ne præcipuè inimici simus. Ne id quod non agitur Callicrates simulauerimus: nemo nouæ societatis aut noui fœderis, quo nos temerè illigemus, conscribendi est author: sed commercium tantùm iuris præbendi repetendíque sit, ne interdictione finium nostrorum & nos quoque regno arceamus, ne seruis nostris aliquò fugere liceat. Quid hoc aduersus Romana fœdera est? Quid rem paruam & apertam, magnam & suspectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid vt ipsi locum assentandi Romanis habeamus, suspectos alios ac inuisos efficimus? Si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat quin Romanos secuturi simus: in pace etiam si non odia finiuntur, intermittantur. Cùm iidem huic orationi, qui literis regis adsentierant, adsentirentur, indignatione principum, quòd quam rem ne legatione quidem dignam iudicasset Perseus, literis paucorum versuum impetraret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, cùm Megalopoli concilium esset: dataque opera est ab iis qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur. Per hæc tempora Aetolorum in semetipsos versus furor, mutuis cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde & Romam vtraque pars miserunt legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quæ nouo facinore discussa res, veteres etiam iras excitauit. Exulibus Hypateis qui factionis Proxeni erant, cùm reditus in patriam promissus esset, fidésque data per principem ciuitatis Eupolemum, L X X X illustres homines, quibus redeuntibus inter cæteram multitudinē Eupolemus etiam obuius exierat, cum salutatione benignè excepti essent, dextræque datæ: ingredientes portam, fidem datam deósque testeis nequicquam inuocantes, interfecti sunt. Inde grauius deintegro bellum exarsit. C. Valerius Leuinus, & Ap. Claudius Pulcher, & C. Memmius, & M. Popilius, & L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos cùm Delphis vtriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus maximè cum causa tum eloquentia præstare visus est: qui paucos post dies ab Orthobula vxore veneno est sublatus: damnataque eo crimine, in exilium abiit. Idem furor & Cretenses lacerabat. aduentu deinde Q. Minutii legati, qui cum decem nauibus missus ad sedanda eorum certamina erat, in spem pacis venerant: cæterum induciæ & antea sex mensium fuerunt: inde multo grauius bellum exarsit. Lycii quoq; per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quæque modo gesta sint,

B persequi non operæ est, satis superque oneris sustinenti res à populo Romano gestas scribere. Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Tib. Graccho dediderāt, pacati manserant M. Titinio Prætore obtinente prouinciam, rebellarunt sub aduentum A p. Claudii: orsiq; bellum sunt ac repentina oppugnatione castrorum Romanorum. Prima lux fermè erat, cùm vigiles in vallo, quiq; in portarum stationibus erant, cùm vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamauerunt. Ap. Claudius signo proposito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad exitum Celtiberis, primò par vtrinque prælium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: vrgentes deinde alii alios secuti euaserunt extra vallum, vt pandere aciem, & exæquari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent: ita repente eruperunt, vt sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt, ad x v millia cæsa aut capta: signa adempta duo & x x x. castra etiam eo die expugnata, debellatúmq;: nam qui superfuêre prælio, in oppida sua dilapsi sunt, quieti deinde paruerunt imperio. Censores eo anno creati Q. Fuluius Flaccus, & A. Posthumius Albinus legerunt senatū: princeps lectus M. Aemylius Lepidus pont. max. De senatu nouē eiecerunt. Insignes notæ fuerunt M. Cornelii Maluginensis, qui biennio antè Pr. in Hispania fuerat: & L. Cornelii Scipionis Pr. cuius tum inter ciueis & peregrinos iurisdictio erat: & L. Fuluii, qui frater germanus, & vt Valerius Antiâs tradit, consors etiam censoris erat. coss. votis etiā in Capitolio nuncupatis in prouincias profecti sunt. Ex iis M. Aemylio senatus negotium dedit, vt Patauinorum in Venetia seditionē comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse & ipsorum legati attulerant. Legati qui in Aetoliam ad simileis motus comprimendos ierant, renuntiarūt, coerceri rabiem gentis non posse. Patauinis saluti fuit aduentus consulis: neq; aliud quod ageret in prouincia cùm habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice in vrbe, glarea extra vrbē substruendas, marginandásq; primi omnium locauerunt, pontésq; multis locis faciendos: & scenam ædilibus prætoribúsq; præbendam: & carceres in circo & oua ad notas curriculis numerādas, & dam, & metas trans & caueas ferreas pe intromitterentur ferreis in monte Albano consulibus. & cliuum Capitolinum silice sternendum curauerunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam. & extra portam Trigeminam emporium lapide strauerunt, stipitibúsque sepserunt: & porticum Aemyliam reficiendam curarunt: gradibúsque ascensum ab Tyberi in emporium fecerunt. & extra eandem portam in Auentinum porticum silice strauerunt, & eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatiæ & Oximi muros faciendos locauerunt: venditísque ibi publicis locis, pecuniam quæ redacta erat, tabernis vtrique foro circumdandis consumpserunt. & alter ex iis Fuluius Flaccus (nam Posthumius nihil nisi senatus Romani populíve iussu se locaturū ipsorum pecunia) Iouis ædem Pisauri & Fundis, & Pollentiæ etiam aquam adducendam, & Pisauri viam silice sternendam, & Sinuessam à ga auiariæ. In his & clo um circumducend & forum porticibus tabernísque claudend

Legati Persei non admittunt Achæi.

Aetolorum mutuæ cædes.

Cretensium bella intestina.

Lycij vexantur à Rhodijs.

Celtiberi rebellant.

Celtiberi debellantur.

Censura.

Patauinorū seditio.

Viæ sternendas marginandásque, qui primi omnium locauerunt.

claudendum, & Ianos tris faciendos. Hæc ab vno censore opera locata, cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens & seuera censura fuit: multis equi adempti. Exitu prope anni diem vnum supplicatio fuit, ob res prosperè gestas in Hispania, ductu auspicióque Ap. Claudii proconsulis, & maioribus hostiis viginti sacrificatum, & alterum diem supplicatio ad Cereris Liberi Liberæque fuit, quòd ex Sabinis terræ motus ingens cum multis ædificiorum ruinis nunciatus erat. A

Terræ motus in Sabinis.

Cùm Ap. Claudius ex Hispania Romam rediisset, decreuit senatus, vt ouans vrbem iniret. Iam consularia comitia appetebant, quibus magna cõtentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Posthumius Albinus, & M. Popilius Lænates. Prætores inde facti, Cn. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Attilius Serranus iterum, C. Cluuius Saxula iterum. Comitiis perfectis Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ouans cùm in vrbem iniret, decem millia pondo argenti, quinq; millia auri in ærarium tulit, Flamen dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem Matris Matutæ cum indice hoc posita est: Tib. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicióque legio exercitúsque populi Romani Sardiniam subegit. In ea prouincia hostium cæsa aut capta supra LXXX millia. Republica felicissimè gesta, atque liberatis vectigalibus restitutis exercitum saluum atque incolumem plenissimum præda domum reportauit: iterum triumphans in vrbem Romam rediit: cuius rei ergò hanc tabulam donum Ioui dedit. Sardiniæ insulæ forma erat, atque in ea simulachra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parua alia data. vnum ante cætera insigne fuit T. Flaminii, quòd mortis causa patris sui cum visceratione epulóque & ludis scenicis quatriduum dedit. magni tamen muneris ea summa fuit, vt per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

Sardinia subacta.

Munera gladiatorum.

DECADIS QVINTAE LIBER SECVNDVS.

Fuluius Flaccus censor templum Iunonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliauit, ut ædem quam dedicauerat, tegeret. tegulæ ex Senatusconsulto reportatæ. Eumenes Asiæ rex in senatu de Perseo Macedoniæ rege questus est. cuius iniuriæ in populum Romanum referuntur, ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus Cos. cui Macedonia decreta erat, in Macedoniam transiit, leuibúsque expeditionibus, equestribus prælijs in Thessalia cum Perseo felici euentu pugnauit. Inter Masanissam. & Carthaginienses de agro sui dies ad disceptandum à senatu datus. Legati missi ad ciuitates sociæ, & reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodijs. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCLVII. millia, CCXXXI. Res præterea aduersus Corsos & Ligures prosperè gestas continet.



LVCIVS Posthumius Albinus, M. Popilius Lænâs, cùm omnium primùm de prouinciis exercitibúsque ad senatum retulissent, Ligures vtrique decreti sunt: vt nouas ambo quibus eam prouinciam obtinerent legiones (binæ singulis decretæ) & sociûm Latini nominis dena millia peditum, & sexcentos equites, & supplementum Hispaniæ tria millia peditum Romanorum scriberent, & ducentos equites. Ad hoc mille & D pedites Romani cum centum equitibus scribi iussi, cum quibus prætor cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus, bellum gereret: interim M. Attilius vetus prætor prouinciam obtineret Sardiniam. Prætores deinde prouincias sortiti sunt: A. Attilius Serranus vrbanam, C. Cluuius Saxula inter ciues & peregrinos, Cn. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus vlteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Posthumium cos. ad agrum publicum à priuato terminandum, in Campaniam ire: cuius ingentem modum possidere priuatos, paulatim proferendo fines, constabat. Hic iratus Prænestinis, quòd cum eò priuatus, sacrificii in templo Fortunæ faciundi causa profectus esset, nihil in se honorificè neque publicè, neque priuatim factum à Prænestinis esset: priusquam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publicè pararet vbi diuerteretur, iumentáque cùm exiret inde præsto essent. Ante hunc cos. nemo vnquam sociis in vlla re oneri aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis: priuata hospitia habebant. ea benignè comitérque colebant: domúsque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diuerti mos esset. Legati qui repentè aliquò mitterentur, singula iumenta per oppida, iter quà faciundum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Iniuria cos. etiamsi iusta, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum, aut timidum Prænestinorum, ins, velut probato exemplo, magistratibus fecit graniorum indies talis generis imperiorum. Principio huius anni, legati qui in Aetoliam & Macedoniam missi erant, renunciarunt, sibi conueniendi regis Persei, cùm alii abesse eum, alii ægrum esse, falsò vtrunque fingerent, potestatem non factam. Facilè tamen apparuisse sibi, bellum parari, nec vltrà ad arma ire dilaturum. Item in Aetolia seditionem gliscere in dies, neque discordiarum principes auctoritate sua coërceri potuisse. Cùm bellum Macedonicum in expectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacémque deûm peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuuii classis magnæ species in cælo visæ dicebantur: & Priuerni lana pulla terra enata: & in Veienti apud Rementem lapidatum: Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse: in Gallico agro, quà induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emersisse. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editúmque ab decemuiris est, & quibus diis, quibúsque hostiis sacrificaretur, & vt supplicatio prodigiis expiandis fieret: altera quæ priore anno valetudinis populi causa vota B

Consules ante hunc annum nulli in re sociis oneri aut sumptui fuerãt.

Legati ex Aetolia & Macedonia redeunt.

Prodigia.

Libri fatales.

A vota esset, ea vti feriæque essent. Itaque sacrificatum est, vt decemuiri scriptum ediderunt. Eodem anno ædis Iunonis Laciniæ detecta. Q. Fuloius Flaccus censor ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania Prætor bello Celtiberico vouerat, faciebat eoixo studio, ne vllum Romæ amplius aut magnificentios templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulæ marmoreæ essent: profectus in Brutios, ædem Iunonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit, id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Naues paratæ fuerunt, quæ tollerent atque asportarent, authoritate censoria socijs deterritis id sacrilegium prohibere. Postquàm censor rediit, tegulæ expositæ de nauibus ad templum portabantur. quanquam vnde essent silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, vt coosules eam rem ad senatum referrent. Vt verò accersitus in curiam censor venit, molto infestius singuli vniuersique præsentem lacerare: templum augustissimum regionis eius, quod oon Pyrrhos, non Annibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœdè, ac propè diruisset. Detractum culmeo templo, nudatum tectum patêre imbribus putrefaciendum. censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, & loca tuenda more maiorum traditum esset: eum per sociorum vrbes diruentem templa, nodanténiqoe tecta ædium sacrarum vagari: & quod si in priuatis sociorum ædificijs faceret, indignum videri posset, id deûm immortalium templa demolientem facere, & obstriogere religione populum Romanum ruinis templorum templa ædificantem: tanquam non iidem vbique dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornaodíque. Cùm priusquam referretur, appareret quid sentirent patres, relatione facta in vnam omnes sententiam ierunt: vt hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariáque Iunoni fierent. Quæ ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, qoia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nuntiarunt. Ex prætoribus qui io prouincias ierant, Cn. Fabius Massiliæ moritur, cùm io citeriorem Hispaniam iret. Itaque cùm id nuntiatum à Massiliensibus legatis esset, senatus decreuit: vt P. Furius & Co. Seruilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, vter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit, P. Furios idem, cuius ea prooincia fuerat, remaneret. Eodem anno cùm agri Ligustini & Gallici quod bello captum erat, aliquantum vacaret, Senatusconsultum factum, vt is ager viritim diuideretur. Decemuiros in eam rem ex Senatusconsulto creauit A. Attilius Prætor vrbanus, M. Aemylium Lepidum, C. Cassiom, T. Ebutium Parrum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & L. Apuleios, M. Cæciliom, C. Salonium, C. Munatium. Diuiserunt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna. Per idem tempus quo hæc agebantur, legati ex Aetolia Romam venerunt, de discordiis seditionibúsque suis: & Thessali legati, nuntiantes quæ in Macedonia gererentur.

Tegulæ marmoreæ exæde Iunonis Laciniæ detractæ.

B Perseus iam bellum viuo patre cogitatom in animo voluens, omneis non genteis modò Græciæ, sed ciuitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura quàm præstando, sibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte homioum ad fauorem eius inclinati animi, & aliquanto quàm in Eumenem propensiores, cùm Eumenis beneficiis muneribúsque omnes Græciæ ciuitates & plerique principum obligati essent. & ita se io regno suo gereret, vt quæ sub ditione eios vrbes essent, nullius liberæ ciuitatis fortunam secum mutatam vellent. Contrà Persea fama erat post patris mortem vxorem manu sua occidisse: Apellem ministrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum à Philippo ad supplicium, exulantem, accersitum post patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ perpetrate rei, clàm interfecisse. Intestinis externísque præterea multis cædibus infamem, nec vllo commendabilem merito, præferebant vulgo ciuitates, tam pio erga propinquos, tam iusto in ciueis, tam muoifico erga omneis homines regi: seu fama & maiestate Macedonum regum præoccupati ad spernendom originem noui regni, seu mutationis rerum cupidi, seu quia eum obiectum esse Romanis volebant.

Eumenis beneficentia.

Persei crudelitas.

Erant autem non Aetoli modò in seditionibus propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: ea contagione velut tabes in Perræbiam quoque id peruaserat malum. Cùm Thessalos in armis esse nuntiatum est, Ap. Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendásque senatus misit. Qui vtriusque partis principibos castigatis, cùm iniosto fœnore grauatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus qui onerarant, leuasset, iusti crediti solutionem in annorum pensiones distribuit. Per eundem Appium eodémque modo compositæ in Perræbia res. Aetolorum causas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello, cognouit. Cùm certatum vtrinqoe temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut leuare, aut onerare voluit: communiter ab vtrisque petiit, abstinerent bello, & obliuione præteritorum, discordias finirent. Hoius reconciliationis inter ipsos fides obsidibus vltro citróque datis firmata est. Corinthum, vt ibi depooerentur obsides, conuenitur. A Delphis & Aetolico concilio Marcellus in Peloponnesom traiecit, quò Achæis edixerat conoentum. Vbi collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne aduersus Persea odium Romanorum fecit: quod vt maturius erumperet, Eumenes rex, commeotarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qoi res in Macedonia aspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renouandæ amicitiæ causa proficilsi iussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Bebius Sulca, M. Cornelius Mammola, M. Cæcilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt: quorum princeps Apollonios in senatum introductus, multis iustísque causis regem excusauit, quòd stipendium serius quoad diem præstaret: id se omne aduexisse, ne cuius nisi temporis gratia

Thessali intestino bello uexantur, & ab Appio placantur.

Appius res in Perræbia componit.

Aetoli reconciliantur.

Legati ad Persea missi.

Antiochus legatos Romam mittit.

regi

regi fieret. Donum præterea afferre, vasa aurea quingentûm pondo. Petere regem, vt quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renouaretur: imperaretq́; sibi populus Romanus quæ bono fidelique socio regi essent imperanda, se nullo vsquam cessaturum officio. Ea merita in se senatus fuisse, cùm Romæ esset, eam comitatem iuuentutis, vt pro rege, non pro obside omnibus ordinibus fuerit. Legatis benignè responsum, & societatem renouare cum Antiocho quæ cum patre eius fuerat, A. Attilius Prætor vrbanus iussus. Quæstores vrbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt: eisque negotium datum est, vt ponerent ea in quibus templis videretur: legatóque centum millium æris munus missum, & ædes liberæ hospitio datæ, sumptúsque decretus, donec in Italia esset. Legati qui in Syria fuerant, renuntiauerunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimúmque populi Romani. In prouinciis eo anno hæc. C. Cicereius Prætor in Corsica signis collatis pugnauit: septem millia Corsorum cæsa: capti amplius M & D C C. Vouerat in ea pugna prætor ædem Iunonis Monetæ. Pax deinde data petentibus Corsis, & exacta ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicereius in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statellati pugnatum ad oppidum Carystum. Eò se magnus exercitus Ligurum contulerat. Primò sub aduentum M. Popilii consulis mœnibus sese continebant: deinde postquam oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas aciem struxerunt: nec consul, vt qui id ipsum oppugnatione comminanda quæsisset, moram certamini fecit. Pugnatum est amplius treis horas, ita vt neutrò inclinaret spes. Quod vbi consul vidit, nulla parte moueri Ligurum signa, imperat equitibus vt equos conscendant, ac tribus simul partibus in hosteis quanto maximo possent tumultu incurrant. pars magna equitum, mediam traiecit aciem, & ad terga pugnantium peruasit. Inde terror iniectus Liguribus: diuersi in omnes partes fugerunt, perpauci retro in oppidum, quia inde se maximè obiecerat eques. & pugna tam peruicax multos absumpserat Ligurum, & in fuga passim cæsi sunt. decem millia hominum cæsa traduntur, amplius D C C passim capti. Signa militaria relata L X X X I I. nec incruenta victoria fuit, amplius tria millia militum amissa, cum cedentibus neutris ex parte vtraque primores caderent. Post hanc pugnam ex diuersa fuga in vnum collecti Ligures, cum maiorem multo partem ciuium amissam quàm superesse cernerent (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt sese, nihil quidem illi pacti: sperauerant tamen non atrocius quàm superiores imperatores, c o s. in se sæuiturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonáque eorum vendidit: literásque senatui de rebus ab se gestis misit. Quas cùm A. Attilius Prætor in curia recitasset (nam c o s. alter Posthumius agris recognoscendis in Campania occupatus aberat) atrox res visa senatui: Statellates, qui vni ex Ligurum gente non tulissent arma aduersus Romanos, tum quoque oppugnatos, non vltrò inferenteis bellum, deditos in fidem populi Romani, omni vltimæ crudelitatis exemploß laceratos ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum fidem implorantia populi Romani, ne quis vnquam se posteà dedere auderet, pessimo exemplo venisse: & distractos passim, iustis quondam hostibus populo Romano pacatis seruire. Quas ob res placere senatui, M. Popilium c o s. Ligures pretio emptoribus reddito, ipsos restituere in libertatem: bonáque vt iis, quicquid eius recuperari posset, reddantur curare: arma quoque tempore fieri in ea gente: consulem de prouincia decedere, cùm deditos in sedem suam Ligures restituisset: claram victoriam vincendo oppugnanteis, non sæuiendo in afflictos fieri. c o s. qua ferocia animi vsus erat in Liguribus, eandem ad non parendum senatui habuit: legionibus extemplò Pisas in hybernacula missis, iratus patribus, infestus prætoribus Romam rediit: senatúque extemplò ad ædem Bellonæ vocato, multis verbis inuectus est in prætorem: qui cùm ob rem bello bene gestam, vti diis immortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, aduersus se pro hostibus Senatusconsultũ fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique iis propè consulem prætor iuberet. Itaque mulctam ei se dicere: à patribus postulare, vt Senatusconsultũ in se factum tolli iuberent: supplicationémque, quam absentes ex literis de bene gesta Republica missis decernere debuerint, præsentes honoris deorum primùm causa, deinde & sui aliquo tandem respectu decernerent. Nihilo lenioribus quàm absens senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re in prouinciam redit. Alter c o s. Posthumius, consumpta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem prouincia sua, comitiorum causa Romam rediit: c o s s. C. Popilium Lenatem, P. Aelium Ligurem creauit. Prætores exinde facti, C. Licinius Crassus, M. Iunius Pœnus, Sp. Lucretius, Sp. Cluuius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum. Eo anno lustrum conditum est. Censores erant Q. Fuluius Flaccus, L. Posthumius Albinus: Posthumius condidit. Censa sunt ciuium Romanorum capita C C L X I X millia, & quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Posthumius c o s. pro concione edixerat, qui sociûm Latini nominis ex edicto C. Claudii c o s. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur. Concors & è Republica censura fuit: omneis quos senatu mouerunt, quibúsque equos ademerunt, ærarios fecerunt, & tribu mouerunt: neque ab altero notatum alter probauit. Fuluius ædem fortunæ equestris, quam proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus vouerat, annos sex postquam vouerat, dedicauit: & scenicos ludos per quatriduum, vnum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus Decemuir sacrorum eo anno mortuus est: in locum eius suffectus A. Posthumius Albinus. Locustarum tantæ nubes à mari vento repentè in Apuliam illatæ sunt, vt examinibus suis agros latè operirent. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius Prætor designatus cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit. Principium insequentis anni, quo C. Popilius & P. Aelius fuerunt c o s s. residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres

Pax data Corsis.

Ligures victi in deditionem veniunt.

Consul Ligures deditos cœpit, bona vendidit.

Senatuscõs. de Liguribus in sedem suã restituendis.

Lustrum.

Locustæ agros Apuliæ depopulantur.

A tres referri de Liguribus, renouarique Senatusconsultū volebant, & c o s. Aelius referebat. Popilius & collegam & senatum pro fratre deprecabatur: & præse ferens si quid decernerent intercessurum, collegam deterruit. patres eo magis vtrique pariter c o s s. infensi in cœpto perstabant. Itaque cùm de prouinciis ageretur, & Macedonia, iam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur: Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popilio referretur. Postulantibus deinde, vt nouos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret, vtrunque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M. Iunio in citeriorem, Sp. Lucretio in vlteriorem, C. Licinius Crassus vrbanam iurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus C. Memmius Siciliam, Sp. Cluuius Sardiniam. c o s s. ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in prouinciam abituros se denuntiarunt: nec quicquam Reipublicæ acturos, præterquàm quod ad prouinciarum administrationem attineret. Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam, Valerius Antiâs his c o s s. scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandósque apparatus belli. Plurium annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur vt Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantùm eius, sed beneficiis etiam suis, ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi populo Romano, in senatum est introductus. Causam veniendi sibi Romam fuisse dixit, præter cupiditatem visendi deos, hominésque, quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet: etiam vt coràm moneret senatum, vt Persei conatis obuiam iret. Orsus inde à Philippi consiliis, necem Demetrii filii retulit, aduersantis Romano bello. Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum voluntantem in animo, oppressum fato regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse sensisset Romanis. Itaque Persea hæreditarium à patre relictum bellum, & simul cum imperio traditum, iamiam primùm alere ac fouere omnibus consiliis. Florere præterea iuuentute, quam stirpem longa pax ediderit: florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ cùm corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inueteratum diutina arte atque vsu belli. Iam inde à puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantùm assuetum, missum à patre in expeditiones multas, variásque. Iam ex quo ipse accessisset regnum, multa quæ non vi, non dolo, Philippus omnia expertus potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse. Accessisse ad vires eam, quæ longo tempore, multis magnísque meritis pareretur, authoritatem. Nam apud Græciæ atque Asiæ ciuitates, vereri maiestatem eius omnes. Nec pro quibus meritis, pro qua munificentia, tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo posse, vtrum felicitate id quadam eius accidat: an, quod ipse vereatur dicere, inuidia aduersus Romanos fauorem illi conciliet. Inter ipsos quoque reges ingentem authoritate, Seleuci filiam duxisse eum non petentem, sed petitum vltrò: sororem dedisse Prusiæ precanti ac oranti: celebratas esse vtrasque nuptias gratulatione donísque innumerabilium legationum, & velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Bœotorum gentem captatam Philippo, nunquam ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo fœdus incisum literis esse: vno Thebis, altero ad Sidenum augustissimo & celeberrimo in templo, tertio Delphis. in Achaico concilio verò, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentanteis esset, eò rem propè adductam, vt aditus & in Achaiam daretur. At hercule suos honores, cuius merita in eam gentem priuatim an publicè sint maiora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac negligentiam, partim hostiliter sublatos esse. Iam Aetolos quem ignorare in seditionibus suis non ab Romanis, sed à Perseo præsidium petiisse. His eum fultum societatibus atque amicitiis, eos domesticos apparatus belli habere, vt externis non egeat: triginta millia peditum, quinque millia equitum: in decem annos frumentum præparare, vt abstinere & suo & hostium agro frumentandi causa posit. Iam pecuniam tantam habere, vt decem millia mercenariorum militum præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habeat: præter annuum quod ex metallis regiis capiat vectigal. Arma vel tribus tantum exercitibus in armamentaria congessisse. Iuuentutem, vt iam Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte vnde hauriat, Thraciam subiectam esse. Reliquum orationis adhortatio fuit. Non ergo hæc, inquit, incertis iactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos Patres conscripti, sed comperta & explorata, haud secus quàm si speculator missus à vobis subiecta oculis referrem. Neque relicto regno meo, quod amplum & egregium vos fecistis, mare tantum traiecissem, vt vana ad vos afferendo fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ & Græciæ ciuitates in dies magis denudanteis iudicia sua: mox si permitteretur, eò processuras, vnde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem: alia, quæ vi subigi non possunt, fauore ac beneuolentia complectentem. Videbam quàm impar esset sors, cùm ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis. Quanquam mihi quidem non parare, sed gerere penè bellum videbatur. Abrupolim socium atque amicum vestrum regno expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quædam vobis comperit, socium item atque amicum vestrum interfecit. Euersam & Callicritum Thebanos, principes ciuitatis, quia liberius aduersus eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delaturósque ad vos quæ agerentur professi erant, tollendos curauit. Auxilium Byzantiis aduersus fœdus tulit. Dolopiæ bella intulit. Thessaliam & Doridem cum exercitu peruasit, vt in bello intestino deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & miscuit omnia in Thessalia, Perrhæbiáque spe nouarum tabularum, vt manu debitorum obnoxia sibi optimateis opprimeret.

Eumenes Romam venit, & Perseo cōsilia detegit.

B

meret. Hæc cùm vobis quiescentibus & patientibus fecerit, & cõcessam sibi Græciam esse à vobis videat, pro certo habet, neminem sibi antequam in Italiam traiecerit, armatum occursurum. Hoc quàm vobis tutum aut honestum sit, vos videritis: ego certè mihi turpe esse duxi, prius Persea ad bellum inferendum, quàm me socium ad prædicendum vt caueretis, venire in Italiam. Functus necessario mihi officio, & quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid vltra facere possum, quàm vti deos deásque precer, vt vos & vestræ Reipublicæ, & nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis? Hæc oratio mouit patres conscriptos: cæterùm in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia regem, scire quisquam potuit: eo silentio clausa curia erat. Bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanauere. Persei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est. Cæterùm præoccupatis non auribus magis quàm animis ab Eumene rege, omnis & defensio & deprecatio legatorum respuebatur: & exasperauit animos ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat. Is velle quidem & laborare dixit regem, vt purganti se nihil hostile dixisse aut fecisse fides habeatur: cæterùm si peruicacius causam belli quæri videat, forti animo defensurum se, Martem communem esse, & euentum incertum belli. Omnibus ciuitatibus Græciæ atque Asiæ curæ erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset: & propter aduentum eius, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleræque ciuitates alia in speciem præferenteis legatos: & legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes ciuitatem quoque suam Persei criminibus iunxisset. Itaque omni modo per patronos hospitésque disceptandi cum rege locum in senatu quærebat. Quod cùm contigisset, libertate intemperantius inuectus in regem. quòd Lyciorum gentem aduersus Rhodios concitasset, grauiórque Asiæ esse quàm Antiochus fuisset: popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eo quoque iam fauor Persei venerat) orationem habuit: cæterùm inuisam senatui, inutilémque sibi & ciuitati suæ. Eumeni verò conspiratio aduersus eum, fauorem apud Romanos fecit: ita omnes ei honores habiti, donáque quàm amplissima data, cum sella curuli atque eburneo scipione. Legationibus dimissis, cùm Harpalus, quanta eximia celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nuntiasset regi: nondum quidem paranteis bellum reliquisse se Romanos; sed ita infestos, vt facilè appareret non dilaturos: & ipse, præterquam quòd & ita credebat futurum, iam etiam volebat, in flore virium se credens esse. Eumeni ante omneis infestus erat. à cuius sanguine ordiens bellum, Euandrum Cretensem ducem auxiliorum, & Macedonas tres assuetos ministeriis talium facinorum, ad cædem regis subornat: literásque eis dat ad Praxò hospitam, principem authoritate & opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem vt sacrificaret Apollini, Delphos ascensurum. Progressi cum Euandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quàm loci opportunitatem omnia circumeuntes quærebant. Ascendentibus ad templum à Cirra, B priusquam perueniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læua semitæ paulum extans à fundamento, quà singuli transirent: dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. post maceriam se abdiderunt, gradibus astructis, vt ex ea velut è muro tela in prætereuntem conniicerent. Primo à mari circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat: deinde extenuabant paulatim angustiæ agmen. Vbi ad eum locum ventum est, quà singulis eundum erat, primus semitam ingressus Pantaleon Aetoliæ princeps, cum quo institutus regi sermo erat. Tum insidiatores ex orti saxa duo ingentia deuoluunt: quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus: ex semita procliui in decliue multis super prolapsum iam saxis congestis. & cæteri quidem etiam amicorum & satellitum postquam cadentem videre diffugiunt, Pantaleon constanter impauidus mansit ad protegendum regem. Latrones cùm breui circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum saucium possent, velut perfecta re in iugum Parnasi refugerunt eo cursu, vt cùm vnus, non facilè sequendo per inuia atque ardua, moraretur fugam eorum, ne comprenso indicium emanaret, occiderint comitem. Ad corpus regis primò amici, deinde satellites ac serui concurrerunt: tollentes sopitum vulnere, ac nihil sentientem. viuere tamen ex calore & spiritu remanente in præcordiis senserunt: victurum exigua ac propè nulla spes erat. Quidam ex satellitibus secuti latronum vestigia, cùm vsque ad iugum Parnasi nequicquam fatigati peruenissent, re infecta redierunt. Agressi facinus Macedones vt inconsultè, ita audacter cœptum, nec consultè & timidè reliquerunt. Compotem iam sui regem, amici postero die deferunt ad nauem: inde Corinthum, à Corintho per Isthmi iugum nauibus traductis, Aeginam traiiciunt. Ibi adeò secreta eius curatio fuit, admittentibus neminem, vt fama mortuum in Asiam perferret. Attalus quoque celerius quàm dignum concordia fraterna erat, credidit. Nam & cum vxore fratris, & præfecto arci, tanquam iam haud dubius regni hæres est locutus. Quæ postea non fefellere Eumenem: & quanquam dissimulare & tacitè habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperauit, quin vxoris petendæ præmaturam festinationem fratri obiiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata est. Sub idem tempus C. Valerius ex Græcia, qui legatus ad visendum statum regionis eius, speculandáque consilia Persei regis missus erat, rediit: congruentiáque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat: simul & adduxerat secum Praxò à Delphis, cuius domus receptaculum latronum fuerat: & L. Rammium Brundisinum, qui talis indicii delator erat. Princeps Brundisii Rammius fuit: hospitio quoque & duces Romanos omnes, & legatos, exterarum quoque gentium insignes, præcipuè regios, accipiebat. Ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literísque spem amicitiæ interioris, magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus: breui perfamiliaris haberi, trahíque magis quàm vellet in arcanos sermones est cœptus. Promissis enim ingentibus præmiis petere instituit ab eo rex, quoniam duces

Persei Legatis datur senatus.

Rhodiorum legatio.

Perseus ad Eumenis cædem sceleratos quosdam subornat.

Eumenes vulneratur.

Eumenes secreto curatur.

Rammius Brundisinus Persei veneficia detegit.

A

omnes

A omnes legatíque Romani hoſpitio eius vti aſſueſſent, quibus eorum ipſe ſcripſiſſet, vt venenum dandum curaret. Cuius ſcire ſe comparationem plurimum difficultatis & periculi habere, pluribusconſciis comparari: euentu prætereà incerto eſſe, vt aut ſatis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. ſe daturum quod nec in dando, nec datum, vllo ſigno deprendi poſſet. Rammius veritus ne ſi abnuiſſet, primus ipſe veneni experimentum eſſet, facturum pollicitus proficiſcitur. nec Brundiſium antè redire, quàm conuento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem eſſe dicebatur, voluit. Ad eum primùm indicio delato, iuſſu eius Romam ſimul venit. Introductus in curiam, quæ acta erant expoſuit. Hæc ad ea quæ ab Eumene delata erant acceſſere, quò maturiùs hoſtis Perſeus iudicaretur: quippe quem non iuſtum modò apparare bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli adminiſtratio ad nouos C o s s. reiecta eſt: in præſentia tamen Cn. Sicinium Pr. cuius inter ciues & peregrinos iuriſdictio erat, ſcribere milites placuit, qui Brundiſium ducti primo quoque tempore Apolloniam in Epirum traiicerentur, ad occupandas maritimas vrbes, vbi C o s. cui prouincia Macedonia obueniſſet, claſſem appellere tutò, & copias percommodum exponere poſſet. Eumenes aliquandiu Æginæ retentus perienloſa & difficili curatione, cùm primùm tutò potuit profectus Pergamum, præter priſtinum odium, recenti etiam ſcelere Perſei ſtimulante ſumma vi parabat bellum. Legati eò ab Roma, gratulantes quòd è tanto periculo euaſiſſet, venerunt. Cùm Macedonicum bellum in annum dilatum eſſet, cæteris Prr. iam in prouincias profectis, M. Iunius & Sp. Lucretius, quibus Hiſpaniæ prouinciæ obuenerant, fatigato ſæpe idem petendo ſenatu, tandem peruicerunt, vt ſupplementum ſibi ad exercitum daretur. tria millia peditum, C & quinquaginta equites in Romanas legiones: in ſocialem exercitum v millia peditum, & c c c equites imperare ſociis iuſſi. Hoc copiarum in Hiſpanias cum Prr. nouis portatum eſt. Eodem anno quia per recognitionem Poſthumii C o s. magna pars agri Campani, quem priuati ſine diſcrimine paſsim poſſederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius Tr. pl. promulgauit, vt agrum Campanum cenſores fruendum locarent: quod factum tot annis poſt captam Capuam non fuerat, vt in vacuo vagaretur cupiditas priuatorum. Cùm in expectatione ſenatus eſſet, bello & ſi non indicto, tamen iam decreto, qui regum ſuam, Perſei qui ſecuturi amicitiam eſſent: legati Ariaratis, puerum filium regis ſecum adducentes Romam venerunt. Quorum oratio fuit, regem educandum filium Romam miſiſſe, vt iam inde à puero aſſueſceret moribus Romanis, hominibúſque. Petere, vt eum non ſub hoſpitum modò priuatorum cuſtodia, ſed publicæ etiã curæ ac velut tutelæ vellent eſſe. Ea regis legatio grata ſenatui fuit. Decreuerũt vt Cn. Sicinius prætor ædeis inſtructas locaret, vbi filius regis comitéſque eius habitare poſſent. Et

Perſeus à Senatu hoſtis iudicatur.

Ager campanus à cenſor.bus fruẽdus locatur.

Ariaratis legati Romam ueniunt

B Thracum legatis apud ſe diſceptantibus, & ſocietatem amicitiámq; petentibus, & quod petebant datum eſt, & munera binûm millium æris ſummæ in ſingulos miſſa. Hos vtiq; populos, quòd ab tergo Macedoniæ Thracia eſſet, aſſumptos in ſocietatem gaudebant. Sed vt in Aſia quoque & inſulis explorata omnia eſſent, T. Claudium Neronem, M. Decimium legatos miſerunt. Adire eos Cretam & Rhodum iuſſerunt, ſimul renouare amicitiam, ſimul ſpeculari, num ſolicitati animi ſociorum ab rege Perſeo eſſent. In ſuſpenſa ciuitate ad expectationem noui belli, nocturna tempeſtate * columna roſtrata in Capitolio, bello Punico Cos. cui collega Ser. Fuluius fuit, tota ad imum fulmine diſcuſſa eſt. Ea res prodigii loca habita, ad ſenatum relata eſt. Patres ad aruſpices referre, & decemuiros adire libros iuſſerunt. Decemuiri luſtrandum oppidum, ſupplicationem obſecrationémque habendam, victimis maioribus ſacrificandum & in Capitolio Romæ & in Campania ad Mineruæ promontorium renuntiarunt. Ludos per x dies I O V I primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. aruſpices in bonum verſurum id prodigium, prolationémque finium, & interitum perduellium portendi reſponderunt: quòd ex hoſtibus ſpolia fuiſſent ea roſtra, quæ tempeſtas diſieciſſet. Acceſſerunt quæ cumularent religiones animis. Saturniæ nuntiatum erat ſanguine per triduum in oppido pluiſſe: Calatçiæ aſinum tripedem natum, & taurum cum quinque vaccis vno ictu fulminis exanimatos: Oximi terra pluiſſe. Horum quoque prodigiorum cauſa res diuinæ factæ, & ſupplicatio vnum diem feriæ'que habitæ. Conſules ad id tempus in prouincias non exierant: quia neque vti de M. Popilio referrent, ſenatui obſequebantur, & nihil aliud decernere prius, ſtatutum patribus erat. Aucta etiam inuidia eſt Popilii, literis eius, quibus iterum cum Statellatibus Liguribus proconſul pugnaſſe ſe ſcripſit, ac ſe decem millia eorum occidiſſe. Propter cuius iniuriam belli, cæteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum verò non abſens modò Popilius, qui deditis contra ius ac fas bellum intuliſſet, & pacatos ad rebellium incitaſſet: ſed C o s s. quòd non exirent in prouinciam, in ſenatu increpiti. Hoc conſenſu patrum accenſi M. Martius Sermo, & Quintus Martius Scylla tribuni plebis & C o s s. mulctam ſe dicturos, niſi in prouinciam exirent, denuntiarunt: & rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in ſenatu recitarũt. Sanciebatur vt qui ex Statellis deditis in libertatem reſtitutus ante Calendas Sextiles primas non eſſet, cuius dolo malo is in ſeruitutem veniſſet, vt iuratus ſenatus decerneret, qui eam rem quæreret, animaduerterétque. Ex authoritate deinde ſenatus eam rogationem promulgarunt. Priuſquam proficiſcerentur Coss. Caio Cicereio prætori prioris anni ad ædem Bellonæ ſenatus datus eſt. Is expoſitis, quas in Corſica res geſsiſſet, poſtulatóque fruſtra triumpho: in monte Albano, quod iam in morem venerat, vt ſine publica authoritate fieret, triumphauit. Rogationem Martiam de Liguribus magno conſenſu plebes ſciuit, iuſsítque. ex eo plebiſcito Caius Licinius Pr. conſuluit ſenatum, quem quærere ex rogatione vellet. Patres ipſum eum quærere iuſſerunt. Tum demum C o s s. in prouinciam profecti ſunt, exercitúmque à Marco

Thracum legati Romam miſsi.

Prodigia & eorum expiatio.

Inter Senatũ & Coss. de M. Popilio certamẽ.

Tribunorum pl. de Liguribus deditis rogatio.

Plebiſcitum de Liguribus.

L

Popilio ceperunt. Neque tamen Marcus Popilius reuerti Romam audebat, ne causam diceret A aduerso senatu, infestiore populo, apud Pr. qui de quæstione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi eius Trr. pl. alterius rogationis denunciatione occurrerunt: vt si non ante Idus Nouembres in vrbem Romam introisset, de absente eo C. Licinius statueret ac iudicaret. Hoc tractus vinculo cùm redisset, ingenti cum inuidia in senatum venit. Ibi cùm laceratus iurgiis multorum

S. Consultum de Liguribus.

esset, S. C. factum est, vt qui Ligurum post Q. Fuluium, L. Manlium Coss. hostes non fuissent, ve eos C. Licinius, Cn. Sicinius Prr. in libertatem restituendos curarent, agrúmque iis trans Padum Cos. C. Pupilius daret. Multa millia hominum hoc S. C. restituta in libertatem, transductísque Padum ager est assignatus. M. Popilius rogatione Martia bis apud C. Licinium causam dixit: tertiò Pr. gratia Cos. absentis & Popiliæ familiæ precibus victus, Idibus Martiis adesse reum iussit, quo die noui magistratus ituri erant honorem: ne diceret ius, qui priuatus futurus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa est.

Carthaginiẽses legati de Masanissæ iniuriis queruntur.

Legati Carthaginienses eo tempore Romæ erant, & Gulussa filius Masanissæ: inter eos magnæ contentiones in senatu fuere. Carthaginienses querebantur, præter agrum, de quo antè legati à Roma qui re præsenti cognoscerent, missi essent, amplius septuaginta oppida castelláque agri Carthaginiensis biennio proximo Masanissam vi atque armis possedisse. Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse: Carthaginienses fœdere illigatos silere. Prohibere enim extra fines efferre arma. Quanquam sciant in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum: illo haud ambiguo capite fœderis deterreri, quo disertè vetentur eùm sociis P. R. bellum gerere. Sed iam vltrà superbiam crudelitatémque & auaritiam eius non pati posse Carthaginienses. missos esse qui orarent senatum, vt trium harum rerum vnam ab se impetrari sinerent: vt vel ex æquo apud socium populum, quid cuiusque esset, disceptarent: vel permitterent Carthaginiensibus, vt aduersus iniusta arma pio iustóque se tutarentur bello: vel ad extremum, si gratia plus quàm veritas apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masanissæ vellent. Modestiùs certè daturos eos, & scituros quid dedissent: ipsum nullum præterquam suæ libidinis arbitrio, finem facturum. Horum si nihil impetrarent, & aliquod suum post datam à P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius animaduerterent in se. Tutam seruitutem se sub dominis Romanis, quàm libertatem expositam ad iniurias Masanissæ malle. Perire nanque semel ipsis satius esse, quàm sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere. Sub hæc dicta lacrymantes procubuerunt, stratíque humi non

Gulussa Masanissæ filius

sibi magis misericordiam quàm regi *. Interrogari Gulussam placuit, quid ad ea responderet: aut si prius mallet, expromeret super qua re Romam venisset. Gulussa neque sibi facile esse dixit de iis rebus agere, de quibus nihil mandati à patre haberet: neque patri facile fuisse mandare, cùm Carthaginienses nec de qua re acturi essent, nec omnino ituros se Romam indicauerint. In æde Aesculapii B clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse, vnde præterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam causam fuisse patri mittendi se Romam, qui deprecaretur senatum, ne quid communibus inimicis criminantibus se crederent, quem ob nullam aliam causam nisi propter constantem fidem erga P. R. odissent. His vtrinque auditis, senatus de postulatis Carthaginiensium consultus, respondere ita iussit: Gulussam placere extemplò in Numidiam proficisci, & nuntiare patri, vt de iis, de quibus Carthaginienses querantur, legatos quamprimum ad senatum mittat: denuntiétque Carthaginiensibus, vt ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Masanissæ honoris causa & fecisse, & facturos esse: ius gratiæ non dare: agrum quà cuiusque sit possideri velle: nec nouos statuere fines, sed veteres obseruari, in animo habere. Carthaginiensibus victis se & vrbes & agros concessisse, non vt in pace eriperent per iniuriam, quæ iure belli non ademissent. Ita regulus Carthaginiensésque dimissi. Munera ex instituto data vtrisque, aliáque hospitalia cumiter conseruata.

Romani legati è Macedonia reuersi.

Sub idem tempus Cn. Seruilius Cepio, Ap. Claudius Cento, T. Annius Luscus, legati ad res repetendas in Macedoniam, renuntiandámque amicitiam regis missi, redierunt: qui iam sua sponte infestum Persei senatum insuper accenderunt, relatis ordine quæ vidissent, quæ que audissent. Vidisse se per omnes vrbes Macedonum summa vi parari bellum. Cùm ad regem peruenissent; per multos dies conueniendi eius potestatem non factam. Postremò cùm desperato iam colloquio profecti essent, tum demum se ex itinere reuocatos, & ad eum introductos esse. Suæ orationis summam fuisse, fœdus cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renouatum: in quo disertè prohiberi eum extra fines arma efferre, prohiberi socios P. R. lacessere bello. Exposita deinde ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia & comperta referentem audissent. Samothraciæ præterea per multos dies occultum cõsilium cum legationibus ciuitatum Asiæ regem habuisse. Pro his iniuriis satisfieri senatum æquum censere, reddíque sibi res sociísque suis, quas contra ius fœderis habeat. Regem ad ea primò accensum ira inclementer locutum, auaritiam superbiámque Romanis obiicientem frequenter, quòd alii super alios legati venirent, speculari dicta factáque sua, quod se ad nutum imperiúmque eorum omnia dicere ac facere æquum censerent: postremò multum ac diu vociferatum, reuerti postero die iussisse, scriptum se responsum dare velle: tum ita sibi scriptum traditum esse. Fœdus cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renouari, non quia probaret, sed quia in noua possessione regni patienda omnia essent, passum. Si nouum fœdus secum facere vellent, conuenire prius de conditionibus debere: & si animum inducerent, vt ex æquo fœdus fieret, & se visurum quid sibi faciundum esset, & illos credere reipublicæ consulturos. Atque ita se proripuisse, & summoueri è regia omneis cœptos: tum se amicitiam & societatem renuntiasse. Qua voce eum accensum restitisse, atque voce clara denuntiasse sibi, vt triduo regni sui decederent

cederent

A cederent finibus. Ita ſe profectos, nec ſibi aut venientibus, aut manentibus quicquam hoſpitaliter aut benignè factum. Theſſali deinde Aetolíque legati auditi. Senatui, vt ſcirent quamprimum quibus ducibus vſura reſpublica eſſet, literas mitti conſulibus placuit: vt vter eorum eſſet, Romam ad magiſtratus creandos veniret. Nihil magnopere quod memorari attineat reipublicæ eo anno conſules geſſerant: magis è repub. viſum erat, comprimi ac ſedari exaſperatos Ligures.

Illyrij legati.

Cùm Macedonicum bellum expectaretur, Gentium quoque Illyriorum regem ſuſpectum Iſſenſes legati fecerunt: ſimul queſti fines ſuos ſecundo populatum: ſimul nuntiantes, vno animo viuere Macedonum atque Illyriorum regem, communi conſilio parare Romanis bellum: & ſpecie legatorum Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe, Perſeo authore miſſos, vt quid ageretur ſcirent: Illyrii vocati in ſenatum: qui cùm legatos ſe eſſe miſſos ab rege dicerent ad purganda crimina, ſi qua de rege Iſſenſes deferrent: quæſitum, ecquid ita non adiſſent magiſtratum, vt ex inſtituto loca lautia acciperent: ſciretur denique veniſſe eos, & ſuper qua re veniſſent. Hæſitantibus in reſponſo, vt curia excederent dictum: reſponſum tanquam legatis, vt qui adire ſenatum non poſtulaſſent, dari non placuit: mittendóſque ad regem legatos cenſuerunt, qui nuntiarent, qui ſocii quererentur apud ſenatum exuſtum à rege agrum. non æquum eum facere, qui ab ſociis ſuis non abſtineret iniuriam.

Ad Illyriorum regem legati à ſenatu miſsi.

In hanc legationem miſsi, A. Terencius Varro, C. Pletorius, C. Cicereius. Ex Aſia qui circa ſocios reges miſsi erant legati redierunt, qui renuntiarunt, Enmenen in ea, Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria ſeſe conueniſſe. Omnes ſolicitos legationibus Perſei, ſed egregiè in fide permanere, pollicitóſque omnia quæ P. R. imperaſſet præſtaturos. & ciuitates ſocias adiiſſe: cæteras ſatis fidas, ſolos Rhodios fluctuanteis & imbutos Perſei conſiliis inueniſſe. Venerant Rhodii legati ad purganda ea quæ vulgo iactari de ciuitate ſciebant: cæterùm ſenatum iis dari, cùm noui conſules magiſtratum iniſſent, placuit.

Belli apparatus aduerſus Perſea.

Belli apparatum non differendum cenſuerunt. C. Licinio Pr. negotium datur, vt ex veteribus quinqueremibus in naualibus Romæ ſubductis, quæ poſſent vſui eſſe reficeret, pararétque naues quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deeſſet, C. Memmio collegæ in Siciliam ſcriberet, vt eas quæ in Sicilia naues eſſent, reficeret atque expediret, vt Brundiſium primo quoque tempore mitti poſſent. Socios nauales libertini ordinis in viginti & quinque naues ex ciuibus Romanis C. Licinius Pr. ſcribere iuſſus, in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius ſociis imperaret: idem Pr. peditum VIII millia, CCCC equites à ſociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundiſii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Attilius Serranus, qui priore anno Pr. fuerat, deligitur: Cn. Sicinius Pr. qui exercitum paratum ad traiiciendum haberet. C. Popilio Cos. ex authoritate ſenatus C. Licinius Pr. ſcribit, vt & legionem ſecundam quæ maximè veterana in Liguribus erat, & ſocios Latini nominis IIII mil

B lia peditum, CC equites Idibus Februariis Brundiſii adeſſe iuberet.

Cn. Sicinius prouinciam Macedoniã obtinere iubetur.

Hac claſſe & hoc exercitu Cn. Sicinius prouinciam Macedoniam obtinere, donec ſucceſſor veniret iuſſus, prorogato in annum imperio. Ea omnia quæ ſenatus cenſuit impigrè facta ſunt. Duodequadraginta quinqueremes ex naualibus deductæ: qui deduceret eas Brũdiſium, L. Porcius Licinius præpoſitus: duodecim ex Sicilia miſſæ. Ad frumentum claſsi exercituíq; coemendum in Apuliam Calabriámque tres legati miſsi, Sex. Digitius, T. Iuuencius, M. Cæcilins. Ad omnia præparata Cn. Sicinius Pr. paludatus ex vrbe profectus, Brundiſium venit. Exitu propè anni C. Popilius Cos. Romam rediit, aliquanto ſerius quàm ſenatus cenſuerat: cui primo quoque tempore magiſtratus creari, cùm tantum bellum immineret, iuſſum erat. Itaque non ſecundis auribus patrum auditus eſt Cos. cùm in æde Bellonæ de rebus in Liguribus geſtis diſſereret. Succlamationes frequentes erant, interrogationéſque, cur ſcelere fratris oppreſſos Ligures in libertatem non reſtituiſſet. Comitia conſularia in quam edicta erãt diem ad XII Cal. Mart. ſunt habita. Creati Coſs. P. Licinius Craſſus, C. Caſsius Longinus. Poſtero die prætores facti, C. Sulpitius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Diues, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Iunius Annalis. His prætoribus prouinciæ decretæ, duæ iure Romæ dicendo, Hiſpania, & Sicilia, & Sardinia, vt vni ſors integra eſſet, quò ſenatus cenſuiſſet. Conſulibus deſignatis imperauit ſenatus, vt qua die magiſtratum iniſſent, hoſtiis maioribus ritè mactatis precarentur, vt quod bellum P. R. in animo haberet gerere, vt id proſperum eueniret. Eodem die decreuit ſenatus, vt C. Popilius Cos. ludos per X dies Ioui Opt. Max. voueret, donáque circa omnia puluinaria dari, ſi R. P. X annos in eodem ſtatu fuiſſet. Ita vt cenſuerant, in Capitolio vouit Cos. ludos fieri, donariáque dari, quanta ex pecunia decreſſet ſenatus: cùm centum & quinquaginta non minus adeſſent, præeunte verba Lepido pontifice maximo id votum ſuſceptum eſt. Eo anno ſacerdotes publici mortui, L. Aemylius Pappus Xuir ſacrorum, & Q. Fuluius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat cenſor.

Q. Fuluij Flacci pontificis mors fœda.

Hic fœda morte periit. Ex duobus filiis eius qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum, alterum deceſsiſſe, alterum graui & periculoſo morbo ægrum eſſe. Obruit animum ſimul luctus, metúſque: mane ingreſsi cubiculum ſerui, laqueo dependentem inuenere. Erat opinio, poſt cenſuram minus compotem fuiſſe ſui: vulgo Iunonis Laciniæ iram ob ſpoliatum templum alienaſſe mentem ferebant. Suffectus in Aemylii locum Xuir M. Valerius Meſſala, in Fuluii pontifex Cn. Domitius Aenobarbus, oppidò adoleſcens ſacerdos lectus.

Eumenes Aſiæ rex.
Pruſias rex Bithyniæ.
Ariarates Cappadociæ rex.

P. Licinio, C. Caſsio Coſs. non vrbs tantùm Roma, nec terra Italia, ſed omnes reges ciuitatéſque, quæ in Europa, quæ'que in Aſia erant, conuerterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenen cùm vetus odium ſtimulabat, tum recens ira, quòd ſcelere eius propè vt victima mactatus Delphis eſſet. Pruſias Bithyniæ rex ſtatuerat abſtinere armis, euentúmque expectare. Nam neque pro Romanis ſe æquum cenſere aduerſus fratrem vxoris arma ferre: & apud Perſea victorẽ veniam per ſororem impetrabilẽ fore. Ariarates Cappado-

cum rex præterquàm quòd Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est iunctus Eumeni affinitate, in omnia belli pacísque se consociauerat consilia. Antiochus imminebat quidem Aegypti regno, & pueritiam regis, & inertiam tutorum spernens, & ambigendo de Cœlesyria causam belli se habiturum existimabat, gesturúmque sine vllo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat: tutores & bellum aduersus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlensyriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masanissa & frumento iuuabat Romanos, & auxilia cum elephantis, Misagenénque filium mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat. Si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque vltra quidquam mouendum: non enim passuros Romanos vim Carthaginiensibus afferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius rex Illyriorum fecerat potius cur suspectus esset Romanis, quàm satis statuerat vtram foueret partem: impetúque magis quàm consilio iis aut illis se adiuncturus videbatur. Cotys Thrax Odrysarum rex euidenter Macedonum partis erat. Hæc sententia regibus cùm esset de bello, in liberis gentibus populísque, plebs vbique omnis fermè, vt solet, deterioribus erat ob regem Macedonásque inclinata principum diuersa cernentes studia. Pars ita in Romanos effusi erant, vt authoritatem immodico fauore corrumperent: pauci ex iis iustitia imperii Romani capti: plures ita, si præcipuam operam nauassent, potentes sese in ciuitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum eodem manente statu, præcipites ad nouanda omnia agebat: quosdam ventosum ingenium, quia Perseus magis auræ popularis erat. Tertia pars optima eadem & prudentissima, si vtique optio domini potioris daretur, sub Romanis quàm sub rege malebat esse: si liberum inde arbitrium fortunæ esse, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri: sed *illibatis* potius viribus vtriusq; partis, pacem ex eo manere: ita inter vtrosq; optimam conditionē ciuitatum fore, protegente altero semper inopem ab alterius iniuria. Hæc sentientes, certamina fautorū vtriusq; partis taciti ex tuto spectabant. Coss. quo die magistratū inierunt ex s c. cùm circa omnia fana in quibus lectisternium maiorem partem anni esse solet, maioribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati, senatui ritè sacrificatum, precationémq; de bello factam renuntiarunt. Aruspices ita responderunt, si quid rei nouæ inciperetur, id maturandum esse. victoriā, triumphum, prorogationem imperii portendi. Patres quod faustum felixque p r. esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum Coss. iusserunt, vt quod Perseus Philippi filius Macedonum rex aduersus fœdus cum patre Philippo ictum, & secum post mortem eius renouatum, sociis p r. arma intulisset, agros vastasset, vrbésque occupasset: quódque belli parandi aduersus p r. consilia iniisset, arma, milites, classem eius rei causa comparasset, vt, nisi de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur. Hæc rogatio ad populum lata est. s c. inde factum est, vt consules inter se prouincias Italiam & Macedoniam compararent sortirentúrve. Cui Macedonia obuenisset, vt is regem Persea, quíque eius sectam secuti essent, nisi p r. satisfecissent, bello persequeretur. Legiones quatuor nouas scribi placuit, binas singulis C o s s. Id præcipuè prouinciæ Macedoniæ datum, quòd cùm alterius C o s. legionibus quina millia & duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones: in Macedoniam sena millia peditum scribi iussa, equites treceni æqualiter in singulas legiones. & in sociali exercitu consuli alteri auctus numerus: x v i millia peditum. d c c c equites, præter eos quos Cn. Sicinius duxisset d c equites, in Macedoniam traiiceret. Italiæ satis visa x i i millia sociorum peditum, d c equites. Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, vt centuriones militésque veteres scriberet quos vellet Cos. vsque ad quinquaginta annos. In tribunis militum nouatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod C o s s. ex s c ad populum tulerunt, ne trib. mil. eo anno suffragiis crearentur, sed C o s s. prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúmque esset. Inter prætores ita partita imperia. Prætorem cuius sors fuisset vt ire quò senatus censuisset, Brūdisium ad classem ire placuit: vt' que ibi recognosceret socios nauales, dimissísque si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis: & daret operam, vt duæ partes ciuium Romanorum, tertia sociorum esset. Commeatus classi legionibúsque vt ex Sicilia Sardiniáque subueherentur, prætoribus, qui eas prouincias sortiti essent mandari placuit, vt alteras decumas Siculis Sardísque imperarent, vt' que id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canuleius Hispaniam, C. Sulpitius Galba vrbanam iurisdictionem, L. Iunius Annalis inter peregrinos. C Lucretio Gallo, quò senatus censuisset, sors euenit. Inter Coss. magis cauillatio quàm magna contentio de prouincia fuit. Cassius sine sorte se Macedoniam oppugnaturum dicebat, nec posse collegam saluo iureiurando secum sortiri. Prætorem eum ne in prouinciā iret, in concione iurasse se stato loco statísque diebus sacrificia habere, quæ absente se rectè fieri non possent: quæ nō magis Cos. quàm prætore absente rectè fieri possent. Si senatus non quid vel let in consulatu potius, quàm quid in prætura iurauerit P. Licinius, animaduertendum esse censeat: se tamen futurum in senatus potestate. Consulti patres, cui consulatum p r nō negasset, ab se prouinciam negari superbum rati, sortiri consules iusserunt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obuenit. Legiones inde sortiti sunt: prima & tertia in Macedonia traiicerentur, secunda & quarta vt in Italia remanerent. Delectus Coss. multo intentiorem quàm aliàs curā habebāt. Licinius veteres quoq; scribebat milites, centurionésque: & multi voluntate nomina dabāt, quia locupletes eos videbant, qui priore Macedonico

Antiochus Syriæ rex. *Ptolemæus Aegypti rex.* *Masanissa rex Numidiæ.* *Gentius Illyriorum rex.* *Cotys Odrysarum regulus.* *Ciuitatum de bello Macedonico diuersa studia.* *Coss. rogatio ad populum de bello Macedonico.* *Quid in conscribendo exercitu nouatum sit ob bellum Macedonicum.* *Inter Cos. contentio.*

A B

A cedonico bello, aut aduersus Antiochum in Asia stipẽdia fecerant. Cùm tribuni militum centuriones, sed primũ quenque citarent, tres & x x centuriones qui primos pilos duxerant, citati Trr. pl. appellarunt. Duo ex collegio, M. Fuluius Nobilior, & M. Claudius Marcellus ad Coss. reiiciebant. Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus qui bú sque bellum mandatum essent. Cæteri cognituros se de quo appellati essent aiebant: & si iniuria fieret, auxilium ciuibus laturos. Ad subsellia Trr. res agebatur. Eò M. Popilius consularis aduocatus, centuriones, & consul venerunt. Cos. inde postulanti vt in concione ea res ageretur, populus in concionem aduocatus. Pro centurionibus M. Popilius, qui biennio antè consul fuerat, ita verba fecit: Militares homines, & stipendia iusta, & corpora & ætate & assiduis laboribus confecta habere: nihil recusare tamen quo minus operã P R dent: id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines quàm quos cũ militassent, habuissent, attribuerẽtur. P. Licinius Cos. S C recitari iussit. Primùm, quòd bellũ senatus Perseo iussisset: deinde quòd veteres centuriones quàm plurimum ad id bellum scribi censuisset: nec vlli, qui nõ maior annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Deprecatus est deinde, ne nouo bello, tam propinquo Italiæ, aduersus regẽ potentissimum, aut tribunos militum delectum habẽteis impedirent, aut prohiberent Cos. quem cuiq; ordinẽ assignari è rep. esset, eum assignare. Si quid in ea re dubium esset, ad senatum reiicerent. Postquã Cos. quæ voluerat dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero qui Trr. pl. appellauerant, à Cos. & ab tribunis petiit, vt sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur: Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit, & paruum tugurium, in quo natus educatúsque sum, hodiéq; ibi habito. Cùm primùm in ætatem veni, pater mihi vxorẽ, fratris sui filiam dedit: quæ secum nihil attulit præter libertatem, pudicitiámq;, & cum his fœcũditatem quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duæ filiæ sunt vtræque iam nuptæ. Filii I I I I togas virileis habent, duo prætextati sunt. Miles sum factus, P. Sulpicio, C. Aurelio Coss. In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui aduersus Philippum regem: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius Flaminius decumum ordinem hastatum assignauit. Deuicto Philippo Macedonibúsque, cùm in Italiam portati ac dimissi essemus, continuò miles voluntarius cum M. Porcio Cos. in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum qui viuant, acriorem virtutis spectatorem ac iudicem fuisse sciunt, qui & illum & alios duces longa militia experti sunt. Hic me imperator dignum iudicauit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertiò iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui aduersus Aetolos & Antiochum regem est missus. à M. Cælio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis reportati sumus in Italiam, & deinceps bis quæ annua merebant legiones stipendia feci. Bis B deinde in Hispania militaui, semel Q. Fuluio Flacco, iterum Tib. Sempronio Graccho Pr. à Flacco inter cæteros, quos virtutis causa secum ex prouincia ad triumphum deducebat, deductus sum: à Tib. Graccho rogatus in prouinciam ii. Quater intra paucos annos primum pilum duxi. quater & tricies virtutis causa donatus ab imperatoribus sum. sex ciuicas coronas accepi. X X I I stipendia annua in exercitu emerita habeo, & maior annis sum quinquaginta. Quòd si mihi nec stipendia omnia emerita essent, nec dum ætas vacationem daret, tamen cùm quatuor milites pro me vno vobis dare P. Licini possem, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro causa mea dicta accipiatis velim: ipse me, quoad quisquam qui exercitus scribit idoneum militem indicabit, nunquàm sum excusaturus. Ordinem quo me dignum iudicent Trr. militum, ipsorum est potestatis: ne quis me virtute in exercitu præstet, dabo operam: vt semper ita fecisse me & imperatores mei, & qui vnà stipendia fecerunt, testes sunt. Vos quoque æquum est commilitones, & si appellationis vobis vsurpatis ius, cùm adolescentes nihil aduersus magistratuum senatúsq; authoritatem vsquam feceritis, nunc quoque in potestate senatus ac consulum esse, & omnia honesta loca ducere, quibus rempublicam defensuri sitis. Hæc vbi dixit, collaudatum multis verbis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quoque ei ex authoritate senatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis causa ei assignarunt. Cæteri centuriones omissa appellatione, ad delectũ obedienter responderunt. Quo maturius in prouincias magistratus proficiscerentur, Latinæ Calend. Iun. fuere: eóq; solenni perfecto C. Lucretius Pr. omnibus quæ ad classem opus erant præmissis, Brũdisium est profectus. Præter eos exercitus quos Coss. comparabant, C. Sulpitio Galbæ Pr. negotium datum, vt quatuor legiones scriberet vrbanas, iusto numero peditũ equitúmq;: iisque I I I I Trr. mil. ex senatu legeret qui præessent. Sociis Latini nominis imperaret X V millia peditum, M & C C equites. Is exercitus vti paratus esset, quò senatus cẽsuisset. P. Licinio Cos. ad exercitum ciuilem socialémq; petenti addita auxilia, Ligurum M M, Cretenses sagittarii incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenses misissent. Numidæ item equites, elephantiq;. In eam rem legati ad Masanissam Carthaginiensésque missi, L. Posthumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Posthumium Albinum, C. Decium, A. Licinium Neruam. Per idem tẽpus legati ab rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti nõ placuit, cùm iam bellũ regi eorum & Macedonibus, & senatus decresset, & populus iussisset. Missi in ædem Bellonæ in senatũ introducti ita verba fecerunt: Mirari Persea regẽ, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari à senatu posset, vt ii reuocentur, regẽ de iniuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse. Sp. Caruilius, ad eam ipsam rem ex Græcia remissus ab Cn. Sicinio, in senatu erat. Is Perrhæbiã expugnatam armis, Thessaliæ aliquot vrbes captas, cætera quæ aut ageret, aut pararet rex, cùm argueret: respondere ad ea legati iussi, postquam hæsitabant, negantes sibi vltra quicquam mandatum esse iussi renuntiare regi, Cos. P. Licinium breui cum

Inter tribunos militum & centuriones contentio.

Sp. Ligustini centurionis ad populum oratio.

Legati à Perseo Romam missi.

exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos: Romam A quod præterea mitteret non esse, neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimissis, P. Licinio Cos. mandatum, intra XI diem iuberet eos Italia excedere: & Sp. Caruiliũ mitteret, qui donec nauem cõscendissent, custodiret. Hæc Romæ acta nondum profectis in prouinciá Coss. Iam Cn. Sicinius, qui priusquam magistratu abiret, Brundusium ad classem & ad exercitum præmissus erat, traiectis in Epirum V M. peditum, CCC equitibus, ad Nymphæum in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum, ad occupanda Dassaretiorum & Illyriorum castella, ipsis accersentibus præsidia, vt tutiores à finitimorum impetu Macedonum essent, misit. Paucis pòst diebus Q. Martius, A. Attilius, & P. & Ser. Cornelii Lentuli, & L. Decimius, legati in Græciam missi, Corcyram peditum mille secum aduexerunt: ibi inter se & regiones quas obirent, & milites diuiserunt. Decimius missus est ad Gentium regem Illyriorum, quem, si aliquem respectum amicitiæ eum habere cerneret, tentare: aut etiam ad belli societatem pellicere, iussus. Lentuli in Cephaleniam missi, vt in Pelopõnesum traiicerent, orámque maris in occidentem versi ante hyemem circumirent. Martio & Attilio Epirus, Aetolia & Thessalia circumeundæ assignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam aspicere iussi, tum in Peloponnesum traiicere: ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Priusquam digrederentur à Corcyra, literæ à Perseo allatæ sunt: quibus quærebat, quæ causa Romanis aut in Græciam traiiciendi copias, aut vrbes occupandi esset. Cui rescribi nihil placuit: nuntio ipsius qui literas attulerat dici, præsidii causa ipsarum vrbium Romanos facere. Lentuli circumeuntes Peloponnesi oppida, cùm sine discrimine omnes ciuitates adhortarentur, vt quo animo, qua fide adiuuissent Romanos Philippi primùm, deinde Antiochi bello, eodem aduersus Persea iuuarent: fremitũ in concionibus audiebant: Achæis indignãtibus eodem se loco esse (qui omnia à principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, & Macedonum Philippi bello hostes fuissent) quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma aduersus P. R. tulissent: ac nuper in Achaicum contributi concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis tradi quererẽtur. Martius & Attilius ad Gitanas Epiri oppidum X millia ab mari cùm ascenderẽt, concilio Epirotarum habito cum magno omniũ assensu auditi sunt: & quadringentos iuuentutis eorum in Orestas, vt præsidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserũt. Inde in Aetoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius sufficeretur, & Lycisco Pr. facto, quem Romanorũ fauere rebus satis cõpertum erat, transierunt in Thessaliam. Eò legati Acarnanum, & Bœotorum exules venerunt. Acarnanes nuntiare iussi, quæ Philippi primùm, Antiochi deinde bello decepti pollicitationibus regis aduersus P. R. commisissent, ea corrigendi occasionem illi oblatam. Si malè meriti clementiam P. R. experti essent, bene merendo liberalitatem experirẽtur. Bœotis exprobratum, societatẽ eos cum Perseo iunxisse. iis cùm culpam in Isme- B niam principem alterius partis conferrent, & quasdam ciuitates dissentienteis in causam deductas: appariturum id esse, Martius respondit. Singulis enim ciuitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos. Thessalorum Larissæ fuit concilium. Ibi & Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit: & legatis, quòd & Philippi prius & pòst Antiochi bello enixè adiuti à gente Thessalorum essent. hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis ad omnia decernenda quæ Romani vellent. Secundum hoc concilium legati à Perseo rege venerunt, priuati maximè hospitii fiducia, quòd ei paternum cum Martio erat. Ab huius necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in colloquium veniendi rei potestatem faceret. Martius & se ita à patre suo accepisse dixit, amicitiam hospitiúmque cum Philippo fuisse: minimè immemorem necessitudinis eius legationem eam suscepisse. Colloquium, si satis commodè valeret, non fuisse dilaturum: nunc, vbi primùm posset, ad Peneum flumen, quà transitus ab Omolio Dium esset, præmissis qui nuntiarent regi, venturos. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recipit se, leui aura spei obiecta, quòd Martius ipsius causa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, cùm amicorum, tum satellitum turba stipante: non minore agmine legati venerunt, & ab Larissa multis prosequentibus, & legationibus ciuitatum, quæ conuenerant Larissam, & renuntiare domum certa quæ audissent volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredienteis nobilem regem, & populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt dirimente amne, paulisper internuntiando cunctatio fuit, vtri transgrederentur: aliquid illi regiæ maiestati, aliquid hi P. R. nomini, cùm præsertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi, ioco etiam Martius cunctanteis mouit. Minor, inquit, ad maiorem, & (quòd Philippo ipsi cognomen erat) filius ad patrem transeat. Facilè persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quàm multis transiret. Rex cum omni comitatu transire æquum censebat: legati vel cum tribus venire iubebant, vel si tantum agmen traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore in colloquio. Hippian & Pantaucum, quos & legatos miserat, principes amicorum obsides dedit. Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quàm vt appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit, positísque sedibus consederunt. Cùm paulisper silentium fuisset: Expectari nos, inquit Martius, arbitror, vt respondeamus literis tuis quas Corcyram misisti: in quibus quæris, quid ita legati cum militibus venerimus, & præsidia in singulas vrbes dimittamus. Ad hanc interrogationem tuam, & non respondere vereor, ne superbum sit: & vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed cùm aut verbis castigandus aut armis sit, qui fœdus rumpit: sicut bellum aduersus te alii quàm mihi mandatum malim, ita orationis acerbitatem aduersus hospitem,

Romani legati in Græciam missi.

Persei & Martij legati Romani colloquium.

Martij legati Romani ad Persea oratio.

A hoſpitem, vtcunque eſt, ſubibo: ſicut medici, cùm ſalutis cauſa triſtiora remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, vnam rem te quæ facienda fuerit, ſenatus feciſſe cenſet, quòd legatos Romam ad renouandum * iudicat potius quàm cùm renouatum eſſet violandum. Abrypolim ſocium atque amicum populi Romani regno expuliſti. Artetari interfectores, vt cæde (ne quid vltra dicam) lætatum appareret, recepiſti: qui omnium Illyriorum fidiſsimum Romano nomini regulum occiderant. Per Theſſaliam & Malienſem agrum cum exercitu contra fœdus Delphos iſti. Byzantiis item contra fœdus miſiſti auxilia. Cum Bœotiis ſociis noſtris ſecretam tibiipſi ſocietatem, quam non licebat, iureiurando pepigiſti. Thebanos legatos Euerſam & Callicritum venienteis à nobis, quærere malo quis interfecerit, quàm arguere. In Aetolia bellum inteſtinum & cædes principum, per quos niſi per tuos factæ videri poſſunt? Dolopes à te ipſo euaſtati ſunt. Eumenes rex ab Roma cùm in regnum rediret, propè vt victima Delphis in ſacrato loco ante aras mactatus, quem inſimulet, piget referre: quæ hoſpes Brunduſinus occulta facinora indicet, certum habeo & ſcripta tibi omnia ab Roma eſſe, & legatos tuos renunciaſſe. Hæc ne dicerentur à me, vno modo vitare potuiſti, non quærendo quam ob cauſam exercitus in Macedoniam traiicerentur, aut præſidia in ſociorum vrbes mitteremus. Quærenti tibi, ſuperbius tacuiſſemus, quàm vera reſpondimus. Equidem pro paterno noſtro hoſpitio faueo orationi tuæ, & opto vt aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud ſenatum cauſæ. Ad ea rex: Bonam cauſam, ſi apud iudices æquos ageretur * apud eoſdem & accuſatores & iudices agam. Eorum autem quæ obiecta ſunt mihi, partim ea ſunt quibus neſcio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubeſcam, partim quæ verbo obiecta, verbo negare ſit. Quid enim, ſi legibus veſtris hodie reus ſim, aut index Brunduſinus, aut Eumenes mihi obiiciat, vt accuſare potius verè, quàm conuiciari videantur? Scilicet nec Eumenes, cum tam multis grauis publicè ac priuatim ſit, alium quàm me inimicum habuit: neque ego potiorem quenquam ad miniſteria facinorum, quàm Rammium, quem neque vnquam antè videram, nec eram poſtea viſurus, inuenire potui: & Thebanorum, quos naufragio periſſe conſtat, & Artetari cædis mihi reddenda ratio eſt: in qua tamen nihil vltrà obiicitur, quàm interfectores eius in regno exulaſſe meo. Cuius deditionis iniquitatem ita non ſum recuſaturus, ſi vos quoque accipitis, quicunque exules in Italiam aut Romam ſe contulerunt, his facinorum, propter quæ damnati ſunt, authores vos fuiſſe fateamini. Si hoc & vos recuſabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter cæteros ero. Et hercule quid attinet cuiquam exilium patère, ſi nuſquam exuli futurus locus eſt? Ego tamen iſtos, vt primùm in Macedonia eſſe admonitus à vobis comperi, requiſitos abire ex regno iuſſi, & in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquam cauſam dicenti reo obie-

Persei responsio.

B cta ſunt: illa tanquam regi, & quæ de fœdere quod mihi eſt vobiſcum, diſceptationem habeant. Nam ſi eſt in fœdere ita ſcriptum, vt ne ſi bellum quidem quis inferat, tueri me regnúmque meum liceat: mihi fatendum eſt, quod me armis aduerſus Abrypolim ſocium populi Romani defenderim, fœdus violatum eſſe. Sin autem hoc & ex fœdere licuit, & iure gentium ita comparatum eſt, vt arma armis propulſentur: quid tandem me facere decuit, cùm Abrypolis fineis mei regni vſque ad Amphipolim peruaſtaſſet, multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegiſſet? Quieſcerem & paterer, donec Pellam & in regiam meam armatus perueniſſet? At enim bello quidem iuſto ſum perſecutus: ſed vinci non oportuit eum, neque ea quæ victis accidunt pati: quorum caſum cùm ego ſubierim, qui ſum armis laceſſitus, quid poteſt queri ſibi accidiſſe, qui cauſa belli fuit? Non ſum eodem modo defenſurus, Romani, quòd Dolopas armis coercuerim: quia & ſi non merito eorum, iure feci meo: cùm mei regni, meæ ditionis eſſent, veſtro decreto patri attributi meo. Nec, ſi cauſa reddenda ſit, non vobis, nec fœderatis, ſed iis qui ne in ſeruos quidem ſæua atque iniuſta imperia probant, plus æquo & bono ſæuiſſe in eos videri poſſum: quippe Euphranorem præfectum à me impoſitum ita occiderunt, vt mors pœnarum eius leuiſsima fuerit. Ac cùm proceſsiſſem inde ab viſendas Lariſſam & Antrona & Pylleon, quo in propinquo multò antè debita vota perſoluerem, Delphos ſacrificandi cauſa aſcendi. Et hic criminis augendi cauſa cum exercitu me fuiſſe adiicitur: ſcilicet, vt quod nunc vos facere queror, vrbes occuparem, arcibus imponerem præſidia. vocate in concilium Græciæ ciuitates, per quas iter feci: queratur vnuſquilibet militis mei iniuriam, non recuſabo quin ſimulato ſacrificio aliud petiſſe videar. Aetolis & Byzantiis præſidia miſimus, & cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc qualiacunque fuut, per legatos meos non ſolùm indicata, ſed etiam excuſata ſunt ſæpe in ſenatu veſtro: vbi aliquos ego diſceptatores, non tam æquos quàm te Q. Marti paternum amicúm & hoſpitem, habebam. Sed nondum Romam accuſator Eumenes venerat, qui calumniando omnia detorquendóque ſuſpecta & inuiſa efficeret: & perſuadere vobis conaretur, non poſſe Græciam in libertate eſſe, & veſtro munere frui, quoad regnum Macedoniæ incolume eſſet. Circumagetur hic orbis: erit mox qui arguat, nequicquam Antiochum vltra iuga Tauri remotum: grauiorem multo Aſiæ, quàm Antiochus fuerit, Eumenen eſſe: nec conquieſcere ſocios veſtros poſſe, quoad regia Pergami ſit: eam arcem ſupra capita finitimarum ciuitatum impoſitam. Ego hæc Q. Marti & A. Attili, quæ aut à vobis obiecta, aut purgata à me ſunt, talia eſſe ſcio, vt aures, vt animi audientium ſint: nec tam referre, quid ego aut qua mente fecerim, quàm quomodo id vos factum accipiatis. Conſcius mihi ſum, nihil me ſcientem deliquiſſe: & ſi quid fecerim imprudentia lapſus, corrigi me ac emendari caſtigatione hac poſſe. Nihil certè inſanabile, nec quod bello & armis perſequendum eſſe cenſeatis, commiſi. Aut fruſtra clementiæ grauitatíſq; veſtræ fama vulgata per gentes eſt, ſi talibus de cauſis, quæ vix

querela & expostulatione dignæ sunt, arma capitis, & regibus sociis bella infertis. Hæc dicenti tum A assensus Martius, author fuit mittendi Romam legati, cum experienda omnia ad vltimum, nec prætermittendum spem vllam censuisset. reliqua consultatio erat, quónam modo tutum iter legatis esset. ad id cùm necessaria petitio induciarum videretur, cuperétque Martius, neque aliud colloquio petisset, grauatè & in magnam gratiá petentis concessit. Nihil enim satis paratum ad bellũ in præsentia habebant Romani, nó exercitum, non ducem: cùm Perseus, ni spes vana pacis occæcasset consilia: omnia præparata atque instructa haberet, & suo maximè tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset.

Induciæ inter Persea & Romanos.

Ab hoc colloquio, fide induciarum interposita, legati Romani in Bœotiam comparati sunt. Ibi iam motus cœperat esse, discedentibus à societate communis consilii Bœotorum quibusdam populis: ex quo renuntiatum erat respondisse legatos, appariturum quibus populis propriè societatem cum rege iungi displicuisset. Primi à Cheronia legati, deinde à Thebis in ipso itinere occurrerunt, affirmantes nó interfuisse se quo societas ea decreta esse concilio: queis legati nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se seqni iusserunt.

Thebanorum seditio.

Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars ininriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ vrbibus reciperentur. Exules Thespias vniuersi concesserunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas iam mutatis animis reuocati decretum faciunt, vt XII qui priuati cœtum & concilium habuissent, exilio multarẽtur. Nouus deinde prætor, Ismenias, is erat vir nobilis ac potens, capitalis pœnæ absenteis eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Romanos Larissam profecti, causam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant. Ex contentione ortum certamẽ: vtriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, & exules accusatorésq; Ismeniæ, & Ismenias ipse. Chalcidem vt ventum est, aliarum ciuitatum principes, id quod maximè gratum erat Romanis, suo quiq; proprio decreto Persei societatem aspernati, Romanis se adiungebant: Ismenias gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. Inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum abfuit quin ab exulibus fautoribúsq; eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumulen erant, aliis ad regem trahentibus ciuitatem, aliis ad Romanos: & turba Coronæorum Haliartiorúmque conuenerat ad defendendum decretum regiæ societatis. Sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochiq; quanta esset vis & fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo, & vt tolleretur regia societas, decreuit, & eos qui authores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendnm legatis Chalcidem misit, fideíque legatorum commendari ciuitatem iussit.

Thebani Romanas partes sequuntur.

Thebanos Martius & Attilius læti audierunt, authorésque & his separatim singulis fuerunt ad renouandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exules restitui iusserunt, & authores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, B quod maximè volebant, discusso Bœotico consilio Peloponnesum proficiscuntur. Ser. Cornelio Chalcidem accersito, Argis præbitum est iis concilium: vbi nihil aliud à gente Achæorum petierunt, quàm vt mille milites darent. Id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Græciam traiiceretur, missum est. Martius & Attilius, peractis quæ agenda in Græcia erant, principio hyemis Romam redierunt.

Romana legatio ad Asiaticas insulas.

Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa. Tres erant legati, T. Claudius, P. Posthumius, M. Iunius. ii circumeuntes, hortabantur socios ad suscipiendum aduersus Pesea pro Romanis bellum: & quo quæque opulentior ciuitas erat, eo accuratius agebant: quia minores secuturæ maiorum authoritatem erant.

Rhodij.

Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur: quia non fauere tantùm, sed adiuuare etiam viribus suis bellum poterant, XL nauibus authore Hegesilo comparatis. Qui cùm in summo magistratu esset (prytanin ipsi vocant) multis rationibus peruicerat Rhodios, vt omissa, qnam sæpe vanam experti essent, regum fouendorum spe, Romanam societatem, vnam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem, retinerent. Bellum imminere cum Perseo: desideraturos Romanos eundem naualem apparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi antè bello vidissent: trepidaturos tum repentè paranda classe, cùm mittenda esset, nisi reficere naues, nisi instruere naualibus sociis cœpissent. Id eo magis enixè faciundum esse, vt crimina delata ab Eumene, fide rerum refellerent. His incitati XL nauium classem instructam, ornatámq; legatis Romanis aduenientibus, vt non expectatam adhortationẽ esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnnm ad conciliandos animos ciuitatum Asiæ momentũ fuit. Decimius vnus sine vllo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit. Perseus cum à colloquio Romanorũ in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Martio cõditionibus pacis misit: & Byzantium & Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sentẽtia ad omnes erat: collocutum se cum Romanorum legatis: quæ audisset quǽque dixisset, ita disposita, vt uperior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, confidere pacem futuram. Authoribus enim Martio atqne Attilio, missos Romam legatos.

Perseus legatos ad Rhodios mitit.

Si pergerent Romani contra fœdus mouere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore Rhodiis, vt reconcilient pacem. Si nihil deprecando proficiant, id agendum ne omnium rerum ius ac potestas ad vnum populum perueniat. Cùm cæterorum id interesse, tum præcipuè Rhodiorum, qui plus inter alias ciuitates dignitate atqne opibus excellant: quæ serua atque obnoxia forent, si nullus aliò sit quàm ad Romanos respectus. Magis & literæ & verba legatorum benignè sunt audita, quàm momentum ad mutandos animos habuerunt: potentior esse partis melioris authoritas cœperat. Responsum ex decreto est, optare pacem Rhodios: si bellum esset, ne quid ad Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnísque meritis pace bellóque partam, diiungeret sibi ab Romanis.

A manis. Ab Rhodo redeuntes, Boetiæ quoque ciuitates & Thebas, & Coroneam, & Haliartum adierunt, quibus expressum inuitis existimabatur, vt relicta regia societate Romanis adiungerentur. Thebani nihil moti sunt, quanquam nonnihil & damnatis principib. & restitutis exulibus, succensebant Romanis. Coronæi & Haliartii fauore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt, præsidium petentes, quo se aduersus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere ita à Thebanorum iniuriis quà possent vt se vindicarent, ne Romanis præberent causam in se sæuiendi. Martius & Attilius Romam cùm venissent, legationem in Capitolio ita renuntiarunt, vt nulla re magis gloriarentur, quàm decepto per inducias & spem pacis rege. Adeò enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, vt omnia opportuna loca præoccupari antè ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam traiiceretur. Spatio autem induciarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem, Romanos omnibus instructiores rebus cœpturos bellum. Boetorum quoque se concilium arte distraxisse, ne coniungi amplius vllo consensu Macedonibus possent. Hæc, vt summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres & moris antiqui memores, negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias & nocturna prælia, nec simulatam fugam improuisósque ad incautum hostẽ reditus, nec vt astu magis quàm vera virtute gloriarentur, bella maiores gessisse. indicere prius quàm gerere solitos bella, denuntiare etiam, interdum locum finire in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitæ eius insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ, apud quos fallere hostem quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quàm virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis comminus viribus iusto ac pio bello esse superatum. Hæc seniores, quibus noua hæc minus placebat sapientia: vicit tamen ea pars senatus, cui potior vtilis quàm honesti cura erat, vt comprobaretur prior legatio Martii: & eódem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur, iuberetúrque cætera, vti è rep. maximè visum esset, agere. A. quoque Attilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes ne si induciarum dies exisset, Perseus præsidio eò misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. duo millia peditum Attilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam iussus. & P. Lentulo, qui ex Achaia redierat, c c c milites Italici generis dati, vt Thebis daret operam, vt in potestate Boetia esset. His præparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi legatis placuit. Eadem ferè quæ in colloquio ab rege dicta erant, relata a legatis. Insidiarum Eumeni

Laus antiquæ Romanorum virtutis.

B factarum crimen, & maxima cura, & minimè tamen probabiliter, manifesta enim res erat, defensum. Cætera deprecatio erat: sed non eis animis audiebantur, qui aut doceri aut flecti possent. Denuntiatum, extemplò mœnibus vrbis Romæ, Italia intra x x x diem excederent. P. Licinio deinde Cos. cui Macedonia prouincia obuenerat, denuntiatum, vt exercitui diem primam quanque diceret ad conueniendum. C. Lucretius Pr. cui classis prouincia erat, cum x L quinqueremibus ab vrbe profectus: nam ex refectis nauibus alias in alium vsum retineri ad vrbem placuit. Præmissus à Pr. est frater Lucretius cum quinquereme vna: iussúsque ab sociis ex fœdere acceptis nauibus ad Cephaleniam classi occurrere, ab Rheginis triremi vna, ab Locris duabus, ab Vritibus quatuor præter oram Italiæ superuectus Calabriæ extremum promontorium in Ionio mari, Dyrrhachium traiicit. Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, x i i Issæorum, L i i i i Gentii regis lembos nactus, simulans se credere eos in vsum Romaoorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephaleniam traiicit. C. Lucretius Pr. ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephaleniam transmisit. Ibi stetit classis, simul operiens vt terrestres copiæ traiicerentur, simul vt onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur. Per hos fortè dies P. Licinius Cos. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maiestate geritur: præcipuè tamen conuertit oculos animósque, cùm ad magnum nobilémque aut virtute, aut fortuna hostem, euntem Cos. prosequuntur. Contrahit enim non officii modò cura, sed etiam studium spectaculi, vt videant ducem suum, cuius imperio consilióque summam R P. tuendam permiserunt. Subit inde cogitatio animum, qui belli casus, quàm incertus fortunæ euentus, cõmunísque Mars belli sit: aduersa secũda, quæque inscitia & temeritate ducum clade sæpe acciderint: quæ contrà bona prudentia & virtus attulerit. Quem scire mortaliũ, vtrius mentis, vtrius fortunæ Cos. ad bellum mittant: triumphantémne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium, ad eosdem deos à quibus proficiscatur, visuri: an hostibus eam præbituri lætitiam sint. Perseo autem regi, aduersus quem ibatur, famam, & bello clara Macedonum gens, & Philippus pater, inter multa prospera gesta Romano etiam nobilitatus bello, præbebat: tum ipsius Persei nunquam, ex quo regnũ accepisset, desitum belli expectatione celebrari nomen. cum his cogitationibus omnium ordioum homines proficiscentẽ consulẽ prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militũ cũ eo missi. C. Claudius, Q. Mutius: & tres illustres iuuenes, P. Lentulus & duo Manlii Acidini: alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis Cos. Brundusium ad exercitũ, atque inde cũ omnibus copiis trãsuectus ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra. Paucos ante dies Perseus, postquam legati ab Roma regressi præciderant spem pacis, consiliũ habuit. Ibi aliquàm diuersis sentẽtiis certatũ est. Erãt, quibus vel stipendiũ pendendũ, si iniungeretur, vel agri parte cedendum, si mulctarent, quidquid denique aliud pacis causa patiendum esset, non recusandnm videretur: nec committendum vt in aleam tanti

Persei legatis Senatus datur.

Romana classis.

Paludati ab vrbe in bellum consules proficiscuntur.

Perseus de rerum suarũ summa consiliũ habet.

casus se regnúmque daret. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempúsque afferre A
posse, quibus non amissa modò recuperare, sed timendus vltro iis esse, quos nunc timere posset.
Cæterùm multo maior pars ferocioris sententiæ erat. Quicquid cessisset, cum eo simul regno pro-
tinus cedendum esse affirmabant. Neque enim Romanos pecunia aut agro egere: sed hoc scire, cùm
omnia humana, tum maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse. Carthaginiensium
opes fregisse sese, & ceruicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum pro-
geniémque eius vltra iuga Tauri remotum. Vnum esse Macedoniæ regnum, & regione propin-
quum, & quod sicubi P. R. sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis videatur posse facere. Dum
integræ res, apud animum suum Persea debere statuere: vtrũ singula concedẽdo nudatus: ad extre-
mum opibus extorrísque regno, Samothraciam aliámve quam insulam petere ab Romanis, vbi pri-
uatus superstes regno suo in contemptu atque inopia consenescat, malit: an armatus vindex fortunæ
dignitatísque suæ, ita vt viro forti dignum sit, patiatur quodcunque casus belli tulerit: aut victor libe
ret orbem terrarum ab imperio Romano. Non esse admirabilius Romanos Græcia pelli, quàm
Annibalem Italia pulsum esse. Neque hercule videre, qui conueniat, fratri affectanti per iniuriam re-
gnum summa vi restitisse, alienigenis bene parto eo cedere. Postremò ita bello & pace quæri, vt
inter omnes conueniat, nec turpius quicquã esse, quàm sine certamine cessisse regno: nec præclarius
Pella Macedonum regia.
quicquam, quàm pro dignitate ac maiestate omnem fortunam expertum esse. Pellæ in vetere regia
Macedonum hoc consilium erat. Geramus ergo, inquit, diis bene iuuantibus, quando ita videtur,
bellum: literísque circa præfectos dimissis, Citium (Macedoniæ oppidum est) copias omneis contra-
hit. Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Mineruæ quam vocant Alcidam confecto, cum purpura
torum & satellitum manu profectus Citium est. Eò iam omnes Macedonum externorúmque au-
xiliorum conuenerant copiæ. Castra ante vrbem ponit, omneísque armatos in campo struxit. Sum-
Persei exercitus.
ma omnium XL millia armata fuere: quorum pars fermè dimidia phalangitæ erant: Hippias Be-
reus præerat. Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant
agemata, hanc ipsi legionem vocabant: præfectos habebant Leonatum & Thrasipum Eulyestas. Cæ
terorum cetratorum trium fermè millium hominum dux erat Antiphilus Edessæus. Pæones, &
ex Paroria & Pastrymonia (sunt autem ea loca subiecta Thraciæ) & Agrianes, admistis etiã Thra-
cibus incolis, trium millium fermè & ipsi expleuerunt numerum. Armauerat contraxerátque eos
Didas Pæon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant,
præfecto Asclepiodoto. Ab Heraclea ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem ha-
bebant. Cretensium par-penè numerus suos duces sequebatur, Susum Phalasarneum & Syllum
Gnosium. Et Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, misto generi hominum, præerat. Re- B
gii is generis ferebatur, exul damnatus frequenti concilio Achæorum, literis ad Persea deprensis.
Aetolorum & Bœotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco
Achæus præfectus erat. Ex his mistis tot populorum, tot gentium auxiliis, XII millia armatorum
fermè efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat III millia. Venerat eódem Cotys
Seuthæ filius, rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equitibus, pari fermè peditum numero.
Summa totius exercitus XXXIX millia peditum erant, IIII equitum. Satis constabat secundum
eum exercitum, quem Magnus Alexãder in Asiam traiecit, nunquam vllius Macedonũ regis copias
tantas fuisse. Sextus & vicesimus annus agebatur, ex quo petẽti Philippo data pax erat: per id omne
tẽpus quieta Macedonia, & progeniẽ ediderat, cuius magna pars matura militiæ esset, & leuibus bel-
lis Thracum accolarũ quæ exercerẽt magis quàm fatigarent, sub assidua tamen militia fuerat: & diu
meditatũ Philippo primò, deinde & Persi Romanũ bellum, omnia vt instructa paratáque essent effe-
cerat. Mota parũper acies, non iusto decursu tamen, ne stetisse tantùm in armis viderentur. armatós-
Perseus ad bellum milites cohortatur.
que, sicut erant, ad concionẽ vocauit. Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos: quorũ
maior Philippus natura frater, adoptione filius: minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat.
Cohortatus est milites ad bellũ: iniuriã P. R. in patrẽ séque cõmemorauit. Illum omnibus indignitati-
bus cõpulsum ad rebellandũ, inter apparatum belli fato oppressum: ad se simul legatos, simul milites
ad occupandas Græciæ vrbes missos. Fallaci deinde colloquio per speciẽ reconciliãdæ pacis extra-
ctam hyemem, vt tempus ad comparandũ haberent. Consulẽ nunc venire cum duabus legionibus
Romanis, quæ tricenos equites habeant, & pari fermè numero sociorũ peditum equitúmque. Eò ve
accedant regũ auxilia Eumenis & Masanissæ, non plus VII millia peditum, II equitũ futura. Auditis
hostiũ copiis, respicerent suum ipsi exercitũ: quantum numero, quantũ genere militũ præstarent, ti-
ronibus raptim ad id bellum conscriptis, ipsi à pueris eruditi artibus militiæ, tot subacti atque durati
bellis. Auxilia Romanis Lydos, & Phrygas, & Numidas esse: sibi Thracas, Gallósque, ferocissimas
gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque parauerit pauper miles: Macedonas prompta ex re-
gio apparatu, per tot annos patris sui cura & impensa facta. Commeatũ illis cùm procul, tum omni-
bus sub casibus maritimis fore: se & pecuniam & frumentum, præter reditus metallorum, in decem
annos seposuisse. Omnia quæ deorum indulgentia, quæ regia cura præparanda fuerant, plena cu-
mulatáque habere Macedonas: animum habendum esse, quem habuerint maiores eorum: qui Eu-
ropa omni domita transgressi in Asiam, incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum:
nec antè vincere desierint, quàm rubro mari inclusis, quod vincerent defuerit. At hercule
nunc non de vltimis Indiæ oris, sed de ipsius Macedoniæ possessione certamen fortunam indi-
xisse. Cum patre suo gerenteis bellum Romanos, speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum:
nunc

A nunc propalàm Macedoniam in seruitutem petere: ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnóque, si absistere bello & facere imperata velint. Cùm per omnem orationem satis frequenti assensu succlamatum esset, tum verò ea vociferatio simul indignantium minitantiúmque, partim iubentium bonum animum habere regem, exorta est, vt finem dicendi faceret, tantùm iussis ad iter parâre: iam enim dici, mouere castra ab Nympheo Romanos. Concione dimissa ad audiendas legationes ciuitatum Macedoniæ se contulit. Venerant autem ad pecunias, pro facultatibus quæque suis, & frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ, remissum omnibus, satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantùm imperata, vt tormenta, telorúmque missilium ingentem vim præparatam, bellicúmque aliud instrumentum veherent. Profectus inde toto exercitu Eordeam petens, ad Begorritem quem vocant lacum positis castris, postero die in Elimeam ad Haliacmona fluuium processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythoum, & Dolichen incolenteis. Hæc tria oppida paulisper cunctata, quia obsides Larisseis dederant: victa tamen præsenti metu, in deditionem concesserunt. Benignè his appellatis, haud dubius Perræbos quoque idem facturos, vrbem nihil cunctatis qui incolebant, primo aduentu recipit. Cyretias oppugnare coactus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit. Mylæ proximum oppidum, ita munitum, vt inexsuperabilis munimenti spes incolas ferocioreis faceret: non portas claudere regi satis habuerunt, sed probris quoque in ipsum Macedonásque procacibus iaculati sunt. Quæ res cùm infestiorem hostem ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus vtrinque animis & oppugnatæ sunt, & defensæ. Multitudo Macedonum ad subeundum inuicem prælium haud difficulter succedebat: oppidanos diem noctem eosdem tuenteis mœnia, non vulnera modò, sed etiã vigiliæ & continens labor conficiebat. Quarto die cùm & scalæ vndique ad muros erigerentur, & porta vi maiore oppugnaretur: oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionémque repentinam in hostes faciunt. Quæ cùm iræ magis inconsultæ, quàm veræ fiduciæ virium esset pauci & fessi ab integris pulsi terga dederunt, fugientésque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta vrbs ac direpta est: libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venundata. Diruto magna ex parte & incenso oppido, profectus ad Phalannam castra mouit: inde postero die Gyrtonem peruenit. Quò cum T. Minutium Rufum & Hippiam Thessalorum Prr. cum præsidio intrasse accepisset, ne tentata quidem oppugnatione prætergressus, Velatias & Conoum, perculsis inopinato

Cambunij montes. Tripolis.

Perræbi à Perseo recepti.

Mylæ oppugnantur à Perseo.

B aduentu oppidanis, recepit. Vtraque oppida in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt, magis Conus: itaque & firmiore in præsidio tutum equitum peditúmque, ad hoc fossa triplici ac vallo munitum reliquit. Ipse ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium aduẽtum statuit: simul & frumentari passim exercitum iubet in subiecto hostium agro. Namque Sycurium est sub radicibus Ossæ montis, quà in meridiẽ vergit: subiectos habet Thessaliæ campos, ab tergo Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa salubritas & copia pluribus circumiectis fontibus perennium aquarum. Cos. Romanus per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primò per Epirum habuit: deinde postquam in Athamaniam est transgressus, asperi ac propè inuii soli, cum ingenti difficultate paruis itineribus ægrè Gomphos peruenit. cui si vexatis hominibus equísque tironem exercitum ducenti acie instructa & loco suo & tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gomphos sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi saltus superati, contemptus quoque hostium adeò ignorantium opportunitates suas accessit. Sacrificio ritè perfecto Cos. & frumento dato militibus, paucos ad requiem iumentorum hominúmque moratus dies: cùm audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastaríque sociorum agros, satis iam refectum militem ad Larissam ducit. Inde cùm III millia fermè abesset à Tripoli (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem nauibus accessit cum Attalo atque Athenæo fratribus, Philetero fratre relicto Pergami ad tutelam regni. inde cum Attalo & quatuor millibus peditum, mille equitũ ad Cos. venit. Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenæus præpositus. Et alia eódem auxilia Romanis ex omnibus vndique Græciæ populis conuenerunt, quorum pleraque (adeò parua erant) in obliuionem adducta. Apolloniatæ CCC equites, centum pedites miserunt. Aetolorum alæ vnius instar, quantum in tota gente equitum erat, venerant. & Thessalorum omnis equitatus separatus erat: non plus quàm CCC erant equites in castris Romanis: Achæi iuuentutis suæ, Cretico maximè armatu, ad mille dederũt. Sub idẽ tempus & C. Lucretius Pr. qui nauibus præerat ad Cephaleniam, M. Lucretio fratre cum classe super Maleam Chalcidem iusso petere, ipse triremem conscendit, sinũ Corinthium petẽs, ad præoccupãdas in Bœotia res tardior ei nauigatio propter infirmitatẽ corporis fuit. M. Lucretius Chalcidẽ adueniens, cùm à P. Lentulo Haliartũ oppugnari audisset, nuncium Pr. verbis, qui abscedere eum inde iuberet, misit. Bœotorum iuuentute, quæ pars cũ Romanis stabat, eam rem aggressus legatus, à mœnibus abscessit. Hæc soluta obsidio locum alteri nouæ obsidioni dedit. Nanque extemplò M. Lucretius cum exercitu nauali X millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum qui sub Athenæo erant, Haliartum circumsedit: parantibúsque iam oppugnare superuenit à Creusa Pr. Ad idem ferè tempus & ab sociis naues Chalcidem conuenerunt. duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque

Sycurium.

Cos. Romani aduersus Persea festinatio.

Cons. super Peneũ amnẽ castra ponit.

Quæ auxilia Romanis è Græcia cõuenerunt.

quinque Rhodiæ quadriremes. Pr. quia nuſquam erat maritimum bellum, remiſit ſociis: & Q. Martius Chaleidem nauibus venit. A Halope capta, Lariſſa quæ Cremaſte dieitur, oppugnata. Cùm hic ſtatus in Bœotia eſſet, Perſeus cum ad Sycurium (ſicut antè dictum eſt) ſtatiua haberet, frumento vn-

Pheræorum ager vaſtatur à Perſeo.

dique eircà ex agris conuecto, ad vaſtandum agrum Pheræorum miſit: ratus ad iuuandas ſociorum vrbes longius ab caſtris abſtractos deprehendi Romanos poſſe. Quos eùm eo tumultu nihil motos animaduertiſſet, prædam quidem præterquam hominum, pecora autem maximè omnis generis fuere, diuiſit ad epulandum militibus. Sub idem deinde tempus conſilium & conſul & rex habuerunt, vnde bellum ordirentur. Regis creuerunt animi vaſtatione conceſſa ſibi ab hoſte Pheræi agri. Itaque eundum inde ad caſtra, nee dandum vltrà ſpatium cunctandi eenſebat. & Romani eenſebát, cunctationem ſuam infamem apud ſocios eſſe, maximopere indignè ferenteis non latam Pheræis opem. eonſultantibus quid agerent (aderant autem Eumenes & Attalus in cõſilio) trepidus nuntius affert, hoſtem magno agmine adeſſe. Conſilio dimiſſo ſignum extemplò datur vt arma eapiant. Interim placet ex regiis auxiliis eentum equites & parem numerum iaeulatorum peditum exire. Perſeus fermè diei quarta cum paulo plus mille paſſus abeſſet à eaſtris Romanis, eonſiſtere ſigna peditum iuſsit: prægreſſus ipſe cum equitibus ae leui armatura, & Cotys eum eo ducéſque aliorum auxiliorum præceſſerunt. Minus quingentos paſſus ab caſtris aberant, cùm in eonſpectu fuere hoſtium equites: duæ alæ erant magna ex parte Gallorum, Caſsignatùs præerat: & leuis armaturæ eentum ferè & quinquaginta, Myſi aut Cretenſes. Conſtitit rex, ineertus quantum eſſet hoſtium. Duas inde

Inter exploratores cõs. & regis Perſei prælium.

ex agmine turmas Thraeum, duas Macedonum, cum binis Cretenſium cohortibus & Thracum miſit. Prælium, cùm pares numero eſſent, neque ab hac aut illa parte noua auxilia ſubuenirent, incerta victoria finitum eſt. Eumenis fermè x x x interfecti: inter quos Caſsignatus dux Gallorum cecidit. & tunc quidem Perſeus ad Sycurium eopias reduxit: poſtero die eirea eandem horam in eundem locum rex copias admouit, plauſtris eum aqua ſequentibus: nam duodeeim millium paſſuum via omnis ſine aqua & plurimi pulueris erat, affectóſque ſiti, ſi primò in conſpectu dimicaſſent, pugnaturos fuiſſe apparebat. Cùm Romani quieſſent, ſtationibus etiá intra vallum reductis, regii quo-

Perſeus Romanos ad prælium perlicere tẽtat.

que in eaſtra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt, ſperantes fore vt Romani equites abeuntium nouiſsimum agmen aggrederentur: inde certamine orto, eùm longius à caſtris eos elicuiſſent, facilè vbiubi eſſent, ſe, qui equitatu & leui armatura plus poſſent, eonuerſuros aeiem. Poſtquam incœptum non ſuecedebat, eaſtra propius hoſtem mouit rex, & à quinque millibus paſſuum communiit. Inde luee prima in eodem quo ſolebat loco peditum acie inſtructa, equitatum omnem leuémque armaturam ad eaſtra hoſtium dueit. Viſus & plurium & propior ſolito puluis trepidationem in caſtris Romanis fecit: & primò vix creditum nuntianti eſt, quia prioribus continuis diebus nunquam ante B horam quartam hoſtis apparuerat, tum ſolis ortus erat. Deinde vt plurium clamore & curſu à portis dubitatio exempta eſt: tumultus ingens oboritur: tribuni præfectíque & centuriones in præto-

Perſeus aciẽ ſuorum inſtruit.

rium, miles ad ſua quiſque tentoria diſcurrit. Minus quingentos paſſus à vallo inſtruxerat Perſeus ſuos, eirea tumulum quem Calicinum vocant. Læuo cornu Cotys rex præerat eum omnibus ſuæ gentis: equitum ordines leuis armatura interpoſita diſtinguebat. In dextro cornu Macedones erant equites, intermixti turmis eorum Cretenſes. Huic armaturæ Midon Bereus equitibus & ſummæ partis eius Meno Antigonenſis præerat, Proximi eornibus conſtiterant regii equites, & mixtum genus delecta plurium gentium auxilia: Patrocles Antigonenſis hic, & Pœoniæ præfectus Didas, erant præpoſiti. Medius omnium rex erat: circa eum agema quod vocant, equitúmque ſacræ alæ. ante ſe ſtatuit funditores iaculatoréſque: quadringentorum manus vtraque numerum expleuerat. Ionem Theſſalonicenſem & Timanora Dolopem iis præfeeit. Sic regii conſtiterant. Conſul intra

Conſul ſuos inſtruit.

vallum peditum acie inſtructa, & ipſe equitatum omnem cum leui armatura miſit. pro vallo inſtructi ſunt. Dextro eornu præpoſitus C. Lieinius Craſſus eonſulis frater eum omni Italieo equitatu, velitibus intermixtis: ſiniſtro M. Valerius Læuinus ſoeiorum ex Græeis populis equites habebat, eiuſdem gentis leuem armaturam. Mediam autem aeiem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mutius. e e equites Galli ante ſigna horum inſtructi, & de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis c e c. Theſſali c c c c equites paruo interuallo ſuper læuum eornu loeati. Eumenes rex Attalúſque cum omni manu ſua ab tergo inter poſtremam aeiem ae vallum ſteterunt. In hune modum maximè inſtructæ acies, par fermè vtrinque numerus equitum ae leuis armaturæ concurrunt, à

Atrox prælium inter Romanos & Macedonas.

funditoribus iaculatoribúſque, qui præeeſſerunt, prælio orto. Primi omnium Thraces, haud ſecus quã diu clauſtris retentæ feræ, cõcitati cum ingenti clamore in dextrũ cornu Italicos equites incurrerunt, vt vſu belli & ingenio impauida gens turbaretur. gladiis haſtas petere pedites. nunc ſuccidere crura equis, nunc ilia ſuffodere. Perſeus in mediam inuectus aeiem, Græeos primo impetu auertit: quibus cùm grauis ab tergo inſtaret hoſtis, Theſſalorum equitatus, qui à læuo eornu breui ſpatio diiunctus in ſubſidiis fuerat, extra concurſum primò ſpectator eertaminis, deinde inclinata re maximo vſui fuit. Cedentes enim ſenſim integris ordinibus, poſtquam ſe Eumenis auxiliis adiunxerunt, & cum eo tutum inter ordines ſuos receptum ſociis fuga diſsipatis dabant: & cùm minus conferti hoſtes inſtarent, progredi etiam auſi, multos fugientium obuios exeeperunt. Nec regii ſparſi iam ipſi paſsim ſequendo, eum ordinatis & eerto ineedentibus gradu manus eonſerere audebant, cùm victor equeſtri prælio rex paruo momento ſi adiuuiſſet, debellatum eſſet. opportunè adhortanti ſuperuenit phalanx, quam ſua ſponte, ne audaei cœpto deeſſet, Hippias & Leonatus raptim adduxerant, poſtquam proſperè pugnaſſe equitem acceperunt. Fluctuante rege inter ſpem me-

túmque

A túmque tantæ rei conandæ, Cretensis Euander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis vsus erat: postquam agmen impeditum venientium sub signis vidit, ad regem accurrit, & monere instititit, ne elatus felicitate summam rerum temerè in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestæ conditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet. In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque collaudato Euandro, signa referri, peditúmque agmen redire in castra iubet, equitibus receptui canere. cecidere eo die ab Romanis c c equites, duo millia haud minus peditum: capti fermè c c equites. ex regiis autem x x equites, x l pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem læti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat: cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantum ex malè gesta re, sed pauor etiam erat, ne exteplò castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, vt trans Peneum transferret castra: vt pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. Cos. moueri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in vlteriore ripa communit. Rex postero die ad lacessendos prælio hostes progressus, postquam trans amnē in tuto posita castra animaduertit, fatebatur quidem peccatum, quòd pridie non institisset victis: sed aliquanto maiorem culpam esse, quòd nocte foret cessatum. Nam vt neminem alium suorum moueret, leui armatura immissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem præsens pauor demptus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cætera præcipuè famæ mouebat. & in consilio apud Cos. pro se quisque in Aetolos conferebant causam: ab iis fugæ terrorísque principium ortum, secutus pauorem Aetolorum & cæteros socios Græcorum populorum. Quinque principes Aetolorum primi terga vertentes cōspecti dicebantur. Thessali pro concione laudati, ducésque eorum etiam virtutis causa donati. Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur: dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captiuos dono dabat. Scuta erant supra м d: loricæ thoracésque м amplius summam explebant: galearum gladiorúmque & missilium omnis generis maior aliquanto numerus. Hæc per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit. Præiudicatum euentum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo inuictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes iuuentutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paulo antè diuisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis, quæ nocturna fuga vobis subtractæ, naufragorum trepidatione passim natantium flumen compleuerunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare erit,

Interfectorū & captorū numerus.

Cons. castra noctu mouet.

Persei ad milites oratio.

B quàm illis trepidantibus fuit: transgressísque extemplò castra oppugnabimus. quæ hodie cepissemus, ni fugissent. Aut si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris euentum expectate, qui equitum in certamine fuerit. Et qui vicerant alacres, spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ora sua, audiuere, ex eo quod acciderat spem futuri præcipientes: & pedites aliena gloria accensi, præcipuè qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque & nauandæ regi operæ, & similem gloriam ex hoste pariendi occasionem optabant. concione dimissa, postero die profectus inde ad Mopselum posuit castra: tumulus hic inter Tempe & Larissam medius est. Romani non abscedentes ab ripa Penei, transtulerunt in locum tutiorem castra, Eò Misagenes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus & x x. Per eos dies consilium habenti regi de summa, cùm iam consedisset ferocia ab re bene gesta: ausi sunt quidam amicorum consilium dare, vt secunda fortuna in conditione honestæ pacis vteretur, potius quàm spe vana euectus in casum irreuocabilem se daret. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis & meritò felicis esse. Mitteret ad Cos. qui fœdus in easdem leges renouarent, quibus Philippus pater eius pacem à T. Quintio victore accepisset: neque finiri bellum magnificentius, quàm à tam memorabili pugna: neque spem firmiorem pacis perpetuæ dari, quàm quæ perculsos aduerso prælio Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quòd si Romani tum quoque insita pertinacia æqua aspernarentur: deos hominésque, & moderationis Persei, & illorum peruicacis superbiæ, futuros testes. Nunquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus: itaque plurium assensu comprobata est sententia. Legati ad Cos. missi, adhibito frequenti concilio auditi sunt. Pacem petere, vectigal, quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes: vrbibus, agris locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum primùm. Hæc legati. Summotis his, cum consultarent, Romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in aduersis vultum secundæ fortunæ gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit: ita pacem dari, si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se déque vniuersa Macedonia statuendi ius. Hæc cùm renuntiassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse: & plerique vetare amplius mentionē pacis facere: vltro mox quæsituros quod oblatum fastidiant. Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse, timere: & summam pecuniæ augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animū Cos. tentare. Postquam nihil ex eo quod primo responderat, mutabat: desperata pace ad Sycurium, vnde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus. Fama equestris pugnæ vulgata per Græciam, nudauit voluntates hominum: non enim solùm qui partis Macedonum erant, sed plerique ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiámque experti, læti eam famam accepere: non ob aliam causam quàm prauo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus vtitur, deteriori atque infirmiori fauendo. Eodem tempore in Bœotia summa

Misagenes Numida.

Perseus de rerum summa consilium habet.

Perseus de pace legatos ad cons. mittit.

Consulis de pace responsum.

Haliartum oppugnatur à Lucretio pretore.

summa vi Haliartum Lucretius Pr. oppugnarat:& quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, A præter Coronæorum iuniores,qui prima obsidione mœnia intrauerant,neque sperabant:tamen ipsi animis magis quàm viribus resistebant. Nam & eruptiones in opera crebrò faciebant:& arietem admotum,libramento plumbi grauatum ad terrã vrgebant:& si quà declinarent qui agebant ictum, pro diruto muro nouum tumultuario opere,raptim ex ipsa ruinæ strage congestis saxis,extruebant. Cùm operibus oppugnatio lentior esset,scalas per manipulos diuidi Pr. iussit, vt corona vndique mœnia aggressurus: eo magis sufffecturam ad id multitudinem ratus,quòd qua parte palus vrbem cingit,nec attinebat oppugnari,nec poterat. Ipse ab ea parte,qua duæ turres, quódque inter eas muri prorutum fuerat,duo millia militum delectorum admouit: vt eodem tempore,quo ipse transcendere ruinas conaretur,concursu aduersus se oppidanorum facto,scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim eius arcere parant. Nam super stratum ruinis locum fascibus aridis sarmentorum iniectis,stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpe minabantur, vt incendio intersepti ab hoste, spatium ad obiiciendum interiorem murum haberent:quod inceptum eorum fors impediit. Nam tantus repente effusus est imber,vt nec accendi facilè pateretur,& extingueret accensa. Itaque & transitus per distracta fumantia virgulta patuit:& in vnius loci præsidium omnibus versis,mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ vrbis seniores impubésque,quos casus obuios obtulit, passim cæsi:armati in arcem confugerunt.& postero die,cùm spei nihil superesset,deditione facta sub corona venierunt.fuerunt autem ᴍ ᴍ fermè & ᴅ. ornamenta vrbis statuæ & tabulæ pictæ,& quidquid prætiosæ prædæ fuit,ad naues delatum:vrbs diruta à fundamentis.inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis,vrbem tradidit exulibus & qui Romanorum partis erant:aduersæ factionis hominum,fautorúmque regis ac Macedonum,familias sub corona vendidit. His gestis in Bœotia,ad mare ac naues rediit.

Haliartum expugnatur et diripitur.

Thebæ Romanis sine certamine deduntur.

Cùm hæc in Bœotia gererentur,Perseus ad Sycurium statiua dierum aliquot habuit. Vbi cùm audisset, raptim Romanos circà ex agris demessum frumentum conuehere,deinde ante sua quenque tentoria spicas fascibus desecantem,quo purius frumentum tereret,ingenteis aceruos per tota castra stramentorum fecisse:ratus incendio opportuna esse,faces tædámque & malleolos stuppæ illitos pice parari iubet:atque ita media nocte profectus,vt prima luce aggressus falleret. nequicquam primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo cæteros exciuerunt:signúmque datum est arma extemplò capiendi: simúlque in vallo,ad portas,miles instructus erat,& intentus propugnationi castrorum. Perseus & extemplò circumegit aciem,& prima impedimenta ire,deinde peditum signa ferri iussit. Ipse cum equitatu & leui armatura subsistit agmen cogendum,ratus id quod accidit,insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hosteis. Breue certamen leuis armaturæ maximè cum procursatoribus fuit, equites peditésque sine tumultu in castra redierunt. B

Perseus Romanos aggreditur.

Demessis circà segetibus, Romani ad Crannonium intactum agrum castra mouent. Ibi cùm securi,& propter castrorum longinquitatem, & viæ inopis aquarum difficultatem,quæ inter Sycurium & Crannona est,statiua haberent, repentè prima luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum leui armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem profecti ab Sycurio erant:peditum agmen sub lucem reliquerant in proxima planicie. Stetit paulisper in tumulis,elici posse ratus ad equestre certamen Romanos:qui postquam nihil mouebant, equitem mittit qui pedites referre ad Sycurium signa iuberet,ipse mox insecutus. Romani equites modico interuallo sequentes,sicubi sparsos ac dissipatos inuadere possent:postquam confertos abire signa atque ordines seruantes viderunt,& ipsi in castra redeunt. Inde offensus longinquitate itineris rex ad Mopselum castra mouit. & Romani demessis Crannonis segetibus,in Phalaneum agrum transeunt. Ibi cùm ex transfuga cognosset rex,sine vllo armato præsidio passim vagantes per agros Romanos metere,cum ᴍ equitibus, duobus millibus Thracum & Cretensium profectus,cùm quantum accelerare poterat effuso agmine issent,inprouisò aggressus est Romanos. Iuncta vehicula,pleraque onusta,mille admodum capiuntur, ᴅ ᴄ fermè homines. Prædam custodiendam ducendámque in castra ᴄ ᴄ ᴄ Cretensium dedit. Ipse reuocato ab effusa cæde equite,& reliquis peditum,ducit ad proximum præsidium,ratus haud magno certamine opprimi posse. L. Pompeius Tr. militum præerat,qui perculsos milites repentino hostium aduentu in propinquum tumulum recepit, loci se præsidio,quia numero & viribus impar erat,defensurus. Ibi cùm in orbem milites coegisset,vt densatis scutis ab ictu sagittarum & iaculorum sese tuerentur:Perseus circundato armatis tumulo,alios ascensum vndique tentare iubet,& comminus prælium conserere, alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circunstabat: nam neque conferti pugnare, propter eos qui ascendere in tumulum conabantur,poterant:& vbi ordines procursando soluissent,patebant iaculis sagittisve. Maximè cestrosphendonis vulnerabantur:hoc illo bello nouum genus teli inuentum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat,crassitudine digiti:huic ad libramen pinnæ tres,velut sagittis solent,circundabantur:funda media,duo funalia imparia habebat:cum maiori sinu libratum funditor habena rotaret,excussum velut glans emicabat. Cùm & hoc & alio omni genere telorum,pars vulnerata militum esset,nec facilè iam arma fessi sustinerent:instare rex vt dederent se,fidem dare,præmia interdum polliceri:nec cuiusquam ad deditionem flectebatur animus,cùm ex insperato iam obstinatis mori spes affulsit. Nam cùm ex frumentatoribus refugientes quidam in castra, nunciassent Consuli circumsideri præsidium:motus periculo tot ciuium (nam ᴅ ᴄ ᴄ ᴄ fermè & omnes Romani erant) cum equitatu ac leui armatura (accesserant

Perseus Romanos passim vagantes opprimit.

Cestrosphendona quid sit.

A rant noua auxilia Numidæ pedites equitésque & elephanti) castris egreditur:& tribunis militum imperat,vt legionum signa sequantur.Ipse velitibus ad firmanda leuium armatorum auxilia adiectis,ad tumulum præcedit.Consulis latera tegunt,Eumenes,Attalus,& Misagenes regulus Numidarum.Cùm in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt,Romanis quidem ab vltima desperatione recreatus est animus.Perseus,cui primum omnium fuerat,vt contentus fortuito successu,captis aliquot frumentatoribus occisisque,non tereret tempus in obsidione præsidii:secundum,ea quoque tentata vtcunque,cùm sciret nihil roboris secum esse,dum liceret intacto, abire:& ipse hostium aduentum elatus successu mansit:& qui phalangem accerserent, propere misit. qua & serius quàm res postulabat,& raptim acta,turbati cursu aduersus instructos & præparatos erant aduenturi.Cos.antè veniens,extemplò prælium conseruit.Primò resistere Macedones:deinde vt nulla re pares erant,amissis c c c peditibus, x x i i i i primoribus equitum ex ala quam Sacram vocant,inter quos Antimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur. Cæterùm iter propè ipso prælio tumultuosius fuit. Phalanx abs trepido nuntio accita cùm raptim duceretur,primò in angustiis captiuorum agmini oblata vehiculisque frumento onustis:iis cæsis ingens ibi vexatio partis vtriusque fuit,nullo expectante vtcunque explicaretur agmen:sed armatis detrudentibus per præceps impedimenta (neque enim aliter via aperiri poterat) iumentis cùm stimularentur in turba sæuientibus. Vix ab incondito agmine captiuorũ expedierant sese,cũ regio agmini perculsisque equitibus occurrunt.Ibi verò clamor iubẽtium referre signa,ruinæ quoque propè similem trepidationem fecit:vt si hostes introire angustias ausi longius insecuti essent,magna clades accipi potuerit. Cos.recepto ex tumulo præsidio,cõtentus modico successu,in castra copias reduxit.Sunt qui eo die magno prælio pugnatum authores sunt,v i i i millia hostium cæsa,in his Sopatrũ & Antipatrum regios duces:viuos captos circiter M M C C C C.Signa militaria capta x x v i i.Nec incruentam victoriam fuisse:suprà i i i i M & C C C de exercitu consulis cecidisse:signa sinistræ alæ quinque amissa. Hic dies & Romanis refecit animos,& Persea perculit:vt dies paucos ad Mopselum moratus,sepulturæ maximè militum amissorum cura,præsidio satis valido ad Connum relicto,in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quendam ex regiis præfectis cum modica manu relinquit ad Philam,iussum Magnetas & propinquos tentare. Cùm Pellam venisset,exercitu in hyberna dimisso,ipse cùm Cotyæ Thessalonicam est profectus. Eò fama affertur,Atlesbim regulum Thracum,& Corragum Eumenis præfectum,in Cotyis fines impetum fecisse.& regionem Marenen (quam vocant) cepisse.Itaque dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus,magnis proficiscentem donis prosequitur. Ducenta talenta,semestre stipendium equitatui numerat,cùm primò annuum dare constituisset. Cos.postquam profe-

Prælium inter Cons. & Persea.

B ctum Persea audiuit,ad Connum castra mouet,si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm,Macedoniæ claustra tutissima præbet,& in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Cùm & loco & præsidio valido inexpugnabilis res esset,abstitit incœpto.In Perræbiam flexis itineribus,Mallœa primo impetu capta ac direpta. Tripoli,aliáque Perræbia recepta, Larissam rediit:inde Eumene atque Attalo domum remissis,Misagenem Numidásque in hyberna in proximis Thessalis vrbibus distribuit,& partem exercitus ita per totam Thessaliam diuisit,vt & hyberna commoda omnes haberent,& præsidio vrbibus essent. Q.Mutium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum ciuitatum socios omnes præter Achæos dimisit.cum exercitus parte profectus in Achaiam Pthiotim,Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit à fundamentis,Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admouit:vrbs deserta erat,in arcem omnis multitudo concesserat:eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones,regium præsidium,metu excesserant: à quibus relicti oppidani, in deditionem extemplò veniunt, Dubitari inde,vtrum Demetrias prius aggredienda foret,an in Bœotia aspiciendæ res. Thebani vexantibus eos Coronæis,in Bœotiam accersebãt:ad horum preces,quia hybernis aptior regio quàm Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

Cotys ad sua tuenda dimittitur à Perseo.

Vrbes à Romanis captæ.

DECADIS QVINTAE LIBER TERTIVS.

Prætores nonnulli,eo quod auarè & crudeliter prouincias administrassent,damnati sunt. P.Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnauit,& crudeliter diripuit.ob id captiui,qui ab eo uenierant,ex S C postea restituti sunt. A præfectis Classium Romanarum multa impotenter in socios facta. Res præterea à Perseo rege in Thracia prosperè gestas continet:uictis Dardanis,& Illyrico,cuius rex erat Gentius.Motus,qui in Hispania ab Olonico factus erat,ipso interempto consedit.M.Aemylius Lepidus à censoribus princeps in senatu lectus.

EADEM

Carnuntem oppidum Illyricum oppugnant Romani.

Caßius cos. inscio senatu in Macedoniam legiones ducit.



EADEM æstate,qoa in Thessalia equestri pugna vicere Romani,legatus in Illyricum à Cos.missus, opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem, A omniáque iis sua concesit,vt opinione clementiæ eos qui Carnuntem munitam vrbem incolebant,alliceret. Postquam nec vt dederent se compellere,neque capere obsidendo poterat,ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles esset,quam prius intactam vrbem reliquerat,diripuit. Alter Cos.C.Casius nec in Gallia,quam sortitus erat,memorabile quicquam gesit:& per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto est conatus.ingressum hoc iter consulem, senatus ex Aquileiensium legatis cognouit:qui querentes coloniam suam nouam & infirmá,necdum satis munitam inter infestas nationes Histrorum & Illyriorum esse,cùm peterent vt senatus curæ haberet quomodo ea colonia muniretur,interrogati velléntne eam rem C.Casio Cos.mandari,responderunt, Casium Aquileiam indicto exercitu,profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primò incredibilis visa,& pro se quisque credere,Carnis forsitan aut Histris bellum illatum. Tum Aquileienses, nihil se vltrà scire,nec audere affirmare,quàm x x x dierum frumentum militi datum,& duces,qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent,conquisitos,abductósque. Enimuero senatus indignari,tantum consulem ausum,vt suam prouinciam relinqueret,in alienam transiret,exercitum nouo periculoso itinere iuter exteras gentes ducere,viam tot nationibus in Italiam aperire. Decernunt frequentes vt C.Sulpitius Pr.treis ex senatu nominet legatos,qui eo die proficiscantur ex vrbe:& quantum accelerare possent,Casium Cos.vbicũque sit persequantur:nuncient,ne bellum cum vlla gente moueat,nisi cum qua senatus gerẽdum censuerat. Legati ii profecti,M.Cornelius Cethegus,M.Fuluius, P.Martius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquileiæ curam.

Legatos mittit senatus ad Caßium cons. reuocandum.

Hispanorũ legati de magistratuum iniurijs in senatu queruntur.

Hispaniæ deinde vtriusque legati aliquot populorum in senatu introducti. Ii de magistratuum Romanorum auaritia superbiáque conquesti,nixi genibus ab senatu petierunt,ne se socios fœdius spoliari vexaríque,quàm hosteis,patiantur. Cùm & alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas,L.Canuleio Pr.qui Hispaniam sortitus erat,negotium datũ est,vt in singulos à quibus Hispani pecunias peterent,quinos recuperatores ex ordine senatorio daret,patronósque quos vellent sumendi potestatem faceret. Vocatis iu curiam legatis,recitatum est s c iusíque nominare patronos,quatuor nominauerunt,M.Porcium Catonem,P.Cornelium,Cn.F.Scipionem,L.Aemyliũ, M.F.Paulum,C,Sulpitium Gallum. Cum M.Titinio primum,qui Pr.A.Manlio, M.Iunio Coss.in citeriore Hispania fuerat,recuperatores sumpserunt. Bis ampliatus,tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum prouinciarum legatos est orta:citerioris Hispaniæ populi M.Catonem & Scipionem, vlterioris L.Paulum & Gallum Sulpitium patronos sumpserunt. Ad recuperatores adducti,à citerio B ribus populis P.Furius Philus,ab vlterioribus M. Matienus. Ille Sp. Posthumio, Q. Mutio Coss. triennio antè,hic biennio prius L.Posthumio,M.Popilio Coss.Pr.fuerat. Grauissimis criminibus accusati ambo ampliatíque,cùm dicenda de integro causa esset,excusati exilii causa solum vertisse,Furius Præneste,Matienus Tibur exulatum abierunt. Fama erat,prohiberi à patronis nobileis ac potentes compellare:auxítque eam suspicionem Canuleios Pr.quòd omissa ea re delectum habere instituit:dein repentè in prouinciam abiit,ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita præteritis silentio obliteratis,in futurum consultum ab senatu Hispanis,quod impetrarunt ne frumẽti æstimationem magistratus Romanus haberet,néve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet,& ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur. Et alia noui generis hominum ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis,& ex Hispanis mulieribus,cum quibus connubium non esset, natos se memorantes,supra quatuor millia hominum,orabant,vt sibi oppidum in quo habitarent,daretur. senatus decreuit,vti nomina sua apud L.Canuleium profiterentur:eorúmqoe si quos manumisisset,eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore,vti numero colonorum essent,agro asignato. Latinam eam coloniam fuisse,libertinorúmque appellari. Eodem tempore ex Africa & Gulussa Masanissæ regis filius legatus patris,& Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus,& quæ missa erant ad bellum Macedonicum à patre suo exposuit: & si qua præterea vellent imperare, præstaturum merito P R est pollicitus: & monuit Patres conscriptos, vt à fraude Carthaginiensium cauerent. Clasis eos magnæ parandæ consilium cepisse, specie pro Romanis, & aduersus Macedonas: vbi ea parata instructáque esset, ipsorum fore potestatis quem hostem aut socium habeant.

Latina colonia in Hispania.

* *

tantum pauorem ingresi castra ostentantes capita fecerunt,vt si admotus extemplò exercitus foret,capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est:& erant qui legatos mittendos,ad pacem precibus petendam,censerent:ciuitatésque complures eo nuntio audito, in deditionem venerunt. quibus purgantibus sese,culpámque in duorum amentiam conferentibus, qui se vltrò ad pœnam ipsi obtulissent,cùm veniam dedisset prætor:profectus extemplò ad alias ciuitates, omnibus imperata facientibus,quieto exercitu pacatum agrum,qui paulo antè ingenti tumultu arserat, peragrauit. Hæc lenitas prætoris,qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat,eo gratior plebi patribúsque fuit,quo crudelius auariúsque in Græcia bellatum & ab consule Licinio & ab Lucretio prætore erat. Locretium tribuni plebis absentem concionibus asiduis lacerabant,cùm reipublicæ causa abesse excusaretur:sed tum adeò vicina etiam inexplorata erant,vt is eo tempore in agro suo Antiati esset,aquámque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus centum triginta

Romanorũ crudelitas in Græcia.

millibus

A millibus æris locasse dicitur: tabulis quoque pictis ex præda fanum Aesculapii exornauit. Inuidiam infamiámque ab Lucretio auerterunt in Hortensium successorem eius Abderitæ legati, flentes ante curiam, querentésque oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Causam excidii fuisse vrbi, quòd cùm centum millia denariûm, & tritici quinquaginta millia modiûm imperaret, spatium petierût, quo de ea re & ad Hostilium consulem, & Romam mitterent legatos. vix dum ad consulem se peruenisse, & audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona cæteros venisse. Indigna Senatui visa: decreuerúntque eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreuerant priore anno: eadémque pro concione edicere Q. Mænium prætorem iusserunt. Et legati duo C. Sempronius Blæsus, Sext. Iulius Cæsar ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, vt & Hostilio consuli & Hortensio prætori nuntiarent: senatum, Abderitis iniustum bellum illatum, conquirique omnes qui in seruitute sint, & restitui in libertatem, æquum censere. Eodem tempore de C. Cassio, qui COS. priore anno fuerat, tum Tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelæ ad senatum delatæ sunt: & legati regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater eius verba in senatu fecit, questus Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse: & inde multa millia hominum in seruitutem abripuisse. Sub id tempus Carnorum Histrorúmque & Iapidum legati venerunt: Duces sibi ab consule Cassio primùm imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent: pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendum abisse: inde ex medio regressum itinere, hostiliter peragrasse fines suos: passim rapináque & incendia facta: nec se ad id locorum scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint. Et regulo Gallorum absenti, & his populis responsum est, senatum ea quæ facta querantur, neque scisse futura, neque si sint facta, probare. Sed indicta causa damnari absentem consularem virum, iniuriosum esse, cùm is Reipublicæ causa absit. Vbi ex Macedonia redisset C. Cassius, tum si coràm eum arguere vellent, cognita re, senatû daturum operam vti satis fiat. Nec responderi tantùm iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulum erans Alpeis, tres circa eos populos placuit, qui indicarent quæ patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt: duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, & vasa argentea quinque ex viginti pondo, & duo equi phalerati cum agasonibus, & equestria arma ac sagula: & comitibus eorum vestimenta liberis, seruísque. Hæc missa, illa petentibus data, vt denorum equorum iis commercium esset, educendíque ex Italia potestas fieret. Legati cum Gallis missi trans Alpeis, C. Lælius, M. Aemylius Lepidus: ad cæteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius. Multarum simul Græciæ Asiæque ciuitatum legati Romam conuenerunt. Primi Athenienses introducti: ii se quod nauium habuerint militúmque P. Licinio consuli &

Legati regis Gallorũ de Cassio Cos. queriũtur.

Legati multarũ Græciæ & Asiæ ciuitatum.

B C. Lucretio prætori misisse exposuerunt, quibus eos non vsos, frumenti sibi centum millia imperasse: quòd quanquam sterilem terram arent, ipsósque etiam agresteis peregrino frumento alerent, tamen ne deessent officio confecisse: & alia quæ imperarentur, præstare paratos esse. Milesii nihil præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse polliciti sunt. Alabandenses templum vrbis Romæ se fecisse commemorauerunt, ludósque anniuersarios ei diuæ instituisse: & coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Ioui Opt. Max. attulisse: & scuta equestria CCC. ea cui iussissent, tradituros. Donum vt in Capitolio ponere, & sacrificare liceret, petebant. Hoc Lampsaceni LXXX pondo coronam afferentes petebant, commemorantes discessisse se à Perseo, postquàm Romanus exercitus in Macedoniam venisset, cùm sub ditione Persei & antè Philippi fuissent. Pro eo, & quòd imperatoribus Romanis omnia præstitissent, id se tantùm orare, vt in amicitiam populi Romani reciperentur, & si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur. cæteris legatis comiter responsum. Lampsacenos in sociorum formulam referre Q. Mænius Prætor iussus. munera omnibus in singulos binûm millium æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam iussi. Et ex Africa legati simul Carthaginiensiû tritici decies centum millia & hordei quinquaginta, indicantes se ad mare deuecta habere, vt quò senatus censuisset, deportarent. Id munus officiúmque suum scire minus esse, quàm pro meritis populi Romani & voluntate sua: sæpe aliàs bonis in rebus vtriusque populi se gratorum fideliúmque sociûm muneribus functos esse. Item Masanissæ legati tritici eandem summam polliciti, & mille & ducentos equites, duodecim elephantos, & si quid aliud opus esset, vti imperaret senatus: æquè propenso animo, ac quæ ipse vltro pollicitus sit, præstaturum esse. Gratiæ & Carthaginiensibus & regi actæ, rogatíque vt ea quæ pollicerentur ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binûm millium æris munera missa. Cretensium legatis commemorantibus, se quantum sibi imperatum à P. Licinio COS. esset sagittariorum in Macedoniam misisse: cùm interrogati non inficiarentur, apud Persea maiorem numerum sagittariorum quàm apud Romanos militare, responsum est: si Cretenses bene ac grauiter destinarent potiorem populi Romani quàm regis Persei amicitiam habere: senatum quoq; Romanum iis tanquam certis sociis responsum daturum esse. Intereà nuntiarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, vt quos milites intra præsidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum reuocarent. Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati: quorum legatio ipso introitu, ob id quod Miccion princeps eorum pedibus captus, lectica est introlatus, vltimæ necessitatis extemplò visa res: in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Cùm sibi nihil viui reliquum præterquàm linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates præfatus esset, exposuit ciuitatis primum suæ benefacta, & vetera, & ea quæ Persei bello præ-

Carthaginiensium & Masanissæ legati.

Cretensium legati.

Chalcidenses de iniuriis sibi illatis querũtur.

stitissent ducibus exercitibúsque Romanis: tum quæ primò C.Lucretius in populares suos prætor Romanos superbè, auarè, crudeliter fecisset: deinde quæ tum cùm maximè L.Hortensius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiam iis quæ patiantur tristiora, patienda esse ducant, potius quàm se dedant Persi.quod ad Lucretium Hortensiúmque attineret: scire, tutius fuisse claudere portas,quàm in vrbem eos accipere. Qui exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Aenum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata,spoliatáque sacrilegiis,C.Lucretium nauibus Antium deuexisse: libera corpora in seruitutem abrepta, fortunas sociorum populi Romani direptas esse,& quotidie diripi.Nam ex instituto C.Lucretii Hortensium quoque in tectis hyeme pariter atque æstate naualeis socios habere,& domos suas plenas turba nautica esse: versari inter se coniuges liberósque suos,quibus nihil neque dicere pensi, neque facere. Accersere in senatum Lucretium placuit,vt disceptaret coràm,purgarétque sese.Cæterùm multo plura præsens audiuit,quàm in absentem iacta erant: & grauiores potentioré sque accessere accusatores duo Tr. plebis M.Iuuencius Talua,& Cn.Aufidius. Ii non in senatu modò eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis obiectis probris diem dixerunt. Senatus iussu Chalcidensibus Q.Mænius Prætor respondit:quæ bene meritos sese,& antè,& in eo bello quod geratur,de populo Romano dicát, ea & scire vera eos referre senatū,& perinde ac debeát grata esse. Quæ facta à C.Lucretio,fieriq; ab L.Hortensio Prætoribus Romanis querantur,ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, quem non posse existimare, qui sciat bellum Persi & antè Philippo patri eius intulisse populū Romanū pro libertate Græciæ,nō vt ea a magistratibus sociis atque amicis paterētur. Literas se ad L.Hortensium Prætorē daturos esse,quæ Chalcidenses querantur acta,ea senatui non placere. Si qui in seruitutem liberi venissent,vt eos conquirendos primo quoque tempore, restituendósque in libertatem curaret. Sociorum naualium neminem præter magistros in Hospitia deduci æquum censere.Hæc Hortensio iussu senatus scripta.Munera binûm millium æris legatis missa,& vehicula Miccioni publicè locata, quæ eum Brundusium commodè peruehérent. C.Lucretiū,vbi dies quæ dicta erat venit,tribuni ad populum accusarunt, mulctámq; decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis omnes quinque & triginta tribus eum condemnarunt. In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. Nam nec hostes mouerunt arma,neque consul in agrum eorum legiones induxit: & satis explorata pace eius anni,milites duarum legionum Romanarum,intra dies sexaginta,quàm in prouinciam venit, dimisit: sociorum nominis Latini exercitu maturè in hyberna Lunam & Pisas deducto,ipse cum equitibus Galliæ prouinciæ pleraque oppida adiit. Nusquam alibi quàm in Macedonia bellum erat: suspectum tamen & Gentium Illyriorum regem habebant.itaque & octo naueis ornatas à Brundusio senatus censuit mittendas ad C.Furium legatum Issam, qui cum præsidio duarū Issensium nauium insulæ præerat. duo millia militum in eas naues sunt imposita,quæ Q.Mænius Prætor,ex Senatusconsulto in ea parte Italiæ,quæ obiecta Illyrico est,conscripsit.& cos.Hostilius Ap.Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, vt accolas Illyrici tutarentur. Qui non contentus iis quas adduxerat copiis,auxilia ab sociis corrogando ad octo millia hominum vario genere armauit: peragratáque omni ea regione,ad Lycnidum Dassaretiorum consedit. Haud procul inde Vscana oppidum finium plerunque Persei erat, decem millia ciuium habebat, & modicum custodiæ causa Cretensium præsidium. Inde nuntii ad Claudium occulti veniebant, si propius copias admouisset, paratos fore qui proderent vrbem, & operæpretium esset: non se amicósque tantùm,sed etiam milites præda expleturum. Spes cupiditati admota ita occæcauit animum,vt nec ex iis qui venerant quenquam retineret,nec obsides pignus futuros furto & fraude agendæ rei posceret,nec mitteret exploratum,nec fidem acciperet: die tantum statuta profectus à Lycnido, duodecim millia ab vrbe, ad quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa mouit, mille ferme ad præsidium castrorum relictis: incompositi longo agmine effusi, infrequentes, cùm nocturnus error dissiparet, ad vrbem peruenerunt. Creuit negligentia, postquàm neminem armatum in muris viderunt. Cæterùm vbi primùm sub iactu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur: & ad clamorem erumpentium ingens strepitus è muris ortus, vlulantium mulierum cum crepitu vndique æris: & incondita multitudo turba immista seruili variis vocibus personabat. Hic tam multiplex vndique obiectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent. Itaque fugientes plures quàm pugnantes interempti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plureis fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, vt suos dissipatos fuga colligeret: quæ res palatis per agros saluti fuisset: ad Lycnidum protinus reliquias cladis reduxit. Hæc & alia haud prosperè in Macedonia gesta, ex Sexto Digitio Tribuno militū, qui sacrificii causa Romam venerat,sunt audita. Propter quæ veriti patres,ne quæ maior ignominia acciperetur,legatos in Macedoniam M.Fuluium Flaccum & M.Caninium Rebilum miserunt,qui comperta quæ agerentur referrent: & vt A.Hostilius cos.comitia consulibus subrogandis ita ediceret, vti mense Ianuario comitia haberi possent,& vt primo quoque tempore in vrbē rediret. Interim M.Recio Prætori mandatum, vt edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui Reipublicæ causa abessent, Romam reuocaret: qui Romæ essent, ne quis vltrà mille passuum ab Roma abesset. Ea vti senatus censuit, sunt facta. Comitia consularia ad quintum Calendas Septembris fuere. Creati cos.sunt Q.Martius Philippus iterum, & Q.Seruilius Cepio. Post diem tertium Prætores sunt facti, C.Decimius,M.Claudius Marcellus, M.Sulpitius Gallus,C.Martius Figulus, Ser.Cornelius Lentulus, P.Fonteius Capito. Designatis Prætoribus præter duas vrbanas, quatuor prouinciæ sunt decretæ,Hispania,& Sardinia, & Sicilia, & classis

[Margin notes: Lucretius accusatur à Chalcidensibus. — Lucretius condemnatur. — Vscana Illyrici oppidū. — Romanorū ad Vscanam negligentia. — Legati in Macedoniā mittuntur. — Legati ex Macedonia redierunt.]

[Margin letters: A, B]

A & classis. Legati ex Macedonia exacto admodum mense Februario redierunt. Hi quas res ca æstate prosperè gessisset rex Perseus, referebant: quantúsque timor socios populi Romani cepisset, tot vrbibus in potestatem regis redactis. Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse: culpam eius rei consulem in tribunos militum, contrà illos in consulem conferre. Ignominiam Claudii temeritate acceptam eleuare eos patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis,& magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebãt. Consules designati vbi primùm magistratum inissent,de Macedonia referre ad senatum iussi: destinatæque prouinciæ iis sunt, Italia & Macedonia. Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia Calendæ intercalares fuêre. Sacerdotes intra eum annum mortui L.Flaminius.pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus, & C.Liuius Salinator. In locum Furii T.Manlium Torquatum, in Liuii M.Seruilium pontifices legerunt. Principio insequentis anni cùm cos.noui Q.Martius, & Q.Seruilius de prouinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam & Macedoniam, aut sortiri placuit. Priusquam id sors cerneret in incertum,ne quid gratia momenti faceret, in vtranque prouinciam quod res desideraret supplementi decerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos CCL socios CCC. Veteres milites dimitti, ita vt in singulas Romanas legiones,ne plus sena millia peditũ,CCC.equites essent. Alteri cos. nullus certus finitus numerus ciuium Romanorum quem in supplementum legeret: id modò finitum,vt duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducentenos haberent, equites trecenos. Peditum Latinorum maior quàm collegæ decretus numerus: peditum decem millia & sexcenti equites.quatuor præterea legiones scribi iussæ,quæ si quo opus esset educerentur. Tribunos iis non permissum,vt consules facerent, populus creauit. Sociis nominis Latini sexdecim millia peditum,& mille equites imperati.Hunc exercitum parari tantùm placuit,vt exiret si quò res posceret.Macedonia maximè curam præbebat: in classem mille socii nauales ciues Romani, libertini ordinis ex Italia scribi iussi: totidem vt ex Sicilia scriberentur: & cui ea prouincia euenisset,mandatum vt eos in Macedoniam vbicunque classis esset, deportandos curaret.In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni & trigiota equites. Et sociis imperare prætor,cui Hispania obuenisset, iussus quatuor millia peditum,& trecentos equites.Non sum nescius,ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant,neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. cæterùm & mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus: & quædam religio tenet,quæ illi prudentissimi viri publicè suscipienda censuerint,ea pro dignis habere

De prodigijs.

B quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata: facem in cælo conspectam,& bouem fœminam locutam publicè ali. Minturnis quoque per eos dies cæli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidauit. Cumis in arce Apollo triduum ac treis noctes lacrymauit. in vrbe Romana duo æditui nuntiarunt,alter in æde Fortunæ anguem iubatum à compluribus visum esse: alter in æde Primigenæ Fortunæ,quæ in colle est,duo diuersa prodigia: palmam in area enatam,& sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in priuato loco factum esset: palmam enatam impluuio suo T.Martius Figulus nuntiabat. alterum, quod in loco peregrino: Fregellis in domo L.Atrei hasta,quam filio militi emerat,interdiu plus duas horas arsisse,ita vt nihil eius amburerct ignis dicebatur. Publicorum prodigiorum causa libri à decemuiris editi,quadraginta maioribus hostiis quibus diis consules sacrificarent. & addiderunt vti supplicatio fieret, cunctíque magistratus circa omnia puluinaria victimis maioribus sacrificarẽt,populúsque coronatus esset. Omnia vti decemuiri præierunt,facta. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. Petierunt censuram principes ciuitatis C.Valerius Læuinus,L.Posthumius Albinus,P.Mutius Scæuola, C.Iunius Brutus, C.Claudius Pulcher, Tib.Sempronius Gracchus.Hos duos censores creauit populus Romanus.Cùm delectus habendi maior quàm aliàs propter Macedonicum bellum cura esset,coss.plebem apud senatum accusabant,quòd & iuniores non responderent.Aduersus quos C.Sulpitius & M.Claudius tribuni,plebis causam egerunt.Non consulibus,sed ambitiosis consulibus delectum difficilem esse: neminem inuitum militem ab iis fieri. Id ita vt esse scirent & Patres conscripti: prætores,quibus & vis imperii minor & authoritas esset,delectum,si ita senatui videretur,perfecturos esse.Id prætoribus magna patrum non sine suggillatione consulum mandatum est. Censores vt eam rem adiuuarent, ita in concione edixerũt: legem censui censendo dicturos esse,vt præter commune omnium ciuium iusiurandum hæc adiurarent: tu minor annis sex & quadraginta es, túque ex edicto C.Claudii, Tib.Sempronii censorum ad delectum prodito: & quotiescunque delectus erit, quem hic censores magistratum habebunt,si miles factus non eris,in delectu prodibis. Item quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus,incertis commeatibus per ambitionem imperatorum ab exercitu abesse:edixerunt de militibus P.Aelio,C.Popilio coss.póstve eos coss. in Macedoniam scriptis: vt qui eorum in Italia essent, intra dies triginta censi prius apud sese in prouinciam redirent. qui in patris aut aui potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque causas sese cogniturus esse: & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri iussuros. Hoc edicto literísque censorum per fora & conciliabula dimissis,tanta multitudo iuniorum Romam conuenit, vt grauis vrbi turba insolita esset. Præter delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat,quatuor à C.Sulpitio Prætore scriptæ legiones sunt, intráque vndecim dies delectus est perfectus. Consules deinde sortiti prouincias sunt: nam Prætores propter iurisdictionem maturius sortiti erant. Vr-

Calendæ intercalares.

Censura.

Prouinciarũ sortitio.

bana C. Sulpitio, peregrina C. Decimio obtigerat. Hispaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, classem C. Martius Figulus erat sortitus. consulum Q. Seruilio Italia, Q. Martio Macedonia obuenit: Latinísque actis Martius extemplò est profectus. Cepione deinde referente ad senatum, quas ex nouis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decreuêre patres vt C. Sulpitius, M. Claudius Prætor, ex his quas scripsissent legionibus quas videretur consuli darent. Indignè patiente prætorum arbitrio consulem subiectum, dimisso senatu ad tribunal prætorum stans postulauit, ex Senatusconsulto destinarent sibi duas legiones. prætores consuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatum deinde censores legerunt: M. Aemylius Lepidus princeps, ab tertiis iam censoribus lectus. Septem è senatu eiecti sunt. In censu accipiendo populi, milites ex Macedonico exercitu, qui quàm multi abessent ab signis, census docuit, in prouinciam cogebant: causas stipendiis missorum cognoscebant: & cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandum adigebant, Ex tui animi sententia, tu ex edicto C. Claudii, Tib. Sempronii censorum in prouinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris. In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt: in ea re cùm equestrem ordinem offendissent, flammam inuidiæ adiecêre, edicto quo edixerunt, ne quis eorum qui Q. Fuluio, A. Posthumio censoribus publica vectigalia aut vltrò tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociúsue aut affinis eius conductionis esset. Sæpe id querendo veteres publicani, cùm impetrare nequissent ab senatu, vt modum potestati censoriæ imponerent, tandem Tribunum plebis Rutilium, ex rei priuatæ contentione iratum censoribus, patronum causæ nacti sunt. Clientem libertinum parietem in Sacra via aduersus ædes publicas demoliri, iusserunt, quòd publico inædificatus esset. appellati à priuato tribuni, cùm præter Rutilium nemo intercederet, censores pignora capienda miserunt, mulctámque pro concione priuato dixerunt. Hinc contentione orta, cùm veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repentè sub vnius tribuni nomine promulgatur. Quæ publica vectigalia, vltrò tributa, C. Claudius & Tib. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset: de integro locarentur, & vt omnibus redimendi & conducendi promiscuè ius esset: Diem ad eius rogationem concilio Tribunus plebis dixit. Qui postquam venit, vt censores ad dissuadendum processerunt, Gracco dicente, silentium fuit: cùm Claudio obstreperetur, audientiam facere præconem iussit. Eo facto, auocatam à se concionem tribunus questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio vbi erat concilium, abiit. Postero die ingenteis tumultus ciêre. Tib. Gracchi primùm bona consecrauit, quod in mulcta pignoribúsque eius qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coëgisset. C. Claudio diem dixit, quòd concionem ab se auocasset: & vtrique censori perduellionem se iudicare pronuntiauit, diémq; comitiis à C. Sulpitio Prætore vrbano petiit. B
Non recusantibus censoribus qui minus primo quoque tempore iudicium de se populus faceret in ante dies VIII. & VII Calend. Octobr. comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplò in atrium Libertatis ascenderunt: & ibi signatis tabellis publicis, clausóque tabulario, & dimissis seruis publicis, negarunt se prius quidquam publici negotii gesturos, quàm iudicium populi de se factum esset. Prior Claudius causam dixit: & cùm ex duodecim centuriis equitum, octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis: extemplò principes ciuitatis in conspectu populi annulis aureis positis, vestem mutarunt, vt supplices plebem circumirent. Maximè tamen sententiam vertisse dicitur Tib. Gracchus, quòd cum clamor vndique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis iurauit: si collega damnatus esset, non expectato de se iudicio, comitem exilii eius futurum. Adeò tamen ad extremum spei venit reus, vt octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio Tribunus plebis negauit se Gracchum morari. Eo anno, postulantibus Aquileiensium legatis, vt numerum colonorum augeret, mille & quingentæ familiæ ex Senatusconsulto scriptæ: triumuirique qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popilius & Cn. Octauius legati, qui in Græciam missi erant, Senatusconsultũ Thebis primùm recitatum, per omnes Peloponnesi vrbes circumtulerunt, ne quis vllam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, præterquàm quod senatus censuisset. Hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat, leuatos se oneribus impensisque, quibus alia aliis imperantibus exhauriebantur. Achaico concilio Argis agitato, benignè locuti auditíque, egregia spe futuri status fidissima gente relicta, in Aetoliam traiecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta, criminúmque inter ipsos plena. ob quæ obsidibus postulatis, neq; exitu rei imposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Tyrrei concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen: quidam principum postulare, vt præsidia in vrbes suas inducerentur, aduersus amentiam eorum qui ad Macedonicam gentem trahebant: pars recusare, ne quod bellum captis & hostibus mos esset, id pacatæ & sociæ ciuitates ignominiæ acciperent. Iusta deprecatio hæc visa. Larissam ad Hostilium proconsulem, ab eo enim missi erant, legati redierunt. Octauium retinuit secum, Popilium cum mille fermè militibus in hyberna Ambraciam misit. Perseus principio hyemis egressus Macedoniæ finibus non ausus, ne quà in regnum vacuum irrumperent Romani, sub tempus brumæ, cùm inexuperabilei sab Thessalia montes niuis altitudo facit, occasionẽ esse ratus frangendi finitimorum spes animósque, ne quid auerso se in Romanum bellum periculi subesset: cùm à Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione à Romanis præstarent, Dardanos recens domuisset bello, solum infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neq; ipsis quietis Illyriis, & aditum præbentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem iam

M. Aemylius princeps senatus tertium lectus.

Censura tristis atq; aspera.

Rutilij trib. pleb. & Censorũ dissidium.

Rutilius Claudio censori diem dicit.

Senatusconsultũ aduersus magistratuum iniurias.

Acarnanum factiones.

Perseus proximas Illyriorum gentes oppugnat.

A gem iam diu dubium in societatem perlici posse: cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, & duobus millibus leuium armatorum, & quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumpto, iussóque apparatu oppugnandarum vrbium sequi, tertio die ad Vscanam (Penestianæ terræ ea maximè vrbs est) posuit castra: prius tamen quàm vim admoueret, missis qui tentarent nunc præfectorum præsidii, nunc oppidanorum animos. erat autem ibi cum iuuentute Illyriorum Romanum præsidium. Postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, & corona eam capere conatus est. Cùm sine intermissione interdiu noctúque alii aliis succedentes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam tempestatem propugnatores vrbis: quia spes erat, neque hyemis vim diutius pati Macedonas in aperto posse, nec ab Romano bello tantũ regi laxamenti fore, vt posset morari. Cæterùm postquam vineas agi turrésque excitari viderunt, victa pertinacia est. Nam præterquàm quòd aduersus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut vllius alterius rei copia intus erat, vt in nec opinata obsidione. Itaque cùm spei nihil ad resistendum esset, C. Caruilius Spoletinus, & C. Afanius à præsidio Romano missi, qui à Perseo peterent: primò vt armatos suáque secum ferenteis abire sineret: dein, si id minus impetrarent, vitæ tantùm libertatísque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quàm præstitum. Exire enim sua secum efferentibus iussis, primùm arma ademit. His vrbe egressis, & Illyriorum cohors (quingenti erant) & Vscanienses se vrbémque dediderunt. Perseus præsidio Vscanæ imposito, multitudinem omnem deditorum, quæ propè numero exercitum æquabat, Stuberam abducit. Ibi Romanis, quatuor millia autem hominum erant, præter principes, in custodiam ciuitatum diuisis, Vscanensibus Illyriísque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oæneum oppidum in potestatem redigendum, & alioqui opportunè situm: & transitus eà est in Labeates, vbi Gentius regnabat. Prætereunti frequens castellum Draudacum nomine, peritorum quidam regionis eius, nihil Oæneo capto opus esse ait, nisi in potestate Draudacum sit: opportunius etiam ad omnia positum esse. Admoto exercitu omnes extemplò dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animaduertit quantus agminis sui terror esset, vndecim alia castella eodem metu in potestatem redigit. Ad perpauca vi opus fuit, cætera voluntate dedita, & in his recepti mille & quingenti dispositi per præsidia milites Romani. Magno vsui Caruilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo nihil in ipsos sæuitum. ad Oæneum peruentum est, quod sine iusta oppugnatione capi non poterat: & maiore aliquanto quàm cætera iuuentute & validum oppidum mœnibus erat, & hinc amnis Artatus nomine, hinc mons præaltus & aditu difficilis cingebat. Hæc spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus circumuallato oppido, aggerem à parte superiore ducere instituit, cuius altitudine muros superaret.

Perseus Vscanam obsidet.

Vscana in ditionem uenit.

Draudacum deditur Perseo.

Perseus oppugnat Oæneum.

B Quod opus dum perficitur, crebris interim prælis, quibus per excursiones & mœnia sua oppidani tutabantur, & opera hostium impediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumpta est: & qui supererant, labore diurno nocturnóque, & vulneribus inutiles erant. Vbi primùm agger iniunctus muro est, & cohors regia, quos Nicatoras appellant, trãscendit, & scalis multis simul partibus impetus in vrbem est factus. Puberes omnes interfecti sunt, coniuges liberósque eorum in custodiam dedit: prædæ alia militum cessere. Stuberam inde victor reuertens ad Gentium legatos, Pleuratum Illyrium exulantem apud se, & Aputeum Macedonem à Berœa, mittit. Iis mandat, vt exponerent æstatis eius hyemísque acta sua aduersus Romanos, Dardanósque: adiicerent recentia in Illyrico hybernæ expeditionis opera: hortarentur Gentium in amicitiam secum & cum Macedonibus iungendam. Hi transgressi iugum Scordi montis, per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram labore ingenti tandem peruenerunt. Lissi rex Gentius erat. eò acciti legati mandata exponentes, benignè auditi sunt. Qui responsum sine effectu tulerunt: voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis: cæterùm ad conandum id quod velit, pecuniam maximè deesse. Hæc Stuberam retulere regi, tum maximè captiuos ex Illyrico vendenti. Extemplò iidem legati addito Glaucia ex numero custodum corporis, remittuntur, sine mentione pecuniæ, qua vna barbarus inops impelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus, in Penestas rursum exercitum reducit: firmatísque Vscanæ, & circa eam per omnia castella quæ receperat, præsidiis, in Macedoniam sese recipit. L. Cœlius legatus Romanus præerat Illyrico: qui moueri non ausus, cùm in iis locis rex esset, post profectionem demum eius conatus in Penestis Vscanam recipere, à præsidio quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus, Lycnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu in Penestas misit, ad obsides ab his vrbibus quæ in amicitia cum fide permanserant accipiendos. Procedere etiam in Partinos (ii quoque obsides dare pepigerant) iussit: ab vtraque gente sine tumultu exigi. Penestarum obsides Apolloniam, Partinorum Dyrrhachium (tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem Epiri castellum adortus oppugnare, & auxilia Athamanum Thesprotorúmque præter Romanum exercitum ad sex millia hominum secum adduxit: neque operæpretium fecit, Cleua qui relictus à Perseo erat cum valido præsidio defendente. Et Perseus in Elimeam profectus, & circa eam exercitu lustrato, ad Stratum vocantibus Epirotis ducit. Stratus validissima tum vrbs Aetoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum. Cum decem millibus peditum eò profectus est, & equitibus trecentis, quos pauciores propter augustias viarum & asperitatem duxit. Tertio die cùm peruenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem niuis, locum quoque castris ægrè inuenit. Profectus inde, magis

Oæneum capitur a Perseo.

Perseus legatos ad Gentium regem Illyriorum mittit.

Perseus in Macedoniam se recipit.

Stratus urbs Aetoliæ.

quia manere non poterat, quàm quòd tolerabilis aut via, aut tempestas esset, cum ingenti vexatione A præcipuè iumentorum altero die ad templum Iouis, quem Niceum vocant, posuit castra. Ad Arachthum inde flumen itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis mansit. Quo spatio temporis ponte perfecto, traductis copiis diei progressus iter, obuium Archidamum principem Aetolorum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit. Eo die ad finem agri Aetoli castra posita. Inde altero die ad Stratum peruentum: vbi prope Acheloum amnem castris positis, cùm expectaret effusos omnibus portis Aetolos in fidem suam venturos, clausas portas, atque ipsa ea nocte qua venerat receptum Romanum præsidium cum C. Popilio legato inuenit. Principes qui præsentis Archidami authoritate compulsi regem accersierant, obuiam egresso Archidamo segniores facti, locum aduersæ factioni dederant ad Popilium cum mille peditibus ab Ambracia accersendum. In tempore & Dinarchus præfectus equitum gentis Aetolorum cum sexcentis peditibus, & equitibus centum venit. Satis constabat, eum tanquam ad Persea tendentem Stratum venisse: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, aduersus quos venerat, iunxisse. Nec Popilius securior quàm debebat esse, inter tam mobilia ingenia erat: claues portarum custodiámque murorum suæ extemplò potestatis fecit: Dinarchum Aetolósque cum iuuentute Stratiorum in arcem per præsidii speciem amouit. Perseus ab imminentibus superiori parti vrbis tumulis tentatis colloquiis, cùm obstinatos atque etiam telis procul arceentes videret, quinque millia passuum ab vrbe trans Petitarum amnem posuit castra. Ibi consilio aduocato, cùm Archidamus Epirotarúmque transfugæ retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nullis præparatis commeatibus: cùm inopiam prius obsidentes quàm obsessi sensuri essent, maximè quòd hostium haud procul inde hyberna erant, territus in Aperantiam castra mouit. Aperantii eum propter Archidami magnam in ea gente gratiam authoritatémque consensu omnium acceperunt: is ipse cum octingentorum militum præsidio his est præpositus. Rex cum minore vexatione iumentorum hominúmque quàm venerat in Macedoniam rediit. Appium tamen ab obsidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Persei summouit. Cleuas cum præsidio impigrorum iuuenum insecutus, sub radicibus propè inuiis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius superatis angustiis in campo quem Eleona vocant, statiua dierum paucorum habuit. Interim Cleuas assumpto Philostrato qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Macedones ad depopulationem profecti, Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. In palatos populatores cùm erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem infessam ab hostibus præcipitant. ibi ad mille occisis, centum fermè captis, vbique prosperè gesta re, prope statiua Appii castra mouent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu inferri posset. Appius ne- B quicquam in his locis terens tempus, dimissis Chaonúmque & si qui alii Epirotæ erant præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Partynorum socias vrbes in hyberna militibus dimissis, ipse Romam sacrificii causa rediit. Perseus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites reuocatos Cassandriam præsidio vt essent, misit. Ab Gentio eadem adferentes redierunt. Nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit, cùm appareret quantum in eo præsidii esset: nec tamen impetrare ab animo posset, vt impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret.

Stratii præsidium Romanũ intromittunt.

Aperantii Persea accipiunt.

Appius Romã redit re. bus in Græcia malè gestis.

DECADIS QVINTAE LIBER QVARTVS.

Quintus Martius Philippus per saltus penetrauit in Macedoniam, compluresq; urbes occupauit. Rhodii misere legatos Romam, minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam coniungeret. indignè id latum. Cùm id bellum L. Aemylio Paulo sequentis anni consuli iterum, mandatum esset: Paulus in concione precatus est, ut quicquid diri populo Romano immineret, supra domum suam conuerteretur: & in Macedoniam profectus Perseum uicit, uniuersamq; Macedoniam in potestatem redegit. antequam confligeret, dixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, cùm rebellasset, ab Anicio prætore uictus uenit in deditionem, & cum uxore & liberis & propinquis Romam missus. Ab Alexandria legati à Cleopatra, & Ptolemæo regibus uenerunt, querentes de Antiocho rege Syriæ, quòd is bellum inferret. Perseus sollicitatus in auxilium Eumene rege Pergami, & Gentio rege Illyriorum, quia iis pecuniam, quam promiserat, minimè dabat, ab eis relictus est.



PRINCIPIO veris, quod hyemem eam qua hæc gesta sunt insecutum est, ab Roma profectus Q. Martius Philippus COS. cum quinque millibus, quod in supplemẽtum legionum secum traiecturus erat, Brundisium peruenit. M. Popilius consularis & alii pari nobilitate adolescentes Tribuni militum, in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies & C. Martius Figulus Prætor, cui classis prouincia euenerat, Brundisium venit: & simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde consul ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor superato Leucata Corinthium sinum inuectus, & Creusæ relictis nauibus, terra & ipse per mediam Bœotiam diei vnius expedito itinere Chalcidem ad classem cõtendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palæpharsalum habebat, sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, & sociis cum fide cultis, & ab omni genere iniuriæ defensis. Audito successoris aduentu, cùm arma, viros, equos cum cura inspexisset, ornato exercitu obuiam venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate

Q. Martius Cos. in Macedoniã cum supplemento traiecit.

Atate ipsorum ac Rom aui nominis,& in rebus deinde gerendis * Proconf.enim ad exercitum. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. orsus à parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem:adiecit pòst,scelere partum regnum,veneficia,cædes, latrocinio nefando petitum Eumenen, iniurias in populum Romanũ,direptiones sociarum vrbium contra fœdus:ea omnia quàm diis quoque inuisa essent,sensurum in exitu rerum suarum. Fauere enim pietati fideíque deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit. Vires deinde populi Romani iam terrarum orbem complectentis cum viribus Macedoniæ,exercitus cum exercitibus comparauit. Quanto maiores Philippi Antiochíque opes non maioribus copiis fractas esse? Huius generis adhortatione accensis militum animis,consultare de summa gerendi belli cœpit. Eò & C.Martius prætor à Chalcide classe accepta venit. Placuit non vltrà morando in Thessalia tempus terere,sed mouere extemplò castra,atque pergere inde in Macedoniam:& prætorem dare operam, vt eodem tempore classis quoq; inuehatur hostium litoribus. Prætore dimisso,consul menstruũ iusso milite secum ferre, profectus decimo pòst die quàm exercitum acceperat,castra mouit:& vnius diei progressus iter, cõuocatis itinerum ducibus,cùm exponerent in concilio iussisset,quà quisque ducturus esset,summotis iis, quam potissimum peteret retulit ad consilium. Aliis per Pythoum placebat via:aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hostilius cos. aliis præter Ascuridem paludem. Restabat aliquantum viæ communis:itaque in id tempus,quo prope diuortium itinerum castra posituri erant, deliberatio eius rei differtur. In Perræbiam inde ducit, & inter Azorum & Dolichen statiua habuit, ad consulendum rursus,quam potissimũ capesseret viam. Per eosdem dies Perseus,cùm appropinquare hostem sciret, quod iter petiturus esset,ignarus,omneis saltus insidere præsidiis statuit. In iugum Cambuniorũ montium (Volustana ipsi vocant) decem millia leuis armaturæ iuuenum cum duce Asclepiodoto mittit, ad castellum quod super Ascuridem paludem erat (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere saltum cum duodecim millium Macedonum præsidio iussus. Ipse cum reliquis copiis primò circa Dium statiua habuit:deinde adeò,vt obtorpuisse inops consilii videretur,cum equitibus expeditis litore nunc Heracleam,nunc Philan percurrebat,eodem inde cursu Dium repetens. Interim cõsuli sententia stetit eo saltu ducere,vbi propter Octolopũ diximus regis castra. Præmitti tamen quatuor millia armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit,queis præpositi sunt M.Claudius & Q.Martius consulis filius:confestim & vniuersæ copiæ sequebantur. Cæterùm adeò ardua & aspera & confragosa via fuit,vt præmissi expediti biduo quindecim millium passuum ægrè itinere confecto, castra posuerint: turrim Eudieru,quem cepêre locũ appellant. Inde postero die septem millia progressi, tumulo haud procul hostium castris capto,nuntium ad cõsulem remittunt: peruentum ad hostem esse,loco se tuto
B & ad omnia opportuno consedisse:vt quantum extendere iter posset, consequeretur. Solicito consuli & propter itineris difficultatem quod ingressus erat,& eorum vicem quos paucos inter media præsidia hostiũ præmiserat,nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. Addita igitur & ipsi fiducia est, coniunctísque copiis,castra tumulo qui tenebatur, quà aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. Non hostiũ modò castra,quæ paulo plus mille passuum aberant,sed omnis regio ad Dium & Philam, oráque maris,latè patente ex tam alto iugo prospectu,oculis subiicitur. Quæ res accendit militi animos,postquã summam belli,ac regias omneis copias, terrámque hostilem tam è propinquo conspexerunt. Itaque cùm alacres,protinus duceret ad castra hostium,consulem hortarẽtur, dies vnus fessis labore viæ ad quietem datus est. Tertio die,parte copiarum ad præsidium castrorum relicta, cõsul ad hostem ducit. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat,qui ex quo castra Romana in tumulo cõspexit,præparatis ad certamen animis suorum,venienti agmini cos. obuius fuit. & Romani expediti ad pugnam exierant, & hostes leuis armatura erat, promptissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur,extemplò tela coniecerunt:multa vtrinque vulnera temerario incursu,& accepta & illata,pauci vtriusque partis ceciderunt. Iritatis in posterũ diem animis, maioribus copiis atque infestius concursum ab illis,si loci satis ad explicandam aciem fuisset: iugum montis in angustum dorsum cuneatum,vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque paucis pugnãtibus, cætera multitudo,præcipuè qui grauium armorum erant, spectatores pugnæ stabant: leuis armatura etiã per anfractus iugi procurrere,& ab lateribus cum leui armatura cõserere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere:ac pluribus ea die vulneratis quàm interfectis,prælium nocte diremptũ est. Tertio die egêre consilio Romanus imperator:nam neque manere in iugo inopi,neque regredi sine flagitio atque etiam periculo,sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat: nec aliud restabat, quàm audacter cõmissum pertinaci audacia,quæ prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eò, vt si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. Sed cùm ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, & ab duodecim M propè clamorem & strepitum pugnantium audiret,nec auxit copias integros fessis submittendo: neque ipse,quod plurimum intererat,certamini affuit, cum Romanus imperator maior sexaginta annis & prægrauis corpore,omnia militaria munera ipse impigrè obiret:egregiè ad vltimum in audacter cõmisso perseuerauit:& Popilio relicto in custodia iugi,per inuia trãsgressus,præmissis qui repurgarent iter, Attalum & Misagenem,cum suæ gentis vtrunque auxiliaribus,præsidio esse saltum aperientibus, iubet. Ipse equites impedimentáque præ se habens,cum legionibus agmen cogit. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarúmque progressis, vix dum quatuor millia passuum nihil optabilius esse,quàm redire quà venerant,si possent. Hostilem propè tumultũ agmini elephanti præbebant:qui vbi ad inuia venerant,deiectis rectoribus,cum horrendo stridore pauorem ingentem

Q. Martij Cos. ad milites oratio.

De summa gerendi belli Martius cõsultat.

Persei conatus aduersus Martiũ Cos.

Hippias aduersus Martium Cos. copias ducit.

Persei ignauia.

Qua arte traducti sunt per inuia elephanti.

equis maximè incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per procliue sumpto fastigio, longi A duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paulo plus quàm quanta belluæ latitudo est: in eos trãsuersi incumbentes tigni, ad tricenos longi pedes, vt pons esset, iniungebantur: humúsque insuper iniiciebatur. modico deinde infrà interuallo, similis alter pons: deinde tertius, & plures ex ordine, qua rupes abscissæ erant, fiebãt. Solido præcedebat elephas in pontem: cuius priusquam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons, vsque alterius initium pontis prolabi enim leniter cogebat: alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes prolabebantur. vbi planicies altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem peruentum est. Paulo plus septem millia die Romani processerũt: minimum pedibus itineris confectum: plerunque prouoluentes se simul cum armis aliísque oneribus, cum omni genere vexationis processerũt: adeò vt ne dux quidem & author itineris inficiaretur, parua manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planiciem peruenerũt: neque an infestus is locus esset, septus vndique, circumspiciendi spatium fuit. vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum, postero quoque die in tam caua valle opperiri Popilium ac relictas cum eo copias, necesse fuit: quos & ipsos cùm ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexauit. Tertio die cõiunctis copiis eunt per saltum, quem incolæ Callipeucen appellant. tertio inde die per æquè inuia, sed assuetudine peritius & meliore cum spe, quòd nec hostis vnquam apparebat, & mari appropinquabant: digressi in campos, inter Haracetum & Libethrum posuerunt castra peditum, quorum pars maior tumulos tenebat: ii vallem, campi quoque partem vbi eques tenderet, amplectebãtur.

Persei pauor ob Martij aduentũ.

Lauanti regi dicitur nuntiatum, hostes adesse: quo nuntio cùm pauidus exiluisset è solio, victum se sine prælio clamitans, proripuit. & subinde per alia atque alia pauida cõsilia & imperia trepidans, duobus ex amicis Pellam alterum Asclepiodotum, vbi pecunia deposita erat, ex præsidiis reuocat: omneísque aditus aperit bello. Ipse ab Dio auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocyus demigrare Pydnam cogit. & quæ temeritas consulis videri potuisset, quod eò processisset, vnde inuito hoste regredi nequiret: eam non consultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde euadere possent, habebãt Romani: vnum per Tempe in Thessaliam, alterum in Macedoniam præter Dium, quæ vtraque regiis tenebantur præsidiis. Itaque si dux intrepidus decem dies primá speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque cómeatibus peruehendis eò patuisset iter.

Tempe.

Sunt enim Tempe, saltus, etiamsi non bello fiat, infestus, transitu difficilis. nam præter angustias per quinque millia, quà exiguum iumẽto onusto iter est, rupes vtrinque ita abscisæ sunt, vt despici vix sine vertigine quadam simul oculorũ animique possit. terret & sonitus & altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis.

Persei præsidia ad Tẽpe posita.

Hic locus tam suapte na- B tura infestus, per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit insessus. Vnũ in primo aditu ad Connum erat. alterum Condylon castello inexpugnabili: tertium circa Lapathuuta, quem Characa appellant: quartum, viæ ipsi, quà & media & angustissima vallis est, impositum: quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. quod vt furto fefellerant: ita propalàm, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterãt: & experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temerè commisso, quàm in Macedoniá ad Dium per medios euadere hosteis: quod, nisi dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat.

Olympi radices.

Nam cum Olympi radices montis, paulo plus quàm mille passuum ad mare relinquant spatiũ, cuius dimidium loci occupat ostium latè restagnans Baphyri amnis: parté planiciæ aut Iouis tẽplum, aut oppidum tenet: reliquũ perexiguũ fossa modica vallóque claudi poterat. & saxorũ ad manũ syluestrísq; materiæ tantum erat, vt vel murus obiici, turrésq; excitari potuerint. Quorum nihil cùm dispexisset cæcata mens subito terrore, nudatis omnibus præsidiis, patefactísq; bello, ad Pydnam refugit.

Perseus ad Pydnam refugit.

cos. plurimũ & præsidii & spei cernens in stultitia & segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucretiũ Larissam, vt castella relicta ab hoste, circa Tempe occuparet: præmisso Popilio ad explorãdos transitus circa Dium: postquàm patêre omnia in omnes partes animaduertit, secundis castris peruenit ad Dium: metaríq; sub ipso tẽplo, ne quid sacro in loco violaretur, iussit. Ipse vrbem ingressus, sicut nõ magná, ita exornatam publicis locis & multitudine statuarũ, munitámque egregiè, vix satis credere in tantis rebus sine causa relictis non aliquẽ subesse dolum. vnũ diem ad exploranda circa omnia moratus, castra mouet: satísq; credens paratá frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mytiu processit.

Martius Agassam vrbẽ Macedoniæ recipit.

Postero die progressus, Agassam vrbẽ tradentibus sese ipsis, recepit: & vt reliquorũ Macedonum animos sibi cõciliaret, obsidibus cõtentus, sine præsidio relinquere se eis vrbem, immunésq; ac suis legibus victuros est pollicitus. Progressus inde diei iter, ad Ascordum flumen posuit castra: & quantũ procederet longius à Thessalia, eo maiorẽ rerũ omniũ inopiam sentiẽs, regressus ad Dium est: dubitatione omnibus exẽpta, quid intercluso ab Thessalia patiendũ fuisset, cui procul inde abscedere tutum nõ esset. Perseus contractis in vnũ omnibus copiis ducibúsq;, increpare præfectos præsidiorũ, ante omnes Asclepiodotũ atq; Hippiam: ab his dicere claustra Macedoniæ tradita Romanis esse: cuius culpæ reus nemo iustius quàm ipse fuisset. Consuli postquá ex alto conspecta classis spem fecit cum cómeatu naues venire (ingens enim caritas annonæ ac propè inopia erat) ab inuectis iam portum audit, onerarias naues Magnesiæ relictas esse. Incerto inde quidnam agendum foret (adeò sine vlla ope hostis quæ aggrauaret, cum ipsa difficultate rerũ pugnandum erat) peropportunè literæ à Sp. Lucretio allatæ sunt: castella se quæ super Tempe essent & circa Philan tenere omnia, frumentíq; in iis & aliarũ in vsum rerũ copiá inuenisse. His magnopere lætus cos. ab Dio ad Philan ducit,

A ducit,ſimul vt præſidium eius firmaret,ſimul vt militi frumentum,cuius tarda ſubuectio erat, diuide-
ret. Ea profectio famam haudquaquàm ſecundam habuit:nam alii metu receſsiſſe eum ab hoſte fere-
bant,quia manenti imperatori prælio dimicandum foret:alii ignarũ belli,quæ indies fortuna nouaret:
vt qui offerentibus ſeſe rebus , omiſiſſet è manibus ea quæ mox repeti non poſſent. Simul enim ceſsit
poſſeſsione Dii,excitauit hoſtem,vt tunc tandem ſentiret recuperanda eſſe,quæ prius culpa amiſſa fo-
rent.Audita enim profectione conſulis,regreſſus Dium quæ diſiecta ac vaſtata ab Romanis erant, re- *Perſeus Diũ*
ficit, pinnas mœnium decuſſas reponit,ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia paſſuum *urbẽ munit.*
ab vrbe citra ripam Enipei amnis caſtra ponit, amnem ipſum tranſitu perdifficilem pro munimento *Enipeus am*
habiturus.Fuit ex valle Olympi montis,æſtate exiguus, hybernis idem incitatus pluuiis & ſupra ru- *nis.*
pes ingenteis gurgitibus facit:& intra prorupta in mare euoluendo terram præaltas voragines, caua-
tóque medio alueo ripas vtrinque præcipites. Hoc flumine Perſeus ſeptum iter hoſtis credens,extra-
here reliquum tempus eius æſtatis in animo habebat. Inter hæc c o s. à Phila Popilium cum duobus *Popilius He*
millibus armatorum Heracleam mittit. Abeſt à Phila v m fermè paſſuum , media regione inter Dium *racleam op-*
Tempéque,in rope amni imminente poſitum. Popilius priuſquam armatos muris admoueret , miſit *pugnat.*
qui magiſtratibus principibúſque ſuaderent,fidem clementiámque Romanorum quàm vim experiri
mallent. Nihil ea conſilia mouerunt , quia ignes ad Enipeum ex regis caſtris apparebant. Tum terra
marique (& claſsis appulſa ab litore ſtabat) ſimul armis,ſimul operibus machiníſque oppugnari cœ-
pti. Iuuenes etiam quidam Romani , ludicro Circenſi ad vſum belli verſo , partem humillimam muri *Ludicrum*
ceperunt.Mos erat tum,nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium Circum complendi, *Circenſe.*
varia ſpectaculorũ conquirere genera:nec ſemel quadrigis,ſemel deſultore miſſo,vix vnius horæ tem-
pus vtrunq; circulum complebat.Inter cætera ſexageni fermè iuuenes,interdum plures ab apparito-
ribus ludi,armati inducebantur.Horum inductio in parte ſimulachrum decurrentis exercitus erat:ex
parte elegantioris exercitii quàm militaris artis,propiórq; gladiatoriũ armorum vſum.Cùm alios de-
curſus edidiſſent motus:quadrato agmine facto,ſcutis ſuper capita denſatis,ſtantibus primis,ſecundis
ſummiſsioribus,tertiis magis & quartis,poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatã, ſicut tecta ædificiorũ
ſunt,teſtudinẽ faciebant.Hinc L fermè pedum ſpatio diſtantes ,duo armati procurrebãt,comminatíq;
inter ſe,ab ima in ſummã teſtudinẽ per denſata ſcuta cùm euaſiſſent:nunc velut propugnãtes per oras
extremæ teſtudinis , nunc in media inter ſe concurrentes , haud ſecus quàm ſtabili ſolo perſultabant.
Huic teſtudini ſimillima parti muri admota,cum armati ſuperſtantes ſubiſſent,propugnatoribus muri
faſtigio altitudinis æquabantur:depulſíſq; iis,in vrbem duorũ ſignorũ milites tranſcenderunt. Id tan-
tum diſsimile fuit,quòd & in fronte extrema,& ex lateribus,ſoli nõ habebant ſuper capita elata ſcuta,
B ne nudarẽt corpora:ſed prætecta pugnantiũ more.ita nec ipſos tela ex muro miſſa ſubeunteis læſerũt,
& teſtudini iniecta imbris in modũ lubrico faſtigio innoxia ad imum labebãtur.Et cos.capta iam He- *Heraclea ca*
raclea,caſtra,eò promouit,tanquam Dium , atq; inde ſummoto rege , in Pieriam etiam progreſſurus. *pitur.*
Sed hyberna iam præparans,vias commeatibus ſubuehendis ex Theſſalia muniri iubet , & eligi hor-
reis opportuna loca,tectáq; ædificari vbi diuerſari portantes commeatus poſſent. Perſeus tandem pa-
uore eo,quo attonitus fuerat,recepto animo,mallet imperiis ſuis non obtemperatum eſſe , cùm trepi-
dans gazam in mare deiici Pellæ, Theſſalonicæ naualia iuſſerat incendi. Andronicus Theſſalonicam
miſſus traxerat tempus,id ipſum quod accidit, pœnitentiæ relinquens locum. incautior Nicias Pellæ
proiiciendo pecuniæ partem,quod fuerat uactus:ſed in rem emendabilem viſus lapſus eſſe , quòd per
vrinatores omne fermè extractum eſt.tantúſq; pudor regi pauoris eius fuit, vt vrinatores clàm inter-
fici iuſſerit : deinde Andronicum quoque & Niciam,ne quis tam dementis imperii conſcius exiſte-
ret. Inter hæc C. Martius cum claſſe ab Heraclea Theſſalonicam profectus , & agrum pluribus locis
expoſitis per litora armatis latè vaſtauit.& procurrentes ab vrbe,ſecundis aliquot præliis trepidos in
tra mœnia compulit.iámque ipſi vrbi terribilis erat,cùm diſpoſitis omnis generis tormentis non va-
gi modò circa muros temere appropinquantes,ſed etiam qui iu naualibus erant, ſaxis tormento emi- *Martius*
cantibus percutiebantur. Reuocatis igitur in naues militibus , omiſſáque Theſſalonicæ oppugnatio- *Theſſaloni-*
ne, Aeniam iude petũt.quindecim millia paſſuum ea vrbs abeſt,aduerſus Pydnam poſita, fertili agro. *cam oppu-*
Peruaſtatis finibus eius legentes oram, Antigoneam peroeuiunt.ibi egreſsi in terram primò & vaſta- *gnat.*
runt agros paſsim , & aliquantum prædæ contuleront ad naues. deiu palatos eos adorti Macedones *Romanos*
mixti pedites equitéſq;,fugientes effuſè ad mare perſecuti , quingẽtos fermè occideruut,& nõ minus *palatus in-*
ceperũt.nec aliud quàm vltima neceſsitas,cùm recipere ſe tutò ad naues prohiberẽtur,animos militũ *tercipiunt*
Romanorũ ſimul deſperatione alia ſalutis,ſimul indignitate iritauit.redintegrata in litore pugna eſt:ad *Macedones.*
iuuere & qui in nauibus erant.Ibi Macedonũ ducenti fermè cæſi,par numerus captus. Ab Antigonea
claſsis profecta ad agrũ Pallenenſem,excenſionẽ ad populandum fecit. Finium is ager Caſſandrenſiũ
erat,longè fertiſsimus omnis oræ quã præteruecti fuerant. Ibi Eumenes rex xx tectis nauibus ab Elea
profectus obuius fuit,& quinq; miſſæ à Proſia rege tectæ naues. Hac viriũ acceſsione animus creuit
prætori,vt Caſſandreã oppugnaret.Cõdita eſt à Caſſandro rege in ipſis faucibus quæ Pallenẽſem agrũ *Caſſandreã*
cæteræ Macedoniæ iungũt,hinc Toronaico,hinc Macedonico ſepta mari.Eminet nanq; iu altũ lingua *oppugnant*
in qua ſita eſt:nec minus quàm in altũ magnitudine Atho mons excurrit,obuerſa in regionẽ Magneſiæ *Romani.*
duobus imparibus promõtoriis:quorũ maiori Poſideũ eſt nomẽ,minori Canaſtreũ. Diuiſis partibus
opugnare adorti.Romanus ad Clitas quas vocãt,munimẽta ceruis etiã obiectis vt viã intercluderet,à
Macedonico ad Toronaicum mare perducit.ab altera parte Euripus eſt:inde Eumenes oppugnabat.
Romanis in foſſa complenda,quam uuper obiecerat Perſeus,plurimũ erat laboris.Ibi quærẽti Prætori

quia nuſquã cumuli apparebant, quòd regeſta è foſſa terra foret: monſtrati ſunt fornices, non ade andem A craſsitudinem qua veterẽ murum, ſed ſimplici laterum ordine ſtructos eſſe. Conſiliũ igitur cepit, transfoſſo pariete iter in vrbem patefacere. Fallere autem ita ſe poſſe, ſi muros à parte alia ſcalis adortus, tumultu iniecto in cuſtodiam eius loci propugnatores vrbis auertiſſet. Erant in præſidio Caſſandreæ præter non contemnendam iuuentutem oppidanorum D CCC Agrianes, & M M Peneſtarum Illyriorum, à Pleurato inde miſsi, bellicoſum vtrunque genus. His tuentibus muros, cùm ſubire Romani ſumma vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfoſsi vrbem patefecerunt. quòd ſi qui irrupere armati fuiſſent, extemplò cepiſſent. Hoc vbi perfectum eſſe opus militibus nuntiatum eſt, clamorem alacres gaudio repentè tollunt, aliis parte alia in vrbem irrupturis. Hoſteis primùm admiratio cepit, quídnam ſibi repentinus clamor vellet. Poſtquàm patêre vrbem accepere præfecti præſidii Pytho & Philippus Proco, qui occupaſſet aggredi opus factum eſſe rati, cum valida manu Agrianum Illyriorúmque erumpunt: Romanóſque, qui alii aliunde coibant, conuocabantúrque vt ſigna in vrbem inferrent, incompoſitos atque inordinatos fugant perſequuntúrque ad foſſam: in qua compulſos ruina cumulant. ſexcenti fermè ibi interfecti, omnéſque propè, qui inter murum foſſámque deprenſi erant, vulnerantur. Ita ſuo ipſe conatu perculſus prætor, ſegnior ad alia factus conſilia erat: & ne Eumeni quidem ſimul à mari, ſimul à terra aggredienti quidquam ſatis procedebat. Placuit igitur vtrique, cuſtodiis firmatis, ne quod præſidium ex Macedonia intromitti poſſet: quoniam vis aperta non proceſsiſſet, operibus mœnia oppugnare. Hæc parentibus his, decem regii lembi ab Theſſalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus miſsi, cùm in ſalo ſtantes hoſtium naues conſpexiſſent, ipſi obſcura nocte ſimplici ordine quàm poterant proximè litus tenentes, intrarunt vrbem. Huius noui præſidii fama abſiſtere oppugnatione ſimul Romanos regémque coegit. circumuecti promontorium, ad Toronem claſſem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, vbi valida defendi manu animaduerterunt, irrito incepto Demetriadem petunt. Ibi cum appropinquantes repleta mœnia armatis vidiſſent, præteruecti ad Iolcon claſſem appulerunt, inde agro vaſtato, Demetriadem quoque aggreſſuri.

Romani neque cquã oppugnata Caſſandrea diſcedunt.

Inter hæc & COS. ne ſegnis ſederet tantum in agro hoſtico, M. Popilium cum quinque millibus militum ad Melibœam vrbem oppugnandam mittit. Sita eſt in radicibus Oſſæ montis, qua parte in Theſſaliam vergit, opportunè imminens ſuper Demetriadem. Primus aduentus hoſtium perculit incolas loci: collectis deinde nec opinato pauore animis, diſcurrunt armati ad portas ac mœnia quà ſuſpecti aditus erant, ſpémque extemplò inciderunt, capi primo impetu poſſe. Obſidio igitur parabatur, & opera oppugnationum fieri cœpta. Perſeus cùm audiſſet ſimul Melibœam à conſulis exercitu oppugnari, ſimul claſſem Iolci ſtare, vt inde Demetriadem aggrederetur: Euphranorem quendam ex ducibus cum delectis duobus millibus Melibœam mittit. eidem imperatum, vt ſi à Melibœa ſubmouiſſet Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quàm ab Iolco ad vrbem caſtra mouerent Romani. & ab oppugnatoribus Melibœæ cùm in ſuperioribus locis repentè apparuiſſet, cum trepidatione multa relicta opera ſunt, ignîſque iniectus: ita à Melibœa abceſſum eſt. Euphranor ſoluta vnius vrbis obſidione, Demetriadem extemplò ducit. Nec tum mœnia modò, ſed agros etiam confiderunt ſe à populationibus tueri poſſe: & eruptiones in vagos populatores nos ſine vulneribus hoſtium factæ ſunt. Circumuecti tamen mœnia ſunt Prætor & rex, ſitum vrbis contemplantes, ſi qua parte tentare aut opere, aut vi poſſent. fama fuit, per Cydantem Cretenſem, & Antimachum qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenen & Perſea conditiones amicitiæ: ab Demetriade certè abſceſſum eſt. Eumenes ad conſulem nauigat: gratulatus quòd proſperè Macedoniam intraſſet, Pergamum in regnum abit. Martius Figulus prætor parte claſsis in hyberna Sciathum miſſa, cum reliquis nauibus Oreum Bœotiæ petit: eam vrbem aptiſsimam ratus, vnde exercitibus, qui in Macedonia, quíque in Theſſalia erant, mitti commeatus poſſent.

Melibœam oppugnant Romani. B

De Eumene rege varia ſcriptores tradunt.

De Eumene rege longè diuerſa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec claſſe adiutum ab eo prætorem eſſe, cùm ſæpe eum literis acceerſiſſet, tradit: nec cum gratia ab conſule profectum in Aſiam, indignatum quòd vt iiſdem caſtris tenderet permiſſum non fuerit: ne vt equites quidem Gallos, quos ſecum adduxerat, relinquere, impetrari ab eo potuiſſe. Attalum fratrem eius & remanſiſſe apud conſulem, & ſynceram eius fidem æquali tenore, egregiámque operam in eo bello fuiſſe.

Legati Gallorum reguli Romã ueniunt.

Dum bellum in Macedonia geritur, legati tranſalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipſius traditur nomen, gentis ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab ſenatu actæ, muneráque miſſa, torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armáque equeſtria.

Pamphylorum Legati.

Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream ex viginti millibus Philippiorum factam, in curiam intulerunt: petentibúſque iis, vt id donum in cella IOVI ponere, & ſacrificare in Capitolio liceret, permiſſum: benignéque amicitiam renouare volentibus legatis reſponſum, & binûm millium æris ſingulis miſſum munus. Tum ab rege Pruſia & paulo pòſt ab Rhodiis, de eadem re longè aliter differentes legati auditi ſunt. vtraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perſeo egit.

Pruſiæ Legati.

Rhodiorum Legati de pace cum Romanis & Perſeo componenda Romam ueniũt.

Pruſiæ preces magis quàm poſtulatio fuere, profitentis & ad id tempus ſe cum Romanis ſtetiſſe: & quoad bellum foret, ſtaturũ. Cæterum cùm ad ſe à Perſeo legati veniſſent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorẽ apud ſenatum futurum, petere, ſi poſſent inducere in animum vt finiant iram, ſe quoq; in gratia reconciliatæ pacis poſſe vti. Hæc regii legati. Rhodii ſuperbè commemoratis erga populũ Romanũ beneficiis, & penè victoriæ vtiq; de Antiocho rege maiore parte à ſe vindicata, adiecerunt: cùm pax inter Macedonas Romanóſq; eſſet, ſibi amicitiam cum rege Perſeo cœptam. eã ſe inuitos, nullo eius in ſe merito, quoniã ita Romanis viſum ſit, in ſocietatẽ ſe belli trahere, interrupiſſe.

A pisse. Tertium se annum multa eius incommoda belli sentire: mari intercluso inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus. Cùm id vltrà pati non posse, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nuntiatum missos: per quos stetisset quo minus belli finis fieret, aduersus eos quid sibi faciundum esset, Rhodios consideraturos esse. Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse certum habeo, inde existimari potest qui habitus animorum audientibus ea patribus fuerit. Claudius nihil responsum author est: tantùm Senatusconsultum recitatum, quo Caras & Lycios liberos esse iuberet populus Romanus, literásque extemplò ad vtranque gentem scirent indicatum mitti. Qua audita re, principem legationis, cuius magniloquentiam vix curia paulo antè ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradũt, populũ Romanũ & principio eius belli, haud vanis authoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege aduersus Rempublicam suam occulta consilia iniisse: & si id antè dubium fuisset, legatorum paulo antè verba ad certum redegisse, & plerunque ipsam se fraudem: etiam si initio cautior fuerit, detegere. Rhodios nuntio in orbe terrarum arbitria belli pacísque agere: deorum nutu arma sumpturos, positurósque Romanos esse. Iam non deos fœderum testeis, sed Rhodios habituros. Ita ne tandem iis pareatur, exercitúsque de Macedonia deportentur? Visuros esse quid sibi faciundum sit. quid Rhodii visuri sint, ipsos scire: populum certè Romanum deuicto Perseo, quod prope diem sperent fore, visurum, vt pro meritis cuiusque in eo bello ciuitatis gratiam dignam referat. Munus tamen legatis in singulos binûm millium æris missum est, quod ii nõ acceperunt. Literæ deinde recitatæ Q. Martii cõsulis sunt, quemadmodum saltu superato in Macedoniam transisset. Ibi & ex aliis locis commeatus Rempublicam prospectos in hyemem habere, & ab Epirotis viginti millia modiûm tritici, decem hordei sumpsisse, vt pro eo frumento pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis CC fermè opus esse, maximè Numidis, nec sibi in his locis vllam copiam esse. Senatusconsultum vt ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpitius Prætor VIM togarum, triginta tunicarum, & equos deportanda in Macedoniam, præbendáque arbitratu consulis locauit: & legatis Epirotarum pecuniam pro frumento soluit. Et Onesimum Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit. Is pacis semper author regi fuerat, monuerátque, sicut pater eius Philippus institutum vsque ad vltimum vitæ diem seruabat, quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi, vt eum morem si non semper, crebrò tamen vsurparet. Postquam deterrere eum à bello nequiit, primò subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis quæ non probabat, cœpit: postremò cùm suspectum se esse cerneret, & proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit: magnóque vsui consuli fuit.

Q. Martij cons. literæ ex Macedonia Romam missæ.

Onesimus Macedo Romam perfugit.

B Ea introductus in curiam cùm memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri iussit: locum lautia præberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani esset, ducenta iugera dari, & ædes Tarenti emi: vt ea curaret, C. Decimio prætori mandatum. Censores censum Idibus Decembribus seuerius quàm antè habuerunt: multis equi adempti inter quos P. Rutilio qui tribunus plebis eos violenter accusarat: tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda. Cùm eis dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex Senatusconsulto à quæstoribus esset: Tib. Sempronius ex ea pecunia quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani ponè veteres ad Vortumni signum, laneásq; & tabernas coniunctas in publicũ emit, basilicámq; faciendam curauit, quæ postea Sempronia appellata est. Iam in exitu annus erat, & propter Macedonici maximè belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. Itaque Senatusconsultũ factum est, vt Cn. Seruilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatusconsultum Sulpitius Prætor ad consulem post paucos dies recitauit, quibus antè diem in vrbem venturum. & COS. maturauit: & comitia eo die qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Aemylius Paulus iterum, septimodecimo anno postquam primò COS. fuerat, & C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti, Cn. Bæbius Pamphilus. L. Anicius Gallus, Cn. Octauius, P. Fonteius Balbus, M. Ebutius Helua, C. Papyrius Carbo. Omnia vt maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. Itaque designatos extemplò sortiri placuit prouincias, vt vtri Macedonia consuli, cuíque prætori classis venisset, sciretur: vt iam inde cogitarent, pararéntque quæ bello vsui forent, senatúmque consulerent, si qua re consulto opus esset. Latinas vbi magistratum iniissent, quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere: neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. His decretis, consulibus Italia & Macedonia, prætoribus præter duas iurisdictiones in vrbe, classis, & Hispania, & Sicilia, & Sardinia prouinciæ nominatæ sunt. Consulum Aemylio Macedonia, Licinio Italia euenit. Prætores Cn. Bæbius vrbanam, L. Anicius peregrinam, & si quò senatus censuisset, Cn. Octauius classem, P. Fonteius Hispaniam, M. Ebutius Siciliam, C. Papyrius Sardiniam est sortitus. Extemplò apparuit omnibus, non segniter id bellum L. Aemylium gesturum, præterquam quòd alius vir erat, etiam quòd dies noctésque intentus, ea sola quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Iam omnium primùm à senatu petit, vt legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos, classémque, & comperta referenda, quid aut terrestribus, aut naualibus copiis opus est. Præterea vt explorarent copias regias quantum possent, quáque prouincia nostra, quà hostium foret: vtrum intra saltus castra Romani haberent, an iam omnes angustiæ exuperatæ, & in æqua loca peruenissent: qui fideles nobis socii, qui dubii suspensæque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderentur: quanti præparati commeatus, & vnde terrestri itinere, vnde nauibus supportarentur: quid ea æstate terra maríque rerum gestarum esset: ex his bene cognitis certa in futurum consilia capi posse ratus. Senatus Cn.

Censuræ seueritas.

Basilica Sempronia.

Prouinciarũ sortitio.

Legati in Macedoniã ad exercitus visendos Roma mittuntur.

Seruilio

Seruilio c o s. negotium dedit, vt is in Macedoniam quos L. Aemylio videretur legaret. Legati bi- A
duo pòst profecti, Cn. Domitius Aenobarbus, A. Licinios Nerua, L. Bæbius. Bis in exitu anni eius lapidatum esse nuntiatum est, in Romano agro, simul in Veientibus: nouendiale sacrum factum est. Sacerdotes eo anno mortui sunt, P. Quintilius Varus flamen Martialis,& M. Claudius Marcellus Decemuir, in cuius locum Cn. Octauius suffectus. Et iam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicæ, & P. Lentuli ædilium curulium L X I I I Africanas, & X L vrsos & elephantos lusisse. L. Aemylio Paulo, C. Licinio c o s s. Idibus Martiis principio insequentis anni cùm in expectatione patres fuissent, maximè quidoam consul de Macedonia, cuius ea prouincia esset referret: nihil se habere Paulus quod referret, cùm nondum legati redissent, dixit. Cæterùm Brundusii legatos iam esse, bis excursu Dyrrhachium eiectos. Cognitis mox, quæ nosci prius in rem esset, relaturum: id fortè intra perpaucos dies. Et ne quid profectionem suam teneret, pridie Id. Aprilis Latinis esse constitutam diem. Sacrificio ritè perfecto, se & Cn. Octauiom, simul senatus censuisset, exituros esse: C. Licinio collegæ suo fore curæ se absente, vt si qua parari mittíve ad id bellum opus sit, parentur mittantúrque. Interea legationes exterarum natioοum audiri posse. Sacri-

Alexādrini legati de Antiocho queruntur.

ficio ritè perfecto, primi Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barba & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam procubuerunt: & oratio quàm habitus fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat: per honestam speciem maioris Ptolemæi redocendi in regnom, bellum cum minore fratre eius, qui tum Alexandriam tenebat, gerens: & ad Pelusium nauali prælio victor fuerat, & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu obsidione ipsam Alexandriam tenebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati qoerentes orabant senatum, vt opem regno regibúsque amicis imperio ferrent. Ea merita populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges gentésque authoritatem esse, vt si legatos misissent, qui denontiarent non placere senatui sociis regibus bellum fieri, extemplò abscessurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúsque exercitum in Syriam esset. Quòd si cunctentur facere, breui extorres regno Ptolemæum & Cleopatram Romam venturos cum pudore quodam populi Romani, quòd nullam opem in vltimo discrimine fortunarum tulissent. Moti patres precibus Alexandrinorum, extemplò C. Popilium Lenatem, & C. Decimium, & C. Hostilium, legatos ad finiendum inter reges bellum miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire iussi, & nuntiare, oi absistatur bello, per vtrum stetisset, eum non pro amico, oec pro socio habituros esse. His

Legati Romani ex Macedonia Romam reuersi a Senatu audiuntur.

intra tridoum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia quinquatribus vltimis adeò expectati venerunt, vti nisi vesper esset, extemplò senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatíque auditi sunt. Ii nuntiant, maiore periculo quàm emolumento exercitum per B
inuios in Macedoniam inductum. Pieriam, quò processisset, regem tenere: castra castris propè ita collata esse, vt flumine Enipeo interiecto arceantur: neqoe regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse: hyemem etiam asperam rebus gerendis interuenisse, in otio militem ali, nec plus quàm vi frumentum habere. Macedonum dici triginta millia armatorum esse. Si Ap. Claudio circa Lycnidum satis validos exercitus foret, potuisse ancipiti bello distinere regem: nunc & Appiũ, & quod cum eo præsidii sit, in summo periculo esse: nisi properè aut iustus exercitus eò mittatur, aut illi inde deducantur. Ad classem se ex castris profectos, sociorum naualium partem morbo audisse absumptam, partem, maximè qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, & homines nauibus deesse: qui sint, neq; stipendium accepisse, neq; vestimenta habere. Eumenen classémq; eius, tanquam vento allatas naues sine causa & venisse, & abisse: nec animum eius regis cõstare satis visum. Sicut omnia de Eumeoe dubia, Attali egregiè constantẽ fidem nuntiabãt. Legatis auditis tũc de bello referre sese L. Ae-

Supplementum belli aduersus Persea.

mylius dixit. Senatus decreuit, vt in octo legiones parem numerum tribunorum consules & populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset. Tum ex omnibus Tribuuis militum vti L. Aemylius in duas legiones in Macedoniam quos eorum velit eligat, & vt solenni Latinarum perfecto, L. Aemylius c o s. Cn. Octauius Prætor cui classis obtigisset, in prouinciam proficiscantur. Additus est his tertius L. Anicius Prætor coius inter peregrinos iurisdictio erat. Eum in prouinciam Illyricum circa Lycnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli imposita: is V I I millia ciuiom Romanorum, & equites C C scribere iussus: & sociis nominis Latini septem millia peditum imperare, C C C equites: & Cn. Seruilio Galliam obtineoti prouinciam literas mittere, vt sexceotos eqoites conscriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam iussus, neque in ea prouincia plus quàm duas legiones esse. eas repleri, vt sena millia peditum, trecenos haberent equites. cæteros equites peditésque in præsidiis disponi. Qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. decem præterea millia peditum imperata sociis, & D C C C equites. Id præsidii additum Anicio præter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus, quina millia peditum & ducenos habentes, treceoos equites. & in classem quinque millia naualium sociũm sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere prouinciã iussus: eò addere sociorum decem millia peditum, & sexcentos equites. S C C perfectis, L. Aemylius

L. Aemylij consulis ad Populũ oratio, antè quã Macedoniã adiret.

c o s. è curia in concionem processit, oratiohémque talem habuit. Animaduertisse videor Quirites, maiorem mihi, sortito Macedoniam prouinciam, gratulationem factam, quàm cùm aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratũ inissem: neq; id ob aliam causam, quàm quia bello in Macedonia, quod diu trahitur: existimastis dignum maiestate populi Romani exitum per me imponi posse. deos quoque huic fauisse sorti spero. eosdémque in rebus gerendis affuturos esse. Hæc partim opinari, partim

A tim sperare possum. Illud affirmare pro certo habeo, audeóque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, & senatus decreuit, & (quoniam extemplò proficisci placet, neque ego in mora sum) C. Licinius collega, vir egregius, æquè enixè parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos quæ scripsero senatui aut vobis, credite: rumores credulitate vestra ne alatis, quorum author nemo extabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri hoc præcipuè bello animaduerti, nemo tam famæ contemptor est, cuius non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam (si diis placet) in conuiuiis sunt qui exercitus in Macedoniam ducant: vbi castra locanda sint sciant, quæ loca præsidiis occupanda, quando aut quo saltu intranda Macedonia: vbi horrea ponenda, quà terra, mari subuehantur commeatus: quando cum hoste manus conserendæ, quando quiescendum sit. Nec quid melius faciendum sit modò statuunt, sed quidquid aliter quàm ipsi censuere factum est; consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerentibus sunt. Neque enim omnes tam firmi & constantis animi contra aduersum rumorem esse possunt, quàm Fabius fuit: qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm secunda fama malè rem gerere. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: imò eum, qui de sua vnius sententia omnia gerat, superbum iudico magis, quàm sapientem. Quid ergo est? Primùm à prudentibus, & propriè rei militaris peritis, & vsu doctis monendi imperatores sunt: deinde ab his qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut nauigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui quod è Republica sit suadere se mihi in eo bello quod gesturus sum confidat, ne deneget operam Reipublicæ & in Macedoniam mecum veniat: naue, equo, tabernaculo, viatico etiam à me iuuabitur. Si quem id facere piget, & otium vrbanum militiæ laboribus præoptat, è terra ne gubernauerit. Sermonum satis ipsa præbet vrbs: loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat. Ab hac cócione, Latinis quæ pridie Calendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio ritè perpetrato, protinus inde & COS. & Prætor Cn. Octauius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, maiore quàm solita frequentia prosequentium consulem celebratum: ac propè certe spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturúmque reditum cum egregio triumpho consulis fore. Dum hæc in Italia geruntur, Perseus quod iam inchoatum perficere, quia impensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, vt Gentium Illyriorum regem sibi adiungeret: hoc, postquam intrasse saltum Romanos, & adesse discrimen vltimum belli animaduertit, non vltrà differendum ratus: cùm per Hippiam legatum CCC argenti talenta pactus esset, ita vt obsides vltro citróque darentur, Pantaucum misit ex fidissimis amicis ad ea perficienda. Medeone Labeatidis terræ Pantaucus regi Illyrio occurrit: ibi & iusiurandum ab rege, & obsides accepit. Missus & à Gentio est legatus nomine Olympio, qui iusiurandum à Perseo obsidésq; exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt: & authore Pantauco, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio & Morcus destinatur. Quibus ita mandatum, vti iureiurando obsidibúsque & pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur. Duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. Adiunctam ciuitatem, penes quam vnam tum rei naualis gloria esset, nec terra, nec mari spem relicturam Romanis. Venientibus Illyriis, Perseus ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Dium occurrit. Ibi ea quæ conuenerunt circumfuso agmine equitum facta, quos adesse fœderi sanciæ cum Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adiecturam. & obsides in conspectu omnium dati, acceptíque: & Pellam ad thesauros regios missis qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis Thessalonicæ conscendere iussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat: authoribúsque Dione & Polyarato principibus ciuitatis eius, affirmabat Rhodios paratos ad bellum esse. Is princeps iunctæ cum Illyriis legationis datus est. Eodem tempore ad Eumenen, & ad Antiochum communia mandata, quæ subiicere conditio rerum poterat. Natura inimica inter se esse liberam ciuitatem & regem. Singulos populum Romanũ aggredi, & quod indignius sit, regum viribus reges oppugnare. Attalo adiutore patrem suum oppressum. Eumene adiuuante, & quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum: in se nunc & Eumenen & Prusian armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret, proximam Asiam esse: quam iam ex parte sub specie liberandarum ciuitatum suam fecerint: deinde Syriam. Iam Prusiam Eumeni honore præferri, iam Antiochum victorem præmio belli ab Aegypto arceri. Hæc cogitantem prouidere iubebat, vt aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos, aut perseuerantes in bello iniusto communes duceret omnium regum hostes. Ad Antiochum aperta mandata erant, ad Eumenen per speciem captiuorum redimendorum missus legatus erat: verùm occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia inuisum quidem & suspectum Romanis Eumenen *falsis grauioribus. Proditor enim ac propè hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude & auaritia certant. Cydas erat Cretensis, ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo, militante apud Persea, inde posteà Demetriade semel cum Menecrate quodam, iterum cum Antiocho regiis ducibus sub ipsis mœnibus vrbis collocutus fuerat. Eropon quoque, qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenen iam antè legationibus functus erat. Quæ colloquia occulta & legationes infames quidem erant: sed quid actum esset, quídve inter reges conuenisset, ignorabatur. Res autem ita se habuit. Eumenes neque fauit victoriæ Persei, neque bello eum inuadere animo habuit: non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, quàm ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea regum æmulatio, vt æquo animo, Persea tantas adipisci opes tantámque gloriam quanta Romanis victis eum manebat,

Perseus Gentium regem Illyriorũ sibi adiungit.

Perseus Rhodios ad defectionem sollicitat.

Perseus ad Eumenem & Antiochum sollicitandos legationem mittit.

bat, Eumenes viſurus fuerit. Cernebat & Perſea iam inde ab initio belli omni modo ſpem pacis tentaſſe, & indies magis quo propior admoueretur terror, nihil neque agere aliud, neque cogitare. A Romanos quoque quia traheretur diutius ſpe ipſorum bellum, & ipſos duces & ſenatum non abhorrere à finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac vtriuſque partis voluntate explorata, quod fieri etiam ſua ſponte tædio validioris, metu infirmioris credebat poſſe, in eo ſuam operam venditare concilianda gratia magis cupiit. Nam modò ne iuuaret bello Romanos terra maríque, modò pacis patrandæ cum Romanis paciſcebatur mercedem: ne bello intereſſet. † * M & O. in vtroque non fidem modò ſe, ſed obſides quoque dare paratum eſſe oſtendebat. Perſeus ad rem inchoandam promptiſſimus erat cogente metu, & de obſidibus accipiendis ſine dilatione agebat, conuenerátque vt accepti Cretam mitterentur. vbi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæſitabat: & vtique alteram in tanti nominis regibus turpem ac ſordidam, & danti & magis accipienti mercedem eſſe. Malebat in ſpem Romanæ pacis non recuſare impenſam, ſed eam pecuniam perfecta re daturum, interea Samothracæ in templo depoſiturum. Ea inſula cùm ipſius ditionis eſſet, videre Eumenes nihil intereſſe an Pellæ pecunia eſſet: id agere, vt partem aliquam præſentem ferret. Ita nequicquam inter ſe captati, nihil præter infamiam mouere. Nec hæc tantum Perſeo per auaritiam eſt dimiſſa res, cùm pecuniam tutam & pacem habere per Eumenen, quæ vel parte regni redimenda eſſet: ac receptus protrahere inimicum mercede onuſtum, & hoſtes meritò ei Romanos poſſet facere. Sed etiam Gentii regis

Perſeus Gallorum auxilia non admittit.

parata ſocietas, & tum Gallorum effuſorum per Illyricum ingens agmen oblatum, auaritia dimiſſum eſt. Veniebant decem millia equitum, par numerus peditum, & ipſorum iungentium curſum equis, & in vicem prolapſorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques denos præſentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perſeus ab Enipeo ex caſtris profectus obuiam cum dimidia copiarum parte, denuntiare per vicos vrbéſque quæ viæ propinquæ ſunt cœpit, vt commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum vt copia eſſet. Ipſe equos phaleráſque & ſagula donum principibus ferre, & parum auri quod inter paucos diuideret, multitudinem credens trahi ſpe poſſe. Ad Alamanam vrbem peruenit, & in ripa fluminis Axii poſuit caſtra: circa Deſudabam in Mædica exercitus Gallorum conſederat, mercedem pactam operiens. Eò mittit Antigonum ex purpuratis vnum, qui iuberet multitudinem Gallorum ad Bylazora (Pæoniæ is locus eſt) caſtra mouere, principes ad ſe venire frequentes. LXXV millia ab Axio flumine & caſtris regis aberant Hæc mandata ad eos cùm pertuliſſet Antigonus, adieciſſétque per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibúſque muneribus principes aduenientes veſtis, argenti, equorúmque excepturus rex eſſet: de his quidem ſe coràm cognituros reſpondent. Illud quod præſens pepigiſſent interrogant, ecquid aurum, quod in ſingulos pedites equitéſque diuidendum eſſet, ſecum B adduxiſſet. Cùm ad id nihil reſponderetur, Clondicus regulus eorũ, Abi, renuntia ergo, inquit, regi, niſi aurum obſidéſque accepiſſent, nuſquam inde Gallos longius veſtigium moturos. Hæc relata regi cùm eſſent, aduocato cõſilio, cum quid omnes ſuaſuri eſſent appareret: ipſe, pecuniæ quàm regni melior cuſtos, inſtitit de perfidia & feritate Gallorum diſſerere. Multorum iam antè cladibus expertum, periculoſum eſſe tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne grauiores eos ſocios habeant, quàm hoſtes Romanos. Quinque millia equitum ſat eſſe, quibus & vti ad bellum poſſent, & quorum multitudinem ipſi non timeant. Apparebat in omnibus mercedem multitudinis timere, nec quicquam aliud: ſed cùm ſuadere conſulenti nemo auderet, remittitur Antigonus qui nuntiaret, quinq; millium equitum opera tantum vti regem, contemnere multitudinem aliam. Quod vbi audiuere barbari, cæterorũ quidem fremitus fuit, indignantiũ ſe fruſtra excitos ſedibus ſuis: Clondicus rurſus interrogat, ecquid ipſis quinque millibus quod conueniſſet numeraret. Cùm aduerſus id quoque miſceri ambages cerneret, inuiolato fallaci nuntio (quod vix ſperauerat ipſe poſſe contingere) retro ad Hiſtrum perpo-

Quid Galli potuiſſent, ſi Perſeus eos admiſiſſet.

pulati Thraciam, quà vicina erat viæ redierunt. Quæ manus quieto ſedente rege ad Enipeum, aduerſus Romanos Perræbiæ ſaltum in Theſſaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus expectarent, ſed ipſas excindere vrbes, tenente ad Enipeum Perſeo Romanos, ne vrbibus ſociis opitulari poſſent. Ipſis quoque Romanis de ſe cogitandum fuiſſet: quando neq; manere amiſſa Theſſalia vnde exercitus alebatur potuiſſent, neque progredi, cùm ex aduerſo caſtra Macedonum, * qui ea pependerant ſpe, haud mediocriter debilitauit. Eadem auaritia Gen-

Perſei auaritia.

tium regem ſibi alienauit. Nam cum CCC talenta Pellæ miſsis à Gentio numeraſſet, ſignare eos pecuniam paſſus eſt. Inde X talenta ad Pantaucum miſſa, eáq; præſentia dari regi iuſsit: reliquam pecuniam ſignatam Illyriorum ſigno portantibus ſuis præcipit paruis itineribus veherent: dein cùm ad finem Macedoniæ ventum eſſet, ſubſiſterent ibi, ac nuntios ab ſe operirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cum aſsiduè Pantauco ad laceſſendos hoſtili facto Romanos ſtimularetur, M. Perpennã & L. Petilium legatos, qui tum fortè ad eum venerant, in cuſtodiã coniecit. Hoc audito Perſeus, contraxiſſe eum neceſsitates ratus ad bellum vtiq; cum Romanis, ad reuocandum qui pecuniam portabat miſit: velut nihil aliud agens, quàm vt quanta maxima poſſet præda ex victo Romanis reſeruaretur. Et ab Eumene Eropon ignotis quæ occultè acta erant, redit. De captiuis actũ eſſe & ipſi euulgauerant, & Eumenes cõſulem vitandæ ſuſpicionis cauſa certiorẽ fecit. Perſeus poſt reditum ab Eumene Eropontis ſpe deiectus, Antenorem & Callippum præfectos claſsis cum XL lembis (adiectæ ad hunc numerum quinque priſtes erant) Tenedum mittit, vt inde ſparſæ per Cycladas inſulas naues, Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Caſſandreæ deductæ naues, in portus primùm qui ſub Atho monte ſunt, inde Tenedum placido mari cùm traieciſſent: ſtantes in portu Rhodias apertas naues, Eudamúmque

præfectum

A præfectum earum, inuiolatas atque etiam benignè appellatos dimiserunt. Cognito deinde in latere altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat, inclusas esse: circumuectus properè ac summotis terrore hostium nauibus, onerarias datis qui prosequerentur decem lembis, in Macedoniam mittit, ita vt in tutum prosecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem iam ad Sigium stantem redierunt. Inde Subota (insula est interiecta Eleæ & Atho) traiciunt. Fortè postero die quàm Subota classis tenuit, quinque & triginta naues, quas hyppagogos vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis, equísque, Phanas promontorium Chiorũ petebant, vnde transmittere in Macedoniam possent: Attalo ab Eumene mittebantur. Has naues per altum ferri cùm ex specula signum datum Antenori esset, profectus à Subotis, inter Erythratum promontorium, Chiúmque, quà arctissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quàm Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed cùm iam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæq; in se proræ, hosteis appropinquare apparuisset: tunc iniecta trepidatio est, cùm resistendi spes nulla esset, inhabiliq; nauium genere, & Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum qui propiores cõtinenti litori erant, in Erythream enarunt: pars velis datis ad Chium naues eiecere, relictísque equis effusa fuga vrbem petebant. Sed propius vrbem lembi accessúque commodiore cùm exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt: partim ante portam exclusos: clauserant enim Chii portam, ignari qui fugerent, aut sequerentur. D C C C fermè Gallorum occisi, C C viui capti: equi pars in mari fractis nauibus absumpti, partim neruos succiderunt in litore Macedones. viginti eximiæ formæ equos cum captiuis, eosdem decem lembos, quos antè miserat, Antenor deuehere Thessalonicam iussit, & primo quoque tempore ad classem reuerti: Phanis se eos expectaturum. Triduum fermè classis ad vrbem stetit. Phanas inde progressi sunt, & spe celerius reuersis decem lembis euecti Aegeo mari Delum traiecerunt. Dum hæc geruntur, legati Romani C. Popilius C. Decimius, & C. Hostilius à Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum cùm venissent, lembos ibi Macedonum X L, & quinque regis Eumenis quinqueremeis inuenerunt. Sanctitas templi insulæque inuiolatos præstabat omnes. Itaque permixti Romaníque & Macedones, & Eumenis nauales socii, in templo, inducias religione loci præbente, versabantur. Antenor Persei præfectus, cùm aliquas alto præferri onerarias naues ex speculis significatum foret: parte lemborum ipse insequens, parte per Cyclades disposita, præterquàm si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naues: quibus poterat Popilius, aut Eumenis naues, succurrebant: sed vecti nocte binis aut ternis plerunque

Classis Attali à Macedonibus intercepta.

Delij templi & insulæ religio.

B lembis Macedones fallebant. Per id ferè tempus legati Macedones Illyriíque simul Rhodum venerunt, quibus authoritatem addidit, non lemborum modò aduentus passim per Cycladas atque Aegeum vagantium mare, sed etiam coniunctio ipsa regum Persei Gentiíque, & fama cum magno numero peditum equitúmq; venientium Gallorum. Et iam cùm accessissent animi Dioni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benignè modò responsum regibus est, sed palàm pronuntiatum, bello finem se authoritate sua imposituros esse: itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam. Iam veris principium erat, nouíque duces in prouinciam venerant: C O S Aemylius in Macedoniam, Octauius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum aduersus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum, & matre Eurydica genitus, fratres duos, Platorem vtroque parente: Carauantium matre eadem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit: & duos amicos eius, Ettritum & Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit, Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri eum inuidisse, tanquam his nuptiis adiungenti sibi Dardanorum gentem: & similius id vero fecit ducta ea virgo. Platore interfecto, grauis deinde dempto fratris metu popularibus esse cœpit: & violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat. Cæterùm, sicut antè dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omneis copias contraxit, quindecim millia armatorum fuerunt. Inde fratre in Cauiorum gentem vi aut terrore subigendam cum mille peditibus & quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam vrbem quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum: itaque per missos nuntios prius tentati, obsidionem pati quàm dedere sese maluerunt. Carauãtium in Cauiis Durnium oppidum aduenientem benignè accepit: Carauantis altera vrbs exclusit. & cùm agros eorum effusè vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Iam & Ap. Claudius, adsumptis ad eum exercitum quem habebat Bullianorum & Apolloniatium & Dyrrhachinorum auxiliis, profectus ex hybernis circa Genusuum amnem castra habebat: audito fœdere inter Persea & Gentium, & legatorum violatorum iniuria accensus, bellum haud dubiè aduersus eum gesturus. Anicius Prætor eo tempore Apolloniæ auditis quæ in Illyrico gererentur, præmissísque ad Appium literis, vt se ad Genusuum operiretur, triduo & ipse in castra venit: & ad ea quæ habebat auxilia, Partinorum iuuentutis duobus millibus peditum & equitibus C C. peditibus Epicadus, equitibus Agalsus præerat. Parabat ducere in Illyricum, maximè vt Bassanitas solueret obsidione: tenuit impetum eius fama lemborum, vastantium maritimam oram. L X X X erant lembi, authore Pantauco missi à Gentio ad Dyrrhachinorum & Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad.

Macedones legati Rhodum uenerunt.

Gentij regis Illyriorũ genus & crudelitas.

Gentius obsidet Bassaniam.

* *

to en tradiderunt se: deinceps & vrbes regionis eius idem faciebant, adiuuante inclinationem animorum clementia in omneis & iustitia prætoris Romani. Ad Scodram inde ventum est, id quod

Scodram obsidet Anicius prætor.

bellі

belli caput fuerat: non eo solum quòd Gentius eam sibi ceperat, velut regni totius arcem, sed etiam A
quòd Labeatium gentis munitissima longè est & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausa la latere vrbis quod in orientem patet præfluens, Barbana ab regione occideotis ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini, quod ortum ex monte Scodro, mol-

Scodrus mons.

tis & alius auctum aquis mari Hadriatico infertur. Mons Scodrus longè altissimus regionis eius, ab oriente Dardaniam subiectam habet, à meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quanquam munitum situ naturali oppidum erat, génsque id tota Illyriorum & rex ipse tuebatur: tamen prætor Romanus, quia prima successerant prosperè, fortunam totius rei principia secuturam esse ratus, & repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad mœnia succedit. Quòd si clausis portis muros portarúmque turreis dispositis armatis defeodissent, vano cum incœpto mœnibus pepulissent Romanos. Nunc porta egressi prælium loco æquo maiore animo commiserunt, quàm sustinuerunt. Pulsi enim & fuga conglobati, cùm c c amplius in ipsis faocibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, vt oratores extemplò ad prætorem mitteret Gentius Teuticum & Bellum priocipes gentis, per quos inducias peteret, vt deliberare de statu rerum suarum posset. Triduo in hoc dato, cùm castra Romana quingentos fermè passus ab vrbe abessent, oauem conscendit, & flumine Barbano nauigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum: sed, vt apparuit, falsa spe excitus, Carauantium fratrem multis millibus armatorum actis ex ea regione, in quam missus erat, aduentare. qui postquàm euanuit rumor, tertio pòst die nauem eandem secundo amni Scodram demisit: præmissísque nuntiis, vt sibi appellandi prætoris potestas fieret, copia facta, in castra venit. Et principium orationis ab accusatione stultitiæ orsus suæ, postremò ad preces lacrymásque effusus, genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit. Primò bonum animum habere iussus, ad cœnam etiam inuitatus, in vrbem ad suos rediit, & cum prætore eo die honorificè est epulatus: deinde in custodiam C. Cassio Tr. militum traditus, vix gladiatorio accepto decem taleotis ab rege, rex vt in eam fortunam recideret. Anicins Scodra recepta, nihil prius quàm requisitos Petilium Perpennámque legatos ad se duci iussit: quibus splendore suo restituto, Perpeonam extemplò mittit ad comprehendendos amicos cognatósque regis. qui Medeooeni Labeatium gentis vrbem profectus, Etleuam vxorem cum filiis duobus Scerdilio Pleuratóque, & Carauantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius bello Illyrico intra triginta dies perfecto, nuntium victoriæ Perpennam Romam misit: & post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente coniuge ac liberis ac fratre, aliisque principibus Illyriorum. Hoc vnum bellum prius perpetratum, quàm cœptum, Romæ auditum est. Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter aduentum simul Aemylii noui consulis, quem cum ingentibus minis aduentare audiebat, simul Octauii Prætoris. Nec B
minus terroris à classe Romana & periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Eumenes & Athenagoras præerant cum paruo præsidio м м cetratorum. Eò & Androclen præfectum mittit, iussum sub ipsis naualibus castra habere. Aeniam mille equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram, vt quocunque litore applicuisse naues hostium andissent, extemplò ferrent agrestibus opem. quinque millia Macedonum missa ad præsidium Pythoi & Petræ, quibus præpositi erant Histiæus & Theogenes & Midon. His profectis ripam munire Enipei fluminis aggressus est, quia sicco alueo transiri poterat. Huic vt omnis multitudo vacaret, fœminæ ex propinquis vrbibus coactæ, cibaria in castra afferebant: miles iussus ex propinquis syluis.

Gentius inducias petit ab Anicio prætore.

Gētius Anicio prætori se dedit.

Gētius cum principibus Illyriorum captiuus Romam mittitur.

* *

postremò sequi se vtrarios ad mare, quod minus ccc passus aberat, iussit, & in litore alios alibi modicis interuallis fodere. montes ingentis altitudinis spem faciebant, eo magis quia nullos apertos euergerent riuos, occultos continere latices, qoorum venæ in mare permanantes vndæ miscerentur. Vix deducta summa arena erat, cùm scaturigines turbidæ primò & tenues emicare, dein liquidam multámq; fundere aquam velut deûm dono cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ & authoritatis apud milites adiicit. Iussis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis primísque ordinibus vadit ad contemplandos transitus, quà descensus facilis armatis, qnà in vlteriorem ripam minimè iniquus ascensus esset. His satis exploratis, illa quoque primùm vt ordine ac sioe tumultu omnia in agmine ad nutum imperiúmque ducis fierent, prouidit. Vbi omnibus simul pronuntiaretur quod fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto alios ab se adiicientes, plus eo quod imperatum sit, alios minus facere: clamores deinde dissonos oriri omnibus locis, & prius hostes quàm ipsos quid pararetur seire. Placere igitur, Tr. militum primo pilo legionis secretum edere imperium: illum & dein singulos proximo cuiqoe in ordine centurioni dicere quid opus facto sit: siue à primis signis ad nouissimum agmen, siue ab extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam nouo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire vt armis vtatur, sed ad vigilandum. vt cùm senserit hostium aduentum, recipiat se, excitétque ad arma alios. Scuto præ se erecto stare galeatos: deinde vbi fessi sint innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare, vt fulgentibos armis procul conspici ab hoste possit, ipse nihil prouideat. Stationum quoque morem mutauit. armati omnes, & frenatis equis equites, diem totum perstabãt. id cùm æstiuis diebus vrente assiduo sole fieret, tot horarum æstu & languore ipsos equósque fessos, integri sæpe adorti hostes vel panci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, & in postmeridianam succedere alios iussit: ita nunquam fatigatos recens hostis aggredi poterat. Hæc cùm ita fieri placere concione aduocata pronuntiasset, adiecit vrbanæ concioni conuenientem orationem. Vnum imperatorem in exercitu

Vigiles.

Stationes.

Pauli cōsulis ad milites oratio.

A citu prouidere & consulere quid agendum sit debere, nunc per se, nunc cum iis quos aduocauerit in consilium: qui non sint aduocati, eos nec palàm, nec secretò iactare consilia sua. Militem hæc tria curare debere, corpus vt quàm validissimum & pernicissimum habeat, arma apta, cibum paratum ad subita imperia: cætera scire de se diis immortalibus & imperatori suo curæ esse. In quo exercitu milites consul & imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse. Se, quod sit officium imperatoris, prouisurum, vt bene gerendæ rei occasionem eis præbeat: illos nihil quod futurum sit quærere: vbi datum signum sit, tum militarem operam nauare. Ab his præceptis concionem dimisit, vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primùm die tanquam tyrones quid agendum esset in re militari didicisse. Non sermonibus tantùm his, cum quanto assensu audissent verba consulis, ostenderunt: sed rerum præsens effectus erat. Neminem totis mox castris quietum videres. acuere alii gladios: alii galeas bucculásque, scuta alii loricásque tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronémque intueri: vt facilè quis cerneret, vbi primùm conferendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili in ituros bellum. Perseus quoque, cùm aduentu consulis simul & veris principio strepere omnia mouerique apud hostes velut nouo bello cerneret: mota à Phila castra in aduersa ripa posita: nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubiè transitus speculantem.

Quæ miles curare debeat.

norum esse. Quæ res Romanis auxit animos, Macedonibus regíque eorum haud mediocrem attulit terrorem. Et primò supprimere in occulto famam eius rei est conatus, missis qui Pantaucum inde venientem appropinquare castris vetarent: sed iam & pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: & quo quæque accuratius curantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodii legati in castra venerunt, cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram patrum excitauêre. Multo iniquioribus animis à castrensi consilio auditi sunt: Itaque cum alii præcipites sine responso agendos castris, pronuntiauit post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, vt appareret quantum pacificantium Rhodiorum authoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi cœpit. Placebat quibusdam, & maximè maioribus natu, per Enipei ripam munitionésque vim facere: confertis & vim facientibus resistere Macedonas non posse, ex tot castellis aliquanto altioribus ac munitioribus, quæ validis præsidiis insedissent, priore anno deiectos. aliis placebat Octauium cum classe Thessalonicam petere, & populatione maritimæ oræ distringere copias regias, vt altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam, nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi natura & operibus

Rhodiorum legati in castra ad Paulum Cos. ueniunt.

B inexuperabilis ripa videbatur: & præterquàm quòd tormenta vbique disposita essent, missilibus etiam melius & certiore ictu hosteis vti audierat. Aliò spectabat mens tota ducis: dimissóque consilio Perræbos mercatores Schœnum & Menophilum, notæ & fidei iam sibi & prudentiæ homines, accersitos secretò percunctatur, quales ad Perræbiam transitus sint. Cùm loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri: spem cepit, si nocte improuisò valida manu aggressus nec opinanteis esset, deiici præsidia posse. Iacula enim & sagittas & cætera missilia in tenebris, vbi quid petatur procul prouideri nequeat, inutilia esse, gladio comminus geri rem in permixta turba, quo miles Romanus vincat. His ducibus vsurus, prætorem Octauium accersitum, exposito quid pararet, Heracleam cum classe petere iubet, & mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleam mittit, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniæ, quod in consilio agitatum erat, vastandum. Secretò indicatum, cibaria his præparara ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde iussi duces itineris ita diuidere viam, vt quarta vigilia tertio die Pythoum adoriri possent. Ipse postero die, vt distineret regem ab circunspectu rerum aliarum, prima luce medio in alueo cum stationibus hostium prælium commisit: pugnatúmque vtrinque est leui armatura: nec grauioribus armis in tam inæquali alueo pugnari poterat. Descensus ripæ vtriusque alueum trecentorum fermè passuum erat: medium spatium torrentis alibi aliter cauati paulo plus quàm mille passus patebat. Ibi in medio, spectantibus vtrinque ex vallo castrorum hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant, comminus stabilior & tutior aut parma, aut scuto Ligustino Romanus erat. Meridie ferè receptui cani suis consul iussit: ita eo die diremptum prælium est, haud paucis vtrinque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acrius concursum est: sed Romani, non ab his tantùm, cum quibus contractum certamen erat, sed multo magis ab ea multitudine, quæ disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maximè vulnerabantur. Vbi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad vltimos perueniebant. Multo pluribus eo die amissis, consul paulo serius recepit suos. Tertio die prælio abstinuit, digressus ad imam partem castrorum, veluti per deuexum in mare brachium transitum tentaturus. Perseus quod in oculis erat,

Macedonum cum Romanis prælia.

anni post circumactum solstitium erat, hora diei iam ad meridiem vergebat, iter multo puluere & incalescente sole factum erat. lassitudo & sitis iam sentiebatur, & meridie instante magis accessurum vtrunque apparebat. Statuit sic affectos recenti atque integro hosti non obiicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum vtrinque erat, vt consuli non minore arte ad suos eludendos quàm ad hosteis opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum vt maturarent instruere: circum-

N

ibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primò alacres signum poscebant: deinde quantum increſceret æstus, & vultus minus vigentes & voces segniores erant, & quidam incumbentes scutis nixíque pilis stabant. Tum iam apertè primis ordinibus imperat, metarentur frontem castrorum, & impedimenta constituerent. Quod vbi fieri milites sensere, alii gaudere palàm quod fessos viæ labore flagrantissimo æstu non coegisset pugnare: legati circa imperatorem ducésque externi erant, inter quos & Attalus, omnes approbantes, cùm pugnaturum consulem credebant. Neque enim ne his cunctationem aperuerat suam.

Pauli consulis cũctatio.

Tunc mutatione consilii subita cùm alii silerent, Nasica vnus ex omnibus ausus est monere consulem, ne hostem quidem ludificatos priores imperatores, fugiendo certamen manibus emittere. vereri ne nocte abeat sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniæ: exercitúsque, sicut prioribus ducibus, per calles saltúsque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere suadere, dum in campo patenti hostem habeat, aggrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amittat. Consul nihil offensus libera admonitione tam clari adolescentis:

Pauli Cos. prudens ad Nasicã responsio.

Et ego, inquit, animum istum habui Nasica, quem tu nunc habes: & quem ego nunc habeo, tu habebis. Multis belli casibus didici, quando pugnandum, quando abstinendum pugna sit. Non operæ sit stanti nunc in acie docere, quibus de causis hodie quiesse melius sit: rationes aliàs reposcito, nunc authoritate veteris imperatoris contentus eris. Conticuit adolescens: haud dubiè videre aliqua impedimenta pugnæ consulem, quæ sibi non apparerent. Paulus postquàm metata castra impedimentáque collocata animaduerit, ex postrema acie triarios primos subducit, deinde principes, stantibus in prima acie hastatis, si quid hostis moueret: postremò hastatos, ab dextro primùm cornu singulorum paulatim signorum milites subtrahens. Ita pedites equitibus cum leui armatura ante aciem hosti oppositis, sine tumultu abducti: nec ante quàm prima frons valli ac fossa perducta est, ex statione equites reuocati sunt. Rex quoque, cum sine detrectatione paratus pugnare eo die fuisset, contentus quòd per hostem moram fuisse pugnæ scirent, & ipse in castra copias reduxit.

C. Sulpitius lunæ defectum militibus prædixit.

Castris permunitis C. Sulpitius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronuntiauit: nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda vsque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Id quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri antè & prædici posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunæque & ortus & occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur: ita ne obscurari quidem, cùm cõdatur vmbra terræ, trahere in prodigium debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembris insecuta est dies, edita hora luna cùm defecisset, Romanis militibus Galli sapientia propè diuina videri: Macedonas vt triste prodigium occasum regni perniciémque gentis portendens mouit: nec aliter vates clamor vlulatúsque B in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit. Postero die tantus vtrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, vt & regem & consulem suorum quidam, quòd sine prælio discessum esset, accusarent. Regi prompta defensio erat, non eo solùm, quòd hostis prior apertè pugnam detrectans, in castra copias reduxisset: sed etiàm quòd eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoueri non posset. Consul ad id quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur, & locum dedisse hosti si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, cùm luce prima signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio ritè perpetrato, ad consilium vocauit: atque ibi quod rei gerendæ tempus esset, loquendo & intempestiuè consultando videbatur quibusdam extrahere: post sermones tamen consul orationem habuit. P. Nasica egregius adolescens, ex omnibus vnus quibus hesterna die pugnari placuit, denudauit mihi suum consilium: idem postea, ita vt transisse in sententiam meam videri posset, tacuit.

Pauli consulis ad milites oratio.

Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem, quàm præsentem monere, melius visum est. & tibi P. Nasica, & quicunque idem quod tu occultius senserunt, non grauabor reddere dilatæ pugnæ rationem. Nam tantum abest vt me hesternæ quietis pœniteat, vt seruatum à me exercitum eo consilio credam. In qua me opinione esse ne quis sine causa vestrûm credat, recognoscat agedum mecum, si videtur, quàm multa pro hoste & aduersus nos fuerint. Iam omnium primùm quantum numero nos præstent, neminem vestrûm nec antè ignorasse, & hesterno die implicatam intuenteis aciem animaduertisse certum habeo. Ex hac nostra paucitate quarta pars militum præsidio impedimentis relicta erat, nec ignauissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes: paruum hoc tandem esse credimus, quòd ex his castris in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno aut summùm crastino die, si ita videbitur, diis bene iuuantibus sumus? Nihilne interest, vtrum militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigauerit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere iubeas, atque in acie plenum virium, vigentem & corpore & animo educas: an longo itinere fatigatum, & onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentem meridiano sole, hosti obiicias recenti, quieto, qui nulla re antè consumptas vires ad prælium adferat? Quis, prò deûm fidem, ita comparatus vel iners atque imbellis fortissimum virum non vicerit? Quid quòd hostes per summum otium instruxerant aciem, reparauerant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus: nobis tunc repentè trepidandum in acie instruenda erat, & incompositis concurrendum? At hercule aciem quidem inconditam inordinatámque habuissemus: castra munita, prouisam aquationem, tutum ad eam iter, præsidiis impositis, explorata circà omnia: an nihil nostri habentes præter nudum campum in quo pugnaremus? Maiores vestri castra munita, portum ad omneis

casus

A casus exercitus d ucebant esse: vnde ad pugnam exirent, quò iactati tempestate pugnæ receptum haberent. Ideo cum munimentis ea cepissent, præsidio quoque valido firmabant: quòd qui castris exutus erat, etiam si pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quàm multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento pòst eruptione facta victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallúmque pro mœnibus, & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine vlla sede vagi dimicassemus, vt quò victores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimentis pugnæ illud imponitur: Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in vltimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem neque mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit cùm procul abessemus, quàm nunc cùm in ceruicibus sumus? Nec falleret nos, nec interdiu, nec nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quàm vt quorum castra prealta fluminis ripa tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus oppugnare adorti sumus, eos relictis munimentis agmine effuso abeunteis in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die in hodiernum causæ fuerunt. Pugnare enim & ipsi mihi placet: & ideo quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu deiectis hostium præsidiis nouum iter aperui: neque priusquàm debellauero, absistam. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam eius, partim verentibus nequicquam offendere in eo, quod vtcunque prætermissum reuocari non posset. Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege, * quòd nec fessos vt pridie ex via, neque trepidanteis in acie instruenda & vixdum compositos aggressurus erat: consule, quòd in nouis castris non ligna, non pabulum conuectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum è castris exierat: neutro imperatorum volente, fortuna quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo & Macedones & Romani aquabantur, præsidiis ex vtraque ripa positis, vt id facere tutò possent. Duæ cohortes à parte Romanorum erant, Marrucina, & Peligna: duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Sylus legatus: & aliud pro castris statiuum erat præsidium sub C. Cluuio legato tres cohortes, Firmana, Vestina, Cremonensis; duæ turmæ equitum, Placentina, & Essernina. Cùm otium ad flumen esset neutris lacessentibus, hora circiter quarta iumentum è manibus curantium elapsum, in vlteriorem ripam effugit. Quòd cum per aquam fermè genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo id iumentum ex medio alueo in suam ripam trahentes: altero * in eorum occiso, receptóque eo iumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in B hostium ripa erat: ex his pauci primò ægrè passi popularem in suo conspectu cæsum ad persequendos interfectores fluuium transgressi sunt: dein plures, postremò omnes, & cum præsidio *

Fortuna non imperatorũ iussu cõmissum certamẽ inter Macedones & Romanos.

* *

prælium ducit. Mouebat imperii maiestas, gloria viri, ante omnia ætas, quòd maior sexaginta annis iuuenum munia in parte præcipua laboris periculíque capessebat. Interuallum, quod inter cetratos & phalanges erat, impleuit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo cetratis erat, frontem aduersus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere aduersus leucaspidem phalangem iussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, vnde circa fluuium commissum prælium erat, elephantes inducti, & ala sociorum: & hinc primùm fuga Macedonum est orta. Nam sicut pleraque noua commenta mortalium in verbis vim habent explendo, cùm agi, non quemadmodum agantur edisseri oportet, sine vllo effectu euanescunt: ita tum elephanti in acie nomen tantùm sine vsu fuerant. Elephantorum impetum subsecuti sunt socii nominis Latini, pepulerúntque læuum cornu. In medio secunda legio immissa dissipauit phalangem: neque vlla euidentior causa victoriæ fuit, quàm quòd multa passim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primò, deinde disiecerunt phalangem: cuius confertæ & intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine & grauitate hastam cogas, confusa strue implicantur: si verò aut ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur: sicut tum aduersus cateruatim incurrentes Romanos, & interrupta multifariam acie obuiam ire cogebantur: & Romani quacunque data interualla essent, insinuabant ordines suos. Qui si vniuersa acie in frontem aduersus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis principio pugnæ incautè congressis aduersus cetratos euenit, induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent. Cæterùm sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abiectis armis fugerunt: sic equitatus propè integer pugna excessit. Princeps fugæ rex ipse erat: iam à Pydna cum sacris alis equitum Pellam petebat. confestim Cotocus sequebatur, Odrysarúmque equitatus, cæteræ quoque Macedonum alæ integris abibant ordinibus: quia interiecta peditum acies, cuius cædes victores tenebant, immemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx à fronte, à lateribus, ab tergo cæsa est: postremò qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos qui in classe erant tendentes, suppliciter vitam orabant: & cùm scaphas concurrere vndique ab nauibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, vt caperent potius quàm occiderent, longius in aquam quidam etiam natantes progressi sunt. Sed cùm hostiliter è scaphis cæderentur, retro qui poterant nando repetentes terram, in aliam fœdiorem pestem incidebant: elephanti enim ab rectoribus ad litus acti, exeunteis obterebant, elidebántque. Facilè conueniebat Romanis nunquam vna acie tantum Macedonum interfectum. Cæsa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex

Macedonũ fuga, & ipsius regis Persei.

Macedonũ interfectorũ numerus.

millia qui Pydnam ex acie perfugerant, viui in potestatem peruenerunt: & vagi è fuga quinque millia hominum capta. A

Ex victoribus ceciderunt non plus centum, & eorum multo maior pars Peligni: vulnerati aliquanto plures sunt. Quòd si maturius pugnari cœptum esset, vt satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox & fugientes texit, & Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit. Perseus ad Pieriam syluam via militari frequenti agmine equitũ & regio comitatu fugit. Simul in syluam ventum est, vbi plures diuersæ semitæ erant, & nox appropinquabat, cum perpaucis maximè fidis via diuertit. Equites sine duce relicti alii aliâ

Perseus à suis contemnitur.

in ciuitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius quàm ipse Perseus, quia recta expedita via ierant, peruenerunt. Rex ad mediam fermè noctem terrore & variis difficultatibus viæ vexatus est. In regia Perseo qui Pellæ præerat Euctus, regiique pueri præsto erant: contra ea amicorum qui alii alio casu seruati ex prælio Pellam venerant, cùm sæpe accersiti essent, nemo ad eum venit. Tres erant tantùm cum eo fugæ comites, Euander Cretensis, Neon Bœotius, & Archidamus Aetolus. cum iis iam metuens, ne qui venire ad se abnuerent, maius aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Secuti eum sunt admodum quingenti Cretenses: petebat Amphipolim. sed nocte à Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem traiicere, eum finem sequendi propter difficultatem transitus fore ratus Romanis. Consulem cùm se in castra victor recepisset, ne syncero gaudio frueretur,

Scipio Africanus minor

cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus & ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Pauli, adoptione Africani nepos. Is septimumdecimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effusè sequitur hostes in partem aliam turba ablatus erat: & serius cùm redisset, tunc demum recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium consul sensit. Amphipolim cùm iam fama pugnæ peruenisset, concursúsque matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret, Diodorus qui præerat vrbi, metuens ne Thraces, quorum duo millia in præsidio erant, vrbem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabellarii speciem, literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, ad Emathiam classem Romanam appulsam esse, agrósque circà vexari: orare præfectos Emathiæ, vt præsidium aduersus populatores mittat. His lectis hortatur Thracas, vt ad tuendam Emathiæ oram proficiscantur: magnam eos cædem prædámque palatis passim per agros Romanis facturos: simul eleuat famam aduersæ pugnæ: quæ si vera foret, alium super alium recentes ex fuga venturos fuisse. Per hanc causam Thracibus ablega-

Perseus oratores ad Paulum cos. mittit.

tis, simul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit. Tertio die Perseus quàm pugnatum erat, Amphipolim venit: inde oratores cum caduceo ad Paulum misit. Interim Hippias & Midon & Pantaucus principes amicorum regis Berœam, quò ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti Romanis dedunt: hoc idem & aliæ deinceps metu perculsæ, parabant facere. COS. nuntiis victoriæ Q. B

Fabio filio & L. Lentulo, & Q. Metello cum literis Romam missis, spolia iacentis hostium exercitus peditibus concessit: equitibus prædam circumiecti agri, dum ne amplius duabus noctibus à castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam castra mouit. Berœa primùm, deinde Thessalonica & Pella,

Macedoniæ vrbes Paulo cos. deduntur

& deinceps omnis fermè Macedonia intra biduum dedita. Pydnæi qui proximi erant nondum miserant legatos: multitudo incondita plurium simul gentium, turbáque quæ ex acie fuga in vnum compulsa erat, consilium & consensum ciuitatis impediebat: nec clausæ modò portæ, sed etiam inædificatæ erant. Missi Midon & Pantaucus sub muros ad colloquium Solonis, qui præsidio erat: per eum emittitur militaris turba, oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perseus vna tantùm spe Bisaltarum auxilii tentati, ad quos nequicquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens, vt & ipsos Amphipolitanos, & equitum peditúmque, qui aut semper secuti, aut fuga eódem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquotiens dicere incipientem cùm lacrymæ præpedissent, quia ipse dicere nequiit, Euandro Cretensi editis quæ agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Multitudo sicut ad conspectum regis fletúmque tam miserabilem & ipsa ingemuerat lacrymaueratque, ita Euandri orationem aspernabatur: & quidam ausi sunt media ex concione succlamare, Abite hinc, ne qui pauci supersumus, propter vos pereamus. Horum ferocia vocem Euandri clausit. Rex in domum se recepit, pecuniáque & auro argentóque in lembos, qui in Strymone stabant delatis, & ipse ad flumen descendit. Thraces nauibus se committere non ausi, domos dilapsi, & aliæ militaris generis turbæ: Cretenses spem pecuniæ secuti. & quoniam in diuidendo plus offensionum quàm gratiæ erat, quinquaginta talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione cùm per tumultum naues conscenderent, lembum vnum in ostio amnis multitudine grauatum merseruut. Galipsum eo die, postero Samothraeam quam petebant perueniunt: ad duo millia talentûm peruecta eò dicuntur. Paulus per omnes deditas ciuitates dimissis qui præessent, ne qua iniuria in noua pace victis fieret: retentísque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam, ignarus fugæ regis, Amphipolim misit cum modica peditum equitúmque manu: simul vt Sinticen euastaret, & ad omnes conatus regis impedimento esset. Inter hæc Melibœa à Cn. Octauio capitur diripitúrque: ad Aeginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, ducenti eruptione ex oppido facta amissi sunt, ignaris Aeginiensibus debellatum esse. COS. à Pydna profectus, cum toto exercitu

Pellæ Macedonũ regiæ situs.

die altero Pellam peruenit: & cum castra mille passus inde posuisset, per aliquot dies ibi statiua habuit, situm vrbis vndique aspiciens, quam non sine causa delectam esse regiam aduertit. Sita est in tumulo vergente in occidentem hybernum: cingunt paludes inexuperabilis altitudinis, æstate & hyeme, quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude quà proxima vrbi est, velut insula eminet, aggeri operis ingentis imposita: qui & murum sustineat, & humore circumfusæ paludis nihil lædatur. Muro

vrbis

A vrbis coniuncta procul videtur: diuisa est intermurali amni, & eadem ponte iuncta: vt nec oppugnante externo aditum ab vlla parte habeat: nec si quem ibi rex includat, vllum nisi per facillimæ custodiæ pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil præter trecenta talenta, quæ missa Geotio regi deiode reteota fuerant, inuentum est. Per quos dies ad Pellam statiua fuerunt, legationes frequentes quæ ad gratulandum conuenerant, maximè ex Thessalia, auditæ sunt. Nuntio deinde accepto, Persea Samothracam traiecisse, profectus à Pella consul quartis castris Amphipolim peruenit. Effusa omnis obuiam turba, cuius indicio erat noo booo ac iusto rege ob ra- *

DECADIS QVINTAE LIBER QVINTVS.

Perseus ab Aemylio Paulo in Samothracia captus est. Cùm Antiochus Syriæ rex Ptolemæum & Cleopatram, Aegypti reges obsideret: & missis ad eum à senatu legatis, qui iuberent, ab obsidione socij regis absisteret: editisque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset: unus legatorum Popilius uirga regem circumscripsit: iussitque antequam circulo excederet, responsum daret. qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum, ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusæ. postero die cùm de eo quereretur, ut ijs bellum indiceretur: causam in senatu patriæ suæ legati egerunt, nec tanquam hostes, nec tanquam socij dimissi. Macedonia in prouinciæ formam redacta est. Aemylius Paulus repugnantibus militibus eius propter minorem prædam, & contradicente Seruio Sulpitio Galba triumphauit: & Perseum cum tribus filijs ante currum duxit. cuius triumphi lætitia, ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est. quorum alterius mors patris triumphum præcessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est à censoribus. Censa sunt ciuium capita CCCXII. millia, DCCCV. Prusias Bithyniæ rex Romam, ut senatui gratias ageret ob uictoriam ex Macedonia partam, uenit: & Nicomedem filium suum senatui commendauit. rex plenus adulationis, libertum se populi Romani esse dicebat.



VICTORIAE nuntii Quintus Fabius & Lucius Lentulus, & Quintus Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio celeriter Romam cùm venissent, præcerptam tamen eius rei lætitiam inuenerunt. Quarto pòst die quàm cum rege est pugnatum, cùm io circo ludi fierent, murmur repentè populi tota spectacula peruasit, pugnatum io Macedonia, & deuictum regem esse: dein fremitus increbuit, postremò clamor plaususque; velut certo nuntio victoriæ allato est exortus. Mirari magistratus, & quærere authorem repentinæ lætitiæ: qui postquam oullus erat, euanuit quidem tanquam certæ rei gaudium, omen tamen lætum insidebat aoimis. Quod postquàm veris nuntiis Fabii Lentulique & Metelli aduentu firmatum est, cùm victoria ipsa, tum augurio animorum suorum læ-

Incerto auctore nuntiatur in circo Romano debellatū esse in Macedonia.

B tabantur. Et aliter traditur Circensis turbæ non minus similis veri lætitia. ad decimum Calendas Octobris ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas exscendenti tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas dicitur * quadrigis missis consul currum conscendit: & cùm per circum reueheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repentè immemor spectaculi populus in medium decurrit: eo senatum consul vocauit, recitatisque tabellis, ex authoritate patrum pro foris publicis denuntiauit populo: L. Aemylium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse: Macedonum exercitum cæsum fusumq; regem cum paucis fugisse: ciuitates omnes Macedoniæ in ditionem populi Romani venisse. His auditis, clamor cum ingenti plausu ortus: ludis relictis domus magna pars hominum ad coniuges liberósque lætum ountium portabant. Tertiusdecimus dies erat ab eo quo in Macedonia pugnatum est. Postero die senatus in curia habitus, supplicationésque decretæ: & senatusconsultum factum est, vt consul quos præter milites socios nauales coniuratos haberet, dimitteret: de militibus socijsque naualibus dimittendis referretur, cùm legati ab L. Aemylio consule, à quibus præmissus tabellarius esset * Ad sextum Calendas Octobris, hora ferè secunda legati vrbem ingressi sunt: ingentem secum occurrentium quacunque ibant, prosequentiúmque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus fortè in curia erat: eò legatos COS. introduxit. Ibi tantum temporis retenti, dum exponerent quantæ regiæ copiæ peditum equitúmque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent, quàm paucorum militum iactura tanta hostium strages facta, quàm cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse, neque terra neq; mari elabi posse. eadem hæc paulo pòst in concionem traducti exposuerunt: renouatáque lætitia, cùm COS. edixisset, vt omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quisque ex conei one ad gratias agendas ire diis: ingentíque turba non virorum modò, sed etiam fœminarum, conferta tota vrbe deûm immortalium templa. Senatus reuocatus in curiam, supplicationes ob rem egregiè gestam ab L. Aemylio COS. in quinque dies circa omnia puluinaria decreuit, hostiísque maioribus sacrificari iussit. Naues quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, vt si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in naualibus collocari: socios naualeis dato annuo stipendio dimitti, & cum his omnes qui in consulis verba iurauerant: & quod militum Corcyræ, Brundusii, ad mare Superum, aut in agro Larinati esset (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo si res posceret C. Licinius collegæ ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante ad qnintum Idus Octobris, cum eo die in quinque dies. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerua & P. Decius nuntiarunt, exercitum Illyriorum cæsum, Gentium regem captum in ditione populi Romani & Illyricum esse. Ob eas res gestas ductu auspicióque L. Anicii Pr. senatus io triduum supplicationes decreuit, vt Latinæ edictæ à consule suot in ante IIII. & III. & prid. Id. Nouembr. Tradidere quidam

Supplicationes ob deuictū Persea.

Supplicationes ob captū Gentiū regem Illyriorum.

legatos Rhodios nondum missos, post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in A

De Rhodijs legatis.

senatum vocatos esse. Ibi Agepolim principem eorum ita locutum: Missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos & Persea faciendam, quod id bellum graue atque incómodum Græciæ omni, sumptuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbene fecisse, quando finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset. Hæc ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse, Rhodios nec vtilitatum Græciæ, neque cura impensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, cùm Perseus in Thessaliam exercitu inducto per biennium Græcas vrbes, alias obsideret, alias denuntiatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam: postquam superatos saltus transgressósque in Macedoniam Romanos audirent, & inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad vllam aliam rem, quàm ad Persea ex imminenti periculo eripiendum. Cum hoc responso legatos dimissos. Per eosdem dies & M. Marcellus ex prouincia Hispania decedens, Marcolica nobili vrbe capta, decem pondo auri, & argenti ad summam sestertiûm decies in ærarium retulit.

Paulus illacrymat humanæ sorti.

Paulus Aemylius cos. cùm castra, vt suprà dictum est, ad Syras terræ Odomanticæ haberet, cùm literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, & ipse illacrymasse dicitur sorti humanæ: quòd qui paulo antè non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyriósque oppugnasset, Bastarnarum ciuisset auxilia: is tum amisso exercitu, extorris regno, in paruam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset.

Persei literas reijcit Paulus.

Sed postquam regem Persea consuli Paulo S.* legit, miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quanquam in reliqua parte literarum minimè regiæ preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimissa est. Sensit Perseus, cuius nominis obliuiscendum victo esset: itaque alteræ literæ cum priuati nominis titulo missæ & petiere & impetrauere, vt aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu & conditione suæ fortunæ posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Posthumius Albinus, A. Antonius. nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omoi vi amplectente: Paulo, vt se suáque omnia in fidem & clementiam populi Romani permitteret, cootendente. Dum hæc aguntur, classis Cn. Octauii Samothracam est appulsa. Is quoque præseoti admoto terrore, modò minis, modò spe perlicere vt se traderet cùm conaretur, adiuuit in hoc eum res seu casu contracta, seu consilio.

L. Attilij ad Samothraces oratio.

L. Attilius illustris adolescens cùm in concione esse populum Samothracum, animum aduertisset, à magistratibus petit, vt sibi paucis alloquendi populi potestatem facereot. Permisso, vtrum nos, hospites Samothraces, verè accepimus, an falsò, sacram hanc insulam & augusti totam atque inuiolati soli esse? Cùm creditæ sanctitati assentirentur omnes, Cur igitur, inquit pollutam homicida sanguine regis Eumenis violauit? & cùm omnis præfatio sacrorum eos quibus non sint puræ manus, sa- B cris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruéto latronis corpore sinetis?

Euander accusatur ob Eumenẽ Delphis vulneratum.

Nobilis fama erat apud omnes Græciæ ciuitates, Eumenis regis per Euandrum Delphis propè perpetrata cædes. Itaque præterquam quòd in potestate Romanorum sese insulámque totam & templum cernebant esse, ne immeritò quidem ea sibi exprobrari rati, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat (regem ipsi appellant) ad Persea mittunt, qui nuntiaret argui cædis Euandrum Cretensem: esse autem iudicia apud sese more maiorum comparata, de iis qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos templi dicantur. Si confideret Euander innoxium se rei capitalis argui, veniret ad causam dicendam: si committere se iudicio non auderet, liberaret religione templum, ac sibimet ipse consuleret. Perseus euocato Euandro, iudicium subeundi nullo pacto author esse, nec causa, nec gratia parem fore. Suberat & ille metus, ne damnatus authorem se nefandi facinoris protraheret. Reliqui quid esset, nisi vt fortiter moriatur? Nihil palàm abnuere Euander: sed cum veneno se malle mori quàm ferro, dixisset, occultè fugam parabat. Quod cùm renuntiatum regi esset, metuens ne, tanquam à se subtracto pœnæ

Euander à Perseo interficitur.

reo, iram Samothracum io se conuerteret, interfici Euandrum iussit. Qua perpetrata temerè cæde, subiit extemplò animum, in se nimirum receptam labem quæ Euandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracæ Euandrum occisum: ita duo sanctissima in terris templa, se vno authore sanguine humano violata. Huius rei crimen, corrupto pecunia Theonda, auertitur, vt renuntiaret populo, Euandrum sibi ipsum mortem consciisse. Cæterùm tanto facinore in vnicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditúnique, quia non prodiderat, omnium ab se abalienauit animos. pro se quisque transire ad Romanos: fugæque consilium capere solum propè relictum coegerunt: Oroandémque Cretensem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellat, vt se sublatum in lembum ad Cotyn deueheret. Demetrium est portus in promontorio quodam Samothracæ: ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur quæ ad vsum necessaria erant: defertur & pecunia quanta clàm deferri poterat. Rex ipse nocte media cum tribus consciis fugæ per posticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde maceriam ægrè transgressus, ad mare peruenit. Oroandes iam tum dnm pecunia deferretur, primis tenebris soluerat nauem, ac per altum Cretam petebat. Postquam in portu nauis non inuenta est, vagatus Perseus aliquandiu in litore, postremò timens lucem iam appropinquantem, in hospitium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium electi regis: ea cohors persecuta regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec iussu Cn. Octauii pronnntiatum est per præconem, regios pueros, Macedonásque alios qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatémque, & sua omnia seruaturos, quæ aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent. Ad hanc vocem transitio omnium facta est,

A est, nomináque dabant ad C. Posthumium tribunũ militum. Liberos quoque paruos regios Ion Thessalonicensis Octauio tradidit: nec quisquam præter Philippum, maximum natu è filiis, cum rege relictus. Tum sese filiúmque Octauio tradidit, fortunam deósque, quorum in templo erant, nulla ope supplicem iuuanteis accusans.

Perseus cum filio sese Octauio tradit.

In prætoriam nauem imponi iussus, eódem & pecunia quæ superfuit, delata est, extemplóque classis Amphipolim repetit. Inde Octauius regem in castra ad COS. misit, præmissis literis, vt in potestate eum esse & adduci sciret. Secundam eam Paulus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cæcidit eo nuntio: & consilio aduocato literas prætor. cùm recitasset, Q. Aelium Tuberonem obuiam regi misit, cæteros manere in prætorio frequenteis iussit. Non aliàs ad vllum spectaculum tanta multitudo occurrit. Patrum ætate Syphax rex captus, in castra Romana adductus erat: præter quàm quod nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc quoque accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat: nec ipsius tantùm patris auíque, quos sanguine ac genere contingebat, fama conspectum eum efficiebat: sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant.

Perseus ad cõsulem pullatus adducitur.

Pullo amictus pallio Perseus, ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. progredi præ turba occurrentium ad spectaculum non poterat, donec COS. lictores misisset, qui summouendo iter ad prætorium facerent. Consurrexit COS. & iussis sedere aliis, progressúsque paulum, introeunti regi dextram porrexit: summittentémque se ad pedes sustulit: nec attingere genua passus, introductum in tabernaculum aduersus aduocatos in concilium considere iussit.

Pauli Cos. in excipiendo Perseo modestia.

Prima percontatio fuit, qua subactus iniuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnúmque suum ad vltimum discrimen adduceret. Cùm responsum expectantibus cunctis, terram intuens diu tacitus fleret, rursum COS. Si iuuenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te quàm grauis aut amicus aut inimicus esset P.R. nunc verò cùm & bello patris tui quod nobiscum gessit, interfuisses, & pacis postea, quam cum summa fide aduersus eum coluimus, meminisses: quod consilium, quorum & vim bello, & fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse quàm pacem malle? Nec interrogatus, nec accusatus cum responderet: Vtcunque tamen hæc, siue errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum, casibus cognita populi Romani clementia, non modò spem tibi, sed propè certam fiduciam salutis præbet. Hæc Græco sermone Perseo, Latinè deinde suis.

Pauli Cos. prudens admonitio.

Exemplum insigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum. vobis hoc præcipuè dico iuuenes: ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animũ nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet. Con-

B silio dimisso, tuendi cura regis Q. Aelio mandatur. Eo die & inuitatus ad consulem Perseus, & alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat. Exercitus deinde in hyberna dimissus est: maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ vrbes acceperunt.

De Macedonũ imperio.

Hic finis belli, cùm quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit: idémque finis inclyti per Europæ pleronque atque Asiam omnem regni. Vicesimum ab Carano qui primus regnauit, Persea numerabant. Perseus Q. Fuluio, L. Manlio COSS. regnum accepit: à senatu rex est appellatus M. Iunio, A. Manlio COSS. regnauit vndecim annos. Macedonum obscura admodum fama vsque ad Philippum Amyntæ filium fuit: inde ac per eum crescere cùm cœpisset, Europæ se tamen finibus continuit, Græciam omnem & partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: & tredecim annis quibus Alexander regnauit, primùm omnia, quà Persarũ propè immenso spatio imperium fuerat, suæ ditionis fecit. Arabas hinc Indiámque, qua terrarum vltimus finis Rubrum mare amplectitur, peragrauit. Tum maximum in terris Macedonum regnum noménque, inde morte Alexandri distractum in multa regna: dum ad se quisque opes rapiunt lacerantes viribus, à summo culmine fortunæ ad vltimũ finem centum quinquaginta annos stetit. Victoriæ Romanæ fama cùm peruasisset in Asiam, Antenor qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde traiecit. C. Popilius qui ad Delum præsidio nauibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, & statione summotos hostiũ lembos audiuit, dimissis & ipse Atticis nauibus, ad susceptam legationem peragendam nauigare Aegyptum pergit: vt prius occurrere Antiocho posset, quàm ad Alexandriæ mœnia accederet.

Rhodii principes legatos Romanos, vt Rhodum deuehãtur, orant.

Cùm præterueherentur Asiam legati, & Loryma venissent, qui portus viginti paulo amplius millia ab Rhodo abest, ex aduerso vrbi ipsi positus: principes Rhodiorum occurunt (iam enim eò quoque victoriæ fama perlata erat) orantes vt Rhodum deueherentur. pertinere id ad famam salutémque ciuitatis, noscere ipsos omnia quæ acta essent agerentúrque Rhodi, & comperta per se non vulgata fama Romam referre. Diu negantes perpulerũt, vt moram nauigationis breuem pro salute sociæ vrbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Aduentus legatorum auxit potius timorem ciuitati, quàm minuit:

Popilij acerbitas in Rhodios.

omnia enim Popilius, quæ singuli vniuersique eo bello hostiliter dixerant, fecerántque, retulit: & vir asper ingenio augebat atrocitatem eorum quæ dicerẽtur, vultu truci & accusatoria voce, vt cùm propriæ simultatis nulla causa cum ciuitate esset, ex vnius senatoris Romani acerbitatẽ, qualis in se vniuersi senatus animus esset, cõiectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit, qui in plerisque eorum quæ commemorata à Popilio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse dixit, eos venalem linguam habenteis decreta plena regiæ assentationis fecisse, & eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quàm pœniteret. quæ omnia, si tamen populo* foret, in capita noxiorum versura. Cum magno assensu auditus est, non magis eo quod multitudinis

noxam eleuabat, quàm quod culpam in authores verterat. Itaque cùm prin cipes eorum Romanis A responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui quæ Popilius obiecerat diluere vtcunque conati sunt, quàm eorum qui Decimio in authoribus ad piaculum noxæ obiiciendis assensi sunt. Decretum igitur extemplò, vt qui pro Perseo aduersus Romanos dixisse quid aut fecisse conuincerentur, capitis condemnarentur. Excesserũt vrbe sub aduentum Romanorum quidam, alii mortem sibi consciuerunt. Legati non vltrà quàm quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiscuntur. Nec eo segnius iudicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur, * quàm perseuerantiam in exequenda re Decimii lenitas. Cùm hæc gererẽtur, Antiochus frustra tentatis mœnibus Alexandriæ abscesserat. cæteráque Aegypto potitus, relicto Memphi maiore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, vt victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec huius voluntatis eius ignarus Ptolemæus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandriæ & sorore adiuuante & non repugnantibus fratris amicis ratus: primùm ad sororem, deinde ad fratrem amicósque eius nõ prius destitit mittere, quàm pacem cum iis cõfirmaret. Suspectum *Antiochum effecerat, quòd cætera Aegypto sibi tradita Pelusii validum relictum erat præsidium: apparebat claustra Aegypti teneri, vt cùm velit rursus exercitum induceret. Bello intestino cum fratre eum exitum fore, vt victor fessus certamine nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc prudenter animaduersa à maiore, cùm assensu minor frater, quíque cum eo erant acceperunt: soror plurimũ adiuuit, non consilio modò, sed etiam precibus. Itaque cõsentientibus cunctis pace facta Alexandriam recipitur, ne multitudine quidem aduersante: quæ in bello non per obsidionem modò, sed etiam postquàm à mœnibus abscessum est, quia nihil ex Aegypto subuehebatur, omniũ rerum attenuata inopia erat. His cùm lætari Antiochum cõueniens esset, si reducendi eius causa exercitum Aegyptum induxisset, quo specioso titulo ad omneis Asiæ & Græciæ ciuitates legationibus recipiendis literísque dimittendis vsus erat. adeò est offensus, vt multo acrius infestiúsque aduersus duos, quàm antè aduersus vnum pararet bellum. Cyprum extemplò classem misit: ipse primo vere cum exercitu Aegyptum petens in Cœlen Syriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agẽtibus gratias quòd per eum regnum patrium recepisset, petentibúsque vt suum munus tueretur, & diceret potius quid fieri vellet, quàm hostis ex socio factus vi atque armis ageret, respondit: non aliter neque classem reuocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro & Pelusio agróque qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet: diémque præstituit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet. Postquam dies data induciis præterit, * nauigantibus hostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiæ ad Memphim incolebant, & ab cæteris Aegyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit. Ad Leusinem transgresso flumen, qui locus quatuor millia B ab Alexandria abest, legati Romani occurrerunt. Quos cùm adnenienteis salutasset, dextrámque Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius scriptum habenteis tradit, atque omnium primùm id legere iubet. Quibus perlectis, cùm se consideraturum adhibitis amicis quid faciendum sibi esset, dixisset: Popilius pro cætera asperitate animi virga, quam in manu gerebat, circunscripsit regem: ac Prius quàm hoc circulo excedas, inquit, redde responsum senatui quod referam. Obstupefactus tam violento imperio, parumper cùm hæsitasset: Faciam, inquit, quod censet senatus. Tum demum Popilius dextram regi tanquam socio atque amico porrexit. Die deinde finita cùm excessisset Aegypto Antiochus, legati concordia etiam authoritate sua inter fratres firmata, inter quos vix dum conuenerat, pars Cyprum nauigant: & inde quæ iam vicerat prælio Aegyptias naues classem Antiochi dimittunt. Clara ea per genteis legatio fuit, quòd haud dubiè adempta Antiocho Aegyptus habenti iam, redditúmque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat. COS s. eius anni, sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit. Iam primùm cum legionibus ad conueniendum diem dixit, non auspicatò templum intrauit: vitio diem dictam esse augures, cùm ad eos relatum est, decreuerunt. Profectus in Galliam circa Macros campos ad monteis Siciminam & Papinum statiua habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hybernabat. Legiones Romanæ, quòd vitio dies exercitui ad conueniendum dicta erat, Romæ manserant. & prætores, præter C. Papyrium Carbonem, cui Sardinia euenerat, in prouincias iere: eum ius dicere Romæ (nam eam quoque sortem habebat) inter ciues & peregrinos patres censuerant. Et Popilius, & ea legatio quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit: retulit controuersias inter reges sublatas esse, exercitúmque ex Aegypto in Syriam reductum. Pòst ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati referentes omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam. eúmque haud secus quàm deorum imperio legatorum Romanorum iussis paruisse. gratulati deinde victoriam sunt, ad quam ope si quid imperatum foret adfuturum regem fuisse. Ptolemæi legati communi nomine regis & Cleopatræ gratias egerunt. plus eos S P Q R quàm parentibus suis, plus quàm diis immortalibus debere: per quos obsidione miserrima liberati essent, regnum patrium propè amissum recepissent. Responsum ab senatu est, Antiochum rectè atque ordine fecisse, quòd legatis paruisset, gratúmque id esse S P Q R. Regibus Aegypti Ptolemæo Cleopatræque si quid per se boni commodíque euenisset, id magnopere senatum lætari: datorúmque operam vt regni sui maximũ semper præsidium positum esse in fide populi Romani ducant. Munera legatis vt ex instituto mittenda curaret, C. Papyrio prætori mandatum. Literæ deinde Macedonia allatæ, quæ victoriæ lætitiam geminarent: Persea regem in potestatem COS s. venisse. Dimissis legatis, disceptatum inter Pisanos Lunensésque legatos: Pisanis querentibus agro se à colonis Romanis pelli, Lunensibus affirmantibus eum de quo agatur à triumuiris

Antiochi res gestæ in Aegypto.

Romani legati Antiochũ adeunt.

Populi seueritas Antiochũ ab Aegypto reuocauit.

Romani legati Romã redeunt.

Antiochi legati.

Ptolemæi legati.

Inter Pisanos & Lunenses disceptatio.

A triumuiris agrum sibi assignatum esse. Senatus qui de finibus cognoscerent, statueréntque, quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, T. Sempronium Muscam, L. Næuium Balbum, C. Apuleium Saturninum. Et ab Eumene & ab Attalo & ab Athenæo fratribus, communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabæ regis Masanissæ filio Puteolis nauem egresso præstò fuit obuiam missus cum pecunia L. Manlius quæstor, qui Romam eum publico sumptu perduceret. Aduenienti extemplò senatus datus est. Is adolescens ita locutus est, vt quæ rebus grata erant, gratiora uerbis faceret. Commemorauit quot pedites equitésque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Macedoniam misit. Sed duas res ei rubori fuisse: vnam, quòd rogasset eum per legatos senatus quæ ad bellum opus esset, & non impetrasset: alteram, quòd pecuniam ei pro frumento misisset. Masanissam meminisse, regnum à populo Romano partum auctúmque & multiplicatum habere: vsu regni contentum, scire dominium & ius eorum qui dederint esse. Sumere itaque eosdem, non se rogare æquum esse, neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi proueniant. Id Masanissæ satis esse & fore, quod populo Romano superesset. Cum iis mandatis à patre profectum: postea consecutos equites, qui deuictam Macedoniam nuntiarent: gratulatúmque senatui iuberent indicare, tantæ eam rem lætitiæ patri suo esse, vt Romam venire velit, Iouíque Opt. Max. in Capitolio sacrificare & grates agere: id, nisi molestum sit, vt ei permittatur, ab senatu petere. Responsum regulo est: Facere patrem eius Masanissam, quod virum gratum bonúmque facere deceat, vt pretium honorémque debito beneficio addat. Et populum Romanũ ab eo, bello Punico forti fidelíque opera adiutum, & illum fauente regnum populo Romano adeptum: æquitate sua postea trium regum bellis deinceps, omnibus functum officiis. Victoria verò populi Romani lætari eum regem mirum non esse, qui sortem omnem fortunæ regníque sui cum rebus Romanis immiscuisset. Grates diis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret, Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum & Africa excedere: præterquam quòd illi inutile esset, non esse è Republica populi Romani senatum censere. petenti Masgabæ vt Hanno Hamilcaris filius * ospes in locum exigeret. Munera ex senatus cõsulto emere regulo quæstor iussus ex centum pondo argenti, & prosequi eum Puteolos, omnémque sumptum quoad in Italia esset, præbere, & duas naues conducere, quibus ipse comitésque regis in Africam deueherentur: & comitibus omnibus liberis seruísque vestimenta data. Haud ita multò pòst de altero Masanissæ filio Misagene literæ allatæ sunt, missum eum ab L. Paulo post deuictum Persea in Africam cum equitibus suis, nauigantem dispersa classe in Hadriatico mari Brundusium tribus nauibus ægrum delatum. Ad eum cum iisdem muneribus, quæ data Romæ fratri eius erant, L. Stertinius quæstor Brundusium missus: iussúsque cu-

Masgaba Masanissæ filius Romã uenit.

Masgabæ quid responderit senatus.

Missagenes alter Masanissæ filius.

B rare vt ædes hospi-

* *

In quatuor vrbanas tribus descripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquenni maior ex S. C. esset. Eos vbi proximo lustro censi essent censeri iusserunt: & eos qui prædium prædiáue rustica pluris sestertiũm XXX millium haberent, censendi ius factum est. Hoc cùm ita seruatum esset, negabat Claudius suffragii lationem iniussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini vniuerso adimere posse. Neque enim si tribu mouere posset, quod sit nihil aliud quàm mutare iubere tribum, ideo omnibus V & XXX tribubus emouere posse: id est, ciuitatẽ libertatémque eripere, non vbi censeatur finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos disceptata: postremò eò descensum est, vt ex quatuor vrbanis tribubus vnam palàm in atrio Libertatis sortirẽtur, in quam omnes qui seruitutẽ seruissent, conicerent. Exquilinæ sors exiit: in ea Tib. Gracchus pronuntiauit libertinos omneis censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiæ actæ & Sempronio, qui in bene cœpto perseuerasset: & Claudio, qui non impedisset. Plures quàm à superioribus, & senatu emoti sunt: & equos vendere iussi: omnes iidem ab vtroque & tribu remoti, & ærarii facti: neque vllius quem alter notaret, ab altero leuata ignominia. Petentibus vt ex instituto ad sarta tecta exigenda, & ad opera quæ locassent probanda, anni & bimensis tempus prorogaretur: Cn. Tremellius tribunus, quia lectus nõ erat in senatum, intercessit. Eodem anno C. Cicereius ædem in monte Albano dedicauit, quinquennio postquam vouit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Posthumius Albinus. Q. Aelio, M. Iunio COSS. de prouinciis referentibus, censuère patres duas prouincias Hispaniam rursus fieri, quæ vna per bellum Macedonicũ fuerat: & Macedoniam Illyricúmque eosdem L. Paulum, & L. Anicium obtinere, donec de sententia legatorũ & res bello turbatas, & statum alium eius regni formando cõposuissent. COSS. Pisæ & Gallia decretæ cum binis legionibus peditũ, & equitũ quadringentis. Prætorũ sortes fuère, Q. Cassii vrbana, M. Iuuencii Taluæ inter peregrinos, Tib. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fuluii Hispania citerior, C. Licinii Neruæ vlterior. A. Manlio Torquato Sardinia obuenerat: nequiit ire in prouinciã, ad res capitaleis quærẽdas ex S. C. retentus. De prodigiis deinde nuntiatis senatus est cõsultus. Aedes deorũ penatiũ in Velia de cælo tacta erat, & in oppido Mineruio duæ portæ & muri aliquantũ. Anagniæ terra pluerat, & Lanuuii fax in cælo visa erat. Et Calatiæ in publico agro M. Valerius ciuis Romanus nuntiabat è foco suo sanguine per triduũ & duas noctes manasse. Ob id maximè decemuiri libros adire iussi, supplicationẽ in diem vnum populo edixerunt, & L capris in foro sacrificauerunt: & aliorũ prodigiorũ causa diem alterum supplicatio circa omnia puluinaria fuit, & hostiis maioribus sacrificatum est, & vrbs lustrata. Inde quòd ad honorem deũm immortalium pertineret, decreuit senatus, vt quoniã perduelles superati Perseus & Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in potestate P. R. essent: vt quanta dona App. Claudio, M. Sempronio COSS. ob deuictum Antiochum regem data ad

De censura quædam cognitu digna.

Prouinciarũ sortitio.

Prodigia.

N 5

omnia puluinaria essent, tanta Q. Cassius & M. Iuuencius prætores curarent danda. Legatos deinde, A quorum de sententia Impp. L. Paulus, L. Anicius, componerent res, decreuerunt: decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Posthumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii: C. Licinius Crassus collega in consulatu Pauli, tum prorogato imperio prouinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Aenobarbum, Ser. Cornelium Syllam, L. Iunium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Aelius Ligus consularis, C. Cicereius, & Cn. Bebius Pamphilus (hic priore anno, Cicereius multis antè annis prætor fuerat) P. Terentius Tuscíueicanus, P. Manilius. Moniti deinde cos s. à patribus, vt quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret: primo quoque tempore prouincias aut compararent inter se, aut sortirentur. sortiti sunt. M. Iunio Pisæ obuenerunt (quem prius quàm in prouinciam iret, legationes quæ vndique Romam gratulatum conuenerunt, introducere in senatum placuit) Q. Aelio Gallia. Cæterùm quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset Impp. nihil indignum nec clementia, nec grauitate populi Romani decreturos esse: tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, vt inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent. Omnium primum liberos esse placebat Macedonas atque Illyrios, vt omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis seruitutem, sed contrà seruientibus libertatem afferre: vt & in libertate gentes quæ essent, tutam eam sibi perpetuámque sub tutela esse: & quæ sub regibus viuerent, & in præsens tempus mitiores eos iustioréſque respectu populi Romani habere se: & si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis, exitum eius victoriam Romanis, sibi libertatem allaturum crederent. Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationésque prædiorum rusticorum tolli placebat. Nam neque sine publicano exercere posse: & vbi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse: vbi in medio præda administrantibus esset, ibi nunquam causas seditionum & certaminis defore. Commune consilium gentis esset, ne improbum vulgus à senatu aliquando libertatem salubri moderationi datam, ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, vt suum quæque consilium haberet, placuit: & dimidium tributi quàm quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere. Similia his & in Illyricum mandata: cætera ipsis imperatoribus legatis relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subiectura erat consilia. Inter multas regum gentiúmque & populorum legationes Attalus frater regis Eumenis maximè conuertit in se omnium oculos, animósque. exceptus enim est ab his qui simul eo bello militauerunt, haud paulo benignius quàm si ipse rex Eumenes venisset. Adduxerant eum duæ in speciem honestæ res: vna, gratulatio conueniens in ea victoria quam B ipse adiuuisset: altera, querimonia Gallici tumultus, Aduersaque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat & secreta spes honorum præmiorúmque ab Senatu, quæ vix salua pietate eius contingere poterant. Erant enim quidam Romanorum quoque non boni authores, qui spe cupiditatem eius elicerent: eam opinionem de Attalo & Eumene Romæ esse, tanquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, vtrum quæ pro se, an quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent: adeò vniuersos omnia & huic tribuere, & illi verò negare. Eorum hominum (vt res docuit) Attalus erat, qui quantum spes spopondisset cuperent, ni vnius amici prudens monitio velut frænos animo eius gestienti secundis rebus imposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad id ipsum à non securo Eumene Romam missus speculator rerum quæ à fratre agerentur, monitórque fidus si decedi fide vidisset. Is ad occupatas iam aures sollicitatúmque iam animum cùm venisset, aggressus tempestiuis temporibus rem propè prolapsam restituit: aliis alia regna creuisse rebus, dicendo, regnum eorum nouum, nullis vetustis fundatum opibus fraterna stare concordia: quòd vnus nomen regium & præcipuum capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum verò, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat? neque eo solùm quia tantas præsentes eius opes cernat, sed quòd haud ambiguum propediem regnaturum eum infirmitate ætatéque Eumenis esset nullam stirpem liberûm habentis. (nec dum enim agnouerat eum, qui postea regnauit.) Quid attineret vim afferre rei sua sponte mox ad eum aduenturæ? Accessisse etiam nouam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu & concordia regum resisti queat. Si verò ad externum bellum domestica seditio adiiciatur, sisti non posse: nec aliud eum quàm ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni erepturum. Si vtraque gloriosa res esset, & seruasse fratri regnum, & eripuisse seruati tamen regni quæ iuncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimuero cùm detestabilis altera res, & proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Vtrum enim partem regni petiturū esse, an totum erepturum? si partem, ambo infirmos distractis viribus, & omnibus iniuriis obnoxios fore: si totum, priuatúmne ergo maiorem fratrem, an exulem illa ætate, illa corporis infirmitate, an vltimùm mori iussurum? Egregium enim, vt fabulis traditus impiorum fratrum euentus taceatur, Persei exitum videri: qui ex fraterna cæde raptum diadema, in templo Samothracum, velut præsentibus diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiámque laudaturos, si fidem ad vltimum fratri præstitisset. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam, & sua merita eo bello, fratrísque, si qua erant, & Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit vt legatos mitteret ad eos, quorum authoritate ab armis auocarentur. His pro regni vtilitate editis mandatis,

Decē legati ad res Macedoniæ cōponēdas missi. In Illyricū quinque legati mittuntur.

De Macedonibus atq; Illyriis Senatus decreta.

Attalus frater regis Eumenis Romam uenit.

Attalus à Stratio prudenter admonetur.

Attalus in senatū introducitur.

A datis, Aenum sibi & Maroneam petiit. Ita destituta eorum spe, qui fratre accusato partitionem regni petiturum crediderant, curiam excessit. Vt rarò aliàs quisquam rex aut priuatus, tanto fauore tantóque omnium assensu est auditus: omnibus honoribus muneribúsque & præsens est cultus, & proficiscentem prosecuti sunt. Inter multas Asiæ Græciæque legationes, Rhodiorum maximè legati ciuitatem conuerterunt. Nam cùm primò in veste candida visi essent, quòd & gratulanteis decebat, &, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant: postquam consulti ab Marco Iunio consule patres, stantibus in comitio legatis, an locum lautia senatúmque darent, nullum hospitale ius in iis seruandum censuerunt: egressus è curia consul, cùm Rhodii gratulatum se de victoria, purgatúmque ciuitatis crimina dicentes venisse, petissent vt senatus sibi daretur, pronuntiat: sociis & amicis, & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, & senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, vt amicorum sociorum numero habendi sint. His auditis prostrauerunt se omnes humi, consulémque & cunctos qui aderant orantes, ne noua falsáque crimina plus obesse Rhodiis æquum censerent, quàm antiqua merita, quorum ipsi testes essent: Extemplò veste sordida sumpta domos principum cum precibus ac lacrymis circumibât orantes, vt prius cognoscerent causam, quàm condemnarentur. Marcus Iuuencius Talua prætor, cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat, populum aduersus Rhodios incitabat: rogationémque promulgauerat, vt Rhodiis bellum indiceretur, & ex magistratibus eius anni deligerent qui ad id bellum cum classe mitteretur, se eum sperans futurum esse. Huic actioni Marcus Antonius & Marcus Pomponius tribuni plebis aduersabantur. Sed & prætor nouo malóque exemplo rem ingressus erat, quod antè non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua vnius sententia rogationem ferret, vellent iuberéntne Rhodiis bellum indici: cùm antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum: & tribuni plebis: cùm ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quàm priuatis suadendi dissuadendíque legem potestas facta esset: eóque persæpe euenisset, vt qui non professi essent se intercessuros, animaduersis vitiis legis ex ratione dissuadentium, intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi authoritatibus suadentium legem. Tum inter prætorem tribunósque omnia intempestiuè agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo in aduentum im-

Rhodiorum legati.

Vt Rhodijs bellum indiceretur, rogatio promulgatur.

Rogationi in Rhodios à tribunis interceditur.

* * * *

peccauerimúsne adhuc dubium est, pœnas, ignominias omnes iam patimur. Antea Carthaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis, cùm Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam B gratulatum vobis, Patres conscripti, ex curia in Capitolium ad deos vestros dona ferentes: nunc ex sordido diuersorio vix mercede recepti, ac propè hostium more extra vrbem manere iussi, in hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos prouinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriósque liberos esse, vt audimus, iubetis, cùm seruierint antequàm vobiscum bellarent (nec cuiusquam fortunæ inuidemus. imò agnoscimus clementiam populi Romani) Rhodios qui nihil aliud quàm quieuerunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis? Certè quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorum, quòd vindicatis, quàm principiis, quòd non sine causa suscipiatis, gloriamini. Messana in Sicilia oppugnata, Carthaginienses: Athenæ oppugnatæ, & Græcia in seruitutem petita, & adiutus Annibal pecunia, auxiliis, Philippum hostem fecerunt. Antiochus ipse vltro ab Aetolis hostibus vestris accersitus, ex Asia classe in Græciam traiecit: Demetriade & Chalcide & saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperii vos deiicere conatus. cum Perseo, socii vestri oppugnati, alii interfecti reguli principésque gentium aut populorum, causa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nòdum segrego ciuitatis causam à Polyarato & Dione ciuibus nostris, & iis quos vt traderemus vobis, adduximus. Si omnes Rhodii æquè noxii essemus, quod nostrum in hoc bello crimen esset? Persei partibus fauimus: & quemadmodum Antiochi Philippíque bello, pro vobis aduersus reges, sic nunc pro rege aduersus vos stetimus. Quemadmodum soleamus socios iuuare, & quàm impigrè capessere bella, C. Liuium, L. Aemylium Regillum interrogate, qui classibus vestris in Asia præfuerunt. Nunquam vestræ naues pugnauere sine nobis: nostra classe pugnauimus semel ad Samum, iterū in Pamphylia aduersus Annibalem imperatorem: quæ victoria nobis eo gloriosior est, quòd cùm ad Samum magnā partem nauium aduersa pugna & egregiam iuuentutem amisissemus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus regiæ classi ex Syria venienti obuiam ire. Hæc non gloriandi causa retuli, neque enim ea nunc nostra est fortuna: sed vt admonerem, quemadmodum adiuuare socios solerent Rhodii. Præmia Philippo & Antiocho deuictis amplissima accepimus à vobis. Si quæ vestra nunc est fortuna deûm benignitate & virtute vestra, ea Persei fuisset, & præmia petitum ad victorem regem venissemus in Macedoniam, quid tandem diceremus? Pecuniáne à nobis adiutum, an frumento? auxiliis terrestribus, an naualibus? Quod præsidium tenuisse nos? Vbi pugnasse, aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quæreret, vbi miles noster, vbi nauis intra præsidia sua fuisset, quid responderemus? Causam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos vtróque de pace mittendo consecuti sumus, vt ne ab vtraque parte gratiam iniremus, ab altera etiam crimen & periculum esset. Quanquam Perseus verè obiiceret, id quod vos non potestis Patres conscripti, nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis quæ ab bellum opus essent: naualibus armis,

Rhodiorum ad Patres cōscriptos oratio.

armis,iuuentute nostra,sicut prioribus bellis ad omnia paratos fore. ne præstaremus, per vos stetit, A qui de quacunque causa tum aspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus igitur quicquam tanquam hostes,neque bonorum sociorum defuimus officio,sed à vobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur?nihilne factum neque dictum est in ciuitate vestra Rhodii quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus?Hinc iam non quod factum est,defensurus sum : non adeò insanio : sed publicam causam à priuatorum culpa segregaturus. Nulla enim est ciuitas quæ non & improbos ciues aliquando,& imperitam multitudinem semper habeat. Etiã apud vos fuisse audiui, qui assentando multitudini grassarentur : & secessisse aliquando à vobis plebem, nec in potestate vestra Rempublicam fuisse. Si hoc in hac tam bene morata ciuitate accidere potuit, mirari quisquam potest aliquos fuisse apud nos,qui regis amicitiam petentes plebem nostram consiliis deprauarent?qui tamen nihil vltrà valuerũt,quàm vt in officio cessaremus.Non prætereibo id quod grauissimum est in hoc bello crimen ciuitatis nostræ.Legatos eodem tempore & ad vos & ad Persea de pace misimus.quod infelix consilium furiosus(vt postea audiuimus)orator stultissimum fecit:quem sic locutum constat, tanquam C. Popilius legatus Romanus,quem ad summouendos à bello Antiochum & Ptolemæũ reges misistis, loqueretur.Sed tamen ea siue superbia,siue stultitia appellanda est,eadem quæ apud vos & apud Persea fuit.Tam ciuitatum quàm singulorum hominum mores sunt : gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces,quædam timidæ:in vinum,in venerem proniores aliæ sunt.Atheniensium populum fama est celerem & supra vires audacem esse ad conandum : Lacedæmoniorum cunctatorem,& vix in ea quibus fidit ingredientem.Non negauerim & totam Asiæ regionem inaniora párere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quòd excellere inter finitimas ciuitates videamur : & idipsum non tam viribus nostris, quàm vestris honoribus ac iudiciis. Satis quidem & tunc in præsentia castigata illa legatio erat,cum tam tristi responso vestro dimissa.si tum parum ignominiæ pensum est,hæc certè tam miserabilis ac supplex legatio,etiam insolentioris quàm illa fuit,legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam,verborum præsertim,iracundi oderunt,prudentes irrident, vtique si inferioris aduersus superiorem est : capitali pœna nemo vnquam dignam iudicauit. Id eniniuero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent : etiam deos aliqui verbis ferocioribus increpant,nec ob id quenquam fulmine ictum audimus. Quid igitur superat quod purgamus, si nec factum hostile vllum nostrum est,& verba tumidiora legati offensionem aurium,non perniciem ciuitatis meruerunt? Voluntatis nostræ tacitè velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio Patres cõscripti:fauisse nos regi,& illum vincere maluisse:ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrûm, voluisse quidem nos hoc,non tamen ob id bello persequendos esse:neque moribus, neque legibus vllius ciuitatis ita comparatum esse,vt si quis vellet inimicum perire,si nihil fecerit quo id fiat,capitis damnetur.His B qui nos pœna,nõ crimine liberant,gratiã quidem habemus:ipsi nobis hanc dicimus legem, si omnes voluimus quod arguimur,non distinguimus voluntatem à facto,omnes plectamur. Si alii principum nostrorum vobis,alii regi fauerunt : non postulo vt propter nos,qui partium vestrarum fuimus,regis fautores salui sint. illud deprecor, ne nos propter illos pereamus. Non estis vos illis infestiores, quàm ciuitas ipsa : & hoc qui sciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem sibi consciuerunt : alii damnati à nobis, in potestate vestra erunt Patres conscripti. Cæteri Rhodii, sicut gratiam nullam meriti hoc bello,ita ne pœnam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum cumulus, hoc quod nunc cessatum in officio est, expleat. Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos : ne plus obsit nobis quòd vno bello cessauimus,quàm quòd duobus bellis pro vobis pugnauimus. Philippum, Antiochum, Persea tanquam treis sententias ponite.duæ nos absoluunt : vna dubia est, vt grauior sit. Illi de nobis si iudicarent, damnati essemus. vos iudicate Patres conscripti,sit Rhodus in terris,an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatis Patres conscripti, quod inferre potestis, gerere non potestis,cùm nemo Rhodiorum arma aduersus vos laturus sit. Si perseuerabitis in ira, tempus à vobis petemus,quo hanc funestam legationem domum referamus : omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum fœminarum est,cum omni pecunia nostra naues cõscendemus:ac relictis penatibus publicis priuatisque,Romam veniemus : & omni auro & argento, quicquid publici, quicquid priuati est,in comitio in vestibulo curiæ vestræ cumulato,corpora nostra coniugũmque ac liberorum vestræ potestati permittemus, hîc passuri quodcunque patiendum erit : procul ab oculis nostris vrbs nostra diripiatur,incendatur. Hosteis Rhodios esse, Romani iudicare possunt:est tamen & nostrum aliquod de nobis iudicium,quòd nunquam iudicauimus nos vestros hosteis:nec quicquam hostile,etiamsi omnia patiemur,faciemus. Secundum talem orationem vniuersi tursus prociderunt, ramósque oleæ supplices iactantes, tandem excitati curia excesserunt. Tunc sententiæ interrogari cœptæ.Infestissimi Rhodiis erant,qui consules prætorésve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum causam eorum adiuuit. M.Porcius Cato, qui asper ingenio, tum lenem mitémque senatorem egit. Non inferam simulachrum viri copiosi quæ dixerit referendo : ipsius oratio scripta extat, Originum quinto libro inclusa.Rhodiis responsum ita redditum est, vt nec hostes fierent, nec socii permanerent. Philocrates & Astymedes principes legationis erant. partem cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romæ subsistere : quæ agerentur sciret, certioresque suos faceret. In præsentia deducere ante certam diem ex Lycia Cariáque iusserunt præfectos. Hæc Rhodum nunciata, quæ per se tristia fuissent : quia maioris mali leuatus erat timor, cùm bellum timuissent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque extemplò coronam viginti millibus aureorum decreuerũt:Theodotum præfectum clasis in eam legationem miserunt.Societatẽ ab Romanis

M.Porcius Cato Rhodiorum causam adiuuit.

A nis ita volebant peti, vt nullum de ea re scitum populi fieret, aut literis mandaretur: quod nisi impetrarēt, maior repulsis ignominia esset. Præfecti classis id vnius erat ius, vt agere de ea re sine rogatione vlla perlata posset. Nam ita per tot annos in amicitia fuerāt, vt sociali fœdere se cum Romanis non illigarent: ob nullam aliam causam, quàm ne spem regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus esset, neu sibi ipsis fructus ex benignitate & fortuna eorum percipiendi. Tunc vtique petenda societas videbatur, non quæ tutiores eos ab aliis faceret (nec enim timebant quenquam præter Romanos) sed quæ ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem ferè tempus & Caunii desciuere ab his, & Myllassenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fracti animi ciuitatis erant, vt non sentirent, si Lycia & Caria ademptæ ab Romanis forent, cætera aut seipsa per defectionem liberarent, aut à finitimis occuparentur: includi se insulæ paruæ, & sterilis agri litoribus, quæ nequaquam alere tantæ vrbis populum posset. Missa igitur iuuentute properè & Caunios, quanquam Cybiratarum asciuerant auxilia, coëgerunt imperio parêre: & Myllassenses Alabandenósque, qui Euromensium prouincia adempta, ad ipsos coniuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt.

Caunij descifcunt à Rhodijs.

Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur, interim in Illyrico L. Anicius rege Gentio, sicut antè dictum est, in potestatem redacto, Scodræ quæ regia fuerat præsidio imposito Gabinium præfecit: Rhizoni & Olcinio vrbibus opportunis C. Licinium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. Vbi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obuiam effusa. Hic præsidio imposito, in Molossidem transgressus: cuius oppidis præter Passaronem & Tegmonem, & Phylacen, & Horreum receptis, primum ad Passaronem ducit.

Quæ in Illyrico gesta sunt, & in Epiro.

Antinous & Theodotus principes eius ciuitatis erant, insignes & fauore Persei, & odio aduersus Romanos, iidem vniuersæ genti authores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia priuatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, vt communi ruina patriæ opprimerentur, clauserunt portas: multitudinem, vt mortem seruituti præponerent, hortantes. Nemo aduersus præpotenteis viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam nobilis & ipse adolescēs, cùm maior à Romanis metus timorem à principibus suis vicisset: Quæ vos rabies, inquit, agitat, qui duorum hominū noxæ ciuitatis accessionē facitis? Equidem pro patria qui lethum oppetissent, sæpe fando audiui: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inuenti sunt. Quin aperimus portas, & imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit? Hæc dicentem cùm multitudo sequeretur, Antinous & Theodotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi offerentes se ipsi vulneribus interfecti: vrbs dedita est Romanis. Simili pertinacia Cephalonis principis clausum Tegmonem, ipso interfecto per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum oppugnationem tulerunt.

B Pacata Epiro, diuisisque in hyberna copiis per opportunas vrbes, egressus ipse in Illyricum, Scodræ, quò quinque legati ab Roma venerant, euocatis ex tota prouincia principibus conuentū habuit. Ibi pro tribunali pronuntiauit de sententia consilii, Senatū populúmque Romanū Illyrios esse liberos iubere, præsidia ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese deducturum: nō solùm liberos, sed etiam immunes fore Issenses & Taulantios, Dissaretiorum Tirustas, Rizonitas, Olciniatas, quòd incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quòd relicto Carauantio cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus & Dassarensibus & Selepitanis, cæterisque Illyriis vectigal dimidium eius quod regi pendissent. Inde in tres partes Illyricum diuisit. vnam eam fecit quæ supradicta est, alteram Labeatas omneis, tertiam Agrauonitas & Rizonitas, & Olciniatas, accolásque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hyberna rediit.

Illyricæ res cōponuntur de Anicij & quinque legatorum sententia.

Dum hæc in Illyrico geruntur, Paulus ante aduentum decem legatorum Q. Maximum filium iam ab Roma regressum ad Aeginium & Agassas diripiendas mittit: Agassas, quòd cùm Martio cos. tradidissent vrbem, petita vltro societate Romana, defecerant rursus ad Persea: Aeginiensium nouum crimen erat. Famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum vrbem ingressos hostiliter sæuierant. Ad Aeniorum quoque hostiliter vrbem diripiendam L. Posthumium misit, quòd pertinacius quàm finitimæ ciuitates in armis fuerant.

Paulus vrbes aliquot diripi iubet.

Autumni ferè tempus erat, cuius temporis initio circumeundam Græciam, visendáque quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quàm oculis noscuntur, vt statuit: præposito castris C. Sulpitio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio & Athenæo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclytum oraculum. Vbi sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinauit.

Paulus Græciam perlustrat.

Lebadiæ quoque templum Iouis Trophonis adiit: ibi cùm vidisset os specus, per quod oraculo vtentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Ioui Hercinnæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi, æuóque antè insulæ ponte continenti iunctæ descendit.

Trophonis specus.

A. Chalcide Aulidem traiicit, trium millium spatio distantem, portum inclytum statione quondam mille nauium Agamemnoniæ classis. Dianæque templum, vbi nauibus cursum ad Troiam, filia victima aris admota rex ille regū petiit.

Aulis.

Inde Oropum Atticæ ventum est, vbi pro deo vates Amphilochus colitur, templúmque vetustum est fontibus riuísque circà amœnum. Athenas inde, plenas quidem & ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habenteis: arcem, portus, muros Pireum vrbi iungenteis, naualia magnorum imperatorum, simulachra deorum hominúmque omni genere & materiæ & artium insignia.

Athenæ.

Sacrificio Mineruæ præsidi arcis in vrbe facto profectus, Corinthum altero die peruenit. Vrbs erat tunc præclara ante exeidium, arx quoque & Isthmus præbuere spectaculum: arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isthmus duo maria ab occasu & ortu solis finitima, arctis faucibus dirimens.

Corinthus.

Sicyonem inde & Argos nobiles vrbes adit: inde haud parem opibus Epidaurū, sed inclytam Aesculapii nobili templo: quod

Sicyon & Argi.

Epidaurus.

quinque

quinque millibus passuum ab vrbe distans, nunc vestigiis reuulsorum donorum, tum donis diues A erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant deo. Inde Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem: vnde per Megalopolin Olympiam ascendit. Vbi & alia quidem spectanda visa, & Iouem velut præsentem intuens, motus animo est. Itaque haud secus quàm si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari iussit. Ita peragrata Græcia, vt nihil eorum quæ quisque Persei bello priuatim ac publicè sensisset, inquireret, ne cuius metu sollicitaret animos sociorum: Demetriadem cùm reuertit, in itinere sordidata turba Aetolorum occurrit. mirantique & percunctanti quid esset, defertur, D L principes ab Lycisco & Tisippo circumsesso senatu per milites Romanos, missos à Bebio præside, interfectos: alios in exilium actos esse: bonaque eorum qui interfecti essent, & exulum, possidere qui arguebant. Iussis Amphipolim adesse, ipse conuento Cn. Octauio Demetriade, postquam fama accidit traiecisse iam mare decem legatos, omnibus aliis omissis Apolloniam ad eos pergit. Quò cùm Perseus obuiam Amphipoli nimis soluta custodia processisset (id diei iter est) ipsum quidem benignè allocutus est: cæterùm postquam in castra ad Amphipolim venit, grauiter increpuisse traditur C. Sulpitium: primùm quòd Persea tam procul à se vagari per prouinciam passus est: deinde quòd adeò indulsisset militibus, vt nudare tegulis muros vrbis ad tegenda hybernacula sua pateretur: referrique tegulas & resarciri tecta sicut fuerant, iussit. Et Persea quidem cum maiore filio Philippo traditos, A. Posthumio in custodiam misit: filiam cum minore filio à Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit. Ipse vbi dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes ciuitatum iusserat, literásque omneis quæ vbique depositæ essent, & pecuniam regiam conferri, cum decem legatis circumfusa omni multitudine Macedonum in tribunali consedit. Assuetis regio imperio, tamen nouum formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribúsque, quæ vel socios, nedum hosteis victos terrere possent. Silentio per præconem facto, Paulus Latinè quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent pronuntiauit: ea Cn. Octauius prætor (nam & ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat. Omnium primùm liberos esse iubere Macedonas, habenteis vrbes easdem, agrósque, vtentes legibus suis, annuos creanteis magistratus: tributum dimidium eius quod pependissent regibus, pendere populo Romano. Deinde in quatuor regiones diuidi Macedoniam. vnam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Aenum & Maroneam & Abdera: trans Strymonem autem vergentia ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen, Heracleam & Bisaltas: ab occasu quà Axius terminaret fluuius, additis Pæonis, qui propè Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cingunt: ad septentrionem Bora mons obiicitur. adiecta huic parti regio Pæoniæ, quà ab occasu præter Axium amnem porrigitur: Edessa quoque & Berœa eódem concesserunt. quarta regio trans Boram montem, vna parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita regionum vbi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eò concilia suæ cuiusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari iussit. Pronuntiauit deinde, neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorúmque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metalla quoque auri atque argenti non exerceri: ferri & æris permitti: vectigal exercentibus dimidium eius impositũ quod pependissent regi. Et sale inuecto vti vetuit. Dardanis repetentibus Pæoniam, quòd & sua fuisset, & cõtinens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronuntiauit, qui sub regno Persei fuissent. Post non impetratam Pæoniam, salis cõmercium dedit: tertiæ regioni imperauit vt Stobos Pæoniæ deueherent, pretiúmque statuit. Naualem Materiam & ipsos cædere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines barbaris essent (excepta autem tertia omnes erant) permisit, vt præsidia armata in finibus extremis haberent. Hæc pronuntiata primo die conuentus, variè affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit, & leuatum annuum vectigal: regionatim cõmerciis interruptis ita videri lacerata tanquã animalia in artus alterom alterius indigẽtis distracta: adeò quanta Macedonia esset, quàm diuisu facilis, & à seipsa quæque contempta pars esset, Macedones quoque ignorabãt. Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis, quæ obiecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniã aditus. Secũda pars celeberrimas vrbes Thessalonicen & Cassandriam habet, ad hoc Pallenem fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbet portus ad Toronen, ac montem Athò (Aeneæ vocant hunc) alii ad insulam Eubœam, alii ad Hellespontum opportunè versi. Tertia regio nobileis vrbes Edessam & Berœam, & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentẽ, incolas quoque permultos Gallos & Illyrios impigros cultores. Quartam regionẽ Eordei & Lincestæ & Pelagones incolunt: iuncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis. Frigida hæc omnis, duráque cultu & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet: ferociores eos & accolæ barbari faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Diuisæ itaque Macedoniæ partiũ vsibus separatis, quãta vniuersos teneat Macedonas formula dicta, cùm leges quoque se daturum ostendisset. Aetoli deinde citati, in qua cognitione magis vtra pars Romanis, vtra regi fauisset, quæsitum est, quàm vtri fecissent iniuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores, exilium pulsis æquè ratum fuit ac mors interfectis. A. Bæbius vnus est damnatus, quòd milites Romanos præbuisset ad ministerium

Lacedæmon

Olympia.

Aetoli Paulo Cos. occurrũt sordidati.

Paulus cum decem legatis res Macedonicas cõponit.

Macedonia in quatuor regiones diuiduntur.

Capita regionum Macedoniæ.

Macedonicarum regionũ situs.

De Aetolis quid Paulus decreuerit.

A nisterium cædis. Hic euentus Aetolorum causæ, in omnibus Græciæ gentibus populísque eorum qui partis Romanorum fuerant, inflauit ad intolerabilem superbiam animos: & obnoxios pedibus eorum subiecit, quos aliqua parte suspicio fauoris in regem contigerat. Tria genera principum in ciuitatibus erant: duo, quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum sibi, priuatim opes oppresis faciebant ciuitatibus: medium vnum, vtrique generi aduersum, libertatem & leges tuebatur. His vt maior apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis eius fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi cùm frequentes & ex Peloponneso, & ex Bœotia, & ex aliis Græciæ conciliis adessent, impleuere aures decem legatorum: non eos tantùm, qui se propalàm per vanitatem iactassent tanquam hospites & amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto fauisse: reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis aduersus Romanos omnia instruxisse: nec aliter eas mensuras in fide gentes, nisi fractis animis partium, aleretur confirmaretúrque authoritas eorum, qui nihil præter imperium Romanorum expectarent. Ab his editis nominibus, euocatis literis imperatoris ex Aetolia Acarnaniáque & Epiro & Bœotia, qui Romam ad causam dicendam sequerentur: in Achaiam ex decem legatorum numero profecti duo, C.Claudius, & Cn.Domitius, vt ipsi edicto euocarent. Id duabus de causis factum: vna, quòd fiduciæ plus animorúmque esse Achæis ad non parendum credebant, & forsitan etiam in periculo fore Callicratem & cæteros criminum authores delatorésque: altera, cur præsentes euocarent, causa erat, quòd ex aliis gentibus principum literas deprensas in commentariis regiis habebant: in Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum literis inuentis. Aetolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil nouatum, nisi quòd Leucas exempta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latius, qui publicè aut priuatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendére: & ad Antissan in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt: quòd Antenorem regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu receptum commeatibus iuuissent. Duo securi percussi, viri insignes: Andronicus, Andronici filius Aetolus, quòd patrem secutus, arma contra populum Romanum tulisset: & Neo Thebanus, quo authore societatem cum Perseo iunxerant. His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus aduocatum concilium: pronuntiatum, quod ad statum Macedoniæ pertinebat, senatores quos Synedros vocant legendos esse, quorum consilio Respublica administraretur. Nomina deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis maioribus quàm quindecim annos natis præcedere in Italiam placeret. Id prima specie sæuum, mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum. Nominati sunt enim regis amici purpuratique duces exer-

Tria genera principũ in Græcis ciuitatibus.

Acarnanes.

Antissæi Methymnã ira ducuntur.

Macedonũ principes in Italiam ire iubentur.

B cituum, præfecti nauium aut præsidiorum, seruire regi humiliter, aliis superbè imperare assueti, prædiuites alii, alii quos fortuna non æquarent his sumptibus pares, regius omnibus victus vestitúsque: nulli ciuilis animus, neque legum, neque libertatis æquè patiens. Omnes igitur qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, iussi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruisset imperio, mors denuntiata. Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, vt non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur: & quas ne vsus quidem longo tempore, qui vnus est legum corrector, experiendo argueret. Ab seriis rebus ludicrum, quòd ex multo antè præparato, & in Asiæ ciuitates & ad reges missis qui denuntiarent, & cum circumiret ipse Græciæ ciuitates indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Nam & artificum omnis generis qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo & athletarum & nobilium equorum conuenit: & legationes cum victimis, & quidquid aliud deorum hominúmque causa fieri magnis ludis in Græcia solet. Ita factum est, vt non magnificentiam tantum, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulæ quoque legationibus paratæ, & opulentia, & cura eadem. Vulgò dictum ipsius ferebant, & conuiuium instruere, & ludos parare, eiusdem esse qui vincere bello sciret. Edito ludicro omnis generis, clypeísque æreis in naues impositis, cætera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam Lunámque matrem, & cæteros deos, quibus spolia hostium dicare ius fásque est, ipse imp. face subdita succendit: deinde circunstantes tribuni militum pro se quisque ignes coniecerunt. Notata est in illo conuentu Europæ Asiæque vndique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis naualibus terrestribúsque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ, vt & priuatis, & ciuitatibus, & gentibus dona data pleraque eius generis sint ab imperatore, non in vsum modò præsentem, sed etiam quod domos aueherent. Spectaculo fuit ei quæ venerat turbæ, non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quàm præda Macedonica omnis vt viseretur exposita, statuarum tabularúmque, textilium, & vasorum ex auro & argento, & ære, & ebore factorum ingenti cura in ea regia: vt non in præsentem modò speciem, qualibus referta regia Alexandriæ erat, sed in perpetuum vsum fierent. Hæc in classem imposita, deuehenda Romam Cn. Octauio data. Paulus benignè legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die peruenit. Prætergressus vrbem, ad Spelæum (quod vocant) biduum moratus, P.Nasicam, & Q.Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea iuuerant bello, misit, iussos ad Oricum sibi occurrere: ipse Epirum petens, quintisdecimis castris Passaronem peruenit. Haud procul inde Anicii castra aberant. ad quem literis missis, ne quid ad ea quæ fierent moueretur: senatum prædam Epiri ciuitatium, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse: summissis centurionibus in singulas vrbes, qui se dicerent ad præsi-

Leges Macedonibus dãtur à Paulo Cos.

Ludicrum Amphipoli Paulus Cos. edidit.

Paulus Cos. Macedonũ omnis generis arma succendit.

Macedonica præda.

Epiri ciuitates, quæ ad Persea defecerant, diripiuntur.

dia

dia deducenda venisse, vt liberi Epirotæ sicut Macedones essent: denos principes ex singulis euocauit ciuitatibus. Quibus cùm denuntiasset, vt aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes ciuitates cohortes dimisit, antè in vlteriores quàm in propiores profecti, vt vno die in omnes peruenirentur. Edita tribunis centurionibúsque erant quæ agerentur: mane omne aurum, argentúmque collatum: hora quarta signum ad diripiendas vrbes datum est militibus: tantáque præda fuit, vt in equitem CCCC denarii, peditibus duceni diuiderentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum vrbium diruti sunt: ea fuere oppida circa LXX. vendita præda omnium, de ea summa militi numeratum est. Paulus ad mare Oricum descendit, nequaquam vt ratus erat expletis militum animis: qui tanquam nullum in Macedonia gessissent bellum, experteis regiæ prædæ esse indignabantur. Orici cùm missas cum Scipione Nasica Maximóque filio copias inuenisset, exercitu in naues imposito, in Italiam traiecit. Et post paucos dies Anicius conuentu reliquorum Epirotarum Acarnanúmque acto, iussísque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem causæ reseruaret: & ipse nauibus expectatis, quibus vsus Macedonicus exercitus erat, in Italiam traiecit. Cùm hæc in Macedonia Epiróque gesta sunt, legati, qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos & regem Eumenen missi erant, in Asiam peruenerant. Induciis per hyemem factis, & Galli domos abierant, & rex in hyberna concesserat Pergamum, grauique morbo æger fuerat. Ver primum ex domo exciuit: iámque Synnada peruenerant, cùm Eumenes ad Sardeis vndique exercitum contraxerat. Ibi & Romani Solouettium ducem Gallorum Synnadis allocuti, & Attalus cum eis profectus: sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, retulítque ferociorem eum deprecando factum: vt mirum videri posset, inter opulentos reges Antiochum Ptolemæúmque tantum legatorum Romanorum verba valuisse, vt extemplò pacem facerent: apud Gallos nullius momenti fuisse. Romam primùm reges captiui Perseus & Gentius in custodiam cum liberis abducti, dein turba alia captiuorum: tum quibus Macedonum denuntiatum erat, vt Romam venirent, principúmque Græciæ. nam hi quoque non solùm præsentes exciti erant: sed etiam si qui apud reges esse dicebantur, literis accersiti sunt. Paulus ipse post dies paucos regia naue ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantùm armorum, sed etiam regiorum textilium, aduerso Tiberi ad vrbem est subuectus, completis ripis obuiam effusa multitudine. Paucos post dies Anicius & Octauius classe sua aduecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus: mandatúmque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex authoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, vt iis quo die vrbem triumphantes inueherentur, imperium esset. Intacta inuidia media sunt, ad summa fermè tendit. Nec de Anicii, nec de Octa- B
uii triumpho dubitatum est. Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat: de præda parcius quàm sperauerant ex tantis regiis opibus dederat: nihil relicturus, si auiditati indulgeretur, quod in ærarium deferret: totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfuturus comitiis ferendæ legis. Sed eos Seruius Sulpitius Galba, qui tribunus militum secundæ legionis in Macedonia fuerat, priuatim imperatori inimicus, prensando ipse, & per suæ legionis milites solicitando stimulauerat, vt frequentes ad suffragium adessent: imperiosum ducem & malignum, antiquando rogationem quæ de triumpho eius ferretur, vlciscerentur: plebem vrbanam secuturam esse militum iudicia: pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse: ne speraret ibi fructum gratiæ, vbi nõ meruisset. His incitatis, cùm in Capitolio rogationem eam T. Sempronius tribunus plebis ferret, & priuatis lege dicendi locus esset ad suadendum, vt in re minimè dubia, si quisquam procederet: Seruius Galba repentè processit, & à Tr. postulauit, vt quoniam hora iam octaua diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Aemylium non iuberent triumphare: in posterũ diem differrent, & manè eam rem agerent. Integro sibi die ad causam eam orandam opus esse. Cùm tribunus dicere eo die, si quid vellet, iuberet: in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonẽdóque exacta acerbè munia militiæ, plus laboris, plus periculi quàm desiderasset res iniunctum: cõtrà in præmiis, in honoribus, omnia arctata: militiámque, si talibus succedat ducibus, horridiorẽ asperiorémque bellantibus, eandem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliori fortuna, quàm milites Romanos, esse. Si frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potenteis viros, nõ omnia in ducis, aliquid & in militum manu esse. His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium còmpleuerunt, vt aditus nulli præterea ad suffragiũ ferendum esset. Intrò vocatæ primæ tribus cùm antiquarent, concursus in Capitoliũ principũ ciuitatis factus est, indignũ facinus esse clamitantiũ, L. Paulum tanti belli victorem despoliari triumpho: obnoxios imperatores tradi licentiæ atque auaritiæ militari: in vno nimis se per ambitionem peccare. Quid si domini milites imperatoribus imponantur? In Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem hoc tumultu sedato, M. Seruilius qui COS. & magister equitũ fuerat, vt de integro eam rem agerẽt ab tribunis petere, dicendíq; sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni cùm ad deliberandũ secessissent, victi authoritatibus principũ, de integro agere cœperunt, reuocaturósq; se easdem tribus renuntiarũt, si M. Seruilius aliiq; priuati qui dicere vellent, dixissent. Tum Seruilius: Quãtus imp. L. Aemylius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari posset, vel hoc satis erat, quòd cùm tam seditiosos & leues milites, tam nobilem, tam temerariũ, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem seueritas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos cõtinuit. Itaque antiqua disciplina habiti neque fecerunt

Paulus cum exercitu in Italiam traiecit.

Regulus Gallograecorũ uerbis legatorũ Romanorũ nõ mouetur.

Paulo, Anicio & Octauio a Senatu triũphus decernitur.

Seruius Galba Pauli inimicus.

De Pauli triumpho maxima disceptatio.

Seruilij pro Paulo ad Quirites oratio.

A fecerunt. Seruius quidem Galba, si in L. Paulo accusando tyrocinium ponere & documentũ eloquẽtiæ dare voluit, non triumphum impedire debuit: quem, si nihil aliud, senatus iustum esse iudicauerat: sed postero die quàm triumphatum est, priuatum eum visurus esset, nomen deferret, & legibus interrogaret: aut serius paulo, cùm primùm magistratus ipse cepisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret. Ita & pretium rectè facti triumphum haberet L. Paulus pro egregiè bello gesto: & pœnam, si quid & vetere gloria sua & noua indignum fecisset. Sed videlicet cui crimen nullum probrum dicere poterat, eius obtrectare laudes voluit. Diem integrum hesterno die accusandum L. Paulum petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumpsit. Quis vnquam tam nocens reus fuit, cuius vitia vitæ tot horis expromi non possent? Quid interim obiecit, quod L. Paulus, si causam dicat, negatum velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: vnam militum Macedonicorum, puram alteram integrioris iudicii & à fauore & odio vniuerso iudicante populo Romano apud concionem togatam & vrbanam prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos Serui Galba diceres? Illa enim tibi tota abscissa oratio esset: in statione seuerius & intentius instititi: vigiliæ acerbius & diligentius circumitæ sunt, operis plus quàm antea fecisti, cum ipse imperator & exactor circumires. Eodem die & iter fecisti, & in aciem ex itinere duxisti. Ne victorem quidem te adquiescere passus est, statim ad persequendos hostes duxit. Cùm te præda partienda locupletem facere posset, pecuniam regiam translaturus in triumpho est, & in ærarium laturus. Hæc sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent, qui parum licentiæ, parum auaritiæ suæ inseruitum censent: ita apud populum Romanũ nihil valuissent, qui vt vetera atq; audita à parẽtibus suis non repetat, quæ ambitione imperatorum clades acceptæ sint, quæ seueritate imperii victoriæ partæ, proximo certè Punico bello, quid inter M. Minutium magistrum equitum, & Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit. Itaque accusatorem id scire potuisse, & superuacaneam defensionem Pauli fuisse. Transeatur ad alteram concionem: nec Quirites vos, sed milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, & verecundiam aliquam imperatoris violandi afferre posit. Equidem ipse aliter affectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quàm paulo antè eram, cùm ad plebem vrbanam spectabat oratio. Quid etiam dicitis milites? Aliquis est Romæ, præter Persea, qui triumphari de Macedonibus nolit: & eum non iisdem manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphanteis vrbem inire prohibet. Erratis milites, si triumphum imperatoris tantùm, & non militum quoque, & vniuersi populi Romani esse decus censetis. Non vnius hoc Pauli. Multi etiam qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quàm C. Luctatio primi Punici belli, quàm P. Cornelio secundi, quàm illis qui triumphauerunt. Nec L. Paulum minorẽ aut maiorem imperatorẽ triumphus faciet, militum magis in hoc vniuersiq; populi Romani fama agitur, primùm ne inuidiæ & ingrati animi aduersus clarissimum quemque ciuem opinionem habeat, & imitari in hoc populum Atheniensem lacerantem inuidia principes suos videatur. Satis peccatum in Camillo à maioribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum à Gallis vrbem violarunt: satis insuper vobis in P. Africano, Literni domicilium & sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulchrum ostendi. Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paulus, iniuria vestra exæquetur. Hæc igitur primùm infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani, aut Pauli similis esse in ingrata & inimica bonis ciuitate velit? Si infamia nulla esset, & de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non communem nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis, ipsorum tantùm imperatorum, an populi Romani dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho modò, nec de Annibale, sed de Epirotis Carthaginiensibúsque triumphi acti sunt: sic non M. Curius tantùm, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est causa, qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt insignes, triumphum nominentient, suásque & imp. laudes canentes per vrbem incedunt. Si quando non deportati ex prouincia milites ad triumphum sint, fremunt, & tamen suum quoque, se absenteis, quòd suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, & non statim confecta prouincia dimissi sitis: quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid moremini hic, & non diuersi domos quisq; abeatis vestras: quid aliud respondeatis, quàm vos triumphanteis videri velle? Vos certè victores conspici velle debebatis. Triumphatum nuper de Philippo patre huius & de Antiocho est: ambo regnabant, cum de his triumphatum est. De Perseo capto in vrbem cum liberis abducto non triumphabitur? Quòd si in curru scandenteis Capitolium auratos purpuratósque, ex inferiore loco Lucius Paulus in turba togatorum vnus priuatus interroget: Luci Amici, Cn. Octaui, vtrum vos digniores triumpho esse, an me censetis? currum ei cessuri, & præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri: & vos Gentium quàm Persea duci in triumphum mauultis Quirites, & de accessione potius belli quàm de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ vrbem inibunt, & nauales socii, Macedonicæ legiones suo abrogato triumphos alienos spectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? Quónam abdentur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quò signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu tanquam furtiua in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum? nobilissimus opulentissimúsque rex captus vbi victori populo ostenditur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus & Alexander filii re-

gis, tanta nomina ſubtrahentur ciuitatis oculis? Ipſum L. Paulum bis COS. domitorem Græciæ, omnium oculi conſpicere vrbem curru ingredientem auent. Ad hoc fecimus conſulem, vt bellum per quadriennium ingenti etiam pudore noſtro tractum perficeret: cui ſortito prouinciam, cui proficiſcenti præſagientibus animis victoriam triumphúmque deſtinauimus, ei victori triumphum negaturi? & quidem non homines tantùm, ſed deos etiam ſuo honore fraudaturi: diis quoque enim, non ſolùm hominibus, debetur. Verum maiores veſtri omnium magnarum rerum & principia exorſi ab diis ſunt, * & finem eum ſtatuerunt? Conſul proficiſcens prætorve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem, in Capitolio triumphans, ad eoſdem deos quibus vota nuncupauit, merita dona populi Romani traducit: pars non minima triumphi eſt, victimæ præcedentes, vt appareat diis grates agentem imperatorem ob Rempublicam bene geſtam redire. Omneis illas victimas quas traducendas in triumpho vindicauit, alias alio cædente mactate. illas quidem epulas ſenatus, quæ nec priuato loco, nec publico profano, ſed in Capitolio eduntur: vtrum hominum voluptatis cauſa, an deorum hominúmque, authore Seruio Galba turbaturi eſtis? L. Pauli triumpho portæ claudentur? rex Macedonum Perſeus cum liberis & turba alia captiuorum, ſpolia Macedonum, circa flumen relinquentur? L. Paulus priuatus, tanquam rure rediens, à porta domum ibit? Et tu centurio, miles, quid de imp. Paulo ſenatus decreuit potius, quàm quid Seruius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius quàm illum audi. Ille nihil præterquam loqui, & ipſum maledicè ac malignè didicit: ego ter & vicies cum hoſte per prouocationem pugnaui: ex omnibus cum quibus manum conſerui ſpolia retuli, inſigne corpus honeſtis cicatricibus omnibus aduerſo corpore exceptis habeo. Nudaſſe deinde dicitur: & quo quæque bello vulnera accepta eſſent, retuliſſe. Quæ dum oſtentat, adapertis fortè quæ velanda erant, tumor inguinum proximis riſum mouit. tum, hoc quoque quod ridetis, inquit, in equo dies noctéſque perſedendo habeo: nec magis me eius quàm cicatricum harum pudet, pœnitétque, quando *nunquam* mihi impedimento ad Rempublicam bene gerendam domi militiæque fuit. Ego hoc *ferro ſæpe* vexatum corpus vetus miles adoleſcentibus militibus oſtendi. Galba nitens & integrum denudet. Reuocate, ſi videtur, tribuni ad ſuffragium tribus: ego ad vos milites. A

* *

ſummam omnis captiui auri argentíque tranſlati HS millies ducenties fuiſſe, Valerius Antias tradit: quæ haud dubiè maior aliquanto ſumma ex numero plauſtrorum ponderibúſque auri argenti generatim ab ipſo ſcriptis efficitur. Alterum tantum aut in bellum proximum abſumptum, aut in fuga cum Samothracem peteret diſsipatum, tradunt: eóque id mirabilius erat, quòd tantum pecuniæ intra triginta annos poſt bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coaceruatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniæ Philippus, Perſeus contrà prædiues, bellare cum Romanis cœpit. Ipſe poſtremò Paulus in curru magnam cùm dignitate alia corporis, tum ſenecta ipſa maieſtatem præ ſe ferens. poſt currum inter alios illuſtres viros filii duo, Maximus & P. Scipio: deinde equites turmatim, & cohortes peditum ſuis quæque ordinibus. Pediti in ſingulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti: tantum pediti datum fuiſſe credunt, & pro rata aliis, ſi aut non refragati honori eius fuiſſent, aut benignè hac ipſa ſumma nunciata acclamaſſent. Sed non Perſeus tantùm per illos dies documentum humanorum caſuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per vrbem hoſtium ductus, ſed etiam victor Paulus auro purpuráque fulgens. Nam duobus è filiis, quos duobus datis in adoptionem, ſolos nominis, ſacrorum familiæque hæredes retinuerat domi: minor fermè XII annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior XIIII annorum triduo poſt triumphum deceſsit: quos prætextatos curru vehi cum patre, ſibi ipſos ſimileis prædeſtináteis triumphos oportuerat. Paucis pòſt diebus data à M. Antonio tribuno plebis cóncione, cùm de ſuis rebus geſtis more cæterorum imperatorum diſſeruiſſet, memorabilis eius oratio & digna Romano principe fuit. Quanquam & quàm feliciter Rempub. adminiſtrauerim, & quòd duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, cùm ſpectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint: tamen paucis quæſo ſinatis me cum publica felicitate comparare eo quo debeo animo priuatam meam fortunam. Profectus ex Italia claſſem à Brunduſio ſole orto ſolui, nona diei hora cum omnibus meis nauibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibúſque & claſsibus luſtra ſacrificaui. A Delphis quinto die in caſtra perueni: vbi exercitu accepto, mutatis quibuſdam, quæ magna impedimenta victoriæ erant, progreſſus, quia inexpugnabilia caſtra hoſtium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter præſidia eius ſaltum ad Petram euaſi: & ad pugnam rege coacto acie vici: Macedoniam in poteſtatem populi Romani redegi. & quod bellum per quadriennium quatuor ante me conſules ita geſſerunt, vt ſemper ſucceſſori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde ſecundarum rerum velut prouentus ſecutus: ciuitates omnes Macedoniæ ſe dediderunt: gaza regia in poteſtatem venit: rex ipſe, tradentibus propè ipſis diis, in templo Samothracum cum liberis eſt captus. Mihi quoque ipſi nimia iam fortuna mea videri, eóque ſuſpecta eſſe. Maris pericula timere cœpi in tanta pecunia regia in Italiam traiicienda, & victore exercitu tranſportando. Poſtquam omnia ſecundo nauium curſu in Italiam peruenerunt, neque erat quòd vltrà precarer, illud optaui, vt cùm ex ſummo retro volui fortuna conſueſſet, mutationem eius domus mea potius, quàm Reſpublica ſentiret. Itaque defunctam eſſe fortunam publicam mea tam inſigni calamitate ſpero, quòd triumphus meus, velut ad ludibrium caſuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum B

Pauli triũphus

Duorũ Pauli liberorum mors.

Pauli ad Quirites de rebus ſuis geſtis oratio.

A est interpositus. Et cùm ego & Perseus nunc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur, ille qui ante se captiuos captiuus ipse duci liberos uidit, incolumes tamen eos habet: ego qui de illo triumphaui, ab alterius funere filii currum ex Capitolio propè iam expirantē veni: neq; ex tanta stirpe liberûm superest qui Lucii Aemylii Pauli nomen ferat. Duos enim tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos, Cornelia & Fabia gens habet. Pauli in domo præter se nemo superest. Sed hanc cladem domus meæ, vestra felicitas & secunda fortuna publica consolatur. Hæc tanto dicta animo magis confudêre audientium animus, quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset. Cn. Octauius Calendis Decembribus de rege Perseo naualem triumphum egit. Is triumphus sine captiuis fuit, sine spoliis. Dedit sociis naualibus in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus qui in nauibus fuerant duplex, magistris nauium quadruplex. Senatus deinde habitus est: patres censuerunt vt Quintus Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret, comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bitis regis Thracum filius cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Cæteros captiuos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies quàm hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum filium aliósque obsides adportantes.. Eis in senatum introductis, & idipsum argumenti prætendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello iuuisse Persea, quòd obsides dare coactus esset: orantibúsque vt eos pretio, quantum ipsi statuissent patres, redimi paterentur: responsum ex authoritate senatus est, populum Romanum meminisse amicitiæ quæ cum Cotye maioribúsque eius & gente Thracum fuisset. obsides datos crimen, non criminis defensionem esse, cùm Thracum genti ne quietus quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Cæterùm etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi Romani, magis quid se dignum esset, quàm quid merito eius fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse populi Romani: pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quàm præsens exigere. Legati nominati, T. Quintius Flamininus, C. Licinius Nerua, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: & Thracibus munera data in singulos binum millium æris. Bitis cum cæteris obsidibus à Carseolis accersitus, ad patrem cum legatis missus. Naues regiæ captæ de Macedonibus inusitatæ antè magnitudinis, in campu Martio subductæ sunt. Hærente adhuc non in animis modò, sed penè in oculis memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalibus triumphauit de rege Gentio, Illyriísque. Similia omnia magis visa hominibus, quàm paria: minur ipse imp. & nobilitate Anicius cum Aemylio, & iure imperii Prætor cum cos. collatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia Macedonicæ, non dona donis comparari poterant.

Octauij triumphus naualis.

Legati regis Thracū Romā uenunt.

L. Anicij triumphus de Gentio rege Illyriorum.

B Itaque sicut præfulgebat huic triumphus recens: ita apparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies terra maríque ferocem, locísque munitis fretam gentem Illyriorum: regem, regíæque omneis stirpis ceperat: transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliáque alia & supellectilem regiam: auri pondo viginti & septem, argenti decem & ix pondo: denariûm tria millia: & cxx millia Illyrici argenti. Ante currum ducti Gentius rex cum coniuge & liberis, & Carauantius frater regis, & aliquot nobiles Illyrii. De præda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum ciuibus, & sociis naualibus dedit quantum militibus. Lætior hunc triumphum est secutus miles, multísque dux ipse carminibus celebratus. HS ducenties ex ea præda redactum esse, author est Antias, præter aurum argentúmque quod in ærarium sit latum: quod quia vnde redigi potuerit, non apparebat, authorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis & coniuge & fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus, cæteri captiui Romæ in carcerem coniecti: recusantibúsque custodiam Spoletinis, Iguuium reges traducti. Reliquum ex Illyrico prædæ ccxx lembi erant: de Gentio rege captos eos Corcyreis & Apolloniatibus & Dyrrhachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit. Consules eo anno agro tantùm Ligurum populato, cùm hostes exercitus nūquam eduxissent, nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt: & primò comitiali die consules crearunt, M. Claudium Marcellum, C. Sulpitium Gallum. Deinde prætores postero die, L. Iulium, L. Apuleium Saturninum, A. Licinium Neruam, P. Rutilium Caluum, P. Quintilium Varum. M. Fonteium. His prætoribus duæ vrbanæ prouinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ, Sicilia & Sardinia. Intercalatum eo anno: postridie Terminalia intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus est C. Claudius: in eius locum augures legerunt T. Quintium Flamininum: & flamen Quirinalis mortuus, M. Fabius Pictor. Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is magno comitatu vrbem ingressus, ad forum à porta, tribunálque Q. Cassii prætoris perrexit: concursúque vndique facto, deos qui vrbem Romam incolerent, senatúmque & populum Romanum salutatum se dixit venisse: & gratulatum quòd Persea Gentiúmque reges vicissent, Macedonibúsque & Illyriis in ditionem redactis, auxissent imperium. Cùm prætor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset: biduum petiit, quo templa deûm vrbémque & hospites amicósque viseret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quæstor, qui & Capuam ei obuiam missus fuerat: & ædes, quæ ipsum comitésque eius benignè reciperent, conductæ. Tertio pòst die senatum adit, gratulatus victoriam est: merita sua in eo bello commemorauit: petiit, vt votum sibi soluere, Romæ in Capitolio decem maiores hostias, & Præneste vnam Fortunæ liceret: ea vota pro victoria populi Romani esse. Et vt societas secum renouaretur: agérque sibi de rege Antiocho captus, quem nulli datum à populo Romano Galli possiderent, daretur. Filiúm postremò Nicomedem senatui commendauit. Omnium qui in Macedonia imperatores fuerant, fauore est adiutus.

Ligurū ager uastatur à Coss.

Intercalares.

Prusias rex Romam uenit.

Prusiæ postulata.

Itaque cætera quæ petebat concessa: de agro responsum est, legatos ad rem inspiciendam missuros. Si ager populi Romani fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factum apparere: aut si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius inioria quidquam ei datum vellet populus Romanus. Ne quod detur qoidem, gratum esse donum posse, quod eum qui det vbi vellet ablaturum esse sciat. Facilè Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur popolus Romanus, documento Ptolemæum Aegypti regem esse. Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex sestertiis iussa dari, & vasorum argenteorum pondo L & filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabæ filio regis Masanissæ data essent: & vt victimæ aliáque qoæ ad sacrificium pertinerent, seu Romæ, seu Præneste immolare vellet, regi ex publico sicut magistratibus Romanis præberentur: & vt ex classe quæ Brundusii esset, naues longæ viginti assignarentur quibus vteretur: donec ad classem dono datam ei rex peruenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumptúmque ipsi & comitibus præberet, donec nauem conscendisset. Mirè lætum & ea benignitate in se populi Romani regem fuisse, ferunt: munera sibi ipsum emisse: filium iussisse donum populi Romani accipere. Hæc de Prusia nostri scriptores. Polybius eum regem indignom maiestate nominis tanti tradit: pileatum capite raso obuiam ire legatis solitum, libertúmqoe se populi Romani ferre, & ideo in signia ordinis eius gerere. Romæ quoqoe cùm veniret in curiam, summisisse se, & osculo limen curiæ contigisse: & deos seruatores suos senatum appellasse: aliámque orationem uon tam honorificam audientibus, quàm sibi deformem habuisse. Moratus circa vrbem XXX haud amplius dies, in regnum est profectus. A

Prusiæ assentatio.

FINIS.

L. FLORI IN RELIQVAS TITI LIVII DECADES, QVÆ DESIDERANTVR, EPITOME. B

LIBRI XLVI

EVmenes rex Romam uenit. qui, quia Macedonico bello se medium egerat, ne aut inimicus indicatus uideretur, si exclusus esset: aut liberatus crimine, si admitteretur: in comitio lex lata est, ne cuiquam regi Romam uenire liceret. Claudius Marcellus CO. Alpinos Gallos C. Sulpitius Gallus Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos depopularetur: dixerúntque, eum conspirasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum deprecantibus Rhodijs iuncta est. Lustrum à censoribus conditum est. Censa eo sunt ciuium capita CCCXXVII millia, XXII. Princeps senatus lectus M. Aemylius Lepidus. Ptolemæus Aegyptiorum rex à minore fratre è regno pulsus, missis ad eum legatis, in regnum restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius eius Ariarathes accepit regnũ: & amicitiã per legatos cum populo Romano renouauit. Rex præterea aduersus Ligures, Corsos, & Lusitanos uario euentu gestas, & motus Syriæ mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam quia minimè dimittebatur à Romanis, interemit: & ipse in regnum receptus. L. Aemylius Paulus, qui Perseum uicerat, mortuus: cuius tanta abstinentia fuit, ut cùm ex Hispania & Macedonia maximas opes retulisset, uix ex auctione bonorum eius redactum sit, unde dos uxori eius redderetur. Pomptinæ paludes à Cornelio Cethego consule, cui ea prouincia euenerat, siccatæ, agérque ex ijs factus.

LIBRI XLVII

Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta est, quòd cum M. Aemylio Lepido pontifice maximo iniuriose contenderat. Sacrorum quoque magistratuum ius potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum à censoribus conditum est. censa sunt ciuium capita CCCXXVIII millia, CCCXIIII. Et princeps senatus lectus Aemylius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, ut alter in Aegypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ rex consilio Demetrij regis Syriæ, & uiribus pulsus, regno à senatu restitutus est. Missi à senatu legati, qui inter Masanissam & Carthaginienses de agro iudicarent. C. Martius COS. aduersum Dalmatas parum prosperè primùm, postea feliciter pugnauit. cum quibus bello confligendi causa fuit, quòd Illyricos popul. Romani socios uastauerant. eandémque gentem Cornelius Nasica COS. domuit. Q. Opimius COS. transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim & Nicæam uastabant, subegit. Præterea in Hispania à compluribus parum prosperè res gestas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octauo ab urbe condita magistratum peractis comitijs, insequentísque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati ad disceptandum inter Masanissam, & Carthaginienses missi nuntiauerunt, uim naualis materiæ se Carthagine deprehendisse. Quidam prætores à prouincijs auaritiæ nomine accusati, & damnati sunt.

LIBRI XLVIII

Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXIII millia. Semina tertij belli Punici referuntur. Cùm in finibus Carthaginiensium maximus Numidarum exercitus, Arcobarzane duce Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, qui exercitum specie contra Masanissam regem, sed reuera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. contradicente P. Cornelio Nasica, placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quòd contra fœdus exercitum & nauales materias haberent, pacem inter Masanissam & eos facere uoluerunt: Masanissa agro, de quo lis erat, cedente. sed Gisgo, Amilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cùm senatum pariturum se iudicio legatorum dixisset, ita bellum aduersus Romanos suadendo concitauit: ut legatis, quo minus uiolarentur, fugam expedierit. Id nuntiantes infestum iam senatum Carthaginiensibus, infestiorem fecerunt M. Porcius Cato funus mortui filij in pretura tenuißimo, ut ualuit, (nam pauper erat) sumptu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti asseueratione mentiretur, Romam missus. M. Aemylius Lepidus, qui princeps senatus sexies iam censoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filijs, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quàm æris denos consumerent: imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum uirorum funera solere. De ueneficijs quæsitum. Publilia, & Licinia nobiles fœminæ, quæ uiros suos necasse insimulabantur, cognita causa, cùm pretori prædes uadésque dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt. Gulussa Masanissæ filius denuntiauit Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui. Cùm Cato suaderet, ut ijs bellum indiceretur: P. Cornelio Nasica dicente nihil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Posthumius Albinus COSS. cùm delectum seuerè agerent, nec quenquam gratia dimitterent: à tribunis plebis, qui pro amicis suis uacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti sunt. Hispaniense bellum cùm parum prospere aliquoties gestum ita confudisset ciuitatem Romanam, ut ne ij quidem inuenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire uellent, P. Cornelius Aemylianus processit: & excepturum militiæ genus, quodcunque imperatum esset, professus est, quo exemplo ad militandi studium omnes incitauit. L. Lucullus COS. cui Claudius Marcellus successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cùm uideretur: Vacceos, Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus, L. Pauli filius, Africani nepos, sed adoptiuus, prouocatorem barbarum tribunus militum occidit: & in expugnatione captæ urbis maius multo etiam periculum adijt. nam murum primus omnium transcendit. Seruius Sulpitius Galba prætor male aduersus Lusitanos pugnauit. Cùm legati ex Africa cum Carthaginiensium oratoribus, & Gulussa Masanissæ filio redijssent, dicerentque, & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententiam placuit, Catone, & alijs principibus senatus suadentibus ut in Africam confestim transportaretur exercitus. quia uerò Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi iustam causam belli uideri: placuit, ut bello desisteretur, si Carthaginienses classem exussissent, & exercitum dimisissent: si minus, proximi consules de bello Punico referrent. Cùm locatum à censoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Nasica authore, tanquam inutile, & nociturum publicis moribus, ex Senatusconsulto destructum est, populúsque aliquandiu stans ludos spectauit. Carthaginienses tum aduersum fœdus bellum Masanissæ intulerunt. Victi ab eo nonagesimum secundum annum habente, & sine pulpamine mandere, & gustare cibum tantummodo solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

LIBRI XLIX

Tertij Punici belli initium altero & sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quàm erat cœptum, consummatum omnino est. Inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientißimum uirum in ciuitate habebant, alter uir optimus à senatu iudicatus erat, diuersis certatum est sententijs: Catone suadente bellum, & ut omnino deleretur Carthago: Nasica dissuadente. placuit nihilominus, eo quòd contra fœdus naues haberent, & extra fines exercitum duxissent, quódque socio populi Romani, & amico Masanissæ arma intulissent, & quòd filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minimè recepissent, bellum ijs indici. Prius quàm ullæ copiæ in naues imponerentur, Uticenses legati Romam uenerunt, se, suaque omnia dedentes. Ea legatio, ueluti maximum belli omen grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti: qui anno primo primi Punici belli, quingentesimo & altero anno ab urbe condita facti erant. Legati triginta Romam uenerunt, per quos Carthaginienses se dedebant. Catonis sententia peruicit, ut decreto perstaretur, & ut consules quamprimum proficiscerentur ad bellum. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperauerant, trecentis obsidibus, & armis, omnibúsque instrumentis belli, siqua Carthagine erant: tunc cum ex authoritate patrum iuberent, ut in alio loco procul à mari decem millia passuum, nec minus, remoto oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri, oppugnarique cœpta est Carthago à L. Martio, M. Manlio consulibus. In qua oppugnatione, cùm neglectos ab una parte muros duo tribuni temerè cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis grauiter cæderentur, à Scipione Africano explicati sunt. per quem & castellum Romanorum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus iuuantibus liberatum est: castrísque, quæ Carthaginienses omnibus copijs pariter ab urbe egreßi oppugnabant, liberatis, is præcipuam gloriam tulit. Præterea cùm ab irrita oppugnatione Carthaginis COS. (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere aduersus Asdrubalem uellet, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primò consuli, ne tam iniquo loco confligeret. uictus deinde complurium, qui & prudentiæ eius, & uirtuti inuidebant, sententijs, & ipse saltum ingressus est. cúmque, sicut prædixerat, fusus fugatúsque esset Romanus exercitus: & duæ cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reuersus liberauit eas, & incolumes reduxit. Quam uirtutem eius & Cato uir promptioris multo ad uituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret: reliquos, qui in Africa militarent, umbris militare: Scipionem uigere. Et populus Romanus eo fauore illum complexus est, ut comitijs plurimæ eum tribus consulem scriberent, cùm hoc per ætatem minimè liceret. Cùm L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani qui ex fœdere populo Romano dediti, à Sergio Galba in Galliam uenissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrimè suasit. extat oratio in annalibus eius inclusa. Q. Fuluius nobilior etiam ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. ipse quoque Galba cùm se damnari uideret, complexus duos filios prætextatos, & filium Caij Sulpitij, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. extant tres orationes eius: duæ aduersum Libonem tribunum plebis, rogationésque eius habitæ de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes cæsos fatetur: quod compertum habuerit, equo atque homine suo immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus uocatus, cùm ab urbe Roma quò illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam eius famam uelut ad ueram euntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut uoluntate incolentium, aut armis occupauit. Fabulam autem huiusmodi finxerat. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret, aliquod uelut semen stirpis regiæ extaret. Perseo demortuo, Adramyti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis patrem esse credentem, à quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. affecto deinde eo, cùm prope uitæ finem ultimum esset, detectam tandem originem suam: falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cùm

ad puberem ætatem uenisset: obtestationésque ultimas adiectas, ut res in occulto ad id tempus seruaretur. pubescenti libellum tradidit: in quo relicti sibi duo thesauri à patre dicerentur. tum scientem mulierem subditiuum se esse, ueram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius quàm ad Eumenem manaret res, Perseo inimicum, excederet ijs locis, ne interficeretur. eo se exterritum, simul sperantem aliquod auxilium à Demetrio, in Syriam se contulisse: atque ibi primùm quis ipse omnino esset, palàm expromere ausum.

LIBRI L

Thessalia, cùm & illam inuadere armis, atque occupare Pseudophilippus uellet, per Romanorum legatos auxilijs Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atque uitiorum, à Nicomede filio adiuuante Attalo rege Pergami occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum legatos ad pacem inter Nicomedem & Prusiam faciendam Romani misissent: & unus ex ijs caput multis cicatricibus sparsum haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur: dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum inertia secordiáque similem Prusiæ regem habebat: iacente eo in ganeo & lustris, Ammonius regnabat, per quem & amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus Demetrij filius, occisi. Masanissa Numidiæ rex maior nonaginta annis, uir insignis decessit. Inter cætera opera iuuenilia, quæ ad ultimum edidit, adeò etiam uersus in senectam uiguit, ut post sextum & octogesimum annum genuerit unum filium. Inter tres liberos, maximum natu Mycipsam, Gulussam, & Manastabalem, qui etiam Græcis literis erat eruditus: P. Scipio Aemylianus, cùm commune eis pater regnum reliquisset, & diuidere eos arbitrio Scipionis iussisset, administrationem regni diuisit. Item Phameæ Himilconis præfecto equitum Carthaginiensium, uiro forti, & cuius opera præcipua Pœni utebantur suasit, cum equitatu suo ad Romanos transire. Trium legatorum, qui ad Masanissam missi fuerant: Claudius Marcellus coorta tempestate fluctibus obrutus est. Carthaginienses Asdrubalem Masanissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia interemerunt. quæ suspicio inde emanauit, quòd propinquus esset Gulussæ, auxilia Romanorum iuuantis. P. Scipio Aemylianus cùm ædilitatem peteret, consul à populo dictus, quoniam per decem annos consulem fieri minimè licebat, cum maximo certamine suffragantibus plebeijs, & repugnantibus aliquantum patribus, legibus solutus, & C O S. creatus est. M. Aemylius nonnullas urbes circumpositas Carthagini expugnauit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu M. Iuuentio prætore, à Q. Cæcilio uictus, captúsque recepta Macedonia.

DECADIS VI LIBRI LI

CArthago uiginti tria millia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa, & per partes capta est, primùm à Mancino legato, deinde à Scipione consule, cui extra sortem prouincia Africa data est. Carthaginienses portu nouo, quia uetus à Scipione erat obstructus, facto, & contracta exiguo tempore ampla classe, naualis prælio infeliciter pugnauerunt. Asdrubalis quoque eorum ducis castra ad Nefentem oppidum loco difficillimo sita cum exercitu deleta sunt à Scipione. qui tandem urbem expugnauit septingentesimo anno, quàm erat condita. spoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Vltimo urbis excidio cum se Asdrubal Scipioni dedisset, uxor eius, quæ paucis antè diebus de marito minimè impetrare potuerat ut ad uictorem transfugeret, se flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis, ex arce præcipitauit. Scipio exemplo patris eius Aemylij Pauli, qui Macedoniam uicerat, ludos fecit, transfugas atque fugitiuos bestijs obiecit. Belli Achaici semina referuntur hæc. Qui legati populi Romani ab Achaicis pulsati sunt, Corinthum missi erant, ut eas ciuitates quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

LIBRI LII

Cum Achæis, qui in auxilium Bœotios & Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit. quibus uictis, dux eorum Critolaus ueneno sibi mortem consciuit. in cuius locum Drachus Achaici motus primus author ab Achæis dux creatus, ad Isthmon à L. Mumio consule uictus est. qui, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex Senatusconsulto diruit, quia ibi legati Romanorum uiolati erant. Thebæ quoque, & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mumius se abstinentissimum uirum egit. nec quicquam ex ijs opibus ornamentisque quæ prædiues Corinthus habuit, in domum eius peruenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphauit. P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus de Carthagine & Asdrubale. Viriatus primùm in Hispania ex pastore uenator, & ex uenatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, uniuersam Lusitaniam occupauit. M. Vetilium prætorem, fuso eius exercitu, cepit. post quem C. Plautinus prætor nihilo felicius rem gessit, tantúmque terrorem is hostis intulit, ut aduersus eum consulari opus esset & duce & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter reges gesta referuntur: Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso (sicut antè dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrij filius, qui à patre quondam ob incertos belli casus ablegatus in Gnidon fuerat, contempta secordia inertiáque eius, adiuuante Ptolemæo Aegypti rege, cuius filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput grauiter uulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, expirauit, atque in locum eius frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, à Diodoro quodam uno ex subiectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam fugit. L. Mumius de Achæis triumphauit. signa ærea, marmoreáque, & tabulas pictas in triumpho tulit.

LIBRI LIII

Ap. Claudius C O S. Salassos, gentem alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia à L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. à Q. Fabio proconsule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis multis urbibus, recepta est. C. Iulius senator Græcè res Romanas scripsit.

LIBRI LIIII

Q. Pompeius C O S. in Hispania Termestinos subegit. cum eisdem quidem, & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita C C C C X X V I I I millia, C C C X L I I. Cùm Macedonum legati conquestum uenissent de Iunio Syllano prætore, quòd acceptis pecunijs prouinciam spoliasset: & senatus de querelis eorum uellet cognoscere: T. Manlius Torquatus, Syllani pater, petijt, impetrauitque, ut sibi huiusmodi cognitio mandaretur. & domi causa cognita, filium condemnauit, abdicauitque: ac ne funeri quidem eius, cum suspendio uitam finisset, interfuit: sedénsque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul, rebus in Hispania prosperè gestis labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus à proditoribus consilio Seruilij Cepionis interemptus est, & ab exercitu eius multum imploratus, ac nobilissimè tumulatus.

tumulatus, uir duxque maximus, per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LIBRI LV

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit, ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum: & D. Iunio Bruto COSS. delectum habentibus in conspectu tyronum res saluberrimi exempli facta est. nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quòd exercitum in Hispania deseruisset, damnatúsque sub furca diu uirgis cæsus est: & sestertio nummo uenijt. Tribuni plebis quia non impetrarunt ut sibi denos, quos uellent, milites eximere liceret, consules in carcerem mitti iusserunt. Iunius Brutus COS. in Hispania, ijs qui sub Viriato militauerant, agros, oppidúmque dedit, quod Valentia uocatum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus, fugatúsque. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cauea euolauerunt. conscendenti deinde in nauim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri: mane mane Mancine, Mancino auspicia tristia fuisse probatum est. uictus enim à Numantinis, & castris exutus, cùm spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus uetuit. Triginta millia Romanorum à Numantinorum millibus quatuor uicta erant. D. Iunius Lusitaniam urbium expugnationibus usque ad oceanum perdomuit: & cùm fluuium Obliuionem transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit: & sic ut transgrederentur persuasit. Alexander filius rex Syriæ, decem annos admodum habens, à Diodoro, qui Triphon cognominabatur, tutore suo per fraudem occisus est: corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.

LIBRI LVI

D. Iunius Brutus in ulteriore Hispania feliciter aduersus Gallecios pugnauit, dissimili euentu M. Aemylius Lepidus proconsul aduersus Vacceos rem gessit: cladémque similem Numantinæ passus est. Ad exoluendum Numantini fœderis religione populum Mancinum, cùm huius rei author fuisset: deditum Numantinis, minimè est receptus. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCXXIII. millia. Fuluius Flaccus COS. Vardeos in Illyrico subegit. M. Cæsonius prætor in Thracia cum Scordiscis prosperè pugnauit. Cùm uitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est ultro Scipioni Africano à senatu, populóque Romano consulatus: quem cùm ille capere ob legem, quæ uetabat quenquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minimè uellet: sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum seruile in Sicilia ortum, cùm opprimi à prætoribus minimè ualuisset: C. Fuluio consuli mandatum est. cuius belli initium fuit Eunus seruus, natione Syrus, qui contracta agrestium seruorum manu, & solutis ergastulis, iusti exercitus numerum impleuit. Cleon quoque alter seruus ad LXX millia seruorum contraxit: & copijs iunctis contra populum Romanum, exercitúmque eius bellum sæpenumero gesserunt.

LIBRI LVII

Scipio Africanus Numantiam obsedit: & corruptum licentia luxuriáque exercitum, ad generosissimam militiæ disciplinam reuocauit. omnia enim deliciarum instrumenta recidit: duo millia scortorum à castris reiecit. militem omni die in opere habuit: & triginta dierum frumentum, ad septenos uallos ferre cogebat. ægrè propter onus incedenti dicebat: Cum gladio rectè uallare scieris, uallum ferre desinito. Alij nimirum parum habiliter scutum ferenti, eum scutum amplius iusto ferre iussit. neque id se reprehendere: quoniam melius scuto, quàm gladio uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, uitibus: si extraneus, uirgis cecidit. Iumenta quidem omnia, ne exoneraret milites, uendidit. multoties contra hostium eruptiones feliciter pugnauit. Vaccei obsessi, liberis & coniugibus trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa, cùm celare alijs imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit. eáque omnia referre quæstorem in publicas tabulas iussit, ex ijs uiris fortibus munera se daturum. Cùm undique Numantiam obsidione clausisset, & oppressos fame uideret urgeri, hostes qui pabulatum exierant, uetuit interimi: quòd diceret, uelocius eos absumpturos frumentum, quòd haberent, si plures quidem fuissent.

LIBRI LVIII

Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis, cùm agrariam legem ferret aduersus uoluntatem senatus, & equestris ordinis, nequis ex publico agro plus quàm decem iugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octauio collegæ causam diuersæ partis defendenti potestatem lege lata abrogaret: seque & fratrem Gracchum, & Ap. Claudium socerum triumuiros ad diuidundum agrum crearet. Promulgauit & aliam legem Agrariam, quasi quis latius agrum patefaceret, ut ijdem omnino triumuiri iudicarent quà publicus ager, quà priuatus esset. deinde cùm minus agri esset, quàm quod diuidi posset: sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitauerat, legem se promulgaturum ostendit ob id, ut ijs qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ regis Attali fuisset, diuideretur. Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus grauiter senatus, antè omnes C. Antonius COS. qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatúsque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Cùm iterum tribunus plebis creari uellet Gracchus, authore P. Cornelio Nasica in Capitolio à primatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum: & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus est in flumen proiectus. Res præterea in Sicilia uario euentu aduersus fugitiuos gestas continet.

LIBRI LIX

Numantini fame maximè coacti, ipsi se per uices trucidauerunt. Captam urbem Scipio Africanus deleuit, & de ea triumphauit: quartodecimo anno post Carthaginem deletam. P. Attilius COS. in Sicilia cum fugitiuis debellauit. Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupauit: cum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet. Aduersus eum P. Licinius Crassus COS. cum idem pontifex maximus esset: quod nunquam antea factum erat: extra Italiam profectus, prælio uictus, & interemptus est. M. Perpenna COS. uictum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius, & Q. Metellus, tunc primùm uterque ex plebe censores facti. Lustrum à censoribus est conditum. Censa sunt capita CCCXIII millia, DCCCXXIII. præter pupillos & uiduas. Q. Metellus censor censuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum causa. extat oratio eius, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, uelut eo tempore scriptam in senatu recitauit. C. Attinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, à quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo deijci iussit: quod ne fieret, cæteri tribuni plebis auxilio quàm maximè fuerunt. Cùm Carbo tribunis plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis quoties quidem uellet, creari liceret: rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit. in qua dixit, T. Gracchum iure cæsum uideri. Gracchus contrà suasit rogationem: sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum regem Syriæ, & Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Aegypti referuntur. Ptolemæus Euergetes cognominatus, ob nimiam eius crudelitatem suis inuisus, incensa à populo regia clàm in Cyprum profugit. & cùm sorori eius Cleopatræ, quam eius uirgine filia per uim compressa, & in matrimo-

nium ducta repudiauerat, regnum à populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, in Cypro occidit, capùtque eius, & manus, & pedes matri misit. Seditiones à triumuiris Fuluio Flacco, & C. Graccho, & C. Carbone de agro diuidundo creatis excitatæ: quibus cùm P. Scipio Africanus aduersaretur, fortisque ac ualidus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inuentus est. Suspecta fuit, tanquam uenenum ei dedisset Sempronia uxor, hinc maximè, quòd soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat, de morte tamen eius nulla quæstio acta. quo defuncto, seditiones triumuirales acrius exarserunt. C. Sempronius C O S. contra Iapydas primò rem malè gessit, mox uictoria cladem acceptam emendauit, uirtute C. Iunij Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat.

LIBRI LX

Aurelius C O S. Sardos subegit. Fuluius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit, missus in Auxilium Massiliensibus aduersus Salluuios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit: Fregellas diruit. Pestilentia in Africa à maxima multitudine locustarum, & deinde necatarum strage fuisse traditur. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita C C C X C millia, D C C X X X V I. C. Gracchus, Tyberij frater, tribunus plebis eloquentior quàm frater, perniciosas aliquas leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam, quam frater eius tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem cum senatu consentientem corruperat: (trecenti senatores erant, sexcenti equites) ut trecentis senatoribus admiscerentur, id est, ut equester ordo bis tantum uirium in senatu haberet. & continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrarijs latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in solo dirutæ Carthaginis: quò ipse triumuir creatus, coloniam deduxit. Præterea res à Q. Metello consule aduersus Baleares gestas continet, quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant. Baleares à teli missu appellati: uel à Baleo Herculis comite ibi relicto tunc, cùm Hercules ad Geryonen nauigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium uirum suum, & Seleucum filium, multùm indignata, quòd occiso patre eius à se, iniussu suo diadema sumpsisset, interemit.

DECADIS VII LIBRI LXI

C. Sextius proconsul, uicta Saluiorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atque à nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium multùm feliciter pugnauit. Quibus bellum inferendi causa fuit, quòd Teutomalium Saluiorum regem fugientem recepissent, & omni ope iuuissent, quodque Heduorum agros, sociorum populi Romani uastauissent. C. Gracchus seditioso tribunatu acto, cùm Auentinum armata quoque multitudine occupauisset, à L. Opimio cõsule, ex Senatusconsulto uocata ad arma populo pulsus, interemptus est, & cum eo Fuluius Flaccus socius eiusdem. Q. Fabius Maximus C O S. Pauli nepos, aduersus Allobroges, & Bituitum Aruernorum regem, feliciter pugnauit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum uiginti. & cùm ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est, quia contra pacem uidebatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus, filius eius, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius accusatus apud populum à Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos ciues in carcerem coniecisset, liberatus est.

LIBRI LXII

Cn. Marcius C O S. Sarnios gentem Alpinam expugnauit. Micipsa Numidarum rex mortuus, regnum tribus filijs reliquit, Adherbali, Hyempsali, & Iugurthæ fratris filio, quem in filium adoptauerat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas obsedit. Iugurtha Hyempsalem fratrem bello petijt, quem uictum interemit: Adherbalem regno expulit, qui à senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Aenobarbus censores, duos & triginta senatu amouerunt. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXIII

Cato Porcius C O S. in Thracia malè aduersus Scordiscos pugnauit. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt ciuium capita C C C X C I I I I millia, C C C X X X V I. Aemylia, Licinia, & Marcia uirgines Vestales incesti damnatæ sunt: idque incestum quemadmodum commissum, deprehensum, & indicatum sit, refertur. Cimbri gens uaga populabundi in Illyricum uenerunt, ab ijs Papyrius Carbo COS. cum exercitu fusus est. Liuius Drusus C O S. aduersus Scordiscos, gentem à Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnauit, magnúmque honorem tulit.

LIBRI LXIIII

Adherbal bello petitus à Iugurtha, & in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Iugurthæ bellum indictum: idque etiam Calpurnius Bestia C O S. gerere iussus pacem cum Iugurtha iniussu populi & senatus fecit. Iugurtha fide publica euocatus ad indicãdum consiliorũ authores, quòd multos, pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam uenit: & propter cædem admissam in regulum quendam nomine Massiuam, qui regnum eius populo Romano inuisi appetebat, interfectum, Romæ cùm periclitaretur, causam capitis dicere iussus, clàm profugit, & discedens urbe fertur dixisse: O urbem uenalem, & citò periturum, si emptorem inuenerit. A. Posthumius legatus infeliciter prælio aduersus Iugurtham gesto conflixit, pacémque etiam multum ignominiosam adiecit, quam quidem minimè esse seruandam senatus censuit.

LIBRI LXV.

Q. Cæcilius Metellus C O S. duobus prælijs Iugurtham fudit, & uniuersam Numidiam uastauit. M. Iunius Syllanus C O S. aduersum Cimbras infeliciter pugnauit: legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, postulantibus senatus negauit. M. Minutius proconsul contra Thracas feliciter quidem pugnauit. L. Cassius C O S. à Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui à ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est: milites qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LIBRI LXVI

Iugurtha pulsus à C. Mario ex Numidia, auxilio Bocchi Maurorum regis adiutus est: & cæsis prælio Bocchi quoq; copijs, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, uinctus ab eo, & traditus Mario est: in qua re præcipua opera L. Cornelij Syllæ quæstoris Marij fuit.

LIBRI LXVII

Aurelius Scaurus legatus consulis à Cimbris fuso exercitu, captus est: & cùm in consilium ab ijs euocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quòd diceret Romanos uinci minimè posse, à Bolo rege feroce iuuene occisus est. Ab ijsdem hostibus C. Manlius, & Q. Seruilius Cepio proconsules uicti prælio, castrisque binis exuti sunt: octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani iussionem, Cepionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona

publicata

publicata sunt: primóque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum. In triumpho C. Marij ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filijs, & in carcere necatus. Marius triumphali ueste in senatum uenit, quód nemo ante eum fecerat, eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est: consulatu secundo & tertio absens C O S. creatus, quartum consulatum dißimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, uastatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyreneum sunt, per saltum in Hispaniam transgreßi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati sunt: reuersique in Galliam, bellicosis quidem se Teutonis coniunxerunt.

LIBRI LXVIII

Antonius prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est. C. Marius C O S. summa ui oppugnata à Theutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde prælijs circa Aquas Sextias eos hostes deleuit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintùm C O S. creatus est, triumphum oblatum, donec Cimbros uinceret, distulit. Cimbri repulso ab Alpibus fugatóque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliquerátque, ubi uirtute sua explicata fugientem proconsulem, exercitúmque prosecuti in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli & C. Marij exercitibus, prælio uicti sunt ab eis: in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius ciuitatis consensu receptus, pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores ciuitatis, qui aliquantulum, ut nouo homini ad tantos honores euecto, inuiderant, conseruatam ab eo Rempublicam fatebantur. P. Malleolus, matre interempta, primus omnium insutus culleo, in mare præcipitatus est. Ancylia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum cõsummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges continet.

LIBRI LXIX

Cn. Apuleius Saturninus adiuuante C. Mario, & per milites occiso A. Nunio competitore, tribunus plebis per uim creatus, non minus uiolenter tribunatum, quàm petierat, gesßit. & cùm legem Agrariam per uim tulisset, Metello Numidico, eo quòd in eam minimè iurasset, diem dixit, qui cùm à bonis ciuibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in uoluntarium exilium Rhodum profectus est: ibique legendo, & audiendis magnis uiris uacabat. Profecto C. Marius seditionis author, qui sextum quidem consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua & igni interdixit. Idem Apuleius Saturninus tribunus pl. C. Memmium candidatũ consulatus petitorem, quem maximè aduersarium actionibus suis timebat, interemit, quibus rebus concitato quamplurimũ senatui in eius causam, & C. Marius homo mutabilis & uarij consilij ingenijque, qui semper secundam fortunam transierat, cùm eum tueri minimè posset, oppressus armis cum Glaucia prætore, & alijs eiusdem furoris socijs bello quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exilio, ingenti totius fauore ciuitatis reductus est. M. Aquilius C O S. in Sicilia bellum seruile concitatum confecit.

LIBRI LXX

Cùm M. Aquilius de pecunijs repetundis causam diceret, ipse rogare iudices noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero eius rei solus author. Didius proconsul aduersus Celtiberos feliciter pugnauit. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit, & eius regni ciuitates senatus liberas esse iußit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ à L. Cornelio Sylla reductus est. Parthorum legati à rege Arsace missi ad Syllam uenerunt, ut amicitiam à populo Romano peterent. P. Rutilius uir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marij proconsulis à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est. C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnauit. Senatus cùm impotentiam equestris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni ui niti cœpit, ut ad se iudicia transferrentur, sustinente causam eius M. Liuio Druso tribuno plebis: qui, ut uires sibi acquireret, perniciosa spe largitionis plebem concitauit. Præterea motus Syriæ regum continet.

DECAD. VIII. LIBRI LXXI

M. Liuius Drusus tribunus plebis ut maioribus uiribus senatus causam susceptam tueretur, socios. & Italicos populos, spe ciuitatis Romanæ solicitauit: ijsque adiuuantibus per uim legibus agrarijs frumentarijsque latis, legem quoque iudicialem tulit, ut æqua parte iudicia penes senatum & equestrem ordinem essent. Cùm deinde promissa socijs ciuitas præstari non posset, irati Italici defectionem cœperunt agitare. eorum coitus, coniurationes, orationésque in concilijs principum referuntur: propter quæ Liuius Drusus etiam senatui inuisus factus, uelut socialis belli author, incertum à quo, domi occisus est.

LIBRI LXXII

Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites: initio belli à Picentibus moto. Q. Seruilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est: saga populus sumpsit. Seruius Galba à Lucanis comprehensus, unius fœminæ opera, ad quam diuertebatur, captiuitate exemptus est. Esernia & Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinon Latini nominis, externarúmque gentium missa populo Romano, & expeditiones inuicem, urbiúmque expugnationes referuntur.

LIBRI LXXIII

L. Cæsar C O S. malè aduersus Samnites pugnauit. Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Posthumio prætore uenit: qui interemptus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cùm P. Rutilius COS. parum prosperè contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset, C. Marius legatus eius meliore quidem euentu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpitius Pelignos fugit. Q. Cepio legatus Rutilij, cùm obsessus prosperè in hostes erupisset, & ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, & circumuentus insidijs, fuso exercitu cecidit. L. Cæsar C O S. feliciter contra Samnites pugnauit. ob eam uictoriam Romæ saga posita sunt. & ut uaria belli fortuna esset, Esernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium uenit. Sed & Marius prælio Marsos fudit: Hirrnio Asinio prætore Marrucinorum occiso, C. Cæcilius in Gallia transalpina Saluios rebellantes uicit.

LIBRI LXXIIII

Cn. Pompeius Picentes prælio fudit, & obsedit. propter quam uictoriam Romæ prætextæ, aliáque magistratuum ornamenta insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio euentu pugnauit. Libertini tum primum militare cœperunt. Aurelius Plotius legatus Vmbros, L. Porcius prætor Marsos, cùm uterque populus defecisset, prælio uicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt. Cn. Pompeius C O S. Marsos acie uicit. Cùm ære alieno oppressa esset ciuitas, A. Sempronius Asellus prætor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab ijs qui fænerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam, populationésque continet.

LIBRI LXXV

A. Posthumius Albinus legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius legatus, cùm classi preesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus. L. Cornelius Sylla legatus Samnites prælio uicit. & bina castra eorum expugnauit. C. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius COS. rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus uictoriam eius prælij dedit. Cosconius & Luceius Samnites acie uicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem occiderunt, compluráque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites multis prælijs fudit, aliquot populos recepit: quantisque raró quisquam ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus,

LIBRI LXXVI

A. Gabinius legatus, rebus aduersum Lucanos prosperè gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius legatus Marrucinos cecidit, uniuersámque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque à L. Murena, & Cæcilio Pinna legatis aliquot prælijs fracti pacem petierunt. Asculum à C. Pompeio captum est, cæsis à Mamerco Aemylio legatis Italicis. Sylo Popedius, dux Marsorum, author huius rei in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno à Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam continet.

LIBRI LXXVII

Cùm P. Sulpitius tribunus plebis authore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exules reuocarentur, & noui ciues, libertinique distribuerentur in tribus, & ut Marius aduersus Mithridatem Ponti regem dux crearetur: & aduersantibus COSS. Q. Pompeio, & L. Syllæ uim intulisset: occisoque Pompeij consulis filio, genero Syllæ, L. Sylla COS. cùm exercitu in urbem uenit, & aduersus factionem Sulpitij & Marij in ipsa urbe pugnauit, eámque expulit. ex quo duodecim à senatu hostes, inter quos C. Marius pater & filius iudicati sunt. P. Sulpitius cùm in quadam uilla lateret, indicio serui sui retractus & occisus est. seruus, ut præmium promissi indicij haberet, manumissus est, & ob scelus domini proditi de saxo deiectus est. C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater, cùm in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis. & cùm ad occidendum eum missus seruus natione Gallus maiestate tanti uiri perterritus recessisset, impositus publicè in nauim delatus est in Africam. L. Sylla ciuitatis statum ordinauit: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius COS. ad capiendum à Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio eius occisus est. Mithridates Ponti rex Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquilio legato, Phrygiam prouinciam populi Romani cum ingenti exercitu intrauit.

LIBRI LXXVIII

Mithridates Asiam occupauit: Q. Oppium proconsulem, item Aquilium legatum in uincula coniecit: iussuq; eius quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, oppugnauit: & aliquot prælijs naualibus uictus recessit. Archelaus præfectus regis in Græciam cum exercitu uenit, Athenas occupauit. Præterea trepidationem urbium, insularúmque, alijs ad Mithridatem, alijs ad populum Romanum ciuitates suas trahentibus, continet.

LIBRI LXXIX

Cornelius Cinna cùm perniciosas leges per uim ferret, pulsus urbe à Cn. Octauio collega cum Sextio tribuno plebis: imperióque ei abrogato, corruptum Ap. Claudij exercitum in potestatem suam redegit, & bellum urbi intulit, accersito C. Mario cum alijs exulibus ex Africa. in quo bello duo fratres, alter ex Pompeij exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt. & cùm uictor mortuum spoliaret, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei extructo ipse supra rogum se transfodit, & eodem igni consumptus est. Et cùm opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompeij fraude, qui utranque partem fouendo, uires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, & consulis segnitie confirmati Cinna & Marius quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio & Carboni dati sunt, urbem circunsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnauit, & crudeliter diripuit.

LIBRI LXXX

Italicis populis à senatu ciuitas data est. Samnites, qui soli arma recipiebant, Cinnæ & Mario se coniunxerunt. ab ijs Plancius cum exercitu cæsus est. Cinna & Marius cum Carbone & Sertorio Ianiculum occupauerunt, & fugati ab Octauio consule recesserunt. Marius Antium quidem, & Ariciam, & Lauinium colonias deuastauit. Cùm nulla omnino spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem & perfidiam & ducum & militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diuersas partes transibant: Cinna & Marius in urbem recepti sunt, qui uelut captam eam cædibus & rapinis uastarunt. Cn. Octauio consule occiso, & omnibus aduersæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo uiro, & C. Cæsare, quorum capita in rostris posita. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus. pater Crassus, ne quid indignum uirtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum seipsos renuntiauerunt, eodem die quo magistratum inierant: Marius Sex. Licinium senatorem de saxo deijci iussit, editisque multis sceleribus Idibus Ianuarijs decessit: uir, cuius si examinentur cum uirtutibus uitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeó quam Rempublicam armatus seruauit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremó armis euertit.

DECADIS IX. LIBRI LXXXI

L. Sylla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circunsedit, & cum maximo labore expugnauit, urbi libertatem, & ciuibus quæ habuerant reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia ciuitas in fide manserat, summa uirtute aduersus Mithridatem defensa est. Præterea à Thracibus in Macedonia gesta continet.

LIBRI LXXXII

Sylla copias regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam uenerant, prælio uicit, cæsis hostium centum millibus, castris quoque expugnatis. renouato deinde bello, iterum exercitũ eius fudit ac deleuit. Archelaus cum classe regia Syllæ se tradidit. L. Valerius Flaccus COS. collega Cinnæ missus, ut Syllæ succederet, propter auaritiam inuisus exercitui suo à C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine occisus est: & imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes à Mithridate, & crudeliter direpta prouincia, incursionésque Thracum in Macedoniam referuntur,

LIBRI LXXXIII

C. Fimbria in Asia fusis aliquot copijs Mithridatis, urbẽ Pergamum cepit, obsessumq; regem nõ abfuit multum quin caperet: urbẽ

Ilion, quæ se potestati Syllæ reseruabat, expugnauit ac deleuit, & magnam partem Asiæ recepit. Sylla multis prælijs Thraces cæcidit. Cum L. Cinna, & Cn. Papyrius Carbo à se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam pararent: effectum quidem est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, & per eos qui concordiæ studebant, ut legati ad Syllam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem inuitum cogebat naues conscendere, & aduersus Syllam proficisci, interemptus est. consulatum Carbo solus gessit. Sylla cùm in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit, ita ut his cederet prouincijs: Asia, Bithynia, Cappadócia. Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Syllam transierat, ipse se percußit: impetrauitque à seruo, præbens ceruicem, ut eum omnino interficeret.

LIBRI LXXXIIII

Sylla legatis, qui à senatu mißi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si ciues qui à Cinna pulsi ad se confugerant, restituerentur. quæ conditio cùm iusta senatui uideretur, per Carbonem factionémque eius, cui bellum uidebatur utilius, ne conueniret effectum est. Idem Carbo, cùm ab omnibus oppidis Italiæ obsides exigere uellet, ut fidem illorum contra Syllam obligaret, consensu senatus prohibitus. Nouis ciuibus Senatusconsulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, cùm in Africa bellum moliretur, à C. Fabio prætore pulsus est, senatúsque consultum per factionem Carbonis, & Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt. Præterea belli apparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur, continet.

LIBRI LXXXV

Sylla in Italiam cum exercitu traiecit: mißisque legatis qui de pace agerent, & à consule Cn. Carbone, & C. Norbano uiolatis, eundem Norbanum prælio uicit. Et cùm L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem iungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, uniuersus exercitus consulis solicitatus per emissos à Sylla milites, signa ad Syllam transtulit. Scipio, cùm interimi posset, dimissus est. Cn. Pompeius, Cn. F. eius qui Asculum ceperat, conscripto quidem uoluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam uenerat, ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra ueniretur. Præterea expeditiones per uniuersam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

LIBRI LXXXVI

Cùm C. Marius, C. Marij filius C O S. ante annos uiginti per uim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem & auaritiã in prætorio suo uiuus exustus est. L. Philippus legatus Syllæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso & occiso occupauit. Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab ijs uelut erepturus ciuitatem, & suffragij ius nuper datum, fœdus percußit. idemque ex fiducia iam certæ uictoriæ litigatores, à quibus adhibebantur uadimonia, Romam deferre iußit. Cùm à parte diuersa urbs adhuc teneretur, L. Damasippus prætor ex uoluntate C. Marij consulis, cùm senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidauit. ex cuius quidem numero Q. Mutius Scæuola pontifex maximus fugiens, in uestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum à L. Murena aduersus Mithridatem in Asia renouatum continet.

LIBRI LXXXVII

Sylla C. Marium, exercitu eius fuso deletóque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit, urbem Romam ex inimicorum manibus recepit, Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res à legatis eius eadem ubique fortuna partium gestas continet.

LIBRI LXXXVIII

Sylla Carbonem, exercitu eius ad Clusium, ad Fauentiam, Fidentiámque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma deposuerant, iuxta urbem Romam ante portam Collinam debellauit: recuperatáque Republica pulcherrimam uictoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit, inquinauit. Octo millia deditorum in uilla publica trucidauit: tabulam proscriptionis posuit: urbem & uniuersam italiam cædibus repleuit. inter quos omnes Prænestinos inermes interimi iußit. Marium senatorij ordinis uirum cruribus brachijsque fractis, auribus præsectis, & effoßis oculis necauit. C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Afella, Syllanarum partium uiro, cùm per cuniculum captaret euadere, septus ab exercitu, mortem sibi consciuit in ipso cuniculo, cùm sentiret se euadere minimè posse, cum Pontio Telesino fugæ comite stricto utrinque gladio concurrit. quem cùm occidisset, saucius à seruo impetrauit, ut se occideret.

LIBRI LXXXIX

L. Brutus à Cn. Papyrio Carbone, qui Corcyram appulerat, missus naue piscatoria Lilybaum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, & circumuentus à nauibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone uerso ad transtrum nauis obnixus corporis pondere: occubuit. Cn. Pompeius in Siciliam cum imperio à senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sylla dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat, cum fascibus uiginti quatuor processit, rebúsque nouis Reipublicæ statum confirmauit, tribunorum plebis potestatem minuit, & omne ius legum ferendarum ademit: pontificum, augurúmque collegium ampliauit, ut essent quindecim: senatum ex equestri ordine suppleuit: proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit, & bona eorum uendidit. ex quibus primò multa rapuit. redactum est sestertium ter millies, quingentiesque. Lucretium Afellam consulatum contra uoluntatem suam petere ausum, iußit interimi in foro: & cùm indignè ferret populus Romanus, concione uocata se iußisse dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hieram regem Numidarum bellum molientes, uictos interemit: & IIII & XX annos natus adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphauit. Cn. Norbanus consularis proscriptus in urbe Rhodo, cùm comprehenderetur, se ipse interemit. Metellus ex proscriptis unus etiam capite adoperto, ad postícum ædis Bastiæ uxoris cùm accessisset, admissus minimè est, quia ullum proscriptum diceret: itaque se transfodit, & sanguine suo fores respersit. Sylla Nolam in Samnio recepit. XLVII legiones in agros captos deduxit, & eos ijs diuisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia quæ sola urbs post uictum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ, dirutæque sunt.

LIBRI XC

Sylla deceßit, honósque ei à senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Lepidus, cùm acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitauit, & à Q. Catulo collega Italia pulsus est, & in Sardinia frustra bellum moliens periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, à Cn. Pompeio occisus est. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitauit. L. Manlius proconsul, M. Antonius legatus ab Hirtuleio quæstore prælio uicti sunt. Præterea à P. Seruilio proconsule aduersus Cilicas res gestas continet.

DECADIS X. LIBRI XCI

CN. Pompeius, cùm adhuc quæstor esset, cum imperio consulari aduersus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnauit, plurimásque ciuitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus prælijs uicit. Q. Metellus proconsul L. Hirtuleium, quæstorem Sertorij, omni cum exercitu cæcidit.

LIBRI XCII

Cn. Pompeius adhuc dubio euentu cum Sertorio pugnauit, ita ut singula ex utraque parte cornua uicerint. Qu. Sertorius Metellum & Perpennam cum duobus exercitibus prælio fudit. cuius uictoriæ partem cupiens auferre Pompeius, parum prosperè pugnauit. obsessus deinde Calagurij Sertorius assiduis eruptionibus non leuiora damna obsidentibus tulit. Præterea à Curione proconsule in Thracia res gestas aduersus Dardanos, & Q. Sertorij multa crudelia in suos facta continet. qui plurimos amicorum, & secum proscriptorum, crimine proditionis insimulatos interemit.

LIBRI XCIII

P. Seruilius procõsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnauit. Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum Romanum fecit hæredem, regnúmque eius in prouinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum cum populo Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium naualiúmque, & occupata Bithynia. M. Aurelius Cotta COS. ad Chalcedonem prælio à rege uictus est, réxque à Pompeio & Metello uictus: & ut contra Sertorium egerunt, qui omnibus belli militiæque artibus par fuit. quos etiam ab obsidione Calagurij oppidi depulsos, coegit diuersas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

LIBRI XCIIII

L. Lucullus COS. aduersus Mithridatem equestribus prælijs feliciter pugnauit: & expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentésque pugnam milites à seditione inhibuit. Deiotarus Gallogræciæ tetrarches, præfectos Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cæcidit. Præterea res à Pompeio in Hispania contra Sertorium prosperè gestas continet.

LIBRI XCV

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt: & congregata seruorum & ergastulorum multitudine, Chryso & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Varenum prætorem prælio uicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferróque deleuit, pulsúmque à Bithynia regem uarijs belli ac naufragiorum casibus fractum coegit in Pontum profugere.

LIBRI XCVI

Q. Arius prætor Chrysum, fugitiuorum ducem, cum uiginti millibus hominum cæcidit. C. Lentulus COS. malè aduersus Spartacum pugnauit. Ab eodem L. Gellius, & Q. Arius prætor acie uicti sunt. Sertorius à M. Antonio, & M. Perpenna, & alijs coniuratis in conuiuio interfectus est, octauo ducatus sui anno, magnus dux, & aduersus duos imperatores, Pompeium & Metellum sæpe par, ut frequentius uictor, ad ultimum desertus & proditus. Imperium partium ad Marium tralatum est. quem Cn. Pompeius uictum captúmque interemit, ac recepit Hispanias decimo ferè anno, quàm cœptum est bellum. C. Cassius proconsul, Cn. Manlius prætor malè aduersus Spartacum pugnauerunt, idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

LIBRI XCVII

M. Crassus prætor primùm cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis Germanísque constabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorum XXXV millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco dein debellauit, cæsis cum ipso millibus quadraginta. M. Antonius prætor bellum aduersus Cretenses parum prosperè gestum morte sua finiuit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto aduersus Mithridatẽ feliciter pugnauit, cæsis hostium amplius quàm sexaginta millibus. M. Crassus. & Cn. Pompeius COSS. facti sunt. * sicut Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano. tribunitiam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per M. Aurelium Cottam prætorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus ad Tigranem Armeniæ regem confugit.

LIBRI XCVIII

Machares filius Mithridatis, Bosphori rex, à L. Lucullo in amicitiã receptus est. C. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt: quatuor & sexaginta senatu motis, à quibus lustrum conditum est. Censa sunt ciuium capita CCCCL millia. L. Metellus prætor in Cilicia aduersum piratas prosperè rem gessit. Templum Iouis in Capitolio, quod incendio consumptum erat, refectum à Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem & Tigranem, & inmensas utriusque regis copias multis certaminibus fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi aduersum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius legatus Luculli aduersus Mithridatem parum prosperè pugnauit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem, ac Tigranem, summámque uictoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebant. quia legiones Valerianæ, impleta à se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

LIBRI XCIX

Q. Metellus proconsul Gnoson, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas ciuitates expugnauit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompeius lege ad populum lata persequi piratas iussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit, belloque cum ijs in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis, agros & urbes dedit. Præterea res à Q. Metello aduersus Cretenses continet: & epistolas Metelli, & Cn. Pompeij inuicem missas. queritur Metellus gloriam rerum à se gestarum à Pompeio sublatam præteriri, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius Romæ rationem reddit, hoc se facere debuisse.

LIBRI C

C. Manilius tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur. Concio eius bona. Q. Metellus domitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges tulit. Cn. Pompeius ad gerendum bellum aduersus Mithridatem profectus cum rege Parthorum Phraate amicitiam renouauit: equestri prælio Mithridatem uicit. Præterea bellum inter Phraatem regem Parthorum, & Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium Tigranem, patrémque gestum continet.

DECADIS XI LIBRI CI

CN. Pompeius Mithridatem nocturno prælio uictum coëgit Bosphoron profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria, Phœnicia, & Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Coniuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis C O S S. oppressa est. Cn. Pompeius cùm Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotásque gentes penetrauit: Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant prælio uicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochósque, & res ab eo in Bosphoro gestas continet.

LIBRI CII

Cn. Pompeius in prouinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. ab eo Mithridates obsessus in regia, cùm ueneno sumpto parum profecisset ad mortem, à milite Gallo, nomine Bithoco, à quo ut iuuaretur petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudæos subegit. fanum eorum in Hierosolyma inuiolatum ante id tempus cepit. L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo pratore & Cethego & pluribus coniurauit, de cæde consulum & senatus, incendijs urbis, opprimenda Republica. exercitu quoque in Hetruria comparato. Ea coniuratio industria M. Tullij Ciceronis eruta est, Catilina urbe pulso: de reliquis coniuratis omnino sumptum supplicium est,

LIBRI CIII

Catilina à C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus. P. Clodius accusatus, quòd in mulieris habitu sacrarium, in quod uirum intrare nefas est, intrasset: cúmque uxorem Metelli Pontificis stuprauisset, absolutus. Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transijt. C. Cæsar Lusitanos subegit. eoque consulatus candidato, & captante Rempublicam inuadere, conspiratio inter tres principes ciuitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, & C. Cæsarem. Leges agrariæ à Cæsare consule cum maxima contentione, inuito senatu, ab altero consule M. Bibulo latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prosperè rem gessit. M. Cicero lege à P. Clodio tribuno plebis lata, quia indemnatos ciues necauisset, in exilium missus est. Cæsar in prouinciam Galliam profectus, Heluetios, gentem uagam, domuit: quæ sedem quærens, per prouinciam Cæsaris Narbonem iter facere uolebat. Præterea situm Gallarum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane & Tigranis filio triumphauit: Magnúsque à tota concione consalutatus est.

LIBRI CIIII

Prima pars libri situm Germaniæ, moréſque continet. C. Cæsar contra Germanos, qui Ariouisto duce in Galliam descenderant, cum exercitum duceret rogatus ab Heduis, & Sequanis, quorum ager possidebatur: trepidationem militum propter metum nouorum hostium ortam allocutione exercitus inhibuit, & uictos prælio Germanos Gallia omni expulit. M. Cicero, Pompeio inter alios orante, & T. Annio Milone tribuno pl. ingenti gaudio senatus, ac uniuersæ Italiæ ab exilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annona cura mandata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Viromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum quidem maxima multitudo erat, prælio uictos in deditionem accepit: ac deinde contra Neruios unam harum ciuitatum cum maximo discrimine pugnauit, eámque gentem deleuit, quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent: ex nonaginta quinque senatoribus tres tantummodo euaderent. Lege lata de redigenda in prouincia formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio eiusdem rei mandata est. Ptolemæus Aegypti rex ob iniurias, quas patiebantur, à suis regno pulsus Romam uenit. C. Cæsar gentem oceano uictam, Venetos, nauali prælio uicit. Præterea à legatis eius eadem fortuna res gestas continet.

LIBRI CV

Cùm M. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus uestem mutauit. M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio repulsam tulit. idem cùm legem impediret, qua prouinciæ consulares in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, à C. Trebonio tribuno plebis legis authore in uincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemæum in regnum reduxit Aegypti, reiecto Archelao, quem sibi regem asciuerant. Cæsar, uictis Germanis, & in Gallia cæsis, Rhenum transcendit, proximam partem Germaniæ domuit, ac deinde oceano in Britanniam parum prosperè tempestatibus aduersis traiecit: iterúmque parum feliciùs, maximáque hominum multitudine cæsa, reliquam partem insulæ in potestatem redegit.

LIBRI CVI

Iulia Cæsaris filia, Pompeij uxor, decessit, honósque maximus ei à populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorũ multi populi, Ambiorige duce Eburonum defecerunt. à quibus Cotta, & T. Aurunculeius legati Cæsaris insidijs circumuenti, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt. & cùm aliarum quoque legionum castra oppugnata maximo labore defensa essent, intérque eos, qui in Treueris præerat, Q. Cicero, ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus bellum Parthis illaturus, Euphratem fluuium transijt: uictúsque prælio, in quo & filius eius cecidit, cùm reliquias exercitus in collem recepisset, euocatus in colloquium ab hostibus, ut de pace acturus, quorum dux erat Surenas, comprehensus, & ne quid uiuus pateretur repugnans interemptus est, & ita perijt.

LIBRI CVII

C. Cæsar Treueris in Gallia uictis, iterum in Germaniam transit: nullóque ibi inuento hoste, reuersus in Galliam Eburones, & alias ciuitates, quæ conspirauerant, uicit, & regem Ambiorigem in fuga persecutus. P. Clodij à T. Annio Milone, candidato consulatus, in Appia uia ad Bouillas occisi corpus plebs in curia cremauit. Cùm seditiones inter candidatos consulatus Hypsæum, Scipionem, & Milonem essent, qui armis ac ui contendebant: ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus à senatu consul tertiùm factus est absens, & solus, quod nemini unquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodij, Milo iudicio damnatus in exilium actus est. Lex dicta est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur, inuito & contradicente M. Catone. Præterea res gestas à C. Cæsare aduersum Gallos, qui propè uniuersi Vercingentorige Aruerno duce, defecerunt, & laboriosas obsidiones urbium cõtinet: inter quas Auarici Biturigum, Gergouiæ Aruernorum.

LIBRI CVIII

Caius Cæsar Gallos ad Alexiam uicit, omnésque Galliæ ciuitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius quæstor M. Crassi Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit: creatis C O S S. Ser. Sulpitio, & M. Marcello. C. Cæsar Bellouacos cum alijs Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter C O S S. de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus ueniret, cùm is, lege lata in id tempus consulatus, prouincias obtinere deberet: résque à M. Bibulo gestas in Syria continet.

LIBRI CIX

Causæ ciuilium armorum, & initia referuntur, contentionésque de successore C. Cæsari mittendo, cùm se dimissurum exercitum negaret, nisi à Pompeio dimitteretur. & C. Curionis tribuni plebis primùm aduersus Cæsarem actiones continet. Cùm Senatusconsultũ factũ esset, ut successor Cæsari omnino mitteretur: M. Antonio, & Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id Senatusconsultum impediebant, urbe pulsis, mandatum à senatu consulibus, & Cn. Pompeio, ut uiderent ne quid Resp. detrimenti caperet. C. Cæsar bello inimicos persecutus cum exercitu in Italiam uenit: Corfinium cum L. Domitio, & L. Lentulo cepit, eósque dimisit: Cn. Pompeium, uniuersósque eius partium Italia omnino expulit.

LIBRI CX

Caius Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit: & relictis in obsidione C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium, & C. Petreium legatos Cn. Pompeij cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit: Varrone quoque legato Pompeij cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis ciuitatem dedit. Massilienses duobus naualibus prælijs uicti, post longam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris male contra Pompeianos pugnauit, & in Illyrico captus est. in quo bello Opitergini transpadani Cæsaris auxiliares rate sua ab hostilibus nauibus clausa, potius quàm in potestatem inimicorum uenirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa, cùm aduersus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnasset, à Iuba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam traiecit.

DECAD. XII. LIBRI CXI

C. Cæcilius Rufus prætor cùm seditiones in urbe quàm maximè concitaret, nouarum tabularum spe plebe solicitata, abrogato magistratu, pulsus urbe Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxit. uterque cùm bellum molirentur, interempti sunt. Cleopatra Aegypti regina à Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Cassij prætoris auaritiam crudelitatémque Cordubenses in Hispania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæsaris desciuerunt. Cn. Pompeius ad Brundisium obsessus à Cæsare, & præsidijs eius cum magna clade diuersæ partis expugnatis, obsidione liberatus translato in Thessaliam bello: apud Pharsaliam acie uictus est. Cicero in castris remansit, uir nihil minus quàm ad bella natus. omnibúsque aduersarum partium, qui se potestati uictoris permiserunt, Cæsar ignouit.

LIBRI CXII

Trepidatio uictarum partium per diuersas orbis terrarum partes, & fuga referuntur. Cn. Pompeius cùm Aegyptum petisset, iussu Ptolemæi regis pupilli, authore Theodoro præceptore, cuius apud regem maxima erat authoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in nauicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor, & Sex. Pompeius filius in Cyprum refugerunt. Cæsar post tertium diem insecutus, cùm ei Theodorus caput Pompeij, & annulum obtulisset, infensus est, & illacrymauit. sine periculo Alexandriam tumultuantem intrauit. Cæsar dictator creatus, Cleopatram in regnum Aegypti reduxit, & inferentem bellum ijsdem authoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum maximo suo discrimine uicit. Ptolemæo, dum fugit, in Nilo nauicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa, per deserta cum legionibus iter: & bellum à Cn. Domitio contra Pharnacem Parthum prosperè gestum, continet.

LIBRI CXIII

Confirmatis in Africa Pompeianis partibus, earum imperium P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et cùm de diruenda urbe Vtica propter fauorem ciuitatis eius in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset: Iuba suadente, ut dirueretur, tutela eius, & custodia mandata est Catoni. Pompeij magni filius in Hispania contractis manibus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere uolebant, bellum aduersus Cæsarem renouauit. Pharnaces Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora uictus est. Cùm seditiones Romæ à P. Dolobella tribuno pleb. legem ferente de nouis tabulis excitatæ essent, & ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis à M. Antonio magistro equitum in urbem militibus, octingenti è plebe cæsi sunt. Cæsar ueteranis cum seditione missionem postulantibus dedit. & cùm in Africam traiecisset, contra copias Iubæ regis cum discrimine maximo pugnauit.

LIBRI CXIIII

Bellum in Syria Cæcilius Bassus eques Romanus Pompeianarum partium excitauit, & relicto à regione Sexto Cæsare, quæ ad Bassum transierat: occisoque eo Cæsar Scipionem prætorem, Afranium, Iubámque uicit ad Tapsum. castris eorum expugnatis. Cato audita re cùm se percussisset Vticæ, & interueniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso uulnere expirauit, anno ætatis quadragesimonono. Petreius Iubam, séque interemit. P. Scipio in naue circumuentus, honestæ morti uocem quoque adiecit. quærentibus enim hostibus imperatorem, dixit, Imperator bene se habet. Faustus & Afranius occisi: Catonis filio uenia data. Brutus legatus Cæsaris in Gallia Bellouacos rebellantes uicit.

LIBRI CXV

Cæsar quatuor triumphos duxit: ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, & Africa. epulum, & omnis generis spectacula edidit. M. Marcello consulari, senatu rogante, concessit reditũ. qui Marcellus beneficio eius frui minime potuit, à P. Magio Chilone cliente suo Athenis occisus. Et censum egit, quo censa sunt ciuium capita centum quinquaginta millia. Profectus in Hispaniam contra Sex. Pompeium, utrinque multis expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, summam uictoriam cum maximo discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompeius Sex. effugit.

LIBRI CXVI

Caius Cæsar ex Hispania quintum triumphum egit. & cùm multi, quammaximique honores ei à senatu decreti essent, inter quos, ut pater patriæ appellaretur, & sacrosanctus, ac dictator in perpetuum esset, inuidiæ causam aduersus eum præstitere, quòd senatum deferenti hos honores, cùm ante ædem Veneris genitricis sederet, minimè assurexit: & quòd M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit: & quòd Epidio Marullo, & Cæsetio Flauo tribunis plebis inuidiam ei tanquam regnum affectanti mouentibus, potestas abrogata est. Ex ijs causis conspiratione in eum facta: cuius capita fuerunt, M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus, in curia Pompeij occisus est uiginti tribus uulneribus, occupatúmq; ab interfectoribus eius Capitolium. Obliuione deinde cædis eius à senatu decreta, obsidibus Antonij & Lepidi liberis acceptis, coniurati à Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octauius ex sorore nepos, & in nomen

adoptatus est. Cæsaris corpus cùm in campum Martium ferretur, à plebe ante rostra crematum est. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. Chamaces humillimæ sortis homo, qui se C. Marij filium ferebat, cùm apud credulam plebem seditiones moueret, interfectus est.

LIBRI CXVII

C. Octauius Romam ex Epiro uenit. eò enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus, omnibúsque prosperis exceptus, etiam nomen Cæsaris sumpsit: in confusione rerum, ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit. Sed M. Antonius C O S. cum impotenter dominaretur, legémque de prouinciarum permutatione tulisset per uim, & Cæsarem quoque petentem, ut sibi aduersum auunculi percussores adesset, magnis iniurijs affecit. Cesar, ut sibi & Reipublicæ uires contra eum paraturus, deductos in colonias ueteranos excitauit. Legiones quoque quarta & Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. deinde plures sæuitia M. Antonij paßim in castris suis trucidati, quia & suspecti erant, & ad Cæsarem defecierunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupauit. Præterea discursus utriusque partis uirorum ad accipiendas prouincias, apparatúsque belli continet.

LIBRI CXVIII

M. Brutus in Græcia sub prætextu Reipublicæ, & suscepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinus præerat, cum prouincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari, qui primus Reipublicæ arma sumpserat pro populo Romano, imperium à senatu datum est cum consularibus ornamentis, adiectúmque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit: mißique ad eum legati à senatu de pace, parum ad eam componendam ualuerunt. Populus Romanus saga sumpsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium pretorem cum exercitu potestati suæ subegit.

LIBRI CXIX

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolobellæ occisus est. ob id facinus Dolobella à senatu hostis iudicatus est. Cùm Pansa C O S. male aduersus Antonium pugnasset. A. Hircius C O S. cum exercitu superueniens, fusis M. Antonij copijs, fortunam utriusque partis æquauit. Victus deinde ab Hircio & Cæsare Antonius in Galliam confugit, & M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi iunxit: hostisque à senatu cum omnibus, qui intra præsidia eius erant, iudicatus est. A. Hircius, qui post uictoriam ipsius in inimicorum castris ceciderat, & L. Pansa è uulnere, quod in aduerso prælio exceperat, defunctus, in Campo Martio sepulti sunt. Aduersus C. Cæsarem, qui solus è tribus ducibus superstat, parum gratus senatus fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi à Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris, militúmq; eius mentionem non satis gratam habuit. ob quæ C. Cæsar reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia. Romam cum exercitu uenit, & perculsis aduentu eius ijs qui in eum iniqui erant, cum annos X V I I I haberet, C O S. creatus est.

LIBRI CXX

Cæsar C O S. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset. postulatique ea lege M. Brutus, C. Caßius, D. Brutus absentes damnati sunt. Cum M. Antonio uires Asinius quoque Pollio, & Munacius Plancus cum exercitibus suis adiuncti ampliassent, & D. Brutus, cui senatus ut persequeretur Antonium, mandauit, relictus à legionibus suis profugisset, iussu Antonij, in cuius potestatem uenerat, à Capeno Sequano interemptus est. C. Cæsar pacem cum Antonio & Lepido fecit, ita, ut tres uiri Reipublicæ constituendæ quidem per quinquennium præessent. ipse Lepidus & Antonius statuerant, ut suos quisque inimicos proscriberent. in qua proscriptione plurimi equites, C X X X senatorum nomina fuerant, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæsaris Antonij auunculi. M. Ciceronis, cuius occisi à Popilio legionario milite, cùm haberet annos L X I I I caput quoque cum manu dextra in rostris positum est. Præterea res à M. Bruto in Græcia gestas continet.

DECADIS XIII LIBRI CXXI

CAßius, cui mandatum à senatu erat, ut Dolobellam inimicum iudicatum bello persequeretur: authoritate Reipublicæ adiutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem prouincia erant, in potestatem suam redegit: Dolobellam in urbe Laodicea obsessum mori coëgit. M. quoque Bruti iussu C. Antonius captus, occisus est.

LIBRI CXXII

Marcus Brutus aduersus Thracas parum prosperè rem geßit, omnibúsque transmarinis prouincijs, exercitibúsque in potestatem eius & C. Caßij redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda futuri belli consilia. M. Messalæ Publicolam fratrem uinctum communi consilio condemnauerunt.

LIBRI CXXIII

Sex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitiuis, cum exercitu diu sine ulla loci cuiusquam possessione prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primùm, deinde totam prouinciam occupauit: occisóque à Pompeio A. Bithynico prætore, Saluidienum legatum Cæsaris nauali prælio uicit. Cæsar & Antonius cum exercitibus in Græciam traiecerunt, bellum contra Brutum & Caßium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Caßianarum partium ducem, prælio uicit.

LIBRI CXXIIII

Caius Cæsar, & Antonius, apud Philippos uario euentu contra Brutum & Caßium pugnauerunt: ita, ut utriusque dextera cornua uicerint, & castra quoque utrinque ab ijs qui uicerant expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Caßij fecit. qui cùm in eo cornu fuisset quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi consciuit. Altero deinde prælio uictus M. Brutus, & ipse uitam finiuit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adijceret. annorum erat circiter ætatis X L. Inter quos Q. Hortensius occisus est.

LIBRI CXXV

Caius Cæsar, relicto Antonio (transmarinæ prouinciæ ex parte imperium ei ceßit) reuersus in Italiam, ueteranis agros diuisit. seditiones exercitus sui, quas corrupti à Fuluia M. Antonij uxore milites contra imperatorem suum concitauerant, cum grandi periculo inhibuit. L. Antonius C O S. M. Antonij frater, eadem Fuluia consulente, bellum Cæsari intulit: receptis in partes suas populis, quorum agri ueteranis aßignati erant: & M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, sciſſo, hostiliter in urbem irrupit.

LIBRI CXXVI

Caius Cæsar, cùm esset annorum X X I I I. obsessum in oppido Perusia L. Antonium, conatúmque aliquoties erumpere, & repulsum fame coegit in deditionem uenire: ipsique, & omnibus quidem militibus eius ignouit: Perusiam diruit: redactis in potestatem suam omnibus diuersæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

LIBRI CXXVII

Parthi Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt: uictóque Didio Saxa, M. Antonij legato, uniuersam eam prouinciam occupauerunt. M. Antonius cùm ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, uxore Fuluia dimissa, ne cõcordiæ ducum obstaret: pace facta cum Cæsare, sororem eius Octauiam in matrimonium duxit. Q. Saludienum consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo detexit: isque damnatus mortem sibi consciuit. P. Ventidius Antonij legatus Parthos prælio uictos Syria expulit: Labieno eorum duce occiso. Cùm uicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret: cum eo postulatam pacem Cæsar & Antonius quidem fecerunt, ita ut Siciliam prouinciam haberet. Præterea motus Africæ, & bella gesta continet.

LIBRI CXXVIII

Cum Sex. Pompeius rursum latrocinijs mare infestum redderet: nec pacem, quam acceperat, præstaret: Cæsar necessario bello contra eum suscepto, duobus naualibus prælijs dubio euentu pugnauit. L. Ventidius legatus M. Antonij Parthos in Syria uicit, regémque eorum interemit. Iudæorum quoque legati ab Antonio interempti sunt. Præterea belli Siculi apparatum continet.

LIBRI CXXIX

Aduersus Sex. Pompeium uario euentu naualibus certaminibus pugnatum est: ita, ut duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, uinceret: altera, quam Cæsar duxerat, deleta expositi in terram, in quàm maximo periculo essent. uictus deinde Pompeius in Siciliam profugit. M. Lepidus, ex Africa uelut ad societatem belli contra Sex. Pompeium à Cæsare gerendi traiecerat: ei bellum cùm Cæsar quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumuiratus honore, uitam impetrauit. M. Agrippa nauali corona à Cæsare donatus est, qui honos nemini ante eum habitus est.

LIBRI CXXX

Marcus Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur, Mediam prouinciam ingressus, bellum cum legionibus XVIII. & XVI millibus equitum, Parthis intulit. & cum duabus legionibus amissis, nulla re prosperè cedente retro rediret, insecutis subinde Parthis, & ingenti trepidatione, & magno totius exercitus periculo, in Armeniam reuersus est. XXI die trecenta millia fuga emensus. circa octo millia hominum tempestatibus amisit. tempestates quoque infestas super infeliciter susceptum Pathicum bellum culpa sua passus est: quia hyemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

DECAD. XIIII. LIBRI CXXXI

SEx. Pompeius, cùm in fidem M. Antonij ueniret, bellum aduersus eum in Asia moliens, à legatis eius oppressus est. Cæsar seditionẽ ueteranorum cum magna pernicie motam inhibuit: Iapidas, Dalmatas, & Pannonios subegit. Antonius Artauasdem Armeniæ regem fide data perductum in uincula conijci iussit, regnúmque Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit: quam uxoris loco iampridem captus amore eius habere cœperat.

LIBRI CXXXII

C. Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cùm M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum, & Alexandrum, neque in urbem uenire uellet, neque finito eius tempore triumuiratus imperium deponere, bellúmque moliretur, quod urbi, Italiæque inferret, ingentibus tam naualibus, quàm terrestribus copijs ob hoc contractis, remissoque Octauiæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnæ deinde nauales, & prælia equestria secunda Cæsaris referuntur.

LIBRI CXXXIII

M. Antonius ad Actium classe uictus Alexandriam profugit, obsessúsque à Cæsare in ultima rerum desperatione, præcipuè occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, seipse interemit, Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra, ne in arbitrium uictoris ueniret, uoluntaria morte occubuit. In urbem reuersus, tres triumphos egit, unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca uictoria, tertium ex Cleopatra: imposito fine ciuilibus bellis altero & trigesimo anno M. Lepidus, qui Lepidi triumuiri fuerat filius, coniuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens oppressus & occisus est.

LIBRI CXXXIIII

C. Cæsar rebus compositis, & omnibus prouincijs in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est: & mensis Sextilis in honorem eius appellatus est. Cùm ille conuentum Narbonæ egit, census à tribus Gallijs, quas Cæsar pater uicerat, actus. Bellum contra Bastarnas, & Mœsos, & alias gentes à M. Crasso refertur.

LIBRI CXXXV

Bellum à M. Crasso aduersus Thracas, & à Cæsare aduersus Hispanos gestum refertur. & Salaßi, gentes alpinæ, perdomiti.

LIBRI CXXXVI

Rhetia à Tyberio Nerone, & Druso Cæsaris priuigno, domita: Agrippa Cæsaris gener mortuus, & à Druso census actus est.

LIBRI CXXXVII

Ciuitates Germaniæ cis Rhenum, & trans Rhenum positæ oppugnantur à Druso: & tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus. Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani, dedicata sacerdotéque creato C. Iulio Vercondaridubio Heduo.

LIBRI CXXXVIII

Thraces domiti à Scipione: item Cherusci, Tencbateri, Cauci, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ à Druso referuntur. Octauia soror Augusti defuncta, antè amisso filio Marcello. cuius monimenta sunt, theatrum & porticus, eius nomini dicata.

LIBRI CXXXIX

Bellum contra transrhenanas gentes à Druso gestum refertur. in quo inter primores pugnauerunt, Senectius & Anectius, tribuni ciuitatis Neruiorum. Dalmatas & Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est: signis à rege eorum, quæ sub Crasso & postea sub Antonio capta erant, redditis.

LIBRI CXL

Bellum aduersus Germanorum trans Rhenum ciuitates gestum à Druso refertur. ipse ex fractura equo super crus eius collapsi, XXX die quàm id acciderat, mortuus est. corpus à Nerone fratre, qui nuntio ualetudinis euocatus raptim occurrerat, Romam reuectum, & in C. Iulij tumulo conditum. Laudatus à Cæsare Augusto uitrico, & supremis illius funeribus plures honores additi.

FINIS.

7

HENRICHI LORITI GLAREANI, PATRITII CLARONENSIS APVD HELVETIOS,



In omneis, quæ quidem extant, T. Liuii Patauini clarissimi historici decadas, annotationes, cum eiusdem Chronologia in totam Romanam historiam, nunc primùm non sine fœnore recognita.

Cui Badij elenchus ad alphabeti ordinem deductus, non absque lectoris fructu accessit.

Postremò Vallæ iudicium de quibusdam apud Liuium locis: ex quo eruditus lector, qua cura, qua diligentia authores sint legendi, facilè discere poterit.

Adiectæ sunt & M. Antonij Sabellici annotationes in Liuium, ut paucæ illæ quidem, ita sanè quàm doctißimæ.



LVGDVNI,
APVD ANTONIVM VINCENTIVM,
M. D. LIII.

AVGVSTISSIMO INVICTISSIMOQVE IMPERATORI CAESARI CAROLO V.

HENRICHVS GLAREANVS

S. D. P.



AVD sum nescius, inuictissime Imperator Carole, quàm multorum hominum, etiam eximie doctorum, graue iudicium sim subiturus, quòd authorem tam præclarum, & in hominum manu tam frequentem, emendandum mihi desumpserim: quibusdam frustraneum laborem esse existimantibus, quòd multi & celebres hercle viri idē negotij tractarint: quibusdam etiam temerarium censentibus, quòd nihil videatur in eo authore reprehensione dignum. Sed vtrisque (quando id res postulat) respondendum duximus. Primùm, scio nos inficias ire non posse, quin multi & præstantes viri, multa & præclara in eo authore emendarint, studiosisque vtile operæprecium fecerint. Sed ijdem illi tamen diffiteri non possunt, quin multa indiscussa, dubia, ac mutila reliquerint posteris diligentius pensitanda: quod nobis quoque confitendum. Nam vt nominatim de Antonio Sabellico dicam, homine citra controuersiam docto, si quidem illi, præter annotata paucula quædam, reliqua fuerunt perspecta, næ ille felix omnino mihi censebitur, quando eius codex immensis tot mendis scatebat. IANI Parrhasij annotationes, de quibus in præfatione commentariorum in Claudianum mentionem facit, ad manus nostras non peruenerunt, quare de ijs iudicium ferre nequimus. LAVRENTII Vallæ in quosdam libros uidimus, quæ sunt, ut omnia eius authoris, argutæ, doctæ, ac eo dignæ. Nostra certè ætate in hoc authore emendando celebres officinæ librariæ, laudabili per Iouem æmulatione, inter se certasse uidentur, Aldina, Badiana, ac Frobeniana: sed uicit, meo quidem iudicio, longè Frobeniana editio, opera ac diligentia D. BEATI Rhenani & Sigismundi Gelenij, doctorum uirorum, fulta. Verùm ij tamen pauca de ijs attigerunt, quæ nos antea annotaueramus, nec adhuc edideramus, alioqui nostra delere & supprimere non dubitassemus. Exemplaria illi secuti sunt uetusta, quæ nos quoque uidimus. Sed quæ ad historiæ emendationem, & plerunque ad temporum rationem, Romanorúmque magistratuum nomenclaturam pertinebant, ea (nisi fallor) nos diligentius inspeximus, ut lector ipse iudicabit, simul atque nostra cum alijs conferet, quare neutiquam hunc nostrum post tot eximios uiros laborem frustraneum existimamus. Verum enimuero, quandoquidem multi obstrepunt, temerarium esse quicquam in tali authore uellicare: obuiandum sanè & horū opinioni putauimus, ne audaciæ culpam, aut crimen potius agnoscere uideremur. Primum, cum in confesso sit, ab historico abesse prorsus debere omne odium: solámque illi rerum gestarum ueritatem ob oculos ponendam: quàm uerè id obseruarit Liuius, uel hinc æstimari poterit. Nam ut de Germanis, Hispanisque, eximijs duabus nationibus, taceã, Gallos hercule, gentem omni ætate illustrem & bellicosam, maximè autem eo tempore quo Liuiana decurrit historia, nunquam desinit odiose tractare, eleuare, nonnunquam etiam pugnantia de ea dicere, homo in Cisalpina Gallia natus, quod nos in his annotationibus, sed obiter, aliquot locis indicauimus. Deinde si quis ueterem Romani imperij originem apud Dionysium legat, ac cum Liuiana breuitate comparauerit, uidebit opinor nos haud immeritò prætulisse Dionysij curam ac diligentiam, Liuij festinationi: adeò circunspectè omnia Dionysius, adeò negligenter Liuius ea tractasse uidetur. quod ex Dionysio nos de classibus, Laurentius Valla de Prisci Tarquinij nepotibus reprehendit. Nam de plebis in sacrum montem secessione, de Cn. Martio Coriolano, de Decemuiris, nimium accisam apud Liuium esse historiam manifestius est, quàm ut apud peritos probari oporteat. Iam si quis Herodoto præferat Liuium, qòd ille sæpius fabulas narrare uideatur, inspiciat quæso uel primo libro ab Vrbe condita (ut alios interim omută) Herculis & Euandri colloquium: dein & Caci fabulam: ut nihil dicam de Proculi renunciatione, de Dianæ boue à Sabino immolata, de Bruti baculo, de papaueribus à Tarquinio decussis. an non sunt hæc his quæ Herodotus narrat, per quam similia? Quanquam hæc non eò pertinent, ut Liuij gloriam his obiectis, quæ forsitan excusationem suscipiunt, eleuari cupiam: quod alijs quoque in libris nostris testati sumus: sed ut lectori ostenderem, non minus magnos authores cum iudicio legendos esse, atque dubios, ac nō ita magnos. Liuius senex historiam scripsisse dicitur, diuersos ac magnos secutus authores, ut in præfatione ipse fatetur. Non igitur mirum si & sæpe memoria labatur, & nonnunquam diuersa ac propè contraria scribat. Nec me fugit uulgatam esse opinionem, animis hominum penitus insitam, & multis ita persuasum, ut

si contrarium dixeris, insanus prorsus uidearis: nempe Romanos historicos longè præferendos in historiæ ueritate esse Græcis. At per me licebit ita perpetuò opinentur qui uolent: mihi sanè neque Quintilianus in primis grauis author, neque quisquam alius, quantumuis subtilis orator, hoc persuadebit, ut Liuium Herodoto æquem, tantum abest ut eundem Liuio postponam. Sed non est opus hic eam rem longius prosequi, in qua plureis habiturus sim reclamatores. Ad rem nostram redeo. Ego pro communi omnium studiosorum utilitate hunc suscepi laborem, non pol gloriæ aucupandæ gratia, qua uia, nostra quidem ætate, plurimi grassantur: non carpendi studio, qua siti longè plures nunc crescunt, non denique temerè ac sine iudicio, quod ipsum quoque pluribus hodie quàm dicere uel audeam uel uelim, in usu est. Si lectoris gratiam inde nanciscar, satis præmij laborum meorum tulero, magis tamen eiusdem fructum ac utilitatem spectaui, ut quo pacto, quo iudicio magni authores, exemplo Laurẽtij Vallensis, optimi & doctissimi uiri, legendi sint, animaduertat. Non desinit author magnus esse, etiamsi alicubi labatur. humanum peccatum est error, & nemo adeò prouidus ac circumspectus est, qui non aliquando labatur, ut rectè Lactantius Firmianus, Christianæ eloquentiæ lumen, admonuit. Hoc magis uitiosum, ita cuiquã quẽquam affectum esse, ut in eo nullum errorem, nullum esse næuum pertinaciter defendat, quales hodie multos nouimus. Sed neque illi satis sani sunt, qui tam impotenter clamant, ac impudentiæ adscribunt, si quis in magno authore quicquam reprehenderit, quasi illi non fuerint homines, cum sæpe codicum fides, non ipsi authores culpentur. Mordetur Valla à Poggijs, Facijs, Morandis, Raudensibus, in eo quo clarissimum meruerat triumphum. Nulli, inquiunt, pepercit. Nulli barbarorum pepercit, & rectè, mea quidem sentẽtia. Imo ne in hoc quidem culpandus, quòd amore linguæ Latinæ, in Virgilio, sua mater: in Terentio, amore sui, ausus fuerit reprehendere. Quoties Donatus Terentij quædam reprehendit, & Virgilij Seruius? quin in hos quoque clamant, inuidi? Non in authores inuehimus, si errores damnamus, quorum plerique iniuria temporum acciderunt, quidam etiam humana imbecillitate. pauci fortassis etiã authorum uel prauo iudicio uel affectu. Et tempore Liuij quis credidisset imperiũ populi Romani eò deuenire posse? Prudentes, inquiunt, poterant. Sed ea turba non tum solum, uerùm omni tempore exigua & fuit, & est hodie, & erit perpetuo. quæ causa Liuiò fuit, opinor, ut ubique in Gallos debacchаretur, belluas uocando, stupidos, ac corporibus diffluentes, ratus forsan Gallos semper Romanis fore subiectos, ut erant quando ipse historiam scribebat. Verum hæc ingenuo homini, & qui à posteris sua scripta legi cupiat, non satis idonea in ullam nationem inuehendi causa uidetur. Sua laudare nulli non conceditur, aliena uituperare absque uehementi causa nequiquam decet. Quanto igitur satius fecisset Liuius, si exemplo C. Cæsaris, hosteis commendasset, ac debita laude non fraudasset? ita enim populi Romani gloria, haud dubiè augustior apparuisset. Inualuit hac nostra etiamnum tempestate pessimus quorundam mos, omnibus maledicendi, nemini benedicendi, quasi data opera ita laudem uenantes: quo pessimo instituto Germani in Gallos debacchantur, Galli in Hispanos, rursus Hispani in Gallos, Galli in Germanos, atque alij uicissim, & in hos & in illos, quam consuetudinem iuuenilium affectuum puto, ac hominum propemodum insanorum. Nam quæ natio est in qua non permixtim boni ac mali inhabitent? Nobis nostra placent: placent porrò, at absque aliarum nationum contumelia. Mirum uerò ita quenquam affectum esse, ut nihil moliri queat, nisi sit fellis amaritudine conditum. Itaque Liuius hac in parte affectus suos, meo quidem iudicatu, non satis dignè repressit, quod tamen factum oportuit. Sed huic quoque obiectioni satis responsum putamus. Nunc, quod ad annotationes nostras attinet, lectoris iudicio subijcio. cui si quædam nimis tenues uidebuntur, cogitet quot capita in Aulo Gellio reperiat, quorum profectò me multum puderet, quòd aridæ, & hominis omnino otiosi dubitationes uideantur: quæ tamen in magnis uoluminibus, ut lectoris recreetur animus, locum habere possunt. Si quædam nimis audaces uidebuntur, causam reprehensionis secum lector perpendat. Si quædam indoctæ, quæ aut iudicium nostrum falsum arguant, det mihi ueniam, quæ nulli denegari potest, qui errorem ostensum fateri & corrigere sit paratus. Plura dicenda erant, sed non uideo quid utilitatis inde ad lectorem redeat. Ad te inuictissime Cæsar redeo, cui nostrum laborem dedicare uolui, ut, cum me tuus auus, immortalis memoriæ Maximilianus Imperator multis honoribus & beneficijs affecisset, eundem me tua quoque Maiestas cognoscere, ac in tutelam suscipere dignetur. neque enim quicquam aliud desidero, nihil aliud ambio, quàm ut auo, ut fratri tuo Cæsari Ferdinando, optimis principibus, ita tuæ complacuisse Celsitudini: quod si adipiscar, in magna fortunarum mearum parte posuesuerim. Deus Opti. Max. Maiestatem tuam ad ipsius gloriam, & Christianæ reipub. salutem quamdiutissimè incolumem conseruare dignetur. Friburgi Brisgoæ, Anno à IESV CHRISTI natali.

M. D. XL. *Calendis Maijs.*

BREVE COMPENDIVM ROMANAE HISTORIAE, AB VRBE CONDITA.



OMANORVM historia septingentorum quinquaginta annorum ab Vrbe condita ad IESV CHRISTI natalem, qui fuit Augusti imperij, quo solus regnauit, annus uicesimus nonus, à Liuio descripta est decadibus quatuordecim, hoc est, libris centum quadraginta: de quibus nostra hac ætate quatuor non integræ extant. utinam aliæ aliquando in lucem prodeant. nam eas alicubi in Germania delitescere aiunt. Prima decas septem habet reges Romanos, deinde COSS. Tribunos pleb. Decemuiros, Tribunos mil. cons. potestate, ac rursus COSS. bella uaria aduersus Latinos, Hernicos, Equos, Volscos, Veientes, Sabinos, Faliscos, Fidenates, Hetruscos, Campanos, Appulos, Lucanos, Samnites, ac alios nonnullos Italiæ populos, inter quæ & obsidio à regibus per Porsenam, & urbis euersio sub Gallis præter Capitolium, annos omnino ab urbe condita 460. Secunda decas non extat, in qua erat historia ab Aesculapio Romam aducto, ad initium usque secundi belli Punici. Ea autem tria atrocissima bella continebat. Primum cum Pyrrho Epirotarum rege, qui Tarentinis auxilio fuit contra Romanos. Secũdum cum Carthaginiensibus, quod per uigintiquatuor durauit annos, uocatumque est primum bellum Punicum. Tertium cum Gallis (quos magis quàm ullam gentem toto terrarum orbe timuerunt, ut author est Sallustius ad finem Iugurthini belli) quo bello delectus fuit Italiæ, nunciato Gallico tumultu, teste Plinio lib. 3. cap. 20. equitum octoginta millium, peditum septingentorum millium, anno ab urbe condita, 535. qui proximus fuit ante secundum bellum Punicum. Anni totius decados 75. Tertia decas continet secundum bellum Punicum, quod Carthaginienses duce Hannibale aduersus populum Romanum gessere, annis 18. Quarta postremo, tum bellum Macedonicum aduersus Philippum, tum Asiaticum contra Antiochum, earum utrunque prouinciarum reges, unde bella nomina sumpsere, complectitur annos circiter 23. Quintæ decados libri quinque nuper inuenti sunt, sed mutili, in quibus bellum cum Perseo Macedonum rege Philippi filio fuit, quem Paulus Aemylius & uicit & cepit. L. FLORVS autem secunda epitome, populum Romanum ut hominem considerat, totámque ætatem eius percenset, ut cœperit, ut adoleuerit, ut quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, ut postea uelut consenuerit. Quatuor eius gradus facit, non rotundo omnino numero. Nam totum tempus à Romulo in Cæsarem Augustum scribit septingẽtorum annorum. Primam autem populi Romani ætatẽ, quam uelut infantiam pingit, sub regibus fuisse ait, propé CCL. per annos. Liuius ac Dionysius aiunt per annos CCXLIIII. Sequentem ætatem, uelut adolescentiam, annos habere CC. à Bruto Collatinóque COSS. in App. Claudium, Quintúmque Fuluium COSS. Nos eam CCXLV. supputamus annis. Tertiam hinc, id est à primo Punico bello ad Cæsarem Augustum, CCL. annis, qui octauus est Augusti imperij, quo solus regnauit. Hanc iuuentam uocat, & quasi quandam robustam maturitatem. Reliquam ætatem uocat senectam, ad sua usque tempora, quando Traianus regnauit, annos ducentos: quamquam is numerus mihi suspectus, si Eusebij Chronicis credimus. Sed ea à Liuio intacta fuit, exceptis aliquot sub Augusto annis. Nostra ætas ut nunc illud regnum uocare uelit, nescio: excedit enim duas Mathusalem ætates.

RATIO TEMPORVM EORVM QVAE PRIMO LIBRO CONTINENTVR APVD LIVIVM.



TROIA capta ad Lauinium conditum, duo sunt anni. A condito Lauinio ad Albam longam conditam, anni XXX. Ab eadem ad urbem Romam conditam, anni quadringenti. Ergo à Troia capta ad Vrbem conditam, anni sunt quadringenti trigintaduo, authore Dionysio Halicar. apud quem tamen in plurimis, quos nos uidimus, codicibus numeri malè habebant. Post conditam autem Vrbem, septem reges annis ducentis quadragintaquatuor regnarunt: quibus eiectis, COSS. ac alii magistratus Vrbem liberam rexerunt annos quadringentos sexagintaduos, ad Iulium usque Cæsarem, qui primus repub. euersa, solus singulare obtinuit imperium. A Troia igitur capta, usque ad COSS. fuere anni sexcenti septuagintasex, quot annos Liuius libro primo complexus est, sed nimis succinctè. Ea omnia Dionysius libris quatuor exhibuit diligentissime iuxta atque doctissime.

IN T.

IN TITI LIVII NOBILISSIMI HISTORIOGRAPHI PRIMAM DECADA HENRICHI GLAREANI LORITHI ANNOTATIONES.

IN LIBRVM PRIMVM.

Facturúsne operæpretium sim.) Pag. 1. B. Quidam immodico studio ac affectata diligentia (ut fit) huic præfationi plus obscuritatis quàm lucis attulisse mihi uidentur. Nam cum Quintilianus haud contemnendus author lib. ix. satis clarè indicet ab hexametri exordio Liuium historiam cœpisse, Facturúsne operæprecium sim: hi tamen inuersis uerbis, facturúsne sim operæprecium legerunt, atque adeo ita libris excudi curarunt. Idem dico de his uerbis non ita multo post sequentibus: Etsi in tanta scriptorum turba, mea fama in obscuro est. ubi illi, sit, substituerunt. Item in his: Etsi non flectere à uero, solicitum tamen efficere potest: illi, posit, reposuerunt, quasi etsi, magis subiunctiuum desideret quàm indicatiuum. Rursus in his uerbis: Tam hoc gentes humanæ patiantur æquo animo: illi posita coniunctione &, inter tam & hoc, legunt, Tam & hoc gentes humanæ: inepti meo quidem iudicio. Pauló post, existimata, pro æstimata, contra fidem exemplariorum. Et: Haud in magno equidem ponam discrimine: pro, haud equidem in magno ponam discrimine: quæ compositio haud paulo concinnior auribus tinnit. Rursus dissidenteis, pro desidenteis. Et, Inde tibi, tuæq; Reipubli. pro, Vnde tibi: Ita, inde fœdum, pro, Vnde fœdum. Et, seræ auaritia luxuriáque: pro seró auaritia luxuriáque. quo in loco alij ciuitatem adiecere. Non erat difficile ad hunc modum pleraque alia commutare: sed haud scio, liceatne hoc in tam eximio authore absque scelere. Certe mihi licere neutiquam existimaui: etiam si non omnia hæc reijcimus. Quapropter paulo religiosius negotium tractabimus: nec nisi annotatione digna (quando id maiore lectoris commodo fieri certum est) persequemur.

Aenea Antenoréque, & uetusto iure hospi.) 2. A. Seruius honoratus ille grammaticus ad hoc Virgilij carmen, Antenor potuit medijs elapsus Achiuis Illyricos penetrare sinus. ita ait: Antenor & Aeneas, teste Liuio, patriam prodidisse dicuntur: quod Virgi. tangit, se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis. Hæc ille. Eam Seruij opinionem, quantum ad Virgilium attinet, eleganter sanè, nec minus erudite refellit Christophorus Landinus. Neque enim uerisimile est (inquit) uoluisse poetã, eum uirum quem omni laudum genere ad diuinitatem usque extollere contendat, uel minima infamiæ suspicione deturpare. Idem ego de Liuio sentio. Quim enim conueniebat, eum qui tantopere, ac post tot eximios scriptores rem Romanam scriptis suis illustrare in animo habebat, tale quid de origine testari? Miror autem ut Seruius hæc Liuij uerba legerit. nã ut nos ea habemus, nulla prorsus mentio proditionis inest. Quód autem Græcorum ante bellum fuerint hospites Aeneas & Antenor, maiestatem humanitatémque patriæ illustriorem reddidere. Et quód Helenæ reddendæ, per summam iniuriam ereptæ, authores dicantur, officio bonorum uirorum functi plus cæteris ciuibus mihi uidentur, iustisque eorum commonstratus animus. Antenor sane ab Homero Iliados lib. 8. aduersus Alexandrum Priami filium disserens introducitur, acerba intecta contentione ut Menelao uxor restitueretur. Aeneas uero ab eodem Poeta, quantumuis Troianis iniquo, multis locis eximie laudatur: præcipue uero Iliados 20. lib. ubi Neptunus à pietate Aeneam commendat, soliciciusque de eius uita, Iunonem affatur, concludens his uerbis:

> Νῦν δὲ δὴ αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
> καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται

Atque inde Virgilius laudandi celebrandique Aeneæ occasionem mihi sumpsisse uidetur, quippe qui alterum carmen in Aeneidos librum tertium, ut pleraque alia, traduxerit: Et nati natorũ, & qui nascentur ab illis.

Et ducem rege Philemene ad Troiam.) 2. A. Annotauit hoc Sabellicus quoque. Carmen est ad finem Bœotiæ:

> παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο πυλαιμένεος λάσιον κῆρ ἐξ ἐνετῶν.

Vnde Pylæmene legendum, non Philemene, plane conuincitur: Pylæmenes autem Paphlagonum dux, à Menelao occiditur, ut narrat Homerus Iliados quinto.

Super Numicum flumen.) 2. B. Vide num legendum Numicium, dicente Ouidio Metamorphoseos libro ultimo, In freta flumineis uicina Numicius undis. Astipulante ad idem Plinio lib. 3. cap. 5. Grammatici hoc de nomine in diuersas abiere sententias. Quidam aiunt eundem esse fluuium Numicum, & Numicium. Quidam Numicium appellandum censent, & Numici apud Latinos per synæresin dictum pro Numicij. Verum res non est tanti.

Ascanius Aeneæ filius.) 2. B. Aeneas duas habuit uxores: in Asia alteram, Priami filiam, Creusam nomine, ex qua Ascanium sustulit, fugæ paternæ comitem. Alteram in Italia, Lauiniam Latini Regis filiam, ex qua alterum genuit filium, qui Syluius nominatus est ea de causa, quód in sylua natus sit. Nam Lauinia post Aeneæ mortem, cùm priuignum Ascanium timeret, & prægnans ab Aenea relicta esset, ad pastorem Tyrrhenum confugit, apud quem Syluius & natus & enutritus est. Ascanius autem Nouercæ Lauiniæ urbem Lauinium tradens, ipse sibi Albam condidit. Porró Dionys. Halicarnass. eidem inquit Ascanio ex Creusa nato fuisse filium Iulum, qui Ascanio mortuo imperium Albæ possidere noluerit, sed populum Albanum id ad Syluium detulisse propter Italam matrem, Iulo tradita regni loco sacra quadam potestate, honore uidelicet imperij periculis uacuo, qui ad suam usque ætatem, ut idem ait, durauerit. Cæsaréinque dictatorem in eo mirifice floruisse. Hunc Syluium Liuius Ascanij filium credidit. At Seruius Grammaticus ac Dionysius, Aeneæ, & ex Lauinia. Eusebius etiam in Chronicis Dionysio confirmat de Iulo refert. Error itaque in Liuio duplex uideri potest: & quód Syluium Ascanij filium putarit, cum esset Aeneæ posthuma proles, ut Maro inquit lib. 6. & quód eundem Ascanium ac Iulum crediderit, cum Iulus Ascanij fuerit filius. Quidam tamen Ascaniũ etiam Iulum uocatum putant, quorum ex numero uidetur fuisse & Virgilius. Dextræ se paruus Iulus implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis. & Ouidius binominem uocat Ascanium: & sæpe pater atque filius idem habuere nomen.

Quæ ab situ porrectæ in dorsu urb.) 2. B. Quidam in dorsum habent libri, sed æque in obscuro manente sen. v. Videtur autem in dorsum dictum perinde atque diceret, in longum atque dorsum est.

Agrippa inde Tyberini filius.) 2. B. Post Tyberinum Liuius ac Dionysius Agrippam ponunt, at Ouidius lib. 14. Metamorphos. Remulũ subijcit. Post Agrippam uero Dionysius Alladiũ, Liuius Romulũ Syluium. Idem Liuius ac Dionysius post Auentinum Procam ponunt, Numitoris ac Amulij parentẽ. Ouidius eodem libro Palatinum: at in 4 Fastorum libro, similiter Procam, ut alij. quæ differentia num inde acciderit, quód non uaria fuerint nomina, an scriptorũ errore, dubium relinquimus, maxime cum Ouidius ipse sibi pugnet, idque nõ in soluta oratione, ubi facilior erat error, sed in carmine. quare ego de his plura disserere supersedeo. Typũ tamen lectori oppido utilẽ subnectere placuit: in quo quatuor classicorum uariationem uno intuitu conspicimus.

TIPVS XV. REGVM ALBANORVM
EX IIII. SCRIPTORIBVS.

	Liuio,	Ouidio,	Dionysio,	Eusebio
1	Aeneas	Aeneas	Aeneas	Aeneas
2	Ascanius	Ascanius	Ascanius	Ascanius
3	Syluius	Syluius	Syluius	Syluius Aeneæ filius
4	Aeneas Sylu.		Aeneas Syl.	Aeneas Syluius.
5	Latinus Syl.	Latinus	Latinus Syl.	Latinus Syluius
6	Alba	Alba	Alba	Alba Syluius
7	Atys	Epytus	Capetus	Syl. Athis siue Aegyptus
8	Capys	Capys	Capys Syluius	Capys Syluius
9	Capetus	Capetus	Calpetus	Calpetus Syluius
10	Tyberinus	Tyberinus	Tyberinus	Tyberinus Syluius
11	Agrippa	Remulus	Agrippa	Agrippa Syluius
12	Romulus Syl.	Acrota	Alladius	Remulus Syluius.
13	Auentinus	Auentinus	Auentinus	Auentinus Syluius
14	Proca	Palatinus	Procas	Phocas Syluius
15	Amulius	Amulius	Amulius	Amulius Syluius

Cum in nominibus his tantam uideam differentiam, annos omittere placuit, quos etiam Liuius omisit. Dionysius ac Eusebius posuerunt, sed nequaquam in omnibus consentientes. Qui autem omnino scire uelit, quid de ijs sentiam, uidere poterit quas in Dionysium scripsimus annotationes, clariúsque in chronologia. Hæc ad hunc authorem nunc satis,

Vt haud procul esset, quin Remum agnosceret,) 3.B. Lectorem admonere uolumus, uideat num hic orationi aliquid desit: nam his uerbis continuò annectit, Ita undique regi dolus nectitur. cum de dolo nulla præmissa sint, quæ hanc conclusionem inuent consilia. In Dionysio hæc omnia pulcherrimo explicantur ordine, at hæc nimia breuitas mihi non possit non esse suspecta.

Nouos transiluisse muros.) 3. B, Murum appellare uidetur muria: fossarum designationem: nisi quis murum ex ligno factum intelligat. Lapideo enim muro primus Tarquinius Priscus urbem cinxit, ut postea dicturus est Liuius. At hæc opinio Dionysio quoque suspecta est, mihi fabulæ similis uidetur,

Herculē in ea loca Geryone interempto.) 3.B. Quòd Liuius priscis illis leuiter memoratis, ad noua sui temporis festinarit, fortassis rationem habet. At quòd de ara maxima tantam refert fabellam, omissis longè magis necessarijs, nullam meo quidem iudicio excusationem recipit. An non ad rem magis erat, latas à Romulo leges referre, ut facit Dionysius, quàm Euandri cum Hercule colloquium? Si Herodotus tale quid designasset, quàm clamasset spurcus aliquis, Et quicquid Græcia mendax Audet in historia? Sed scilicet Liuium excusant hæc uerba, fama est, ita memorant, ferunt, Herodotum non iuuant, ὡς ἀκήκοα, οὕτω λέγω. ἐγὼ ἐμοὶ ἄπιστα, & siqua sunt similia. O numen populi Romani.

Ceninenses, Crustumini, Antennates.) 4. B. Plinius lib. 3. cap. 5. ubi de oppidis in Latio deletis, Crustumerium, Caeninam, ac Antennam ponit. Pauló ante autem ubi de Tyberi, Crustuminum agrum nominat, ac à Veienti agro eo flumine diuidi perhibet. Dionysius lib. 2. Crustaminum, alibi Crustumerium uocat. ita apud me hoc nondum definitum, utrum melius dicatur. Hi autem, ut Sabini populi in Latio fuerunt, non in Tuscia.

Fabricato ad id apte ferculo.) 5. A. Nicolaus Perottus in uerbo Feretrius Iupiter, multis modis redarguit qui hoc loco ferculo legunt, pro pheretro: reprehendens etymon quoque huius uerbi, cum à Plutarcho, tum à Festo pompeio memoriæ proditum. Porrò quàm uerè id faciat, non est huius loci ut pluribus prosequamur. Dionysius lib. 2. putat trifariā græcè hunc Pheretriū Iouē nominari posse, τροπαιοῦχον, σκυλοφόρον, & ὑπερφερέτην.

Additur fabulæ quod uulgo Sabini.) 5. A. Omnes in dandi casu legūt fabulæ, quasi quæ præmiserit author de cæde Tarpeiæ, fabulam uideri uelit. Itaque ego in nominandi casu fabula legam, ut sequentia fabulam uocet, non præcedentia. Sanè quæ sequuntur uerba, obscura sunt, cum ait: Eo scutaillis pro aureis donis congesta: nisi eo exponas pro ideo. Item deinde, ex pacto decreto: uix intelligitur syntaxis.

Ab Romanis Hostius Hostilius.) 5. B. Dionysius Lucumonem Tuscum Romulo adiutorem adhibet, Vnde & equitum una centuria Luceres nomen habet, ut author est M. Varro. Liuius Lucerum originem incertam ait. Quidam Hetruscæ historiæ ratiocinatores Liuium inuidiæ in nomen Tuscum insimulant, ideoque ab eo Hostilium pro Lucumone positum esse. Mihi autem uidetur Liuius hoc absque authoribus non fecisse: at quibus, nescio: neque enim facile scitu est.

Equum Curtius in uado statuit.) 6. A, Hæc lectio, si quidem uetusta est, maximè placet. Sabellicus tamen, eques Curtium, pro equus Curtium in uado statuit, legendum putat. Cæterum ab hocne Metio Curtio, an ab M. Curtio de quo lib. 7. postea Liuius fabulam narrat, lacus nomen habeat, incertum est.

Vt tamen expiarentur legatorum iniuriæ.) 6. A. Considerandum lectori, quomodo legatorum iniuriæ, regisque Tatij cædes, expiata sint per fœdus inter Romam Lauiniúmque urbes renouatum.

Circa densa obsita uirgulta.) 6. B, Hæc uerba uelut in parenthesi posita, obscurum habent sensum, durámque compositionem, & duo adiectiua uni substantiuo apposita uidentur.

Velut agmine uno irrumpit.) 6. B. Coloniam factam Fidenas Dionysius scribit, Liuius hoc loco omisit: in Tullo tamen Hostilio coloniam nominat, cùm ubi antea facta fuerit, dixisse oportuerit.

Ad Capreæ paludem.) 6. B. Quidam emendarunt, ad Capræ paludem: quod quàm bene fecerint, nihil definio, quippe qui de hoc nomine nihil me legisse sciam.

Manauit enim hæc quoque, sed perobscura.) 7. A. Quàm obscura hæc sit opinio, nescio: certè ueram esse eam puto, & multi eximij uiri, ut Dionysius. Valerius Maximus, atque alij, ita credidere. In hac autem fabulosa historia de Proculi astutia, bene longus est Liuius.

Summa potestate populo permissa.) 7. A. Dionysius non uno tantum loco ait, senatum Romanum omnium rerum potestatem habuisse, præterquam creandorum magistratuum, sanciendarúmque legum, inferendique belli aut dissoluendi. si fortassis coeptum erat. Hæc enim tria in potestate sua populum habuisse,

habuisse. Liuius nusquam, quod sciam, hæc simul commemorat, rem oppido necessariam.

Id enim iam, ui adempta.)7.B. Quidam emendarunt, idem iam ui ademptum. & ad usurpatur uerbum coniungunt, quod placet. & ui ademptum, fortaßis ad Iulium Cæsarem retulit, quem tamen propter Augustum nominare non audebat: nisi quis malit ad eius seculi seditiones referre, quæ Cæsarem præcesserunt.

Quem Seruio Tullio reg. Rom. centum post an.)7.B. Tullio plerique habent libri, Aldinus codex Tullo presseras, sed male. Tullus enim secundus Romanorum rex dictus: Tullius autem sextus. Deinde legendum, centum post annos & amplius, quod idē Aldinus codex inuertit, & secuti quidam alij. Eodem etiam in loco Crotona legendum puto, accusatiuum Græcum, non Crotonam. Mirū autem hoc Liuio uisum est, si ex his urbibus quispiam ad Sabinos peruenire potuerit, aut contrà, cùm sit iter quinque fortasse dierum. Consimilis ratio de Cimmia sylua libro postea nono.

De se quoque Deos consuli iussit.)7.B. De se quoque, ut de Romulo dij consulti fuerant. quod tamen Liuius nusquam antea dixit. Dionysius certe non neglexit, lib 2. prope ab initio.

Dexteras ad meridiem partes.)7.B. Hoc de augure intelligitur, qui orientem spectabat, authore Dionysio: rex autem uersus meridiem, ut hic ait author. Cætera facile intelliguntur.

Vti tua signa nobis certa ac clara.)7.B. Desideratur uerbum precor, uel quid simile: nisi quis deesse contendat. Sed hoc leuiculum.

Defuntóque dies solido anno.) 8. A. Annus apud Hipparchum, ut author est Ptolemæus lib. 3. περὶ τῆς μεγάλης πραγματείας.) dies habet CCCLXV, & quadrantem, hoc est, sex horas. Hunc secuti sunt Romani Christianique à temporibus C. Iulij Cæsaris. Sub Romulo autem annus decem habebat mēses, sex quidem tricenum, quatuor uero tricenis singulis diebus, qui efficiebant dies CCCIIII. Et à Martio initium habebat. Verum cum is numerus neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, atque sæpe usuueniret ut hyems præcipitaret æstatem, & contrà æstas hyemis occuparet tempora: tantum dierum sine ullo mensis nomine intercalabant, quantum sat erat ad pristinum cæli habitum. Hoc Numa considerās, ad decem iam dictos menses, quinquaginta addidit dies: retractisque sex diebus de Romuli mensibus, qui tricenûm erant dierum, duos nouos effecit menses, uicenûm octenûm dierum, Ianuarium ac Februarium. Ita annus factus est CCCLIIII. dierum, quod etiam apud Græcos aliquandiu fuit. sed Græcorum ordinem Numa turbauit, uno adiecto die Ianuario, ut omnes menses præter Februarium impari constarent numero. Et Græcorum supputationi ab solido Hipparchi anno deficiebant dies undecim ac quadrans. Verùm quod diffi. ile erat quotannis intercalare cum reliquis diebus quadrantem, mensisque ratio potius expetebatur, hunc numerum octies multiplicatum, hoc est, nonaginta dies, qui nascuntur si quadrans cū undecim diebus octies componatur, octauo quoque anno interserebant per treis tricenûm dierum distributum menses. Hos dies ὑπερβαίνοντας (nostri concurrentes) menses uero ἐμβολίμους uocabant. Hunc igitur Græcorum modum intercalandi cum etiam Numa obseruaret, inuenit quotannis die claudicantem, nimirum eo quem ipse adiecerat. Quare tertio quoque octennio ita intercalendos dispensauit dies, ut non nonaginta, sed LXVI. intercalaret, compensatis XXIIII. diebus pro illis qui per totidem annos supra Græcorum numerum creuerant. Hæc ex Macrobio plerique lib. 1. Saturnalium, cap 13. Quare in Liuio hoc loco puto legendum, ut uigesimoquarto quoque anno ad metam eandem solis, &c. quod in Aldino codice neglectum uidimus, indiligentia an temere, scire non possum. Est autem uisum nobis operæ precium, ut hanc rem paulo diffusius tractaremus, quanquam necessitas propositi nostra non urgebat. Reliqua qui latius scire uoluerit, uideat ipsum Macrobium.

Imperitabat tum Caius Cluilius Albæ.)8.A. Hic apud Dionysium lib. 3. ab initio Cæcius siue Cælius dicitur, sed codicum errore, ut in eum annotauimus. Cluilius uero legendum est, ex quo nomine postea Chlœlium fecere, & Cluilius trisyllabon intelligi potest prima syllaba gallica diphthongo. Id nominis apud eundem Dionysium lib. 8. rectè legitur, ubi de Cluilia fossa: & facile est ex I. fieri I. Paulò post. Tullus præceperat suis, ne quid præter mandata agerent. Alij, ne quid prius, quam mandata, legunt: quod placet, si modò, prius, & quam, disiunctè legantur.

Neque ijs, neque illis periculum suum: publicum impe.)9.B. Ita habent uetustiores codices. Et sane Liuius atque alij ueteres authores sæpe intelligunt, sed. at quidam hoc in loco post suum, adiecerunt, sed quod quam probem, nescio. Oportebat certe & alijs locis adijci. quid igitur authores omitterent?

Lex horrēdi carminis.)10.A. Lex erat (ut author est Dionys. lib. 3. in Tullo) quæ necari indemnatū aliquē uetaret: deorúmque omnium iras precaretur aduersus eas ciuitates, quæ non in pollutos uindicassent. Hæc ille. Hāc ego à Romulo latā existimo. Liuius legis nomen non ponit: legis uerba ita recitat, ut tamē hæc sequentia nihilominus lectorem turbent. Hac lege Duumuiri creati, qui se absoluere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condemnassent.

Et magna pars Fidenatium, ut qui col.)10.B. Mirum uideri qui potuit, cum Fidenates in Latio habitarent, eos latinè scirent quos ego quidem puto nullam aliam scisse linguam, à Roma 40. distantes stadijs, ut author est Dionysius. Non sum nescius quosdam Fidenates origine Tuscos dicere, ideoque nescisse latinè, sed hoc tempore colonia fuerat Romana aliquot iam ætatibus: quare nihil hi probant.

Auertēre omnes à tanta fœditate oculos.)11.B. Varia hic lectio habetur. Quidam distinguunt ante auertēre, & supplent uerbum sunt, post concitati. Alij continuatè legunt, ut omnes sit accusatiui casus: & nominatiuus concitati, ad auertēre referatur. at sic ego omnium legere malim, non omnes.

Vnaque hora, quadringentorum opus annorum.)11.B. Ex Dionysio colligitur Albam stetisse annis quadringentis octoginta septem. Sed hæc non rotunde numerat Liuius.

Tullios, Seruilios, Quinctios, Geganios.) ibidem. B. Pro Tullios Sabellicus Iulios legendum censet ex Dionysio. Ego propemodum adducor ut utrunque legendum putem. Nam & Tulliorum & Iuliorum apud priscos Romanos insignis mentio, etiam in magistratibus: quanquam nomina principum familiarum utrobique non prorsus conueniant. Vide etiam quid sibi hoc templum uelit, quod mox subiungit.

Valuitque apud Veientes, &c.)12.A. Induciæ factæ erant sub Romulo in centū annos, sed sub Tullo Hostilio ruptæ, quippe Veientes cornu dextro aduersus Tullum steterant, pugnarántque. Frustra igitur hic seruatæ, quæ antea ruptæ erant. Atque ego memoria lapsum puto Liuium.

Pugna atrox ad syluam Malitiosam.)12.A. Hanc alij Malitiam, alij Malicusam, alij Malitiosam uocant. In Dionysij codice uerso legitur Malefica, quod in eum quoque authorem annotauimus.

Auentinum nouæ multitudini datum.)13.A. Auentinum hic hoc loco genere neutro usurpauit, quod nescio an quispiam alius, sed sæpius alibi Liuius.

Anco regnante Lucumo, uir impiger.) ibi. 13. A. De Tarquiniorum origine quædam uariat à Liuio Dionysius, quæ ut facilius intelligantur, Liuij opinionem hic in typum sub oculos ponemus lectori. Molesta sanè genealogiarum ratio, & quæ etiam exercitatos sæpe turbat.

DEMARATVS CORINTHIVS. 9. A.

Huic duo fuere filij,

LVCVMO, qui postea L. Tarquinius Priscus, V. Rom. rex. Huius tres fuere liberi,

ARVNS. Hic patrem Demaratum morte præuenit. Ex hoc natus est.

Tarquinia, Ex hac natus est postea

L. Tarquinius Superbus. huic ultimo Romanorum regi tres fuere filij,

Aruns minoris Tulliæ maritus.

Egerius, hic Collatiæ præfectus genuit Collatinum, secundum Liu.

Sp. Lucretius Tricipitinus pater Lucretiæ.

Brutus primus Cos. Romæ.

Titus

Sextus hic stuprauit Lucretiam.

Aruns.

Collatinus Tarquinius Lucretiæ maritus.

Lucretia

coniugium.

Dionysius Egerium ait Aruntem quoque, ut parentem, dictum: sed à Romanis, ut cum patruo in urbem uenit, Egerium à paupertate cognominatum. Collatinum autem non Egerij filium, sed nepotem fuisse. Item L. Tarquinium ac Aruntem non filios, sed nepotes Prisci Tarquinij: multis id ac dignissimis astruens argumentis. Vnde Laurentius Valla ea collegisse uidetur in epistola ad Alphonsum utriusque Hesperiæ regem, quanquam non citato authore, quod facere non solet. Nisi quis Dionysium ab eo non lectum, atque eum suopte hoc ingenio expiscatum contendat, quod ipse fatetur in priore defensione aduersus Benedictū Morandum quendam. Nam ut de Valla aliud suspicer eius candor obstat. Liberè enim ac ingenuè ubique fateri solet, per quos profecerit, & unde habuerit quæ scripserit: fecit certè atque Perottus in suo cornu, aut in suis operibus Politianus, gloriolæ ac popularis auræ captatores, ut mihi quidem uisum est, etsi bonæ literæ eis multum debent.

Negare Actius Nauius inclytus ea.) 14. A. Mirum est quàm uarient huius augurii nomen authores. Valerius enim Max. lib. 1. cap. 4. de auspicijs, Decium Accium Nauium appellat, si codices non fallunt. At Plin. lib. 34. cap. 5. Accium Nauium uocat, ut hoc loco Liuius. Dionys. autem lib. 3. nomen eius ait Neuius, cognomen Accius fuisse. Et Næuius quidam cum diphthongo scribunt. Variatio itaque est in Nauius, Neuius, ac Næuius. Item in Accius et Actius. Deinde in nominum commutatione. Alibi enim Decius prænomen, alibi Næuius nomen, alibi Actius, at res non estbanti.

Numero tantum alterum adiecit, ut mille & trec.) 14. A. in fi. Locus est obscurus atque amphibolus. nescias enim alterum tantum equitatum dicere uelit, an simpliciter alterum tantum, quantum equitum prius erat. In codicibus quibusdam legitur mille DCCC. ut in singulas centurias DC. intelligamus, ait beatus Renanus. Porro de numero, quomodo subduplum intelligemus mille ac trecentorum equitum pro tribus centurijs? Num equites sexcentos ac quinquaginta, ut centurias ducenûm ac senûm denûm equitum accipiamus, & reliqui sint duo? Ego sane legendū suspicor hoc in loco Liuij, mille ac ducenti equites. Nam primum fuerunt tres centuriæ centenûm equitum, eas duplicatas, uel sub Romulo puto, quippe sub quo peditatus decuplo propè creuerit, & equitatus propemodum triplo, ut author est Dionysius in Romulo. uel sub Tullo, qui decem turmas equitum ex Albanis legit, ut paulo antè dixit Liuius, atque ita ducenûm equitum centurias intelligimus, quæ hoc loco rursus à Tarquinio duplicatæ, efficient equites mille ac ducentos, ut tres centurias quadringenûm equitum accipiamus. Dionysij interpres hoc loco non centurias, sed tribus uertit. quid uerò in Græcis inuenerit, scire non possum. Minus autem contectare licebat, quòd in classium enumeratione hæc nomina, tribus, centuria, classis, mirum quam confuderit idem interpres, ut in eum quoque authorem annotauimus. Quanquam quod ad hunc attinet locum, lectio uulgaris aliquo pacto defendi potest. Si enim turma tricenûm binûm equitum est, ut tradit Vegetius libro 2. & Tullus rex adiecit decem turmas ad priores tres centurias, erunt in uniuersum duplicato numero equites mille ducenti quadraginta. quod cum Liuius rotundo numero dicere uellet, ait mille & trecentos.

Et aream ad ædem in capitolio Iouis occupat fundamentis.) 14. B. Vide ut hæc uerba conueniant cum ijs quæ postea de Superbo dicturus est, Itaq; Pometianæ manubiæ, quæ perducēdo ad culmen operi destinatæ erant, uix in fundamēta suppeditauere.

Eundem regni heredem facturus uidebatur.) 15. A. Vel ex hoc loco liquet quàm nihil pensi habuerit Liuius quid de Prisci Tarquinij prole scriberet. Si enim Lucius ac Aruns Prisci filij erant, ut ipse postea fatetur Liuius, quomodo uerisimile uidebitur maluisse priscum hæredem instituere generum, quàm ex se prognatos filios?

Bellum cum Veientibus (iam enim induciæ exierant.) 15. B. Hæ induciæ sub Romulo factæ erant, ruptæ sub Tullo, ut pauló antè diximus: & à Romuli morte nunc sunt centum ac quadraginta fermè anni. Quomodo igitur iam primum exierant? nisi instauratas alicubi quis dicat: quod ipse tamen Liuius dicere neglexit.

Censum enim instituit, rem saluberrimam.) 15. B. Cēsus dicebatur æstimatio rerum ac bonorum facta, secundum quam tributa soluebantur. Neque unquam, quod equidem sciam, ueteres authores pro annuo prouentu usurparunt, ut nunc uulgus iurisperitorum solet. Admonuit nos eius rei D. n. Vlrichus Zasius uir immortalitate dignissimus, ac præter iuris prudentiam, quæ hac nostra ætate absque controuersia regnat, etiam classicorū scriptorum eruditissimus. Quare hic census accipitur pro patrimonij bonis, siue pro sorte, ut populi adhuc perperam. Quando autem & hic locus, & quæ postea de suffragijs ferendis à Liuio nimis concise referuntur, multos acriter torqueant, cum apud Dionysium luculenter discussi sint, operæpretium putaui ea omnia hic sub oculos in typum statuere, cum summis pecuniarijs utriusque authoris, cumque classium centurijs, armis, ac telis: ut si qua inde utilitas ad lectorem manare queat, ea parte non desimus studiosis, quod in Dionysium olim etiam fecimus.

Class. sex	Census		Peditum centuriae	Equitum centuriae	
I	100000	Aeris	LXXX	XVIII. Fabrorum cent. II. Has duas fabrorum cent. Dionysius adiecit secundae classi, Liuius primae.	Arma omnia ex aere, Galea, clypeus, ocreae, lorica. Tela Hasta & gladius
	10003	Drach.			
	1000	Coron.			
	100	Minae.			
II	75000	Aeris	XX		Arma Galea, scutum, ocreae. Tela Hasta & gladius.
	7500	Drach.			
	750	Coron.			
	75	Minae.			
III	50000	Aeris	XX		Arma Galea & scutum. Tela Hasta & gladius.
	5000	Drach.			
	500	Coron.			
	50	Minae.			
IIII	25000	Aeris	XX	Tibicinum, &c. II. Duas facit Dionysius, Liuius tres. & hic quintae adiecit classi, ille quartae.	Arma Scutum au Dionys. Tela Hasta & uerutum: quanquam in Dionysio pilum legitur.
	2500	Drch.			
	250	Coron.			
	25	Minae.			
V	11000	Aeris	XXX		Tela Funda ac lapides missiles.
	1100	Drach.			
	110	Coron.			
	11	Minae.			
VI		Capitecensorum I.			

Minis ac drachmis supputat Dionysius, ut author Graecus: Liuius uerò aßibus, qui erant ex aere. Quadrat autē ratio utriusq; authoris, cum Gulielmi Budaei uiri doctißimi supputationibus. quapropter coronatorū Francicorum aestimationē ordini proposito inuecimus, oppidò aptā, ut huius quoque aetatis pecuniariā aestimationem haberet lector. Minae singulae decem coronatis, coronati uerò singuli decem ualent drachmis. Drachmae porrò cum denarijs Romanis idem habent pondus, quare denis ualent aßibus, ut denarij. Est itaque haec diuisio per totum denaria. Et priorum quidem quatuor classium numerus in diminutionem habet centenarij quadrantem: at quintae, prioris dimidiū apud Dionysium, apud Liuium minus. ait enim. Vndecim millibus haec classis censebatur. nisi & hoc corruptum quis putet, quod equidem suspicor, & legendum duodecim millibus, pro undecim millibus. Duas fabrum centurias Dionysius secundae adijcit classi, ut dictum est, Liuius primae. Caeterùm tubicinum, cornicinum. & accensorum centurias Liuius tres facit, Dionysius duas. Et hic quidem quartae adiecit classi, Liuius quintae. Porrò in armis ac telis non nullum discrimen habent. In quarta classe Liuius ait arma mutata, nec adijcit quo pacto: Dionysius eis scuta data scribit. In uniuersum igitur erant classium centuriae CXCIII. authore Dionysio. Et cum totum curarum bellorúmque onus à pauperibus in dites inclinatum esset, commodo illo leuauit mitigauitque eorum indignationem Seruius, quòd dites fecit uere reipublicae dominos, quippe penes quos erat maxima populi potestas, quae est de suffragijs ferendis. Valebant enim suffragia non uiritim, sed centuriatim lata. qua in re uincebant equites cum sola prima classe. Equites enim primi uocabantur, quibus erant XV Cēturiae: dein prima classis, quae octoginta habebat centurias: atque hi simul si consentiebant, reliquas classes, omnes tribus uincebant suffragijs, quandoquidem ipsi erant centuriae XCVIII, reliquae XCV duntaxat.

Equites enim uocabantur primi: octoginta inde.) 16. A.

Hic locus in plerisque Liuij codicibus corruptus inuenitur. Distinguendum enim ante octoginta. Aldinus etiam codex adiecit, primum, post uerbum centuriae, quod non habent alij codices, nec mihi sanè placet. Porro quae sequuntur uerba uidentur nescio quid desiderare, cū ait, ibi si uariaret. Neque enim sequitur, tum, uel quid simile, & esset effugium: sed quò lectoris animo, imo meo, satis facerem, haud erat: ideóque ea studiosis discutienda relinquo. At quod de tribuum diuisione in quatuor urbis loca, obscure quidem Liuius, sed clare Dionysius explicat, non magnam habent difficultatem. Quod uerò de XXXV tribubus adud Liuium obscurum, apud Dionysium etiā non discußimus, lectori conijciendum relinquo. Multa sane eiusmodi etiam nostra aetate in urbibus fiunt. Verum à nobis haec indicata duntaxat, ut admoneremus studiosos quo iudicio authores sint legendi. Magna enim lectorum turba oppidoquam facile quaedam transilimus quasi bene intellecta: sed ubi penitius introspexerimus, dij boni quantum nonnunquam absumus à uero scopo! Sed hercle id uerum est quod uulgò dici solet, Nescientibus uiam, omnia etiam inuia, uiam esse.

Ea erat confeßio, caput rerum Romam) 16. B. Si confessum erat Sabinis etiam Romam caput rerum esse, quorsum attinebat hunc patremfamilias bouem Romam adducere? Item cum Latinorum praemiserat, cur Sabinus subiungit? nisi Sabinos à Latinis non distinxerit Liuius. ut uidetur aliquot locis. Item paulò pòst, Infima ualle praefluit Tyberis: ambiguum, ad prioráne ea uerba referenda, ut à sacerdote Rom. dicta hospiti Sabino: an ad posteriora, ut Liuij historiam recitantis. Porrò Dionysius Dianae hoc templum in Auentino fuisse scribit (quem lib. 3. decem & octo stadiorum facit in circuitu: at lib. 10. stadiorum 12. si codices non fallunt.) Hinc Valerius Max. lib. 7. cap. 3. Auentinensem uocat Dianam, ubi eandem recenset historiam, aut fabulam potius. Certè Dionysius bouis non meminit, non neglecturus si ueram credidisset.

Aruns Tarquinius & Tullia maior.) 17. A. Ex Dionysio rectè hoc emendauit Antonius Sabellicus: na or e in lige dum, à nobis repetitum, quòd à quibusdam hoc neglectum uidißimus, & praecipuè à Valla.

Neque enim ad ius regni quicquam praeter uim.) 18. A. Atqui si hic Lucius filius erat Tarquinij Prisci, ut credidit Liuius, uidetur aliquid iuris habuisse. Quod si quis dicat, ius regni in populi erat potestate: quid ergo populus Tarquinio non eripuit

Decebat

Deiectus ad caput aquæ Ferentinæ.) 28. B. Hoc loco caput aquæ Ferentinæ uocat: at lib. secundo caput Ferentinum, ubi Actius Tullius Volscorum imperator suos excipit. Rursus lib. 4. satis liquet Volscorum olim fuisse oppidum, ac Hernicis datum à Romanis, anno ab Vrbe condita 542. Itaque lib. 7. Ferentinum Hernicorum oppidum ait, quod captum à Romanis ante Manlij singulare cum Gallo certamen scribit Liuius. Plin. lib. 3. cap. 5. Ferentinũ inter Hetruriæ oppida prope Fæsulas ponit: & paulò pòst Ferentinates ex Falerno agro numerat: ut non planum sit quid de hoc definiendum. Strabo lib. 5. Ferentinum uocasse uidetur in uia Latina. Meminit & Horatius Ferentini lib. 1. epist. ad Scæuam. at Ferenti lib. 3. Carminum, Ode 4. nihil ad hunc locum. Lib. item decimo in Samnio Ferentinum Liuius locat.

Vt ex binis singulos faceret, binósque ex sing.) 19. A. Mirus sermo, & qui uix intelligatur, cum res tamen nullam habeat difficultatem. Vide num binis pro dimidiatis intelligat. Illud autem ita geminatis manipulis centuriones imposuit: dubiũ an solos Romanos intelligere debeamus. Denique quod proximo sequitur uersu, ni degeneratum in alijs, huic quoque decori offecisset: ambiguum ad quod uerbum referas degeneratũ. Et paulò pòst, diuendita præda, rectius alij legunt, quàm diuidendo prædam. Et quadraginta auri argentique talenta ita intelligo, tantum uidelicet auri argentique fuisse, ut in pecunia fierent X L. talenta.

Sextus filius eius, qui minimus ex tribus.) 19. A. Quidam codices habent, qui minor ex tribus, quod propter latinitatem alij emendarunt in minimus: quanquam idẽ error esse poterat in maior ac maximus. Dionys. sanè non uno in loco duntaxat Sextum ex tribus Tarquinij filijs maximum natu perhibet, idque multis ac dignissimis argumentis. Sed hoc lectori iudicandum relinquimus, quale etiam illud de Collatino Egerij, ut ait Liuius, filio, cum temporũ ratio non admittat eum Egerij filium fuisse, sed nepotem. Inducit enim ipse Liuius hunc iuuenem ut reliquos. Quin si uigor (inquit) iuuentæ inest, conscendimus equos? Hæc eò pertinent, ut studiosus lector uideat quàm circunspectè scilicet Latini scripserint historias, in Græcos ubique debacchati scriptores: ut nõ cauiller interim de Sibyllinis libris, quorũ toties postea mentio fiet, historiam sub hoc rege, à Liuio prætermissam.

Itaque Pometinæ manubiæ.) 19. B. Quidam Pometinæ mutarunt in Pontinæ, cum author loquatur de Suessa Pometia, ut supra patuit. Nisi quis Pontinam eandem cum Pometina esse contendat.

Qui X L. millia pondo argenti seposita.) 19. Quidam libri L X. millia pondo habebant, sed non placet. Comparatio enim hic per 40. procedit. Cæterùm statim post uerbum, scribit, non puto ponendum relatiuum, quam, sed continuè inferendum appositiue. Summam pecuniæ neque ex unius tum urbis præda, &c. Porrò X L. talenta summam coronatorum faciunt 24000. At X L. millia pondo argenti 400000, coronatorum. Ideoque Fabio plus tribuit Liuius, qui summam longe minorem posuerit. Dionysius autem ait in eius oppidi præda tantum auri argentique capti effusse, ut singulos milites quinas argenti minas accipere contigerit: quæ uerò deis decimata fuerit pecunia, haud minus fuisse quadringentis talentis. Quinas argenti minas quinquagenis æstimamus coronatis, Budæana supputatione: CCCC. uero talenta, ducentis quadraginta millibus coronatorum: quæ summa multo minor est Pisonis summa, decuplo tamen maior Fabij.

L. Iunius Brutus Tarquinia sorore regis.) 20. A. Dionysius hunc amitam regis facit, Prisci Tarquinij filiam, id quod uerisimilius est. Et Tarquinium superbum non multo maiorem natu fuisse Bruto: imò Bruti filios cum Tarquinij filijs propè eadem fuisse ætate, ex coniuratione postea patet. Nec obstat quod missus sit Brutus cum duobus Tarquinij Superbi filijs Delphos: nam etiam senior pro fatuo duci poterat. Quanquam ea de re cum nemine contendere uelimus: ambigua enim plerunque genealogiarum ratio.

Regnatum Romæ ab condita urbe.) 21. B. Et in summa & in partibus huius numeri optimè conuenit inter Dionysium ac Liuium: secus apud Eusebium: cuius supputatio quatuor deficit annis, quanquam ipse fatetur tribus uariatum annis apud authores. Præterea decem annos Seruio Tullio ademptos, tribuit Tarquinio Superbo. Nos Liuium ac Dionysium potiores habemus hac in re authores, ut ex proposito Romanam scribentes historiam.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIB. I. FINIS.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM SECVNDVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES. 14 F.



HOC secundo libro, præter historiæ uariationẽ, quæ pleraq; Liuio aliter quàm Dionysio ordinata sunt, etiã hoc erroris lectorem implicat, quod usque ad primum Decemuirorum annũ in Liuio tres deficiant anni, qui in Dionysio bene habent: quod ut lectori manifestum faciam, subiungenda hæc existimaui. Dionysius atque Liuius in Consulũ nominibus, quod ad primos duos attinet annos liberatæ Vrbis, conueniunt: in tertio ac deinceps differunt. Nam Dionysius tertij anni COSS. asserit P. Valerium Publicolam tertium, ac M. Horatium iterum. Liuius pro Horatio P. Lucretium ponit, quod nomen mihi suspectum. Quarti anni COSS. T. Herminium, ac Sp. Largium Dionysius ponit, uiros in necessitate Vrbis, cum ab Hetruscis oppugnaretur, extrema ausos. hos Liuij codex omittit, temporum, ut puto, iniuria, ac eius anni COSS. ponit Marcum Valerium Publicolæ fratrem, ac P. Posthumium, qui fuere quinti anni COSS. Itaque in sequentibus annis præuertit Liuius anno uno Consulum nomina. At uicesimo ab Vrbe liberata anno, in codice Liuij rursus omissi sunt Consules duorum annorum, qui sunt apud Dionysium, Et prioris quidem anni Q. Sulpitius Camerinus, Ser. Largius Flauius: sequentis uerò, C. Iulius, P. Pinarius. Sanè horum duorum annorum binos omissos COSS. satis luculenter conuincit summa annorũ à Liuio lib. 3. posita de reip. mutatione sub Decemuiris. Quòd uerò quartus annus ab Vrbe liberata in Liuio desideretur, ex Plinio facilè ostendi potest, qui lib. 35. cap. 3. ait App. Claudium cum P. Seruilio COS. fuisse, anno ab Vrbe condita CCLIX, qui apud Liuium (siquidem quarti apud Dionysium anni Consulum nomina omiserimus) esset CCLVIII. ut supputanti perspicuum fuerit. Ad idem ostendendum iuuat, quod Cicero de claris Orat. ait, decimo ab Vrbe liberata anno COSS. fuisse M. Tullium cũ Ser. Sulpitio, qui omissis Dionysij COSS. fieret nonus apud Liuium. Hæc fortassis nimium curiosa aliquibus uideri poterunt: at cum uideam apud magnos authores eius rei curam non omissam, & lectores in his sæpenumero cum non parum remorari, tũ etiam tor-

queri, annotare ea placuit. Optimus quisque lector pro suo in nostros labores candore boni consulat.

Inuitum se dicere hominis causa.) 22. B. προσωποπλαστεῖν, hoc est, sed Dionysius longè uerisimilius hæc narrat. Quis enim credat quenquam eijci è ciuitate propter nomē? Quantumuis rhetoricetur Liuius, mihi quidem his rationibus non persuadebit.

Et tanquam ad id.) 23. A. Illud, ad, omittendum censeo, quanquam alij aliter construunt.

Præmium indici pecunia ex ærario.) 23. B. Libro secundo de bello Macedonico, & eiusdem Decados lib. nono, liberi indicis premium erat C. millia grauis æris, serui autem XXV. millia æris, & libertas. Hic nihil definiunt de pecunia scriptores. Salustius in immensum auget de bello Catilinario. Seruo (inquit) libertatem & sestertia centum: libero impunitatem eius rei, & sestertiorum ducenta millia. quæ summa liberi quintuplo est maior, serui decuplo, si codices non errant. Fortaßis autem seculum diuitius, & pericula grauiora ipsa magistratibus, hoc effecerunt. Certum igitur est, tempore uariatum esse hoc pretium, quod pluribus locis in Liuio ostendi potest.

Præerat Aruns Tarquinius filius regis.) 23. B. Aldinus codex emendauit præterat, sed præerat malim. Nam proximè antecedit, equitem hostium agminis ita primum fuisse ante peditatum, ut Brutum cum equitatu Romano ante Valerium, qui peditatum ducebat.

Salis quoque uendendi arbitrium.) 24. B. Dicere uult, salis quoque uendendi arbitrium concessum esse priuatis, adempto omni sumptu. Sed lector genus hoc dicendi consideret.

Sp. Lartium, ac T. Herminium.) 25. A. Legendum puto Sp. Largium, ut paulo post in exemplaribus plerisque legitur, & postea T. Largij multa mentio.

Versis in Lucretium Hetr.) 25. B. In Valerium legendum est. Nam Lucretius a Næuia porta, ut Sp. Largius à Collina, dextra læuaque aduenere, ut attentè legenti clarè patescet.

Bona uendendi, bona Porsenæ.) 26. B. Distinguendum post bonis uendendis (si modò hoc adiectiuum non est. nam in plerisque libris non legitur) ut quod sequatur, sit uelut declaratio eius quod præcedit, cuius tamen expositio rursus subnectitur, Bona Porsenæ regis uendendi: id est, bona hostiliter uendendi. quæ si belli tempore orta est, quadrare uidetur: sin in pace, certe minus principium habuit, quam titulus ille præ se ferat. Porrò non ita multo post ita lego: ita deinde, ne populo immisso diriperentur hostiliter, uenisse, bonáque Porsenæ appellata. Ut sit distinctio post uenisse, & uerbo bona, coniunctio, que, adhærens, non relatiuum, quæ. atque ita quidam habent codices. Itáque legit D. Erasmus in adagio, Bona Porsenæ.

A lacu Regillo.) 27. A. Quidam ab urbe Regillo legunt, quidam à Regillo omisso lacu. Cæterùm lacus Regilli meminit Plin. lib. 33. cap. 2. Dionysius lib. 5. Regillum urbem facit, quam rursus lib. 11. non ita longè ab initio, Roma distare ait centum ac quadraginta stadijs, esséque ad Tyberim fluuium. Idem lib. 6. fatetur lacum esse, ut Liuius paulò pòst ubi de pugna ad eum facta. Potest autem fieri ut & urbs & lacus id nominis habuerint. De Claudiorum familia, cuius hic Appius author, lib. 4. copiosius dicemus.

Agrippa Menenio, P. Posthumio COSS. 27. A. Legendum P. Posthumio II. COSS. quippe qui biennio antè fuerat COS. cum M. Valerio.

Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt.) 27. A. Auruncos per diphthongum, au, legendum puto. Sunt autem ueteris Latij, quod à Tyberi Circeios usque erat, incolæ, teste Plin. lib. 3. cap. 5. Mirum autem de hoc bello nihil meminisse Dionysium. Præterea id magis mirum, cum ait: Aurunci paßim principes securi percußi, sub corona uenierunt coloni alij, oppidum dirutum, ager uenijt. At non pòst anno legati eorum Romanos Volsco agro decedere iubent. De Pometia idem dubium: nisi quis Suessam Pometiam Volscorum dicat fuisse urbem, quam Tarquinius Superbus diruit. Pometiam autem Latinorum, cuius Plin. meminit lib. 3. cap. 5. ubi de oppidis quondam in Latio. At Dionys. lib. 6. Suessam Pometiam nominat, ubi Liuius Coræ atque Pometiæ meminit anno 259. ab Urbe condita. Cæterùm hoc in loco idem Dionys. de Sabinis bella refert, magis meo indicio uerisimilia, & hoc, & sequente anno.

COSS. Ser. Sulpitium, M. Manlium, Tullius) 27. B. Quidam codices pro Seruio Seruilius habebant, sed errant. Seruius enim prænomen est, Seruilius nomen. Rursus alij Tullius mutarunt in Tullus. At illos refellit Cicero de Claris Oratoribus, ubi mortuorum laudationes carpit. Ut si ego (inquit) me a M. Tullio esse dicerem, qui patritius cum Ser. Sulpitio COS. anno decimo post exactos reges fuit.

Tarquinium Superbus quanquam iam ætate ac ui.) 27. B. Rursus προσωποπλαστεῖ Liuius, sed frustra. Nam Dionys. lib. 6. negat parentem Tarquinium huic adfuisse pugnæ, quippe iam nonagenarium. Filium autem Titum cum dictatore congressum, Sextum etiam hac pugna occisum, quem Gabijs perijsse Liuius ad finem libri primi scriptum reliquit. Hoc in loco Liuius Tarquinij filij nomen omisit, ut uariatis in historia hoc non dubitem.

COSS. Q. Clœlius, & T. Lartius.) 28. A. T. Largius iterum legendum puto, ut suprà de Sp. Largio admonuimus. Et de his COSS. multa mentio apud Dionysium lib. 5. sub finem.

Romæ tribus uno & XXX.) 28. B. Impudens hæc menda est. Tempore Coriolani XXI. erant tribus, quarum XII. eum damnarunt, IX. absoluerunt. Tempore Liuij erant XXXV. Et ipse postea plus nouem additas scribet ad has quas hoc loco numerat. Legendum igitur, una ac XX.

M. Lectorio primipili Centurioni.) 30. A. Primus centurio erat (inquit hic noster author lib. 7. sub finem) quem nunc primipilum appellant. Dionys. autem lib. 9. ait centum ac sexaginta milites subesse primipili imperio, si codices non fallunt, quod suspicor. Vegetius lib. 2. cap. 8. Vetus autem, inquit, cōsuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoueretur centurio primipili, qui non solum aquilæ præerat. uerumetiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites in prima acie gubernabat. At rursus Liuius lib. 4. de bello Macedonico ait, in pugna qua T. Sempronius COS. aduersus Boios conflixit, Q. Victorium primipili centurionem, & C. Atinium tribunum mil. adempta signiferis signa in hostes iniecisse. Et Sallustius in Iugurthino bello, ubi de A. Albino capiendo, ait: Et centurio primipili tertiæ legionis. Ex his uidetur primipilus nomen & centurionis esse, & ordinis in legione. Quare hoc in Liuij loco quidam primipilo, quidam primipili legunt, quod lectori iudicandum relinquo.

M. Valerium dictatorem Volesi fil. creant.) 31. A. M. Valerius Publicolæ frater, Volesi filius fuit, qui in pugna ad Regillum lacum occasus est: quomodo igitur hic dictator factus? Ni Publicolam duos fratres eodem prænomine habuisse dicamus, quod equidem uix credo. Quidam pro filium legendum putarunt, nepotem. Et, prouocationem patrui lege, pro fratris lege: moti ex hoc quod suprà Liuius dixerit, quosdam scriptores prodidisse Valerium Volesi nepotem primum dictatorem Romæ fuisse: quod cum Liuio certis de causis non uideatur, postea alicubi dictatorem factum, uerisimile esse. At horum opinionem refellit Dionysius, qui hunc Valerium plus septuaginta annos natum scribit: quod de Publicolæ ex fratre nepote uix credibile sit, cum hic decimus sextus duntaxat ab liberata Urbe sit annus. Quare alij putant L. Valerium legendum, de quo postea in Sp. Cassij damnatione fit mentio, quem Publicolæ fratrem Dionysius perhibet lib. 8. Quidam M. Volesi filium legunt, ut hanc tollant dubitationem. Quid ex his uerius sit, lectoris iudicio relinquimus, ut pleraque alia. Porrò cum hocce Valerio, quocunque tandem prænomine, Magistrum equitum Qu. Seruilium consulis Seruilij fratrē Dionys. lib. 6. prodit, quem Liuij codex hic omittit: sed id alibi etiam facit, cum certum sit nullum unquam dictatorem Romæ creatum absque Magistro equitum, ut tradit Dionysius lib. 5. ad finem.

Agi deinde de concordia cœptum.) 32. A. Cum hæc seditio propter nexos cœperit, ut ipse paulo antè dixit, ubi de Valerio loquitur, retulitque (inquit) quid de nexis fieri placeret, mirum est Liuium ne unum quidem uerbum amplius de nexis dicere, quomodo tandem cum ijs actum: ideoque ex Dionysio S. C. factum recitare placuit, sed ex codice utcunque Latino, nam codicis Græci copiam habere nequiuimus. Is itaque lib. 6. in oratione Menenij Agrippæ hoc senatusconsult. de nexis refert: Debentes pecuniam

pecuniam, nequeuntésque dissoluere, liberari eos solutione æquum censemus, ac si corpora iam aliquorum, præfinito tempore legitimo, detinentur, ipsa quoque iudicamus libera. Et quicunque capti iudicijs, rem suam condemnationibus tradiderint, hos quoque liberos esse uolumus, damnationésque eorum tollimus, irritásque fecimus. Ac sic igitur præteriti temporis contractus, qui nobis afferre nisi sunt seditionem, corrigimus: futuri uerò deinceps, quemadmodum, ô plebei, nobis Senatuique communiter consultantibus uidebitur, lege quoque sanciente, ita illi se habeant. Hæc ille. Est & lex tribunitia, quam Liuius hoc loco sacram uocare uidetur, ab eodem descripta Dionys. quam, apud eum lector quærat nos ad alia festinamus.

Per secessionem plebis Sp. Cassius, & Posthum.) 32. A. Addendum utrique, iterum. Cassius enim COS. fuit anno 8. ab liberata Vrbe, Posthumius nono. Inuenio etiam in alijs libris C. Posthumium nominatum, quod mihi placet. Nam Posthumius nomen est, non prænomen, quanquam quidam codices habent Posthumus trisyllabon, ut sit prænomen, quod nescio.

Eodem anno Agrippa Menenius moritur.) 32. B. Hæc duo nomina identidem Liuius inuertit. Nam paulò antè ita dixerat; Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam. hic ait, Agrippa Menenius. Dionysius semel, quantum memini, Agrippa Menenius dicit, ubi COS. creatur, deinde perpetuò Menenius Agrippa. Sed hæc non sunt tanti.

Læuóque per Volscos maritimisque ad Cumas.) 32. B. Satis clarè hoc loco Volscorum situs describitur. Nam Antium etiã Volscorum ciuitas fuit, ut ex fine huius libri patet. Plin. autem lib. 3. cap. 5. Volscos ultra Circeios emouet. Porrò quod hic Liuius uocat Pontinum, Dionysius lib. 7. ab initio uocat Pometinum campum, si codex non fallit. Pontinam paludem Plinius eodem capite à Circeis esse ait. & lib. 26. cap. 4. plurali numero Pontinas paludes nominat agri suburbanæ Italiæ. Pontini rursus mentio lib. 6. apud hunc authorem nostrum, anno ab Vrbe condita, 367.

Et Norbæ in montes no. colo. quæ arx in Pon.) 32. B.

Norbæ Plinius meminit, ubi de oppidis claris olim in Latio, Norbanos etiam prope Lauicanos in Latio, ut non existimem longè à Romà uel Norbam uel Pontinum fuisse: siquidem Norba arx in Pontino esse debuit, ut hic describit Liuius.

M. Minutio, deinde & A. Sempronio COSS.) 32. B.

Addendum utrique, iterum: quippe qui simul COSS. fuere anno 257. ab Vrbe condita.

Tarquinium regem qui non tulerim.) 32. B. Atqui paulò superius de Coriolano ita inquit Liuius: Cn. Martius adolescens & consilio & manu promptus. Tempore igitur expulsorum regum adhuc impubis erat: quare hæc uerba Liuij personæ melius congruebant quàm Coriolani.

Ipse cum die dicta non adesset, perseuer.) 33. A. Non persequar nunc historiæ uariationem, quæ apud Dionysium longe luculentius, meo quidem iudicio, quàm apud Liuium narratur. Id quod fuit necessarium ad huius historiæ lucem, omisisse uidetur Liuius, uidelicet quomodo iudicium hoc perlatum nouo ritu, nec antea consueto. Tum primùm (inquit Dionysius) concio curiata ad ferenda suffragia à Tribunis plebis uocata est, cum antea semper centuriata uocaretur. Curiatam uocat, quando uiritim feruntur suffragia. Centuriatam, quando per centurias. Centuriæ autem erant CXCIII. per sex diuisæ classes, ut copiose antea dictum est: & prima classis cum equitibus centurias habebat XCVIII. Restabant igitur reliquarum classium XCV. centuriæ. hic nihil earum rerum obseruatum.

Ludi fortè ex instauratione magni.) 33. A. Ludi acti erant, sed non ritè, ideóque instaurãtur. Porrò hoc loco, & nouum annum, & alios COSS. ponit Dionysius, Liuius omisit, aut eius codex iniuria temporum. Tale autem somnium Xerxis narrat Herodotus lib. 7. ab initio, homo Græcus fabulam, Latinus historicus historiam scilicet.

Ludi quamamplissimi ut fierent, Senatus.) 33. B. Et hoc loco Dionysius initio libri 8. & nouum annum, & nouos refert COSS. In Liuij codice ea omnia omissa, ut iam diximus, de priore quoque anno.

Prægressus Tullus ad caput Ferentinũ.) 33. B. Libro priore de morte Turni Herdonij, aquam Ferentinam appellat, hic uerò caput Ferentinum. Libro autem septimo, Hernicorum oppidum Ferentinum asserit, & eodem libro, anno ab Vrbe condita 406. ad lucum Ferentinæ ait Latinorum concilia habita. Sed de hoc etiam antea.

Inde ad Latinam uiam transuersis tramitibus transf.) 34. A. Nota hic Liuij compositionem, transuersis tramitibus transgressus. Hoc loco Dionys. nouos COSS. ponit post Circeios captos, quos paulo pòst etiam Liuius fuisse tum COSS. fatetur. ut hic sit quartus Martij exilij annus, quemadmodum ait Veturia in oratione ad filium apud eundem Dionysium. Porrò in ciuitatum nominibus non conuenit illis, ut in plerisque alijs. Bolanorum oppugnationem bis describit Dionysius, sed codicum, ut puto, errore: Liuius ne meminit quidem. Plinius de ueteribus Latij populis Abolanorum & Bolanorum meminit, unde forsan hic error in Dionysij codice. Tolerinorum nulla apud Liuium mentio, Plinius Tolerienses uocat. Verùm hæc omnia prosequi eius est qui commentarium, non qui annotationes scribit.

Et ad fossas Cluilias quinque ab Vrbe m. p.) 34. A. Non est dubium, quin de ijs loquatur fossis, de quibus libro primo in Tullo Hostilio. eas enim fecerãt Albani duce Cluilio, ut uocat Liuius à quo & nomen habent. Apud Dionysium hoc nomen corrupte legitur Cæcius uel Cælius. Distantia etiam earum fossarũ utroque in loco apud utrunque authorem eadem narratur: in Liuio quidem quinque millia passuum, in Dionysio 40. stadia, quæ totidem efficiunt millia passuum, si octona stadia mille demus passibus, ut Plinius lib. 2. cap. 23. facit.

Sine ut priusquam complexum accipio.) 34. B. Eadem uerba sunt apud Valerium Max. lib. 5. cap. 4. hinc ut puto sublecta, à nobis autem indicata, ut ex alteris altera emendarentur.

Sp. Cassius deinde ac Proculus Virg.) 34. B. Legendum Sp. Cassium III. Primum enim fit COS. anno ab Vrbe cond. 252. iterum anno 261.

Damnatur Ser. Cornelio, Q. Fabio COSS.) 35. A. Quidam codices Seruilium, quidam Sergium habent, sed utrique errant. Nam Seruius prænomen est, Sergius autem ac Seruilius nomina. Quidam unam literam S, ponunt, suspendentes naso ignaros consuetudinis Romanæ. Mirum uerò in Liuio cur non in fine prioris anni meminerit S. C. de lege Agraria facti, de quo totes Dionys. & nos paulò pòst ex eodem referemus authore.

Vt cum L. Aemylio Cæso Fabius COS. cre.) 35. A. Hunc annum Dionys. lib. 8. ait ducentesimum septuagesimum annum ab Vrbe condita: ergo ab liberata Vrbe hactenus tres omissi sunt anni in Liuij codice, ut sæpius nunc ostendimus.

Abutebantúrque ijs inter semetipsos certando.) 35. A. Pusillum fortassis hoc, sed tamen ab expositoribus Ciceronis magnis quidem uiris non omissum. Notare placuit, malle quosdam inter semetipsi legere, quàm inter semetipsos: ut illud paulò post, Aeternas opes esse Romanis, nisi inter semetipsi seditionibus sæuiant. Quidam tamen mutarunt, inter semetipsos legentes. Quidam utroque modo authores etiam magnos locutus contendunt, quibus cum haud quaquam pugnabimus.

Q. Fabius inde & C. Tullius.) 35. B. Legendum, Q. Fabius iterum, quippe qui quarto ante anno COS. fuit, item sequente statim anno. Cæso Fabius & Sp. Furius. Legendum, Cæso Fabius iterum. Rursus paulò pòst quidam libri habebant, Sp. Publium Licinius trib. pl. Sed Pub. tolendum, ut ex Dionys. patet, & res ipsa clamat.

Ducendus Fabio in Veientes, in Equos Furio datur.) 35. B. Hic locus ab Antonio Sabellico iure reprehẽsus est. Quidam emendandum putauerunt, si ita legeretur: Fabio in Equos, in Veientes Furio datur. Et in Veientibus quidem nihil dignũ memoria gestum est. Ita enim duo loci sequentes quos notat Sabellicus, cũ hoc cõsonarẽt. Et ipse aliquando in ea fui opinione. At Dion. uerba lib. 9. de eisdẽ COSS. satis declarãt, sequẽtes duos locos in Liuij codice male habere, nõ priorẽ. Cæsonis enim frater M. Fabius sequentis anni COS. exprobrat militib. Romanis, id aduersus Veios pugnã poscentibus, fratrem suum aduersum eo dẽ hostes desertum, & gloria priuatum militum inuidia. Verùm in Liuio hoc mirum uideri non debet, si sæpe in tanta rerum

gestarum mole, iam senex historiam texens, memoria lapsus fuerit. quod ad authoris contumeliam dictum minime uideri uelim, sed potius ut studiosos ab anxio nimium labore dehortarer.

In præsentia reipublicæ, exemplo in perpetuo.) 35. B. Quidam emendauerant, in præsentia re ipsa, exemplo in perpetuum. qui sensus haud paulo clarior est, quàm si reipublicæ legerimus, & scriptura fefellit. Illud autem, in præsentia, apud ueteres in multo usu: in præsentiarum autem, quo nostra utitur ætas, non item: sed apud Vallam Perottúmue natum uidetur.

Traditam ultro uictoriam uictis Equis.) 36. A. Hic est locus de quo paulo ante admonuimus. Nam Veientibus legendum, & ex prioribus Liuij uerbis, & ex Dionysio.

Victor, inquit, M. Fabi reuertar ex acie, si fallat.) 36. B. Locus uidebatur non bene habere, sed est conuersus sermo à secunda persona in tertiam. Notandum autem est genus locutionis. Illud uerò, Gradiuum patrem, Seruius in tertium Aeneid. interpretatur θοῦρον ἄρηα, id est exilientem in prælia.

Non magis secum pugnaturos quàm pugn. cum Equis.) 36. B. Et hic est alter locus, in quo lapsum memoria Liuium existimamus, nisi temporum iniuria codicum fides fallat: quod quidem lectori iudicandum relinquimus. Quanquam si quis pro Equis legat Veientibus, cum Veientes hic loquuntur, non ideo ut quadret, sed omnino uel Liuius uidetur memoria lapsus, uel ex tribus iam dictis locis primus male habet, etiamsi Dionysius contrarium dicat.

At ego iuiuratus aut uictor.) 36. B. Dionysius ait etiam COSS. iurasse. Cæterum proximo uersu legendum, Cæso Fabius, non C. Fabius, ut perperam quidam habent codices. Fuere autem tres Fabij, M. Q. ac Cæso fratres: quorum hic septem consulatus ordine fuerunt.

Cæso Fabius cum T. Virginio COS. factus.) 37. A. Legendum, Cæso Fabius III. ex annis ab Vrbe cond. 270. & 273. quibus fuit COS.

L. Aemylius inde, & C. Seruilius.) 37. B. Et hic legendum, L. Aemylius iterum, quippe qui fuit anno ab Vrbe cond. 270. Et plane suspicor ab sciolo aliquo pro iterum positum inde, ut qui notas illas non intellexerit.

Multiplicatis in arcto ordinibus.) 38. A. Hoc ut splendide dictum uideri potest, ita ingenue fateor me non intelligere.

CCCVI. Perisse satis conuenit unum, &c.) 38. A. Hanc opinionem recte reprehendit Dionys. Neque enim uerisimile est tot eximios uiros domi nullos filios reliquisse. Nam de parentibus etiam Liuius non dubitat, quippe qui pauloante dicat: Precantur ut illud agmen faustum atque felix mittant, sospites breui in patriam ad parentes restituant. Frustra igitur hoc dictum, Vnum prope puberem ætate relictum, & initio libri sequentis uanius repetitum.

Dum celeriora essent, agebat consilia.) 38. B. Quidam agebant, emendarunt, male mutato numero. Ego urgebat legere malim, ut sit sensus, Inopia urgebat in præcipitia consilia.

Abeuntes magistratu COSS. Genutius.) 39. A. Mirum uerò quo iure Genutius hosce apprehenderit COSS. neque enim quicquam causæ narrat Liuius, & Seruilius (quanquam illi, quod peccauerat, obijci potuit) strenue se defenderat. Verum apud Dionysium clarior longe narratur causa. COSS. enim Sp. Cassio ac Proculo Virginio S.C. factum erat; quod quia ad horum annorum historiam planius intelligendam multum lucis adferre uisum est, placuit nobis hic referre ex libro utcunque Latino: neque enim codicis Græci copiam habere, ut ante diximus, potuimus, ex quo uel male uersa emendaremus, uel per librarios corrupta restitueremus. Est autem huiusmodi decretum: Decemuiros consulares creari æuo maximos, qui terminos regioni publicæ ponentes, declarent quanta eius locari, quantúmque diuidi populo oporteat: æquo autem iure ciuibus & socijs, si quam postea acquirant communiter militantes, contingentem quibusque partem secundum conuēta tradi: electionémque horum uirorum, distributionémque sortium, & cætera quæcunque fieri oporteat, futuro Cons. perficere. Hæc ille. At id statim post Cassij mortem à COSS. Q. Fabio ac Seruilio impeditum ad hos usque annos iacuit. Id tribunum Genutium ac plebem male habuit, quòd COSS. in exequendo S.C. cessabant, ideóque in ius trahebantur. Porrò quod statim subnectitur L. Aemylius & Opiter Virginius cōsulatum ineunt: legendum, L. Aemylius tertium: is enim antea COS. fuit anno 270. iterum anno 276.

Vt plebeij magistratus tributis comitijs) 39. B. Quidā codices falso legunt tribunitijs pro tributis. Diony. hoc in loco centuriata comitia distinguit à tributis: quòd cēturiata fierent præcedentibus S.C. multitudineq; per curias ferente suffragia, ac post utraq; hæc, signis à numine & augurijs nihil aduersantibus. Tributa uerò, quod neque S. C. prius facto, neque sacris, neque aruspicibus sancientibus fierent, unáque die haberent finem. At Coriolani iudicium describens, curiata à centuriatis distinxit, quòd in curiatis uiritim suffragia ferrentur, in centuriatis per centurias. Quæ loca si quis conferat, in altero centuriata à curiatis neutiquam distincta reperiat, in altero tributa cum curiatis propemodum eadem facta. At Gell. lib. 15. cap. 27. Curiata comitia, inquit, sunt cum ex gentibus omnium suffragium fertur. Centuriata, cum ex censu & ætate. Tributa, cum ex regionibus & locis. Hæc ille. Ex quibus uerbis curiata à centuriatis satis distincta sunt, at à tributis non admodum clare. Ego conijcio curiata comitia esse, cum uiritim per omneis tribus suffragia feruntur, ut de Coriolani iudicio scribit Dionys. Centuriata, cum ex censu & ætate: atque ab his non abesse uel patres uel patritios. Tributis autē solam adesse plebem, ut hic ex Liuio satis patet. Sed hæc, ut in alijs iam sæpe fecimus, lectoris iudicio relinquimus. Nam Liuij diligentiam in re admodum necessaria hic plane desideramus.

Volscum Equorúmque inter seditionem Rom. est bellum co.) 40. A. Hæc lectio in plerisque est libris. Quidam ita mutarunt: Volsci tum Equique inter seditionem Romanam & bellum coortum, uastauerant agros.

Nec ulla ui domari poterat) 40. B. Vide quàm subito mutatum dicendi genus. Ira stimulabat Appium, nec ulla ui domari poterat exercitus. Itaque quidam legere malunt, Nec tamen ulla ui domari poterat.

Per stragem corporum armorúmque euasere.) 40. B. Illud quoque considerandum lectori. Nam si Volsci ultimos Romanorum adorti sunt, atque ex eis aliquot occiderunt, quomodo prima acies Romanorum per ea corpora fugam fecit? Meo quidem iudicio locus inexplicabilis est.

L. Valerio, T. Aemylio COSS.) 41. A. L. Valerio iterum legendum: nam anno 271. COS. fuit, qui Sp. Cassium quæstor accusauerat. Titi autem Aemylij parens fuit L. Aemylius ter COS. annis 270. 276. & 281.

Tanquam tertio COS. sustinenti.) 41. A. Appius diuisioni agrorum cōtradicebat, COSS. uero nō resistebant tribunis, ut luculenter ex Dionys. colligitur, & ipse Liuius ab initio sequētis libri de Aemylio idem fatetur. Porro de Appij iudicio causam accusationis omittit, rem apud Dionysium eleganter ac copiose explicatam, ut haud immerito negligentiæ queat accusari Liuius hoc in loco ab optimo quoque uiro, nedum ab C. Caligula, monstroso quidem illo Imperatore, nō tamen prorsus nullius iudicij.

Patres quoque non te. pro ullo æque an. sunt, propugnat) 41. A. Vide mutatam subito orationem, ac uelut oblitum dicti superioris ad aliud transijsse. neque enim dicimus, annixi sunt propugnatorem obijci iratæ plebi. Nisi dicas desiderari uerbum aliquod, ut, ægreferebant, uel, indignati sunt, aut quid simile.

T. Quintius, & Q. Seruilius.) 41. B. Legendum, T. Quintius iterum, ut sequentes eius uiri consulatus ostendunt, præsertim quartus, anno ab Vrbe cond. 309. ubi Liuius numerum non omisit. Cæterum hic Seruilius tertio post hunc anno rursus fit COS. ac à Dionysio Priscus dicitur.

FINIS.

IN T.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM TERTIVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



QVI unus extinctæ ad Cremeram gēti superf.) 42.B. De Fabijs iam antea admonuimus ex Dionysio, non uerisimile esse unum illum duntaxat superfuisse. Verum id haud minus mirum, quomodo tam citò C O S. fieri potuerit, cum uixdum puber eo tempore esset, à quo decimus hic est annus. Cognomen eius Vibulanus fuit hoc loco apud Liuium omissum: postea uerò tertio consulatu ab Liuio ponitur. Legendum etiam hoc loco, T. Aemylius iterum: de quo non solum nihil eiusmodi priore consulatu dixit Liuius, sed etiā contrarium, ut priore libro ostendimus.

Q. Fabio & T. Quinto C O S S.) 42.B. Q. Fa'io Vibulano iterum, & T. Quinto Capitolino III. legendum: quod etiam Dionysius diligenter tradidit,

C O S S. inde Posthumius Albus.) 43.A. Posthumius legendum, ut patet ex Dionysio, atque adeo paulò post ex ipso Liuio, ubi refert quot C O S. hostium ceciderit. Præterea Posthumius nomen mihi uidetur, non prænomen, ut in eo qui C O S. fuit anno ab Vrbe cond. 253. & 261. omissam C. uidetur, ut habent quidem libri. quod item suspicor in C O S. Posthumio anni 313. Quidam Posthumum trisyllabum aliud putant, aliud Posthumium tetrasyllabum.

Romanos cecidisse in Hernico agro.M.) 44. A. Pro mille quidam reposuerunt V. millia. Qui numerus ut nimis magnus uidetur, ita hic nimis paruus. Dionysius enim cum P. Furio legato mille occisos ait: uerisimile est aliorum non pauciores occisos tota hac oppugnatione.

Inde Romam reditum est, iustitium rem. est. cælum. &c.) 44.A. Alij libri habebant ut, proinde. Fortaßis autem id mutatum propter compositione triū, est, est, est. Verum multa similia reperias, ut id non omnino necesse fuerit mutare. Paulo ante, Et exequēdo subtiliter numerū. uidetur exequādo sit legendū.

Circuitio ac cura ædilium plebis erat.) 44.B. Quidam amphibolon putant. Nam si post ædilium distinguas, uidetur dicere uelle, Quæ cura ædilium esse consueuerat, eam plebis nunc factam. Sed mihi sensus uidetur coniunctim legendo: Quæ munia proceres obire debebant, ea ad ædiles plebis peruenisse.

Sed ne adeundi quidem Romana mœnia.) 44. B. Dionys. ait Volscos Equosque urbem tentasse, sed frustra id conatos. Ipse Liuius paulo post Romanos ab hostibus obsessos ait: hic uerò, non ausos adire Romana mœnia.

Immoderata infinita potestate.) 45. A. Quidam hæc adiectiue ad unum posita substantiuum distinguunt, nihilominus obscuro manente sensu. Illud autem omneis, quod paulò post sequitur, accusandi uidetur casus, ac pluralis numeri: etiam si uerterent pro uerterentur accipi potest, omnia supplicia.

Legem sese promulgaturū ut Quinque uiri.) 45. A. In Dionysij codice hic tribunus uocatur Terentius, haud scio errorene librariorum. At idem Dionys. lib. 10. ab initio ait Romanos hactenus absque legibus uixisse, sentētiaq; Senatus atque magistratuum stetisse. Itaq; Tribunos pleb. postulasse, ut leges scriberentur, quibus & C O S S. & alij magistratus uterentur, populusq; non dominatione Consulum, magistratuúmq; libidine sed illis teneretur legibus, quas ipse tū legisset, tum sanxisset. Hæc lis durauit, cōtinuitq; urbem usq; ad Decem uiros creatos. Vnde legē hāc lib. 10. apud Diony. aliquāto clariorē quā Liuius tradidit.

Et tempore capto adortum remp.) 45. A. Captare tempus opportunum rei gerendæ sæpe dicitur, sed capto tempore quid sit, non hercle intelligo, nisi capto pro captato intelligamus. aut apto legendum.

Dilatáque in speciem actione res ipsa sub.) 45. B. Quidam re ipsa legunt in auferendi casu. Quidā in spem actione: at utersque sermo insignē habet obscuritatem, nō tamen inexplicabilem. Eiusmodi etiam dicēdi modus est libr. 4. decad. 3. non ita multis ab initio uersibus, item alibi, ut eo in loco annotauimus

Alteri C O S. datum ut ouans sine militibus.) 45. B. Cum toties eorum triumphorum discrimine utatur Liuius, mirum non semel dignatū hæc uel uno ostendere uerbo quid differant. Dionys. sanè lib. 5. an. 7. ab Vrbe liberata multa de his: sed in codice nostro adeò corrupta erant, ut apponere ausi non fuerimus. Aulus Gell. item lib. 5. cap. 6. ad finem quædam hac de re adfert ex uetustioribus adeò uaria, ut Liuium hac potißimū ratione, quo minus ea discriminaret, deterritum crediderim.

Libri per Duumuiros sacrorum aditi.) 45. B. Sibyllinos haud dubie intelligit, cum tamen ne uno quidem uerbo de ijs quicquam antea. Dionysius autem nec hoc loco, nec in Tarquinio neglexit.

Sic ne quid aliud actum putent, uictam. le) 45. B. Et hic sensus obscurus est: puto illum plebi persuadere uelle, Consules nihil aliud egisse, nihil aliud quàm quo pacto legem tollant, cogitasse: nec aliud cogitent ipsi, quàm uictam esse legem, nisi dum in integro res sit: & quæ sequuntur reliqua.

Cum discedere populum iußissent tribuni.) 46. A. Manifestè hic uides populi uoce etiam patres intelligi.

Ecquid sentitis iam uos Quirites.) 46. A. Illud iam, non omnes habent libri, sed placet. Et illud, Ecquid, pro an non positum uidetur.

In Vrbe fuerat, in iuuentutem gra. in Sub inci.) 49. B. Vide hoc genus compositionis, quater repetit præpositionem, in: quanquam quidam codices in, ante iuuentutem non habent.

Nocte Capitolium atque arcem occuparunt.) 47. A Mirum si tam facile Capitolium capi poterat. Decebat, meo quidem iudicio, hæc uerisimilius narrare Liuium, id quod Dionysius nō neglexit, & loci naturam & accedendi modum paucis aperiens, at non minus uerè quàm luculenter.

Non uulgo: tantum, ut incerto hoste præsi.) 47. A. Tantū, à uulgo disiungendū. Et mirum si soli C O S S. habebant arma.

Ad id prope unum maxime inclinatis rebus in.) 74. B. Pusillum hoc, sed non tamen negligendum. magis quibusdam placere ad, quàm at. Idque codices quidam habent, nominatim Moguntinus. Sed at, etiam quadrat.

Iupiter Opt. Max. Iuno regina & Min.) 47. B. Hæc tria numina Romana fuisse existimandum est, quippe quæ paßim imperatores Romani aut nominant, aut inuocant; ut hoc loco Valerius, & lib. 4. M. Manlius, & lib. 8. Decad. quartæ Scipio Africanus. Quanquam Seruius in tertium Aeneidos librum nō ita longe ab initio (si modo codex non fallit) hos exhibet. Iouem, Mineruam, ac Mercurium. Item repetit in fine prope octaui libri. Libro autem secundo ubi de Laocoonte, Capitolij eadem quæ Liuius nominat, ponit numina.

Quod princeps familiæ suæ ausus in reg. 47. B. Hic Valerius de Publicola loquitur, quasi iam de tritauo aut atauo, cum Dionysius lib. 11. eum filium Publicolæ fuisse dicat. Meminit & eiusdem lib. 7. idem author: quanquam lib. 6. ad lacum Regillū P. Valerium Publicolæ filium occisum refert, quod in eundē annotauimus,

In peragendis consularis officij partem.) 48. B. Ita uetustiores codices habent. At peragendi in gignendi casu legit codex Moguntinus: utro modo legeris, est sensus clarus.

De proferendo exercitu agere.) 49. A. Hoc difficilius est. Vide autē num proferendū dicere uelit, quē prolaturi C O S S. erant, nisi tribuni obstarent. Itaque obnitebantur propter terrores, quos author continuo post subnectit.

C O S S. creati Q. Fabius Vibulanus III.) 49. A. Non est dubium, quin de eo Fabio loquatur, cuius ab initio huius libri mentio.

mentio, & cuius bis à Liuio omissum cognomen est.

Cornelius, ut Romæ præsidio esset.) 49. B. Quidam, Cornelius mutarũt in Cornelio, propter uerbum datum, quod præcesserat: quasi non & uerbum pariti, præcesserit, ad quod referri poterat.

Arcem Tusculanam improuiso nocte cap.). 49. B. Dionys. & oppidum, & arcem capta scribit, quod uerisimilius puto. nisi quis Equos in hoc App. Herdonium inuitatos credat. Admonuit etiam Sabellicus paulo pòst de Fabio ad Columen, legendum reliquo exercitu, non relicto. De eodem Fabio, ante iam dicta uerba, ui nunquam eos subigere potuit: alij legũt, ui nunquam eò subire potuit. Quid si potuere legatur, propter statim sequentia hæc uerba, Inermes nudique omnes sub iugum ab Tusculanis missi.

Erat & noua exorta causa motus.) 50. Amphibolon, in motu participio, & nomine: & noua exorta causa, in nominandi casu, & uocandi. Res digna ubi exerceantur curiosi grammatici.

Omnes hæ res in unum congruentes.) 50. A. Quidam hos nominatiuos in accusatiuos mutarunt, non bene meo iudicio: Nam faciebant, uerbum, nullum alioqui habebit nominatiuum.

L. Minutius inde, & L. Nautius C O S S.) 50. A. Pro L. Nautio legendum ex Dionys. C. Nautius iterum: nam tertio post occisos Fabios anno COS. fuit cum P. Valerio.

Cum M. Valerio Valerij filio Volesi nepo.) 50. A. Puto eum loqui de M. Valerio Marci filio, de quo anno ab Vrbe condita 253. aut liberata anno nono. Cuius pater Publicolæ frater in pugna ad Regillum lacum occiditur, qui eo etiam loco Fusius dicitur. Quare legendum puto, Cum M. Valerio Marci filio. Nam Valerij filio ut legam, persuaderi non possum.

Nec diuturnam quietem Equi dederunt.) 50. A. Valerius Maximus libro 2. cap. 2. cum Equicolis hoc bellum fuisse ait. Quare lector secum perpendat, num Aequicoli, aut Aequicolæ, cum Equis idem sit populus, an apud Valerium menda. Cũ Liuio eum concordat in nomine Dionysius. Plinius Aequicolanorum lib. 3. cap. 12. meminit. Ptolemæus Aequicolos appellare uidetur. Vnde quidam Aeqnos cum diphthongo, ut Aequicolos, scribunt.

Cuius umbra opaca sedes erat.) 50. B. Nisi subintelligamus ut sit, sub umbra opaca: aut per sedem, Clœlij tentorium accipiamus, non hercle uideo quid sibi hæc uerba uelint.

Legionibus Dictatoris clamore significan.) 51. A. Sensus est perquam obscurus. Rem autem in discrimine esse de hostibus intelligo, quasi diceret, non ab Consulis tantum parte res hostium in discrimine erat, sed ab dictatoris quoque parte, id quod legionum clamor satis significabat. Circundari autem uerbum paulò pòst, pro circundati participio legitur in quibusdam codicibus.

Sequuntur C O S S. Q. Minutius, M. Horatius pul.) 51. B. Dionysius legit C. Horatium. Meminit & hic noster author quinto pòst anno C. Horatij Puluilli, mortui auguris, quem hunc fuisse conijcio.

Trigesimosexto anno à primis trib. pleb.) 52. A. Dionysij supputatione hæc Liuij ratio bene habet. Nam anno 17. ab Vrbe liberata creati sunt primi tribuni. At hic annus ab eadem Vrbe liberata est quinquagesimustertius. Si igitur ab L I I I. subtraxeris X V I I. relinquentur anni 36. Atqui in Liuio tres desunt anni (quod suprà indicauimus) 248. 264. & 265. Quod autem continuo subnectit: Itaque cautum est ut postea crearentur: itaque duæ sunt dictiones. Sensum autem puto esse: Cautum est, ut postea crearentur, uidelicet numero decem. Connexio uerborum non admodum in usu. Ex singulis autem classibus ait, priores V. inuenis. Neque enim ex sexta quisquam eligebatur.

T. Romulio & C. Veturio C O S S.) 52. A. Si usquam alibi, certe hoc loco Liuius Romanam historiam nimium decurtauit. Omittit enim L. Sicinij Dentati acerrimam illã aduersus COSS. actionem, ut taceam tribunorum pleb. aduersus eosdem COSS. ob nimis asperum delectum, contentionem habitam. Vnde causam postquam magistratu abiere sumpsere tribuni in ius utrunque ducendi. Est autem hic Sicinius, cuius Gellius libro secundo, cap. 11. & Plin. libro septimo, cap. 28. & Valerius Maximus libro tertio cap. 2. multique alij eximij meminere scriptores. Liuius uix uidetur nosse eum, quippe qui adeò frigide postea à Decemuiris occisum referat. Et in nomine mirum est tantum dissidij esse apud authores. Liuius eum Siccium uocat, quod nomen multis item locis in Dionysij irrepsit codicem. Plin. uerò, Gellius, Valeriusque Sicinium uocant. & Sicinij nomen inter primos tribunos pleb. fuit: quanquam & Sicinij (haud dubie patricij) Consulis nomen est anno ab Vrbe condita 267. Sanè cum primum legerẽ apud Liuium T. Romulium Veturiumque damnatos nullam aliam ob causam, quàm prædam non concessam militibus, magna me cepit admiratio. At percurrenti Dionysij scripta, dij boni, quam longe alia in his damnandis usa ratio est. Sed hoc est historiam scribere, sic Latini superant Græcos, ita æquamus Herodotum.

Sp. Tarpeio, & A. Aternio C O S S.) 52. A. Aeternium quidam hunc C O S. uocant. Plin. lib. 7. cap. 28. & Gel. lib. 2. cap. 11. Aulum Thermium uocant, Dionys. Thermenium. Tanta est in huius C O S. nomine uariatio. Cæterum Romulio diem dictam à Cice. Liuius ait, cum Dionys. à Sicinio Dentato scribat: adeò noluit hunc noscere Liuius: quanquam in hoc aliquem authorem secutum Liuium puto: alioqui enim manifesta esset impudentia.

Veturius X I I. millibus.) 52. A Ita plerique habent codices sed alij emendarunt X V. millibus, & recte. Nam Dionysius Veturij summam ait sesquiplam fuisse ad Romulij multam. Senatores autem ut euitarent in posterum has pœnas, inuenerunt modum, ut multæ summa constitueretur duorum boum, ac X X X. ouium: longe minor Veturij ac Romulij.

Missi legati Athenas Sp. Posthumius Albus.) 52. A. Et in his uariatum est nominibus. Albus enim non addit Dionysius, & Sulpitium non P. sed Seruium prænominat, qui fuit C O S. anno ab Vrbe condita 293. In A. Manlio hoc loco uterque conuenit. Quòd si hi consulares erant, ut uerisimile est, in prænominibus uariatum & Manlij prænomen.

P. Curiatio & Sext. Quintilio C O S S.) 52. A. Dionysius P. Horatium cum hoc loco, tum postea inter Decemuiros ponit: uerùm Liuium Dionysiumque diuersos secutos authores crediderim, ut lib. 1. de Curiatijs ac Horatijs accidit. Cæterum ante hos C O S S. idem Dionysius ait trecentos annos ab Vrbe condita expletos. Hic igitur annus est trecentesimus primus, quod nos in ratione temporum secuti sumus.

Inde C O S S. C. Menenius, P. Sextius Cap.) 52. B. Hi C O S S. in plerisque Liuij codicibus deerant. Qui nuper appositi fuerunt, ex Dionysio emendasse uidentur: in quo tamen L. Menenius appellatur, non C. Alter autem siue Sextius, siue Sestius, non Sextilius, ut errant quidam libri.

Modò ne lex Acilia de Auentino.) 52. B. Icilia legendum puto, uidelicet quam L. Icilius tribunus pleb. pertulit quinto ante anno, ut author est Dionysius lib. 10.

Anno trecentesimo altero quàm condita.) 52. B. Ab Vrbe condita usque ad primos C O S S. fuere anni 244. A primis autem C O S S. usque ad Decemuiros anni sunt quinquagintaocto. Ergo nunc trecentesimus alter expletus est, & priores Decemuiri anno trecentesimotertio imperarunt. Apud Liuium autem de his quinquagintaocto annis omissi sunt tres anni, iniuria temporum, ut iam sæpe, sed suis locis, admonuimus.

P. Sestium patriciæ gentis uirum.) 52. B. Videtur hic alius fuisse à Decemuiro. & uariatio in Sestio & Sextio nihil hic facit, quanquam alterum ratione dicitur, alterum usu introductum uidetur. Quidam codices prænomen non habent.

Cum fortuna, quæ quicquid cupitum foret, potentioris. 53. B. Insignis ambiguitas in Cum & fortuna. Præterea quidam codices, esse, quidam esset habent. Sed legendum est: Hi ferre, agere plebem, plebisque res, cum fortuna, quæ quicquid cupitum foret, potentioris esset, & iam ne ergo quidem abstinebatur.

Idus Maij uenere.) 53. B Hic nonus est annus, & tertius Decemuirorum, quod ostenditur ex oratione Publij Sempronij tribuni pleb. lib. 9. aduersus Appium censorem concionantis, ubi obiter de hoc Decemuiro mentionem facit. Et hic est (inquit) Quirites illius Appij progenies, qui Decemuir in annum creatus altero anno se ipse creauit, tertio nec ab se nec ab ullo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit, nec antea continuando abstitit magistratu, quam obruerent eum male parta, male gesta,

male retenta imperia. Atque hic primus est locus ad probandum alium esse annum tertium, quo Decemuiri fuere in imperio, & alium quo Valerius ac Horatius COSS. fuerunt.

Cum & ipsi consensu inuisum imperium.) 54. A Vide ut mutata relatio: nam, ipsi, Decemuiros refert. dixerat enim antea, in consensu resisterent, & ipsi interpretarentur, coniungendum.

Suarumque soliciti erant rerum, amissa pub.) 54. A. Sic in plerisque uidi codicibus scriptum, & est clarus sensus. At alij, soliciti, sustulerunt, quod ego non tollerem: quanquam absque eo etiam sit sensus non contemnendus.

Claudij interpellandi uerecundia fuit.) 54. B. Quidam genitiuum Claudij in accusatiuum mutarunt Claudium: quod cum praecedētibus uerbis nescio ut quadret: siquidem Decemuiri, praeterquam de quo retulissent, dicere prohibebant, nisi quis dicat, alios quidem prohibebant. Claudium autem propter authoritatem uerecundia fuit interpellandi, idque uerisimile. nam & Dionysius longissimam eius orationem recitat.

Censendo enim quoscunque magistratus esse.) 54. B. Et hic perquam obscurus est sermo. sed probat C. Claudij sententiam re asperiorem fuisse, quàm aliorum, quòd Decemuiros prorsus priuatos censebat. Aliam autem, aliquos adhuc in magistratu esse utcunque admittere. Quoscunque igitur ita accepit, ut nunc uulgò qualescunque dicimus.

Vt Decemuiros qui Decemuiratum petissent aut socij.) 54. B. Nisi ita ordinemus, Mirari se dictitans, ut aut socij, aut hi qui Decemuiratum petissent, maxime oppugnarent Decemuiros, non uideo quid sensus hic elici queat. Est autem dura compositio.

Verum esse praeiudicium rei tantae afferre. 55. A. Pro, esse, inuenio quibusdā in libris, posse. quod magis placet. Codex Moguntinus habebat, ex se, pro, esse: quod deinde plures secuti sunt.

Tum Appius iam prope esse ratus.) 55. A. Lectorem etiam atque etiam admonitum uolumus, ut hunc locum diligenter perpendat, nam per aliquot uersus corruptum puto: siquidē aliquod exemplar uetustum nactus fuerit, fortassis medelam inueniet. Expositione leuare utcunque potuissemus, sed noluimus fumos offundere. Est autem modus loquendi, magistratus irati atque indignantes, ut dicerent, Non erit melius. aut, proinde quies erit melius. aut (ut alij legunt) quiesse erit melius: quemadmodum postea dicturus est Appius cum Virginiam adiudicaret suo tam bello clienti M. Claudio.

Perinde uxor instituta fuerat, liberíque instituti.) 55. B. Tempora declinationum ideo confusa sunt, quòd interierat iampridem Numitoria mater, authore Dionysio, & ipso paulò pòst Liuio: & liberi de unica filia dixisse uidetur. Porrò gener Virginij, & cui filiam desponderat Virginius, L. Icinius C. Sicinij, qui primus tribunus pleb. fuit, filius à Dionysio perhibetur: in cunctis tamen codicibus, quos nobis uidere contigit, Siccius pro Sicinnius saepe legitur.

Lege ab ipso lata uindicias det secundum.) 56. A. Lex apud Dionysium est, cum ducitur corpus aliquod ex libertate in seruitutem, non qui auferre nititur libertatem, sed qui libertatis est custos, dominus corporis esse debet ad finem usque iudicij. Vide apud eundem authorem, legis expositionem ab Appio pronunciatam, quae ad Liuij uerba intelligenda multum lucis adferet. eam nos consulto omittimus, ne commentarium scribere uideremur.

Cum multi magis fremerent quàm quisquam unus recu.) 56. A. Propemodum tale negotium hoc est, quale superius de patritijs in plebem peccantibus post Caesonis damnationem retulit, sensus tamen obscurus est.

P. Numitorius puellae auunculus.) 56. A. Quidam codices auus habebant, at Dionysius Numitoriam Virginij uxorem, Numitoriique sororem ac Virginiae matrem plane asserit lib. 11. Et ipse Liuius postea in catalogo nouorum tribunorum P. Numitorium Virginiae auunculum scribit: quanquam temere, meo quidem iudicio, Virginij eo in loco quidam reposuerunt. Rursus in accusatione Appij à Virginio facta, ijdem auum restituerant, non minore, ut puto, errore.

Cum instaret assertor puellae ut uind.) 56. B. Vox mesa, assertor: nam paulo ante de M. Claudio dixit: Iam à ui tuta erat, cum assertor nihil opus esse multitudine concitata ait. hic uerò de Icilio ait. Si autem quaeras, cui instabat Icilius? utrum satis est dixisse, ut uindicaret? Videat itaque lector, quid de hoc loco sentiat, nam mihi suspectus est.

Quem decreto sermonem praetenderit.) 56. B. Verba sunt Liuij: & tradiderunt, simplicius erat: nisi quis tradiderint potentialem putet modum, qui quàm hoc loco quadret, nō equidem uideo. Porro Dionysius Halic. sermonem elegantem, sed subdolum huic decreto praemissum refert. Et uerisimile est libidine amentem tale quippiam machinatum.

Ac nutricem prope Cloacinae ad tabernas.) 57. A. Veneris armatae templum haud procul foro intelligit, quae Cluacina dicitur à cluendo, id est pugnando, authore Plinio lib. 15. cap. 29. Quidam Cloacinam Cloacariorum deam intellexerunt, sed inepte meo quidem iudicio.

Quae tum in monte Vecilio erant.) 57. B. Quis ille mons sit, haud equidem memini me legere: oportet obscurum esse nomen. Dein cum legitur: Quippe ab ipsis datum locum seditionis esse. uide num legendum, locum seditioni, in dandi casu, non in gignendi.

Quo anno iā antè abissent.) 58. A. Hic alter est locus, qui cōuincit rectè nos annum tertium Decemuirorum in Chronologia nostra seiūxisse ab anno quo L. Valerius & M. Horatius COSS. fuere. Quanquam fieri potuit, ut hic tertius annus quo in tyrannide fuere Decemuiri, non fuerit prorsus 12. mensium, & Valerium Horatiúmque citius inijsse magistratum, quàm hactenus consueuere, quippe dies solennis ineundis magistratibus non fuit idem, ut multis postea locis ostendemus.

Nec inferendo iniuriam, nec patiendo etiamsi.) 59. A Incertū, sit ne distinguendū ante etiam, an post. Sed res est modica.

Hac lege iuris interpretes negant quenquam.) 59. A. Liuij haec, siue iuris interpretum expositio, ipsis legibus difficilior est, &, ut suspicor, in codicibus nostris corrupta. Quidam pro, eorum, substituerunt deorum: quia sequebatur id ad sacrum sanciri. Sed non placet. Imò haec ipsa uerba obscura sunt, & illud, ad, nuper, Id uerò olim, falso adiectum. Porrò quod in parenthesi ponitur, durum est, & uarie item lectum intellectúmque. Denique paulò post uide num legendum: Consulibus quoque ut Praetoribus, quia eisdem auspicijs Consules, quibus praetores creantur, cautum esse. Alioqui non uideo quid sensus inde elici queat. Mirum uerò cum Liuius tam solicitus esset de uoce, iudicibus, cur nō etiam de Decemuiris legem exposuerit. Decemuirorum enim hic potestas abrogabatur, et paulò pòst hi in iudiciū protrahūtur, cui ergo in hac lege cauetur? ijs fortè qui libris Sibyllinis praeerant.

Quae impiè nefarièque per biennium alia super alia.) 59. B. Hic tertius est locus, quo planum fit, rectè Valerij Horatijq; annum seiunctum à tertio Decemuirorum, quo per tyrannidem priuati regnarunt. Neque enim Virginius hic primum annum supputat, quo bene gesserat se Appius.

Et appellatio prouocatióque.) 60. A. Hic habent iurisperiti, quod distinguant: neque enim temere coniuncta uideri possunt. Quidam appellationem inter aequales existimant, ut à Decemuiro ad Decemuirum, à COS. ad COS. cuius rei multa sunt apud Liuium exempla, maxime in hac actione. Prouocationem uerò à minore ad maiorem, ut à COSS. aut quouis alio ferè magistratu ad populum. Intercessionem autem inter utrosque, ut tribuni contra tribunum, & tribunorum contra COSS. aut Senatum.

Multíque erant qui melius consultum dicebant.) 61. A Hoc rectè emendarunt nuper, mollius legentes pro melius. Sensus autem est, Non rectè fecisse patres, qui legum à COSS. latarum in senatus prope ac imperij consularis contumeliā, authores fuissent, hoc est, sua authoritate confirmassent, quae interiturae erant, turbato Reip. statu. nisi mollius consuluissent ipsi, ergo illud, mollius, in malam partem sonat. Quanquam illud, Reip. turbato statu, apud me dubitationē habet, quo pacto rectè intelligi debeat.

Sabini feroces ab re priore anno bene gesta.) 61. B. Quartus hic locus est, ad ostendendum rectè nos tertium Decemuirorum annum, quo in tyrannide fuere, alium fuisse ab Horatij Valerijque COSS. anno. Addetur quintus locus idem probans lib. 9.

lib. 9. in oratione Sempronij tribuni pleb. contra Appium Cons. Quod ideo toties admonemus, quòd quidem COSS. nomenclaturam texentes, hos duos annos in unum confuderunt: qua ratione moti, ipse hercule scire non possum.

Alij candidati tribus non explerent.) 62.B. Quid sit tribus explere, etiam atque etiam secum consideret lector, cum hoc tempore haud minus 25. tribus essent. Vtrum tribus pro classe accepit? Cautum enim erat: anno 297. ut bini ex singulis classibus crearentur. An tributa intelligemus comitia quibus aberant patres, ut suprà libro praecedente de Voleronis lege patuit?

Satisfactum legi dicebat, quae numero nusquam praefin.) 62. B. Quae sit illa lex, non satis liquet ex superioribus. Plebiscitū fuit à M. Duillio rogatum: Qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. sed nix huc congruit. Quidam etiam hoc loco tribuni nominatiuum, mutarunt in datiuum, postposita distinctione. De cooptatione autem uerba prisca quidem sunt, quàm uerò emendate legantur, non equidem definio. In plerisque codicibus legebatur: Si tribunos plebis fecerint, decem rugabo. Verbum, fecerint, alij sustulerunt, nec causam cur fecerint habeo, nisi quia mox sequitur idem uerbum. XII. autem in XV. mutatum perplacet. Duillius enim quinque nouos creauerat, priores autem anni connumerato Duillio, X. erant. Notandum autem hoc loco etiam patritios atque adeo consulares factos tribunos pleb. Nam hi duo COSS fuere anno ab Vrbe condita 300.

Inde M. Geganius Macrinus, & C. Iunius COSS.) 62.B. Hunc alij Macerinum uocant, quibus postea COS. fit. Sed C. Iulium alij rectè pro Iunio emendarunt. Iunij enim omnes post Bruti mortem plebeij fuere, authore Dionysio, nec unquā COSS. facti, nisi donec licuit ex plebe alterum fieri COS.

T. Quintius Capitolinus IIII. & A. Furius COSS.) 63. A. Hoc loco satis diligenter Liuius Capitolini Consulis annos numerauit, quod libro secundo omissum his, antè testati sumus. Pro A. autem Agrippa repositum est ab alijs, ut sit Agrippa Furius, quod non displicet. Nam in pugna ad Corbionem Agrippae COS. nomen est. Videat autem lector uerba hoc loco sequentia: Cum dies alicui nobilium dicta, nouis semper certaminibus conciones turbaret, ut intelligenda.

A quibus semper non uestra uirtute innocentiáque.) 63. B. Sensus est obscurus, nisi quis in Tribunos hoc cum amara ironia tortum contendat: sed deficit orationis consecutio. Nam ut sequentia prioribus cohaereant, non satis planum est.

Circumuentos interclusósque ab suis uociferans.) 64. B. Ἀμφίβολον est, sed de suis, hoc est Romanis loquitur Sulpitius, ut sequentia indicant.

Ibi infit annum se tertium ac nonagesimum ag.) 65. A. Quidam octogesimum restituere. At Corioli oppugnati sunt anno ab Vrbe condita 261. Sp. Cassio iterum, & Posthumio Cominio COSS. Hic autem ab eadem Vrbe cond. annus est 309. Intersunt igitur anni 48. Quòd si non iuuenis, sed uicesima iam stipendia merens militauit Scaptius, ut hic ipse fatetur, malim nonagesimum legere quàm octogesimum. Quanquam haec prope de lana caprina speculatio est, quam lubens omisissem, si alios non tam sedulo, atque absque causa, haec mutasse uidissem.

Scaptione concionali seni assignaturos puta.) 65. A. Quidam codices concionari habebant, quod alij in concionali mutarunt, neutrum mihi bene intellectum. Concionanti etiam quidam habent libri, quod utique intelligitur, uerum germanáne sit lectio, non definio. Illud autem clarum hoc fore, pro certum est, positū uidetur. Quidam ita legunt: Clarum hac fore imagine Scaptij nomen. populum Rom. quadruplatoris & interceptoris litis alienae personam laturum. Verùm altera lectio etiā intelligitur Denique uox controuersiosa, haud usquam apud authores frequens, dubitantem tenet lectorem.

Nunc haud sanè quicquam caussae bonae leuatur dedecus.) 65. A. Qui hic emendarunt, causae bono, rectè fecerunt: etiamsi quidam causa bona legunt: quidam bona causa eleuatur.

FINIS.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM QVARTVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

Hos secuti M. Genutius & P. Curiatius COSS.) 65.B. Pro Genutio apud Dionysium est Minutius uno in loco, altero autem Genutius, ut hic apud Liuium. Fortassis quòd Genutij plebei erant: quanquā & plebei & patritij esse poterant. Pro P. Curiatio apud eundē C. Quintius legitur.

Bi Volscos Equosque ob commu. Verruginem.) 65.B. Vbi Romani Volscis Equisque Verruginem ademerint, ac postea miserint, nusquam Liuius dixit, ne nominauit quidem usquam. Veientibus autem ante triginta annos COSS. L. Furio & C. Manlio, datae erant induciae in annos XL. quas non seruarunt.

Et quemadmodum plebs gloriari posset.) 66.A. Quidam libri habebant, ut, pro &: sed esset plane ἀνανταπόδοτον, id est, oratio altero defecta membro, & supplendum, Ita etiam Senatum annitendum. sed non placet. Notandum tamen genus sermonis, plebs posset gloriari auctiorem ampliorémque. & num desideretur, se. Porrò statim póst, donec, pro quandiu manifestè usurpatū.

Sinere non fieri posse in eadem ciuitate.) 66.A. Alij pro sinere finem emendarunt, ut paulò superius, Finem ergo non fieri, nec futurum, donec, &c. Alij simul malunt legere, ad hunc sensum: Simul in eadē ciuitate fieri no posse, ut sint tribuni ac patres. Ego suspicor aliquid deesse: nam nulla harum lectionum mihi satis facit.

Quid hoc si polluit nobilitatem istam uestram.) 67.A. Quocunque modo hoc distinguamus, & siue interrogatiue, siue enunciatiue legamus, uidetur aliquid abesse ac desiderari, cum tamen sensus non sit admodum obscurus.

Anno trecentesimodecimo.) 67.B. Ex Dionysio satis aperte conuincitur hunc annum expletum fuisse. quippe qui libro undecimo dicat anno tertio octogesimaequartae Olympiados hos tribunos creatos, qui fit ab Vrbe cond. annus trecentesimus undecimus. Sed pro uno duntaxat anno cum nemine depugnabimus.

Et in linteis libris ad Monetae inuentis.) 68.A. Moguntinus codex habebat, inuenta, ut referret Consulum nomina. Quidam nuper mutarunt in inuentos, ut referat COSS.

Neque COSS. cum tot p.b.im. operae erat id neg.ag.) 68. B. Alij libri opera habebant, quod magis intelligitur: sed neque hic cum quoquam depugnabimus.

Multitudine opificum ad spem pr. euocata.) 68.B Et hunc locum Aldinus codex mutauit in aduocata, mihi euocata magis arridet.

Qui tribunus plebis iterum ea ipsa denunciando factus.) 69. B. Dubium, iterúmne tribunus, quod uidetur, an iterum denunciando. Nam quid denunciarit, ne uno quidem uerbo antea commemorauit, uel de ipso tribuno, uel de denunciatione: ut taceam quòd Neque non geminatam subiungit, cum à superioribus neutiquam haereat, meo quidem iudicatu.

Tanto apparatu conciliorum ac certaminis.) 70.A. Alij certamine legunt, alij certaminum, sed id non probatur: sequitur enim, quod ingens exudandum esset, quanquam hoc ad praemium etiam referri potest.

Eodémque anno sororis filios regis.) 70.B. Hic locus haud dubie corruptus est. Nam Aquilios intelligit, qui erant ex soro-

re Collatini nati, qui cognatus erat Tarquinij regis, non ipse rex. Fortaßis autem regem pro cognato regis dixit.

Nec deinde id plebem concessum semel abstinuisse.) 71. A. Quidam codices habent plebi, ut sit, semel concessum plebi. Alij habent plebem, ut sit, obtinuisse plebem semel concessum. Tum quod sequitur de cautione, ne tribunis collegam cooptare liceret, nusquam in Liuio lectum antè. Rogationis interpretationem uide suprà anno 306. C OS S. L. Valerio, ac M. Horatio, ad finem. Ni quis Treboniam legem id posse contendat, quæ de, anno deinde proximo 307.

M. Aemylium uir summæ dignitatis.) 71. A. Ita quidam codices habent: at alij M. mutarunt in Mamercus. Ego autem Mamercum cognomen puto, ut de eo patet qui ad finem huius libri anno ab Vrbe condita. 350. & libro sequēti ab initio, anno 352. quem existimo huius fuisse prolem. Et uide hoc dicendi genus in horum trium tribunorum nomenclatura: tum, an non potius tertium creat, legendum.

Cum potestas maior, tum uir quoque potestati par hostes.) 71. A. Quidam continuatè hoc legunt, quasi hostes sit accusandi casus, ac ab Dictatore intelligamus submotos hostes trans Anienem, quod sub Sergio factum non erat. Verùm ij quomodo sequentia ordinant uerba: Collésque inter Fidenas atque Anienem ceperunt referentes castra? Nempe ut aut colles sit nominandi casus, aut referentes accusandi. quod durum sanè uidetur: aut inceperunt, intelligamus nominatiuum, hostes. Ego saluo aliorum iudicio, malim distinguere ante hostes, ad hunc sensum: Cùm esset iam in armis potestas maior, tum uir quoque potestati par, hostes qui id non ignorabant, submouere ex agro Romano trans Anienem, collésque inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes castra.

Quis sequi munimento poterat.) 71. B. Vide quid sibi uelit, muni mento sequi. Nam ego sane non intelligo, nisi sit in faciendo munimentum.

Vt ex auguribus simul aues ritè admissæ.) 71. B. Ridebit fortaßis aliquis, quòd hic hæsitem: at ego, quid ex auguribus sit nescio: nisi ex, pro ab, positū existimemus. quidam enim ita emēdarunt. quod si exemplariorum uetustorum fide fecerunt, eo modo hic res habet. Cæterùm ordo erit, ut ex composito toleretur signum. simul ab auguribus aues ritè admissæ essent: ut simul intelligamus dictum, pro statim ut quemadmodum huic authori perquam familiare est, ac item Horatio, Ver poterit æstas interitura, simul Pomifer autumnus fruges effuderit.

Hoc ego cum Augustum Cæsarem templorum omnium cond.) 72. A. Hoc in loco post uerbum, refecit, multi codices habent, dicentē, quod placet: nec uideo causam quare quidā summouerint.

Septimo pòst demum anno cum T. Quintio Pœno.) 72. A.
Legendum, decimo pòst demum anno cum T. Quintio Pœno II. Nam cum hoc Quintio septimo pòst anno non A. Cornelius Cossus C O S. fuit, sed Cn. Iulius Mento: decimo uerò ab hinc anno, T. Quintius Pœnus iterum cum A. Cornelio Cosso C O S. fuit, & tum etiam pestilentia, ac triennio pòst altera equestris pugna, qua idem tribunus mil. cons. potestate ac magister equitū sub M. Aemylio Mamerco aduersus Veientes ac Fidenates depugnauit. Sed ex hoc loco, ac item quarto pòst anno satis liquet non parum curæ fuisse Romanis historicis ut Consulum nomina rectè ordinarent, quæ causa nobis fuit Chronologiæ nostræ edendæ, quamuis hac ætate quidam leuiter curant. Cæterùm hæc Liuij uerba, Existimatio communis omnibus est. Item hæc, Ea libera coniectura est. Denique illa, Sed (ut ego arbitror) uana uersare in omnes opiniones licet: à me cum annexis rationibus non plane intelliguntur.

Dictatorem Q. Seruilium placent.) 72. B. Ita plerique habent libri. Aldinus codex mutauit in A. Seruilium, quod non placet, etiamsi alij secuti sint. Nam etiam Quinti huius multa in posterioribus mentio.

Ibique primum census populi est actus.) 72. B. Sub Seruio Tullio Sexto Romanorum rege etiam census populi est actus in campo Martio, ut lib. I. ait hic author: Vide etiam quid sibi illud, probauerunt, uelit, quod proxime præcedit hæc uerba.

Vt ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Hetr.) 72. B. Quidam Voltumnam interpretantur Volturnam, pro Valturrenam, nunc Volaterram, ubi & deæ nomen olim fuerit, quod ego lectori iudicandum relinquo. Id non abhorret à uero, locum in media alicubi Hetruria fuisse aptum duodecim urbibus, è quibus ad concilia mittebantur legati.

Primores patrum. quanquam diminutum censuræ ius.) 73. A. Repetendum uerbum, ferunt: nisi quis aliquid deesse existimet: Nam & illud, quippe, nihil post se habet, ut sæpe alias.

L. Furius Medullinus.) 73. A. Hic usque ad annum ab Vrbe condita. 364. ut minimum nouies nominatur. Sed in prænominibus errorem puto; hic enim Sextus legendum, non Lucius. Fit autem Sextus iterum tribunus mil. cons. pot. anno ab Vrbe cond. 335. cum L. Quintio Cincinnato, M. Manlio, & A. Sempronio, ut omnes habent codices. At ubi primum sit factus, nusquam habetur. Ergo hic Sex. legendum: nam Lucius sua habent loca. Quidā etiam codices aliquot locis P. Furium exhibuerunt, sed errant.

Egregiæ dictaturæ tristem memoriam.) 74. B. Valerius Maxi. lib. 2. de disciplina militari, & de Posthumio & Torquato hæc memorat. Cæterùm Posthumium Tiburtiū, non Tubertum uocat, & quidam Liuij codices Tuberonem. Quæ uerò sequuntur uerba, Et licet in uarijs opinionibus & argumento est. à me non plane intelliguntur: nam alterum &, nuper adiectum est. quidam pro etiam exponunt.

C OS S. fiunt L. Papyrius Crassus.) 75. A. Addendum est, iterum. Antea enim C O S. fuit Crassus anno ab Vrbe cond. 319. Cæterùm hic Equi impetrant inducias octo annorum, cum sexto deinde anno rursus trium annorum impetrent. Quare uidendum, num sex annorum, pro octo legendum.

Vaticinando inferentibus in domos quibus quæst.) 75. A.
Etiam atque etiam considerandum hoc dicendi genus: nam ego syntaxim ac compositionem non assequor. Quidam libri etiam in domo habebant.

C. Seruilio Hala, L. Papyrio Mugillano C O S S.) 75. A. Legendum, L. Papyrio Mugillano iterum, quippe qui fuit anno ab Vrbe condita. 311. C O S.

Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad No.) 75. A. Nuper, ait, cum hic decimus sit annus ab ea pugna. Post eam autem pugnam induciarum earum nulla antea ab authore mentio facta est. Item quod subiungit, Vt Quintius C O S. de bello ad populum ferret, quomodo uerum esse potest, cum Seruilius cum Papyrio esset COS. Nec recitat prioris anni gesta (ut quidam excusare nituntur) cum statim subiungat: In eo quoque plebs superior fuit, quod tenuit ne C O S S. in proximum annum crearētur. Cæterùm quod subiungit: T. Quintius Pœnus ex Consulatu, innuere uidetur ex Quintio C O S. factum tribunum consulari potestate, cum hoc anno non fuisset C O S. & A. Cornelius Cossus etiam antea fuisset C O S. non minus quàm Quintius.

Eóque ob rem malè gestam.) 75. B. Quidam adiecere, eóque ipso: uerum non uideo qua de causa hoc fecerint. Quidam ab re male gesta legunt, quod placet.

Veientem hostem septies uictum.) 75. Iidem pro septies reposuerunt sexies, quòd continuò sequatur, Septimam infelicem defectionem. At non difficile fuerit ex Liuio ostendere nouies cū Veientibus hactenus conflictatum, at pugnas post amissum Cremeræ præsidium, pro una supputare uidetur. Appius autem libro 5. ait Veientes septies rebellasse.

A. Sempronium Atratinum. L. Quintiū Cincinnatum.) 76. B. Vtrique addendum, iterum. Nam Cincinnatus antea fuit trib. mil. con. potestate. anno ab Vrbe Cond. 317. Sempronius autem anno 311. inter primos tribunos mil. con. potestate. Cincinnatus item anno 335. tertium dicitur tribunus mil. con. p. Ergo haud dubie hoc loco iterum. Cæterùm L. Furius non in omnibus exemplaribus habetur.

Tribuni consulari potestate erant, C. Crassus.) 76. B. App. Claudius Crassus legendum, ut ad finem huius anni patet, ubi Vrbis præfectus relinquitur, ac Decemuiri filius dicitur. Errant autem qui C. Papyrius Crassus emendarunt. Sed de hoc Appio paulò pòst plura dicemus.

Creati COS S. A. Sempronius Atratinus, & Qu. Fab.) 77. A. Quidam emendarūt C, Sempronius. Auli autem & Lucij

Sempro

Semproniorum mentio est anno ab Vrbe condita 311. Cæterum pro. Q. Fabio Vibulano Valerius Max. lib. 3. cap. 2. Q. Catulum habet, sed errore codicum, ut puto.

Ab Romanus dissonus, impar, seq. sæpe iteratus.) 77. A. Post iteratus, colon ponendum puto. Deinde legendum: Quo maiorem incerto clamore Romanus prodidit pauorem animorum, eo ferocior illatus hostis, &c. Atque ita quidam habent libri. Alioqui enim si Romanus omittitur, ut est Aldinus codex, sensus est, clamor incerto clamore prodidit pauorem animorum.

T. Quintium collegam eius.) 78. B. Tres apud Veios tribuni male pugnarunt, M. Posthumius, C. Furius, & T. Quintius. ait enim: Documentoque fuere quàm plurium imperium bello inutile esset. Hic duobus dies dicta narratur. C. Fury nulla mentio. Id etiam mirum, quarto demum anno reos factos, cum triennio ante magistratu abiissent.

Plebs tribunos plebis absentes Sex. Tempanium.) 78. B

Hoc, absentes, qua ratione dictum sit, lector dispiciat. Cæterùm horum tribunorum quatuor fuere, qui sub C. Sempronio militauerant aduersus Volscos, ut statim subnectit author: quare disiungendum Antistium & Spurilium, quos quidam codices unum faciunt.

Cum pars maior insequentis anni per nouos trib.) 79. A. Si maior anni pars exacta iam erat, & uerisimile est non in aliquot menses creatos sequentes tribunos mil. sed in integrum annum, ante quem credo non facile abijsse magistratu, certe hic annus nobis perditur. Quare mirari desino, quod Veientibus datæ induciæ in annos XX. ut habes anno ab Vrbe condita 130. res tamen ab eis repetantur anno 348. Neque enim uerisimile est anno 18. res repetitas, sed ad finem anni deciminoni. Essent autem decem & octo duntaxat anni, si annum hoc in loco non numerauerimus: & Camilli supputatio ad finem libri quinti eandē opinionem iuuat. & qui eo anno quo decemuiri sunt depositi, creatos COSS. putant L. Valerium, & M. Horatium, hic annum inuenient ad Camilli supputationem congruentem. Quidam hæc excusant per diem solennem magistratibus ineundis: at ille mirū quàm apud Romanos uarius inueniatur. Anno enim ab Vrbe cōdita 305. Idus Maiæ nominantur. anno 332. & 353. Idus Decēbres, annóque eodem, calendæ Octobres. anno 364. & 425. calendæ Quintiles, alibi calendæ Sextiles. Porrò anno 261. cum plebs in sacrum montem abijt, calendas Septembres diem solennem nominat Dionysius magistratibus ineundis. Multis item locis nominantur Idus Martiæ, ut anno secundo secundi belli Punici, & eiusdem belli anno 17. ad finem. & primo anno belli Macedonici, & secundo. omnia apud Liuium. apud Dionysium item solstitium æstiuum anno 278. Hæc ideo à nobis referuntur, ut notum faciamus, in unius anni discrimine nullam nos facere difficultatem: quod etiam Dionys. lib. 7. admonet. Ea fuit causa cur in chronologia nostra hunc annum omiserimus.

Vnde siquid instrepat terroris.) 79. A. Hoc alij mutarunt in, increpet. Post uerbum autem opprimi, ponunt punctum interrogatiuum.

Flexere iras in C. Sempronium patruelem A. Sempronij.) 79. A. Pro A. Sempronij quidā Atratini posuerunt, quasi Caius non etiam Atratinus sit cognominatus, ut A. & L. fratres. Mirū uerò quòd hic rursus damnetur, qui paulò antè ab Hortensio die dicta absolutus sit precibus quatuor tribunorum. Neque uerò hic alius esse Sempronius potest, quòd hic de belli Volscici ignominia fiat mentio, in quo Sempronius idē fuit dux, quocunque prænomine eum uocatum contendas. Sed & hoc male habet, quod anno 339. A. Sempronius tertium dicatur tribunus mil. cons. potestate, cum tamen hic tertium sit: quare hoc loco ego L. Sempronium huius anni tribunum mil. cons. potestate puto, cuius mentio est anno 311. fuit enim Auli frater.

L. Sergium Fidenatem, M. Papyrium Mugillan.) 79. B. Hic Sergius etiā tribunus mil. fuit anno ab Vrbe cond. 322. quare hic adijciendum, iterum: nisi quis putet alium. Fuit item hic Sergius bis COS.

L. Seruilio Structo, P. Lucretio tricip. omnibus his iterum.) 80. A. Hic Seruilius in plerisque codicibus omissus erat, sed omnino tres esse oportuit: neque enim de duobus Liuius dixisset, omnibus. At in prioribus L. Seruilium inter tribunos mil. cons. potestate nō reperias, sed prioris anni tribunus C. Seruilius Prisci filius fuit, qui etiam Structus dictus est. Quanquam hoc fortassis lectorem moratur, quod nulla causa referatur continuati honoris: at Liuius aliquando causas recitat, aliquando omittit, ut patet anno 347. de Cn. Cosso, ubi nulla causa continuati honoris narratur. At anno 348. de C. Seruilio Hala utique narratur. quare C. Seruilius, non L. uidetur legendum.

Cum App. Claudius nepos eius qui Decemuir.) 80. B. Primus Appius Claudius, qui anno sexto ab Vrbe liberata Romam profectus erat, id consilij, cuius hic fit mentio, dedit, M. Fabio. & Cn. Manlio COSS. anno ab Vrbe condita 274. ac ab eadem liberata tricesimo. Hic autē duos habuit filios, Appium Caiumq; Claudios. De Appio Claudio Appij filio Liuius lib. 2. sub finem, qui cum T. Quintio Capitolino COS. fuit anno ab Vrbe cond. 283. & die dicta à M. Duillio & Cn. Siccio, mortuus est. De Caio uerò Claudio Appij filio Liuius lib. 3. qui cum P. Valerio Publicola COS. fuit anno ab Vrbe cond. 294. quo anno Herdonius capitolium cum exulibus ac seruis occupauerat. Rursus tertius Appius secundi Appij filius fuit Decemuir, cuius hic nepos à Liuio dicitur, sed errore, ut puto, codicum. Nam ego filium credo, idque ea potissimum de causa, quòd post quinquagesimum ab hoc annum, nepos Decemuiri Appius Claudius ad finem libri sexti nominatur. Præterea primus Appius non eius proauus erat, siquidem ipse nepos Decemuiri fuit, sed potius abauus. Certè tēporum ratio non conuenit, ut & hic nepos fuerit Decemuiri, & item ille qui libro sexto aduersus tribunos habet concionem. Ipse etiam Liuius anno ab Vrbe condita 331. Decemuiri filium uocat hunc Appium. Est & eius mentio ab initio libri sequentis.

M. Fabius Vibulanus trib. mil.) 80. B. Addendum, iterum. Nam tribunus antea fuit anno ab Vrbe condita 322.

Q. Fabio Vibulano iterum.) 81. A. Inter tribunos mil. cons. potestate hunc antea non inuenies, sed COS. anno 332. atque inde fortassis error.

COSS. creati sunt A. Cornelius Cossus, & L. Furius.) 81. B. Quidam codices sustulerant L. in sequente COS. sed hic fit primum COS. Quinto dehinc anno fit iterum COS. cum antea sæpius tribunus mil. cons. potestate fuerit. Auli autem numerus omittitur, quòd anno 318. dubius COS. fuerit, certus autem anno 327.

Iacere tandiu irritas sancti q. d. s. com. ferr. tamen interim.) 81. B. Tamen, quod in quibusdam erat libris, quidam in cum, mutarunt. Ego non minus planum sensum existimarim si neutrum legatur, at si alterū omnino adesse debet, ego tamē malim quā, cū.

Tunc hæc ipsa indignitas angebat animos.) 81. B. Quidam, augebat, per u, legunt, non per n. sed nō placet, est enim angebat, ab ango tertiæ coniugationis, non ab augeo secundæ. Et sensus nō bene attendēti subobscurus uidetur, sed fit facilis bene rimāti.

Tribunus pleb. Licinius.) 81. B. Quidam Lucilius legunt. Ego Licinium malim, quòd statim subiungat: Is eum principio statim anni uelut pensum nominis familiæq; seditiones agrarijs legibus promulgandis cieret. Fuere enim Licinij maxime patribus aduersarij, ut sequentibus patet libris. Quidam L. Icilium legunt, quod maxime placet. Et horum etiam COSS. prioris prænomen Q. posterioris cognomen Pætilius, suspecta.

P. Atratino, C. Nautio Rutilio COSS.) 82. A. Pro P. Atratino, alij M. Papyrium Atratinum reposuerunt: alij, quod cognomen Atratinus Posthumiorum sit, non Papyriorum, Mugillanum addiderunt: quod incertum relinquimus, donec feliciores nacti fuerimus codices.

Cum in legationes non plus singulis senatoribus inuentis.) 82. A. Pro inuentis, alij inuenientes legunt: sed utraque lectio obscurū habet sensum. Verum quia intelligitur, nolim esse anxius.

Prænunciarúntque ex collegij sententia C. Valerio.) 82. A. Quid sibi uelit hæc tribunorum promissio, præter auxilium, non hercule intelligo. quidam coertionem, quidam coercitionem legunt: mihi posterius placet. Illud, inhibenti, facessit negotium non parum lectori. Est autem obscurus sensus.

Sed nulla erat consularis actio, quam impediendo.) 82. B. Consularem actionem uocat, ut delectum, bellum, & similia,

quæ consules absque plebis auxilio perficere nequibant. Quidam libri habebant, quæ, pro quam, sed non placet.

Verruginem in Volscis eodem exercitu receptam.) 83. A. Hæc ab initio huius libri à Romanis munita dicitur, sed quando capta ex hostibus, non dixerat uspiam author. Rursum hoc loco dicitur recepta à Romanis, cum non dixerit ubi à Volscis expugnata, ut recipi à Romanis potuerit. Præterea hanc urbem aliquando Volscorum, nonnunquam Equorum facit.

Et consulis quoque ab ea potestate uim.) 83. A. De Quintio loqui uidetur. uide annum ab Vrbe cond. 324. Et paulò pòst, Nihil esse in his auxilij dicerent: uide num dicere magis quadret.

Ac si quis intercedat S.C. authoritate.) 83. B. Obscure hoc dictum, & haud scio quàm facile explicatu. Credo uult dicere, si quis ex suo collegio intercedat, se tamen contentum fore senatusconsulti authoritate, nec aduocaturũ tribunorum plebis auxilium.

Ad lacum Fucinum ui expugnatum. 83. B. Huius lacus aliquoties meminit Plin. Vergilius lib. 7. Vitrea te Fucinus unda. Plin. in Marsis, Liuius in Volscis ponit. Sed haud scio potuerúntne hi duo populi alicubi esse confines.

Cn. Fabius Vibulanus.) 83. B. Legendum puto, Q. Fabius, pro Cn. Fabius. Nam Q. Fabius etiam fuit tribunus mil. anno ab Vrbe condita 341. Cn. autem Fabius nusquam: at COS. fuit anno 334.

Quod Lars Tolumnius dedisset.) 83. B. Ita quidam hunc locum legunt, ut per quod, mortem intelligant. Pœnas autem adiectum putant uerbum. Sed alij legunt, quas Larti Tolumnio dedissent: & utrunque intelligitur. ad legatos enim à Fidenatibus iussu Tolumnij cæsos refertur hoc dictum, de quibus anno ab Vrbe condita 317. Atque hoc loco, cur Seruilio Halæ continuatus fuerit honos, ratio assignatur, cum de Cn. Cosso non fuerit data priore anno.

Profertur tempus ferundæ legis, quod si subiecta.) 84. A. Pro quod, alij quam legunt. Si clarum esset qua de lege loqueretur, Agrariáne, an de Consule ex plebe creando, clarior utique esset & sensus. subiectam autem inuidiæ esse quis dubitat? Ego locum suspectum puto.

Fabius, quod maxime petebatur ad Anxur opp.) 84. A. Nec hoc satis clarum est. Fabius petebat, Anxur petebatur. Sed quare maxime petebatur? an quia locupletius oppidum, & plus ibi prædæ sperandum?

Saltem acquiescere eo tempore. 84. A. Et hic uidetur aliquid næui, sed alij distingunt ante rem familiarem, ut acquiescere compositum, nihilo plus significet, quàm simplex quiescere.

L. Gurius Medullinus tertium.) 84. B. Anno ab Vrbe condita 357. rursus tertium fit hic Lucius tribunus mil. consul. potestate, quare necesse est ut alterutro in loco Sex. Furius legatur: neque enim idem bis potest tertium fuisse tribunus. Eadem de causa anno 355. Sextum Furium Medullinum quartum legam. Omnino in his prænominibus tantus est error, & tam nulla propemodum uia ad ueritatem, ut de eis desperarim. Furium enim Medullinum ab anno 323. ad annum 364. decies ter habebis in magistratibus. In Chronologia nostra hæc magna cura digessimus, ideóque hic obiter ea annotamus. Lector ipse dispiciat.

Cn. Cornelium Cossum, C. Fabium Ambust. Sp. Nau.) 84. B. Et horum tribunorum nomina mire uariant codices. Cornelius sæpius ante fuit, sæpius & Fabij Ambusti. Itaque Cn. Cornelium Cossum IIII. legam, & C. Fabium Ambustum iterum. Porrò Sp. Nautius Rutilus anno 339. tertium fuit tribunus mil. cons. po. quare, si modò non est alius, hic quartum adijciendum: nisi quis dicat codices errare, ut certe sepiuscule. Sequente etiam libro, anno 354. pro C. Cornelio, quidam Cn. Cornelium reposuerunt, cum eo tamen in loco iterum dicatur, qui tum quintum fuerat.

Sunt qui Artenam Veientium non Volscorum.) 84. B. Vellem Liuium & in alijs tam solicitum fuisse oppidorum nominibus, nec barbarorum tantum, sed ipsius Italiæ: quod nimis sæpe fortasse querimur, at non absque causa, ut suis locis ostendimus.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM QVINTVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



LIA in urbem & contra oppidanorum eruptiones uersa, alijs frons.) 85. B. Vide genus hoc dicẽdi, ut mutatum. alia, mox alijs. Neque enim, alijs, cum auxilijs coniungendum.

Quàm ne quid per infrequentiam iuuenum.) 85. B. Infrequentiam plerique habent codices, quod etiam excusari potest, præsertim si, per, pro propter accipiatur. ego tamen frequentiam magis probo, quod quidam emendarunt.

Et ne in turba quidem hærere plebeium quenquam.) 85. B. Hærere quid sibi hoc loco uelit, ipse propemodum hæreo. Turbam autem uocat octo tribunos mil. cons. potestate, quot nunquam antea creati fuerant.

Quàm dissoluendæ maximæ tribunitiæ potestatis rentur.) 86. A. Quidam causam intelligunt, ut sit sensus, quam concordiam rentur esse causam dissoluendæ potestatis tribunitiæ. Quidam pro genitiuo, potestatis, datiuum, potestati, restituerunt, quod placet: nam uerbum, sum, sæpe hunc habet casum.

Nec ipsi per intermissiones has interuallàque lentiorẽ.) 86. B. Legendum puto, & ipsi, pro nec ipsi: nisi quis pro lentiorem malit legere celeriorem.

Q. Seruilium, P. Virginium.) 87. B. Q. Seruilium Fidenatem legendum puto, ut postea aliquoties legitur. Fuit autem filius Q. Seruilij dictatoris, cui alij Structo, alij Prisco cognomen fuisse tradiderunt, ut præcedenti patet libro. Item Q. Sulpitium Camerinum, ut anno 357. legitur, ita hic quoque existimo legendum. Hunc quoque Manlium, alij Manilium uocant, & Sergium Fidenatem tertio hunc anno ipse Liuius uocant: nisi quis hoc loco ab authore consultò omissa cognomina putet, quod ego non existimo, præsertim ubi magistratus creantur.

Næ ego libenter experirer quàm non plus in his iuris.) 88. A. Næ cum diphthongo posteriores scripserunt. Cæterum sensum ipsum non plane (nisi iuris pro æquitatis exponamus) percipio. Comparatio est Sergij Virginiique ad tribunos plebis. Sed iudicet lector.

Cn. Cornelio Cosso iterum, Cn. Fabio Ambusto.) 88. B. Ad finem prioris libri testati sumus, in huius Cornelij, atq; adeo etiam Ambusti prænominibus miram esse uariationem, ut uix, quid sequamur, certo definire queamus.

Vnum bellum annum iam tertium trahi.) 88. B. Atqui hic erat annus quintus quando cœpti erant Veij obsideri. Vide anno ab Vrbe condita 350. ipsius Liuij uerba. Quare annum iam quintum legam: neque enim minuere tempus, sed ampliare uolebat.

Is quod petissent patres quidam primo incep. Repub.) 88. B. Hunc locum & uarie lectum, & uarie distinctum in plerisq; codicibus reperias, sed mihi nondum liquet quid de eo statuendũ. Longum hyperbaton est. Cæterum quæ post paucos uersus sequuntur

quantur. Cum arderent inuidia non patres modo, sed etiam Tribuni plebis, & ipsum obscure dictum est. quanquam ita intelligi potest, quomodo dicimus, Socrates laborabat magna inuidia, uidelicet cui multi inuidebant, quod sæpius gloriæ est, quàm uitij.

Vt multo uerisimilius sit compacto eam rem.) 89. A. Quidam compacto mutauerant in conspecto, temere meo quidem iudicio: nam compacto dictum uidetur pro composito, quo alias sæpe utitur Liuius.

M. Aemylius & Q. Fabius.) 89 B. In horum magistratus creatione C. Fabius Ambustus, non Q. Fabius nominatur. ita & in posterioribus. quare hoc Q. suspectum. Sed de C. siue Cn. Cornelio iam sæpe admonuimus.

Vetus tantum senator.) 89. B. Non meminit Liuius usquam ubi primum senatores ex plebe accepti fuerint: at meminit Dionysius lib. 7. qui anno ab Vrbe condita 263. primum ex plebe factos scribit. Cornelio autem fratrem non alio modo intelligimus Licinium, quàm quod patrum ac plebis post Decemuiros connubia promiscua sunt facta.

Grauis pestilénsque omnibus animalibus æstas excepit.) 89. B. Sub Licinij magistratu priore anno gelidam hyemem descripserat Liuius: nunc hoc anno sequente, quo quatuor plebeij tribuni cum uno patritio fuere, tristem hyemem ac grauem æstatem fuisse ait, quæ descriptio hyemis ac æstatis duorum annorum bene perpendenda est, propter sequentia.

L. Furium Medullinum tertium) 90. A. Priore libro non ita longe a fine annotauimus. ibi legi hunc Furium tribunum tertium: itaque aut hoc loco Sextum, aut supra anno 350. pro Lucio legendum. At anno sequente haud dubie legendum L. Furium Medullinum quartum, quippe qui posterioribus annis ter adhuc fit tribunus mil. cons. potestate.

P. Cornelius Maluginensis, Au. Manilius.) 90. A. Legendum, P. Cornelius Maluginensis iterum. Nam fuit etiam anno 351. Item A. Manilius III. quippe qui fuit antea bis, anno 350. & 353. Quidam etiam Manlium uocatum putant, atque ita codices uariant.

Maxime in ea parte Hetruriæ.) 90. B. Vide quid referat, in ea parte: uniuersámne Hetruriam, an eam unde petebatur auxilium, & quæ Gallis uicinior, Romanis remotior erat. De Gallis autem Liuius perinde atque de Indis loqui facit Hetruscos.

Omnésque deinceps ex collegio eiusdem anni.) 91. A. Hic P. Licinius Caluus tribunus mil. fuit anno 355. at reliqui quatuor anno 356. Caluus quidem ex plebe cum quinque patritijs: at hi quatuor plebeij cum uno patritio M. Veturio. Illud igitur eiusdem anni, quomodo intelligendum sit, hæreo. Nam quòd quidam dicunt, eiusdem, non ad Caluum, sed ad ipsos quatuor tribunos referendum, mihi non satis facit: paulò enim post Licinius ipse collegas uocat haud dubie suos: quare hoc effugium est, non uera soluendi uia. Ego puto lapsum memoria authorem, nec id adeò religiosum illi: nisi quis codicem corruptum existimet, quod nec ipsum impoßibile est.

Vt eam inuidiam lenire suo priuato incommodo.) 92. B. Hic locus in Aldino codice (meo quidem iudicio) corrupte legitur, ad hunc modum: Vt eam inuidiam lenire quamminimo suo priuato incommodo, publicóque Rom. populi liceret. quasi Camillus pro se deprecatus fuerit, quod alienum à ueritate esse puto, cum contrarium apud Valerium Max. lib. 1. de omnibus pateat. Quare ueterem lectionem magis probo, quæ ita habebat: Vt eam inuidiam lenire suo priuato incommodo, quamminimo publico populi Romani, liceret. quasi Camillus de publico bono magis solicitus quàm de priuato, optarit Reipub. commodum præ suo commodo. Itaque incommodum suum non deprecabatur, & publicum quam minimum incommodum, si totum abigi non poterat, precatur.

Cæsonem Fabium Ambustum iterum.) 93. A. Fabij Ambusti quater ante hunc locum in magistratibus mentio est. Anno enim 343. COS. Q. Fabius dicitur: anno 349. item 351. & 354. C. Fabius: quanquam quidam libri Claudium habebant, lucnlento codicum errore. Hic denique Cæso dicitur plerisque in codicibus, in quibusdam etiam C. Fabius. M. quoque Fabij, in sequentibus mentio est, qui pater dicitur legatorum Fabiorum ad Clusium, ac contra Gallos pugnantium. Atqui si hic iterum fit tribunus mil. qui ex prioribus emendandus ad hunc sit locus, non planè constat.

Nihil de collatione dicere stipis uer. quàm de.) 93. B. Meritum Apollinis fatetur Camillus in urbem Romanam: ergo stipis uerius inquit quàm decimæ. Cæterùm quæ sequuntur uerba, difficultatem habent. Populum enim liberatum uult, quòd quisque priuatum se obligauerit. At quod paulò antè dixerit furere ciuitatē: ob id dixit, quod non modò rerum mouentium, sed urbis agrique capiti decimam quoque deberi, nec tamen de illo ullam fieri mentionem, quæ mihi in hoc notantur, ut lector ueteres codices diligentius introspiciat.

Latores legis in annum eosdem reficiunt.) 93. B. Hic rogationem uocat legem: tertio statim uersu, rursus rogationem. Hoc idem facit anno 362. cum turisperiti ea distinguant, ut est apud Festum: quidam tamen tertio post uersu largitioni legunt, quod mihi non placet.

L. Valerius Pub. Sp. Posth. P. Cornelius iterum.) 93. B. Prænomen Valerij hic L. est, sed initio libri sequentis anno 366. in plerisque codicibus Au. legitur, & anno 368. rursus L. nō A. habetur, ubi tertium fit tribunus mil. Paulò autem post hunc locum L. Varius legatus Delphos mittitur, haud dubie alius à tribuno. De P. Cornelio maior est dubitatio, Coßúmne an Scipionē uelit. Scipio prioris anni fuit tribunus mil. cui si continuatus honos esset, Liuius fortè innuisset, quanquam id aliquando omittit. sin Cossus fuit, iam hic non iterum, sed quartum esset, ideoque de neutro quicquam definio.

Creati COSS. L. Valerius Potitus, M. Manl.) 95. B. Dionysius lib. 1. ubi chronographica tractat, hunc annum a primis COSS. ait esse centesimum undeuicesimum: quibus si addideris annos quibus Roma sub regibus fuit, reperies annum ab Vrbe condita trecentesimum sexagesimumtertium. Rectè igitur biennio pòst Camillus supputat trecentesimum sexagesimumquintum, contra atque senes paulo pòst supputant, imò quàm Plutarchus in Camillo, atque adeo quam Plinius lib. 33. cap. 1. si codices non fallunt.

Ob quæ Volsinienses Salpinatibus adiunctis. 95. B. Volsiniensium meminit Plinius in descriptione Hetruriæ: Volsinij oppidi Ptol. Salpinates qui sint, mihi nondum compertum. Cum C. uerò Iulio censore collega fuit L. Papyrius, ut lib. 9. P. Sempronius tribunus plebis recitat aduersus App. Claudium censorem.

Aruntem Clusinum ira corruptæ uxoris.) 96. A. Sermo est relationibus satis impeditus. Lucumonem intelligimus uxoris tutorem fuisse, aut Aruntis, non autem Aruntem Lucumonis. Hunc autem repetit Liuius, quòd uidebatur longius hyperbaton.

Nec cum his primùm Hetruscorum, sed multo antè.) 96. A. Vide & hoc genus sermonis. Dubium enim non est quin dicere uelit, non cum his Hetruscorum, qui hoc tempore Clusium, aliaq; circa Thusciæ loca poßidebant, Gallos pugnasse, sed cum ijs Hetruscis, qui inter Apenninum Alpésque incolebant. Sed haud scio an huiusmodi dubitationes propriæ nostri sint propositi.

Ab Saluiorum gente oppugnari.) 96. B. Strabo lib. 4. Salyes (inquit) inter Rhodanum Alpésque poßident agrum ad quingenta stadia. Plin. lib 3. cap. 5. Ligurum (inquit) celeberrimi ultra Alpes Salyi. ita uariegatum nomen est & declinatione & literis. Nā & hic Saluuij legitur, & Saluij. Forsitan hinc & Salaßij, quorum in Italia meminit Ptolemæus, Salußiorum etiamnum nomen in Italia manet uicinum Liguribus. Hæc ideo nobis annotantur, quòd uidemus aliter atque aliter apud diuersos scribi, Cæterùm si hoc in loco pergam de Rhætis, item de Celtarum populis dicere, res nullum inueniet finem, Sed hoc non agimus.

Maßilienses erant hi, nauibus à Phocide profecti.) 96. B. A phocæa legendum ex primo libro Herodoti, atq; adeò ex ipso Liuio. Nam lib. 4. decados quartæ, ubi de Emporijs Hispaniæ urbe differit, Iam tunc Emporiæ (inquit) duo oppida erant muro diuisa. Vnum Græci habebant, à Phocæa, unde & Maßilienses oriundi &c. Eodem modo lib. 6. de secundo bello Pun. ubi primum P. Scipio copias Emporijs exposuit. Pro quo notandum Phocæam esse Ioniæ urbem in Asia, unde denominatiuum Phocæus, Græcè φωκαιεὺς apud Herodotum, apud alios etiam φω-

νεῖς, Latinè Phocæenses tetrasyllabon. In Strabonis Græco codice deprauatè reperias φωκέων, pro Φωκαέων, de Ionibus. Porrò de Phocæensibus his est adagium, φωκαέων ἀρὰ, id est. Phocæensium execratio. Phocis autem regio non cinitas est Græciæ, longe mari à Phocæa, proxime Bœotiam, in qua Delphi oppidum, Apollinis oraculo clarum. Vnde denominatiuũ φωκεύς, uel φωκικὸς, & adagium φωκέων. siue φωκικὴ ἀπόνοια, id est, Phocensium desperatio. Hinc Latinis erroris occasio in Phocæensis & Phocensis siue Phocidensis, ut multos Romanorum uel non attendisse, uel ignorasse id discrimẽ putem. Nam & Ouidius Phocaicus a Phocæa Ioniæ urbe dixit lib. 6. Metamorphos. & & Phoceus ab Phocide Græciæ regione lib. 5. ubi de Pyreneo tyranno. & lib. 11. Phoceus Anetor. & Aul. Gell. lib. 10. cap. 16. ex Iulio Higino similiter ex terra Phocide ait, ubi de origine Massiliensium, qui non ex Phocide Græciæ regione, sed à Phocæa Ioniæ urbe pulsi ab Harpago Cyri præfecto, in hanc concesserunt Galliæ regionem.

Saltúsque Iuliæ Alpis.) 96. B. Iuliæ Alpis eo in tractu haud scio num quis alius author præter Liuium meminerit. Certè Cornelius Tacitus Iulias uocat Alpes quæ uersus Carnos sunt. Nisi in Liuio sit anticipatio, quod mihi non placet. Ideòque facile assentior D. Beato Rhenano hunc locum rectè restituenti, ut legatur, Ipsi Taurino saltu inuias Alpes transcenderunt.

Cenomanorum Elitouio duce.) 96. B. Atque inde existimo quosdam erroris sumpsisse ansam, ut hoc loco pro Cenomanorum substituerint Germanorum, non attendentes hic antea de Belloueso utique Gallo dictum, Taurino saltu per inuias Alpes duxisse suos, subsecutos autem eodem saltu Cenomanos. quod de Germanis, qui in Tricastinos non uenerant, intelligi non potest. Præterea hic Gallorum in Italiam transitus describitur, nõ aliorum populorum. Primum autem Liuius commemorat sæpẽ Celtarum populos cum Belloueso uenisse in Italiam: post hos Cenomanos, tertio Saluios, quarto Boios Lingonésque, ultimo Senones, qui Romam deleuere. Fortassis & inde decepti, quòd sensum authoris non rectè perceperunt. Non enim Liuius uult dicere, Cenomanos ibi transcendisse Alpes ubi Brixia ac Verona sunt, sed postquam per Bellouesi uestigia in Italiam uenerint, consedisse ad ea loca (uidelicet superioribus occupatis per priores) ubi nunc Brixia ac Verona, quæ quidem ante Libuorum erant. Et Plinius lib. 3. cap. 19. Brixiam Cenomanorum urbem fatetur, quemadmodum & Ptolemæus, & Liuius quoque lib. 2. de bello Macedonico. Itidem qui priorem emendarunt temerè, meo quidem iudicio, locum hunc quoque corruperunt, pro Libui reponẽtes Ibi. Nec obstat quod & Plinius & Ptolemæus Libuis Vercellas attribuant: uerisimile est enim ante Gallorum aduentum latiores fines habuisse eos. In codicibus Ptolemæi magis pudendo errore Libyci legitur. Legendum præterea puto Litauico duce, quod nomen est lib. 7. comment. apud Cæsarem, atque etiamnum hodie manet in Gallia.

Post hos Salluuij qui prope antiquam gentem.) 96. B. Et hunc quoque locum idem Beatus egregie restituit: quanquam id obscurum est, num Salluuij cum Saluijs, Salibúsque, idem sint populus. Leuos itẽ Ligures non memini fere apud authores legere.

Deinde Boij, Lingonésque transgressi.) 96. B. Quidam codices habebant Ligures, sed errãt. Boij autem Galliæ haud dubie priscus populus, quippe qui cum Lingonibus in Italiam hic tot ante secula uenisse tradantur, ubi in immensam potentiam creuerunt, ita ut cum Romanis exercitibus sæpe conflixerint, idque multis annis: ut ex tertia quartáque decad. apud Liuium latè patet. Postremò autem à Romanis eiecti supra Tauriscos, ad Danubium habitarunt. Rursus tempore Marij unà cum Cimbris ac Heluetijs, ut Strabo scribit lib. 7. aduersus Romanos pugnauere, atque etiam tum uicti, ad tempora usque C. Cæsaris uicini Heluetijs in parte aliqua Hercyniæ syluæ, ut quidam credunt, manserunt: cum quibus postea contra Cæsarem tulerunt arma: ubi rursus uicti, deprecantibus Cæsarem Heduis, quòd egregia uirtute erant cogniti: ut ipse ait, in antiquam remearunt patriam, relicta, ut uerisimile est, ad Danubium prole aliqua, unde quidam Boemos ac Bauaros dictos uolunt. Hæc pluribus uerbis quam oportuit egimus, ne temerè libri emendarentur, siquando non congruentia de Boijs apud authores inueniantur, propter tot eius populi mutationes.

Ab Vfente flumine.) 96. B. De alio loquatur flumine oportet quàm quod Plinius lib. 3. cap. 5. ad Anxur describit: hic enim de Venetorum regione loqui uidetur. Meminit Boccatius, sed ex hoc Liuij loco adiutus, nullum alioqui ex authoribus adducens testimonium.

Nec ulla cæde pugnatum fuit.) 97. B. Alij hoc mutarunt, atque ita legunt: Nec ulla cædes pugnantium fuit. id quod ego non intelligo. Fortassis autem propter sequentia continuò uerba, ita legere placuit. at etiam illa obscurum habent sensum, ideoque lectori consideranda sunt.

Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos.) 98. A. Sed nec hic locus totus satis patet. Trium temporum est hic ordo, & uis in illo, identidem. Primo quidem aduentu impetum Gallorum Romani Romæ expectabant, alioqui apud Alliam mansuros fuisse Gallos existimabant. Deinde sub occasum solis, cum ne tum quidem inuaderent Vrbem Galli, quod tamen expectauerant Romani, in noctem dilatum consilium ijdem existimabant Romani, quò plus pauoris illi referrent. Deniq; lux appropinquans exanimabat, timoriq; quem perpetuò habuerant, malum hoc, quòd uidelicet urbem inuaserant hostes, continuum fuit, cum primum signa infesta portis illata sunt. Verùm instituti nostri non est his diutius immorari.

Vrbis per trecenos sexaginta annos.) 98. A. Non admodum rotũda est hæc annorũ supputatio, sed ea potius quæ postea in Camilli oratione ad finem huius libri exhibetur: erat enim hic annus ab Vrbe cond. 365. Scio apud Plin. lib. 33. cap. 1. legi. 364. & apud Plutarchum 360. at codicibus non confido.

In eo clino eas cum L. Albinus de pl. R.) 98. B. Valerius Maximus lib. 1. L. Aluanium uocat, sed errore, ut puto, codicum.

Cæditius negare se commissurum.) 101. A. Video, inquit Cæditius, finis uei adest imperij. Atqui ego haud committam ut mihi aut deorum aut hominum quisquam imperium finiat potius, quàm ipse memor ordinis uei deposcam imperatorem. De quo autem propriè ordine loquatur, considerandum. Item quod post aliquot deinde sequitur uersus, Militésque haberent imperatorem quem uellent: de Camillo intelligendum: quem uolebant milites, nõ alium. Et rursus paulò post, Lex Curiata lata est, quidam male mutarunt in, lecta est.

Hæc culti neglectique numinis tanta monimenta.) 102. A.

Monimentum à monendo propriè hic quadrat: quanquam quibusdam uomenta etiam non displicet, sed non mutauerim.

Aio Locutio templum propter cælestẽ uocem.) 102. A. Et hoc loco, & paulò ante initium huius orationis quidam pro, Aio Locutio, emendarant, Allocutio, quam syncopam ego neutiquam probo. Meminit huius Dei Aul. Gell. lib. 16. cap. 17.

An malitis hanc solitudinem uestram quàm urbem.) 102. B. Quidam pro, an, legunt, non. Sed ego haud satis intelligo quid sibi per solitudinem uelit: & quæ sequuntur, non admodum clara sunt. Vtitur libro sequenti rursus hac uoce, de Volscis loquens: Quæ nunc uix seminario exiguo militum relicto, seruitia Romana absolutione uindicant.

F I N I S.

IN T. LIVII PRIMAE DECA-
DOS LIBRVM SEXTVM,
HENRICHI GLAREANI
ANNOTATIONES.

Nterregnum tum iniit P. Cornelius Scipio iterum.) 103.B. Cornelius atque Camillus ambo interreges fuere anno 364. ab Vrbe cond. ideoque non legam Scipio interrex, pro Scipio iterum, ut quidam temerè, meo quidem iudicio, hunc locum emendarunt. Iidem etiam, tum. sustulerunt ante uerbum, iniit.

A. Valerium Publicolam iterum.) 103.B. Hic Valerius superiore libro, ut diximus, anno 361. ab Vrbe cond. & hoc libro anno 368. Lucius, non Aulus uocatur. Lector dispiciat uter erret locus. Et A. Manlius legendum, non Manlius, ut patet ex anno 372. ubi tertium fit trib. mil. cons. potestate.

Alia ex alijs edita etiam in uulgus. Quæ autem.) 103. B. Obscurus est hic sensus: nam illud, alia, quid referat nescio: neque enim magis fœdera quam leges referre uidetur. Quidam pro, ex alijs emendarunt, ex eis, nihilominus in obscuro manente sensu. Porro quæ de sacris suppressis subiunguntur, & ipsa explicari conueniebat, quænam fuerint sacra, & quomodo suppressa magis obstringebant religione animos: nisi Bacchica erant, & nisi per dolum oppressa à pontificibus intelligamus.

Quidam, quod postridie Idus Quintiles &c.) 103.B. Vide in hoc contextu, traditum putant, dictiónne sit pro tradunt: nã alioqui planè syntaxim non capio. Item illud, neque, exponendum pro, & non: ut negatio in uerbum, inuenta, incumbat: non in, obiectus esset. tum illud etiam notandum, quo pacto dicat, post diẽ tertium, quod factum est die tertio. postridie enim Idus Quintiles non litauit Sulpitius, hoc est, pacem Deûm non impetrauit, expositore Nonio Marcello: & ad XV. calendas Sextiles exercitum Romanum host. obiecit. quasi ita dicas: Sulpitius decimasexta Iulij die non placatos inuenit deos, & decimaoctaua eiusdẽ mensis die conflixit. Vt non magnopere mirandum, quod apud Marcum euãgelistam cap te octauo legitur, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι. & post treis dies resurgere. ubi magnopere laborant magni nominis Theologi.

Qui post pugnam ad lucum Regillum factam.) 104. A. A pugna Regillensi ad hunc annũ, in Liuio sunt plures quàm centum ac decem anni: at à pace Hernicis data prorsus centum. Ad Hernicos itaque hoc loco anni referendi.

Ad deditionem Volscos septuagesimo demũ anno.) 104. A. Primum bellum Volscis à Romanis motum fuit sub Tarquinio Superbo in ducentos amplius post suam ætatem annos, ait ipse Liuius libro primo. Postea uero liberata Vrbe anno decimoquinto, ab Vrbe autem cond. 259. rursus illis bellum motum, ubi centum ac plures sunt anni in utroque numero. quapropter in illo septuagesimo anno errorem puto. At id iam & in alijs locis sæpe ostendimus, quare hic minus mirum.

Q. Seruilius Fidenas, Q. Iulius Tullus.) 104.B. Legendum. Q. Seruilius Fidenas quintum, Q. Iulius Tullus. Errorẽ fecerunt, quintum ac Quintus, ut identidem in codicibus alterum omissum fuerit. Legendum etiam L. Lucretius Tricipitinus iterum, & Ser. Sulpitius Rufus iterum. fuere enim tribuni uterque anno 364.

L. Papyrium. Cn. Sergium.) 105.A. Hoc loco Cn. Sergius legitur, postea uero anno 375. Caius, ubi tertium dicitur tribunus mil. cons. po. Nec tamẽ ubi iterum fuerit, uspiam inuenio: ut planè suspicer anno 370. omissum eius nomen. Nam post Camillum V. tribunum mil. perpetuò sex fuere tribuni mil. cons. potestate.

Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ Stell.) 105. A. Annius Viterbiensis, homo Hetruscus, legendum putat Tromentina, pro Pomentina, & Arniensis, pro Narniensis. qua de re quidam posterius nomen mutarunt: at in priore neminem uidemotum ut uariaret, neq; enim firmus pugnat rationibus. Cæterũ hic numerus mihi suspectus de XXXV. tribubus, denario: quippe tempore Coriolani XXI. erant tribus, authore Dionysio Halic. hoc autem loco quatuor additæ efficiunt numerum XXV. Neq; ullas hactenus tribus additas memini. Cum autem tempore Liuij tribuum numerus erat XXXV. ut ex libro primo patet in Ser. Tullio, quatuor autẽ ultimus huius decados libris binæ additæ inueniantur, præter quatuor urbanas, à Q. Fabio Maximo (qui id cognominis ea de caussa habere meruit) libro nono adiectas, quomodo hic legemus XXXV? Errorem errori accumulauit, ut puto, locus ille libro secũdo, anno ab Vrbe cond. 259. ubi XXXI. tribus pro XXI. leguntur factæ: quod ibidem annotauimus: quanquam tribus nomen latè patet, ut uel apud Dionysium liquet in Ser. Tullio.

Ser. Cornelius Maluginensis.) 105. A. Quidam libri Seruilius, quidam Sergius Cornelius habebant: sed ea nomina sunt, non prænomina, ideoq; Seruius legendum.

Qui dictatorem se iam quartum creasset.) 105. B. Non hoc loco quartum fit dictator Camillus, sed postea anno 386. quintum autem ad finem huius libri. At tantum senatus de se iudicium, collegarumq; tam benignum animum, perinde habuit atq; si dictator creatus fuisset: ipse enim non ita multo pòst dicturus est ad cunctabundos milites: An me, quod non dictator uobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem?

Sed quia nisi magno apparatu tormentis ma.) 106. A. Mirum hoc uideri potest, cum ad finem libri secundi tam facile capta fuerit. Sed dicet quis, interea temporis coloniam factam, ac ideo firmiorem fuisse. id uero est effugere obiectionem, non soluere nodum. Nam eadem opera dici poterat, & Romanis ab eo tempore multum ditionis ac imperij accessisse. Sed hoc non agimus.

Ab Nepete ac Sutrio auxilium.) 106. B. Ita Liuius id nomінis usurpat, perinde atq; tertiæ sit declinationis, ac neutri generis. Nam paulò pòst dicturus est, Nepete exercitus ductus. & anno 372. Et triumuiros Nepete coloniæ deducendæ creauerunt. At tertiæ declinationis neutra in e, ablatiuũ habent in i. Nisi dicamus neglexisse hoc Liuiũ. Græce est Νέπετος. In Strabonis codice Νεπῖτα li. 5. & in Pli. Nepeta, ita ut nihil inde certũ colligas.

Legiones urbanæ quibus Quintius præfuerat.) 106. B. Superius in exercituum diuisione L. Quintium Cincinnatus causarijs senioribusq; præficitur, quos hic cum Camillo missos non est uerisimile, sed alterum exercitum paratum instructumq; in urbe ad omnem euẽtum, cui Camillus Q. Seruilium collegam præesse uoluit. Ergo hoc loco Q. Seruilius legendum, pro quo Quintius positum est. & potuit uideri à librarijs corruptum, si nõ continuò altero uersu sequeretur, Quintius Horatiusq; successores Valerio in Volscos missi. Quare Liuium memoria lapsum hoc loco putamus: nisi quis & hæc corrupta putet.

Insequenti anno A. Manlio, P. Cornelio.) 107. A. Manlius ab initio huius libri tribunus mil. fuit: ergo hic addendum, iterum. P. Cornelius autem ab anno 360. quater fuit in magistratibus, sed ter, nullo adiecto cognomine. Credo Liuium offensum tot nominum iuani propemodum nomen elatura. Ita & Cn. Sergij Fidenatis nomen II. hic omissum, ut paulò ante diximus.

Idem moliri cœpit acriores, quippe æris al. sti.) 107. A. Colon ponendum puto post uerbum, stimulos. Quæ uero deinde sequuntur, uerba sunt Manlij seditiose conquerentis de patribus, mouentisq; senatus inuidiam.

Quæ nunc uix seminario exiguo &c.) 107. B. Seminarium pro semine posuisse uidetur. Cæterum quidam uendicant legunt,

quod est appropriant, ac sui n esse dicunt. Quidam uindicant, pro ulciscuntur, ac à contumelia defendunt. quasi dicat Liuius ab solitudine uindicant, id est, à latronibus defendunt. Ego, ut ingenue fateor, sensum non intelligo, præcipue uero illud, solitudine.

Et Cercensium quidam, & coloni etiam à Veliternis.) 107. B. Quidam hunc locum emendarunt in Circeienses: nam Veliternos Circeiosque ipse Liuius coniungit anno 372. etiamsi hoc loco & paulò post separare uideatur. excusationem tamen hi loci habere facile poterunt. Cercenses certe qui sint, non puto uspiā reperiri: quare libro octauo quoque non ita longe ab initio L. Numitium Circeiensem legendum, non Cercensem.

Multiplici iā sorte exoluta mergētib. se per fortē us.) 108. A. Quidam pro, se per, legunt semper, ut intelligamus, usuras ita multiplicatas, ac ab ipso solutas, sortem iam aliquoties æquasse: ut sit sensus, usuras toties suppullulascentes mersisse sortem atq; ita se fœnore obrutum. Quanquam, ut usuræ mergant sortem, dubitabit aliquis.

Neminem uestrum, inquit, Quirites donec quicquā.) 108. A. Et hunc locum ijdem mutarunt, ne quem legentes, pro neminem, Sed imperfectior est sermo, & qui desideret aliquid. quasi dicat, ideo fundum meum præconi subieci, ne quem. Manlij sunt uerba, ut illa superius posita: Esse quisnon egestatem modò atque ignominiā minētur, sed neruo ac uinculis corpus liberū territēt.

Ne absulerittis obseruantib, etiam oculis.) 108. B. Si obseruantibus oculis legamus, ut habent plerique libri, simplicior erit enunciatio, Sin oculos, ut quidam, speciosa erit hyperbole

M. Furius Camillus quintum.) 109. A. Legendum M. Furius Camillus V I. & Ser. Sulpitius Rufus tertium. ut facile patet ab initio libri quinti (nam illic primum Camillus creatur tribunus mil. cons. po.) omnia magistratuum nomina recensent. Idem erroris, de Camillo quidem, accidit anno 374 in plerisque codicibus, ubi V I I. fit tribunus mil, De Sulpitio anno sequenti 37-. ubi fit quartum, etiamsi codices reclament. Cæterum quod hic duo uerba, iterum, ac secundum, indifferenter leguntur, uidetur ex numeri notis I I. accidisse. Hæc ut pusilla ridebit fortassis quispiam, ut haud quaquam notatu digna. At non piguit Aul. Gellium libro decimo eadem de re longum texere caput, ut nō dicam anxie, quod nos leui brachio.

Ne fortuna mea desi:uidete.) 109. B. Satis obscurus sermo: nescitur enim, mihine, an uobis, intelligēdū. animus ipsius plane iam ruinam præsagiebat. Sed multa huiusmodi dissimulamus.

Forte etiam in arce positam.) 109. B, Quid illud, forte, sibi uelit, non planè uideo, quando non fuit dubium M. Manlij domum fuisse uel in Capitolio, uel in arce: sed uidetur de his duobus dubitasse Liuius: nisi quis, forte, exponat pro casu, aut Liuium Monetæ ædem ignorasse, quod neutiquam credo, putet. Cæterum ut Capitolium ab arce discretum, ex Liuio non facile constat, sed ex Dionysio, ubi de App. Herdonio.

Nam &, quia eundem & suæ potestatis, quem li.) 109. B. Quidam ante nam, & post uerbū, crediderant, parentheseos signa apposuerunt: alij ante quia, & post uerbum cernebant: alij utroque in loco, alij nusquam. Sensus haud est obscurus, duram tamen habens compositionem, utcunque distinguas. Paulò post item legendum, Q. Publius non Q. Publilius, nemo enim duo habuit prænomina.

Ab accusatoribus obiecta sunt reo.) 110. A, Quid si, sint, legas: ut sit ordo: Quæ pertinentia proprie ad regni crimen ab accusatoribus obiecta sint reo, apud neminem authorem inuenio.

Cicatricibus bello triginta tribus acceptis.) 110. A. Ita plerique habent codices, Alij numerum sustulerunt, tanquā ex Plin. subditum, quod ego non credo. quanquam neutrum, cur uel negem uel affirmem, sat habeo. Cæterum nec cum Plinio nec cum Cicerone in Manlij domo Liuius probe conuenit: sed non in hoc solum, de Dentato ac alijs idem accidit.

A. Manlio tertium.) 110. B. Hic locus satis conuincit, anno 369. initio huius libri A. Manlium legendum esse, non Manlium, quod ibidem etiam adnotauimus. Fuit autem M. Manlij frater, ut Titus, quemadmodum paulò antè habetur. Legendū etiā hoc loco, Ser. Sulpitio Rufo I I I I. quippe qui ter antea fuit. & L. Lucretio Tricipitino tertium, qui antea bis fuit.

Sp. & L. Papyrius duo noui tribuni.) 110. B. Ita habent uetustiores aliquot codices. quidam mutarunt ita: Sp. & L. Papyrij noui tribuni mil. At ego cognomen appositum suspicor uel Crassi uel Cursores, pro illo, ut duo: & anno 375. Papyrium ex his duobus alterum fuisse.

Ser. Cornelio Maluginensi I II.) 110. B. Quidam pro tertium, legunt quartum. Sed ijdem tertio hinc antea anno legunt iterum. hic igitur tertium legendum, quippe qui proximo anno nō fuit in magistratu. Nisi quis anno 358. pro Publius, Seruius legendum existimet, quod ego non puto.

Et supina ualle Romanam inclinauit aciem.) 111. B. Haud dubiæ hæc retulit ad uerba præcedentia paulò superius: Leuis à tergo cliuus erat inter aciem & castra. at nihilominus locus obscurus est, mihique suspectus.

Optimum usum esse in fluctuantem aciem tradi eq.) 111. B. Hæc obscure dicta sunt. nam de qua acie intelligendum sit ignoratur. Verum cum ipsi pedites in certamen ibant, non equites, fortaßis equos fortunæ commisisse commode quis exponat. Illud etiam paulò post: Sensit ergo euentus uirtutis enixe opem. dubitationem habet, sed tolerabilem. Itaque quidem libri enixæ legunt, ultima cum diphthongo.

Pace constanti iam Romanorum arcuerunt.) 112. A. Valerius Max. libro septimo cap. 3. manifeste fatetur consilij acumē fuisse in Tusculanis. Sed mirum Romanos tam facile ignouisse, imo ciuitatem eis dedisse. An uicinitas terruit? Cæterum scire uelim ut cum captiuis actum, neque enim hoc recitat Liuius: & suspectam rem faciunt nec minus dictatoris Tusculani uerba. Sed hæc longius prosequi, non est huius instituti.

At repletas semitas inter uulgus.) 112. A. Neque id genus locutionem planè assequor, tametsi sensus non est usque adeo difficilis. Forte autem anastrophe est, uulgus inter repletas semitas.

Precibus euentum uestris Senatus quē uidebitur da.) 112. A. Et id genus oratio notanda, nunc quem uidebitur dixerit, pro qui uidebitur, malens cū casu antecedente conformare relatiuum quàm cum suo uerbo: quod apud Græcos est frequens, & Latini non omnino fugerunt.

Peccetur in uos, dum digni sitis quibus ita satisfiat.) 112. B. Et hic sensus admodum obscurus est, præcipue uero ultimorū uerborum. Videtur autem Senatui Romano blandiri de iustitia, & sermo est adulationi proximus.

C. Sergio I I I.) 112. B. Huius Sergij nomen in magistratibus antea semel dūtaxat, uidelicet anno 368. inuenitur, & prænomine tamen Cn. non Caio. Sed suspicor anno 370. ubi iterum fuit, omissum nomen, atque hoc loco tertium factum, quod constanter omnes Liuij habent codices. Legendum item Ser. Cornelio Maluginensi quartum, quippe qui anno 373. fuit tertium. Sed de hoc etiam paulò antè.

Eodem anno etiam ipsis querentibus penuriam ho.) 113. B. Omissum est hoc loco coloniæ nomen. Nam de Prænestinis intelligi non potest, qui iam rebellarunt. Quidam de Satrico hoc intelligunt, at hoc statim post fit hostium receptaculum. Ego de Veliternis intelligere malim. Nam illi octo gestientes, in agrum Romanum incursionem fecisse paulò post describuntur.

L. Aemylium, P. Valerium I I I I.) 114. A. Aemylius fit tribunus mil. quartum anno 373. ut omnes habent Liuij codices: quare si idem est adijciendum quintum. Quidā putant hunc Mamertinum cognomine. sed eum qui initio libri septimi cum L. Sextio fit C O S. Mamercum. At ratio temporum non obstat quo minus sit idem omnibus his locis. Præterea L. Quintius Cincinnatus etiam anno 369. fuit tribunus mil. Hic igitur, iterum adijciendum: sed Liuius breuitatis gratia omisit, offensus opinor tanto nominum acerno. & plane res nimium molesta est.

C. Veturius. M. Aulus, & M. Cornelius.) 115. B. Quidam pro M. Aulus, emendarunt A. Manlius: sed is prioris anni fuit tribunus mil. Quare legendum C. Veturius I I. A. & M. Cornelij. Nam C. Veturius primum fuit anno 378. hic autem I I. Cornelij uero postea iterum fiunt anno 388. ad huius libri finem. Hic itaque primum fuere, & faciliter ex I I. potuit M. fieri. Mirum autem, & in his quidem, & præcedentis anni omnibus tribunis, omissa & cognomina & numerum.

An placeret fœnore circumuentam plebẽ,ni potius.) 115.B. Hoc,ni,tollerem,& planior erit lectio. Neque uero me latet quæ portenta quidam hic prodiderint,ut hunc explicarent locum:mihi satius hoc uidetur.

Nisi alterum C O S.utique ex plebe fi.necesse sit,neminem fore.) 116.A. Illud,neminem fore,quid sibi uelit,quidue ad sensum faciat,fateor planè me nescire:nisi in τὸ nisi,incipiamus nouam sententiam.

IIII.ac XL.annos neminem ex plebe trib.mil.) 116.A. Hic annus est trecentesimus octuagesimusquintus ab Vrbe cond. At ille quo primi tribuni mil.cons.potestate creati sunt,fuit annus trecentesimus undecimus.hos si ab illis subtraxeris,relinquentur anni 74.tot enim annis licuit tribunos mil.cons.po.creare, ac ex plebeis etiam.Sed quadragies quater(inquit)hoc neglectũ est,imò uero sæpius:nec enim rotundum hunc exhibuit numerũ.

Et uti rogassent primæ tribus dicerent.) 116.B. Locus uehementer obscurus.Cum rogassent,tribuni scilicet.Et cum primæ tribus dicerent,opinor legem exponendum.

Et quod eundem M. Furium dictat. insequens annus ha.) 116.B. Hic omnino annus rursus omissus est,cuius rei duæ sunt suspectiones. Altera,quod Licinius Sextiusque statim pôst dicturi sunt,nonum se annum iam uelut in aciem stare,cum alioqui hic octauus esset.Anno enim 379. cœperant hoc certamen. Item postea Liuius dicet,decimum hos refectos ante annum trecentesimum octuagesimumoctauum qui nonum refecti essent,si hic annus non inferatur. Altera suspicio quòd C.Licinium.primum ex plebe magistrum equitum Liuius dicat antea fuisse trib.mil.cons.potestate,cum nusquam antea legatur.Et loquitur quidem de.C.Licinio Stolone,nõ Menenio.quod quanquam hoc ex loco ostendi non potest,at libro decimo in P.Decij oratione aduersus nobilitatem de pontificibus etiam ex plebe creandis,satis luculenter id patet.Quare Stolo,quãdo nullo alio anno inuenitur,hoc anno fuisse uidetur tribunus mil.cons.potestate.Idem sentio de P.Valerio hoc anno cum Stolone tribuno.Nam anno tricesimo octuagesimooctauo sextum dicitur tribunus,cum ubi V.fuerit,non inuenitur.At,ut tandem concludam,hic liber uisus est mihi mutilus,& alijs plus iusto breuior,ideóque hæc omnia mihi suspecta.

Deinde comitijs tribunitijs declararent uol.) 117.A. Videnum legendum,comitijs tributis,ut ad finem orationis Claudij etiam habetur.

Non(inquit)licebit tu de fœnore atque ag.) 117.B. Verba sunt tribunorum pl.per μίμησιν ab Appio prolata. Verum cum ait,Et hoc portenti,nisi ex stomacho Appij intelligamus,nõ planè capio quidnam sibi uelit.

Hoccine est in commune honores uocare.) 117.B. Si hic atque sequens uersus absque interrogatione legantur,cum quadam dicentis admiratione,plus gratiæ habebunt,quàm ut passim uulgo leguntur uerba.

Est aliquis qui se inspici,qui æstimari fastidiat.) 117.B. Hæc quoque absque interrogatione legam,cũ ironia,& quasi per irrisionem:&,est aliquis,dixit,uelut in Thrasonẽ,ut illud Satyrici:

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

Si uis esse aliquid:probitas laudatur & alget.

P.Valerius VI.) 118.A. Hic Valerius quartum fuit tribunus mil.anno 378.interea nusquam inuenitur.Suspicor eum V. fuisse,superiore qui omissus est anno,quemadmodum paulò antè testati sumus.Cæterum P.Manlius,& L.Veturius iterum hic fuere,quod omissum est.

Cum dignam eam rem Senatus censeret.) 118.B. Quam rem dignam uocet,ex prioribus non satis liquet.Quidam post facturos,adijciunt fore,sed ad sequentia uerba,nihilominus in obscuro manente sensu.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM SEPTIMVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

GRatiæ campestri dederunt.) 119.A. Quidam ceperunt legunt,quasi patres illis,hoc est, Prætori ac ædilibus,ceperint præturam ædilitatemq; per gratiam,quam in campo Martio apud populum Romanũ inuenerint,technis uidelicet,quibus in comitijs uti cõsueuerunt.Id autẽ lectorũ iudicio relinquimus.

Proportione & ex multitudine,&c.) 119.A Id etiam obscurum,quanquam relatione intelligitur.quod tamen non dico ad eũ modũ,quo nunc ex præpositione ablatiuóque facimus nomen proportio,quod haud scio fueritne in aliquo apud ueteres usu.

Par deinde per V.& XXX.annos.) 119. A. Impudens hoc omnium codicum erratum,ac mirum ab nemine animaduersum,cum nihil facilius correctu fuerit. Anni enim captæ urbis sunt 365.ut ipsemet Camillus in oratione ne Veios migretur,ad finem lib.5.fatetur.Hi autem anni quando mortuus est Camillus 390.à quibus si priores subduxerimus,relinquentur XXV.non XXXV.anni.Et paulò pôst,C.Sulpitio Petico legendum,non T.Sulpitio Potito.

Accepta itaque res,sæpiúsque usurpando excitata.) 119.B. Post excitata distinguendum:nisi quis acceptare in auferẽdi casu legere malit.Fescẽnino autẽ uersu quidã in dãdi casu antiquè dictum putant,quod nescio quàm probem:neq; enim necesse est ut ab accusatiuo similem regantur,quod absolute positum uidetur,ut illud,incompositum.

Quæ exodia postea appellata.) 119.B. Absque r,hoc legendum,non est dubium:sed num etiam absque aspiratione,nõ ita clarum.Quanquam si exodia sunt dicta,quòd extra cantũ essent, uidelicet ridicula uersibus intexta,quæ sine cantu iactitare iuuenes solebant,non est omnino dubium.At in his quid deuerbia, quid exodia,quid ad manum canere,nemo non exponit,sed non etiam ita nemo non intelligit.

Notam numeri annorum fuisse ferunt.) 119.B. Quomodo unicus clauus,numeri nota esse potuerit,lectori expendendum,nã ego planè non intelligo.

In templo Nortiæ Hetruscæ deæ.) 119.B. Iohannes Annius in commentario in Berosum,Propertijque Vertumnum,ait hanc deam Horchiam uocatam:quod,ut solet,nõ admodum firmis probat rationib.Item paulò post legendum,Q.Seruilio Hala II. L.Genutio.II.C O S S.

M.Horatius C O S.ex lege templum Iouis.) 119.B. Dedicatio templi Iouis Optimi Max.lib.2.quid attinebat ad solenne claui figendi?Neque enim Liuius eo in loco quicquam de clauo pangendo scripsit.

Vtrum nutriendum patri,si quicquã in eo humani.) 120.A. Ego hunc locũ ita legendũ puto,Vtrum nutriendum patri,ac uexatione insigne faciendũ,an castigandũ potius si quicquã in eo humani esset,fuisse?Quasi dicat,nutriebatur id uitij in agro,patris deinde uexatione insigne fiebat,castigari poterat in urbe si uoluisset pater.

In expectatione ciuitas erat, quòd primus ille.) 120. B. Quod,pro quia,positũ uidetur. At illud,perinde quidã mutarunt in deinde:nã,ut,cõparatiuũ,ad ita sequitur.quanquam uideri potest esse sermo nõ omnino curiosus.Neque erat ille primus ex plebe C O S.sed ex C O S S.plebeis primum occisus.

App.Claudium quia dissuaserat legem.) 120.B. Dictatorẽ absque Magistro equitum hoc loco exhibet Liuius,sicut libro secundo

cundo M. Valerium, quod ibidem admonuimus, cum satis constet Romæ nunquam hoc factum.

Quadragenariæ octo cohortes.) 121. A. Quadringentariæ quidam legũt, quod mihi quoque placet. Nam libro decimo eodem utitur uerbo Liuius. Puto autem quadringentariam à quadringentis militibus dictam, ut quingentariam cohortem à quingentis. Nam in additione supra quingentos quadringentósue, nõ omnino conuenit inter authores. nos de appellatione duntaxat disputamus.

Multiplex quàm pro numero damnum est.) 121. A. Vide num positiuum multiplex, pro comparatiuo positum, alioqui non intelligo.

Cum præter mœnia eorum infrequentia signa con.) 121. A. Sed neque hæc uerba planè capio, sunt enim oppidò obscura.

Quia collega comitia bello præferre festinãte.) 121. B. Quo modo autem bello præferebat comitia Sulpitius COS. Num putemus sperasse se festinatione consulatum adepturum omisso bellosan proferre potius legendum? Sed iudicet lector.

Gallis ad tertium lapidem Falaria uia.) 121. B. Faleriensium meminit Plin. lib. 3. cap. 13. in Picenis, quod melius quadrat quàm Salaria uia, ut quidam habent codices. Et nota quanto terrori fuerunt Galli Romanis: nam proximo sequente quadriennio ter dictatorem crearunt propter Gallos, non ausi confidere COSS. De Cisalpinis nunc loquitur.

Totóque corpore interior periculo uulneris.) 122. A. Pictura est, sed admodum difficilis, ita ut quidam pro interior legerent inferior, sed non placet. Porrò quòd ait, inter corpus armáque, nisi de scuta ac Galli gladio intelligas, non equidẽ assequor.

Torquati cognomen auditum.) 122. A. Non paucis uerbis egerim, si, quàm diuerse hic locus legatur, enarrare uoluerim: neque solum uerbum, auditum, pro additum, sed in præcedentibus quoque. Sit igitur suum unicuique liberum iudicium, nam hæc omnia prosequi neque possimus, neque uolumus.

Tumultum excire in hostium portis.) 122. B. Pro excire, quidam exciere reposuerunt, propter uerbi significatum. Id autem num in usu sit, quem maxime spectandum existimo, haud equidem scio. Et in his uerbis prom. scuus est aliquando, quanquam rarus, usus, ut in cõpositis à sedeo, ac sido, apud poetas maxime: tametsi sedeo, ac sido, significatione propiora sunt, quàm cieo ac cio apud quosdam, Prisciano tamen idem significare uidentur.

Verba pro exercitu faceret Sex. Tullius.) 122. B. Quidam codices Seruium habebant, quidam Sextum. Sed fortaßis Seruij Tullij. sexti Romanorum regis nomen, errorem librarijs dederit.

Quæ sicut uos uestra habeatis consilia.) 123. A. Conuersio est sermonis satis dura, quam præmollit tamen Tullius. Deinde, succenseat, pro censeat, posuisse uidetur, compositum pro simplici, ut apud alios quoque authores sæpe usuuenit.

Binisque tantum centunculis relictis.) 123. B. Tantum, adiecere quidam, quod placet. Nihilominus tamen obscurus est sermo, uidelicet non planè patente, cui centunculi, & ad quid relicti, sensu.

Qui profligato dextero cornu obequitabat ho. m.) 123. B. Sinistro cornu legerem. Nam Gallorũ sinistrum cornu oppositum erat dextro Romanorum cornu. At Dictator effecerat ut ibi turbarentur hostes, ac inde eques turbatos auerterat, ut paulò antè ipse fassus est Liuius.

Veliterni deinde incursione repentina fecerũt.) 124. A. Ad calcem propè prioris libri ita ait Liuius: Cum præter Velitrarũ obsidionem tardi magis rerum exitus quàm dubij, quietæ externæ res Romanis essent. Hæc ille. Cũ ergo obsideri cœptæ essent Velitræ anno ab urbe cond. 384. mirum cur non uel dissolutionis uel expugnationis alicubi meminerit Liuius.

C. Martio, & Cn. Manlio COSS.) 124. A. Cn. Manlius etiam anno 396. fuit COS. quare hic II. adijciendum. At alij T. Manlium legere malunt, quòd is anno 402. & 406. dictator fuerit, nec alibi ante COS. nisi hoc ponamus loco. Iidem autem anno 408. Cn. Manlium II. sed anno 411. T. Manlium iterum. Sed tanti in omnibus codicibus errores implicant lectorem, ut satis putem indicasse: nam emendasse certe non perinde tantæ utilitatis, quanti laboris fuerit.

Facibus ardentibus, anguibúsque prælatis.) 124. B. Hoc ut facile intellectu est, ita factu difficile: quare explicandum erat hoc pluribus quàm hic fecit uerbis. Illud etiam: Lymphati & attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt: de Romanis intelligo.

Vt quodcunque postremum populus iußisset, id ius.) 124. B. Idius ratúmque esset, ad præcedentia referri debet. ut ex oratione App. Claudij censoris libro nono postea patet, anno ab Vrbe cond. 445.

C. Sulpitius Peticus tertium.) 124. B. Si quidem hic locus bene habet, anno 391. nõ rectè T. Sulpitius legitur, nec anno 394 L. Sulpitius: sed utroque in loco. C. Sulpitius legendum: quippe qui nunquam antea COS. inuenitur, etiamsi tribunus mil. cons. potestate. sed nihil ad hanc supputationẽ. Diodorus item Siculus C. uocat in Philippo Alexandri magni parente.

C. Quadringentesimo anno quàm urbs Ro. cond.) 124. B. In fi. Vellem hercule Liuium sæpius quàm fecit, annorum ab Vrbe condita meminisse. Cæterum ex hoc loco satis constat, post annũ 386. omissum annum esse. & quod statim hic sequitur, quinto & trigesimo quàm à Gallis recepta, optime habere: quando captæ urbis anni fuerant, Camillo ad finem libri quinti numerante, trecenti sexagintaquinque, quibus si addideris 35. emergent 400. Quod uerò deinde sequitur, Ablato post nonum annum à plebe consulatu: non item bene. Est enim hic duodecimus annus à primo plebeio COS. Ergo legendum, post undecimum annum. Errorem natum hinc credo, quod IX. ac XI. numeri facile fallunt.

T. Manlium Lucij filium.) 125. A. Mirum cur non addiderit Torquatum. Deinde aut exemplum est posse fieri dictatorem eum qui antea non fuerit COS. ut de L. Manlio parente antè potuit: nisi quis eum patrem tribunum mil. cons. potestate fuisse existimet, anno 387. quod equidem conijcio. aut anno 398. pro Cn. Manlio legendum esse T. Manlio. Id quoque mirum, quæ caussa coegerit dictatorem creari, cum tam eximium Consulum par in magistratu esset, quorum alter etiam antea dictator fuit bello Gallico, unde eximiam pepererat gloriam. Alter præter generis nobilitatem COS. etiam eo anno fuit, quando è plebeiorum manu consulatus rursus ereptus uidebatur.

Eáne meritos crederet quisquam, hostes repen.) 125. B. Nisi sit deriuatio caussæ in fortunæ iniquitatem, hunc sensum nequaquam intelligo.

Q. Publius, & T. Aemylius.) 126. A. Q. Publilius legendum est, qui postea IIII. fit COS. Publius enim prænomen est, non nomen. Cæterum huic Publio Philo cognomen fuit. Ante aliquot item uersus legendum C. Martius Rutilus II. fuit enim antea COS. anno 398.

Rem ad interregnum produxit.) 126. A. Perduxit alij emendarunt, & rectè. Porrò eius uerbi nullus est nominatiuus, sed tota præcedens loco nominatiui oratio. Versu deinde tertio legendum C. Sulpitius Peticus V. nam quater antea fuit COS. ab anno 391. ubi primum factus est COS. Mirè uero eius cognomen apud authores uariatum. quidam enim Potitum uocant, alij Bethycum, nonnulli Pythiũ. Nec in prænomine minor uariatio, cùm alibi T. alibi L. sed à pluribus C. uocetur, ut antea dictũ est.

M. Popilius Lenas à plebe COS.) 126. A. Adijciendum tertium, quippe qui bis antea fuerit COS. Nisi quis putet à Liuio hæc consulto neglecta, quod mihi non fit uerisimile.

Vt pila omnia hastæq́ non tanquam ex æquo.) 126. B. Eadem libro decimo de secundo bello Punico habet Liuius, ubi Carthaginenses Romanorum oppugnant naues. Eadem Dionysius Halicar. libro decimo, ubi Romani App. Herdonium in Capitolio oppugnant. Verum Aul. Gell. lib. 9. capi. 1. ex Claudio Quadrigario contrarium docet. Sed est pro ingenijs exercendis ea theoria magis, quàm ut uulgò uel credatur uel recipiatur.

Læuo humero machæra propè traiecto.) 126. B. Machæra quid sit, nemo ignorat. Quidam materi supposuerunt, quam aiunt hastam longiorem lancea, qua Galli utantur, cùm lancea Sueui.

Quaternûm millium & ducenorum pedi.) 127. A. Mirè uariatum

riatum inuenimus militum in legione numerũ. Anno enim 374. quaternũm millium est, hic ducent pedites adiecti. At lib. 8. sub T. Manlio quinũm millium. totidem lib. 6. de secundo bello Punico, adiectis trecenis. Denique lib. 6. eiusdem belli senũm millium ducenorum peditum, equitum trecenorum. Hæc obiter duntaxat annotare placuit, propter quosdam nimium hac in re curiosos.

Prouocat per interpretem unum ex Romanis.) 127. B. Hic Gallus per interpretem loquitur, at qui cum T. Manlio pugnauit, latinè scilicet sciuit. Si Herodotus talia scripsisset, quam clamasset impurus Iuuenalis, Et quicquid Græcia mendax Audet in historia! Sed hæc non agimus.

Inde Appuliam ac mare superum petierunt.) 127. B. Quidam meo quidem iudicio temerè pro superum, emendarunt inferum, cum Volsci fuerint ad inferum mare, Appuli ad superum.

T. Manlio Torquato II. C. Plautio COSS.) 128. A. Bis antea de hoc Manlio admonuimus: nam quo pacto hic II. COS. dici potest, qui antea non fuit? nisi anno 398. pro Cn. Manlio legas T. Manlio. Alij hoc in loco illud iterum, ad C. Plautium posuere: qui tamen lib. 8. ab initio non considerarunt iterum COS. dici, qui tum tertium erat. Duo autem C. C. Plautij fuere, Proculus, ac Venox. Proculus COS. fuit anno 397. Venox hoc loco, & libro 8. ab initio: quare locum ambiguum puto. Et quis hæc omnia persequetur? Quantum errorum attulit historiæ Romanæ ambitio illa, & immortalitatis sitis?

M. Valerius Coruinus II. COS. cum Petilio.) 128. A. Petilio etiam adijciendum II. quippe qui fuit COS. anno 395. Nisi quis alium fuisse contendat, quod ut negari, ita sciri non potest. Porrò anno sequenti legendum C. Martio Rutilio III. T. Manlio Torquato II. COSS. quod ideo admoneo, quòd in plerisque codicibus ea corruptè legantur.

C. Martio Rutilio III. T. Manlio Torquato II. COSS.) 128. A Quidam codices utrique III. dederunt, quidam II. sed utrique errant. Martius enim ter fuit hic COS. Manlius iterum, utcunque in prioribus instituatur lectio.

Iis tamen maxime, qui etiã implorãtibus alijs auxil.) 129. A. Pro etiam, quidam restituerunt, eam, ut referat misericordiam, regatúrque à participio implorantibus: auxilium uero referatur ad uerbum, præstant. Est tamen impeditus sermo, utcunque ordinemus.

Sed tamen si ostenderitis auxilia uestra.) 129. A. Illud, sed tamen, non uideo ut ad præcedentia cohæreat, fortassis autem legendum, sed tantum. Ego ea de re lectori iudicium committo.

Ille ad montem Caluum, hic ad Satriculam.) 129. B. Seruata hoc loco differentia est inter ille, ac hic. Ille Valerius, hic Cornelius. Cæterum pro Caluum, quidam posuerunt Gaurum. Et Gaure Florus etiam in altera Epitome de bello Samnitico meminit. Et Pli. lib. 3. cap. 5. Gauranos montes prope Masicos atque Surrentinos ponit. Satricula autem oppidum in Samnio, Satricum in Volscis, Sutrium denique in Hetruria. Quanquam anno 435. Satricam genere fœminino in Samnio urbem facit, unde Satricanus. Satriculanus autem à Satricula. Ipse tamen Liuius libro eodem anno 438. altero pro altero utitur, ni, quod fieri facile potest, codices errant.

Quicquid ab urbe longius proferrent arma.) 129. B. Notandum & id genus sermonis, quicquid longius, pro quanto longius. Verum hæc propriè non sunt huius instituti.

Verum qui audiendus duntaxat magnificus.) 130. A. Vide num legendum, Verum audiendus qui duntaxat magnificus author sit.

Non factionibus modo.) 130. A. Tametsi paulo antè præcesserit uerbum, modo, tamen hoc loco quid sibi uelit, haud equidem intelligo, cum absque eo sit longe luculentior sensus.

Benignus pro re dictis.) 130. A. Horum uerborũ sensus mihi non admodum patet, & est totus uersus obscurus: Alij aliter distinguunt, sed est nihilominus sensus obscurus.

P. Decius tribunus mil. conspicit unum editum.) 130. B. Vide an hoc locutionis sit quod uulgò dicimus, unus dixit mihi. At ego unum pro insigni positum puto, quasi alij non tam celsi, & item omnes ab hoste infesti.

Nec tu mihi plus quàm unius legionis principes hasta.) 130. B. Principes ac hastatos ipse author post lib. 8. quinis manipulis separat: & hoc XXX. manipulorum agmen, antepilanos appellatos tradit. Vide ergo an non potius legendum, unius legionis principes hastatósque dederis. Porrò ipse author numerum certum, alioqui nullum exprimit.

Vbi secundæ uigiliæ buccina datum signum esset.) 131. A. Qui buccina, in buccinæ mutarunt, perperam meo quidem iudicio fecerunt. Sed & hoc lectorẽ morari meritò potest, quomodo taciti uenerint ad Decium, quib. buccina signũ detur, nisi quis etiam clamore concurrere solitos post datum signum existimet.

Neque immeritò suum ipsorum exemplum in eos uersurum.) 132. B. De præterito licebat dicere, Neque immerito suum ipsorum exemplum in eos uersum. ita de futuro uersurum, sed impersonaliter.

C. Martius Rutilius.) 132. B. Adijciendum, quartum: fuit enim COS. annis 398. 403. 411. atque hoc anno. Quare temerè hic quidam pro quartum posuerunt tertium, quod etiam antè admonuimus. Q. item Seruilio adijciendũ III. quippe qui prius bis fuit, anno 393. nisi quis intra tam paucos annos alium esse contendat, aut prænominibus uariatum.

Lex quoque sacrata militaris lata.) 133. B. Hanc legẽ cum nuper Iurisperitus inter cæteras Rom. leges edito de his libro allegasset, ne uno quidem uerbo dignatus est eam explicare, cum ex proposito id in plerisque alijs legibus fecisset. Nos id nõ agimus. Admonendus tamen est lector ut consideret, quare id noluerint milites, uidelicet haud dubiam infamiam denotante hac deletione. Deinde cũ additur: Ne quis ubi tribunus mil. fuisset, postea ordinum ductor esset. Tribuni nomen honoris fuisse existimo: at ductoris ordinum, officij. Sed de hoc attigimus nonnihil lib. 2. ubi de primipilo M. Lectorio diximus.

Et ne particeps eorum esset qui ab Lautulis.) 133. B. Obscurus est sensus, quem ego hercle non intelligo. Haud dubie dicere uult, cum illis coniurare noluisse, ideoque illos nolle eum in futurum suum esse primum centurionem. Cæterùm Lautularum antea mentio habita: at de fuga ab Lautulis, nihil prorsus. Ego locum mutilum puto, ac illud &, ante ne, tollendum esse.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM OCTAVVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



Am COSS. erant C. Plautius iterum.) 134. B. C. Plautius bis antea COS. fuit, anno 397. & 408. hic igitur III. Sed id ita quidam defendũt, quod qui anno 397. COS. fuerit, Proculus dicatur: qui uero anno 408. atque hoc anno, Venox. Hæc nominum confusio à quibusdam, ut exigua, nihilque ad rem pertinens, uidetur: mihi etiam non prorsus agelasto facile ad eum modum erat ridere. Sed interim, cum tot loca deprauata uiderem, non potui non dolere Latinorum authorum tantam iacturam. Voluissem abesse prorsus magistratuum nomina ab historia Romana, plus enim lucis illi adesset. Sed quemodo id possibile? Pone qui IIII. COS. fuit, iterum, dij boni quantum

tum flagitij admiseris etiamnum nostra ætate? quid faceres Liuij tempore, quando uiuebant adhuc familiæ quorum maiores in magistratu fuere? Sed iudicet lector.

Et quanquam superiores certaminib. Latini erant.) 134.B. Si superiores certaminibus erant Latini, quin bellum perficiebant? Nec satis mihi facit quæ subiungitur ratio, ne sæpius dimicandum foret scilicet. Fieri etiam potest, ut locus sit mutilus, quod suspicor, non etiam asseuero.

Iussisque ante tẽpus C O S S. abdicare se magistratu.) 135.A. Vterque C O S S. bello strenuè se gesserãt, Plautius aduersus Priuernates, Latinos inquam (si quid hoc ad rem attinet) ac Antiates: Aemylius etiam pacem ex Samnio attulerat. Mirũ igitur qua re hi magistratũ abdicare coacti fuerint. hoc mea quidem sententia, Liuio diligentius explicandum erat. Dionysius non tacuit, si modò eum haberemus. Excellentia etiam horum duorũ, Torquati ac Decij, quantum M. Valerij ac Cossi uirtutem antehabat? cum anno 420. postea ipse Liuius fateatur M. Valeriũ maximum ea tempestate Imperatorem.

Et L. Numitiũ Circeiensem ambos ex col.) 135.A. L. Numisium quidam legunt, quod mihi non probatur. Circeiensem autem à Circeis intelligo, quam L. Tarquinius Superbus coloniam deduxit. Ambo autem pro ambos, ut quidam legunt, Liuius nulla necessitate dixisset, ut Verg. de duo: Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra uiros. Qu dam tamẽ in uetustis Liuij codicibus subinde ita inueniri aiunt.

Agitatum etiam in concilio est, ut si quando unquam.) 136.B Vide in eadem sententia posita, cum unũ sufficeret, ut, & uti. Quod si bene habet, certum indicium est authores non tam anxie locutos, quemadmodum id quoque quod continuò sequitur, in accusatiuo ait, quod aduersus Latinos bellandum erat. Reliqua quæ sequuntur, in nominatiuo dixisse uidetur. Quanquam ubi eam distinctionem incipias, meritò hæsites, neque enim satis clarũ est.

Præerat Geminus Metius) 136.B. Quidam ex Valerio Maxi. restituerunt Geminius, at haud scio quàm bene: neque enim codicum fides magnopere me mouet uel huius uel illius authoris.

Ordo enim sexcenos milites.) 137. A. Quidam hoc in sexagenos mutarunt. Si certum sciremus quid ordo hoc loco significaret, non erat difficile definire quid legendum. At paulò post quindecim ordines uocat, longe dispari (si quidem illi rectè mutarunt) significatione. Itaque nihil definio. sicut nec illud, Vexillum. C L X X X I I L homines erant. quod ijdem CLXXXVI. emendarunt. Vegetius sane lib. 2. capitibus duobus VI. ac octauo, cum hac Liuij descriptione minime conuenit: quare nos quoque ea de re plura dicere (quando hæc non sunt nostri propositi) supersedebimus.

Samnites quoque sub radicibus montis pro in.) 138.A. Vide quam uaria de Samnitibus scribat. Antea dixerat C O S S. adiuncto Samnitium exercitu ad Capuam castra locasse. hic dicit, sub radicibus montium procul instructos. paulò pòst dicturus, eos post prælium auxilio uenisse Romanis, ut quidam tradiderint. Nam hoc ipse dixisse uideri uoluit.

Tum signum septem pedes altum, aut maius.) 138.A. Signũ quid proprie hic significet, scire uelim, ad quod Romanum magistratum descendere fas non est. Et piaculum hostiam cædi, siue hostia, ut alij legunt: pauloque pòst. Siue hostia, siue quo alio uolet ius esto: ea minus intelligo. Rursus quod sequitur: Si potiatur, Marti solitaurilibus piaculum fieri. quidam ita legunt, Marti suouetaurilibus. quod ego intelligo, solitaurilia quæ apud Festum immolationem significant tauri, arietis, ac uerris, ut etiam apud Homerum est Odyssea. λ. ac. Ψ.

Ibi in concilijs Num. imper. eo. af. com. uere bell.) 138. B. Pro uere, quidam emendarunt fore, non rectè, ut puto. Porrò de Vescia urbe quid dicam, non habeo.

Bina in Latino iugera, ita ut dodrantem ex Pri.) 138. B. Sensus apud quosdam est, in Latino agro colonis data iugera, ac dodrantem ex Priuernati adiectum, In Falerno autem trina data cum quadrantibus, ita ut qui in Falerno agro partem acciperet, semisse plus acciperet, quam qui in Latino, atque id propter longinquitatem. nemo enim est qui propiora non præferat. Quanquam hæc Liuij uerba; Ita ut dodrantem ex Priuernati complerent, data, amphibola uideri queunt. Nescias enim dicerène uelit, dodrantem eos explesse quadrante quem ex Priuernati acceperint, ut iugerum integrum fieret: an dodrante ex Priuernati accepto quadrantẽ Latini agri explerint, ut fieret iugerũ. nisi quis uerbum complerent, pro adijcerent positum existimet, quod equidem nescio. Atque hoc quidem modo intelligeremus in Latino duntaxat bina data iugera, in Falerno autem terna cum quadrantibus. Verum id iudicio lectoris committimus.

Denarios nummos quadragenos quinos.) 139. A. Quòd hæc in casu accusandi legenda sint, fortasse nulli dubium. Cæterũ quod alij decuplo auxerint hanc summam, legerintq́; quadringenos quinquagenos, non item certum. Denos denarios singulis coronatis dabimus Budæana æstimatione: qua supputatione prior lectio minutum quidam singulis tribuit annuatim equitibus, uidelicet coronatos quaternos, cum quinis denarijs: altera uero lectio quadragenos quinos coronatos. At annuam in uniuersos summã immensam 72000. uidelicet coronatorum, posterioribus etiam seculis, quantumuis magnæ ciuitati grauem. Hæc ea de caussa annotamus, ut uetusta exemplaria diligentius introspiciãtur. Nam hæc in omnibus codicibus uariata inuenio, cum equitum, tum summæ pensionis numerum.

Antiates in agrum Host. Ard. Solonium incurs. fe.) 139.A. Solonius ager quis sit, adhuc quæro. Sollinatium ac Solonatium meminit Plinius lib. 3. at nihil ad hunc locum.

Neque in similem materiam rerum & ipsi aut sua.) 139. A. Cum neque dixisset, subiungit aliam sententiam: suspicor defectum esse, quem ego absque uetusti codicis fide non facile restituerim. Id etiam quod sequitur, in campis Senectanis, mihi ignotum: quanquam quidam Fenectanis emendarunt, non minus obscura uoce. Denique legem de plebiscitis omnibus Quiritibus obseruandis, non à Qu. Publilio Philone (ita legendum est, non Qu. Publio, ut passim errant codices) dictatore, sed ab Hortensio latam author est Gellius lib. 15. cap. 27.

L. Furio Camillo, C. Menio.) 139. A. In Diodori Alexandro, pro C. Menio C. Manlius legitur, quod non placet. Nã oportebat alterum C O S. ex plebe esse. Et Plin. lib. 34. cap. 5. Menium habet. Quidam, quòd Menius obscurum sit nomen, C. Menenium legerunt, qui postea dictator fit libro sequente, anno ab Vrbe cond. 441. Quidam & lib. sequente Mænium legunt, non Menenium. Sed fieri potuit ut nomen esset obscurum, quia ex plebe erat, & alius postea fuerit dictator, quapropter cuique libera sit hac de re coniectura. Legendum etiam L. Furio Camillo. II. Nam primum fit anno 406.

Ad Asturæ flumen.) 139. B. Quidam Saturæ supposuerant. Plin. autem lib. 3. cap. 5. ait & flumen & insulam in Latio esse Asturam. Sabellicus Asuræ legisse uidetur.

Camillus ad Pedum cum Tyb. ma. ma. ex maiore meo.) 139.B. Præpositionem, ad, hic tam proprio minoris loci præposuit, id quod in obscuris locis sæpius fit. Cæterum quod ait, maiore mole, haud scio ut intelligatur.

Et Antium ex Volscis.) 139.B. Hoc κατὰ σιωπὴν intelligo, nam ipse antea nusquam dixit: quanquam memoriæ lapsus uideri potest, in tanta cum scriptorum, tum rerum confusione.

Lanuuinis ciuitas data.) 139. B. Lanuuium haud dubie aliud est oppidum quàm Lauinium, quanquam ea inter se haud multum distant. Apud Lanuuium Sospitis Iunonis & templum & lucus erat, ut ex Cicerone etiam ante nos annotauit Sabellicus. In Strabonis codice ea ita corrupte leguntur, qui libro 5. de utroque, ni fallor, differit, ut uerba ea nec latinè nec græcè allegare ausim. Vide Seruium in secundũ libri primi Aeneidos carmen. Lanuuinum autem agrum Horatius nominat lib. 3. carm. ode 27. Tu uide quæ in eo loco Mancinellus. Porrò Liuius hoc loco Lanuuiniorum facit mentionem, quos paulò antè his cum Volscis Antiatibus numerauit. Lauiniorum autem adhuc paulò superius, ubi Milonis prætoris dictum refert de magna mercede Romanis pro parua uia soluenda. Hic autem, cum nominatim omnium pœnam referat, Launiorum non meminit, ut planè in suspicionem ueniam, uel hæc defecta esse, uel Liuium quorundam omisisse multam, quod uerisimilius est.

Cuius

Cuius Capuam esse placuit.) 140. A. Campanos agro mulctatos antea dixit, iussosque equitibus summam quandam soluere: sed de iure conditioneque eorum ne uerbo quidem meminit.

Eo idem anno Q. Publius Philo.) 140. A. Paulò antè admonuimus hunc non Publium nominari, sed Publilium. Publius enim prænomen est, nemo autem duo prænomina habuit. Id ut antè sæpe habitum, ita sæpius postea. Scire tamen uelim ut cum miseris Auruncis actum, pro quorum auxilio tam seuerè dictator creatus, tam leuiter deponitur. deinde cum iis quid actum δι' ὀλίγων narrat nobis Liuius.

Pacem cum Romanis fecit.) 141. A. Qui potuit cum Romanis facere pacem, qui cum eis nunquam bellum gessit? Sed pacē pro amicitiam dixisse fertur, aut fœdus, quod tamen mihi non fit uerisimile. Quidam exponunt, à Samnitibus Romanis fuisse pacem, quòd Alexander ea pugna superior fuerit: uerum Liuij uerba id non ostendunt. Vt ut exponamus, amphibolon est non satis clarum.

Ancilla quædam ad Q. Fabium Max.) 141. A. Nisi κατὰ πρόληψιν hæc accipiamus, non uideo ut hoc excusandum. Nam hic Fabius, Maximi nomen ad finem libri noui acquisiuit, uicesimo septimo post hunc anno. Fieri autem potest ut à scolio aliquo adiectū fuerit. Certe Valerius Max. lib. 2. cap. 2. ubi Papyrij dictatoris meminit, Q. Fabiū hunc Rutilianum uocat, non Maximum: quanquam alibi hoc in eo authore neglectum, sed errore codicum, ut puto, qui nu͂quam nobis non facessunt negotium.

Duæ ex eis Cornelia ac Sergia.) 141. A. Quidam Sergiā pro Seruilia substituerunt: quod si absque fide uetusti exemplaris fecere, haud paruam iniuriam in gentem Sergiam contulerunt. Iidem paulò pòst, Vt se falsum commentam arguerent. in commentatam mutarunt, ubi de ancilla indice loquitur, sed res est nō magni momenti.

In secessione quondam plebis clauum ab dict.) 141. A. Libro septimo, non ita longe ab initio, de fixo caussa sedandæ pestis clauo mentio est: at de secessione plebis nulla prorsus. quanquā huiusmodi apud Liuium multa.

Cuius principio anni leg. ex Volscis Sidicini & Lucani.) 141. A. Pro Sidicinis quidam restituerunt Frabaterni: & sane in uetustioribus exemplaribus ita legitur: & Plin. lib. 3. cap. 5. in agro Falerno Frabaternos ponit ueteres ac nouos. Sed illud Lucani, magis torquet lectorem: paulò antè enim unà cum Samnitibus contra Alexandrum depugnarunt, nec interea usquam de inimicitia eorum mentio. Denique quinto pòst anno Lucani (inquit Liuius) atque Appuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem uenerunt. Id si uerum est, haud dubie pro Lucanis, alius populus qui in Volscis, aut circa Volscos habitarit, substituendus. At qui substitui debeat nihil definio: certe Lucani hic non conueniunt.

Non patriam Fundanos.) 141. B. Hoc rectè emendarunt alij, Fundos legentes, at est in uetustioribus codicib. Est enim Fundanus denominatiuum à Fundis. ut Faliscus à Falerijs.

Bona Semoni Iano censuerunt consecranda.) 142. A. Hæc lectio placet, quasi dicat. Iano semihomini, ut quidam interpretantur. Heros enim erat dimidiatus homo, dimidiatus deus. Quidam tamen editis exemplarib. Semoni Iano legunt, sed librariorū errore, ut puto, uicinitate I & l. Quidam Semoni Sango legunt. qui idem Sanctus, ut diximus in Dionysium.

Tribunatúque plebis prox. comitijs absens petē tibus.) 142. B. Quidam libri tribunatum habebant, ut sit, tribunatum petentibus: sed uidetur coactum. quanquam & præsentibus malim, ut quidam habent codices.

Primo in insulas Aenariam & Pithecusas.) 142. B. Liuius Aenariam hic à Pithecusis separat, quas Plin. lib. 3. cap. 6. unam facit insulam, ab Homero Inarimen dictam: sequitur enim Plinius errorem illum quo Latini poetæ ex duabus unam fecere dictionem, διῃρημένως. Itaque lectori considerandum ut locus Liuij legendus.

Recepta Palæpoli miserat.) 142. B Palæpoli recepta intelligendū. nā Nolanos Samnitésue à Publilio missos Palæpolin, neutiquam quadrat, quippe qui utrique hostes erāt: ergo miserat literis ad senatum hæc millia Palæpoli recepta. est tamen durus sermo.

Quid perplexe agimus, inquit.) 142. B. Quem habeat nominatiuum uerbum Inquit, nō plane uideo, sed mutatus est numerus, nisi dicas quædam desiderari uerba.

L. Aemylius COSS. creat. C. Petilium.) 143. A. Hic Petilius antea bis COS. fuit, anno 395. & 409. quare hoc loco addendum III. quod Caßiodorus non neglexit.

Eodem anno Alexandream in Aegypto.) 143. A. Hoc loco Alexander ædificat Alexandream, qui non longe ab initio huius libri, in alio tractu orbis à fortuna morbo extinctus est. Diodorus Siculus ait Alexandrum extinctum anno primo olympiados centesimæ quartæ decimæ. Caßiodorus autem ait COSS. C. Petilio III. & L. Papyrio Mugillano Alexandriā conditam.

Consentiam ex Lucanis Sipontumque Bruttorū sol.) 143. A. Quidam distinguunt post Sipontumque, ac deinde inferunt Bruttiorum Coloniam Acerinam. Sipontum tamen non Lucanorum intelligo oppidum, sed Appulorum Dauniorum, ut testatur Plinius lib. 3. Cepit igitur Sipontum, ac ex Lucanis Consentiam, denique Bruttiorum coloniam Acerinam: quanquam hoc nomen mihi suspectum. Nam Acerræ oppidum, & Acerrani populi, nihil ad hunc locum.

Corpore regio utcunque mulctato.) 143. B. Ita ferè habent libri: sed D. Erasm. Roterod. præceptor noster mutilato legendum nos olim admonuit.

Eo enim deinde summa rei Græcorum uenit.) 144. A. Obscure dictum, etiamsi à Liuio ita positum est. ut causam antedictorum explicet: neque fœdus hoc notum est.

Et aucto honore triumphus.) 144. A. Alij pro aucto, legunt acto. At ego ingenue fateor me neutrum intelligere: aucto tamen malim nisi quis acto intelligat contrarium negato.

L. Papyrius is fuit.) 144. B. Cognomen omittit multum ad rem pertinēs: sed ipsemet Liuius de hoc dubitat, ut anno 428. & postea anno 435. Porrò hactenus tres L. Papyrij à Liuio numerati sunt, Cursor, Crassus, ac Mugillanus. Cursor cū Crasso dictatore Magister equitum fuit anno 415. quo P. Decius pater perierat. Crassus ipse COS. fuit anno 424. Mugillani autem ab initio, anno 428. & 435. Est & mentio M. Papyrij Craßi anno 422. ubi dictator creatus fuit aduersus tumultū militum. Fortaßis autem & in prænominibus & cognominibus Papyriorum erratum, ut ex uarijs huius belli locis lector facile notabit.

L. Furio Camillo iterum.) 144. B. L. Furius Camillus primum fit COS. anno 406. deinde iterum anno 417. Ergo hic non iterum, sed tertium legendum: nisi quis duos fuisse contendat quod mihi non fit uerisimile.

Q. Fabius Maximus Rutilianus.) 145. A. Duo fuere Qu. Fabij hoc tempore, Ambustus & Rutianus. Ambustus Magister equitum fuit cum dictatore P. Valerio Publicola, anno ab Vrbe cond. 411. Rutiliani autem hic est mentio, & anno 423. ut puto: nisi quis unum esse censeat. Certe nec hic nec in superiorib. rectè additur Maximus, ut antea admonuimus. Porro ambóne fuerint M. Fabij Ambusti filij, nil asseuero. de Rutiliano autem nullū dubium.

Quo tu imperio meo spreto.) 146. A. Illud quo, quid referat, dubium est. Ego distinguendum puto post imperio. & deinde inferendum, meo spreto, si quidem interrogatiue legendum est.

Et patre authore M. Fabio, qui ter COS. & Dict.) 146. B. Qu. Fabio, & tertium COS. quidam libri habebant, sed errant. Fuit autem hic M. Fabius Ambustus primum COS. anno ab Vrbe cond. 395. iterum anno 399. tertium anno 401. dictator autem semel anno 404. & pater Rutiliani. M. uerò Fabius Dorsuo, alius fuit COS. anno ab Vrbe cond. 410. Post aliquot uersus legendum, cum omni agmine principum.

Capite anquisitā ob rem bel. ma. gest. de imper. null) 146. B. Quidam hoc nullo, in nullum mutarunt, quod mihi non placet, nisi quis anquisitum substantiuum indicet, ut decretum, & similia. quod mihi non fit uerisimile.

Digressum cum tēplo lætus sen.) 147. B. Vide quid hic templū significet. Paulò antè dixerat: Ex curia in concionē itur, quò cum paucis Dictator, cū omni agmine principum magister equitum cum

tum cum

tum cum ascendisset, deduci eum de rostris Papyrius in partem inferiorem iussit, secutus pater, &c. Quidam curiam Hostiliam intelligunt.

Q. Aemylium Caretanum.) 148. A. In plerisque libris Aurelius legitur, anno ab Vrbe cond. 435. Sed ego Aelius ubique de hoc Caretano legendum puto. Aulus, quia prænomen est, prorsus non quadrat. Aulius fortaßis magis quadraret, quod quidam substituerunt.

Cæterum fortuna Samnitium uix à seipsis.) 148. A. Sed quomodo uix à seipsis propulsantium bellū, qui statim sequente anno, tanto exercitu Romanos aggreßi sint? aut quomodo Appuli tam cito defecissent, qui superius unà cum Lucanis in amicitiam Romanorum uenerant: imo posteriore libro statim post initium boni ac fideles socij appellantur, Hæc ut Liuio diuisa sint temporibus, iudicet lector.

Nec quenquam ex Pollia tribu candidatum ferme Papyriam.) 148. A. Moguntinus codex pro papyriam habebat suffragia, quod melius intelligitur. At ego locum corruptum ualde uereor.

FINIS.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM NONVM, HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



Tito Veturio Caluino, Sp. Posthumio COSS.) 149. B. Adijciendum utrisque iterum, ut Cicero lib. 3. Officiorum habet, quanquam apud eundem in Catone maiore omissus est numerus, errore, ut puto, librariorum. Fuere autem hi COSS. antea anno 421. ab Vrbe condita.

Non bona sequentia domini deditionem exatient.) 149. B. Quidam exatient, in exatiant temere mutarunt, cum hæc tria uerba, sint, exatient. nequeant, uelut uno tenore de Romanis in coniunctiuo dicantur modo.

Circa Caudiū castra quàm potest occult. locat: inde ad Gal.) 149. B. Cicero item 3. lib. Officiorum Caudium uocat. Meminit & Horatius Saty. 5. libri primi sermonum. Caudinos Plin. lib. 3. cap. 11. numerat. Galatiam autem, siue, ut alij, Calatiam, nescio quis alius commemoret. Suspicor Calorem fluuium (cuius Liuius de secundo bello Pun. bis meminit, ubi de Sempronio) legendum esse, qui est prope Beneuentum. Galatiæ rursus meminit lib. 3. de secundo bello Pun. Sed & hæc topographia clarior esse poterat.

Luceriam omnibus copijs circunsidere.) 150. A. Mirum est ne uno quidem uerbo huius oppidi antea meminisse Liuium, cum hic Romanas legiones, ut illi auxilio adessent, in periculum uenisse commemoret. Si ea est urbs quæ Apulorum Luceria dicitur, haud dubie in Romanorum amicitiam cum alijs Appulis anno ab Vrbe cond. 428. uenit, quibus quarto post anno Romani auxilium contra Samnites tulerunt, ut Liuius quosdam tradidisse ait, quanquam ipsi tum non ita uisum. Sed hæc illorum opinionem egregie confirmant, immerito à Liuio reiectam. Porrò hoc quoque strategema de decem militibus in pastorum habitu missis, mihi suspectum. Quis enim tam manifestum periculum adeat sine certo præmio, aut spe maiore atque hic ostenditur.

Quem per annos iam prope XX. uincimus.) 150. A. Samniticum bellum cœpit anno 412. & nunc agitur annus 433. Ergo rectè Liuius per XX. annos dixit, quod nuper corruptum est in XXX. annos ab nescio quo minus attendente.

Seruate modo quos ignominia irritaueris) 150. B. Alij seruauere, alij seruate legunt, neutro satis claro sensu. Vult autem priorem sententiam ipsis persuasam, ut uerba statim sequētia indicant, Aut si Romanos seruare uolent, ut contumelia non irritent: cuius causam mox subiungit.

Dictum Offilius Acalanius Oui filius.) 151. B. Sunt qui contendant, aut Offi. pro Oui. legendum esse: aut Ouilius, & non Offilius. Id ego lectoris iudicio relinquo. Cæterum Calauius, nō Acalanius legendum.

Laticlaui, annuli aurei positi.) 152. A. Plin. libr. 33. cap. 1. Romæ longo tempore inter priuatos nullos fuisse annulos scribit aureos, publice quidem legatis datos, triumphantes autem ferreis usos, atque ita triumphatum à C. Mario, nec ab eo sumptum aureum annulum ante tertium consulatum.

Q. Fabium Ambustum dixerunt.) 152. A. Hoc tempore duo M. Fabij, Ambustus & Dorsuo fuere. Duo item Q. Fabij, Ambustus ac Rutilianus, ut priore libro admonuimus. Vtri autem utrorum filij fuerint, mihi non liquet. certe nemo Maximi adhuc habuit cognomen. Rutilianum ideo à Liuio Maximum uocatū κατὰ τὴν πρόληψιν, ut antea diximus, ut hic mox de interregibus probant.

Is COSS. creauit Q. Publium Phil. & L. Pa.) 152. A. Publilium legendum, non Publium, ut sæpius quam oportuit, nunc admonuimus, ac addendum, tertium: fuit enim iterum anno ab Vrbe cond. 427. ut ipse Liuius fatetur. Idem Papyrio Cursori hic addit iterum, cū anno 428. Mugillanum posuerit, de Cursore dubitauerit, quemadmodum & postea dubitat de Papyriorum cognominibus, anno 435.

Tentata paulisper intercesßio est à L. Liuio, & Q. Melio.) 152. B. Cicero lib. 3. Offic. hos tribunos aliter nominat, T. Numitium, ac Q. Aemylium, si codices non fallunt, ut sæpe solent.

Deuotioni P. Decij COS. & alijs cla. fa. æqua.) 153. A. Quidam sustulerant coniunctionem & sicut paulò ante, Vitalia hæc capita luendæ sponsioni feramus: ubi illi sponsiones legunt: Hæc omnia prosequi, non est huius propositi, & multa huiusmodi uolentes omittimus.

Quandoquidem hisce homines iniussu popu. Rom.) 153. A. Hisce homines quidā pro huiuscemodi homines exposuerunt, atque ad hoc Terentium allegant: hisce hoc munere arbitrantur suam Thaidem esse. Verum in Terentij carmine, uel isce arbitrantur, aut ijce arbitrantur, legendum est. Grammatici præcipiunt ce particulam tunc addi pronominibus, quando in s literam casus terminantur, ut hosce, hasce, huiusce, hisce. At ego puto in solennibus illis uerbis non tam superstitiose inquirendum esse.

Papyrius in Apuliam ad Luceriam.) 153. B. Ab initio huius libri hæc urbs amica erat Romanis, ut eorum exercitus propter illam in periculum uenerit: quanquam nusquam antea narrauerit, quando aut quomodo in Romanorum amicitiam uenisset. Nunc hoc loco ita amica est Samnitibus, ut non dubitarint Romanorum obsides illic deponere, cum tamen ne uno quidem uerbo innuerit Liuius, quomodo & quando à Romanis defecerit, etiamsi intelligimus post Caudinam pacem id forte factum. Item statim pòst cum ait: Publilius in Samnio substitit aduersus Caudinas legiones, codex Moguntinus habebat, adducens Caudinas legiones, ut intelligamus eas quæ ad Caudium inclusæ fuerāt. alioqui Samniticas intelligamus necesse est.

Contemptu cultorum molliore.) 154. A. Non est obscurum quid uelit dicere: uerba ipsa subobscura sunt. Nam quis dicere audeat, contemptu molliore, pro hominibus molliorib⁹, quos Samnites ob mollitiem cōtemnebant? Quæ deinde item sequuntur uerba, non minus obscura sunt.

Aut interiecta inter Romam & Arpros penuria.) 154. A. Vide quid hic dicere uelit. Quomodo enim penuria interiacet Romæ ac Arpis? Sit sanè figura, ut in priore annotatione, sed mihi in hoc annotata, ut exemplaria uetusta diligentius inspiciantur,

At obsesßis

Atobsessis priusquam alter C O S.) 154. A. Illud at, alij mutarunt in &, quod non admodum probo. De C O S. autem Publilio loquitur, nec obstat quòd eius nomen statim sequatur.

Luciúsne Cornelius Dictator.) 155. A. Duorum. L. Corneliorum antea meminit Liuius, Scipionis, ac Lentuli. Scipionis anno 405. ac 422. Lentuli autem anno 427. Dubium igitur hic de utro loquatur.

Cum Q. Aurelio Ceretano iterum.) 155. A. Anno ab Vrbe condita 431. Q. Aemylium uocare uidetur, & in quibusdam annalibus Aulum dictum: quod ego errore codicum ita legi puto, pro Aelio, aut Aulio: & item anno 440. Et illud, iterum, referendum ad C O S. Ceretanum, quippe qui ante etiam C O S. fuit: tametsi Papyrius ante quoque rem bene gesserit, ut illud iterum ad eum referri posse quibusdam appareat, sed mihi non probatur.

Nam cum ad moenia Satricæ.) 155. A. Hic Satricam genere fœminino dicit, cum supra libris duobus sexto ac septimo, neutro genere protulerit: nisi quis dicat diuersa oppida, Latinorum Satricum, Samnicum uerò Satricam. aut pro Satrica, Satricula legendum: unde tamen paulò pòst, ubi Satricula ab L. Aemylio oppugnatur, Satricanus dixit Liuius: nisi codices in his quoque errent, ut plane suspicor. Vnde quidam hic Satrici legunt, non Satricæ.

Eadem nocte portam etiam consulibus aperuerunt.) 155. A. Consuli legendum, non Consulibus. solus enim hic Papyrius erat. Alter C O S. Ferentanorum urbem oppugnabat. Probant item ea & sequentia, & præcedentia.

Quæ cognomen etiam dedit, pictorémque cursu.) 155. B. Hæc ita à Liuio scribuntur, quasi Papyrius hic primus id cognominis meruerit, cum multi ante Papyrij Cursoris nomen habuerint, nempe primum quem Liuius commemoret, puto anno ab Vrbe condita 370. & Censoris nomen anno 363. quod etsi ibidem omissum, tamen à Liuio postea in oratione Sempronij tribuni plebis Appium incusantis ponitur, anno 445.

Quem iuuenes duo quibus cum Alexandro.) 156. A. Cum eiusdem prope ætatis uiros numeret, non satis certo sciri potest, quinam illi sint iuuenes. At ego Torquatum ac Coruinum designari puto, quorum alter quinto post Camilli mortem anno, alter decimoseptimo, singulare cum Gallis habuere certamen. Quod etiam aliquot uersibus antecessit, si Punicum Romano preuertisset bellum: non admodum clarum, præsertim illud, Romano.

Saltus Appuliæ, ac montes Lucanos cernenti.) 156. A. Liuius Appuliæ saltus Tauri montis uerticibus comparat, & Italiæ quartam partem tot regionibus quas uicit Alexander. Non mirum si doctißimo illi seculo risum mouerit, cum nostra ætate quibusdam hoc displiceat. certe affectui suo aliquid dedit, sed iudicent doctiores.

Miremur si cum ex hac parte secula plura.) 156. B. Videtur Liuius accepisse seculum pro ætate. Nam pro centum annis non erit hoc uerum quod ait: sed ætates populi Romani sunt duplo plures quàm anni Alexandri ab Vrbe condita usque ad Liuij tempora. Octingentesimum autem per Auxesim dixit, neque enim ipse Liuius tandiu uixit, ut non cauiller interim sub Numa Pompilio non bellasse eos.

Censebantur eius ætatis lustris ducena.) 156. B. De hoc numero quid dicam nescio: ipse certe author aliquot libris nullũ retulit nobis censum. Libro tertio bis retulit, sed numero haudquaquam conueniente cum L. Floro. Decem uerò Legionum ex urbano exercitu, mentio est anno ab Vrbe condita 406. At libro 8. ubi orbo exercitus descriptus est, quatuor legionum urbani exercitus meminit, quatuor item Latinorum. nec satis liquet in tanta urbis neceßitate, cur non meminerit etiam decem legionum, nisi ad urbis custodiam quis reliquas detentas dicat. Præterea L. Lentulus, cum duo consulares exercitus apud Caudium obsiderentur, quas ego quatuor intelligo legiones, authoribus Polybio, Dionysio, Halicarn. ac Vegetio, fassus est illic patriam esse, & quicquid Romanarum legionum, & quæ sequuntur in eo loco reliqua: Et Antiochum magnum quatuor legiones uicere. Et quanquam ea rhetorica arte excusationem accipiunt, lectoris tamen animus suspensus manet.

Et imbellem Asiam quæsisset.) 157. A. Vide ut acceperit illud, quæsisset, & num pro quæstus esset: quod ipse tamen non memini legere.

Nam Florento quoque ualido oppido.) 157. A. Quidam Tarento restituerũt, sed non rectè, ut puto. Nondum enim Tarentum in manus Romanorum uenit. Fortaßis autem Frentone legendum ex Plin. lib. 3. cap. 11. Quanquam eo in loco Plinij uaria est lectio. Horatius autẽ lib. 3. Car. Ode. 4. Ferenti meminit, si quis forte hoc putet, est enim in Appulia. Paulò antè etiã Theates hic Liuius ponit Appulos, quod nescio an quisquã alius. certe Plin. lib. 3. cap. 12. Teatinos in Marrucinis numerat, quorum oppidi Teatæ etiam meminit Ptolemæus. Sed hæc & similia omnia prosequi eius est qui commentarium scribit.

Cæterum Dictatori L. Aemylio legi. tra.) 157. A. Mirum uerò quòd ita non narratur causa creationis huius, sicut nec paulò pòst Fabij, ut plane suspicandum hunc locum esse mutilum. Nos in Chronologia nostra huic Dictatori annũ dedimus, quem alij septimo post hunc anno ei tribuunt, ubi tamen Liuius manifestè scribit Fabio consulatum continuatum, de dictatura ne uerbum quidem faciens.

Hinc Satricani magno cum tumultu.) 157. B. Satricula hic oppugnatur, à qua denominatiuum erat, opinor, Satriculanus, & à Satrica Satricanus, ut antea Liuius usus est. Satriculani igitur hoc loco legendum uidetur. Admonuimus paulò antè etiam nonnihil de hac re lectorem.

C O S S. non sicut superiores Romæ manserunt.) 157. B. Mirum & hoc loco Consulum omissa esse nomina, authorisne, an temporum culpa, hæsito. Cæterum Fabij dictaturam non uidetur potuisse annuam absque C O S S. Sed non est dubium historiæ hic aliquid deesse.

Id belli tanti ducere quod urbem oppugnabat.) 157. B. Quid certe sibi hoc uelit, uix equidem planum facere possum, etiamsi uerba clara sint.

Sic fortuna exercuit opes, ut insignis utrinque clad.) 157. B. Si uerbum ederet nominatiuum habet fortuna, necesse est ut insignes utrinque clades legamus. Sin autem, insignis nominatiuus est, copula &, abundat.

In Aulium temere inuectum per hostium turmas.) 157. B. Aelium quidam legendum putant. Cæterum hoc in loco per aliquot uersus uide ut congruant quæq; præcedunt, quæq; sequuntur. primum in eum tela coniecerunt, deinde fratri dederunt, denique ille eum trucidat. Porrò qui uiuum eum retinere potuerunt, atque adeò dare occideréque, eius cadauere potiri non potuisse mirum uideri potest. Præterea amphibolon est in genitiuo Samnitium imperatoris, fratrine Imperatoris, an ulu decus Imperatoris Samnitium.

Suffectus in locum Aulij.) 158. A. Qui in superioribus pro Aulio emendarunt perpetuo Aemylium, hoc loco id facere supersederunt. Ego sane non Aurelius, non Aemylius, non Aulus, sed uel Aelius uel Aulius legendum censeo. Mirum uerò quòd ea omnia ita uariata in codicibus de uno hoc reperias.

Ausona, Minturnæ & Vestina urbes erant.) 158. B. Anno ab Vrbe 419. hic noster Liuius ait Cales urbem Ausonum fuisse, quæ proximo deinde anno à M. Valerio Coruino expugnata, colonia Romana facta est. Plin. autem lib. 3. cap. 5. ubi de Latio, Ausones habuisse sedem inter Circeios ac Lirim amnem scriptum reliquit. Hæc omnia diuersis temporibus fieri poterant, sed tamen iudicet lector.

Quod execrabile in his captos esset.) 159. A. Quando initio huius libri, ut antea diximus, Luceria Romanis amica esset uerisimile est fœdere non oppugnatione Romanorum factam. quod Liuius tamen speciatim de hac urbe non meminit, de Appulis tamen non omisit anno 428. Deinde eadem urbs Samnitium facta est, uidelicet in quam Samnites Romanorum obsides ponere non dubitarunt. Id autem intelligimus actũ dum ad furculas Caudinas Romani obsidebantur, etiamsi Liuius ne uerbo quidẽ me-

minerit. Rursus deinde Papyrius Cursor cepit: sed cũ a damnites rursus defecisset, hic secundario capitur. Ter igitur Romanorum fuit, sed bis capta.

Commota pedestri acie Samnitium, eques in pug.) 159. B. Incerta est distinctio in genitiuo Samnitium. Nam & ad acie, & ad eques refertur: de utrisque enim loquitur, non de Romanis: quale propemodum illud Virgilij: Nec latuere doli fratrem Iunonis & iræ.

L. Papyrio Cursore, C. Iunio Bubulco iterum.) 160. A. Quidam post Cursore, adijcere V. Sed Liuius duobus in locis dubitat de Cursoris cognomine, annis 428. & 435. Tertió omisit eius nomen anno 440. Nos tamen in Chronologia nostra Cassiodorum secuti, Quintum posuimus.

Dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit.) 160. A. Dictatorem nominat absque magistro equitum, cum authore Dionysio, nunquam Romæ hoc factum sit. Id etiam libro primo admonuimus.

Q. Fabius insequentis anni COS.) 161. B. Hic addendum, iterum. Nam primum fuit anno 432. postea veró adhuc ter. Maximi nomen ad finem huius libri meruit, quanquam in prioribus sæpe huic appositum est, sed perperam, meo quidem iudicio, ut antea etiam admonuimus.

Quæ uelut fatalis cum tribunis ac plebe erat.) 161. B. Non cum tribunis ac plebe erat Appiana familia, sed contra tribunos ac plebem: ergo cum tribunis aut contendens, aut bellatrix intelligendum. Alij legunt tum tribunis ac plebi, eodem sensu, sed luculentioribus uerbis.

Nam etsi tenuerit lex Aemylia.) 161. B. Nisi hæc cauillatio reuera est, non uideo quomodo hic locus intelligendus, nisi forte quis aliquid ei deesse suspicetur, quod equidem nescio: id tamen etiam in oratione Decemuiri accidit lib. 3.

Tertio nec ab se, nec ab ullo creatus.) 161. B. Hic quintus poterat esse locus ad ostendendum Decemuiros tribus regnasse annis, quemadmodum lib. 3. ostẽdimus: sed satis est probationum.

Cum centesimus iam annus sit ab Mamerco Aemyl.) 162. A. Non omnino rotundum exhibuit numerum, id quod in orationibus sæpius fieri solet. Aemylius enim hanc legem tulit anno ab Vrbe condita 322. hic autem annus est quadringentesimus quadragesimus quintus.

Nuper intra decem annos C. Menius dictat.) 161. B. Hic quintus est annus. Nam Menius Dictator fuit anno ab Vrbe condita 441. hic autem, ut iam diximus, 445. quare locus haud dubie corruptus est. Nec obstat, quod iam diximus numeros nõ ubique esse rotundos. duplo enim hic auctum numerum quis ferret? nisi diuersos sit authores secutus Liuius. Menius autem, siue Mænius, trisyllabon legendum.

Quam nuper fuere Germanici saltus.) 162. B. Syluam Hercinium, opinor, uult dicere, cuius magnitudinem si Ciminiæ syluæ comparat, impar erit, ne dicam inepta comparatio. Si densitatem, qui id scire potuit Liuius? Id uero haud immerito optimo cuique mirum uideri potest, qua uia Galli tam cito à Clusio Romam uenire potuerint, si hæc tam horrenda sylua penetranda erat. Quód si aliud iter ex Hetruria Romam ducebat, qua de causa Q. Fabius COS. eo non est usus? Longius erat, inquies, quid tum postea? Veturius Posthumiusque non erant in oculis? sed hoc est historiam scribere. Quid autem sibi uult quod ait, neminem præter ducem ipsum intrare ausum, qui hic non intrauit? Deinde, omnibus alijs cladis Caudinæ, nondum memoriam aboleuisse, statim autem Consulis fratrem speculatum se iturum professum? hæc qui cauillari uolet, nonne habet quo se tueatur?

Ibi, qui essent, fuerit Romanum ausum.) 163. A. Vide unde pendeat hoc participium, ausum: non enim à uerbo dicuntur, sed supplendum, fama est, aut quid simile.

Quæ extra saltum dispositæ erant.) 163. A. Superius ait, in syluam fusos confugisse hosteis, & COS. Fabium potitum hostium castris. hic veró ait, extra saltum dispositas hostium stationes. Præterea quid opus erat hac Consulis simulatione, cum ipse hosteis fuderat, castrísque exuerat? Deinde quo pacto hosteis ludere poterat, cum ipsi per syluam eundum esset, in quam illi confugerant?

Itaque quantus nunquam antea exercitus ad Sutrium.) 163. A. Quod quidam pro nunquam, reposuerunt, non unquam, res est non magni momenti. Illud mihi magis considerandum uidetur, quónam in loco hæc subsequens pugna, quod etiam apud ueteres dubium fuisse ipse author fatetur, facta sit. & amphibolon de industria fecisse credimus Liuium. Exercitus enim iam uenisse ad Sutrium uidetur, cum Fabij tamen reditus nusquam hic describatur, nisi quis hæc uerba ita torqueat, Ad Fabium ultra Ciminiam syluam tantum uenisse exercitum, quantus antea nunquam ad Sutrium uenisse memoretur. Nam ad Perusiam pauló pòst ad finem huius anni depugnat.

Papyrius D. Iunium Bubulcum.) 164. A. Pro D. quidam emendarunt C. Iunium, qui ter COS. fuit, sed poterat & alius esse. Porró quæ sequuntur uerba, in codice Aldino egregie corrupta habebantur. Nam pro, diem diffudit, diem diffidit in eo legitur, fortaßis ex Angeli Politiani eximia ista scilicet emendatione cap. 41. Miscellaneorum, de qua iure eum increpat Guil. Budæus annotationibus in Pandectas, apud quem Budæum, quid sit diem diffundere, copiose explicatum reperies. Admonuit nos eius loci eximius uir D. Georgius Amelius Marcomannus compater meus, doctæ lectionis ac ueræ eruditionis columen. In eodem Aldi codice pro his uerbis, quód saucia, positum erat, quæ id efficiat. At Budæus legit Faucia curia. quod cur id faciat, nescio. Porró quæ proxime sequuntur uerba, uarie leguntur, sed ex quibus nullum potui elicere sensum. Si, quid curiæ uocabulum hoc loco significaret, planum esset, facilius ea intelligerentur. Denique legis curiatæ aliquoties mentionem facit Liuius: at quæ ea sit, nusquam explicat. Curiata comitia erant, quando uiritim inibantur suffragia per tribuum curias, ut ex Dionysio colligitur, quibus Camillus de exilio reuocatus dicitur lib. 5. & lex ibidem Curiata lata est, dictatórque absens dictus.

Nam & cum Vmbrorum exercitu acie depug.) 164. A. Non est dubium quin præcedentia uerba de Dictatore in Samnio res agente sint dicta, & nunc de Vmbris sine ulla digreßionis nota loquitur, eósque fusos ait, de quibus postea dicturus est, Tranquillas res iam Hetruscis turbauit repentina defectio Vmbrorum, gentis integræ à cladibus belli. Quare suspicor pro Vmbris populum hic aliquem Samnitium legendum, etiamsi mihi non liquet quis substituendus. Deinde nouam digreßionem incipiendam, Et ad Vadimonis lacum, &c. quomodo Liuius sæpius orditur.

Galeæ cristatæ.) 164. B. Quidam emendarunt, galeatæ cristæ, temere meo quidem iudicio. Videndum etiam quam bene habeant quæ præcedunt uerba. Spongia pectori tegumentum, neutrum enim intelligo.

Fabio ob egregie perdomitam Hetruriam.) 164. B. Perdomitam ait, quæ nondum domita erat, quippe in quam nunc mittitur exercitus consularis. Cæterum Decio hic addendum iterum, Fabio III. Valerio prætor hic additur quartum, quod de prætoribus rarum est.

Profectus ad Nuceriam Allifates.) 165. A. Vide num legendum ad Luceriam, quæ Romanorum colonia iam erat. Nam Nuceria longius abest in Picentibus, etiamsi tres Nuceriæ à Ptolemæo referantur. Sed quam ipse Appulorum facit, eam puto Luceriam dici, cuius & Horatius in Odis meminit. Hoc autem de Allifa & Allifatibus mirum. Capitur Allifa anno ab Vrbe condita 428. & 445. Hic Allifates subiguntur, cum de eorum defectione uix ullum habeamus uerbum.

In agro Pupiniensi.) 165. A. Quidam Pupiniensi restituerunt, sed nihil certi adferre possum.

Plaga una (materiam ipsi appellant.) 165. A. Plaga hic haud dubie militiæ nomen, & fortaßis quod πλαγίαν uocant Græci, aciem quadratam altera parte longiorem. Certe uox hæc à Liuio ita ponitur quasi omnibus nota, cum ipse nusquam antea, quod sciam, eam usus sit.

Trinis castris intra paucos dies exuti.) 165. B. Ita libro 5. Antea (inquit trina loca cum contentione summa patritios explere

plere solitos. Laurentius Valla de lingua Latina meritißimus, de hoc nomine dubitare ausus est lib. 3. elegantiarum, quasi non ex eorum numero quæ nominibus tantum pluralis numeri addantur. At hic locus de trinis castris satis conuincit esse de eorum classe. Addam exemplum aliud ex Cæsare lib. 5. de bello Gallico. Ipse cum tribus (inquit) legionibus circum Samarobrinam trinis hybernis hyemare constituit.

Et cum Carthag. eodem anno fœdus tertio ictum.) 166. A. Polyb. lib. 3. ait primum fœdus cum Carthaginensibus ictum sub primis COSS. quod Liuius omisit. Tertium autem ictum eo tempore, quo Pyrrhus rex in Italiam traiecerit. Liuius hoc anno, tertio ictum. Antea etiam anno 407. Sed primúmne an secundò, incertum.

HOS COS. Piso. Q. Fabio, & P. Decio suggerit.) 166. B. Siquis dubitet, curæne fuerit Liuio ut annales per COSS. nomina diligenter describeret, habet hic opinor satis luculentum exemplum. Quare trium annorum Consules omissos lib. 2. ab Vrbe condita, puto iniuria temporum, non Liuij negligentia accidisse.

Tifernum Posthumius, Bouianum min.) 166. B. Cum ambo COSS. in Samnium missi sint, necesse est Tifernum in Samnio oppidum esse, cum omnes authores Vmbrorum esse oppidum diuerso cæli tractu fateantur. Fieri tamen potest, ut duorum oppidorum hoc sit nomen. Libro etiam sequente Liuius montem in Samnio Tefernum perhibet. Est & apud Plin. lib. 3. cap. 11. Tiferni amnis mentio, cuius meminit & Ptolemæus apud Garganum. si codices non errant.

Et Bouianum, ubi postero die cœptum oppugnari.) 166. B. Hoc oppidum anno 444. rursus postea anno 455. capitur. ita Liuius ter captum memorat, cum ne semel quidem defecisse usquam scribat.

Eo anno Sora, Arpinum, Cessentia recepta.) 166. B. Quidam Censennia restituerant, quod nescio quam bene. quidam Consentia, quod minime quadrat, est enim Consentia Brutiorum oppidorum longe à Samnitibus. Vide num Esernia legendum, cuius in Samnitibus meminit cum Ptolemæus, tum Plinius.

Eodem anno C. Flauius Cn. filius.) 167. A. Quidam etiam filium Cn. uocant. Gellius lib. 6. cap. 9. non Cnei, sed Annij filium ait. Ita Cicero ad Atticum lib. 6. Cæterum quod hic rursus de aureis annulis nobilium Liuius tradit supra contra Plin. esse ostendimus.

Vt equites Idibus Quintilibus transueherentur.) 167. B. Satis cõcise hoc tradit, quod Dionysius libro sexto post pugnam ad Regillum lacum copiose narrat. Meminit & Valerius Maximus libro 2. cap. 1. Trabeatos (inquiens) equites Idibus Iulij Q. Fabius transuehi instituit. Quo in loco etiam tribus IIII. à Q. Fabio descriptas memorat, cum paulo ante de equestris ordinis spectaculo disseruisset, sed alio apparatu quàm Idibus Quintilibus.

IN T. LIVII PRIMAE DECADOS LIBRVM DECIMVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



SORA atque Alba coloniæ deductæ.) 167. A. Quidam mutarunt hos casus in accusatiuũ, Soram atq; Albam, sed inepte, meo quidem iudicio, cum id genus loquendi per nominatiuum sæpius apud authores inueniatur, atque adeò maxime apud hunc, ut præter alia innumera loca, præcedente libro anno 442. ita ait: Suessa & Pontiæ eodem anno coloniæ deductæ.

Thurias urbem in Salentinis cepit.) 168. A. Omnes fatentur Thurium neutro genere, uel Thurij masculino genere, oppidum esse magnæ Græciæ, ut uidere est apud Strabonem lib. 6. etiamsi initio fere eiusdem libri supra Thurios fateatur regionem esse, quæ Thuriana (sed corrupte id ita legitur, Tauriana enim legendum) uocetur. Fieri autem potest, ut & in Salentinis eius nominis fuerit oppidum.

Ostium prealti fluminis, quo circumagi, &c.) 168. A. Hæc uerba adhuc exploratorum puto: sed quidam, poßint uerbum, sustulerunt ante uerbum uidisse, sine quo sensus non constat. Meduacus autem nomen non temere apud authores reperias. Boccatius Venetorum ait flumẽ haud dubie hoc ex loco, nihil præterea addens. Quod autem Patauinos metu accolarum Gallorum semper in armis fuisse Liuius dicit, causa innuitur cur ita ubiq; Gallos eleuet. Sed ab historico abesse oportebat odium. Ex hoc item loco satis apparet quantum luminis sensui adferat uel addita uel detracta aspiratio in ostium & hostium.

In quem colonia Carseoli deducta erat.) 168. B. Postea anno 455. ab Vrbe cond. rursus deducta refertur. credo memoria lapsum Liuium, non bis deductam coloniam. quatuor enim duntaxat anni intersunt, nec usquam interea amissa describitur.

Cæterum ex Maximi communi cognomine.) 168. B. Collatio est Q. Fabij ad M. Aemylium Paulum, non ad M. Valerium Maximum. Quare hæc Liuij suspicio de nomine Maximi, minime congruit.

Milioniam, Plistiam, Fresiliam intra p. d. cep.) 168. B. Quidam codices Milioniam habẽt, ac fere uetustiores. Cæterũ postea anno 459. Samnitium oppidum dicitur, Plistia item superiore libro, anno 440. hic (si dijs placet) Marsorum. Neque uero perpetuo audiri oportere puto diuersorum oppidorum fuisse nomina, sed credibilius est in his uel errare codices, uel memoria lapsum Liuium: utrunque sane non multum abest à uero.

Castra in agrum Rusellanum promouit.) 168. B. Meminit Rusellæ Ptolem. & Plin. item Rusellæ coloniæ. Eiusdem agri item hic noster author in hoc adeo lib. anno ab Vrbe cond. 459. ubi tamen codices fere legunt Rosellanum.

Et super alios alij nunciant dictatori.) 169. A. Vide ut hic sermo statim uersus est. Præcedẽtia enim uerba manifeste de Hetruscis dicuntur, hæc autem omnino de Romanis. Neque enim Hetrusci dictatori nunciant omnes legiones Hetruscorum capeßisse pugnã. Sed certe coniunctio Et, nouæ digreßionis est nota, quod superiore quoque libro admonuimus: nisi quis mendam in hoc loco putet. Illa etiam uerba quæ continuo sequuntur, Cæterum satis fretus: etsi intelliguntur, duram tamen habent compositionem.

M. Valerio, & Q. Apuleio COSS.) 169. A. Et hic rursus Valerium absque cognomine profert, ut anno ab Vrbe cond. 443. fecerat, & his, hoc adhuc anno, & sequenti. quanquam Maximus hic fuit Dictator, ac illi consulatus duobus sequentibus annis datus uidetur. Id unum apud me dubium, num Coruinus etiam Maximus sit cognominatus, an alius quispiam M. Valerius cum Coruino hoc tempore uixerit ex eadem familia. Nam à quadringentesimo ab Vrbe condita anno, nouies in magistratu M. Valerij nomen reperias: sed Coruinus anno 407. primum fit COS. in sex sequentibus locis aliquis alius semel fuit COS. non Coruinus. At qui ex illis locis sit, non satis liquet, suspicor tamen anno 443. Alioqui Coruinus hic erat VI. COS. ac anno sequenti VII. quod non uidetur uerisimile. Nemo enim ante C. Marium septies COS. fuit Romæ, authore Plutarcho. Plinius sane lib. 7. cap. 48. à primo Coruini consulatu ad sextum usque ait interceßisse annos 46. quod ego intelligo non connumeratis extremis. At hic annus est 47. Quare sequenti, non hoc anno, puto

Coruinum sextum fuisse C O S. ubi Torquato subrogatus fuit: & uel hunc locum, uel eum anno ab Vrbe condita, 443. ut diximus, de alio intelligi Valerio. Sane lex de prouocatione, à Coruino magnæ authoritatis uiro lata uideri potest. Et fortaßis Dictatori prioris anni male additum Maximus. Nam & Liuius in comparatione illa ex nomine Maximi orta, lapsus uidetur, ut paulò antè demonstrauimus. Sane Liuianus codex in his oppidò negligens est, authorisne culpa, an temporum iniuria, ignoro.

Qui cum eadem ferme de iure patrum ac pl. 169.B De iure patrum contra legem Liciniam dixerat Appius ad finem libri 6. Sed de iure plebis pro eadem lege tribuni pleb. Quare hoc loco, dixissent, numero pluratiuo legendum, quod quidam codices neglexerunt. Et quia libro sexto Liuius Appij bene longam, omissa tribunorum, posuit orationem, hic eidem usum puto operæpretium esse, ut Decij poneret, omissa Appij, non eiusdem, sed Censoris, ut puto. Intercesserunt enim anni plures L X.

C. Martius, T. Publius.) 170. A. T. Publilium legendum puto, quod antea toties de Q. Publilio Philone admonuimus: erant enim Publilij ex plebe, & ex Publilius quàm cito factum Publius?

Eodem anno ab Hetruscis aduersus inducias.) 170.B. Biennio ante, C O S S. M. Liuio, & C. Aemylio, induciæ datæ erant Hetruscis ad biennium, ab dictatore M. Valerio, quo pacto igitur parabant bellum aduersus inducias? Vide etiam num legendum ulla, pro alia, in continuò sequentibus uerbis: non enim alioqui facile intellecta.

Bouianum inde aggressus.) 171.B. Hoc oppidum bis antea captum à Romanis 444. & 449. quod admonemus ob fidem exemplariorum. De Carseolis iam admonuimus.

Quæ intra decem annos eundem C O S. refici.) 171.B. Hic undecimus est annus, quo Q. Fabius C O S. fuit, nempe anno 446. Licuit igitur eum rursum C O S. fieri hac lege nõ impediente. Sed fortaßis Liuius oblitus fuit, secutus est Pisonis ordinem, de quo anno 449. Id multo mihi dubiũ magis, quandónam hæc lex fuerit lata, cum anno 446. in hoc ipso Fabio, prioribúsque adeo annis raro obseruata fuerit, nec posterioribus item temporibus, ut Consulum nomina recensenti facile apparet. Annotauimus simile quidin Chronologia nostra de posteriore Scipione apud Florum lib. 56. in epitome, anno ab Vrbe cõd. 620.

Igitur non fefellere ad Tifernum.) 172. A. Admonuimus de hoc, priore etiam libro. Ex hoc sane loco oppidúmne sit, an mons, an fluuius, sciri non potest, Ptolemæus fluuium facit, Liuius montem postea, atq; hæc non in Vmbria, ubi Tifernum oppidum omnes fatentur.

Fabius etiam urbem Gimeram cepit.) 172. B. Varie hoc in exemplaribus legitur, cæterum certi nihil: uidẽda sunt exemplaria uetustiora, & fieri potest ut nomen cum loco interierit.

L. Volumnio & App. Claudio C O S S.) 172.B. Legendum, iterum C O S S. hoc quod ipse paulò antè innuit, Priore (inquiens) item consulatu inter se comparati. fuere enim antè unà C O S S. anno 447.

Ferentinum inde.) 173. A. De Ferentino libris huius decadis duobus primis admonuimus, sed in Volscis oppido, cuius agrũ Romani Hernicis postea dederunt, anno ab Vrbe cond. 342.

App. Claudius prætor: omnes absentes.) 175. B. Oportuit Q. Fabium ac P. Decium nõ descendisse in campum Martium, alioqui utique præsentes erant. Appius autem erat in Hetruria. Cæterum cum aliud fuerit tempus creandi, aliud ineundi magistratus, Liuius in nunc sequentibus frequenter numerum adijcit posteriori tempori, quanquam ea res indiligenter ab eo obseruata est multis in locis.

Fabius quam arborem conseruisset.) 175.B. Si hæc uere scribuntur, qui factũ est ut anno 446. idem hic Fabius cum eodem hoc P. Decio collega C O S. non contenderit, atque adeò ægre tulerit, Hetruriam à se iam in triumpho latam, ad sortem reuocari, ubi sors eius prouinciæ in Decium cecidit? Mirum uero Liuium eius prorsus nullam dicere causam. Videndum etiam hoc loco, num consensisset legendum, pro conseruisset.

Ad oppidum Abarnam.) 176. A. Vel corruptum est hoc nomen, uel deletum oppidum, ut postea nemo eius meminerit, ut sunt pleraque alia.

Relicta secunda legione ad Clusium quod Camars.) 176. B. Clusium uetus intelligit, quod à Roma distare ait Polybius libro 2. itinere trium dierum. Ioannes Annius Viterbiensis super Catonis nescio quo fragmento, Comorsol uocatum ait hoc Clusium. Verum quod ad hunc attinet locum, secunda legio Clusij relicta refertur. ubi autem exercitum alium Fabius reliquerit, neque hoc loco, nec in sequentibus Liuius explicat. castrorum meminit, sed illa ab secunda legione nescio ut discriminet. Nec id satis constat, num Scipio legionis dux cum ea interierit, quippe cuius in posterioribus adhuc uidetur mentio. Denique antea legio secunda cum tertia in Samnium mittitur sub Volumnio C O S. hic uero posteriore anno ad Clusium cæditur. Paulò pòst autem in aciarum ordinatione aduersus Gallos ac Samnites, ipsa aberat, uidelicet cum quarta legione missa in Samnium.

Transgresso Apennino in agrum Sentinatem.) 177. A. Pli. lib. 3. cap. 14. Setinates in Vmbris ponit. Ptolemæus Centinum oppidum non longe à Spoleto memorat. Idem Annius meminit eorum super eodem fragmento circa uetus Clusium. In Plinio litera n omissa uidetur.

Ita ut magna pars integris corp. atto. concide.) 178. A. Hoc loco, magna pars integris corporibus attoniti conciderunt. Paulò pòst de iisdem loquens, Galli, inquit, testudine facta conferti stabant. Sed Gallorum certe hostis fuit Liuius, ut id multis ex locis colligitur.

Equitum sex & quadraginta mill.) 178.B. Quidam codices nullum millenarium adiecerant equitibus, quod uidebatur non uerisimile, equitatus numerum maiorem peditatus numero fuisse: sed meo iudicio neque omitti millenarius potest, neque equitatus excedere peditatum: ideòque ita legendus est locus: Equitum sex millia & quadringentos, mille carpentorum scripsere fuisse. Multa similia in numeris errata paßim reperias.

Et partem aliam in Esernacum quoque, quæ.) 178.B. Ita habent uetustiores quidam codices: & Eserninorum meminit Ptolemæus, & item Plinius lib. 3. cap. 12. in Samnitibus. Quidam ita emendarũt: Et parte alia in Esetrunium, quæq; Vulturno adiacet fluminu, descendere. Ego quid Esetrunium sit ignoro. Tum illud, quæque, quid referat, æque obscurum. Planior erat sensus si ita legeretur: Et parte alia in Esetrunium quoque, qui Vulturno adiacet flumini, descendere. Sed lectoris esto iudicium.

Annumq; sextũ & quadragesimũ à M. Valerio & A. Cor.) 178.B. Hi fuerunt C O S S. anno 412. quibus annis si adiiceris 46. fient anni ab Vrbe condita 458. Hic igitur locus continet in superioribus alicubi annum unum aut alterum omissum iniuria temporum, quod nos in Chronologia nostra latius ostendimus.

Quinam sit ille quem non pigeat longinquitatis.) 179. A. Quidam sustulerant ex hoc loco negationem, continuoque pòst reposuere. Ego quid ibi faciat non plane intelligo.

Attilius cum exercitu extemplo profectus.) 179. A. Profectus ait primum singulariter, deinde pluraliter subiungit, obuium habuere hostem. suspicor plane non integram esse hoc in loco codicum fidem: quanquam quod ad eam rem dicerem, habeo, uerum mihi non satisfacio. Ibi & ubi, relatiua hic sunt. & Samnitium rem superiorem Romana ait trifariam, quòd Romanos ab ingressu, à uastatione, à regreßione prohibere facile quiuerint. Sed lector locum discutiat, perpendatque dicendi genus satis durum, mea quidem opinione.

Interamnam coloniam Romanam.) 180.B. Vbi & quando hæc colonia deducta sit, non meminit Liuius. Ptolemæus Praegutiorum oppidum ait prope Marsos. Plin. Interamnatium lib. 3. ter meminit capitibus. 12. ac 14. ut omnino credam non unius duntaxat oppidi nomen.

Cum L. Horatium, M. Valerium C O S S.) 181. A. Legendum M. Horatium, L. Valerium C O S S. ex libro tertio, anno 306.

Ibi ex libro uetere linteo lecto sacrifi. sacerd.) 181.B. Illud lecto, uide utrum ad libro, an ad sacerdote referendum. præterea qualis hæc compositio?

Amiternum

Amiternum oppidum de Samnitibus ui cepit.) 181 B. Ptolemæus Vestinis hoc tribuit oppidum: at de locis quæ Samnitico bello numerat Liuius, non omnia certa pronuntiauero. Atinatem enim hic numerat agrum haud dubie in Samnitium ditione, cum Plinius libro tertio capite undecimo Atinates Lucanis adscribat, capite uerò duodecimo Marsis, & quinto capite inter Latiæ populos enumeret. Cominos ait idem ex Aequicolis interijsse, hic autem ex nuntio Papyrij ad Caruilium misso, non ita longe ab Aquilonia distare intelligitur. Aquilonia uerò Hirpinorum oppidum à Ptolemæo perhibetur. Duroniam non temere inuenies apud authores.

Nec grauiter pugnatum lacessendo qui.) 181. B. Quidam gnauiter emendarunt. cæterum quæ sequuntur uerba, perquam obscura sunt.

Papyrius nuntio misso, extemplo con.) 182. A. Aut ὕστερον πρότερον est, aut noua repetitio. nam dies nuntij missi, ut cum die concionis conueniat, non plane uideo: nisi quis hic missu, pro dimisso exponat.

Quadringentariæ ferme erant.) 182. A. Quadrigenarijs quidam emendarunt, temere meo quidem iudicio. Aelianus de aciebus instruendis uocat cohortem pentacosiarchiam, id est, quingentariam, quæ sit ex hominibus D.XII. ad quam formam hic quadrigenariam uocasse uidetur Liuius. Similis locus fuit libro septimo ab Vrbe condita, ubi obiter etiam aliquid attigimus.

Cum cohortibus alarijs in tumulum conspe.) 182. A. Alaribus alij recte emendarunt. Nam paulò post de eodem Sp. Nautio dicturus est: Sp. Nautius dux alaribus cohortibus erat. Vegetius libro secundo capite primo, equites intelligit, qui ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies. Cæterum Liuius postea ubi Caruilius COS. præsidium contra Samnitium uiginti cohortes mittit, ita ait: D. Brutum Scæuam legatum cum legione prima & uiginti cohortibus alaribus, equitatúque, ire aduersus hostium subsidium iußit. Hic aperte & legionarij, & alares, & equites distincte nominantur: quare etiam pedites intelligi fortaßis possunt, etiamsi hoc loco in equis ueniant cum Sp. Nautio.

Insequitur acies ornata armatáque.) 182. B. Ornatã aciem intelligo linteatam phalangem sexdecim milium hominum, quam legionem ipse paulo ante uocauit. Armatam autem aciem paulò plus uiginti milium alium exercitum, nec corporum specie, nec gloria belli, nec apparatu linteatæ legionis disparem. Quæ uerò hic sequuntur uerba, perquam obscura sunt, nisi hostibus pro hostium legas. Illud etiam, Emisso temere pilo, dubium. quis enim misit? Lepidißimum autem corui tam otiosi atque audacis prodigium. hic Liuius non modò æquat Herodotum, sed prope modum superat, ut critici dicunt.

Pauxillum mulsi prius quàm temetum biberet, sese fa.) 183. A. Pocillum alij malunt. Plin. enim lib. 14. cap. 13. de eodem Papyrio loquens ita ait: Votum fecit, si uicisset, Ioui pocillum uini. hæc ille, nihil præterea addens. Hic uix intelligitur hæc argutia: etsi quid mulsum, quid item temetum sit, haud obscurum est, sed iudicet lector.

Diuersi Papyrium ad Sepinum, Caruilius ad Vol.) 183. B. Sepini in Samnitibus meminit Ptolem. Volanam habebant ueteres libri. at alij in Veliam mutarunt, temerè meo quidem iudicio. Est enim Velia in Lucanis litorale oppidum, longe à Samnio.

Quónam modo tolerabilis futura Hetruria.) 184. A. Hæc ita Liuius narrat, perinde atque antè Hetruria ac Samnium nunquam simul aduersus Romanos fuerint, cum ad finem anni quadringentesimi quinquagesimi septimi hi duo populi, ac præterea Galli ac Vmbri, non parua acceßio, bellum mouerint Romanis.

Neque obsidio, neque bellum ex æquo erat.) 184. A. Hæc uerba quid sibi uelint, & an integra, uix equidem intelligo.

Auri triginta tria millia.) 184. B. Legendum puto, & auri mille triginta tria. sequitur enim pondo. idque eam potißimum ob causam, quód ea tempestate rarum esset aurum, & summæ nimium excrescerent. Nisi quis tantum auri contendat fuisse, quantum in moneta facerent (ut cum uulgo loquamur) triginta tria millia pondo. Semel ita locutum puto Liuium lib. 1. de pecunia ex Pometiæ urbis præda à Tarquinio seposita. Triginta tria millia pondo argẽti facerent 330000. coronatorũ. Cùm totidem auri pondo ingentem summam, nempe 36 96000. coronatorum, ex minus tum urbis præda haudquaquam sperandam. Scio quosdam aliter legere. sed cuique sua sit coniectura. Atque hæc in primam decadem. Quód sibi: annus est ab Vrbe condita 460. perfectus. & bellum secundum Punicum, quod tertia describitur decade, decimooctauo demum anno finitum est: denique bellum Macedonicum, quod quarta deinde sequitur decade, cœpit anno ab Vrbe condita 554. ut eo in loco ostendemus luculentis rationibus: certe decados sequentis anni fuerunt 75. Sed hæc ab initio nostrarum annotationum latius prosecuti sumus.

FINIS.

IN T. LIVII NOBILISSIMI HISTORIOGRAPHI TERTIAM DECADA HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

IN LIBRVM PRIMVM.



ISSVS Hannibal in Hispaniã.) 187. A. Haud abs re multi eximij uiri hoc in loco dubitarunt, quandonam Liuius crediderit Hannibalem in Hispaniã missum. Si enim cum Hamilcare parente in Hispaniam uenit, quod Polybius, Plutarchus, aliique authores asserunt: & ipse Hannibal ter apud hunc fatetur authorem, semel libro huius decados primo, in oratione ad milites apud Padum: iterum libro decimo ad populũ Carthaginensem: tertio ad Antiochum regem libro quinto decados quartæ quo pacto uera esse possunt quæ hic aliquot locis tam ambiguè ait Liuius? alibi uix dum puberem, literis ab Hasdrubale accersitum, alibi quinto post patris mortem anno, quippe qui triennio sub Hasdrubale militasse dicatur, anteaquam imperator electus fuerit, cùm tum temporis ut minimum 23. annorũ iuuenis esset. Cæterum cùm secundum Liuij uerba nouem annorum puer admotus altaribus fuerit, ac ipse pater Hamilcar nouẽ deinde annis, Hasdrubal eius gener octo, in Hispanijs administrauerint imperium, uidendũ omnino quo anno Hannibal accersitus uideatur, quo anno uenisse in Hispaniam, quo denique anno cepisse imperium. Quód si dicamus nouẽ annorum puerum Hannibalem cum Hamilcare parente uenisse in Hispaniam, ac post nonum parentis in Hispania, octauúmque Hasdrubalis in eodem imperio annum, ipsum electum imperatorem, cùm haberet iam annum 26. omnia tunc loca de Hannibale bene habebunt, & cessabit intempestiuum hoc scomma, quo Liuius in hac præfatione in hos ui-

vos iocatur, cum nec temporum ratio, nec patrii uerecundia hoc, ut uerisimile uideatur, admittat. Fuere enim uiri strenui, quantumuis barbari. Præterea nescio quam longe uehementius uiriliúsque sonet, siquis omnibus his dictionibus aspiret, Hannibal, Hamilcar, Hasdrubal, Hanno: nec dubito apud priscos eam fuisse pronunciationem in Punica lingua, deinde per Græcos ac Romanos corruptam, ut pleraque alia barbarorum. Cum nemine tamen ea de re certauero.

Arma atque equi conspiciebantur.) 187. B. *Incerta est distinctio, incertus sensus: neque hercules ego satis explicare possum, nisi dicamus: Siquando arma atque equi conspiciebantur, tum equitum peditúmque longe primum fuisse Hannibalem. Sed neque sic satis fit mihi.*

Finitimis domitis gentibus iungendóque.) 187. B. *Videndum lectori, num hic nomen aliquod substantiuum desideretur: Nam illud, iungendóque, quid sit, non intelligo.*

Carteiam urbem opulentam caput eius gentis.) 187. B. *Carteiæ urbis & nomen & situs uarie apud authores habetur. At Olcadum nomen non ferme apud ullum classicum inuenias, nisi apud unum Polybium, unde hic noster Liuius totam huius libri historiam prope de uerbo ad uerbum mutuatus est, eadémque secutus Plutarchus.*

Hermandica & Arbacala Carthorum urbes.) 187. B. *Pro Carthorum quidam Carteiorum restituerũt: at hi Olcadum melius reposuissent, siquidem Carteia Olcadum caput erat, ut paulò ante dixit Liuius. Verùm ex Polybio clarum euadit Hermandicam & Arbacalam Vaccæorum urbes fuisse. quare hoc loco pro Carthorum, non Carteiorum, sed illorum, restituendum erat, ut Vaccæos referat. Idem ostenditur apud Plutarchum in Hannibale. Sed ab aliquo sciolo hoc corruptum temere, ut alia pleraque.*

Aegates insulam Erycémque ante oculos proponite.) 189. A. *Mirũ hoc nomen tam uarie scriptũ inueniri, alibi Aegades, alibi Aegates, Aegusam etiã apud Græcos, ut Polybiũ, qui lib. 1. eam insulã mediam inter Carthaginem ac Lilybæum ponit. In eodem tamen libro paulò pòst ait non longe à Lilybæo abesse, atque ita etiam posuit Ptolemæus. L. autem Florus in sua Epitome de pugna Carthaginensium cum Luctatio COS. ait, Carthaginensium rates totum inter Siciliam Sardiniámque pelagus naufragio suo operuisse, ut Aegates inter has duas insulas esse significaret.*

Sed Tarento tum in Italia non abstinueramus ex fœdere.) 189. A. *Hoc de Tarento apud neminem authorem inuenio: sed Messana Mamertinorum urbe non abstinuere Carthaginenses, quæ urbs principium fuit aut caussa potius primi belli Punici. Porrò bello Tarentino cum Carthaginensibus quarto fœdus renouatum est, ut idem Florus in Liuij Epitome lib. 13. fatetur. Mamertinus autem auxilio uenere, apud eundem lib. 14. & 16. quo facto ab ijs fœdus uiolatum est. Sunt autem Mamertini urbis Messanæ iniusti occupatores, quibus Romani non satis decorè auxilium tulere ut author est Polybius lib. 1.*

Itaque nequicquam peragrata Hispania in Galliam transieũt. In his &c.) 191. B. *Cum dicit in Galliam, statímque subiungit, In his, uideri potest syllepsis & genere & numero esse. Quanquam etiam nomen alicuius populi omissum fortaßis est, quippe qui post aliquot uersus subnectat: Eadem ferme in cæteris Galliæ concilijs dicta auditáque. Sed iudicet lector.*

Ped tum Afrorum XI. millibus octingentis quinquaginta.) 192. A. *In Polybio ita legitur lib. 3. Pedites autem ex Africa XI. millia octingentos quinquaginta, ex Liguribus trecentos, ex Balearibus quingentos. quare hic distinguendum & post quinquaginta, & post trecentis: deinde post Balearibus addendũ, quingentis: tollendáque distinctio post Liguribus, ut totus locus ita legatur: Firmatque cum Africis maxime præsidijs: peditum Afrorum undecim millibus, octingentis quinquaginta: Liguribus trecentis, Balearibus quingentis. In elephantorum ac Libyphœnicum numero etiam discrimen est: sed fieri potest ut Liuius non ubique sit secutus Polybium.*

Atque inde profectus præter omissam urbem.) 192. B. *Quidam restituerunt, Etouissam urbem. In Ptolemæi codice Etobessa Edetanorum urbs hoc itinere legitur.*

C. Luctatium, Aul. Seruilium.) 193. A. *Libro decimo huius decados, ubi hi ex captiuitate liberantur à COS. Cn. Seruilio huius Auli filio, legitur Cneius etiam, ut patris ac filij idem fuerit prænomen. sed placet magis Aulus hoc loco.*

Necdum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hostis ub.) 193. A. *Ego, nec dum, duas esse dictiones existimo: & tollendum illud cum, ante apparuit. ut sit sensus: Hostẽ, quandiu in patenti loco agmẽ Romanum ducebatur, non uisum: sed ubi rursum syluæ intratæ, tum Gallos rursus adortos Romanos. quod & sequentia deinde uerba satis indicant. Notanda autem significatio uerbi intratæ. Porrò quod de uico Canneto ait, propinquum eum Pado fluminoi, bene congruit etiam Mutinæ. Nam libro decimo dicturus est Canneti hos legatos captos, cum alij Mutinæ captos credant, in qua opinione est etiam Polybius.*

Itaque ingens coruis na. est lint. quæ tem. ad uicinalem usum.) 193 B. *Vicinalis usus quid sit, obscurè intelligitur. Perottus Polybium uertens, hoc loco quotidianum usum traduxit. Vellem uidere græca, quæ ad manum nobis defuere.*

Ad id dati duces Galli educunt inde millia V. & XX.) 193. B. *Apud Polybium ducenta stadia leguntur, quod idem est. Siquidem stadium unum 125. passus continet, authore Plinio libro secundo. Cæterum quæ continuo sequuntur uerba, & male distincta sunt, & obscurum habent sensum: quæ quia plana facere diffisi sumus, sat erit lectorem admonuisse, si fortaßis correctiorem codicem nactus ipse med. eam manum adferre queat. Multa enim eiusmodi sunt, præsertim in hac decade, quæ mutila, ac temporum iniuria corrupta dicere non dubito: quale etiã illud statim de Hispanis: Ipsi cetris superpositis incubantes. Quidam suppositis malunt, quidam in nominandi casu superpositi. Sed lectoris iudicio hæc relinquo.*

Vt quenque timentem altitudinem destituerat uadum.) 194. A. *Quidam uado emendauerant, sed nihilominus obscuro manente sensu. At ea omnia prosequi neque possum, neque uidetur operæprecium.*

Pluribus retinaculis ualidis parte superiori ripæ relig.) 194. A. *Polybius longe plures rates ponit, duas a terra in amnem, duas à parte ripæ retinaculis religatas ad arbores parti ripæ superiori eminentes: denique duas solutas faciles ab alijs, ac longe maiores. Difficultas intellectus, quare & quomodo, quæ à terra erant, ligabantur: quæ in amne prorsus, non ligabantur, cum haud dubie maiore fluminis ui deferri poterant. Sed talia multa à nobis indiscussa studiosis lectoribus consideranda relinquimus.*

Qui se duces itinerum, socios periculi fore affirmantes.) 194. A. *Cum hi duces itinerum essent, & Hannibal falsum Casilini monstratorem configere non dubitarit, mirum quo pacto toties postea in Alpibus errans, non omnes crucifixerit. Sed talia fortaßis dißimulanda sunt: nam in Polybio ea inuenit Liuius.*

Sed ad leuam in Tricastin flexit, inde per extremam Vocontiorum agri tetendit in Tricorios.) 195 A. *Tricorij oppidi meminit Plinius lib. 3. cap. 4. Cæterũ cum in Alobrogibus iam esset Hannibal Alpes transiturus, quomodo ad leuam in Tricasticos potuit flectere iter? quomodo deinde in Tricorios, atque adeo ad Druentiam flumen? Polybius certe ea non habet, unde unde acceperit Liuius. Ego ad dextram malim legere, siue locorum ignorantia, siue casu lapsus Liuius, siue denique temporum iniuria id erroris in authoris codicem manauerit.*

Vtraque simul obiecta oculis animisque.) 195. B. *Coniunctionem, que, omiserunt quidam codices recentes, sed absque ea nullus erit hic sensus.*

Occursantes per obliqua montani, erupto medio agmine.) 195. B. *Quid sit erupto medio agmine, haud sane intelligo. Videndum num interrupto medio agmine sit legendum.*

Recenti terræ lapsu in pedum mille admodum.) 196. A. *Polybius cum hanc rupem describeret, non de altitudine, sed de angustia uiæ angustiore facta meminit. Liuius uero cum*

ab initio

ab initio dixisset, Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, paulò pòst subiungit: Natura locus iam ante præceps, recenti terræ lapsu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat, nulla amplius angustiæ mentione facta. Polybius præterea ducentorum pedum meminit, ubi Liuius mille ponit. Sed hæc eius erant qui commentarium scriberet, longius prosequi. Attigit & Valla locum.

Digressus deinde ipse ad locum uisendum.) 196. A. Sensus sequentium uersuum perquam obscurus est. Polybij uerba Perotto interprete (nam Græci codicis copia defuit nobis) clariora uisa sunt, ea ita habent: Dux Carthaginensium principio per loca Inuia, nec ante eum diem trita, circumducere agmen conatus, quoniam iter id niues insuperabile faciebat, à proposito destitit.

Ipsis adminiculis prolapsi, si iterum corruissent.) 196. B. Hæc uerba uidentur nescio quid desiderare. Quid enim sensus hic est, prolapsi si iterum corruissent?

Secabantur interdum.) 196. B. Ita quidem restituerunt hunc locum, cum prius necabantur legeretur. Sed totus hic locus uerbis sequentibus perquam obscurus est, ideóque & hic Polybij uerba ex interpretatione Perotti ponam, si studiosus lector fortaßis his adiutus, melius Liuij sensum percipere queat. Iumenta uero (inquit) interdum quidem prolapsa glaciem secabant: sed pressa oneris magnitudine, pedibusq; eorum indurata glacie perstrictis, moueri postea inde non poterant. Hæc ille. Tu etiam atque etiam uide quid sensus ex his Liuij uerbis colligere queas: Et prolapsa iactandis grauius in continendo ungulis, penitus perfringebant. Nam ego ea plane non intelligo.

Quadriduum super rupe consumptum.) 196. B. Alij emendarunt, circa rupem, non multum ad rem meo iudicio. Nam dierum numerum, quem postea ponet Liuius, iuuare conati sunt. Si enim nono die in iuga Alpium peruentum est, biduúmque ibi statiua habita: deinde tertio die ad rupem multo angustiorem uentum, quadriduúmque circa eam absumptũ: denique postremo quiete data triduo, atque ita in planum descensum, numerus excrescet in decem & nouem dies, cum Liuius decimoquinto die superatas dicat esse Alpes. Sed in biduo intelligo etiam nonam diem, ita ut undecimo die ad multo angustiorem rupem uenisse dicãtur. Quadriduum autem sequens ita partitus est Polybius, ut unum diem labori datum pro deducẽdis equis iumentísque dicat: reliquum triduum elephantis deducendis. Igitur hoc sequenti triduo iumenta equíque in plano pasta: quanquam Liuius dicit triduũ datum etiã hominibus muniendo feßis, atque deinde in planum descensum. Sed cum in hac numeri summa secutus sit Polybium, etiam in partibus sequi oportuit, meo quidem iudicio, sed iudicent doctiores.

In Taurinis quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digresso.) 196. B. Quidam distinxerũt post, in Taurinis, quasi Hannibal in Taurinis eum numerum amiserit: quem uerius toto à Rhodano itinere amisit. Ego quid dicam, uix equidem comminisci possum. Fortaßis autem in Taurinos legendum.

Cælius per Centronis iugum dicit transisse.) 196. B. Ita habent uetustiores codices, non Cremonis. Et Centronum cũ alij, tum C. Cæsar meminit. Cremonis iugum, quod quidam substituerunt, quid sit, haud equidem inuenio. Liuius autem & Ptolemæus & Plinius Vercellas attribuunt. Hic noster author libro quinto ab Vrbe condita ait, olim eos possedisse loca ubi Verona & Brixia, quæ Cenomani Elitouio duce postea ceperint, quanquã eum locum alij aliter legant, ut ibidem commonstrauimus. Illud autem, semigermanis, uehementer me torquet, nec tamen mutare ausim.

Cum Pisas nauibus uenis. exer. à Manl. Att. que.) 197. A. P. Cornelius ante dicitur à Liuio uenisse Placentiã è Gallia, quãquam alij in eo loco restituerunt Genuam: mirũ cur hic non etiam Pisas emendarint. Nisi dicamus Consulem noluisse tyrones obijcere Gallis dubijs socijs, atque ita à Genua Pisas nauibus iuisse, ut à prætoribus (nam ita intelligo Attilium Manliúmque) exercitum acciperet.

Peditum agmen, quod in modum fugientium.) 197. B. Peditum agmen, construendum cum assequi uerbo, quod non ita multo pòst sequitur. alioqui si ad huius sensus periodum connectes cum uerbo, obuius fui, uideri poterat legendum agmini, non agmen, sed id perquam exiguum.

Quinque millia passuum à uico tumulis consedit.) 198. B. Vicum non nominat, & tumulis considere quomodo in plano, ut hic omnia erant, intelligatur, non hercle capio. Suspicor proprium nomen obliteratum, ac pro eo suppositum tumulis.

Tota rate in secundam aquam labente.) 199. A. Locus perquam obscurus, confusione ratis & pontis.

Extemplo & circa prætorem à ciuitate mißi.) 200. A. Ad ciuitates recte quidam emendarunt. Sed, circa prætorem, credo græcam esse locutionem. Et illud, ante omnia Lilybæum teneri, obscure dictum, nisi iußit, uel quid simile intelligas. Deinde illud, perque omnem oram qui erant, insuetum dicendi genus: qui enim, uidetur referre eos qui in speculis erant. Denique quod statim sequitur, simul itaque: uide ut suspensum est ad longe sequentia, extẽplo datũ signũ, &c. Postremò quod ait, sublatis armamẽtis. relatiuũ uidetur illi quod postea dicturus est, demendis armamẽtis.

Vt socijs naualibus affatim instructa. ita inopem militi ha.) 200. A. Mirum si socij nauales non erant milites, nisi milites solos Carthaginenses ciues, non socios intellexerit: aut socios fortasse, qui ducendis nauibus idonei, cæterum ad pugnandum inutiles, id quod quibusdam magis uerisimile. At libro 6. huius decados Sex. Digitius socius naualis dicitur, haud dubie non inutilis ad pugnandum, quippe qui muralem coronam peteret.

Mille & DCCC. fuere in nauibus capti.) 200. A. Quidam DCC. legunt. At res non est magni momenti, qualia sæpe alia quoque, quæ lubentes negligimus.

Ipse compositis Siciliæ rebus, X. nauium classe. or. ita. leg.) 200. B. Pro decem nauium classe, alibi decem nauibus legitur. Cæterum cum dicit oram Italiæ legens, nõ satis clare percipitur, utro mari, superóne an infero iter fecerit: at quia Ariminum uenit, uidetur supero iuisse, quò & exercitum miserat, ut ait Liuius, cum contrà Polybius Sempronij exercitum quadraginta diebus à Lilybæo Trebiam pedestri itinere uenisse dicat, non nauibus.

Duo millia ped. & mil. equi. Num. plerosque mixtos.) 201. B. Polybius ait Hannibalem misisse Numidas Gallosque inter se mixtos: quare hic distinguendum ante uerbum, mixtos, quod in omnibus prope neglectum uidi codicibus. & ante aliquot uersus uerbum declarabatur, mutarunt in declarabat.

Varia inde pugna sequentes, &c.) 201. A. Hæc longe clariora apud Polybium leguntur. Et illud, Maior tamen hostium Romanis fama uictoriæ fuit: ambigue dictum uideri poterat, nisi quæ continuo sequuntur uerba, amphibolon tollerent.

Et quicquid auræ fluminis appropinquabat, affla. ac fr. uis.) 201. B. Videtur & hoc obscure dictum, quanquam sensus utcunque percipitur.

Baleares locat ante signa leuem armaturam.) 201. B. In Polybio legitur cum coniunctione, ac leuem armaturam, ut non intelligamus Baleares leuem dictam armaturam, sed alios. Tum hæc quæ sequuntur uerba: Deinde grauiorem armis peditem, eodem authore ad circunfundit uerbum, referenda putamus, quorum uiginti millia inter Hispanos atque Afros mixtis Gallis fuisse scribit. Nec sequentia obstant, quippe & equites & elephanti in cornibus diuisi fuere eodem authore, si modò Perottus græca rectè extulit. Hæc ideo admonitione digna duximus, quòd non est uerisimile tam negligenter Liuium hæc traduxisse.

Duodeuiginti millia Romanorum erant.) 201. B. Polybius ait sexdecim millia peditum Romanorum, ex socijs uero Latini nominis ad uiginti millia: id quod uerisimilius est, quando legiones quaternum millium erant, ut ipse Liuius superius scriptum reliquit, non ita longe ab huius libri initio. Addit autẽ Polybius, perfectum numerum copiarum, ubi de summa rerum agebatur, conueniebántque simul duo COSS. ex tot millibus constituisse.

Simul latebras eorum improuida præterlata acies est.) 201. B. Latebras legendum, ut recte quidam restituere. Nota autem illud simul, pro statim ut, accipi, huic authori oppido quàm familiare, ut Horatio, quod in superioribus quoque alicubi admonuimus. Cæterum hic præterlatam aciem ait, quam uersu sequenti innotatam aliquandiu mansisse dicit: quanquam cauil-

lum hoc est, in hoc appositum, ut uideat lector, quid sit cum iudicio authores legere.

Creati COSS. Cn.Seruilius & C.Flaminius.) 202. A.

Addendum, iterum, ad C.Flaminium, ut ipsemet Liuius author est, non ita longe à fine huius uoluminis: Flaminio (inquit) fauorem apud plebem, alterumq; inde consulatum peperit. Fuit autem COS. *ante hunc anno septimo. Cæterũ quæ hoc loco paulò post sequuntur uerba, de Celtiberis ac Lusitanis, impeditioribus quam Numidæ essent, haudquaquam à me intelliguntur. Suspicor autem ea corrupta esse.*

Itaque sub lucem cum equitatu, COS. aderat. 202. A.

De P.Scipione hoc intelligo. Nam Sempronius Romam ad habenda comitia profectus erat. Quanquam hoc mirum, cum ad Emporium hoc prope Placentiam occurrisset Hannibali, egregieque locum defendisset, cur non ad Victumuias quoque adfuerit: an quia multitudo temere ibi egerit, ut uerisimile est? an historia non omnibus uera credita, quippe nõ ab omnibus scripta, etiam à Polybio omissa, ut quæ luculentum damnum Romanis rebus attulerit? Et sequentia quoque usque ad res Hispaniæ, ab alijs non sunt tradita.

Emporijs appulisset classe.) 203. A. *Alij classem in accusandi casu emendarunt. Cæterum Liuius Emporias fœminino genere usurpat, ut libro octauo huius decados in oratione Fabij aduersus Scipionem, & libro quarto sequentis decados urbem eam describit, postquam Cato in Hispanias uenit. quare paulò post hic legendũ: Emporias cum classe rediit, non Emporia. etiamsi Græci ἐμπόριον dicant, nominatim Strabo in tertio.*

Hostis cis Taraconem, Iberum rursus redit.) 203. B. *Ita ueteres habent codices, quæ lectio placet, si rectè intelligatur, quod hostis Hasdrubal qui cis Taraconem una cum Ilergetibus, qui & ipsi cis Iberum sunt, socios Romanorum uexabat, aduentu Scipionis perterritus rursus ad Iberum redit. Nam Taraconem uersus eum cessisse, ubi præsidium erat Romanorum, uix intelligitur: quanquam hoc quidam ita emendarunt, temere meo quidem iudicio.*

Et Cære sortes extenuatas.) 203. B. *Ita habent uetustiores codices. Quidam extenuatæ restituerunt, sed errant.*

Si in decem annos R.P.eo.ste.lo.Hæc proc.uotaq;.) 203. B.

Quidam R.P. legerunt Romanum populum, cum Respub. significetur. Ego priorem dictionem Res, integre scriberem. Quidam etiã pro loco, legunt statu deniq; procurata uota, adiectiuum ac substantiuum cum relatiuo quæ, non cum coniunctione, que: sed mihi displicet, tametsi res est non magni admodum momenti.

Ob hoc ratus auspicijs emendis.) 204. A. *Sabellicus emendandis legendum putauit, sed ex codice Moguntino ementiendis rectè restitutum est. Nam loquitur hic author ex opinione Flaminij. Præcedente autem uersu distinguendum post legis, ut suasor legis intelligatur Q.Claudius, non C.Flaminius.*

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRUM SECUNDUM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

IAM uer appetebat, cũ Hannibal ex hyb.) 204. B. *Priore libro ita habet Liuius: Secundum eam pugnam Hannibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit. Nec interea quicquam de eius in Galliam ex Liguribus reditu. Polybius omisit Hannibalis in Ligures discessum. Cum igitur Hannibalis hyberna apud omneis in Gallia fuerint, mihi hoc quoq; suspectum totum Hannibalis iter uisum est, ut pleraq; quæ in hac historia extra Polybium admiscet Liuius.*

Consensu indicantium seruatus erat.) 204. B. *Pro consensu, alij consensum restituerunt, quod placet. Perottus cum hæc uerteret, crimen indicantium extulit.*

Quod enim illi iustum imperium, quod auspicium esset ma.) 205. A. *Querela est senatus, ea tamen uerba me male torquent. Priore enim libro Flaminius priuatus clam in prouinciam abijsse dicitur, quòd rebatur Latinarum feriarum mora, & consularibus alijs impedimentis patres retenturos se in urbe. Hic autem contrà, Latinis ferijs actis, sacrificio in monte Albano perfecto, uotis rite in Capitolio nuncupatis, iustum imperium auspiciumq; secum ferre dicitur. Quod ea de causa admonemus, ut eò attentius lector id legat.*

Et Capuæ speciem cæli ardentis fuisse.) 205. A. *Hoc loco Sabellicus ait: Caput pro Capuæ audacter reposui. quod & ego puto audacter factum. Capuæ enim legendum est, non caput: nisi alia uerba aliter legerit.*

Iunoni Mineruæq; ex argento daretur.) 205. A. *Tria magna Romæ numina, Iupiter, Iuno atq; Minerua. Cæterũ cum primum Ioui donum fulmen aureum pondo L. fieret, quid Iunoni Mineruæq; datum sit ex argento, non explicatur. Nisi quis argenteum fulmen dicere uelit.*

Hæc ubi facta, Decemuiri Ardeæ in foro.) 205. A. *Mirum uerò quid ita Ardeæ sacrificatum, cum nullum prodigium illic uisum in prioribus narretur. Ieiunum etiam est quod sequitur: sed his omnibus uere mederi nequimus.*

Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere.) 205. B. *Nullus propemodum liber est, in quo non male loquatur Gallis Liuius, ipse in Gallia Cisalpina natus. Sed scilicet Patauini ab Antenore nati ad Galliam non attinent: nam id aliquot locis innuere uidetur. Rideo ineptiam tanti uiri. Hoc etiam loco credemus (si dijs placet) Gallos neq; sustinere se prolapsos, neque assurgere ex uoraginibus potuisse, qui prius toties hoc iter totis exercitibus peragrarint, atque adeo ipsam urbem uictis Romanis ceperint diruerintq;. Sed Hercules affectus ab historica fide longe abesse debebant.*

A tergo ac super caput detectæ insidiæ.) 206. A. *Ego detectæ pro tectæ positum puto, uidelicet compositum pro simplici. Nondum enim Romani dolum senserant, de quibus postea dicit: eò magis Romanis subita atque improuisa res fuit.*

Romanus clamore prius undiq; orto.) 206. A. *Sermo est impeditus, ac nescio quid desiderans post uerbum, cerneret. Nam illud, se circumuentum esse, ad sensit referendum est.*

Donec Insuber eques (Ducario no. erat) fa.no.) 206. B.

Quidam pro eques equum supposuerunt, & faciemq;, cũ coniunctione post parenthesim. Sed simplicior lectio est eques, & faciem absque coniunctione, ut habent uetustiores codices.

Spoliare cupientem triarij obiectu clypeis arcuere.) 206. B.

Scutis alibi legitur. Sane scutum triariorum erat, ut etiam libro octauo ab Vrbe cond. Liuius indicat, ubi etiam differentia inter clypeum ac scutum, & clarius deinde libro nono.

Profectus per Brutianum Hadrianumq; agrum.) 207. B.

Ita in Polybij codice legitur. Moguntinus codex Prætutianum habet, idq; cum Plinio consentire uidetur libro tertio, capite decimotertio, & decimoquarto. De hoc itinere habes rursus libro septimo huius Decados.

Quæq; propbana erant Ioui fieri.) 207. B. *Verba sunt solennia, uetusta, quædam etiam obsoleta, in non sit opus ibi anxium esse, intelliguntur tamen. Cæterum quod quidam uere sacros etiam hominum fœtus intelligunt, ex hisce Liuij uerbis certè colligere nequeunt, qui ex suillo, ouillo, caprino grege ait. Libro autem tertio, mutilo illo quartæ decados, hic prætor C.Cornelius*

nelius Mammula dicitur, non Aemylius.

Aeris CCXXXIII. millibus triente.) 208. A. *Quia in hoc uoto omnia ternario numero nuncupata sunt, ut ex Plutarcho etiam in Fabio patet, CCC. legendum, non CC. Nec uacat illud triente, propter eandem causam. Tractat & Budaeus hunc locum libro tertio de Asse perquam eleganter, ut solet alia.*

Tum aedes uotae, Veneri Erycinae aedem Q. Fab.) 208. A. *Hic locus in omnibus quae mihi uidere contigit exemplaribus corruptus fuit, sed emendatu facilis est. Nam post uotae distinguendum, quasi, de quibus etiam supra memorauit, duabus generaliter dixerit: deinde de utraque inferendum hoc modo: Veneri Erycinae aedem Q. Fabius dictator uouit. Menti aedẽ Octacilius praetor uouit. Quare autem Veneri dictator, ratio posita est ex libris fatalibus. Obiter etiam notandum, Octacilium legendum pro Attilio, ut ex libro sequenti patebit.*

Prius ab alijs inuictum animum praestans.) 209. B. *Vt ingenue dicam, quid hoc ab alijs referat, haud equidem intelligo.*

Quinque & uiginti ex triginta cepere naues.) 211. A. *Paulò superius, quadraginta naues ait Himilconi ab Hasdrubale traditas: itaque uidendum num hic quadraginta pro triginta legendum, quanquam ne Liuius quidem sibi in hoc nauium numero constat. Libro enim praecedente ait, Hannibalem, cum ex Hispania profectionem in Italiam pararet, fratri triginta duas quinqueremes apte instructas, ac triremes quinque reliquisse. Quòd si huc adiecit decem, totus numerus erit nauium quadragintaseptem, sed negotium non est tanti, ut diutius nos moretur.*

Itaque ad onustam classem profecti.) 211. A. *Ita ferme habent codices. Alij autem emendarunt, Honoscam classe profecti, ut sit proprium Honosca. Verum Liuius non ita multo post, Romana castra ait ad nouam classem fuisse, cum Punica in agro Ilercaonẽsium essent: quod non mutarunt qui superiorem locum emendare contenderunt. Ego sane loca illa apud Geographos non reperio. fortaßis autem uetustate abolita, aut indiligenter à scriptoribus tradita, ut sunt eius regionis pleraque apud hunc praesertim authorem, ut in sequentibus clarius demonstrabitur.*

Mandonius uir nobilis, &c.) 211. A. *Et hic locus in omnibus exemplaribus, quae nobis contigere, corruptus habebatur. Sequitur enim uerbum, uenere. Nisi quis Latine dici putet, Mandonius concitus popularibus uenere. Et, Plato uocatus discipulis in scholam aduentarunt. Et quod ab initio libri quarti huius Decados Liuius postea habet, L. Attilio praefecto praesidij, qui cum eo milites Romani erant, clàm in portum deductis, atque impositis in naues, ut Rhegium deueherentur. ubi coniunguntur, Attilio deductis: quia milites, in medio assumptum est. Item libro 7. huius Decados: Exinde Mutinae, & si quorum aliorum merita erga populum Romanum erant, in Senatum introductis, honores omnibus ad exoluẽdam fidem Consulis habiti. Sed iudicio lectoris hoc item committimus.*

Nihil aliud quàm unum uile atque infame corp.) 211. B. *Fortaßis legendum, nihil aliud quam onus mile, atque infame corpus esseratus. Nam haud scio an Latini dicant unum uile, quomodo hic ponitur. Quod si locus bene habet, notandum sane id locutionis genus ut rarum, atque infrequens.*

Iámque artibus Fabij pars exercitus aberat.) 212. B. *Fabius Romae erat: negotium hic inter Minutium ac Hannibalem agitur. Itaque haec uerba consideranda lectori, quomodo Hannibal cunctando bellum gerebat, &c. nam ego plane hic haesito.*

Et consule creato M. Attilio Regulo.) 113. A. *Hunc postea, ut male habent quidam codices, uocat M. Attilium Fabianum, qui Flaminio suffectus etiam à Polybio dicitur: sed & Polybius Regulum cognominat, ut hoc loco Liuius.*

Quem semper occursurum ad obsi. fatus sciebat, & cõtra iturum.) 213. *Illud, & contra iturum, recte mutatum est in contrahere, absque coniunctione: tametsi uetustiores quidam codices reclament.*

Non celerius quàm timui reprehendit for. temeri.) 214. A. *Hunc autem locum ijdem cum interrogatione legendum praeceperunt, quod mihi neutiquam uerisimile uidetur, nec quenquam putto illis assensurum. Iidem in Minutij uerbis ad milites paulò pòst, ubi Hesiodi dictum allegat, Quid in re sit, legunt, cum omnes uetusti codices habeant, quid in rem sit.*

Vt à populo crearetur qui prodictator esset.) 214. B. *Quidam diuisum, pro, & dictatore, legunt: in paulo post composite, ut dictator pro prodictatore diceretur, bis repetita praepositione pro, per appositionẽ & compositionem, ut loquuntur Grammatici. Ideóque superius in hoc libro ubi Fabius creatur prodictator, legendum, Nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat. Prodictatorem populus creauit Q. Fabium Maximum. Haec ideo admonenda dixi, quòd in quibusdam codicibus haec corrupta uidimus. Quae uerò sequuntur uerba, Adeoque inopia est coactus Hannibal, non uidentur huc pertinere, neque ea sunt in omnibus libris.*

COSS. M. Attilius Fabianus, Cn. Seruilius Mesitanus.) 214. B. *Ita habent plerique codices, sed legendum est, M. Attilius Regulus, & Cn. Seruilius Geminus. Hi sequentis anni Procoß. fuere, ut author est Polybius. Ab initio autem huius anni cum C. Flaminio Cn. Seruilius COS. factus est. Flaminio autem subrogatus M. Attilius. Quidam hoc loco & nouos COSS. & nouum annũ collegere, Attilium Fabianum, & Seruilium Mesitanum uocitantes, utrunque inusitato cognomine.*

C. Terentio Varroni, quem sui generis hominem.) 215. A. *Ita plerique habent codices in dandi casu, ut sit sensus, patres obstabant C. Terentio. Sed melius omittitur relatiuum, quem, & in accusandi casu legitur, ut à nominatiuo patres, nouus incipiat sensus. Praeterea concußis legendum, non concussum. Neque enim Varro concussus erat, sed Fabius. Meminit & Valla huius loci.*

L. Aemylius Paulus, qui cum M. Laelio COS. fue.) 215. B. *Cum M. Liuio legendum, ex Caßiodori catalogo. Praeterea ex poenae similitudine, de qua & hic & anno 12. huius belli, Salinatorem esse puto, qui fuit COS. cum L. Aemylio Paulo proximo ante hoc bellum anno.*

Septem & octoginta mil. armatorum & CC. in castris.) 215. B. *Pro CC. integre scribendum erat ducentos, ne ducenta millia stupidus aliquis supra septẽ & octoginta millia intelligat. Porro legiones hic millibus peditum, & cẽtenis equitibus auctae, quod in ingenti necessitate fieri solebat: ut eleganter hoc apud Polybium quoque, unde huc descripsit Liuius, legitur.*

Victoriam auream pondo CCC. XX. afferre sese.) 216. A. *In Valerij Maximi codice libro quarto ad finem, auri pondo ducenta & quadraginta leguntur. quod ideo admonendum duxi, ne temere uel hic author ex illo, uel ille ex hoc corrigatur, donec certiora argumenta appareant, quàm quae ex codicum fide ut plurimum uana colligi queunt.*

Nam ad eam diem nihil praeter sacramentum fuerat.) 216. B. *Hic plane uidemus iusiurandum maius quiddam fuisse sacramento militari. Caeterùm praeter etymon utriusque dictionis, nihil nòs differentiae possumus: quippe libro decimo ab Vrbe condita, ubi de linteata Samnitium legione, etiam iusiurandum uocat, tametsi per sacra fieret. Ideoque lectori hoc quoque iudicandum relinquimus.*

A ueritate laborare nimis ius saepe aiunt, ex. nun.) 217. A. *Quidam ita sententiam extulerunt: ius laborat, non extinguitur. Quidam autem ita, ius aiunt, id est, fas laborare à ueritate. At non est ius unquam extingui. Neutri autem satis explicãt, quò ista aduerbia, nimis & saepe, referenda, quod simul explicatum oportuit. Ego sane obscuram fateor sententiam. D. Erasmus in adagio, Tempus omnia reuelat, laborari legit. Valla à ueritate, prioribus connectit, non posterioribus. & paulò post, Nec ego ut nihil agatur, legit, nec eò.*

Hispani linteis praetextis purpura.) 218. B. *Post purpura distinguendum, ut clarum est ex Polybio. quod non sine causa admonemus, quippe nullus alioqui sensus erit, & in omnibus codicibus hoc neglectum uidimus. Nota autem uersu sequenti, an non uulgata consuetudine utatur uerbo uidelicet, contra quàm Valla praecepit. Ducum autem secundum Polybius Hannonem facit pro Maharbale.*

Hasdrubal qui ea parte praeerat.) 219. A. *Hic de sinistro cornu Romano, & de dextro Poenorum loquitur: ergo pro Has-*

drubal legendum Maharbal, quod diligēs lector cum iudicio hęc legens, facile indicabit. Quòd si omnino quis contendat occultam digreßionem ad sinistri Pœnorum cornu pugnam describendam à Liuio factam, quód Polybius de Hasdrubale diuersa quędam narret à Liuio, erit haud dubie legendum, qua parte, pro qui ea parte. At prior opinio magis mihi probatur.

Quadraginta millia peditum, duo millia septin. equit.) 219. B. Polybius ad septuaginta millia cęsa tradit. Dionysius etiam Halicarnasseus Ex octoginta millibus tria euasisse scribit lib. 2. Cęterum si uersu sequente quis tollat ciuium, ac coniunctionem que, ratio numeri fere cum Polybio conueniet. Alioqui uerborum Liuij sensus est, tantum ciuium prope, quantum sociorum de quadraginta millibus cecidisse. Porro in captiuorum postea oratione, ac item T. Manlij quinquaginta millia nominantur. Ex his lector iudicet quódnam uerisimillimum, nam ego plane hęsito.

Et C. Minutius Numatius.) 219. B. Priore anno Dictator creatus erat ad habenda Comitia P. Veturius Philo, eius magister equitum M. Pomponius Mato: cum Fabio autem M. Minutius Rufus. quare hoc nomen mihi suspectum.

Hęc ubi dicta dedit, stringit gladium.) 220. A. Carmen sesquiheroicum, ut appareat uerum esse historicos medios esse inter poetas & oratores, quando etiam ab heroico uersu cœpit Liuius, ut author est Quintilianus. quanquam ego credo fortuitu hoc potius factum, quàm ex proposito. Quod autem sequitur, in maiora castra ad sexcentos euaserunt: quidam libri tria millia prętereà habebant, cum tamen in oratione T. Manlij de captiuis redimendis, sexcentorum duntaxat fit mentio. Porro quod rursus sequitur, Atque inde protinus alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes perueniunt: puto eum loqui de quatuor millibus peditum, ac ducentis equitibus ex maioribus castris, ut non ita longe pòst dicturus est Liuius.

Et omnium primum brachio fluminis obiecto eos excludit.) 220. B. Ego obiectus malim legere: Nam flumen qui obijcere potuit Hannibal? Qui etiam in oratione captiuorum postea, ab aqua coerciti dicuntur.

In capita Romana tricenis nummis quadrig.) 220. B. Tricenis plerique habent codices, luculento scribarum errore, pro trecenis. Quì enim fieri potuit ut caput ciuis Romani triplo minoris censeretur, quàm caput serui? Triceni autem à triginta est, treceni à trecentis. Huius nominis prima syllaba correpta est, illius uerò producta. Similis error apud Horatium est libro secundo Carminum, Ode decimaquarta: Non si trecenis quotquot eunt dies, Amice places illachrymabilem Plutona tauris. Vbi omnes codices tricenis perperam legunt. Et quod hic trecenis distribui ne ait, postea Iunius in oratione pro Captiuis, trecentis dicturus est. Quod item hoc loco nummum quatrigatum, illic simpliciter nummum uocat, fortasse commiserationis gratia. Nam quadrigati, bigatique denarij erant, quaternis nummis ualentes, ut clarum est ex Plinio libro tricesimotertio, capite tertio. Ipse Liuius paulò pòst summam uariat, ubi Hannibalem captiuis loquentem introducit. Equitum enim precium adijcit, de quo antea nulla mentio prętereà socios sine precio dimissos, in quos hic ducenos quadrigatos constitutos ait. Gellius libro 7. cap. 18. precium in captiuos ait ab Hannibale constitutum, argenti pondo libram ac selibram, nullum captiuorum faciens discrimen: quę summa dupla minor est trecentis quadrigatis, siquidem denarium per quadrigatum intelligamus, authore Plinio. Quare & hęc summa hic nobis suspecta.

Nam ad uestiendum facto perexiguo utique militantes utebantur.) 220. B. Vestiendum habent uetustiores codices: quidam emendarunt uescendum, quod ego non intelligo. Facto autem intelligit argento, ut opinor. Nam quod de auro quidam marginibus notam apposuere, somnium est.

Mulier Paula nomine, Busa genere, clara diuitijs.) 220. B. Et ipse Liuius paulo inferius Busam uocat, & Valerius Maximus lib. 4. cap. 8. Quapropter Paula, quid hic sibi uelit, si quidem Busa nomen est, non sanè uideo. Itaque considerandum lectori quo pacto distinguere hęc uelit, Nomine Paula, Busa genere: an mulier nomine Busa, clara genere ac diuitijs, ut omittatur Paula, quod & alij omittunt.

Quorum principem L. Cęcilium Metellum.) 220. B. Valerius lib. 5. cap. 6. ubi de Scipione, Quintum uocat, non Lucium, si codex non erat, ut sane huius authoris codex, qui libro quarto huius Decados M. Cęcilium habebat, ubi Censorum sedulitatem refert Liuius.

Mœnibusque se certe, etsi non armis.) 221. A. Hoc recte ab alijs restitutum est, cum quidam se tueri, alij secreti, nonnulli se teneri legerunt, pro se certe.

Sed multiplex clades cum duobus COSS.) 221. A. Non est hoc contrarium illi quod paulò antè dixit, Consule exercitúque ad Trasimenum priore anno amisso: nam hic ita nunciatum ait. Cęterum duntaxat ceciderat Lucius Aemylius Paulus, duo autem cęsi nunciabantur.

Literis Cōsulis Proprętorísque lectis. M. Claud.) 221. B. Hic locus in codice Aldino asterisco notatus est, & recte, quanquam si pro uerbo, pręesset, legamus pręerat, & suppleamus censuerunt, sensus erit clarus. Est tamen notandus locus.

Cum tribunus mil. Teanum Sidicinum pręmissa.) 221. B. Et hic locus asterisco in eodem notatus codice. Cęterum si intelligamus partem militum tertię legionis Romam missam, partem Teanum, & deinde secutum Marcellum cum Cannusium peteret, classem autem P. Furio traditam, non, ut puto, omnino militibus uacuam, aliquo pacto sensus constabit. Tribunis autem ablatiui casus integre scribendum. Teanum accusatiui, non datiui, ut contra uetustiorum codicum fidem quidam mutarunt.

Dictator ex authoritate patrum dictus M. Iunius.) 221. B. In alijs codicibus D. Iunius scriptum erat, fortaßis quòd captiuorum orator M. Iunius dicebatur. Verum in iisdem lib. sequenti M. pręnomen est dictatoris: quare nihil mutauero. fieri enim potest ut duo hoc fuerint pręnomine.

Sine ullius insectatione eorum.) 222. B. Illud eorum, quid sibi uelit, haud equidem intelligo, suspicor deesse aliquid.

Priore Punico Bello Calpurnio Flamma.) 223. A. Calphurnium quidam scribunt, at id leuiculum. Id magis mirandum tam uarium apud apud authores eius esse nomen, ut Aulus Gellius libro 3. cap. 7. annotauit. Quidam enim Q. Cęditium, quidam Laberium, Liuius & Florus Calphurnium Flammam, nocatum scripserunt.

Defecere autem ad Pœnos hi populi.) 224. A. Non subito defecere omnes quos hic enumerat, populi: sed quidam statim, quidam post annum, ut Croton ac Locri. Tarentum uerò, Metapontus ac Thurium quarto pòst anno App. Claudio Pulchro, Q. Fuluio Flacco III. COSS. Nec omnes Brutij defecere. Rhegini enim eius regionis, & in fide erga Romanos, & potestate suę ad ultimum manserunt, ut ipse Liuius libro sequenti dicturus est, quanquam Petellinos eodem libro paulò ante unos ex Brutijs in amicitia Romana mansisse dixerat. Sed temere hęc mixta sunt Liuio, ut in sequentibus libris luce clarius ostendi potest.

FINIS.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM TERTIVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



HANNIBAL *post Can. pug. castra capta ac direpta.*) 224. A. *Romanorum castris captis ac direptis legerem: quippe Hannibal Romanorum castra non mouerat, sua nõ diripuerat, sed contrà utrunq;.*

A Statio pollicente se Consam traditurum, Consanus erat.) 224. A. *Quidam pro Consam, emendarunt Cossam & Cossanus. In Tuscia est Cossa, nihil prorsus ad hunc locum. Plinius lib. 3. cap. 11. Compsano meminit, ubi Beneuenti ac Caudinorũ. Itaque ego hic Compsam legerim per ps. nisi locis diuersis idem nomen fuisse quis contendat, quod ego absque authoribus non affirmarim.*

Pacuuius Calauius nobilis.) 224. B. *Calauius per u, non per n legendum. Est autem nomen Samniticum, unde Campani oriundi erant, ut lib. 4. ab Vrbe condita docuit Liuius. Silius lib. 11. Pastulonem uocat, sed carminis fortaßis gratia: quanquam is poeta historico similior, ut de Lucano docti sentiunt.*

Cœptum propter uos cum Samnitibus bellum per centũ prope an.) 225. B. *Libro primo de bello Macedonico ait legatus Romanus in cõcilio Aetolorum per annos propè septuaginta: quod magis uerisimile est ex catalogo COSS. & annalibus. Sed hic oratoriè omnia auget.*

Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigenam.) 225. B. *Ita habent uetustiores codices, ut sit adiectiuum ad militem, non ad hostis. Quidam temerè, meo quidem iudicio, mutarunt in nominatiuum indigena: cum utique Hannibal esset Africæ indigena, sed non omnes eius milites. Loquitur autem de ea quæ propriè Africa, in qua Carthago.*

Vnus ex ijs Subius Virius.) 225. B. *Hic est qui in summa desperatione Capuæ senatores ad cœnam inuitat lib. 6. huius decados, quo in loco tamen Vibius Virius dicitur, non Subius.*

Atque etiam modo diu ad uarios omnium uoluptatum.) 226. B. *Loculum fortaßis est quod me hic torquet, torquet tamen: quid enim sibi uult illud, modo diu? Num pro admodum, ut sæpe alias? an uenus aliquis hunc occupauit locum, ut pleraque in hac decade? Valla legit, domo, & diu ad sequentia coniungit: sed nescio quid dicam. Sed & sequentia suspicionẽ non omnino uanam conuincunt, ut illud, ipsiq; ualetudinem excusans patri, quomodo ad priora connectitur? Et illud eius, quid refert, aut quomodo prioribus sequentibúsque obæret? Sed iudicet lector. Valla multis modis effert, uerùm coniecturæ sunt, quales plures effingere non esset difficile, si quidem uulnus sic sanaretur.*

Cum V imperatoribus eum, quorũ, IIII. COSS. duo di.) 227. B. *Nemini dubium, Magonem hæc quæ potuerit magnificentia senatui Carthaginensi retulisse cum amplißimo, ut decuit, fratris encomio. Quare miror hunc locum non ita legi: Cum septem imperatoribus eum, quorum quinque COSS. &c. Sunt autem hi, P. Scipio, T. Sempronius, C. Flaminius, L. Aemylius, C. Terentius, Q. Fabius, & M. Minutius. De Fabio certè & Minutio dubitari non potest, cum ipse eos hic nominet. Præterea cũ sex ait consularibus exercitibus, ubi etiam plures inueniet qui pugnas ordine leget: sed hercules in repetitione imperatorum Sempronij oblitus uidetur. At nobis hæc ideo memorare placuit, ut uideant studiosi, non omnino uanam esse suspicionem nostram, hanc decadem plenam esse mendis. Spero autem fore ut hæc per alios manifestiora fiant.*

Pro his tot tantisque uictorijs rerum.) 227. B. *Hoc rerum, quidam haud temerè amouerunt, mea quidem opinione. Quidam mutarunt in uerum. Quanquam præterea sensus uidetur desiderare uerbum, petis, uel quid simile.*

Tacuissem (inquit) hodie P.C.) 227. B. *Iidem uerò hoc inquit, sustulerunt ab initio huius orationis, quod ego malim in posterioribus sublatum: Respondeã inquit Himilconi. Errorem fecit dilemma Hannonis altera defectum parte. Dilemmatis partes sunt, si reticeam, si respondeam, & membrum quidam præcedens suis explicatum est partibus conditionalibus, sequens non item: sed statim absque conditionis explicatione respondet. quapropter non est mihi dubium, orationi aliquid deesse, quod cordatus lector iudicio hæc legens facile uidebit.*

Dictatórque cum Magone in Hispaniam præmis.) 228. A. *Vtrum Carthaginenses etiam dictatores habent, an ita loquitur Liuius, ut paulò ante P.C. dixit in Hannonicæ orationis exordio de senatu Carthaginensi?*

Latoque (ut solet) ad populum, ut equum ascendere liceret.) 228. B. *De his dictatoris cæremonijs nihil antea in Liuio lectum, neque de ascensu neque descensu, quod equidem sciam: sed neque apud Dionysium Halicarnasseum, cum tamen is lib. 5. nõ ita longè à fine de alijs moribus dictatoris tractet, nihil tamen eiusmodi narret.*

In agrum Nolanum exercitum traducit, & ut non hostiliter.) 228. B. *Ego coniunctionem &, tollerem è medio, propter participium sequens, prætermissurus.*

Ad prætorem Marcellum Clau. qui Casilini cũ exercitu erat.) 228. B. *Quidam pro Casilini bis hoc in loco, sed malè, meo quidem iudicio, restituerunt Cannusij, propterea quod lib. præcedẽte dicatur, Marcellus Cannusium magnis itineribus contendisse. Sed uel in itinere restitisse eum, uel Casilinum rediisse intelligimus, quod loca huius itineris facile conuincunt. Neque enim à Cannusio Nolam proficiscentibus Vulturnus amnis transeundus, neque Galatia petenda: at utrunque à Casilino, etiamsi de Galatia nihil desinimus.*

Et ante omnes L. Bantius.) 229. A. *Valerius Maximus libro septimo cap 3 de uafre dictis aut factis, tale quiddam non de Marcello, sed Q. Fabio scribit, quanquam subobscure.*

In hac comitaria iam duorum exercituum statione.) 229. A. *Hic locus quam bene habeat, uehementer dubito: neque enim usquam memini me legere quid sit comitaria statio.*

Casilinum eo tempore Prænestini habebant.) 229. B. *Quidam adiecerunt numerum, quingenti Prænestini: sed ut alia in hac historia non constant, ita nec militum numerus. Valerius enim Maximus libro septimo trecentos fuisse Prænestinos ait. Strabo libro quinto circa finem, ait quingentos & quadraginta fuisse. Liuius paulò pòst ambiguè loquitur. Nam qui in præsidio fuere (inquit) ex quingentis septuaginta minus dimidium ferrum famesque absumpsit. Sed præmiserat paulò ante, Prænestini maxima pars fuere. quod mirum uidetur, cũ Perusina cohors, homines CCCC. & LX. unà cum ijs obsidionem pertulerint. Verùm cum cogito in hac rerum necessitate Valerio murem fuisse, Straboni autem medimnum, ducentis uendi tum denarijs siue drachmis: deniq; Liuium, cum ex proposito ut historicus, ea scriberet de fame, cæterùm nihil hac de permutatione meminisse, suspicio subit animum, uel libros corruptos, uel historiam indiligenter à Romanis scriptam, ut sunt alia pleraque.*

Et cum hostes obarassent quicquid herbidi &c.) 230. B. *Hæc ita Liuius narrat, quasi Pœni obarauerint quicquid herbidi terreni extra murum erat. Strabo autem de Prænestinis πλησίον τοῦ τείχους refert, quod ego intra muros intelligo, ac proinde Hannibalem territum, aut tædio potius affectum, si Prænestini obsidendi essent, donec rapæ maturescerent. atque hic sensus Strabonis uerisimilior uidetur. Hannibalis enim exercitus nulla*

tanta

tanta premebatur angustia, præsertim tam propinqua Capua, felicissimoq; Campano agro in Pœnorum iam manibus, ut rapa ijs ferenda essent.

Eodẽ tempore Petellinos, qui uni ex Brutijs in amicitia Rom. manserant.) 231. A. Quomodo una Petilia, cum Consentia ac Rhegium quoque manserint? Consentiam enim post Petiliæ expugnationem intra paucos dies, cum minus pertinaciter defendisset se, in deditionem Hannibalis uenisse scribit. Rheginos uerò & in fide erga Romanos, & potestatis suæ ad ultimum mansisse, quod ad finem prioris libri admonuimus.

Consultique iterum à M. Aemylio prætore.) 231. A. Hic primo huius belli anno Siciliæ prætor fuit, cui Sẽpronius COS. cum ipse è Sicilia reuocaretur, quinquaginta nauium classem expleuit, cuique prorogatum imperium uidetur anno secundo huius belli, quippe cum Liuius meminit ante creatos C O S S. tertij anni L. Aemylium & C. Terentium. Cæterum huius anni prætorem urbanum, M. Pomponium Mathonem ipse Liuius creatũ dicit, ubi dictos iam C O S S. Quare & hoc loco, & paulò pòst M. Pomponium Mathonem legendũ puto pro Aemylio, ut posteà sæpe legitur. Anno uerò sexto huius belli M. Aemylius fit prætor, sed opinor alium fuisse.

L. Furium prætorem cum classe ex Africa.) 231. A. P. Furium legendũ, ut superius in creatione magistratuum huius anni libro secundo, & alibi etiam sæpe eodem libro.

L. Aemylius qui C O S. Censórque fuerat.) 231. A. Cum L. Aemylius Paulus iam occisus esset apud Cannas, alter etiam eodem nomine bello Gallico, anno ab Vrbe condita. 529. authore Polybio, hic locus mihi plane suspectus, maxime uerò in prænominibus. Fortaßis autem legendum. M. Aemylius, qui C O S. fuit anno 524.

Vt quisque eorum primus creatus erat.) 231. B. Hic codex Moguntinus, & eũ secutus Aldinus, addit senator, ante primus: ex qua lectione nullus est sensus, neque ego puto addi debere, sed Liuium id uelle dicere, ut quisque eorum primus creatus erat, uidelicet in magistratu, ita primum inter senatores electus. Sic enim ordini ordo, ac tempus tempori, non homo homini præferetur.

Et T. Semp. Gracchus, qui tum magister equitum & eò accurrerat.) 232. A. Quidam hunc locum emendare uolentes, occurrerat posuerunt pro, & eò accurrerat. At ego legendũ puto, qui tum magister equitum cum eo accurrerat. Venerat enim cum dictatore hoc tempore in urbem, cum antea ad exercitum manere, dictatore in urbem commeante, cogebatur.

De exercitu eos qui ex fuga Cannẽsi essent, in Siciliæ ca. du.) 232. B. Iidem hunc locum ita emendarunt: De exercitu Marcelli, qui ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci. Verùm si Marcelli exercitus erat, quem Nolæ in præsidio habebat, quique ibi strenue nauauerat operam, cur ij soli in Siciliam relegandi? cum maiorem partem Cannensium reliquiarum cum Varrone in Apulia fuisse uerisimile sit: de cuius tamen exercitu minime minuendo Senatusconsultum factum erat. Quare ego ueterem lectionem probo, hoc sensu: Qui ex Cannensi strage fugissent, ut ij omnes, in Siciliam relegarentur, de quoque exercitu essent. Varronis autem exercitum non minui, intelligo numero: quot enim in Siciliam irent, tot in locum eorum succenturiandos. Scio autem quæ postea de Claudianis castris dicet Liuius, rem nusquam antea proditam, ut mirum sit unde ea Marcellus corraserit castra supra Suessulam, quæ deinde super Vsunũ ponit, in quibus Q. Fabium consederit,

P. & Cn. Sc. piones inter se partitis copijs.) 232. B. Quidam hunc locum satis castigatum putant, si partiti copias legatur, & intelligunt uerbum substantiuum, sunt. Quidam locum nihilominus mutilum putant. Item quod paulòpòst sequitur. Tum refecta tandem spe, nescio ut placet. Refecta castra dicimus, & refectos milites: refecta spe haud scio quàm sit in usu.

In Tartesiorum gentem.) 232. B. Hoc quoque loco iidem Carpesiorum pro Tartasiorum reposuerunt, quod nomen haud usquam, quod equidem sciam, lectum est. Tartesos uerò oppidum ad Calpen, ita à Græcis dictum, alias Carteia, ut Plin. lib. 3. cap. 1. innuit. Nec distantia ab Ibero impedit, cum Hasdrubal alibi ad oceanum usque fugisse dicatur.

Nec diu in pacato mansit.) 233. A. Exercitum in pacato ac in hostico esse, sæpius lectum est apud authores. Regionem aut gentem in pacato manere, haud scio quàm sit frequens.

Itaque urbe defensoribus uastata facile potiti sunt host.) 234. A. Vide ut accipiat illud, uastata. De Crotone autem loquitur, quem hic captum dicit, libro autem sequenti ab initio, à Brutijs obsideri scribit. Idem memoriæ lapsus de Locrẽsibus est, quos hic desciuisse ad Brutios Pœnosque ait, nec ita multò pòst Romanis portas quoque clausisse, sequenti uerò libro ab initio prorsus contrarium scribit. Hic locus, meo quidem iudicio, nullam accipit excusationem.

Vt duumuiros esse iuberent ædis dedican. cau.) 234. A. Quidam pro duumuiros, reposuerunt Fabium duumuirum, magna audacia, meo quidem iudicio, cum & T. Octacilius creatus sit postea, non Fabius tantum. Itaque pluralis numerus manebit, ut postea cum dicit, interea duumuiri creati sunt. Et, ædium dedicandarum causa, legerem, non ædis dedicandæ, quemadmodum postea ædibus dedicandis dicturus est.

T. Sempronius C O S. Cales ad conuen. diem edic. Inde VI. leg.) 234. A. Hic Cales dies edicitur, paulò pòst Sinuessam. Idem Sempronius hic legionibus duabus urbanis, paulò pòst Volonibus præficitur. Sed urbanæ etiam legiones in castra Claudiana deductæ sunt, ut plane appareat tempore mutata esse imperatorum decreta. Hoc etiam mirum, quum antea de castris Claudianis nullam fecerit mentionem Liuius, qui Marcellum nunc Nolæ, nunc Cannusij, nunc Casilini fuisse dicat, hic tanquam ea omnibus nota essent, commemorat, ac postea sæpius.

Q. Fabius Maximus, & T. Attilius Crassus.) 234. B. Quidam pro Attilio reposuerant Octacilio, quod non displicet, quippe qui post dedicationem ædis postea cum imperio in Siciliam mittitur. Sed ubiq; hoc emendatum oportuit. Verùm eodem prope uersu reliquerant, Menti Attilius, cum adhuc de eodem loqueretur. Et lib. 2. post pugnam Trasimenam ubi ea nouentur, Attilius ijdem reliquerunt. Non tutum est mutare talia, nisi totam historiam memoria teneas: sed quidam audaculi non admodum curant, præsertim hac tempestate.

Volones quoque patres ita fama ferebantur.) 234. B. Pro Volones quoque alij, uulgóque: alij, uelle quoque legunt. Sed non satis fit cordato lectori, nec ego sanè medelam ullã adhibere possum, rectéque asterisco notatum hunc locum ab alijs puto, à nobis repetitus, ut in uetustis exemplaribus diligẽtius inspiciatur. Diuinare omnia non possumus. Certum est infimulatos patres à plebeys aut tonitrua finxisse, aut curasse ut falso nuntiarentur, quòd duos C O S S. plebeios habere nollent.

Vnde Mago frater Hannibal. XXII. mil. ped. & equites.) 234. B. Hunc locum quidam restituerunt, ut ex XXII. millibus peditum fecerint XII. mill. & ex XL. elephantis, uiginti, & argenti multa talenta, mille talenta. Quæ quidem neque affirmare, neq; refellere prorsus, at ex parte magis dubia, maxime ex ipsius authoris uerbis, facere possumus. Nam decretum senatus Carthaginensis, quod superius hoc adeò in libro post Hannonis orationem nobis exhibuit Liuius, longe maiorem habet numerum, XL. millia Numidarum, XL. elephanti, & argenti multa talenta. Et Bomilcar postea XL. elephantos Hannibali Locros adduxit. In plerisque exemplaribus utroque in loco non mille talenta, sed multa inuenio, quanquam ego millia magis probo.

Terentianum mitti cum aliquo legatorum.) 235. A. Obscurus hic sermo est. Varronianum putat exercitum. & mitti intelligo in Siciliam, ut Cannensis cladis reliquias. M. aut Valerium legiones uenturas accipere in locum harum, missas ex Sicilia.

M. Valerium Leuinum prætorem circa Nuceriam.) 235. A. Quidam quòd Nuceria direpta atque incensa esset ab Hannibale, ut supra tradidit author, reposuere Numeriam. At ego Luceriam legendum puto, quemadmodum ad finem huius libri habetur, ubi eiusdem Valerij mentio. Numeriæ oppidi, quod equidem sciam nulla est apud authores mentio. Id nominis etiam in Ptolemæi codicibus lib. 3 fere corrupte legitur.

Q. Valerius Flaccus Corcyræos ad persequendam &c.) 235. B Iidem & hoc loco Q. Fuluium Flaccum supposuerunt,

temerè

temerè sanè, cum Q. Fuluius prætor urbanus Romæ relictus, ad suburbana littora tutanda nondum ab urbe mouerit. Ego tamen non Q. Valerium, sed P. Valerium puto legendũ, qui M. Valerij Leuini prætoris peregrini legatus fuit, ut in sequentibus latius legetur, quanquã uno in loco sequẽtis libri T. Valerius, haud dubio codicis errore, uocetur. Sed quatuor uiri, M. Valerius Leuinus, P. Valerius Flaccus, Q. Fuluius Flaccus, L. Valerius Antiâs, hoc anno in officijs, magnã errãdi occasionẽ nõ attẽtis librarijs, oscitantibúsq; codicum correctoribus, confinio nominũ dedere.

Quinque millia peditũ, trecentos equites scriberet.) 235. B. *Quidã, imò ijdem etiã quadringentos emendarunt equites, moti fortaßis quòd legionẽ auctã millenario uiderũt. At Polybius cũ libro primo legionẽ Romanã quaternis millibus peditũ, trecenis equitibus exhibeat, libro deinde tertio, ubi legiones auctas ante cladem Cannensem refert, hæc subijcit uerba: Romani enim, sicuti suprà memorauimus, IIII. legionibus exercitũ complẽt. Singulæ quæque legiones quaternis millibus peditũ constãt, equitibus ducentis: aut siquando ingens aliqua neceßitas urget, quinis millibus peditũ, trecẽtis equitibus. Hæc ille. Quanquã in hoc Polybij numero illic fortaßis trecẽtis producẽtis, hic uerò quadringentis pro trecẽtis legendũ. In Liuio sanè libro septimo ab Vrbe cond. quaternûm milliũ ac ducenorũ peditũ cum trecenis equitibus legio describitur, quæ ab eodem libro octauo quinûm millium, equitibus non uariatis exhibetur. Ego totum hoc lectoris iudicio relinquo: nam de equitibus quod certum affirmem, non habeo.*

Marius Alfius qui summus magistratus erat Camp.) 236. A. *Marij Blosij prætoris Campani mẽtio est nõ ita lõgè ab initio huius libri. At in summo magistratu Medixtutici erãt, ut libro sexto huius decados patet, & priore anno Pacuuius Calauius in summo erat magistratu. Verum non uideo quàm sint hæc apud Liuium distincta, fortaßis ut ad historiam minus pertinentia, consultò ab authore neglecta.*

Alia militi præda cõcessa, exercitúsq; Cumas reductus.) 236. B. *M. Valerius Leuinus Luceriæ erat, ex qua urbe in Hirpinos facile impetũ facere potuit. Ergo hic nõ Cumas legendũ, sed Luceriã: longè enim absunt Cumæ. præterea Cumis in præsidio erat COS. Sempronius cum exercitu, ut prætoris minime egeret.*

Ad naues XXV. quibus P. Valerius Flaccus præf.) 237. A. *Hoc etiam loco pro Valerio Fuluium quidam nobis exhibuerãt, sed haud scio quàm bene. Porrò ingens difficultas cum ex re ipsa, tum ex multa nominum confusione, ut usquam alibi, certè hoc potißimum loco mire moratur lectorem. Sed ut totũ negotium melius intelligatur, hæc ordine annotãda duximus. Primum quidem scire debemus quòd Q. Fuluius Flaccus erat prætor urbanus, qui nondum ab urbe mouerat: quod ex hoc manifestũ est, quippe qui paulò post à T. Manlio re bene gesta in Sardinia captiuos accipit, & ad finem huius libri concionẽ ad populũ habet Romæ. Erant autẽ eidẽ Fuluio datæ XXV. naues ad tutanda urbana littora, sicut M. Valerio Leuino totidem ad oram maritimam inter Brundusiũ ac Tarentũ. Idem Fuluius prætor (si lectionẽ hoc loco recte emendarunt qui ex Valerio Fuluiũ fecerunt) nũc XX. ac rursus quinque, quæ legatos captos aduexerant, accipiens naueis, cum classe L. nauiũ Tarentũ proficiscitur. M. Valerius Leuinus Luceriæ adhuc erat, ut ex prioribus facile colligitur, uidelicet ad quẽ Philippi legati semel elapsi, ac deinde rursus capti, deducti erãt, opera P. Valerij Flacci, M. Valerij legati, nõ autem opera Q. Fuluij, qui tũ adhuc Romæ erat. Decretũ autè Senatus post captorũ legatorũ aduentũ ita habuit, ut Q. Fuluius (si modo & hoc loco rectè hoc emendatũ) iret Tarentũ, rẽsque Philippi Macedonum regis per L. Apustũ qui tum Tarento præerat, scrutaretur. Quòd si certũ bellũ à Philippo esset, ut cõtinuò L. Apustio in Apulia ad exercitũ Leuini relicto, ipse Leuinus in Macedoniam proficisceretur, regémque ibi bello uexaret, quod etiam factũ postea est. Et in hac tota difficultate duo scrupuli lectorẽ detinent. Prior, num Q. Fuluius prætor urbanus ab urbe mouerit, quod non uidetur uerisimile, propter causam dictam. Alter, num urbs sua littora nudari uoluerit, ut classem L. nauiũ Fuluio expleret, quod & ipsum haud credibile, nec tamẽ interea mẽtio ulla de alijs ad tutanda urbana littora nauibus paratis. Quapropter P. Valeriũ Flaccum ubiq; legã Leuini legatũ. & XXV. naueis ab Hostia profectas, non L. sed tũ primũ, posteaquã Tarentum uenerint, L. factas. Fieri autẽ potest ut Liuius in nauiũ numero memoria lapsus hæc confuderit, quòd XXV. nauium ter hic mentio fit, cum Leuino, cum Q. Fuluio, ac nunc demum cum P. Valerio missarum. Verum ut hac in re nihil temerè affirmarim, ita cum nemine contendere in animo est. sequatur porrò quod quisque uelit.*

Et in Sardinia rei per T. Manlium prætorem admini.) 237. B. *Proprætorem legendum est. Q. enim Mutius prætor erat, non Manlius, ut uerba sequentia satis declarant. Hoc loco admonendũ etiã, Caraleis Sardiniæ urbẽ, mea quidẽ opinione rectius legi per r, post primã syllabã, & l post secundam. quanquam id in Plinianis codicibus ac alijs quibusdam authoribus corruptum est, ut apud Claudianum de bello Gyldonico in his uersibus,*

Vrbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Calaris, tenuémque per undas
Obuia demittit fracturum flamina collem.

Caralis legendũ. Nam & Strabo κάραλιν πόλιν nominat, nõ κάλαριν. Sed id erroris etiã accidit in Σθένελος, quod Latini codices identidem Sthelenus habent, ut est uidere apud Horatium.

In pellitos Sardos.) 237. B. *Non memini id nominis apud ullum geographum lectum, sed uel antiquitate abolitum, aut corruptum fortasse, ut sunt in hac decade pleraque.*

Per proditionem accipiendæ Nolæ.) 239. A. *Quidam recipiẽdæ emendarũt, quasi antea quoque tenuisset eam Hannibal, nunc reciperet amissam, sed ego nil mutarim. Post aliquot itẽ uersus Mille ferè paßuum inter urbem erant castráque. uide num, erat, legendum sit, aut mille paßus: alioqui latinitas non constat.*

Nolanis subsidijs fultus.) 239. A. *Iidem fultus mutarunt leguntque multus, quod non probo. Et paulò pòst, Ferrum nõ hebet: quidam, ferrum num hebet? quidam, ferrum nũc hebet? Et rursus, uix resistitis, emendarunt, uix restatis. ego resistitis malim.*

Inter multos nobiles equites Campa. acerrimus erat.) 239. B. *Vide an non eandem rem bis dicat: Inter nobiles equites Cãpanos acerrimus erat. & longe omnium Campanorum fortißimus eques. fortaßis autem & locus mutilus, nisi quis adiectum aliquid authori contendat, quod uerisimilius.*

Minime scis, inquit, cantherum in fossa.) 240. A. *Ita D. Erasmus Roterodamus præceptor noster legit, Quidam sis legunt, ut Valla, pro, si uis: & in fossam pro, in fossa: sed uerba sunt obscura, ut idem in nobili illo adagiorum opere fatetur.*

Sed pecuniã in stipendiũ uestimentáq; & fru.) 240. A. *Hanno libro præcedẽte Magoni eadẽ de Hannibale exercituq; eius uictore cõquerẽte, quid aliud, inquit, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Sed fortaßis importuna hæc. Illud autẽ quod mox sequitur, Nemo omniũ erat, quin et uera scribi, & postulari æqua fateretur: quidã mutarũt in, qui nec uera scribi: alij in, qui nõ et uera scribi. Sed uetusta lectio mihi magis placet, quin & uera scribi.*

Hi mores, eaq; charitas patriæ per om. ord. ue. ten. uno pertinebat.) 240. B. *Sermo, propter uerbũ pertinebat, ualde obscurus, nec ego tamẽ quid reponẽdũ sit, uideo. Præterea cõsiderandũ lectori quæ sit illa lex de qua prætoris Fuluij uerba pro cõcione, Cõducerẽtq; ex lege præbẽda, quæ aliquot uersibus præcesserũt.*

Illiturgim oppidũ ab Hasdrubale ac Magone & Hamilcare Bomilcaris filio.) 240. B. *Libro quinto huius belli nõ uno duntaxat loco, Pœnorũ in Hispania duces referuntur hi: Hasdrubal ac Mago Hamilcaris, Hasdrubal Gisgonis. Quare hũc locũ ex illis emendandũ puto, atq; legendũ ad hũc modũ: Illiturgũ oppidũ ab Hasdrubale ac Magone Hamilcaris, & Hasdrubale Gisgonis filio, ob defectionem ad Romanos oppugnabatur.*

Ab Incibili oppugnãdũ Punici exercitus traducti.) 240. B. *Ab Indibili legẽdũ, ut sit sensus, cũ Illiturgũ obsidione liberatũ esset, Punici exercitus ab Indibili rursus oppugnãdũ traducti sunt. De hoc autẽ in sequẽtibus multa. Ipse enim causa fuit mortis P. Scipionis in Hispania, ut lib. 5. huius decados refert Liuius. Idẽ P. Scipioni filio deinde cõciliatus, lib. 7. Sed rursus à Romanis defecit lib. 8. Vitæ uerò finẽ inuenit lib. 9. ab initio, posteaquã ipse ac Mãdonius post P. Scipionis discessum Hispaniã rursus armarũt, ingẽtiq; pugna uicti à L. Lẽtulo ac L. Mãlio Romanis imp. suæ temeritatis pœnã dedere. Quis aũt ita loquitur, ad Incibili oppugnãdũ? quare insignis hic correctorũ dormitãtia notanda fuit.*

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRUM QUARTUM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



Taque Locrenses frumentum lignáque & cætera necessaria.) 241. A. Hic Locrenses aduersus Pœnos fuisse ait, quos priore libro ad Brutios defecisse, ac Romanis portas clausisse ait. Eadem de Crotoniatibus obliuio, quam urbem expugnatam à Brutiorum exercitu ait, præter arcem, hic rursus oppugnari ab ijsdem. Non est mihi dubium in tanto rerum gestarum aceruo Liuium memoria lapsum. Nam quod quidam hunc locum excusant, obiter priore libro hæc innuisse, hic uerò rem ipsam diffuse scripsisse ut acta sit, mihi nõ probatur.

L. Attilio præfecto præsidij &c.) 241. A. Libro secundo lectorem admonuimus, etiam atque etiam uideat de huiusmodi locutionis genere. Nam ut illic singulari nomini, non collectiuo, dedit uerbum pluralis numeri, Mandonius uenere, quia interiectus erat ablatiuus pluralis numeri: ita hoc loco substantiuo singulari adijcit pluralis numeri adiectiua, interiecto inter duos ablatiuos nominatiuo. Porrò uerba quæ præcedunt, utcunque intelliguntur, cum ait, Haud dubio in speciem cõsensu. Quidam codices habent in spem, sed obscuriore adhuc sensu. Similis dicendi modus est lib. 3. ab Vrbe condita ubi tribuni cũ Terentillo agunt. Item hoc postea libro, ubi Andronodorus ac Themistius interficiuntur. Item rursus postea ubi Appius ad portum Syracusanum classem tenet. Et libro quarto decados quartæ in Catonis strata-gemate.

Succedenti tanta charitate Hieroni.) 242. A. Quidam Hieronis in gignendi casu substituerunt, sed nihilo clariore sensu: & est sanè locus ubi grammatici sudare iure possint. Ego in dandi casu malim legere, sed iudicet lector.

Nec inuito Hannibale apud tyrannum manserunt.) 242. B. Hoc ego de imperatore Hannibale intelligo. Sed id mirum, cum postea tam sæpe sit mentio Epicidæ ac Hippocratis, qui fiat ut iuuenis Hannibalis hic unà connumerati nulla sit mentio? Atqui subit hunc locum corruptum esse, atque ad hunc legendum modum: Legatique ad Hannibalem missi, ac remissi ab eodem Hannibale nobiles adolescentes Hippocrates ac Epicides.

Quem neque mittere à sacris, neque retinere possimus.) 243. B. Nisi suppleamus, ad sacra, quid sibi uerbum retinere uelit, non equidem intelligo.

Ego magnopere suadeo eodem animo, quo si stantibus &c.) 243. B. Erat hic locus aliquot codicibus asterisco notatus: offendit fortassis quòd in quo, intelligẽdũ erat, scilicet animo crearetis COSS. Sed non adeò superstitiose locutos esse eximios authores uel hic locus indicio fuerit.

Admonuit cum securibus sibi fasces præferri.) 243. B. P. Valerius Publicola in urbe fascibus abstulerat secures, extra urbem autem ferebant COSS. ut Dionys. Halic. lib. 5. scribit. Liuius uerò lib. 2. summissos sanè populo fasces scribit. secures uerò demptas, ne uerbo quidem meminit. Admonet igitur hoc loco Octacilium Fabius ut sileat: nam secures adesse & fasces, quibus occidere eum possit, si ius ineundi suffragia populo impedire conetur. Admonuit igitur, minitatus est.

Referebant senes sic T. Manlium cum P. Decio.) 244. A. Pro T. Manlio quidam restituerunt Fabium Maximum, & rectè. Nam T. Manlius bello Latino, non Gallico, & cum P. Decio patre, non filio, COS. fuit. At bello Gallico, quod fuit anno ab urbe condita 458. Q. Fabius Rutilianus, qui Maximi cognomen primus habuit, COS. fuit cum P. Decio P. filio. Hic etiam Fabius à Plutarcho Rullus dicitur.

Deinde occupata dextra tenendo caput.) 245. B. Neque hoc facile intellectu est, nec uerum credo. quisque enim, ut puto, dextra gladium potius, caput autem hostis sinistra tenere uolet. Id quanquam indignum annotatione uideatur, omittere tamen noluimus, cum Gellius multo curiosius de sursum acto iaculo aut deorsum disputet, lib. 9. cap. 1.

Pomponio proprætore cum eo exercitu qui supra Suess.) 246. A. Ab initio huius anni Põponius in agro Gallico erat, nec interea eius ulla mentio. Oportet ergo hic intelligere Romam accitum, ac deinde cum COS. Marcello in Campaniam concessisse, cuius tamen rei ne uerbo quidem meminit Liuius. Fortassis autem & nomen corruptum.

Oppida ui capta, Compulteria, Telesia, Cossa &c.) 247. A. Compulteriæ ac Telesiæ etiam superioribus libris mentio. Cossæ in Hirpinis meminit ab initio huius libri, ubi tamen Compsam libentius legerim. Sequentia nomina quàm bene habeant, nihil definio. Porrò post aliquot uersus quod legitur, statimque ad Ardoneas, uidendum num apud Herdoneam legendum, ut sæpe postea. Ardonearum nemo, quod equidem sciam, meminit.

Tarentum triduo antequam Hannibal ad mœ. ac.) 247. A. Locus notatus erat in plerisque libris asterisco, desideratur enim nomen Romani præfecti, qui Tarentum tenuerit à M. Valerio missus. Sanè libro priore L. Apustius Tarento præerat. Quidam T. Valerium substituere, sed P. Valeriũ maluissem. Ipse Liuius M. Liuium præfuisse dicit, ac Tarentum sub eo captum ab Hannibale præter arcem, quam quinquennio defendit, donec Q. Fabius Tarentum rursus ceperit. Nec tamen eum Salinatorẽ fuisse puto, quod nec Liuius usquam perhibet, sed Macatum. Viriusque sanè mentio est lib. 7. huius belli, ubi Cl. Nero cum Salinatore fit COS. Certe Salinatoris descriptio, quam eo in loco exhibet author, nequaquam Tarenti præfecto conuenit, etiamsi Cicero in Catone, ubi de Q. Fabij laudibus disserit, Salinatorem fuisse dicat: sed fieri potest ut aut hoc adiectum sit Ciceroni, aut nominum uariatio in erroris causam dedisse, ut hoc usiatum sit in Romana historia, quemadmodum in alijs plerisque accidisse satis certu constat.

Hexaphoro Theodorus ac Sosis.) 247. B. Hexapylo rectè emendarunt alij. At nomina partium urbis Syracusarum apud Liuium & hoc & sequente libro, non usqueadeò cum Thucydidis descriptione quam is habet libris 6. ac 7. conueniunt. Et hoc loco Tincham quidam habebant codices, cum libro sequente Thicam, in Thucydide Sycæ nomen est, quam Athenienses muro celerius Syracusanorum opinione circumscripserant. Fieri tamen potest, ut Hieronis tempore multa adiecta mutataque fuerint, quæ ex his duobus authoribus, facta comparatione, aliqua ex parte satis apparent.

Qua pedibus tractum, non insidentem equo rel. tyr.) 248. A. Sententia est tyrannica, cuius sensus utcunque percipitur. at illud pedibus tractum, subobscurius est. Obscurum item illud quod ad finem orationis Andronodori, ne efferatur res.

Qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos.) 249. A. Quidam emendauerant, publicanorum animos, sed mihi prorsus displicet.

Sed tamen Hieronis potius quàm Hieronymi autho.) 250. A. Hæc uerba etsi simpliciter quidem, & (ut ita dicam) absolute intelligi possunt, uidetur tamen nescio quod desiderare uerbum. ut, ostendere, uel quid simile: ut sit sensus, Hieronis authoritatem potius quàm Hieronymi in socijs legendis sequendam esse: id ostẽdere amicitiam L. annis feliciter expertam. Nã illam disiunctam non admodum intelligo. Sed iudicent hæc doctores.

Mutique cum eis legatos ad rem confirmandam.) 250. A

Cum

Cum eis, intelligo Romanis legatis, quos Marcellus Syracusas miserat. nisi coniungas ad rem confirmandam cum eis. præcesßit enim Romanis. Sed est durum tamen utrunque. Item quod statim subnectit, Præsidium finibus suis orantes: à quo infestarentur, dicere omisit Liuius, rem magnopere necessariam ad sequentia intelligenda.

Capti ad Thrasimenum inter Roman. auxilia.) 250. B. COSS. C. Terentio ac L. Aemylio ante Cannensem pugnam, Hiero mille sagittarios ac funditores Romanos miserat. Itaque ego legerem, capti ad Cannas. nisi quis cum Sempronio etiam aliquos missos intelligat, quod tamen Liuius nusquam commemorat. Accedit ad hæc, quod non ita multo pòst Hiero mortuus est, ut illos sub Hieronymo, non Hierone meruisse, rectè intelligi queat.

At militares penè omneis, partémque ma.) 251. A. Quidam pro at, restituerunt ad. Ego apud malim, & nomen Romanum potius quàm Romanis.

Tunc Romanus exercitus ad Olympium.) 251. B. Ὀλυμπιεῖον est apud Thucydidem lib. 7. quare Olympeium legendum.

In eas quæ procul erant naues, saxa ing. pon.) 252. A. Verisimilius erat in propiores naueis saxa ingenti pondere missa: in eas uerò quæ procul stabant, leuiora tela: nisi propinquitas effecerit, ut interiores naues tutiores essent ab ictibus. Sed lectoris esto iudicium.

Aditúsque ibi & à legatis Hippocratis.) 252. A. Quidam mutarunt in accitus, sed nihilominus obscuro manente sensu. Illud etiam, ibi, quàm bene cum accitus connectatur, aliorum esto iudicium.

Duplici facile numero classe aduentantibus Rom.) 252. B. Carthaginensium clasßis erat nauium quinque & quinquaginta, Romana XXX. quinqueremiũ, ut paulò antè dixit author: hic uero dicit Romanam classem facile duplicem ad Carthaginensem. Oportebat igitur aliam classem esse, de qua tamen nihil meminit, quod sciam.

Et nec liberorum etiam suorum causa parentes sanxisse.) 253. A. Moguntinus codex habet, Et hoc liberorum etiam suorum causa. uerum ex neutra lectione sensum percipio. Valla ait eum de T. Manlio Torquato loqui, additque sanguine. Inde quidam ita legunt. Et nece liberûm etiam suorum eam legem parentes sanxisse. quæ lectio mihi placet.

Ipse hybernacula V. mill. pass. hexapyl. (Leontiam uocant.) 253. B. Leontium distare uult, ut puto, ab Hexapylo V. mill. pass. At Thucydides lib. 6. Leonta uocat locum, ut puto, sex septémue stadijs ab Epipolis distantem, quod uerisimilius est in obsidione, nisi non sit idem locus.

T. Valerio legato.) 253. B. Priore libro admonuimus pro hoc Valerio non rectè Q. Fuluium substitutum. Cæterum nunc Q. nunc T. in quibusdam libris inuenitur, in quibusdam P. quod equidem malim.

Arx erat munita, & eo conuexerant ante frumen.) 254. A. Cum attentione hoc legendum, nam lubricus locus est. Nescias enim Romani ne an Carthaginenses arcem possederint. Nam si Carthaginenses posßidebant, quomodo circa omnia plena hostiũ erant? qui Romanum agmen uidelicet incursauerant. Sin Romani habebant, quare relinquebant? præsertim cum munita esset, ac eò multum frumenti conuectum. Scio alijs modis responderi posse, sed ut lectori cordato satisfacere queam, nescio.

Octauum iam annum sub hostium potestate esse.) 254. B. His est annus quintus huius belli: quapropter si Saguntum primo huius belli anno captum est, ut lib. 1. docet Liuius, non octauum, sed quintum legendum. Sin priore anno captum Saguntum, quàm hoc cœpit bellum, quod Polybius scribit, sextum legendum est. Id erroris in numeris facile accidere poterat, sed mirum non animaduersum, quod tam facile redargui potuit.

Et in Iouis Vicilini templo quod in Compsano ag. est.) 255. A. Quis sit Iupiter Vicilinus, aut cur ita dictus, non equidem memini. Sed & Compsano quidam in Cossano mutarunt, quàm bene, ipsi uiderint.

Vt proditis pro septemuirali iudicio esset.) 255. B. His uerbis & quæ sequuntur aliena uidentur, & quæ præcedunt, male cohærere, & prioribus & hisce iam positis. Nam quis intelliget hæc? Tum postquam &c. turpius uideatur, cum non præcesserint, cum? Porrò septemuirale iudicium quod sit, cum Sabellico ingenue fateor me nescire. Quidam pro proditis, legunt proditio, ut codex Moguntinus. Veteres etiam aliquot codices habebãt proditus. uerum inde nullus sensus est. Septemuirorum epulonum mentio apud Fenestellam, sed nihil de iudicio proditionis. Laurentius Valla hoc loco mirum in modum luctatus est, at nihil promouit.

Et non nocitent. documentum autem dicant.) 255. B. Et hunc, & præcedentem locum mutare lectione conatus est Sabellicus, cum neutrum intelligeret, pro septemuirali, seniemurali: dicant, pro ducant, legens. Hic uerò si particula autem, sequatur uerbum documentum, præcedátque colus, nullus prorsus erit sensus. Ego uero totum locum ita legerem: Cum illud potius agendum atque eis cogitandum sit, si quo modo fieri posßit, ne qui socij à populo Roma. desciscant neque nocitent documentum, neq; grauius in eum ducant statui oportere, si quis resipiscat.

Oppidum Aternum expugn. amplius LXX. mil.) 256. A. Sabellicus hunc locum rectè tractat, Cliternum, & septem millia, restituens. nimis enim magnus erat numerus LXX. millia hominum. Quanquam fluminis Aterni mentio apud Plinium lib. 3. tribus in locis. Fieri autem potuit ut eiusdem nominis cum fluuio oppidum olim esset, ut sæpius inuenitur.

Cum Aequimelio Ingarióque uico.) 256. A. Omnes aream quæ Sp. Melij domus steterat, Aequimelium appellant: certum autem etymon non adijciunt, neque Liuius libro quarto, neq; Valerius Max. lib. 6. Varro adijcit libro quarto: ait enim, Aequimelium. quòd æquata Melij domus publicè, quòd regnum occupare uoluit. Posset & hoc mirari aliquis, si Aequimelium area erat, ut uocat Valerius, qui ardere potuerit? Sed hoc pusillum.

Syphax erat rex Numidarum.) 256. A. Atqui quod hic ponit, non æque pusillum, neque quo pacto uerum sit, facile indicaui, cum libro octauo huius belli Liuius contrà Massæsylorum regem esse Syphacem dicat: Massæsyli sanè ad Molochath flumen sunt, Numidæ ad Ampsagam: & illorum regia Siga, ubi Syphax aditus à Scipione: horũ autem Cirtha, postea colonia Romana. Non eo tamen inficias Numidarum nomen longe patere: tum Masanissam postea capto Syphace, Massæsylorum dominum factum. at nos de præsenti disputamus tempore. Sed illa magis dubia, quæ de Masanissa continuò pòst subnectit Liuius, Syphacem ab eo ingenti uictum prælio in Maurusos Numidas, qui extremi prope oceanũ aduersus Gades colũt, fugisse. Intelligit autẽ Mauros & Tingitanam prouinciam. Propius igitur Carthaginenses aliqua saltẽ parte Galæ regnũ fuisset, longius uerò Syphacis, quod mihi suspectum, Sed libris sequentibus latius ea tractabimus.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRUM QUINTUM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



VINTUS Fuluius Flaccus, App. Claudius III. consula.) 257. B. Hoc loco qui tertium Q. Fuluio apposuerunt, non Claudio, recte fecere. Nam non ita multò pòst in creatione noui pontificis max. de Q. Fuluio dicitur, qui & ante bis COS. & Censor fuerat.

M. Iunius Syllanus inter COSS.) 257. B. Quid sibi uelit, inter COSS. hoc loco, non plane intelligo, etsi pauló pòst repetitum. Fuit autem hic in Hetruria prætor, quæ ei sorte uenit. quod postea etiam libro sequente ab initio fere innuit Liuius. Quare legendum, M. Iunius Syllanus Hetruriam. atque ita etiam Vall.

Populus seuerior uindex fraudis erat.) 258. A. Mira hoc in loco confusio horum nominum, populus, plebs, concilium plebis, tribus, Latini, & comitia. Nam cum primum dixerit, populum uindicem fraudis fuisse, statim concilium plebis subiungit. Et priusquam tribus in suffragium uocarentur, tribunos populum submouisse dicit. Deinde, Latinos suffragium ferre, populum reclamare, publicanos cum populo iurgantes facit. Item in relatione COSS. ad senatum, eadem nominum confusio. Quomodo enim hæc congruunt, Plebis concilium ui turbatum, suffragium populo per uim extortum, concilium plebis sublatum, contra populum Romanum aciem introductam, tribus prohibitas in suffragium uocari, populum Romanum uictum, comitia sublata?

Et forte in cornu primus sedebat Casca, cui simul.) 258. A. In cœtu quidam legunt, sed utrunque intelligitur.

Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.) 258. B. In L. Lentuli locum, qui pontifex maximus fuerat, hic Cornelius Cethegus suffectus quidem erat pontifex, sed non maximus pontifex, quare non est contradictio. Hodie in simili re haud scio quàm similiter agatur.

Dum ne quis eorum munere uacaret, neu dono.) 259. B. Moguntinus codex habebat in dandi casu, muneri. Sed ut ingenue dicam, neutra lectio mihi satis facit, ideóque ea de re lectori considerandum.

Aliquantum intra mœnia includitur.) 260. B. Hunc alij asterisco notarunt locum, & recte, nam mutilus est haud dubie.

Et prealtis rupibus, & ab ipsa urbe muro.) 260. B. Hæc uerba ut quadrent cũ ijs quæ aliquot deinde uersibus interpositis postea subijcit: Et est (inquit) non altitudine, ut cætera, tuta, sed loco plano posita: indicandũ lectori offero, nam ego sanè hæsito.

Hanno ab Cominio Certito, quo nunciata cla.) 262. B. Hanno frumentatum ierat, ut puto, in Samnium, quod Beneuento proximum est. At Cominio Certito, quo pacto dictum sit, non intelligo. Cominij quidem in Samnio libr. 10. ab Vrbe condita multa mentio est, sed Certito additum nos turbat. Cominos ex Aequicolis interijsse ait Plinius libr. 3. cap. 12. at nihil ad hunc locum.

Quod urbi tam propinquæ tertium annum impunita defecta es.) 263. A. Atqui post L. Aemylium ac C. Terentium, sub quibus Capua post cladem Cannensem defecit, hi quinti sunt COS. Tres igitur anni præterierunt, quare legendum puto uel quintum uel quartum. Porrò hæ locutiones per accusatiuos in latina lingua sæpe fefellerunt, ut de lustri tempore alibi admonuimus.

Deducit Pœnum in locum pacis Gracchũ adducturus, Mag.) 263. B. Hic locus non abs re asterisco notatus est in plerisque codicibus, est enim perquàm obscurus. Nam de quo Pœno loquatur, uix intelligi potest, cum continuò Magonem subijciat, quasi de alio locutus sit. Atqui de Hannibale dici non potest, quód examinem Gracchum Mago ad eum postea mittat. De Hannone autem hic nulla mentio. In hoc nobis notatus, ut studiosius exemplaria uetusta inspiciantur.

Ad quã perficienda ipsius Gracchi opera opus esset.) 263. B. Quandoquidem cætera per infinitiuos proferuntur, ego hunc locum ita legerem, Ad eam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esse: quo modo sæpe Liuius loquitur: quanquam nihil definio.

Reliquum autẽ quid esset, paucis à multitudine &c.) 263. B. Sed & hoc loco esse malim quàm esset: uerùm lectoris iudicio relinquo.

Ad Vulturni ostium ubi nunc urbs est, castellum cõmmitum.) 265. A. Incertum quæ illa sit urbs, incertius quod de duobus castellis maritimis subnectit. Fabius tertio suo consulatu, cum in T. Posthumij locum subrogatus esset, Puteolos ex authoritate senatus communierat, ut libro præcedenti non multis folijs ab initio tradidit Liuius. Præterea in hoc libro non ita multo post, App. Claudius Consul D. Iunium ad ostium Vulturni, M. Aurelium Cottam Puteolis præposuit, qui ut queq; naues ex Hetruria ac Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterẽt frumentũ. Quare si de Puteolis loquitur, de Fabio procedit, imò ibidem Liuius continuò subnectit, App. Claudium ad Capuam regressum, collegam Q. Fuluium inuenisse Casilino omnia importantem, molientemq; ad oppugnandam Capuam. Quod si uerum est, neque hic aliquis est historiæ defectus, uidetur uerè dubium de quo castello loquatur Liuius ad Vulturni ostiũ. Casilinum enim ad Vulturnum quidem erat, sed non ad eius ostium.

Quódq; Minutius prætor ex Hetruria coemerat.) 265. A. Alij Mutium emendarunt, quód Q. Mutius Scæuola prorogatum imperium habebat in Sardinia. At non opinor illum è sua egressum prouincia, tam graui bello in Hetruriam emptum isse frumentum. Pauló antè C. Seruilius legatus ex authoritate patrum à P. Cornelio prætore in Hetruriam ad frumentum coemendum missus erat, qui Tarentinæ arci, onustis frumento nauibus, suc. urrit, quod author antea scripsit. Verisimile est frumenti aliquid Hostiæ mansisse ad Capuæ obsidionem, quod Seruilius legatus, non Q. Mutius prætor ex Hetruria coemerat, cum alioqui ab eodem Mutio nuper missum narretur. Ipse lector Liuij uerba pensitet ut sese sequantur, & inueniet non temerè hunc annotatum locum. Sed ut finem inueniat hæc dubitatio, quando M. Iunius Syllanus Hetruriæ prætor erat hoc anno, ut patet ab initio huius libri, ubi noui creantur magistratus, pro, Minutius prætor, legendum puto, M. Iunius prætor.

Ad portum Trogillorum.) 266. A. τρωγίλων locum ad septentrionem Syracusis, Thucydides lib. 6. non ita longè à fine describit. Liuius hic pluratiuo numero protulit, si codex non fallit, & portum ait, quod non intelligo.

Cum cæteræ admotæ, pluribúsque scalis in mu.) 266. B. Cæteræ, scalæ intelliguntur: dura sanè compositio, cum sensus non sit admodum obscurus.

Quippe ad Epipolas frequentem custodijs locum) 266. B. ἐπιπολαὶ apud Thucydidem eodem libro, locus præruptus urbi imminens. Liuius duntaxat nominat.

Partium sensu non satis pertendente in omnia.) 266. B. Quidam pro pertendente, emendarunt pertinente: sed non placet: tolerabilius erat si pertingente emendassent, ut Valla fecit. sed pertendente, quod ueteres habent codices, placet, & sensu partium coniungendum est.

Epicides ab insula, quam ipsi Nason uocant.) 266. B. Iidem Nasson duplici ss exhibuerunt, sed Nason legendum. Nam Dores (cuius gẽtis & Syracusani sunt) νᾶσον pro νῆσον, ut γᾶν pro

pro ωηδὴ dicunt, & mille similia, ut uidere est apud Theocritum. Insula autem illa à cætera urbe muro separabatur, quem post tyrannorum cædem diruerant. in ea erant horrea publica, erátque in arcis modum ædificata.

Ad Euryalum signa referri iussit.) 266.B. εὐρύηλος est apud Thucydidem, quo loco ascenditur ad Epipolas. Tu uideas an cum Liuij uerbis congruat.

Castráque pro muro tectis parietum septa.) 267.A Quidam transpositis aliquot uerbis ita legunt, Castráque tectis parietum pro muro septa, manente nihilominus sensus obscuritate, cui ego sanè mederi nequeo.

Cum C. nauibus post paucos dies rediit.) 267.A Hic C. ait naues, post paululum uerò CXXX. naues longas LXX. onerarias memorat, duplum sanè numerum de eadem utiq; profectione, ut puto. Nam eum bis rediisse, mihi non fit uerisimile, etiamsi Liuius dicat iterum cum classe profectum.

Multo tamen maior uis pestis Pœnorum ca.) 267.B Merito hæc asterisco notata sunt in quibusdam codicibus. Nam ea ita sonant quasi Romanorum hostes diu circumsederint Syracusas, cum contrà de Romanis hoc uerum. Illud quoque, Ex hostium exercitu, incertæ est distinctionis, ad prioráne, quæ mutila sunt, an ad posteriora referendum.

Alterum quindecim ab ostio. 267.B De quo ostio loquatur, non admodum clarum. Quanquam non ita multò pòst ubi Merico custodiæ euenit portio, ita ait: Partibus diuidendis ipsi regio euenit ab Arethusa fonte usque ad ostium magni portus.

Et quanquam tot mala urgerent, negarent fortu.) 268. A. Et hic locus in aliquot codicibus asterisco notatus est, fortaßis quòd dicendi genus temerè hoc contextu mutatum est. Exercitum autem Siculorum extra urbem Syracusas fuisse, præcedentia satis indicant. Cauda etiam orationis Syracusanorum quam inter se habent, apud me male tinnit.

Quæ quisque terra, quisque mari uenerit.) 168.B. Quò quisquis terra, quisquis mari uenerit, rectè alij emendarunt. Locus sumptus ex Iliados η. ubi Hector gloriam suam auctam putat, si occiso Aiace, olim de ipso dicatur, hic sepultum Aiacem ab Hectore occisum. Tractat eundem locum Gellius libr. 15. cap. 6. Sed & hæc oratio Syracusanorum ad Marcellum, aliqua parte defecta uidetur: quare in aliquot codicibus asterisco notata. Hæc enim uerba, Incolumé'que Syracusas familiæ uestræ, non bene cohærent superioribus.

Remulco quadriremis trahi.) 268.B. Remulco Grammatici exponunt, scaphis remigio actis. Quod si uere dicũt, quid igitur sibi uult hic, quadriremis? nisi quis intelligat remos quadriremis nauis. Remulco enim trahitur nauis, quoties alteri alligata, non suis remis agitur. Aptum exemplum est lib. 7. quartæ decados, ubi Rhodij aduersus Hannibalem in mari Pamphyliæ feliciter pugnant. Contemplatus (inquit Liuius) Eudemus hostes claudas mutilatásque naues apertis nauibus remulco trahentes XX. paulo amplius integras abscedentes &c.

Ad urbem nomine Anitorgin.) 269.B. Multa sunt nomina urbium apud hunc authorem, præsertim Hispaniarum, quæ non temerè apud alios reperias: uel, ut multi existimant, quòd pleraque defecerint longa ætate oppida: uel, ut ego puto, corruptis temporum iniuria codicibus: quanquam utrunque in causa esse potest. Hoc in uniuersum uno uerbo dicere uolui, ne lector nimium se torqueat, quemadmodum stulto mihi accidit. Neque enim inuideo alijs si carpento illuc uehantur, quò pedibus ego iter feci. Anitorgis urbs Suessanique populi eiusmodi sunt, ac alijs in locis multa his similia.

Anno octauo posteaquam in Hispaniam uene. Cn. Sci.) 271. A. Hic septimus est annus huius belli, non octauus. Nam anno primo P. Scipio cum Sempronio Longo COS. fratrem Cneum in Hispanias misit, ut ipse author lib. 1. huius belli tradidit. Itaque postea non ita longe ab initio Marcianæ orationis, legam: Nen se, non inuictos per septẽ annos in ijs terris milites suos &c. facilis autem est lapsus ex numero VII. ac VIII. ut in alijs multis.

At id, quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti sint homines.) 272.A. Quidam emendarunt, adid: & sunt pro sint, sed nihilo clariore facto sensu. Tum quæ sequuntur uerba, non minus obscura sunt. Quæ ideo admonemus, ut exemplaria uetusta eò diligentius inspiciantur.

Pars ignis escas stramento arido tectis iniiciunt.) 272.A. Dura est hæc compositio, nec facile dixerim quàm displiceat, sensus tamen intelligitur.

Ad triginta septem millia hostium cæsa.) 272.B. Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. triginta octo millia prodidit. in utrius authoris codice sit error, non facile pronuntiauero, quanquam res non est magni momenti.

Libyphœnices generis Hipponatis.) 273. A. Quidam Libyphœnicum legunt, ut generis cum Hipponatis coniungant, quasi qui ex Hippone natus fuerit. At ego Hipponates (quanquam uarie hoc legitur, Hippocinatis, Hipponiates &c.) nominatiuũ casum esse puto, & nomen Mutines esse. Itaque coniungenda Libyphœnices generis. Fertilißimum autem solum tenebant Africæ Libyphœnices inter Bragadam ac Syrtim paruam, quo loco eos etiam constituit Ptolemæus.

Non tam Mutinis consilio quàm fiducia magis ausi egredi.) 273. A. Hoc tam, sublatũ est propter aduerbium magis. uult enim dicere, eos non magis consilio Mutinis exisse, quàm eius fiducia, quæ res illis tandem male uertit. De Himera autem dubium quem fluuium dicat. Ego eum existimo quem Ptolemæus eo in loco ponit, ubi alij Gelam. Est etiam Himera quem Strabo ait per mediam fluere Siciliam, exonerarique in mare ad occiduam insulæ partem. Meminit & Plinius libro tertio cap. 8. Ac de hoc suprà ab initio lib. 4. huius belli mentio est, ubi Hieronymus tyrannus legatos cum mandatis Carthaginem misit.

COS. creauit Cn. Fuluium Centumalum, & P. Sul.) 273. B. Omnes Liuij codices absque numero Centumalum ponunt, ut sit alius ab eo qui COS. fuit anno ab Vrbe condita 525. Sulpitium uero hunc quidam Seruilium, quidam Galbam cognominant, Quinti filium, Galba certè ab initio libri sequentis dicitur.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM SEXTVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



VIBVS P. Cornelius proprætor in Sicilia præesset.) 274.A. P. Lentulus prætor Siciliæ, quã uetus regio erat, ab initio prioris libri dicitur, hic P. Cornelius. Nisi, quod existimo, idem P. Cornelius Lentulus fuerit, ut L. Cornelius Lentulus huius anni prætor in Sardinia. At P. Cornelius Sylla prætor urbanus prioris fuit anni. Fuissent ergo priore anno quatuor P. Cornelij in magistratu, Sylla prætor urbanus, Lentulus Siciliæ, Scipio Hispaniæ imperator cum Cn. fratre, ambo ibi occisi, & Scipio P. filius ædilis curulis, cum ei ad petendum nondum legitima ætas esset.

Siciliæ Græciæq; ora cũ legionibus claßibúsque quibus præerant decretæ.) 274.A. Decretæ habent omnia, quæ ego uiderim, exemplaria: at decreta legendum puto, quia ora præceßit.

C. Sempronius Blæsus die dicta Cn. Fuluiũ.) 274.A. Hic lib. 7. huius belli non ita longè ab initio, Cn. Sempronius nominatur in plerisque exemplaribus ubi à Q. Fuluio dictatore in Hetruriam mittitur.

Nam cum bis pecunia anqu sisset, ter, ea. se anq. dic.) 274. B. Quæ in plerisque codicibus deerat nominatiuus uerbis anquisisset, & diceret, ideo alij adiecerunt, tribunus, ut omnino de Sempronio intelligamus, ut locus ita legatur: Nam cum bis tribunus pecunia acquisisset. Si hoc exemplariũ auxilio fecerũt, probatur: alioqui ad hũc modũ multos dubios locos facile emẽdaueremus: sed ego non ausim mihi tantũ indulgere, præsertim in tam eximio authore. quod tamen nostra ætate multi non uerentur.

Etiam si se utrinque in hostem uertat.) 275. B. Et quæ præcedunt uerba, & quæ sequuntur, obscura sunt. Hæc etiam, ut ingenue fatear, à me non intelliguntur.

Elephanti per media castra uadentes.) 276. A. Videri poterat in accusandi casu elephantos, & fecisse pro facerent, à Liuio scriptum, sed legi etiam in nominatiuo potest, ut tamen connectatur ad priora, quasi diceres, & elephanti cum facerent. Cæterũ post facerent non colum, sed ὑποστιγμὴν ponam, ut Græci uocant. Porrò quæ sequuntur uerba, uarie à diuersis leguntur. Ego autem ea ita legerem: Immissum ab Hannibale (& habuit aliquem gnarum latinæ linguæ) qui iuberet COSS. uerbis &c. Vel ita: Immissos à Hannibale (& habuit aliquot gnaros latinæ linguæ) qui iuberent COSS. &c.

Duci Gladio, quod iam ante præsidij causa fecerat castell. iussit.) 276. A. Illud, Gladio, quid sibi uelit, non equidem comminisci poteram. Codex Moguntinus Casilinum legit: sed id non placet, cum in Romanorum potestate iam esset Casilinum, à Q. Fabio nuper receptum. Hæc ad eum modum quidã emendant temerè, cum historiæ ordinem memoria non teneant. Non est dubium quin Galatiam legendum sit, cuius meminit paulò antè cum Hannibal ueniret Capuam & Tifata. præterea paulò post, cum post captam Capuam Atella ac Galatia recipiuntur, & hic nunc item libro tertio huius belli, ubi Marcellus Nolam proficiscitur. Valla legit, duci ad id, quod iam ante &c.

Per Suessulam Allifanúmque & Casinatem agrum.) 276. B. Hæc Suessula libris tertio ac quarto prope Nolam nominatur, neutiquam in eo tractu quà à Capua Romam itur. Sed in his itineribus nomina corrupta aliquot locis, nemini dubium.

Inde præter Interamnam Nequinumque in Freg.) 276. B. Nequinum in Vmbria oppidum, ubi nunc Narnia est, inquit Liuius lib. 10. ab Vrbe cond. Sabellicus Aquinum restituit, quod mihi quoque placere potest, donec melius inuenero.

Inde in Papiniam exercitum demisso.) 277. A. Id nominis non memini me usquam legere. Item statim post aliquot uersus, Media urbe per Carinas Exquilias contendit. ego exquiliásque legendum puto cum coniunctione. Nam duo fuere loca, siue urbis regiones, Carinæ & Exquiliæ.

His motus ad Turiam castra retulit.) 277. B. Nec hoc nomen uspiam prope Romam ad VI. millia passuum inuenio. Nam quod in Hispania est, nihil ad hunc locum. Capenates quoque qui sint, non fermè memini me legisse. Quanquam sunt qui ex fragmentis Catonis legant, Capenam & oppidulum & syluam in Auentino fuisse monte. Idem sensisse & Fabium Pictorem & Sempronium. His fidem det quantam quisque uelit, nam ego nihilominus hæreo.

Aeris acerui, cum rudera milites religione inducti iacerent.) 277. B. Quid sit rudera iacere, ego planè non intelligo, præsertim si de militibus Hannibalis loquaris. Sin de alijs posterioribus annis militibus, non uideo quomodo inducti religione, qui templum non spoliarunt. Sed lectori id iudicandum relinquo.

Iterque eius ab Reate Cutiliisque, & ab Amiterno.) 277. B. Etiam atque etiam operæprecium est hoc in loco considerare huius itineris descriptionem. Quomodo enim ab Amiterno orsus est qui paulò pòst, & ad finem rursus, eò uenisse dicatur? Cutilijs autem ex Plin. ac Dionys. legendum. Forulorum meminit Virgilius lib. 7. Aeneid. de Clauso, qui locus hunc iuuare potest. Non est apud me dubium hos locorum errores temporum iniuria accidisse: neque uerisimile est Liuium Italiæ loca tam male tenuisse.

Ad unum ex ijs qui sibi rem aperuisset arguere se para. esse.) 278. A. Considera penitius hoc genus dicendi. Se paratum esse, inquit, id unum arguere. sed unum, masculini accusatiuus est, ut paulo antè gentiuus, scortum transfugarum unius. Verum hoc leuiculum, & uix dignum annotatione.

Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis. 278. A. Libro tertio nõ ita lõge ab initio hoc tradidit Liuius, ubi tamẽ non Vibius, sed Subius Virius legitur, quod ibidem quoq; admonuimus.

Mortuum Appium Claud. sub deditio. Capuæ.) 279. B. Ipse Liuius hoc dicturus est paulò post, ubi de Campanis dubitat senatus, posteaquã Q. Fuluius ab ijs accusatus est. Continuò autem post de Taurea, in his uerbis: Sed cum inter cæteros ad palum deligatus. unde ut participium suspensum est. Hæc etsi obiter à me notantur, suspicionem tamen dare possunt, deesse aliquot locis uerba, quæ diuinare absque uetusti codicis auxilio nulli reor possibile, tantum abest ut mihi. quidam delegatus participium, in delegatur uerbum mutarunt.

Ita ad LXX. princi. sena.) 279. B. Sic omnia habent exẽplaria, quæ quidem nos uidimus: sed legendum LXXX. Nam Virium secuti sunt XXVII. Calibus autem occisi XXV. Teani XXVIII. Summa LXXX.

Multitu. al. ciu. Campa. uen.) 279. B. Mira diuersitas apud Liuium de pœna Campanis iniuncta. Hic enim uenundatur multitudo ciuium: paulò pòst, urbi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorúmque & institorum opificúmque retenta. quãquam ciueis merito quis ab iam enumeratis separet. At nõ ita multo post, Multitudo, inquit, ciuium dissipata in nullam spem reditus. Rursus eodem hoc libro post Syracusanorum querelam, cum & Campani auditi essent, diuersa senatusconsulta Liuius recitat, his quæ hic narrat, non omnino conuenientia.

In Ausetanis (is locus est inter op. Illiturg. & Mentiss.) 280. A. Ausetani populi sunt citerioris Hispaniæ, ut præter Pliniũ, Cæsarem, Ptolemæũ, reliquósque classicos scriptores, ipse author libro primo huius belli testatur. At Illiturgis ac Mentissa longè hinc oppida sunt prope flumen Anam, ac prope Castulonem Bæthycámque, Oretanorum, ut ex Plinio Ptolemæoque patet. Quare uidendum num Oretani pro Ausetani legere uelis.

Nec tamen quem mitterent satis constabat.) 280. B. Mirum uerò si Cl. Nero iam missus non satis dignus erat imperio, qui prætor, & item ante Capuam exercitus parti præfuerat. Nec obstabat absentia, cum absenteis sæpe non modo imperatores, sed COSS. etiam crearint. Licuit igitur aut ipsum Claudium aut T. Fonteium, aut denique, si inuidia non obstitisset, L. Martium facere imperatorem.

Iussi deinde inire confusum suffragium.) 280. B. Confusum suffragium non facile reperias apud Latinos authores, quapropter quidam ex hoc loco sustulerunt. Budæus tamen, immortale Galliæ nostræ ornamentum, in annotationibus in Pandectas de testimonijs confusis hoc exemplum allegat, ut in uulgatis habetur codicibus, præterea tamen nullum adfert.

Tribuni pl. ex authoritate sen. ad pop. tulerunt.) 281. B. Notandus est hic etiam locus. Negatũ ait Marcello ut triumphans intret urbem, sed ouans. Deinde per tribunos plebis ad populum latum ex senatus authoritate, ut ei imperium esset. Postremò eum in monte Albano triumphasse. Apud Dionysium quid simile legitur, apud hunc non item, ut opinor.

Alter Nassum, quódque ibi præsidij erat, prodiderat.) 281. B. In primo Syracusarum introitu, de quo superiore libro, nulla est mentio Sosidis: suspicor diuersis locis diuersos secutũ Liuiũ authores, obliuũ uidelicet hoc antea ab se non esse scriptum, ut propè necessum fuit in tãta rerũ mole. Porrò quod subiungitur: Et quingena iugera agri Sosidi data in agro Syracusano. si de solo Sosidi, ut puto, intelligitur, quingenta legendũ est, nõ quingena: nam Merici Hispanisque, qui cum eo transierãt, alibi in Sicilia datus est ager. itaque neque distinguendũ ante Sosidi. Quidã etiã uetusti codices pro Sosidi habebãt, agri solidi. sed nõ placet.

Id M. Cornelio mandatũ.) 281. B. Toto hoc libro, maxime in sequentibus, id nomen suspectum. Libro quippe præcedẽte, prætori Siciliæ P. Lentulo prorogatũ imperiũ erat. Hoc uerò anno Siciliæ prætor fuit C. Sulpitius: proprætor autem P. Cornelius, ut ab huius libri initio ipse dixit author. sed idem est P. Cornelius Lentulus, ut nos ibidẽ admonuimus. Quare & hoc loco, & in sequentibus, pro M. legã P. Nã in magistratuũ huius anni catalogo prænomen Marcus non reperias. Cæterum Belligenem hic nominat,

minat, cuius nomen priore libro, cum Mericus ad Romanos transitionem pararet, omisit.

Ad eos Murgentiae desciuerunt terrae.) 281.B. Alij Murgētinae emendarūt, sed Murgātinae per a in secūda syllaba legā. Murgātinas autē terras ait, nō Murgantiam: quia Murgantia antea ad Pœnos defecerat, ut priore libro habetur: quanquam paulò post rursus expugnata à praetore Romano P. Cornelio Lentulo.

Et M. Valerium absentes C O S S, dixerunt.) 282. A. Ego absentem legam, non absentes, ut referat Valerium: nam Marcellus Romae fuit, ut sequentia satis conuincunt. Et Valerio adijciendum I I. quippe qui ante etiam fuit C O S. ut Liuius libro nono & decimo huius belli ostendit.

Eludent nunc antiqua admirantes.) 282. A. Quidā, mirātes legunt. Caeterū si mirantur, non utiq; eludent. Sed pusillum hoc.

Fortè ita incidit, ut comitijs perfectis nuncia. T. Octa.) 282. A Haec ita referuntur, ut qui leget, putet nescio quae subsequi, quae tamen non sequuntur. Est etiā in alijs libris locus notatus asterisco.

Confirmarunt authoritatem suam minore cum uerecundia.) 282.B. Sensus est perquam obscurus. Quidam post uerbum, confirmarunt, distinxerunt, haec omnia referentes ad participium, extollentes. Alij post, suam, distinctionem faciendam censent. Nonnulli accusatiuum in ablatiuum mutarunt authoritate sua, sed ut ingenue fatear, sensum uerum non percipio. Qui post uerbum, affirmarunt, distinctionem posuerunt, hunc sensum elicuerūt: Aetolos se nimis impudenter laudasse, Romanorum autem uim uerè extulisse: haec utraq; ad commonēdos Aetolos iuuisse. quanquam nihil aeque mouebat atque Acarnaniae potiundae spes. Sed haec atque sequentia mutila esse suspicor.

Hi Thracum & Illyricorum reges.) 282.B. Vide hunc loquendi modū. Thracum Pleuratus erat Illyricorum Scerdiletus, quem Polybius Scerdiladum uocat. Eosdem nominabit libro sequenti, & libro primo de bello Macedonico.

Et Oleniadas Naxumque Acarnanum capt.) 283. A. Quidam Oleniada emendarunt, quòd Olenus etiam in Aetolia. At nihil hoc ad Acarnanas: ideóque ego Oeniadas legendum puto, ὀινιάδας enim Acarnanum urbem, & apud Strabonem & Thucydidē reperias. Ita in posterioribus quoque Liuij uerbis: Aduersus quos Acarnanū gens & uiribus impar, & iā moenia Oeniadas Naxúmque amissa cernens. legendum puto Oeniadum: & facilis in his lapsus est, quemadmodum sciunt omnes docti quid in Graecis dictionibus ab octingentis iam annis libris acciderit.

Inde Dardanorum urbem sitam in Macedonia. 283. A. Quae illa sit urbs, non nominat, cum Ptolemaeus Dardanorum supra Macedoniam quatuor urbes exhibeat, Scupos, Vlpianum, Nessū, ad Arrhibantiū. Fortassis autē nomē omissum in codicibus.

Per Pelagoniā & Nymphaeū & Boeotiam in Thess.) 283. A. Pro Boeotiam quidam Boleam emendarūt, sed id nominis nescio an uspiam eo in loco reperias. Nam in Argiuis locus apud Pausaniam, huc non pertinet. Suspicor legendum Berrhoea. est enim ea in itinere ex Dardanis in Thessaliam.

Ad Phragandas igitur uast. arg. & urb. Iamph.) 283. A. Nec haec nomina apud ullum authorem inuenio. quod ideo admonendū duxi, ut codices uetusti eò diligentius perquirantur conspiciantúrque.

Vltra Clinen est profectus.) 283. A. Moguntinus codex habebat Clymenen: sed neutrū nomē ualde obuiū apud authores.

Comprehensa postea priuata aedificia (neque enim tum basilicae erant.) 283.B. Innuit, opinor, suo tempore in ordine post tabernas fuisse basilicas, ubi olim priuata aedificia. alioqui frustra fuerit haec parenthesis. Latumias autē ex Graeco esse, & maximè à Syracusanis, qui eas instar carceris habēt, fatetur Festus, immutata nimirum uoce. λατομίαι enim apud illos dicuntur, ut uidere est apud Thucydidem lib. 7. ad finem.

Clarissimarū urbiū excidio celeb. uir. uict. bell. ac. in ur. ad.) 284. A. Miranda compositio, ut sunt multae apud hunc authorem quae tamen intelligitur. Laurentius Valla ita emendauit: Nunc circunfusus multitudini, simul & Siculis obuiam egressis potestatem Romam adeundi fecit, & nonnullis uel aemulis querimoniam praebuit, clarissimarū urbium excidio à celeberrimis uiris uictos bello accusatores in urbem adducens. Haec ille, quae quàm bene habeant, lector iudicet.

Et quatuor erant legiones urb. duae supe. anni.) 284. A. Si de eisdem legionibus loquatur, non procedit: sed de alijs haud dubie intelligendum. Qui enim fieret ut in Galliam mitterentur, cum C O S S. alter in Siciliam iturus esset?

Marcellus si iam auditi à senatu Siculi &c.) 284. B. Illud suam quid referat, perambiguum est: alij ad senatum, alij ad Marcellum comparant, ego lectori iudicandum relinquo.

Rapiente fato Marcellum ad Hannibal.) 284.B. Haec Liuius ita refert, perinde atque hoc consulatu, quo quartum fuerat C O S. Marcellus, occubuerit, hoc est nono huius belli anno, cum ipse quintum C O S. annis duobus post hunc occubuerit, uidelicet huius belli undecimo.

Talia conquestos eum excedere ex templo.) 284. B. Ex templo, duae orationis partes uidentur. Nam postea Marcellus ita orationem conclusurus inquit: Et quoniam coram & Siculorum & mea uerba audistis P.C. simul tēplo excedemus. Alij praepositionem ex, ante templo sustulerunt, quod placet.

Nec mihi ipsi congresso ad portas cum princi. respon.) 285. B. Hoc nusquam de ipso Marcello antè prodidit, quod equidem sciam, sed de eius legatis. Item quod continuò subdit, Apud Hannibalem & Carthaginenses uictos sese iustius, quàm apud uictoris populi Romani senatū quererentur: quidam emendarunt, uictósque: sed neutrum admodum placet: & quia nihil aliud quod reponam habeo, in medium lectori conijciendum relinquo.

Eos libertatem sibi suísque, & bonorum aliq. par. or.) 285. B. Haec uerba ita ponuntur, quasi pro solis nobilibus roget libertatem, bonorúmque partem, ac non pro omnibus Campanis. Oratio mihi mutila uidetur.

In consilio, inquit, arbitror me fuisse Consulibus Cap. ca.) 286. A. Procoss. Claudius ac Fuluius Capuā cepere, nō COSS. Praeterea uide num potius concilio legendum. At haec leuicula.

Idque & apud maiores in Sutrianis factum est.) 286. A. Id si bene habet, oportet secunda decade scriptum esse, nam in prima nusquam puto inueniri. Satricanorum ciuium Romanorum quidem meminit lib. 9. ab Vrbe condita post Caudinas furcas, sed nihil tale de illis ibidem narratur.

Quod senatus maxima pars censeat, qui assidens.) 286. A. Solennia sunt uerba, ut puto, ideóque uelut impedita, quae nostro more notamus, si fortassis corrupta sint, ut ex codicibus emēdatis restituātur. Praeterea & harū mulierū nomina propemodū alia apud Valerium Max. libro quinto cap. 2. de gratis reperias.

Néue quis eorum qui Capuae fuissent.) 286. A. Hic uelut aliud decretum de habitationis loco incipit, nam alioqui planè non intelligo. Ergo libertas data, sed habitatio mutata.

Nunc ad militiam paruo aere emendo, nunc remig. imperan.) 286.B. De Volonibus quidam priorem huius orationis partem intelligunt: sed si id esset, fortassis & sequens, propter nunc geminatum. Nisi quis potius de paruo stipendio, quo milites conductos conqueruntur, eum loqui intelligat.

Et libras pondo, ut salinum patellásque.) 287. A. Ad libras pondo, cum non addat cuius rei, auri ne an argenti, nō uideo quomodo intelligendum. Nam quod quidam distinxerunt ante argēti, & post uerbum relinquant, quae utraque praecedunt, mihi non probatur. Valla legit librae pondo. Hoc quoque mirum alicui uideri poterit, cum lege Oppia nulli mulieri licuerit habere plus semuncia auri, ut libro quarto sequētis decados habetur, hic permissum esse ut uxores filiaeue auri plenas uncias habeant. Neque enim Oppia lex interea temporis lata erat, sed antea. Verùm lectorum iudicio haec committimus.

Nec deductis praesidijs spei liberam uel obn. tim.) 287.B. Quidam timoris, pro timori reposuerant. At ego sensum non ad amussim intelligo.

Salapiae principes erāt Dasius & Blattius.) 287.B. Apud Valerium Max. libro tertio cap. 8. (si codices non fallunt) Blasius, non Blattius legitur: quae ideo annotantur nobis, ut lector ipse uideat uter ex altero emendari debeat.

Nam ad quatuor millia hominum frumentatū egressi.) 288. A. Quidam contra uetustiorum codicum fidem emendarunt, egressa, pro egressi: quasi contra grammatices praecepta sit si

quis ita loquatur, quatuor millia hominum egreßi, cum non ita longè pòst Liuius ipse de Agatyrna (quam Agathyrsum Strabo uocare uidetur) multitudine in Italiam à Leuino COS. traducta, ita loquatur: Quatuor millia (inquit) hominum erant mixti ex omni colluuie, exules, obærati &c. Nec distinctio hoc tam admonet, quàm quod licet etiam ita loqui, inuitis grammaticis.

Trepida fuga incedentes.) 288. A. Incidentes legendum, non incedentes. Sed id non difficile animaduersu. Porrò quod sequitur, Semiapertis portarum foribus in urbem compulit, ne urbs eodem impetu caperetur: ita positum est, perinde atque Liuius dicat: ideo C. Persium hostes in urbem compulisse, ne urbs eodem impetu caperetur: cum contrà hoc uelit innuere, ideo semiapertas fuisse portarum fores, ne urbs à Romanis eodem caperetur impetu. Hæc si cui uidebũtur friuola, argutiorá[?]ue quàm ut hic referantur, meminerit Laurentium Vallã de latina lingua optime meritum, libro primo elegantiarũ capitibus aliquot, & libro secundo item, minutiora longè, etiam seriò tractasse, ut Aul. Gelliũ taceam, in quo sunt quædam multo minus ulla tractatione digna. Quanquam hoc quoque lector scire debet, apud hũc nostrum Liuium multa alia similia esse, à nobis studio, non temere neglecta, sed obiter quædam indicata, quædam omnino omissa.

Et nescio an unã Hispaniæ orã quæ no. ad ma.) 289. B. Carthaginis nouæ portũ præferre uidetur omnibus alijs portubus ad orã Hispaniæ. Sed hic locus à Beato Rhenano recte restitutus est.

Vt eodem tempore exercitus ostenderet.) 289. B. Et hunc locum recte restituit idem Beatus. legendum enim: Vt eodem tempore Scipio à terra exercitum ostenderet, claßis portum intraret. Quod autem uersu sequitur proximo: Septimo die ab ibero Carthaginẽ uentũ est simul terra marique, hic distinguendum puto. nam quæ sequuntur uerba, de pedestri exercitu intelligenda sunt. ubi proximo rursus uersu duæ uoces, frons & tergũ, mirum quàm lectorem morentur. De castris enim ait, his ab tergo (nam frons natura tuta erat) obiectum uallum. At quæ frons castrorum quod tergum, scire non possum: cum uerisimilius sit frontem dixisse quæ urbem spectabat. quam quidem partẽ nõ muniuit, ut ipse postea dicturus est, ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret. Verùm quid munire oportebat, cum natura tuta erat?

Continenti urbem iugum ducentos ferè &c.) 290. A. Manifeste iugũ hic appellat, quod Græci ἰσθμὸν uocant. Inepte meo iudicio, Suidas ἰσθμὸν ait mare inter duas terras, cum contrà iugum sit inter duo maria. Sed non est nunc de his differendi locus.

Opera & difficultia esse, & tempus datura.) 290. B. Hoc datura, in daturum, temerè à quibusdam mutatum est, ut diligenter legenti patet.

Sed quod euntes ad ancipites utrinque ictus.) 290. B. Comparatio est utrinque Romanorum oppugnantium, hinc à terra, hinc à stagno. Hic à terra ingentem ostendit difficultatem: sed hæc uerba corrupta uidentur, neque uerus ex eis elici potest sensus: sicut nec ex his quæ non ita longè deinde sequuntur: Et mox cædendo confectis ac distractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt.

Cornelium Claudium de medio adiecit.) 291. B. Hunc paulò pòst P. Cornelium uocat. Illud Claudium, mihi suspectum. Quidam in Caudinum mutarunt.

Quod admoti tantæ dignitatis non tam aduocati.) 291. B. Tantæ dignitatis, ad uiros referendum quos aduocatos uocat. quare temerè quidã in indignitatis mutarũt, referentes ad certamen.

Haud magni ista facimus, inquit: quid enim h. for. n. f. est?) 292. A. Hæc uerba nõ intelligo, habẽt enim argutiã, quã nunquam assequor. cæterùm ea mutila conijcio. Ipse lector iudicet.

Ne quid, quod sanctum usquam esset, apud nos uio.) 292. A. Ita habebant ueteres libri, & mihi etiam placet. Quidam mutarunt nos, in uos, distinctionémque postea subiunxerunt quam bene, ipsi uiderint.

Præpilatisq; mißilibus iac. sunt.) 292. B. Cuiusmodi mißilia præpilata dicantur, adhuc quæro. Quidam libri pilatis habent.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM SEPTIMVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



ATELLANIS Calatiam migrare iußis.) 294. A. Galatia & Calatia uarie scriptum reperias. De Calatinis, Atellanis ac Campanis decretum factum erat, sed uideo hic de Atellanis mutatum.

Par numerus Romanorum sociorúmque eodem in præs.) 294. A. Multi de hoc loco dubitarunt, quomodo post urbanum exercitum subiungat, Romanorum, quasi Romani non essent de urbano exercitu, sed intelligendum de exercitu urbano mille missos, quorum quingenti erant Romani, quingenti socij.

Regem nec inimiciorem ulli populo quàm Carthag.) 294. A. Hoc loco inimicum Carthaginensibus facit Syphacem, ut libro etiam quarto. Cæterùm libro sequente ei fœdus fuisse cũ Carthaginẽsibus ait ea tempestate, quæ tribus fuit elapsis annis postea, nulla interim facta mentione mutationis uel cum Carthaginensibus uel Romanis. Sed de his rebus ibidem dicturi sumus.

Et terna pondo pateræ aureæ.) 294. A. Ternûm pondo legendum censeo, alioqui absurdus erit sensus. & in his etiam facilis est lapsus.

Eúmque quem populus iußisset diceret dictat.) 295. A. Hic populus iubere dicitur: paulò post, plebs sciuit: rursus deinde populus iubet, cum subnectitur, ex eodem plebiscito. Videndum lectori, num populi iussum dicere uelit plebiscitum. Deinde quomodo plebs sciuit, cum ante eius concilium Leuinus COS. clàm nocte in prouinciam redierit.

Galeria iuniorum, quæ forte prærogatiua erat.) 295. A. Præcedente libro, eo in loco ubi Torquatus renuit consulatum, prærogatiua (inquit Liuius) centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum. Hic nunc uocat Galeriam. Ego sanè quid sibi id nominis uelit, non intelligo. Si equitum est ordo, fortaßis à Galero nomen habet. Sed ea coniectura duntaxat est. Vegetius lib. 1. de re militari cap. 10. lixas galerios uocatos suo seculo testatur. Vox est rara, ac fortaßis corrupta.

Qui neque magistratum continuari satis ciuile esse.) 295. A. Proconsulatum Q. Fuluij æquat Consulatui: alioqui quomodo ei continuaretur imperium, qui hoc anno non fuit COS. Nisi de dictatura hoc intelligendum.

Nanque Cn. Seruilio COS. cum Flaminius.) 295. A. Mirum, Liuium ne uno quidem uerbo huius plebisciti meminisse sub COS. Flaminio. Exemplũ autẽ de Posthumio Megillo fuit anno ab Vrbe cond. 462. quando cum eo COS. fuit C. Iunius Brutus (quẽ codices alij Cn. alij Bubulum, alij Bubulcum uocant) secunda decade lib. 1. At hoc plebiscitum à Liuio omissum est hac decade.

Circumacta inde ad alterum insulæ latus Carali.) 295. A. Ptolemæus Olbiam Caralinq; eodem Sardiniæ latere ponit, uidelicet ortũ spectante: quare non uideo quomodo hic locus constet.

Et Censores hic annus habuit L. Veturium Phi.) 295. B. Dubium hic est, de prioréne anno loquatur, an de hoc præsente: nam, hic annus, ait, non superior. Atqui hoc anno L. Veturius Philo fit prætor peregrinus cum Gallia prouincia, ut paulò pòst exhibet Liuius. Num igitur simul Censor? non opinor, nam Censor hic moritur. At paulò pòst ædilis curulis ludos Romanos instaurat. Necesse igitur est plures fuisse eo nomine. Cicero uidetur Philos uocare, non Philones: ex quo multi in Liuio cognomina mutare in prioribus ausi, hic tamen non emendarunt. Fieri

potest

potest ἓν διὰ δυοῖν fuisse apud ueteres.

Ingressum cum in curiam, cum L. Licinius prætor.) 296. A. Quidam legunt, ingressum eum curiam. At id parui momenti. Id magis refert, quando hæc acta, disquirere. hoc enim anno nentiquam prohibitus est Valerius, sed posteriore, etiamsi hoc anno captus. Eius rei causa est, quòd huius anni non L. Licinius prætor urbanus, sed C. Hostilius fuerit, sequente uero anno L. Licinius. Est autem uehemens error in Liciniorum prænominibus. P. Licinius Crassus pontifex max. cuius hic est mentio, fit prætor peregrinus anno sequenti. L. uerò Licinius Varus prætor urbanus eiusdem anni, qui tum Valerium flaminẽ è curia educere conatus est. Quanquã fieri potest ut duo P. Licinij, Crassus & Varus fuerint. Sed cum hoc loco L. Licinius legatur, etiam anno sequenti ita legendum, si quidem hic rectè legitur.

Eæ fuere Ardea, Nepete, Sutrium.) 296. B. Hunc locum ferè in exẽplaribus corruptũ, quidam è libro nono, ubi rursus enumerantur, emendarũt, & rectè mea quidẽ sententia. Nã Lacates, quod hic erat, nusquam est apud authores, quod equidem sciam.

Signini fuere & Nolani & Norbani.) 297. A. Cum inter hos colones Signini Nolanique ad inferum inclinent mare, Brundusini autem, Hadriani ac Ariminenses ad superum, Liuius uidetur uelut ad unum omnes posuisse. Nam subiungit, Et altero mari Pontiani, & Pæstani, & Consani. Pæstum quidem oppidũ est maritimum Lucanorum, authore Ptolemæo. Consani tamen uix legerim, sed uel Cossani, uel Compsani, quemadmodum etiam libro tertio huius decados admonuimus. Quidam pro Nolanis Venusinos substituerunt.

Inde quingenta pondo data COSS. & M. Marcell.) 297. A. Quingena legendum, neque aliter diuisio constabit, imò nec latinitas: ut intelligamus, his quinq; singulis data quingenta pondo, Fabio autem centum pondo. Restabant mille & quadringenta, quæ in Hispaniensis exercitus necessitatem sunt reliqua.

Districtis gladijs discinctos destituit.) 298. B. Discinctos quid sit, utcunque intelligitur ex Seruio lib. 8. Aeneid. ad finem ad illud Virgilij: Discinctos Mulciber Afros. At illud, Districtis gladijs, non admodum. Sed perpendat hoc lector. Beatus legit, destrinctis gladijs cinctu destituit.

Hirpini, & Lucani, & Volscentes.) 299. A. Plin. lib. 3. cap. 11. Volscemanos uocat prope Numistranos.

Auri LXXXIII. millia pondo.) 299. B. Quantumuis Tarentum ciuitas diues erat, hæc tamen summa suspecta mihi est. Nam Capua capta LXX. auri pondo ad quæstores relata, priore libro retulit Liuius. Plutarchus in Fabio tria millia talentûm relata in ærarium scribit. Quare hæc ita legam: Argenti uis ingens facti, signatique auri LXXXIII. põdo. aut fortassis sic, Auri argentique uis ingens facti signatique. auri quidem LXXXIII. pondo, argenti tria millia. Sed hic uideat lector quid addendum putet: talentûm, an pondo.

Neque enim se repre. morem ho.) 300. B. Quidam pro morem, emendauerant nomen, sed displicet, quanquam obscurus est sensus utro legatur modo.

Et ante deditorum & pridie captorum.) 301. A. Necesse est hoc loco, ut unum diem intercessisse huic plausui pugnæq; intelligamus: alioqui illud pridie, quid sibi uelit, non planè uideo.

Tunicam latoclauo cum Hispano sagulo.) 301. B. Quid latusclauus sit, omnes intelligunt. at tunicam latoclauo, non item. Similem locutionem inuenies libro decimo de donis Masanissæ missis. Nisi quis locum ita legendum putet: Tunicam cum latoclauo ac Hispano sagulo. Sed ego non temerè mutauero.

Fecitque ante diem tertium nonas Quintiles.) 302. B. Salustius etiam ita loquitur, Ante diem VI. Calendas Nouembres. Et Cicero oratione prima in Catilinam: Ante diem XII. Calendas Nouẽbres. Et paulò pòst. Qui dies futurus esset in ante diem VIII. Calend. Nouembres. Rursus paulò pòst: In ante diem V. Calendas Nouemb. Nisi codices omnes fallãt. Sed dubium est, certumne diem significare uoluerint, & quem nam, præsertim cum præposito in, adijcitur: id quod lectori iudicandum relinquimus. Nam hoc loco quidam ad III. nonas legunt.

Interfecti An. Manlius tribunus mil. & ex du.) 304. A. Videri potest prolepsis, ut quod in genere dictum sit, per species explicetur. Sed mihi occisorum nomina omissa uidẽtur. Quidam interfectus legunt: si fide codicum fecere, bene habet locus.

Rhion incolæ uocant.) 305. A. Liuius fretum Rhion uocatum perhibere uidetur, cum Strabo lib. 8. ac Ptolemæus promontorij id nominis tradant, in modum falcis producti longius, unde & Drepanon uocatur. Ipse Liuius paulò pòst ab ipso Isidicro regem Philippum profectum ait Rhium, ad indictum concilium, ubi urbem fatetur. Nisi quis pro Rhio Aegium eo in loco legendum putet, quemadmodum libro sequenti Aegium concilium Achæorum indictum dicitur. Quanquam eodem libro Liuius Rhion fauces sinus Corinthiaci interpretatur.

Romanis restitueretur Athamanis.) 305. A. Quidam hunc locum ita emendarunt: Sationis restitueretur Athamanis, Scerdileto & Pleurato Parthini. Sed ego hoc puto absque exemplarium fide factum. De deditionibus hic agitur, non solum de pace. Locus haud dubie est mutilus.

Per Achaiam Bœotiámque & Bæobam.) 306. A. Bœbeidem rectè, meo iudicio, emendauit Sabellicus. Bœoba nihil est. Eubœa autem (quod Aldinus codex restituit, & quidam alij eum secuti) huc non quadrat, quod facile uidebit geographicæ non imperitus.

Orestidem iam tenere, ac descendisse in Argestæum.) 306. A. Orestidis situm fortaßis Ptolemæus magis australem ponit, quàm ut huic profectioni conueniat, cum sit magis ad Boream. Cæterum Argestæum nomen nondum inueni. Vide ne Aestræum ex eodem Ptolemæo legendum. Post aliquot item uersus T. Manlio Torquato, non L. Manlio reponendum, ut sequentia satis lucidenter ostendent.

Vi & rus migraret, & per multos annos & Vrbe.) 306. B. Si hæc uera sunt qui fieri potuit ut Tarentinæ præfuerit arcis? Ideoque lubens crediderim eius arcis præfectum fuisse M. Liuium Macatum, qui paulò antè ob amissum Tarentum in senatu ab inimicis accusatus, cæterùm ab hoc Liuio Salinatore stante defensus, & in Ciceronis Catone mendum esse uel librariorum, uel memoriæ, uel denique historiæ apud authores uarietate, ut sæpe fieri solet. Huius rei lib. 4. huius decados etiam lectorem admonuimus.

De reconciliatione & gratia eorum in senatu actum est.) 307. A. Quidam emendarunt, de reconciliatione etiam gratiæ eorum. quod quare fecerint, non equidem intelligo.

Alteri aduersus Hannibalem Brutij, Lucani.) 307. A. Et quare non Brutij Lucanique, aut, Brutij & Lucani? Sed hoc pusillum. ἀσύνδετον est, quo gaudet Liuius. Item nõ ita multò pòst de numero censorum capitum ait: Minor aliquanto numerus, quàm qui ante bellum fuerat: cum in Floro sit propemodum duplus. Vide igitur uter locus ex altero emendari debeat.

Supra dies XXX. non pernoctaturos extra mœnia.) 308. A. Quid sibi hæc uerba uelint, fateor ingenue me non intelligere. Nam si pro colonia loquitur, quid addit, Donec hostis in Italia esset? Quanquam sunt qui putent illis uacationem dari, ut non toto tempore adesse cogantur, sed XXX. duntaxat diebus, quandiu hostis sit in Italia. At mihi hac declaratione non fit satis, iudicet lector.

Et cum per munita pleraque transitu fratris, quæ antè inuia.) 308. A. Munita intelligo, peruia facta. Cæterùm mirum quo pacto Liuio in mentem uenerit, ut itinera per Alpes ante Hannibalis transitum inuia scribat, cum tamen lib. 5. ab Vrbe cõdita Gallos sæpe transisse Alpes fateatur, etiamsi eos qui aduersus Clusinos arma mouerũt, ac Romã postea deleuere, neget primos fuisse qui in Italiam Gallorum profecti sint. De Gallorum antiquiore in Italiam transitu, multi ante & post Liuium eximij meminere authores. Plinius lib. 12. cap. 1. C. Cæsar libro sexto ubi de Volscis Tectosagibus. Strabo quoque lib. 4. de Venetis: ut non fuerit opus unum in hac re sequi Polybium.

Et mille ferè & quingentos pass. castra ab host.) 309. A. Hoc uersu mille & quingentos ait passus: proximo autem, statímque sequente, quingentos ait passus fuisse inter castra Punica ac Romana, cum interim tamen non meminerit propius accessisse quenquam. Suspicor codicum esse errorem.

Iam primos occupauerat equestris terror.) 209. A. Primos

Pœnorum intelligimus à Romano equitatu tertiæ legionis territos, deinde etiam legionem successisse quæ plus terroris attulerit. Ergo uel equestris uel equitis legendũ, non autem primos equites. neq; enim Romani equites territi erant. Vetustiores codices bene habebant, sed quidam mutarunt hæc absque iudicio legentes.

Per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferentanum. Præput.) 310. A. Quidam Ferentinum emendarunt, sed male, si Plinio credimus, qui libro tertio cap. 11. Frentanos hos uocat populos. Ita etiam Ptolemæus, qui Larinum oppidum ijs adscribit. Idem Plinius cap. 13. eiusdem libri, Prætutianum agrum prope Picenum ponit: Ptolemæus Prægutios eos populos uocasse uidetur. Prætutianum igitur legendum, non Præputianum. Secundo libro huius decados etiam huius itineris facta est mentio.

Profectus nocte flexit in Picenum.) 310. A. Picenum regio ad Vmbros, Anconam usque tensa, in hanc tandem uentũ. Ac Picentes uicini Lucanis ac Hirpinis, ab alteris originem duxere, ut refert Strabo lib. 5. ad finem. Hic uerò Liuius uel Picenum accipit pro Picentibus, si fortaßis uetus nomen his mansit: uel potius flexit in Picenum, hoc est, iter arripuit, quod non in Lucanos, ut exclamari iußit, sed in Picenum ducebat, etiamsi id adhuc longè distabat. Verùm paulò antè populi per quos eundũ erat, enumerati sunt: ergo in Picenum tandem, ut diximus, uentum est.

Romæ non minus terroris actum. erat quàm fu. biennio. an.) 310. A. Pro non, quidam haud reposuerunt. At id pusillum. Cæterùm cum Hannibal ante urbem fuerit anno octauo huius belli, atque hic sit annus duodecimus, quis non uidet legendum quadriennio, pro biennio?

Scuta uetera hostium notauit.) 311. A. Vetera qui dicere potuit, si non aduenerant? Sed uerè uetera uidebat scuta, quæ antea non uiderat: quæ etiam noua non minus commode dixisset opinor.

Per tortuosi amnis sinus flexúsque cum er. uoluens.) 311. A. Cũ errore uoluens, obscure dictũ, quomodocunq; interpretemur. Suspicor locum corruptum. Multa hic egregie restituit Beatus Rhenanus, obscure etiam dicta, quæ præcedunt aliquot uersibus.

Post aciem circunducit, & non host. mo. sed etiam f. inop. in sinistrum.) 311. B. A Romanis Claudius in dextro, Liuius in sinistro cornu, in media acie prætor pugnabat. A Pœnis contra Claudium stabant Galli, contra prætorem Ligures ac elephantes, contra Liuium Hasdrubal cum Hispanis. Inter Claudium ac Gallos collis oppositus arcebat, ne aut à fronte aut ab latere aggrederentur, ut ipse tradit author: quæ res effecit ut Claudius post aciem cohortes circunduceret. Sed obscurum id est, post quã aciẽ: non hostium, propter montem: ergo Romanam. Verùm sic non in sinistrum hostium latus incurrit, sed potius in dextrum, atq; adeo etiam eorum qui in dextro cornu Hasdrubalis erant.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM OCTAVVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



CVM transitu Hasdrubalis, quantum in Italiam decli. b.) 313. A. Quidam emendarunt, in Italia; sed quàm bene, ipsi uiderint. In Italiam, malim. Iidem hac semipagina postea scutata, pro scutatorum reposuerunt, quod & ipsum nõ placet. Notauit hoc etiam Sabellicus.

Oppressum erat.) 313. B. Et hoc quoque in oppressa mutarunt, ut referant ad materiam belli. Potest tamen oppressum referri ad conflatum bellũ. Lector iudicet num oratio hiet, cui deesse aliquid propemodum mihi persuasi. Quidam oppresserat legunt.

In Mesessum finibus est sita.) 313. B. Non ferme reperias apud scriptores uel Oringis uel Mesessum nomen in Hispanijs, etiamsi cum tempore nomina mutata sint. Quidam Melissum emendarunt, sed nec id compertum habent.

Romanæ V. & XX. quinqueremes, regiæ V. & XXX.) 314. A. Ita ueteres habent libri, ut regia claßis decem superarit nauibus. Quidam posteriorem numerum priori similem legunt: id si ita esset, opinor Liuium dicturum fuisse, regiæ totidem, non V. & XX. cum is numerus iam præcesserat.

Tum præsidium urbi mittit, unde allatum erat.) 314. B. Quæ sit ea urbs non explicatur, & è Lemno iam cesserat Attalus. Ideoq; is locus rectè notatus est asterisco quibusdam in libris, fortaßis ut exemplaria uetusta eo diligentius conspiciantur.

Maxime in sinu Aeniano cuastatis Scotusam cop. re.) 314. B. Quis sit sinus ille Aenianus, haud temere dubitant plures: neque enim uerisimile est ad Aenum urbem Thraciæ esse, sed sinus Maliaci partẽ, ad quẽ supra Scarphiã tenuere populi Aenianes, uicini ab occasu Locris Epicnemidijs, proxime Dorienses, ut tradit Strabo lib. 9. Nec lõge inde Heracleã abesse Aetolicæ ditionis, ad Oetam montem, de qua hic noster author obiter lib. 1. de bello Macedonico sub finem. At lib. 6. copiose post Thermopylarum descriptionem, eius etiam situm ac obsidionem commemorat. Scotusam autem Pelasgioticam hic putat, de qua Strabo lib. 7. ad finem, ad quam sunt Cynos Cephalæ, eodem authore.

Ipse in Cisseo (mons est in altitudinem ingentẽ ea.) 314. B. Vbi ille mons sit, in Peparethone, an in continenti, non explicat. nec ego de hoc monte quicquam apud idoneos reperio authores.

Ad Demetriacum Phthiotidis exposuit.) 315. A. Rectè Sabellicus Phthiotidis hoc in loco restituit, sed Demetriacũ putauit idem esse cum Demetriade. Superflue igitur adiecisset Liuius, Phthiotidis. Ego Demetriacum puto esse oppidum, quod Strabo Demetrium uocat libro nono, ubi de Achillis regione disputat, ἀπὸ τῆς Δήμητρος, id est, Cereris tẽplo, quod ibi eximiũ habebat.

Sed temere in modũ uenti.) 315. A. In modũ uẽti, dixisse uidetur pro ad arbitriũ uenti. Mirũ uerò de Euripo ita nihil conuenire apud authores. Quantus hic, dij boni commentandi campus.

Claßémque inde ad Cynum Locridis.) 315. A. Sabellicus hoc loco restituit Cithinium ex Ptolemæo, sed codex fefellit: nam Cynum legendum est.

Igitur Philippus deiecto præsidio.) 315. A. Nescio quid hic desiderem in sermonis connexione, præsertim cum dicit, igitur. Sed id lector consideret, si fortaßis meliorẽ nactus fuerit codicẽ.

Quia Oreum pau. ante di. ab Ro. mil. exper. re. direptum.) 315. A. ὠρεὸς est in Strabone genere mascul. cum Liuius hoc in loco neutro genere proferat, paulò antè genere fœm. sed adiecto substantiuo, urbe. Hæc eò tendunt, ut minus anxij in his simus, cum uideamus etiam magnos authores non ita anxie hæc ac similia obseruasse.

Toronẽ est profectus.) 315. B. Throniũ Strabo lib. 9. triginta stadijs à Scarphia abesse ait, apud quod oppidum Boagrius amnis oritur. Torone autẽ lõge alia ciuitas ad Pallenẽ est, supra Cassandreã, quæ olim Potidæa. Throniũ igitur ubiq; hic legam.

Incolebant eam urbẽ profugi ab Thebis Phthiotici.) 315. B. Vide num potius Phthioticis legendũ sit. Nã de Thebis Phthioticis Strabo meminit libro nono, ubi de Achillis ditione disserit.

Paucis ante diebus inde Phoceas traiecerant Pœni.) 315. B. Phoceas si rectè legitur, accusatiuus est Ionicus à nominatiuo φωκεῦς, quod nomen est à Phocide regione Græciæ. Quidam igitur non rectè diphthongum æ apposuerunt, tanquam à nominatiuo φωκαεῦς, quod à Phocæa urbe Asiæ, nihil prorsus ad hunc locum, deducitur. Suspicor legendum, in Phocidem. Sed lector geographiæ peritus iudicet. Nam hæc duo nomina, Phocis & phocæa cum suis denominatiuis, & in Latinis, & in Græcis codicibus magnum fecere errorem.

Ipse à Bœotris præter terram Atticam super sinũ nauig.) 316. A.

316.A. Quidã ab Oenotrijs emendarũt, sed inepte, meo quidẽ iudicio. Strabo enim lib. 8. ubi de sinu Corinthiaco, Holmas promõtorium sinum efficere, in quo & Oenoa sit, & Pagæ: atque has quidem Megarense castellum esse, Oenoan autem Corinthiorum. De eadem Oenoa Plin. lib. 4. cap. 7. Et de hoc loquitur (ut puto) hic Liuius: Terra missum exercitum per Bœotiam, ipsum uero regem præter Atticam circa Sunium promontorium mari Chalcidem uenisse. Quare uerba Liuij ita legi possunt: Ipse ab Oenoa præter Atticam super Sunium nauigans, inter medias prope hostium classes Chalcidem peruenit. Cenchreis non minus quadrat, quod Beatus Rhenanus restituit.

Ab Chalcide Oreum nauigat.) 316.A. Hoc oppidum ab Attalo atque Sulpitio expugnatum fuit paulò antè, nec de ea recepta quicquam hactenus. Hic nunc eam (si dijs placet) principibus qui Romanos fugerant, Philippus tradit. Vel igitur hic aliquis defectus, uel authoris obliuio.

Cum Q. Fabius Max. prætor legatus ab M.) 316.A. Neque huius, neque præcedentis anni Q. Fabium Max. prætorem inuenies, quare hoc nomen suspectum. Ego prætor temere adiectum suspicor, & uetusta quædam exemplaria non habent.

Sicut P. Manlius tenuerat.) 317.A. Hic priore anno, atque adeo præcedente libro, ab ipso authore bis C. Manlius uocatur, non P. ubi prætor Siciliæ creatur.

Et præmissa præda incolumes leg. in lo. occulta.) 317.A. Quidam emendarunt, in loca culta. Verũ hæc ita narrantur perinde atque aliquis adsit uerbis defectus, quod equidem opinor.

Præmisso Syllano ad Colcam duo de XXX. op. re.) 318.A. Huius reguli meritò (ut ego existimo) uel unam nominasset ciuitatem Liuius. Eam negligentiam in oppidis Hispaniarũ cui adscribere debemus, haud equidem scio: sed certe ea nimis magna est.

Quartodecimo anno post bellum initum.) 319.B. Hic erat annus tertiusdecimus: ut ipsemet Liuius ab initio huius anni de COS S. dixit. Et ut hoc excusari nulla ratione potest, ita nescio quo pacto id diluam quod paulò pòst de L. Scipione Romã cum nobilibus captiuis misso subiungit. Certe non ita longe ab initio huius libri etiam missus est, nec ubi interea redierit, usquam memoratur. At ego credo Liuium memoria lapsum eandem rem bis scripsisse. Nam bis missum ut credam, adduci non possum.

Syphacem primum regem statuit tentare. Masæsyl.) 319.B. Libro quarto huius decados sub finem, Galam Masanissæ parentem, Masæsylorum regem Liuius scripsit, hic Syphacem. Et certe hoc loco posita descriptio conuincit Sigam fuisse ubi Scipio applicuerit, ea Africæ parte, qua noua Carthago eam spectat, ut hic fatetur author. Cirtha uerò (quanquam magis credo eam caput regni Syphacis fuisse, quod postea libro decimo scribet Liuius) huic loco minime quadrat. Suspicor autem Liuium duobus his nominibus, Masælibyum ac Masæsylorum, deceptum: quod nulli mirum uideri debet, cum in codicibus Strabonis, qui tamen libro ultimo ex professo ea distinguit, idem erroris in omnibus quæ nos uidimus exemplaribus acciderit.

Fœdus ea tempestate regi, cum Carthaginens. erat.) 319.B. Hic idem rex bis cum Romanis fœdus iniji, semel etiam missis ad hoc Romam, & rursus à Roma ad regem legatis: & à posteriore quidem fœdere tres duntaxat anni intercesserunt. Nec satis hoc purgatur, quòd rex barbarus erat, cum Scipio hoc idem timere debuerit, qui hic nouum (si dijs placet) sancit fœdus. Si cum perfido, quorsum id ferire attinebat? Sin cum eo cui utique fiden dura erat, qui fit ut eũ ueteris fœderis & prope nuper icti nõ admonuerit? Sed profectò suspicor Liuium oblitum postea eorum quæ antea scripserat, id quod iam sæpe admonuimus.

De principatu ciuitatis, quam Ibem uocabant.) 321.A. Id nominis, ut pleraque Hispanica, apud posteriores non facile reperias authores. Et Astapa Floro Githium quibusdam libris uocata fuit: sed id ex Liuio emendatum. quanquam ego haud scio, liceátne ad eum modum emendare libros. Astapensium autem factum, à Liuio ut crudele narratur, cum Saguntinorum haud dissimile fuerit, & tamen ut forte laudatur. Sed scilicet hoc pro Romanis, illud contra Romanos fuit. Hoc est historiam scribere.

Agrum Suessitanum Sedetanúmque.) 322.A. Illergetum Regulus erat Mandonius, ut libro secundo huius decados ait Liuius, Lacetanorum autem Indibilis, ut puto. Cæterum libro 5. huius decad. Suessanos aduersus P. Scipionem duxisse idem Indibilis dicitur, cum Suessitani hoc loco amici populi Romani prædicentur. Nisi duos populos fuisse intelligamus. Mira profectò in his est obscuritas, & quam in Liuio quidem satis notã fuisse existimo. Sedetanos autem puto Edetanos Ptolemæo dici, atque Plinio lib. 3. cap. 3.

Ad Sucronem ortus.) 322.A. Sucronis eodem in loco meminit Plin. Ptolemæus ultra Valentiam statuit. Id autem mirũ, quomodo hi milites Mandonio Indibilique coniungi potuerint, interpositis tot amicis populis, Edetanis ac Suessitanis: ipsi ultra Iberum, præsidium gentibus cis Iberum, Mandonius autem ac Indibilis citra Iberum. Merito hæc lectori, ut obscura, indicari poterunt.

C. Albium Calenum, & C. Actium Vmbrum.) 322.A. Quidam pro Actium, restituerunt Atriũ: quod in oratione Scipionis postea ita legatur: Sed illi tamen non Actium Vmbrum semilixam, nominis etiam abominandi ducem. Atrium ab atro dici uoluisse, non Actium. Verum res non est tanti momenti.

Et P. Scipionem deûm be. & rempub. esse gratiæ referendæ.) 322.B. Nota hoc dicendi genus, P. Scipionem & rempub. esse gratiæ referendæ. Sæpe enim per gerundiuum non hic modo, sed cæteri quoque authores loqui solent.

Quina nomina principum seditionis edita sunt.) 323.A. Quidam quina, pro quinque positum existimant. At ego existimo, cum tribuni septem iji obuiam missi fuerant, & nocentium XXXV. ut ipse paulò antè fatetur author, intelligendum non quinque in uniuersum, sed singulis quinque, hoc est, septies quinq;, qui essi sunt XXXV.

Sed lætitiam ingentem fecit, quod magis habituri.) 323.A. Pro lætitiam, quidam licentiam reposuere, nõ rectè, ut puto. Cæterum quæ sequuntur uerba, obscura sunt: puto autem de Sillano intelligi, quem sperabant milites magis in ipsorum fore potestate, quàm se in illius.

T. Quintio Crispino, C. Fuluio.) 324.A. Cn. Fuluio legendum. Et intelligit de Cn. Fuluio Centimalo, qui anno octauo huius belli COS. fuit, ut ad finem lib. 5. huius decados habetur. Deinde uero proconsul occiditur ab Hannibale ad Herdoneam, ut ab initio libri septimi narratum est. Vicerat alium etiam Cn. Fuluium Hannibal, ut libro quinto ante dictum: at is effugerat cladem, non item populi iudicium, ut libro sexto ab initio. Verum Scipio hic de occisis loquitur.

Ad Carteiam classe accedit.) 324.B. Carteiam Ptolemæus intra Calpen. ponit: ut hæc descriptio ostendit extra fretum esse, quod & Plinius lib. 3. cap. 1. fateri uidetur, qui addit Tartesson à Græcis dici. Quod si uerum est, haud dubie ea uideri debet, quam Strabo ad Bætis fluuij, qui & ipse aliquando Tartessos dictus est, ostia ponit. At libro primo huius decados Liuius ex Polybio Carteiam Olcadum gentis caput facit. quare ego duorum oppidorum nomen puto Carteiam.

In Sedetanum agrum.) 325.A. Paulò antè admonuimus, uideri Sedetanos à Liuio dictos, quos Ptolemæus Pliniúsq; Edetanos uocent. Cæterum trans Iberum erant, tametsi illius accolæ aliqua parte. Illergetes uerò cis Iberum. Ergo proficiscenti Scipioni a noua Carthagine, priores erant Sedetani quàm Illergetes. At Liuius hic decimis castris Scipionem ad Iberum uenisse, deinde superato amni, die quarto in conspectu hostium castra posuisse scribit, nulla facta mentione Sedetanorum. Nisi quis dicat in Sedetanos primum hostes transcendisse (nam eo uerbo utitur Liuius) deinde in Illergetes etiam superato amni redijsse. Certe locus obscurus est, nec facile soluitur. Id etiam mirandum, quo pacto Illergetes & Lacetani in Sedetanis exercitum collegerint, cũ illi essent socij populi Romani, ut paulò antè tradidit author. Neque enim usquam mentio est defectionis Sedetanorum. Hæc ut dubitata à me scribo, quæ lector boni consulat. Spero autem fore, ut qui rem penitus introspexerint, fateantur me nec temere, nec absque urgentibus causis dubitasse, aut ut minimum alijs dubitandi occasionem præbuisse meliorem.

Die quarto in conspectu hostium posuit castra.) 325.B. Poterat hic Liuius dicere clarius in quorum terra hoc gestum,

ac uallem nominare. Nam citra Iberum Sedetani non sunt, quorum agrum ante nominaui: Hoc uel apud Latinos C. Cæsar, uel apud Græcos Herodotus, non neglexissent.

Equitem nec posse circundare cornibus.) 325.B. Hæc descriptio etsi intelligitur, est tamen oppidò obscura aliquot uerbis ut hæc: hic posita, & tertio deinde uersu hæc uerba: Segregetque quantum posset equestrem à pedestri pugna. Et rursus post aliquot uersus: Duæ peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi, &c.

Mandonium fratrem ad eum mittit.) 326.A. Hic habemus, ut uidetur, hos duos regulos, quorum toties hic mentio facta est, fratres fuisse. Nisi quis putet alium Mandonium esse Indibilis fratrem uxorem quempiam: nam alioqui cur non ipse Indibilis iret deprecatum apud uictorem hostem, cum Mandonius in eadem erat culpa? Quanquam & ea quoque subest causa, quòd Indibilis aduersus Scipionis parentem pugnauerat, unde odij adhuc satis ulla timeri poterat.

Substituerátque animo speciem quoque corp. amp. ac.) 326. A. Substituerat dixisse uidetur pro conceperat: quanquam haud scio an ita sit in usu. Beatus legit, præstituerat.

Numida gratias de fratris filio remisso agit.) 326.A. Præcedente libro Masanissa auunculus dicitur eius iuuenis, quo de hic agitur. Ergo legendum hic uidetur sororis filio, nisi uel sororis maritum fratrem appellarit, uel apud Barbaros frater sororem habuerit in uxorem.

Nec sine causa electam ante urbem stationem.) 326.B. De Romanis loquitur, ut puto. Sed ut hæc uerba sese sequantur, suspensum faciunt lectorem.

Ad octingentos hoc cæsi inter im. lit. que ad duo mil.) 326. B. Hic locus obscurus est, &, ut suspicor, etiam corruptus. Quanquam quidam exponunt, cæsos octingentos, sed in uniuersum qui interierint, fuisse duo millia. Quidam codices armorum habent, non armatorum.

Inde ad Cimbim (haud procul à Gad. is locus ab.) 326.B. Id nominis nusquam legi, quod equidem sciam, ideóque inspicienda uetera exemplaria.

Viris armis haud æque ualidam.) 327. A. Strabo lib. 4. minorem Balearium uirtute nihilo inferiorem maiore fatetur, id forte sic erat illius tempore. Illa ἀσύνδετα, armis uiris, quidam per que connectunt, ut paulò ante in maiore. Et paulò pòst, Missisq; Carthaginem: distinguendum ante, ad hybernandum: ut sit sensus, auxiliares missos tanquam obsides Carthaginē, ipsum autem Magonem ad hybernandum naues subduxisse. At hæc pusilla sunt, ac propemodum non huius instituti, ursa tamen sunt aliquid ad lectoris utilitatem facere.

Qui sine magistratu res gessisset.) 327.A. Libro sexto ad hoc comitia fuere, ac illic plane imperium uocat, hic sine magistratu eum uocat, qui Procoss. fuit. Statim autem pòst legati Saguntinorum COSS. uocant in Hispaniā missos, consulareis ac procoss. Nullus enim COS. hoc bello illuc est missus. Hi itaque loci lectori perpendendi. Simile quiddam inuenies lib. 1. de bello Maced. ubi L. Cornelius Lentulus frustra triumphum petijt.

Quod nobis non tam fructu iucundum est, quàm ultione.) 327. B. Vide id genus locutionis per comparatiuum inter tam, & quàm. quanquam ueteres libri tam non habent.

Si alterutra uictoria nobis consulibus relinquen. est.) 328 B. Omnes libri nobis habent, ut sit sensus secundum quosdam: Si nobis relinquenda est uictoria alterutra Consulibus, prior maior clariorque, &c. At ego hunc sensum non percipio: quare, uobis, malim. neque enim Fabius hic erat COS. Beatus legit, nouis, hoc est, alterius anni, siue insequentium annorum.

Bello domi relicto authore æque impigro.) 328.B. Videtur loqui de ea clade quā Athenienses apud Syracusas passi sunt, prosequente eam Thucydide lib. 7. Quanquam ibi duorum ducum est mentio, quemadmodum etiam hic author libro quinto huius decados, ubi Marcellus fleuit super Syracusas, duorum meminit. Nisi quis in Alcibiadem hoc dictum putet, qui suasor erat huius profectionis, ut lib. 6. idem docet Thucydides.

Quàm ea suspicio (uitio orationis, an rei) haud sa. pur. est.) 329.B. Desideratur hic, ut opinor, aliquid. nisi quis supplendum putet uerbum, nescio. est tamen obscure dictum.

Cum quatuor exercitus Pœnorum, quatuórque duces.) 330. A. Magnifice Scipio oratorum more auget sua: tres enim duntaxat fuere perpetuo hoc tempore belli duces, & exercitus itē tres, ut libris omnibus superioribus tradidit Liuius. Duo Hasdrubales & Mago. Vt autem Hasdrubal Hamilcaris ex Hispania discessit, successit Hanno, ut ab initio huius libri habetur: sed is statim captus est. Hunc fortaßis nunc etiā numerat: is enim cū nouo exercitu ex Africa uenerat. Idem numerus est superius cum Scipio ex Hispania Romam uenerat, eique senatus datus in æde Bellonæ.

Quem L. Veturius & Q. Cæcilius sortirētur inter se.) 331. A. Sensus, propter sequentia, utcunque intelligitur, quod Q. Cæcilio forte euenit, ut cum COS. in Brutijs aduersum Hannibalem bellum gereret. Cæterum lector consideret uerborum structuram & ordinem, & uidebit nos non frustra dubitasse.

Et in uiaticum decurionibus remigibúsque collaturos.) 331. A. Quid collaturos? num centum & uiginti millia modiûm? quid igitur coniunctio &, ibi posita? Paulò antè etiam, millium quinquaginta summam ad pila, gæsa, hastas longas referenda puto, alioqui sensum nullum uideo.

Ingauni (Ligurum ea gens est) bel. ea tem. ge. cum Epanterijs mon.) 331.B. Albigaunus est oppidum, authore Strabone libro quarto, cuius incolæ Ligures Ingauni appellantur. Meminit & Ptolemæus & Plinius lib. 3. cap. 5. De Epanterijs nihil apud idoneos inuenio authores, fortaßis nomen uel corruptum, uel uetustate abolitum.

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM NONVM, HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



EX ijs trecentos iuuenes florenteis ætate.) 332.A. Centuriati erant uoluntarij Scipionis milites, at non ij trecenti. Nota igitur locutionem, tum quid referat, ex ijs.

Naues mari secundo misit.) 335.B. Vide ut illud misit, posuerit. Nā ipse quoq; unà uectus est. nisi classis præmiserit aliquot naueis, quippe qui non longe pòst dicturus est, classis Romana à Messena Locros multa die superante accessit.

Simatris Idææ Pessinunte numen Rom.) 335.B. πεσσινοῦς apud Strabonem lib. 12. legitur. Plinius libro 5. cap. ultimo, & Ptolemæus, Tolistobogijs attribuunt. Hoc nomen ferme in codicibus corruptum legitur, ut pro n, Pessinus. quanquam prima in Græcis codicibus duplex habet σσ, quam ego simplici sigma scribendam censeo.

Oraculum adierunt. consulentes ad quod negotium.) 336. A. Hæc & continuò sequentia uerba implicatum habent sensum, ideóque diligenter conspicienda uetera exemplaria.

Et flamen mar. est mortuus M. Aemylius Regulus.) 336. A. Ad finem huius libri idem M. Aemylius Regillus dicitur, quod placet magis quàm Regulus.

Neglectæ eo biennio res in Græcia erant.) 336. A. Anno duodecimo huius belli Sulpitius res in Græcia gessit, ut priore libro scripsit Liuius. Cæterum P. Sempronius successor ei missus, ut paulò pòst dicturus est, uidetur otiosus sedisse: neque enim quicquam de eo hactenus & gestis rebus eius. quanquam quandiu

m issus

missus successor, non dixit usquam in prioribus Liuius. Quòd si hoc XIIII. demum anno missus est, non decimotertio, & neque COS. hæc gessit, rectè ait biennio res in Græcia neglectas. Sed hoc est iuuare socios scilicet, ac postea irasci illis, quòd derelicti, sine authoritate Romanorum, aduersus fœdus cum rege pacem fecissent. Fieri etiam potest ut in superioribus alicubi sit defectus.

Peuce urbs est Epiri.) 336.B. Quidam emendarunt Phœnice, & rectè: sic enim & Strabo, & Ptolem.

Partheni, & Dimallum, & Bargulum, & Eug.) 336. B. Parthenorum meminit Plinius lib. 3. cap. 22. ubi gentem Illyricam facit. At cap. 23. eiusdem, Parthinos Macedoniæ gentem, cuius Cæsar etiam meminit lib. 3. de bello ciuili. Quidam in confinio utriusque prouinciæ eandem putãt, & per i in secunda syllaba, non per e scribendum. Quæ uerò hic sequuntur nomina, haud scio an usquam legerim. Et hic locus in plerisque codicibus asterisco notatus est non absque causa, desiderantur enim quædam. Et illud, Atintanas, non parum lectorem moratur.

T. Quintius Tarentum, C. Hostilius Tub. Capuam.) 337.A. In diuisione exercituum prioris anni non meminit Liuius horum, sed tertiodecimo anno huius belli, hoc est, tertio hinc anno.

VI COSS. magistratus denósque principes.) 337.B. Hic principes uocat, quos paulò post cum legatos, tum primores. Deni autem ex duodecim colonijs, præter magistratus, efficiebant numerum CXX. qui retineri iußi, magistratus uerò domum ire ad delectus conficiendos. Et coloniarum nomina in plerisque uetustis codicibus hoc loco melius habent, quàm libro 7. quod supra etiam admonuimus.

III. millia æris asses singulos imperari.) 337. B. Facile possem hic lectori ostendere quàm fœcunda sit ignorantia. Nam si prosequi uelim quot modis hæc uerba intelligi poßint, paginam implerem. Ego uero cum mihi ipsi primum satisfacere nequeam, nec lectorem ostentatione inani traham, sed libere dicam me hunc locum non intelligere. Hoc unum uideri tamen mihi, in mille æris legendum, non tria millia. Error ex scriptura facilis erat. Loquitur autem de stipendio. Singulos itaque asses in singulos ucenses intelligo, ut de mille æris fierent asses annui duodecim, & formulam puto pro portione quadam sumptam, ut sors bonorum cuiusque, & secundum sortem militum numerus cognosceretur. Huiusmodi locos ferme non attingunt qui annotationes scribunt.

Quibus per uos fidémque uestram P.C.) 338. B. Quibus nihil rei gesseritis, intelligitur. Sed in illo, per uos fidémque uestram, nisi intelligamus uerbum aliquod, ut, oramus, admonemus, aut quid simile, non uideo quid sensus ex hoc loco elici queat.

Auertit à uero falsis elicitas præoccupan. men. hom.) 341. A. Obscurus sermo: dubium enim est, elicitás ne falsis dicere uolit, an præoccupando potius falsis. Sed elicitas non est in plerisque libris.

Vt singulæ sena mil. & ducenos ped. tricen. hab. eq.) 341. A. Trecenos, id est, trecentenos legendum, non tricenos, quod à triginta deriuatur. Apud doctos nõ erat opus hoc admonere, sed apud imperitos, & quod librariorum erratum hoc est in omnibus fere codicibus. Laurentius Valla, homo de Latina lingua optime meritus, primus, quantum meminisse possum, hunc errorem lib. 3. Elegantiarum ostendit. Omnes etiam sciunt legionem apud Romanos sæpe uariatam, quod alibi, non uno duntaxat loco, nos admonuimus.

Cum M. Porcio Catone (quæstor tum is erat.) 341.B. Apud Ciceronẽ de senectute, ipse Cato ait se prætorẽ fuisse his COSS. Quæstorem autem Fabio ad Tarentum. At in eodem dialogo locus alius conuincit eum locum mendosum esse, & hic Liuium rectè scripsisse, de qua re rursus & copiosius admonebimus lectorem lib. 2. de bello Macedonico.

Emporia ut peterent gubernatoribus edixit.) 341.B. Emporia hoc loco uocat, ut ego puto, litoralia mercatorum ac molliorum hominum loca. Nam ut de Emporijs ad Syrtim paruam intelligam, de quibus ad finem libri quarti decados sequentis, adduci non possum: neque enim in eum locum Scipio hic diuertit. Nisi quis dicat, uoluisse illuc Scipionẽ diuertere, sed à nautis obtinere non potuisse. Sed & libro eodẽ ea de re aliquid dicemus.

Nam præter XL. naues longas quadrin. ferme oner.) 341. B. Quas hic naues longas uocat, paulò antè rostratas nominauit. Libro autem primo huius belli, quas primum quinqueremes, paulò post longas uocat. Videntur igitur confusa hæc tria nomina, longa, rostrata, quinqueremis nauis. Et ex hac quidem comparatione Liuij, quam hoc loco exhibet, uidentur rostratæ angustiores onerarijs: sed an etiam maiores, non equidem pronunciauerim, cum in rostratis singula, in onerarijs bina fuerint lumina: & in pugna nauali ad Vticam libro sequente onerariæ altiores dicantur rostratis. Sed meritò quis clamabit, me nautarum tractare negotium, qui nauigare nesciam: quorum hoc quidẽ uerum est, illud tamen neutiquam reprehendendum. Nam ea inquirere, ad hoc quoque negotium pertinere puto. quanquam lectoris iudicio omnia subijcio: licuit dubitare mihi, licebit alijs iudicare.

Gens Masæsylorum omnis in ditionem im. que Mezetulli.) 342.B. Libro huius decados quarto Liuius ait Syphacem Numidarum regem, Galam autem Masanissæ parentem, Masæsylorum. Contra uerò libro huius belli octauo, Syphacem Masæsylorum regem ait, ubi & eam gentem ac Syphacis regiam absque nomine describit. Sane & Strabo & Plinius Sigam Syphacis regiam fuisse fatentur. At hic noster Liuius libro mox sequente Cirtham caput regni Syphacis facit, quæ longißimo tractu à Siga distat. Denique Plinius libro quinto Masanissam Numidiæ regem ait, quæ ad Ampsagam fluuiũ est, de posteriore loquens tempore huius belli, ut puto. Hæc adeo diuersa, iudicio lectoris relinquo. Verum huius belli tempore existimo Syphacem Carthaginensibus propiorem fuisse, Galam uerò Masanissæ parentem, ac Masæsylorum regem, longe distantiorem. Deuicto autem Syphace, omnia in Masanissæ uenisse potestatem. Nomen uerò Numidiæ utrisque regnis commune fuisse: sed cum Masæsyli nomen haberent proprium, alteri regioni commune uelut proprium mansisse: nisi quis Masælibyas uocare uelit, ut Strabo facit libro ultimo. quare quod libro octauo huius decados dicitur, Syphacẽ Masæsylorum regem esse, suspectum: ut & Scipionis nauigatio duabus quinqueremibus fabulæ similior, magísque trium in Syphacis regia colloquium, Hannibalis, Scipionis, ac Syphacis.

Proficiscenti ad Syphacem Lac. reg. ad Thapsum.) 343.A. Thapsus neque in Numidia est, neque in Masæsylis: mihi nomen suspectum est, ut nihil interim cauiller, mirari me quo pacto Carthaginenses per ditionem suam sinerent regum exercitus uagari, cum hoc tempore omnem Africæ oram tenerent, quæ mari nostro abluitur, ab aris Philenorum usque ad Herculis columnas, ut auctor est Polybius lib. 3. Idem erroris suspicor in nomine Clupea, cuius paulò post mentionem facit.

Instando simulandóque peruicit.) 343. A. Hic uidebatur oratio finita, sed postea subnectet: His uocibus incitatus Syphax. Ipse lector secum etiam atque etiam cogitet, sitne defectus aliquis an interpolatio rhetorica.

Masæsyliorúmque fines (id Syphacis regn. erat.) 344.A. Rursus hic Syphacis regnum Masæsylorum facit, cum in hac digreßione paternum Masanissæ regnum toties uocarit. Nec satis excusat, quòd deuicti Masæsyli in ditionem Syphacis concesserãt. Sed omnino suspicor legendũ hoc loco Masælibyum, atq; etiam ita lib. 8. Sed uerba Strabonis libro ultimo geographiæ ponere placuit. Inquit autem: μετὰ ἢ τὴν τῶν Μαυρουσίων γῆν τῶν Μασαισυλίων ἐστὶν, ἀπὸ τοῦ Μολοχὰθ ποταμοῦ τὴν ἀρχὴν λαμβάνουσα τελευτῶσα δ' ἐπὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Τρητὸν, ὅρον, τῶ τε Μασαισύλων καὶ τῶ Μασυλίβων, id est, Post Maurorum uerò terram Masæsyliorum est, à Molochath fluuio initium sumens, finiens uerò in promontorium, quod Masæsyliorum & Masælibyum confinium dicitur. Strabo autem Masæsylios quinque syllabis dixisse uidetur: quare in Græcis etiam posteriore hoc loco ita emendandum, μασαισυλίων. Item ibidẽ μασαιλιβύων lego, πενταυλλαβῶς non μασυλίβων, ut uulgati habent codices. Confinium autẽ horum duorum populorum est Triton promontorium. Sed paulò pòst Strabonis locus rursus corrupte in Græcis legitur, μετὰ δ' οὖν (inquit) τρητὸν ἡ μασσυλιέων ἐστὶ, καὶ ἡ καρχηδονίων παραπλησία χώρα. id est, post Tritum uero Massyliaorum est ac Carthaginensium confinis regio. Μασαιλιβύων legendũ, id est, Masælibyum. Tingitanam igitur regionem Mauros & Boc-

charis regnum intelligimus, Cæsariensem Masæsylos ad Ampsagam usque flumen, aut Triton promontorium. Post Ampsagam, Numidiam siue Masylibyas Syphacis regnum. At tum duo in Liuio scrupuli uehementer lectorem remorantur: alter, quomodo à Masanissa Syphax prælio uictus in Maurusios fugerit, quod libro quarto huius decados tradidit Liuius. alter, quomodo Masæslibyum regnum uicinum sit Maurusijs, cum Masæsyli sint in medio: siquidem libro octauo huius decados legamus, Masælibyū is rex erat, Masælibyes gens affines Mauris, &c. Nisi Maurusiorum (qui Latinis Mauri uocantur) nomen commune fuerit Mauris ac Masæsylis, ut antè de Numidia diximus, quod prope toti Africæ commune fuit. Ego, ut in uniuersum dicam, in fuga Syphacis libro quarto, & in descriptione loci ad quem proconsul Scipio in Africam nauigarit, Liuium lapsum opinor: alia bene habere loca, si quis hos duos distinguat populos Masæsylos ac Masælibyas, ut ex Strabone ostendimus.

Gentémque Garamantum omne tempus.) 344. A. *Hæc ita narrat Liuius, quasi Garamantes usquam attingant paruam Syrtim. Et Emporia haud dubie ad mare erant in potestate Carthaginensium, si Polybio credimus, ubi, ut puto, nihil tutum Masanissæ. Atqui ob has causas patietur, imò nec indignetur Herodotus sibi æquari Liuium, iudicio Quintiliani. Nec uerebimur Thucydidi opponere Sallustium, in locorum nomenclatura æque negligentem, etiamsi in ea regione prætor fuit.*

Paulo minus trecenti capti uiui, & equi XL.) 345. A. *Et captiuorum & equorum numerus pro occisorum numero quibusdam nimis paruus uidetur.*

Viam è foro boario & ædem Veneris circa foros pub.) 345. B. *Quidam legunt, & ad ædem. alij coniunctionem &, tollunt. alij, quod probo, ad Veneris legunt. Verum id ei facile erat, qui Romam uidisset eo tempore, uere emendare: nobis coniectandum tantum. Porrò fori publici qui sint, uix definire queo, cum libro primo in Tarquinio Prisco fori in maximo describantur circo. Loca (inquit) diuisa patribus equitibúsq;, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati.*

Sextante sal & Romæ per totam Italiam.) 345. B. *Difficultatem hic habet sermo, num salis modium pro uectigali sextantem soluisse intelligere debeamus. Nam sextante uenisse uix uerisimile uidetur. Deinde hoc etiam perpendendum lectori, si Romæ pretio eodem, pluris autem foris præbendum locauerint, quo modo tribus Romanas maxime unde oneratas intelligamus, quod mox subnectit author.*

Vnius quod falsum aduersus se testimon.) 245. B. *Valerius Maximus libro secundo capite quarto, ubi de ijsdem Censoribus ac eorum contentione mentionem facit, priorem causam à Liuio hic positam omittit, alteram narrat. Et plane ego quoque non intelligo, quódnam hoc sit falsum testimonium.*

In loco M. Aemylij Regilli.) 346. A. *In creatione magistratus prioris anni M. Aemylius Regulus hic legebatur, sed malim Regillus, ut superius quoque admonuimus. Quidam etiam dubitarunt, si uterque huius anni Consulum Cn. dicebatur, quare Liuius non ita locutus sit, Is COS S. Cneios, Seruilios, Cæpionem & Geminum creauit, quomodo de tribunis militum cons. potestate sæpe loqui solet. Sed non uidetur meo iudicio Liuius hoc perpetuo obseruasse. quanquam de his duobus Seruilijs libro sequente dubie loquitur, ut ibidem dicemus, ob hoc tamen ego Cn. in C. mutare non ausim.*

IN T. LIVII TERTIAE DECADOS LIBRVM DECIMVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



VDOS *magnos facerent quos T. Manlius Tor.*) 346. B. *Hi ludi uoti erant anno secundo huius belli, C. Flaminio, Cn. Seruilio* COS S. *sed in nullum annorum numerum. Anno itaque undecimo huius belli à T. Manlio dictatore facti, iteriúmque uoti in quinquennium. Cum autem hic sit anus sextusdecimus, lector ipse secum dispiciat, quid per quinquennium intelligendum. Ipse tamen Liuius hoc postea libro, anno sequēti hos ludos factos scribit, oblitus opinor huius loci. Nisi quis* COS S. *iussos quidem, sed non fecisse hoc anno credat. quod uidetur uerisimile. nihil enim memoratu dignum hi duo gessere. Errorem non paruū faciunt diuersi loquendi modi apud Latinos, dum alius in quinquennium, alius post quinque annos, alius quinquennale spatium lustrum appellat. M. Varro libro quinto etiam ita loquitur: Lustrum (inquit) tempus quinquennale, à luendo, id est soluendo, quód quinto quoque anno uectigalia & ultro tributa per censores persoluebantur. Hæc ille. Ego, cum dicitur quinto quoque anno, nō quinque annos intelligo, sed quatuor duntaxat tres quidem interiacentes, extremorum autem alterum. Ita Olympici ludi quinto quoque anno in Græcia fiebant, erant tamen Olympiadis quatuor anni tantum, non quinque. Et non est apud me dubium, quin lustri rationē Romani à Græca Olympiade habuerint, ut cætera: sed apud eos uix unquā reperias uere lustri annos obseruatos. In causa fuere ingētia negotia subinde incidentia, & bellici tumultus. Ita ab undecimo anno in hunc sextumdecimum, si extremi numerentur, sunt anni sex: si omittantur, quatuor. Si in posteriore conferamus annū, quod Liuius tradit, non connumeratis extremis, quinque: at septem, ijs adiectis. Ita in lustri annis uarius usus etiam in Horatio, ut in eum quoque annotauimus, atque adeò etiam in Dionysium Halicarnasseum.*

Frusinone arcus solem tenui linea amplexus.) 347. A. *Si sol in arcu erat, quomodo maior solis circulus ipsum includere potuit? Sed opinor per illud intrinsecus nobis significari alium extra circulum, quem hic solis orbis circulum uocat. Est sane in re lucida obscura descriptio.*

Legati Rom. uetitos se reuerti ab imperatore.) 347. A. *Ab imperatore, habent uetustiores codices. Quidam emendarūt, ad imperatorem, quod displicet. Nam utique legatis Romanis licebat ad suum redire imperatorem, sed ab imperatore ad Syphacem non redituros, id enimuero minabantur, ut tandem responsum elicerent. Est autem hoc factum hic à perfidia non multum alienum, ut ut pinxerit Liuius.*

Circa urbem nomine Olbam ab conquisitoribus suis con.) 348. A. *Nemo, quód sciam, huius urbis meminit uel in Hispanijs, uel in Africa: quod ob manifestum amphibolon dicimus huius loci. Nam si dicas, conducta in Hispania quatuor millia Celtiberorum circa urbem nomine Olbam, certe Hispaniæ erit oppidum. Sin ita dixeris, occurrisse sibi circa urbem Olbam quatuor millia Celtiberorum conducta in Hispania, erit in Africa. Sed prior sensus magis placet.*

Romanus post principes hastatorum prima sig.) 348. B. *Hastati præeunt principes secundum ordinem quem nobis exhibuit libro octauo ab Vrbe condita Liuius. Ergo hic inuertit ordinem haud absque causa, ut puto, quæ tamen non narratur. Coniungendum autem, signa hastatorum, non principes hastatorum.*

Abest à Carthagine XII. millia pass.) 349. A. *Polybius libro primo Tuneta ait abesse à Carthagine XV. mill. passuum. meminit eius & Strabo libro ultimo. Est autem nominatiuus Tunes, etos: à quo regnum nomen habet nostra ætate.*

Postremo asseres ferreo unco præfixi.) 349. A. *Quidam aceres legūt, uidelicet quos ob duritiem Romani incidere nequiuerunt*

uerun

uerant, ut statim subnectit Liuius. Sed iudicet lector.

Masæsyli regnum paternum Masanissæ.) 349. B. *Masæsyli hic Masanissæ regnũ concessisse dicuntur, cum paulò pòst apud Syphacem pugnent contra Romanos, atque adeò contra ipsum Masanissam. Sed, ut dixi iam sæpe, uel nominum est apud Liuium confusio, aut in posterioribus Masæsibyes legendũ, cũ continuò subnectat Cirthã regiã, quæ est in Masælibybus, nõ in Masæsylis.*

Ex prætorio in tabernaculum suum confusus con.) 351. A. *Quidam hic defectum esse putant, quòd Scipio rogatus hic non abnuisse dicatur, & Masanissa tamen poculum mittit. Quidam putant satis id significatum per uerbum, confusus.*

Lælium retinendum, donec legati Carthagin.) 351. B. *Hoc loco Liuius decretum ait, ut Lælius retineatur in aduentum legatorum Carthaginensiũ. Paulò pòst uero dimissum ait ante aduentum eorundem. Quapropter uel decretum mutatum est, uel lapsus memoria, diuersosue secutus authores Liuius hæc scripsit.*

Et latoclauo tunicis.) 352. A. *Admonuimus etiam suprà libro septimo huius decados, ut lector iudicaret quid hoc tunicis adderet latoclauo: nam latusclauus intelligitur absque tunica.*

Dona nè minus quinũm mill. comitib. eorum mille æris.) 352. A. *Si quinũ milliũ rectè legitur, ut equidẽ puto, quare non etiam millenũ æris? cum uerisimile sit plures fuisse comites quàm legatos. Nisi quis simul omnibus comitibus mille æris datos intelligere uelit, quæ summa nimis minuta uidetur. Saguntinorum legatis duplo plus datum libro octauo refertur, fortè propter causam cogitatu facilem. Nisi altero in loco mendam esse quis putet.*

Et ut in rem permixtis, ubi cuspide uti & co.) 352. B. *In rem permixtis dixisse uidetur, pro contracto certamine. quanquam rarus est hic apud authores sermo, nihil tamen definio. Quidam, & ui permixtus, legunt.*

Patre Cn. Seruilio, & C. Luctatio ex ser. post sex.) 352 B. *Tria hic notanda. Primùm quòd hic Seruilius Aulus dicitur libro primo huius belli, quod illic obiter etiam admonuimus. Alterum, quòd post sextumdecimum annum ait, cum hic nondum sit elapsus annus, & ipse Liuius paulo post, dedisse id deos sextodecimo demum anno: de qua diuersa loquendi consuetudine paulò antè composius diximus. Tertium, quod hoc in loco Cannetis captos, scribit, cum supra Mutinæ, diuersos opinor secutus Authores, ut sæpe solet.*

Consentia, Vffugum, Vergæ, Besidiæ, &c.) 352. A. *Præter Consentiam haud scio an ullum aliud horum nominũ apud aliquẽ authorem aut legerim aut repererim: oportet obscura fuisse loca.*

M. Liuius Cn. Seruilium COS. qui prior esset.) 353. B. *Pro prior, alij propior rectè legunt: & Seruilium Geminum hic innuit. Sed id quod statim sequitur, Quum ea esset consultatio: quidam pro ea, substituerunt quanta, quod mihi non probatur.*

Ad Aegimurum insulam (ea sinum ab alto claudit.) 354. A. *Ptolemæus Aegimurum è regione sacri Apollinis ponit, uerum à Carthagine longius multo quam hæc Liuij habeat descriptio, quam similem propè iudico Virgilij descriptioni lib. 1. Aeneid. etiam si Seruius commentator neget ullum in Africa eiusmodi portum esse. Strabo lib. ultimo, calidarum aquarum etiam meminit ubi de Tunete: & Corsuræ insulæ in medio ostio sinus Carthaginensis. Et Plinius lib. 5. contra Carthaginis sinum insulas duas ponit. Sed in nominibus erratum existimo.*

Cum ad Bagradam flumen peruenissent.) 354. A. *Strabo libro ultimo, Propter Vticam (inquit) Bagrada amnis labitur. Et Plin. lib. 5. cap. 4. Et in altero sinu Vtica, ciuium Rom. Catonis morte nobilis, flumen Bagrada, locus castra Cornelia, colonia Carthago, magnæ in uestigijs Carthaginis. Quæ uerba Plinij hãc legatorum nauigationem multum iuuant. quanquã quale hoc promontorium sit, non definio, fortassis autem ignobile. Apollinis tamen promontorium ponit Ptolemæus prope castra Cornelianа, aliud ab Apollinis sacro. Hæc lectori indicanda sunt, quemadmodum de quinqueremi legatorum, de qua antea cum mitterentur, nihil dixit: hic cum redeunt, meminit.*

Ad Leptim appulit classem.) 354. B. *Et paruam Leptim, & alteram, quæ Neapolis quoque dicitur, Ptolemæus tradidit. Plinius item lib. 5. cap 4. Ego hic de parua potius intelligo, quæ propior Adrumentum erat, quò paulò pòst uenisse Hannibal dicitur, ac ad eam post aduersam illam pugnam redisse.*

Quaternis æris uicatim populo descripserũt.) 354. B. *Quaternis æris in modios intelligendum, ut lib. 1. de bello Maced. sub finem ubi consules creantur, Binis æris (inquit) in modios populo diuiserunt. Eadem locutio est eodem lib. non ita longe ab initio, ubi COSS. quoque creantur. Quanquam si modius tertia pars est amphoræ, ut Budæus ex Ciceronis frumentaria ostendere conatur, uideo magnam utilitatem, non tamen donationem.*

Superauit paternos honores, auitos æquauit.) 354. B. *Credo Liuium ita existimasse, parentem huius Fabij fuisse Fabiũ Gurgitem, qui COS. factus est ad finem lib. 10. ab Vrbe cond. Auum autem Fabium Rutilianum, qui magister equitum fuit Papyrio Cursore, ut ad finem libri octaui: quanquam illic eum Liuius Rutilianum, ut Valerius Max. appellat, hic Rullum, ut Plutarch. etiam. Porrò idem Rullus Maximi cognomen primus meruit ad calcem lib. 9. ab Vrbe cond. referente Liuio. Plutarchus autem hunc Fabium, de quo in hac decade, Verrucosum nominat: atque ita quoque Plinius. Addit Plutarchus, hunc quartum fuisse Fabium cognomine Maximi. Si igitur Rutilianus siue Rullus primus, Gurges secundus, de tertio dubitatur. At ego puto Q. Fabium Max. Pictorem COS. anno 484. ab Vrbe cond. quanquam nihil asseuero. Quod si Gurges Verrucosi parens fuit, ut uidetur sentire Liuius, in senectute eum genuit. Nam à Gurgitis priore consulatu usque ad Verrucosi mortem, propè nonaginta intercedunt anni. Quanquam Valerius Max. lib. 8. cap. 14. ad seculi modum huius Fabij ætatem ducit, LVII. annos auguratus sacerdotio eius tribuens, ut propemodum adducar in Liuio loco hoc inuersum XLII. pro LXII. ut in præfatione quoque decad. 4. accidit.*

Qui statarios semilixas ducere exercitus solitus.) 355. A. *Tria hic lectori cõsideranda puto: quem statarium semilixam uocet: cuius casus sit exercitus: denique quid hoc, quod paulò pòst sequitur, ducere exercitum æqualem stipendijs suis. Ego de omnibus uehementer dubito.*

Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest.) 355. B. *Plutarchus in Hannibale, hanc extremam pugnam ad Zamã fuisse scribit: Nadagaræ autem non meminit. Oportet autem aliam fuisse urbem Zamam, quam quæ à Strabone libro ultimo describitur, & lib. 5. de bello ciuili ab Oppio siue Hirtio, & à Sallustio. Plutarchus nihil de distantia tanta dicit. Certum est hic mendam esse. Adrumentum enim uix distat itinere quinq; dierum ab Carthagine: cum hæc Zama, ut ex his omnibus locis apparet, propinquior multo sit, uideli. et ad quam, ut Carthagini succurreret, ab Adrumento magnis itineribus contendit Hannibal.*

Hoc quoque ludibrium fortunæ an casus edide. 355. B. *Manifestè hic desideratur uerbum: ut, incertum est, uel dubito, uel quid simile.*

Hic cernas duobus fortiss. uiris, fratribus.) 356. A. *Tres fratres amiserat Hannibal, Hasdrubalem, Magonem, Hannonemque. Quod autem hic duos duntaxat numeret, cum oratorie sua augere incommoda uellet, in causa fuisse puto, uel quod Hanno inter duces nominari non debuerit, uel quòd Liuius hic alios authores sit secutus, de quibus quidem ipse superius quoque admonuit, post equitatum Carthaginensium occisum, non ita longe à fine prioris libri.*

M. Attilius quondam in hac eadem ter. fu. fer. qui sic uictor.) 356. A. *Alij legunt, si uictor, pacem petentibus dedisset. Sane Polybius lib. 1. uehementer Attilij in hostes uictos duritiem increpat, meritòque ipsius accidisse ait postea insignem illam calamitatem.*

Frustra uerba pacata renunciant.) 356. B. *Et neque hoc, pacata, sane intelligo.*

Ac liberum fingenti quà uelit flectio minatur.) 357. A. *Dubium & hoc, ad Hannibalémne referat, an ad Scipionem: suspicor corruptum.*

Misso Lælio Romam cum uictoriæ nuncio.) 358. A. *Non ita multo pòst ait L. Veturium Philonem, & M. Martium Rallam, & L. Scipionem cum legatis Carthaginensibus Romam missos. Veturiũ item postea in concionẽ prodire à senatu iussum, gaudium illud ingens populo impertisse. Opinor itaque rursus*

Liuium memoria lapsum.

Ipse ad contemplandum situm Carthaginis.) 358.A. Alij, ab contemplato situ, emendarunt: & sensus utcunque constat. Caeterum nulla apposita causa quòd Scipionem Vticam redire, reuocato etiam Octauio, facit, rursúsque redire Tuneta, suspicionem ingerit hunc locum defectum esse.

Obsides centum arbitratu Scipionis darent.) 358.B. Lib. 2. de bello Maced. non ita longe ab initio, satis apparet hunc locum numero imminutum, aut alterum corruptum. Nam eo in loco centum redduntur, reliqui autem qui adhuc retinebantur ab Norba, Signiam Ferentinúmque transierunt, ut legati Carthaginensium à Senatu Romano impetrauerant.

Cum aduersantes paci argnerentur.) 358.B. Videtur dixisse arguerentur, pro uincerentur, aut compescerentur. Videndum tamen ut locus habeat. nam mihi quidem suspectus est.

Inter portus Compsanum Loretanúmque.) 359. A. Antonius Sabellicus hunc locum emendans, pro Compsanum, Cosanum legit, quod placet: pro Loretanum, Laurentinum, quod displicet. Sed Loretanum puto portum qui posteriore tempore Traianus dictus est. Meminit eius Ptolemaeus. Laurens certe ager nimis hinc abest.

Ibi superantem insanos montes.) 359. A. Qui sint insani montes Sardiniae, non memini me legere apud ullum authorem. In eo autem itinere quod hic fecit Claudius C O S. Ptolemaeus & Erebantiũ promontorium, & Arcti ponit. Locus mihi suspectus.

Ne comitiorũ causa ad urbẽ reuocaretur.) 359. A. Quidã maluerũt legere, retineretur: nam in urbe erat, illic manere iussus. Sed reuocaretur intelligi potest, si abisset, quod animo destinarat.

In eius locum suffectus L. Galba.) 359. A. Quidam pro L. Galba substituerant, Sulpitius Galba. At is in locum Q. Fabij Max. ue erat, ut ante hoc in libro testatus est Liuius. Alij C. Sulpitius Galba, ut à Seruio Sulpitio sit alius, emendarunt.

Cum Hannibale esse suprema cũ Carthaginen. pugna.) 359. A. Deest hic uel distinctio, uel coniunctio, uel praepositio cum Hannibale, cum Chartaginen. uix enim credo Liuium sic locutum, nec ita separare uoluisse adiectiuum, suprema.

Praetores M. Iunius Poenus, cui sors urba. eue.) 359.B. Vide num hic locus integer: solet enim Liuius primum praetores creatos referre, deinde prouinciarum sortem. Et genus dicendi uariatũ per casus, mihi primum dubitationis scrupulum iniecit. Notatus praeterea asterisco quibusdã in codicibus inueniebatur.

Et hercule mirandum fuisse si aliter fa.) 360.A. Quidam hic distinguunt, ut noua sententia incipiat ab, Ex insolentia, sed durum sane est. Consulenda itaque exemplaria uetusta.

Q. Luctatio, M. Manlio COSS.) 360.B. C. Luctatij & A. Posthumij consulum mentio est in oratione Hannonis lib. 3. huius belli, qui finem bello primo Punico imposuere. Posteriore anno Q. Luctatius & A. Manlius C O S S. facti sunt, quando pax data est Carthaginensibus, quorum hic est mentio. Quidam impudentissime hoc loco pro Q. posuere C. quia C. Luctatius ad Aegates insulas Carthaginenses uicerit. At hi alterum C O S. non item mutarunt, uidelicet Manlium in Posthumiũ. Et A. Manlius legendum, quód Manliana familiae decreto cautum erat, ne quis M. praenomen haberet, propter M. Manlium Capitolinum, ut lib. 6. narrat Liuius. Porró quod continuò sequitur, bellum hoc finitum esse septimodecimo, Cn. Cornelio, P. Aelio C O S S. ipso authore Liuio falsum esse conuincitur, qui ab initio huius libri tertium hunc annum sextumdecimum, nominat. Erit igitur hic decimusoctauus.

Nec esse in nos odio uestro consultum ab Roma.) 361. A. Quid sibi haec uerba uelint, non intelligo. Si odio uestri legeretur, uideretur aliquis sensus: sed omnino locus est mihi suspectus.

Militibus ex praeda quadragenos aeris di.) 361.A. M. Liuius huius belli libro octauo, cum nentiquam tantum pecuniae in aerarium tulisset, neque tãto triumpho inuectus urbem esset, militibus sexagenos senos aeris diuisisse narratur ab hoc ipso Liuio. Quare hic legendum quadringenos, pro quadragenos: atque ita habent quidam codices. etiamsi haud sum nescius Budaeum libro secundo de Asse, quadragenos legisse. Sed hoc tunc non agebat Budaeus.

Omníque deinde uita, ut dignum erat liber.) 361. A. Libro octauo sequentis decados diuersas authorum opiniones de hoc Terentio narrabit. Sed in hanc decada satis dubitatum existimamus, ideóque iam receptui canimus.

SCIPIONVM, QVORVM MENTIO APVD LIVIVM, CICERONEM,

PLVTARCHVM, CAETEROSQVE CLASSICOS SCRIPTORES, GENEALOGIA PER HENRICHVM GLAREANVM. P. L.



VI temporum rationem in primis ad historiae maiestatẽ pertinere arbitrati sunt, hi mihi à uero scopo nihil aberasse uidentur. Nam ut omnis incondita narratio molestiam confusionémque animo lectoris adfert, ita ubi in historia deest temporum ordo, illico memoria uacillat, & erit fabellae similis, quae scribitur, res gesta: quod olim nobis hunc nostrum authorem legentibus contigisse ingenue fateor. Sed est & alia res, non minus difficultatis adferens lectori, uidelicet ducum magistratuúmque nomenclatura, nec in ulla magis quàm Romana historia. Vt igitur hae duae res in posterum non remorarentur studiosos, pro uirili in Chronologia nostra cauimus. Hoc uero loco cum subit animũ, in una Cornelia gente tredecim aut plurium Scipionum mentionem esse apud scriptores, frequentius nullo adiecto cognomine, neque ullo relato tempore ex quibus discrimen appareret de quònam author loqueretur, idque etiam saepenumero apud Ciceronem luculentissimum authorem: mirari porró desij, unde tot errores, tantúmque obscuritatis in Romanam historiam uelut uno agmine irruerint. Quapropter operaepretium existimaui hac quoq; in re studiosis non deesse, & unum, sed praecipuum exemplum oculis subijcere, Scipionũ familiã, aut genealogiae particulam, ut doctiores, & quibus plus otij est, ad similia aemulanda extimularẽ. Quanquã non est nostri propositi omnes prosequi Scipiones, sed qui praecipui. illud enim ut nõ possumus, ita nõ uideo quid utilitatis inde ad lectorẽ rediret. Ne autẽ in posterũ hic typus librariorũ negligẽtia corrũpatur, haec annotare placuit. Vt Cornelia gens patritia antiquissima est, quippe ex qua C O S. fuit anno uicesimoquinto ab Vrbe liberata, Ser. Cornelius Maluginensis, ac deinceps Cornelij plures, Coss. ac Scipiones, atque alijs cognominibus insigniti, ita nihil praecipuum prae caeteris familijs ab ea gestum reperias usque ad secundum bellum Punicum, quod tertia describitur decade, à qua nos Scipionum familiam ordimur, nempe à duobus illis fratribus Publio ac Cneio, qui in Hispanijs se Poenis opponere tanquam murum pro repub. non dubitarunt, ut Cicero de his testatur. Publio duo fuere filij, P. & L. Publius ab Africa, Lucius ab Asia cognomina inuenere. Cnei uerò filius Nasica cognomen habuit, à quo quinque sequentes nati ordine, quibusdam alijs cognominibus, ut Corculum, Serapion, quemadmodum tradit Cicero de claris Oratoribus. Publius autem Scipio P. filius, maior ac superior dictus. Hannibalem uicit. Eius filius ualetudinarius Macedonici filium ex Aemylia gente adoptauit, qui deinde Aemylianus, & inferior, minor ac posterior Scipio dictus est, de quo apud Ciceronẽ maxime mentio. Lucij Scipionis fuit aliqua, ut puto, proles: nam Asiatica cognomẽ is habuit, qui COS. fuit anno ab Vrbe cond. sexcentesimo septuagesimoprimo centum plus annis post Lucij consulatum: sed nobis nihil certi ea de re constat, sicut nec de posterioris Scipionis prole. Reliqua ex typo, sed magis ex authoribus sciri possunt.

DE CORNELIA GENTE FRATRES.

AEMYLIA GENS.

P. CORNELIVS SCIPIO. Hic fuit Cos. anno primo belli secundi Punici, qui erat ab Vrbe cond. 536. occisus deinde in Hispania. Huic duo fuere filij,

CN. CORNELIVS SCIPIO, cognomento Caluus. Hic Cos. fuit an. 532. ab Vrbe condita, sed secundo bello Punico unà cum fratre P. Scipione in Hispanijs occubuit.

L. AEMYLius Paulus bis Consul. an. 535. & 538. apud Cannas perijt secundo bello Punico.

P. CORNELIVS SCIpio P. filius. Hic Hannibalem uicit, & Carthaginem tributariam fecit populo Romano, indéque Africanus dictus, Cos. bis, anno 549. & 560. Proles eius

L. CORN. SCIP. Hic COS. anno 560. Antiochum regem in Asia deuicit, unde Asiaticus dictus est, & ab eo prognati

P. CORNELIVS SCIPIO Nasica Cn. filius. Hic uir optimus iudicatus à senatu, matrem Idæam suscepit. postea prætor in Hispanijs, & Cos. an. ab Vrbe condita, 563. in Gallijs multas res prospere gessit.

L. AEMYL. Paulus, Pauli filius, Macedonicus, à deuicto Macedonum rege Perseo, bis Cos. anno 572. & 585. Huius uerus filius fuit inferior Africanus.

P. CORNEL. Scipio Africani filius. Hic ualetudinarius cùm esset, nec prolem haberet, adoptauit sibi ex Aemylia gente P. Scipionem Aemylianum, Macedonici filium.

CORNELIA Gracchorum mater.

T. SEMP. Gracchus. **C. SEMP** Gracchus. seditiosi Tribuni plebis.

P. CORNELIVS SCIPIO Nasica, qui & Corculum dictus. hic bis Consul fuit, anno 592. & 599. & Censor.

P. CORNELIVS SCIPIO Nasica Serapion. Hic priuatus T. Gracchũ seditionem mouentem occidit, cùm antea fuisset Cos. anno 616.

P. CORNELIVS SCIPIO Nasica Serapionis filius, Cos. fuit anno ab Vrbe condita 643.

Adoptatio

P. SCIPIO AFRICANVS, QVI & minor & posterior, bis COS. anno 607. & 620. Hic Carthaginem tertio Punico bello deleuit, à P. Cornelio Scipione Africani filio adoptatus. Numantiam etiam in Celtiberis diruit. Frequens huius est mentio in Ciceronis libris: at in his quatuor Liuij decadibus nulla, posterioribus enim uixit temporibus. Nulla huius, ut puto, proles fuit.

L. SCIPIO ASIAticus COS. anno sexcentesimo septuagesimo primo. Quot autem à Lucio, qui maioris Africani frater fuit, usque ad hunc intercesserint Scipiones (& intercesserunt plures) nos nescimus.

HIC DEEST NOBIS VNIcum nomen, uidelicet parentis eius qui sequitur Scipionis.

P. METELLVS SCIPIO CN. Pompei socer. Hic bello ciuili Pompeiano in Africa perijt cum genero Pompeio, Cos quinque menses assumptus, anno ab Vrbe condita 702. Nec facile post hunc de Scipionibus quicquam memoria dignum apud authores reperias.

IN T. LIVII NOBILISSIMI HISTORIOGRAPHI QVARTAM DECADA

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

IN LIBRVM PRIMVM.



QVAM occuparint quadringenti LXXVIII. anni à cond. Vrbe.) 362. A. Legendũ LXXXVIII. anni. Nam urbs Roma, authore Dionysio Halicarnasseo, cõdita est Olympiade septima. Primũ autem bellum Punicũ cœptum est Olympiade cẽtesima uicesimanona, authore Polybio libro primo. à quo numero si septem subtraxeris, ac reliquum per quatuor multiplicaueris, euenient anni quadringenti octoginta octo. Quanquã nõ sum nescius Dionysiũ duobus ab hac supputatione annis differre à Polybio: sed id non impedit hanc rationem. Quidã etiã libri in hac Liuij præfatiuncula XL. habebant pro LX. atq; ita legisse uidetur Budæus libro 5. de Asse: qui error tamẽ in alijs emẽdatus est codicibus: at posterior, quẽ hic emẽdauimus, in omnibus male habet. Cæterũ æque multa uolumina dixisse uidetur, quia utrinq; XV. id quod ex Flori epitome colligitur.

Cæterũ cœptũ bellũ ad Phil. X. ferme an.) 362. B. Duodecim anni sunt, quando inceptũ bellũ aduersum Philippum, anno uidelicet quinto secundi belli Punici, ut libro quarto eiusdẽ belli citetur Liuius. At cũ Aetolis factum fœdus est initio anni noni eiusdẽ belli, à quo sunt anni ferme decẽ ad hæc tempora. Videtur lapsus memoria Liuius, quanquam in re non admodum magna.

Anno quingentesimo quadragesimo ab Vrbe condita.) 263. A. Hic locus egregie corruptus est, ideòque & magni nominis uiros haud immerito torsit, inter quos Budæus est, nostra ætate non modò Galliæ nostræ, sed uniuersi orbis Christiani decus & ornamentum. At is locus ex præfatione (siquidem illa emendate legatur) facile restitui potest, ad hunc modum. Si enim ab Vrbe condita, ad Appium Claudium COS. qui primus Carthaginensibus bellum intulit, sunt anni quadringenti octogintaocto, ut ipsi iam ostendimus: & à primo Punico ad secundum bellum finitum LXIII. emerget summa 551. annorum: quibus si addatur annus quo pax facta est cum Carthaginensibus, erit tum hic sequens annus quingentesimus quinquagesimustertius, quanquam alij quartum numerent, id quod non repugnat Liuio, quippe qui primum bellum Punicum durasse dicat annos uigintiquatuor, deinde pacem fuisse cum Carthaginensibus annos uigintitres. hoc uero secundum Punicum bellum durasse annos septemdecim, quos numeros si addideris, emergent anni non tres, ut ipse ait, sed quatuor ac sexaginta, non etiam connumerato quo pax data est Carthagini. Ego uero in uno duntaxat anno nullam facio difficultatem, cùm Pliniana

supputatio ab Dionysij magna ex parte duobus distet annis. Quare hoc loco legendum, anno quingentesimo quinquagesimo quarto ab Vrbe condita.

Quina millia L. æris ex S.C.) 364.B. Quina millia æris legatis dari multis locis ostendit Liuius, ut libro decimo prioris decados de legatis Masanissæ. Legatis tamen Saguntinorum dena millia data libro octauo eiusdem belli, forte ob ruinam urbis. Illa tam parua hic accessio. L. æris, non uideo quid ad rem faciat: nisi quis scriptum contendat quina millia ac quingena æris, quod equidem credo.

Excitis Sallyis Iluatibúsque.) 364.B. Pro Sallyis, quidam Salluuijs, quidam Saluys, quidam etiam Sallaßys habent, de quibus libro quoq; quinto ab Vrbe condita mentio est. Cæterũ Iluates, quorũ etiam libro sequenti meminit, in Liguria uix apud nllũ authorem inueniri puto. Ilua enim insula est e regione Populoniæ in Thuscia, de qua Virgilius libro decimo Aeneidos, Ast Ilua trecentos insula, inexhaustis chalybum generosa metallis. Fortasśis autem inde cum Liguribus exciti sunt milites.

Vt obsiderentur, tamen priusquam expugnarentur.) 364.B. Tantum temporis fuit his, inquit, ut ad obsidionem se pararent, ne hostes tam cito expugnarent oppidum, nisi obsiderent. Prius tamen obseßi sunt, quam mitti nuntius Romam potuerit. Est sane sermo non satis obuius.

Tertia pensio debebatur.) 365.B. Anno belli secundi Punici nono, in ærarium pecunia à priuatis data erat, ut libro sexto eiusdem belli refert hic author. De ea inde anno decimoquinto eiusdem item belli, constitutio facta erat, ut tribus pensionibus ea pecunia solueretur: primam præsentem ij C O S S. qui tum essent, duas alteras tertij ac quinti C O S S. numerarent. Anno igitur decimoseptimo altera pensio debebatur, sed de ea nihil meminit Liuius superiore decade, ut credam in hunc dilatam annum. Debebatur igitur tertia pensio, & secunda nondum soluta erat. hic igitur pro tertia soluitur secunda, & libro deinde huius decados tertio, tertia.

Trientius Tabulíúsque is ager.) 365.B. Quare Trientius appellatus sit, causam subnectit, sed coniectu facilem: alteram omitit, quam nec Liuio notam fuisse puto, alioqui etiam adiunxisset. Sit igitur unicuique liberum ea de re comminisci quod uelit.

Cypsela & Doriscon & Serreum.) 366.B. Ita uetusti habent codices. Quidã temere, meo iudicio, emendarunt Nymphæũ. Nam Plinius lib. 4. cap. 11. Serreum montem ponit prope Doriscum, ubi & Cypsela. Nymphæi eo in loco nulla, quod sciã, apud authores est mentio. Alopeconesum idem Plinius lib. 4. cap. 12. ait insulam esse haud procul à Cælo Cherronesi portu. Maditon Ptolem. Madi nocat, corruptis, ut puto, codicibus. Herodotus enim libro 7. integre ponit, ubi & Stentorida lacum apud Doriscum, si cui forte Serreum non placebit.

Vt qui neque dictator, neque C O S. neque prætor.) 367.B Congruit hic locus cum eo de quo libro octauo prioris decados diximus, ubi Scipio non impetrat triumphum, & eum absque magistratu geßisse res dicit, qui tamen proconsul fuerat.

T. Apustium legatũ.) 369.B. L. legendũ, non T. De hoc libro tertio de secũdo bello Pun. & hoc postea libro, ubi L. legitur.

Indos (nomen propter al. in asia ur. quàm op. no.) ut capitur.) 369.B. Parenthesis declarat Ilios legendum, non Indus. Ilion quidam restituerunt: at haud scio num quisquam ante Virgilium Ilion in genere neutro dixerit. Quæ uero præcedunt oppidorum nomina, non temere reperias apud authores.

Pleuratus Scerdilæui filius.) 369.B. Ita plerique habent codices, ut alius sit à Scerdileto, quem etiam libris prioris decados ubique separauit à Pleurato Liuius, præcipue libro sexto: nisi quis hunc alium Pleuratum credat, aut hæc, ut barbara, non admodum curæ fuisse Liuio.

Qui noua nulla re, nihil se noui hab.) 370.A. Ita incipit hic, ut finit. Nam fortunã nihil mutasse dicturus est: cur ipsi Aetoli mutare uelint, se non uidere. Ergo, nulla noua re, nihil se noui habere dixerunt.

Indicitur consilium populi Romani.) 370.A. Illud, Romani, suspicor ab aliquo adiectum: potius adijciendum erat Siculi, quàm Romani. Quidam emendarunt, Indicitur concilium, prætor Romanus conuentus agit: quod placet. Est autem conuentus, authore Festo, quoties populus ad iudicium à magistratu uocatur, ut hic à prætore.

Capua quidem sepulchrum & monumentũ.) 370.A. Vt hæc uerba, & pleraque sequentia intelligenda sint, præter coniecturã habeo fere nihil. Prodigium quidam etiã putant dictũ, urbem peius habere, quòd incolumis habitetur, quàm si diruta esset.

Per annos prope septuaginta.) 371.A. Libro tertio de secundo bello Punico, Varro C O S. legatis Campanis loquens, per centum prope annos cum Samnitibus bellum pro ipsis tulisse Romanos ait, sed id bellum cœpit C O S S. A. Cornelio Cosso, M. Valerio Coruino I I I. anno ab Vrbe condita quadringentesimo duodecimo: finitum autem est anno ante quadringentesimum octuagesimum. Quare quod hic legatus ait, uerisimilius, quàm quod Varro, qui omnia in maius augebat, ut ibidẽ diximus.

Per Dasseretiorum fines.) 371.B. Dasseretiorum meminit Plinius lib. 3. cap. 23. & lib. 4. cap. 1. Meminit & Ptolemæus, ubi de Macedonia: quanquam omnes eius codices, quotquot nos uidimus, Deparetij habent corrupte, etiam ij qui ex Græcis nuper emendati dicebantur.

Ad Lyncum statiua posuit prope flu. Bæuum.) 371.B. Ego ad Lichnydum legendum puto, quod etiam libro septimo prioris decados admonuit Sabellicus. Alij Lingum restituerunt, sed non recte, meo quidem iudicio. Cæterum de Bæto, pro quo quidam Aretum habent, quidam Athacum, nonnulli Bæuum restituerunt, nihil habeo quod certum affirmem. Ego, si coniectare in re tam prisca licet, suspicor nomẽ esse alicuius fluuij obscuri in Haliacmona labentis: nisi quis idipsum nomen Haliacmon eò reponendum putet, quippe uel apud ipsum hunc fluuium, uel non longe ab eo hæc gesta sunt.

Stuberam inde petit.) 373.A. Stubera, Pleuuina, Bruanna, Osphagus, Erduea, nomina sunt maiore ex parte mihi suspecta, quanquam uetustate interijsse poterant. Erigonij autem amnis, qui Axium influit, est mentio apud authores.

In Elymeam se recepit, inde impetũ in Orest.) 373.B. Elyma apud Ptolemæum nomen, sed longe ad occidentem Macedoniæ. Liuius, quasi ab expeditione rediens, ac rursus in Orestidem impetum facturus sit. C O S. hæc narrat.

Ciretias in uia capiunt.) 373.B. In Ptolemæi codice est Chyretiæ, ubi & Gomphi. Illud Phecadum autem quod sequitur paulò pòst, apud nullum inuenio authorem.

Abscessere ad Prasias (continentis.) 375.A. Prasiarum, populi Atticæ, meminere Pausan. & Stephanus, aliique plures. At hoc in loco non uideo quo pacto ea profectio legi poßit, si Prasias legerimus. Vide num legendum, abscessere Phalaßiam. Nam Phalaßiam Ptolemæus in Eubœæ orientali latere è regione Scyri ponit. Nec continentis simpliciter dixit, sed Eubœæ. & postea peracta nauigatione dicturus est, Eubœam repetunt. Fieri etiam potuit, ut in Romana historia ex locorum ignorantia is error inciderit.

Inde Cassandream petentes primo ad Mendium.) 375.A. Quidam Mendin emendarunt. at Mendam locum ad Potidæam, quæ postea Cassandrea dicta est, tum Herodotus libro septimo, tum Thucydides libro quarto commemorant, & Plinius item libro quarto cap. 10. Quod uerò continuò subiungit Liuius, inde cum superato promontorio ad ipsa mœnia urbis circumagere classem uellent, Canastræum intelligo (quòd Cassandream in citeriore latere ponat Ptolemæus) id quidam corrupte Canastrum scribunt. At quæ deinde dicit, Irrito incepto regreßi Canastræum Pallenes traiecere: aut corrupta sunt, ut ego puto, aut Liuio uel non bene nota, uel indiligenter descripta. Illud etiam, ad, cur appositum sit, non equidem uideo. cum Mendam tenuere melius intelligatur.

Ad Zelasium miserunt Isthmiæ.) 375.B. Mirum neminem authorem Zelasij meminisse, quod equidem sciam. Ptolemæus Posidium promontorium ponit inter Demetriadem ac Eubœam, in qua Oreum est, quod legere malim: quanquam super Demetriadem suo modo intelligendum. Illud autem, Isthmiæ, corruptum suspicor, quare inspiciendi omnino uetusti codices sunt.

Sed alteram quam Cronasten uocant.) 375.B. Strabo

libro

libro nono Κρεμαςὴρ λαξίαναρ uocat, interpres uertit pensilem. Cæterum quod subnectitur Aegeleon, haud equidem scio in continentène an in insula Eubœa locum dicere uelit: nemo certe, quod meminerim usquiam eum ponit.

Super Maleum nauigat apud Corcyram.) 375.B. Post Corcyram distinguendum, & Maleam legendum, & ad Corcyram, quod non admonuissemus, nisi codex Aldinus etiam ita haberet. Corcyræ hybernabat COS. Attalus autem ad Eleusina mansit sacrorum gratia.

Ludi deinde à P. Cornelio Scipione, quos COS. in Afr.) 376.A. Proconsul legendum censeo: neq; enim COS. in Africa fuit, ut liquet ex superioribus

P. Iulius Appulus.) 376.B Quidam hunc P. Villium Tappulum, quòd plebeius, nec quicquam cum Iulia gente coniunctus, nominant. Est autem is, qui ad finem libro nono secundi belli Punici fit prætor, hic uero COS. Bæbium autem prætorem, quidam Pamphilum, quidam Tamphilum libri habent, mihi autem nihil certi constat. Tamphilus quid sit, ignoro. Et eo tēpore cœperunt Romani Græcas res mirari, ut quis etiam Græcum nomen affectasse uideri queat, ut sunt hominum uarij mores, miræ ingenia, diuersæ uoluptates.

Nam C. Cornelius Cethegus absens cre.) 376.B. Hic proconsul paulò superius dicitur, hic fit ædilis curulis: ut mirum sit prætorem in superioribus prælatum proconsuli. Sed scilicet præturæ ac ædilitas magistratus erant, non autem proconsulatus, ut uidetur: cuius exemplum est de Scipione ex Hispania redeunte, cū triumphum petere non auderet: item de L. Cornelio Lentulo, in hoc etiamnum libro. Cæterum de C. hoc Cornelio nusquā Liuius mentionem fecit quando in Hispaniam sit missus, cum tamē paulò ante eum pugnasse cum hostibus Hispanis in Sedetano agro memoret. præterea & L. Cornelium Lētulum rediisse ex ea prouincia, & denegato triumpho ouasse: ut apud me non sit dubium huic libro aliquam deesse partem.

Multos post annos plebes Cornelio Lentulo.) 376.B. Lib. 3. postea hic Cornelius Lentulus redit ex Hispania multa onustus præda. Cum igitur hic sit annus secundus huius belli, ipse sequente anno, hoc est tertio, missus est in Hispaniam. Nam Cn. Sēpronius post eum uenit in Hispaniam anno quarto huius belli, ut postea dicturus est Liuius. Non igitur multos post annos, ut hic legitur, sed anno sequente uenit in Hispaniam. Idem de Stertinio ex iisdem locis ostenditur. Cum autem prænomen omissum sit, certum sciri non potest, aliúsne sit ab huius anni COS. qui antea proconsul fuit in eadem prouincia: quanquam triumphus hoc libro negatus dicitur. Solebant enim ex COSS. libenter facere procoss. prorogato imperio, non autem magistratu. Libro tamen sequente Liuius eius rei ne uerbo quidem meminit. Sed de hic dubitandum est satis.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM SECVNDVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



THAVMASTOS eo tempore Philip. sum. ui. op.) 377.B. Strabo libro nono θαυμακὸς uocat, Pli. lib. 4. cap. 9. Thaumacias, si codices amborum non errant. Cæterum nusquam tam eleganter atque hoc loco describuntur.

Præter amnem Aoum.) 378. A. Plin. lib. 3. cap. 23. Aoum ponit inter Dirrhachiū & Apolloniā, atq; antiquitus Aeanta dictū perhibet. Strabo lib. 7. eadē de Aoo, sed Apolloniam super eo esse ad stadia distantem decem. Ptolemæus Apsum eo in loco ponit, quemadmodū & hic noster author priore libro de Sulpitij in Macedonia gestis. Strabo loco prædicto hos quidem separat, sed propinquos facit. Quod si hac descriptione hi amnes indicātur, necesse est supra Antigoniā, quæ ad Oricum est, in iugis prope Pindi nasci, ac defluere Septemtrionem occasúmque uersus, & ea iuga Aeropum ac Asnaum dici.

M. Porcius Cato.) 378.B. Apud Ciceronem hic ipse Cato ait COSS. Cethego Tuditanóque prætorē se factū, eúmque gessisse magistratū, quo anno Liuius eū quæstorē fuisse scribit, libro nono de secundo bello Punico, anno eius belli quintodecimo, ac hoc demum anno, qui tertius est belli Macedonici prætorē factū. Porrò postea in eodē dialogo, tanquā oblitus eorū quæ ante dixerat Cato: Sodalitates autem (inquit) me quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis magnæ matris acceptis. Constat autē ex eodem Liuio, Idæam matrem susceptam iisdem iam dictis COSS. anno inquam quintodecimo secundi belli Punici. Ego priorem Ciceronis locum corruptum puto: quod ideo annotandum duximus, ne ergutulus quispiam hunc ex illo emendare tentet.

Corcyrā tenuit cū octo mill. ped. equitib. quingētis.) 379.B. Octingētis legendū uidetur pro quingētis, ex paulo ante ordinatis copijs, quæ cū COS. in Macedoniam mitterētur. Item paulò pòst: Per Dassaretios potius Lyncúmq;, quidā, ut antea etiā admonuimus, Lingū restituerūt, cū Sabellico Lychnidū alibi restitutū, nec mihi hoc loco displicet. Lingū postea Liuius mōtē facit.

Thessalos primos omnium nominauit COS.) 379.B. Nihil amicitiæ Romanorum cum Thessalis hactenus exhibuit Liuius: nisi quis ob oppida quædam in Thessalia, quæ uel Amynander, uel Aetoli suæ ditionis esse contendant, hos nominasse illorum nomine COS. Romanum putet.

Vt suæ potius omnia, quàm ullius potestatis essent.) 379.B. Obscurus est sensus, tametsi intelligitur. Suæ potestatis, ambiguitatem faciunt, sed ad Quintium referenda puto.

Est in Triphylia terræ Melotidos.) 380.A. Triphylia in Peloponneso est. Melotis quæ sit regio, haud equidem me legisse memini. Vide num legendum, Est in Tymphalia terræ Estræotidis. Et certe Ptolemæus Thymphaliam hoc ponit itinere, Strabo autem Tymphæos. Quanquam Plinius Tymphæos Aetolis attribuere uidetur, sed id nihil nos impedit, longe enim portendebantur Aetoli. Tricca quoque ad idem facit, cuius paulò pòst mentio. Denique Quintius, qui Philippum regem sequitur, Eginium uenit postea, quod oppidum Strabo libro 7. Tymphæis attribuit. Hunc locum perpendendum lectori censeo.

Pachium, Iresiæ, Euhydrium. Eretria, Palepharus. 380.B. Quidam emendarunt Phacium. sed in his nominibus non est ingens uis, quòd pleraque ignobilia uel bello uel uetustate interiere. Eretria quidem in Phthiotide à Ptolemæo ponitur, de qua hic loqui eum puto. Est & in Eubœa satis celebris, at nihil ad hunc locum. Pheræ autem in Thessalia sunt, de quibus hic intelligitur, quanuis multæ alibi. Sperchios oppidum in Doride, ait Plin. lib. 9. cap. 7. Sperchiæ ad sinum Maliacum. De Macra quam Comes uocatam ait, nescio num quicquam apud authores reperias. Conqueritur etiam iure de his locis Sabellicus.

Cymines & Angeas.) 380.B. Ita quidam emendarunt, cum in uetustioribus codicibus Cymenes esset ac Augeias: sed uix hæc apud authores reperias, aut saltem non obuia. Augeam quidem in Chalcidica ponit Ptolemæus, nihil ad hunc locum: sicut hic paulò pòst Callitheras, ille in Bisaltia ad Strymonem prope fluuium æque nihil ad rem nostram. Cypharam autem credo Ptolemæo dici Cyparam. Sed commentarium non scribo: admonemus obiter lectorem ut his tantum det fidei, quantum merito dandum: hæc enim omnia emendare operosum uidetur.

Quarto die in monte Cercetio posuit castra.) 381.A. Plin. lib. 4.

lib.4.cap.8.hos Thessaliæ monteis Cercetos uocat, Ptolem. Cercetesios. quidam etiam noui codices Bercetesios habebant.

Primam urbium Thessaliæ Phaleriam.) 381. A. Id nominis non memini me legere in Thessalicarum urbium numero: etiam si quidam Phaleron, alij per a, Phaleron io Thessalia esse dicant. Strabo etiam lib.9. ubi de Achillis ditione, Phalera meminit. Fortasse autem quòd diruta fuit, memoria excidit. De Rhage etiam nullam inuenio apud authores mentionem.

Cum ad Zammam insulam assecutus esset.) 381. A. Nemo, quod sciam, hoc tractu Zammæ meminit: ego propemodum ansim reponere, Zacinthum, est enim inter Corcyram ac Maleam, ad quam mox peruenit.

Nec rationem, procul à mari.) 382. A. Distinguendum post rationem, ut ita intelligatur: Ipse C O S. nullam hybernandi rationem cernebat, ut in locis procul à mari, & exhaustis belli cladibus.

Phocidis primo impetu Phanoceam.) 382. A. πανοπεὺς δ' ἡ νῦν φανοτεὺς, ὅμορος τοῖς περὶ λεβαδίαν τόποις, ἡ τοῦ ἐπειοῦ πάτρις. id est, Panopeus autem, qui nunc Phanoteus, uicinus ijs qui circa Lebadiam locis, Epei patria. Hæc Strabo Libro nono, Quanquam non Phanoteus, sed Phanopeus legendum puto, reclamantibus omnibus & græcis & latinis, quæ nos uidimus exemplaribus. π enim in φ mutatum est, idque in principio uerbi, non π in τ, perhibet Strabo. Ergo Panopea in accusatiuo legendum puto hoc in loco, cuius Ionicus accusatiuus est πανοπῆα apud Homerum in Bœotia. Nisi quis Liuium ab accusatiuo masculino Græco formasse existimet fœmininum nomen, quod aliquando fecisse Latinos inuenimus, ut ostendit cratera.

Ambrysus Hyampolisque receptæ. Daculisia, quia.) 382. A. Duo priora hic nomina ubique obuia sunt: quamuis Strabo loco iam dicto duas faciat Hyampoleis: alteram Phocensium, de qua hoc loco intelligimus: alteram in Parnaso monte. Daculisiam non temere reperias apud scriptores, pro quo Daulis quidam restituerunt.

Achæi portus & dant fiduciam postulantibus & demunt.) 383. A. Obscure dictum, sed ad priora referendũ puto. Quanquam quomodo Achæi portus Romanis dent fiduciam, demant uero Macedonibus, ut quidam exponunt, non adeò planum mihi uidetur. Notauit hunc quoque locum Sabellicus.

Multo minus, quæ Clunij.) 383. B. Recte Sabellicus Eleuntij restituit. Sed alij ante, quæ, posuere quàm, quod mihi displicet. Neque enim Achæi minus curare debebant Atheniensium querelas, quàm uel Elæuntiorum, uel Abydenorum.

Quintius à Misnepio perstabat.) 384. B. Nemo, quod sciam eius loci meminit, eorum etiam qui res Corinthiacas scripsere. Strabo autem libro octauo ubi de Corintho, fonteque Pirene disserit, paulò pòst ita inquit: ὑπὸ δὲ τῇ Πειρήνῃ τὸ σισύφειόν ἐστιν, ἱεροῦ τινὸς, ἢ βασιλείου λευκῷ λίθῳ πεποιημένου, id est, sub ipsa uero Pirene Sysyphium est, siue sacellum quoddam, siue regale domicilium, niueo constructum lapide. Quare ego Sysyphium legere malim. Quidam in incepto legunt: Quintius in incepto perstabat. Sed iudicet candidus lector.

Non Corinthus tantum liberata obsidione.) 384. B. Quidam adiecerunt, facile, atque ita legunt: Non facile Corinthus tantum, &c. quod mihi displicet. neque enim quicquam ad sensum facit.

Cuius nomen post pactam cum Romanis societatem.) 384. B. Miror hoc de Argiuis eum dicere, qui concilio excesserant, ut ipse antea scripsit Liuius nisi coactos aduersus regem cũ Romanis fuisse intelligamus, quod tamen nusquam indicatur.

Obsides Carthaginensium Setiæ custodiebantur.) 385. A. Ab initio huius libri Signiam ac Ferentinum oppida ijs data scripsit Liuius: de Setia ibidem nihil, nec interea quicquam.

Ad L. Cornelium Lentulum prætorem urbis.) 385. A. Ad L. Cornelium Merulam legendum, si quidẽ recte legitur, ab huius anni initio ubi magistratus creantur. Lector ipse dispiciat uter ex altero locus sit emendandus.

Clastidium & Litubium, utraque Ligurum.) 386. A. Clastidij etiam libro primo de secundo bello Punico mentio est, sed in Gallia, sed non longe à Trebia flumo, Litubium nusquam, ut puto, reperias, sicut neque Celelates, Cerdiciatésque. Iluates insulares noscimus, Ligures non item, ut antea admonuimus. Quæ ideo admonemus, ut lectores etiam hoc in loco uetusta exemplaria diligentius inspiciant. Nam quædam sunt, quæ, quantumuis uel diligentia uel studio lucteris, nequaquam tamen discernere absque exemplariũ auxilio ualeas. De me loquor quod expertus sum, credo tamen idẽ alijs uideri: de cordatioribus loquor. Sed sunt quidã qui nusquam hærẽt, his tam felicibus nostra hæc non scribuntur.

In ijs Hamilcarem Pœnorum imperatorem.) 386. B. Hic aliorum, non suam citat opinionem, qui hoc anno, non quarto antè, ut ipse scripsit Liuius, Hamilcarem occisum tradiderunt.

Inde in Ligustinos Iluates.) 386. B. Libro superiore, paucis ab initio folijs, ubi de ijsdem loquitur populis, Ligusticos quidam emendarunt, hic omiserunt. Vetustiores tamen codices aliquot, Ligustinos utroque in loco habebant: quanquam mihi non admodum placet.

Nicephorium Venerísque templum.) 387. A. Strabo libr. 13. Νικηφόριον lucum ad Pergamũ in Asia ab Eumene rege plantatum asserit. Græci neutro genere efferunt, tametsi Strabonis quidam correctores masculino annotarunt.

Rhodij Pyrrheam, regio est continenus.) 387. A. Alij Pyrrhea, alij Pyrrhean, nonnulli Peræam legunt. Ego id nominis apud authores non inuenio. Strabo lib.14. transmarinam Rhodiorum regionem appellat, nullo tamen proprio nomine. Ptolemæus eo in loco ponere uidetur Phuscam, si nomen est corruptum. Plin. autem lib.5. cap.28. Pyrnon. Nisi quis de ea Pyrrha intelligere uelit, quæ ad ostia Mæandri fluuij à Ptolemæo constituitur contra Liuij uerba.

Ab Iaso & Bargilijs, & Euromensium urbe.) 387. A. Oppida sunt Cariæ apud Ptolemæum ac reliquos classicos scriptores. Ab Euromo (nam ita uocat Strabo libro 14.) Euromensis etiam hic factum.

Panopolin Byzantijs in antiquam formulam.) 387. A. Quidam Penopolin restituerunt: sed ego suspicor Peneropolin legendum ex Plin. lib.4. cap. 11. quæ Ptolemæo Traianopolis & Philippopolis & Trimontium à situ dicitur, ut idem Plin. ait. Penopolin nusquam inueniri puto.

Tollentem nihil sibi præter bellum relinquere.) 387. A. Pro tollentem, ego uolentem legendum puto: alioqui non uideo quid sensus elicias.

Lysimachiam pulso prætore & præsidio Aetol.) 387. B. Qui hæc legit, putat eum loqui de Lisymachia in Aetolis prope Pleuronem, de qua Strabo lib.10. At ex responsione Philippi satis apparet eum loqui de Lysimachia ad Isthmum Cherronesi in Thracia.

Ipsius enim Aetoliæ Apodeotas.) 387. B. Ita in omnibus quæ nos uidimus exemplaribus legitur: neque facile inueniebam quinam illi essent. Tandem in Thucydidis librum tertium incidi, qui ubi de Aetolorum gente loquitur, hæc quoque habet: ἐκέλευον, πρῶτον μὲν ἀποδωτοὺς, ἔπειτα δ' ὀφιονέας. id est, inuadere, inquit, iubebant, primum quidem Apodotos, deinde autem Ophionenses. Sed Thucydides alio genere, alia declinatione dixit. Nisi quis rectius ἀποδώτας quàm ἀποδωτοὺς in Thucydidis codice legendum existimet. Plerique codices habent, Aetoliæ Græcos Apodeotas: sed illud, Græcos, mutarunt alij in Agræos quod ego non intelligo.

Atque ad ea adiecit recens de exercitu quod ab se.) 387. B. Quod sit illud recens decretũ de exercitu, mihi non constat. Erat in plerisq; libris locus asterisco notatus, ab alijs rursus omissus, nihilominus in obscuro manẽte sensu. Ego aliquid deesse suspicor.

Quintius postero die ad Nicæam (is enim lo. pl.) 387. B. Hæc ita refert Liuius, quasi alium locum dicere uelit. Fortassis autem desideratur uerbum, rursum, uel quid simile.

A Claudio præfecto.) 388. A. Vide num Ap. Claudio legendum. Item paulò pòst. Rex (inquit) cum duobus quos pridie adhibuerat, in terrã est egressus. qui sint illi duo, scire uelim, cum initio prioris diei colloquij ita habeatur: Erant cum eo principes Macedonum, & Achæorum exul, uir insignis Cyclidas. ut non immerito & hũc, & præcedẽtes locos mutilos quis credat.

Plus enim amitti in ijs quam acquiri.) 388. A. Quid illud, in ijs,

in ijs, referat, apud me nondum planum est.

Litus Athonium colloquio destinatur.) 388. A. Vide num ad Thronium legendum, cuius hoc in loco cum alijs meminit Strabo libro nono, ubi & de Nicæa. Nam de Atho intelligere plane ineptum est, quod tamen quidam somniant.

Corinthum in Achaia rex teneret.) 388. A. Ipse Philippus antea fassus est, non Argis modo, sed etiam Corintho se Achæis cessurum. Quare non uideo quid hic inuidiæ faciat, aut quare sit Corinthus apposita, ad picturæ ostensionem fortaßis, & quia etiam reddita, rursus occupari facile poterat in posterum: hoc timentes sociorum legati, eam quoque connumerarunt. Sed in legatorum responso mirum ne hanc quidem nominatam.

Hiecenica uocatur.) 388. B. Id nominis apud neminem authorem inuenio. Fortaßis autem uel Heræa, uel Nemea legendum, at nihil asseuero. Quidam Mycenica legunt, qua ratione moti, mihi ignotum.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM TERTIVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



IC liber acephalus est, ita Moguntiæ repertus. Deest autem pugna qua Philippus ad Cynocephalas à T. Quintio proconsule uictus est, ut ex Flori epitome, & sequentibus Liuij uerbis colligitur. Pars etiam deest descriptionis urbis Leucadis, & circa regionis Acarnaniam contingentis. Multæ hic sunt mendæ, quas sanare omneis absque uetusti codicis auxilio plane impoßibile est. Conabimur tamē pro uirili officium nostrum facere, uel saltem indicare sicubi hærebimus. Studiosus ac candidus lector boni consulat.

Iis partibus cohærens Acarnaniæ.) 389. B. Quid illud cohærens referat, sciri non potest, nisi ex prioribus quæ desunt. coniectura autem omnibus est libera.

Quod ad Cynos Cephalas pugnatum erat.) 389. B. Scotusa urbs est Thessaliæ Pelasgicæ, ait Strabo lib. 7. ad finem. ad eam locus est quidam, quem κυνὸς κεφαλὰς, id est Canis capita uocant, ubi Romani ac Aetoli, duce T. Quintio, ingenti prælio Philippum Demetrij filium & Macedoniæ regē uicere, ait idem Strabo libro nono ad finem. Hæc pro locorum notitia indicare uisum est nobis operæprecium.

Galli, & Nisuetæ, & Pisuetæ, & Tamiani, & Arei.) 389. B. Galatas intelligit opinor, quorū populos (credo) aut eorum uicinos uocat Nisuetas, Pisuetas, Tamianósque, sicut & Laodiceni erant. Areorum in Arabia meminit Plinius libro sexto, cap. 28 ad finem: quanquam longinqua ea militia uidetur. Vide etiam, num Taniani legendum. Tanium enim Trocmorum oppidum in Galatia ponit Ptolem. de quibus copiosius lib. 2. huius decad.

Læuo Acrianos locat.) 389. B. Qui sint Acriani illi, haud usquam legi, quod sciam. Acria quidem oppidum est sinus Laconici, sed haud scio quam hic quadret. Alij Agrianos legunt.

Rhodia cohors dextro cornu, &c.) 390. A. Rhodia cohors habuere, coniungendum. & Thraces Cretensésque à dextro cornu Rhodiorum contra Acrianos, qui in sinistro hostium erāt cornu. Achæi à sinistro Rhodiorum cornu contra Macedonas. quod propter sequentia annotandū duximus, ubi dicitur Achæos contra Acrianos iuisse superato torrente: legendum enim puto, contra Macedonas: quia statim pòst ait de Achæis, numero acie mille, & ipsi quadringentos loco expulere. ubi rursus quingentos legendum arbitror ex superioribus.

Bargyllas petentes.) 390. A. Bargyli neutro genere oppidum Cariæ omnes authores proferunt, sicut & Liuius ipse lib. priore. Ab Iaso & Bargilijs & Euromensium urbe.

Recipi nisi aliquanta prosperam Antio. pot.) 390. A. Ita in codice Moguntino habebantur uerba. Quidam ita emendarūt: Recipi nisi aliquanto pòst per Antiochum non potuit. Sed parum adhuc intelligitur nostro huic proposito congruens. Et pauló pòst: Ab contentu conceßit, inquit ab conuentu discesßit, legendū puto. Quanquam, Philippus cum audisset Dardanos transgressos fines regni, superiora Macedoniæ euastare, planus erat sermo, sed interiecta uerba rem faciunt obscuram, ideoque à quibusdam prorsus amota sunt. Et uersus sequens obscuram habet compositionem: Se suósque profligante fortuna urgebatur.

Circa Stobos Pæoniæ.) 390. A. Ptolemæus Stobos Pelagonum oppidum ponit inter Axium ac Brigonem fluuios. Ergo hic legendum Pelagoniæ, non Pæoniæ. Intrauerant enim iam Macedonum regnum Dardani.

Nec Helicinas (promontorium Ciliciæ est.) 390. B. Impudens mendum hoc loco est: sed pro, nec Heliernas, legendum est Nephelida, cuius in Ciliciæ descriptione meminit Ptolem. ut reliqua hic oppida apud eundē litoralia inuenies. Sensus est; Rhodij ad regem miserunt legatos Nephelida. Quidā perperam emēdarunt hunc locum, adijcientes uerbum, superaret, de suo; ad quem modum multa emendare possemus, si quidem id emendare, ac non potius corrumpere est authores.

Vxorem ac liberos duos.) 390. B. Vt nihil cauiller quàm Latine hoc dicatur, liberos duos, (nam Liuium ita locutum non credo) certe libro octauo huius decados Attalus atque Athenæus Eumenis fratres nominantur, omnes huius Attali filij.

M. Heluius eam prouinciam obtinebat.) 391. A. M. Aelius legendum ex priore libro, si quidem ibidem recte legitur, ubi huius anni eliguntur magistratus.

Cum Luscinone fidas ur. Cardonem & Bardonem.) 391. A. Quia in ulteriore Hispania hæc acta sunt, pro Cardone Castulonem libētius legerim, ac pro Bardone Beculam, quæ ab Castulone non longe abest, ut ex multis Liuij locis patet, præcipuè uero libro octauo secundi belli Punici. Cardonis ac Bardonis nemo, quod sciam meminit.

Cuius iurisdictio inter ciues & pere rinos.) 391. A. Libro priore, ubi huius anni prætores sortiuntur prouincias, urbana Sergio, peregrina iurisdictio Minutio obtigit. Pro M. igitur Sergio, Minutio legendum uidetur: nisi inter ciues & peregrinos prætorem intelligas urbanum, cuius erat officium recitare literas, ut sæpe apud hunc authorē. At posteriore anno statim postea ita loquitur Liuius: Prætores deinde prouincias sortiti, L. Apustius Fullo urbanam iurisdictionē, M. Attilius Glabrio inter ciues & peregrinos, quod ego de solo intelligo peregrino. Quanquam Liuius libro quinto huius decados pòst dirum illud incendium, ubi de prætorijs prouincijs decernitur, ambigue loquitur, ut uix ex hac trica nos explicemus. Sed iudicet lector.

Et Placentini Cremonensésque addiderunt.) 391. A. Hic eorum sequitur opinionem, qui hoc anno Hamilcarem Pœnum in Gallia a C O S S. Cn. Cornelio ac Q. Minutio uictum scribunt, Cremonámque obsidione liberatam, cum libro primo huius belli prætorem L. Furium Purpureonem ea egisse scripserit non expectato C O S. Cotta, qui pugnæ adesset. Secundo uero libro tanquam aliorum, eandem recitauit historiam.

Tulit in triumpho ducenta triginta septem millia quingētos.) 391. A. Si ultimus numerus bene habet, ego sestertios intelligā. At Liuius frequenter æris summam initio ponere solet, quare & æris numerum intelligere possumus. Illud autem argenti bigati, de denarijs intelligo, ex Plinio libro trigesimotertio.

Cossanis eo die postulantibus ut sibi colon. num. aug.) 391. B. Sæpe antea de hoc nomine admonuimus, dubium esse de quanam loqueretur urbe: Cossæ enim in Hetruria, Compsa autem ubi Beneuentum. Cæterum hi siue Cossani siue Compsani dicendi, hoc

in loco impetrarunt quod à senatu negatum erat initio libri secundi huius decados,

Qui post L. Cornelium, & T. Sempronium COSS, hostis fuisset.) 391. B. Legendum qui post M. Cornelium & P. Sempronium. Intelligit autem COSS. anni decimiquinti secundi belli Punici. Vult igitur, eos qui his octo annis uenissent in amicitiam cum Romanis, cum ante hostes fuissent, nō adscribi in colonorum numerum. Tot enim sunt ab his COSS. anni. Hos errores tam faciles correctu, nemo animaduertit.

Scenáque ab aedilibus curulibus Cornelio Scipione, & Cn. Manlio Volsone.) 391. B. Multi hoc tempore Cornelij Scipiones erant. De Africano qui COS. fuit, uix hoc intelligo, sed de eius fratre Lucio. Sed iudicet lector.

Cn. Sempronium Tuditanū proconsulē in citeriore.) 391. B. Priore libro, ubi & anni prioris magistratus creantur, Cn. Sempronius, non C. legitur: & idem praetor, non proconsul dicitur, quare utrunque hic corruptum.

Satis iam ante diuidere esse.) 392. A. Quid si legeretur, satis iam ante decretum esse? ut alludat ad hanc concertationem, quae fuit prioris anni initio, inter COSS. ac tribunos plebis, L. Oppium & Q. Fuluium. quanquam ego defectum esse puto. Quidam abijciunt prorsus, qua ratione moti, haud equidem intelligo.

Bellum in Hispania quinto post anno est quam simul.). 392. A. Sensus est, bellum in Hispania quinto antè anno, quàm secundum bellum Punicum finitum. idque uerum. Nam P. Cornelio Scipione, & P. Licinio Crasso COSS. L. Lentulus & L. Accidinus cum Indibili ac Mandonio Hispaniae regulis ultimo confixere anno decimoquarto eius belli. Decimooctauo autem anno Punicum prorsus finitum est, ac deinde sequenti anno coeptum Macedonicum. Quare ego hunc locum ita legerem: Bellum in Hispania quinto post anno, quàm secundum bellum Punicum, finitum est. Sed & hoc lector dispiciat. Quidam ita emēdarunt hunc locum: Bellum in Hispania quinto post anno exortum est, quam simul cum Punico bello fuerat finitum. quod ego non intelligo.

Tusco uico atque Intemelio per portam Capen.) 392. A. Liuius libro septimo secundi belli Punici ubi de sacro Iunonis reginae Tusci uici mentionem facit, Ab aede (inquit) Apollinis bouesfoeminae duae albae porta Carmentali in urbem ductae, à porta iugario uico in forum uenere: inde uico Tusco Velabróque per boarium forum in cliuum publicum atque aedem Iunonis reginae perrectum. Libro autem quarto eiusdem belli de incendio Romae facto ita habet: Solo aequata omnia inter Salinas ac Portam Carmentalem, cum Aequimelio iugarióque uico. Libro denique quinto belli Macedonici, è Capitolio scribit saxum ingens cecidisse in uicum iugarium. Ex his locis lector uideat num huic loco mederi queat. Nam ego Intemelium quid sit, non memini me legere: sed neque Melium, ut quidam. Inde Melio legunt.

Iisdem diebus Cornelius Lentulus.). 392. A. Hūc puto L. Cornelium Lentulum, qui COS. fuit anno secundo huius belli, cuique prorogatum imperium anno tertio. Anno autem quarto Cn. Sempronius praetor factus citerioris Hispaniae, Aelius ulterioris. Sed de hoc ad finē libri primi huius decados. Porrò quod subiungit, Ex S. C. urbem est ingressus, deesse puto uel ouans, uel triumphans. Nam de Stertinio statim subnectet, Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tanta quidem triumphi spe. Sed iudicio lectoris hoc committo.

Fuga comitum & quiritatio facta.) 392. B. Ecce quiritatio de Graecis, quasi illi in necessitatibus Quirites clamarint. sed Liuius Romanis haec scripsit. Est etiam exemplum, non tam anxie authores semper locutos, ut quidam superstitiosi obseruant.

Has qui tulit literas, iussit Zeusippo.) 392. B. His uerbis satis indicatur alij seruo datas literas, non illi suspecto, cùm tamen antea totius internuntius & minister rei sit dictus, & per quem res ad iudicium sit protracta.

Et Zeusippus quidem fu. ser. motus Atenorem.) 392. B. Anthedonem legendum, quod est oppidum litorale Boeotiae.

Zeusippum principem gentis id facinus.) 392. B. Verba sunt aliquot libris asterisco notata, atque per admirationem dicta uidentur, qualia multa apud idoneos authores similia. Potest etiam defectus aliquis hic esse, ut plane suspicor.

Ac qui impetrassent pacem Boeotijs.) 393. A. Quidam, ac qui mutarunt in, ac ni. quasi Achaeos Atheniensésque minatos imperatori Romano, nisi daret Boeotijs pacem, se rebellaturos, ac auxilio Boeotijs futuros: quod nescio quàm sit credibile id ausos post Philippum tam memorabili uictum pugna. De Boeotijs minus mirum, qui de stupiditate etiam prouerbijs male audierunt.

Liberas esse Decianorum libertate.) 393. A. Non memini uspiam me hoc uerbi legere. Fortassis autem decem legatorum à senatu Romano missorum datam libertatem intelligemus.

Triginta quaterna millia pondo & ducenta.) 393. A. Vectigal praecessit, praesens pecunia sequitur. Haec summa in medio quid sibi uelit, haud equidem scire possum.

Thessalos, Perrhaebios, Achaeos, Tietas.) 393. B. Quia ultimum nomen haud dubie corruptum est, pro duobus ultimis quidam Achaeos Phthiotas reposuerunt: sed neutiquam satis ita sanatum est hoc uulnus. Nam multa hic nomina omissa sunt, quae absque fide uetusti alicuius codicis restituere non possumus.

Hoc spe cōcipi, audacis animi fuisse.) 394. A. Et haec uerba corrupta sunt, sed utcunque restituta in aliquot libris. At obscuritas est in uerbis his quae non ita multò post sequuntur, Abstineret liberas omnésque Graecas. Item quae rursus aliquot intersectis uersibus sequuntur, Phocenses, Locrenses, & quae sicut antea fuerant adiecta decreti authoritate, his contribuerunt. neque enim hi duo populi Aetolis contributi sunt opinor.

(Phylaicum appellant.) 394. B. Quidam Pylaicū emendarunt: fortassis autem Phylacen legendum, de qua Strabo libro nono aliquot meminit locis, Et paulò antè de Philippo bellandum legitur, uide num rebellandum sit legendum.

Marcellus Pado confestim traiecto.) 394. B. Non est dubium quin hic desideretur uerbum: quare hunc locum ita legerē: Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem, ubi Insubres, Comensibus ad arma excitis, castra habebant, legiones induxit, quae statim in ipso itinere praelium commiserunt.

Lebos Libuosque.) 395. A. Quidā pro Lebos, emēdarunt Leuos. Sed neque illud clarū, ut neque sequentia uerba, Redeuntes inde Ligurum extremo fine. Haec mihi in hoc notantur, quòd uideam à quibusdam transmissa tanquam clara, cum sint nimium obscura.

In pedites singulos dati octingenti aeris.) 395. A. Octogeni aut octogenta legendum puto, cum suprà Cn. Cornelium qui de iisdem Insubribus, ac praeterea Cenomanis triumphauit, septuagenos aeris militibus diuisisse dicat. esset aūt nimis magnus excessus. Talia leuiter nostra aetate curant qui authores emendandos suscipiunt, cū in his, meo quidē iudicio, maxime uigilandum, si quidem historiae consultum per nos uideri uoluerimus.

Terrestres copias ad Abydū traijcit Cher.) 393. A. Abydus Hellesponti quidē urbs, sed non in Chersoneso: itaque hoc loco pro, ad Abydum, legendum Madutum, cuius etiā libro primo huius decados mentio est, ante Abydenorum casum, quemadmodum ibidem annotauimus, ut ita legatur: Terrestres copias Madytum traijcit Chersonesi urbem. Quidam emēdarunt, ab Abydo, non attendentes quae sequuntur uerba, Chersonesi urbē: haud dubie enim nominasset eam.

In Europam traiecisse, fuerit, quo uicto.) 395. B. Maxime obscurum hunc locum facit interiectum uerbum fuerit, nihil prorsus ad sensum faciens. sed hercule deest aliquid.

Et Antiochus suum fore Aegyptū si tum occasio.) 396. A. Legendum puto, si tum occasioni nō deesset. Sed iudicet lector.

Cypri nihilominus cum Chelidonium promont.) 376. A. Chelidoniae insulae sunt in confinio Lyciae ac Pamphyliae, in Cypro autem nullum eius nominis promontorium: quare distinguendum post nihilominus, hoc sensu: Nauigandi quidem in Aegyptū omissum consilium est, Cypri non item: nam tentare in animo habebat, ut sequentia indicant. sed tempestate afflictus omisit. Quāquam huic loco aliquot uerba deesse opinor.

Tritici decies centum millia binis aeris.) 396. A. Non est mihi dubium quaedam hic desiderari uerba. Nam uerbum, diuiserunt, nominatiuum non habet certum. Sex praetores erant, quo-

rum

rum postremos ædiles curules fuisse puto, ut lib. 2. huius decados non ita longe ab initio, ubi C O S S. creantur Sex. Aelius Pætus, & T. Quintius Flaminius: ac libro primo ad finem, ubi C O S S. L. Cornelius Lentulus, ac P. Iulius Appulus, propè similes dicendi modos, sed clariores, reperies.

Domitius Aenobar. & C. Scribon. multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt.) 396. A. *Memini olim me ex D. Erasmo Roterodamo audisse, Liuium hoc in loco abigeos per pecuarios intelligi uoluisse, quòd statim meminerit Fauni, pecorum siue agrestium numinis, ut appellat Virgilius lib. 1. Georg. Porrò quod statim pòst sequitur, Aedem in insula Fauni fecerunt: inde num legendum, ædem Fauni in insula fecerunt. Insulam autem Tyberis intelligo, qua de libro secundo ab Vrbe condita non ita longe ab initio meminit Liuius.*

Quam P. Fabius habuerat.) 396. B. *Vbi prioris anni magistratus creantur, in hoc adeò libro, Q. Fabius Buteo prætor bis nominatur, cui in sorte Hispania ulterior euenerat. Pro P. igitur legendum Q.*

Ducenti peditũ & quingenti equi. ex Gall. exerci.) 396. B. *Hic peditũ numerus nimis concisus est, si ad equites cõparaueris. Tum id, ex Gallico exercitu, obscurum. Nisi dicamus exercitum Gallicum quem C O S. Valerius aduersus Gallos ducturus erat.*

Quod C. Cornelius Mammula prætor.) 396. B. *Hic prætor lib. 2. de secundo bello Punico M. Aemylius nominatur.*

Se ad Turbã oppidũ cũ Badare & Besaside.) 396. B. *De citeriore Hispania nũc loquitur: nã ulterioris regulos. M. Aelius prætor superius nominauit Culcã & Luscinonẽ. Quanquã quis cum ijs finis belli fuerit, non explicauit Liuius, ut de his prope sit suspicio, eosdẽ esse & corrupta esse nomina. Porrò Turbulã oppidũ in Bessetanis longe ultra Iberum flumen ponit Ptolemæus, ut nesciam quìm hic quadret. Sed comparet hæc studiosus lector.*

Audirentur maiores.) 397. A. *Quidam audirentur, in audirent mutarunt. At ego post audirentur distinguendum puto, & quæ sequuntur uerba, corrupta non dubito, quanquam sensus manifestus est, maioribus nam usum esse. Nabidis causam reijciendam ad Quintium: at Antiochi, Hannibalis, Carthaginensiúmque, non item.*

Idem pro nihilo habuit.) 397. A. *Illud idem, planè ostendit hic aliqua deesse uerba: refert autem quæstorem. & neque causa dicitur quare Hannibal prætor quæstorem ad se uocarit.*

Postera die mare inter Ancillam Thapsúmque.) 397. B. *Mane, non mare legendum. Acyllam, non Ancillam, cuius oppidi meminit Hirtius lib. 5. de bello ciuili. Ptolem. ac Strabo Achollam uocant, prope Thapsum. Quidam pro Acylla satis temerè Adrumentum contra exemplariorum fidem reposuerunt, cum Ruspina & Leptis parua mediæ sint urbes. Suam autem turrim, quid sit, haud equidem intelligo: sicut nec qui præcedit, Vocanum agrum.*

Ne his debere impune esse.) 398. A. *Quid referat illud his, obscurum est, ego aliqua uerba deesse puto.*

Ad Dapinen celebrantem.) 398. A. *Hoc ijdem rectè emendarunt, ad Daphnen. Est autem urbs 40. stadijs ab Antiochia distans ad Orontem fluuium, ut author est Strabo libro 16. qui ideo eam Antiochiam τὴν ἐπὶ Δάφνῃ uocatam ait. Plinius item libro quinto cap. 25. Intus ipsa (inquit) Antiochia libera Epidaphne cognominata. Hæc uelut leui brachio, sed non absque tædio tamen, in hoc fragmentum annotari placuit: quanquam id uehementer optamus, tam pure aliquando prodeat uel totus Liuius, uel hic liber, ut his meis coniecturis non sit opus. At ita habent literarum negotia, ut nulla doctorum quantùs sedula ac diligens opera satis sit uel uni corruptori. Adeò in errores prona est humana imbecillitas.*

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM QVARTVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



E qua mulier plus semuncia auri haberet.) 398. A. *Secus nobis tradidit Liuius lib. 6. de secundo bello Pun. COSS. enim M. Marcello IIII. ac Valerio Leuino II. ubi priuati conferunt pecuniam, uxori filiæue singulæ unciæ auri relinquebantur, & pondo argenti. Hic autem non licuit plus semuncia auri ullam habere mulierem, lege Oppia. De qua lege ne unum quidem uerbum fecisse Liuium lib. 3. eiusdem belli, quando Q. Fabius suffectus Posthumio cum Sempronio fuit C O S. anno quarto eius belli, admodum miror. Quare uideat lector, uter ex altero locus sit emendãdus. Deinde utrũ Liuium memoria lapsum, an diuersos utroque in loco secutum authores (ut fit sæpe) credamus.*

Et liberos tuos inexorabiles.) 399. A. *Dubium ex prioribúsne pendeant hæc uerba, an ex sequentibus. Quidam etiam de solis puellis, non pueris intelligi contendunt, quod equidẽ nescio.*

Quid uetus regia lex. 399. B. *Quidam codices habebant, num uetus lex, quod non displicet, sed utrunque intelligitur. Dicere enim uult, legem Oppiam neque ueterem regiam esse legem, quas multas à Romulo latas Dionysius refert, neque à Decem uiris proditam. Exemplum autem matronarum quod de Capitolij obsidione paulò antè refert L. Valerius à Liuio eo anno nõ habetur libro quinto sed quarto antè anno, hoc est proximo post Veios captos, ab Vrbe cond. 360.*

Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ.) 400. B. *Hæc nisi ironia graui pronunciata intelligamus, interrogatiue legẽda uidentur. Vult autem aduersus Catonem ostẽdere, non ob luxũ ac ornatum immodicum matronarum coercendũ, hanc latam legem, sed miseria ac inopia, quod historia eius temporis probat, cum in tanto luctu tum matronæ fuerint, ut Cereris etiam sacrum intermissum: unde & senatum iußisse intra XXX. dies finiri luctum.*

Scilicet si legem Oppiam abrogaueritis.) 400. B. *Hæc, contrà atq; præcedentia, quæ per ironiam dicuntur, meo quidem iudicio, uenustiora erunt si enunciatiuè absque interrogatione legantur. habebunt enim plus gratiæ.*

A Phocæa, unde & Maßilienses.) 401. A. *Admonuimus etiam libro quinto ab Vrbe condita hoc in loco rectè legi à Phocæa, cum illic perperam in omnibus quotquot nos uidimus exemplaribus, legatur à Phocide, quæ regio Græciæ est, unde adagium φωκέων, siue φωκικὴ ἀπόνοια, id est, Phocensium desperatio: cum Phocæa, à qua urbe & hi & Maßilienses orti, sit in Aeolide Asiæ: unde adagium alterum φωκαέων ἀρὰ, id est, Phocæensium execratio. In Latinis fefellit Phocensis à Phocide, & Phocæensis à Phocæa.*

Eodem tempore Heluio decedenti ex ulterio. Hisp.) 401. B. *Pro Heluio, alij libri habebant, Helio. At in literis facile error is accidere potest, ut M. Aelium mutarint in Helium. deinde aliquis ex Helio fecit Heluium. M. Aelius fit prætor ulterioris Hispaniæ anno quarto huius decados, non ita longe à fine libri secundi, ubi tamen Heluium quidam legunt.*

Cum prouincia quoque successori Q. Minutio.) 401. B. *Vlterior Hispania, in qua anno huius belli IIII. prætor fuit M. Aelius, ut iam diximus, anno quinto obuenit Q. Fabio Buteoni: at Q. Minutio citerior. Quare M. Aelij successor non fuit Q. Minutius, sed Q. Fabius. Et Q. Minutio in citeriore Hispania P. Manlius succeßit, ut post hanc quæ iam sequitur pugnã*

ipse fatetur Liuius. Fieri autem potuit ut Liuius in re non admodum magni momenti lapsus fuerit memoria, uidelicet in tanta rerum gestarum mole: & fortassis duo Q. librarijs errorẽ fecere.

Et Oscensis argenti CCLXXVIII. millia.) 401. B. Osca Vrbs est Ilergetum apud Ptolemæum in Hispania, ubi uidentur fuisse argenti fodinæ. Cæterum id argentum meliusne fuerit alio argento, an peius, mihi non constat. Certe quæ hic ponitur summa, si Budæana supputatione in singulas libras decem statuemus coronatos, in immensum cresceret: quare numerum suspectum puto, aut non libras intelligendas: quod equidem magis crediderim. Sed iudicet lector.

Ab dextero latere hostium circunduci iubet. 402. B. Illud, ab dextero latere hostium, male quidem tinnit, intelligitur tamẽ. Nam circum latus hostium dextrum, duæ hæ missæ cohortes uenerunt ad tergum sinistri cornu hostium, qui premebat dextrum Romanorum cornu.

Aegrè Romanus resistebat.) 402. B. Quidam Romanis emendarunt, quod nescio ut placeat, propter sequentia proxime uerba. Sed sic etiam resistebatur emendandum, ut sit sensus, à sinistro cornu hostium ægrè Romanus resistebatur, quod & à fronte barbari urgerentur, & instanteis cohortes pauidi respicerẽt. Quanquam clarior erit sensus, meo quidem iudicio, si à sinistro cornu Romano noua incipiatur sententia, & coborteis Romanas intelligamus quas Cato miserat in terrorem sinistri cornu hostium, ab dextero tamen eorundem latere ductas. Item quod cõtinuò sequitur, Et emissis soliferreis Phalaricisque: quidam pro &, legunt ut. Ego pro emissis, legendum puto omissis. Soliferreum autem teli genus, totum ferreum. Phalarica autem quid sit, ipse Liuius libro primo de secundo bello Punico in oppugnatione Sagunti elegãtissimè describit, & Veget. lib. 4. cap. 18. Quãquam hic magis quadrat ea significatio, qua hoc uerbo utitur Virgilius libro nono Aeneidos, ubi Turnus Bitiam sternit, ab altera haud dubie deducta: poterant enim multi generis esse.

Et ipse inter equites Sparo percutit.) 402. B. Seruius in 11. Aeneidos librum, ad hoc Virgilij carmen,

Agrestisque manus armat Sparus.

Bene agrestis, inquit: nam sparus est rusticum telum in modũ pedi recuruũ. Sallustius in Catilina: Sparos aut lanceas, alij præacutas sudes portare. Hæc Seruius. Nomen adhuc manet in Celtica lingua, qua etiamnum Heluetij utuntur. Quod ideo admonemus, quod quidam in hunc locum ita scripsit: Sparum genus est ligni in Italia frequentis, cuius caule, sicut uitibus, cædebantur milites libert. quasi idem sit sparum ac sparus.

Bergistanorum ciuitates septem.) 403. A. Bergistani qui sint, non memini me legere. Bergidium oppidum bis ponit Ptol. semel in citeriore, iterum in ulteriore Hispania. Sed lector uideat ut hic quadret. Sanè apud hunc authorem, quod sæpe nunc testati sumus, locorum nomina, præcipue Hispaniæ, pleraque corrupta uidentur. Quanquam fieri potuit, ut tot elapsis seculis multa fuerint mutata nomina, ut paulò pòst de Segestica quoq; suspicor. Vix Turdetani atque Celtiberi noti, nec tamen illi quidem satis apud posteriores definiti ad antiquam descriptionem, tantũ abest, ut ubi Seguntia, cuius paulò pòst mentionem faciet olim fuerit, certò demonstrare queamus.

Priuatis inducijs ingredientes.) 403. B. Non uideo quomodo hæc oratio per participium suspensa, non aliquid desideret. Sed iudicet lector.

Defecere ad eum Sedetani, Ausetani, Suessetani.) 403. B. Sedetanos, ut superiore etiam decade testati sumus, putamus à Plinio Ptolemæoque dici Edetanos. Ausetani in quibusdam codicibus. Auxetani, in quibusdam Authetani, sed librariorum errore, ut puto, nominantur. Suessanos libro quinto decados superioris cum Indibili regulo nominat: lib. autem 8. eiusdem, Suessitanos populi Romani amicos facit. Idémne sit populus, haud equidẽ scio. Lacetanorum autem meminit Cæsar libro primo de bello ciuili, ubi & Ausetanorum. Mirum uero quod Lacetanorum oppidum longitudine latitudinéque descriptum non nominet hoc loco Liuius.

Confestim inde uictor ad Vergium ducit.) 404. A. Ita omnes habent codices, quos nos uidimus: sed Vegetanos nescio ubi inuenias in Hispania.

Qui circa Cylarabin gymnasium.) 405. B. Pausanias libro secundo ubi de Argis, Cylarabin Sthenelii filium regem Argiuorum fuisse dicit, & gymnasium quoque esse Argis ab eo nominatum. In multis codicibus perperam legitur Cyralabin. Sed in hoc nomine quod ad l & r attinet, contrarium accidit quod in Sthenelo & Charalibus, pro quibus uulgus Sthelenum ac Calarim dicit.

Tertio die ad Carrbias posuit castra.) 405. B. Caryas unico r, & sequente y, legendum arbitror ex Pausaniæ libro tertio, qui in Laconia locum Dianæ ac Nympharum esse scribit. Quanquam id lectorem moratur, quod hic expectare sociorum auxilia uelit, priusquam hostium intraret agrum, ut Caryæ in Laconum agro non apte uideri queant: unde quidam Caphyæ legendum putarunt, quæ in Arcadia sunt, ubi & Tegea, cuius hic quoque mentio: sed ego temerè non mutauerim.

Illotum deinde quidã.) 405. B. Ilotarũ quidã emendarũt & recte. Sunt autem quos Helotas Strabo lib. 8. uocatos ait Diphthõgus ει, id discriminis fecit, nunc in e, nunc in i, Latinus uersa, ut ostendunt ἀνθίας ac θάλμα. Cæterum apud Græcos aspirationem habet, siue ἀπὸ τῦ ἕλους ueniat, ut Strabo sentire uidetur quodam in loco, siue ἀπὸ τῦ ἕλω. ut alijs quibusdam placet.

Ad Sellas super Eurotam.) 406. A. Polybius libro secundo non ita longe ab fine, ubi hanc describit pugnam, uocat hunc locum Sellasiam. Meminit & in Laconicis Selasiæ Pausanias. Cæterum Polybius Sellasiam in regionem Laconicã aditum ait, & ei loco duos imminere colles, Euam & Olympum. Viam autem inter hos mediã esse, quæ per ripam profluentis fluminis ducat Spartam. quo in loco fluminis nomen omisit, quod si Eurota fuisset, haud dubie positurus. Ideoque alij legunt, ad Sellasiam super Oenunta, pro ad Sellas super Eurotam. quanquam Polybius post paulum Gorgyli fluminis meminit, haud procul ab eo loco.

Sub ipsas Mænali montis radices.) 406. A. Omnes Mænalum Arcadiæ cum oppidum tum montem ponunt, quare uidendum num rectè locus habeat. hic enim de Sparta loquitur. Fortassis autem Taygetum scripsit Liuius. Neque enim uon in Arcadia erat. Quintius, & ipse statim Taygeti mentionem facit. Sed lectoris esto iudicium.

Nabidis dom. satellitem factum tribunum mil.) 410. A. Vide quem Aetoli appellẽt hoc nomine, Quintiúmne per contemptum, cum esset procos. an alium quempiam. Alij legunt, factum populum Rom. Porrò de eo quod subiungit Liuius, Sunt qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum, tradãt: multi dubitant, qui fieri potuerit ut castra sua Nabis aduersus Rom. castra poneret, si ex oppido non fuerat profectus. Sed fortasse aliqua desunt uerba.

Prætoria inde com. ha. creati P. Corn. Scipio.) 410. A. Quia P. Cornelius Scipio Africanus hic COS. factus est, huic altero Scipioni addendum erat, ut puto, uel Cn. filius, uel Nasica, ut libro quinto non ita longe ab initio, ac libro sexto prorsus initio, ac deinceps sæpe additur, ubi minor causa quàm hoc loco urgebat. Item quod statim subiungitur, T. Iuuẽtius Alua, quidam Calua emendarunt. Cæterum in Plinio lib. 7. cap. 53. quidam Talpa, quidam Talua legunt. tanta est in hoc cognomine uarietas.

Q. Pleminius, qui propter multa in deos ho.) 410. B. Hũc Pleminiũ lib. 9. precedẽtis decados ante iudicij diem in uinculis mortuum tradidit Liuius. At Licinium hæc scribere, quæ tamen hic Liuius tanquam oblitus eorum quæ antea dixerat, absque authore nunc prodit.

Deduxere triumuiri T. Semp.) 410. B. Dubium an hi in Campaniæ tantum oppida, Puteolos, Vulturnum ac Liternum, an etiam Salernum Buxentúmque, illud in Picentinis, hoc in Lucanis oppidum, colonos duxerint: neque enim uerisimile est his posterioribus agrum Campanum diuisum cum prioribus esse. Certe alteris deesse sui uidentur deductores, atque ideo aliquot uerba defectum esse. Cæterum M. Heluius hic rursus legitur, de quo sæpe in prioribus. Omissi & paulò pòst triumuiri Tempsæ. Quidam ad L. Corneliũ Merulã adiecere C. Saloniũ, sed nihilominus tertius abest. quæ omnia sanare nobis absq; uetusto aliquo exẽplari non uidebatur possibile, quanquam res est haud magni momenti.

Boiorum

Boiorum res tum regulus eorum.) 411. A. Idem dico de hoc loco: nam quis ita loquitur, Boiorum res tum regulus eorum ea-stra posuit? Quidam Boiorix, pro Boiorum res, restituerunt.

Vt populus Rom. dignis datam libertatem.) 411. B. Quidam, hinc dignis, legendum putant, quòd statim rursus sequatur, hinc. Ego libentius ita legerim: Vt populus Romanus & dignis datam libertatem, & munus suum bene positum sciret. Planissima lectio est, ut populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus suum bene positum sciret.

Auri pondo fuit tria millia septingenta.) 412. B. Nota hoc genus sermonis, Auri pondo fuit tria millia, ut paulò antè infecti argenti fuit XVIII. millia pondo. Item post aliquot uersus, Praebuerunt speciem triumpho, unde num specimen legendum: nihil tamen mutarim. Budaeus libro secundo de asse, ubi haec loca doctè tractat, suspicatur proxime ante haec uerba legendum potius quatuor denariorum, quàm trium.

Vna Iunonis Matutae in foro olitorio.) 412. B. Haec aedes à Cn. Cornelio Cethego anno quarto huius belli uota fuit Sospitae Iunoni, non Matutae. Vide ipsum hunc authorem libro secundo non multis folijs à fine, ubi cum Insubribus confligitur. Sanè Iunonem Matutam dici nusquam quod sciam legi. Cn. etiã hic Cornelius legendum, non C. ex eodem libro: quod miror non emendatum in nouis codicibus.

P. Sempronius Sophus.) 412. B. Libro nono secundi belli Punici sub finem de P. Sempronio Tuditano COS. cum Hannibale confligente ita ait Liuius: COS. principio pugnae aedem Fortunae primigeniae uouit. Igitur Tuditanus pro Sophus hic legendum, nisi duo huic uiro cognomina fuerint, quemadmodũ illi Sempronio qui COS. fuit anno ab Vrbe condita 450. quem Liuius P. Sempronium Sophum appellat lib. 9. Plinius autem lib. 33. cap. 1. P. Sempronium Longum.

Megalesia ludos fce. Atilius Ser. L. Scrib. Lib. primi.) 412. B. Lib. 9. secundi belli Punici de suscepta matre deũm ita ait Liuius: Populus frequens dona deae in Palatio tulit, lectisterniumque & ludi fuere, Megalesia appellata. Ergo hic non primi facti sunt hi ludi. Idem Liuius lib. 6. huius dec. primos scenicos ludos fuisse factos scribit ex Valerio Antiate. Variatum igitur hoc historia est. Quod autem continuò subnectitur: Horum aedilium ludos Romanos primum senatus à populo secretus spectauit, haud scio quàm uerum sit. Nam libro primo de Tarquinio Prisco, atque ludis ab eo institutis, ita ait Liuius: Loca diuisa patribus equitibusque.

Ad quingentesimum octauum annum in promiscuo.) 412. B. Insignem hic considera mendam lector. Ab initio huius decados numeratur annus ab Vrbe condita quingentesimus quadragesimus, hic quingentesimus octauus, cum octo interea effluxerint anni. Quare non sit mihi dubium, ut illud quadragesimus suprà pro quinquagesimo irrepserat, ita hic omissum quinquagesimus. Quare locus ita legendus: Ad quingentesimum quinquagesimum octauum annum &c. ut quatuor anni desint ab Vrbe cond. Nec dubium est ulli, sub Romulo fuisse etiam spectacula.

Sic, ut aut sola, aut prima certe pensari decet principi.) 413. B. Subobscura est sententia, intelligitur tamen: & Graeco dicendi modo utitur, decet principi. Terentius in Adelphis: Vt nobis decet. ὑμῖν πρέπειν.

Neque traijcientem, sed quod in speciem) 414. A. Pro sed, alij emendarunt, &: quasi dicere uelit, regem neque traijcientem, & tamen paratum traijcere. Per sed, idem intelligi poterat.

Emporia uocant eam regionem.) 414. B. Huius regionis cum simili descriptione etiam mentio est libro nono de secundo bello Punico, ubi Scipio in Africam traijcere parat. Plerique libri foeminino genere hoc loco Emporiam habebant: sed Emporiae, arum, Hispaniae est oppidum, ut suprà in hoc libro ab initio patuit. Verum neque Scipio ad Syrtim paruam traiecit, neque Masaesylorum, aut omnino Numidiae dominium, ad Syrtim paruam erat, ut puto. At hercules magna est locorum in Africa confusio apud Romanos scriptores: quod in Sallustium olim, & suprà priore decade in hunc authorẽ, satis superq; cõquesti sumus.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM QVINTVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.

PVGNATVM *inde haud procul Ilipa urbe est.*) 415. A. Illud inde, nisi loci sit, omnino tollendum est. Ptolemaeus Ilipam unam, Ilipulas duas, magnam alteram facit, montẽ praeterea Ilipam: omnia haec in Baetica. Plin. lib. 3. cap. 1. Ilipam magnam, & Ilipulam minorẽ uocat, haud scio diminutione exiguitatem denotante. Ilipae etiam meminit Strabo lib. 3. ad finem, de magna, ut opinor, loquens.

Cuius cernendi cum ratio quae. diem fin. pla. foener.) 417. A. Pro cernendi, quidã coercendi emendarunt, haud scio quàm bene. Illud magis lectori perpendendum, num diem foeneralia appositiue intelligendum, ut bacchanalia, saturnalia, atque alia eiusmodi: nam ego nihil definio. Quidam feralia legunt.

C. Flaminius in cit. Hisp. op. Iluciã in Oretanis cepit.) 417. A. Antonius Sabellicus etiam hunc notat locum, Ilucian apud Ptol. Heliciam dici, quod equidem nescio, cum apud eum Ilicis nõ in Oretanis, sed in Contestanis, non ita longe citra Carthaginẽ nouam urbs ponatur. Plinius Ilicos coloniam uocat, pluratiuo numero: ut in Ptolem. corruptum uideri queat Ilicis nomen additione s, pro Ilici. Fieri autem potest ut Ilici in Cõtestanis, Ilucia uerò in Oretanis, fuerint diuersa nomina. Illud magis mirandum, quo pacto Oretani uicini Baeticae, sint in citeriore Hispania. Atqui diuisio harũ duarũ prouinciarum uarijs temporibus diuersa fuit, ut ipse etiam fatetur Plin. Suspicor etiam Liuio haec in Hispania nomina non omnino nota fuisse, ut saepe ante cõquesti sumus.

Sex. Aelius Paetus, & C. Cornelius Cetheg.) 417. B. Cn. Cornelius legendum, non C. Quanquam & anno septimo huius belli ubi Censores creantur, id quoque neglectum. Caeterum fuit COS. anno quarto huius belli.

Triumuiri deduxerunt C. Manlius Volso.) 417. B. Et hic Cn. uocatur, non C. Manlius. Fit autem COS. postea lib. 7. & in Gallos Asiaticos expeditionem suscepit. In libris multis bene habebat hoc praenomen, at quidam temerè mutarunt Cn. in C. Quidam A. Manlius Volso legunt.

Quadragena iugera in pedites.) 417. B. Si Apustio authore tertia agri pars adempta est, ut paulò pòst Liuius ait, legendum tricena iugera in pedites, non quadragena. Sequitur enim, uicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt. Id facile patet qui numerorum rationem tenet: mirórque neminem ad talia uigilare, in quibus res ipsa clamat.

L. Valerius Tappus.) 418. A. In quibusdam codicibus omissum nomẽ erat Valerij huius, sed non rectè. Caeterùm hic Tappus cognominatur, alibi Tappo, ut libro septimo deinde, maxime inter triumuiros qui Bononiam coloniam deduxerunt. Et C. Valerius lib. 8. tribunus plebis Tappo dicitur. Sed de hac uariatione satis.

Antiochus rex ea hyeme Rhaphiae in Phoe.) 418. B. Rhaphia urbs post Rhinocolura sita est, prima ciuitatum Syriae quae Aegyptum aspiciunt, ait Polybius lib. 5. Caeterùm omnes Palaestinae urbem faciunt: solus, quod sciam, Liuius Phoeniciae. Sed uel error est in codice Liuij, uel duae eiusdem nominis sunt ciuitates,

uel Liuio ipsi hæc non admodum cognita fuere. Ad eam urbem Ptolemæus quartus, qui & Philopater, cum hoc Antiocho ante aliquot annos feliciter pugnauerat. Hic uerò Ptolemæus quintus est Epiphanes, si non fallunt Chronica Eusebij: in cuius tamen codice Antiochus dicitur uicisse Ptolemæum Philopatera, sed errore forsan librariorum.

Ad Pisidas qui circa Sicam incolunt.) 419.A. Ita omnes habent codices nostri. Verùm ex Plin. lib. 5. cap. 27. legendum, qui circa Sidam incolunt, cuius & Ptolemæus meminit & alij, atque adeò ipse postea hic author lib. 7. in pugna nauali Eudemi ac Hannibalis. Quidam Selgam reposuerunt, quod mihi non probatur.

P. Sulpitius, P. Iulius.) 419.A. Priore libro tres Publij mittebantur ad Antiochum, Sulpitius, Iulius, Aelius: hoc autem loco Aelius omnibus codicibus deest. Nec hoc incuria authoris factum uidetur, cum de Sulpitio tam diligenter commemoret, ut Pergami æger substiterit, postea uerò Ephesum cum Iulio rursus uenerit: Aelij ne meminit quidem. Credo autem Liuium diuersos secutum authores, quod per Claudij testimonium roboratur. Sed lectoris esto iudicium, nam res est non admodum magni momenti. Pro Iulio quidam ubique Villium legunt, ut antea admonuimus.

Elæam uenere, inde Perg. ubi reg. En. fuit desc.) 419. A. Descenderunt habent omnes, quotquot uidimus, codices. Sed quomodo descenderunt à mari secundum flumen Caicum ascendentes? Res geographis nota, utcunque alij iudicauerint. Editio Frobenij nuper hæc rectè emendauit.

Antiocho si Smyrna & Lampsacus.) 420. A. Ordinem puto, Romanus indignum uideri si Antiocho Smyrna & Lampsacus imperata faciant. Considerandum tamen sitne locus corruptus.

In duobus uelut cornibus Græcia.) 420.A. Incertius hoc est loco, ubi nam distinguendum, & quæ illa sint cornua Græciæ, tum quomodo Aetoli in umbilico Græciæ. Strabo libro 8. simile quiddam habet de Peloponneso, à Demetrio Phalereo hoc dicta, cuius cornua esse Ithomen Messeniorum, & Acrocorinthum Corinthiorum montes: sed ut hunc locum iuuent, non plane uideo.

Oppidum Litabrum munitum opulentúmque.) 421.A. Neque hoc, nec quæ sequuntur paulò post oppida facile reperias apud classicos scriptores. Fieri autem potest ut diruta fuerint, aut nomina uel mutata uel corrupta. Hoc etiam obiter hic notandum, quæ Liuius hic de Consulum in Boios profectione narrat, eadem illa narraturum esse post aliquot paginas, paulóque diuersius. Porrò quæ de M. Fuluio Nobiliore, ulterioris Hispaniæ prætore ante aliquot paginas huius libri narrauit, hic prope eadem repetere, nempe de Toleto ac Vectonibus, perinde atque antea nihil ea de re dixisset. Sed non est mihi dubium, tanta rerum gestarum mole, ingentique scriptorum multitudine, Liuij memoriam obrutam: nec id mirandum, præsertim in homine sene.

Quadriremis uetus capta annis ante octog.) 422. A. Hic locus quibusdam in codicibus totus erat corruptus, in alijs restitutus, ut nihilominus hæreas. Nec id mirum: nam historia illa de Cratero ac eius uxore Nicæa, aut, ut alij habent codices, Nicala, obscura est.

Ad Pleias posuit castra.) 422.B. Pleias locum in Laconica non memini me usquam legere. Leucam quidem agrum in Laconica ponit Strabo libro 8. Et Acrias promontorium ad Eurotæ fluuij ostium quidam ponunt. At Strabo εἶθ' ὁ Εὐρώτας ἐκδίδωσι μεταξὺ γυθίου καὶ ἀκταίων. id est deinde Eurotas excurrit inter Gythium ac Actæas. Ptolemæus Acriam uocare uidetur. Nam Acritas promontorium, de quo Plin. lib. 4. cap. 5. longius ad occasum est. Sed hæc lectori indicanda relinquo. Illud mihi mirum, quòd hoc loco Nabem ait posuisse castra ad Pleias, postea uerò, cum ea à Philopœmene incensa essent, non aderat Nabis, imò à Gythio mittit præsidium agris. Verùm ea τῷ συνωνύμῳ intelligi possunt.

Idem Telegam exercitu contracto.) 422.B. Inde, habent alij libri. Et unde non Tegeam legendum potius: nec enim usquam legi, quod sciam, Telegam.

Ad Caryas primum in hostium terra posuit ca.) 422.B. Priore libro Liuius ait Romanum imperatorem Caryis expectasse sociorum auxilia, priusquam hostium intraret agrum: hic ait ad Caryas primum in hostium terra Philopœmenem posuisse castra. Nisi quis intelligat ita dictum ad Caryas, hoc est, non longè ab eo oppido. Confines enim erant Lacones & Arcades. Quæ controuersia effecit, ut quidam priore libro Caphyas legendum putarint pro Caryæ, quod haud scio ut probem.

Ad Barbosthenem (mons est X. mil. pass.) 422. B. Haud facile id nominis reperias apud idoneos authores, ut puto. Fortaßis autem nomen obscurum est, ideóque à Liuio adiectum quod in parenthesi ponitur.

Thoas princeps gentis, quem miserant ad Antio.) 424.A. In hoc libro paulò antè Dicæarchus Thoantis frater ad Antiochum mittitur, hic ipse Thoas missus dicitur, quod idem Hannibal repetit libro sequenti. Manifestus error, aut memoriæ lapsus potius.

Ponere hastas Alexamenus iubet.) 425. B. Illud, ponere etiam atque etiam considerant intelligendum. Tyrannum enim statim confodiunt æque ipsi atque Alexamenus. Quod ideo annotare placuit, etiamsi pusillum uideri uire potest, quòd de Aetolis ijsdem statim subiungit: Si extemplo (inquit) positis armis uocata in concionem multitudo fuisset. Neque enim deposuerant arma, cum mox subiungat: Frequentes inde retenti in armis Aetoli.

Laconicus eius stirpis erat, puer admodum.) 426.A. Vellem pueri huius posuisset nomen. Neque enim de Agesipole eum loqui puto, qui iam grandis erat, regnum tamen iure gentium cum Lacedæmone erat, ut priore libro ait Liuius. Et puer hic planè ad ætatem, non ad sexum retulit.

Aetoli circa Chalciœcum (Miner. est temp. ær.) 426.A. Hoc in plerisque libris corruptè legitur Chalcioten. Meminit autem huius Pausanias in Laconicis. & Thucydides Pallados χαλκιοίκου in primo, ubi de morte Pausaniæ regis Lacedæmoniorum. Meminit & Suidas.

Ipsi cæteras copias nocturnis maxime itine.) 426. A. Qui sint illi ipsi, scire uelim. Nam si Thoas ac Euthymidas, misso scilicet Herodoro in Atalantam insulam, qui uera esse possint quæ postea de Euthymida dicit? Euthymidas posteaquam castra populariu ad Salganea esse, profectósque Aetolos audiuit, & ipse à Thebis Athenas redijt. Hæc uerba perinde sonant, atque ipse Euthymidas Thebis substiterit fortunæ euentum expectans, cum tamen paulò antè Liuius dicat eum Salganea à Thebis processisse. σαλγανεὺς portus est Bœotiæ ad Euripum, Thronium autem triginta stadijs à Scarphia, quæ urbs est ad Maliacum sinum, ut ait Strabo lib. 9. Atalantam uerò Opuntiorum insulam ponit Thucydides lib. 2. inter Eubœam & Locros. Quæ loca omnia si quis hic memoria teneat, & Liuij uerba ordine legat, uidebit nos hoc in loco non temerè dubitasse.

A Corintho ueniens nauibus in Chalcidem.) 426. B. Incerta est distinctio, & ambiguè dictum, ueneritne per Euripum Chalcidem Quintius, an in Euripo occurrerit Eumeni regi. Sed id perexiguum. Quidam Chalcidis in genitiuo legunt.

Quintius in Ligures, Domitius aduer. Boi.) 426.B. Superius, unde Liuius se diuertisse dicit, ita scriptum legitur: Domitius ab Arimino, quà proximum fuit, Quintius per Ligures in Boios uenit, duo COSS. agmina diuersa latè agrum hostium peruastarunt. Quæ cum his quæ hic dicuntur, non quadrant: nam hic alterum duntaxat COS. in Boios profectum, cui se dediderint Boij, tradit illic ambos in Boios profectos, ambobúsque se Boios dedidisse.

Aedes duæ Ioui eo anno in Capitolio.) 427. A. Furius Purpurio prætor fuit anno primo huius decad. Et Ioui quidem ædem uouit, quando aduersus Gallos Cremonam obsidenteis pugnauit, qua pugna Hamilcarem Pœnum cecidisse scripsit Liuius. Cæterum lib. 4. huius decad. COSS. P. Scipione & P. Sempronio hæc uerba Liuius habet: Et in insula Iouis ædem C. Seruilius duumuir dedicauit: uota erat sex annis antè Gallico bello ab L. Furio Purpurione prætore, ab eodem postea COS. locata. Hæc ibi. At hic de duabus Iouis ædibus mentio, non in insula sed in Capitolio, ab eodem L. Furio uotis: altera cum esset prætor, altera cum esset COS. etiamsi anno quinto huius belli, quo hic L. Furius COS. fuit, nulla de ea sit commemoratio in lacero illo libro tertio. Porrò in insula ædes Iouis antea dedicata dicitur. quòd si alia est ea ab his quæ in Capitolio dedicatæ hic dicuntur.

tur, oportuit Furium hunc tres nouisse Iouis ædes, quod non uidetur uerisimile. Diuersos secutum authores Liuium crediderim, aut memoria lapsum.

Et ijdem porticum extra portam Trige. inter lignarios.) 427.A. Dubitauit & Sabellicus de hoc loco. Cæterum ipse in ueteri codice scriptũ esse ait, uinter lignario: cui iungendũ existimat opere, quo modo facile esset libros emendare. Alij itaq; ut Moguntinus codex, legunt inter lignarios: sed qui illi sint, adhuc quæro.

Imbrum primo insulam tenuit, inde Scyathum.) 427.B. Imbrus nauigantibus ex Phrygia in Maliacum sinum, satis adsinistrum est: ideoque considerandum ut locus habeat. Quanquam ex statim sequentibus uerbis apparet, non quo uolebant isse eos, sed quò oportebat, ubi collectis (inquit) in alto, quæ dissipatæ erãt nauibus. Post aliquot item uersus, rectè restitutum est Lamiam pro Hyamea, quod nomen nusquam est apud authores.

Toties legationibus missis Romã.) 428.A. Quidã Romæ in auferendi casu legunt, quod ego non probo. quanquã & à Romanis legati in Aetoliã uenerint sæpe, & ex Aetolia rursus Romã.

Iam inde à Barcillæ morte, & quæ secutæ.) 428.B. De hoc Barcilla libro tertio huius decados. Sed obscurum est quod hic dicit, & quæ secutæ eam fuerant. nisi intelligas mortes: quod nescio ut placeat: ego pauxillum quiddam deesse suspicor.

Antiochi legatus prior quam Aetoli est auditus.) 428.B. Est hæc oratio ubi grammatici uel synecdochen uel zeugma à posteriore esse contendant: quanquam Aetolorum legere malim, quod ex abbreuiatione Aetol. ac puncto post posito, facile alius Aetoli, alius Aetolorum facere potuit.

Dacas, Medos, Elymæosque.) 428.B. Ego Daas legendum existimo, qui Medis sunt uicini ad mare Caspium, ut author est Strabo. Meminit Ptolemæus in descriptione Margianæ: quanquam pleriq; eius codices etiam Dacas habent, sed perperam.

Et ex Pamphylia Hydelas tenere.) 428.B. Non memini me legere Hydelas in Pamphylia. Vide si forte Sidetas legendum, à Side, quam rex Antiochus oppugnauerat, ut hoc libro antè dictum est: potuere enim interea fieri amici.

Est autem res simillima cœnæ Chalcidensi.) 429.A. Hoc exemplo hospitis duo reprehendit in Antiochi legato, & quod ex una gente multas faciat, & quòd ex mansuetis imbellibusque feroces ac truces: quemadmodum ex uno porco hospes ille multam uariamque uenationem, & ex mansueto speciem ferinæ carnis fecisse uisus erat. Meminit eius D. Erasmus in Adagio, Ex uno multa facere.

Cum iam Menippus castra ante Sal. ad Herineum.) 429.B. Erineum oppidum est Doridis, ut omnes scribunt. Ad Euripũ autem nemo, quod sciã Herinei meminit in litore Bœotiæ. Quare ego uel ad Euripum legendum arbitror. Nam & ad finẽ huius libri dicturus est, Pertinacius Romani Euripum tuebantur: ut Aulis intelligatur uel ad Hermeum, ut alij emendarunt.

Achæorum & Eumenis milites Salganea.) 430.A. Achæi quingenti missi in Chalcidem uenerunt. cæterum haud dubie, tradita regi Chalcide ipsi discessere. At quo pacto deinde aut ipsi Salganea uenerint, cum Menippus ibi castra haberet, aut quando antea illuc ab Achæis missum sit præsidium, non meminit Liuius. Præterea nec hoc explicat, quale illud castellum ad Euripum, quod Romani milites muniterunt ab Aulide auersi: sed puto Delij, quod Strabo libro nono ταναγραίων πολίχνιον appellat. Quanquam & hoc dubium, fueritne antea uallum & agger, an nunc à militibus omnis parata. Sed hæc, ut alia pleraque, lectoris iudicio committimus.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM SEXTVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



AVLO Cornelio Mammulæ Brutij.) 430.B. Priore libro, ubi hi magistratus creati sunt, L. Cornelius dicitur in plerisque codicibus. Tu uide, utrum locum ex altero emendare malis. Nam & ab initio libri sequentis rursus A. non L. dicitur. quare alij indubitãter A. emẽdarũt.

Vt una ab Agrigento ad Pachynum esset &c.) 430.B. Si hæc bene habent, inæqualis sanè diuisio, prætereaque totum non complectitur. Nam longe maxima restat à Tyndario Agrigentum, quæ ad occasum uergit. At ego suspicor pro Agrigento legendum Agathyrno, quod prope Tyndarium est. temerè tamen hæc non assero, iudicet lector.

Scena & Fregena & Castrum nouum.) 431.A. Plinius lib. 3. cap 5. Freginates in agro Falerno ponit: ea hic sit eorum colonia uidendum, quanquam libri uariant. Quidam pro Sena, Enam, quidam Hostiam legunt.

Carthaginenses tritici modiûm mille.) 431.A. Hoc mille altero caret numero, ut uidetur: neque enim unum duntaxat mille modiûm tritici misisse credo, ut collatio hic aliarum summarum satis indicat, sed aliquot millia modiûm. Quare diligentius antiqua uidenda sunt exemplaria.

Et multorum eo statu, qui diut. esse sine mu.) 431.B. Illud multorum eo statu, obscure est dictum, nec satis explicatur si dixerimus, labente disciplina multorum: quid enim sibi uult, eo statu? Ego locum corruptum suspicor. Sed iudicet lector.

Vester enim hic legatus Thoas inter cæ.) 432.B. Superiore libro, ut ibidẽ quoq; annotauimus, altero in loco Dicæarchus altero Thoas ad Antiochum missus dicitur, hic Thoantis rursus mentio. Sed hoc leuiculum. Id autem mirum, quòd superiore libro Alexandrum Acarnana de Philippo hanc comparationem apud Antiochum introduxisse scribat Liuius, hic uero Thoanta. Nisi quis ab utroque & Alexandro & Thoante dicta esse Antiocho intelligamus: quod fieri quidem potuit.

Ipse cum omnibus ter. copijs in Bellionum agrũ proc.) 432.B. Cum etiam Sabellicus hunc locum rectè annotasset, quidam tamen mutarunt in Byllinum, quod Byllionium ex Strabone libro 7. legendum est: at enim, super Epidamnum ac Apolloniam sedes habent Bylliones ac Talantij. Talantiorum meminit & Ptolemæus eodem in loco, quanquam nomina apud eum prope corrupta.

Inde Cyerum & Metropolin.) 433.A. Cyerum non inuenio apud quenquam, sed Cypera in Ptolemæo legitur inter Thessaliæ urbes, atque ita ego legendum puto.

Occupat Pellineum.) 433.A. πελλίναιον uocat Strabo libro nono. Plinius uerò libro quarto cap. 8. Pelinnam uocare uidetur. Aliud autem nomen est πελλίναιον ἔστι τὸ χὶν apud Dionysium geographum. quanquam idem mons in Græcis plerisque Strabonis codicibus πελλίναιον legitur. Porrò idem Strabo quatuor oppida circa Thamas numerat, Triccam, Metropolim, Pelinæum ac Gomphos, quæ Ptolemæus Estiæotarum ponit, quamuis Atineum pro Pelinæum fortassis positum apud eundem. Chyretias eodem loco reperias, at non item Malleolam.

Oppidum Gonni XXX. millia ab Larissa.) 433.B. Quidam pro XXX. emendarunt XX. quòd sequentia uerba propinquitatem maximam ostendant Gonnorum ad Larissam, uidelicet unde ignes ac castra Romanorum uideri potuerint. Atqui Ptolemæi descriptione longius multo abest Gonnorum ciuitas à Larissa. Sed accipit hæc controuersia uariam ac etiam ueram excusationem.

Dum patrem primo ablegando.) 433.B. Illud uerò ut defendatur, aut uerius ut intelligatur, haud equidem scio. Quomodo enim ablegat, & liberum, & quem paulò pòst sit rogaturus? Quare alij rectè adlegando emendarunt.

Cum per Phocidem Cheroneam.) 433.B. Rex Antiochus Chalcide in hybernis dormierat, quomodo igitur per Phocidem Cheroneam uenire poterat? cum Cheronea sit urbs Bœotiæ, cui Chalcis ab ortu, & Phocis ab occasu. Nisi quis malit de Chalcide Aetoliæ intelligere, de qua paulò pòst. quanquam, ut puto, adiecisset Aetoliæ, cum à Demetriade illuc eum discessisse facit. proximum enim est iter in Chalcidem Eubœæ intelligere, quam Aetoliæ.

Quæ præter Chalcidem & Lysimach. fert ad Stratū.) 433.B. Huius Chalcidis in Aetolia omnes meminerunt. Lysimachiæ etiam Strabo lib. 10. ubi de Oleno: nam utraque deserta erat illius tempore. Stratus autem Acarnaniæ maxima urbs super Acheloo, cui Liuius more suo adiecit præpositionem. Ideo autem à nobis hæc notantur, ne, quæ bene habent, temerè ab aliquo mutentur. Nam pro Chalcide quidam ita Calydonem substituerunt.

Ad Medeonem & Pyrrheum.) 433.B. Strabo lib. 9. duos facit Medeones, alterum in sinu Crissæo, de quo hoc loco Liuius, ut opinor, intelligit. alterum Bœotium, qui ab illo sit denominatus. Pyrrheum uerò nescio huius locis. Pyrrhum multi nominant. Vetustiores libri habent Tyrrheum.

Philippus Mallœam Perrhœbiæ, Bœbium Phila.) 434.A. Alij libri Maleam habebant, sed æque obscurum in Perrhæbis. Pro Philacio, quidam Phacium restituerunt, ut secundo quoque uolumine huius decad. admonuimus: nomen æque atque prius obscurum.

Chyretias hinc & Eritium occupat.) 434.A. Chyretias paulò antè ostendimus Estiæotarum apud Ptolemæum oppidum. Sed Eritium ubi reperias, uix equidem scio.

Aegiū, Argissa, Gomphi, Larissa, Tricca.) 434.A. Aegeam inter Emathiæ ciuitates enumerat Ptolemæus. Argissam Peneo adiacere, author est Strabo lib. 9. Larissa autem ab Athamanibus nusquam antea occupata refertur, propterea non uideo cur eam hic reponi noluerit Sabellicus. Pro ea igitur alij Silanam posuerunt, & pro Aegio ac Argissa, Aeginium ac Ericinium.

Quia uidebatur & Limnæam eodē tēpore opp. posse.) 434.A. Quidā neutro genere, quidā fœminino legūt. At ego in Thessalia huiusmodi nomen nō memini, quod sciam, legere. Nam quod in Laconica Limneum Pausanias refert lib. 3. huc non pertinet.

Ante saltum Thermopylarum in sep. uersa Epirus.) 435.A. Elegans est hæc descriptio, quanquam impropriè aliquot fines describit. Nam quis Epirum Thermopylis ad septentrionem intelligere potest? quod propter exemplaria admonemus.

M. Por. Catonē, & L. Val. Flaccum consular. leg.) 435.B. Hi COSS. unà fuere anno ab Vrbe cond. 559. rectè igitur consulares legatos uocat Liuius. Quanquā ipse Cato apud Ciceronē de Senectute se tribunum militum apud Thermopylas pugnasse M. Attilio Glabrione dicit. Sed in eo libro multa eiusmodi sunt, quæ à nobis, si CHRISTVS annuet, aliquando notabuntur.

Tum Macedonum robur, quos Sarissophoros.) 436.A. Haud immerito quidam mirati sunt, quo pacto Macedones cum Antiocho esse potuerint, cum eorum rex Philippus pro Romanis esset. Sed uel exules intelliguntur, uel ex Lydia Macedones uicini Mæonibus ac Phrygibus. in ea quam propriè Asiam dictam perhibet Ptolemæus.

Carpeiam tamen eodem die consecuti sunt hostem.) 436.A. Quæ sit illa Carpeia, non memini me legere apud ullū idoneum authorem. Iter fuit huius fugæ à Thermopylis Elateiam, in quo itinere esse eam oportuit. Vide num Lilæam legendum, quod ibidem ponit Ptolem. Quidam Scarpheam reposuerunt, cum ea sit ad sinum Maliacum, non utique in hoc itinere.

A Chalcide profectus, Tenedum primo tenuit, inde Eph.) 436.B. Mirum hoc iter, si quidem non errat codex. Tu uide, num Tenum potius pro Tenedo sit legendum. Est enim inter Cycladas Tenus in eo itinere quod ab Eubœa Ephesum ducit. Carmine Virgiliano notior Tenedus inattentos decepit.

M. Fuluius Nobilior, qui biennio antè prætor.) 437.A. De eodem hoc Fuluio in hoc adeò libro eadem dicturus est, ut non sit dubium hic lapsum memoria Liuium.

A flumine Asoro.) 437.A. Ita ferè habent libri, sed ex Herodoti libro septimo, ubi de Thermopylis, Asopus dicitur, non Asorus. Meminit & Strabo lib. 9.

Arcem extra muros, quæ frequentius prope quàm urbs ha. T. Semp.) 437.A. T. Sempronius in huius urbis oppugnatione iussus à COS. intentos tenere milites, dum aliæ tres pugnarent acies, signúmque expectare: quo dato, ab sua parte primus oppidum cepit. Si igitur ab arce oppugnabat, eam haud dubie cepit. Quo igitur pacto Aetoli postea in arcem confugere poterant? Nisi quis dicat, aut locos interea mutatos, aut duas eius oppidi fuisse arceis, aut aliud quippe pro arce legendum, ut suburbiū &c. quod equidem puto. Et in hac descriptione mentio est Aesopi fluminis, & duorum amnium, quorum alterum in sinum Maliacum mutarunt quidam, cum hæc urbs longe ab eo sinu distet, quære diligentius hic locus inspiciendus in uetustis exemplaribus.

Ab altero amniculo quem Melana uocant.) 437.A. Ante hæc uerba distinguendum est, ut Appium Claudium, non M. Bæbium ab hoc latere pugnasse intelligamus. Cæterùm quod quidā pro amniculo emendarunt, amnis latere, non placet. Nam Melana flumen ab uetere Trachine quinque distat stadijs, ipsa ab Heraclea sex, authore Strabo lib. 9.

Nam cum ariete quaterentur muri, non laqueis solum.) 437.A. Pro laqueis, quidam emendarunt iaculis: ex quibus uerbis nullus est sensus, quare mutandum non erat. Considerandum etiam lectori, quomodo intelligendum fornices in muro ad excurrendum apti: nam ea res difficultatem adfert legenti.

Cum fatigatos iam Aetol. sciret COS. & ex ratione temporis.) 437.B. Nec minus temere hoc loco ijdem, ex ratione, fecerunt, expectatione.

Pars una, qua progreßi erant, neque defen. neque opp.) 437.B. Non obscurum est qua de parte loquatur, nempe de ea ubi Sēpronius erat. Cæterùm illud, qua progreßi, uexat lectorem. Quidam pro eo legunt, In qua ædificia extra urbem: cum antea de arce loqueretur, nunc de semirutis, nullo adiecto substantiuo. Est, Neque defenditur, neque oppugnatur. dixisse uidetur pro, ubi quies erat, quanquam non diu duratura. Mihi locus suspectus est, lector ex uerborum contextu iudicet.

Intersunt sedecim millia ferme passuum.) 438.A. Quidam emendarunt, iter septem millium ferme passuum. Videtur autem loqui de distantia Heracleæ atque Lamiæ, quæ nobis nō constat. Quanquam libro sequenti ubi Attilius Lamiam ceperat, dicitur iuisse ex Heraclea ad oppugnandam Amphissam, cum dicere debebat ex Lamia. Videntur igitur propinquæ fuisse urbes.

Tum regionem maxime eandem spectat oppido quàm.) 438.A. Et hoc loco quidem oppido aduerbium existimarunt. Alij ita emendarunt: Tum regionem eā maxime despectat oppidum, quā breue interuallum uidetur. Sed ex utraque lectione non uideo quid sensus elici queat.

Ita recessum ab Lamia est, & propinquæ ela.) 438.A. Considera hæc uerba diligentius: nam quid sibi uelint, non plane intelligo. Neque enim dedita est hoc loco Lamia, quæ primum posteriore capitur libro.

Mons est altißimus inter Callipolin & Naupact.) 439.A. Callipolin hoc tractu nusquam memini me legere, sed è regione Lampsaci ad Hellespontum: uerum nihil ad hunc locum. Coracis meminit & Ptolemæus. Vide si forte legendum, inter Chalcidem aut Callidromū & Naupactū: sunt enim hæc item Aetoliæ loca.

Legatos Chalcidem ad T. Quintiū.) 439.A. Hic in Chalcide est T. Quintius, ad quē Messenij legati mittuntur, continuò autem post, auditis legatis, à Megalopoli ad Diaphanem prætorem Achæorum misit. quod utique indicandum lectori relinquimus.

Circa Eudamiam paruū oppidū inter Megalopolin.) 439.A. Ita plerisque habēt codices, sed errāt. Andaniā enim legendum ex Stephano ac Strabone. Et ille quidem Messeniæ facit oppidū, Strabo autem libro octauo, Arcadiæ tenuem ait ciuitatē, ac olim Euryti Aechaliam esse dictā. Pausanias uerò ab initio libri quarti ait regiam Messenes olim fuisse. Non me fugit duos Lacedæmoniorum fuisse reges Eudamidas. de Proclis progenie, si quis forte locus

te locus ab ijs nominatus sit, quod lector studiosus indicet.

Inde Dolopiam & Aperantiam & Perrhœbiæ quasdam.) 439.B. Aperantia quæ sit regio, mihi non constat. eius pauló póst rursus mentio cum ijsdem Dolopibus ac Perrhœbis, item lib. huius decad. octauo non ita longe ab initio. Quidam Aperanthiam scribunt, ut planè suspicer nomen corruptum.

Manu tamen annuit quid opus in se esset.) 440.A. Ita in plerisque erat codicibus, ut enunciatiue legatur. Alij quidnam legunt, ut intelligatur interrogatiue, sed non uideo quid sensus.

Quos prætor in Hispania inter ipsum discrimen.) 440.B. Proprætor legendum, ut patet initio libri quinti huius decad. Prætor enim ulterioris Hispaniæ factus erat, COSS. P. Cornelio Scipione Africano iterum, ac T. Sempronio Longo, septimo anno huius decados. Sequente deinde anno cum Lusitanis proprætor conflixit. Quanquam haud sum nescius initio libri quinti uarietatem esse in plerisque Liuij codicibus lectionem prætoris & proprætoris de eodem Scipione Nasica.

Quos primos scenicos fuisse Antias Val. est author.) 440.B. Non hoc tempore hi ludi primum celebrati sunt, sed bis antea authore hoc nostro Liuio. Semel lib. 9. secũdi belli Pun. Iterum lib. 4. huius decados, ubi id etiam admonuimus, quanquam hic Valerium Antiatem citet authorem.

Per eosdem M. Fuluius Nobilior.) 441.A. Hæc eadem, hoc adeo libro, de Fuluio propè ijsdem uerbis dixit, quod suprà quoque admonuimus. Alij hæc uerba ex codicibus Liuij hoc loco submouerunt, suáne authoritate, an codicum fide, nescio.

Samum Zacynthumque.) 442.A. Quidam libri solum Zacynthum habebant, sed Cephalleniam omnino Liuius putat. Strabo lib. 10. ex Apollodoro ait Cephalleniã insulam, quæ quondam quatuor habebat urbes, Samum dictam, at urbem in ea nunc Samum nunc Samen appellatam. Atqui Zacynthus iam Romanorum erat. Sed uel Liuius præfectus classis hoc ignorauit, aut hæc antè facta sunt quàm dedita sit Romanis insula: non permixte multa narrat Liuius.

Ad Scyllæum Eumenes.) 442.A. Bene hoc habet: nauiganti enim à Malea Piræeum, in medio est Hermione, ad quam est Scyllæum, authore Strabone lib. 8.

Ita numero fermè impares futuros.) 442.A. Alij pares legunt, ut de utrisque intelligatur. Nam C. Liuius præfectus classis Romanæ naues habuit unam & LXXX. rostratas: Polyxenidas autem nauibus LXX. tectis, præter cæteras, Phocæam concessit. Quidam legunt, Ita numero non ferme impares. & idem est sensus.

Ab Delo Phanas Chiorum portum in Aegeum.) 442.B. Phanas Liuius ita in Aegeum mare uersas ait, perinde atque ad occasum insulæ eum intelligi uoluerit. Subiungit enim, Inde ad urbem circumegere naues. Chios autem spectat Boream. At Strabo lib. 14. ubi Chium elegantißime describit, Phanas ad insulæ orientale latus posuisse uidetur.

Ad Corycum portum qui super Cyssontem est.) 442.B. Sequente libro Liuius ait Corycum Teiorum esse portum. Strabo loco iam dicto Corycum montem facit, ac sub eo portum Casysten, pro quo hic Cyssontem legimus. Vter ex altero emendandus author, iudicio lectoris committimus. Quidam libri Cysuntem habent.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM SEPTIMVM,

HENRICHI GLAREANI

ANNOTATIONES.



QVOD Laurentibus carnis quæ dari deberet.) 444.A. Vide an non carnis uetustus sit nominatiuus pro caro. Neque enim, quod carnis, construendum: est enim quód, pro quia. Hoc obiter admonemus, ne quis temerè mutet, ut solent nonnulli facile, qui non intelligunt.

Legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus.) 444.A. Libro quinto huius decados, atque adeò non longius biennio antè, Antiochus Ptolemæo Aegypti regi filiam in matrimonium dederat. Hic uerò gener aduersus socerũ gratulatur Romanis. Porrò Liuius de Ptolemæis satis obscure loquitur. Primo enim libro huius decados de Philippo Macedoniæ rege ita ait: Sed animos ei faciebat præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho Syriæ rege, diuisæq; iam cum eo Aegypti opes, cui morte audita Ptolemæi regis ambo imminebant. de Philopatre Ptolemæo loquens, de eo inquam, qui Antiochum memorabili pugna ad Rhaphias uicit, ut scribit Polybius libro quinto tametsi is quadriennio antea fuerat mortuus. Cum hæc autem inter Antiochum ac Romanos gerebantur, iam Epiphanes regnabat in Aegypto, cum quo Antiochum in amicitiam regressum author est Eusebius, quam postea rupisse non est incredibile, ut sæpe fit inter principes.

Oppugnare Attilius Amphissam statuit. ab Heracl. per Oetam.) 444.B. Notandum est hoc iter, nam ad locorum hic obscure positorum notitiam cõducit. Inter Heracleam atq; Naupactum Coraca ait interiectum: inter eandem autem & Amphissam Oetam. Amphissa sanè Locrorum Ozolarum oppidum est, authoribus Strabo. ac Stephano. Ab Heraclea autem ait, pro ab Lamia, propter propinquitatem urbium: nisi sit menda in codicibus, ut suspicor.

Iam in sinum Maliacum uenerat.) 444.B. Considerandum etiam atque etiam toto hoc loco, num aliquid omissum sit. Nam si Apolloniæ exercitus expositus erat, perque Epirum ac Thessaliam ueniebat COS. nouus, oportuit certè prius Hypatam uenire quàm in sinum Maliacum. Nisi quis tria hæc millia peditum, & quingentos equites, unà cum COS. mari uenisse contendat, reliquum uerò exercitum terra: quod equidem nescio quàm probem.

Ab Amphissa inde Elim est dimissus, die ter. Pellam.) 445.A. Apud neminem authorem hoc quidem tractu Elim inuenio: quare uidendum num uel Lileam, uel Lamiam legendum. Quidam pro Elim legunt enim, & in parenthesi hæc uerba (inde enim est dimissus) atque id placet.

Ipse in Phrygia hybernauit.) 445.B. Cum duæ sint Phrygiæ, altera in qua Troia, altera supra Pisidiam, conueniebat ut adijceret in utra fuisset Antiochus: nam de utraque intelligi potest.

Panormum Samiæ terræ petit.) 446.A. Strabo libro 14. hunc Panormum locat in litore Ephesiorum. quanquam Samiorum agro ex permutatione. Videntur itaque hæc in litore Ephesiorum gesta, sed Samiorum tamen terra: etiamsi Liuius postea dicat ad Samum oppressam classem.

Remigium omne Magnesiam missum, ad Sipylum perpau.) 446.A. Quidam, quod adijcitur Sipylum, de Magnesia ad Sipylum montem intelligi putarunt: sed ea urbs plus æquo abest. Alij itaque de Magnesia ad Mæandrum intelligunt, & Sipylum oppidum non longè à Smyrna, ex Strabone, & Plinio item lib. 5. cap. 29. Quanquam Plinius mediterraneum id facit, Liuius maritimum. Hæc & similia nobis notantur, ne temerè mutentur: neque enim commentarium scribimus.

Palinurum iusso petere.) 446.B. Videndum quis locus hic, nam mihi planè suspectus, quippe quem apud nullum usquam inuenerim authorem, quod equidem sciam.

Romani & Eumenes rex in Erythram.) 447. A. Erythras legendum puto pluratiuo numero. Hoc etiam lectori considerandum quod subnectitur: Medio in cursu aquilone in septentrionem uerso. quid faciat hæc uentorum cõmutatio ad impediendam nauigationem in Samum. Neque uerò septentrionis ac aquilonis uentorum distinctionem facile inuenias, præter unum Ptolemæum, & ad hunc locum etiam non multum facientem.

Ad Myonnesum stetit, inde ad Macrin quam uocant insf.) 447. A. Myonnesus insula est inter Teon ac Lebedum Ioniæ maritimas urbes, authore Strabone: quanquam Liuius postea inter Teium ac Samum dicit. Plinius autem Macrin insulam lib. 5. cap. 31. primum non longe à Rhodo ponit, sed nihil ad hunc locum: deinde eodẽ capite in Chio ponere uidetur, aut ipsam Chium Macrin uocatam: quanquam is locus corruptus uidetur. Liuius postea ad Myonnesum, eius insulæ rursus facit mentionem, ante memorabilem illam pugnam naualem.

Ad Etaliam insulam traiecit.) 447. A. Plin. in eodem loco ait, Ephorum dicere Chium olim Etaliam dictam. quanquam codices Plinij plerique falso, ut puto, Italiam habent. Ego sanè de Etalia insula hoc in tractu apud authores nihil inuenio. Nam quam Strabo memorat Aethaliam è regione Thusciæ lib. 5. nihil huc pertinere certum est.

Portum Phœnicum minus duum millium spatio.) 448. A. Vide num Phœnicunta legendum, non Græcos accusatiuos etiam Liuius usurpat. Strabo lib. 14. Phœnicunta montẽ facit ad Olympum Lyciæ urbem, Phœnica autem à nominatiuo Phœnix, & montem & oppidum in Rhodiorum regione. Ita etiam Ptolemæus. Ad Pataram non memini me legere huiusmodi portum, quanquam hic eleganter descriptus est.

Ii dum missilibus primo & aduersus paucos.) 448. A. Qui uerba quædam huic loco adiecerunt, uno &, abundant post uerbum, paucos. legendum enim est, Ii dum missilibus primo & aduersus paucos lembus excursionibus &c.

Inde in Telmessicum profecti sinum qui latere uno Cariam, al. Ly.) 448. A. τελμισσός legitur apud Strab. per ι in secunda syllaba, pro urbe Lyciæ. Cæterùm quomodo hic sinus Cariam Lyciamque contingat, etiam atq; etiam considerandum est. Quanquam Strabo lib. 14. nomen Carum ac Lyciorum à poetis, præcipue Tragicis, confusum dicit, quemadmodum Troum, Mysorum ac Lydorum: ab eis enim communiter Phrygas uocari. Et Plin. item lib. 5. cap. 29. ait Telmessum finem esse Lyciæ.

In Bargyliam & Icoson descensionem ad Iassum fecerunt.) 448. A. Quidam Bargyllam, quidam Bargyliam scribunt. Strabo pluratiuo numero βαργυλία appellat. Porrò qui pro duabus uocibus Bargylia & Icoso, in Bargylletico sinu legunt, placent.

Pheream inde coloniam Mitylenæorum expugnauit Cott.) 449. B. Hæc nomina sunt oppidorum in Aeolide inter Adramitium ac Thyatira, ut ex his Liuij uerbis colligitur. quanquam ea non facile reperias apud authores, quòd uel corrupta sint nomina, uel oppida concisa, uel denique alioqui obscura. Pro Priene, quod Ioniæ oppidum est. Pitane libentius legerim: quanquam quidam Aphrodisias Crene legant. Et Plin. lib. 5. cap. 30. ubi Aeolidos urbes numerat, Aphrodisias regionis nomen facit.

Ad insulam quam Bacchium uocant.) 449. B. Plin. lib. 5. cap. 31. iuxta Smyrnam enumerans insulas Bacchinam ponit, de qua & hic loqui puto Liuium.

Ad portum quem Megisten uocant.) 450. A. Megisten omnes scriptores insulam faciunt, non portum: quanquam insula haud dubie portum habuit. Ptolemæi interpres Latine hanc maximam uocat, quod extulisse non erat necesse.

Audiunt ad Aspendum iam hostes esse.) 450. A. Ita quidam hunc locum emendarunt, cum in alijs legatur, ab Aspendijs. Cæterùm cum Aspendus mediterranea sit urbs, authore Ptolem. & LX. stadijs ab ostijs Eurymedontis distet, ut fatetur Strabo lib. 14. denique classis hostium non flumine, sed mari uenisse uidetur, quippe Hannibal antea in Phœniciam à rege Antiocho missus dicitur, non uideo quomodo ad Aspendum hostes nauali certamine pugnaturi adesse potuerint. Quod ideo admonemus, ut exemplaria diligentius inspiciantur: quanquam excusationẽ accipit, ad Aspendum, quasi dicat, è regione Aspendi, sed tamen in mari. Quidam ab Aspendijs ad Sidam emendarunt, nihilo clariore sensu.

Et ipsam urbem suæ potestatis uolebat.) 451. A. Nothij descriptionem ita ponit Liuius tanquam Antiochus ipsum oppugnare adornarit, cum tamen ipsum urbem Colophonem adorturus uideatur. Quàm propinqua autem sit Epheso, ut omnia terra marine acta sub oculis eius fuerint, non apparet ex Ptolemæi pictura, sed hæc fallere possunt.

Circumuecti ab urbe aduersa insulæ.) 451. A. Ex Samu nauigantes, Chium à dextris habuisse uidentur, cum à sinistris facilius fuisset Chium uenire. Ergo auersa insulæ, & deinde aquiloni (quantum ad Chium) obiecta circumuecti, non uenere Chium, sed Erythras traijcere in animo habebant. In medio itinere certior factus Aemylius de Teiorum defectione, primum Myonnesum, deinde Teium profectus est. Ibi uerò aduersus Polyxenidam Antiochi præfectum pugnans, uictor nauali certamine cessit. Deinde rursus Chium, direptis ante Ephesi portũ nauibus, uenit, nauesque in prælio quassatas refecit. Hæc paulò lõgioribus uerbis egimus, quòd hic locus mihi corruptus uideatur in plerisque exemplaribus. distinguendum enim mihi uidetur post, ad Chium, & uerbum sunt, neutiquam post Erythras ponendum, sed legendum continuatim, & Erythras cum pararent traijcere.

Myonnesus promontorium inter Teium Samumque est.) 451. B. Strabo lib. 14. ait Myonnesum esse inter Teon ac Lebedum, quod uerisimilius est: quapropter hoc in loco pro Samum fortassis Lebedum reponendum, alioqui enim uix intelligitur quod hic ait Liuius.

Tractu anchorali & implicitum remis latus.) 452. B. Quidam codices ita habebant. Alij mutarunt ad hunc modum: Tracta anchora & implicita remis latus alterum detersit. Alij legunt, tractum anchorale & implicitum &c. Sed est locus meo iudicio perquàm obscurus.

Totidem ex utraque parte in arctiorem uelut cu.) 452. B. Illud totidem, quid referat, fateor me nõ intelligere: sicut nec quæ sequuntur uerba proximo uersu, Ibi latitudo patet. Pro totidem quidam legunt, Coit deinde: sed nihilo clariore sensu, quod ad posteriora attinet. Vehementer suspicor in hac descriptione aliquid corruptum: quod ideo admonemus (ut in alijs tam sæpe) ut diligentius uetustiores inspiciantur codices.

A Chalcide Oreum petentem.) 453. B. Oroes urbs in Eubœa insula, de qua & superioris decados lib. 8. mentio est. Quidã codices falso legunt Oricum. Cæterùm cum ab omnibus, quos ego sciam, authoribus hic Scipionis filius uocetur Publius, in Valerio tamen Maximo lib. 4. cap. 5. Cneius (si codices non fallunt, quod suspicor) dicitur.

Maxima pars Gallogræci erant & Dacæ.) 454. B. Dææ legendum puto absque c. Sunt autem Medis uicini ad mare Caspiũ, ut lib. 5. huius decad. sub finẽ annotauimus. Cæterùm Thyatira apud Strab. lib. 14. plurali numero profertur, hic singulariter, si codex nõ errat. Campi uerò Hyrcani idem Strabo meminit lib. 13. ad finem, aitque à Persis ita nominatum. Phrygium denique amnem olim Hyllum dictum, & Hermum influere, ut Pactolum, idem author est. Hylli meminit etiam Homerus Iliados 20. lib. & Herodotus lib. 1. quanquam in Herodoto menda est etiam in Græcis codicibus, ὕλλος pro ὕλλος. Hæc ad authorum codices emendandos obiter diximus, non enim scribimus commentarium.

Romanorum ex propinquo castris facile.) 454. B. Ego adijcerem ad Romanorum coniunctionem que, propter uerbum cresceret, quod sequitur, meliusque constabit latinitas. Sed hoc minutum. Potest tamen & ἀσύνδετον esse, ut sæpius apud hunc authorem.

Aliquanto pauciores in statione erant, duo tamẽ mil.) 454. B. Si tantum, pro tamen legeretur, explicatior mihi uideretur sensus. Et facilis est error in abbreuiationibus, tantum & tamen, quæ utinam non essent, aut non peiores his, ut prius. pro primus ac patrius, quem non decepit? Quidam duo millia sustulerunt, & locum sic legunt: Et tamen per se &c.

Quina millia & quadragenos singula hab.) 454. B. Quadringenos

dringenos legendum puto: quanquam non me fugit legiones non semper æqualem militum habuisse numerum, ut in primæ decados librum septimum diximus. Id tamen certum est, nusquam tam parvum numerum milliaribus legionum adiectum. Aut enim ducentos, aut trecentos, aut quadringentos, aut plureis reperias: quadragenos non reperias, certum habeo.

Achæorum cetratis immixtos auxil. Eumenis.) 454. B. *Quid sibi hoc cetratis immixtos uelit, etiam atque etiam consideret lector. Achæi Eumenis erant auxiliares, mille pedites, ac centum equites, ut suprà habitum est. Cetrati igitur Pergamenses erant, qui numerum trium millium explebant. Sed omnino uerborum contextus claudicat, meo quidem iudicatu.*

Extremos Trallos & Cretenses.) 454. B. *Triballos legendum puto: etenim & lib. 7. secundi belli Punici eo modo codices errabant. Et hoc loco error inde etiam apparet, quòd hic secunda declinatione Trallos codices habent, paulò pòst autem Tralles tertia declinatione. Sed ita res habet: Triballi gens Illyrica est, quæ hoc tempore cum Romanis erat, nempe antea cum Philippo. Tralles autem gens & oppidum ad Mæandrum fluuium, penitus sub Antiochi ditione. Nec obstant Cretenses etiam in acie Antiochi. hi enim sæpe etiam apud hunc authorem, in diuersis erant exercitibus, ut lib. 5. huius decad. & pro Nabide Lacedæmoniorum tyranno, & pro Achæis illius hostibus: quod idem eodem etiam loco de Tarentinus scribit Liuius, & de Germanis Cæsar.* Quoniam autem quæ oculis subijciuntur picturæ, magis iuuant memoriam, explicántque nonnunquam quod implicatum uidetur, operæpretium existimaui me facturum, si huius pugnæ typum saltem rudi minerua depingerem, neque alia de causa, quàm ut lector uno nosceret intuitu huius descriptionis errores, quos iniuria temporum accidisse nemo inficias ire poterit. Eos tamen locos paulò pòst singillatim recensebimus: nunc ipsam picturam intuebimur, qua haud sum nescius non omnibus satis me facturum, quippe qui mihi ipsi non satis facio: dabimus tamen alijs cogitandi occasionem ac uelut ansam ad intentius ea perquirenda, quæ nos fortaßis latuere, id quod non uno duntaxat loco iam fecimus. In Romanorum quidem acie non tantum negotij est, atque in altera. erat enim ea simplex, & unius propè formæ, ut Liuius inquit, & hominum & armorum genere. Id uerò magnopere hic mirandum, cum Romani tertiam iam orbis partem inuaderent, ac in alterum uelut mundum concederent aduersus potentißimum regem bellaturi, non tamen habuisse eos ultra quatuor legiones: ut uerisimile uideatur quod Vegetius lib. 2. cap. 5. in hæc ait uerba: In omnibus authoribus inuenitur, singulos COS. aduersus hosteis copiosißimos, non amplius quàm binas duxisse legiones, additis auxilijs sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuiuis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. Hæc ille. Sociorum auxilia uel æquabant, uel plura erant.

ROMANA

ROMANA ACIES.

Triballi & Cretenses 500.

Achæi cetrati & Eumenis 3000.

Equitatus Romanus minus 3000.

LATINI — Elephanti XVI — LATINI

TRIARII.

Principes.

Hastati.



IIII. turmæ. equitum.



Amnis Phrygius.

Cyrtæi funditores Elymæi sagittarij 4000. Tarentini Gallogræci equites 2500. Neocretes 1000. Cares & Cilices 1500.

Tralles 1500

Cetrati { Pisidæ, Pamphilij, Lycij } 3000.

Elephanti XVI.



Arabes in camelis. Falcatæ quadrigæ. Gallogræci pedites 1500. Cappadoces. 2000. Auxiliares mixti 2700. Cataphracti equites 3000. Equites alij, quam regiam alam uocare uidetur 1000.

MEDIA




ACIES

Phalangitæ XVI. mill. Decem partes binis elephantis distinctæ.

Gallogræci pedites. 1500. Loricati pedites 3000.

Cataphracti equites

Ala equitum. Gemea. 1000.



Argyraspides Dae equites

Cyrtæi funditores. Elymæi sagittarij 4000.

Sagittarij 200.

Cretenses & Tralles 3000.

Mysi sagittarij 2500.

Elephanti XVI.

ANTIOCHI REGIS ACIES.

Regia acies uaria magis multis gētibus.) 455. A. Elegātissimè ordinata hæc uidetur fuisse acies: primū quidē ut robur phalāgis, qua olim Macedones usi orbē terrarū breui tēpore subegere, in medio locaretur, extrema autē cornua clauderēt & funditores Cyrtæi, & Elymæi sagittarij. Proximæ phalāgē auxiliaria ex utroq; latere duplicia, nō multo dissimili modo ordinata, elephāti sequentes in subsidijs, & præter elephātos phalāgitis intermixtos, camelorum ac falcatarum quadrigarum terriculamentum ante aciem ingens positum. Hæc ita breuiter à nobis recitata, si quis memoria habebit, comparat omnemque laterum inter se seceret, sa le u debit insignes hic esse codicum omnium errores Nam qui fieri possit ut non altero loco sit error, cum cataphracti equitatus in dextro Antiochi cornu fiat mentio, quando ipse rex quatuor illas turmas sinistri Romanorum cornu à ripa Phrygij amnis deturbat, cuius hic, cum idem hoc dextrum Antiochi cornu diligenter describeret Liuius prorsus non meminit? Pedites quidem loricatos cataphractos ab Asiaticis uocatos ponit, sed id ego corruptum puto. quis enim unquam pedites cataphractos legit? Item in fuga læui Antiochi cornu enumerat postea equites Phalangitas, quorum antea in descriptione eiusdem cornu non meminit. De numero idem dicimus. Si enim in unum qui hic ponuntur numeri & equitum & peditum coacerventur, non explent sexaginta, superant autem L. millia, cum Liuius paulo ante solius peditatus L X. millia in Antiochi exercitu

fuisse scribat, equitum autem plus XII. millia. Hos igitur errores, si exemplariorum fides nobis defuerit, nonnulla alia ex re melius deprehendere licebit, quàm ex laterum collatione. Verisimile est enim Antiochum utrunque cornu æque firmum instituisse. Ita cum proxime phalangitas utrinque sint Gallogræci pedites milleni quingenteni, propius uero est in reliquis eorundem ordinum auxilijs æqualem fuisse numerum, aut saltem non minorem, ubi rex stabat. At in sinistro quidē latere post pedites Gallogræcos ponuntur & Cappadoces & alij auxiliares, deinde uerò sequuntur cataphracti, & alij equites mille. In dextro uerò ubi rex erat, continuo peditibus Gallogræcis subijciuntur cataphracti siue loricati pedites, & ala equitum, Gemea, siue ut alij legūt, agema uocata. Duo igitur populi aut potius ordines in ea parte omißi uidentur, & numerus etiam plus quatuor millibus deficit. Idem de continuo sequentibus utroque in latere ordinibus dico, si Argiraspidas Tarētinis cōparabis (quibus neutra in parte adest numerus, quod equidem miror) ac deinde Gallogræcos equites Daas equitibus conferes, reliquorum deinde sequentium comparatio eadem erit, quæ in prioribus fuit, clauda. Quanquam fieri potuit, ut aduersus dextrum Romanorum cornu, in quo & Eumenes fuisse uidetur, maiores copias opposuerit Antiochus: at id hæc uulnera non sanat. Si quis igitur facta comparatione hæc singula perpenderit, inueniet nos haud temere dubitasse. Sed nunc ipsa descriptionis loca singillatim prosequemur.

His tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipsi appellant, adiunxit.) 455. A. *Hic plane uidentur quædam omissa. Nam in altero cornu post Gallogræcos pedites ponūtur Cappadoces & auxiliares, tertio autem loco cataphracti equites. ita hoc in loco post Gallogræcos pedites non continuo cataphracti sequentur, ut puto, sed alij, quos omisit: & suspicionem dat uerbum cataphractus, quod pediti loricato attribuerunt quicunque hæc corruperunt, cum tertio deinde ordini tribuendum erat. Idem suspicor de numero* 3000. *ut ex comparatione laterum intelligitur.*

Medi erant lecti uiri, & eiusdem regionis mixti multarum gentium equites.) 455. A. *Vel post regionis uerbum distinguendum, uel per diuersas gentes intelligit Medorum diuersos populos. Et uide quod de elephantis continuò subiungit, ut cum alterius cornu ordine conueniat.*

Dacæ inde equites sagittariorum mille ducenti.) 455. A. *Daæ lego, non Dacæ, quod iam sæpe admonuimus. Totus autem hic locus mutilus est, & incertæ distinctionis. Nescias enim Daas ne equites etiam sagittarios faciat, an seorsum sagittarij intelligendi. Ita continuo pòst, leuisne armatura trium millium seorsum accipienda, ac deinde Tralles ac Cretenses pari numero, hoc est etiam trium millium: an Tralles ac Cretenses fuerint ea tria millia, pari numero, hoc est milleni quingenteni. Et illud, duo millia, ad Mysos referendum, legendúmque sagittarij, ut uetustiores habent codices, in nominandi casu, non in dandi: ut Mysos sagittarios intelligamus.*

Mixti Cirtæi funditores & Elymæi sagit.) 455. A. *Cirtios inuenio apud Strabonem populos Persidis, uicinos Medis: sicut Elymæos Mediæ populum, uicinum Babylonijs, utranque gentē latrocinijs assuetā, ut nō uno in loco scribit idem Strabo.*

Regia ala leuioribus tegumentis suis.) 455. A. *Quæ sit illa regia ala plerique dubitant, atque adeò etiam ego. Sed magis hoc obscurum, cum inquit, Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ, &c. quem nam equitatum intellexerit, cum cataphractos ac alios equites præcederent Gallogræci pedites, Cappadoces, ac auxiliarij, quibus omnibus in typo eos præposuimus.*

Inde alia multitudo par ei quæ in dextro cor.) 455. A. *Si par ei, ergo Tarētinis comparabimus Argiraspides, & Gallogræcis equitibus Daas equites, quos in eodem dextro cornu sequuntur sagittarij, quibus Neocretes comparabuntur: deinde reliqua erit comparatio aliquo pacto æqua, uidelicet tria millium Cretensiū, ac Tralliū in dextro cornu, ad mille quingētos Caras ac Cilicas in sinistro cornu, totidémque Trallis eodem in cornu.*

Rex ipse in dextro cornu erat.) 455. A. *Vel ex hoc loco satis liquet huius ordinis descriptionē temporū iniuria corruptā Hannibal enim omissus est, quē P. Cornelius Scipio Nasica ad finē libri sequētis affuisse fatetur. Innuit & Aul. Gel. lib. 5. cap. 5.*

Et humor toto fere graui armatu.) 455. B. *Armatu pro armatura, paulo superius dixit de Caribus ac Cilicibus, quo modo & hic accipi puto, ut sit, toto fere graui armatu: id est, cū Romanorū armatura tota fere grauis esset, est tamē dura cōpositio.*

Qui inter equites, quos appellant Phalangitas, erant.) 455. B. *Phalangitarum peditum antea mentio in aciei descriptione, equitum nulla, & mediam aciem haud dubie phalangitas pedites intelligit. Fortaßis autem cataphractos legendum pro phalangitis. Sed iudicet lector.*

Legati ab Thyatira & Magnesia, & ab Sipylo.) 456. A. *Thyatira, ut antea quoque diximus, genere fœminino dicere uidetur, si codex non errat, cum apud Strabonem sit generis neutri, lib. 14. ubi de Aristonico loquens,* πρῶτον μὲν οὖν *(inquit)* παρεισπεσὼν εἰς θυάτειρα. *id est, primum quidem Thyatira aggressus est. Nisi quis* θυάτειραν *legendum existimet. Verū apud Ptolemæum ac Plinium utrius sit generis, non facile discernas. Porro etsi Sipylus oppidum est non ita longe à Smyrna, ut paulò superius ex Plinio ostendimus, tamen hoc in loco malim legere Magnesia quæ ad Sipylum, ut paulò inferius, à Magnesia quæ super Mæandrum est.*

Mille deinde talentûm per XII. annos.) 456. B. *Millena deinde talenta legendum, ut doctè emendauit Budæus lib. 3. de Asse. Conuincit hoc & latinitas, & summæ diuisio.*

Cistophori CCXLVIII.) 457. A. *Cistophorûm legendum puto, & millia ex antecedentibus repetendum. Habet autem hic nummus rationem ad denarium subsesquiquartam, ut 4. ad 5. quemadmodum ex Festo Pomp. collegit idem Budæus libro 2. de Asse.*

L. Aemylij proconsulis apud op. Lyconem.) 457. A. *De L. Aemylio Paulo intelligit, ut posteriora indicant. Hic ulteriorem Hispaniam sortitus ab initio libri 6. huius decados, & prorogatum posteriore tum anno imperium erat. Cæterum prætor erat, non proconsul, ideoque hic proprætor fuit. Sed neque Lyconem, neque Vascetanos in Lusitanis apud ullum inuenio authorem. Potuit autem perijsse uideri oppidum, si non ubique locorum nomina in Hispanijs male constarent apud hunc authorem, ut sæpe antea conquesti sumus.*

Aduersa omnium fama, quòd prouinciam Siciliam petendi causa.) 457. B. *Hic prætor Siciliæ fuit factus biennio ante, ut initio libri sexti huius decadis refertur. Deinde sequenti statim anno iussus erat ab senatu ut exercitum traderet C. Antistio Labeoni nouo prætori, ut initio huius libri tradit Liuius. Qui igitur fieri potuit, ut iam tertio anno inuito senatu è prouincia, quæ sua non erat, aduersa omnium fama cessisset Aemylius?*

Cum cæteri Centurias non explessent.) 457. B. *Id uerbi sæpe est apud hunc authorem, nec ex eo satis notum: ideóque considerandum lectori est, nam ego adhuc quæro.*

Et M. Tutio proprætori in Brutijs & ap.) 458. A. *Initio huius libri non M. Tutius, sed Cn. Fuluius prætor sortitus est (ut quidam habent codices) Apuliam ac Brutios, ut hoc anno idem Fuluius, non Tutius, sit proprætor Apuliæ ac Brutiorum, cui prorogatum imperium sit: nisi Fuluio mortuo priore anno subrogatum hūc Tutium (siue Tuccium) intelligamus, quod mihi uix uerisimile uidetur. Quidam utroque in loco legunt M. Tuccium.*

Quòd obsidione se ac fratrem exemissent.) 458. A. *Hoc loco fratrem singulari. inquit numero, cum paulò post ter dicturus sit fratres pluratiuo numero. Et libro 8. huius decados præter Attalum etiam Athenæum Eumenis fratrem Liuius nominat. Quanquam hunc locum adiuuare potest locus ille cuius mentionem lib. 3. huius decados fecimus, ubi de Attalo huius Eumenis parente, uxorem (inquit Liuius) ac liberos duos superstites habuit. Sed eum locum, ut hunc, corruptum puto. Tres item Attali, & duo Eumenes, multum negotij facessunt lectori in horum regum genealogia, de quibus obiter in Horatium diximus libro 1. Carm. Ode. 1.*

Quoniam dicere utiq; uolentibus uobis parendum est.) 459. B. *Nisi sit figura Græca, dicere prout dicam, quam non usque adeo refugere plerique Latinorum, ego hunc quoque locum corruptum puto.*

Quæque

Queque circumiacent Europæ.) 459.B. Sed neq; hoc plane intelligo. Sunt qui intelligant, insulæ, quanquam obscurũ est de quibusuam loquatur: ut obscurius, si absq; additione intelligamus.

Queque ciuitas & conditoribus suis.) 460.A. Quæ præcedunt uerba, satis lucida sunt, at hæc non item. Credo illum uelle dicere, quamque ciuitatem cum suis conditoribus contendere audere pro certamine cuiuslibet bonæ artis ac uirtutis. quasi dicat, metropoles non superant colonias.

Cn. Cornelium Merulam, &c. L. Aemylium Paulum.) 460.B. L. Cornelius Merula, non Cn. COS. fuit anno octauo huius belli. Itaque cum alij plerique consulares sint, fortaßis pro Cn. legendum. L. quanquam nihil asseuero. At de L. Aemylio Paulo id demum admirandum, quomodo in Asiam legatus mitti potuerit, qui in Hispanijs erat, ut & ante, & paulò pòst patebit. Nisi quis duos L. Aemylios Paulos faciat, aut corrupta esse nomina credat, quod uerisimile est, & nimium sæpe apud hunc authorem contingit.

Lycaoniam omnem, & Phrygiam utranq;, & Mysias.) 460.B. Plerique ex Mysias pluratiuo, fecerunt Mysiam singulare. Atqui Ptolemæus etiam in Asia duas facit Mysias. Sed hoc magis turbat lectorem, cum hic Lycaoniam nominet, & haud dubie Phrygiam, quæ Pysidiæ proxima, quænam sit hæc Mysia cuius hic fit mentio: uix enim ea erit quæ ad Troadem. Adeo obscure hæc distincta sunt apud Liuium, ut nihil ego definiam.

Et Cariam, quæ Hydrela appellatur.) 460.B. Strabo lib. 14. Vbi de Nissa uicina Trallibus, ita habet: ἱστοροῦσι δὲ τρεῖς ἀδελφούς, ἄθυμβρόν τε, καὶ ἀθυμβράδην καὶ ὕδρηλον ἐλθόντας ἐκ λακεδαίμονος, τὰς ἐπωνύμους ἑαυτῶν κτίσαι πόλεις, id est: Memoriæ proditum est tres fratres, Athymbrum, Athymbradũ & Hydrelum è Lacedæmone profectos, de suis nominibus condidisse urbeis. Hæc ille. Pauca alioqui de Hydrelis reperias. Nam Nysam postea omnes hi concessere habitatũ, ut idem author est Strabo eodem in loco. Cæterum peius me urget quod Liuius subiungit, agrúmque Hydreletanum ad Phrygiam uergentem. De qua enim Phrygia loquatur, non admodum certum, ut de Mysijs quoque iam diximus.

Thelmessuntem nominatim & castra Thelmeßium) 460.B. Telmissus absque aspiratione, & i in media syllaba, urbs est Lyciæ. Termessus uero per e in medio, & r in prima syllaba, τερμησσός, Pisidiæ est ciuitas, ut author est Strabo lib. 12. item 13. ad finem. Hic igitur lector dispiciat quid legendum putet, nam non minus hæc confusa sunt, quàm priora.

M. Claudius Gelo, M. Attilius Glabrio.) 461.A. Hũc Claudium perpetuò pòst M. Claudium Marcellum uocat. Gelonis cognomen in Claudiorum familia haud scio an usquam legerim: ergo M. Claudius Marcellus legendum. Huius filius anno sequenti fit prætor, COS. autem anno ab Vrbe condita 571. Quod ideo admonemus, nam in Chronologia nostra olim hoc neglectum fuerat.

Ideòque nouus competitor inæstimabili periurio incesseret.) 461.A. Ita quidam ultimum uerbum emendarunt pro intercesserit, ut alij codices habebant. Puto autem Glabrionem loqui de Catone: uerum sensus obscurus est, propter uerbum, inæstimabili periurio.

Triumphauit mense intercalario pridie Calend. Martias.) 461.B. COSS. belli Macedonici anni primi atque secundi, Idibus Martijs dicuntur inijsse magistratum: quod uerisimile est, & hic obseruatum. Recte ergo postea de L. Scipione dictum est, Triumphauit anno fere pòst, quàm consulatu abijt. Conuenit autem & hæc supputatio in annis cum Plinio, qui libro 33. cap. 11. hunc triumphasse ait anno ab Vrbe condita 565. Eo enim anno fuere COSS. M. Fuluius Nobilior, C. Manlius Volso, quoniam iam abituri magistratu.

Cistophori CCCXXXI. millia & septuaginta. 461.B. Budæus lib. 2. de Asse cistophorum legendum putat hoc in loco, etiamsi in præcedenti Aemylij triumpho, cistophori in nominandi casu legendum. Ex Festo autem idem colligit, quod paulò ante etiam admonuimus, denarium Romanum ad cistophorum habere rationem sesquiquartam, ut 5. ad 4. quarta enim parte superabat. Vt igitur denos denarios in coronatum supputamus, ita duodenos cum dimidio cistophoros. Budæus autem toto illo de Asse opere, quantum memini, de Philippæis nullũ habet uerbum, quod equidem miror. Est apud me Alexãdri illius magni Philippi filij aureus nummus, sed circuncisus, cum genio alato, & ab ea parte hac inscriptione, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΩΣ. quanuis in utroque nomine ultima terminatio uix legi queat. Ab altera parte ipsius Alexandri facies, cum galea sursum inclinata, & cristis in tergũ pendentibus, nullis insignita literis. Eum nummum olim d.d. nobis D. Erasmus Roterodamus parens ac præceptor noster, cum diui Traiani altero aureo numismate. Meminã eximium uirum D. D. Bonifacium Amerbacchium, præter iuris utriusque prudentiam, absolutum omnis eruditionis exemplar, mihi dicere, uidisse se Philippæum apud inclytum uirum D. Iacobum Sadoletum, episcopum Carpentoracti, ingens seculi huius ornamentum, quem ipse Sadoletus tribus ducatis, ut nunc uocant, æstimarit: quod uidetur uerisimile: nam eius ponderis propemodum est numisma meum. Videbatur enim (si quidem concisum non esset) tres æquare posse ducatos. Id etiam uero non absimile, filium neutiquam cedere patri magnificentia uoluisse, alio sane, atque nunc sunt quidam principes, ingenio. Nomen tamen his aureis à patre primum datum, mansit, ut hac quoque ætate seruari uidemus.

Vasorũ arg. (omnia cæl. erãt) mille põdo & CCCCXXIIII. aur. mil. pond. XXIIII.) 461.B. Plin. lib. 33. cap. 11. ita habet: Siquidem L. Scipio transtulit in triumpho argenti cælati pondo millia quadringenta L. & uasorũ aureorũ pondo C. millia. Hæc ille. Sed lector iudicet utrum ex altero emendandum putet locum. Ingens enim discrimen est C. millia, & mille pondo. Sed ex numerorum characteribus hæc omnia acciderunt, quod optimo iure in Plinij codice queritur Budæus. Non minus autem in alijs euenit authoribus, ut id nunc multis ostendimus locis. At in hunc librum satis ineptiuimus, nunc ad alia properamus.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM OCTAVVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.

PARS una Heracleam, altera Tetraphyliam.) 462.B. Hæc omnia nomina gentis uidentur esse Athamanum, nec ea temere apud alios inuenias authores. quanquam de Heraclea, cum sint tot eius nominis urbes, admonuisse oportuit. Plinius quidem meminit. Et Aetolorum etiam non longe abest, de qua libro sexto huius decados. Eam Romani ceperant diriperantque, nec usquam Philippo data memoratur. De Theio item ac Ethopia admonemus lectorem, ut uetusta exemplaria diligentius inspiciat.

Principes gentis ad tentandam ultimam spem Rom. mis.) 463.A. Priore libro denuntiation Aetolis ait Liuius: Si qua

inde

inde legatio ex Aetolis, nisi permissu imperatoris, qui eam prouinciam obtineret, & cum legato Rumano uenisset Romam, pro hostibus omnes futuros, ita dimissi Aetoli. Atqui hoc loco contrarium Liuius scribere uidetur.

Et Arethontem nauigabilem amnem.) 463. A. Ptolemaeus lib. 3. ac Plin. lib. 4. cap. 1. hunc fluuium Arachthum uocare uidentur: quanquam Ptolemaica pictura non ad muros, sed ad occasum aliquot stadijs summotum ostendit. Liuius etiam campum hic ponit. Sed si amnis urbem Ambraciam munit, ut hic ait Liuius, oportet hunc campum aliquantum ad septemtrionem intelligi: nam alioqui haec descriptio claudicabit. Epirotae enim ad occasum intelliguntur, C O S. in campo interluente flumine.

Quinque simul locis moenia est aggressus, tria par.) 463. B. Non absque causa mutatum est dicendi genus. Cum praemisisset ablatiuum, quinque locis, subiungit accusatiuum, tria, sed eodem intellecto participio aggressus: perinde atque dicat, tria quidem aggressus loca à campo, unum è regione Aesculapij, unum aduersus arcem, ita enim sunt quinque.

In arietes Tollenonibus libramenta plumbi.) 463. B. Quo pacto per tollenones libramenta plumbi iecerint in arietes, aut alia item quae enumerat, uix intelligo: etiamsi quid tollenonem dicat, non est obscurum, ex Vegetij lib. 4. Budaeus attigit paululum libro 3. de asse circa initium.

Adiunctis Achaorum quae partis erant, nauibus.) 464. A. Ita ferme habent, quae nos uidimus exemplaria: sed legendum puto Patris, pro partis. Patrae enim oppidum Achaeorũ ad sinũ Corinthiacum. Non est hoc neglectum in ultima Frobenij editione.

Suspenso furculis ab hostibus muro.) 464. A. Haec uerba in plerisque codicibus recentibus, & anteriore parte & posteriore distinctione munita leguntur, sed nihilominus obscuro manente sensu. Suspicor mendam subesse. Quidam pro furculis legunt fulturis, quod ego non intelligo.

Ab Asia Thoas & Dicaearchus, ab Europa Menestas & De.) 465. A. Quatuor hic enumerantur, quorum treis posuit lib. 5. non ita longe ab initio: Thoanta praetorem gentis Aetolorũ, fratrem autem eius Dicaearchum ad Antiochum missum, quanquam ad eundem eodem in lib. Liuius postea Thoanta missum dicit, atq; adeo Menippum regis legatum secum adduxisse, ut ibidẽ annotauimus. Porro Democritum ad Nabim Lacedaemoniorum tyrannũ iusse legatũ. Et praeter hos tres, Nicãdrũ ad Philippũ. Menestae, siue ut quidã scribunt, Menetae, nulla quod sciã uspiam mentio. Videat igitur lector, collatis locis, quid legendum cẽseat.

Dum pro argenteis decem unus ualeret.) 465. B. Multi de hoc numero dubitant, de uerbis etiam magis. At ego puto Liuium, neque per argenteos, denarios, neque per aureos, Romanos qui centum ualebant nummos, significare uoluisse, sed rationem auri ad argentũ, qua ratione Romani multũ lucrabãtur, quando analogia auri & argenti requireret in singulos aureos ut minimum XII. argenteos. Verũ haec non sunt huius negotij. Sequẽte statim uersu legendũ L. Quintio, nõ T. Quintio. Lucius enim cũ Domitio fit COS. anno 9. decados huius Titus autẽ III. cũ Aelio.

Transgressi Maeandrũ, Philerã, Comen perue.) 465. B. Ita emendarũt quidam, id quod antea erat, ad Comanen: uerum quo moti authore, nõdũ scire potui. Quidã Hieran Comẽ emẽdarũt.

Noueur. Apameae nomen inditum ab Apam. sorore Seleuci.) 465. B. Strabo lib. 12. non ita longe à fine ait, Antiochum Soteraex Celenis homines in Apamiam transtulisse, urbémq; appellasse de nomine matris Apamae, Artabazi filiae, quae Seleuco Nicatori nupta fuit. Liuius in his barbarorum nominibus non admodum sulicitus fuisse uidetur, aut forte alios secutus.

Inde ad Gordiuticos, quos uocant, processum est.) 466. A. Qui sint illi populi, fateor me ignorare: nam quod de Gordio ac Iulio gordio authores scribunt, nihil huc pertinere puto. Fortassis autem Orcaorcos legendum, quorum Strabo meminit libro 12. postquam de Pessinunte dixit. Quidam legunt Gordiutichos, quod tolerabilius, quanquam locus obscurus est. Item quod continuè subnectit, ad Tabas, idem Strabo in eodem libro Tabeas uocare uidetur, proximas Peltis. Rursus cum Liuius subiungit, quae uergit ad Pamphylium mare, id neutiquam intelligo. Et illud equites amphibolon, sitne nominatiui casus, an accusatiui.

Tertio inde die ad Chaum amnẽ peruentũ.) 466. A. Neq; Chaum, neq; Erisan, sed neq; Thabusion facile inuenias. Indus quoq; hoc loco fluuius, ni fallor, à Plin. Ninus dicitur lib. 5. cap. 28. Quod de Chao dicimus, idẽ postea de Muleo (quod quidã Syleũ uocãt) ac Alimne, sed Cibyrẽsis regionis sunt ad Maeandrũ.

A Cibyra per agros Idensium exercitus ductus.) 466. B. Quidam Sidensium emendarunt, sed Sida Pamphyliae maritimũ est oppidũ longe ab hoc tractu. Strabo lib. 12. inter Pisidiae urbes & Sindam nominat, & lib. 13 ad finem rursus eius meminit, ubi & Cibyrae & Cabalesiũ. Plin. lib. 5. cap. 27. Sindam ait esse in confinibus Galatiae atque Cappadociae, Calaurem amnẽ Caralitenque paludem haud scio an usquam legerim. Strabo lib. 12. Tattae paludis meminit in hoc tractu. At ego nihil definio.

Ad Manandrum manserunt, inde prog ab Lago.) 466. B. Ad Maeandrum legendum puto, reclamantibus omnibus exemplaribus: neque enim adhuc ab hoc flumine declinauit Manlius. Lagum urbem apud neminem inuenio. Quidam pro Maeandrum substituerunt Mandrupyum, quod ego nescio.

Inde ab Lysis flu. fonte, postero die ad Cobul.) 466. B. Ab Lyci fluminis fonte, legendum puto, cuius in hoc tractu omnes meminerunt: Cobulati autem, quod equidem sciam, nemo.

Telmenses eo tempore Isiodensium arcem urbe capta.) 466. B. Vtrunque nomen corruptum existimo. Telmissus per l in prima syllaba, & i in secunda (ut ante diximus) Lyciae est urbs: Termessus uerò per r in prima syllaba, ac e in secunda, Pisidiae. Cum igitur Pisidia supra Pamphyliam, ubi C O S. Manlius iam piscabatur, ego Thermessenses legendum puto. Sed pro Isiodensium, legam ex Plinio lib. 5 cap. 27. Hyrtensium.

Ad flumen Taurum primo die, postero ad Sile.) 466. B. Videtur Liuius hoc loco historiam ualde accidisse, taedio, ut puto, tot locorum in longinqua natione, at interim obscuritas in alijs mansit locis. Itinera enim diligenter perscripta locis, multum lucis adferunt: quod in Herodoto clarum est, & in C. Caesare. Tauri fluminis hoc tractu nemo, quod equidem sciam, meminit. Silenu come quae sit, aeque ignotum. Quidam Xylinen Comen emendarunt, quod nescio quàm probe.

Ad Cormasam urbem peruenit. Darsa prox. urbs.) 466. B. Cormasam Ptolemaeus in Pisidia ponit. Darsam nemo, quod sciam Derba & Perga uidentur ab hac piscatione nimis distãtes. Pro Lysione ego Lysinian ex Ptolemaeo legerem, quam quidam Lysinoen uocant.

Inde in agrum Agalassenum.) 466. B. In agrum Sagalassenum legendum puto, ut etiam quidam emendarunt. Sagalassus enim Pysidiae urbs, ut testatur Plin. lib. 5. cap. 27. & Strabo lib. 12. at ab Apamea itinere unius diei distare Ptolemaeus in Lycia ponit, longe ab hoc tractu.

Progressus inde ad Rotbrinos fonteis.) 466. B. Fortassis legendum ad Obrimae fonteis, ex Plin. lib. 5. cap. 29. Nam inter caetera flumina in Maeandrum labentia, & Obrimae Meminit. Rotbrinos fonteis nemo, quod sciam, memorat.

Postero die Dymas Phrygiae processit.) 466. B. Et quae praecedit urbs Metropolis, & quae sequitur Synada, aut potius Sinnada, in magna Phrygia à Ptolemaeo numerantur. Caeterum Dymas haud scio an uspiam reperias. Didymus mons non longe inde à Ptolemaeo locatur. Sed iudicet lector.

Ad Beudos, quod ueteres appellant, peruenit.) 466. B. Quidam libri Beudos legunt. Sed Ptolemaeus παλμὲρ βιῦδος uocat. Quanquam in Pisidis unnis ad meridiem huic itineri, ut Synadã unnis ad Septemtrionẽ. Antibura nusquam quod sciam, legitur. Anabura apud Strabonem lib. 12. inter Pisidarũ ciuitates numeratur ex Artemidoro. Quod autem subiungitur, ad Alexãdri fonteis, puto corruptũ, legendúmq; ad Maeandri fonteis. Denique Abassum quod sequitur oppidum, non puto facile reperiri.

Quia peruentum erat ad Tolistobogiorum fines.) 466. B. Galatas in Asia treis in populos diuisos, omnes ferè consentiunt. Atqui operaepretium est uidere, quam differentibus nominibus uarient. Tolistobogi & Tolistobogij reperias & in Graecis & Latinis. Quidam etiam, sed corrupte, per o in secunda syllaba. Codices quidam Ptolemaei corruptius Tolibosti legunt. Tectosages Plinius ac Strabo, si codices non fallunt, per g, & in

tertia

tertia declinatione ponunt, ut C. Cæsar lib. 6. Comment. Ptolemæus per c, & in prima, Liuius, nisi & eius codices errare quis dicat, in secunda: omnes tamen pluraliter. Eodem modo Trogmi Plinius per g, Ptolemæus per c, τρῶκμοι, uterque dissyllabon. In Strabonis codice uerò Trogini per g trisyllabon, & in multis Liuij codicibus Trocini per c etiam trisyllabon reperias, errore, ut puto, librariorum. In Græcis τωλιστόβιοι & τωλιστοβώγιοι ... καὶ τεκτόσαγες ... passim inuenias. Is error unde in codices uenerit, non est difficile coniectu. Idem differentiæ accidit in oppidis illorum. Nam quod Plinius ac Strabo Tauium Trocmorum oppidum per quintam uocalem, sed consonantem factum u uocant, in alijs per n Tanium legas. Et quod Strabo ταουΐου ὄντ& alij ταυιου corruperunt. Itaque de his omnibus cauere perdifficile est.

Cum Lomnorio ac Lutario regulis.) 466.B. Strabo Leonorium uocat. Lutarium etiam nomen esse Gallicum Cæsar libr. 7. satis indicat, quanquam in codicibus Cæsaris Luctarium legas.

Primo die ad Alandrum flumen, &c.) 467.B. Neque Alandrum flumen, neque Tyscon uicum usquam inuenio. Quòd uerò proximo uersu, legati Orondensium legitur, errore trium nominum accidit, ut opinor. Nam Plin. lib. 5. cap. 27. Oranda urbem in Pisidiæ montanis ponit. Sed idem lib. eodem, cap. ultimo, Oeandenses Galatiæ populum ponit: ergo hic absque dubio Oeandensium legendum. Tertium nomen est Oenoanda Cabaliæ oppidum, ut idem Plinius meminit libro eodem, cap. 27. Strabo libro 13. ad finem Oenoandrum uocat. Ex his igitur nominibus error ille facile nasci potuit.

Ad Plitendum. deinde ad Haliattos castra po.) 467.B. Hæc nomina corrupta esse, etiam ante nos quidam conquesti sunt: sed neque à nobis, neque ab illis restituta. Porrò de Axylo, haud scio an usquam meminerint authores, sicut nec de Euballo, quod quidam Cuballum legunt. Sed tam minuta uidentur neglectui meritò fuisse.

Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam flu.) 468. A. Sangarium Plin. lib. 6. cap. 1. in Phrygia oriri ait, Ptolemæus non longe à Didymo monte, Strabo apud Sangiam uicum. Gallum autem suscipere fluuium & Strabo & Plin. perhibent. Addit Plin. Tembrogium, Liuius Tymbram, quidam Tymbretum. Sed mendam puto in Liuio, sicut & hoc, cum in Propontidem illum se effundere ait, quod apud neminem authorem reperias, opinor.

Postero die ad Gordium peruenit.) 468. A. Gordium olim Galatiæ caput fuisse Plin. author est lib. 5. cap. ultimo. Strabo autem suo tempore in uicum redactum scribit. Apparet non longe à Pesinunte abfuisse. Cæterum quomodo tria maria pari ferme distantia interuallo habeat, ad Hellespontum, ad Synopen, & alterius oræ litora quà Cilices maritimi colunt, id in Ptolemæi pictura non apparet. Adijcit Strabo Cleonem quendam ex Gordio rursus urbem fecisse, & Iuliopolim appellasse. Plin. libro iam dicto ais Gordium Comen postea Iuliopolim dictam. Ptolemæus sane Iuliogordum ad Sipylum montem: duas autem Iuliopoles, alteram in Bithynia ad Sangarium, alteram in Phrygia magna Galatis finitimam ponit, ut planum non sit quid in his potissimũ sequendum. Quanquam de toto hoc COS. Manlij itinere non opus est usqueadeo esse solicitum quenquam, cum ille nec proxima iuerit, nec nomina constent, ut multis iam demonstrauimus locis.

Olympum montem petere.) 468.A. Nusquam in Galatis Olympum inuenias, neque eum facile credo fuisse, qui in Mysia est Propontidi imminens, ut Strabo ait lib. 12. etiamsi ea regio quæ ad Hellespontum est, Trocmis uectigalis fuerit. quare hoc nomen corruptum puto, maximè quòd paulò pòst COS. Ancyram uenisse dicatur tertijs castris. Ego plane Didymum, quem ita Ptolemæus uocat, describi existimo.

Diuersos Tectosagos alium montẽ qui Magaba dic. pe.) 468. A. Nec hic mons apud ullum, quod sciam, authorem inuenitur. Ego ex itinere descripto conijcio eum esse quem Ptole. Giganta uocat. quanquam apud eum codices uarient: quidam enim Olysanta, quidam Oliganta nominant: sed uariationem eam accidisse puto ex articulo Græco masculini generis, ὁ, deinde una aut altera immutata litera, ut nimis sæpe usu uenisse uidemus.

Et Tralli Thraces.) 468.B. Ego Triballi legendum existimo, quos Ptolem. in inferiori ponit Mysia, Thracibus uicinos. Tralles autem ad Mæandrum fluuium non ita longe à Sardibus idem collocat, quod in superioribus iam sæpe admonuimus. Nisi quis existimet & in Asia quoque Triballos habitasse, ut Tralles ac Mysos, quod tamen absque authore nõ facile dixerim.

COS. tertijs castris Angyram nobilem in.) 469. B. Ancyram omnes alij uocant, sed hoc fecit mutarum cognatio γ & κ. Valerius autem Maximus lib. 6. cap. 1. hunc Orisgontem, si codices non errant, uocat Orgiagontem, ubi eandem recenset historiam.

Et ne eam quidem, ut amans, gratuito, certo au. pon. pact.) 469.B. Et ne eam spem gratuito, ut amans, fecit, sed certo auri, inquit pondere pactus. Ideóque alij hæc non rectè emendarunt ad hunc modum: Et ne eam quidem ut gratuitam amans. Eam enim, spem refert, non mulierem.

Aliáque (ut traditur) & sanctitate, & integr.) 470. A. Illud alia, meo quidem iudicio, corruptum est: quanquam aliquo pacto intelligitur, si cum sanctitate connectas: unde Et coniunctionem quidam sustulerunt, sed non satis fit cordati lectoris animo. quapropter exemplaria uetusta diligentius inspicienda.

Et Morzi auxiliares.) 470.B. Pusillum quidem hoc, tamen consideratione non indignum uisum, sitne Morzi, reguli nomen potius, quàm populi: mihi reguli uidetur, ut Ariarathus.

Substructionem super æquimelium in Capit.) 471. A. Ad quid illa substructio, & quo pacto facta super æquimelium, uix à quoquam intelligi puto: cum alioqui, quid sit substructio, ex Vitruuij libro primo satis sit clarum. De æquimelio item ex libro quarto Liuij ab Vrbe condita. Suspicor itaque, ut quod sentio, ingenue fatear, hunc locum mutilum.

Vicenos autem Cranonij, & Phalenses, & Samei deder.) 471.A. Quidam Granonij & Samij emendarunt. Scholiastes uerò in Thucydidis librum secundum, σάμι& (inquit) ὁ ἀπὸ σάμου, σαμαῖος ὁ ἀπὸ σάμης. Ipse autem Thucydides, κεῖται δ' (inquit) ἡ κεφαλληνία κατὰ ἀκαρνανίαν καὶ λευκάδα, τετράπολις οὖσα, παλῆς, κράνιοι, σαμαῖοι, προνναῖοι, id est, Sita autẽ est Cephallenia ad Acarnaniam & Leucadem, cui quatuor sunt ciuitates, Pallenses, Cranij, Samæi, Pronnæi. Quare perperam hi Liuij codicẽ emẽdarũt, legendumque, Vicenos autẽ Cranij, & Pallẽses, & Samæi dederũt. Nisi forsitan quis putet hæc ne Liuio quidẽ admodum nota fuisse, quod mihi tamen nõ fit uerisimile. Pro Pronnæis quidam ante Cranios posuerunt Nesiotæ, atque ita legunt: Vicenos Nesiotæ, Cranonij, Pallenses & Samæi dederunt.

Sed triplex scutale crebris futuris duratum.) 471. A. Quidam triplicis Scytales legunt, & ad duratum referunt telũ quod præcessit. Tolerabilius esset si triplex scytale legeretur, sed durata oportebat sequi. Alij putant scutale in neutro prolatum genere. Ego puto Liuium describere lancem cui imponitur lapis ad quam lora dependent. Cæterum quod mox sequitur, Coronas modici circuli magno ex interuallo loci assueti traijcere: nisi expressus sit iacientis & gestus, & ad scopum certitudo, ego quid sibi ea uerba uelint, haud assequor.

Nocte adorti uicum maritimum nomine Lamin.) 471.B. Huiusmodi uicum nemo, quod equidem sciam nominat in Laconica: suspicor legendum, nomine Laan, siue contractum, Lân, tribus à Gytheo stadijs distans oppido, ut author est Pausanias lib. 3. Meminit & Strabo lib. 8. Item alij, ut Ptolemæus.

Et ager Belbinatis.) 472.B. Huius agri mentio, ni fallor, est apud Strabonem lib. 8. ac 9. Opinor autẽ insulæ eius quæ Salamini proxima. quanquam quibusdam haud immerito dubium uideri potest, quomodo tanto à Lacedæmone spatio agrum eum tyranni possidere potuerint. Deinde quod Liuius subnectit, eidem ciuitati, de Megalopoli intelligo. Belbinam insulam Plin. lib. 4. cap. 12. ait esse contra Trœzeniam.

Cui per octingentos annos asseuerant.) 472.B. In Chronicis Eusebij inuenies septingentos annos, aut 690. Tu uide quid legendum.

COS. dedisse inscriptum est.) 472.B. Nec COS. nomen expreßit, nec annum: itaque hoc totum dubium.

Quina dena mil. ped. imperarent, & mille ducentos equi.) 473.A

473.A. Si priore loco distributius sunt nomina in peditibus, erunt & in equitibus. Sed ego X V. millia peditum libentius legam sine distributione, Item paulò post: Vt terna millia peditum, ducentos equites: lego ducenos equites.

Cum IIII. millibus militum Oronda.) 473.B. Oronda Pysidiæ urbs, ut paulò ante ex Plinio ostendimus. Hic autem genere neutro ac pluratiuo profert numero, ut in sequentibus rursus. In Plinio certum uideri non potest cuius sit generis. Nam sæpe ita ponuntur neutra, ut Patara. Quidam etiam Oroanda scribunt.

Cis Taurum montem usque ad Tanaim amnem.) 473.B. Tanais amnis in his locis nemo, quod sciam, meminit. De Tanai autem Asiæ ac Europæ termino intelligere, absurdum. Vide sit ne legendum Lalaßim amnem, cuius Plinius mentionem facit libro quinto, cap. 27. ubi de gente Isaurica. Nisi quis de Mela antiquo fine Ciliciæ, ut eodem loco notat idem, intelligere malit, aut Cataracten Pamphyliæ amnem.

Neue minorem ex belli causa, quod ipse illatu. erit.) 473.B. Qui monerem, pro minorem, hoc loco legunt, bene legunt. Sed quod statim subiungitur, citra Calicandrum, legendum, Calycadnum, ex Plinio, Ptolemæo, ac Strabone, quanquam in Ptolemæi plerisque codicibus Calydnus legitur. Fluuius est Ciliciæ. Sarpedonem item legendum, non Sarpedonium, ex iisdem authoribus.

Argenti probi XII. millia Attica talenta dato.) 474. A. Priore libro, ubi Antiocho pacis conditiones à Scipione dicuntur XV. millia talentûm Euboicorum nominantur. Erant autem iam tria millia persoluta: quæ igitur restant, sunt XII. millia talentûm. Sed cum hic nunc Attica, atq; ea octogenarium librarum postulantur, ubi antea Euboica. Euboica autem sunt quinquagenarum septenarum librarum cum singulis trientibus fere, ut Budæus supputat. Ingens igitur hic esset accesßio. Itaque uel Euboicum talentum maius fuit, aut Liuius duobus his locis diuersos secutus uidetur authores: nam lapsu hoc factum non uidetur uerisimile. Sed neque placet quod quidam excusant decem legatos auxisse summam. Budæus hæc uerba Liuij inuersa esse recte scribit ipsu: nemo enim Latine dixerit, millia talenta. Quare ipse legendum putat, argenti probi Attica talenta XII. millia, uel Atticûm talentûm.

Et Lysimacho Acarnane & Chalcidensibus Eubulo.) 474. A. Mnasymacho legendum, & Eubulo, ut superiore libro à Scipione petuntur. De his tamen duobus Chalcidensibus dubito. Nã lib. 5. huius decad. ubi Chalcis ab Aetolis tentatur, Euthymidas princeps ac exul, & Herodorus mercator similiter exul nominantur, non Eubulus, non Philon. Verum id iudicet lector.

Et Iliensibus Rhœteum & Gergithum addiderunt.) 474. A. Qui pro Gergithio, Gargarum legendum existimarunt, errant. Strabonis Græcus codex quem Aldus exhibuit, Gergethũ per η in medio identidem habet, cum Herodotus per ι scribat. Interpres Strabonis uidetur melius habuisse exemplar, quàm sit Aldinum, per ι enim scribit, ut Herodotus. Facit etiam nonnihil ad hunc errorem uulgi abusus, qui ι & η eodem pronuntiant sono. Paulò pòst etiam Phocæensibus legendum, ut sit à Phocæa Aeolidis urbe adiectiuum φωκαεὺς. Nihil enim hic de Phocide Græciæ regione.

Et Lycaoniam & Mytiadem & Lydiam.) 474. B. Antonius Sabellicus hoc loco pro Mytiadem putat reponendum Mysiam, cum Liuius priore uersu Mysiam post duas Phrygias numerarit. Ego Miliada restituendum censeo, cuius in Pamphylia multi meminerunt authores. Præterea Telmissum hic Lyciæ urbem designari, non Termessum Pamphyliæ, quod Strabo lib. 13. de Eumene fatetur, ubi de Lyciæ urbibus.

Quia pars eius citra, pars eius ultra Taurum est.) 474. B. Vix definire queas, qui huius diuisionis termini fuerint, ita superius Tanaim flumen nominauit, cum cis Taurum ditionem definire uellet. Hic ipsam Pamphyliam in duas diuidit partes, idque per Taurum montem. Cæterum si idem mons Chelidonio promontorio determinatur, ut Plinius inquit lib. 5. cap. 27. aut potius Tauri initiũ montes dicuntur, qui supra Chelidonias insulas sunt in Pamphyliæ ac Lyciæ cõfinibus, ut Strabo asseuerat lib. 14. nõ uideo quomodo Ptolemæi pictura, uel ipsi authores iam citati, cum Liuij hac descriptione conueniant. Mihi sane in codice Liuij multa suspecta: sed iudicent doctiores.

Inde postero die ad Cypselas peruenit.) 474. B. Hic genere fœminino Cypselas quidam legunt, cum libro primo huius decados Cypsela neutro genere dixerit. Strabo libro septimo Cypselon uocat singulari numero. Est autem locus inter Hebrum ac Melana Thraciæ flumina.

Astij, & Ceni, & Maduateni, & Coreli.) 474. B. Astios puto, à quibus apud Ptolemæum ἀστικὴ præfectura, ut à Cænis καινική. Plinius Cænicos uocat eos populos lib. 4. cap. 11. Corelos non sane reperio. Ptolemæus κοιλητικὴν uocat præturam. Item Plinius dicto loco Celetas. Ex his lector dispiciat quid restituendum. De Maduatenis nihil inuenio.

Circa templum Mendidium castra loco aperto.) 475. A. Vendidium habebant quidam codices. Vnde quidam Bendidium emendarunt, sed non placet. Nam Mendidia inter multa alia Thracum sacra Strabo numerat libro 10.

Aliæ angustiæ circa Timpira excipiunt.) 475. A. Herodotus lib. 7. Strymam oppidum hoc tractu ponit. Timpira quid sit, non reperio. Quidam Tempyra legunt, quod mihi æque ignotum.

Trausi gens & ipsa Thracum.) 475. A. Idem Herodotus lib. 5. ab initio Trausos uocat, apud alios authores rara illorum mentio. Quidam codices Transi per ν legunt, sed perperam. Apud Herodotum etiam per τ primã, non θ scribitur.

Priaticus campus eos excepit.) 475. A. Priatici qui sint, nusquam inuenio. Cæterum Herodotus lib. 7. ubi Xerxis à Dorisco iter describit, hoc in loco Briantic æ regionis meminit. Plin. etiam libro 4. cap. 11. Priantarum, uariatio in p & b, haud magno discrimine. At litera ν omitti non debuit.

Ab statiuis dies una Apollonia fuit.) 475. A. Hanc urbem author noster, ut ex descriptione liquet, inter Maroneã ac Abderam ponit. At Plinius loco iam dicto inter Strymonem ac Oesymam memorat. Est autem longe alia ab ea quæ sequitur paulò post ad Ionium mare.

Donec in Macedoniam peruenerunt.) 475. A. Ptolemæus Macedoniam longius ad septentrionem extendit, quàm alij authores: quod antea etiam alicubi admonuimus. Itaque Neapolis quæ Ptolemæo est in Macedonia, Liuio & Plinio est in Thracia.

Sed ego in ea ciuitate, quæ ideo omnibus rebus.) 477. B. Alij legunt, sed si ego, quod uetusti codices non habent. Sequitur enim statim post, si nollem, si graue ac superbum existimarẽ, &c. Nisi quis repetitam coniunctionem si, putet ob longum quod interpositum erat Hyperbaton, quod mihi non probatur.

Aut nobis uideri uelint hostem.) 478. A. Vobis haud dubie legendum, non nobis. Est autem syllogismus ἀντιστρέφων, tanquam si Manlij aduersarij obiecissent: Si hostis fuit terribilis, temere cum eo congressus es: sin fuit effœminatus, non meruisti triumphum. Ille contrà obiectionem hanc in eos conuertit: Si hostis fuit terribilis, merui triumphum: sin effœminatus ac emollitus, non temere eos inuasi. Nota etiam id genus locutionis, detrectare uirtutes, pro laudi detrahere.

Tribunus plebis eo tempore T. Sempronius Gracchus erat.) 479. A. Aulus Gellius lib. 7. cap. 19. hæc ita recitat perinde atque P. Scipio pro fratre Lucio hæc egisset, quæ hic Gracchus pro P. Scipione egisse narratur. Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. tanquam Gracchus pro Lucio, non Publio, hæc egerit, narrat. Liuius paulò pòst omnium narrat opiniones.

Nec præbita est materia ingenio quo ad primũ cõs.) 479. B. Verba hæc in plerisque codicibus asterisco notata sunt, quia sunt oppidò obscura. at in ultima Frobenij editione ex ueteribus codicibus recte emẽdata. Priore quidẽ cõsulatu magis in Africã apparauit exercitũ, quã res ullas gesserit: secundo Italiam nunquam egressus est. Ergo prima uitæ pars memorabilior quã postrema.

In L. Scipione malim equidem librarij mendum.) 480. A. Hoc ego ita intelligo, ut Liuius dicat legi debere apud Antiatem, Scipionem sex millia pondo argenti, & quadringenta octoginta auri plus accepisse, quàm in ærarium retulerit. Quæ deinde ita Liuius comparat, ut sex millia põdo auri, & quadringenta octoginta argenti, ut librarij corruperant Liuij opinionem, æquent

ducenties quadragies H-S. Rursus sex millia pôdo (ut Liuium uult apud Antiatem legi debere) argenti, & quadringenta octoginta auri, æquent quadragies H-S. quæ ratio non admodum differt à Budæi supputatione. Ostendit autem aurum eo tempore non tanta in æstimatione fuisse Romæ, ut posterioribus inde annis: quod etiam ipse Budæus multis locis asseuerat. Cæterũ huius historiæ Gellius meminit lib. 4. cap. 18. & Valerius Maximus lib. 3. ca. 7.

Senatum eo die forte cœnantem in Cap. consurre.) 480. B. Cui assurrexerit senatus, ambiguum, Gracchô ne tam bene merito de republica, an P. Scipioni, qui cum statim uerba finit. Atmyliæ item responsio, nisi eam Graccho uel affinem, uel ualde fauentem intelligamus, quid sibi uelit, non plane capio.

Hanc regionem dierum plus triginta in longi.) 485. A. Viginti legendum, pro triginta, ut sit dupla ratio longitudinis ad latitudinem: quanquam ne hoc quidem uerum est. Siquidem Herodotus Asiæ huius latitudinem à Cilicio mari ad Pontum Euxinum, quinque dierum iter expedito facit, libris primo ac secundo. Verum P. Scipio Nasic. hic omnia exaggerat.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM NONVM,

HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



TRANSLATVM deinde ad Apuanos Ligures) 482. A. Apua oppidum est ad fontes Macræ fluuij, ut quidam dicunt, ex fragmento Catonis de originibus, quibus quantum credere debeamus, iudicent alij. Certe Sempronius COS. posterioribus annis Apuanos Ligures uicisse dicitur, ubi etiam ad Macram habitatio eorum refertur. Frisinates autem Ligures, deinde montes Auginum, Ballistam atque Suismontium, non temere reperias apud authores: quod ideo admonemus, ut uetustiora eo diligentius inspiciantur exemplaria.

Fuluium temporis iacturam facere.) 482. B. Verba sunt adhuc Aburij tribuni pleb. At illud, Marcus Fuluius, ἀνακόλουθον positum uidetur: intelligitur enim uel contradicebat, uel quid simile. Nisi quis locum corruptum putet, cuius gratia & nos locum notauimus.

Dum ne summam octoginta millia excederet.) 483. A. Quidam admonuerunt octoginta legendum, non octingenta, & recte. Sed quare hoc ita, cum nihil adijceretur, dicere non potuere. At ego H-S. intelligo aut nummũm. Nam æris si intelligamus, uidetur nimis parua summa, pro ea quam Fuluius paratus erat in eam rem expendere. Quanquam libro decimo huius decados, M. Aemylio Lepido Censori & pontifici maximo in ludos non amplius decretum, quàm uiginti millia æris, quæ summa quadruplo minor est octoginta millibus æris, quare cum nemine ea de re pugnauero, quicquid adijciatur.

Inde primum lectos æratos, uestem stragul.) 483. B. Vide ut acceperit lectum, cum ait, lectos æratos. Nam uestis stragulæ etiam mentio libro quarto huius decados in oratione Catonis.

In triumpho tulit Cn. Manlius Cor. au. CCII.) 483. B. Quidam codices X. habent pro XII. Cæterum hic numerus librarum est, non coronarum, sicut superius in M. Fuluij triumpho, aureæ coronæ CXII. pondo.

Stipendium collatum à populo in publicum, quod eius.) 483. B. De quo stipendio loquatur non est certum. Nam qui secundo Punico bello in publicum dederant pecuniam, ijs tertia ac ultima pensio soluta fuit, libro 3. huius decados: deinde uicenos quinos & semisses in millia æris datos: intelligo asses, ut exceptis semissibus sit usura semiquincunciaria, quam nunc uulgus iurisperitorum ex semisse uocat, cum usura ex semisse in mille essent sexaginta. Sed hæc alterius sunt negotij.

Et ex duabus Hispanijs cum literis C. Attinij, & C. Manlij.) 483. B. Superiore libro, COSS. M. Valerio Messala, C. Liuio Salinatore, anno uerò ab Vrbe condita 566. leguntur horum prætorum nomina, C. Catinius, & L. Manlius. Hic Manlius ad finem huius libri triumuir creatur cum Nasica & Flaminio, ad coloniam Aquileiam deducendam.

Malus in circo instabilis in signum Pollentiæ.) 483. B. Cuius rei ille malus fuerit, explicatum uellem. Tum Pollentia qualis fuerit Dea. Festus Potentiam interpretatur, quæ merito Romæ, si usquam alibi, templum habere debuit.

Via una corruptelæ Bacchanalia erant.) 484. A. Ita habebant plerique codices, ut corruptelæ singularis esset numeri. Alij pro nominatiuo Bacchanalia, genitiuũ substituerunt, ut corruptelæ pluralis sit numeri, hoc sensu: Corruptelæ Bacchanaliũ erant una uia ad corrumpendum pupillum. Sed utrunque intelligitur. At magis de hac quæ mox sequitur locutione dubito quid sibi uelit, Bacchis eum se initiaturam. & rursus toties post, Bacchis initiari uelle. de qua iudicet lector.

Vt Hispalam itidem ex Auentino libertinam.) 484. B. Pro itidem quidam reposuerunt identidem, quod mihi displicet. Veteres sane codices itidem habent, & significatio magis hic congruit, & uerbum ipsum apud hunc authorem frequens est.

Datam operam esse ut primo quoq; tempore compre.) 486. B. Ita habent uetustiores codices quidam, in alijs tamen asterisco notata. Quidam emendarunt, data opera est. Quod si ex uetusto codice fecerunt, perplacet. Sin, quæ nunc plerique omnia audent, propria temeritate, male est precandum. ingentem enim fenestram aperiunt ad audacter corrumpendos authores, cum alioqui diligentius inspecta fuissent uetera exemplaria.

Qui stupris ac cædibus uiolati erant.) 486. B. Videat id uerbi uiolati, acceptat, quasi dicas inquinati, et qui alios uiolarint: nisi quis corruptum putet locum. Sed sunt talia etiam apud Salustium.

Extra quam sicubi uetusta ara.) 486. B. Quidam emendarunt hunc locum, pro sicubi, ponentes si qua ibi: quod mihi quidem placeret, si ubi, non ibi reposuissent, quanquam cum nemine ea de re contendero.

Cum Lusitanis in agro Hastensi sig. coll. pug.) 487. A. Ita plerique habent codices, sed hoc alij emendarunt. Astam enim absque aspiratione Ptolemæus in Bætica ponit, ut & alij, quò Lusitani facile peruenire poterant. At in Lusitanis nemo ponit neq; Astam neque Hastam.

Cum Celtiberis acie conflixit.) 487. B. Hic locus ostendit Celtiberos in citeriore Hispania esse, qui tamen sunt trans Iberũ: nisi quis dicat eos Iberum transgressos in Romanorum citeriorẽ prouinciam. Atqui de citerioris ulterioris'q; Hispaniæ ueris terminis uix certum est definire. Annixus est hoc Plinius lib. 3. cap. 1. sed obscure admodum. Imò paulò pôst cap. 3. fatetur ueterem citerioris formam mutatam. Primum quidem, meo iudicio, amnis Iberus fuit limen utriusque prouinciæ: at posterioribus deinde annis multum adiectum fuit citeriori.

Galli transalpini transgreßi in Venetiam.) 487. B. In Venetiam dicit, quod authores in Venetos frequentius dicunt: nisi quis locum corruptum putet, quod ego tamen non existimo.

Postero die prætores facti P. Cornelius Cethegus.) 487. B. Hoc Cethegus nuper est additum. Sed & anno sequẽti P. Cornelius Cethegus fit prætor: quare hoc mihi suspectum, ut multa alia hoc loco, maximeque quòd prætorum sors omissa est hoc anno, & prouinciarum ordinatio, præter huius decados & morem & consuetudinem.

Perrhæbiꝫ connocondylum.) 488. B. Neque hoc oppidum

dum, nec quæ sequũtur, Malleam, Certinum, Meneleida, Petrã, Xinias ac Paracheloida, facile reperias. Citinium oppidum Doridos nihil ad hunc locum. Xiniarum etiam lib. 2. huius decados mentio, non item apud alios.

Direxisse finem Philippo ueterem uiam regiam, quæ ad Thraciæ Paroreiam subeat.) 489. B. In nona Frobenij editione bene habent hæc loca. Cæterum Paroreı qui sint, non admodum cõstat. Plinius tamen lib. 4. cap. 10. ubi de Axio: Ab hoc (inquit) amne Pæoniæ gentes Paroreı, Heordenses, Almopij &c. Quidam codices Pliniani Parocei habebant. Videri etiam potest appellatiuum nomen Paroreı, quasi dicas montibus uicini. quod intelligitur quidem, obscurum tamen est.

Tulit coronas aureas quinquaginta duas, auri præterea pondo.) 490. A. Initio huius libri duorum imperatorum, M. Fuluij & Cn. Manlij triumphi memorantur: in quibus numerus non est ipsarum coronarum, quot numero eæ fuerint, sed potius pondo, quot in uniuersum eæ coronæ habuerint auri libras: etiãsi in Fuluij triumpho post eum numerum, & post argenti pondo, auri quoque pondo subijciuntur. In Cn. Manlij triumpho post coronarum pondo, nulla deinde auri pondo numerantur. At hoc in Triumpho L. Manlij, coronarum est numerus, non pondo, nisi codex erret. Deinde auri ac argenti numerus subiectus est. Hæc à nobis notata sunt, ut lectori suum sit iudicium. Neque enim ego eam rem ualde urgeo, sed exemplaria uetusta conspicienda sunt.

Haud procul Hippone & Toleto urbibus.) 490. A. Nemo, quod sciam, in Carpetanis Hipponis meminit. Quidam codices Dippone habuerunt, unde Hippone factum. Ptolemæus Carpetanorum Liboram & Hispinon numerat. Tu uide quid sequaris.

In Liguribus Ingaunis.) 491. A. Strabo Albigaunum Ingaunorum oppidum nominat, similiter & Ptolemæus: quanquam plerique eius codices habent Albitaunum, facile permutatione γ in τ.

C. Decimus Flaccus, P. Sempronius Longus, P. Cor. Ceth.) 491. A. Hunc Decimum, alij Decimium, & Flauium, quinetiam Flauum cognominant. Hoc autem mirum quo pacto P. Cornelius Cethegus hic rursus sit factus prætor, cum priore anno fuerat. Sed hoc antea admonuimus.

His Clitoræ in Arcadia datum est concilium.) 492. A. Κλείτωρ est apud Strabonem lib. 8. ad finem. Nomen fuit Arcadis nepotis, à quo & oppidum nomen accepit, authore Pausania lib. 8. Et uide si ab accusatiuo Græco κλείτορα, factus sit nominatiuus fœmininus Clitora, unde hic genitiuus Clitoræ, quod sæpe Latini fecisse uidentur. quanquam sunt qui absque diphthongo in ablatiuo Clitore legendum putant, ut Carthagine.

Specie, inquis, æquum est fœdus apud Achæos.) 493. A. Ibi quidam distinguunt post Achæos. Ego post fœdus distinguendum puto. Cæterum quid argutiæ habeant hæc uerba, Sentio Appi, & si non oportet, non indignor, lector dispiciat.

Scripseritque nonagesimo anno.) 494. A. Cicero in Lælio, mentionem faciens dialogi de Senectute, sub persona Lælij ita ait: ut memini Catonem uno anno antequam mortuus est, mecum & cum Scipione disserere. Porro ille annus eodem authore erat COSS. L. Quintio Flaminio, M. Acilio Balbo, nostra supputatione ab Vrbe cond. 604. quo tempore Cato annum quartum ac octogesimum agebat, ut apud eundem ipse Cato in eodem de Senectute dialogo fatetur, paulò pòst ubi de Nestore. Quapropter si posteriore anno mortuus est, ut Lælius affirmat, nõ excessit quintum ac octogesimum annum, cum hic nonagesimo anno scripsisse memoretur. Sed diuersum authores tradidisse apparet. Quod si ullus in his numeris suspectus est, in Lælio uidetur emendandus, legendumque aut sexto aut septimo anno antequam mortuus est, quanquam lectoris iudicio hæc committo: nobis ideo annotata, ut occasionem studiosis daremus & emendandi authores, & iudicandi diligentius. Nec hoc quoque planum est, quo Catonis anno Liuius uoluerit Sergium Galbam (qui Seruius Sulpitius Galba uere nominabatur) ab ipso Catone in iudicium ductum: nisi quis distinguat post scripseritque, & nonagesimo anno referat ad sequentia. Vide Florum lib. 49. ac confer tempora, uidebisque non omnino friuolam hanc nostram dubitationem.

Coierant apud prætorem L. Flaccum qui collega.) 494. A. L. Valerius Flaccus Catonis in consulatu collega, hoc anno non fuit prætor, neque uidetur alicui subrogatus. Itaque lego, apud competitorem L. Flaccum. Quidam locum ita emendarunt Consenseràntque præter L. Flaccum.

Coronas aureas tulit LXXIII. & XII. pon. argenti.) 494. B. Paulò ante testati sumus hos ac similes locos nobis suspectos esse. Nam nimis nudus hic est triumphus, & Crispini etiã nullo sensu. Tantundem, inquit, auri, quantum argenti in eo triũpho translatum: at quantum auri, hoc enimuero omissum est, quod & in alijs accidisse mihi fit uerisimile. Quidam pro LXXIII. legunt LXXXIII. & XII. M. pondo. Item, tantundem auri atque argenti, ut Crispini summa referatur ad Calpurnij, quæ præcedit, summam.

Et fabulæ tantum sine authore editæ credidit.) 494. B. Si Valerius fabulæ credidit, certè Cicero quoque in Catone fabulam narrat, quippe qui eandem eius rei gestæ adfert causam. Hoc etiam obiter notandum, cum ante septennium L. Flaminius COS. sine proximo deinde anno procos hoc in Gallia facinus cõmiserit, cur illis tum Censoribus non fuit notatus? Titus enim frater biennio pòst factus est Censor, ut non uideatur quibusdam locum habere ea apud Ciceronem ratio in Catone ubi ita inquit: Tunc hic Tito fratre suo Censore, qui proximus fuerat, elapsus est. Mihi uerò & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa & tam perdita libido &c. Sed sciendum hoc exemplum esse, Censores maxime inito iam magistratu nouo senatum legere cõsuesse: ideòque Flaminium non statim ut magistratu abijt, è senatu pulsum, sed ad hoc usque tempus impune illi fuisse. quare Ciceronis ratio bene procedit.

Et his rebus omnibus terni in millia æris.) 495. A. Hoc obscurum est. Non ita longe ab initio huius libri, uiceni quini & semisses in millia æris à quæstoribus soluti referuntur. Quanquam haud scio sintne hi loci comparandi: nam à me in hoc citantur, ut si quid lectorem iuuare queant, occasionem neglexisse non arguamur.

Molem ad Neptunias aquas.) 495. A. Quæ sint illæ Neptuniæ aquæ, certo scire non potui: sed puto locum ad mare Lentinum, ut & Pormianus ille mons. At quæ Cato atria in latomijs emit, ea in urbe aut prope fuisse existimo. Verba autem de uectigalibus locatis, & à senatu obliteratis (nam hoc sonat uerbum induci) indigent etiam attento lectore, utinámque omnia bene habeant.

Iidem triumuiri Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fuluius.) 495. A. Neque hoc scire possum cur dicat, ijdem triumuiri, cum nusquam antea, quod sciam, horum triumuirorum sit mentio. quanquam alios quidem magistratus gesserint.

Id eos ut prohiberet, quoad eius sine bello posset.) 495. A. Notandum etiam hoc locutionis genus: omnia sane, quæ nos uidimus, ita habent exemplaria.

Et Messene desciuerat à concilio Achaico.) 496. A. Quidam mutarunt, Messenij desciuerant: sed non erat opus, cum post Philopœmenis mortem Liuius de multitudine Messeniorum ita quoque loquatur: Victa namque (inquit) Messene bello, exposcentibus Achæis dedit noxios. Ego tam temere non mutarim authorum uerba absque uetusto exemplari.

Ad præoccupandam Coroneam.) 496. A. Strabo libro 8. & Pausanias lib. 4. ad Pamisum amnem Coronem Messeniæ ponunt. Coronea uero Bœotiæ est oppidum ad Heliconem montem, ut idem Strabo lib. 9. testatur. Meminere & Plinius & Ptolemæus utriusque oppidi. Cæterum ex Strabone lib. 9. colligitur, à Coronea Coroneus tetrasyllabon dici, à Corone uero Coroneus trisyllabon: tametsi Plinius Coroneum sinum uocat, eum qui ad Coronem Messeniæ est. Ego Liuium hoc loco Coronem scripsisse puto, non Coroneam. nisi quis eius rei differentiam parum eum curasse putet.

Ego neque his, neque Valerio assentior.) 497. A. Qua in re Valerio Antiati (nam de hoc haud dubie loquitur) non assentiatur, comminisci non possum. Nam quod de tribuno Næuio subiungit, nihil ad Antiatem, qui duos Petilios P. Scipioni diem dixisse scribit, non M. Næuium, ut ipse Liuius superiore libro fatetur. Ad rationem autem, contra Polybium atque Rutilium,

obijci fortaßis poterat, Scipionis exilium, quod ipse sibi, non patres fecerat, in causa esse potuisse ut L. Valerius princeps senatus crearetur, nulla Scipionis nota. Magis me mouet Ciceronis authoritas, apud quē Cato ita de Scipione Africano loquitur: Anno ante me Censorem mortuus est, nouem annis post meum consulatum, cum C O S. iterum, me C O S. creatus esset. Hæc ille. Fuit autem hic annus tertius ante hunc quo Hannibal mortuus dicitur. Obiter etiam hoc loco notandum, quòd paulò pòst hic ait Liuius, tribunos pleb. tribus mensibus ante C O S S. inijsse magistratum: quanquam haud scio an perpetuo obseruatum.

Exercitum in Odrysas & Denteleccos & Bessos du.) 497. B. Quidam Dentelochos emendarunt. Apud Plin. lib. 4. cap. 11. tum Denseletæ, tum Denteletæ in codicibus uetustioribus legas, ubi & Bessorum meminit. Ptolemæus uero inter Thraciæ præturas & Dantheleticen & Beßicen enumerat. Strabo item lib. 7. Danthelotas uocat & Bessos: itaque hoc & Græcis & Latinis uariatum est codicibus: quare quid sequendū, lector ipse dispiciat. Philippopolim uero antea Trimontium dictam, & Plinius & Ptolemæus perhibent. Plinius etiam Poneropolim olim, Ptolemæus Hadrianopolim suo tempore.

Oppidum in Derriopo condere instituit.) 497. B. Derriopus nomen loci apud Strabonem lib. 7. prope Lyncistas (ut ipse uocat) & Pelagones. Derriopum nusquā inuenio. Thucydides lib. 2. Doberum Pæoniæ facit oppidum, quod Ptolemæi codices inuersis literis uocant Deborum. Stobos autem Pelagonum oppidum Ptolemæus facit, non ita prope Pæonas. Quanquam ex Liuij uerbis non plane constat, duásne urbes condere instituerit Philippus, an unam duntaxat, ut continuata sit lectio, distinctionibus, non colis intercisa. quod uidetur uerisimile. Et hic lectoris esto iudicium.

Et Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletra.) 498. A. Ptolemæus (si codices non errant) Saturnianam coloniam uocat, ut puto, in Thuscia, ubi & Plinius Saturninos populos ponit, agrúmque Caletranum. Sed nihil mutem.

Eodem anno A. Terentius proprætor.) 498. A. Quidam etiam libri procos. habebant, sed non placet. Quidam libri etiam C. non A. habebant, & hic & in superioribus, sed neque hoc placet: nam sequentis anni prætor Terentius id prænominis habet.

.Citerior Hispania in pace fuit eo anno.) 498. A. Vlterior legendum, non citerior, ut tertio antea anno in prætorum sorte liquere potest, & sequenti item statim libro duobus locis.

P. Aemylius iterum.) 498. A. Ita habebant quidam uetustiores codices, sed errant, quòd initio libri statim sequentis patet. Quanquam in prioribus neque P. Aemylium, neque P. Manlium inter prætores inuenio, Lucios utrunque. Certe anno XIII. huius deca. M. Valerio Messala, & C. Liuio Salinatore COSS. prætor Hispaniæ citerioris dicitur L. Manlius Acidinus, tametsi rursus anno XV. huius decados non ita longe ab initio huius libri C. Manlius legitur, errore, ut puto, omnium codicum. Hoc igitur loco legam, L. Manlius iterum, non P. Manlius, etiamsi post orationem Demetrij libro sequēte repetatur P. Manlius. At ibidem quoq; ut initio sequentis libri, ulterioris Hispaniæ dicitur fuisse prætor, qui anno XIII. ut paulò antè diximus, citerioris dictus est. Fortaßis autem & hoc historia uariatum est; aut author lapsus memoria in re non magni admodum momenti.

IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIBRVM DECIMVM, HENRICHI GLAREANI ANNOTATIONES.



T Rhodiorum querentium de Sinopensium clade.) 499. A. Quæ hæc fuerit clades, ne uerbo quidem anteà, quod sciā, meminit Liuius: hic uero quasi rem notam introducit.

In Emathiam, quæ nunc dicitur, quondam appellata Pæonia.) 499. A. Plin. lib. 4. cap. 10. ait Macedoniam antea dictam Emathiam, cuius partem septentrionalem Pæonia ac Pelagonia protegi subiungit. Sed ob uicinitatem hæc confusa uidentur ab historiographis, quando ne geographis quidem omnia ad amußim discriminata uisuntur. Porro huius loci compositio mihi non admodum placet.

Ex composito sermones ad spretionem Romanorum.) 499. B. Ita plerique habebant libri. Alij spretio uox insolens uisa spem reposuerunt: sed compositionem fecere, quam ego plane non intelligo.

Redierant quos forte miserat in Basternas.) 499. B. Basternas per e plerique habent codices in secunda syllaba, at Græci per a primam uocalem in secunda, ut Strabo atq; Ptolemæus. Plin. lib. 4. cap. 14. uicinos Peucinis ac Dacis facit. Idem Ptolemæus in Sarmatiæ Europeæ descriptione.

Demetrius per uim, quod excluderetur, paulisper uocifer.) 500. A. Per uinum quidam emendarunt: at mihi legendum uidetur, per uicum: sic enim facere solent adolescentes, & uia paulò ante mentio.

Sociabilem consortionem inter binos Laced. reg.) 500. B. Rara uox consortio, sed apta tamen. Loquitur autem de ijs qui ab Aristodemi gemellis geniti, per multa deinceps tēpora Rempub. Lacedæmoniorum concordi rexere imperio. Aristodemus enim quintus ab Hercule, Proclem ac Eurysthenem genuit gemellos à quibus deinde regum Spartanorum duplex descendit genus. Vide ea de re Herodotum libro 6. ac duobus sequentibus & Pausan. libro 3.

Noxium huic esse caput.) 501. A. Cum præcedens oratio, ac item sequentes duæ, bina habeant membra, miror quid sibi hæc uerba uelut mutila uelint. Fieri autem potest ut quid desit: quicquid id est, admonendus fuit lector.

Miseria hæc & metus crapulam facile excuß.) 502. B. Quid sibi uelit uox hæc miseria, nescio. Fortaßis fratris inuidiam intelligit, & patrem scire uult quæ domi suæ sint acta, quæ item in domo Persei. Totum autem malum inde ortum, quòd Perseus ad Demetrij domum speculatores mittere non dubitauerit. Sed iudicet lector.

Id enim uitijs meis non cedendo, cui ius fásque est.) 503. A. Sed ne hæc quidem uerba intelligo. Duo proposuit: alterum, nunc non sperandum regnum, quòd minor sit, quòd maiori cedendum dicat pater: alterum, nec ambigendum unquam de eo forsitan. Nunc lector uideat ut hæc uerba sequantur, & ut intelligenda, denique an putet in codice mendam esse.

Ne inuidia conflagrem, cum crimine non poßim.) 503. A. Bene habent hæc uerba, sed non tam clara sunt, quàm certam habent argutiam, & uide an crimen acceperit pro conuicta culpa.

Vt omnibus appareret noctis pro. cri. fa. reuictum.) 503. B. Hoc reuictum, ut ingenue fatear, me male habet: uideri poterat in utranque dictum partem, ut uter peccauerit, conuictus diceretur, nisi sequeretur mox, suspectam nimiam cum Romanis Demetrij gratiam esse. Itaque non uidentur esse responsi uerba, sed authoris, qui obiter populi de responso regio iudicium narrat.

Tum quoque non placet sibi.) 503. B. Totus hic locus de recipiendis armatis Liguribus obscurus est: neque enim explicatur quomodo recipiendi: deinde num uerius, pro melius acceperit. Et quid hic senatui nō placeat, obscurum est. Deniq; ad COS.

pro

pro ad COSS.positum uidetur.

Translatum argenti pondo millia CCCXX.) 503.B. Pro millia legendum puto mille, nec ad CCCXX. referendum, alioqui author dixisset CCCXX.millia,quæ fieret immensa summa. Sensus itaque est,mille pondo argenti translatum,ac præterea CCCXX. Atque ita facile conueniet cum alijs triumphantium de ea regione imperatorum summis. Quidam legunt IX. millia CCCXX.

Qui seruitutem seruissent.) 504. A. Vide, libertinæ ne conditionis homines,an eos qui post liminio redierint, dicere uelit: nam seruos uix credo, etiã si continuò ingenuos subiungit. Porro statim pòst ubi promõtorij Mineruæ meminit, de eo intelligo quod in Picentinis inter Surrentum ac Salernum è regione Proclitæ insulæ à Ptol. ponitur. Barium eodem authore non longe à Salapia ad ostia Aufidi amnis. Meminit eius Horat. lib. 1.serm.saty.5. Via peior adusque Bari mœnia piscosi.

Bellumque à Biliensibus concitatum in Sardi.) 504.B. Quidam emendarunt,ab Iliensibus. At ego legendum puto ex Strabonis lib.5. Iolensibus:nisi quis potius Iluensibus,per u in secunda syllaba, legere uelit. Ilua duæ eius nominis apud Ptolemæum sunt insulæ, altera è regione Populoniæ, altera inter Corsicam ac Sardiniam.

Apud L. Puppium prætorem.) 504.B. Quidam codices T.habebant,sed L.legendum. COSS. enim M. Claudio Marcello & Q.Fabio Labeone,L.Puppius fit prætor Apuliæ. Proximo autem ante eum anno Bacchanalium quæstiones cum omni cura executus erat L.Posthumius Tempsanus. De huius autem Puppij executione nihil,quod sciam,meminit Liuius.

Et leges de ambitu COSS.ex authori.) 504.B. In plérisque codicibus hæc uerba mutila erant,quanquam ne nunc quidem satis clara: quippe ea ita narrat, quasi ex prioribus nota sint,cum nusquam earum legum antea, quod quidem sciam, sit mentio.

Primum quærit ab eo.) 504.B. Hic quærit,nemo respondet: itaque quidam suspicantur defectam esse orationem, at ego nihil definio:multa enim similia passim in hoc libro reperias.

Septimus demum castris ad radices montis.) 505.A. Non ita longe Aemus mons à Medica abest, sed paruæ regem fecisse itinera,uerisimile est.

Vrbem,quam Petram appellant,oppugna.) 505. A. Id nominis hoc loco apud neminem inuenio: sed fieri potest ut cum re nomen quoque uetustate abolitum sit.

Ad Astræum Pæoniæ Demetrium mittit.) 505. B. Ptolemæi codices Aestræum cum æ diphthongo in utraque habent syllaba, ἄσραιον. Heracleam autem puto Lyncestidos, quæ est ad Brigonem amnem.

Duos equites ad M.Bebium COS.cum literis Pisas.) 506. A. Paulò antè in ordinandis huius anni exercitibus de M. Pinario,qui exercitum in Sardiniam ducturus erat, Liuius hæc scribit:Sumere à Cn.Bebio proconsule, qui Pisis hybernabat, iussus prætor.Quare hoc loco legendum:Duos equites ad Cn. Bebium proconsulem cum literis Pisas mittit. M.Bebius enim huius anni COS.nondum erat Pisis, ut ex paulò pòst sequenti contentione senatus ac COSS.clarum euadit.

Duumuiri nauales creati Macienus & C.Lucretius.) 506. A. Bis postea alter duumuirorum L.Cornelius Dolabella proditur.quare uidendum,hic locus quàm bene habeat.

Eodem anno in agro L.Petilij scribæ.) 507. A. Operæpretium fuerit uidere quæ Plin.lib.13.cap. 13. scribit, ut lector comparatione facta iudicet uter uerisimiliora scribat: nam neque nomina propria,neque arcarum aut librorum numerus consonant. Sed est hoc quoque,ut pleraque alia, apud authores uariatum. Meminit & Valerius lib.1.cap.1.sed obiter.

Principio ueris exercitum in Carpetaniam.) 507.B. Cum Q.Fuluius citerioris Hispaniæ prætor esset, Carpetani autem Lusitanis uicini,non uideo quo pacto hæc diuisio habeat,quod antea etiam testati sumus. Eburam uero oppidum Ptolemæus in Lusitanis ponit,Eboram in Edetanis. Eburiam ubi reperias,nescio.

Vbi quinque millium armatorum,non amp.reli.) 507. B. Cum L.Acilio missi erant sex millia auxiliariorum, & sinistra ala. Hostium uero in castris relictorum quinq; millia hic producũtur,qui certe intra uallum ac fossam facile sex millia Rom. arcere poterant, nec memorabilis erat paucitas ad Romanos castra oppugnantes. Quare ego corruptum hunc numerum puto, & legendũ,ubi quingenti armati,non amplius,relicti: aut, quingentorum armatorum,non amplius,relictum erat præsidium. quare exemplaria uetusta hic inspicienda. neque enim uerisimilis uidetur narratio.

Ad Contrebiam deductæ legiones.) 508. A. Haud temere id nominis reperias. Contributam autem Ptolemæus ponit ad Anam fluuium, non ita longe ab Ebura. Meminere & alij.

L.Manlius Acidinus.) 508.A. Huius cum alijs duobus triumuiris etiam mentio est ad præcedentis libri finem. Cæterum aut duo fuere L.Manlij Acidini,ut paulò pòst duo M. Atilij Glabriones: aut qui in Hispania ulteriore hoc anno prætor fuit, non Lucius,sed uel Caius uel Publius dictus est:ut sit error uel anno 13.huius decados,ubi in omnibus codicibus Lucius dicitur, uel ad finem præcedentis libri, initióque huius, ubi P. Manlius iterum prætor dicitur. Difficultatem facit nobis hoc iterum, quod ad finem prioris libri etiam admonuimus.

Vota erat ab COS.L.Porcio Ligustino.) 508. A. Atqui Liuius præcedenti libro ab his COSS. nihil memorabile gestum scribit,nec licuit temere ædem uouere. Alij hunc locum asterisco notarunt,fortassis quòd illud, aurata statua, bis repetitur: quod tamen ego ideo factum puto,ne uideatur dicere illam primam fuisse statuam,sed primam auratam.

Et cum Biliensibus gente, ne nunc quidem omni parte.) 508. B. Quidam,ut antea admonuimus, Iliensibus emendarunt,quod nescio quàm probem. Strabo uero lib.5. Iolensium (ut diximus) prædonum in Sardinia meminit, de quibus profectò hic Liuius. Cæterum quare Liuij quoq; ætate, cum Romana potentia omnia armis domita haberet,in alios latrocinando sæuirent, rationem eodem exhibet loco Strabo, cum de ijs, tum de alijs eius insulæ montanis.

Q.Fuluius Flaccus in locum uitrici COS.) 509.B. Aut error est in prænomine,aut duo fuere uno tempore Q. Fuluij Flacci: alter huius anni COS.Calpurnio subrogatus: alter sequẽtis: quod mihi non fit uerisimile. Nisi quis dicat,quod hodie quoque in quibusdam urbibus obseruatur, ut qui subrogatus fuerit, sequenti anno fiat COS.

Qui Taurasinorum traducere Ligures.) 509.B. Hæc uerba in nullo exemplari bene habent. Vide num de Telesinorum agro loquatur. Taurasinos enim in Samnitibus non memini me legere.

Argenti data centum & quinquaginta millia.) 510. A. Adijciendum puto H-S. Nam si pondo intelligamus, nimis magna erit summa, quam in ablegatos Ligures erogare uoluisse Romanos, non est uerisimile.

Hæc noua allata res,omissisque.) 510. A. Quidam hunc locum sanatum putarunt, si q; coniunctionem sustulerint. At ego miror si Liuius ita loqui uoluerit: recipit tamen excusationem.

Infractis omnibus hastis transcur.) 510. B. Vix apud me definio, ut illud infractis explicandum. Nec id mirum cuiquam uideri debet, cum Grammatici etiam apud Virgil. hæsitent,

Turnus ut infractos aduerso marte Latinos. Et in 7.

Ne noster honos infractáue cedat Fama loco.

quanquam diuersum uidetur.

In mensibus suis dimisit legionem.) 510. B. Obscurus sane locus, & præterea corruptus, cum sequentibus aliquot uersibus. Nam modo de M.Fuluio Tribuno, mox de COS.Fuluio loquitur, iterum COS.certiorem facit: sed quis, & utrum, nescio.

Quintius ad ea dedisset Duronius.) 511. A. Et hic locus corruptus erat, in nouissimo Frobenij codice egregie restitutus. Narratur Duronij respõsio. At illud Corcyræ, lectorem turbat: nisi in Gentij potestate eam fuisse tum insulam existimemus, quod dubito.

Recusante quod sibi faceret.) 511.A. Et hæc uerba non minus recte in eodem emendata sunt. Sed paulò pòst, B. Vlimum de cælo, quod comitia turbaret. hoc inquam ultimum, mihi suspectum. Quod si uel fulmen, uel monstrum, uel portentum legere-

tur, melius intelligeretur. sed lectoris esto iudicium.

Q. Fuluium Flaccum ante pontificem max.) 511.A. Et hæc uerba eodem in codice optime sunt restituta. Nam L. Acilius pōtifex quidem factus est, sed non maximus: Aemylius autem factus est pontifex maximus, ut ex sequentibus liquido patebit.

Aut prouinciam dimittendam. 511.A. C. Menij prouincia erat Sardinia: dubium igitur de eáne loquatur, an negotium ueneficij prouinciam uocet: sed iudicet lector.

Et signati Oscensis nummûm centum sep.) 511.B. Haud dubie hic locus corruptus est. Nam post auri numerum sequi debebat & argenti & nummorum summa, quæ hic temere confunduntur, ut taceam quòd in immensum summa hæc excresceret. Et signati Oscensis nummûm centum septuaginta tria millia. Porro argenti Oscensis mentio cum aliàs sæpe, tum lib. 4. huius decad. in M. Aelij & Q. Minutij prætorum triumphis. Illud quod continuo adnectitur, Militibus de præda quingenos denarios dedit: corrupte pro quinquagenos legitur. nimia enim esset summa, si ad dona aliorum imperatorum compares, quemadmodum ex prioribus satis liquet.

Lege Bebia creati, qui alternis ad quatern.) 511.B. De hac lege nulla in anterioribus, quod equidem sciā, mentio, sicut nec eius senatusconsulti quod paulò pòst sequitur de ludis factum, L. Aemylio, Cn. Bebio COSS. Vbi obiter etiam notandum, Cn. legendum, non C. ut falso in codicibus scriptum est.

Aut certe mutatum malit.) 512.A. Quidam malint emendarunt, sed haud scio itáne authores casuum regimen, quod uocāt, in uerbis mutare consueuerint. Paulò pòst, ambo in accusatiuo legitur, pro ambos: ut Virgil. duo pro duos dixit 11. Aeneid.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra uiros. Quanquam maior necessitas Virgilium urgebat.

Et poterat etiam hoc in Liuio corruptum uideri, si non adeo frequens esset in uetustioribus codicibus.

Nisi forte implacabiles fueritis, implicauerint anim. uestr.) 512.A. Legendum puto, implacabiles uestræ iræ implicauerint animos uestros.

Et in probrum suum sponsionem fac.) 512.A. De hac sponsione nihil in superioribus, quod sciam, dixit, cū duobus præcedētibus libris harum inimicitiarum multis sæpe meminerit uerbis.

Vt in Vacceos per Lusitaniam iret Albinus.) 512.A. Hæc uerba per aliquot uersus male habent, & egregie confusa uidentur. Albino in Vacceos eundum erat, Graccho in Celtiberos. Cæterum Munda oppidum Bæticæ est, ulterioris Hispaniæ, hic tamen à Graccho oppugnatur, quapropter & loca quoque corrupta uidentur. Certimæ nomen apud nullum authorem inuenio.

Numerum quater & uicies.) 512.B. Ita legebatur in quibusdam codicibus, at alij adiecerunt sestertium, quasi non idem sit sestertius qui nummus.

Et primum quæsiuit ab eóne sibi liceret.) 513.A. Lego: Et primum quæsiuit ab eo, liceretne sibi ac suis uiuere? Sic enim minus dura erit compositio, sensusque dilucidior.

Quoniam illos ad me propiunt suspicere.) 513.A. Quidam emendandum putant, prodeunt suspicere, sed nō placet. Quidam, piguit suspicere, sed nec illud omnibus placet. locus à nobis relinquitur dubius.

Ergania inde nobilis & potens ciuitas.) 513.A. Ptolemæus Erganicam nominat in Celtiberis, hāc ut opinor urbē: quanquā idem in Vasconibus Ergauiam ponit (ut Græcum nostrum habet exemplar) Ilergetibus uicinam. Res non magni momenti.

Verámque pacē, non fluxa ut ante fide Cel.) 513.A. Si construendū, uerā pacē fuisse, pro nō fluxa legam nec fluxæ: alioqui addenda erat cōiunctio, ut diligenter expendenti facile patebit.

Bis cū Bracharis egregie pugnasse fer.) 513.A. Plin. lib. 4. cap. 20. ait Durium amnē Turdulos à Bracharis discernere. Cæterum Liuius hæc de Albino, Propius (inquit) uero est serius in prouinciam peruenisse, quàm ut ea æstate potuerit res gerere. Superius uero ait Collegā T. Semproniū euntē in ulteriorem Hispaniam Albino mandasse, ut Q. Fuluium certiorem faceret, Tarraconem exercitū duceret &c. Si igitur hac æstate T. Sempronius tot ac tanta egit, potuit & Albinus, prægressus Sempronium, ea æstate res gerere. Diuersos authores opinor secutum Liuium.

Quæ incommode opposita uidebantur signa.) 513.A. Apposita legendum puto. quanquā id parui momenti. Hoc magis miror, quod paulò pòst in omnibus fere codicibus legatur, L. Nūmius, pro L. Mummius. Is est qui Corinthū cepit bello Achaico, unde ipse quoque Achaicus dictus est, COS. cum L. Cornelio Lentulo post primum Scipionis Aemyliani consulatum.

Item dedicauit ædem Larium permarinûm.) 513.B. Hic locus magnam habet difficultatem. Primum quidem, qui sint Lares permarini, quod adhuc quæro, nec usquam me legere memini. Deinde quod ait, Vouerat eam annis quadraginta antè L. Aemylius Regillus: id non ita habet: nam hic Aemylius classe aduersus Antiochum pugnauit anno XI. huius decados, L. Cornelio Scipione, & C. Lælio COSS. ut ipse Liuius author est lib. 7. huius decados. uidelicet ante magnam illam pugnam apud Magnesiam ad Sipylum montem. Quapropter pro quadraginta legendum XII. Et ipsi numeri in codicibus arrosi, facile errorem præbere poterant, XL. & XII. Talia sæpe negligunt, qui alia optimè emendare solent.

Duello magno regibus dirimendo.) 513.B. Hæc alia huius loci difficultas inuincibilis absque uetusti codicis fide. Inter Ephesum Camuchūmque, inquit. Camuchus quid sit, nemo opinor nouit. Forte dicere uoluit, inter Ephesum Samúmque. Quanquam Myonnesum insulam inter Teium ac Samum libro septimo depinxerit Liuius, quam Strabo lib. 14. ait inter Teon ac Lebedum. Porro id magis corruptum, Inspectante COS. ipso. COS. enim longe aberat in Thracia, transitum parans per Hellespontum: nisi diuersos secutus sit authores, ut solet, Liuius. Quæ deinde sequuntur uerba: æque obscura sunt, præcipue de nauibus, quas hic ait captas sexaginta duas, cum lib. 7. huius decados quadraginta duas dicat captas, qui error haud dubie etiam ex numerorū transpositione ortus est, LXII. pro XLII.

Cum eo Antigonus Echecratis filius.) 513.B. Philippi pater fuit Demetrius, qui decem regnauit annis, cui in regno successit Antigonus Echecratis frater, Philippi tutor, de quo multa Polybius lib. 2. ad finem. Hic igitur Antigonus, qui cum Philippus hic loquitur, nepos ex fratre tutoris Antigoni fuit.

Forte Xychus obuius fit Antigono.) 514.A. De hoc Xycho ne uno quidem uerbo ulla in superioribus fit mētio, cum alios Persei fautores nominarit, ut Philoclem & Apellem.

Si haud statim palàm facta esset mors regis.) 514.B. Videtur altera parte defecta oratio, & aut legendum, pro haud. non alioqui nullus sensus est. Neque enim haud statim palàm facta est mors regis.

Bares Antigonus sæpe Iunius cum ipso.) 514.B. Locus est mire corruptus, quem nos sanare non possumus. Cæterū etiam hoc dubium, de eodemne Antigono loquatur, an de alio: sed uidetur de eodem Echecratis filio loqui, quasi dicat, si aut statim palàm facta esset mors regis, aut Antigonus domi fuisset cum patre, si modo ille adhuc uiuebat, admoneri potuisset. Sed ea omnia mihi suspecta sunt. Scio quosdam emendare conatos, sed mihi non satisfecere.

M. Attilius Volso. prætorum inde tribus.) 515.A. Cassiodori catalogus habet Cn. Manlius Volso. Sane Manliorum cognomen Volso fuit. alij A. Manlium uocatum putant. Omnino Attilius nomen non placet, ni ut fuerit prænomen. Hoc etiam uarum, trium prætorum nomina omissa. At in fragmentis decados sequentis, huius anni prætores T. Ebutius, & P. Aelius Tubero iterum nominantur prætores, si forte ea uera sint omissorum prætorum nomina quod equidem indiscussum relinquo. Veteres codices etiam C. Claudium habebant, non T. quod mihi placet. Nam T. Claudius prætor fuerat anno ab Vrbe condita 573. Hic igitur C. legendum.

ANNOTATIONVM GLAREANI IN T. LIVII QVARTAE DECADOS LIB. X. FINIS.

DVO TARQVINII LVCIVS AC ARVNS, PRISCI TARQVINII FILII NE AN NEPOTES FVERINT, ADVERSVS Liuium Laurentij Vallæ argutissima ad Alphonsum regem disputatio.

Alphonso minoris maiorísque Hesperiæ Regi, Laurentius Valla S.



VM Titum Liuium quotidie Romanorum historicorum eloquentissimum aut audias aut legas, æmulator ueterum in omni genere uirtutum, uelim iudices, an rectè de loco quodam sentiam huius authoris, quæ res ad regem, ut tu es, pertinet. Ait enim Liuius, Hic Lucius Tarquinius Prisci Tarquinij regis filius nepósne fuerit, parum liquet, pluribus tamen authoribus filium crediderim.

LAV. Ego uerò contrà magis ab illorum parte sto, qui nepotem tradiderunt: neque hoc externis testibus, aut aliunde sumptis rationibus, sed suo authoris testimonio, suáque ipsius confessione, ut à semet dissentire, ac repugnantia quædam narrare uideatur. Nam quomodo hæc quæ nunc ex illo repetij, cum his constant, quæ antè dicuntur?

LIV. Tum Anci filij duo, etsi antea semper pro indignissimo habuerant, se patrio regno tutoris fraude pulsos, regnare Romæ aduenam, non modo non uicinæ, sed ne Italicæ quidem stirpis: tum impensius his indignitas crescere, si ne à Tarquinio quidem ad se rediret regnum, sed præceps inde porro ad seruitia caderet, ut in eadem ciuitate post centesimum fere annum quàm Romulus deo prognatus, deus ipse tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id Seruius, serua natus, possideat: tum commune Romani nominis, tum præcipue id domus suæ dedecus fore, si Anci regis uirili stirpe salua, non modo aduenis, sed seruis etiam regnum Romæ pateret. Ferro igitur eam arcere contumeliam statuunt. Sed & iniuriæ dolor in Tarquinium ipsum magis, quàm in Seruium eos stimulabat: & quia grauior ultor cædis, si superesset rex, futurus erat, quàm priuatus: tum Seruio occiso quemcunque alium generum delegisset, eundem regni hæredem facturus uidebatur.

LAV. Nónne hæc filiorum Anci regis indignatio, atque hæc spes plane declarat, Tarquinium, in quem irati erant, sine uirili prole discessurum? Nam quid quæso magis fortunæ aduersum, quàm regem qui filios habeat, & præsertim legitimos, alium quemcunque generum quærere, cui regnum, dum moriturus erit, relinquat? At erant forsitan filij infantes. Esto, quanquam de hoc postea latius dicam: non de rege moriente nunc loquimur, qui uelit condere testamentum: etsi filij infantes sint, ipse tamen sospes. Sint licet modo liberi nati, tamen illos pater uiturum se iuuenes sperat, & eorum causa diutius uicturum: nec minus ardens est parentum amor in paruulos liberos, quàm in iam adultos. Quid, quòd non modo generum filijs fuisse prælatum uult author, uerumetiam hoc genero extincto, alium atque alium deinceps, quem regno præficeret, Tarquinium fuisse quæsiturum? quod non modo de homine qui diu uiuere & poterat & sperabat, dicendum non fuit, sed ne de eo quidem, qui iam mortem sibi impendere intelligens, de regno disponat: & ne alia quæram exempla, certe Ancus pueris liberis sub tutoribus quidem, sed tamen regnum reliquit. Sceleratus enim pater atque execrandus, qui non dicam nato filio, sed uentri non relinquat hæreditatem, & præcipue regnum, aut aliquam dignationem, ut qui alijs dominari debeat, is patris culpa sibi dominantem alium uideat, & quidē de numero subiectorū, ne dicam de periculo capitis, quod infelix ille iure naturæ hæres uix potest effugere ab illo ipso, qui alieni patris obtinet regnum. Dixi de patre, quid de matre dicam? neque enim Tarquinius Superbus ab ullo authore significatur illegitimus fuisse, nec regnum sibi post Seruium uoluntate patris successor illegitimus uendicasset. Eius igitur mater nihil de regno filij laborasset? At quæ mulier? nempe ad faciendos reges nata: quippe cuius beneficio duo uiri, alter peregrinus, alter ancilla natus, Romæ regnauerint. De qua ita Liuius ait.

LIV. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eijcit, simul quæ curando uulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedulò comparat, simul si destituat spes, alia præsidia molitur. Seruio propere accito, cum prope exanguem uirum ostendisset, dextram tenens orat, ne inultam mortem soceri, neu socrum inimicis ludibrio esse sinat: tuum enim, inquit, Serui est regnum, si uires, non eorum qui alienis manibus pessimum facinus fecere.

LAV. Vbi hic mentio uel commendatio filiorum? An quæ umbram Seruij multum ualituram putabat, non ualidiorem fore putasset, si tutor atque author regiæ stirpis uideretur, adiuncta præsertim sua, id est matris & reginæ authoritate, quæ pro liberis & pro stirpe regia laborantis summa esset, pro alieno aduersus liberos nulla? neque enim populus ex eadem domo seruæ quàm reginæ natum regnare mallet. Ergo regina, & quod plus est, Tanaquil, aut tam parum amans suorum, aut tam humili animo foret, ut uel nollet, uel desperaret & regnum defendere filiorum cum sua quoque dignitate? nam quæ amisso uiro regnare patris loco filium uidet, adhuc regina est: & ego sic ago, tanquam Tarquinius filius fuerit infans: quid si ostendam puerum? quid si adolescentem? quid si iuuenem fuisse? nónne id fit multo incredibilius, quod Liuius ait? Quod non dico, quia magis consultum uelint parentes iuueni filio, quàm infanti, sed quia magis possint consulere. Vnde hoc probo? nimirum per id quod paulò pòst sequitur.

LIV. Itaq; per aliquot dies, cùm iam expirasset Tarquinius, celata morte per speciem alienæ fungendæ uicis, suas opes firmauit. Tum demum palàm facta, ex comploratione in regia orta. Seruius præsidio firmo munitus, primus iniussu populi uoluntate patrum regnauit. Anci liberi iam tum comprehensis sceleris ministris, ut uiuere regem, & tantas esse opes Seruij nunciatum est, Suessam Pometiam exulatum ierant: nec iam publicis magis consilijs Seruius, quàm priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquinium fuerat, talis aduersus se Tarquinij liberûm esset, duas filias iuuenibus regijs Lucio atq; Arunti Tarquinijs iungit.

LAV. Hoc non modo inter initia regni Seruiani, sed prope nihil prius factum fuisse narratur: ne quis dicat non statim rege patre filias Seruij nupsisse Tarquinijs, sed potius circa mortē: nam primum ex hoc peruersitas coargueretur historiæ, quæ res gestas præpostere narraret, quod in historico non mediocri peccatum est, nisi cum id aliqua ratione facit. Deinde fuisse diu Seruio generos probat illud, quòd aliquanto pòst forte ita inciderat ne duo uiolenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi Romani, quò diuturnius Seruij regnum esset, constituique ciuitatis mores possent. Ergo post cōtractum matrimonium diuturnum fuit Seruij regnum, & constituti sunt mores ciuitatis. Quid ni statim inter initia Seruiani regni, ut ab authore narratur, nuptæ sunt Tulliæ Tarquinijs, & quidem iuuenibus, ut iuuenes nuncupantur? Quod cùm ita sit, quid absurdius quam uelle in his nullam nec parentibus spem, nec inimicis fuisse formidi-

nem? Cur eos pater delecto in successorem genero præterisset? cum neque impij, neque mente capti, neque perdita ualetudine, neque illegitimi, si quid hoc ad paternum amorem facit, essent. Cur mater defuncto uiro diffisa foret paternum se filijs regnum defensuram? nam de materna pietate dubitare improbum est. Cur duos fratres iuuenes regis filios, & quales modo descripsi, inimicè contemnendos putassent? Cur postremò ipsi iuuenes uernam patris, in paterno regno anteponi sibi tolerassent? quos etiam patre uiuente, & præcipuè maiorem natu, credibile est regnare cœpisse, & certa à patre commissa munia obijsse. Et hæc quidem repugnantia naturæ sunt: illud uero ipsi authori, quòd qui modo circa initia regni soceri iuuenis appellatur, is circa eius obitum, qui quatuor & quadraginta regnauit annos, iuuenis permanet, atque adeò adolescens nominatur. Dicit enim Liuius: Si sibi eum quo digna esset, dij dedissent uirum, domi se propediem regnum uisuram fuisse, quod apud patrem uiderat, celeriter adolescentem suæ temeritatis implebat. Pauloque pòst: Quid te ut regium iuuenem conspici sinis? facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum: deuoluere retro ad stirpem, fratri similior quàm patri.

L A V. Hisque atque alijs increpando iuuenem instigat. nisi quis dicat, non quum occidit socerum, fuisse iuuenem, sed cum occidere persuasus est. Ita puto, dum decreuit facere maleficium, adolescens est: dum illud perpetrat, senex est: nam certe sexagenarius erat, cum præsertim ut sceleratissimum, ita facillimum factu id facinus esset, cuius inter propositum & perpetrationem unum intercessisse annum, etiam multum est, & alioqui ex serie rerum, atque ipsius authoris colligitur uerbis. Hæc infanda Tulliæ instigatio non nisi extremo tempore uitæ Seruij fuit, cuius furoris causam, quia non rectè author omisit, postea reddam. Neque hanc increpasse maritũ uidemus, quòd differret perpetrare quod constituerat, sed tantum quod hunc animum non haberet, uidelicet postquam ab illa animatus est, nequaquam ideũ differendum putasse. Quare non intelligo, quomodo post tot Seruiani regni annos sit etiam si non iuuenis paternæ mortis tempore, sed puer aut infans extitisset: aut si nunc iuuenis erat, ut eum author uocat, & ego assentior, & alia consentiunt argumenta: nunquam fieri non poterit, ut ex Tarquinio Prisco tot ante annis iam mortuo sit genitus, maxime cum non sit postremus liberorum, & habeat saltem Aruntem natu minorem. Atque hoc quidem argumentum à persona patris ducitur. Vehementius autem erit à persona matris, quam demonstrabo prouectiore fuisse ætate, quàm ut Tarquiniorum mater fuisset. Scribit enim Liuius: Anco regnante Lucumo uir impiger, & diuitijs potens, Romam commigrauit, cupidine maxime ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquinijs (nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat) facultas non fuerat. Demarati Corinthij filius erat, qui ob seditionem domo profugus cum Tarquinijs forte consedisset, uxore ibi ducta duos filios genuit: nomina his Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri bonorum omnium hæres. Aruns prior quàm pater moritur, uxore grauida relicta: nec diu manet superstes filio pater: qui cum ignorans nurum uentrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset, puero post aui mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. Lucumoni contrà omnium hæredi bonorum, cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil summo loco nata, & quæ haud facile ijs in quibus nata erat, humiliora sineret. Ea cum illi nupsisset, spernentibus Hetruscis Lucumonem exulem, aduena ortum, ferre indignitatem non potuit, oblitáque ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo uirum honoratum uideret, consilium migrandi à Tarquinijs cepit. Roma est ad id potissimum uisa. Paulò pòst ubi dixit, aquilam mariti cum uxore in carpento sedentis pileum abstulisse, rursúsque reposuisse, subiungit: Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita ut uulgo Hetrusci, cœlestium prodigiorum mulier, excelsa & alta sperare, complexa uirum iubet. Eam alitem ea regione cœli, & eius dei nuncium uenisse, circa summum culmen hominis auspicium fecisse, leuasse humano superpositum capiti decus, ut diuinitus eidem redderet. Has spes cogitationésque secum portantes urbem ingressi sunt, domicilióque ibi comparato, Lucumoni Tarquinium Priscum indidere nomen.

L A V. Interrogo nunc, quot annos hanc fœminam tunc uoluimus implesse, cum nupsit? certe sedecim, decem & septénue, aut duodeuiginti: siquidem author uocat mulierem, hoc est, quantum interpretor, ultra puellares annos, eidem prudentiam, eidẽ sublimitatem animi tribuens, quæ sunt magis matronalis quàm puellaris ætatis. Quot porrò addemus annos, donec Romam demigrauit? neque enim statim nupta è patria sibi demigrandum putasset, neque mulier nobilis ita æquo animo domum reliquisset, neque indignatio in suos ciues intra perbreue tempus contrahi poterat. Non enim iniuria aliqua, aut intoleranda ignominia hominem mouebat, sed quòd sperneretur: neque hoc præter solitum, quippe cum semper talis fuisset: & nihilominus si ab ea ciuitate, ubi natus ex matre ciue erat, tamen ut aduena fastidiebatur: nónne id multo magis erat extimescendum in eo populo, cum quo nihil sibi commune esset? Neque lautum sane patrimonium cum emendis in externa urbe bonis facile commutasset. Dum itaque datur aliquod, more hominum, nouis nuptijs tempus, dum sperantur quotidie meliora, ut fieri solet, à ciuibus suis, dum an Romam migrandum sit consultant, dum domos, prædia, facultates, quæ transportari nequeunt, uenditant, neque id per festinantiam, ne uilius uendant: dum postremo profectionem tempestiuam & honestam apparant, dicamus hanc mulierem ad annum uigesimum peruenisse. Certe glos eius iam mater erat: quæ cum esset minoris fratris uxor, ut mea fert opinio, posterior quàm Tanaquil nupsit. Non enim uideo cur uiuo patre minor filius uxorem duceret, maior non duceret, licet tacite author aliud significare uideatur. Ego tamen non reor Lucumoni omnium bonorum hæredi, auxisse animos nobilem uxorem, nam id paruum profuit, sed iam uxorem habenti solidam hæreditatem. Ita uero hoc ipsum quòd hæc mulier est author uiro Romam migrandi, quòd tam perita coniectandi auguria, non ob id solum quòd Hetrusca esset, nam & maritus erat Hetruscus, sed & longum usum haberet, quòd ei maritus ipse homo in primis prudens, & impiger, in omnibus fere consilijs auscultat, nónne uiginti saltem natam annos fuisse testatur cum Romam intrauit? Quid autem Romæ? quot annos priuati degerunt? quis neget plures quàm post contractum matrimonium collegimus? Etenim homini aduenæ discenda erat lingua Romana, ne semper aduena putaretur, &, quod expertus erat, fastidiretur: percipiendi mores, obeunda munera publica, in tantam regis penetrandum familiaritatem, ut ab ipso rege tutor filijs relinqueretur: denique in talem conditionem, statum, famam perueniendum, ut saluis regis liberis, ac prope puberibus, dignissimus regno præter Romanos omnes iudicaretur. Quod apertissime ipsa authoris uerba confitentur, dicentis.

L I V. Se ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge ac fortunis omnibus commigrasse: maiorem partem ætatis eius qua ciuilibus officijs funguntur homines, Romæ se quàm in patria uixisse: domi militiæq; sub haud pœnitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse: obsequio & obseruantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum ipso rege certasse.

L A V. Omne tempus hoc demus fuisse annos decem, ut triginta annos nata fuerit cum uir eius creatus est rex: cum idem moritur, nam duodequadraginta in regno fuit, annũ ageret duodeseptuagesimum, & circiter uiginti iam parere desierit. Ex quo necesse est Lucium, qui postea Superbus appellatus est, uicenarium fuisse cum patrem amisit. Neque uero hoc loco quorundam opinioni respondendum est, qui illam censent prosperiorem corporum ualetudinem ac uiuaciorem fuisse, quàm nostra ætate, cum sciamus peræque illos parum uixisse, ac nos uiuimus, & ab eisdem à quibus nos, annis initium senectutis designasse, ut cum ex alijs libris, tum uero ex Liuio ipso datur intelligi, apud quos nescio an aliquam, nisi miraculi loco reperterim, cum annum quinquagesimum excessisset, partum edidisse: tamen in hac muliere tribuere nolo non ante desiuisse parere, quàm annum quinquagesimum ageret.

ageret. Concepit igitur undequinquagesimo anno Aruntem. Lucium uero quid possum dicere minus duodequinquagesimo? nisi, ut omnia in angustum coarctemus. dicat quis utrunque eodem partu à quinquagenaria editum: quasi uero credibile sit, ut quæ per senilem ætatem concipere uix iam posset, ea conceperit geminos. Dicamus itaque maiorem fuisse Lucium fere Arunte, uno saltem anno. conceptum matre duodequinquagesimum annum non transgressa, qui paternæ mortis tempore, quemadmodum ostendi, si prope uicenarius erat, qua ratione plus quadraginta ab obitu patris annis adolescens aut iuuenis erit? aut si iuuenis adolescénsque erit, quo pacto filius esse potuit reginæ, quæ plus sexaginta annis ante Seruij mortem concipere desierat? Atqui ut aliam quoque adijciamus repugnantiam: filiúsne Tanaquil erit, etsi non minimus liberorum, qui postquam mater parere cessauit centum fere annis, in acie cum dictatore Romano conflixit singulari certamine? Ita enim author tradit: in Posthumium prima in acie suos hortantem instruentémque Tarquinius Superbus, quanquam iam ætate & uiribus erat grauior, equum infestus admisit, ictúsque à latere, concursu suorum receptus in tutum est. Siquidem hæc decimo quàm è regno expulsus est anno, gesta sunt, aut etiam tardius, cum ipse quinque & X X. regnasset. Atqui inauditum est apud Romanos centenarium hominem, ac ne nonagenarium quidem, aut octogenarium, singulari certamine in aciem, & præcipue cum iuuene, concurrisse. Et si quis contentiose de numero à me collecto detrahendum putat, scire uolo quantum putet detrahendum. an minorem dicet Tanaquil fuisse cum nupsit, ea quam dixi ætate? at hunc pudebit minorem illam facere quindecim annis. an post contractum matrimonium nimium temporis esse quadriennium trienniúmue priusquam Romam migratum est? at unum intercessisse annum non denegabit. an decenne diuturnius iusto spatium, quo sub rege Anco Romæ mansum est? at quadrienne saltem concedere cogetur. ita ex hac subductione palam erit Prisco moriente decem, ut parcissime dicamus, annos natum Superbum fuisse. Quæ cum ita sint, hunc non pater successorem regni destinasset? hunc inimici non timuissent ne patri succederet? hunc columen ac decus mulierum mater, & cuius regum uirtute par, non in patris demortui sede collocasset? hunc Seruius serua natus, atque hæredis uel uerna, uel libertus, non sibi anteposuisset? hunc populus, qui patrem eius & priuatum & aduenam esse regem iußisset, non & ipsum adiutrice regina regem creasset? hunc quisquam quum plus quàm quinquagenarius est, adolescentem aut iuuenem uocet? hunc ferme nonagenarium in aduersum hostem credamus infesto telo equum admisisse? huius denique sororem, hoc est ex Tanaquil geminam, concedamus matrem Bruti fuisse? quem in exigendis rebus iuuenem Liuius uocat, & æqualem consobrinorum. Hæc si minor Lucio fratre fuit, augebimus pueriles illius annos ante mortem patris. Sin maior eo, incredibilius mulierem octogenariam, ne dicam plusquam nonagenariam, esse iuuenis matrem. Quæ omnia si permultum à fide abhorrent, confitendum est Tarquinium Superbum cum fratre non fuisse Tarquinij Prisci filios, nec eorum sororem, eandémque Bruti matrem, filiam, sed nepotes, neptémque, sicut Ancus Numæ, sicut Tullus Hostilius Romuli socij nepos fuit, non filius. Vt enim Ancus à Numo, Tullus à Romulo tertius fuit, sic Superbus à Prisco, aut quasi nepotes, aut quasi neptem. Cur ita? quia neque filium quempiam fuisse Prisco narratur, duntaxat ab hoc authore. Nam apud alios quosdam inuenio fuisse, qui adolescens ob strenuitatem militarem bulla, & prætexta à patre donatus est: & si is ante patrem decesßisset suscepta prole ac superstite, profecto auus & auia consultum nepotibus naturæ lege uoluissent. Neque si nepotes ex filia fuissent, uideo cur Tarquinij uocarentur. Et hac, ut suspicari libet, Titus Liuius uir prudentissimus ratione adductus est, ut hos esse nepotes Prisci Tarquinij uellet. Qua in sententia ipsi ego adstipulor, ideóque dixi quasi nepotes, eruntque nati patre Tarquinio, hoc est Egerio. Nam sicut ipse Lucumo, quòd ab urbe Tarquinijs uenisset, Tarquinius dictus, ita Egerio ob eandem causam idem nomen inditum est. Quòd si Collatino huius filio, ut inquit author, hoc nomen fuit, necesse est ut idem fuerit & patri. Ac quomodo erit, inquies, Superbus Egerio natus, qui fuit Collatini pater, cum Collatinus ipse frater Superbi non fuerit, sed Aruns? Nec hoc quidem uidetur mihi T. Liuius rite tradidisse. quis enim credat Collatinum, filiorum Superbi, qui iuuenes erant, æqualem, prout & ab authore memoratur, nam sic inquit: Quin si uigor iuuentæ inest, conscendimus equos, inuisimúsque præsentes nostrarum ingenia? patrem habere centum & uiginti egressum annos, aut, ut minimum dicamus, pauculis annis minorem? Tot enim sunt, aut ferè tot ab ortu Egerij. Adeò Superbus ipse fuisse nepos potius quàm filius mihi uidetur Egerij: nedum hic tanto minor natu potuerit esse filius. Probabilius itaque fuerit Superbum, qui parens esse poterat Collatini, &, ut ita coniectura ducor, patruus erat, licet aliqui (quorum est Plinius) auunculum tradant, fratrémque Aruntem, qui nomen auitum uidetur retulisse à patre impositum, ab Egerio traxisse ortum, uel patre, uel, quod magis arbitror, auo. Ex quo illud iam sua sponte apparet, non timoris causa generos Tarquinios à Seruio rege adscitos, ne paternum regnum exemplo filiorum Anci repeterent: nam eos potius tollendos curasset, cum nullum ius Egerianæ stirpi ad regnum esset, si cum ipse iam senior, aut nullos filios sustulisset, aut si obierāt, nullos posthac tollere speraret opinor: nec nobiliores iuuenes inuenisse, quibus filias collocaret, & æquum censuisse in eandem Tarquiniorum familiam potißimum referre regnum, unde illud accepisset, eò quidem libentius, si filiæ suæ matre Tarquinia, cuius gratia regnum fuerat adeptus, genitæ erant. In quo illud quoque absurdum, si Liuium audire uellemus, sequetur, ut quod apud Romanos mores insuetum est, illæ regis filiæ fratribus nupserint matris: nunc autem cognatis, non auunculis, quia filiæ regis non erant, in matrimonium datæ. Hic tu quæres. Si ita est, quid ergo sibi Tarquinius Superbus regnum uelut hæreditatem repoposcit? Poteram dicere, quòd putabat sibi deberi ut nepoti, ut pronepoti fratris Prisci Tarquinij, ut filio nepotis Egerij, quod ei patruus, cui præter ius gentium patrimonium intercepisset, ignominiosúmque nomen imposuisset, regnum per manus tradere aut debebat, aut destinabat, cum uirilem stirpem non haberet: quem pro ebaro habuisse illud est argumentum, quod Liuius ait: Et forsan hic in regnum patruo successisset, nisi Tanaquil pro genero in contrarium fuisset annixa. Poteram etiā alia dicere, sed me ad se maxime uocant uerba authoris, qui non sua sponte Tarquinium, etsi uir erat uiolentus ac ferox, ad maleficium accesßisse significat, uelut agnoscentem ad se non pertinere regnum, sed uxoris consilijs inductum, ut superius uidimus, & ex his quoque uerbis: sed initium turbandi omnia à fœmina ortum est, quæ uirum tanquam mare suapte natura quietum, procellosis quibusdam uentis furoris agitauit, ut regnum affectaret, ut illud per sanguinem, per mortem, per parricidium peteret: & quò res sit indignior, per parricidium senis, cuius mortem expectare, id quod Romanis Hannibal exprobrauit, longum censerent: quod scelus cum in genero, qui fuit persuasus, abominandum est, tum uero in filia persuadente detestabilius. At hoc ipsum fidem non habet, talia in patrem filiam fuisse ausam, à quo nec aliquid esset offensa, & regnum iure optimo, & quidem propediem speraret, interim satis habens felicitatis, quòd & filia regis erat, & futura regina, cum unica esset proles patri, ac semper futura unica, propter paternam senectutem. Reddam, quam superius me redditurum promiseram causam, quæ ut improba, ita uehemens fuit, & filiæ cum genero communis. Timuit hæc sceleratißima fœminarum, superbos, & plusquam regios, imò tyrannicos spiritus habens, ne succeßione regni, quod suum fore credebat, naturali iure fraudaretur, regno in rempub. commutato: quod facturus ipse uidebatur, ut Liuius ait. Idipsum tam mite ac moderatum imperium, tamen quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam authores sunt, ni scelus intestinum liberandæ patriæ consilia agitanti interuenisset. Et iterum postea in calce libri.

L I V. Duo consules in comitijs centuriatis à præfecto urbis ex commentarijs Seruij Tullij creati sunt.

LAV. Hanc contumeliam iniuriámque non ferens filia, ut quæ patre quoque rege progenita, &, si ratio pignorum haberetur, regni hæres erat, ne ad priuatum communémque cæteris statum descenderet, maritum, qui & ipse spe regni exuebatur, ad occupandum regnum instigauit, & impulit ad mortem patris, &, quod credere libet, prius ad mortem sororis, & pristini uiri, quibus saluis, ut pote languentibus ingenijs, regnum paternum obtineri non poterat. Ait enim Liuius: Angebatur ferox Tullia, nihil materiæ in uiro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse: tota in alterum conuersa Tarquinium: eum mirari, eum uirum dicere, ac regio sanguine ortum: spernere sororem, quód uirum nacta, muliebri cessaret audacia. Statimque post: Nullis uerborum contumelijs parcere de uiro ad fratrem, de sorore ad uirum, & se rectius uiduam, & illum cælibem futurum fuisse contendere, quàm cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignauia esset.

LAV. Nam quid attinebat incusare uirum, quód parum uirili animo: incusare sororem, quód ignaua esset? non uideo aliud, nisi quód hic socerum, illa patrem non occideret. Atqui hoc sceleratissimum est: sceleratissimum quidem, sed tamen sceleris merces, ut quod ereptum iri sibi uidebant, regnum inuaderent. Sed ita nihil incredibilius erit. Quis enim credat hanc uelle, atque adeò hortari Germanam, trucidare communem patrem, ut illa potiatur hæreditate? illa inquam, cuius uitam, ut exitus docuit, minoris faciebat, quàm non modo coniunctæ, sed etiam ancillæ. Alia ergo fuit causa, quàm clamor sororis: quæ nulla alia esse potuit, nisi ne paternum regnum per iniquitatem patris liberis præriperetur: ideóque sororem increpabat, quód maior natu nihil de regno laboraret. Ideo maiorem fratrum ad hanc spem, sed non sine suo morbo erexit. rectéque subiungitur: Si sibi eum quo digna esset, dij dedissent uirum, domi se propediem regnum uisuram fuisse, quod apud patrem uiderat. De qua nulla hic, & ad extremum (nam finem iam facere uolo) dicere habeo: non fuisse authori faciendum, ut, quam matrem iuuenem uocat circa tempora uiolatæ Lucretiæ, eandem dicere nurum esse Tarquinij Prisci, ac Tanaquil, quæ iam nonaginta ferme annos liberos non genuerat. Hæc sunt optime rex, cur Tito Liuio non accedam, Tarquinium Priscum patrem fuisse Tarquinij Superbi: nec eum posteritatem nocaturam Priscum fuisse arbitror, si pater huius extitisset. Priscum enim dicimus, non qui patrum, sed qui auorum aut proauorum memoria fuit: & hoc nomen illi non à sui temporis hominibus, ut author dicere uidetur, sed à posteriori seculo inditum, ut prisci Latini, aut cætera huiusmodi. In quibus tu, quem potissimum in hac quæstione mihi deligendum putaui iudicem, si mecum senties, quamlibet breui epistola respondebis: quod si dissenties, longiore, ut rationes meas tuis melioribus refellas. Vides ut tibi tacite blandior? quasi suadeam, ne laborem subeas me refellendi, idest ut mihi assentiaris. Verum absit hoc ab utroque nostrum: nam neque meum est falso quempiam uelle accusatione damnare: neque tuum, aut labori cedere, cuius semper uictor extitisti: aut clarissimos uiros, quorum inter primos est Liuius, quoties falso accusantur, pati desertos. Vale,

Neapoli pridie Nonarum Decembrium.

LAVRENTII VALLAE

EMENDATIONES SEX LIBRORVM

T. LIVII DE SECVNDO BELLO PVNICO, ET PRIMO IN LIB. I.



GENER inde ob altam indolem ascitus, & quia gener erat factionis Barchinæ, opibúsque apud milites plebémque plus quàm modicæ erant, haud sanè uoluntate principum imperio positus.) 187. A. Ego sic reor emendandum, ut pro gener erat, ponatur genere erat: pro opibúsque, opibus quæ: pro imperio positus, imperio potitus.

Deinde breui effecit, ut pater in se minimum monumentum ad fauorem conciliandum esset.) 187. B. Credo momentum esse scribendum.

Nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatorum gentium arma.) 188. B. Vos emendastis effrenatarum, ego efferatarum emendo.

Sed interiora tuendo, minorem in diem urbem Saguntini faciunt.) 189. B. Credo legendum, in dies, ut in elegantijs.

Turris diu quassata procideret, pérque ruinã eius cohors Pœnorum impetu facto, cùm signum imperator dedisset, nudatam stationibus custodijsque solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis uiribus aggressus urbem momento cepit.) 190. A. Credo legendum, imperatori.

Partitis diuidendísque reliquijs prædæ.) 192. A. Credo diuenditis.

Deinde: Cura humani ingenij, cùm quidnam id esset quod respicere uetitus esset, agitante animo temperare animo nequisse eum.) 192. B. Vos emendastis, temperare animum. Ego reor sic emendandum: agitaret, animo temperare omnino.

Qui tumultus repens postquàm est Romam perlatus, & Punicum insuper Gallicum bellum auctum patres acceperũt.) 193. A. Ita scriptum est in codice regis, quod emendare debueratis, Punicum supra Gallicum: uel, Punicum insuper Gallico.

Et ipsi traijci exercitum, leuaríque quamprimum regionem suam tantam omnium urgente turba cupiebant.) 193. B. Legendum est, tanta hominum.

Ibi raptim cæsa materia, ratésque fabricatæ, in quibus uiríque & alia onera traijcerentur.) 193. B. Vos sic emendatis, equi uiríque: quasi consuetum sit equos uiris anteponi. Ego uel non emendandum reor, perinde ac si scriberetur, in quibus & uiri & alia onera: uel sic emendandum, in quibus equique & alia onera: uel, uiri equique, & alia onera.

Vt quenque timentem altitudinem destitueret, uado impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente.) 194. A. Credo destituerat.

Neque antè Hispania excessisse quàm omnes gentes, quæ & terras, quas duo diuersas maria amplectuntur, Carthaginensium esse.) 194. B. Sic reor emendandum terræ & Carthaginensium essent. Item non relatiue, sed copulatiue scribi debere, q;, perinde ac si dicatur, omnes & gentes & terræ.

Nunc posteaquam multo maiorem partem itineris emensam cernant, Pyrenæum saltum inter ferocissimas gentes superatum, Rhodanum iam tum amnem, tot millibus Gallorum prohibentibus, domita etiam fluminis ui, traiectum, in conspectu Alpes habeant.) 194. B. Legendum credo, Rhodanum tantum amnem.

Ambigebant fratres, maior, & qui prius imperitauerat Brancus nomine, minor erat fratre, & cœtu iuniorum qui iure minus, qui plus poterat pellebatur.) 194. B. Vos sic emendastis: dictionẽ iure, delectis rubra siue uiolacea linea, additísque alijs dictionibus, sic: qui minor, ab eo qui plus poterat, pellebatur. O lippi, ô alij, quæ uobis multa est, lippitudinẽ exprobrantes:

brantes:

brantes: estne istud seruare similitudinem, seruare numerum literarum in coniectanda scripturæ ueritate, alias dictiones eximere, alias adijcere? Videte quàto id à me syncerius custoditur. Ambigebant fratres: maior, & qui prius imperitarat, Brancus nomine, minore à fratre, & cœtu iuniorum, qui (uel quia) iure minus, ui plus poterat, pellebatur.

Homines intonsi & inculti, animalia animaliáque omnia rigentia gelu.) 195. A. Sic uos. At debuistis mutare istud inanimalia, quod non reperitur, in id quod consuetum est, inanima.

Deinde postquam interrumpi agmen uidit, periculúmque esse exutum impedimentis exercitum, nequicquam incolumem traduxisse, decurrit ex superiore loco: & cum impetu ipso fudisset hostem, equis quoque tumultum auxit, sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera montanorum fuga erant, sedatur.) 195. B Vos mutastis unam tantum dictionem, equúmque indoctè pro equis ponentes, cum fuerit ponendum suis. Præterea sic mutandum, periculúmque ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset.

Castellum inde quod caput eius regionis erat, uicósque circumiectos capit, ut captiuo à pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primo perculsis, nec loca magnopere impediebantur, aliquantulum eo triduo uiæ confecit.) 195. B. Hic uos nihil aliud quàm loca mutastis in locis. Ego uero sic: Et captiuorum pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montani prælio perculsis, nec loco magnopere impediebantur &c.

Annibal nec temerè credendum, nec aspernandos, ne repudiati hostes aperte fierent, benigne cum respondisset.) 195. B. Credo legendum, nec temerè credendo, nec aspernando eos, ne &c.

In eos uersa peditum acies, haud dubium fecit quin nisi firmata extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerat.) 195. B. Emendare debuistis, fuerit.

Inde montani pauciores iam & latrocinij magis quàm belli more concursabant, modo in primum, modo in nouissimum agmen, ut cuique aut locus aut opportunitatem daret, aut progressi moratiue aliquam occasionem fecissent.) 196. A. Vos emendatis, prout cuique aut locus aut opportunitas apud eos erat: cum nihil sit mutandum, nisi delendo ex tribus, aut secundum: sic, ut cuique aut locus opportunitatem daret.

Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis ac si istud ægre expeditus miles tentabundus manibúsque retinens uirgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.) 196. A. Vos, ut dixi, emendastis, atque ita, rectam ac si istud. Ego sic: Atque ita rectis saxis ut ægre &c.

Natura locus iam ante præceps recenti lapsu terræ impeditus, dum ille admodum altitudinem abruptus erat.) 196. A. Vos emendatis, dum mutantes in tum. Ego sic: Lapsu terræ in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat.

Molli nec peraltæ.) 196. A. Prealtæ scribendum est.

Itaque in leui tantum glacie tabidáque niue uolutabantur, iumenta secabantur, interdum etiam infima ingredientia niuem.) 196. B. Mutastis infima in semita, quasi solum iumentorum semita secaretur. Legendum est, infimam ingredientia niuem.

Decem millia equitum in Italiam adducta (magis affluxisse uerissimum est.) 196. B. Credo legendum uerisimile est.

Quid enim adhortari refert aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen ægre uicissent, aut has legiones quibus hunc hostem fugientem sequutus?) 196. B. Vos pro ægre, substituistis audacter: ego autem, egregie: uere audacter, non egregie emendantes: ego egregie, non audacter.

Cum ad unum omnes ferrum pugnámque poscerent, & deiecta esset in id sors, se quisque eum optabat quem fortuna in id certamē legeret: & cuiusq; sors exciderat, alacer inter gratulantes gaudio exultās, cum sui moris tripudijs arma capiebat.) 198. A. Scribendum est, ut cuiusq; uel, & ut cuiusque sors exierat.

Amne in prætorio patris clarissimi imperatoris probe notum certe educatum, domitorem Hispaniæ, Galliæq; uictorem.) 198. A. Scribendum opinor, prope natum, quod probat locus ille libri decimi, Sed cum Annibale prope nato in prætorio fortissimi ducis, alitoque atque educato inter arma.

Ne transieris Iberum, ne quid tibi rei sit cum Saguntinis: ad Iberum est Saguntum nusquam te uestigio mouearis.) 198. B. Vos mutastis, è uestigio moueris. Ego nusquam te uestigio moueris, accentu in antepenultima, ut sit uerbi actiui subiunctiuum, non passiui indicatiuum.

Nullum contentum ad uincendum homini à dijs immortalibus acrius datum esse.) 198 B. Credo scribendum, nullum incitamentum.

Quibus procuratis Scipio cum equitatu iaculatoribúsque expeditis profectus ad castra hostium, ex quo propinquo copias, quantæ & cuius generis essent, speculandas obuius fit Annibali.) 199. A. Petrarcha emendauit, ex loco propinquo. Vos emendare omisistis: quod sic fuit emendandum, èxque propinquo.

Mantlius equidem de filio uirum esse, quod & plures tradidere authores, secundum famā obtinuit.) 199. A. Vos emendatis, Mumius pro Manilum ponentes: ego seruum pro secundum. Nam seruus fertur Scipionem ab hostibus eripuisse, filius à pluribus authoribus traditur.

In quarta uigilia noctis insequentis tacito agmine profectus ad Trebiam fluuium iam loca altiora locisque impeditiores equites castra locat.) 199 B. Vos tollitis, iam: ego pro iam: substituo, in pro locus, colles: pro equites, equiti.

Delige centenos uiros ex omni pedite equitéque, cum uiribus ad me uigilia prima uenias. Nunc corpora curare tempus est.) 201. A. Ego uiribus reor mutari debere in quibus.

Cæteris ducibus peditum equitúmque præceptum, ut prehendere omnes iuberent armatos, deinde instratísque equis signum expectare.) 201. B. Cur in codice regio non emendastis prandere, pro prehendere?

Postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio, auidus certaminis eduxit.) 201. B. Vos consilio mutastis in consilium, quasi ad consilium, non ad locum consilio destinatum ierit, cum sic dicatur substantiue destinatum, ut propinquum, quale fuit illud superius. Exq; propinquo speculandis copiis.

Tunc utique egressis rigere omnibus corpora, ut uix armorum tenendorum potentia esset, & similitudine: & procedente iam die fame etiam deficere.) 201. B. Credo sic legendum: potentes essent, & lassitudine, uel & simul procedente &c.

Duodeuiginti millia Romani erant, socium nominis Latini uiginti, auxilia præter Cenomanorum.) 201. B. Vos emendastis præter, cum fuerit emendandum præterea.

Pedestris pugna par animis magis quàm uiribus erat, quas recentis Pœnus paulò antè curatis corporibus in medium attulerat.) 201. B. Vos emendastis, quam recentis: cum fuerit emendandum, quia recentis Pœnus, hoc est Annibal: uel quas recentis, pro recentes. Pœnus, id est milites Pœni.

Extemplo haud dubiam facere fidem quoque additus terror Romanis, ut fusa auxilia sua uiderunt.) 201. B. Vos mutatis quoque, in ésque: ego tantum locum muto, sic: additus quoque terror.

Cæterum ne hyberna quidem Romanis quieta erant, uagantibus passim Numidis equitibus. equéque his impeditiora erant Celtiberis Lusitanísque.) 202. A. Vos emendatis, æquéque, tantummodo adiecta diphthongo, cum sic fuerit emendandum, & queq;.

Omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi quos Pado naues subuehere emporiū prope Placentiā fuit, & opere magno munitum, & ualido munitū præsidio.) 202. A. Vos nihil aliud quàm dempsistis illud t, ut emporium tantum esset, non intelligentes literam illam ad præcedentem pertinere dictionem: uel quia figuræ maiusculæ erat, fuisse apicem cum litera coniunctum. scriptúmque reliquisse authorem, subueherent. Præterea munitum

quia

quia iteratum est, mutastis in firmatum, ego muto in militum.

Deinde ut tandē agitando sese mouere ac recipere animos, & rarus locus fieri cœptus est ignis, ad alienam quisq; opē tēdere.) 202. B. Vos (quasi mendosa scriptura sit) mutastis recipere, in recepere, opinātes esse præteriti tēporis mouere, cū sit infinitum, aut referendum ad illud cœptus est, ut sit, sese mouere ac recipere animos cœptū est, aut accipiendū pro mouebant. Ite & me reprehendite, tanquā nescientē tali infinitiuo uti, qui uos hoc ipsum doceo. Taceo mille in locis uestrum in orthographia errorem.

Pugna raro ulla magis ea: & cū utrinsq; partis pernicie clarior fuisset, si extendi ea dies in longū spatiū quiuisset.) 203. A. Vos tollitis ea, ego muto in sæua: opinor enim s, quæ ultima est in magis, fecisse ut sequēs s excideret, sicut factū est in illo superiore, rectus ac si istud, pro rectus saxis. Præterea mutastis, quum fisset, in fuisset: quia quidā codices habēt, si extēdi eā. Si uero scribēdū est ea dies, ut est apud codices alios, nihil ista mutatione opus est.

Postquam perditas res amißaque castra accepit, iter ad mare conuertit, haud procul Terracone claßi. m. naualésque socios uagos palantésque per agros (quod ferme fit ut secundæ res negligentiam creent) equite paßim dimisso, cum magna cæde, maiore fuga ad naues compellit.) 203. A. Vos emendastis pro claßi, claßis, supráque screpsistis minutis literis has duas dictiones, ubi erat: quasi sic obscure loquatur Liuius, ut duo uerba subaudiri oporteat: cum sic emendandum esset, claßicos milites.

IN SECVNDO LIBRO EMENDATA.



ECVNDVS liber sic incipit: Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis metuit, & neq; eo qui iam ante conatus transcendere Apenninum intolerādis frigoribus & ingenti periculo moratus ac metu.) 304. B. Vos, tanquam appetebat actiuum sit, & nō absolutum, pro eo quod est appropinquabat, siue incipiebat, sic emendastis: Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis, quæ et metuit. nec hoc amplius. Petrarcha sic: Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis metuit, ut neq; eo qui ante conatus transcendere Apenninum, & cum ingenti periculo moratus ac metu. Hæc si quis leget non habens in promptu Liuium, uolo sciat Annibalem antè conatum fuisse ex Gallia Cisalpina, ubi se parum credebat tuto moraturum, transcēdere Apenninum: sed fœdis cœli tempestatibus repulsum, & interea sæpe eisdem Gallis insidiantibus, in ultimū discrimen adductum. Hunc locum Poggius, ad quem Antonius & Barptolemæus suas in me inuectiuas miserant, cum superioribus diebus has emēdationes ostenderem, dixit aliquot iam annis Florentiæ sic emēdasse unà cum Leonardo & Carolo Aretinis: Iam uere appetebat cum Annibal ex hybernis mouit. cætera negabat egere correctionis: sicut illum communem mihi cum Candido locū, & alia multa, quod uellet sic accipi, Neque eo metu qui (pro quo) iam ante conatus erat. Solere nanque Liuium dure ac scabre loqui. Ego etsi magis Liuij quàm meam uicem doleam, tamen nihil dixi, nisi ut ad reliqua pergeret. Cuius quàm docta sit expositio, & quàm uera de Liuio opinio, docti iudicent. Ego sic lego: Iam uer appetebat, quum Annibal ex hybernis mouit: & nequicquam ante conatus transcendere &c.

Dum consul placandis Romæ distrahendóque delectu operam dat, Annibal ex hybernis profectus.) 205. A. Vos sic emendatis: Dum consul placandis dijs Romæ distrahendóque delectu: nescientes, distrahendo duo uerba esse: dis, quod fere ueteres non gemino ij scribebant: & trahendo, id est, differendo: nam distrahere delectum nusquam legimus. Palam ergo est quomodo emendare debuistis.

Senatum prætores per dies aliquot ab ortu ad occidentem solem in curia retinent.) 207. A. Opinor authorem ab ortu scriptum reliquisse, id est, ab orto sole, idque aliquos uestri similes mutasse.

Tibur quo die ad conueniendum edixerat nouis militibus uenit, inde Præneste aduersis militibus in uiam Latinam est regressus, unde itineribus summa cum cura exploratis ad hostem ducit.) 208. A. Vos emendatis, inde Præneste uersis itineribus: ego transuersis tramitibus.

Sed ubi aperta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota uidet, increpans quidem uictos, tandem quos Martios animos Romanis, debellatúmque & concessum. Quod quæ propalandæ uirtute ac gloria esset, in castra redijt. Cæterum tacita cura animum incensum.) 208. B. Vos emendatis propalandæ, quod uocabulum non reperitur à palàm, neque ut opinor à pala, sed à palus li, ut propalare uineam apud Lucium Colomellam. & incensum, inceßit. Ego sic: Increpans quidem uictos tandem martios animos Romanorum: quia debellatum atq; concessum ei propalam de uirtute ac gloria esset, in castra redijt. Cæterum tacita cura animum incensus &c. Vel quia quidam codices habent, increpans uictos, quid tandē sic? quod tandem porro Martios animos, Romanis debellatúmne & concessum propalam de uirtute ac gloria esset.

Sed uir ac uere Romanus, quo die eum dictatorem ex authoritate patrum iußúque populi dictum, Veios allatum est, cum esset satis altum Ianiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in equum.) 209. A. Vos sic: Veios allatum esset, S. C. statim uenit Ianiculum, ubi sedens. quasi uenit Ianiculum poßit dici, sicut uenit homo Roman: sed nihil ex sententia intelligitis, quam uobis aperiam, alium mutato in altum: nam Ianiculum non masculini generis est, sed neutri. Exprobrabant Fabio Maximo, qui cunctaretur, iactantes Camillum, qui simul ac dictatorem se factum accepit (satis altum est Ianiculum unde sedens prospectaret hostem Gallum) sic nunc è montibus Fabius hostem Pœnum (éstque parenthesis) non hoc ille fecit, sed in æquum planúmque descendit.

Quo repente discursu, haud secus quàm syluis montibúsque accensis, omnia circum uirgulta ardere: carptim quærit atque ratio, excitans flammam hominum paßim discurrentium speciem præbebat.) 210. A. Vos sic emendatis, ardere cœperunt, excitatáque flamma: in quo grammaticæ ratio non constat. Ego accipio ardere pro ardebat, ut intelligatis mihi non uobis hoc genus sermonis notum: emendóque sequentia, capitúmque inquitatio excitans flammam. Erant enim boues, quorum capita alligatæ cornibus faces, dolore fatigabant.

Vt plus consilio quàm fortunæ confidat, & se potius ducem quàm Sempronium Flaminiúmque imitetur: ne nihil actum esse censeret extracta prope æstate per ludificationem hostis: medica quoque plus interdum, quippe quàm mouendo atque agendo proficere.) 210. B. Vos sustulistis media. Ego sic emendo. Medici quoque plus interdum quiete quàm mouendo atque agendo proficere. Vel, medicos plus interdum quiete quā mouendo atque agēdo proficere. quod etiam probat Hippocrates. Hunc quoque locum Poggius cum non admitteret ut probe correctū, ego dedignatus expectare de reliquis iudiciū hominis, qui nihil nisi quod ipse inuenisset, bene inuentum iudicaret, eum ualere iußi: non ita magni referre existimans in literarum senatu, si unus, & is pro sua dignitate retinenda, album mihi calculum non dedisset. Nam cæteri omnes, qui liberi æmulatione & inuidia erant, hæc uniuersa summopere comprobarunt, quorum unus fuit ille ipse cuius memini, Cardinalis Columna, uir non minus ingenio moribúsque, quàm genere nobilis, qui has plerásque emendationes suo codici addi à me mea manu uoluit. Hæc ideo dixi, ut intelligar à nemine fuisse hac in re inuenienda adiutus.

Et cum uniuersi adnisos lato agmine, & nonnallis simul uenientibus haud sane intrabiles essent, in latus paßim naues egerunt.) 211. A. Sic emendandum puto: Et cum diuersi à diuiso late agmine à tam multis simul uenientibus haud sane penetrabiles essent, in litus paßim egerunt.

Cæterū omnes incēsum est, nec continētis modo periectas oras prætermecta, sed in Ebusum insulā trāsmissum.) 211. A. Vos mutatis periectas, in periunctas: ego in proiectas, hoc est, prominentes.

Eo uinculo Hispaniam uir unus solerti magis quàm fideli cõsilio ex societate, duxerat Sagũti nobilis Hispanus fidus ante Pœnis, tum (qualia plerunque faciũt barbarorũ ingenia) cum fortuna mutauerat fidem.) 211.B. Vos ita mutastis (cum dico mutastis, errasse uos aio, atque induxisse.) Mutastis autem, facientes ex binis dictionibus singulas, de, ex societate, exoluẽdam: de, dux erat duxerat. Ego sic, consilio exoluit: éstque finis superioris sententiæ. Tũ sequitur altera. Acedux erat Saguntini nobilis Hispanus. Siquidem Acedux nomen hominis est, ut in sequentibus patet.

Conuenerat inter duces Romanos Pœnúmque, ut quæ pars prius reciperet quàm daret, argenti pondo bina & sex libras in milites præstaret. CCXLVII. cum plures Romanus quàm Pœnus recepisset, argentúmque pro eis debitum sæpe &c.) 212. A. Vos mutatis prius in plus, ego in plures, & milites in militem, & sex libras in selibras, id est, in singulas libras cum dimidiata, ut semodius unus modius est & dimidiatus, & sescunx uncia & media.

Annibal pro Geryonis mœnibus, cuius urbis capta atque incensa à se in usum horreorum pauca legit quæ erat tecta, instituti fecerant, inde frumentatum duas exercitus partes mittebat.) 212.A. Vos sic: Pauca reliquerat tecta, quod ego non damno, quódq; ego per me animaduerterã. id si uos nõ cõceditis, nec ipse concedam nobis istud uos inuenisse, sed aut è libro, aut ex homine didicisse. & alioqui altius ipse & plura quàm uos emendaui, sic: In usum horreorum si qua reliqua erant tecta restitui iusserat.

Patrem Lanũ fuisse ferũt, ipsum institutorẽ mercis, filióque hoc ipso in seruili eius artis ministerio usum. Is iuuenis uerũ ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta animum ad spem liberalioris fortunæ adiecit.) 213.A. Ego reor non institutorẽ, sed institorẽ legendũ: & pro uerũ, multa, siue grandi. Vos uerũ, cum tamen necessarium sit suum adiectiuum habere pecunia. non enim quantacunque pecunia à patre relicta facit animos, sed multa.

Non celerius quàm timui deprehendit fortuna temeritatem. Fabij æquatũ imperio Annibalẽ, & uirtute & fortuna superiorẽ uidet.) 214.A. Hoc uos in regio codice reliquistis inemendatum, quod sic emendandum erat: Fabio æquatum imperio &c.

Itaque prius quàm ad coniectum teli ueniret, aut manum consereret, suos à fuga effusa, & ab animis feroci pugna hostis continuit.) 214.A. Emendare debuistis, & à feroci pugna.

Progressus ante alios magister equitum cum patrem Fabium appellasset, circunfusosque milites eius patronus totũ agmen cõsalutasset, Parentibus (inquit dictator) medijs quibus te modo nomine, quo fando possum, æquaui, uitam tantũ debeo: tibi eũ meam salutem tum omnium horum.) 214.A. Vos emendastis: Parem, inquit dictator, te dijs modo nomine. Ego sic: Parentibus, inquit dictator, meis quibus te modo &c.

Neapolitani legati Romam uenerunt, ab his quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque ita uerba facta ut dicerent, scire res esse populi, ærarium bello exhauriri.) 214. B. Opinor sic legendum: Scire sese populi, uel scire se reipublicæ ærarium &c.

Gratum sibi patres Romanos, populúmque facturũ, si omnes res Neapolitanorũ suas duxissent, dignosque iudicauerint à quibus donum animo ac uoluntate eorum qui libenter darent, quàm rem maius ampliúsque acciperent.) 215,A. Emendare debuistis, quam re maius &c.

Ab eodem populo Rom. S.C. literæ ad consules missæ.) 215. A. Debuistis emendare, ab eodem prætore ex S.C. literæ &c.

Terentius Varro ne quẽ sui generis hominem plebs insectatione principum, popularibúsque artibus conciliatum, ab Q. Fabij opibus ex dictatorio imperio concussum, aliena inuidia splendentem, uulgus extrahere ad consulatum nitebatur.) 215.A. Emendare debuistis, C. Terentium Varronem, quem sui generis hominem plebs insectatione principum &c.

Nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo, mirari se, quòd ne quis prius quàm aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis uosset, iam nunc locatus in urbe sciret, quæ sibi agenda armato forent.) 216.B. Credo sic legendum: Mirari se quomodo, uel quemadmodum quis, id est aliquis, dux priusquam &c.

Dubitas ergo quin cum sedendo superaturi simus, qui senescat in dies! non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat! Quandiu pro Geryonis castelli Apuliæ ignobilis tanquam pro Carthaginis mœnibus, sed ne aduersus te quidem ego gloriabor.) 217.A. Petrarcha addidit, pugnatum est, ut esset, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est. Vos addidistis, pugnabimus. Ego, sed, muto in sedet: ut sit, quandiu pro Geryonis castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus sedet.

Duobus ducibus unus resistas oportet: resistes autem, aduersus famam, rumorésque hominum si satis firmus steteris, si te neque collegæ uana gloria, neque tua falsa infamia mouerit à ueritate. Laborare nimis sæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreuerit, ueram habebit.) 217.A. Vos uero nihil intellecta scriptura sic emendatis: Veritatem laborare nimis sæpe aiunt, extingui nunquam. Ego sic legendum censeo: Neque tua falsa infamia mouerit à ueritate. Laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nũquam. Est autem etiam hac ætate tritum hoc uulgi sermone prouerbium, ut pinguioribus uerbis efferam: Aegrotat quidem ratio siue ius aliquando, sed nunquam moritur.

Omnia audentem contemnet Annibal, nihil temere agentem metuet. Nec ego ut nihil agatur, sed ut agentem te ratio ducat licet, non fortuna.) 217.A. Petrarcha uidens hoc in loco deesse uerbum, addidit moneo, sic: Nec ego ut nihil agatur moneo. Sed hæc additio superuacua est, tantúmque mutandum ego in eò, quod significat in eum finem.

Gallis Hispanisque scuta eiusdem formæ ferè erant, dispares ac dissimiles gladij. Gallis prælongi ac sine mucronibus: Hispano punctim magis quàm cæsim assueto petere hostem, breuitate habiles, & cum mucronibus ante cetras animato. Is gentium habitus tum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat, Galli super umbilicum erant nudi, Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus constiterant.) 218.B. Vos sic emendatis: Talis habitus gentium illarum. Ego sic: Ante alia habitus, siue inter alia ipse habitus.

Hæc exigentis primum turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere consulem ignorantes quis esset, obruerúntque telis.) 419.B. Vos emendatis, hæc exigenti. Ego, hæc exigentem, id est postulantem à Lentulo consule.

Hæc pugna Alliensi cladi nobilitate par, cætera utilis, quæ post pugnam accidere leuiora.) 219.B. Ego sic emendo: Cæterum ut illis quæ post pugnam accidere, leuior, quia ab hoste cessatum est. Hoc est, quia Annibal cessauit petere urbem, ut Galli petierunt superatis ad Alliam Romanis. Præterea namque, una dictio, debet diuidi in duas, ut sit relatiuum quæ: refertur enim ad illud, fuga. Ita tota emendatio erit singulis dictionibus in binas separatis: utilis, in ut illis: namque, in, nam quæ. & leuiora mutato in leuior.

Maharbal præfectus equitum minime cessandum ratus: imo ut quid hac pugna actum scias, die quinto, inquit, uictor in Capitolio epulaberis: sequere cum equite, ut prius te uenisse, quàm uenturum sciant. Præcedant (Annibal inquit) inimici: læta res, & uia maior quæ ut eam statim capere animo possem. Itáque uoluntate se laudare Maharbalis ait, ad consilium pensandum tempore opus esse.) 220.A. Ita in cæteris ferè exemplaribus: in regio autẽ, quod Florẽtiæ emendatũ est, sic: Præcedat, Annibal, læta res & nulla maior. quod uos sic emendatis: Præcedat Annibal inimicus, læta res, & nulla maior, scilicet uultis, ut hæc sit oratio Maharbalis, quæ est authoris, ideóq; sic emendãda: Præceperat, siue perciderat, siue persuaserat Annibalem, siue incesserat Annibali nimia lætitia, siue nimia tãtæ rei, siue rei talis, siue uictoriæ lætitia, maiórq; quã ut eã statim capere animo posset. Cõmuto autẽ quæ extẽsum in cõtractũ, seu diphthõgatũ siue longũ, in nõ diphthongatũ & breue. Hanc meam emendationẽ probat esse uerã cõclusio quæ sequitur: Itaque uoluntatem se laudare Maharbalis ait.

Spolijs ad multum delectis Annibal ad minora ducit castra oppugnanda.) 220.B. Opinor legendum, spolijs ad multum diei uel ad multam diem lectis.

Sed tam duriores esse uelitis, quòd nullo nostro merito faciatis, cur nos hosti relicturi sitis.) 222.B. Opinor iam legendum

dum esse, etiamsi tam scribitur. Siquidem Quintilianus ait usu receptum, ut sic iam, ut tam scribatur.

Quo in tempore ipso adeo magno animo ciuitas fuit, ut consuli ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, & gratiæ actæ quòd de republica nō desperasset: qui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret.) 224. A. Opinor legendum, cui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret. uel, qui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil ei recusandum supplicij foret.

IN TERTIO LIBRO EMENDATA.



HAEC Annibal post Cannensem pugnam, capta ac direpta confestim ex Apulia in Samnium mouerat, accitus in Hirpinos à Statio, pollicente se Compsam traditurum.) 224. A. Vos addidistis castra, sic, castra capta ac direpta. quanquam poterat sic mutari sine ulla additione, castráque direpta. Sed non improbo additionem, siue sit ea ex uobis, siue ex aliquo exemplari, nam multa conquisistis. Cæterum quid sibi uult primum illud uerbum, hæc? Ego superuacuum existimo, & hac de causa adiectum, quod ij qui Annibal sine aspiratione scribunt, ipsam figuram aspirationis in principio libri nōnihil distare à sequenti uocali, & forte maiuscule scriptam uidentes, non partem huius nominis, sed aliud esse putauerunt. Igitur, hæc, quod uicinum in scriptura erat, interpretati sunt.

Cæliúsque & alij, ita ut sine causa prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum ueritus.) 226. A. Vos sic emendatis: Cæliúsq; & alij, ita ut sine causa prætermiserāt, quod grāmatica nō cōsentit. Ego sic: Cæliusq; & alij scriptores haud sine causa prætermiserāt. Nā quidā haud per t scribūt, hincq; fuit erroris causa.

Hæc pacta. illa insuper quàm quæ pacta erant facinora Campani ediderunt.) 226. A. Deinde subiungitur interfectio præfectorum, ciuiúmque Romanorum. Vos ita hoc emendatis, ut duo prima uerba tollatis, tertium mutetis in alia. Ego nihil ex ijs nec tollo nec muto, sed facinora, in fœdiora, sic: Hæc pacta, subaudi fuerūt: illa insuper quā quæ pacta sunt fœdiora Cāpani ediderūt.

Eò Pacuuius Calauius, de quo ante dictum est, princeps factionis eius quæ attraxerat rem ad Pœnos, filium iuuenem adduxit. Abstractum à suo cum Decio ait latere, cum quo ferocissime pro Romana societate aduersus Punicum fœdus steterat.) 226. B. Vos sic emendatis: abstractum à sinu, à latere Decij. Ego, quia Liuius illum semper duobus nominibus appellat, sic emendo: Abstractum à sueto Decij Magij latere.

Cœperunt epulari de die, & conuiuium non ex more Punico, aut militari disciplina esse, sed ut in ciuitate atque etiam domo, diu ad uarias hominum uoluptatum illecebras instructum. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calauij filius Parolla uinum potuit. Ipsique ualetudinem excusans paternis animi quoque aut mirabilem interturbationem causa, ante solis ferme occasum patrem Calauium filius ubi in secretum (hortus erat posticis ædium partibus) peruenerunt.) 226. B. Vos sic emendatis, permolliri potuit, ipsiusque ualetudinem excusans pater. Ego sic: Pelli ad uinum potuit cibúmque, ualetudinē excusante patre: animi quoq; eius haud mirabilē turbationis causam, uel, animi quoque eius atram bilē interpretabatur causam, uel, haud miram aut perturbationē. Paulo ante Solis occasum, &c.

Consilium, inquit, affero pater, quo non ueniam solum peccati, quod defecimus ad Annibalem, impetrari ab Romanis, sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani quàm fuimus unquā.) 226. B. Nō impetrari scribendū reor, sed impetraturi.

Paucæ horæ sunt intra quas iurantes per quicquid deorum est, dextras dextræ coniungentes fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus. digressi à colloquio extemplo in eum armamur iurgijs ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale, eam ipsam mensam cruentare uis hospitis sanguine? 226. B. Credo legendum non iurgijs, sed periurijs.

Et legatione missa ad repetendum eum, ne aut negando rem quam primum peterent, offendi sibi noui socij, aut tribuendo habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum author.) 227. A. Legendum opinor non offendi, sed offendendi.

Mihi quoque quoniam respondi Homilconi, interrogare ius fásque est, uelim seu Himilco respondeat.) 228. A. Legendum credo, seu Mago, seu Himilco respondeat.

Ergo si quis de pace consulet seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam: sed de ijs quæ Mago postulat repertis. Nec uictoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsa atque inania multo minus censeo mittenda.) 228. A. Sic legendum puto: Sed de ijs quæ Mago postulat, nec repertis uictoribus mitti attinere puto.

Cupidus marini oppidi potiundi.) 228. B. Opinor legendum, maritimi.

Cæterum postquam Neapolim à præfecto Rom. teneri accepit (M. Iunius Syllanus erat ab ipsis Neapolitanis accitus) Neapoli quoque sicut Nolam amissa, petit Nuceriam.) 228. B. Opinor legendum, Nola omissa.

Instrui deinde utrinq; acies Romanorum cœptæ pro mœnibus Nolæ, Pœnorum ante castra sua: prælia hinc parua inter urbem castráque.) 229. A. Obscurus sensus, qui fiet apertissimus, si loca duarū dictionū contiguarum mutauerimus, sic: Instrui deinde utrinq; acies cœptæ, Romanorū pro mœnibus Nolæ, &c.

Media porta robora legionum & Romanos equites, duabus circa portis nouos milites leuémque armaturam ac suorum equites statuit.) 229. A. Opinor legendum, sociorum non suorum.

Non uinci enim ab Annibale uincere solitis difficilius fuit, quā postea uincere.) 229. B. Opinor legendū, nō uinci enim ab Annibale uinci solitis siue uinci suetis, uel uīcere solito siue sueto.

Annibal acerris direptis atque incensis, cum à Casilino dictatorē Romanū legionésq; nouas accipi nūciatū esset, ne quis tā propinquis castris, &c.) 229. B. Vos mutatis nouas, in Cumas, ego in nouas: & accipi, in acciri: quod ita debere legi, qui uerba ipsa authoris de duabus nouis legionibus legit, animaduerteret.

Ibi cū dies aliquot suscepti Campanus, timentésq; cauendis ac struendis inuicē insidijs traduxissent.) 229. B. Vos sic emēdatis: Ibi cum dies aliquot suscepti, Campanus susceptus, timentibúsque cauendis ac struendis. Ego tantum muto suscepti in suspecti.

Ita eneruauerunt corpora animósque, ut magis deinde prætoritæ uictoriæ eos quàm præsentes tutarentur uires: maiúsque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quàm quòd non ex Cannensi acie ad urbem Romanam duxisset.) 230. A. Vos sic emendatis. Cum dico uos, de quatuor in primis loquor duobus quidem contra quos ut nefandissimos mei accusatores hæc scribo: totidem autem absentibus, Iacobo Curlo, quem tibi Barptolomæo antepono, & Antonio Panhormita rhetore, quem proxime periisse audio, non modo latinarum, sed græcarum literarum sane perito, qui suas Genuam emēdationes ad Curlum miserat. Vos igitur regium codicem, quo nullus in omni Italia est augustior, uel emendatis, uel deprauatis.

Id peccatum ducis apud peritos artium militarium habetur maius, quam quod non ex Cannensi acie, &c.) 230. A. Ego sententiam superiorem sic claudo: quàm præsentes tutarentur uires. & sequentem, mutato maius in maius, sic inchoo. Maiúsque id peccatum ducis apud peritos artium militarium habetur, & reliqua. Dixi inchoari sequentem sententiam, sed ita uolo dixisse, ut sciamus eam à superiore pendere, ideóque scribendum haberetur, non habetur, sicuti uos emendatis.

Nec muribus aliòue animali abstinerent, & omne herbarum radicúmque genus aggeribus infimis muri eruerent: & cum hostes exarassent quicquid herbi terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt.) 230. B. Vos mutatis herbi, in herbidi, & raporum in raparum. Ego infimis, in infimi, de ablatiuo plurali in genitiuum singularem: & herbi terreni, in herbidi uel herbæ tenerum. Raporum autem in raparum cur mutaueritis, non

uideo

uideo, cum Cato, Varro, Columella, Plinius, Martialis Palladius, aliique complures, rapa neutro genere appellent.

Fuluius Flaccus in locum P. Scantini demortui.) 231. A. Vos emendatis, in locum P. Scauri inde mortui: quasi dicatur inde mortuus, & non semper demortuus.

Cum de ea re. M. Aemylius prætor dictatore post Casilinum amissum profecto tam ad exercitum exposcentibus cunctis retulisset.) 231. B. Vos mutatis tam in tum, nescij tam pro tam scribi, ut iterum admonuimus.

Accirique C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum iusserint, qui eò ex Apulia, relicto ibi præsidio, cum magnis itineribus Romam redijsset.) 231. B. Vos emendatis, qui consul ex Apulia. Ego, qui mox ex Apulia.

Idque sacrum uasis erat, quo solennibus libarent.) 232. A. Opinor legendum, sacrum uas ijs erat, uel sacrum uas erat.

Quid in Apulia cum C. Terentio consule esset, à peritis quæsitum est, ne secundo consiliarius exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio.) 232. B. Vos sic emendatis, quæsitum est duóne consulares exercitus. Ego: Nec quomodo consulares exercitus, & reliqua.

Eodem exin dictatoris legionibus relisei militem minimi quęque roboris.) 132. B. Opinor scribendum, eodem ex tribus dictatoris legionibus. Tot enim habuit dictator legiones, & binas consules.

Cum decreta senatus mandatáq; exposuisset, atque edocuisset, ipse inuicem quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit, nulla re quàm celeritate tutior, quód undique abierat antequam consentirent.) 233. A. Vos hæc ultima uerba sic emendatis: antequam eum sentirent. Ego, antequam consules sentirent. Siquidem duo consules tunc in Hispania erant, quos ille fefellit. Carthaginiensis & consules una syllaba scriptum erat, ut in plurimis uerbis fit. Porro illud inemendatum reliquistis, atque edocuisset: quod est ita emendandum, atque edidicisset, uel, atque edoctus fuisset, uidelicet quomodo ille ad quem uenerat, tractare bellum uellet.

His anxij curis ad Iberum conuertunt copias, & transito amne cum diu consultassent utrum castra castris conferrent, si satis haberẽt socijs Carthaginiẽsiũ oppugnãdis, morari ab itinere proposito hostẽ, urbẽ à propinquo flumine Iberã appellatã opulentissimã ea tẽpestate regionis eius, oppugnare parant.) 233. B. Vos sic emendatis: Vtrum castra castris cõferrent, an tum haberent. quæ sententia non habet exitum. Ego sic, an satis haberent.

Absumptis enim frugum alimentis, carnísque omnis generis quadrupedúmque suetúmque, postremo corijs herbísque & radicibus, & corticibus teneris, strictísque rubis.) 234. A. Ego opinor legendum, scutorúmque, pro suetúmq;: quæ uerba uos quia emendare nesciuistis, erasistis.

Senatus decreuit ut T. Sempronius consul designatus cum Ibono iuisset, ad populum ferret ut Fabium siue dium uirum esse iuberent ædis dedicandæ causa, & M. Aemylio Lepido quibus consul augúrque fuerat filatres l m, quæ audisse funebres per triduũ & gladiatorum paria duo & uiginti per triduum in foro ædiles curules C. Lectorius & T. Sempronius Gracchus consules designati, qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerant, qui per triduum instaurati sunt. Circumacto tertio anno Punici belli T. Sempronius consul designatus, idibus Martijs magistratum inijt.) 234. A. Vos hic nihil emendastis, nisi cum Ibono iuisset, sic: cùm primum magistratum inisset: quod falsum esse ex posterioribus coarguitur, quia ante fuerunt editi ludi, quã Sempronius inisset magistratum, ut ipsa quæ posui uerba indicãt. Postea mutastis filatres, in simul imperatores, hoc est, tres imperatores: quæ nulla sententia est. Ego sic arbitror emendandum: Senatus decreuit ut T. Sempronius consul designatus cum bono omine ad populũ ferret. ideo autem præfati sunt cũ bono omine, quia post motum bellum nunquam fecerant ludos, alijs super alijs cladibus nunciatis. Perago cætera. Vt duumuiros esse iuberent ædis dedicandæ causa. C. Aemylij Lepidi, qui bis consul augúrque fuerat, filij tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & uiginti per triduum, in foro dederunt. Aediles curules C. Lectorius & T. Sempronius Gracchus consul designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat ludos Romanos fecerunt, & reliqua.

Consules exercitus inter se diuiserunt. Fabio exercitus cui M. Iunius dictator præfuerat, euenit. Semp. Volonum, quod fuerat, & sociorum XXX.) 234. B. Lego, Sempronio Volones, qui fuerunt, & sociorum XXV millia. Sunt autem Volones serui quibus pro repub. arma tradebantur, sic appellati, quod ultro uellent militare pro dominis.

Subductæ naues dũ refiguntur aliquantum tẽporis triuere.) 235. B. Sic legitur per uos in regio codice emendatum, cum emendare debuissetis, reficiuntur. Nam refigere est quod fixum est educere.

Campanis omnibus statutum sacrificium ad Hamas.) 236. A. Legendum est statum, de quo fuit inter nos apud regem controuersia, quódque ego multis rationibus atque exemplis probaui.

Iam Campani eo frequentes ex composito conuenerant, nec procul inde in occulto Marius Alpius edixit, uti cui summus magistratus erat Campanis, cũ XIIII. maiorũ habebat castra.) 236. A. Vos sic emendatis: Martius Alpius & ipse, uti cui summus magistratus erat Cãpanis, cũ XIIII. iuniorũ uel militũ habebat castra. Ego sic: Mediastuticus uel Medisstuticus, qui summus magistratus erat Campanis, cum XIIII. militum habebat castra. Est autem mediastuticus nomen magistratus, ut alijs in locis apud Liuium, libro secũdi belli Punici 6 patet. Si quis tollendũ relatiuũ putat, ut sit, medistuticus summus magistratus erat, tollat licet.

Ipse ad Hamas uacua hostibus castra nequicquam præter recentis uestigia cædis stratáque passim corpora sociorum inuenit.) 236. B. Legendum est, nec quicquam. Cum dico legendum, dico uos emendare debuisse.

Aduersus ligneam ingentem turrim admotam urbi, aliam ex ipso muro excitauit Consul Romanus aliquanto altiorem, quia muros satis per se altos subiectis ualidis supplicatis pro solo usus erat.) 236. B. Vos tamen in margine ex purpureo colore fecistis pro supplicatis, aliter sublicis. Opinor, Antoni, nonnihil reminiscebaris correctionis meæ apud regem. quod si prorsus reminisceebaris quomodo hunc locũ emendarim, nec me authorem in emẽdãdo regio codice habere uoluisti, nihil est te pertinacius. sin oblitus es, nihil te obliuiosius atque hebetius. Ego sic emendandum esse librum te admonui, rege approbante, & ut reor, etiam memoria tenente: Quia muro satis per se alto subiectis ualidis sublicis pro solo usus erat. Est enim sublica genus trabis, unde dictus est pons sublicius, quód non ex lapidibus esset, sed ex sublicis structus non solum Romæ, & in Tyberi, sed in alijs etiam fluminibus.

Ad mille CCCC. Carthag. cæsi, & unde LX. uiui capti.) 236. B. Opinor legendum, & undesexaginta uiui capti, hoc est, uno dempto ex LX. qui sunt LIX. captiuis in uincula coniectis.

Itaque ignarus his quæ cum Annibale legatis suis conuenissent.) 237. A. Vos emendatis, legati sui, quod nec fuit emendandum, & sic emendari grammatica uetat.

Nec te nec exercitum tuum non nisi, à quo tot acies Romanas fusas stratásque sciam: ei facile esse dicam, opprimere populatores nostros uagos sine signis palatos, quo quenque trahit, quamuis uana prædæ spes.) 238. B. Opinor legendum, nec te, nec exercitum tuum norim, nisi uel ni à quo tot acies. & reliqua.

Si modo quos socios haberes dignos duxisti, ad id indignos iudicas, quo in fidem receptos tueris.) 238. B. Vos emendatis, nisi quos modo ut socios haberetis. cùm sic fuerit emendandum: Si modo quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis.

Exercitum esse non in agrum Hirpinum sociorumue.) 238. B. Opinor legendum, exercitum misisse.

Sed quid inter Capuæ Nuceriæque fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos Nolanos scire: uolo minari quæ captæ urbi cessura forent.) 238. B. Vos emendatis nolle, pro nolo. Ego ominari, pro minari.

Romam uos expugnaturos si quis duceret: fortes lingua iactabatis: enim minor est res, hic experiri uim uirtutémque uolo.) 239. B. Opinor legendum, en minor, uel, en nunc minor est res.

Sed Nolanis etiam per clamorem fauoris iudicem accendẽtibus.) 239. B. Ego fauoris indicem, ut apud Ciceronem pro

Rabirio:

Rabirio: Quin comprimitis istam uocem indicem stultitiæ, testem paucitatis?

Taurea uerbis ferocior quàm re, minime sis, inquit, Cantherium in fossam!) 240.A. Vos emendatis, minime sis, quum eodem modo hic dicatur sis aduerbialiter, quo agesis, quod exponũt si uis: cuius generis sunt plurima exempla.

Huic pugnæ equestri rem quam ætatis communis certa existimatio est.) 240.A. Ego sic: quam fatis certam communis existimatio est.

Literis recitatis nemo omnium erat qui nec uera scribi, & postulari æqua fateretur.) 240.A. Opinor sic legendum: Nemo omnium erat, quin & uera scribi, &c.

Quorum duo postulata fuere, unum ne tarentum in eo publico essent.) 240.B. Vos sic emendatis: Quorum duorum postulala fuere, ut talentum in eo publico esset. quæ sententia nec cum re conuenit, nec ullius est usus. Ego sic: quorum duo postulata fuere: unum, ne alij triennio eo publicani essent. publicanorum enim hæc postulata erant, qui reipublicæ præsentem pecuniam, & quidem gratuitam mutuabant, sed sub spe: quia tunc nec in ærario quicquam, nec in uectigalibus foret.

Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita: nec quicquam si ex opulento ærario, ut quondam alerentur.) 240.B. Opinor legendum: Nec secus, quam si ex opulento.

IN QVARTO LIBRO EMENDATA.



FLVMEN quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat, & agros qui habitabantur sex millia aberat.) 241.B. Opinor legendum, præterfluebat muros procul ijs qui habitabantur.

In Sicilia Romanis omnia mutauerat mors Hieronis . regnũmque ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum uixdum libertatem, nedum dominationem modice laturum. Aetatis id ingenium tutores atque amici ad præcipitandum in omnia uitia acceperunt.) 242.A. Ego accipio modice aduerbialiter, pro eo quod est temperate & modeste: ideóque superiorem sententiam sic claudo: nedum dominationem modice laturum. Sequentémque sic incipio, mutoque sic: Lætati, id ingenium tutores atque amici.

Quæ ita futura cernens Hiero, ultima senecta uoluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili, per ludibrium bonis artibus partum firmatúmque interiret regnum. Huic consilio summa ope obstitere filiæ, nomen regium penes puerum futurum ratæ, regimen rerum omnium penes se uirósque suos Andronodorum & Zoilum, primi relinquebantur.) 242.A. Ego sic emendandam reor: Penes se uirósque suos Andronodorum & Zoilum, nam ij tutorum primi relinquebantur: uel, nam ij duo primi, uel, ij enim duo primi, &c.

Deinde cæteros tutores summouet Andronodorus, iuuenem iam esse dictitãs Hieronymum, ac regni potentem, deponendámque tutelam ipsi quæ communis cum pluribus erat, in se unum omnium uires conuertit.) 242.A. Legendum opinor, deponendáque tutela, id est, deponendo tutelam quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unum omnium uires conuertit.

Hunc tam superbum apparatum habitúmque, conuenientes sequebantur contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta, aditus non modò alienis, sed tutoribus, libidines nouæ, inhumana crudelitas.) 242.A. Ego emendo conuenientes in conuenientia, & addo etiam ut quidam addunt, difficiles, ut sit, difficiles aditus.

Clamore & tumultu audito in Indigeminem tam haud dubie obstantem tela conyciunt.) 243.A. Vos emendatis tam, in tamen: ego pro tam, iam puto legendum, ut hoc iam dixi.

Inde Romam comitiorum causa ueniens, in eum quem primum diem comitialem habuit, comitio edixit, atque edixit inire præter urbem in campum descendit.) 243.A. Vos sic emendatis, comitialem habuit eo die, comitia dixit, atque edixit inire. Ego sic: Comitia edixit, atque ex itinere præter urbem in campum descendit. Quod probatur ex illo non longe pòst loco: Et quia urbem nõ inierat, protinus in campum ex itinere profectus. Comitialem à comitijs dixi, quæ sunt actus creandorum magistratuum: non à Comitio, quod ut ait Pedianus, est locus prope senatum, quò ire equitibus & populo Romano licebat. Itaque aliud singulare, aliud plurale significat.

Ob eandem causam (ut multis annis pòst fuisse non negauerim, cum M. Valerio non diffideretur aduersus similiter prouocantem arma capiens Gallum ad certamen.) 243. A. Hic ego reor mutandum, ut, in haud: commutandáque aliorum uerborum loca, sic: Ob eandem causam haud multis annis pòst fuisse non negauerim, cum M. Valerio non diffideretur arma capienti aduersus similiter prouocantem ad certamen Gallum.

Fontem sub terra tanta in aquam fluxisse.) 244.A. Opinor legendum, tanta ui aquarum, &c.

Tactum de cælo atrium publicum, & in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nocem in Sabinis publicámque niam, murum ac portam Gausiam.) 244.A. Vos mutatis nocem in arcem: ego in nucem.

Inchoata nostra gloria nondum perfecta est, periculúmque ingens manet, nisi faciem concordiæ consulitis ne libera afferatur res.) 248.B. Vos sic emendatis, nisi facie concordiæ consulitis. Ego sic: nisi ciuium, uel publicæ, uel communi concordiæ, uel nisi paci & concordiæ consulitis.

Esse aliquid etiam monenti ad consilium.) 250.A. Opinor legendum, momenti.

Ipsi cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur, spe territis omnibus per proditionem urbis potiundæ.) 250.B. Vos sic emendatis, spe fretis omnibus: quod longe abest à uero. Nam ideo proficiscebantur cum paucis equitibus Herbesum', quod erat eis spes urbis potiundæ per proditionem, omnibus qui Herbesi erant iam territis. Nescistis distinguere hanc clausulam, ergo nec sensum eius percipere.

Prima forte signa sexcentorum Cretensium erant qui apud Hieronymum meruerant.) 250. B. Vobis quidem uenit in mentem emendare, praua fronte.

Inter hoc colloquium signa constituerant, tenebatúrque agmẽ, necdum quæ moræ causa foret peruenerat ad duces. Postquam Hippocratem & Epicidem peruaserat rumor.) 251. A. Hic quoque uos additis aduenire, quasi non subintelligatur uerbum substantiuum, sic: Hippocratem & Epicidem esse.

Velut interceptas literas quas ipse composuerat recitat. Prætores Syracusanos Marcello suo salutẽ, ut assolet, scriptum erat. Recte eum atque ordine fecisse.) 251.A. Opinor scribendum. Syracusani: est enim principium epistolæ. prætores Syracusani. Hoc tamen esse principium epistolæ. tenésne memoria Antoni te non peruidisse cum legeres? peruidisse regem atque cæteros qui aderant cum te emendassem, secundum. pro post accipe? Multáque enim exempla protulissem, ni uidissem assensos. Ita opinor memoria tenes, qui nihil æque memoria tenes atque iniurias, quas putas tibi factas, etiamsi nullæ sunt. Nam quas ipse facis, earum non minus cito te capit obliuio, quàm beneficiorum officiorúmue ab alijs acceptorum. Sed ne hunc quidem locum qui sequitur, intellexisti.

Murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cauis aperuit: per quæ caua pars sagittis, pars scorpionibus ex occulto petebat hostem.) 252.A. Legendum est cauis, cuius nominatiuus est caua, id est, foramina, ut apud Plautũ in Menæchmis: Etiã nunc concede audacter ab leonino cauo. Et apud Cornelium Celsum in septimo: Deinde totum id cauum, sicut in fistulis dixi, usq; ad os excidendum. Quanquam apud Columellam (si tamen uera scriptura est) reperitur in genere masculino: Deinde cauum quem fecerit, surculo obturato.

Sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ erant, profectus

fectus Carthaginem, aditúsq; ibi & à legatis Hippocratis.) 252. A. Vos mutatis aditum in accitum, quasi non sit multò satius illum fuisse aditum à legatis, quàm accitum.

Quod ubi Aennensium principes iam pactl cum Himilcone de proditione præsidij animaduerterunt, nulli occasioni fraudis Romanum patêre placuerat agendum. Vrbem arcémque suæ potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem, non serui in custodiam traditi essent Romanus. Itaque claues portarum reddi sibi æquum censent.) 253. A. Opinor mutandum unum uerbum placuerat, in duo, palam rati. Sequitúrque,

Ad ea Romanus se in præsidio impositum esse dicere ab imperatore suo, claues portarum & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo, nec Aennensium arbitrio haberet, sed eius qui commisisset. præsidium decedere apud Romanos capitale esse, & nec liberum etiam suorum eam parētes sanxisse. Marcellū haud procul esse.) 253. A. Hæc uos emendare non estis ausi, ne Petrarcha quidem. Ego sic opinor emendandum, præsidium in præsidio, sic: Præsidio decedere apud Romanos capitale esse, & hoc (siue quod) liberûm, pro liberorum, etiam suorum cruore parens sanxisset: uel liberorum etiam sanguine parentem sanxisse. Videlicet de Turquato, qui ob hoc filium occiderit, loquitur.

Vtinam reliquum tempus nec patienda infanda in faciendo traduci potest. Nec occulta fraude cautio est quā si adhuc simus. Cui quoniam procedit aperte & propalam claues portarum reposcunt.) 253. A. Opinor sic legendum: Nec patiendo infanda, nec faciendo traduci possit. ab occulta fraude cautio est, qua ni, siue, qua adhuc usi sumus. Vel, sed occulta fraude.

Petiti ab Aennensibus sumus, itaque crastino die aut uestro, aut Aennensium sanguine Aenna inundabitur: nec occupatis periculum, nec occupantes periculi quicquam habetis.) 253. A. Opinor legendū, nec præoccupati spem ullam: uel, nec occupati præsidij siue subsidij, neque occupātes periculi quicquā habebitis.

Postero die alij alijs locis ad obsidendas itineribus claudendósque obsiti exitus, pars maxima super theatrum circa quæ assueti, & ante spectaculum concionem consistunt.) 253. B. Opinor sic legendū: Ad obsidēda itinera, claudēdósq; oppositi exitus uel claudendos oppidanis exitus, uel claudendos obsessis exitus, pars maxima super theatrū circáque, assuetū: aut, spectaculū super theatrū, ad assuetum ante spectaculū concionem circumsistūt.

Nihilo remissiore militum ira, quód iure turbam inermem cædebant, quàm si periculum par & ardor certaminis eos irritaret.) 253. B. Vos tollitis iure, quod aut non tollendum, aut sic mutandum: Militum ira quamuis turbam inermem.

Legati eò ab Appollonia uenerunt, nunciantes in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse: neque sustinere ultrà unum Macedonum posse, nisi præsidium mittatur Romanum: facturos sed quæ uellent pollicitos. Con. delectorum militum nauibus longis mittit ad ostium fluminis cum præfecto sociûm Q. Nænio Crispo, uiro impigro, & perito militiæ: ijs expositis in terram militibus nauibúsque Oricum, unde uenerat, ad cæteram classem remissis, &c.) 253. B. Ego sic emendo: Romanum facturum se quæ uellent pollicitus, L X. electorum militum naues longas mittit, uel decem millia electorum militum nauibus longis mittit. Præterea is, nominatiui casus est: refertur enim ad præfectum, non ad naues, scribendumque una l.

Sed gens nata instaurandis reparandísque bellis, Magone fratre ad conquisitionem militum misso, breui repleuit exercitum, animósque ad tentandum de integro certamen fecit. Alij plerique milites, si quæ pro parte toties intra paucos dies uicta ijsdē animis quibus populi Romani orta, eodémque euentu pugnauere: plus octo millia hominum cæsa, & non multo minus quàm mille capta, & signa militaria L V I I I. & spolia plurima Gallica fuere: aurei torques, armillæq; magnus numerus: duo etiam insignes reguli Gallorum (Mœnia cœpta & Ciuis Maro nomina erant) eo prælio ceciderunt.) 254. B. Opinor sic emendandum: Galli plerique milites, iique pro parte toties intra paucos dies uicta ijsdem animis quibus priores, eodémque euentu pugnauerunt. Hoc quoque, Antoni, potes dicere te non reminisci à me in illo cœtu correctum? Etenim si quis dies unquam tibi acerbus illuxit, haud dubie is fuit, quo bis uno in loco fuisti condemnatus: semel in eo quód iam emendaui, cum mihi pertinacissime obsisteres. Uerúmq; dum mœnia cœpta, pro mœnis capta exponebas, & nescio quem Maronem ciuem dici uolebas. Quúmque ego subridens dixissem, esse duorum regulorum nomina, Mœnicepius & Ciuismaro, ac se delectari mea expositione cum quadam admiratione significasset, etiam magis quàm in superiore fecerat, Tace Antoni, Egnazius inquit, nihil uerius quam & Galli pleriq; milites scribendum, & hæc esse nomina Gallorum regulorum. Nō exequar quid ille, etsi amicus tuus, tam ingenuæ libertatis uir, in laudem mei adiecerit, rege confirmante: tantum dico, non modo bis te peccasse, sed accedente pertinacia, etiam bis térque reprehensum. Nunc, quod grauissimum est, quarto reprehendi putas quod in pertinacia perseueras, ne à me doctus uidereris. Sed ô demens, nō est ut magnopere doleas tarditatem ingenij tui, nam ne Petrarcha quidem ueritatem scripturæ deprehendit, sed ut loco obscuro & inexplorato suam notam apposuit. Quis tamen tantus te furor tenuit, ut in animum induxeris codicem regium emendatione fraudare, imò regē ipsum proderē, si modo proditio tua celari poterat? Reminiscetur ille, reminiscetur emendationis meæ, quando codicem suum leget.

Fabius pater filio legatus ad Suessulam in castra uenit: cum obuiam filius progrederetur, lictorésque uerecundia maiestatis eius anteirent taciti, non submonentes patrem, præter undecim fasces equo præuectus senex, ut consul animaduertere proximum lictorem iussit: & ut is descenderet ex equo inclamauit.) 255. A. Vos sic emendatis: Vt consul animaduertit, ire proximum lictorem iussit. Ego sic: Equo præuectum senem ut consul animaduertit, stare proximum lictorem iussit. Tum demum assistens experiri, inquit, uolui ô fili, satin' scires consulem te esse.

In eacastra Cassius Altinus Arpinas clam nocte cum tribus seruis uenit, promittens, si sibi præmio foret, se Arpos proditurū esse. Eam tunc rem quum ad consilium retulisset Fabius, Altinus pro transfuga uerberandus necandusque uideri, ancipitis animi, communis hostis, qui post Cannensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissetq; ad defectionem Arpos: tum quia contra spem uotaque eius uelut resurgeret, turpius uideatur nouam referre proditionem: ut proditus pro septemurali iudicio esset, sempérque aliunde sentiret, infidus socius, uanus hostis, ad Faleriorum Pyrrhique proditionem tertium transfugis documentum esse. Contra ea consulis pater Fabius, temporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquam in pace libera, de quoque arbitria agere aiebat, quum illud potius agendum atque eis cogitandum sit, si quo modo fieri posset, ne qui socij à populo Romano desciscant, & non uocitent documentum, aut dicant statui oportere, si quis resipiscat, & antiquā societatem respiciat.) 255. A. Opinor sic emendandum: Nunc quia res Romana contra spem uotaque eius uelut resurgeret rursus, uel resurgere rursus uideatur, uel turpius uideat nouam referre proditionem, ut proditus pro septemurali iudicio esset, sempérque aliunde sentiret: uel, proditi spolium, proinde in tali iudicio esse statuendum, ut se sentiat: uel, pollicentem mobilis iudicio, uel pollutum uerum leuémque, & semper alium se sentiat, infidus socius, uanus hostis, ad Faleriorum Pyrrhique proditionem tertiū transfugis documentum esse. Contra ea consulis pater Fabius, temporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquam in pace, libera de quoque arbitria agere aiebat, quum illud potius agendum atque eis cogitandum sit (si quo modo fieri possit) ne qui socij à populo Romano desciscant, uel qui desciuerunt, etiam nouo metu dubitent, uel nouo metu redire dubitent. Documentum haud dicant statui oportere si quis resipiscat, &c. Ne quis tamen miretur quód multis modis eundem locum emendamus, cum uerum nisi unus esse non possit. Nam facimus more illius apud Plautum senis, qui complures ex præda seruos coemit, unius certi postea in ijs reperiendi gratia.

Legati quoniam Syphax se Romanæ iunxisset, ut potentior societate eorum aduersus reges populosq; Aphricæ esset, donec melius fore Galæ quoque Cartraginensibus iungi quamprimū, antequā Syphax in Hispaniam, aut Romani in Africā transeant, opprimi Syphacem nihildum præter nomē ex fœdere Romano habentem, posse.) 256. B. Opinor legendum, docent melius fore.

IN QVINTO LIBRO EMENDATA.



INCVSATI *grauiter à senatu ædiles triūmque uiri res capitales, qui non prohiberent commoueri eam multitudinem è foro, ac deijcere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit quin uiolarentur.)* 257.B. Vos, quum in regio codice foret, cum emoueri, sustulistis eam. ego sic emendo: cum mouere, siue cum emouere eam multitudinē.

Cneus Fuluius Apulium, Claudius Nero Sussulam, M. Iunius Syllanus creatus consul.) 257.B. Opinor legendum, Syllanus Hetruriam.

Testibus datis tribuni populum summouerunt, site illique lata est ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent.) 258.A. Vos sic emendatis: Scitóque lex lata est. quasi lex sit lata per plebiscitum. Ego sic: Testibus datis tribunum populi summouerunt, sitellāque lata est, ut sortirentur ubi Latini suffragium ferrent. Quæ sententia talis est, sitellam allatam in qua suffragia populus de approbanda lege poneret. Solitam autem afferri sitellam quandam cum lex ferenda esset, probat Cic. de nat. deorum lib. I. Vt igitur Titum Gracchum cum uideor concionantem in Capitolio uidere de M. Octauio deferentem sitellam. Fit autem sitella à situla. Nam apud Plautum in Casina dicitur coniectio sortium in situlam fieri. Nisi uolumus alio uocabulo emendare, quo utitur idem Cic. ubi ait: Cum L. Saturninus legem frumentariam de semißibus & trientibus laturus esset, Q. Cepio qui per id temporis Quæstor urbanus erat, docuit senatum ærarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decreuit, si eam legem ad populum ferat, aduersus remp. ab eum uideri facere. Saturninus legem ferre cœpit, collegæ intercedere, ille nihilominus cistulam detulit. Cepio ut illum contrà, intercedentibus collegis aduersus remp. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deijcit. Quare dubium est an cistella scribi poßit, quod sit à cista. Sed quomodo cistula una dicitur, ita & cistulæ multæ, si eædem significantur res. Verum ne hic agamus pluribus, cistulam nunc legendum puto: si quis uolet cistellam legat, me non repugnaturo.

Cum in eo parum præsidij esset turbandæ rei causa, publicani per uacuum ui summo loco irruperunt, urgantes simul cum populo tribunisque.) 258.A. Opinor sic emendandum: Publicani per uacuū ui summoto eo, uel ui summoto inde cuncto irruperunt.

Post uinius uadibus datis non affuit, tribuni plebis uocarunt, plebésque sciuit.) 258.B. Opinor legendum, tribuni plebem uocauerunt.

Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit: res ingenti certamine petiuerunt. M. Fuluius Flaccus, qui ante & bis Consul & censor fuerat: & T. Manlius Torquatus, & ipse duobus consulatibus & censura insignis: & Licinius Crassus, qui ædilitatem curulem petiturus erat.) 258. B. Manifestus est error ex præcedenti litera t: nam tres legendum est, non res. quod miror à uobis non animaduersum.

Nihil unquam dicam de Imperatore eo, cui præsertim sciam gratias à senatu actas, quòd non desperauerat de repub. qui post fugam actam nisi per omnes annos prorogatum imperium.) 259.A. Vos sic emendatis: Cui post fugam actam sit. Ego sic: quod non desperauerit de repub. consul post fugam actam, uel profligata acie.

Tamen tantum abfuit ab eo, ut illa ignominia tribus exercitibus quereretur, ut ea urbs Roma per eum exercitum qui ab Allia in Veios transfugerat, recuperaretur.) 259. A. Opinor legēdū, ut illa ignominia tribus exercitibus inureretur. ut etiam urbs Roma, &c. Fuerunt autē tres exercitus qui Remp. ante hoc bellū afflixerunt, duo ad Furculas Caudinas, tertius ad Alliā. Vel sic, ut ulla ignominia ijs exercitibus quæreretur, ut etiam urbs Roma.

Neue dono militari uirtutis ergo donaretur.) 259.B. Tu Antoni, qui te docere regem iactas, sic eum docebas, ut mutares ergo ultima acuta esse legendum, quod significat causam, ut apud Vergilium, -Illius ergo Venimus.

Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diuisa partes per urbem dimittit, Tarentinos & infra quam maxime frequentia.) 260.B. Emendo, Tarentinos & Afros quàm maxime frequentia occupare iubet.

Si quis in hospitio ciuis Romani (uacuas autem tenebat domos) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum) 260.B. Opinor legendum, sciebat, uel petebat, uel uolebat demos.

Ex huius Marci duobus carminibus, alterius postea est acta, didici curato authoritas euentu, alteri quoque cuius nondum tempus uenerat, afferebat fidem.) 261.B. Opinor legendum, alterius post rem actam edici cum rato authoritas euentu.

Flauius Lucanus fuit caput eius partis Lucanorū, cuius pars ad Annibalem defecisset, qui cum Romanis stabat, & iam Hanno in magistratu erat ab ipsis illis creatus prætor) 263. B. Opinor hic perturbatum uerborum ordinem, ideòque sic restituendum: Flauius Lucanus caput fuit eius partis Lucanorum, qui cum Romanis stabant, cuius pars, uel cum pars, ad Annibalem defecisset. Anno autem superfluam habet aspirationem, quòd non proprium nomen est, sed ablatiuus.

Fidéque ab eo accepta, si Romanum ijs imperatorem tradidisset, liberos cum suis legibus uenturos in amicitiam Lucanos, dedit Pœnus in locum pacis Gracchum adducturus. Magonem ibi pedites equitésque armare, & capere eas latebras ubi ingentem numerum occulere iubet, loco satis inspecto, atque undique explorato, dies composita rei gerendæ est.) 263.B. Vos sic emendatis: In amicitiam Lucanos hunc deducere Pœnum in loco quo sic Gracchum adducimus. Ego sic: In amicitiam Lucanos dedit, ipse se illò cum paucis Gracchum adducturus. Illò aduerbialiter, pro eo quod est in illum locum.

Pugnatum tamen ut in nulla parte, duabus amplius horis, concitata, & donec dux stetisset Romanam aciem.) 265.A. Opinor legendum, etiam donec dux stetisset Romana acie.

Et Annibal quidem haudquaquam simili sua, neq; simili exercitu.) 265.B. Legendum est opinor, simili uia.

In uastæ magnitudinis urbe partium sensu non satis pertinente in omnia.) 266.B. Opinor pertingente in omnia.

Marcellus Euryalo recepto, præsidióq; addito, uda cura erat libera, ne qua abs tergo uis hostium in arcem accepta, inclusos imperitósque mœnibus suos turbaret.) 267. A. Opinor una cura erat liber: uel, una cura tenebatur, uel turbabatur.

Accessit & ad pestilentiam commune malū, quod facile utrorumque animos auerteret à bellorum consilijs.) 267.A. Opinor legendum, accessit ad hæc pestilentia.

Itaque non ducibus facilius quàm multitudini persuasum est, similisue metus quidē ab Romanis ducibus erat, quippe tam paucis sibi retinuerunt.) 169. B. Puto legendum, quod per tam paucos ibi retinerentur. Vel, quippe tam paucis ibi retineri.

EMENDATIONES SEXTI LIBRI.

INDE naues in flumine Vulturno comprehẽsas duci gladio, quod iam ante præsidij causa fecerat castellum inßit.) 276. A. Puto sic emendandum, duci ad id quod iam ante, &c.

Auditáque uox Annibalis fertur, potiundæ sibi urbis Romæ modo mentem nõ dari, modo fortunam minuere. Etiam per melius & aliæ paruæq; res. Magna illa quod cum ipse ad mœnia urbis Romæ armatus sederet, milites sub uexillis in supplementum Hispaniæ profectos audiuit. Parua autem, quod per eos dies eum forte agrum in quo ipse haberet castra, uenisse.) 277. B. Regius codex habet, etiam per me diuos & aliæ magnæ paruæq; res. Ego non infinitiuum minuere penultima correpta accipio, sed producta, præteritum indicatiui: nec finem superioris, sed initium sequentis sententiæ, ideóque sic emendandum reor: Minuêre etiam spem eius uel illius & aliæ magnæ paruæq; res.

Nanq; ex Lucanis in Brutium agrum, ad fretum uero ac Rhegium se occursu contendit, ut prope repentino aduentu incautos oppresserit.) 277. B. Opinor legendũ, tanto cursu cõtendit.

Diem posterum Hasdrubal colloquio petijt, ut Romani leges conscriberent de detrahendis arcibus urbium.) 280. A. Lego, de tradendis arcibus urbium.

Silentium subito ortum est, & tacita cogitatio quidnam egissent. Noui fauor plus ualuisse quàm ratio ætatis maxime pœnitebat) 280. B. Opinor legendum, quidnam egissent noui, uel quid legissent noui: nam quod fauor plus ualuisset, &c.

Hac circunfusus multitudine simulis Siculis obuiam egreßis, Siculísque Romam præbuit clarißimarum urbium excidio à celeberrimis uiris bello uictos accusatores in urbẽ adducentes.) 284. A. Hunc ego locum duobus hinc annis à Iacobo Curlo rogatus, ægre duobus diebus emendare potui, emendatúmque homini tradidi, cum pridie eidem petẽti alterum, sed facilius, emẽdadassem. Qui cur regium codicem ex mea sententia non emendarit, nullam aliam reperio causam, nisi ab Antonio, ne me recte correxisse fateretur, impeditum. Ex quo datur intellegi, acriorem esse odij, quàm amoris affectum. Citius me destructum uellet Antonius, quàm Alphonsum Cæsarem. Sic autem emendaui hunc locum: Nunc circunfusus multitudine, simul & Siculis obuiam egressis, potestatem Romam adeundi fecit, & nonnullis uel æmulis querimoniam præbuit, clarißimarum urbium excidio à celeberrimis uiris uictos bello accusatores in urbem adducens.

Affirmantes non modo suam quisque patriam, sed totam Siciliam relicturos.) 284. B. Opinor legendum, suam quenque patriam.

Pondo relinquat argenti. Qui curuli sella sederent, equi ornamenta, & libræ pondo, ut lignum patellámque deorum causa habere possent.) 287. A. Nescio an legendum sit, salinum patellámque, est autem salinum, salis uas, ut acerra thuris. Inde diminutiuum eius sallilum, quod ego Antonium docui, qui pro minuto accipiebat sale.

Ipse ut ei nunciatum est æstum decedere, quod per piscatores Tarraconenses nunc lembis cymbis, nunc ubi ea siderent uadis peruagatos per stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari, armatos duxit.) 290. B. Opinor scribendum: Nunc ubi eæ sederent, id est, ubi cymbæ fundum maris nactæ essent, uadis peruagatos, hoc est, per ea ipsa loca ubi sedebant cymbæ, per quæ uadere pedibus homines poterant. Hic est alter locus quem Iacobo Curlo correxi.

HACTENUS Antonio legenti, etsi non aßidue, affui, quotiésque mihi uidebatur dissentiendum, ueluti in senatu quodam sententiam dixi, non quoties potui: ideóque pauciora dixi quàm scribo, rem haud dubie utilem ijs, qui sua Liuij exemplaria hac in parte emendare cupiant.

M. Antonii Sabellici annotationes in Liuium.

EX PRIMO LIBRO.

PERHVMANE, ut solet, à me quæsiuit Lodouicus Rheginus, iuuenis nostrarum literarum studiosus, nec à Musis (ut dicitur) & Gratijs alienus, quid esset quòd Romanæ historiæ author grauißimus Liuius, eo libo unde res Quiritium scribere est orsus, Neptuno solennes Cõsualia dixerit appellatos. Cui id ego in causa fuisse me arbitrari dixi, quia ut Seruius & Plutarchus scribunt, equestrem Neptunum eundem & Consum ueteres credidere: etsi non mihi excidisset Dionysiũ nusquam gentium credere Neptuno terræ domitori aram puni consuesse, quum in parte urbis Conso genio alioquin ueteri religione dicata offenderetur. Quibus ille uerbis innuere mihi uidetur, Consum à Neptuno equestri genium fuisse omnino diuersum. Sed neque temere me illi accedere identidem præfatus, Strabonis & Macrobij testimonium celebrabam, quorum hic circa Corinthiacum Isthmum nobile Neptuni templũ, ille in Delo aram fuisse memoriæ prodidisset: nisi aliquis ita occurrere, alium Neptunum marinum esse, alium equestrem: quod Aristophanis carmen significare uideatur, τὸν ποσειδῶ τοὔνομι τὸν ἵππιον, per Neptunum hunc equestrem, siue equorum domitorem. & rursus τὸν θαλάττιον ποσειδῶ, id est, marinum Neptunum. quo fieri potest, ut in Delo & Isthmo alterius Neptuni fuerit hic ara, illic templum: sic ut propiora uero uideri poßint quæ Dionysius, quàm quæ Seruius & Plutarchus tradidere. Eodem lib. 8. A.

Consẽderamus forte cœnaculũ domus ego & Marosticanus hospes meus, ut inde Pisauranas ædes magnifico apparatu ex propinquo constructas contemplaremur: quum Liuij decadas ea cœnaculi parte quæ ædibus obuersa est, à puero temere relictas ille intuitus, confestim arripuit. Hic uero Liuij locus ille perquã abstrusus, tanquam ita euenire noluisset, est oblatus. uerba ex historiarum primo fuere, Intercalares (quum ille de Numa rege interim loqueretur) mensibus interponendis ita dispensauit, ut uicesimo anno ad metam eandem Solis unde orsi essent, plenis annorum spatijs dies congruerent. Tum ille ad me conuersus, Quid sibi Sabellice hoc Liuius uelit loco, ut ingenue loquar, haud sane intelligo. tu uero si quid habes quo scrupulum hũc poßis exoluere, fac ne diutius desideremus. Tum ego, quæris inquam rem hospes minime (ut sentio) uulgatã, & quæ, si (quod multi temere faciũt) præsenti acquiescas lectioni, nullo modo lectori constare poßit. Etenim Græci, quos Numa haud dubie imitatus est, octauo quoque anno tres menses intercalandos constituerunt, hoc est nonaginta dies, qui ex numero. 11. dierum & quadrantis octies multiplicato superabant. Nam quum annum illi ex 12. Lunæ cursibus statuẽdum putassent, superesséntque ad solstitialem annum dies. 11. & sex horæ, quarta scilicet diei pars: eum dierum numerum octauo quoque (ut dixi) anno placuit intercalari: quare Græcos Numa imitatus uideri non potest. Quin illud inde potius, quod subtilissima Macrobius disertatione demonstrat, ne nõ uicesimo Liuius scripserit, sed uicesimoquarto quoque anno: idque ex Numæ constitutione comparatum. nam quum ad eum numerum dierũ quem ad Lunæ cursum Græci constituerãt (erant enim trecẽti LIIII) unum in imparis numeri diẽ Numa adiecisset: Romanus simpliciter Græcorum intercalationẽ secutus, ob diem unum cuius obliti erãt, nõ ea quæ & Græcis cõstare potuit intercalandi ratio: quo postea errore cognito, Numáne adhuc regnante, parũ compertũ

habeo: satis constat huiusmodi emendationem inductam, ut in tertio quoque octennio, id est quarto & uicesimo quoque anno, non nonaginta, sed sex & sexaginta dies intercalarentur. Siquidem nonagenarium numerum explebant quatuor illi & xx. dies, qui quotannis singuli in honorem imparis numeri adijciebantur. etenim ille dies (ut dixi) neque lunari rationi ascribi potuit, neque Græcorum intercalationi erat insertus, sed superuacuus, nec intellectus aliquandiu Romanis fluxerat. erit igitur, ni fallor, uera Liuij emendatáque lectio uicesimoquarto anno. Nec obstat quód Liuius intercalationis illius Numam authorem dixerit, quum Macrobius emendationem illam quandam fuisse innuat. Siquidem talis intercalandi ratio ab eo profecta est: sed siue Numa siue alij postea emendarint, iure id totum authori referas acceptum.

Eodem libro 10. A.

Sunt uelut minores in alto scopuli, qui eo nauigantibus habentur infestiores, quo minus prouideri possunt. sic & offensacula haud parum crebra, similitudine quadam uerborum in Liuiana lectione latitãtia, pro synceris & emaculatis recepta, incautius currentem tam sæpe quàm turpiter fallunt: ut illud in primo ab Vrbe condita, Lex erat, inquit, horrendi criminis, duumuirs perduellionem iudicent. si à duumuiris prouocarit, prouocatione certato. si uincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito. Verùm carminis non criminis Liuium scripsisse cum pleraque alia, tum in primis Ciceronis uerba planè arguũt. Tarquinij, inquit, superbissimi atque crudelissimi Regis ista sunt cruciatus carmina, Caput obnubito, infelici arbori suspendito. mitto reliqua.

Eodem libro 11. B.

Inter celebres & illustres familias quæ ex diruta Alba Tulli Hostilij Regis temporibus Romam commigrarunt, apud Liuium Tullios relatos reperio. Dionysius in earum relatione non Tullios sed Iulios memorat: cuius lectio eo mihi uerior uidetur, quo magis constat Iuliam gentem non Tulliam longa Alba fuisse oriundam.

Eodem libro 11. B.

Tullius (inquit Liuius) ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos à Sabinis querebatur) Quibus Liuij uerbis haud dubie apparet in Sabinorum potestate Feroniæ fanum ea tempestate fuisse: nec desunt qui scribant circa Soracte montem & urbem Feroniam & deæ templum religiosissimum fuisse: ipsámque à ferendis arboribus ita appellatam. Sed Dionysius in Latio haud procul Circeijs in Pometinis campis Feroniæ templum à Spartanis conditum tradidit: noménque datum genio ab æquore alatione: Maróque uetustatis peritissimus, Circeumque iugum, queis Iuppiter Anxuris aruis Præsidet, & uiridi gaudens Feronia luco. Vide igitur ne utrobique deæ templum fuisse dicendum sit: cui opinioni siquis grauate accedat, perbelle fateatur necesse est alteram opinionem esse falsam. Accedit & his tertia quædam, quód Ptolemæus inter Lucam & Pistoria Feroniæ lucum in Hetruria retulit: de quo nunc loco an intelligi possit, uiderint alij.

Eodem lib. 13. A.

Videbam ex Liuianæ historiæ studiosis solicite quosdam requirere quæ esset Murtia dea, ad cuius ædem priscis Latinis Romam traductis sedes ab Anco rege datas Liuius tradidisset. Horum curiosæ indagini Pliniana opitulatur authoritas: Ara, inquit ille, fuit Veneris Myrteæ, nunc Murtiam uocant. quibus uerbis nemo non plane colligit, ea appellatione quæ à myrto facta esset, Venerem in parte urbis quandoque cultam: sed res omnino notior, quã ut de ea prolixior habeatur sermo. idcireo quæ de Murtia alij tradidere, consulto missa fecimus.

Eodem libro 16. A.

Obscure nimis, ne frigide dicam, Liuius locum in primo perstrinxit, in quem si quis pandiculantibus ut dicitur oculis incidat, aut allucinabundus inibi hæreat oportet, aut manifesta ignorationis confessione uictus abeat. In censu enim quẽ Seruius Tullius egit, referendo, cum suffragiorum explicaret rationem, Non (inquit) ut ab Romulo traditum cæteri seruauerunt Reges, uiritim suffragium eadem in eodémque iure promiscue omnibus datum: sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio uideretur: & uis omnis penes primores ciuitatis esset: Equites enim uocabantur primi: octoginta inde primæ classis centuriæ peditum uocabantur: ibi si uariaret, quod rarò incidebat, ut secundæ classis uocarentur: nec ferè unquam infra ita descenderent, ut ad infimos peruenirẽt. Ex quibus uerbis quæ suffragiorum esset ratio, haud intelligi potest. etenim demõstrari oportuit qua ratione cõparatum esset ut suffragium primæ classis ita polleret, ut si nihil in illis uariaretur, non esset opus ad reliquos ordines peruenire. At centum nonaginta tres centuriæ, ut Dionysius demonstrat, iuniorum seniorumque tum scriptæ sunt. quo apperet octoginta cẽturias non potuisse id præstare, quum centuriarum dimidium non explerent, non modo superarent: nec si centuriarum numerus aliquanto minor fuerit, ut Liuio placere uideo, id accidere potuisset. Sed certè sic habet, ut ex Dionysij lectione condiscitur: asscripserat Tullus decem & octo equitum centurias primæ classi: copulauit dico illorum suffragia: ita ut octo & nonaginta essent centuriæ in primo ordine: quibus si in ferendo suffragio conuenisset, quia supra dimidium suffragiorum continerent, non erat opus ad inferiores classes deuenire. hæc eadem Liuius, sed concise, ut dixi, & obscure nimis.

Eodem libro 17. A.

Inoleuit incuria magis quàm inscitia mendum, ut Aruns Tarquinius legatur, & Tullia minor, propè continuatis funeribus, quum domos uacuas nouo matrimonio fecissent. quæ lectio si uera esset, & fratrum & sororum minores natu perijsse oporteret: uirum scilicet & uxorem. siquidẽ Aruns (quod Liuius haud obscure demonstrat) L. Tarquinio frater minor natu fuit: cui & iuniorem Tulliam matrimonio locatam credere æquum est. quanquam eiusdem uerba id perspicue demonstrant. Si uir igitur cum coniuge extinctus esset, haudquaquam nouo opus fuisset connubio. uerùm sic habet, ut maior Tullia, & Aruns Tarquiniorũ fratrũ minor, paucis diebus uita decesserint: quorum interitu scelerata sunt postea superstitibus nuptiæ conciliatæ. maior igitur Tullia, non minor (ut omnia quæ uidimus habent exemplaria) uera emaculatáque erit lectio.

Eodem libro 17. A.

Dionysius, quod ad præsentem locum attinet, ualide eorũ refutat opinionem, qui L. & Aruntem Tarquinios prisci fuisse Tarquinij filios prodire, in his est & Liuius, Romanos secutus scriptores. Sed Dionysius non authoritate solum, uerum & coniecturis & ratione nititur: quanquam huiusmodi historiæ uariationes plurifariam apud ueteres est obseruare, cuius & id genus (etenim pauca subijciam) dici potest, quod de Tartesso longe diuersa ratione Plinius & Strabo scripsere: Sub corona uenire aliter Festus, aliter Gellius: Dionysius curru Romulũ triumphasse prodidit, Plutarchus pedibus: de muliebri saltatione diuersa Seruius & Macrobius senserunt: Appianus Calpurniam Cæsaris à Clodio adulteratam, Tranquillus Pompeiam dixit: Tanaquil, Prisci Tarquinij uxor à Liuio, ab alijs traditur Anci Marcij, & Valerius: Liuius ob Cannensem cladem Cereris sacrum intermissum tradidit: Valerius ait, ne intermitteretur, ante tricesimum diem omnem luctum publico decreto abstersum. mitto reliqua quæ si numero exequeremur, maius ex ea re tædium, quàm gratia scribendi oriretur.

Eodem libro 19. B.

Itaque Pontinæ manubiæ quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant) Sic omnia quæ uidimus Liuij habent exemplaria: sed locorum situm librarij secuti particulã deprauarunt. nam & Pontina palus eo Latij tractu est, unde manubiæ quæsitæ, uerũ Pometinæ Liuium scripsisse, uel ex eo admoneri potuerunt, quód proximo ille loco dixerat, Suessam Pometiam ex his ui cepit: ubi quum diuidenda præda X L. talenta argenti aurique cepisset, concepit animo eam amplitudinem Iouis tẽpli. mitto reliqua. Dionysius & ipse Suessam Pometiam appellatam scribit. A Pometia Pometinum duci, non Pontinum, uel triuialibus imbuti literis intelligunt.

Libro secundo 30. A.

Mouebant consulem hæc: sed tergiuersari res cogebat: adeò in alteram causam non collega solùm præceperat, sed omnis factio nobiliũ) Frigide nimis, ac nescio quid diuersum ab eo de quo interim agebatur, dixisset Liuius, si credibile est ita eum scriptũ reliquisse. admonendus proinde lector uideat ne præceps erat, aut (quod magis placet) præceps uerat, Liuius potius scripserit, quas duas particulas in unam uerterit librariorum inscitia. Eodem libro 33. A.

Tito, inquit, Latino de plebe homini somnium fuit) Plutarchus, Dionysius & Valerius in relatione nominis Liuio astipulantur: Lactantius Tyberiũ Atinium fuisse tradit. Sed in eo haud

magnum

magnum uertitur discrimen: illud interim haud reticendum duxi, ludos, quos Liuius inibi magnos appellauit, Valerius nunc Circenses, nunc plebeios uocat: Lactantius & ipse Circenses fuisse ait: unde colligitur circenses plebeios & magnos eosdem fuisse. Pedianus post exactos reges pro libertate plebisue reconciliatione institutos tradidit. Dionysius significare mihi uidetur Circenses fuisse eos quos Romulus in Sabinarũ aßimulauit raptu. Adijcio illud, quod ad loci emendationem attinet, Acronio, uel ut alij uocant, Atronio patrifamiliæ nomen fuisse qui seruum sub furca ludorum die ceciderat. Eodem libro 34. A.

Id publicum consilium fuerit, an muliebris timor, parum inuenio.) Hæc Liuius. at Dionysius Valeriam Publicolæ sororem authorem eius consilij fuisse monstrat: Plutarchus ad hæc non Volumniam (quod ad narrationem illam de qua nuper diximus, attinet) sed Vergiliam tradidit Coriolani coniugem appellatam.

Eodem libro. 35. B.

Est in plerisque rerum scriptoribus quædam obseruare, quæ inter se omnino sint contraria, maximéque repugnare uideantur: quale est illud, ut uno contenti simus loco, apud Liuium, Ad duo, inquit, bella exercitus scribitur ducendus: Fabio in Veientes, in Equos Spurio datur. in Equis nihil dignum memoria gestum est: Fabio aliquanto plus negotij cum ciuibus quàm cum hostibus fuit. Quibus perspicue uerbis potest intelligi, Fabium in Veientes cõtendisse, proditúmque á suis in acie: uerùm non multò pòst consensu ait exercitus traditam ultro uictoriam uictis Equis, signa deserta, imperatorem in acie relictum. & rursus. Nec Veiens hostis Hetruscæq; legiones detrectant: prope certa spes erat uõ magis se eum pugnaturos, quàm pugnauerunt cum Equis. Ecquid magis repugnans dici potuit, quàm Fabio Veientes prouinciam datam scribere, cui maius fuerit cum ciuibus negocium, quàm cum hoste: & in Equis nihil memoria dignum actum: mox pauló, & publico consilio, & in procinctu Hetruscum proclamare in Equis rem Romanam á militibus proditam? quid præter memoriæ lapsum poßit excusare, si Liuius citatus adsit? habebit, ut opinor, nihil. Alij ubi in utranque partem recte omnia rimati fuerint, boni consulant, Liuiúmque, si poßunt, á calumnia uindicent.

Eodem libro. 39 B.

Ne quæso grauentur docti aliquibus obseruationibus á nobis conspergi, quorum paulo prouectiores ne admoneri quidem uelint. nam ut in missilibus spargendis nulla principis largitio populo grata esse potuit, si in orchestram aut intra equestria tantum non in popularia concidissent: sic literatorum uulgus in me reclamabit ex hac nostra lucubratione ad se nihil peruenisse: nec dubitabit in ambitionis suspicionem nostrum deuocare officium, quasi peritioribus ostentare id sit, non in medium scribere. Quãquam certo scio non defuturos, ut delicato sunt plerique stomacho, qui hæc in publicum proiecta indignа indicent quæ non modo non digniores ordines, sed ne ipsum quidem cupiat uulgus colligere: adeò in locando magis quàm parando nobis laborandum fuit officio. At sint rutabula hæc, marræ, sarcula, & alia id genus uiliora: pandant ad eorum casum pagani & rupices sinũ, uideántque num emendata sit lectio apud Liuium: Tulit ad populum ut plebeij magistratus tribunitijs comitijs fierent: an uerius tributis comitijs pro tribunitijs sit legendum. et mox pauló pòst.

Eodem libro 41. A.

Insignem annum comitia tribunitia efficiunt. pro tributa. Lælius Felix Gellio authore tria comitiorum genera fuisse tradidit: Curiata, quum ex generibus omnium suffragium ferretur: Centuriata, quum ex censu & ætate: quum uerò ex regionibus & locis, Tributa. quibus Lælij uerbis utra emendatior lectio, facile est legentibus iudicare. Ex libro tertio 43. A.

Consules inde Posthumius Albus, Sp. Furius: Fusios Furios Fabios scripsere) Sic ille, si Liuium credibile est scripsisse ea quæ ne ipse quidem si ad superos reuocari poßit, ualeat interpretari. sed uideat lector (nam cõiectura sæpe agimus) ne emendatior ueriórque sit lectio, Posthumius Albinus, Spurius Furius, seu Fusius: Fusios Furios Fabium & quidam scripsere. ut de Fabio pictore intelligas, qui rerum Romanarum uetustißimus (ut Dionysius ait) fuit scriptor. cui sané opinioni Fabij Quintiliani uerba aliquid omnino fidei adijciunt, Valesij, inquit, & Fusij in Valerios Furiósque uenerunt. In Fabijs eam mutationem factam, nec ille, nec (quod sciam) alius prodidit quisquam. Eodem lib. 47. B.

Age uerò quid illud? Inde ait ad multitudinem oratione conuersa, si nos urbisque, si uestri nulla cura tangit, at uos ueremini deos) Nemo est lectionis structuræq; Latinæ tã imperitus & expers, qui non ultro intelligat illud, si nos urbisque, si uestri nulla cura tangit, parum emendate lectitari. quis enim locus, post urbis, coniunctiuæ dari poßit particulæ, haud sane perspicio. quum neque ordo id pati uideatur, neque sensus. uidebunt itaque alij, an recte aliquis dixerit, Liuium, Si uos urbis quirites, si uestri nulla cura tangit, scripsisse potius, quàm urbisque: sed siue inscitia siue incuria, qui quir. paucioribus elementis dictionem notatam offenderant, quæ pro quirites fecerunt: erroréque semel recepto, mendum Liuianis exemplaribus tenacius hæsisse credere æquum est. Eodem libro 49. B.

Est eodem libro ita scriptum, hos ignominiosa fuga domum se recipientes, Ro. Consul in Algido consecutus, ad unum omnes occidit: Victor ad Columen, id loco nomen est, exercitu relicto, castra locat) ubi nemo nõ intelligit, relicto, nullo modo incolumi sensu stare posse. Quare uidebunt alij ne reducto, aut (quod æque placet) reliquo sit potius legendũ. Ex tertiæ decadis lib. 1. 190. B.

Vellem ego librariorum inscitiam, ueternosúmque illud hominum genus, quod nostram proxime ætatem præceßit, post flebilem iacturam illã quam Gothica tempestate Latina lingua in Liuiana fecerat historia, fragmenta hæc teterrimi illius naufragij posteris incorrupta tradidisse. nihil sane iniuria illa uetus nobis reliquum fecit quod non hominum socordia uitiarit: ut nullibi fere sit Liuianam altius rimari historiam ubi non domestica iniuria sua altius impresserit uestigia: sed quo in primis illis uoluminibus, quia omnia ubi magis ab hominum memoria erant remota, maior errori uenia dari potuit, eo hæc quæ subijciam, acerbiore accusatione digna. Lapsus in lubrico, & in obscuro hallucinatio, haud tam turpis quàm in plano & aperto. Ecquis in nobilißima maximéque celebri historiæ parte crederet tam multa inuersa, lacera, mutilata legentibus occursura? ut non dubitem in uniuersum affirmare, nullum esse in tam spaciosis uoluminibus folium, in quo non unum atque alterum sit acrius intuentibus mendum deprehendere. Etenim quis est tam ueteris historiæ expers, qui quũ in secundi belli Punici primo legerit? Quatuor & uiginti peditum Romanorum millia sunt scripta, & octingenti equites: non intelligat legitimum equitum numerum legionibus non esse redditum, quum ea potißimum tempestate terna millia peditum legionem explerent? Perspicue apparet habuisse eum delectum sex legiones: quibus singulis gena ducenti (ut Polybius scribit) equites ascriberentur: necessum est fateri id Liuium aliter scriptum reliquisse: cui opinioni, præter rationem, Polybij quoque (ut dixi) astipulatur authoritas.

Eodem libro. Ibidem.

Quàm inscite somniculoséque illi locum cuius modò memini, uitiarunt, tam certe segniter, nec minus, hunc quem proxime subijciam: quadringentos, inquit, quinquaginta sociorum peditum: pro quatuordecim millia. & continuo post, mille equites socios, pro mille & quingentos quinquaginta equites. eadem ratio & authoritas præsentem locum ab iniuria uindicant.

Eodem libro. 192. A.

Receptum semel proximo loco uitium tam tenaciter hæsit, ut uulgo Liuiana habeant exemplaria, illa duntaxat dico quæ ad hunc diem uidere contigit, Libyi Phœnices, duabus diuisim dictionibus pro Libyphœnices. tam Polybij authoritas, quàm Liuij uerba quæ sequuntur, licet corrupta, id arguunt. Libyphœnices, inquit, mixtum Punicum Afris genus. Eodem lib. 193. B.

Vbi uerborum affinitas librariorum uulgus semel in errorem traxit, ita ferme euenire solet, ut mendacij uestigium tenacius impressum, facilis eruditorum non reformidet sequela. est apud eundem: Hannonem Amilcaris filium uigilia prima noctis cum parte copiarum maxime Hispanis aduerso flumine ire iter unius diei iubet. Sed Hanno Amilcaris filius, qui idem erat & Hannibalis frater (quod paulo solertiorem potuit lectorem mendacij admonere) in Hispania fuerat ab Hannibale fratre relictus. At Bomilcaris filium, non Amilcaris scripsit Liuius: quod Polybij lectio,

quem ille in historia sequitur, haud obscure demonstrat.

Eodem libro. 196.B.

Celius, inquit, per Cremonis iugum dicit trāsisse, hæc Liuius, si ea Liuius scripsit: uerùm quia id iugi nomen apud eos qui de ratione terræ scriptum reliquere, non reperio, suspicari libet Centronis esse potius legendum. Strabo, Via, inquit, per Salassos ad montes bifariam scinditur: una quidem Potanum (sic enim dicitur) ducit per alpium summitates iumentis inaccessibiles: altera per Centrones prolixior. Sed id ego in medio relinquo. alij fortassis, siue in aperto sit ueritas, siue in profundo, ut Democritus credidit, demersa, melius uiderint.

Ex secundo libro 205. A.

Iunonique Sospitæ Lauinij maioribus hostijs sacrificaretur) Semel atque iterum dixi uocum affinitatem præter cætera librariorum temeritatem per æqua & iniqua præcipitem egisse, sed quum in plerisque digni quodammodo sint uenia, hoc quidem loco proculdubio dignissimi sunt habendi. quæ enim uox tam arcte uoci cohæsit unquam, quàm Lanuuium Lauinio? haud igitur mirum si quum Liuius Lanuuij scriptum reliquisset, notioris similitudine uocis decepti illi Lauinij fecerint. Quòd autem Lanuuij ille scripserit, Cicero præclare docet. Date (inquit) Lanuuio municipio honestissimo, quod in hac tota causa frequens mœstúmque uidistis: nolite à sacris patris Iunonis Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum & suum consulem potissimum auellere. Quibus Ciceronis uerbis haud dubie apparet quæ in hac parte sit emendata lectio.

Eodem libro. 206.B.

Age nunc quàm prona res fuit in lapsum, ita Liuium uitiari contigisse, ut insuper pro Insuber mendose sit in eo receptum? Donec, inquit, insuper eques, Ducario nomen erat, faciémque noscitans, consul hic est, inquit popularibus suis, qui legiones nostras cecidit. Quòd Liuius Insuber scripserit, Polybij arguit authoritas. is in historijs tradidit C. Flaminium qui ad Trasimenum periit, priore consulatu Insubrum legiones ad Abduam flumen cecidisse, eorum agro prius fœde populato.

ANNOTATIONVM IN T. LIVIVM FINIS.

IOANNIS VELCVRIONIS IN T. LIVII AB VRBE CONDITA LIBRVM PRIMVM ANNOTATIONES.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI AB VRBE condita T. Liuij, atque adeo totius historiæ Romanæ.



NITIVM Vrbis populique Romani & originem sub regibus Albanis atque Romanis, primus hic liber Liuij ab Vrbe condita describit. Quæ historiæ sunt omnino necessariæ, nedum utiles, ad reliquum corpus totū historiæ Romanæ cognoscendum: utpote quæ sint quasi caput eius corporis & principium, quas mire breuiter Florus complectitur in prima epitome, & in primo libro historiæ suæ. Itaq; primus hic Liuij liber cum secundo ab Vrbe condita, facile indicis, & certissimi magistri aut cōmentarij uice fungitur, ad intelligendū alias Romanorum historias. In quibus duobus libris fundamenta regni & imperij Romani, omnium pulcherrimi, quasi iaciuntur, adeo, ut sine cognitione atq; lectione horū uoluminū, plane imparatus sis atq; ineptus ad omnia illa, quæ ab historicis, uel ab oratoribus & poetis, de Romana repub. eiúsq; uiris & uiribus, de Romanis legibus & moribus, de iure & magistratibus Romanis unquam sunt prodita. Sic ergo reuera aditum & ingressum patefaciunt hi duo libri, ad omnem reliquam historiā Romanā. Quare etiā plurimi fieri diligentissiméque perlegi utrūq; conuenit. In uniuersum autem urbis Romæ numerantur ætates quinque, à prima eius origine, usque ad hæc nostra tempora. Sic enim facillime distinctam Romanam historiam memoria cōplecteris. Prima ergo ætas fuit sub regibus annis ducentis quadraginta sex, quasi pueritia urbis, quam reges septem obtinuere monarchiam. Secunda ætas fuit sub consulari potestate & libera Aristocratia per annos quadringentos sexaginta, quasi iuuentus & uiridior ætas imperij Romani, quæ optimos quosque principes habuit, & uiros omni genere uirtutum atque prudētiæ ornatissimos. Tertia ætas sub Cæsaribus, Imperatoribus, quorum Monarchia legitima durauit à Iulio Cæsare, usque in Valentinianum tertium, per annos quingentos & quatuor, uirilis ætas imperij Romani, tametsi aliquot imperatores magis tyrānice præfuerūt, quàm clemēter. Quarta ætas fuit sub Tyrannis & barbaris, qui Romam atque Italiam miserrime uexarunt, per annos trecentos quadraginta quinque, usque in Carolum magnum. Hæc quasi senectus est urbis, qua uires eius prope conciderunt confectǽq; sunt. Facta enim est tum Roma spolium barbarorū omniū, & totius adeo orbis terrarū præda, ac tum deniq; prouincias ditionésq; suas, à barbaris sibi ereptas, amisit. Quinta est acta ætas, quasi decrepita & confecta, sub Pontificibus Romanis, & Cæsaribus Germanis hactenus, per annos circiter septingentos triginta, quibus imperio libertatéque, nedum prouincijs, exuta urbs Roma est, ita, ut nihil interim sit aliud, quàm multorum mancipium. Hæc uero annorum summa conficit circiter bis mille ducētos nonaginta sex annos, ab Vrbe condita in hunc usque annum. Primæ ætatis res gestæ hoc Liuij primo libro perscribuntur. Secūdam ætatem quoque totam, centum & decem libris complexus est Liuius, ac similiter tertiæ ætatis initia triginta libris. Verum maxima pars Liuianæ historiæ temporum iniuria, imo hominum magis ignauia perijt, ut eius loco nihil nisi nudos indices habeamus ut Flori, Eutropij, Orosij Epitomas, & Plutarchi uitas utcunque congestas. Deinde quartam & quintam ætatem multi ueteres & recentiores historici descripserunt, ex quorum lectione plurima scitu dignissima possunt accipi, tametsi non ita copiosi, nec per omnia facundi sint. Totum ergo corpus historiæ Romanæ non ab uno aliquo conditum est, & compositum, sed à pluribus, tametsi Antonius Sabellicus pleráque Romana in suas Enneadas congesserit. Cæterum de uita Liuij plura hic dicere non attinet, qui procul dubio omnium historicorū Latinorum princeps iudicari debet: quia res omnes à populo Romano pace bellóque amplius septingentis sexaginta annis ab Vrbe condita gestas, copioso simul & fluenti, iunctóque stilo perscripsit: Romæ habitus in maximo pretio, & celebritate, sub Octauio Cæsare Augusto, apud quem in magna fuit gratia, tametsi eum Cæsar Pompeianum uocare soleret, quia liberius paulo ciuilia bella Cæsarum descripserat. Tyberius autem Octauij successor & filius, licet suspectum & inuisum habuerit Liuium, tamen eius authoritatem ueritus, nihil grauius in eum constituit. Et Suetonio teste, Liuij hortatu Caius postea imperator, adhuc priuatus, quadraginta libros historiarum scripsit, ab eo sic edoctus. Apparet enim alicunde ex Fabio & Seneca, Liuium docendi operam nobilibus Romanis impendisse liberalem. Mortuus autem esse dicitur quinto anno Tyberij, ab Vrbe condita septingentesimo septuagesimo primo Calendis Ianuarij, die eodem & anno quo Ouidius poeta mortem obierit in exilio apud Scythas. Verum meliorem sui partem Liuius ipse suis scriptis monumentisque astendit.

DE LVCIO FLORO.

LVCIVS Florus ætate sua insignis historicus, Liuij singulos libros sua Epitome indice quasi breui complexus est: non in

altum

alium usum, quam ut legentis memoriam, & attentiorem adiuuaret: si uideret lector statim quid ex uno quoque libro sibi esset expectandum. Et tamen non inutilis usus huiusmodi Epitomarum si modo aliquis non in his tantum immoretur, omissis ipsis authorum libris. Nam alioqui essent re uera ignauiæ diuerticula & desidiæ, si neglecto authore toto inhæreas nudo indici. Scripsit præterea Florus quatuor libros de bellis Romanorum ualde utiles, quibus clare ostendit, certa serie temporum enumerans quasi incrementa & accessiones Romani imperij, quæ paulatim prouinciæ, ditiones, & terræ à Romanis deuictæ, sub eorum potestatem uenerunt, usque in Cæsarum tempora. Sic enim ex Cæsarum quoque historia utile est talia incremēta imperij obseruare, tametsi fortuna tertiæ ætatis uariauerit: quia ut prouincias aliquot nouas obtinuere Cæsares, ut in Germanijs, Hispania, Dacia, & ad orientem: sic contra amiserunt etiam multas diu antea possessas terras. Denique in historijs quartæ ætatis, actæ sub Tyrannis, animaduertere oportet, & rursum quasi numerare, sua temporū serie, decrementa & ruinas adeo eiusdem Romani imperij, quomodo prouincias & terras eius barbari atque Tyranni carpserint, donec uix tandem solum urbis nomenque Romæ superfuit, usque in ætatem quintam, sub pontificibus Romanis Italiæ dominis actam. Hæc enim est rerum humanarum uicissitudo, ut minima crescant, & inde maxima queq; decrescant. Nam ita res humanæ.

Tolluntur in altum.
Vt lapsu grauiore ruant.

QVA RATIONE BONORVM AVTORUM, & potissimum Liuij, scripta legi debeant, ut non solum intelligere, uerum imitari quoque ea studioso sit promptum.

QVIA omnis lectio & auditio authorum inutilis est, nisi accedat diligens obseruatio, atque imitatio, qua scribendo & dicendo similia aliquādo ipse effingere & componere queas, ideóq; præter inuentionem opus est prudenter animaduertere & discernere genus orationis in quolibet bono authore, nedum in Liuio. Nam, nisi obseruata dicendi forma, nihil imitaberis in specie, neque dignum fructū satis ex tanti authoris lectione capies: præsertim qui plura assequi posses, nisi tua inertia & negligentia tibi ipse obesses. Est autem Liuij oratio ut copiosa & grauis, ita mire inter se, lōgiore cōtextu, & maiori orbe connexa: creberrimisque ambitibus & circumductionibus cohærens, quas historicas periodos, uel historiæ flexus uocare licet. Est enim historica periodus, oratio prolixior, ex pluribus commatibus, uel articulis & membris ita composita, ut non solum eandem rem copiose efferat, sed etiam plures complectatur res, uarijsque connectat, in eandem sententiam uel constructionem. Et hoc quidem orationis flexu, Liuius à Salustio, à Cæsare, ab Aemilio, à Iustino, differt, quorum sermo rotundior his membris, & breuiori ambitu colligitur, ita tamen, ut grauitatem Liuij non æquet. præcipue enim Cæsar, & Aemylius, & Iustinus, ad popularē, elegantē, ac paulo supra quotidianam dictionem accedit. quales est in narrationibus Terentij. Cæterum si huiusmodi periodos in sua membra resoluas, tum facile ea quæ dixi intelliges, & rectius quoque indicare poteris de grādi genere orationis, & medio, & tenui: item discernes rectius inter stilum Terentij, Cæsaris, ac Liuij. Apud Ciceronem alia quidem est forma loquēdi, cuius compositio mollior & iucundior est aliquanto. habetque rotundiores & expeditiores periodos, in caussis præsertim forensibus & magnis negotijs, ut in orationibus, & grauibus epistolis. Possent autē aliqua præcepta de compositione membrorum, & periodorum, & flexuum tradi, nisi magis obseruatione diligenti perciperentur, tamen in genere ad hanc rem quædam ex grammatica afferam. Primo in in ambitu historico sæpissime plures nominatiui, aliique casus ad unum aliquod uerbum, quasi prædicatum referuntur, ut hic statim in præfatione. Secundo, ad istam connexionem plurimū prosunt participia, uel absolute posita in ablatiuis cōsequentiæ, uel in alijs casibus, præcipue præterita deponentia, passiua, ac futura, quia præsentiū sonus durior, & caueri debet in plurali numero. Tertio coniunctiones causales, rationales, proprie ad hanc rationem pertinent, aptissimæ circumductionibus faciendis. Quarto, pronomina relatiua huic rei ualde inseruiunt. Reliqua ex ipsa lectione obseruare debes. & exempla diligenter inspicere, ut ipse etiā aliquādo discas nectere orationem, ne tanquam monstrosum corpus, uel laceratum, discerptis articulis, dissolutisque membris, misere hæreat. Nemo enim ne simpliciorem quidem orationem, cōmatibus ac membris plerunque compositam, feliciter præstabit, nisi hanc artem componendi, uel mediocriter saltem, teneat. Tamen cum hæc specialis imitatio non statim cuiuis eueniat, interim negligētior ille uel tardior generali imitationi inseruiat, hoc est, formulas synonimas, aut etiam diuersas, item figuras, ut metaphoras, metonymias, ut descriptiones causarū, & euentuum expositiones, conciones, aliaque huiusmodi ornamenta. & rerum argumenta, studiose obseruet, memoriæq; commendet, quibus, si ullus alius author, certe Liuius est refertissimus, adeo, ut in ratione dicendi nemini præter Ciceronem cesserit, & secundus dicendi magister, eloquentiæq; Romanæ alter parens iure appelletur. Ea namque est ipsius copiæ grauitas & iucunditas, ut historiam Romanā solus ipse ad hoc fastigium dignitatis euexerit, ut ne Græci quidē, iudicio Græcorū, ullum meliorē habuerint. Cæterū quomodo res, circunstantiæ, affectiones, similiáque in Liuio alijsque scriptoribus animaduerti omnino debeant, alibi satis est expositum.

DE HISTORIA, ET QVID IN Liuio obseruandum sit studioso.

HISTORIA est diligens & fida rerum gestarum narratio, ad docendum delectandúmque instituta, quæ exemplis consiliorum, euentum, dictorum & factorum allicit ad uirtutem sectandam, uitiáque fugienda, instituens his exemplis uitam priuatam & publicam. Vt autem in alijs authoribus res & uerba oportet obseruare studiosum, sic in Liuio præcipue iuuenibus obseruanda est oratio, nō quasi hanc statim possint imitari, sed ut hinc ditissimam supellectilem bonorum uerborum, & formularum latinitatis, ac figurarum ornamenta sibi excerpant, quibus & ipsi utantur, & corpus orationis suæ uberrima copia exaugeant: ne semper puerilis, hoc est, iacens aridáque maneat ipsorum oratio. Plura uero de orationis Liuianæ compositione nihil hic attinet repetere, sed admonere satis est iuuenes, ut in qualibet eius parte, simplicem ordinem sermonis & constructionē grammaticā quærant & sequantur. præcipue quia longiores ambitus & quasi hyperbata, id est prolixæ constructiones & perplexæ sæpe in Liuij sunt oratione. Tale enim genus flexuosum, connexum & continuum, tanquam proprium, historicis tribuit Cicero, in secundo de Oratore, & in Oratore perfecto, & Fabius in 9. cap. 4. Atque hæc de elocutione obseruanda hic satis sint dicta. Deinde quod ad inuentionē rerū attinet, animaduertere oportet cōsilia prudēter aut temere inita, atq; eorū euētus et exitus, bonos aut infelices. Nā alienis exēplis discere & sapere fortunatū est &c.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Et hæc quidem propria uirtus est Liuij, copiose exponere rerum gestarum causas, occasiones, consilia, euenta, hooc est antecedentia & consequentia: quæ mire docent componere melius priuatam quoque uitam: præterea uirtutis probitatisque exempla imitanda, & uitiorum exempla cauenda sumuntur ex Liuio cōmode, & ab alijs historicis. Sic enim proprie ex historia capiūtur hypotheses, hoc est, exempla singulorum hominum bona, aut mala, aut media, quæ deinde ad theses, id est ad suos locos communes, atque ad generalia præcepta morum aliarúmque rerum dijudicantur & referuntur: qualia præcepta philosophi, præsertim Ethici tradunt, ut Cicero in officijs, in libris philosophicis: ut Aristoteles in sua Ethica, & in Politicis: ut Plato in sua Repub. & in legibus: ut iureconsulti in suo scripto iure, præsertim publico, huiusmodi præceptorum exempla uiua & expressas imagines historici proprie depingunt, quorum apud Latinos princeps procul dubio Liuius habetur.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS.

PRAEFATIO in uniuersam historiã Liuianam, qua beneuolentiam atque attentionem lectoris captat Liuius, ab utilitate argumenti instituti, & historiæ suæ. Cuius exordij summa hæc fere est. Rem utilem lectoribus me facturum esse opinor, si à condita Vrbe res gestas in Repub, & imperio Romano, ad meam usq; ætatem descripsero, omnémque historiam Romanam, uno quasi corpore, complexus fuero. Nam ad uitam publice priuatímque agendam, mire conducit, & iucundum est nosse initia, incrementa, progressus, acta, uicißitudines, atque mutationes imperij Romani, in hac enim Repub. exemplorum bonorum iuxta ac malorum est maxima copia: politicæq; uitæ imago propemodum una in hac eadem historia uidetur expressa. Atque hæc fere prologi huius est materia, quo etiam usum historiæ indicat. Videtur autem prima specie nonnihil difficultatis habere, propter sensus inter se connexos subtilius & rotundius quodammodo. Verum si eius summam inspicies, & grammaticum ordinem cõstructionis, non ita obscurus esse deprehendetur. Summatim enim, ut dixi, Liuius hoc intendit hac tota præfatione consequi, ut lectoris beneuolentiam attentionémque ab operis & argumenti incœpti non solum magnitudine, uerum & dignitate atque usu, & à sui officij uerecunda ciuilique extenuatione. Quem prologum, intellectus adiuuandi & exercendi stili causa, in hunc modum, tametsi pueriliter, uertere libuit.

PARAPHRASIS PRAEFATIONIS.

EQVIDEM nõ satis certo scio, nec etiã si maxime sciã, affirmare ausim, an fructus aliquis mihi authori, aut legentium ulli, posit rependere hunc laborem, si ab initijs urbis Romæ ad hanc meam ætatem usque, historiam omnem populi Romani in unum, quasi corpus, composuero. Metuo enim primo, ne in consuetum & uulgatum arrogantiæ calumniæq; discrimen incidam, quo plerosque laborare uideo scriptores nouos, qui hoc sibi peculiariter sumere & audacter profiteri solent, se artificiosius quiddã, lectúque utilius scribere, quã antiquos illos, quos tanquã impolitos nec excultos satis, hi noui arte carere, haud scio an male & ingrate, iudicant. Sed scribant isti & iudicent ut lubet, ego tamen non mediocrẽ hinc uoluptatem capiam, si pro uiribus meis adiuuero numerum ordinémque historiæ, atq; memoriã famámq; populi Romani, cuius nunc potentia longe latéque omnibus dominatur terris. Verum idem etiam gaudeo, non à recentioribus tantum, sed & ab antiquis illis authoribus me ingenio, arte, fama & celebritate superari, meúmq; nomen, præ illorum clarißimo splendore, in obscuro iacere lætor, & ab eis uinci honestißimum mihi duco: quippe à tam magnis & nobilibus, tantũ abest, ut ulli me præferam, nedum præ me aliquem contemnem. Deinde cur audacius quicquam de opere meo nequeam promittere, hæc etiam causa est, quod immensum laborem meisque uiribus prope imparem hæc Romanarum rerum expositio requirit, utpote quas ex longinquo & abdito spatio tantæ uetustatis eruere oporteat. Nam plus quàm septingentorum annorum mihi erit memoria repetẽda, quomodo à minimis uilibúsque initijs, instar ingentis fluuij ex paruis fontibus emanantis, Respub Romana orta, tantum increuerit & surrexerit, ut iam mole sua laboret, & ab immodica sui ponderis grauitate minetur ruinam. Adhæc mihi dubium non est, quin minorem uoluptatem plerique legentium accepturi sint ex ijs, quæ sub exordia urbis accidisse scribentur. Malint enim lectores citius hæc noua, tanquam gratiora, ætatique nostræ proxima, cognoscere, quæ populus Romanus potens nimium, & ab extero hoste securus, suas uires bellis ciuiũ inter se intestinis debilitatas prope absumpsit. Quanquam in his nouis ego in eo rationem longe diuersam, existimans, labore scribẽdi uetera illa & sanctiora, me hoc lucri facturũ, & delectationẽ hinc animo meo obuenturam potius, quam fastidium, dum me à recentium malorum memoria & iniuita molestißimo, quæ seculum nostrum miserrimum diu iam tulit, auertam ad innocuæ & sanctæ antiquitatis contemplationem longe iucundißimam. Et quidem omnino securius est ac amœnius antiqua illa libere candidéque mandare literis, quàm nostratiũ malorum recordationem, quæ uix dum sedata iacent, paulisper ad suspiciosos istos renouare, & uelut obducta cicatrice uulnus refricare uera narrando, quæ cum nemo, tũ præcipue factiosi & potentes, æquo animo audire nequeũt. adeo iam ueritas paululum libera ubique ingrata periclitatur, tutißimúmque est ignem bene sopitum non refodere. Quòd si quæ de originibus urbis fabulosa à poetis, quibus licet peculiariter quiduis fingere, prodita & poeticis illecebris exornata potius, quàm ab historicis serio uel bona fide uidentur esse tradita, ea quidem nec asserere, tanquam certa, nec refutare tanquam ficta aut parũ credibilia mihi libet, quippe qui istorum fidem penes alios esse malim, qui huiusmodi prodidere, quàm ut ego mea fide periculóque scribam talia. Quanquam innocens alioqui hoc ueniæ meretur antiquitas in effingendis urbium ac populorum originibus, ut has ad aliquem authorem deum aut heroa referat, atq; talibus populorum initijs plus sic maiestatis addat, si res humanas deorum quoq; studijs consecret, diuinóque ductu auspicaciores augustioresque reddat. Quòd si tamen uera licet fateri, non uideo cur exteræ gentes quicquam grauiter ferant, etiamsi Romani suos ortus ad Martem, tanquam urbis Romæ parentem referant, qui cũ belli reique militaris præses & Deus esse credatur, optimo pariter iure hunc Romani patrem conditoris sui Romuli, suæq; gentis authorem sumunt, quorum potentia atque ius imperij quæsitum armis & latißime propagatũ sic perdurat & uiget, ut exteræ gentes hoc neutiquam detrectare ausint: sed obsequenter magis patiuntur. Nihil ergo causæ est, cur tanti imperij parentem Martem, his inuideant, quorum iugum patienter ferunt. Sed hæc atque his similia quocunque modo improbentur, cuius ego non ita multum interesse putabo, suum cuique liberum iudicium permittens, pro ut tot sententiæ sunt, quot hominum capita. Quin potius illa maximi referre cuiuslibet arbitror, ut, acri & prudenti cogitatione in historijs talibus sequatur, & diligẽtißime obseruet, qualis hominum ætatúmque uita fuerit, quæ consuetudines, quæ leges, qui mores denique fuerint cuiusque seculi, per quos principes & magistratus melioresque ciues tantum imperium Romæ, non fundatum modo & corroboratum: uerum etiam splendidißimis incrementis & accessionibus ita mirabiliter auctum, & ad summa euectum sit, ut ipso nihil pulchrius unquam toto terrarum orbe floruerit. quæ incrementa non nisi prudentißimis cõsilijs domi quidem & in urbe, foris autẽ & belli sanctißima disciplina, & scientia militari, pulcherrimisque facinoribus priuatim publicéque æditis, huic urbi eiusque ditioni accessere. Sic enim consilijs & uiribus inter se bene consentientibus, minima quoque in summum prouehuntur maximáque fiũt. Quanquam hic felicißimus status, nec huic Reipub. uno tenore perdurauit. Vt enim sunt hominum caduca omnia, suásq; uicißitudines, etiam maxima queque & firmißima, subeant: ita & Romano imperio euenit, ut cũ maiorum prudentia & uirtute tam eo conscendisset, unde nunquam recidere posse uideretur: tamen bonis legibus & moribus sensim labentibus & declinantibus, quasi præ uetustate ad ruinam: sanctior quoque illa & antiqua disciplina subinde magis magisque collapsa demum corruit, ita, ut nostro seculo, nullis reliquijs ueterum morum bonorum & priscæ innocentiæ extantibus, ita paßim uitia regnent & scelera hominum animos occuparint, omnémque uitam & ætatem infecerint, ut nullo remedio, nullo consilio neque ope, tantæ malitiositati, talique contagio consuli poßit, nec ulla arte sic iacentes ruinæ queant resarciri ac resurgere. Cum autem historiæ lectio mire facundiam augeat, ad aliáque plurima ualeat primus tamen & potißimus hic eius fructus est, quod uiuis exẽplis illa perspicue efficacitérque docet, quæ philosophi & morum magistri mutis tradunt præceptis, alioqui sterilibus, nisi hæc illustria bene aut male uiuentium accedant, quæ tanquam expressas & claras uirtutum uitiorúmque omnis generis imagines intueantur. Quo intuitu fit, ut nobis ipsis inde affatim decerpere poßimus, quod in uita priuatà aut publica non tantum nostro, sed aliorum quoque commodo, & sæpe cum salute patriæ nostræ, imitentur honestum factum, aut uitemus abominabile inceptum iuxta & euitatum. Nisi uero metuam, ne mei operis amor immodicus,

dicam, iustóque blandior, me decipere, à rectóque abducere uideatur, dicerem ego nullam usquam Rempub. nullum imperiũ in orbe fuisse æque magnum, durabile, incorruptum, & bonis quoque moribus & exemplis ita abundans, ut Romanum, cuius historiam scribere institui, quod quidem diutißime regnorum omnium & ditionum fuit immune & uacuum ab auaritia, ac rapacitate, à luxu & libidine: quippe hic maximus honor longißime est habitus honestæ paupertati, moderationi, continentiæ, frugalitati. Quid enim plus æquo immodicéque cuperent hi qui tantillis contenti fines angustißimos suæ cupiditati describebant, terminantes eam intra uitæ uictúsq; naturalem necessitatem, quæ certe paucißimis satiatur. Atque utinam hæc pristina moderatio & integritas diuturnior huic fuisset urbi & imperio. Belle enim sic & diuine ageretur nobiscum. Sed nulla felicitas longa est, nedum perpetua. Non enim ita pridem immodica opum domesticarum atque externarum affluentia adduxit auaritiam. Quo enim plus diuitiæ crescunt, eo magis augescit insatiabilis cupido & habendi appetitus. Eadem diuitiarum copia immodica adduxit etiam inauditas peregrináſque delicias, ac nocentium uoluptatum nouas illecebras. Nam pecuniæ rerúmque similium abundantia, ut facit animos superbos ac fastos: ita quoque inuitat aut rapit eos potius ad quaslibet libidines. ut demum nullus statuatur modus neque finis omnia, etiam optima, corrumpendi & euertendi. adeo bonorum pulcherrimorum interitum ac ruinam secum trahit miserabilem nimium ingrauescens luxuria & libido, quæ calamitas bonorum nullis uerbis, non lacrymis, non luctu satis potest defleri. Verum nunc quasi ominosæ hinc facessant querelæ ab operis primum incepti auspicijs & exordijs, cum bona magis & auspicata comprecatione, uoto, ominéque fausto institutam uiam ingrediamur. Querelæ enim huiusmodi semper ingratæ molestæq; sunt, etiam cum necessitate coacti eas effundimus. Vt enim delicatas teneráſque aures, non ita bonorum hominum, ueritas ipsa radit & uellicat, nimiúmque mordet, sic ueræ & liberiores querelæ & incusationes longe sunt grauißimæ & minime acceptæ peßimo cuique, quales hoc nostrum seculum producit. Quod si eadem consuetudo historicis esset, qua poetæ utuntur, ut deos deáſque in poematum suorum initijs inuocent & comprecentur, utique & ego uelim in hoc exordio, non querelis uti, sed à dijs immortalibus precari, ut suis auspicijs ac fauore mihi scribendi res Romanas ut utilißimas, ita & maximas, benigne aßint, felicémque progressum & euentum operis nobis largiantur.

ANNOTATIONES IN
Præfationem.

Nec satis scio, nec si &c.) Ab extenuatione sui studij & personæ captat beneuolentiam, dicens, Nihil arrogantius ego affirmare uolo, quam utiliter facturus sim scribendo hanc historiam. Principis.) Iuxta illud:

Romanos rerum dominos, gentémque togatam. Eorum,) id est, historicorum Romanorumq; ueterum, quales sunt, Marcus Cato, Sisenna, Piso, Fabius pictor, Pomponius Atticus, à quibus me uinci patiar æquo animo, iuxta illud:

Nec tam turpe fuit uinci quàm contendisse decorum
Magnáque dat nobis tantus solatia uictor.

Res est præterea &c.) A difficultate argumenti & rerum scribendarum magnitudine, Sic Lucanus:

Atque sua imperium nostrum nunc mole laborat.

Et legentium.) A persona lectorum captat beneuolentiam.
Conficiunt.) Sic Lucanus: Populúmque potentem.

In sua uictrici conuersum uiscera dextra: & Virg.
Ne patriæ ualidas in uiscera uertite uires. Ego contra.)

Quarto à temporibus per inuersionem. Per tot annos.) Sic Seneca, in Octauia:

Collecta uitia per tot ætates diu
In nos redundant, seculo premimur graui:
Quo scelera regnant, sæuit impietas furens.

Sollicitum) quia parum tutum est, scribere ueritatem liberè. Et quidem magna libertas scribendi uera, absque studio factionis ullius, dicitur in Liuio fuisse: adeo, ut Cæsar uocauerit eum Pompeianum. Quæ ante.) Occupatio: ego relinquam fabulosa, & ea, quæ ueri speciem propè non habent, lectoribus iudicanda. Monumenta) quæ nos admonent alicuius rei. Diuinis,) id est, actis. quia pleræque urbes & populi, suas origines in deos referunt fabulose. Sic & Romani suos ortus in Iouem, Venerem, Martem: & hinc in Aeneam, Ascanium, Romulúmque referunt.

Ad illa mihi.) Quintum. Ab utilitate argumenti & historiæ captat beneuolentiam & attentionem. Atque hic usum historiæ ostendit. Labente deinde.) Metaphora ab ædificijs ruinosis. Vide similem locum apud Plautum in Mostellaria, ubi iuuenilem ætatem comparat domui. Cognitione rerum.) 2. A. id est, in historia, quia ille abstinet à Græco uocabulo. Historia enim Græcum est.

Nuper diuitiæ.) Querela breuis de corruptis moribus suæ ætatis. Sic Seneca:

Turpi libido Venere dominatur potens,
Luxuria uictrix urbis immensas opes
Iam pridem auaris manibus, ut perdat, rapit:

Similis est locus apud Iuuenal. in sexta Satyra:

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec uitijs contingi parua sinebat
Tecta labor, somníque breues. & uellere Thusco
Vexatæ, duræq; manus, ac proximus urbi
Hannibal, & stantes collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubuit, uictúmque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinúsque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.
Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Diuitiæ molles, &c.) Correctio querelæ, & inuocatio

ad deos, qua grauitatem historiæ effert. Vt poetis.) qui inuocatione semper in exordio utuntur.

ANNOTATIONES IN LIBRVM
primum Decadis primæ.

SCRIPTVRVS historiam Romanã Liuius, statim ordititur à primis originibus urbis & gentis Romanæ, quæ ab Aenea & Ascanio Iulo sit oriunda. Non uero indiget hic locus primus longa expositione, cum hoc sit argumentum fere totius Aeneidis Virgilianæ, quæ de Aenea copiose & clare loquitur, quomodo ab illo eiúsque filio Ascanio, urbs atque populus Romanus, & gens Iuliorum Cæsarum, ducat originem capta Troia. Quæ urbs Troadis in minore Asia à Græcis decennali bello uexatur, ut Homerus in tota Iliade scribit, tandẽ capta uastatáq; est. Quod excidium Virgilius in secundo Aeneidos describit. A qua Troia fatis actus Aeneas, cum uiginti circiter nauibus in Italiam proficiscens, septennium terra marique oberrauit. Cuius peregrinationis depictæ à Virgilio in tertio Aeneidos. hæc fere sunt loca quibus Aeneas sit commoratus. Primo Troia uastata. Secundo Antandros oppidum Phrygiæ, ubi classem parauit. Tertio Thracia, ubi Aenum oppidũ sui nominis condidit. Quarto Macedonia, secundum Liuium. Quinto Delus, Insula Apollinis. Sexto Creta insula. Septimo Strophades insulæ. Octauo Buthrotus, Epyri oppidum. Nono Mineruæ promontorium in Italia. Decimo Sicilia insula. Vndecimo Carthago urbs, Aphricæ caput. Duodecimo Sicilia iterum. Decimotertio Cumæ, maritimum Italiæ oppidum. Decimoquarto Latium, postea urbis Romæ solum, in quo Aeneas Troiam oppidulum cõdidit, & inde Lauinij regnauit: quod regnum dotale accepit cũ Lauinia Latini regis filia, & in eodem Latio Ascanius Iulus, Aeneæ filius, postea cõdidit Albam urbem & regnum Albanũ. Ex quo deniq; ortum est regnum & imperium Romanum, urbe Roma condita à Romulo in eo loco, ubi sub Aeneæ aduentum stetit Palanteum oppidulum, ab Euandro Græco Arcade rege conditum.

Sic ergo clare uides, quomodo & qua serie urbs Roma & imperium Romanum trahat originem ab Aenea & Troianis.

id quod primus hic locus historiæ Liuianæ ostendit. uide librum tertium Aeneidos:

Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur annis:
Et nati natorum & qui nascentur ab illis.

Et in primo, in oratione Iouis:

His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi &c. Et in sexto.
Nunc age Dardaniam, &c. Et in octauo, in descriptione clipei.

Illic res Italas. Et in decimo, in concione deorum. Et in duodecimo. Hinc genus Ausoniæ. Et in tertio. Nate Dea.

Vetusti hospitij.) Quia Aeneas & Antenor exceperunt hospitio legatos Græcorum, repetētes Helenam à Paride raptā, qui erant Menelaus & Vlysses. Fuit autem ius hospitij ueteribus sacrosanctum & inuiolabile. Reddendæ Helenæ) quam uxorem Menelai regis Græci, ex Peloponneso rapuit Paris, Priami regis Troiani filius, quæ iniuria causa fuit belli & excidij Troiani. Euganeis.) id est, qui ante aduentum Antenoris, in Veneta regione habitarunt, pulsi postea ab Antenore & eius socijs.

Alpes) dictæ sunt ab ἄλφ@ quòd perpetuo niue albeant.

Pagus.) id est uicinia uel regiuncula, in qua sunt plura oppidula, & uici. Veneti appellati) & in hac Venetia conditum est Patauium ab Antenore, Liuij nostri patria, olim caput Venetiæ, sed nunc Venetiæ sunt eius regionis caput. Duplex exinde fama est) uariatio historiæ, quam etiam Virgilius diuersis locis attingit, & Seruius indicat statim in principio commentarij super Aenei.

Agrum Laurentem.) id est, qui ager est in Latio, & oppidum eius regium fuit Lauinium, quod & Laurolauinium & Laurentum uocari dicunt. de hoc uide Virg. in septimo Aeneid.

Bello deinde.) Bella quæ gessit Aeneas, & deinde Ascanius filius eius contra Turnum, regem Rutulorum, & contra Mezentium, regem Hetruscorū: quæ Virgilius tamē alio ordine refert.

Aborigines.) i. B. uocantur uetustissimi populi in Latio, quasi montani appellati: quia agrestem uitam in montibus & syluis egerint, priusquam Saturnus ex Græcia ueniens in Italiam, eos docuit agriculturam & cultum uinearum. Hi postea Latini sunt uocati à Latio regione, in qua Saturnus profugus à Ioue factus, apud Ianum latuit. uide in. i. Fastorum, & in. 8. Aeneid.

Latinos.) à Latio uel Latino rege, & utrisque dedit æquas leges, ita ut ueteribus & legibus Italicis uterentur iuxta Troiani & Latini, & lingua Latina loquerentur.

Fretum.) angustum mare: quia Hetrusci tum supero inferóque mari imperitabant, uide infra in libro quinto, & Virgil. in libro decimo.

Nunc cum.) scilicet in agro Laurente. Et quedam ueteres historiæ tradunt in hoc secundo prælio Aeneam, nescio quo casu, in Numico amne submersum, neque eius cadauer repertum, ad quod Virg. etiam alludit libro decimo Aeneidos.

Aeneas fane ignotis iactetur in undis.

Habitúmque deinde pro Deo indigete. Dicuntur autem dij indigetes, quasi ex hominibus geniti & assumpti inter deos agant uitam: uel tutelares dij, quorum nomen indagare & inquirere fas non sit, ne euocentur in alium locum. Vide autem de Aeneæ deificatione in decimo quarto Metamorph. & in tertio Fastorū.

Haud nihil ambigam) Variatio historiæ de Ascanio Iulo, Aeneæ filio. Is Ascanius) Albani regni origo & initium, ex quo postea natum est regnum Romanum. Colonia) uocatur proprie oppidum, quod ciuibus alterius urbis colendum datur. Sic Albam uocat Liuius coloniam Lauinij: quia ædificata & data est ad habitandum ciuibus Lauiniensibus, deductis & translatis in Albam ex Lauinio. Pax ita conuenerat.) Scribunt tamen alii qui etiam Ascanium gessisse bellum cum Mezentio & Thuscis, Mezentiumque ab Ascanio occisum.

Casu quodam in syluis natus.) unde & Syluius fit cognominatus. Et ab hoc reliqui reges Albani item Syluij cognomen traxerint. Alij tamen hunc Syluium Aeneam dicunt esse natum de Aenea & Lauinia, fratrem Ascanij non uterinum, qui sine liberis mortuus, regnum Albanum tradiderit altero Syluio Ascanij Iuli filio, nepoti suo ex fratre. Cæterum genealogia Aeneæ & Ascanij in Romulum usque, sic ferè se habet. Primo Iupiter.

Secundo Dardanus ex Ioue & Electra nympha natus: qui Dardanus occiso per casum fratre suo Iasio ex Italia profugus, primo in Samothraciam, deinde ad Hellespontum uenit, in eam regionem minoris Asiæ, quam à se Dardaniam uocauit, illicque regnum Dardanium, postea Troianum instituit, octingentis circiter annis ante urbem Romam conditam. Tertio Erichthonius Dardani filius. Quarto Tros, à quo Troia appellata, quæ & Dardania. Quinto Ilus, à quo conditum est Ilium primaria urbs Troiæ, postea à Græcis uastata. Sexto huius frater Assaracus, fuit princeps non rex. Septimò Capis Assaraci filius. Octauo Anchises, ex Capi natus. Nono Aeneas, ex Anchise & Venere dea genitus. Decimo Ascanius Iulus, Aeneæ filius, ex Creusa Priami regis Troiani filia. hic condidit Albam longam & regnum Albanum erexit permisso Lauinio suæ nouercæ post mortem patris Aeneæ, qui triennium tantum in Latio regnauit. Lauinij huius frater non uterinus fuit Aeneas Syluius Posthumus, quem & Ascanium cognominarūt, ex Aenea & Lauinia natus in Latio, casu quodam in syluis. Hic post mortem Ascanij regnauit in longa Alba. Sed tamen, quia decessit sine liberis, illud regnum rediit ad Ascanij Troiani progeniem. Hoc ordine. Vndecimo Aeneas Syluius Ascanij Troiani filius, non Posthumi. Duodecimo. Latinus. Decimotertio. Alba. Decimoquarto Atys, quem Atyn Epitum uocant. Decimo quinto Capis. Decimosexto Capetus. Decimoseptimo Tyberinus Agrippa. Decimooctauo Remulus (alij Romulius) Alladius, huius frater fuit Iulius Syluius, à quo deriuata est gens Iulia Cæsarum, in quorum gratiam Virgilius suam Aeneida scripsit, illustrare uolens gentem & familiam Iuliorū, in quam Cn. Octauius Cæsar Augustus adoptatus est à Iulio Cæsare dictatore, cū esset natus ex nepte eiusdē Iulij Cæsaris. Sic ergo ostendit Virgilius magnifice, urbē Romā & gentē Iuliā ducere suā originem ex Asconio Troiano & Aenea. Decimonono Auentinus Remuli filius. Vigesimo Procas. Vigesimoprimo Amulius, huius frater fuit Numitor auus maternus Romuli, ultimus rex Albæ, quæ condita est ante urbem Romam quadringentis annis circiter. Vigesimosecundo Rhea Ilia Syluia, Numitoris filia, quæ ex Marte genuit Romulum & Remum gemellos. Vigesimo tertio Romulus, urbis Romæ conditor, primúsque eius Rex, qui regnum Romanum erexit ex Albano. Hinc inde sequuntur sex reges usque in primos consules, annis circiter ducentis quadraginta octo. Sequentis uero temporis supputationem de regno & imperio Romano, uide supra in ætatibus Romæ. Vide etiā de his Ouidium in tertio Fastorum, & in. 14. Metamorph. & Virg. in fine sexti & octaui Aeneid.

Proca,) 3. A. id est, proauus Romuli maternus. Plus tamē uis potuit) Impietas Amulij quadruplex in fratrem suum Numitorem. Quia primo eripuit ei regnum. Secundo occidit eius filium per fraudem. Tertio filiæ eius spē prolis ademit. Quarto nepotes eius ex filia gemellos natos, Romulum & Remum, crudeliter trucidandos exposuit. Quæ impietas causam dedit finiendo regno Albano, & Romæ condendæ. Virilem stirpem) filium Egestum nomine, quem secum habebat in uenatione eisque percussorem immisit. Sed debebatur) Romulus conditor urbis Romæ, & Remus nati sunt ex Rhea Syluia, Numitoris filia, & ex Marte belli præside. Sic ergo Romani proximos suos ortus recte referunt in Martem Deum belli, & gentem Albanam, ab Aenea Ascanióque profectam.

Sorte quadam.) De infantia & pueritia Romuli & Remi & qua occasione seruati sint, ne expositi perirent: uide etiam Plutarchum in uitis, qui omnem uitam Romuli uerbose descripsit.

Ficus Ruminalis) A casu lupæ præbentis mammā his gemellis, & hanc ficum in foro Romano sua tum ætate Plin. stetisse testatur, lib. 15. cap. 18. Tenet fama.) Miraculum lupæ, quæ gemellos lactauerit. Ita geniti) Adolescentia Romuli & Remi, & occasio qua agniti sunt ab auo materno Numitore.

Peragrare.) Peragrabāt. & est peculiaris phrasis historicorū Latinorū, ut infinitiuo modo cum nominatiuo, pro indicatiui præterito imperfecto. Robore) Metaphora ab arboribus, quorū sola sunt robora. Iam tū.) Breuis digressio de Lupercalibus sacris

quæ

quæ copiosius describit Plutarchus in Romulo: & Ouid. secundo Fast. & Virg. in 8. Dicta sunt autem Lupercalia, à Pane Arcadico, quem illi cognominant Lyceũ à lupis, quod illic in mõte Pa nos creditum sit homines in lupos transformari, ut Ouid. de Lycaone Arcade primo Metamorph. & ut Plin. lib. 7. cap. 2. scribit: & de Pane Lyceo uide Macrobium, lib. 1. cap. 22. Saturnal. In hoc ergo Lupercali sacro deprehensum & agnitum primo Remum, deinde Romulum quoque indicat Liuius. Palantium) Oppidulum, quod Euander, paulo ante Aeneæ aduentum, in Latio ædificauit, Vide Virg. lib. 8. Aeneid. Profugerat autem Euander princeps ex Arcadia in Latium, propter cædem fratris fortuitam à se perpetratam. Vt nudi iuuenes.) Quia Lupercales, hoc est, illi qui lupercalia celebrabant, scuticis & flagellis obuiam sibi factos inuaderent, & cum uerberibus in eos irent. Vltro,) id est, cum potius Romulus conuiuis accusare deberet latrones.

Iam inde.) 3. B. A circunstantijs Faustulus sibi & Numitori credibilem facit agnitionem Romuli & Remi. Sciscitando eodem peruenit.) ad eandem coniecturam, quam Faustulus concepit. Romulus non cum globo iuuenum) Pœna impietatis sumpta de Amulio, & restitutio Numitoris aui, per Romulum facta. Vndique,) id est à fatis, à Romulo, à Numitore.

Numitor inter primum tumultum.) Prudentia Numitoris, in patefacienda impietate & cæde Amulij iusta.

Interuenit deinde his cognitionibus &c.) Contentio Romuli & Remi fratrum de regno, & de nomine urbis: & est exemplum fraternæ impietatis. Auitum malum). i. hæreditarium, quo Amulius & Numitor aui eorum laborauerant. Templũ) Iuxta Varronem, est locus in spatio cæli designatus, ad auguria contemplanda & captãda. Irarum certamen &c.) Iuxta illud:

Nulla fides regni socijs, omnisque potestas
Impatiens consortis erit, &c. & item:
Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

Vide etiam in secundo & quarto Fastorum. Mœnia mea) Inde etiam Romano iure pro sacrosanctis habiti sunt muri urbium, capitaléque fuit muros transcendere. Ita solus potitus) De Romulo primo rege Romanorum & de urbis Romæ constructione, sequitur hic Liuius uulgatam opinionem, quòd à Romulo primũ sit condita & appellata, quanquam inter se mire uariarunt ueteres historici, ut meminit Solinus capite primo & secundo, & Plutarchus in Romulo. Plerique enim dicunt, à primis fundamentis Romam ædificatam à Romulo. Quidã uolunt in eo solo antea fuisse paruum oppidulum Palanteum aut Valentiam, ab Euandro aliòue quopiam constructum, & inde à Romulo ampliatum esse ad speciem iustæ urbis, suóque nomine Romam appellatam. Dies autẽ Romæ natalicius quo condi cœpta est, habetur ad undecimum Calend. Maij septingentis quinquaginta duobus annis ante Christum natum, & anno secundo Olympiadis sextæ, quãquam plerique omnes, primum annum urbis Romæ referant in primum annum Olympiadis septimæ.

Sacra dijs alijs.) Quia omnis Respubli. bene instituta constat religione & politicis legibus, ideóque & Romulus tanquam legitimus Rex primo instituit Romæ religionem qualemcunque & cæremonias, deinde politicos magistratus, morésque & iura & bella quoque fecit. Est autem hic digreßio longior in originem & ritum sacrorum Herculis, quæ pridem antea in eodem urbis solo instituerat Euander Rex de Arcadia. De quibus uide Virgiliũ in octauo, & Ouid. libro 1. Fast. Sed alia sacra Latina non explicat Liuius, uide tamen de his quoque Dionysium in Romulo. Herculem in ea loca, &c.) Hercules Thebanus, cuius labores duodecim, & plures etiam, numerantur à poetis, ut apud Ouidium libro 9. Metamorph. ex Græcia profectus in Hispaniã, illinc occiso Geryone rege Hispanorum armenta mobilia abduxit & per Italiam iter faciens, ad Euandrum in Latium uenit, & hospitaliter religioséque ab eo exceptus, suorum sacrorum ritus Euandrum docuit. Particula quisque cum distributiuo habet uim nominis collectiui.

Ex loco infesto.) 4. A. Infensus, infestus, inuisus, actiue. Odiosus paßiue. Porrò.) Longius, Græcum aduerbium à Latinis asscitum. Nequicquam) frustra, aduerbium imminuendi. Nec quicquam duæ dictiones nihil significant. Miracula literarum.) quas sedecim Latinas literas Nicostrata Carmenta Euandri mater, cum filio in Italiam profecta, primum inuenit, Latinisque tradidit ad imitationem Græcæ literaturæ, à quibus tamen formis non ualde differebant Latinæ. A, B, C, D, E, G, I, L, M, N, O, P, R, S, T. V. Reliquæ enim literæ scilicet. F, H, K, Q, X, Y, Z à Græcis sumptæ prioribus illis sunt additæ. Græcæ literæ à Cadmo principe Thebano sunt inuentæ. Carmenta) quæ proprio nomine Nicostrata appellata. nam Carmenta, nomen est à canendo, id est, uaticinando & carminibus: quia responsa sacra olim carminibus & uersibus comprehensa reddebantur. Sibyllæ.) Cumanæ, quæ aliquanto serius in Italia uaticinata est, tametsi Virgilius eam Euandri & Aeneæ tempore uixisse scribit, sexto Aeneid. Dicitur autem Sybilla mulier uaticinatrix, quæ Dei uoluntatem & consilia de futuris euentibus longè ante potest prædicere à σιὸς Deus & βουλὴ consilium. Vide Lactantium in Institutionibus. Trepidantium) id est, tumultuantium. Facinus) id est, cædem. Habitum). i. uestitum.

Augustiorem.) uenerandũ, spectabilẽ, quia uestis facit uirum. Humana.) id est, communi hominis forma. Patriam) id est, Thebas Beotiæ. Accepit). i. audiuit. Aucturũ cælestium numerum). i. referendum esse in deos. Dicatũ iri) Infinitiuus passiuus. De Ara maxima, uide Plutarchum & alios. Olim). i. futuro tempore. utrunque enim significat præteritum & futurum.

Tuo ritu). i. Græco. Dextra) symbolum & pignus fidei.

Omen) est signum futuri euentus, ex sermone alicuius sumptũ. Fata). i. oracula de se. Ministerium). i. sacrificium. Potitijs ac Pinarijs). i. nobilibus ex Græcia cum Euandro profectis. Inclytæ). i. nobiles ex Græcia cum Euandro profectæ. Antistes) ab ante & stando, sacerdos primarius. Cæterum collectiuis nominibus iungitur. Aetatem). i. circiter octingentos annos.

Genus omne Potitiorum.) Exemplum neglectæ religionis punitæ. uide infra lib. 9. & Vale. lib. 1. cap. 1. & Virg. lib. octauo Aeneid. Hæc tum.) Regreßio ad historiæ ordinem. Vna,) id est, sola, Ex omnibus,) id est alijs sacris. Et lege cauit etiam, ne qua aliena & peregrina sacra in urbem reciperentur: néue alienigenas cæremonias Romani peragerent. Eum,) id est, Romulum: quia est propter res gestas à se dijs annumeratus: sicut Hercu. post mortem, ut infra. Rebus diuinis). Rerum politicarum & legum iurisque institutio facta à Romulo, post religionis eorum. Atque hinc licet multas leges regias elicere & numerari, de quibus infra demum ad Romuli finem uidebimus.

Perpetratis) id est, institutis & peractis. Corpus.) id est, communitatem uel ciuitatem, quæ est ciuium unitas. Coalescere). i. concrescere & conuenire, ab insitione metaphora sumpta.

Legibus,) quia fundantur legibus urbes: sed longe plura de legib. uide apud Cic. 1. de legibus: & apud Iureconsultos, in titulo de iustitia & iure, in Digestis. Iura). i. lege statuta & cõsuetudines, quæ ex insequentibus elicere oportet: & ex Dionysio Halicarnassæo, qui multas leges Romuli speciatim numerat lib. 2.

Sancta,) id est inuiolanda. Sancire) firmare propriè significat, inde sanctus dicitur, qui est firmus contra uim. Insignibus imperij). i. Regio uestitu & habitu. Habitu). i. uestitu, prædicamentum habitus, non species qualitatis habilitas. Augustiorẽ) id est, uenerabiliorem cum quadam religione. Augustus) non dicitur ab augendo, sed ab augurijs. Auium). i. uulturum duodecim. Portenderant). i. significauerant. Numerum). i. duodecim. lictorum. Ductos) id est, sumptos. Apparitores). i. qui mox ad imperium magistratus parati debent apparere. Vnde) id est, à quibus Hetruscis. Sella curulis) quæ magistratibus honoratis ponebatur in curia, ubi rite sederent. Lictores) à ligandis & uinciendis noxijs. Viua enim lex & executor legum lictor est. Toga prætexta) uestis erat circumtexta purpura quam soli magistratus & impuberes patritij gestabant. Habuisse,) id est, duodecim lictores. Duodecim populis,) 4. B. id est, Hetruriæ: quia uetus Hetruria fuit triplex, scilicet Cisapennina quæ habuit quatuor urbes, & Transapennina quæ item quatuor urbes habuit, & Transpadana, quæ item quatuor urbes habuit. Sic ergo erant duodecim primariæ urbes & populi Hetruriæ, quorum cum haberet unusquisque suum lucumonem, id est tribunum uel prætorem, omnes tamen communibus suffragijs

creabant

creabant regem, quem sua lingua uocabant Lartem, id est Hetruscorum regem. Vnde Virgil. de Hetruscis in decimo.

Sed non genus omnibus unum.

Gens illi triplex populi sub gente quaterni.

Vide infra, libro quinto ab Vrbe condita. Communiter,) id est communibus suffragijs. Singulos) abundat, uide Hadrianum. Dederunt) scilicet, regi suo.

Crescebat interim.) De Asylo & ciuium concilio. Munitionibus).i.ædificijs publicis & priuatis. Appetendo) id est occupando & diuidendo. Munirent,) id est, ædificarent. Id hominum,) id est, ad eam paucitatem hominum. Vana,) id est, uacua habitatoribus. Densis sentibus,) id est spinetis. Conciendo,) id est, conuocando. Duos lucos,) id est Capitolium & Palatium. Asylum,) id est locum liberum & impunem, ex quo neminem licebat rapere uel abducere inuitum. Obscurum,).i. ignobilem. Natam è terra,) id est ex inopinato collectum sibi populum magnum. Vide apud Ouid. in quarto Metamor. de Cadmo. inde ignobiles & obscuros prouerbialiter appellamus Terræ filios. Eo,) id est in Asylum. Liber an seruus).i.probus & sceleratus. Magnitudinem),i. urbis impune, quique boni & scelerati in Asylum concurrebant, ita capitalia ausi, uel oberati, cum scirent sibi impunitatem esse propositam. Vide Plutarchum de Asylo Thesei in uita eiusdem. à non συλάω rapio uel prædor, quia non licet prædari aut abducere per uim ad Asylum confugientem. Roma significat, Hebraice superbiam (Græce uolentiam, Latinè scortum. Germanicè iactantiam. Cum iam uirium,) De senatu constituto. cum enim, ut infra dicet, triginta essent curiæ, ex singulis elegit tres in senatum: cúmque tres essent tribus, item tres in senatum legit, atque his nonaginta nouem senatoribus centesimum addidit, appellatum principem senatus, qui absentis regis uices quasi gereret, locúmque teneret: & hic cẽtenarius numerus durauit usque ad Tarquinium priscum.

Viribus).i.potentiæ adiungit prudentiam senatoriam. Patres).i.senatores. Ab honore) sicut & senatores cognominati à senio. Prisci enim Græci Latinique ætate prudentiáque prouectos, & optimos quosque uiros γέροντας senes uel patres appellabant. Patritij).i.tribunitij. Iam res Romana.) De coniugio & raptu Sabinarum mulierum, sub specie ludorum solennium: & est exemplum audaciæ propter amorem. Iam res) Est periodus. Antecedens. Vt cuilibet.) Consequens.

Sed penuria.) Aduersatiua. Quippe) quibus Ratio. Penuria).i.ob uel propter. Circa).i.inter. Vrbes quoque,) obliqua allocutio, forma sermocinationis, qua breuiter iusti sermonis uel orationis argumentum perstringitur infinitiuis uerbis q.d. Liuius, hæc & huiusmodi mandauit legatis Romulus, ut ad ciuitates referrent. Ex infimo).i.ex minimis initijs. Qua.).i. quatenus. Satis scire) Est Enthymema. Affuisse) quod ita fataliter Remus & Romulus essent seruati. In medio) ipsorum. Compar).i.si profugi ducerent profugas uxores.

Neptuno equestri.) Hic alius est Neptunus equestris, quam marinus. Ille enim dicitur equestris, quòd equitibus præsit, qui in eius honorem quotannis equos suos Tyberi transuehebant, ut infra in fine libri noni institutum scribitur: & cognominatur hic Neptunus Consus, quasi qui adiuuet cõsilia equestria. Sabinorũ) qui proxime Romam habitabant. Frequentem).i.plenã. Deditæ) intentæ. Cõposito).i.consilio. Signo dato).s.à Romulo.

Quem).i.aliquem. Destinatas).i.addictas. Vnam longe.) De more Talaßij inuocandi in nuptijs, causa boni ominis, sicut Græci inuocabant Hymenæum. Vnam) .i. uirginem. Insignem) id est spectabilem.

Talaßij cuiusdam.) qui Talaßius erat tum Romæ nobilis & bellicosus iuuenis, cuius nominis claritate retinuerunt uirginem, ne tanto principi prærriperetur. Itaque comprecabantur in nuptijs, uoce Talaßij, constantiam & fidem coniugibus. Identidem) .i. sæpe & subinde. Vocem).i.comprecationem in nuptijs, nomine Talaßij inuocato. Turbato) Querelæ uicinorum populorum de iniuria Romanorum, & coniurationes apparatusq; belli contra Romanos: quod bellum omnium primum Romanus fuit contra Ceninenses Crustuminios, quo Romulus, uicto rege Acrone, euasit uictor. Virginum).s.raptarum. Violati hospitij) 5.A. Quod cum sacrosanctum & inuiolandum apud ueteres haberetur, tamen Romani illud uiolauerant. Deum).i. Consum Neptunum. Sed ipse Romulus.) Blanditiæ Romuli, quibus mitigauit dolorem raptarum. Liberum).i.liberorum, qui sunt pignora coniugij. Argumentum à iucundo, item ab honesto matrimonij. Societate) ab utili. Quibus).i.Romanis. Darent animos).i. ut uirgines uoluntate animóque ingererentur suis maritis. Est autem hæc egregia ἀδωυεία, ex definitione matrimonij sumpta: quia coniugium, est coniunctio animorum fidelis, & societas liberorum fortunarúmque omnium, & iuris commune fœdus. Melioribus).i.benignioribus. Pro se).i.pro suis uiribus. Quisque).s.maritus. Officio) erga uxorem. Sua uice).i.pro suo iure & modo.

Accedebant).s.ad mitigandas uirgines. Purgantiũ).i.excusantium. Quæ).s.blanditiæ. Muliebre ingenium).i. mitigandum: quia mulieres gaudent se amari & ambiri. Admodum).i.aliquantulum. Sordida) in signum luctus. Concitabant).s.contra Romanos. Vbique) in loco significat. Vndique) de loco significat. Ceninenses &c.) Gentilia nomina.

Lente agere.) Bellũ primũ Romanorũ contra Ceninenses. Satis impigre).i.celeriter. Per se,).i.suis proprijs uiribus. Et est exẽplũ temeritatis præcipitis punitæ infelici exitu in Cenineñsib.

Regem.) Acronem nomine. Vrbem).s. Ceninum: & hoc primum oppidum est, uel prima urbs, quã per uictoriã potiti sunt Romani. Reducto).s.Romam. Ferculo).i.gestamine pomposo. Capitolium).i.in montem Capitolinum. Sacram pastoribus) sub qua ipse Romulus cum Remo lactatus fertur. Deposuisset).i.obtulisset deuota. Dono).i.spolio. Fines).i.aream Deo).i.Ioui Ferretrio, sic cognominato, uel à ferenda ope, uel à ferendis spolijs. Quæ).s.opima spolia, sic uocata, quòd optimus.i.dux, detrahat ea aduersario opimo.i. duci: quia dux fere optimus sui populi uocatur. Irritã,) id est uanam. Metatus sum,) id est difiniui. Dedico,) id est consecro. Nuncupauit,) id est enunciauit. Eo,) id est ad templum Iouis Ferretrij. Vulgari,) id est communem fieri. Compotum,) id est qui detraxerant opima spolia.

Intra tot annos.) plusquam septingentos. Opima spolia.) quæ secunda obtulit Aulus Cornelius Cossus de occiso Tolumnio Lartæ, id est rege Tuscorum, uide infrà, eodem lib. 4. Et tertia opima spolia obtulit Marcellus, postea sexies cõsul in bello gallico, occiso Viridomaro rege Gallorũ. Vide in Epitoma Flori uigesima, nec plura sunt oblata opima spolia, quã tria, scilicet, à Romulo, à Cosso, à Marcello. Rara,) quia tribus tantũ obuenit. Solitudinẽ) quòd miles Romanus nõ esset in expeditione. Legio,) id est, exercitus. Est autẽ legio proprie, exercitus conscriptus ex meris ciuibus Romanis selectioribus. Palantes,) id est sparsos.

Fusi igitur.) Secũda uictoria Romanorũ cõtra Antemnates: & Antemnæ secundum est oppidũ quod Romani ceperũt. Oportet autem sic obseruare ex Liuio alijsque, incrementa Romani imperij, quæ oppida, quæ urbes, qui populi, quæ prouinciæ, quæ terræ paulatim accesserint Romanis: & rursum decrementa eius, quæ paulatim defecerint ab illis, ut supra dixi.

Coniunx, id est, Romuli. Ouantem) Ouatio, proprie est solennis pompa uictoris ducis, qua in urbem æquitabat albo equo ad templum usque, ubi uictimas oues cædebat: unde etiam ouationis nomen uenit. Comitabatur eum exercitus uictor, erátque hæc solennitas propter minorem uictoriam. Triumphus autem est solennior pompa propter maiorem uictoriam, qua uictor imperator curru magnifico, laurea coronatus, quatuor equis albis in urbem uehebatur ad templum, ubi mactabat uictimas boues, comitabatúrque eum exercitus uictor, cum acclamatione læta scurrilibúsque iocis, & scommatibus, qualia iactari solent in Iambico carmine. unde & nomen Triumphi uenit à iambici libertate, quali milites ludebant in triumphantem imperatorem. Coalescere concordia) 5.B. Iuxta illud: Concordia paruæ res crescunt, discordia autem uel maximæ dilabuntur. Imperatum,) .s. à Romulo. Inde contra.) Tertia uictoria contra Crustuminos. Atque hæc tria prælia uel bella, pro uno sunt reputanda bello, & primum numeretur à Romanis gestum. Coloniæ missæ,) id est, Romanis ciuibus habitandæ, sunt datæ Antemnæ &

Crustuminium

Crustuminium, ut una cum pristinis incolis eas colerent & habitarent. Darent nomina,) id est finerent se conscribi in numerũ ciuium Crustuminorum. Nouißimum,) id est, Bellum Sabinum, quod secundum Romani gesserunt contra Sabinos æquo Marte, quod repente in pacem concordiámque uertit. Nouißimum) propter raptas mulieres.

Iram aut cupiditatem) ut à Ceninensibus aliísque. Sp. Tarpeius) proditionis exemplum iustè punitæ. Iuxta illud: Proditionem quidem esse charam, sed proditorem prorsus odio habendum esse. Armatos,) id est Sabinos. Sacris,) id est ad sacra. Vide Ouidium in primo Fastorum. Accepti,) scilicet Sabini Proditori,) scilicet illi. Armillas,) id est munimenta brachiorum. Habuerunt,) scilicet in sinistræ manus digito annulari, à quo medici dicunt uenam quandam ire ad cor usque: & ideo eum digitum penultimum annulo ornandum, potius quàm alium.

Pepigisse) id est, pactum esse, ut sibi darent. Decreto,) id est de industria & ex cõposito, ut ea rursum Sabinos receptos proderet Romanis ipsis. Sua mercede) id est, armis, brachij sinistri obrutam. Aequum) id est, planiciem. Principes.) id est Romulus & Tatius. Ciebant,) id est mouebant. Hostius Hostilius.) Auus hic fuit Tuli Hostilij, qui post Numam regnauit Romæ. Hic,) id est Hostilius. Animo,) id est fortitudine. Iniquo loco,) id est aclini ad arcem. Decidit,) scilicet in fugam.

Fusa,) id est dispersa. Iupiter tuis.) Votum Romuli ad Iouem, quem postea Statorem cognominauit, quod sisteret à fuga exercitum Romanum. Auibus,) id est auspicijs. Scelere,) id est proditione. Valle media,) id est campo, qui est inter Capitolinum & Palatinum in collem. Arce,) id est probibe. Fœdam,) id est turpem. Siste,) id est probibe.

Resistere.) id est à fuga. Ad primores,) scilicet in excitu.

Erat,) scilicet Metius. Vicimus,) id est nos Sabini. Fauore,) id est, per acclamationem fauentium. Duorum montium,) 6. A id est Capitolini & Palatini. Tum Sabinæ) pietatis exẽplum erga suos exhibitum à raptis mulieribus in maritos, parentes, cognatósque suos, quæ in mediam aciem & prælij turbã prorumpentes, suis precibus & obtestationibus diremere totum bellum, pacémque fecere inopinatam: quare etiã certi honores postea sunt muliebri sexui instituti Romæ à Romulo, ut infra dicam.

Impetu,) id est in acies. Dirimere,) id est dirimebant. Infestas,) id est pugnantes. Hinc patres,) scilicet à Sabinis. Hinc uiros,) scilicet à Romanis. Soceri,) scilicet Sabini. Generi,) id est, Romani. Parricidium,) id est cædes non solum parentum, sed etiam cognatorum. Partus,) id est liberos iam ex Romanis & se genitos. Si affinitatis,) [illegible], translatio culpæ. Nos,) id est mulieres. Vestrum,) id est ex uobis. Viduæ,) scilicet maritis. Orbæ,) id est parẽtibus spoliatæ. Res,) .i. mulierum commiseratio. Geminata,) id est duplex, aucta Sabinorum accessione.

Daretur,) id est indulgeretur. Appellati .i. nominati sunt Romani. Quirites,) id est bellatores. A Curibus) Cures, Curium pluralis numeri tantum, primaria urbs Sabinorum ab hastis cognominata. Nam quiris significat hastã, inde quirites hastati uel bellatores sunt appellati: & mansit hoc cognomen Romanis ad Liuij tempora usque, ut & Quirites appellarentur. Hinc & Romulus Quirini cognomen sumpsit, tanquam fautor esset Sabinorum & suorum Quiritum præses. Equus Curtium) Equus secundum Macrobiũ uocabulum fuit priscis æquiuocum significãs equum, & equitem illi insidentem, nobis non imitandum. Itaque) Noua institutio Reipub. & urbis Romanæ diuisio in tribus, in curias, & in centurias, de quibus infra in fine Romuli. Populum,) scilicet Romanum. Mulierum,) scilicet raptarum, quas Dionysius scribit fuisse circiter sexcentas octoginta tres. Incerta est) quos alij uocatos aiunt à luco Asyli. Centuria,) id est trecenti milites. Regibus,) id est Romulo & Tatio. Post aliquot) Cædes Tatij à Laurentibus facta: quanquam alij eum insidijs Romuli occisum ferunt. Annos) quinque. Agerent,) scilicet contra propinquos Tatij.

Societatem regni.) Quia.

Nulla fides regni socijs, omnísque potestas
Impatiens consortis erit.

Expiarentur,) id est, expurgarentur, quasi piaculo quodam. Et cum his) Bellum Fidenate, quod tertium Romani cum Fidenatibus & Veientibus, populis Romæ finitimus, gesserunt. Sic ergo Romulus tria bella confecit uictor. Primum Ceninense, secundum Sabinum, tertium Fidenate.) His,) scilicet Lauinienfibus. Opes.) scilicet Romanas. Occupant,) id est anteuertunt, præueniunt. Quod agri,) id est qui agri. Versi.) Fidenates Dilationem,) id est moram.

Exitum,) scilicet ad bellum. Mille passuum,) id est milliare Italicum. Quinque milliaria Italica faciunt unum milliare Germanicum. Præsidio relicto.) 6. B Præsidium est multitudo militũ tuendæ urbis uel castris aliquo loco præfecta, cui præsideat contra uim subitã. Subsidere,) id est clam insidere. Obsita,) id est quæ circum creuerant. Obscuris,) id est impeditis. Exciuit,) id est prouocauit. Prope) aduerbium hoc loco. Id quod quærebant,) scilicet ut euocaret hostes, & est stratagema, & insigniter callidum militare factum. Simulanda) scilicet, ut sic hostes temere sequerentur eos fugientes callide & simulate. Trepidante,) id est fugiente. Pedes) pro pedites. Inde,) id est ex insidijs urgultorum. Mota,) id est sublata. Simulantes.) scilicet fugam Romani. Irrumpi.) s. in oppidum suum, quod centum stadijs distat ab urbe Roma. Vltimæ,) id est iustæ. Robore) id est per robur. Vicit.(s. Veientes. Veteranus miles,) id est qui multum temporis usúsque & operæ impendit militiæ. hinc Veteranus exercitus, uocatur ex ueteribus & probe exercitatis peritísque militibus conscriptus. Nulla parte,) id est nullo adhibito insidiarum consilio. Clade,) id est uastatione. Induciæ) sunt feriæ belli, ita ut ab utraque parte certa pax constet, quoad finitæ fuerint suo tempore. Hæc fere) Conclusio uel epilogus rerum gestarum, & uitæ Romuli. Absonum,) id est dissimile. Diuinæ originis,) id est, quod sit ortus à Marte. Diuinitatísque,) id est, quod sit pro Deo habitus post mortem. Auito regno,) .i. Albano. Ab illo:) id est Romulo. Datu.) s. Vrbi Romæ. Valuit) scilicet, urbs. Deinde:) id est post mortem Romuli, sub Numa. Quam patribus:) quia popularior fuit paulo.

Celeres) à celeritate opis ferendæ in repentino periculo regis. His immortalibus) De morte Romuli, & quomodo facta sit opinio relatum eum esse in deos. uide Ouid. in fine decimiquarti libri Metamorph. Dicitur autem mortuus quinquagesimoquinto ætatis suæ, & quadragesimo circiter regni sui anno.

Ad capræ paludem,) id est in Campania. Nec deinde) periphrasis augustior, quàm si dixisset apertè, Romulum esse mortuũ. Erat enim nimis tenue ac humile, Deo tribuere uocabulum mortis. Orbitate) 7. A quod rege, tanquam parente, essent priuati.

Mœstum,) id est mœstitia ortum, causa pro effectu. Initio,) scilicet salutationis, uel inuocationis. Volens,) id est benignus. Sospitet,) id est saluam conseruet. Fuisse credo.) Variatio historiæ de morte Romuli, quẽ alij à senatoribus infensis occisum, alij tempestate obrutum, alij alia morte sublatum putant. Cæterũ in huiusmodi uariationibus historiarum, nihil opus est ualde digladiari & asserere uerum satis est coniecturas sequi.

Grauis author) Quia Iulius erat ex primarijs patricijs, & cognatus Romuli maternus. Romulus inquit) Sermocinatio Romuli & Iulij. Quamtum) sunt duæ dictiones. Patrum interim.) Hactenus de rebus gestis uitáque Romuli Liuius scripsit, quantum satis fuit historico graui & copioso, plura apud Plutarchum in Romulo, & apud Dionysium in primo & secundo libro inuenies. Græci enim historici more suo plurima effingunt iuxta falsa & uera. Restat tamen, ut breuem catalogum addamus legum atque institutorum, quibus Rempublic. Romanam stabilijt Romulus. Vocantur autem hæ leges Regiæ, ut à Rege latæ. Item uocantur Curiatæ, tanquam curijs Romanis datæ. Attingit autem Liuius circiter quindecim leges uel instituta, quibus plura annumerantur, tamen ex obseruatione aliorum authorum.

LEGES ROMVLI.

Prima ergo lex est Romuli Regia. Non sine habitu augustiore, nec absque insignibus, regi uel magistratui prodeundum esse in publicum.

Secunda. Regem & magistratum in publico sine lictoribus uel apperitoribus non debere conspici, qui mox ad imperata

presto sint, si quem rapere aut punire uel admonere sui officij uelint. nec licere cuiquam incedere inter regem & lictores, sed ubique loco cedendum esse magistratibus.

Tertia. Regem aut magistratum in loco insigniori sedere conuenit, in consessu publico aut priuato.

Quarta. Non licere prætextam regiam & honoratam uestem cuiquam gestare, præterquam ipsis magistratibus & patritiorum pueris impuberibus.

Quinta lex. Ex asylo instituto & aperto neminem licet abstrahere, cùm sit immunis locus. Hinc autem nata est immunitas locorum sacrorum & similium.

Sexta. Senatum esse publicum & commune ciuitatis consilium, atque in eum non nisi patritios legi debere.

Septima lex. Nuptias non nisi solenni comprecatione faciendas esse, utpote quibus maritus & uxor conueniunt in societatem indiuiduam thori, sacrorum & bonorum.

Octaua lex. Vtile esse Reipub. ut coloni Romani mittantur in oppida deuicta & capta, qui illa in fide manere cogant & officio, habeántque coloni ius & munera ciuitatis Romanæ, & onera. De hac lege uel instituto Dionysius rectißimè scribit in secundo. Fuit Romuli institutum, quo uti maxime Græcos oportuisset institutorum omnium, ut mea fert opinio, optimum, quòd & firmæ libertatis initium Romanis fuit, & maximam præbuit eorum partem, quæ ad imperij amplitudinem conducunt: nempe, ut nec captas bello urbes funditus euerterent, nec in seruitutem redigerent, nec prorsum securas, suíque arbitrij esse permitterent, nec eorum agrum pascuum pecori relinquerent. Verum missis in eas colonis ex ciuibus aut socijs Romanis proportione aliqua regiones, colonias Romanorum facerent urbes uictas, atque eas etiam Reipub. ciuitatisque Romanæ participes ex aliqua parte redderent. Hæc Dionysius. Dißimile autem paululum fuit ius municipiorum. Nam municipia, quæ sponte sua & non ui in Romanorum fidem ac societatem ueniebant, meritisque eorum fauorem & officijs cōciliabant, illis donabatur ius ciuitatis Romanæ: ita, ut municipes haberent ius & honores, non autem onera ciuium Romanorum. fuitque municipium conditio multo tolerabilior, quàm colonorum, licet propter maiestatem populi Romani, conditio colonorum fuerit honorabilior, ut Gellius alicubi differit.

Nona lex. Ius ciuitatis Romanæ non tantum socijs, sed & uictis communicare licere, neq; eos tantum Romanos esse ciues, qui intra mœnia urbis Romæ domicilia habeant: sed & eos uocari ciues Romanos, qui uel prope, uel longinque ubilibet terrarum agentes, donati sint iure ciuitatis Romanæ, uel nati sint ex ciuibus Romanis. Sic postea Antonius Pius Imperator sanxit omnes eos esse ciues Romanos, qui sub imperio Romano, qui sub imperio Romano, uterentur iure ciuili Romano.

Decima. Cum sint triginta Curiæ institutæ, & postea quinq; adiectæ, quemque in sua Curia manere censerique oportet. Et quidem cum sit difficile hanc rem discernere de numero tribuum & curiarum, tamen quatenus obseruare licet, duplex illarum fuit institutio. Prima sub Romulo. Secunda postea circiter sexcentesimum annum urbis. Romulus quidem totum populum Romanū in tres diuisit tribus locales, distinctas loco, id est regionibus collibusque urbis: quibus deinde Seruius Tullius quartam addidit, ita ut quatuor essent tribus, id est quatuor partes populi, diuisi secundum locos, regiones & uicos urbis: quarum hæc sunt nomina, teste Plinio in decimooctauo, capite tertio, Exquilina, Palatina, Collina & Suburrana. Nomina autem trium tribuum sub Romulo hæc fuerunt, Romanensis, Tatiensis, Lucerēsis, teste Asconio, qui hæc tria nomina non ad centurias equitum, sed ad tribus ipsas refert. Quare suspicio est, aliquid in Liuiano exemplari deesse, aut uariare saltem. Tres autem Romuli tribus sunt diuisæ in curias triginta, ut unaquæque tribus contineret denas curias. Dictæ sunt uero curiæ, uel à Græco uocabulo κυρία, quod significat concionem, conuentum uel multitudinem hominum: uel a cura, quod penes eas esset ciuitatis cura & custodia: sicut & tribus appellatæ sunt à tribuendo, quòd sumptus & pecuniam tribuerent ad tutelam Reipub. Sic ergo tribus est quasi totum: Curia autem pars est quædam ipsius tribus, continentis denas curias. Deinde tribus discernuntur secundum locos, & uicos urbis. Curiæ autem discernuntur sacris & cæremonijs sicut nostræ parochiæ. inde & Curio uocatur sacerdos ille, qui præest sacris ritibusque suæ curiæ, qualem nos appellamus parochum. Et hæc est prima, ut dixi, diuisio populi in tribus, & tribuum in curias, quam uerisimile est à Romulo usque ad alteram & nouam institutionem perdurasse, nisi quod Seruius Tullius, sextus rex quartam addidit tribum localem. Verum altera institutio, circiter annum urbis sexcentißimum, hæc est, quòd tribuum numero aucto, factæ sunt triginta quinque tribus, sicut & triginta curiæ. Sic enim inquit Liuius in fragmento libri decimi de bello Macedonico: Mutarunt suffragia, regionatimque generibus hominum causisque & quæstibus tribus descripserunt censores M. Aemylius & M. Fuluius nobilior, Q. Fuluio & L. Manlio Coss. Anno ab Vrbe condita 575. Qui locus Liuij est sanè notandus de noua descriptione tribuum & curiarum. Illo enim lustro planè credo eundem numerum tribuum & curiarum esse confectum, & tribus curiásque pro eodem postea habitas: tametsi sua sacra curiæ retinuerunt. Tribus uero secundum regiones & censum sunt descriptæ. Et apud Asconium quoque & Valerium Maximum dicuntur modo tribus, modo curiæ aliquem damnasse uel absoluisse. Vnde apparet clare tum easdem fuisse tribus & curias. Et hæc altera est institutio: unde appellantur tributa & curiata comitia, de quibus aliàs dicam.

Vndecima. Peculiarem honorem mulieribus habendum censuit Romulus, cum cognominauit curias earum nominibus: & hoc quoque gratiæ honorísque mulieribus addidit, ut uiri qualescunque, mulieribus obuij, loco cederent, quæ & ius haberent uehendi uehiculis in urbe, præsertim causa sacrorum. Et hoc eis detulit propter beneficium inopinatæ pacis, & concordiæ inter Romanos Sabinosque factæ.

Duodecima. Equites suis centurijs & decurijs contineri. Et quoniam centuria propriè sit multitudo centum hominum: decuria uerò decem hominum, tamen longe plus hominum postea, Romana ciuitate aucta, annumerari consueuit centurijs. Et hinc tertia populi Rom. diuisio in tres ordines obseruatur: qui sunt, ordo patritius, ordo equestris, ordo plebeius: tametsi ferè equites, alij patricij, alij plebei censebātur. Porrò & curiæ uel tribus quoque sunt diuisæ in suas centurias: inde & centuriata comitia, & centuriata suffragia sunt appellata, de quibus aliàs. His tribus ordinibus postea accessit quartus, uocatus ordo forensis, & factio forensis, hominū ignobilium, atq; humiliū ex plebe, pauperū & diuitum quoq;, quos Græci ἀγοραίους, Latini circumforaneos uocāt, quales sunt qui artes sellularias sordidásque, & operas mercenarias locant, & exercent, suísque merces foro obtrudunt, sordidi quæstus gratia: quales sunt item, qui cùm domi suæ nihil habent quod agant, subinde otiosi, rerum alienarum spectatores in foro, in publico, in triuijs obambulant. In hunc ordinem & libertini, & liberti postea sunt censi. De hac factione forensi & libertinis, uide in fine libri noni ab Vrbe cond. & in Epito. 20. Cæterum quintus ordo seruilis siue seruorum non habuit ius ciuitatis.

Decimatertia lex. Hostes uictos, quos omnino excindere nolis, neque etiam colonis occupare, tamen aliqua parte agri mulctandos esse, ne ita contumacia impunis prorsum abeat. Hoc enim ius belli iure gentium confirmatum constituit, quòd hostibus erepta adiudicat illis, qui eripuerint.

Decimaquarta. Inducias, hoc est, belli ferias securas utrinque dari aliquando, & humanitatis & iuris gentium est, seruarique bona fide oportet eas.

Decima quinta lex. Licere magistratui ad tutelam sui corporis, non ad tyrannidem, neque ad concußiones exercendas, legere sibi satellitium: quales hodiéque sunt aulici principum. Et hæ sunt quindecim leges uel instituta Romuli, quorum Liuius meminit, pertinentia pleraque ad ius ciuile publicum. Præterea Dionysius & Plutarchus circiter decem addidere, quas Curiatas uocant leges, quòd eas Romulus, curiarum suffragijs ad populum tulerit, & promulgarit de iure ciuili ferè priuato.

Decimasexta lex Romuli. Vt uxor quæ uiro per sacras leges & conuentionem in manu coniuncta, Materfamilias sit facta, pecuniarum, sacrorum, bonorúmque omnium mariti socia par-

ticepsque

ticépsque fit. Sed concubina, id est, uxor non materfamiliàs, certis contenta sit muneribus & prærogatiuis.

Decimaseptima. Vt liberi filij filiæq; iuxta ex matrefamiliàs nati, heredes sint ab intestato mortuo patri suo.

Decimaoctaua. Vt filius non emancipatus cum liberis suis, toto uitæ tempore, sit in potestate patris sui: ut liceat patri pro libito & iure filium castigare, uerberare, operi rustico mancipare, exhæredare, atque etiam occidere. Sed in emancipatas liberos ac nepotes non idē iuris esse patri uoluit. Matri uerò neutiquam hoc iuris esse in liberos, quamuis naturalis amor & reuerentia huic quoque debeatur.

Decimanona. Patri licere filium suum, cum omnibus bonis eius uendere, famis aliúsue necessitatis gratia.

Vigesima. Non licere uiro uxorem repudiare, diuortiúmque facere cum ea, nisi in ueneficio natorum, aut in adulterio, aut in clauium adulteratione deprehensa foret. Quod si aliter quis uxorem repudiasset, eius mariti bonorum partem uxori dandam, partem Cereri sacrandam, id est, deuouendam esse. Et hæc lex uim authoritatémque obtinuit integram, ad quingentesimum circiter urbis annum usque, ut meminit Valerius lib. 2. cap. 1. Postea uero nihili fere de causis diuortia & repudia libera fuere immodice & impie.

Vigesima prima. Capitale esse mulieri uinum bibere: quod ut caueretur, ex instituto cognatis osculum offerendum à mulieribus esse, ut si uinum bibissent mulieres, odore deprehenderentur. Meminit & Valerius dicto cap. primo libri secundi.

Vigesimasecunda. Patritios plebeiorum suæ curiæ patronos esse, & uicissim plebeios patriciorum suæ curiæ clientes esse. Proditionisque lege teneri, si patronus clientem, siue cliens patronum accuset priuata de causa, contráue testimonium dicat, uel suffragio premat, aut cum inimicis eius fœdus faciat. Et summopere ualuit hæc lex ad concordiam ciuitatis firmandam, tametsi non ita diu durauerit, translatáque sit ad libertos & patronos, ut coerceretur ingratitudo libertorum erga patronos.

Vigesimatertia lex est de fastis. Vt annus Romanus contineret decem menses, & Martius principium anni haberetur, mensisque in Calendas, Nonas & Idus diuideretur, annúsque trecentos & quatuor dies haberet: de hac tamen mox infra, in Numa Pompilio.

Vigesimaquarta. Sellularias artes & sordidas non licere ingenuis ciuibus exercere, sed eas solis seruis, libertinis atque aduenis permittendas esse: &, teste Dionysio, durauit diutissime hæc lex, ut probro haberetur apud Romanos, exerceri illas artes à quoquam ciue, tametsi postea forensis factio humilium ciuium illas quoque inuasit, ut dixi.

Vigesimaquinta. Quatuor tantum artes uel studia Romanis ciuibus, ingenuis, nobilibus & patritijs conuenire, scilicet agriculturam, rem militarem, studium literarum, & picturam, quibus discendis ingenua Romanorum iuuentus, à primis annis statim, adhiberi consueuit.

Atq; hæ sunt leges institutáque sub imperio Romuli sancita, ad posterósque deriuata. Quanuis curiosior aliquis multò plura ex historicis capiare & conseclare possit: uerum satis est hæc, tanquam semina uberrimi iuris ciuilis Romani, hoc loco deprehendere cognitáque tenere. Reliqua ex insequentibus patebunt.

Patrum interim animos,) Hactenus de ijs, quæ Vrbem conditam antecesserunt, & de rebus uitáque Romuli scripsit Liuius. Iam inde tertiū sequitur caput, de interregno post mortē Romuli. Est autem interregnū spatium temporis quo uacat regnum suo rege, & interim extra ordinem ab alijs regitur, quàm ab aliquo rege. Atq; hic est ambitionis exemplū. Patrum.) .i. Senatorū.

Certamen regni,) .i. ambitio. Versabat) .i. commouebat, dubios reddebat. A singulis) .i. ab uno atque altero tantum. Eminebat) .i. excellebat. Nedum peruenerant factiones) id est, nondum ortæ erant dissidia. Factiones) Optimatum: seditio uulgi: inimicitia priuatorum: bellum hostium: quæ omnia uno nomine complectitur discordia.

Inter ordines) .s. Romanum & Sabinum. Societate) .i. iuris & societatis Romanæ, in quam erant recepti à Romulo.

Sui corporis) .i. ex suo ordine. Ab sua parte) .i. Sabinorū.

Peregrinū) .i. Sabinū. Experta) .i. cognita. Adoriretur) .i. aggrederetur. Caput) .i. regem uel magistratum, quia anarchia, id est multitudo sine magistratu, semper fuit exitiabilis.

Inducebat in animum) .i. uolebat. Decem decurijs.) decuriā hic uocat ordinem decem Senatorum: cum aliàs decuria significet Senatum in colonia uel municipio, & inde decuriones sunt Senatores in colonia uel municipio. Consociant) .i. comparāt, componunt. Singulis) .i. denis. Imperitabant) id est fungebantur uice regis. Vnus) scilicet ex decem.

Per omnes.) .i. Senatores. Interuallum regni) .i. interregnum. Fuit annuum) .i. durauit annum. Id) interuallum.

Ab re) .s. quod sit tempus uacans rege. Fremere) .i. fremebat. Pro uno) .s. rege Consensissent) Exemplum calidæ humanitatis & popularitatis. Moueri) .s. à plebe. Ineunt gratiam) ad plebem. Summa potestate) .s. creandi regis. Iussisset) .i. nominasset. Fierent) .i. confirmarent. Rogandis) .i. nominandis & ferendis. Ademptū ui.) quia plebs nō eripit Senatui per uim suū ius, neq; contrà Senatus uim facit plebi. Ineat suffragiū) .i. nominet magistratū aliquē. Authores) .i. cōprobatores. Comitiorum) Comitia, sunt conuentus populi ad creādos magistratus, aut ferendas leges, aliáue negotia publica expedienda. Comitium in singulari, significat locum conuentus, uel ubi conuenitur. Tum interrex.) 7. B. Interrex, qui tenet uicem regis mortui, uel absentis. Concione) .i. populo. Quod bonum, &c. formula comprecandi. Ita) .s. ut uos creatis.

Victi) .s. à Senatoribus. Modo) id est tantum. Sisceret) .i. decerneret. Sub hoc interregno tria instituta, uel tres leges sunt latæ, quæ in posterum quoque ualuerunt.

Prima lex. Vacante imperio uel magistratu, esse debere unum uel plures interreges, qui summæ rerum & imperio præsint, ne sit anarchia rebus publicis exitiosa semper.

Secunda lex. De iure & potestate populi atque Senatus, ut penes populum sit nominare regem uel magistratum per suffragia: sed penes Senatum sit authoritas recipiendi & approbandi nominatum regem uel magistratum. Hæc lex postea sub Cæsaribus, specie magis quàm re uera, ualuit: quia Cæsares ipsi nominarunt & approbarunt magistratus.

Tertia lex. De interrege, cuius sit renunciare & promulgare nominatum approbatúmque.

Inclyta) De Numa Pompilio secundo rege Romanorum, qui post annuū interregnū à Romulo, regnauit annos quadragintaduos. Et sicut Romulus bella, rémque militarem curauit peculiariter, magis ad bella quàm ad pacem natus: ita Numa pacē artésq; pacis tractauit, religionísque curam habuit: & fuit quidem necessarium, ita temperari artibus pacis bellique Rempub. Romanam. Orditur autem Liuius à descriptione personæ Numæ.

Curibus) .i. in oppido Sabinorū. Cōsultissimus) .i. prudentissimus. Pythagorā) .i. Philosophū, cuius & Ouid. copiose meminit in 15. Metamor. eiúsque auditorē Numam fuisse fabulatur.

Authorē) .i. præceptorē. Edunt) .i. scribūt. Iuuenū æmulantium) .i. discipulorū sectantiū eius Pythagoræ philosophiā Italicam. Vide Laertium lib. 1. in prin. Olim duplex fuit philosophia. Altera Ionica, cuius author fuit Thales Milesius, qui primus docuit physica: hæc philosophia hodiéque durat. Altera Italica, cuius author fuit Pythagoras: sic dicta, quia in Italia Pythagoras eam docuit. Huius nihil extat, nisi præcepta uel dicta potius Pythagoræ. Ante pythagoram & Thaletem, tantum fuerūt poetæ, uates, & legumlatores. In ultima ora Italiæ) quæ uocabatur maior Græcia, & hodie est Calabria. Locis) .i. urbibus prædictis. Fuisset) .s. Pythagoras. Linguæ commercio) Quia Calabri, Græci, Sabini Latinè loquebantur. Vnus) .i. Numa solus.

Ingenio) .i. bona natura. Animum) scilicet Numæ.

Peregrinus) .i. Græcis. Tetrica) .i. seuera. Tristi .i. duriore.

Nullū fuit incorruptius, &c.) Quia Sabini olim sunt adeo incorrupti religiosiq; habiti ut cognomen tulerint à religione & pietate. Nā σέβεσθαι religiosū esse significat: inde dicti sunt Sabini.

Numæ) .s. quē regē populus nominauerat, & Senatus decreuerat. Inde) .i. ex Sabinorū corpore. Suæ factionis) .i. fuerū partium. Accitus) .s. Numa. Augurato) .i. cū augurio & auspicijs, ut infra dicam. Deos) .i. deorum auspicia. Augure) .i.

sacerdote

sacerdote, qui augurijs captandis praeest. Deductus) .s. Numa.

Augur ad leuā.) Descriptio inaugurationis Numae Pōpilij. Aduncum).i.curuum. Lituum).i.uirgam auguralem. Vide Gell. lib. 5. cap. 8. & Macrob. lib. 6. cap. 8. & Cice. in 1. de Diuinatione.

Determinauit).i. designauit, definiuit. Regiones).i. tractū cœli. Dextras partes) cœli. Partes) & haec dextrae sinistraeq́; partis determinatio, ex arte augurali sumitur, non à causa naturali: quia secundum physicos, septentrio est dextra pars cœli, & meridies est sinistra pars cœli: sicut oriens est anterior, occidens posterior pars cœli. Et nostrum hemisphaerium est superior pars, sed Antipodum est inferior pars cœli. Totidem enim differentias habet cœlum & mundus. Contra).i. è regione. Animo finiuit).i. metatus est. Vt).i. precor. De templo).i. de loco, ubi augur contemplatus erat, & obseruauerat auspicia. Qui regno.) Descriptio regni Numae, & quibus institutis Rempub. ordinauerit atque stabiliuerit, ut infra in catalogo dicam. Conditam).s. à Romulo. Fecit).i. extruxit. Ianum).i. Iani templum. Argiletum,) qui locus erat in Vrbe, ab argilla uocatus, prope Palatinum collem: quamuis alij ab Argiuis Euandri comitibus uocatum putant. Vide de hoc Iano Ouid. 1. Fast. in principio.

Armis).i. expeditione. Bis deinde post.) Templum Iani intra amplius septingentos annos, non nisi ter clausum est, significans urbem Romanam non esse in armis, nec hostem habere ex professo ullū. Primo sub Numa Pompilio, annis quadraginta. secundo post finitum primum bellum Punicum, uno tantum anno, circiter quingentesimum urbis annum. Tertio sub Octauio Augusto post bellum Actiacum contra Antonium, multis annis, circiter septingentesimum & uigesimum annum ab Vrbe condita.

Punicum.).i. Carthaginense. Iterum) id est tertio. Acta ti).i. pacatae per Augustum. Videremus) .i. clausum Ianum. Post bellum Actiacum) Vide Plutarchum in Antonio. Eo) 8. A. .i. templo Iani. Iunxisset) .i. Romanis conciliasset. Externorum periculorum) .i. bellorum. Luxuriarent) id est lasciuirent, iuxta illud:

Otium Catulle tibi molestum est.
Otio exultas nimiúmque gestis.
Otium reges, simul & beatas
Perdidit urbes.

Et apud Iuuenal. in sexta Satyra:

Saeuior armis luxuria incubuit.

Luxuriare & luxuriari) .i. nimio & immodico uoluptatum usu frui, & in libidinem declinare. Continuerat).s. à uitijs. Metum deorum).i. religionem. Inijciendum).s. populo. Qui) .s. metus deorum. Commento).i. figmento miraculi. Simulat sibi cum dea) Simulamus ea quae non sunt: Dissimulamus ea quae sunt.

Congressus).i. colloquia. Eius).i. Aegeriae. Ad cursum Lunae, quae motum suum conficit uiginti & octo diebus, & aliquot horis: de quo infra dicam plura in catalogo. Describit) .i. definit, determinat, Annum) Romanum, lunarem. Explet).s. cursu suo. Dies).s. duodecim & sex horae. Intercalares).i. iniectitios uel appostitios, qualem hodieq́; uocamus mensem bisextilem. Anno).i. solari. Qui).s. annus. Solstitiali orbe).i. cursu solis, qui absoluitur trecentis sexaginta quinque diebus, & sex horis. Dies).s. mensium. Annorum) solarium, De hac intercalatione copiose scribit Macrob. in 1. Satur. cap. 12. & sequentibus duobus, Nefastos) .i. irreligiosos uel ominosos. Fastos.) id est, religiosos, de quibus infra dicam. Agi) .s. à magistratu. Sacerdotibus creandis,) Sacerdos à sacris dandis. Dialem flaminem) .i. sacerdotem Iouis. Est enim flamen, sacerdos, sic uocatus, quasi filamen, eo quòd capite gestaret filis circumuolutam & connexam mitram. Ipsos).i. reges. Desererentur).i. intermitterentur. Regiae uicis).i. quae pertinerent ad uicem. i. officium regis: quia apud ueteres ijdem fere erant reges & sacerdotes.

Assiduum).i. qui non abesset ab urbe. Marti unum).i. flaminem Martialem. Quirino).i. flaminem quirinalem. Vestae,) quae dea, cum significet uitam atque curam uitae, colebatur perpetuo igni: quo symbolo significatum est petere homines, ut ne deficiant operationes uitales, aliáque ad uitam agendam necessaria & commoda. Nam ἑστιάω conuiuio excipere, & cibum praebere significat.

Alba).i. quod Aeneas & Ascanius ex Troia translatum instituerant Albae, ut saepe Virgilius meminit in secundo & tertio Aeneidos.

Conditori gentis).i. Aeneae uel Romulo.s. propter matrem Romuli, quae fuit uirgo Vestalis in Alba, ut supra. Antistites) .i. sacerdotes. Stipendium).i. redditus de publico. Sanctas) .i. non uiolandas. Salios).i. sacerdotes saltatores.

Gradiuo).i. gestatori. Aeneum tegumen) .i. thoracem.

Ancilia).i. scuta rotunda & conuexa. tale autem ancile, sub Numa, cùm esset cœlo delapsum, miraculoque terrerentur homines, responsum est à Vatibus, illic fore summum imperium, ubi asseruaretur hoc ancile. itaque ne furari quis posset, duodecim ancilia fieri curauit Numa, ut multitudine eriperetur furi discrimē.

Tripudijs).i. choreis. Tripudium dicitur terrae pauium: quia pudire est pauire, hoc est, ferire & quatere. Pontificem).i. summum sacerdotem. Martium, cui suam quoque filiam uxorē dedit, ex quo matrimonio natus est Ancus Martius, postea quartus rex Romanorum. Exscripta).s. in libros. Scita).i. decreta. Esset).i. summus pontifex, ad quem referrentur controuersiae de caeremonijs & sacris rebus. Quo).i. ad quem. Manes) id est deos inferos, mortuorúmque animas. Missa).i. ostensa.

Curarentur).i. procurarentur, expiarentur, ut mala ab illis significata auerterent. Ea,).i. prodigia & uidenda & interpretanda. Ea elicienda,) Elicio, ab eliciendis, id est euocandis, inquirendis, & iudicandis prodigijs.

Et mentibus diuinis).i. secundum uoluntatem deorum exquirendam. Quae).i. prodigia, uel potius negotia. Augurijs.i. secundum auspicia. Haec).i. sacra. Hactenus enim Liuius enumerauit instituta & leges, à Numa latas de iure publico sacrorum & sacerdotum. Consultanda) .i. inquirenda. Procuranda) .i. peragenda. Aliquid agendo).i. ut non otio torperent: quia homines nihil agendo, discunt mala agere. Et armis) .i. partim. Interesse rebus humanis) .i. curare res hominum deos, quod tamen Epicurei negant: Stoici uero asserunt. Imbuerat) .i. instituerat. Proximo legum,) 8. B. Alij propulso legum. Quasi sponte sua tum Romani, sine metu legum & poenarum iuste fecerint, iuxta illud,

Oderunt peccare boni uirtutis amore, Contra uero
Oderunt peccare mali formidine poenae.

Sed de proximo metu sic intelligo, quòd illi qui fidem & iusiurandum nollent seruare sponte, tamen metu poenarum cogerentur ea seruare, uel poenas luerent perfidiae & contumaciae suae.

Omnes, uel, homines).i. Romani. Regis).s. Numae. Vnici) id est singularis, iuxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et qualis magistratus, talis populus. Vrbem).i. pacificam. Medio).i. uicinitate. Sollicitandam).i. turbandam. Omnium).s. uicinorum. Nefas esse,).i. impium esse. Lucus erat.) Vide Ouid. in decimoquinto Metamorph. Quo).i. in quod specu.

Arbitris,) id est in comitibus.

Concilia).i. conuenticula. Solenne).i. sacrum & templū.

Sacrarium).i. templum. Curru arcuato) id est tecto.

Bigis.).i. duobus equis. Rem diuinam facere).i. sacrificare. Tutandam).i. tenendam, seruandam. Sedem).i. symbolum, signum. Loca).i. templa. Argeos).s. ab Argis, quòd ferè sacra pleraque sint accepta ab Argiuis).i. à Graecis in Italia, qui Graeci plurimas colonias per totam Italiam condiderunt. Tutela).i. defensio. Ita.) clausula & conclusio rerum gestarum à Romulo & Numa. Ita).i. in hunc modum. similitudinis aduerbium. Deinceps).i. sine interuallo. Duo reges) .i. Romulus & Numa. Ille).i. Romulus. Hic).i. Numa.

Sicut antea ad finem Romuli, Catalogum posui institutorum atque legum, quas Romulus de iure publico ac priuato fere constituisse fertur, ita in hunc quoque locum post finem Numae, libet catalogum subnectere institutorum atque legum, quas Numa

Pompilius

Pompilius secundus rex, pleráſque de iure publico, pontificio, & aliquot de iure priuato ciuili tulit, ut ita primos fontes quaſi iuris Romani, pontificij & iuris ciuilis uideamus, unde reliquæ leges paulatim fluxere. Vt enim, propter contumaciam lis litem ferit, ſic propter calumnias & malos mores, lex legem parit. Obſeruare ergo ex hac deſcriptione Numæ Liuiana licet, circiter tres & uiginti leges uel inſtituta, quarum pleræque, tametſi de ſuperſtitionibus prophanis & ridiculis loquuntur (utpote de ſtultis ſacris gentiliũ) tamen oportet earum notitiam tenere illum, qui nihil nolit in reliqua Liuiana aut Romana hiſtoria intelligere.

LEGES NVMAE POMPILII II.

Primum itaque inſtitutum uel prima lex Numæ, eſt de inaugurando rege, & conſecrando eo per certas cærimonias: ſicut apud Hebræos & noſtra quoque ætate, reges cum bonis comprecationibus inunguntur & conſecrantur, ut ita proſperis initijs deóque propitio regnum capeſſant. Hæc lex poſtea ſub Conſulibus paululum uariauit, qui Calendis Ianuarij, utpote primo die ſui magiſtratus, in capitolio quotannis cõprecabantur & ſacrificabant.

Secunda lex, de Auguribus, nemini licere regem inaugurare, neque loca ſacra conſecrare, uel exaugurare, præterquam auguri præſidi auſpiciorum.

Tertia lex, de Iani templo pacis tempore claudendo, ſed belli tempore aperiendo, ut ſic diu noctúque precari poſſent Ianum, ut bellum auerteret. Huius meminit etiam Virg. in fine ſeptimi.

Quarta lex. Religionibus & cæremonijs feroces animos uulgi & hominum eſſe illigandos, alioqui non poſſe eos in officio retineri, niſi deorum metu: unde & Liuius infra alicubi dicit, Præſtat eſſe ſuperſtitiones & prauas religiones, quàm omnino nullas.

Quinta lex. Annum diuidi in mẽſes duodecim, ad curſum Lunæ, Græcorum imitatione, hoc modo, quòd Numa decem menſibus Romuli præpoſuit Ianuarium habentem uigintinouem dies, & Februarium continentem uigintiocto dies. Sed Martius, Maius, Quintilis, October continerent dies tricenos ſingulos. Reliqui ſex menſes continerent tantum uigintinouenos dies: quæ ſumma menſium & dierum conficit trecentos quinquagintaquinque dies, quibus conſtitit annus Romanus, à Numa in Iulium Cæſarem uſque. Tametſi annus Græcus trecentos quinquaginta quatuor dies contineret: ſicut & hodie annus lunaris & Iudaicus. Qui uocatur annus lunaris, quia luna conficit curſum ſuum aliquando minus triginta diebus, quæ ſumma duodecies multiplicata, ipſum numerum conficit dierum trecentorum quinquagintaquatuor. Quia uerò conſultius uidebatur ad curſum ſolis metiri annum, & lunari anno deerant undecim dies & ſex horæ, ideo octauo quoque anno ad finem menſis Februarij, dies nonaginta circiter intercalabant Græci. i. extra ordinem addebant, & interponebant tres menſes intercalares, qui continerent tricenos dies. Et ita octauo quoque anno, menſes lunares & anni lunares belle quadrabant ad curſum metámque ſolis, ut apparet computanti. Atque etiam Romani primo ſecundóque octonario annorum, intercalabant illos nonagenos dies, hoc eſt, ternos menſes. Sed in tertio octonario annorum, hoc eſt, ut Liuius ait, uigeſimoquarto quoque anno, intercalabant non quidem nonaginta dies, ſed tantum ſexagintaſex dies, id eſt paulo plus duos menſes: quia compenſabant illum quinquageſimumquintum diem, quo Romanus annus ſuperat Græcum. Demptis enim uigintiquatuor diebus ex nonaginta, remanent ſexagintaſex. Cæterum Iulius Cæſar uidens errorem & controuerſias inextricabiles, annũ Romanum ſic ordinauit, ut Ianuarius, Sextilis, December contineret dies triginta & unum. Februarius uiginti octo. ſed Aprilis, Iunius, September, Nouẽber cõtineret dies triginta. Et Martius, Maius, Quintilis, October, ſeruarent priſtinum numerum triginta & unum dies. quæ ſumma menſium & dierum continet trecentos ſexagintaquinque dies, quibus ſol curſum ſuum conficit. Verũ quia ſex horæ deſunt iſti numero, quibus curſus Solis iſtos dies ſuperat, ideo quarto quoque anno incipiente, unus dies ad ſextum Calendas Martij, nobis eſt feſtus diuo Mathiæ Apoſtolo, intercalatur, id eſt interponitur, ut ille quartus annus biſſextilis uocetur: quia tũ oportet bis dicere ſexto Calendas Martij, propter unum diem intercalarem additum. Veruntamen ſupereſt error paruus in hoc quoque Iuliano anno talis, quod intra trigintaſex annos elapſos à morte Iulij Cæſaris uſque ad triceſimumſeptimum annum imperij Cæſaris Octauij, intercalati ſunt dies duodecim, cum debuerint nouem tantum intercalari: quia ſex horæ ſunt quadrãs & non triens unius diei Romani & naturalis. Itaque hunc errorem uidens Octauius Auguſtus, correxit, ita ut non incipiente, ſed exacto & finito quarto quoque anno, hoc eſt, incipiente quinto quoque anno, unus dies biſſextilis intercalaretur. Atque hunc morem Carolus Magnus rex Francorum, & primus ex Germanis imperator Auguſtus, ad Germanos tranſtulit & Gallos, ut hodiéque perduret: nihilominus tamen Mathematicæ periti aliquot deeſſe minuta cenſent huic quoque Auguſtano anno: quem defectum corrigere uoluit Ioannes de monte Regio, Mathematicus peritiſſimus, ex Germania Romam uocatus à Pontifice: ſed morte occupatus, non potuit cœptum abſoluere. Et quidem apparet iſte error ex conſequente. Nam Ouid. in 3. Faſtorum ſcribit, æquinoctium uernum ſuo tempore exiſtere ad octauum Calendas Aprilis, quod æquinoctium hodie noſtri Mathematici uariantes quatuordecim diebus, reponunt in ſextum Idus Martij. Similiter apparet uariatio in ſolſtitio æſtiuo, & in reliquis duobus anni quadrantibus. Atque hæc de anno Romano, déque intercalatione ſufficiant. plura uide apud Macrobium libro primo Saturnalium de anno Romuli, capite duodecimo, de anno Numæ, capite decimotertio: de annó Cæſarum, capite decimoquarto.

Sexta lex. Diſcrimina dierum eſſe tenenda: quia ſunt aut feſti, quibus aguntur ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ: aut profeſti, quibus annumerantur dies faſti, cum licet exercere lites & cauſas forenſes & ius dicere. Dies comitiales, cum licet agere cum populo. Dies Comperendini, cum licet dare uadimonium. Dies ſtati, cum licet ius dicere peregrinis. Dies præliares, cum fas eſt res repetere, uel hoſtem prouocare ad prælium indictum ab inferentibus bellum. Aut ſunt dies interciſi, id eſt, partim feſti, partim profeſti. Reliqua de dierum diſcrimine, uide apud Macrobium in primo Saturnalium, capite decimoquinto & ſexto, ubi etiam de Calendis, Nonis, & Idibus, à Romulo inſtitutis, exponit. Nefaſtos autem dies, quæ eſt quarta ſpecies dierum, uocant Latini, non ſolum quibus non fas eſt ius dicere. ſed generaliter ominoſos, infauſtos, & quaſi abominabiles, quibus nihil proſpere ſuccedat, priuatim aut publice in humanis aut diuinis negotijs, quos alioqui religioſos uocant dies.

Septima lex. Sacerdotes atque ſacerdotia certo ordine diſtribui & diſcerni, ut rite fiant ſacra & religiones curentur, non à prophanis hominibus, ſed à ſacerdotibus. Inſtituit autem Numa ſeptem genera ſacerdotum. Primo Curiones, quia in ſua curia ſacris præeſſent, ueluti noſtrates parochi, ut ſupra dixi in catalogo Romuli. Secundo Flamines, qui præerant peculiariter ſacris curandis, ut Flamen Dialis, id eſt Iouialis, & Flamen Martialis & Quirinalis. Tertio augures. i. diuinatores, qui ex auium garritu, uolatu, motu, qui ex inſpectione uiſcerũ, ex prodigijs aliiſq; ſignis futura prædicebant. De qua profeſſione, hoc eſt, de diuinatione Cicero duobus libris perſcribit. Quarto Veſtales uirgines, perpetua uirginitate obſtrictæ, adeo, ut ſi qua uiolari ſe eſſet paſſa, uiua defoderetur: aut ſi neglecte ſacra curaſſet, uirgis à Pontifice cæderetur. Quinto Salij ſacerdotes Martis. Sexto Feciales, qui rebus repetendis ab hoſte, qui bello indicendo, qui induciis pacique faciendæ præeſſent. Vnde & à facere dicti ſunt Feciales, uel à fœdere. Septimo Pontifices, id eſt, præfecti ſacrorum & religionum: dicti ſic, quòd poſſent facere ſacra, & curare cæremonias ritúſque ſacros.

Octaua lex Numæ, de rege ſacrorum, qui abſentis regis uice fungeretur in regijs ſacris curandis, quibus alioqui peculiariter rex præerat curandis.

Nona lex. ut uirgines Veſtales perpetuum ignem fouerent, & ſupremam authoritatem haberent in Vrbe.

Decima lex. Vt Salij aſſeruarent ancilia, & certo tempore ſaltantes circumgeſtarent in Vrbe.

Vndecima. Vt pontifex, tanquam ſummus ſacerdos, præeſſet omnibus ſacris & ſacerdotibus. Vnde & ius pontificium habet originem, quod de ſacris, de ritibus, de dignitate & immunitate

sacerdotum statuit.

Duodecima. Vt patrij ritus cæremoniarum sacrorúmque seruentur rite.

Decimatertia. Vt peregrini ritus externíque & nouæ cæremoniæ, sine authoritate pontificis non recipiantur.

Decimaquarta. Vt prodigia, hoc est, signa & ostenta, & mõstra, aliáque mirabilia signa obseruentur, procurentur, expiẽtur, ut ira diuina placetur: quia fere significent imminentia mala. Huius exempla apud Liuium sunt innumera.

Decimaquinta. Vt Auguria, auspicia, aliæque diuinationis formæ obseruentur. Nihil enim ueteres, neque priuatim, neque publice incipiebant uel agebant sine obseruata diuinatione, qua neglecta putabant omnia esse inauspicata, ominosa & infelicia.

Decimasexta. Fidem datam priuatim publicéque seruandam esse, quod est honestißimũ uinculum societatis humanæ, & omnis iuris fundamentum. Siquidem & nomen habet fides à fiendo, quod fieri debeant quæ fideliter promittuntur. Contrà uerò perfidia & infidelitas non abiret impune, sed infamia aliisque pœnis coerceretur.

Decimaseptima. Iuramentum esse seruandum, si modo de re poßibili & licita sit præstitum.

Decimaoctaua. Coercitionem perfidiæ & periurij aliorúmque criminum certis pœnis fieri. Quanuis enim lex naturæ dictat neminem esse lædendum, tamen, quia non possunt non esse scelerati in tanta multitudine confusionéque hominum, pœnis coerceri necesse est criminosos, ut humana societas seruetur. Præstat enim pauciores lædi malos, ut plures tuti seruentur.

Decimanona. Vt fundi & possesßiones certis suísque finibus describantur, & limitibus terminentur, quos limites si quis dimoueat, eum pro fure & grassatore habendum, puniendúmque esse.

Vigesima. Vt mulier partum duodecimo mense aut ultra quoque editum, legitime peperisse credatur. Huius meminit Gellius in lib 3. cap. 16, mulierem ferre uterum in decimumtertium usque mensem.

Vigesimaprima. Homicidium capite puniendum, & cædem ciuis, pro parricidio habendam.

Vigesimasecunda. Filium maritum à patre suo non esse uendendum, neque pignori dandum. Vide supra in catalogo Romuli, de iure patriæ potestatis in liberos.

Vigesimatertia. Argeos, hoc est, loca sacra & dedicata dijs, suam habere immunitatem ac religionem, & semel deo consecrata, non posse iure transferri ad usus prophanos & priuatos. Omnia enim sacra esse publica, nulliúsque dominio subiecta priuatim.

Atque hæ fere sunt leges institutáque Numæ Pompilij secundi regis, ut Liuius aliíque historici indicant. Reliqua de Numa à Plutarcho require, qui descripsit omnem uitam eius.

DE TVLLO HOSTILIO III. REGE ROMANORVM.

De tertio rege Romanorum Tullo Hostilio, qui inquietus & bellicosus cognatas finitimásque urbes, partim ad fœdera coegit, partim Romano imperio adiecit, multásque colonias deduxit.

Interregnum,) id est uacationem imperij, de qua supra.

Inßit,) id est nominauit & elegit. Infima arce.) Vide supra in Romulo. Patres.) id est Senatores. Facti authores.) id est, approbarunt & confirmarunt regem Hostilium. Hic non) Breuis notatio morum Hostilij χαρακτηρισμός.

Aetas,) scilicet iuuenilis. Auita gloria,) id est, aui sui Hostij Hostilij, qui mortem pro patria occubuerat. Senescere, id est, otio quasi & ignominia torpescere, uirésque amittere, sicut corpus senile debilitatur. Materiam,) id est causam. Forte euenit.) Quartum bellum quod Romani gesserunt cum suis cognatis Albanis, cui ferocia & calliditas Hostilij dedit causam.

Agrestes Romani,) id est agricolæ.

Inuicem,) id est inter sese. Ad res,) scilicet ereptas. Suis,) scilicet legatis, Prius quàm mandata,) scilicet de rebus repetendis. Satis,) id est certo. Negaturum,) scilicet res reddere. Pie,) id est rite, Excepti,) scilicet Albani legati. Comiter, id est humaniter. Tantisper,) id est intra tantum tempus, uel interim. Neganti,) scilicet res reddere. Legatis, scilicet Romanis. Purgando,) id est excusando: quia sic comiter accepti, & tractati à Tullo adulabantur ei præter dignitatem sui officij, suǽque urbis: quia turpiter, propter ius priuatum hospitij cum Tullo initum, negligebant & derogabant iuri publico legationis sibi commisso a suis: atqui ius priuatum longe cedere & postponi debet cuilibet iuri publico, pertinenti ad magistratus, & ad totum commune ciuitatis uel imperij. Imperio,) scilicet suorum Albanorum.

Regi uestro,) scilicet Ciuilio. Regem Romanum,) id est Tullum ἐν τρίτῳ προσώπῳ personæ, pro ego Tullus rex, &c.

In eum,) scilicet Albanum populum, authorem belli, qui prior negauerit reddere res. Expetant,) scilicet Dij. In,) id est contra.

Ciuili simillimum,) Amplificatio indignitatis in hoc bello, à comparatione personarum: & contra diminutio eiusdem, à coniectura consequentis euentus. Parentes,) id est Albanos.

Natos,) id est Romanos. Troianam prolem, id est posteritatem Aeneæ Troiani. Lauinium,) id est oppidum Aeneæ, ut supra. Alba, id est urbs Ascanij. Modo,) id est tantummodo.

Alterius urbis,) scilicet Albæ. In unum,) scilicet corpus reipublicæ. Quinque millia passuum,) id est miliare Germanicum. Cum re,) 9. A. id est fossa. Dictatorem) id est supremum magistratum, cuius erat dictare, præscribere & præcipere quiduis.

Regis,) scilicet Ciuilij. Ipso capite,) scilicet Ciuilij.

Magnum nomen,) id est magnam potentiam. Nomen,) id est populum. Abstatius,) scilicet castris. Dimicent,) id est prælientur. Congressus,) id est collocutus sit. Educit,) id est exercitum instruit in aciem, & ordinem suum præliare.

Iusit,) id est loqui incipit. Albanus,) id est Metius. Videor.) id est puto.

Perperam,) id est male. Iniurius & non.) Narratione captat beneuolentiam. Illud te Tulle.) Propositio & eius confirmatio, ab utili & necessario. Hetrusca res,) id est imperium.

Téque,) scilicet circa Romanos. Illi,) scilicet Hetrusci. Mari,) Quia illo tempore Hetrusci tenuerunt imperium ad mare superum Adriaticum, atque inferum Mediterraneum. Pollent,) id est ualent, Aggrediuntur,) scilicet Hetrusci. Confectos,) id est, uiribus consumptos. Seruitiique aleam) Alea, est omnis ludus lucrosus: ab alio dicitur, quòd huic iam faueat, alij est aliena. Iutus in aleam,) id est fortunæ committimus. Viam,) id est rationem. Decerni,) id est liquere.

Indole,) id est natura. Indoles ab indolendo, significat naturam ipsam, & significationem naturæ.

Tergemini fratres,) hoc est, tres in exercitu Romano, & tres in exercitu Albano. Horatios, id est Romanos.

Curatios) id est, Albanos. Ciues,) scilicet tres. Cum bona pace,) id est, non cum crudelitate. Fœdera alia.) Digreßio in descriptionem fœderis icti certo ritu & cæremonijs.

Legibus, id est conditionibus, quia causæ fœderum uariant.

Eodem modo,) id est ritu & cæremonia. Factum,) scilicet fœdus. Fœcialis,) scilicet Sacerdos præfectus fœderi faciendo.

Patre patrato.) Numa Pompilius, ut supra dixi, instituit Fœciales sacerdotes, præfectos fœderibus faciendis, & internuntios pacis bellíque, iisque ius dedit creandi patrem patratum, hoc est summum fœderis præfectum, sic uocatum à patrando, id est faciendo & absoluendo fœdere, quia patrare est efficere, ut patrare cædem, patrare nephas apud ueteres.

Sagmina,) id est sacras herbas.

Inquit,) scilicet Fœcialis. Puram,) 9. B. id est herbam sacram. Graminis herbam,) id est Sagmina sic appellata, quasi sancta. Regium nuntium,) id est fœcialem. Vasa,) id est supellectilem. Facio te,) scilicet nuntium regium.

Fecit,) id est creauit. Verbena,) id est, cum sagminibus.

Effata,) id est pronuntiata. antiquo participio in antiqua historia usus est. Legibus,) uerba fœderis. Populus Albanus: nominatiui casus est, non uocatiui. Populus Albanus, scilicet qui et

Populus

populus Albanus. Et uulgaris est hæc constructio apud Græcos & Latinos. ut Domine dominus noster. Illa) scilicet pacta, & fœderis conditiones. Cera,) id est cerata tabula.

Vti,) id est ut. Ea,) scilicet pacta. Legibus,) id est conditionibus fœderis. Publico,) scilicet non priuato. Nam priuatorum pacta nihil derogare possunt publico iuri.

Ferito,) id est punito uel obrue & tange fulminibus. Magis,) id est potentius. Dixit,) scilicet Fœcialis.

Percußit,) Inde etiam fœdus appellatum dicunt à feriendo porco, uel quòd Iupiter ferire debeat transgressorem fœderis.

Sacerdotes,) scilicet Fœciales. Fœdere icto,) Hypotyposis, id est descriptio singularis certaminis ter geminatorum fratrum, quo Romanis obtigit uictoria, fortunæ beneficio.

Deos patrios,) id est, penates. Feroces,) scilicet ter gemini. Consederunt,) Sido, significat ad locum moueo, ut auis sidit, nondum sedet. Periculi,) scilicet cædium. Paucorum,) scilicet trium parium. Signum,) scilicet pugnæ. Terni,) id est tres ex utraque parte.

Hos,) scilicet Romanis. Illis,) scilicet Albanis.

Micantes,) id est splendentes. Neutro,) id est in neutram partem. Torpebat,) id est premebatur præ expectatione.

Anceps,) scilicet ab utraque parte. Cura,) scilicet seruitij. Spes,) scilicet uictoriæ. Vnius,) scilicet Horatij.

Is,) scilicet Horatius. Integer,) id est non uulneratus.

Vniuersis,) scilicet tribus coniunctim. Affectum,) id est debilitatum.

Redit,) id est resilijt. Victor,) scilicet unius. Solet,) scilicet fieri. Alterum,) 10. A. scilicet Horatium. Alter,) scilicet Curiatius. Victus,) scilicet etiam priuato dolore & luctu.

Manibus,) id est Inferis dedi neci. Tertium,) scilicet te.

Propius,) id est, magis. Ditionis alienæ,) Ditio à dicendo: quia imperium ius dicit in inferiorem. Duo Romana,) id est duorum Horatiorum. Imperaret,) scilicet Albanus uictis. Horatius ibat) Tragicus euentus uictoriæ Horatij, qui sororem suam occidit, & iudicium capitale subiens, tamen data uenia absolutus est. Paludamento,) id est uestitu militari.

Soluit crines,) Fuit signum luctus. Appellat,) id est inuocat. Mouet,) id est perturbat.

Comploratio sororis,) quæ sibi gratulari deberet uictoriam & uitam. Immaturo,) id est. In tempestiuo.

Eat,) id est pereat, & est noema obiurgatorium. Raptus in ius,) id est, accusatus est parricidij: Legitúrque hoc iudicium, primum capitale de parricidio fuisse in urbe Romana.

Ingrati,) id est, inaccepti. Iudicium,) scilicet crimen parricidij. Duumuiros,) id est. Iudices capitales. Facio,) id est, creo. Perduellionem, scilicet quòd contra Rempublicam fecerit cædem, & punîuerit sororem uindicta priuata, quæ soror à magistratu debuerat puniri. Sic ergo non solum parricidium, sed & perduellionem, id est crimen læsæ maiestatis admisit Horatius. Perduellionis,) id est crimine læsæ maiestatis & seditionis. sic perduellis est, qui uel maiestatem læsit, uel seditiosus prouocarit, id est appellarit ad populum. Certato,) id est certet.

Vincent) scilicet duumuiri. Obnubito,) id est tegito.

Intra pomærium,) id est intra urbem.

Rebantur,) id est putabant. Indico tibi,) id est impingo tibi crimen maiestatis & seditionis, & ingero tibi crimen capitale. Clemente,) id est æquo. Prouoco,) id est appello à Duumuiris ad populum. Iure patrio,) id est, ex patria potestate in liberos, quorum uitæ necísque arbitrium fuit penes patrem, ut supra in legibus Romuli dixi. Animaduersurum,) id est supplicium capitale sumpturum. Cum egregia stirpe,) scilicet quatuor liberorum.

Inter hæc,) Sermocinatio pathetica patris pro filio, qua commiseratio mouetur à circunstantijs. Pila,) id est columna Horatij lapidea in foro, super quam ter geminorum spolia erant dedicata. Decoratum,) 10. B. scilicet spolijs. Quantúmque uictoria,) scilicet pro patria. Furca,) id est cruce. Albanorum oculi,) Comparatio.

I lictor,) permißiones acerculentæ & ironiæ negatiuæ.

Manus,) f. Horatij filij mei. Obnube,) id est obtege. Vindicent,) id est asserant. Ipsius, scilicet Horatij.

Lueretur,) id est expiaretur. Piaculo,) id est sacro uel ritu uel piaculari, quo luitur & placatur quasi crimen. Et piaculum est cærimonia, qua satisfit pro crimine admisso. Inde expiare, est satisfacere certo ritu pro crimine admisso. Is,) scilicet pater. Tigillo,) id est trabe. Adoperto,) id est tecto. Iugum,) id est furcam.

Sororium tigillum,) id est furcam, hoc est trabem trãsuersam, impositam duabus trabibus erectis instar patibuli: inde sub iugum mittere fuit olim militaris ignominia. Tigillum, est diminutiuum à tigno. in plurali tigni uel tigna: inde contignatio. Icta,) id est interfecta.

Nec diu.) Quintum bellum quod Romani gesserunt cum Fidenatibus. Erat autem id oppidum situm quadraginta stadijs ab Vrbe, cuius belli causam dedit perfidia Metij, & populi Albani inconstantia. Vulgi,) scilicet Albani.

Tribus militibus,) scilicet Curiatijs. Vanum,) dictum, quasi ualde inane. Cœpit,) scilicet dictator. Prauus,) scilicet consilijs.

Popularium,) Noema est sententiosum scomma. Ex edicto,) scilicet publico ritu belli indicendi. Suis,) scilicet Albanis. Societatis,) id est confœderationis. Colonia Romana,) scilicet à Romulo deducta post tertium bellum.

Anio anienus,) irregulare nomen. Transitionis, id est defectionis. Confluentes: scilicet ubi Anio fluuius influit Tyberim.

Cornu,) id est, latus in exercitu.

Animi,) id est fortitudinis, roboris. Erigit,) id est sistit otiosum. Explicat ordines,) id est. aciem collocat in alios ordines. Rem.) id est uictoriam. Esse,) id est erat.

Latera sua,) id est cornua. Trepida,) id est periculosa.

Salios,) id est sacerdotes Martios.

Pallori ac pauori.) Sic enim ueterum superstitio non solum dijs prophanis, sed etiam affectibus alijsque rebus uanis exhibuit diuinos honores. Circumduci,) scilicet sub montes. Est stratagema, hoc est, callidum consilium factúmque uafrum Tulli imperatoris. Id factum,) scilicet quod erigerent hastas.

Ad hostes,) scilicet Veientes. Cornu,) 11 A. id est latere. Effusa, id est sparsa. Tum Albanus exercitus.) De fœdo quidem, sed merito supplicio Metij, perfidi ducis, cuius & meminit Virgilius in octauo, dicens:

Raptabátque uiri mendacis uiscera Tullus.

Lustrale,) scilicet quo expiaret exercitum cæde, quasi contaminatum externa.

Exciuere,) id est conuocauerunt. Circumdatur,) scilicet Albanis. Centurionibus) id est, præfectis centuriarum. Infit,) id est loqui incipit. Romani si.) Propositio.

Maior ac periculosior.) quia facilius est cauere apertum hostem, quàm clandestinum & insidiosum. Auerteretur,) scilicet metu. Circumueniri,) scilicet Albanis.

Nec ea culpa.) Translatio culpæ ab Albanis in Metium.

Documentum,) id est exemplum. Quod bonum.) Antiqua bene precandi formula plebi.

Duos populos,) scilicet Lauinienses & Albanos, ut supra de Ascanio dixi. Septa,) id est, circumdata. Si ipse discere.) Noema sententiosum contra Metium, deploratæ perfidiæ hominem.

Ingenium,) scilicet perfidum. Supplicio,) scilicet exemplo tuo. Ea,) scilicet fidem & fœdera. Sancta,) id est non uiolanda. Ancipitem id est dubium.

Exinde.) Vergilius octauo Aeneidos hoc spectaculum fœdum sic describit.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant. (At tu dictis Albane maneres.)
Raptabátque uiri mendacis uiscera Tullus
Per syluam, & sparsi rorabant sanguine uepres.

Concitati,) 11. B. scilicet sunt. Legum humanarum) Quia fœditas supplicij huius nimium excedit humanum sensum, & immodice est immane.

Alijs,) scilicet fontibus. Mitiores,) scilicet quàm Romanis.

Inter hæc,) De excidio Albæ potentis uetustæq; urbis, déque transmigratione Albanorum ciuium in urbem Romanam. Est autem hæc descriptio egregia & mirifice affectibus suis condita, & exemplum ethopoeiæ.

Ariete,) id est machina bellica, qua concutiuntur muri. Vt uero.) Descriptio amoris erga patriam: qualis est apud Ouidium quoque libro primo Tristium, Elegia tertia.

Puluis) scilicet ex ruinis. Mutua miseratione.) Quia mala conciliant homines συμπάθεια cōpaßio. Angusta,) id est sacra.

Romanus,) scilicet exercitus. Adæquat solo,) id est destruit funditus. Temperatum,) id est parcitum.

Romæ interim.) Incrementum & acceßio magnæ urbis Romæ ex Albanis in ciuitatem receptis.

Cælius mons.) Habuit enim urbs Roma septem montes, uel colles intra muros: unde & septicollis Roma est cognominata. iuxta illud Virgilij:

> Scilicet & facta est rerum pulcherrima Roma,
> Septemque una sibi muro circundedit arces.

Id est colles, quorum nomina hæc sunt, Capitolinus, qui & Tarpeius, Quirinalis, Exquilinus. Hi tres in uno latere: in altero uero latere quatuor scilicet Palatinus, Cælius, Viminalis, Auentinus. Duo uero extra muros in suburbio fuere montes, scilicet Ianiculus & Vaticanus.

Curiam.) id est, domum, quo conuenirent senatores, ad curam consiliáque obeunda pro repub. Hac fiducia,) Sextum bellum, quod Romani cum Sabinis feliciter gesserunt. Secundum,) id est proxime post. Nequicquam,) id est frustra.

Feroniæ,) quam deam herbis, arboribus & plantis præficiebant: sic dicta à ferendis frugibus & floribus. Lucum,) id est Asylum. Inde, id est ex Veientibus. Bellorum,) scilicet superiorum. Merces, id est stipendium. Publico,) scilicet Veientium. Veientes,) 12 A. scilicet maxime instabiles & inconstantes.

Aucto.) scilicet ex Albanis. Deuinctis Sabinis,) Prodigium expiatum nouendiali sacro, quod primum Tullus peregit.

In conspectu, scilicet missorum. Visi.) i. arbitrati sunt.

Obirati,) i. ualde irati. Deûm,) id est deorum. s. à quibus essent deserti & non adiuti. Nouendiale,) scilicet quo prodigium expiaretur nouem diebus. Aruspicum,) Aruspices ab aris inspiciendis. Feroces spiritus,) id est irreligiosus animus. Sic enim fieri solet, ut qui non magni fecerint ante religionem, demum aliquo graui casu icti, multo magis fiant superstitiosi, quàm alij ulli, quasi neglectam religionem uelint compensare & resarcire.

Ioui Elicio,) de quo supra dictum, quòd sit uocatus Elicius ab eliciendo, id est exploranda uoluntate deorum significata per prodigia. Initum,) id est inceptum. Curatum, id est peractum. Valer. libro. 8. cap. de neglecta religione.

Cælestium,) rerum. Cum domo,) scilicet & liberis.

Vt supra ad finem Romuli & Numæ enumerauimus aliquot instituta & leges utriusque: ita nunc Catalogum facere libet eorum, quæ instituit Tullus Hostilius tanquam leges.

LEGES TVLLI HOSTILII.

Prima lex. Prius quàm inferatur bellum, res repetere oportet certa forma, propter quas ablatas & non redditas, iusta sit belli causa: de hac formula iam infra dicetur, in Anco Martio.

Secunda. Bellum rite certáque formula indicere oportet: de qua item infra, in Martio. Nisi enim prius indicitur bellum, non publica uindicta, sed latrocinium potius appellatur.

Tertia. Fœdus iciendum esse certa forma, quam & Liuius supra, & Homerus in tertij Iliad. principio, & Virgilius in duodecimo describit.

Quarta. Singulare certamen inter binos pluresue, æquo iure fieri debere, ita ut neutra pars suum certatorem adiuuet, neque aduersarium impediat: sed ociose & quiete spectet ad finem usque certaminis, de hoc uide Homerum. in tertio Iliad.

Quinta. Conditiones secundum fœdus factas, utrinque obseruari oportet, ita ut uicti pareant uictoribus.

Sexta. Duumuiri capitales ferant sententiam capitalem de reo accusato, & conuicto criminis capitalis.

Septima. Perduellionis crimen capitale esto capitéque puniatur. & perduellis est, qui uel seditionem excitat & facit, uel maiestatem magistratus imminuit & lædit, uel securitatem reipub. sollicitat.

Octaua. Rigor & nimia seueritas legum iudiciorúmque est aliquando temperanda per æquitatem, quæ est benigna interpres iuris summi. Est autem ius summum, iniuria summa: & pendet hæc æquitas non in cuiusque arbitrio, sed tantum in uoluntate magistratus legitimi, qui est uiua lex, sicut ipsa lex est mutus magistratus. & de æquitate uide Aristo. libro quinto Ethic.

Nona. A sententia de capite ciuis Romani lata per duumuiros, licet appellare & prouocare ad populum. Hoc enim ius prouocationis primum concesßit Tullus Hostilius, quod interceptum postea primi consules reddidere, ut non nisi sententia & suffragijs totius populi Romani, ullus ciuis Romanus capitis damnaretur: & priusquam capite puniretur, uirgis & flagris uapularet, alioqui non licere ciuem Romanum flagris uerberare. De hoc uide in Verrina Cicer. de supplicijs. Verum hæc prouocatio postea ad Cæsares, tanquam monarchas, est translata: quia populus omnem suum consensum & potestatem in principem monarcham transfert.

Decima. De minore uictoria, ouationem fieri: sicut triumphum de maiori. Vide Valer. lib. secundo, cap. de iure triumphandi: & supra quoque dixi de utroque.

Vndecima. Piaculare sacrum fieri propter cædem. Est autem piaculare sacrum, quod fit satisfactionis uice pro crimine, quod alioqui non punitur capite: sed condonatur, cum iure deberet capite rependi. Inde piaculare crimen uel peccatum dicitur, quod expiatur uel luitur pœna uel sacrificio.

Duodecima. Lustrali sacro purgari, uel à cæde uel à crimine, uel à suspicione criminis totum exercitum, & aliquando totum populum: quod uocant Hebræi sacrum expiationis, nostri uero aspersionem aquæ benedictæ.

Decima tertia lex. De concilio castrensi, cuius authoritas in castris militi æque tanta esse solebat fere, quanta senatorum in urbe, in negotijs præsertim mediocribus. Si qua uero ad summam rerum attinebant, ea deferri consueuerunt postea à duce ad senatum, populúmque Romanum, ut illi fierent authores. Decreta uero & imperata à concilio castrensi, oportebat obseruari, alioqui pœna erat uel ignominiæ, uel perfidiæ, uel capitæ, trangressori. Et ad preconis uocem conuenire solebant, ad consultandum uel audiendum.

Decimaquarta. Nocentium & reorum supplicia peragi, partim ut è medio tollantur sontes, publicæque honestatis & tranquillitatis inimici: partim exempli gratia, ut supplicijs admoniti reliqui scelerosi, alieno periculo & exemplo malefacere cessent, uel saltem aliquid de improbitate sua remittant.

Decimaquinta. Quamuis sint multi mali, maximáque flagitia, tamen iure Romano, tanquam mitiore, barbaricam suppliciorum immanitatem esse nonnihil moderādam, ne prorsum excedat humanum sensum.

Decima sexta. Nouendiale sacrum nouem continuis diebus fieri, oblato aliquo prodigio uel ostento, quod oporteat expiari.

Atque hæc fere sunt instituta legésque, quæ in uita Tulli Hostilij obseruare conuenit.

DE ANCO MARTIO. IIII. rege Romanorum.

Mortuo Tullo res,) De Anco Martio quarto rege Romanorum, qui medio ingenio inter pacem & bellum, regnauit annos uigintiquatuor. Res,) id est regnum. Institutum,) scilicet de interregno. Interregem,) id est uicarium. Fuere authores, id est approbarunt. Vt,) id est cum. Auitæ gloriæ,) scilicet Numæ. Proximum) s. Tulli Hostilij. Ab una parte) s. à religionibus. Antiquißimum,) id est, honestißimum, optimum.

Regis,) scilicet Numæ. Relata,) id est descripta. Album,) id est tabulam. Aui,) scilicet Numæ. Sacella,) non

in castris

in castris. Rati,) *scilicet Latini.* Memor,) *scilicet Ancus.*

Se,) 12. B. *scilicet Ancum.* Tempora,) *scilicet inquietiora.* Aptiora,) *ideo se magis Tullum, quam Numam sequi oportere.*

Proderentur) *.i. instituerentur.* Aequicolis,) *id est populo Italiæ.* Legatus.) *De formula & cæremonia repetendi res hostiliter ablatas.* Filo lanæ,) *ex laneis filis contextum est, uelamentum id capitis.* Fas,) *id est ius naturale.*

Legatus,) *id est missus.* Testem facit,) *id est inuocat.*

Dedier,) *id est dari noxæ.* Carminis,) *id est sententiæ prædictæ uel orationis prædictæ, quæ tametsi non continetur uersibus, & metris poeticis, tamen suos numeros graues habet. Sic enim carmen, quamlibet numerosam orationem, uel numerosum cantum uocant Latini.*

Iurisiurandi,) *id est quod iuramentum iam pronunciet.*

Deduntur,) *id est res & sontes.* Quos,) *scilicet iniurios, noxios.* Exposcit,) *scilicet ad pœnas, ut sibi noxæ dedantur.*

Tot enim solennes sunt.) *Induciæ seu feriæ triginta trium dierum, inter res repetitas & bellum indicendum.*

Audi Iupiter.) *Formula & cærimonia belli indicendi & consulendi senatum populumque de bello indicendo.* Terrestres,) *id est heroes.* Testor,) *id est in testimonium adduco uel aduoco.* Nuncius,) *id est legatus.* Redit,) *scilicet post res repetitas, & nondum indicto bello.* Rex,) *uel consul postea.* His ferme uerbis, *id est ex hac formula sermonis.* Condixit,) *id est denunciauit, ut condito tibi rerum: id est conuenio te propter res.* Inquit,) 13. A. *scilicet rex.* Ei,) *scilicet senatori.* Quid censes,) *scilicet de indicendo bello, & de iure adipiscendo.*

Ille,) *scilicet Senator.* Puro pióque duello,) *id est iusto bello.* Conciscóque,) *id est decerno.* Quandoque,) *id est & cum.* In eadem sententiam.) *scilicet de bello faciendo.* Consensu, *scilicet patrum & senatus.* Sagmineam,) *id est sagminibus, hoc est sacris herbis circumligatam.*

Puberibus,) *scilicet supra quatuordecim annos.*

Dicere,) *id est bellum indicens.* Quod,) *id est eo quod.*

Consciuit,) *id est conclusit.* Ego,) *scilicet fœcialis legatus.*

Dixisset,) *scilicet fœcialis.* In fines,) *id est trans.* Hoc tum,) *Epilogus cærimoniarum.* Eum morem,) *cærimoniam utranque.* Ancus demandata cura,) *Septimum bellum, quod Romani sub Anco contra Latinos gessere, & uictores facti, recepere uictos non in gratiam modo, uerum & in ciuitatem.* Multitudinem,) *scilicet Latinorum expolitorio.*

Auentinum,) *id est quicquid erat circa Auentinum montem, est generis neutri hoc loco.* Tellenis & Ficana,) *scilicet oppidulis Latij.* Compulso,) *id est collecto.* Marte incerto,) *id est dubio euentu belli.*

Ad Murtiæ,) *scilicet templũ. & est elliptica oratio, Græcismum sapiens. Murtia autem cognominatur Venus, à Myrto, id est frutice sibi sacro.*

Ianiculum.) *Castellum in suburbio urbis Romanæ, uocatum à Iano Latij primo rege, qui illic sedem habuerat. Et è regione erat Saturnia, item castellum, in quo habitauerat Saturnus exul, à Iano susceptus, ut de Ouid. in 1. Fast.*

Sublicio,) *id est legato. Vocatur autem postea Sublicium qui contignatus est, & compactus ex ligneis trabibus inter se connexis: ab antiquo uerbo licio, quod est implicare, connectere. Inde & Sublicas dixerunt ueteres illas magnas arbores & trabes, quæ inuicem colligantur.* Discrimine,) *id est iudicio. hoc est cum in tanto populo non liceret diiudicare, bene an male quisque ageret.* Carcer ad terrorem.) *Carcer à coercendis malis.* Mare,) *scilicet inferum.* Ora,) *id est ostia, ubi Tyberis influit in mare.* Hostia,) *id est Romanorum colonia.* Circa, *scilicet Hostiam.* Anco regnante,) *Digressio paulo prolixior in descriptionem personæ, qua describit Tarquinium Priscum, qui Lucumo est cognominatus, quonam modo hic aduena per suam industriam & comitatum excreuerit Romæ, adeo ut primus in aula Martij, deinde tutor liberorum regis, denique rex quintus Romæ sit factus.* Lucumo uir impiger,) *Lucumo Hetrusco uocabulo, significat dominum uel dictatorem.* Tarquinijs, *in oppidulo.*

Peregrina,) *id est Græca.* Qui,) *scilicet Demeratus.* Consedisset, *id est domicilium suum posuisset & fixisset.* Patri,) *scilicet Demerato.* Filio,) *scilicet Aruntí.*

Qui,) *scilicet pater.* Ventrem ferre,) *id est grauidam esse.* Nurum,) *id est uxorem filij Aruntis.* Nepotis,) *scilicet Posthumi.*

In testando,) *id est faciendo testamento.* Sortem,) *id est partem.* Lucumoni contra,) *Descriptio Tanaquilis, uxoris Tarquinij Prisci.* Et quæ haud,) *id est quæ non facile pateretur se agere in humiliore conditione, uel mediocri: sed quæ appeteret maiorem & splendidiorem fortunam.* Illi,) *scilicet Lucumoni.* Hetruscis,) 13. B. *scilicet Tarquinijs.* Non potuit,) *scilicet mulier.* Oblita,) *quia affectus maior uincit minorem affectum.*

Roma est.) *Occasio loci quo commigrandum esset, scilicet Romam, ubi noua peregrináque uirtus facile emergeret.* Visa,) *idonea esse.* Futurum,) *scilicet Romæ.* Regnasse Tatium,) *ab exemplis.* A Curibus,) *id est oppido Sabino.* Matre Sabina,) *id est filia Numæ.* Vna imagine,) *scilicet Materna.* Persuadet,) *scilicet Tanaquil Lucumoni suo.* Vt,) *id est tanquam.* Sublatus,) *id est comportatus.* Ad Ianiculum,) *Augurium Tarquinio oblatum, significans ei regnum obuenturum.* Ministerio,) *id est ad ministerium.* Reponit,) *scilicet pileum.* Accepisse,) *Expositio augurij.* Prodigiorum,) *id est signorum.* Vt uulgo Hetrusci,) *sunt apud quos superstitio diuinandi originem sumpsit authore Tage quodam. Cuius Ouidius in decimoquarto Metamorpho. meminit. & Cicero de diuinatione.* Eam alitem,) *id est aquilam, regiam auem, & Ioui sacram.* Eius dei, *id est Iouis, in cuius tutela sunt reges.* Auspicium fecisse,) *id est signum ostendisse.*

Decus,) *id est pileum.* Eidem,) *id est capiti.* Diuinitus,) *quasi diuino signo & augurio.* Redderet,) *id est reponeret.* Has spes cogitationéque,) *scilicet de excelsa dignitate.* Comparato domicilio,) *id est cum Romæ suarum rerum summam posuisset & stabilijsset.* Lucum,) *ab Hetrusco nomine Lucumonis.* Tarquinium,) *ab oppido unde commigrarat.* Priscum,) *ab ætate. Non est uerisimile illi inditum esse nomen statim in aduentu, sed demum sub Tarquinio Sexto, dictum esse illum priscum, ad differentiam Sexti.* Romanis conspicuum,) *Incrementa Tarquinij, quæ ipse sua liberalitate & comitate auxit.* Conspicuum,) *id est nobilem.*

Nobilis est ille, quem nobilitant suæ uillæ.

Adiuuabat,) *scilicet fortunam suam: quia.*

Cuique mores fortunam fingunt sui. Ari st.

Quo minor intellectus, eo maior fortuna. Dextere,) *id est fideliter.* Expertus.,) *id est probatus, nunc non utimur passiue.* Regis,) *scilicet Anci.*

Regnauit Ancus annos,) *Instituta & leges sub Anco Martio sic fere possunt colligi & obseruari ex hac Liuij historia, ut in hoc Catalogo.*

LEGES ANCI MARTII.

Prima. Sacra priuata prohiberi, ne quis sibi priuatim fingat cærimonias ritúsque pro sua superstitione, sed publice probatis, receptísque ritibus utatur.

Secunda. Sacra publica fastis descripta obseruari debere. Sunt autem fasti, libri, in quibus describuntur festi dies, & feriæ, & profesti dies, atque fasti, de quibus supra in Catalogo Numæ. sic extant Fast. Ouid.

Tertia. Res repeti certa cærimonia, conceptísque uerbis. Sic enim iustam causam bello fieri, si res ablatæ per iniuriam repetentibus non reddantur, uel si iniuriosi non dedantur noxæ, id est ad pœnam exhibeantur.

Quarta. Senatum publicum urbis consilium esse consulendum certa formula de bello inferendo. Non enim priuata libidine, sed publico consilio & decreto debet inferri bellũ, alioqui est latrocinium si priuatim infertur.

Quinta. Bellum indici certa cærimonia & religiose inferri. Quia enim bellum est iuris tutamentum, & publica uindicta,

depulsióque iniuriæ, ideóque religiose & certo iure belli debet geri, quoad uindicatis iniurijs, quemlibet crudelibus modis parta uictoria, pax firma, tanquam belli finis, constitui possit.

Sexta. Sacra regia, & postea consularia, hoc est quæ per ipsum regem, uel consules peragi debent, esse mandanda alijs in absentia regis, uel consulum, ne quid publicæ religionis omittatur.

Septima. Exercitum militarem scribi certa formula iuramenti & certis conditionibus, de quibus apud Vegetium uide.

Octaua. Carcerem esse domicilium facinorosorum, cuius metu & dolore punire oportet flagitiosos, propter exemplum & pacem publicam. Longe enim tolerabilius est unum atque alterum dolere, quàm totum commune in solicitudine damnósum esse, ut supra dixit in Tulli Catalogo.

Nona. Aduenas fideles in officia & consilia quoque publica admitti, si eorum fides satis sit perspecta uirtusque probata, alioqui minus iuris est aduenæ, quàm inquilino & populari.

Decima. Testamentum condi certa formula, & conditionibus, quo continetur & declaratur ultima uoluntas morituri, quæ si iusta est, seruari debet. Sed de hoc consule iureconsultos.

Vndecima. Tutorem orphanorum & pupillorum, sine dolo malo curam gerere debere fideliter, qualem in suis rebus geri uellet.

Duodecima. Orphanos & pupillos suam rem curare non posse, uel propter imbecillitatem, uel ætatem: ideóque ius & uoluntatem ipsorum transferri in tutores & curatores suos: qui uel testamēto, uel iure cognationis, uel iussu magistratus eis dentur. Cæterum de iure tutelæ, iurisconsultos consule.

Atque hæc duodecim instituta sunt, quæ ex historia Anci Martij, quarti regis, possunt elici.

DE TARQVINIO PRISCO V. rege Romanorum.

Iam filij.) De Tarquinio Prisco, Romanorum rege quinto, qui popularis rex admodum fuit, & miræ prudentiæ in augendo regno, & primus de ambitione petitionéque regni ad populum. Filij,) scilicet Anci Martij regis mortui.

Eo magis,) scilicet ne filij pubertatem ingressi, regnum sibi præriperent. Instare,) id est instabat. Quibus,) scilicet comitijs indictis. Venatum ablegauit,) Legare, in publico negotio: ablegare, in priuato. Ablegauit,) scilicet pueros, ne ipsorum præsentia sibi obesset.

Cum se.) Diuisio & obliqua allocutio, qua Liuius iustæ orationis pettoriæ primaria capita complectitur, cuius propositio hæc est, Se Tarquinium nihil nouum, neque indignum, uel alienum à iure petere, quod regnum petat ipse peregrinus homo. Et hic est status orationis, cuius ratio hæc est duplex, quòd ipse Tarquinius antea priuatim publicéque sit bene meritus de populo Romano, & quòd sæpe antea regnum sit delatum Romæ ultro peregrinis etiam. Cum,) scilicet diceret Tarquinius. Nouum,) scilicet nec iniquum. Tatium,) Exemplum primum. Numam,) Secundum exemplum.

Se ex quo,) Argumentum tertium. Potens sui,) id est sui iuris, sui arbitrij. Aetatis eum,) scilicet uiribus. Vetere patria, id est Tarquinijs. Haud pœnitendo,) scilicet bono.

Alios,) scilicet ciues. Rege,) scilicet Martio. Memorantem,) id est perorantem. Regnare iussit,) id est & patres, Senatúsque, popularis nominationis authores fuere, eámque comprobarunt. Ergo,) De rebus gestis Tarquinij in regno. Cætera,) id est in cæteris.

Minorum gentium). 14. A. id est patres uel senatores, tanquam de minore gente, id est, iuniore ordine senatorio. Nam non minorem potestatem in Senatu habebant, quàm ueteres. In curiam,) id est in dignitatem senatoriam. Instructius,) id est apparatius. Circo,) qui nunc dicitur maximus, id est magnæ planicies campi publici, in qua exhiberentur ludi & spectacula.

Diuisa,) scilicet sunt in circo. Spectacula,) id est loca spectandi. Fori,) id est subsellia uel sedilia. Ludicrum,) id est ludus. Solennes,) id est festiui. Magni,) scilicet Circenses, & maximi, & Romani ludi. Priuatis,) scilicet ciuibus. Porticus,) id est deambulacra ad arcendum æstum, uel tempestatem constructa & tecta. Tabernæ,) id est negotiatorum domunculæ: & dicitur omne ædificium in quo aliquid uenditur.

Cum Sabinis.) Octauum bellum, quod Romani feliciter contra Sabinos gessere, non citra tamen sanguinem.

Anienem,) scilicet fluuium. Centurias,) scilicet equitum.

Id,) scilicet scribere centurias. Inaugurato,) id est obseruato augurio probe. Mutari,) scilicet centuriarum numerum.

Aues,) scilicet auspicatæ. Negare Accius,) Obnunciare, est prohibere aliquid fieri propter malum omen, & exitum.

Addixissent,) id est significassent bonum eum rei euentum.

Ex eo,) id est propter illam obnunciationem, id est prohibitionem auguris, propter signum non prosperum. Inquit,) scilicet rex. Diuina,) id est prædic. Inaugurato,) scilicet cum tuo augurio: & est ironia. Inquit,) scilicet Tarquinius. Atqui,) id est certe.

Tum illum,) Exemplum miraculi præstigiosi.

Cotem ferunt.) Cos, generale uocabulum, quemlibet lapidem significat. Portendunt,) id est indicant. Illum,) scilicet Actium. Capite uelato,) scilicet more augurum, qui tectis capitibus auspicia captabant. In comitio,) id est in loco comitiorum.

Belli domíque,) id est publice aut priuatim. Auspicato,) id est auspicio & signo futuri euentus obseruato, unde diuinarent euentum. Etenim diuinatio, est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio & præsensio. Vocati,) scilicet ad consilium castrense, de quo supra in Catalogo Tullij. Consilium, significat conuentum, & consultum. Concilium semper significat conuentum solum. Summa rerum,) id est, maxima negotia & negotiorum momenta conatúsque.

Admisissent,) id est dedissent bona signa. Vide copiose apud Ciceronem pro Domo, & de responsis Aruspicum. Numero,) scilicet priori. Modo,) scilicet sub Tarquinio. Iisdem nominibus,) id est trium centuriarum Romuli. Geminatæ,) id est duplicatæ, ut bis mille & sexcentos equites, uel plures adeo, contineant tres centuriæ.

Vim,) id est multitudinem: & est effectus pro efficiente. Vbi enim multi sunt, ibi maior est uis. Et quæ non prosunt singula, iuncta iuuant. Sublicijs,) id est, trabibus, quibus innitebatur pons Aniensis. Sublica,) à licio.

Insignem,) 14. B. id est celebrem. Cornibus,) id est lateribus pedestris exercitus. Incurrisse,) scilicet, ad frontem.

Cedentibus,) id est peditibus. Tenuere,) scilicet montes. Vulcano,) id est deo ignis.

Tumultuario,) id est extemporali, & temere collecto. Collatia,) id est, oppidulum. Fratris,) scilicet Aruntis. Filius scilicet, Posthumus. Rex interrogauit,) De formula uerborum, qua certis uerbis deditio fieri solita est per hostes uictos. In sua potestate,) Nam qui antea est alienæ potestatis, ille se dedere non potest dij. Ditionem, id est potestatem. Recipio,) scilicet uos in fidem & potestatem nostram. Inde priscis,) Nonū bellū repertum contra priscos Latinos, quibus aliquot oppida sunt adempta. ˙Prisci Latini, quia Romani erant noui Latini, & qui erant extra Romanum solum, dicebantur prisci Latini. Fecit, id est intulit.

Pax deinde facta est,) Res à Tarquinio in pace gestæ, qui muniuit & ornauit urbem ædificijs, sicut & Ancus Martius. Mole,) id est conatu. Forum,) scilicet Boarium.

Fastigio,) scilicet in altum. Haud facile euehebat,) Nisi enim aquæ decliuem impetum habeant & motum, nullo modo possunt canalibus deriuari. Cloacis è fastigio,) Cloaca proprie significat meatum & alueum, quo deducitur aqua & sordes. Significat item canales aut fistulas, quibus aqua ex imo in altum ducitur, teste iureconsulto. Sic ergo indicat Liuius, per tubos & fistulas aquam extractam de humilioribus locis in Tyberim fluuium. Capitolio,) id est colle.

Amplitudinem loci,) scilicet Capitolij, quod postea summum urbis templum fuit, ut infra in Tarquinio Superbo scribit.

Eo tempore,) Digreßio in prodigij descriptionem, quod accidit circa Seruium Tullium, qui post hunc Tarquinium regnauit, quod regnum ei significant hoc prodigium.

Moueri,) id est excitari. Scire licet,) Expositio prodigij. Materiam,) id est puerum, qui futurus est causa.

Liberûm,) 15. A. id est liberorum. Conferri,) scilicet cum Seruio.

Hic quacunque,) Variatio historiæ de natalibus & genere Seruij. Corniculo.) scilicet oppido Latinorum.

Cognita esset,) scilicet principis uxor. Regina Romana,) scilicet Tanaquile. Mulieres,) scilicet Tanaquilem & matrem Seruij. Hostium,) scilicet Romanorum. Venerit,) scilicet captiua. Duodequadragesimo,) Occasio insidiarum & cædis Tarquinij Prisci, qui immißis percussoribus à filijs Anci Martij regni, ut sibi uidebantur, hæredibus, occisus est.

Crescere,) id est crescebat. Præceps,) id est ex inopinato. Inde,) scilicet ab aduena. Ad Seruitium,) id est ad Seruium. Deo,) scilicet Marte. Seruus,) id est Seruius Tullius. Serua,) id est matre. Locus communis seruitus, à quo sumitur amplificatio indignitatis. Romani nominis,) id est imperij. Domus suæ,) id est familiæ Martij.

Aduenis,) ut Tarquinio. Consueti erant,) id est in aula noti erant.

Apparitores,) id est aulicos & ministros. Conuertunt in se,) id est in suum conspectum. Appellarent,) id est prouocarent ad regem. In uestibulo,) id est area, quæ est pro porta uel ianua. Ferramenta,) id est arma, & instrumenta ferrea, ut sunt ligones, rastri, fuscinæ, falces, secures.

Penitus,) id est intro. Obstrepere,) scilicet conuicijs.

Ex composito,) id est insidiose, & ex parato dolo. Excepissent,) scilicet è terra. Tanaquil inter,) Prudentiæ muliebris & præsentis animi exemplum in regina, quæ callide & fortiter dißimulauit mortem regis, & regnum Seruio Tullio clam asseruit & constabiliuit. Sedulo, id est callide.

Spes,) scilicet uitæ regis. Seruio propere,) Adhortatio mulieris cordatæ ad Seruium Tullium, quæ admonens, eum à beneficijs in aula acceptis hortatur, & animat ad regnum capessendum, & in ultionem. Exanguem) 15. B. id est mortuum.

Tuum est,) Propositio.

Vires,) id est fortis. Eorum,) scilicet liberorum Anci. Alienis manibus,) scilicet priscorum. Erige te,) Exhortatio à diuino prodigio. Portenderunt,) id est significauerunt. Circumfuso,) scilicet crinibus tuis, quos lambebat ignis tibi dormienti. Clarum, scilicet regnum & regia corona. Et nos peregrini,) Secundum argumentum ab exemplo. Vnde,) scilicet à matre captiua.

Torpent,) id est sunt languida & meticulosa. Re subita,) id est cæde regis. Ad se redijsse,) id est recreatum.

Confidere,) scilicet se. Iubere,) scilicet regem ægrotum.

Dicto,) id est mandato.

Munia,) id est officia. Et hactenus quidem Liuius de rebus Tarquinij Prisci, optimi principis, scripsit: quomodo ille habuerit ingenium, atque animum instructum, atque exercitatum iuxta artibus belli & pacis, fueritque prudentißimus artifex deuinciendæ retinendæq; plebis: ad quæ non mediocriter eum adiuuerit uxoris Tanaquilis fere incredibilis prudentia & solertia.

Ergo libet hic quoque, ut supra fecimus in fine superiorum regum, inire numerum & Catalogum institutorum legúmque & morum, quæ obseruari possunt ex hac historiæ parte de Tarquinio. Non minus enim refert scire incrementa iuris Romani & disciplinæ, quàm accessiones ædificiorum, populorum, & ditionum. Siquidem exempla iure ac ratione prodita, firmatáque, magis prosunt in publicum, & priuatum, quàm res gestæ nudæ.

LEGES TARQVINII PRISCI.

Prima. Iure Romano tutela exire pupillos, si fiant puberes, hoc est, maiores natu quatuordecim annis, ut postea sunt interpretati. Dantur autem eis deinde curatores, usque in decimumoctauum, aut uicesimum primum annum, intra quod tempus uocantur adulti, sub cura: sicut pupilli, uocantur impuberes, sub tutela.

Secunda. Comitijs tributis regem creari, id est tribuum suffragijs, & consensu, ut supra in interregno uidimus, & infra in Catalogo Seruij plura erunt dicenda.

Tertia. Ambitionem non haberi capitalem, si absque muneribus & corruptelis fiat, sola petitione, uel prehensatione manuum, qua utraque licebat uti petitoribus honorum, postea uocatis candidatis, à candida ueste, quam in comitijs gestabant.

Quarta. Orationem pro seipso habere, commendando, uel excusando, ad populum licet, modò ne sit seditiosa, aut improbis conuitijs referta.

Quinta. Potens sui, hoc est, iuris arbitriíque sui fit is demum, qui uel post uigesimumprimum annum egreditur curam, uel à patre emancipatur, id est liberatur à patria potestate, quē uocamus patremfamilias. Cæterum neque adultus, nedum pupillus, neque filiusfamilias, est sui arbitrij.

Sexta. Sola uirilis ætas idonea est rebus politicis administrandis. Iuuenes enim rerum imperiti & inconsulti, ne sua quidem bene gerere norunt, nedum publica curare poßint, unde & postea latæ sunt leges, de ætate promouendorum ad honores & magistratus.

Septima. Qui olim sunt delegandi ad publica negotia, ad Rempub. ad magistratus, illi uiuis exemplis principum & peritorum discere debent. unde & nobilium liberi deducebantur ad senes & peritißimos quosque, quibus astarent & officio inseruirent. Sicque eorum uiuis exemplis & uiua uoce discerent. Vide Valerium lib. 2. cap. 2.

Octaua. Iura ciuitatis & populi uel ex libris uel usu perdiscenda ei, qui in republ. feliciter uolet uersari, præsertim extero homini, uel ei quoque, qui in aliena ciuitate morari uelit commode, atque ad eius se mores accommodare.

Nona. Augere Rempubl. potius quàm priuatam, est propriū regis magistratúsque officium: unde postea rationes repetebantur factorum à magistratu suo perfunctis. hinc etiam accusationes de peculatu, de repetundis institutæ sunt.

Decima. Patres minorum gentium centum, æquam habere potestatem cum pristinis senatoribus. Fuerunt autem primum sub Romulo centum senatores. Secundo, hic sub Tarquinio ducenti. Tertio infra sub primis consulibus trecenti, additis centum patribus conscriptis. Postea numerus uenit ad sexcentos. Denique C. Gracchus Tyberij frater, trecentis patricijs, & trecentis equestribus senatoribus, addidit adhuc trecentos equestres Senatores. Ita ut equestris ordo bis tantum uirium in Senatu haberet, quantum patritius ordo, eßéntque nongenti senatores. Vide Plutarchum in Gracchis, & Epitomen Flori. Iulius autem Cæsar Monarcha factus, senatum bellis, & cædibus, & exilijs confectum fere, suppleuit temere ex omni hominum colluuie: ita ut Gallos quoque & Germanos receperit in senatum, aliósque peregrinos, ut per iocum lex sit scripta clandestine, qua caueretur, ne quis Senatori uiam monstraret in curiam, néue quis cum Senatore loqueretur per interpretem. Postea Augustus Cæsar pristinum numerum & nobilitatem Senatui restituit. Sub insequentibus uero Cæsaribus, omnes magistratus, & omnes senatores, nihil aliud fuere, quàm adulatores, astipulatores, & seruilia mancipia Cæsarum, uel sacerdotum. Sic habes octo fere mutationes senatorij ordinis & numeri in urbe Romana.

Vndecima. Ludi sacri ad populum retinendum in cærimonijs & bonis moribus, primum sunt in Græcia & Romæ instituti. Vide Plutarchum in Solone, & Lycurgo, & in Romulo, ut etiam supra de eodem. Verum, ut fit, bonum institutum nimia licentia & lascinia declinauit, peßimáque exempla prodidit, mutatis ritibus honestis in turpes.

Duodecima. Circum, id est latum campum esse ludorum publicorum, locum publicum. Non enim temere admittebant uete-

res ludos fieri in priuato, neque sacra propter superstitionem & lasciuiam cauendam.

Decimatertia. Certa loca spectandi patribus equitibúsque diuisa sunt, cum interim plebs spectaret promiscue, de humiliore loco. Appellati sunt autem illi loci spectaculorum æditiores, ordines spectandi, quorum quatuordecim proximi, multis post annis, assignati sunt peculiariter ordini equestri à Roscio Tribuno plebis, cum antea equites, qui non essent patricij, sed plebei equites spectassent promiscue cum plebe. de qua lege Roscia theatrali meminit Florus in Epitoma. 99.

Decimaquarta. Festis diebus & sacræ celebritati annumerari dies ludorum. Quorum alij sunt Stati & solennes: alij sunt extraordinarij & repentini, qui uel publico sumptu ob inopinatum aliquem casum, uel priuato sumptu propter munus aut funus edebantur: unde & munerarij & funebres ludi sunt appellati. Sic ergo ludorum quoque, alij sunt publici, alij priuati. Hi quidem, quód priuato sumptu alicuius familiæ exhiberentur (quales gentilitij erant ludi) uel propter honoris petitionem, uel propter funeris celebritatem fierent. Sic & ludi uictorum & triumphatorum principum, & ludi natalitij, similesque annumerantur priuatis. Cæterum in genere sunt duplices ludi, scilicet Scenici & Gymnici. Scenici ludi sunt, qui ingeniorum actionisque agilitati & arte constant: quales sunt fabularum actus, ut est Comœdia, Tragœdia, Mimus, Atellana, Ethologia, Satyra: de quorum origine indicat, sed obscure, Liuius in libro septimo ab Vrbe condita, horum actores uocantur histriones. Sunt autem fabulæ duplices scilicet Palliatæ, Græcæ, à Græcis primum inuentæ, & ad Latinos translatæ. Harum quatuor sunt species, Comœdia, Tragœdia, Ethologia, id est morum expressio ludicra: & mimus, id est faceta, libera lasciuáque uersuum recitatio, cum quadam lasciua imitatione morum & sermonis alieni. Et in his Græcis fabulis introducebantur Græcæ personæ pallijs uestitæ. Aliæ sunt fabulæ Togatæ Latinæ, à Latinis poetis inuentæ, & excultæ. Harum sunt quinque species. Prætextata, in qua personæ patritiorum uel nobilium introducuntur, quorum insigne erat, uestis prætexta toga. Tabernaria, in qua plebeiæ, uilésque personæ inducuntur: quales fere in tabernis, & ganeis solent agere. Attellana, quæ erat similis fere Satyræ, argumentis dictísque iocularibus referta, & exhiberi solita turpibus impudicísque gestibus. Satyra plane Latinum poema, in quo libere taxantur mali mores & uitia præsertim magnorum hominum, expressis personis criminosis, uel per allegoriam significatis. Tales Satyræ extant Horatij, Persij, Iuuenalis, & Philelphi. Dictæ autem sunt à lasciuis gestibus Satyrorum, id est hominum syluestrium. Mimus Latinus Græco similis erat libertate & lasciuia, quale fragmentum extat Laberij apud Macrobium alicubi. His nouem fabulis adde, si libet, Dialogum Græcis Latinísque apprime celebrem. Constant ergo hæ fabulæ & literarij ludi, ingenio, arte, facetiáque poetarum & scriptorum, & comitate gratiáque actorum, qui fauorabiliter eas recitare possint. Cæterum apud Donatum in Terentio, & apud commentarios Plauti, Iuuenalísque, ac similium plura uide. Vocantur autem Scenici, quod in theatro sub scenis, id est sub umbraculis laterent personæ, quod exeuntes inde in proscenium recitarent & agerent. Gymnici ludi sunt, qui exercitio habituque corporis constant: appellati à nuditate, quód ludentes, certantésque fere nudarent omnino corpora, uel saltem superfluas uestes exuerent, ut ita expeditiores agilioresque essent ad obeunda certamina ludicra. Fuerunt autem Gymnici ludi apud Latinos Græcósque hæ primariæ species, quarum priores à Virgilio quoque describuntur in quinto Aeneid. & ab Homero in penultimo Iliad.

Prima pugna, cum certabant pugnis, manúsque conserebant cestibus, fustibus, gladijs, hastis, pilis, & similibus armis.

Huc pertinet & gladiatoria, qua certabant uarijs modis gladiatores, non solum pro gloria, sed etiam pro uita. Hoc enim dirum barbarúmque spectaculum Romani admiserunt in suum theatrum, ut iuuentus crebro uulnerum, sanguinis, cædiumque aspectu assuefieret ad fortitudinem militarem, quo minus terreretur huiusmodi malis, & uulneribus, quibus in prælio solent affici, & confici corpora. Huc pertinet & pugna decertatioque cum bestijs, pro uita: quales multas describit Martialis: Vtrunque autem horum fuit infame, & per seruos plerunque exerceri solitum. Huc refertur etiam lucta, qua alter alterum complectens, in terram prosternere & opprimere nititur.

Secunda species, cursus satis nota, cum faciunt curriculum in stadio: uel campo, ad destinatam metam pertingendam.

Tertia. Saltatio, quæ uel æquo campo, uel inferne in superiorem locum, uel superne in inferiorem locum: aut etiam in equos desultorios fieri solet: uel in currus, ita ut non tantum nudi, sed etiam armati & cataphracti, equos uel currus insilirent.

Quarta species, Iaculatio, quæ fit sagittis, & arcubalistis, uel arcu, pila, disco, id est rotundo lapide instar cotis, de quo Homerus & Ouid. in Metarmoph. de Hyacincho saxo, alijsue telis, hoc est cuiuscunque generis armis, quæ longe proijciuntur. Huc pertinet & iaculatio bombardorum. Et hi ludi sunt pedestres fere.

Quinta species. Decursio equestris, qua exhibetur species quædam ludicra pugnæ equestris. Hæc hodiéque nobilibus & aulicis usitata est, uaria quidem forma, ut uel hastis concurrant, uel gladijs, aut contis sese mutuo feriant, uel manibus sese mutuo equis detrahant, & alijs formis equestrem pugnam assimulent, qualem & describit Liuius in principio decimi de bello Macedonico, & Virgil. in quinto.

Sexta species, Aurigatio, cum certatur bigis, aut quadrigis cõcurrentibus, uel curriculum facientibus, quam describit Ouid. in decimo Metamorpho. de Attalanta.

Septima, Naumachia, id est nauale certamen, cum in fluuio, stagno, lacu, mariue concurritur, & certatur nauigio, quam Virgil. in quinto depingit. Huc refertur etiam natatio, & urinatio. Hæ fere sunt Gymnicorum ludorum species & formæ, in agilitate corporis potius quàm ingenij sitæ. Si quæ uero aliæ supersunt, ad istas facilè possunt referri. His autem Scenicis Gymnicisque ludis uaria cognomina indiderunt Romani, à uaria qualitate locorum uel circumstantiarum: quia ludos Gymnicos fere nominarunt quinquefariam, scilicet Circenses, à Circo maximo. Item Magnos, quod magno corporis molimine, conatu, agilitatéque peragerentur: uel quód celebrarentur in honorem magnorum deorum duodecim, quorum sex mares sunt. Primus, Iupiter: secundus, Neptunus: tertius, Apollo: quartus, Mars. quintus, Vulcanus: sextus, Liber. Sex autem fœminæ. Prima, Iuno: secunda, Vesta: tertia, Minerua: quarta, Ceres: quinta, Venus: sexta, Diana. Item Maximos, à Circo maximo, in quo ludebantur. Nam erant & alij Circi non ita magni, ut Flaminius, Appollinaris & Vaticanus. Item Romanos, quia Romæ fuerint maxime solennes. Item Plebeios, eo quód acti sint in gratiam plebis reconciliatæ cum patribus, post seditionem primam in Sacro monte: de qua infra, in libro secundo. Item Megelenses, uel Megalesia, uel Græcos, eo quód postea Cybelem translatam ex Asia minore, Romani Græcis quibusdam ludis coluerunt: quæ Cybele terræ Dea, cognominatur magna mater, & Ceres. Verum qui Gymnicis ludis certabant, uocantur Athletæ uel Agonistæ, id est certatores. Hæc ad præsens de ludis sufficiant, reliqua ab alijs require.

Decimaquinta lex. Equitum centurias & ordinem equestrem augeri posse, pro conditione & usu Reipub. ita quidem, ut plures quàm centum equites essent in Centuria.

Decimasexta. Equites à cornibus, id est lateribus pedestrium copiarum locari, & interim in frontem sese proripere, ut tueãtur peditem. Verum de instructione acierum, & exercitus, uide Vegetium & Modestinum, de re Militari.

Decimaseptima. Deditionem certa formula fieri, qua seuicti dedunt uictoribus, ut horum potestati se suáque, libere tamen non seruiliter, neque tanquam capti subijciant: sed tantum ad ingenua munera officiáque liberalia, uictoribus obnoxij & prompti sint. Sic ergo longe differunt, deditum esse, & seruum esse.

Decima

Decimaoctaua. Apellare à minore magistratu ad superiorẽ licet, sed non è contra. Verum de appellatione, consule iurisperitos.

Decimanona. Causam inter actorem & reum oportet inuicem agi, nec iudicari sententiámue ullam, ne a magistratu quidem ferri, nisi audita utraque parte, nempe actore & reo: nisi alteruter fiat in iudicio contumax. Sed de his quoque inquire à iurisconsultis.

Vigesima. Regem aut quemlibet magistratum, si per morbum uel absentiam, uel aliam iustam causam nequeat ipse munus publicum obire, iure posse ad tempus sibi substituere idoneum uicarium, qui suas cessantis uices locúmque gerat: & eum uicarium plenam habere potestatem, tamen certis descriptam terminis.

Vigesimaprima. Patriciorum liberis impuberibus licere gestare prætextam & bullam auream, instituit Priscus, eo quòd in prælio hostis esset occisus à filio suo impubere, ut quidam scribunt: hoc mihi non uidetur uerisimile. Nam si Tarquinius Priscus filium habuisset, credo certe Tanaquilem non passuram fuisse ut Seruius Tullius regnum occuparet, sed potius filio id ascripsisset.

Vigesimasecunda. Ius Romanum legésque regias uno corpore componi & conscribi cœptum est sub Prisco, per Papyrium quendam iureconsultum, ut testatur lex secunda, in ff. de orig. iuris. Vnde & ius Papyrianum, & leges Papyrianæ appellabantur. Verum de uarietate discriminéque legum iurísque Romæ, infra demum, in tertio libro de duodecim tabulis, dicendum erit. Interim hoc obserua, Romulum aliquot leges curiatas, id est curiarum suffragijs approbatas tulisse, quas, ut indimus in Catalogo, sequentes reges subinde auxerint, & Papyrius iste in unum corpus conscripserit, Tarquinij iussu.

Vigesimatertia. Aquam & sordes ex urbe deriuari per cloacas, id est canales aliosue meatus & riuos, quasi eas cloacas in Tyberim ductas fastigio, id est ex ima parte & imo fundo conuallium atque fossarum, Tarquinius Priscus in illum usum construxit publicum, quas postea Superbus auxit maiore sumptu & structura.

Vigesimaquarta lex. Lares familiares esse colendos sacris compitalibus, hoc est in publicis uicis fieri solitis: quia compita sunt uici & uiæ publicæ. Item alijs sacris domesticis ritibúsque priuatis Larem domesticum coli instituit Tarquinius Priscus, teste Plinio in libro tricesimo sexto, capite ultimo: eo quòd Lar familiaris domus regiæ, apparere uisus sit inter prodigium Seruij Tulli pueri. Vocant autem Larem domesticum cuiusque domus genium, & deum tutelarem, quem Plautus in prologo Aululariæ describit. Hinc & sacra lararia, & sacellum lararium dicitur. Atque hæc fere sunt instituta legésque ex uita Tarquinij Prisci obseruabiles.

DE SERVIO TVLLIO. VI. rege Romanorum.

Seruius cum Trabea,) De Seruio Tullio rege Romanorum sexto, qui pace belloque insignis, & in publicum commodus felixque satis fuit: sed priuatim ab affinibus et cognatis ualde infelix, ut à quibus denique sit indignissime occisus.

Trabea,) id est ueste regia. Vicis,) id est officij.

Palam factum,) scilicet morte regis. Fati necessitatem.) Fatum, est ordo certus et ineuitabilis præteritorum, præsentium & futurorum, institutus ex uoluntate Dei inuariabili.

In iussu populi,) id est sine nominatione. Ministris,) id est pastoralibus illis. Talis,) id est tam inimicus. Tarquinij,) scilicet Prisci. Liberûm,) id est liberorum. Filias,) scilicet suas. Iuuenibus,) id est filijs. Iungit,) scilicet coniugio.

Nec rupit tamen,) Noema sententiosum, de fato & fatali necessitate, quæ ineuitabilis est. Regni,) scilicet quod Tarquinij inuidebant Seruio. Peropportune,) Decimum bellum, quod Romæ feliciter contra Hetruscos, sub rege Seruio gessere.

Haud dubius,) id est tam certus de regno stabilito.

Periclitaretur,) id est experiretur eius uirtutem, uel tanquã dubius & malefidus solicitaret Seruium. Diuini iuris,) id est religionis. Conditorem,) id est authorem. Fortunæ,) id est opum. Fama ferrent,) id est dicerent. Interlucet,) id est manifeste claréque differt & præstat. Censum,) id est æstimationem bonorum & facultatum, ut pro sua quisque proportione iuuaret Rempubl. pecunia sua. Munia,) id est munera & onera publica. Virium,) id est secundum proportionem geometricã. Descripsit,) id est definiuit, determinauit.

Ex ijs,) Prima classis continens centurias octoginta eorum, qui cẽsentur possidere centum coronatos & ultra. Ex ijs,) scilicet ciuibus. Confecit,) id est collegit. Aeris,) id est assium. Sic enim elliptica est oratio centum æris, id est, cẽtum asses æris. mille æris .i. mille asses æris, hoc est asses ænei ex ære cusi. Aut maiorem,) scilicet supra centum millia. Præsto,) id est parati.

Ocreæ,) id est munimenta crurum. Huic,) scilicet primæ. Stipendia facerent,) id est militarent. Machinas,) id est instrumenta bellica maiora.

Secunda classis,) continens uiginti centurias eorum ciuium, qui possident septingentos & quinquaginta coronatos & ultra. Ex his,) scilicet secundæ classis. Scutum,) 16. A. id est paruus clypeus, id est parma ex corio consuta.

Tertia classis,) continens uiginti centurias ciuium eorum, qui possiderent quingentos coronatos & ultra. Millium) .s. æris. Totidem, id est uiginti. Discrimine ætatum,) scilicet seniorum & iuuenum. De armis,) id est secundæ classis.

In quarta,) cõtinens centurias uiginti eorum ciuium, qui possident ducentos & quinquaginta coronatos. Arma,) scilicet omnia. Verutum,) id est telum, quod præfixum habet ferrum, instar ueru acuminatum & oblongum.

Quinta classis,) continens triginta centurias eorum ciuium, qui possiderent centum & decem coronatos & ultra. Aucta,) scilicet centurijs. Lapides missiles,) id est globos mittendos ex fundis. In his,) scilicet quintæ classis ciuibus. Accensi,) scilicet ministri & apparitores & præcones. Tibicinésque,) scilicet qui utrique canerent signa & classica, ad pugnam & præliũ conserendum. Hæc classis,) scilicet quinta. Millibus,) scilicet æris. Hoc minor) scilicet infra censum quintæ classis. Reliquam multitudinem,) Vt capite censos & proletarios. Vocantur autem capite censi, ita tenues & pauperes ciues, ut eorum bona censu & æstimatione sint indigua, nisi quis caput & uitam eorum censeri uelit, cum nihil præter corpus & uitam habeant. Proletarij uero appellãtur. qui nullo tributo commoditatéue alia adiuuare possunt Rempublic. quàm prole, id est liberis creandis & fouendis. De utrisque uide Gellium in decimo sexto, capit. decimo. Inde,) scilicet ex proletarijs & capite censis in unum ordinem coniunctis.

Vna centuria, proculdubio longe plures ciues continens, quã centum, cum huiusmodi tenuium & pauperum mille, uix comparari possint duobus aut tribus ex prima classe ciuibus, quod ad facultates & fortunam attinet. Militia. id est & tributo, nisi cum imperabat tributum in capita. Ita pedestri,) De numero & ordine equitum, quorum centurias auxit Seruius Tullius. Ita,) scilicet in quinque classes. Ornato,) scilicet armis suis. Scripsit,) id est elegit. Inauguratæ,) id est consecratæ à Romulo. Fecit,) id est adiecit. Ex publico,) scilicet fisco. Dena millia æris,) .i. centum coronatos. Data,) scilicet singulis equitibus.

Viduæ,) scilicet diuites. Bina millia,) id est ducentos coronatos. Penderent,) id est soluerent. Viduæ,) Erant enim aliqua uiduæ, immunes & liberæ ab alijs muneribus publicis & tributis. Onera,) scilicet tribuendi pecunias. Additus,) scilicet diuitibus. Promiscue,) id est sine discrimine dignitatis, & personæ respectu, ut uilissimi cuiusque suffragium & sententia tantum ualeret, quantum alicuius honorati diuitisque uox & sententia.

Viritim,) id est per singulos ciues. Eodémque iure,) id est pari inter diuites & tenues, inter nobiles & ignobiles. Gradus,) scilicet dignitatum & opum. Vis,) id est potestas suffragandi & decernendi. Primores,) id est nobiliores & ditiores. Primi,) id est nobilissimi.

Centuriæ peditum uocabantur,) scilicet in suffragium, cum scilicet haberentur comitia & conuentus populi.

Vocabantur,) scilicet ad suffragium ferendum. Variaret,) id est dissentiret uoluntas & multitudo suffragantium. Vocarentur,) scilicet centuriæ. Infra,) id est ad minores classes. Ad infimos,) id est ad quintam classem, ne dum ad capite censos.

Hunc,) scilicet nostrum. Nunc est,) scilicet in comitijs & suffragijs. Tribus) .i. curias. De quibus supra in Romuli Catalogo dixi, quantum differant tribus à curijs. Centurijs iuniorum,) In singulis claßibus duplices erant centuriæ, scilicet ueturiæ & iuniores. Veturia appellatur seniorum suæ claßis pars dimidia. Centuria iunior, uocatur iuniorum suæ claßis pars dimidia altera. & in comitijs sortiri solebant, utrum haberet prærogatiuam, id est primas partes in suffragijs ferendis, primumque locum, ut infra in Catalogo uidebitur. Summam,) id est ciuium & centuriarum numerum. Quadrifariam,) Hactenus de diuisione ciuium in claßes suas, & de ordine suffragandi scripsit. Nunc autem indicat aliam diuisionem ciuium in quatuor tribus locales, secundum loca & uicos urbis, quas Seruius instituit quatuor scilicet Palatinam, Suburranam, Collinam & Exquilinam. Sed postea tribus trigintaquinque numeratæ sunt eædem quæ curiæ. sed infra in Catalogo de his omnibus distinctius indicabo. Regionibus collibúsque,) id est secundum uicos & colles. Tributo,) scilicet pendendo.

Eius,) scilicet tributi. Aequaliter,) id est secundum proportionem geometricam. Censu) id est æstimatione bonorum uel ædium. Eodem,) scilicet Seruio. Hæ tribus,) scilicet locales à Seruio institutæ. Centuriarum,) & suffragiorum, tamen postea, cum tribus & curiæ pro eodem habitæ sunt, suffragia tulerunt tributim, id est secundum curias & centurias.
Censu perfecto,) De primo lustro ciuium Romanorum acto per Seruium Tullium. Et lustrum est numeratio ciuium Romanorum, æstimatióque bonorum, & facultatum ipsorum, qui censentur ciues, ut infra in Catalogo plura dicam.

De incensis,) id est de his qui se censeri suáque bona æstimari nollent, uel mala fide æstimari paterentur minoris, quàm ualerent. Sue, oue, taurísque,) quod sacrificium Latini Solitaurilia uocant, à sue, oue & tauro composita dictione. Lustrauit,) id est expiauit, & sacro piaculari purgauit, ut supra de expiãdo exercitu dixi in Catalogo Hostilij. Idq́;,) scilicet ille census & expiatio. Conditum,) id est peractum.

Censendo,) id est taxando. Eo lustro,) scilicet primo.

Censa,) id est numerata & æstimata. Ciuium,) id est uirorum, qui arma gestare per ætatem possunt. ex hoc numero facile apparet, longe plus hominum fuisse in centuria quàm centum: quia circiter centum & nonaginta centuriæ supra in quinque claßes numeratæ, non conficerent plus decem & nouem millibus ciuium, si centenos tantum numerares in centuriam.

Qui arma ferre,) id est qui adulti, ne dum puberes, essent circiter uigesimum ætatis annum. Esquilias,) id est collem. Esquiliæ ab excubijs uocatum ut aiunt. Profert,) id est amplificat. Pomœrium.) Quid sit Pomœrium, nempe locus proximus urbis mœnibus, immunis. Postmœnium,) id est inter ædificia urbis & mœnia. Sunt autem mœnia proximus murus ædificijs urbis. In augurato,) id est obseruatione Augurij. Extrinsecus,) 16. B. id est extra mœnia & intra murum exteriorem. Puri,) id est sancti & immunis.

Culta,) id est habitatione & usu. Arari,) uel coli. Murus) id est mœnia. Incremento,) id est augmento. Mœnia,) id est muri. Termini hi,) id est area pomœrij immunis.

Consecrati,) id est exempti usibus humanis. Proferebantur,) id est amplificabantur. Aucta ciuitate,) De templo Dianæ in urbe condito, & de callido pióque dolo sacerdotis Dianæ.

Magnitudine,) quia colles addidit. Formantis,) De claßibus & censu. Ephesiæ,) id est in Epheso urbe minoris Asiæ potentißima, de quo templo Dianæ Plin. in tricesimo sexto, capitu. 14. Fanum,) id est templum. Communiter,) id est communibus impensis. Asiæ,) scilicet minoris. Consensum,) id est concordia Græcorum in religione. Hospitia,) id est iura hospitalia.

Iterando,) id est dictitando de consensu religionis.

Fecerent,) scilicet communibus sumptibus. Caput rerum.) scilicet, in Latio & Italia: quia templum Romæ positum esset.

Armis,) scilicet cum Latinis & finitimis. Id,) scilicet certamen. Armis,) id est bello. Fors,) id est fortuna. Recuperandi,) scilicet ad Latinos. Cornua,) scilicet bouis. In uestibulo,) id est introitu.

Cecinere,) id est prædixere. Imperium,) scilicet summum. Sabinus,) id est dominus bouis. Antistes,) Id est sacerdos. Fama,) id est per famam. Responsi,) id est oraculi. Incestum sacrificium,) id est non rite ceptum. Profunderis,) id est lauaris: quia non licet illotis manibus facere sacrum. Interea,) scilicet cum abesset. Id,) est ille dolus.

Seruius quanquam,) De popularitate Seruij regis, qui conciliata plebe, totius populi consensu regnare iussus est. Et de domestica impiáque ambitione Tarquinij generi, & Tulliæ minoris filiæ Seruij in quorum utroque exhibetur exemplum ferociæ, ambitionis, & impietatis. Estq; tota hæc historia plane Tragica, de Seruio deiecto & occiso per suos cognatos, imo & filios. Viritim diuisio,) id est per singulos ciues.

Se,) scilicet Seruium. Declaratus) scilicet à populo communiter. Criminandi,) id est accusandi. Iuuenis,) scilicet erat. Regia,) id est Seruij familia. Tragici,) id est diri & abominabiles. Libertas,) id est aristocratia. Esset,) scilicet Romæ. Vt tædio regum,) Noema. Lucius Tarquinius,) scilicet ferox, postea Superbus cognominatus. Liquet) id est apparet. Filium,) imo nepotem potius, ut contendit Valla, in inuectiua contra Liuium. Habuerat,) scilicet Lucius.

Quo).17 A. id est ut. Fortuna,) id est propter fortunam.

Ferox Tullia,) scilicet minor, uxor Aruntis. In uiro,) scilicet Arunte Mitiori. Cupiditatem,) scilicet regni. Tarquinium,) id est ferocem. Virum,) scilicet fortem, habet emphasin. Sororem) scilicet maiorem. Contrahit,) id est coniungit, conciliat: quia simile gaudet simili. Similitudo,) scilicet morum. Contrahit celeriter,) Noema. Eos,) scilicet Lucium & Tulliam minorem. A fœmina,) scilicet minore Tullia. Ea,) scilicet minor. Alieni,) scilicet Lucij.

Viro,) scilicet Arunte. Fratrem,) scilicet Lucium. Sorore,) scilicet maiore. Ad uirum,) scilicet Lucium. Contendere,) id est contendebat. hoc est uerbis asseuerabat. Illum, scilicet Lucium. Eum,) scilicet Lucium. Domi, scilicet suæ.

Tullia maior,) id est uxor Lucij. Iunguntur,) scilicet Lucius & minor Tullia. Approbante,) scilicet suspectas nuptias. Tum uero,) Sermocinatio minoris Tulliæ ferocis, quæ instigat stimulis suum maritum ad maiorem ferociam & impietatem. Infestior,) id est magis inuisa. Mulier,) id est minor Tullia. Ab scelere,) scilicet mariti & sororis ueneno sublatæ. Gratuita,) id est uana, sine mercede. Non sibi,) scilicet dicebat. Defuisse, scilicet maritum. Cum quo,) scilicet Arunte. Defuisse,) scilicet Lucium. Tu,) scilicet Luci.

Is es,) scilicet ambitiosus & acer, propositio hypothetica cũ obiurgatione. Scelus,) scilicet parricidium sine præmio,

Accingeris,) id est para te ad regnum occupandum. Probatio à genere & comparatione. Moliri,) id est difficulter comparare. Dij te.) Argumentum à genere & iure succeßionis.

Penates,) scilicet domestici, penes nos nati. Patrij,) id est gentilitij. Imago,) id est nobilitas. Aut si ad,) Ironia amarulenta. Ad hæc,) scilicet ad honorem & potentiam. Debet autem hæc sermocinatio prorsus referri ad locos communes, scilicet ambitionem, gloriam, regnum, nobilitatem & in contrarios istos locos.

Frustraris,) id est decipis. Tarquinios, scilicet in oppidum ignobile. Corinthum,) scilicet in Græciam, unde exulauit auus tuus. Stirpem,) scilicet auitam Fratri,) scilicet Arunti ignauo. Nec conquiescere,) Exemplum muliebris audaciæ & fortitudinis in re mala. Peregrina,) scilicet ex Tarquinijs Animo,) scilicet forti. Genero,) scilicet Seruio. His mulieribus,) Seditio & uiolenta impiáque in socerum & patrem machinatio, qua Lucius sibi regnum extorsit. Minorum gentium,) scilicet quos Tarquinius Priscus allegerat in Senatum. Circumire & prehensare,) Descri-

pt̃io

ptio ambientis honorem & regnum, qualis est longe prolixior & copiosior in petitione consulatus, apud Q. Ciceronem ad M. fratrem suum. Criminibus,) id est incusationibus.

Stipatus.) id est munitus. Extemplo,) id est mox.

Præparati,) id est conciliati à Tarquinio. Fraudi,) id est periculo. Ibi Tarquinius,) Criminatio Tarquinij in Seruium, qua calumniatur ille, & maligne interpretatur in pessimam partem ea, quæ optimo animo, & ad summam regni utilitatem instituerat Seruius. Stirpe,) scilicet Seruij.

Seruum seruus,) 17. B. Congeries uel amplificatio criminum, qua amplificatur indignitas personæ & rerum Seruij. Parentis,) scilicet Prisci Tarquinij. Interregno inito,) De quo suprà post uitam Romuli dictum est. Non comitijs,) scilicet ad creationem regis. Authoribus,) id est probatoribus. Creatum,) scilicet esse. Infimi generis) id est plebeiorum. Odio,) scilicet patriciorum. Onera,) scilicet tributorum & armorum.

Inclinasse) id est imposuisse. Censum,) id est æstimationem bonorum. Insignis,) id est notabilis, si scilicet cuiuslibet facultatum numerus esset notus etiam plebeis, qui alioqui ditioribus inuident, tametsi eorum facultates non norint. Largiretur,) extorta ditibus.

Potiorem,) scilicet esse se. Illum,) scilicet Seruium. Licentiam,) scilicet regnandi. Dominus,) Id est patribus patricijs. Clamor ab utrinsque.) Cædes Seruij miserabilis. Vltima,) id est maxima. Audere,) id est audebat. Cogendum,) id est conuocandum. Apparitorum,) id est ministrorum.

Ipse,) scilicet Seruius. Exanguis,) id est mortuus. Semianimi,) id est semimortuo. Comitatu,) scilicet aulicorum.

Iis,) scilicet percussionibus. Fugientem.) scilicet Seruium.

Abhorret,) id est dissonat. A quo facessere,) Tragicæ impietatis exemplum.

Dianium,) id est templum Dianæ, uel locus Dianæ sacer. Flectente,) scilicet Tullia. In collem Esquiliarum,) scilicet ubi erat regia. Is,) scilicet auriga. Iumenta,) id est equos. Dominæ,) scilicet Tulliæ. Fœdum,) id est abominabile. Monumento,) id est indicio memoriæ. Amens,) scilicet Tullia. Furijs,) scilicet quæ furiæ pœnas expetebant à Tullia propter sororem occisam. Vide Ciceronem pro Roscio & in primo de Legib. ubi furias interpretatur esse anxios dolores conscientiæ malæ & inquietæ in animis sceleratorum.

Per, id est super. Patrémque sanguinis,) Notatio, uel emphatica ac tragica descriptio. Quibus iratis,) id est propter quos iratos. Similes exitus,) scilicet exilium & cædes.

Seruius Tullius,) Epilogus Seruij Tullij. Succedenti, scilicet post Seruium. Aemulatio,) id est imitatio.

Occiderunt,) id est perierunt. Vniue, scilicet tanquam domini. Eum,) scilicet Seruium. Ni scelus,) id est nisi cognatorum eius impietas impedijsset anteuertissetque eius consilium. Interuenisset agitanti,) scilicet Seruio.

Sicut antea suum cuique regi Catalogum subieci, quo instituta, mores, leges, à singulis inuenta aut seruata comprehenduntur: ita nunc etiam post Seruij Tullij uitam, similem Catalogum subijciam, quo difficiliores aliquot leges continētur & instituta.

LEGES SERVII TVLLII.

Prima ergo est. Sola patrum & senatus authoritate & uoluntate regnare posse regem, & præesse summum magistratum, licet supra in Numa, populi assensus sit etiam quæsitus, sicut in posterioribus quoque regibus. Hoc in consulibus postea mutatum, & in Cæsaribus creandis, translatum est. Nam fere Cæsares erant, quos milites prætoriani legerant, uel quos sibi Cæsares ipsi substituerant ultima uoluntate, quibus tamen Senatus authoritas accedebat. Rectissime uero agitur ubi Senatus & optimates creant magistratum, uel aliquid instituunt, penes quos est summum reipublicæ consilium, prudentia & maiestas. At uulgus ut incertum, ita & stultum ignobileque est.

Secunda. Principis & magistratus esse firmare atque munire opes suas publice priuatimque. Nam alioqui parum maiestatis est in eo, nisi authoritas confirmetur & consistat suis uiribus ac potentia.

Tertia. Inducias esse bona fide hosti seruandas. Etenim induciæ sunt feriæ belli, institutæ utriusque partis consensu & pacto inter hostes, quibus utrinque nulla ui debet attentari quicquam, sed tuto & sine metu agere. Vide Gellium lib. 1. cap. 25.

Quarta. Oportere esse discrimina & ordines ciuium hominúmque, secundum officia publica uel priuata, uel secundum opulentiam, uel nobilitatem, uel prudentiam. Ne quilibet infimæ sortis æquetur optimo cuique: ne sordidi honestis, nobiles ignobilibus, pauperes diuitibus, stulti uel rudes sapientibus temere commisceātur. Supra autem dictum est de tribus ordinibus, scilicet, patricio, equestri & plebeio. Debetur enim suus cuique honor, suum cuique præmium, sua cuique reuerentia. & suam quisque conditionem agnoscere, & ea, uel humili contentus uel excelsa non efferri immodice debet.

Quinta. Secundum censum cuique obeunda esse munia & onera reipubl. ne pauperes & humiles immodicis oneribus supprimantur, nec diuites & magni ociose & illiberaliter contra rempubl. agant, sed quisque pro suis uiribus & facultatibus eam adiuuet. Fuitque hoc Seruij institutum lōge saluberrimum urbi Romanæ, quo ciuium suorum, atque suis adeo bonis & opibus potuit se sustinere. Est autem Census, æstimatio bonorum & facultatum cuiusque ciuis, quo possit fieri coniectura, quantum quisque ciuium, pro facultatum suarum proportione geometrica rempublic. adiuuare queat pecunia & tributo, cum opus fuerit. Sic in Euangelio Lucæ, cap. 2. scribitur Octauium Augustum egisse censum totius orbis imperio Romano subiecti: Græci uocāt τίμημα, id est æstimationem, uel ἀπογραφὴν, id est descriptionem, quod cuiusq; bona, opes & facultates, quanti ualeant, censeantur, æstimentur, & describantur, ut sic Respubl. suas opes uirésque non ignoret, & secundum eas se queat comparare.

Sexta. Quemque ciuem in sua classe censeri & numerari debere. Est autem appellata classis, à Græco uerbo καλεῖν, id est à uocando, quód ciues uocarentur ad censum, uel ad comitia, & suffragia secundum ordinem classium. Qui autem non essent classici. i. qui non essent digni uel idonei, ut censerentur in aliqua classe, illi non uocarentur neque ad censum, neque ad comitia, nedum ad ullos honores in urbe. Sunt ergo quinq; classes secundum opes & facultates eorum institutæ à Seruio Tullio, quæ deinceps perdurarunt, licet crescente repub. & imperio, increuerit etiam quātitas facultatum, proportione circiter decupla, ut uidebimus ex sequenti supputatione: quia hic sub Seruio Tullio circiter ducentesimum annum urbis, censa est prima classis mille coronatis. Secunda, septingentis quinquaginta coronatis. Tertia, quingentis coronatis. Quarta, ducentis quinquaginta coronatis. Quinta & infima, centum & decem coronatis, quo tempore adhuc paruæ, uel saltem mediocres fuere opes Romanorum ciuium. Verum intra annos trecētos adeo creuere ipsorum facultates, ut tempore belli Punici secundi, circiter annum urbis quingentesimum quinquagesimum, censa sit prima & suprema classis senatorum, & patritiorum & equitum senatorij ordinis, quindecim millibus circiter coronatorum, uel saltem duodecim millibus. Nam paulo post occupata Asia, pluribúsque prouincijs, ita sunt auctæ Romanorum opes & potentia ex orientalium spolijs & rapinis, ut census equestris non esset minor duodecim millibus coronatorum. Quam summam facultatum, qui non haberet, is non censeretur uir equestris ordinis, neque in eo sederet. Senatorius autem census non esset minor uiginti millibus coronatorum, quam summam qui non haberet, non legeretur in Senatum. Postea uero Cæsar Augustus Octauius ita auxit utrunque censum, ut equestris haberet uiginti millia coronatorum. Senatorius uero, triginta millia coronatorum. Tertia, tribus millibus coronatorum. Quarta, mille coronatis. Quinta & infima, quingentis coronatis: hoc est, quinquaginta millibus æris: quam summam qui non possideret, non esset classicus, id est non censeretur in classe aliqua. Ergo Seruij quarta & quinta classis, post tanta incrementa, non censa est, sed annumerata sexto ordini capite censorum & proletariorum, qui cum non haberent quod penderent tributum, à militia

quoque

quoque & ab alijs tributarijs oneribus habebantur immunes. Attamen allegabantur ad onera sordida & uiliora, non tamen seruilia. Vide Gellium in 16. cap. 10, & de his Liuium in 4. lib. belli Punici circiter initium. Hæc autem æstimatio partitióq; ciuium non Romæ solum est obseruata, uerumetiam apud Græcos, & præcipue Athenis, ut ciues secundũ censum & facultates suas facerent munera, & rempubl. adiuuarent, de qua re multa sunt apud Demosthenem in oratione de muneribus.

Septima. Singulæ classes sunt in centurias suas distinctæ, non quòd tantum homines centum una centuria continerent, sed plures etiam apparet fuisse ciues in centuria, ex supputatione lustrorum. Hic ergo obserua duplices fuisse centurias, nempe classicas & equestres.

Octaua. Centuriæ equestres primum à Romulo tres institutæ, hic quoque à Seruio sunt auctæ: ita, ut centum coronati darentur ex publico fisco ad equos emendos. Sic ergo equestris ordo non mediocre accepit incrementum.

Nona. Viduæ & pupilli sunt quidem immunes Romano iure à militia, sed tamen tributum pendere, pro facultatum suarũ portione, cogũtur, & præsertim equitibus uiginti coronatos annuos pendebant ad alimentum equi.

Decima. Diuites oportet obire onera pecuniaria, cum habeant unde pendant. Tenues autem, cum parum habeant, alijs oneribus, non pecuniarijs neque sumptuosis, adiuuare debent rempublicam.

Vndecima. Suffragia in comitijs à ciuibus rogare & colligere secundum cuiusque dignitatem conuenit. Et quidem sub prioribus regibus æqualiter ualebant ciuium suffragia, pauperum æque ac diuitũ. Verum Seruius instituit, ut penes optimates maior esset authoritas, maiórque ius suffragiorum. Hic autem obserua primo, Comitium esse locum publicum, in quem conueniant homines ad audiendum, consultandum, uel suffragandum uocati. Comitia uero esse conuentum ciuium & hominum. Erant ergo Romæ tria comitiorum genera, scilicet Centuriata, Curiata, Tributa. Vocantur autem centuriata comitia magna, uel maxima, extra urbem in campo maximo haberi solita, quò omnes omnium classium centuriæ conuocabantur: adeóque omnes classici ciues, & singuli præsertim ex prima classe, aliquando ex secunda quoque, raro ex inferioribus, rogabantur suffragia. His comitijs creabantur postea Consules, Prætores, Aediles. Quæstores & Pontifices. Hic etiam ferebantur centuriatæ uel populares leges, tanquam à singulis centurijs classium, & totius populi, omniúmque ordinum consensu latæ. Comitia curiata agebantur intra urbem, cum primores ex triginta quinque curijs in concionem uocabantur, eránque minora comitia. Hinc curiatæ leges & curiata suffragia dicuntur, tanquam à curiarum primoribus latæ. His etiam creari solebant minores magistratus & sacerdotes. His etiam capitalia iudicia & sententiæ capitales ferebantur, ut infra in principio secundi de Valerio Publicola patet. Comitia tributa dicuntur, cum ex una aliqua tribu conuocabantur ciues: & hæc intra urbem suo loco fiebant, cum tribus locales conuenirent. Quanquam postea Curiata & Tributa comitia non multum uidentur differre, ut supra de curijs & tribubus dixi.

Duodecima. Tribus locales quatuor à Seruio Tullio sunt institutæ, à partibus urbis appellatæ scilicet Palatina, Exquilina, Collina & Suburrana. Fuere & aliæ tribus non locales, sed à tributo, id est pecunia in publicum pendenda & tribuenda uocatæ, uno numero curiarum. Ita ut Ciceronis tempore & ultra, eædem fuerint tribus & curiæ: sicut & eadem fuere curiata tributáque suffragia & comitia. Curiæ ergo sunt à cura respubl. dictæ. Tribus à tributo. Hic tamen & aliam diuisionem ciuium obserua, quòd Romæ constituta sint collegia. Et collegium est sodalitas quædam ciuium, collecta secundum professionem uel artificium suum. sicut hodiéque sunt collegia sacerdotum, collegia scholastica, collegia artificum: ut pistorum, laniorum, sutorum. Sic & Romæ honesta erant collegia Pontificum, Augurum, Sacerdotum, Publicanorum, mensariorum, mercatorum, & similium artificiorum.

Decimatertia. Incensos, hoc est, eos qui nolint censeri, mulcta aut pœna esse afficiendos, neque in numero ciuium esse habendos, ut Cicero quoque in oratione pro Archia arguit.

Decimaquarta. Lustrum quinto quoque anno condi. Est autem lustrum cærimonia quædam expiatoria, qua ciues lustrarentur, id est expiarentur, & purgarentur, quibusdam sacris, quæ Solitaurilia uocãtur: & expiato populo, agebatur census ciuium à rege, alioue magistratu. Paulo uero post trecentesimum annum urbis, pecularis magistratus est institutus lustro condendo, & censui agendo, qui magistratus Censura uocatur, & inde Censores uocati sunt, quinto quoq; anno tanquam æstimatores & inspectores, non tantummodo facultatum ciuium, sed etiam morum, penes quos disciplinæ Romanæ priuatim publicéque regimen esset, & ut ius publicorum priuatorúmque locorum, & uectigalia reditúsque populi Romani sub nutu atque arbitrio eorum essent. Vide infra in principio quarti libri. Hinc & notæ censoriæ uocantur, quibus afficiuntur uel negligentes, uel criminosi & probrosi: ita, ut Censoribus liceret è Senatu eijcere probrosos Senatores, & equos adimere probrosis equitibus: & ex sua classe, uel è numero quoq; ciuium eijcere probrosos ciues, honestiores uero transferre in locum honoratiorem.

Decimaquinta. Muros, mœnia, & pomœriũ Romano iure esse sancta & publica, ut supra in Romuli Catalogo dixi.

Decimasexta. Non solum armis & scientia belli, sed & consilijs artibúsque pacis Rempubl. consistere, iuxta illud Iustiniani, in exordio suarum Institutionum. Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet.

Decimaseptima. Agrum captum & ereptum hostibus uictis, in ciues uiritim diuidere primus instituit Seruius, cum alioqui agri hostium aut publici fierent, aut colonis aßignarentur, aut locupletioribus uenderentur: ita, ut tenues nihil agri obtinere, sibique uendicare possent. Hinc autem populares quidem, sed perniciosæ tamen & turbulentæ leges agrariæ sunt à Tribunis plebis inuentæ, centesimo ferè anno post hanc diuisionem Seruij, à Spurio Caßio consule, ut infra in lib. 2. scribitur. De his uide Plutarchum in uita Gracchorum.

Decimaoctaua. Nuptiæ incestæ & illicitæ habentur iure Romano, quæ inter proximos cognatos, & proximos affines copulantur: ut inter parentes & liberos, inter fratres, & coniuges fratrum, qua de re Iureconsultos consule.

Decimanona. Sine iussu regis aut magistratus superioris nemini licere uocare Senatum, aut uocare plebem, imo nec conuenticula facere. Nam facient conuenticula, id est priuatos conuentus popularium ad consultandum de negotijs publicis, habetur pro seditioso & perduelle. De hoc consule & Iureconsultos, à quibus uocatur & tractatur lex Iulia maiestatis.

Vigesima. Nõ hic licet matronæ Romanæ in publicum progredi, nisi causa sacrorum, nedum in conuentum prodire. unde & quidam Senator legitur occidisse uxorem suam, quòd deprehenderet eam stantem in foribus nudo capite. Idque uiro impune fuisse. Et hæc instituta ex Liuio obseruare possumus in uita Seruij.

Sequuntur etiam aliquot obseruata alibi.

Vigesimaprima. Leges commerciales de uenditione & emptione, déq; similibus commercijs & contractibus primus instituisse Romæ fertur Seruius, ut contractus & commercia bona fide fierent & seruarentur, de quibus longe plurima à Iureconsultis disseruntur.

Vigesimasecunda. Primus etiam Seruius Romæ æs signauit, id est pecuniam inuenit, ita uocatam, quod æris signati nota erat pecudis alicuius, utpote tauri, bouis, suis, ouis figura. Signauit autem ita, ut æneus as ualueris duodecim uncijs æris, hoc est nostris denarijs paulò plus tribus. Sic decem asses ualent drachma. Viginti asses ualent didrachma, id est quadrante aurei Romani. Octoginta asses ualent aureo Rhenano. Centußis, id est centum asses, ualent aureo coronato, hoc est quinque quadrantibus Rhenanis. Et obserua loquendi formulam: quia decem æris, elliptica oratio, tantundem significat, atque si dicas, decem aßes ærei, uel decem asses æris, id est ex ære, qui est decußis. Sic & centum æris, & centum asses, & centußis

cētußis, idem significāt. Ita & mille æris, & mille asses ænei, ualent decem coronatos. Atque ita in infinitum numerabis. Postea uero paulo ante bellum Punicum primum, argentum quoque signatum est, ut denarius argenteus ualeret decem aßibus, à quibus & nomen habet, id est drachma: & duo denarij ualerent quadrante aurei, & octo denarij ualerant aureo Rhenano, & decem denarij ualerent coronato. Reliqua apud Budæum de Asse, & in eius epitome quære. Inuenta est autem pecunia, tanquam instrumentum & precium emptionis, locationis, & similium contractuum, quod pretium daretur pro merce, ne sola permutatione cogerentur inuicem contrahere, & semper mercem pro merce dare. Sicut apud priscos, teste Homero & iureconsultis, fieri consueuit. Vide etiam Plutarchum in Lycurgo. Nam hæc in præsens ex uita Seruij obseruasse satis est.

DE LVCIO TARQVINIO SVperbo VII. rege Romanorum.

De L. Tarquinio Superbo, septimo rege Romanorum, qui uiginti quinque annos Romæ tyrannum potius quàm legitimum magistratum egit. Si quidem tyrannus est magistratus qui non secundum leges, sed per uim & libidinem suam imperat, magis commodo proprio, quàm popularium utilitate. proponitur ergo sæuæ tyrannidis exemplum in hoc Tarquinio, & aptè describitur uita tyranni. Facta,) scilicet superba. Patrum,) id est Senatorum. Conscius deinde.) Periphrasis & descriptio tyrannidis. Exemplum,) scilicet pellendi regni. Armatis,) 18 A. scilicet satellitibus. Præter uim,) scilicet utpote tyrannus. Vt,) id est nempe. Quem,) scilicet metum. Cognitiones,) id est iudicia. Rerum,) id est criminum.

Sed unde,) id est etiam innocentes. In patres legere, id est ut essent senatores. Ordo,) scilicet senatorius.

Per se,) id est ipsos. Regum,) scilicet Romanorum.

Soluit,) i. destruxit. Domesticis,) id est priuatis. Hospitia,) id est ius hospitalitatis. Ab Vlysse,) Vide Ouid. in decimoquarto, de consuetudine Vlyßis & Circes.

Oriundus,) id est ortum ducens. Iam magna,) Exemplum tyrānicæ calliditatis & uersutiæ Tarquinij in opprimendo Herdonio principe Latino, aduersante sibi liberius, quàm tutum erat tyranno. Ferentinæ,) scilicet Deæ, quæ præerat floribus & frugibus ferendis ac gignendis.

Esse,) scilicet negotia. Aricia,) scilicet oppido non procul à Roma. Mußitantes,) scilicet hoc cognomen Superbi.

Excitu).i. conuocaris. Patientiam,) scilicet Latinorum. Iugum acceperint). s. si se Tarquinio subiecerint. Quod si,) ab exemplo. Quod) s. imperium. Sui ciues) id est Romani. Crediderint).i. commiserint Tarquinio. Illud). s. regnum. Creditum) i. commissum. Parricidio). s. cæde soceri & regis Seruij. Credere & Latinos).i. quod Latini quoque debeant cōmittere regnum Tarquinio. Alienigenæ). s. Latini. Deberent). s. credere regnum Tarquinio. Nec sic).i. etiamsi Romani dicant bene creditum ei regnum. Sin,) id est si autem.

Qui, scilicet Romani.

Quid melioris spei).i. quam meliorem spem. Si se). s. Herdonium. Inde). s. ex concilio. Diem concilij,) Concilium dicitur à conciendo. i. conuocando. Eodem,) id est ad eam rem.

Homo). s. Herdonius. Is). s. Tarquinius. Id temporis).i. non sero. Proximus).i. amicus. Disceptatorem).i. arbitrum.

Excessisset).i. præcipuisset. Tulisse). s. Tarquinium. Tacitam ferunt.) Non feres à me hoc tacitum. i. contradicā tibi. Cognitionem) 18. B. i. iudicium. Habiturum infortunium,) Quia Romano iure filius est in potestate patris, neque habet in patrem ius accusandi uel agendi. Arcinus,) id est Herdonius. Ciuium,) scilicet Romanorum. Pro imperio,) id est ex plena potestate. Oblato,) id est intentato. Aduersæ,) id est contra Turnum. Moram suam,) Infero tibi moram, id est do tibi occasionem morandi. Illatā,) id est factam. Dici,) id est quod diceretur. Solus,) id est Turnus. Aggressurum,) id est quod Turnus uoluisset aggredi Tarquinium. Rem,) id est cædem. Author) scilicet Tarquinius ipse. Quem,) scilicet se Tarquinium.

Inde,) id est ex absentia sua. Absentis). s. Tarquinij. Spem,) id est Turni.

Non dubitare,) scilicet ait Tarquinius.

Ad eum,) scilicet Turnum, Abditi,) id est occultati. Indicta,) id est non defensa. Caput,) id est fontem.

Reuocatis deinde,) Hoc Tarquinij insidiosum factum & exitiabilem dolum contra Turnum, uidentur Latini historici à Græcis mutuati esse, ut est apud Tragicos de Vlyßis dolo contra Palamedem, cuius meminit Ouidi. in oratione Aiacis, in 13. Et Vergil. in oratione Sinonis, in 2. Aeneid. Posse quidem,) Subdola oratio Tarquinij ad Latinos, & fraudulentum fœdus cum eis initum. Participes).i. socij. Patre suo). s. Prisco Tarquinio. Capita,) id est principes.

Secretum,) 19 A. id est separatum. Manipulos,) id est ordines militares. Ex binis) i. ex dimidio Latino, & dimidio Romano manipulo. Singulos) id est in unum manipulum mistum. Binos,) id est duos dimidiatos manipulos. Geminatis,) id est duplicatis. ut tantundem militum accesserit ex Latinis, quantum prius erat conscriptum ex Romanis, sic tamen, ut unusquisque manipulus contineret quinquaginta milites Romanos, & quinquaginta Latinos. Centuriones,) id est præfectos manipulorum. Manipulus autem multitudo est militum, continens centum circiter milites, quanquam uariauit hic numerus sæpe. ut de infra in lib. 8. Nec ut iniustus,) De bellis à Tarquinio gestis. Et describit hic undecimum bellum à Romanis feliciter gestum contra Gabinos, & pulchrum uaframentum stratagemáque Tarquinij filij, quo decepit Gabinos: quale exēplum fraudis scribit etiam Herodotus in. 2. libr. editum à Sopyro duce contra Babylonios. Ea arte). s. militari. Degeneratum). s. id quod erat factum inhoneste & tyrannice. Decori huic). s. militari. In ducentos). s. duraturum: quia Romani perpetuum quasi bellum postea sub Consulib. & Tribunis gessere, ut describitur in sextum usque librum. Recepisset).i. confecisset. Rege deûm).i. Ioue.

Pecuniam captiuam).i. manubias. Lentius,) id est tardius.

Nequicquam,) id est frustra. Minime arte Romana,) Quia Romanorum est aperta ui sine insidiis agere. Sed dolus an uirtus sit, quis in hoste requirat? Ex composito). s. dolo. Patris in se,) Querelæ fraudulentæ Sexti filij contra patrem, quibus imposuit Gabinis. Vertisse).i. Lucium patrem. Eum,) scilicet Lucium. In suos,) id est domesticos. Se,) scilicet Sextum.

Quod si apud.) Peroratio.

Tegere).i. defendere. Ardoris).i. incendij. Infensus).i. commotus Sextus. Porro).i. aliorsum. Vetant). s. Gabini Sextum. Esset,) scilicet Lucius, Sæuiturum). s. Lucium. Gratū aduentum esse). s. dicebant. Illo). s. Sexto. Adhiberi).i. adhibebatur. Veteribus,) id est senioribus. Notiores,) scilicet propter experientiam diuturnam. Identidem).i. subinde. Assumere,) id est assumebant. Ciuibus,) scilicet Romanis.

Liberi).i. filij. Accresceret). s. apud Gabinos. Tum,) id est tunc. Esset,) 19. B. id est erat. Videbat,) scilicet Sextus.

Dixerit). s. pater. Quæ miderit). s. à patre. Ambagibus).i. signis obscuris, secretis. Primores). s. tanquam summa capita ciuitatis. Sua inuidia,) quia ipsis alioqui inuidebatur.

Minus speciosa). s. uel propter innocentiam, uel propter potentiam. Iuxta).i. pariter. Diuisa).i. adiudicata. Fisco). s. ærario publico. Adimi,) id est adimebatur. Orba,) id est spoliata. Romano,) id est Lucio.

Inde ad negotia.) De Capitolio in Iouis honorem constructo, quod templū habet nomen à capite humano ibidem inuento, dum iacerentur fundamenta. Fuit autem templū cum arce coniunctum in monte Tarpeio, qui cognominatus est inde Capitolinus. Patrem). s. Priscū. Filium). s. Lucium. Arx). s. Tarpeia. Exaugurare).i. religione liberare & exuere. Inaugurata).i. religioni addicta. Numen).i. potestatē suam ostendisse & uoluntatem. Aues). s. auspicatæ Non addixere).i. non dedere bonū signū. Acceptū).i. intellectū. Vnum deorum).i. solum ex omnibus dijs.

Portendere,) quia terminus significat finem & limitē stabilē.

Perpetuitatis).i. perpetui imperij. Portendens,) id est significans. Aperientibus,) id est fodientibus. Quæ species).i. capitis. Haud per ambages,) id est manifeste. Arcē). s. capitolinam.

Caput re

Caput rerum) id est, sedem regni & imperij summam.

Cecinere).i. prædixere. Angebatur).i. liberalior fiebat.

Manubiæ).i. pecuniæ redactæ ex præda. Pictori).i. historico. Suppeditauere).i. suffecere. Talenta).s. auri & argenti. Quadraginta talenta).i. uigintiquatuor millia coronatorũ. Nam talentum ualet sexcentos coronatos. Quadraginta millia pondo argenti).i. quater centena millia coronatorum. Pondo argenti est mina, & mina ualet decem coronatos. Magnificentiæ,) quia nunc ædificant sumptuosissime. Publica pecunia,) id est ex publico tributo collecta.

Foros,) 20.A. id est sedilia. Duobus operibus,) id est foris & cloacæ. Noua,) id est nostræ ætatis sumptuositas. Multitudinem,) scilicet otiosam. Colonis mittendis,) scilicet in oppida deducta. Circeiósque,) Quia Circei oppidum situm est ad mare, ubi fabulantur poetæ olim habitasse Circem, in maritima ora Italiæ. Hæc agenti.) De prodigio, quod oblatum Tarquinio, portendit ei mutationem rerum suarum. Et de oraculo Apollinis, quod Bruto successionem imperij significauit. Estq; hic, ad finem libri usque, optimum narrationis copiosæ & facilis exemplum: cui confer eam narrationem, quæ est in secundo Fastorum Ouid. breuior aliquanto, & familiarior, unde uidebis aperte discrimen medij & grandis generis orationis, quanquam hic Liuius nonnihil se à grandiloquentia submittit. Agenti,) scilicet Tarquinio. Pecisset,) id est excitasset. Nam facere fugam, ambiguum est. significat enim fugere & fugare.

Publica prodigia,) scilicet interpretanda. Sortium,) id est oraculi Apollinis, Nam olim oracula dabantur per sortes.

Ignotas,) scilicet Italis. In Græciam, scilicet ad Delphos, quod oppidum erat Phocensium supra Achaiam. Comes his,) Descriptio personæ L. Bruti, qui se, alioqui callidus, stultum simulauit esse, ut ita tutius ageret inter Tarquinios. Cuius,) scilicet stulti.

Primores,) scilicet interfectos. Auunculo,) scilicet Tarquinio. Fortuna) id est bonis suis. Parum præsidij) scilicet apud tyrannum. Industria) id est dolo. Bruti).s. quod significat ratione carentem & bestialem quasi. Obtentu,) id est specie. Liberator) scilicet prudentissimus & fortissimus, qui liberaret urbem à tyrannide.

Effigiem,) id est signum, uel symbolum. Sicut enim nobile aurum sub baculo ligneo inclusum tegebatur, ita sub moribus Bruti stultis & simulatis, latebat ingenium eius callidum, prudensq; animus. Spem,) scilicet unde reddebantur oracula.

Brutus illo.) Expositio oraculi callida per Brutum.

Pythicam uocem) id est, Apollinis oraculum, qui cognominatur Pythius à Pythone serpente occiso, teste Ouid. in 1. Metam.

Omnium mater,).s. quæ ex terra & super terram nascuntur.

Reditum,) De obsidione Ardeæ urbis Rutulorum, & de contentione iuuenum nobilium super castitate uxorum, déque Lucretia castissima, uide Ouid. in 2. Fast. Cingitur &c.

Magnificentia,) id est sumptu regio. Fabrorum,) Faber est, quicunque laborat malleo. Statiuis,) 20.B. id est otiosis castris. Commeatus,) id est ius abeundi & redeundi, æquiuocum est. Accenso,) scilicet per ebrietatem. Quin,) id est inquit, cur non.

Præsentes,) scilicet nos. Nostrarum,) scilicet uxorum.

Spectatissimum) id est maxime credibile. Tenebris) scilicet noctis.

Collatiam,) sedem Collatini prope urbem. Lanæ).i. lanificio. Lucubrantes).i. ad lucernam laborantes. Laus penes) id est Lucretia iudicata est optima. Adueniẽs uir).s. Collatinus. Adueniens),s. in domum Lucretiæ. Ibi Sextum Tarquinium,) De impio & incesto amore Sexti Tarquinij in Lucretiam, & de mulieris eius castitate. Ibi,) id est in conuiuio.

Ignaris,).s. Lucretia & eius familia. Circa,) Est hoc loco aduerbium loci. Fateri, id est fatebatur. Obstinatum,) id est constantem. Inclinari).s. ad turpitudinem. Sordido adulterio.) Vetere enim iure Romano proximi quique sanguine uel affinitate, priuatim pœnas sumendi indicta causa à mulieribus in adulterio deprehensis, potestatem habebant. Sic ergo Tarquinius comminatur se uelle per uim eripere Lucretiæ primo castitatem, deinde & uitam, denique & bonam famam: quia uelit seruum occisum in lectum Lucretiæ ponere proxime eam, ut iure uideatur & dicatur muliercula occisa propter adulteriũ, à cognato Sexto Collatini mariti. Quo terrore,) scilicet dedecoris. Expugnato,) id est propter expugnatum.

Patrem,).s. Lucretium. Virum).s. Collatinum. Singulis amicis) id est, ut quisque adducat unum fidelem amicum. P. Valerio).s. Publicola. Lucretiam sedentem,) Querelæ Lucretiæ, quibus ad uindictam suos incitat. Satin saluæ).s. res essent. Substantiuum omissum est. Violatum).s. per uim. Insons).i. non consentiens libidini. Testis.s. innocentiæ. Sibique).s. ipsi. Viri).i. ultores & uindices. Gaudium).i. libidinem.

Omnes).s. quatuor. Coacta) 21.A.s. Lucretia. Authorẽ).s. Sextum. Mentem,) id est quæ uelit & consentiat peccato.

Consilium,) id est uoluntas & consensus. Conclamat uir.) Coniuratio contra Tarquinios & animositas Bruti, qui hic demum animum hactenus dissimulatum aperuit. Manantem,) id est fluentem. Ante regiam iniuriam).i. ante uim Sexti. Coniuge).s. sua. Exacturum).i. persecuturum. Regnare,) id est regem esse. Præceptum,) scilicet à Bruto, id est iurant in uerba Bruti. Regnum,) scilicet Tarquinij.

Vocantem) id est, conuocantem ciues. Elatum prope,) funebre uerbum, ab effero. Elatum domo,) Tumultus cõtra Tarquinium excitatus instigatore Bruto. Domo).i. ex arce Collatini. In forum).s. Collatiæ. Per se).i. suis uiribus. Mouet).s. homines. Quod).s. sumere arma. Hostilia ausos).i. Tarquinios uiolentos. Pari,) id est sufficiente. Præsidio,) id est custodia. Primores,) Vt Lucretium, Publicolam, Collatinum. Quo simul, id est statim ut.

Tribunum Celerũ).i. ad magistrum equitum. Ibi oratio habita,) Enumeratio iniuriarum Tarquinij, quibus instigat populũ Romanum Brutus, ad pellendos urbe regnóque Tarquinios. De ui, primum. De stupro.) secundum. Et miserabili,) tertium. De orbitate,) quartum. Tricipitini) id est Lucretij patris. Addita superbia,) quintum. Miseriæ,) sextum.

Labores, septimum. Demersæ).i. suppressæ. Circa).i. in uicinia. Indigna,) octauum. Et inuecta,) nonum. Filia).s. uxor Tarquinij. Inuocatique,) decimum. Vltores).i. qui ulciscantur impietatem & parricidia liberorum. His atrocioribúsque.) De regno abrogato Tarquinijs, quos unanimi consensu populus Romanus priuatos & exules esse iussit. Vtrum uero hoc iure fecerint Romani, an non, huius loci non est disputare.

His,) scilicet criminibus. Scriptoribus,) scilicet mihi Liuio.

Relatu, id est ut referatur. Facilia,) id est quia non est tutum. Quæ præsens rerum.) Obscurum Noema est, quo Liuius perstringit immodicam potentiam & licentiam Cæsarũ, ut Augusti & Tyberij, qui ætate Liuij parem quasi Tarquinijs tyrannidem & libidinem exercebant Romæ, sublatis è medio optimis quibusque in bello ciuili, & destructa libertate Romanorum. Memoratis) id est à Bruto recitatis. Ipse).scilicet Brutus.

Nomina dabant,) scilicet in militiam. Exercitum,) scilicet qui obsidebat Ardeam. Furias,) 21.B. id est ultrices deas, quæ ulciscuntur parricidia aliáque flagitia. Per furias enim poetæ significant flagitiosæ conscientiæ cruciatus. Rex).s. L. Tarquinius. Comprimendos,) id est sedandos. Obuiam,).s. adhuc uiribus impar regi. Tarquinio clausæ,) Fuga L. Tarquinij regis & liberorum eius. Exacti,) id est expulsi.

Cære,) scilicet oppidum. Sex. Tarquinius.) Exemplum punitæ impietatis Sexti contra Lucretiam, & proditionis contra Gabios, & tyrannidis.

Liberatam) scilicet per Brutum. Inde, scilicet post reges & in locum regum. Centuriatis,) id est magnis. A præfecto urbis,) scilicet Spurio Lucretio.

Ita quidem in hoc primo Liuij libro describitur pueritia quasi & prima ætas imperij Romani, acta sub regibus septem, qui Monarchiam tenuere annos plus quàm ducentos quadraginta, intra quod temporis spatium pueriles & imbecilles adhuc Romanorum uires fuere, paruo spatio circa Romanorum agrum contentæ, paucisque colonijs. Sic enim à minimis initijs paulatim ad mediocria, inde ad magna, postea ad maiora,

denique

denique ad maxima conscendunt uires regnorum, urbium, & populorum. Cæterum nobis hic restat septimus Catalogus legum & institutorum, quæ obseruari possunt ex uita Tarquinij Superbi, in eundem, quem supra diximus usum, nempe ad inquirendos fontes & origines publici priuatique Romani iuris: atque ut horum Catalogorum exemplo iuuenes plura obseruent & excerpant ex historicorum lectione diligenti, qui tametsi non numerant leges, sed res gestas factáque describunt, tamē exemplo proponunt morum & legum priuatarum iuxta & publicarum, aut contra eorum, quæ male aduersus mores legésque fiunt.

LEGES ET INSTITVTA L. Tarquinij Superbi.

Ergo primum institutum sub Tarquinio est. Regem & Tyrannum præcipue uti ministerio præsidióque satellitum armatorum contra uim. Superiores tamen reges cum aulicorū comitatu inermi soliti erant incedere, utpote mitiores, & propter clementiam suam charitatémque suorum tutiores.

Secundum. Cognitiones & iudicia criminum capitalium, antea communia Senatui cum rege, iam sub Tarquinio ad solum regem translata sunt. Verum mox noui consules denuo transtulere capitalia iudicia ad totius populi suffragia & consensum, ut infra, in secundo de Valerio Publicola dicetur, uide & supra in catalogo Tullij Hostilij.

Tertium Senatum consuli à rege, etiamsi monarcha sit rex, unúsque summa rerum potiatur. sed hoc institutum tantum ualuit apud moderationem & æquabilitatem ueterum regum, non apud Tarquinium, aliósque superbos principes. Boni enim suos hodiéque habent consiliarios, quos plerunque audiunt & sequuntur.

Quartum. Ius hospitale publicum priuatúmque apud ueteres sacrosanctum & honestißimum fuit, & prope in proximo gradu amicitiæ locatum: cuius umbra quædam hodiéque inter principes & nobiles sauiores perdurat, cum frugalitate & reuerentia aliqua. Non autem hoc ius intelligas esse in uulgaribus hospitijs, ut nunc appellamus tabernas, cauponas, & diuersoria.

Quintum. Romano iure non datur actio filio contra patrem, ne quidem ciuilis, nedum criminalis, nisi in crimine maiestatis: imo inter patrem & filium uix ulla datur actio, nisi grauißimis ex causis. Sic uetus ius obseruantiam erga parentes à liberis requirit, ut pater sit constitutus quasi iudex & dominus suorum liberorum, in quos habuerit olim potestatem uitæ & necis, ut supra in Catalogo Romuli dixi.

Sextum. E medio tollendos esse qui uelint res nouare: quia conantur conuellere statum ueterem Reipublicæ, & mutationē publicorum morum, & legum facere, cū omnis mutatio sit exitiabilis in Repub. Nouatores ergo isti, pro seditiosis habendi sunt.

Septimum. Supplices olim recipi solebant, qui bona fide confugerent ad aliquem principem uel populum, etiam criminosi: unde à Mose quoque constitutæ sunt ciuitates refugij, quò confugerent illi, qui propter fortuitum aliquod crimen, alioqui in patria sua parum tuti essent: unde hodieque perdurant priuilegia & immunitates eorum locorum, ex quibus non licet quenquam rapere profugum: qualia sunt Cæmiteria, Templa, & domus peculiari immunitati donatæ, quæ Asyla possunt appellari.

Octauum. Inaugurare & exaugurare fana, id est, noua religione imbuere & ueteri exuere, ad pontifices pertinet.

Nonum. Sine commeatu, non licere abesse à militia. Significat autem hic commeatus facultatem abeundi & redeundi in militiam suo tempore, datam à duce.

Decimum. Deprehensam mulierem in adulterio, etiam priuata potestate à proximo cognato uel affine, nedum marito occidi licere, uel in publicum accusari de adulterio, & repudio separari à marito, uel supplicio affici.

Vndecimum. In factis & delictis non casum, neque euentum, neque uim spectari, sed uoluntatem & malitiam: quia crimina sunt uoluntaria, non fortuita aut uiolenta. Est enim in libero arbitrio hominis bene aut male agere politice: unde & uirtus & uitiū uocatur habitus uoluntarius. Quæ uero casu fortuito, aut ui fiunt ea iure non possunt puniri. Contra uero etiam uoluntas & conatus malitiosus sine effectu, iure punitur, propter exemplū & utilitatem publicam. Sed hæc ex Ethica philosophia sunt petenda.

Duodecimum. Tribuno scelerum, id est magistro equitum, & alijs magistratibus honoratis licuit solum uocare populum ad cōcionem, & conuentum publicum, alioqui nemini, ut supra dixi, ius est facere conuenticulum. Pro seditiosis enim habentur, qui conuenticula faciunt sine iure aut potestate publica.

Decimumtertium. Post exactos Tarquinios adeo exosum fuit nomen regium, nedum potestas regia, ut leui suspicione affectati regni aspersos, priuati quoque homines potuerint occidere, ut infra de Spu. Melio Caßio, de Manlio Capitolino, & alibi de Gracchis aliísque popularibus regni affectatoribus legitur. Veruntamen Iulius Cæsar & Octauius Augustus, contra ius & libertatem, sibi regnum & monarchiam uēdicauere, quod inde per omnes Cæsares usque in pontifices Romanos durauit.

Decimumquartū. Exilio damnatus terra sua patriáq; arcetur, ut non liceat ei impune eò redire, neq; habeatur in numero ciuiū.

Decimumquintum. Dicitur Tarquinius Superbus primum Romæ excogitasse, & instituisse uincula, tormenta, carceres, & alias coercitiones ad reprimendos malos, uel etiam innocuos: tamen facile apparet ex superioribus, longe antiquiora hæc fuisse, etiam in urbe Romana. Atque hic est catalogus fere institutorum & legum, quæ in uita Tarquinij obseruari possunt. Et in hunc modum hunc primum Liuij librum satis perspicue & copiose exppsitum esse iudico.

FINIS.

IOANNIS VELCVRIONIS IN T. LIVII AB VRBE CONDITA LIBRVM SECVNDVM ANNOTATIONES.

ARGVMENTVM.



RIMAM ætatem Romani imperij, tanquam pueritiam, dixi actam esse sub regibus annis ducentis quadragintasex circiter. quam inde sequitur ætas secunda, tanquam iuuētus imperij, sub annuis binis cōsulibus aut cōsulari potestate, qui exercuerūt aristocratiā: hoc est, imperiū penes optimates fuit annis circiter quadringētis sexaginta, à Iunio Bruto Valerioque Publicola primis cōsulib. in Iuliū Cæsarē Dictatorē usq;: qui monarchiam, id est regnum sibi, suisque & successoribus uendicauit, extincta libertate & aristocratia. Itaque secundus hic liber continet res gestas circiter initia imperij consularis, & multa egregia exempla morum priuatorum & publicorum item legum & institutorum cōplectitur, & historiam annorum non amplius quadraginta, cuius summam Florus in secunda Epitome describit.

Vt autem melius intelligantur, quæ statim à principio huius secundi libri tradit Liuius, præmittere libet catalogum legum & institutorum, nouorum quidem, sub primo anno consularis

imperij

imperij, consulibus Iunio Bruto, & Valerio Publicola, quæ postea per omnem fere ætatem secundã sub consulibus actam ualuere.

LEGES ET INSTITVTA PRIMI anni consularis sub Iunio Bruto, & Valerio Publicola COSS.

Primum igitur institutum consulis Bruti cum populi consensu, hoc est, binos consules cum summa regia potestate in singulos annos creari, qui optima queq; ciuitati suæ consulant, & Senatui populóque præsint bona fide, publica magis commoda, quàm priuata quærentes, itque nemo potestatem & imperium eorum detrectet, neque ijs in iudicio publico, aut priuata actione negotium facessat aut resistat, quoad in annuo consulatu agant, suumque annum expleant. Tametsi statim eodem hoc anno regiam consulum potestatem aliquantum imminuit Publicola, ut uidebimus de prouocatione.

Secundum. Consules non solum omnia iura regia tenere, sed & insignia gestare, de quibus supra in catalogo Romuli dictum est satis.

Tertium. Consules alternis fasces habere debere duodecim in urbe, tametsi hoc postea mutatum est, præsertim, ut consul extra urbem in militia aut prouincia agens, pariter duodecim fasces teneret, ut ille alter qui in urbe esset. Erant autem fasces isti, insigne metuendum ex uirgis & fustibus securi colligatis: quod symbolum indicaret, consulem habere ius exequendæ & sumẽdæ mulctæ & pœnæ capitalis quoque, nedum mitioris. Postea fascium minor tamen numerus communicatus est etiam prætoribus urbanis & prouincialibus, item proconsulibus, aucto imperio & iurisdictione Romana: & ita parem quidem potestatem, ut pares fasces uterque consul habebat. Licet quandoque prærogatiua ætatis, nobilitatis, sapiẽtiæ, meritorum, potẽtiæ esset aliqua alterutri.

Quartum. Nemini licere Regem agere Romæ, ita consentiente & iurante populo: unde postea semper pro capitali habitum est, affectare regnum, ut de Spurio Cassio Melio, de Manlio Capitolino, de Gracchis, alijsque patet.

Quintum. Senatum Brutus suppleuit à Tarquinio diminutum, adiectis patribus conscriptis, & allectis ex equestri ordine, ut essent trecenti senatores.

Sextum. Consules quoque sacrorum agere curam, sicut reges, & uidere ne quid de religione minuatur aut mutetur. Ideóque regem sacrificulum Brutus creauit, qui absentibus consulibus curaret sacra, debita antea regi, nunc autem consulibus.

Septimum. Libertatem & nouum imperij statum ita muniendum esse magnis paruisque momentis, ne qua occasio detur relabendi ad pristina uitia.

Octauum. Charitas Reipub. uincere debet charitatem priuatam, & in genere quilibet affectus, quodlibet ius & uinculum publicum & erga Rempub. superare & uincere debet priuatos affectus, priuata iura, priuatáque uincula. Priuata enim nihil præscribere, neque adimere possunt publico ipsi iuri. Exemplum huius hic proponitur à Bruto, qui charitatem reipublicæ prætulit charitati & amicitiæ, quæ sibi priuatim erat cum Tarquinio. Et hanc legem probat ius naturæ, publica priuatis & proprijs debere præferri, tametsi corrupta hominis uoluntas prauúsque affectus, sui quàm aliorum sit amantior, & propria priuatáque anteferat publicis, contra legem naturæ, & contra conscientiam.

Nonum. Magistratui non licet abrogare suam potestatem, nisi semetipsum abdicet & exuat honore & potestate sua: nisi superior magistratus cogat inferiorem ui aut iure magistratu abire. Et interim, dum aliquis cum potestate est, nihil contra eum priuatim aut publice ab inferioribus statui iure potest, donec eius annus uel potentia exierit. Finito enim magistratu, demum repetebantur ab eo rogationes gestorum & actorum, neque tum erat impune contra commodum publicum aliquid in magistratu admissum.

Decimum. Binos Consules totius populi suffragijs creari extra urbem Romanam Centuriatis comitijs, hoc est, maximo totius populi conuentu. Supra autem in catalogo Seruij Tullij, satis multa dixi de modo suffragiorum, & de Comitijs.

Vndecimũ. In Aristocratia, id est, optimatũ imperio æqua ius & libertatem esse omnibus optimatibus, omnibus equitibus, omnibus etiam plebeijs, pro sua cuique portione & conditione. In regno uerò, cũ unus præest, imparia & non æqua sunt, multa pro arbitrio regis aut pro libidine Tyranni.

Duodecimum. Leges & iura cuilibet ex æquo & pari, pro sua proportione, præesse & prodesse tam inopi, quàm potenti, & ex æquo omnes ligare, & pariter transgressores punire. Nam, ut Solon Atheniensium legislator dixit, leges nõ debent esse telis aranearum similes, quibus culices & infirmæ muscæ tantũ irretiuntur: maiores autem uespæ & crabrones eas telas perrumpunt. Non enim potentes impune abire debent præuaricatores legum, neque infirmi inopésque tantum pœnas luere.

Decimumtertium. Vetus institutum est, literis consignari & confirmari promissa. hinc iureconsulti multa disserunt de obligatione, quæ scriptis & syngraphis corroboratur, quam uocant obligationem literarum.

Decimumquartum. Legatos neque rem suam priuatam, neque aliam ullam, quàm quæ sit eis mandata, neque hostile quicquam agere debere: alioqui eos legationis suæ præuaricatores iudicandos esse, uel hostium loco habendos: quod si suum faciant officium, tum denique eos iure gentium sacrosanctos, non uiolari debere.

Decimumquintum. Ea quæ Deo semel consecrata sunt, non debent humanis usibus prophanari priuatim: unde & segetem in campo consecrato iam Marti enatam, religiosum dicit consumere, & piaculo dignum.

Decimumsextum. Proditores damnari crimine & supplicio perduellium, hoc est, seditiosorum & hostium patriæ, quam impie uoluerunt prodere.

Decimumseptimum. Publicum officium magistratus & erga Rempublicam affectus uincit & superat priuatum officium, & paternum quoque affectum, ut supra eodem instituto octauo dixi, & hoc Bruti exemplum seuerum in liberos suos ostendit.

Decimumoctauum. Perpetuus Romæ mos fuit, ultimo supplicio capitali damnatos, primum uirgis cædi, deinde capite plecti, uitáque spoliari.

Decimumnonum. Seruus homo, tametsi non sui iuris, sed ualiena prorsum heri sui potestate est, tamen certis de causis uariisque modis potest manumitti ab hero suo, hoc est, libertate & iure ciuitatis donari. Vnde & seruus manumissus, dicitur libertus uel libertinus. Sed plura de manumißionibus à iureconsultis quære. Vindicta tamen, hoc est, cæremonia quædam manumittendi serui, & quasi uindicandi asserendique eius in libertatem apud Prætorem, erat maxime uulgaris modus manumißionis, & honestißimus: quo statim libertus factus inter ciues Romanos numerabatur.

Vigesimum. Reges & magistratus in peculiari cura Dei esse, arguit ius naturæ, & ius diuinum: unde toties apud Homerum Iupiter dicitur instituere, fouere, tueri reges & principes.

Vigesimumprimum. Maxime decere ipsos primarios duces, pugnam capessere atque incipere, &, quemadmodum Liuius de Hannibale scribit, primos inire prælium, & ultimos cõserto prælio excedere: non autem post principia stare, sibique cauere ignauiter: nisi forte periculum sit de uita monarchæ alicuius, cuius mortem totius summæ rerum, & ingẽtis imperij exitium sequeretur.

Vigesimumsecundum. Victoria ab illis stare iudicatur, uictorésque illi demum uocantur, qui minus hominum in prælio amisere.

Vigesimumtertium. Vetus mos fuit, præclaros principes semper mortuos, publico luctu suorum popularium, ad integrum annum, aliúdue iustum tempus, honestari. Nam pium est sane, populares suum desiderium suámque charitatem erga mortuos quoque magistratus bonos testari luctu: & huius moris exempla in sacris quoque literis habentur.

Vigesimumquartum. Quia non licebat uni esse consulem, ideóque collegam sibi adiungere oportet in eiusmodi magistratu, qui duos pluresúe desiderat. Nam commune ius nemo debet sibi uni arrogare & uendicare.

Vigesimumquintum. Totius populi consensum uimque maiores

iorem esse quàm consulis aut magistratus, ita demum intelligi si populus nondum ius suum & potestatem suam transtulerit in principem uel magistratum suum, inque eius legitimos successores: alioqui enim, si fidem dederit & obstrinxerit populus suo magistratui, minor est potestas consensusque populi totius, quàm sui magistratus. Et hoc potißimum in monarchia obseruatur, ubi unus præest summæ rerum, item seruatur hoc in hæreditaria iurisdictione.

Vigesimumsextum. Amari potius quàm metui debere magistratum à popularibus suis, ius naturale & humanitas desiderat. Conuenit itaque utrosque ita suum officium facere, ut amore mutuo & reuerentia se inuicem prosequantur. Id quod in priuata quoque societate & potestate obseruari debere admonet Terentianus Mitio, eo loco, ubi dicit, Stabilius esse imperium quod beneuolentia adiungitur, quàm ui.

Vigesimumseptimum. Animum & personam magistratus, & priuatorum quoque, magis spectandam esse, quàm alias circumstantias.

Vigesimumoctauum. Consules primum habebant regiam potestatem & ius uitæ necisque in ciues: sed Valerius Publicola Consul, Bruto collega suo mortuo, consularem potestatem imminuit, cum ius ferendæ sententiæ de capite ciuis Romani non liberum consuli neque merum imperiũ ei permisit, sed ad totũ populum id transtulit. Atque hæc una & prima lex est plebeiis de prouocatione, id est, appellatione à Coß. ad totum populum in causa capitali, de qua & infra in libro quarto scribit Liuius. Et sæpe postea hæc lex attentata est à uiolentis Coß. sæpiusque reuelata & innouata: ita, ut ad Syllæ dictatoris, Iuliique Cæsaris potentiam usque perdurauerit.

Vigesimumnonum. Affectatorem regni, & eum, qui uelit libertatem Romanam euertere, ipsum unà cum bonis omnibus suis sacrandum & deuouendum ita esse, ut cuilibet uel priuato, liceat eum occidere impune, bonáque eius capere.

Trigesimum. Certis cærimoniis noua templa inaugurari & dedicari supra quoque in catalogo Tarquinij Superbi obseruauimus. Atque hæc sunt instituta moresque ex historia primi anni consularis, quæ obseruatu digna & utilia præ ceteris arbitror.

QVID OBSERVANDVM SIT lectori in secundo hoc libro Liuii.

Continet hic liber secundus multa sane & egregia exempla politicæ & ciuilis prudentiæ, in Senatu, in concionibus, ad plebem & populum exhibitæ. Deinde quoque multa complectitur militaris fortitudinis prudentiæque exempla: quorũ tametsi fidẽ excedere quędã uideãtur, tamẽ credibile est nouã libertatẽ oportuisse insigni prudentia, & insolita fortitudine constantiáque firmari. Præterea uidebimus in hoc libro plurimarum legum & morum causas atque originem, ut non minorem utilitatem afferant sequentes historiæ, quàm superiores in primo uolumine. Altera enim quasi fundamenta imperij iurisque Romani, hic locari apparebunt obseruatori diligenti.

DE GENERE ORATIONIS in hoc secundo libro Liuii.

Quod uero ad orationis formam attinet, repete antea dicta in præfatione primi libri, tametsi aliquanto sit huius libri secundi oratio clarior. Id enim consuetudo diligentiáque scripta continuandi subinde elimat obscuritatem, si qua subesse uidetur, præcipue imperitis, & non ita assuetis Liuianæ dictioni.

Expositio textus.

Liberi iam, &c.) Transitio ab historia regum ad res gestas sub consulibus, quæ attentionem captat, ostendens occasionem & commoditatem mutatæ politiæ & libertatis partæ à conditione tẽporũ. Iam hinc,) id est post historiam regum. Liberi,) 22. A. Id est sub consulibus. Pergam,) id est perscribam. Annuos magistratus) id est consulum annuorum.

Legum,) scilicet Romanarum. Quàm hominum.) Quia ius & leges sunt durabiliora & uiuaciora, quàm homines: & tum denique bene in repub. agitur, cum plus ualent leges, quàm cupiditates hominum. Proximi regis,) id est Tarquinij. Letior,) μετωνυμία poetica.

Ita,) Id est æquabiliter & iuste. Numerentur,) suo quisque ordine. Multitudini,) Romanorum ciuium. Quisque enim regum urbi aliquem locum addidit, & quendam collem ædificijs habitabilem frequentem fecit, ut ex superioribus patet.

Exacto,) id est expulso. Peßimo publico.) id est plusquam malo publico, hoc est maximo malo. Immaturæ,) Metaphora ducta à frugibus. Cupidine) i. præ cupidine. Quid enim,) A conditione personarum. Transfuga,) id est profuga. Inuiolati templi,) id est Asyli. Tutela,) id est immunitate.

Tribunitijs procellis,) ut postea est mota seditio, decimo circiter anno. Significant igitur tribunitiæ procellæ, seditionem & discordiam tribunorum plebis contra senatum. Patribus,) id est Senatui. Eorum,) i. plebis & patrum. Adultæ,) id est formatæ per concordiam. Metaphora. Imperij) i. sub regibus sex.

Iam) i. exacto & expulso Tarquinio. Libertatis autem.) De consulari imperio, deque primis consulibus Iunio Bruto, & Collatino, cui mox subrogatur Valerius Publicola: Refer autem priorem coniecturam de occasionibus mutati imperij ad locum communem, de seditione, de cõcordia, de plebis feritate, & uulgi immobilitate, de licentia, de regno æquabili, & fiat thesis hæc fere. Plebis ferociam & inconstantiam immodica libertate & discordijs fieri intollerabilẽ, & Rebuspub. perniciosam: contra uero plebem concordia, authoritate, & imperio coerceri.

Quia annuum,) quod exacto quoque anno in alias personas est translatum, quem modum & consules retinuere usque ad legem de prouocatione. Numeres) i. Numerare debes. Insignia) scilicet regum. Collega. i. Collatino. Vindex) i. assertor.

Regnare) i. regem esse. Populum passuros.) Synthesis.

Frequentia) i. copia Senatorum. Plus uirium) in consilijs & uirtute. Cædibus) s. Tarquinij. Ad summam.) Cum primum fuissent centum, deinde ducenti. Traditum,) id est institutum.

Patres) i. antiqui Senatores. Conscripti) i. nouiter allecti. Conscriptos.) quasi antiquis Senatoribus adscriptos. Nouum Senatum,) alij legunt in nouum Senatum.

Plebis,) quia & equestres quidam plebei honorati tamen erant conscripti. Necubi,) id est ne alicubi. Nomini,) id est regio. Ac nescio.) 22. B. De consulatu abrogato ipsi Collatino consuli, propter suspectum nomen Tarquinij. Erat enim ex cognatione Tarquiniorum. Et quanquam bene meritus esset de ciuitate, tamen plus ualuit publicum commodum, quàm priuatus amor. Porro transitio est per sententiam. atque est formula dubitandi, quæ significat certitudinem. Est enim idem hoc loco, ac nescio, atque si diceret, scio. Modum,) id est mediocritatem.

Nimium,) Obliqua allocutio, quæ enumerat coniecturam & calumnias populi contra Collatinum Consulem, & est argumentum à gente, familia, uel nomine. Prisco,) id est Tarquinio.

Interuallo) id est, eius temporis quo regnauit Seruius, inter Priscum & superbum. Scelere,) id est parricidio. Hæreditatem,) id est noluit hæreditarium regnum familiæ Tarquiniorum. Non placere nomen.) Locus à nomine. Nomen,) id est Tarquinij Collatini. Datus,) id est euulgatus. poetica locutio. Tentantium,) id est eorum qui solicitabant alios ciues in odium contra Collatinum. Suspicione,) scilicet contra Collatinum. Vnde,) id est à quo. Id,) id est iusiurandum. Eo,) id est ad iuramentum seruandum. Initium,) Insinuatio, qua excusat & mitigat inclementem propositionem contra Collatinum à religione iuramenti, & ab officio publico erga patriam. & sensim repit à thesi ad hypothesim. Regnum,) id est Tarquiniorum. Hunc tu.) Hypothesis ad Tarquinium Collatinum. Meminimus,) id est tui beneficij. Res tuas,) id est compensatione. Confirmat ab utili & tuto. Amicus,) id est, cum bona gratia. Exonera,) id est libera. Gente,) id est familia, à genere nominatur gens.

Consuli,) id est Collatino. Socer,) quia pater erat Lucretiæ. Dignitate maior,) Non quidem maior erat dignitas Lucretij quàm Consulum: sed antea, sub rege Tarquinio, diu fuerat dignior Collatino: utpote præfectus urbis, hoc est tanquam

uicarius regis, qui magistratus post reges Consulibus minor fuit, usque ad tempora Cæsarum. Vocatúsque est præfectus urbis postea princeps Senatus, tanquam senior in Senatu, cuius officiũ fuit, accipere nomine populi abrogationem uel abdicationem, quam renuntiabant magistratu Consules, exacto anno suo: & nouos Consules inaugurare, ut infra sæpe uidebimus.

Alternus,) id est per uices consul. Cum haud cuique. Historia de proditione nobilium adolescentum deprehensa & punita, qui libertatem & urbem Tarquinio regi pulso uoluerunt prodere. Estque exemplum impietatis erga patriam, & peculiariter in Bruto exemplum est charitatis erga patriam, & seueritatis in filios, quos ipse pater tanti sceleris participes capite puniuit: cuius historiæ summam Virgilius in sexto his uersibus complectitur:

Vis & Tarquinios reges animámque superbam
Vltoris Bruti fascésque uidere receptos?
Consulis imperium hic primus, sæuásque secures
Accipiet, natósque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate uocabit
Infelix, utcunque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriæ laudúmque immensa cupido.

Tenui) id est humili. Solutior, id est liberior. Libido,) id est cupiditas. Erant.) Oratio à descriptione personæ. Regem hominem esse.) Querela adolescentium, qui desiderabant licentiam contra leges: quæ refertur ad locum communem de legibus, & de tyrannide, sub qua nobilitati sit maior licentia, quàm sub æquato iure libertatis. Est locus de legibus incertus. Dicimus enim pro legibus & contra leges. Leges rem surdam.) Altera pars collationis, quis est antithesis. Laxamenti,) id est remißionis. Excesseris modum,) id est præuaricatus sis. Aegris,) 23. A. id est turbatis. Sine mentione reditus,) scilicet Tarquiniorum.

Eorum,) id est legatorum. Tenuit,) scilicet legatos. Materia,) quia pecuniæ sunt bellorum nerui.

Moliri,) id est conabantur. Reddunt,) scilicet legati. His.) scilicet adolescentibus. Auunculi,) id est matris fratres. Conscij,) id est participes proditionis.

Darentur,) scilicet ab adolescentibus. Vnus excepit,) Excipere, est clam percipere. Coarguere,) id conuincere. Intercideret,) id est perirent. Commisisse,) contra officium legatorum. Ius gentium,) id est, ut ne uiolarentur.

Martius campus,) in quo conciones & comitia solebant haberi. Forte ibi tum.) De insula Tyberina, cuius & Ouidius meminit in ultimo Metamorph. Religiosum,) id est illicitum, propter metum deorum & sacrorum: uel uetitum, propter religionẽ uiolandam: quia, scilicet, ager erat consecratus Marti, deo unà cum segete. In uadis,) id est in humilioribus locis fluuij & non ita profundis. Eodem,) id est ad eandem insulam. Moles,) id est officia & opera. Area,) id est insula. Porticibus,) id est deambulacris. Damnati,) scilicet sententia capitali.

Stabant ad palum.) 23. B. Ethopeia, id est affectuum descriptio ipsius Bruti, & populi admirantis constantem eius seueritatem. Stabant ad palum.) Est congeries. Iuuenes, prima. Nobilißimi secunda. Consulis liberi 3. Eo anno 4. Patriam 5. Liberatam. 6. Patrem. 7. Liberatorem. 8. Consulatum ortum. 9. Ex domo Iunia. 10. Patres. 11. Plebem. 12. Hominum. 13. Deorũ. 14. Romanorum. 15. Superbo. 16. Infesto. 17. Exul. 18.

Quicquid deorum hominúmque.) id est omnia prophana & sacra. Pœnæ) scilicet de liberis suis & nobilibus. Secundum pœnam,) id est post sumptum supplicium. Securique feriunt,) id est capita abscindunt subiecta securibus, superincidentibus superne. In utranque partem,) id est puniendi sontes, & honestandi benemeritos de ciuitate.

Ciuitas,) id est ius ciuium. Liberatus,) id est manumissus. Vindicta,) hac ceremonia manumittendi, qua apud prætorem uel magistratum aliquis seruus libertate donabatur tradita uirga in manus, ut dicunt quidam: quæ uirga sit appellata uindicta à uindicando: id est asserendo à seruitute in libertatem: tametsi Liuius ab hoc Vindicio indice uocatam putat. Liberati,) id est per uindictam, hoc est per manumißionem, ut Plutarchus exponit, qui uindictam simpliciter esse dicit manumißionem: id est, libertatis donationem. In ciuitatem, &c.) id est libertini essent, & ius ciuium haberent. His sicut acta erãt.) De bello Romanis illato ab exule Tarquinio, in quo bello extitere pulchra exempla fortitudinis Romanæ & constantiæ, ut in Bruto, in Horatio Coclite, in Scæuola, in Clelia, uirgine.

His,) id est tentata proditione frustra. Nuntiatis,) scilicet per legatos. Ad irritum cadentis,) id est frustra susceptæ.

Viam,) id est occasionem interceptam. Moliendum, id est tentandum. Ne scortum,) Querela Tarquinij de suo exilio, quæ in multas circunstantias spargitur, unde amplificat indignitatem sui casus. Estque hic exemplum diuisionis rhetoricæ. Nam Liuius iustæ orationis capita & argumenta breuiter hic perstringit ac disponit. Ortum eiusdem sanguinis.) Prima circunstantia à genere. Extorrem,) secunda circumstãtia. Egentẽ,) tertia circunstantia. Ex tanto regno,) Quarta circunstantia.

Cum liberis adolescentibus,) Quinta circunstantia. Ante oculos suos,) Sexta circunstantia. Suos,) id est Veientium.

Alios,) id est reges, ut Numam & Tarquinum Priscum & est septima circunstantia, atque argumentum à minore ad maius. Augentem,) id est dum augeret. A proximis,) Octaua circunstantia. Scelerata coniuratione,) id est seditiosa. Nona circunstantia. Eos,) id est Consules. Decima circunstantia.

Vnus,) id est solus. Bona sua.) Vndecima circunstantia.

Sceleris,) id est rapinæ. Se patriam,) Duodecima circunstantia. Regnum,) Decimatertia circunstantia. Ingratos ciues) Decimaquarta circunstantia. Ferrent,) id est ferre deberent. Iniurias,) Decimaquinta circunstantia. Vltum,) id est ad ulciscendum. Cæsas,) scilicet à Romanis. Decimasexta circunstantia. Agrum ademptum,) scilicet Veientibus & Tarquiniensibus. Decimaseptima circunstantia. Romano duce).i. Tarquinio. Suos).i. gentiles Tarquinios. Quadrato agmine,) id est quod paribus ordinibus erat instructum. Primus,) id est præcessit. Aruns ubi, &c.) Singulare certamen Bruti & Aruntis, in quo uterque pie occubuerunt: hic pro suo patre, Brutus pro patria.

Extorres,) id est exules. Insignibus) Sarcasmus, amarulenta ironia. Tumerat decorum.) Noema. Capessere pugnam,) id est incipere prælium, non stare post principia.

Dum,) 24. A. id est dummodo. Parmam,) id est clypeum Moribũdi,) id est iam moriẽtes. Varia,) id est dubia & incerta.

Aequo,) id est pari. Cornua,) id est latera.

Irrita re,) id est non effecta. Syluani,) id est dei syluestris. Spolia,) scilicet hostium. Collegæ,) id est Bruto. Morti,) id est Bruti. Ante omnia,) id est funebria. Pudicitiæ uiolatæ,) scilicet à iuniore Tarquinio, qui Lucretiæ uim intulit. Consuli deinde.) Exemplum suspitionis & inuidiæ plebeiæ in populo Romano, & exemplum moderationis atque popularitatis in Publicola Consule. Consuli,) id est Valerio. Crimine,) id est incusatione.

Velia,) id est monte, qui pars erat editior Pallatini montis, sic dictus, quòd ibi soliti essent pastores uellere lanam ex ouibus ante tonsuram, teste Varrone. Summißis fascibus,) id est depositis insignibus sui consulatus. quasi abdicaret semetipsum magistratu suo, & eum populo resignaret & redderet.

Summissa,) id est subiecta. Audire,) Consulem. Laudare,) oratione funebri, ut alij dicunt, qualis hæc oratio Valerij in laudem Bruti fuerit prima oratio funebris in urbe Romana. & inde sit institutũ, ut uiri bene meriti, matronæque honestiores, post mortem suam in funere laudarentur iusta oratione. Matura gloria.) id est nõ præcipiti neque sera. metaphora sumpta à frugibus. Se).i. Valerium. Superstitem).i. diutius uiuentem.

Recidisse,) id est suspitione proditionis. Spectata).i. probata.

Momento,) id est parte, particula. Vbi sim, quàm qui sim,) quia bonus uir & integer ubicunque locorum, ibi bonus est, & integritatem suam retinet. Quirites,) id est Romani.

Vicus publicus.) Vicus intra muros, significat plateam, extra autem, pagum. Contrarium,) id est fauorem. Popularem,) id est populo gratum atque charum, propter suam probitatem. Talis enim denique dicitur popularis, ut copiose describit Cicero in prima oratione de lege agraria. Publicolæ) id est tanquam ipse

populum

populum coleret & curaret, uicissimque à populo coleretur & amaretur. Ante omnes.) Quatuor leges à Valerio latas aut renouatas potius, hic perstrinxit Liuius breuiter: quæ plebeiæ uocantur leges, quòd præcipue in plebis gratiā sint sancitæ: quæ erat sic mitiganda & conciliãda lenitate quadam, ne desiderio exulum regum caperetur. Harum ergo

Prima est, ut supra quoque dixi in uigesimooctauo instituto catalogi, ne quis magistratus, nec consul ciuem Romanum aduersus prouocationem, id est appellationem uerberare, aut necare auderet iniussu populi, sed ut tantum ius coercitionis, & in uincula publica coniiciendi haberet. Vnde & postea non nisi centuriarum tribuúmque suffragijs absoluebantur aut condemnabantur rei ciues Romani, ut patet in commentario Asconij super Milonianam, & apud Valerium Maximum in capite De reis absolutis uel condemnatis præter expectationem.

Secunda lex. Vt capitale esset, si quis ullum magistratum, nedum regnum, iniussu & sine suffragijs populi caperet atque adiret. Vnde & postea magistratus, præsertim honorati, suffragijs populi centuriatis creari soliti sunt, ut patet apud Valerium in capite de repulsis. Sed Cæsares & imperatores postea hanc potestatem populo eripientes, pro suo arbitrio & libidine magistratus, quibus uellent, mandabant uel adimebant rursum. De hac & supra in instituto Catalogi uigesimonono dixi.

Tertia lex. Vt populus Romanus & ciues Romani immunes à uectigalibus essent. Vnde & postea nullus populus, nemóque uectigalis est factus Romanus, nisi qui non haberet ius ciuitatis Romanæ.

Quarta lex. Vt inobedientes duarum pecudum aut bouis pretio mulctarentur à Consulibus. Vnde & mulcta, uocatur pœna pecuniaria: & mulctari est luere pœnam pecuniariam. Et harũ quoque legum meminit Plutarchus in uita Valerij Publicolæ, ubi plura inuenies huic historiæ inseruientia.

Ante omnes.) 24.B. latæ sunt leges. De prouocatione,) id est appellatione. Sacrando,) id est deuouendo: quia sacrare caput & uitam bonáque alicuius, est diris & supplicijs deuouere: ita ut cuiuis liceat impune occidere, perdere, rapere.

Capite,) id est uita. Quas,) id est leges plebeias.

Vnius,) id est Publicolæ. Subrogando,) id est substituendo. Collegæ,) id est consuli. Suffectus,) id est substitutus. Suggerunt,) id est sufficiunt. Memoriam,) scilicet Lucretij. Aegrius.) De constantia. Et religionis seruatæ exemplum in Horatio Consule. Irreligiosum,) id est pollutum. Postem,) id est ianuam templi. Fœdum,) id est abominabile.

Funesta familia,) id est propter familiam contaminatam funere. Nam olim apud Gentiles, sicut apud Iudæos, funera credebantur domum & familiam fœdare & contaminare: ita, ut expiari oporteret eam.

Nihil aliud .i. nullo alio. Domi & militiæ .i. in pace & bello, Inde P. Valerius, id est secundo anno post reges exactos Consules fuere. P. Valerius Publicola, & T. Lucretius.

P. Valerius, id est secundo Consul factus. Iam Tarquinij, Bellum Porsenæ regis Hetruscorum pro Tarquinijs contra Romanos, quod totum hunc annum durauit, in quo adeo quidem angusti fines imperij Romani fuere, ut extra muros Romæ uix quindecim lapidum spatium tenuerint Romani, adeo omnia ab hostibus occupata procul & prope erant: uixque legitur ullo tempore ita arctum fuisse imperium ab initio urbis. Lartem, cognomen est. Clusinum, id est ad oppidum. Nominis. id est fœderis. Orientem, id est incipientem. Satis libertatem, Admonitio hæc Tarquiniorum continet hanc thesim. Ciuitates cupiditate & dulcedine libertatis libenter abijcere uelle iugum regum principúmque suorum. Satis, scilicet ad quodlibet audendum contra reges. Eam, scilicet libertatem. Aequari, scilicet dicebant, admonebant. Summa, id est regia. Infimis, id est plebeis. Nihil excelsum. Tragica admonitio, & decet personam exulis regis.

Aliás id est alio tempore ante. Multa igitur. Popularitas ipsius Senatus in plebem, propter temporis & periculi necessitatem. Data blandimenta, Poetica locutio. Annonæ, id est eius rei quæ ad uictum pertinet. Arbitrium, id est potestas. Veniebat, id est à priuatis uendebatur omnibus, hoc est, quia priuati Salinatores nimis care uendebant salem passim, ideo Senatus uiliore uenditurus salem, ademit priuatis ius uendendi, ita tamen, ut rependeret eis sumptus & lucrum, quod fuerat obuenturum. Priuatis, id est Salinatoribus. Impenso, alij legunt immenso. Portorijs, .i. telonijs, hoc est, uectigalibus quæ dantur pro apportatis mercibus. Tributo, .i. pensione & exactione. Conferrent, scilicet tributum. Ferendo essent, .i. qui ferre possent. Asperis, id est periculosis.

Summi, id est principes. Infimi, id est plebei.

Malis artibus, i. per fraudes & scelera. Popularis, id est gratus populo. Cum hostes, 25. A. Exemplum fortitudinis militaris in Horatio Coclite. Sepiunt, id est muniunt. Sublicius, i. contignatus ex trabibus. Cocles, dicitur monoculus.

Munimentum, id est Horatium defensorem. Ianiculum, .i. arcem in suburbio trans Tyberim. Citatos, i. celeres. Testabatur, .i. inuocabat. Transitum pontem, Appositio. Reliquissent, scilicet hostibus.

Excepturum, .i. retenturum Cedentium .s. suorum sociorum. Cominus, .i. ex propinquo. Obstupefecit .i. coniecit in stuporem, quasi præ admiratione. His, id est duobus.

Procellam, id est impetum. Et quod, id est initium Eos, id est duos. Relicta, i. à tergo. Prouocare, ad singulare certamen. Seruitia, id est Hetruscos.

Obstinatus, i. obfirmatus. Virum, i. Horatium. Tyberine, id est qui deus es Tyberis. Rem ausus, id est quod unus custodierit pontem & totum exercitum sustinuerit, eiusque retuderit um, quod armatus & fessus transnatauerit flumen, accepto nullo uulnere. Statua posita, est extra urbem in campo Martio, de qua statua Gel. in quarto cap. 5.

Circumarauit, id est aratro circumscripsit. Studia i. officia.

Inopia, publica. Fraudans, id est subtrahens sibi.

Persona primo conatu. Stratagema Valerij Consulis in subito opprimendis Hetruscis. Vocatur autem stratagema, insigniter callidum consilium facinúsque ducis alicuius, quem ducem Græci στρατηγὸν uocant. Repulsus, id est à ponte.

Prædatum, id est ad prædandum. Traycerent, i. transnauigarent. Infestum, id est intutum. Metu, 25.B. scilicet Romanorum. Effusos, id est dispersos Hetruscos. Vindicem, i. ultorem. Ad secundum lapidem, i. milliare: quia signabantur milliaria lapidibus. Mille autem passus conficiunt unum milliare Italicum.

Obijcere, i. opponere. Redditus, id est Hetruscis,

Obsidio. Alterum exemplum fortitudinis & audaciæ militaris in Sceuola, qui sibijpsi manum exussit.

Liberum, i. sine regibus. Affirmante, .i. faciente credibile, quasi propter famam & metu transfugeret Scæuola.

Aperiret, id est proderet. Fortunæ minas, scilicet in tanto discrimine. Petentium, id est ciuium. Idem decus, i. ut te occidant. Capite, id est periculo uitæ. Vestibulo, i. aditu. Iuuentus Romana indicimus. Euocatio. Cum singulis, scilicet nostrum.

Ambages, 26. A. id est occulta uerba. En tibi inquit, scilicet rex. Macte, id est magis aucte. Sic Virgilius. Macte noua, &c. Est autem aduerbium adhortantis. Princeps, id est primarij. Ceciderit, id est euenerit. Opportunum cædi.

Scæuolæ. Scæuola uocatur, qui sinistra manu uti cogitur, cum dexteram non habeat. Composita uox est ex Græco & Latino: quia Græci σκαιὸν sinistrum, & Latini uolam nominant medium in manu interiore. Toties, id est trecenties.

Nequicquam, id est frustra. Præsidium, id est hostile.

Agrum dono dedere, quæ postea. Relatiuum refertur ad sequens uerbum, non ad præcedens, ut Sallustius. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, &c. Virtute, id est uirili.

Decora, id est uirtutis. Clælia. Exemplum fortitudinis muliebris, & fidei seruatæ utrinque in fœdere.

Frustrata, id est decipiens. Sospites, id est obsides uirgines. Præ se ferre, id est significabat. Impuberes, id est infra annum duodecimum ætatis.

Eam ætatem, id est pubertatis. Iniuriæ, id est ignomi-

niæ. Status equestris, 26.B. A barbaris gentibus & ex Græcia Romam quoque mos ille translatus est, ut insigniter benemeriti, aut aliquo illustri facinore clari, donarentur æneas, marmoreas, argenteas, uel etiam aureas statuas, in uirtutis memoriam: unde & Plinius in trigesimonono, cap. sexto, primas statuas Romæ dicat fuisse Coclitis & Clœliæ æneas, nec ulli præterea uirgini statuam Romæ positam, præterquam Clœliæ. Huic tam.) De more uendendi bona Porsenæ, quæ in prouerbium abiere, quo dicimus bona Porsenæ, talia fere bona, quæ nobis dono aut fortuito citra laborem, sineque sumptu magno obtigere. Fuit autem mos, ut quoties in auctione uenderentur hostilia bona, & ex præda capta, ut dicerent Porsenæ bona uendi & uenire. Abhorrens,) id est dissimilis. Solennia,) id est belli. Porsenæ,) id est hostiū bona præda. A mitiore) .i. placidiore. Opulenta),i. plena.

Ab longinqua,) id est post longinquam obsidionem.

Immisso,) id est in castra. Venisse,) id est in auctione, nempe uili paruóque pretio, tanquam hostibus erepta. Gratiam,) id est gratitudinem.

Auctionem,) publicam uenditionem. Perculerat,) id est terruerat. In medio,) id est à fronte per Aricinos, à tergo per Cumanos. Pars perexigua.) Exemplum hospitalitatis erga Hetruscos, quos pessime affectos Romani benigne excepere. Duce,) id est Arunte.

P. Lucretius.) Vt supra catalogum eorum quæ animaduerti commode possunt ex historia primi anni consularis proposui, ita nunc rursum secundus hic quoque annus iustam nobis materiam catalogi præbet, unde obseruemus, quæ ad ueteres mores legésque Romanorum pertineant, tametsi multa etiam ex iure naturali huc annotare liceat, cum illud sit fons iuris gentium, & ciuilis atque omnium bonorum morum origo. Et cum historia proprie in hypothesi uersetur semper, hoc est, in exemplis singularibus, utile est ea referri ad suam thesim, hoc est, ad generalia præcepta iuris naturalis uel ciuilis. Excerpam igitur hinc sequentia instituta.

LEGES ET INSTITVTA II. ANNI Consularis, sub P. Val. Publicola, & T. Lucretio Tricipitino.

Primum. Eundem magistratum, præcipue Consulatum, sæpius capere licuisse Romæ, hoc Valerij iam secundo consulis aliorúmque exempla docent.

Secundum. Necessitudine sanguinis, fœderis aut societatis, & amicitiæ coniunctos se inuicem tueri defenderéque, ius fásque est. Ita enim mutuus uinculis natura sociauit homines ad mutuam defensionem sui, & ad mutua officia præstanda.

Tertium. Seditiosi, maiestatis rei, perduelles ui & supplicijs sunt puniendi.

Quartum. Reges & magistratus esse oportere ullos, & eos iusto in honore potentiáque & authoritate locandos docet ius gentium & naturale: quia bestialiter uiuitur, ubi est anarchia, id est populus sine magistratu.

Quintum. Priuatis hominibus & plebi aliquando indulgere debet magistratus, si ita res & utilitas postulat, ne tamen fiat anarchia, & immodica licentia.

Sextum. Priuatis hominibus sua non debet eripere magistratus commoda & bona. Licet enim ius habeat in subditos, tamen is non est dominus iuris alieni priuati, nisi hic aliquo crimine demeruerit bonorum amissionem: ita etiam non decet magistratum esse liberalem & munificum de alieno, uel cum aliorum incommodo priuato. Neque popularium interuertere debet utilitatem & emolumenta: quia priuatæ opes sunt fons & origo publicarum facultatum.

Septimum. Secundum proportionem Geometricam opum priuatarum conferri & sustineri onera publica, est æquissimum, ut supra etiam in catalogo Seruij Tullij patuit.

Octauum. Ita popularem esse oportet, id est, gratiosum & officiosum ad populum, ne illa popularitas aberret in prauam licentiam, uel ambitionē, uel contemptum magistratus ipsius. Vide autem egregiam descriptionem eius, qui sit uere & recte popularis apud Ciceronem in secunda oratione, de lege Agraria.

Nonum. Probrosum est militi & ignominiosum, suos ordines uel aciem deserere, inde capitalis pœna in desertores irrogatur, qui salua acie sua, neque dum uictoria amissa subterfugiunt periculum. Sin uero acies sua uicta sit, tum denique cuique licet sibi consulere uirtute aut fuga, modò ne turpiter capiatur.

Decimum. Respub. debet esse grata erga bene meritos in se, priuatos etiam, uilésque homines, ut ea gratitudine & honore excitetur priuata uirtus ad obsequia erga Rempub.

Vndecimum. Publicam inopiam releuari à priuatis iustissimum est, qui supplere & præstare debent de suo, id quod Respub. præstare nequit per tenuitatem.

Duodecimum. Non refert dolo an uirtute, & clandestina an aperta ui hostem aggrediare, modò ne fides publica periclitetur. iuxta illud. Virg. 2. Aeneid.

Dolus an uirtus quis in hoste requirat?

Laudantur ergo insidiæ hostibus factæ feliciter, & inter stratagemata habentur, tanquam egregia ducum consilia factáque.

Decimumtertium. Minora maioribus, & potioribus leuiora postponere conuenit in negotijs, tam priuatis quàm publicis.

Decimumquartum. Iniussu Ducis non licere militi ab ordinibus suis abesse uel excedere.

Decimumquintum. Transfugas, hoc est, eos, qui à suis ad hostium partes fugiunt, capitali supplicio puniri.

Decimumsextum. Hosti hostem occidere ui aut insidijs permittit ius gentium, nedum qualibet iniuria afficere & damno: quia uim ui repellere licet.

Decimumseptimum. Iure belli hostem captum uel deprehensum liberum dimittere licet, publica fide, quoniam idem ius intactum inuiolatúmque esse iubet.

Decimumoctauum. Lex naturæ iubet beneficium beneficio remunerare priuatim aut publice, & gratiam bene meritis rependere, nihilque magis cum iure pugnat, quàm ingratitudo: quia mutuis beneficijs connexa est hominum societas. Ita enim alter alterius ope indiget.

Decimumnonum. Fœminæ à negotijs publicis abstinere debent, cum natura illi sexui prudentiam politicam & fortitudinem denegarit, solámque domesticam curam demandarit. Quanquam extiterint exempla rara fortitudinis & prudentiæ in mulieribus aliquot, uirili aut heroi a uirtute quoque præditis, ut supra de Tanaquile uxore Tarquinij Prisci, & alibi de Semiramide, de Amazonibus, déque similibus legitur in historijs & poematis. ut apud Plutarchum in libello de fortitudine muliebri.

Vigesimum. Pacta non solum priuata, sed & publica utrinque seruari debent. Sic enim priuatam, publicámque fidem sanxit ius naturale & diuinum, ut seruetur inuiolata, cum sit uinculum humanæ societatis ipsa fides, adeo ut hosti quoque seruari debeat. Quòd si alterutra pars fidem fregerit prior, neque omittere uelit infidelitatem, tum denique alteri parti licet non stare pactis, iuxta uulgatum rithmum. Frangenti fidem, fides frangetur eidem. Atque hanc regulam intellige de pactis licitis & non turpibus.

Vigesimumprimum. Bona Porsenæ uenire & uendi dicebantur prouerbio: cum ex hostibus capta præda uendebatur in auctione, & manubiæ, hoc est pecuniæ ex præda uendita redigebantur in publicum ærarium.

Vigesimumsecundum. Supplices suscipere in tutelam & curam, iure gentium constitutum est, modo non sontes & nocentes recipiantur. Nam illi sunt noxæ dedendi reposcentibus suis, nisi casu fortuito peccauerint. Et hæc instituta ex huius anni secundi historia, satis est annotare.

P. Lucretius &c.) Tertio anno post reges pulsos ex urbe facti sunt Consules P. Lucretius, & P. Valerius tertium Consules: Venerunt,) id est Romam. Quisque honoratissimus) Synthesis. Non quin,) id est quasi minus. Delectos,) id est primores. Eius rei,) scilicet de reducenda Tarquinio. Beneficijs,) id est inter Porsenam & Romanos. Cum ille,) id est Porsena.

Faciles,) id est prompti. Vellent,) id est, alioqui. Cui.) id est Porsenæ. Omnium,) id est Romanorum. Finis idem sit urbi.) Noema est obliquum & acerbum, quo perstringit Liuius

procul du

proculdubio tyrannicam quasi potestatem Cæsarum: qui post Iulium Senatui populóque Romano eripuere libertatem, séque monarchas fecere, ut unus summam rerum imperiúmque teneret. Et quidem dicitur Liuius malè audiisse apud Cæsares, quasi Pompeianus & immodicus amator libertatis esset, idque in historia sua non dissimularet. Proinde,) *id est ideo.*

Obstinatum.) *id est firmum.* Obtundam.) *id est molestus ero.* Quod reliquum,) *id est reddidit eos, qui erant adhuc obsides.* Reditus,) *scilicet in urbem.* Exulatum,) 27.A. *id est ut exularet.* Exulatum ad) *Nota hic inconcinnitatem, quod omnia in, m, desinunt, & est ualde uitiosum.* Fida, *id est fidelis.*

Consules deinde) *Quarto anno M. Valerius & Q. Posthumius Consules.*

Maiore inde) *Quinto anno P. Valerius quartum, & T. Lucretius secundum Consules.* Aduersus eos,) *id est Sabinos.*

Iterum,) *id est secundo.*

Seditio) *De familia Claudiorum ex Sabinis Romam translata ab Appio Claudio, qui postea uocatus est Claudius. Facta est autem Romæ ista familia mire potens & factiosa, superba, infesta plebi, & minime popularis. Tales enim per omnem fere historiam Romanam obseruantur fuisse Appij. Atque ita familijs quoque sui sunt gentilitij mores notæque natiuæ.* Factioni,) *id est parti aduersariæ potenti.* Clientium,) *id est eorum quos sibi habebat obnoxios & familiares, quasi ministros suis beneficijs sibi deuinctos, quorum erat tanquam patronus ipse & quasi herus. Cliens dicitur à καλεῖν, id est uocare: quia coguntur ipsi inuocare patronos, ut se adiuuent.* His,) *id est Claudio cum Clientibus.* Ciuitas,) *id est ius ciuitatis.* Dignationem,) *id est æstimationem.*

P. Valerius omnium) *Sexto anno Menenius Agrippa, & P. Posthumius secundum Consules.* Copijs,) *id est in re familiari.* Funeri,) *id est honestiori.*

Publico.) *scilicet sumptu.* Luxere) *annum.* Duæ coloniæ) *à Roma in Latium deductæ.* Auruncos,) *id est populos Italiæ.* Compulsum,) *id est translatum.*

Secuti Consules) *Septimo anno Opiter Virginius, & Spu. Cassius, consules.* Pometiam,) *id est Coloniam.* Vineis,) *id est, machinis bellicis. Erant autem uineæ, quasi Pergulæ & Casulæ quædam, ex robustioribus compactæ trabibus innixæ rotis uel Cylindris, sub qua aliquot milites tecti starent, & uinea admota muris, superne tuti quaterent, uel subruerent muros.* In quos,) *id est Romanos.* Inexpiabil.) *id est quod nullo beneficio uel obsequio erga Romanos possent expiare & luere.* Excurrissent,) *id est extra urbem.*

In eo esset.) *id est, eo peruentum esset.* Fœde,) *id est crudeliter.* Corona,) *id est publica uenditione, auctione sub hasta uenire & sub corona uenire idem est.* Veniit,) *id est uenditus est.* Vltas,) *id est quæ se uendicauerant ab Auruncis.*

Insequens annus. *Octauo anno Posthumius Cominius & T. Largius Consules.*

Coniurasse.) 27.B. *scilicet contra Romanos.* Octauio Mamilio,) *id est qui filios Tarquinij reducere conabatur.*

In hac.) *De Dictatore & magistro equitum primum creatis, & de potestate dictaturæ, qui magistratus summus erat in imperio Romano usque ad Cæsares, & extraordinarius, tamen non annuus: quia creabatur non nisi in summo aliquo periculo imperij, ut infra dicam in catalogo, & Liuius aperte hic ostendit.* Solicita,) *id est cum solicitaretur.* Essent,) *id est Consules.*

Traditur,) *scilicet ab historicis.* Creditum sit,) *id est an crediderint Consules fuisse partium Tarquinij.* Consules,) *id est qui fuerunt antea consules.* Legere,) *id est legerunt.* Consularis erat,) *id est qui fuerat Consul hoc anno octauo.*

Moderatorem.) *Definitio Dictatoris, qui dictator est moderator & magister Consulum, aliorúmque magistratuum & ciuium.* Appositum,) *id est adiectum, electum.* Ea familia,) *id est Valeriorũ, cui deberetur hic honos, propter benemerita Valerij Publicolæ.* Consularem uirum,) *id est qui fuerat consul anno quarto.*

Dicto.) *id est mandato Dictatoris, quod ipse dictaret, hoc est iuberet & præscriberet.* Prouocatio,) *id est appellatio ad populum.* Parendi,) *id est obediendi.* Quod impensæ,) *id est quæ impensa.* Tacite) *quia utrinque cessabatur à belli iniurijs & grassationibus.*

Consules Seruius) *Nono anno consules creati Seruius Sulpitius, & M. Manlius Tullus. Decimo uero T. Ebutius & C. Vetusius.* Deinde,) *id est anno decimo.* Fidenæ) *id est urbis nomen.* Desciuit,) *id est publico consensu.* Gliscens,) *id est increscens. Sic construe. Ne bellum Latinum gliscens iam per aliquot annos dilatum est ultra*

Aulus Posthumius.) *Aulus Posthumius secundus Dictator, & T. Ebutius 2. magister equitum.* Non potuit,) *scilicet præ odio in Tarquinios.* Ergo etiam) *Descriptio atrocis pugnæ Romanorum contra Latinos, in qua alter Consul Romanus, & dux Latinorum occubuere.* Ergo etiam) *propositio descriptionis.* Miscuere) *impediuere.* Ictus,) *scilicet Tarquinius.*

Fefellit.) *i. latuit.* Ciet.) 28.A. *id est mouet.* Referentibus pedem,) *id est refugientibus.* Ostentantem,) *id est iactantem.* Familiæ,) *id est Valeriæ.* Equitis.) *id est Valerij.* Moribundus) *id est iam moriens. Exemplum pietatis erga patriam in Valerio, qui pro ea mortem obijt in acie fortiter.* Cohorti suæ,) *id est Consulari uel prætoriæ.* Manu,) *id est multitudine.* Pro hoste,) *id est tanquam desertorem occidant.* Integris.) *scilicet, quia ad id tempus quiete consederant.* Adorti.) *scilicet prætoriani.* Latinus,) *id est Manilius.* Manipulos) *Manipulus est multitudo militum, sub eodem signo: quamuis olim minor fuerit numerus sub uno signo, quàm nunc est. Subsidiarij milites uocantur, qui reseruantur quieti usque ad ultimum belli discrimen, ut ita recentes ineant prælium, nondum fessi uiribus, rémque afflictam restituant.* Legatus,) *id est, magistratus militaris, qui uices gerit absentis ducis. In pace uero legatus dicitur, qui legatione fungitur.* Ipse) *Herminius.* Veruto) *Verutum teli genus est, habens ferrum oblongum instar ueru.* Veruto.) *V. longo.* Curationem) *id est Chirurgiei.* Obtestans,) *id est per fidem eorum admonens.* Antesignanis,) *scilicet militibus, qui in prima acie ante signa pugnabant.* Proceres iuuentutis,) *id est nobiles iuuenes equites: quia tum Romæ soli nobiles erant equestres, & patritij quoque utebantur equis.* Pugnæ,) *id est, pedestris.* Inclinauit,) *id est in fugam.* Equi,) *scilicet quos rursum inscenderent.* Castori,) *id est Deo equitum, Deo equestri.*

Hoc modo,) *id est quo descripsi. Epilogus.*

Consules,) 28.B *id est undecimo anno.* Inde,) *id est duodecimo anno Consules.* Saturnalia festus dies) *In appositione uerbum conuenit sequenti nominatiuo.* Deinde,) *id est decimotertio anno.* Hoc,) *id est decimotertio anno.* Dubiæ fidei.) *Quasi cum Latinis senserit Collega,) id est T. Virginius.* Tanti errores.) *De uarietate historiæ.* Implicant,) *id est impediunt lectorem.* Alios,) *id est historicos.* Magistratibus, *id est Consulibus, quorum serie Romani suos annos computant.*

Appius Claudius.) *Decimoquarto anno Ap. Claudius Sabinus & P. Seruilius Consules.* Tarquinij,) *id est senioris.*

Quo,) *id est in quam urbem.*

Erecta.) *id est spem & fiduciam.* Patribus,) *id est nobilitati.* Luxuriosa,) *id est immodicam licentiam sibi sumens.* Ni maturatum,) *id est ni maturasset Dictator.* Hac ira,) *id est propter hanc iram* Perculit,) *scilicet metu.*

Inde,) *id est ex Volscis.* Suum) *id est infidum ingenium.* Sollicitandum,) *id est ad defectionem* Latium,) *id est ad Latinos.* Abstinuit,) *id est, retinuit.* Legatis.) *Quia tamen, ut supra dictum est, iure gentium non debent uiolari.*

Relata) *mutuæ officiositatis & beneficentiæ exemplum inter Romanos, & Latinos, qui utrinque beneficijs contenderunt & certarunt inuicem.* Nouos magistratus,) *id est Appium & Seruilium.* Reijcerent,) *id est, referrent.* Gaudere,) *id est gaudebant.* Facto,) *id est beneficio, quod Romanis impenderant.* Esse.) *id est erant.* Remissi,) *id est ex urbe Romana ad suos.*

Pergunt,) *id est adeunt.* Dono,) *id est cum corona aurea.*

CATALOGVS LEGVM ET INSTITVtorum ex historia ab anno tertio, usque ad seditionem uel secesſionem primam, hic cito.

Primum. Mutua beneuolentia, fœdere, societate, amicitia, uel alio iuris uinculo coniuncti, se inuicem solicitare, aut incommodo iniuriáue, aut ulla improbitate afficere non debent, cum utrinque idem animus eadémque uoluntas requiratur, ut par pari referatur. Neque alter alteri offensam, nedum indignationem moueat. Nam alioqui non potest ulla societas consistere diu.

Secundum. Amico uel socio beneficium est exhibendum, & obsequendum, quatenus per honestatem licet, & ne immodico damno afficiamus nosmetipsos, néue in perniciem præcipitemur nimia & intempestiua beneficentia, & immodica benignitate. iuxta illud sapientis dictum:

Dilige sic alios, ut sis tibi charus amicus.
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

Tertium. Liberæ urbes sui iuris sunt, neque regem neque principem unum aliquem habent, sed suis magistratibus annuis & ordinarijs non perpetuis parent, suísque popularibus hi denique præsunt, qui ad tempus magistratum gerunt. Sic Roma ad Cæsares usque libera fuit, qua libertate amissa, perijt Senatus populíque Romani authoritas & potestas.

Quartum. Turpe est promittere & stultum est polliceri beneficium aliúdue quippiam, quod ipse præstare nequeas: & ingenui hominis est, libere potius fateri suam infirmitatem, aut negare quod nõ posses efficere, ne uanis promissis alios ludas, téque uanum esse & futilem ostendas.

Quintum. Ius amicitiæ non patitur apud se fouere illos, qui alterius amicis sunt infesti uel hostes. Nam eosdem amare, & eosdem odisse, debent amici & socij.

Sextum. Apud ueteres & hodiéque iuris uinculum quoddam est inter patronos & clientes, ut patroni defendant suos clientes ab inopia & iniuria, atque eis pecunia mutuo danda aut alia opem ferant opera. Contra uero ipsi clientes illos demereantur quibuscunque obsequijs & officijs etiam, quæ minima quoque patroni tamen magnifacere debent, animũ magis æstimantes, quàm officium, iuxta illud sapientis.

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, plenè & laudare memento.

Ac patroni sunt illi, qui tenues homines uel populares in fidẽ tutelámque suam accipiunt, & inopiam leuant, suppeditantes eis sumptus quoad reddere poßint cõmode: & isti tenues patronorũ opera utentes, uocantur clientes, à Græca uoce, quód uocati ad officia & obsequia præsto esse debeant, ne sint ingrati & beneficiorum immemores. Sed cauere oportet, ne patrocinium illud degeneret in latrocinium. Sæpißime enim euenit, ut potentes immodicis & intempestiuis beneficijs uel potius iniurijs ita sibi obnoxios reddant ipsos tenues, ut eos tandem oppressos ære alieno, & in seruitutem quasi redactos, omnibus suis spolient bonis, unde seditionis materia plerunque præbetur, ut in sequenti secessione nexorum uidebimus. Neque uero possunt Respub. florere aut non perire, ubi sic opprimuntur tenuiores à potentibus.

Septimum. Confecto prælio à cædibus temperare iubet ius militare, nisi uicti nolint se dedere in fidem uictoribus, aut potestatem: neque in captiuos sæuiendum est, si fidem non conentur frangere.

Octauum. Fidem seruandam, parcendúmque esse deditis, hoc est, his qui uicti se in fidem potestatémque uictoribus commiserunt. Variat tamen hoc ius sæpe, contra illos præcipue, qui belli aut seditionis fuerint authores & principes, uel quorum perfidia & malitia ita sit explorata, ut spes nulla supersit eos quanlibet uictos & oppressos posse quiescere, aut seruare fidem, in officióque perdurare. Neque etiam deditis statim fides frangitur, etiamsi improbiores puniuntur: quia in deditos arbitrium habent ipsi uictores uitæ necísque, modo pars maior superstes sit. Deinde etiam non una est semper formula deditionis, qualem supra in Tarquinio Prisco proposuit de Collatinorum deditione. Variant enim plerunque conditiones & circunstantiæ.

Nonum. Supra etiam dixi de triumpho, hoc est, de magnifico & pomposo ducis uictoris cum exercitu suo urbem Romam regressu, non permisso cuilibet duci, sed ei tantum, qui supra uiginti millia hostium iusto prælio uno, sine magna suorum clade & damno occidisset. Hic enim numerus postea ducibus est præscriptus propter ambitionem moderandam, ne quilibet imperator propter leuem uictoriam tantum sibi honoris arrogaret, tantósque sumptus ambitiose faceret propter nihili causam. Vide Valer. lib. 2. cap. De iure triumphandi.

Decimum. Dictator est moderator & magister Consulum atque aliorum magistratuum, nedum populi totius. Magister equitum uero est, qui proxime post Dictatorem habet potestatem in equestres copias. Quanuis autem Dictatura fuerit extraordinarius & temporaneus magistratus, utpote ad sex, quatuor, duósue menses, aut plus minúsque: tamen summa erat eius potestas, non tantum in exercitum, sed in omnes adeo ciues & populum, ut ab eo non liceret appellare in causa capitali ad populum, uel ad ullos magistratus. cuius potentiæ exemplum euidens & illustre Liuius infra copiose proponit, in fine libri octaui ab Vrbe condita. Vocatus est autem Dictator, quod eius dicto, mandato, decretisque & præscriptis, omnes parere necesse esset. Reliqua de iure eius apud alios inquire.

Vndecimum. Ignosci adolescentiæ & imprudenti ætati aliquoties posse, modo ne sæpius per malitiam peccent. Frustra enim implorabit iuuenis impunitatem à legibus, contra quas non ueretur maligne peccare. Cæterum ineuitabilis casus & error non uoluntarius meretur ueniam senioribus quoque. Sed de hac thesi multiplex & prolixa apud Iureconsultos est disputatio, de iuris & facti ignorantia.

Duodecimum. Exulibus eripiuntur bona simul & patria iúsque ciuitatis, si mulctentur perpetuo exilio, quales nunc Iureconsulti uocant deportatos, uel in seruitutem, uel in metalla damnatos. Sin autem exules non perpetuo sed temporaneo puniuntur exilio, carent quidem patria ad tempus, & tamẽ ius ciuitatis sue retinent, quales nunc uocantur à Iureperitis relegati, quibus etiã neque bona eripiuntur iure, tametsi huius contraria exempla inueniantur multa, sicut Clodius Ciceroni exuli relegato domum euertit & sacrauit.

Decimumtertium. Cohortem peculiarem sibi habebat Consul, Imperator, Prætor, aliúsue magistratus, in exercitu prouinciæ superior, quæ cohors postea uocata est Prætoria cohors, ut & prætorianus miles, prætorianum præsidium sæpe memoratum in historijs, cuius inde sub Cæsaribus tanta fuit potestas, ut soli prætoriani milites citra senatus authoritatem, citra populi consensum legerent aut repudiarent tollerêntque Cæsares & Imperatores, ut obseruatur in uitis Cæsarum. Et hi prætoriani milites sub Romulo appellati fuerant Celeres, à celeritate agilitatéque in officio præstando. Aliás etiam satellites & custodes principum uocantur, tutorésque corporis.

Decimumquartum. De ratione & ordine instruendi exercitus infra, circiter principium 8. libri ab Vrbe condita, & 2. libri de bello Punico Liuius scribit. extátque libellus Modestini cuiusdam de instruenda acie Romana, ab illis inquirere potes quo ordine locati sint milites. Fuerunt autem hi fere in prima acie hastati, inde principes, postea scutati, & hi omnes Antepilani uocabantur. Deinde in secunda acie lòcati sunt triarij, hinc lorarij. hoc est qui armatura leuiore utebantur. Denique Accensi, tanquam supplementarij, qui in mortuorum locum accensebantur. Post hos omnes tandem erant Subsidiarij, qui in subsidio reseruabantur ultimo discrimini prælij sustinendo, tanquam ferociores, & quibus plus confideretur. Præsidiarij uero milites in castris oppidísue relicti, impetum oppugnationis arcebant, mire tamen casu temporéque hic ordo hæcque nomina uariarunt postea. Equites uero utrinque à cornibus, id est lateribus aciei pedestris stabant, aliquando procursantes ante aciem, quibus postea Velites Trossulique immixti sunt. Diuiditur autem totus exercitus in milites leuis armaturæ & grauis armaturæ. Pugnam prælimque incipiebant primi leues milites, quibus auxilio succedebant Equites. Fatigati autem leues recipiebantur in secundam aciem, unde prius se proripuerant, illísque grauior & robustior miles in pugnam succedens, suo robore hostem sustinere, urgere,

protrude

protrudere, adiutus equestri acie, solebat. Reliqua de his apud alios authores inquire, ut apud Vegetium, qui de re militari scripsit iustum opus. Mihi enim satis est hic nomina ordinémque militum qualemcunque indicasse.

Decimumquintum. Supremi ducis uicarius erat Legatus in exercitu, cui ius datum obire officia numiáque ducis absentis, ita tamen, ne quid præter eius consensum innouaret.

Decimumsextum. Saturnaliorum dies Saturno festus & sacer institutus est, circiter ducentesimum sexagesimum annum ab Vrbe condita, postéaque Saturnalia sunt aucta, ut pluribus diebus agerentur mense Decembri, comitate & festiuitate mira inuicem mittentes munera, officiáque exhibentes & conuiuia memoriámque Saturni colentes, ideo, quòd ille ex Græcia profugus in Italiam ueniens ad Ianum, artẽ colendi uineas agrósque, & usum monetæ, aliarúmque rerũ Italos docuisset, ut est apud Ouid. in I. Fast. & apud Vergi. in octauo Aeneid. Et in Græcorum quoque historijs. Vnde & duo Castella suburbana Romæ sortita sunt nomina, ut alterum diceretur Ianiculum à Iano, alterum Saturnia à Saturno.

Decimumseptimum. Primores non debent iniurijs immodicáque potẽtia premere plebeios & populares suos, alioqui seditionum materia prebetur, Quamuis contumacia plebis aliquando est ui retundenda, plébsque exercenda, ne otio lasciuiat nimio & securitate. Sed de hac supra quoque memini in proximo Catalogo, de popularitate moderanda.

Decimumoctauum. Non solum peccatum & delictum meretur pœnam, sed uoluntas etiam & consilium quandoque punitur si ad aliquem conatum se intenderit, uel alium impulerit ad delinquendum ui pretióue, causámque delicti dederit. Atque hic locum habet passim uulgata regula Caßiana, cui delictum commodo fuerit, eum quoque debere pœnam delicti luere. Nam alioqui cogitationis pœnam nemo patitur. Sed de hoc plura Iureconsulti disputant, quando quispiam propter consilium teneatur luere pœnam.

Decimumnonum. Hinc Noemati Liuiano, leuatus metu ad suum rediit ingenium, plane quadrat illa Terentij sententia in principio Adelph. Malo coactus qui suum officium facit.

Vigesimum. Captiui, tametsi iam serui facti sint, tamen non ita crudeliter & immaniter tractari debent, quasi bestiæ sint, Nam heri & domini aliquo humanitatis sensu tangi debent, meminisséque illos etiam esse homines, quamlibet seruos & captiuos. Hic est ergo Catalogus obseruandus ex historijs duodecim annorum.

Sed & bellum Volscum.) Ap. Claudio, & P. Seruilio Coss. prima seditio in urbe Romana orta est, inter plebem & patres, authore C. Licinio propter nexum. uerum Nexus est ius uinciendi debitoris, si ære nequeat creditum persoluere, quo nexu creditor domi suæ tanquam in carcere priuato, coercet debitorem & retinet, quoad sibi satisfaciat quocunque modo. Sunt autẽ in hac historia multa quidem egregia exempla, quibus describitur diuersus & uarius animorum habitus seditiosæ plebis, & hominum factiosorum & impotentium, qui immodice utuntur sua potentia magis, quàm ut ad tempus de suo iure nonnihil cedere uelint. Neque uero simplex hæc fuit seditio, quia & seceßio facta est plebis in montem sacrum. Flagrabat,) id est ardebat.

Fremebant.) id est plebei. Premebant.) Querela plebis de improbitate potentium, quorum mancipia quasi cogerentur esse plebei. Nexos.) id est uinctos. Nexus. xa. xum, significat uinctum. Nexus, us, ui, ius ipsum uinciendi. Vnius,) id est ex plebe. Magno natu.) Occasio seditionis propinquior à calamitate plebei cuiusdam senis nexi & iniuriose tractati, à suo creditore in nexu. Et est hypotyposis. Inuidiam,) id est plebis contra potentes. Gliscentem,) id est augescentem. crescentem. Insignibus,) id est, quia erat nobilis plebeius. Obsita.) id est fœdata. Perempti,) id est male affecti. Capilli) id est iusto prolixiores. Efferauerant,) id est teteriorem quasi reddiderant & horribilem. Ordines duxisse,) id est prefectum aliquot fuisse militibus.

Cicatrices.) 29. A. id est uulnerum signa. Fecisse æs alienum,) id est contraxisse æs alienum. Id,) id est æs alienum debitum. Villa,) id est prædium. Cumulatum usuris,) id est aggrauatum. Exuisse,) id est spoliasse, quod id debitum spoliauerit ipsum. Tabem,) id est morbum contagiosum. Peruenisse,) id est debitum. Ad corpus,) scilicet meum, qui debitor sum. Sed in ergastulum.) Ergastulum locus est, in quo mancipia deteriora uincta opus facere cogebantur, aut asseruabantur ne aufugerent. Græci aliàs κυδαραὶ uocant. Quandoque & Ergastulum significat ipsa uincula mancipiorum uinctorum, quibus grauati serui, tamen opus facere & laborare cogebantur.

Fœdum,) id est maculatum. Auditáque, scilicet de seniore milite illo. Soluti,) id est à seditiosis. Implorant,) scilicet ut sibi feratur auxilium.

Agminibus,) id est seditiosorum. Qui patrum) id est ex patribus. Temperatum,) scilicet, à ui. Deformitatem,) id est ignominiam. Hæc,) id est uincula. Dicere,) id est dicebant. Ipsi.) id est, plebei. Publici consilij,) id est Senatus.

Infrequentiam,) id est raritatem. Impediendæ rei,) id est ne quid consulatur & decernatur propter paucitatem Senatorum. Tergiuersari,) id est sensim declinare à cœpto. Ludibrio,) id est patribus.

Incerti,) id est Consules. Veniendo,) id est, in senatum.

Contraherent,) id est consisterent. Appius uehementis ingenij) Pro illustranda historia & motu agendo Liuius prudenter duos Consules diuersi ingenij inter se confert, Appium ferocem infestum plebi, omnia uolentem iure summo agere, qui sua pertinacia magis irritaret & incenderet furorem populi, quàm sedaret. Seruilium autem lenem, æquabilem, & qui uellet popularis esse, furorémque & iras seditionis clementer componere. Appio quidem Senatus fauebat & patres, infestißima uero plebs erat. Seruilius autem in odio apud Senatum erat, propter popularitatem, neque tamen ullam gratiam inibat apud plebem, cum efficere non posset ea, quæ promiserat & inceperat. Sicque cœpta seditio hunc annum perdurauit, tametsi plebem ad quædam officia præstanda pellexerit sua lenitate Seruilius. Vno aut altero,) id est seditioso. Flecti,) id est lenitate. Frangi, id est imperio. Terror,) scilicet fuit. Affecere,) id est commouere. Adeo discordia,) Epiphonema. Exultare plebes.) Exemplum malitiæ & inuidiæ in plebeis, qui malint ipsi quoque perire, modo optimatibus etiam periculum & exitium obueniat, quos oderant. Exultare,) id est exultabat. Nomina darent,) id est in album militare.

Militarent,) id est militare deberent. Præmia.) .29. B. id est opes & honores. Curia,) id est totus Senatus. Expediret,) id est eriperet. Ibi curæ esse.) Breuiter hic complectitur totam concionis materiam, qua Seruilius plebis captat beneuolentiam à studio Senatus erga plebẽ. Deinde hortatur plebeios ab honesto & periculo imminenti, ut militiæ dare uelint nomina. Cætera uero in præsens differt, quoad per omnia commodius plebi posset consuli. Misso,) id est dimisso. Deliberationi,) quam ideo differri oporteat. Maxima,) id est numero, non authoritate neque consilio. Laxamenti,) id est spacij. Accepta) id est à Senatu: quia non nisi mercede persuasum, uelle suum officium facere, est mere seruile & illiberale. Nam & turpe est utilitatem præponi honesto. Concioni,) id est suo sermoni. Edicto,) id est per edictum.

Edendi,) dandi. Moraretur,) scilicet à fructu possessionum. Fieri,) id est fiebat. Proripientium,) id est nexorum.

Retinendi,) scilicet nexos. Sacramento.) militari, ut se iureiurando astringerent militiæ. Vallum inuadunt) Vallum, est munimentum castrorum. Munimenta,) id est ualli. Consul,) id est Seruilius.

Ardor, id est ad prælium. Prædæ datum,) scilicet ut liceret cuilibet militi rapere quantum posset, sibique priuatim retinere rapta. Nam aliàs præda plerunque in publicum confertur. Romanos,) scilicet exercitus.

Palantes,) id est errantes. Eques,) id est equestres copiæ. Exercitus.) 30. A. id est hostilis, quòd contra ius gentium est & contra ius militare, simul indicere & facere bellum, cum aliquod spatium inter illa debeat intercedere.

Promissa Consulis, id est Seruilij. Ius dicere,) id est dicebat.

Nexi,) id est uincli propter debita. Cui,) id est alicui. Collegam,) id est Seruilium. Exprobrabant,) id est suas cicatrices & belli merita. Consulem,) id est Seruilium. Sed tergiuersari.) Tergiuersari, est se subducere ab incœpto. Alteram partem,) id est plebes. Gerendo se medium,) id est cum neutri parti se uellet addicere palam.

Mollem.) id est nimis facilem præ timore. Ambitiosum,) id est ad plebem. Fallacem,) id est quia non seruaret promissa. Annonæ,) scilicet curandæ, ut suppeterent ea, quæ ad uictum pertinerent. Collegium,) id est societatem. Centurioni,) id est præfecto primipili, id est primi Manipuli. Centurio qui præest centum militibus. Fastigio.) id est statu. Vsque,) id est maxime. Desperatio enim.) Seditio asperitate nimia in apertam uim erupit tandem, ut maiestas quoque Consulis læderetur.

Singuli, id est, creditores. Pluribus,) id est debitoribus. Populari,) id est quo silentio uellet sibi gratiam plebis emereri. Indicium,) id est quod eriperet seditiosum & absolueret. Pertinacia,) scilicet Appij. Supererant, 30.B. scilicet Appio. Secessionem.) Secessio est cum quispiam se hostiliter quasi subducit, ulturus suas iniurias. Neutris,) id est neque patribus neque plebi. A. Virginius.) Decimoquinto anno post exactos reges A. Virginio & T. Vetusio Consulibus, seditio alterum quoque hunc annum durauit, estque aperta secessio facta. Trepidaret,) id est, incerta esset metu & periculo. Temere,) id est inconsulto. Delatam,) id est rem. Excepta est,) id est res. Clamoribus,) scilicet Senatorum. Si quod.) Alij si quid, & melius. Magistratus,) id est qui fungerentur officio suo. Publicum consilium.) id est Senatum. Vnum uirum.) Ab exemplo argumentum. Id,) id est Virum esse præsenti animo & forti.

Quim Consulem,) id est qui non fungatur suo officio. Correpti,) scilicet à Senatu. Otio,) id est præ otio. Quia homines nihil agendo discunt male agere, sumuntque sibi licentiam cuiuslibet delicti. Publica fides,) scilicet data à Consule Seruilio. Vt pugnent,) scilicet liberi non serui. Eorum,) id est patrum. Vltima,) id est periculosissima. Ad sellas,) id est Tribunalia.

Patrum,) ideóque imperitissimus. Animus,) id est fortitudo. Vtraque re,) id est uoluntate patrum uana & plebis pertinacia. Tum demum Consules,) scilicet dixere. Postulamus.) Postulare, est iure petere. Vt ij,) scilicet patres.

Ignauia,) scilicet nostra. Redeunt,) scilicet, Consules. Certamen inter Senatores & plebem in foro. Globus,) id est turba. Impetus,) scilicet plebis.

Quæstionem postulantibus.) Postulare quæstionem, est petere, ut aliquis in ius uocetur, ibique crimen obiectum fateatur, aut se iure defendat. Nam quæstio est, inquisitio criminis & causæ in iudicio ipsa cognitio, inde & iudex & cognominatur quæsitor, id est inquisitor uel examinator causæ. Tres.) 31.A. Variatio sententiarum de placandis seditiosis. P. Virginius.) Vir Consularis. Non uulgabat rem,) id est non censebat omnes nexos solui debere, & liberari à nexu. De his,) id est liberandis. T. Largius,) scilicet dicebat. Sisti,) id est placari. Si alia aliorum,) id est, si alius iuuetur & alius non. Accendi,) scilicet per inuidiam. Tantum turbarum,) id est tantas turbas. Secure,) id est quàm, ut aliquid ui agere possit. Id malum,) scilicet lasciuiam.

Ad eos,) scilicet populares. Agedum.) Aduerbium hortantis. Pulset,) scilicet aliquis plebeius. Qui.) id est plebeius.

Vnum,) id est dictatorem. Rursus,) id est si conferretur cum sententia & facto Virginij & Largij. Rursus,) id est ex aduerso. Exemplo,) id est collatione. Totam fidem,) scilicet debitorum suis creditoribus seruandam. Vtroque, id est in utramque partem, uel inter sententiam Largij & Appij. Priuatarum.) Quia senatoribus plurimum debebatur à nexis.

Quæ semper) Noema. Imperium,) Dictatorium. Suo,) id est iure dictatorio & per se.

Haberet.) scilicet plebs. Prouocationem,) id est ius appellandi, quod ciuibus concesserat Valerius Publicola homo popularis. Ex familia,) id est Valeria. Edictum,) id est lex. Edictum est temporaneum, lex perpetua. hoc differunt inter se lex & edictum. Potestati,) id est dictatori. Nomina dedere,) id est militiæ. Legiones decem.) Illi non omnes habitauere in urbe Romana, sed in toto Latio, qui quoque ciues Romani erant, qui ad bellum hic conscripti sunt. Aequi,) id est populi. Latinum,) id est Romanis sociorum. Retractare arma,) id est ne assuescerent rursum miluiæ, occasionem capturi aliquando rebellandi.

Exciuit,) id est elicuit. Contemptim,) id est qui contemnerent Romanos. Pilis,) id est hastilibus. Rem gerere,) id est gladiari. Stupentibus,) id est quasi nihil sentientibus.

Micare,) 31.B. id est splendere uibratos. Cursu ierant.) Et se fatigauerant ita. Vigentes,) id est non fessi. Velitras) ad oppidum Volscorum.

Plus sanguinis factum,) id est fusum. Nam facere sanguinem, est fundere sanguinem, historica phrasi. Promiscua cæde,) id est, qua nemini parcebatur, ne mulieribus quidem, pueris & senibus. Pedes,) id est pedestris acies. Post pugnam) scilicet contra Latinos, de quâ supra sub consulatu T. Ebutij & C. Vetusij. Posterísque,) id est Valerijs. Ad spectaculum, scilicet ludorum. Curulis,) id est quali utebantur in Curia illi qui magistratus gerebant, aut gesserant honoratos. Coloni,) id est ab urbe Roma.

Consules.) id est Seruilij. Temere,) id est non ita prudenter. Male commissum,) id est imprudenter cœptum. Ignauia,) id est propter ignauiam. Incruenta,) id est, sine sanguine parta. Trifariam,) id est contra Aequos, Volscos, Sabinos.

Euentu,) scilicet prospero. Cum.) id est partim. Tum,) id est partim. Præparauerant,) scilicet se. Valerius,) id est Dictator. In Senatum,) id est ad senatum, uel aduersus senatum, qui conabatur premere plebem. Medius fidius) quasi me deus iuuet fide, uel, me deus iuuet fides, ex quatuor uocabulis compositũ.

Quod ad me.) Aequabilitas Valerij, cui cum Senatus nollet obsequi, sed plebem pergeret premere, erupit tandem seditio in hostilem secessionem. Hoc magistratu,) id est, prætura. Priuatus,) id est sine magistratu. Indignantem,) id est ægre ferentem. Suam uicem,) id est miseriam plebis. Præstaretur,) scilicet ipso effectu, re ipsa. Incessit) à uerbo incesso. Teneri sacramento,) id est iureiurando adhuc obligatum esse.

Exolui scelere.) 32. A. Quia non sunt facienda mala ut eueniant bona, neque minus malum est admittendum, ut euitetur minus. Fama est,) id est de sacro monte. Lacessiti,) scilicet ad certamen. Suspensa,) id est dubia. Metu,) id est præ metu. Nam Senatus timebat plebem, & plebs uicissim timebat Senatum. Plebs,) id est qui armati fuerant in expeditione sub dictatore Valerio & iam secesserant. A suis,) id est plebeis, qui in urbe remanserant. Diu fore) quasi dicat, minime. Existat,) id est oriatur. Ducere,) id est putabant. Eam,) scilicet concordiam. Per æqua.) Quia pax etiam iniquissima, melior est bello æquissimo, nedum seditione. Inde.) id est ex plebe.

Prisco,) id est exoleto. Horrido,) id est impolito. Modo dicendi,) id est orationis genere. Vide autem Ciceronem in Bruto, & Hadrianum in cõmentario de lingua Latina, qui genera dicendi quatuor secundum ætates numerant. Primum Priscum, quod exoletum & incultum erat ab Vrbe condita ad bellum usque Punicum secundum. Medium uero à Catone Censorino & Scipionibus, qui circiter annum urbis quingentesimum & quadragesimum uixerunt, durauit ad Ciceronem usque. Deinde optimum genus ætate Ciceronis, Virgilij, Liuiíque floruit centum annos circiter. Quartum genus dicendi nouum optimo illi longissime impar & diuersum, medio autem lasciuius, post ætatem Liuij & Fabij fuit in usu, ad millesimum circiter annum urbis, inde uero successit mera propemodum barbaries, tametsi aliquot boni poetæ tum quoque fuerint, sed pauci admodum.

Tempore quo.) Apologus mire festiuus & aptus ad plebis animos reconciliandos, de membrorum in corpore conspiratione aduersus uentrem. Nihil aliud,) id est agere. Conspirasse,) scilicet ferunt membra. Conficerent.) id est manderent.) Hac) .i. ex hac. Tabem) .i. fere absumpta esse fame. Reddentem, id est dimitentem, deriuantem. Vigemus,) id est ualemus. Pariter,) id est proportione sua in uenas. Maturum,) id est recentem & bonum. Confecto,) id est digesto. Sanguinem,) id est sedẽ animæ & uitæ.

uitæ. Hominum) id est plebeiorum. Comparando) id est per analogiam singula singulis reddendo.

Concessum.) id est itum. Sui) id est plebei. Sacrosancti) id est ita non uiolandi, ut sacrum, deuotum, execrabileque esset eius caput, uitáque cum bonis, qui aliquam uim aut iniuriam suis tribunis inferre auderet. Auxilij) id est pro plebe aduersus consules.

Capere id est capessere & gerere.

Ita Tribuni) primi Tribuni plebis C. Licinius & L. Albinus & Sicinius cum alijs duobus creati sunt, quarto Idus decembris, anno ab Vrbe condita ducentesimo quinquagesimo nono: de quo magistratu plura in catalogo dicam. Legem sacratam) de immunitate Tribunorum. Esse latam.) scilicet à Tribunis. Huic historiæ de seditione, subnectam catalogum aliquot institutorũ atque thesium quibus exempla eius explicantur.

CATALOGVS INSTITVTORVM atque thesium tempore seditionis.

Primum ergo institutum obseruo de nexis ob æs alienum: ita uero turpe uidebatur ipsis Romanis legibus, suam rem familiarem male curare & negligere, & aliena quasi pecunia mutuatitia uictitare quempiam cogi, ut ius fecerint creditoribus, non solum rigide debita poscere, sed etiam ipsos debitores in uincula atque in carcerem priuatum atque in seruitutem adeo conijcere, ut si pecuniæ non essent soluendæ, corpore saltem luerent & satisfacerent. Quare & cum moreretur aliquis ære alieno obstrictus, plus debens, quàm ut exoluere de suis bonis credita posset, reliquis illius cadauer discerpendum, dilacerandúmque creditoribus dabatur, ut quisque sui crediti nondum persoluti partem suppleret cadaueris frusto, quæ lex fuit inhumana quidem, sed adeo inuisi erant tum prodigi & decoctores, ut tale ius competeret in eorum cadauera, aliique exemplo tam sæuo deterrerentur à negligentia suarum rerum. Vt enim Rerumpub. nerui sunt & præsidia diuites ciues, ita nõ potest consistere in placida pace & sine iniurijs populus ille, in quo multi sunt debitores, prodigi, decoctores, & ualidi mendici, otiosique. Vocatur ergo illa coercitio uel seruitus debitorum, Nexus, eo quòd uinculis & carcere, quasi necterentur, unde & ipsi appellabantur, Nexi. Sed exoleuit hoc ius de priuato nexu: quia publica coercitione iam debitores coguntur satisfacere suis creditoribus.

Secundum. Hoc quoque arguit quantum oderint leges Romanæ ignauiam & negligentiam rei familiaris, & contrahendi æris alieni facilitatem, ut permiserint grauissimis usuris premi debitores ipsos: ita, ut menstruæ quoque usuræ soluerentur, nedum annuæ. Hinc fuere usuræ uicesimæ, trigesimæ, & ultrà, centesimæ, hoc est, quæ usuræ æquarent ipsam sortem, id est, summam pecuniæ mutuo datam mense uigesimo, trigesimo, centesimo. & hoc tamen ius correctum est ab Imperatoribus Romanis, cum uiderent immodicis & immensis usuris bonos quoque ciues exhauriri ab usurarijs. Verum de hoc Iureconsultos cõsule, in materia de usuris ualde & certatim sollicitos.

Tertium. Mancipia suspecta, aut fugitiua, aut nequiora ergastulis coerceri, & carnificina quasi domari ius erat: quia arbitrium uitæ necísque seruorum suorum qualiumcunque habebant domini. Ergastulum, est locus in quo uincti serui cogebantur facere opus.

Quartum. Plebeiorum & priuatorum hominum non est, moderari & arbitrari publica consilia, quæ magistratibus Senatoribúsque demum commissa sunt. Vnde Anacharsis philosophus Scytha dixit, Rempub. Athẽiensem celeriter perituram esse, quòd in ea consulerent quidem optimates, sed plebs decerneret & iuberet, ut fere solet in Democratiis fieri.

Quintum. Non ita ualent ea quæ à minore parte Senatus uel collegij statuuntur, & decernuntur, sed quæ demum à meliore, saniore, aut maiore parte decernuntur. Verum de hoc prolixæ sunt disputationes apud iureconsultos, quando pars collegij una authoritatem habeat statuendi quippiam, inscia uel absente uel repugnante altera: cuius regula ferè hæc est, quam dixi. Vt melior pars uincat maiorem, tametsi plerunque accidit contrarium stultitia uel pertinacia hominum, ut maior pars uincat meliorem.

Sextum. Ardorem militarem non reprimendum esse gestientem capessere prælium experientia militaris præcipit. Quo enim ardor ille est uehementior, eo fortius pugnant milites. Nam ira dat animos.

Septimum. Cum urbs aliqua capta datur prædæ, tum proprium est cuiusque militis, id quod ex præda capit. Alioquin autem præda in publicum redigitur, & confertur ad ducem, qui eam partitur inter milites, uel uendit, pecuniamque redactam in ærarium reponit, uel in alios usus prædam conuertit.

Octauum. Iure gentium & militari non debet inferri bellum, nisi ultro citróque missis legatis de rebus repetendis, & utrinq; responso dato: tametsi iam plerique omnes imitantur exemplum Auruncorum in bello indicendo, quod statim cum legatis, nondum accepto responso ab aduersaria parte, contra ius gentium inferunt, cædibus & rapinis grassantes.

Nonum. De creditis pecunijs ius dicendum est propter fidem priuatim publicéque seruandam, & ut unicuique suum reddatur, neque ius suum intercipi debet à creditoribus contra debitores, tametsi pauperes. Oportet enim priuata inter ciues beneficia agnosci & florere. Neque enim alter sine alterius ope per omnia potest uiuere, neque consisterent mutua beneficia, si nulla gratitudo, si nullum ius reposcendi crediti esset. Sunt ergo ditiores beneuolentia iuris illiciendi, ut eo promptius & libentius pauperculos adiuuent pecunia, aliaue ope, & cogendi pauperes, ne sua ingratitudine & iniuria alijs tenuibus noceant apud diuites.

Decimum. Lex Solonis fuit teste Gellio in secũdo, capite duodecimo, & Plutarcho in Solone, quam Romani quoque postea ab Atheniensibus mutuati sunt, hanc scilicet: Seditione existente in aliquo populo, non ferendum esse eum hominem, qui neutri parti adhærere, sed medium indifferentémque se gerere uelit. Oportere ergo ad alterutram partem se transferre quamuis optimum ciuem. Multo enim melius esse cum iniquiore etiam & iniustiore parte sentire contra saniorem, quàm à neutra parte stare. Potest enim bonus uir suam partem magis & maiori commodo Reipubl. adiuuare, quam medius ille dissimulator & proditor quasi utriusque partis. Sic merito Seruilius Consul, se medium gerens apud utrosque, odium sibi conflauit. Reliqua uide in allegato capite Gell. Potéstque hæc lex non tantum seditioni, sed cuilibet discordiæ publicæ aut priuatæ accommodari.

Vndecimum. Honorati magistratus & altiores dignitates officiáque maiora non debent mandari uilibus, aut non idoneis personis, ne personæ leuitas aliquam maculam inurat dignitati, & officio obsit. Pulcherrimáque ibi demum est functio, ubi boni prudentísque hominis uirtus aliquantam maiestatem affert officio & muneri publico uel priuato. Quòd si tamen dignitas uel magistratus ad aliquem indignum deuoluitur, non debet contemni magistratus propter personæ uilitatem, ut si contingat aliquem non idoneum nasci fieriue principem, ut sunt plerique heroum filij noxæ, non debet uilipendi propter illos officium: quia in magistratibus non persona, sed uoluntas, ius & authoritas totius populi, & adeo ordinatio Dei iurísque naturalis spectanda est. Valet ergo lex prædicta magis in uoluntarijs & arbitrarijs bonorum suffragijs, quam in iure hereditario aut simili casu.

Duodecimum. Consilio & authoritate principum, non clamoribus neque improbitati uulgi, potius aliquando cedere debet magistratus, & obsequi: ita tamen, ut maiestatem suam non imminuat, tametsi nonnunquam plebis quoque furori, tanquam tempestati, oportet cedere.

Decimumtertium. Conuenticula & occulta colloquia prohibentur hodiéque in iure ciuili, ac pro seditiosis habentur, qui conuenticula faciunt.

Decimumquartum. Immodicum otium populo non est permittendum, quia militia alijsue laboribus honestis occupari debet potius, quàm ut otio in luxuriam licentiámue declinet.

Decimumquintum. Non clamoribus aut reprehensionibus, sed prudentia & animo præsenti res agi debet in senatu publicísque consilijs. Parum enim prudentis est multa uociferari, & plura reprehendere, quàm corrigere & emendare. Rectéque

Demosthe. in Philippica quadam dicit, duo genera esse ciuium perniciosa, Vnum eorum, qui præ cupiditate immodicoq; studio priuatorum commodorum publica negligunt, & neque re, neq; consilio adiuuant, etiamsi in magistratu agant. Alterum eorum, qui cum in publicum consulere non omnino possunt, per impotentiam uel imprudentiam suam, tamen fortiter uociferando calumniantur ab alijs etiam bene acta.

Decimumsextum. Male consulitur inter discordiam & priuatas cupiditates contentionésque. Consentientes ergo oportet esse animos recte consulentium, ne dissimilitudo uoluntatum perturbet negotium, totámque causam.

Decimumseptimum. Periculosum est fidem priuatam labefactari, ne priuata exempla in publicum quoque obsint, neue semel spreta fides in alijs quoque magis ardua contemnatur.

Decimumoctauum. Vehementia imperia seueriórque potestas non permittenda sunt uehementibus & ferocibus ingenijs, sed mitioribus, ut ita tractabilis fiat temperatura potentiæ & animi moderati.

Decimumnonum. Non licebat priuata authoritate in fidem deditis tractare arma, neque socijs, qui maiestatem populi Romani obseruarent.

Vigesimum. Vbi Senatus contra totum populum iniustius aliquid decernere statuit, ibi licet contra Senatum habere actionem, & referre pro populo, tanquam pro maiore parte Reipubl. Præstat enim paucos offendere, quàm totum commune lædere.

Vigesimumprimum. Sacramentum militare, est iuramentum quod dant milites, se fideliter pro Duce, pro patria, pro suis partibus dimicaturos, & re opéque suos adiuuare uelle, obligantúrque hoc sacramento tantisper dum confectum sit bellum.

Vigesimumsecundum. Nullo scelere exoluitur religio ulla. Neque enim sunt facienda mala, ut eueniant bona: multo minus sunt facienda mala, ut eueniant mala alia.

Vigesimumtertium. Iniquis cõditionibus recte aliquando pax initur, etiam iniquißima, quæ tamen melior est bello æquißimo. Inter duo enim mala, minus & tolerabilius malum debet eligi.

Vigesimumquartum. Quantis studijs & obsequijs Senatum & Rempub. suósque magistratus iuuare & obseruare teneantur populares, aperte indicat pulcher apologus Agrippæ de uentre & alijs membris in corpore seditiosis, & in hac comparatione per analogiam singula singulis si conferas, suppeditabitur tibi iucunda & copiosa materia de hac thesi.

Vigesimumquintum. Tribuni plebis, magistratus nouus, tanquam patroni plebis, contra Consules sunt creati, plurimúmque iuris habuere, ut intercessionem contra senatus decreta, lationem auxilij pro plebeis contra Consules, relationem ad plebem pro faciẽdis plebiscitis: id est, legibus à sola plebe latis & approbatis. Actionem pro plebe contra Senatum, immunitatémque tantam, ut capitale & sacrum, id est deuotum esset etiam magistratui qualicunque læsisse tribunum plebis aliqua ui aut iniuria, & hæc quinque iura Tribunorum ad tantam licentiam postea euexerunt plebeios tribunos. ut nihil fere non auderent, sibique non arrogarent, excitantes plurimas seditiones & factiones, ut recte à poeta cognominentur, cum Consulibus turbantes iura Tribuni, ut exempla Romanæ historiæ paßim indicant.

SP. Caßium.) 32. B. Decimo sexto anno post exactos reges Sp. Caßius & Posthumus Cominius Consules. Feriendum,) id est faciendum. Consul alter,) id est Caßium. Alter ad) id est Posthumus. Compulsos,) id est fugatos. Mucamitem,) id est oppidum. Erat tum.) Exemplum fortitudinis militaris in Martio Coriolano, cuius uitam prolixe describit Plutarchus, similque istorum temporum historias uerbose explicat.

Extrinsecus.) id est extra urbem. Retulit,) id est repræsit. Proximo,) id est aditu. Fusi,) Metaphora sumpta ab aquis diffusis. Famæ,) id est gloriæ Consulis,) id est Posthumi. Collega,) id est Posthumus.

Ceßisset memoriæ) id est abijsset in obliuionem.

Eodem anno) Exemplum honestæ paupertatis & moderationis in Menenio Agrippa. Secessionem,) id est propter reconciliatam pacem. Huic,) id est Menenio. Amplificatio à circumstantijs sumpta. Interpreti,) id est nuntio. Extulit,) id est ad

funerandum. Sextantibus, id est duabus uncijs æris. Incapita, id est uiritim. Consules deinde Decimo septimo anno post exactos reges. Primum annonæ, Annonæ, sunt fruges in annum repositæ. Clausis, id est obseßis. Dextris ab hoste, id est ad occidentem uersus. Læuóque per Volscos, id est, ad orientem sinistro littore. Sicilia, id est Insula, quæ postea horreum populi Romani publicum est facta. Longinquis, id est Siciliensibus.

Tarquiniorum. id est qui iam tum erant mortui. Qui hæres erat. Quia filiam Tarquinij regis uxorem habuerat.

Frumentatoribus, id est coemptoribus frumenti. Tyberi, id est per Tyberim. Vexati, id est afflicti. Vbi ea, id est pestis. Arx, id est locus præsidij.

M. Minutio deinde, Decimooctauo anno post exactos reges M. Minutio & A. Sempronio Consulibus, orta est factio & contentio Martij Coriolani contra plebem, in quam cum ferocior esset, eámque premendam censeret, condemnatus exilio per suffragia populari, ad Volscos exulatum abijt: quæ factio causam præbuit periculosæ obsidionis urbis Romanæ. Estq; exemplum ferociæ & libertatis nobilitatis aduersum plebeios. Vis, id est copia. Multi, id est, Senatores. Iura, id est pristina. Veterem, id est ueteri pretio.

Pollentem. id est potentem. Missus sub iugum, id est ego patritius detectus meo iure & dignitate. Sub iugum. Iugum uero appellabant duas erectas hastas transuersim superposita tertia, sicut patibulum, sub quod ignominiosi & probrosi milites mittebantur infamésque fiebant. Latronibus, id est Tribunis, est auxesis, amplificatio. Tarquinium regem. Argumentum à maiore ad minus ualet negatiue. Qui non tulerim, Nos qui non tulerimus, est heterosis personæ. Nam decem & octo anni erant post exactos reges. Secedat Permißio anteualenti. Frumenta, id est quæ nulla sunt. Fecere, scilicet nulla, propter neglectos agros biennali seditione. Hoc malo, .i. fame.

Haud tam, id est, Iudicium Liuij de Coriolani consilijs. Faciendum ne fuerit, id est an cum Respub. commodo plebs tamen premi potuerit. Laxandi, id est uiliorem faciendi. Annonam laxare. 33. A. Annonam arctare. Demerent, id est abolerent. Fame iam. Querela plebis odiosa contra Coriolanum. Fame, scilicet conquerebantur. Hostes, id est in obsidium. Frumentum quæ Relatiuum conuenit posteriori.

Satisfiat, id est luatur. Execuntem. scilicet Coriolanum. Quisque, id est plebeiorum, quia paria erant suffragia omnium in Comitijs. Inimici, id est Coriolani. Auxilij, id est pro plebeis. Non pœnæ, id est patriciorum. Vt unius, id est ut unus lueret pro omnibus pœnam. Ordinis, id est senatorij. Dispositis, id est per loca ordinatis, Rem dificere, id est concionem impedire. Vniuersi, id est patres. Quicquid erat patrum reos diceres. Synthesis. Reos, scilicet sicut Coriolanum.

Ira, scilicet Coriolani, Eminebat apparebat. Nominis, id est populi, Alterum, id est Tullum. Alterum, id est Coriolanum.

Caperent. id est resumerent arma contra Romanos. Spiritus, id est, audaciam esse Volscorum retusam. Arte, id est fraude.

Exoleto, id est deposito quasi. Ludi forte, Exemplum præstigij & superstitionis, quæ miraculo etiam firmata est. Ita enim dæmones etiam peßima quæque miraculis suis stabilire possunt, atque ita impiorum hominum animis offundere tenebras. Instaurandis, id est denuo rite agendis.

Circo. id est Campo. Præsultorem, id est præsulatorem, ut ita dicam. Religione, id est metu deorum. Animus, id est Latini. Timorem, id est deorum. Species, id est somnij.

Maiorem, id est pœnam. Præsentior, id est certiore somnia firmata & expreßiore. Prolatantem. id est producẽtem.

Repræsentatas. 33. B. id est significatas. Aliud miraculum scilicet apparuit. Captus membris, id est priuatus usu membrorum.

Functum officio. i. postquam narrasset suum somnium. Priusquam committerentur. Exemplum insignis calliditatis & doli, quo Volsci quieti & bellũ alioqui fugientes, tamen pertracti ad bellũ Romanis inferendum per suũ ducem Acciũ. Committerẽtur. .i. celebrarẽtur. Cõpositũ. i. deliberatũ. Arbitris. i. cõscijs. Quod

un sit

ius sit sequũ).i.prosequi, ut nos eelem ex iure fœderis nostri nobiscum. Criminatum).i. ut eriminer. Cautum,) id est, ut ea ne am inuitus equidem.) Exordium obliquum uel insinuatio. Nimiò.) Expositio uel narratio consilij Volscorum.

Ludi sunt.) Circunstantiæ, quibus reddit credibile consilium Volscorum. Ne quid fiat).s.à Volscis. Rem dubiam,) scilicet, de tumultu faciendo à Volscis. Author,) id est delator. Præcauendum,) scilicet à Volscis. Ex superuacuo,)id est propter nihili causam. Contaminatósque,) id est prophanos. Hominum deorúmque.) Quia conueniebant ad ludos propter honorem deorum.

Abactos.) id est se esse urbe expulsos. Ferentinum, locus in Hetruria. Verba,) scilicet Tullij. Secunda iræ,) id est accommodata ad iram Volscorum exacerbandam. Adulator loquitur uerba secunda fortunæ. Leuitas non est secunda authoritati. Exorsus,) id est narrare incipiens. Vt omnia,) oratio amarulenta Tullij ad suos Volscos, qua exprobrat eis ignominiam à Romanis illatam, & eam exaggerans animat suos in ultionem. Quo animo fertis.) Propositio. Iniquissime ferre debetis, & non impune habere contumeliam nobis factam. Commisere,) id est fecere. An non sensistis.) Amplificatio iniuriæ à circunstantijs, Primum argumentum. Triumphatum) quasi deuictis. Spectaculo,) id est ludicro. Per ora,) id est aspectum & sermonem. Quid eos,) secundum argumentum à iudicio hominum. Nefas.) id est prophanum crimen. Piaculum) id est crimen, quod debeat piari & purgari. Sede,) id est theatro. Succurrit,) id est in mentem uenit. Quód,) id est eo quod, quia. Quid deinde) Tertium argumentum à periculo. Bellum nobis,) 34.A. Conclusio & consilium. Deficeret,) scilicet à Romanis. Imperatores.) Bellum Volscorum contra Romanos difficilimum, cuius se ducem præbuit Coriolanus aduersus patriam suam, qui tametsi exul & iniuria prouocatus à suis, tamen impie egisse iudicatur, quod priuatam iniuriam publica calamitate patriæ conatus sit ulcisci, quanquam & in utranque partem de hac materia copiose posset dici. Circeios,) id est, ad oppidum littorale proxime Tyrrhenum mare, ubi Circe uenefica dicitur habitasse, apud Ouidium quoque in decimoquarto Metamorph. Tramitibus.) id est itineribus. Transgressus,) scilicet à mari. Castris positis,) scilicet intra Albam & Romam, de quibus supra in rege Hostilio, in primo, Oriretur,) scilicet ex inuidia plebis. Criminando,) scilicet nobilitatem. Concordiæ uinculum,) quia iuxta prouerbium: Mala conciliant inter se homines. Iungebat,) id est conciliabat. Conuenirebat) id est, inter patres & plebem. Consules erant,) id est, decimonono anno post exactos reges.

Oratores.) id est legati Ager,) id est à Romanis ereptus. Si uelint,) id est Romam. Præda) id est agro Volscis erepto per uim. Et) id est non solum. Et, id est uerum etiam.

Irritatos, id est ad iram. Fractos, debilitatos. Tum matronæ. Exemplum pietatis erga matrem suam in Coriolano, qui præstare maluit beneficium, & obsequi suæ matri, quam patriæ precanti. Fuisset autem absolutior pietas, si idem patriæ precibus præstitisset, soluta obsidione urbis, Matrona, significat uxorem alicuius nobilis uel patricij, uel dicitur propter eius ætatem quoque.

Motus, ad misericordiam. Obstinatior, id est immitior, durior. Vt, id est nempe. Inquit, 34.B. scilicet familiaris

Mulier in iram. Exemplum libertatis, & maternæ authoritatis obseruatæ à Veturia aduersus Coriolanum filium, quæ libere filio hosti prepotenti exprobrat impietatis crimen oratione pathetica, qua non muliebriter rogat, neque supplex est sed plane imperat & minatur filio pro iure matris. Potuisti. Increpationes & exprobrationes, quibus amplificat impietatem filij.

Penates. id est dij domestici. Ego, id est Veturia.

Peperissem. scilicet te. De his id est uxore & liberis.

Mors immatura, scilicet cum occidentur in urbe capta. Seruitus, id est cum capientur. Et comploratio. Complorare est deflere & deplorare eum, de cuius uita nulla amplius spes est. Abductis. Variatio historiæ, cuius & Cicero meminit in Bruto, & Plutarchus in Coriolano, de morte eiusdem. Oppressum, id est à Volscis. Inuidia rei. Nam quidam aiunt statim Coriolanum à Volscis, ut proditorem occisum. Alij uoluntaria morte, hausto sanguine tauri mortuum, sicut Themistoclem Atheniensem pari exilio mulctatum. Alij dicunt, in extremo senio occisum. Alij naturali fato defunctum esse. Fabium, scilicet pictorem. Eum, scilicet Coriolanum.

Vocem. scilicet sententiam. Adeo sine. Noema uel Epiphonema. Monumento, id est ad perpetuam rei memoriam. Fortunæ muliebri. Quia fortuna Romanos liberasset à tam periculoso bello non nisi per mulieres muliebrésque preces. Confecit, id est ut ipsi inuicem se affligerent. Consules scilicet uigesimo anno post reges exactos. Hernici prouincia, Appositio. SP. Caßius Anno ab Vrbe condita circiter ducentesimo sexagesimooctauo, uel potius ducentesimo septuagesimo, creati sunt Consules Sp. Caßius Vicelinus & Proculus Virginius Rutilus, quo anno primum à Consule Caßio Vicelino illata est mentio legis Agrariæ, de agris publice diuidendis uiritim, quæ leges Agrariæ postea præbuere materiam peßimarum seditionum, ut explicatur apud Plutarchum in uita Gracchorum, & apud Ciceronem in tribus orationibus Agrarijs. Verum de his plura infra in Catalogo dicam. Diuisurus, id est uiritim.

Muneri. id est Agrario. Priuatis, id est patricijs, Promulgata, id est in uulgus edita. Lex agraria, id est lex de agris uiritim diuidendis pretio leui aut etiam gratuito.

Hanc memoriam, id est nostram ætatem. Consul alter, id est Virginius. Largitioni, id est agrorum distributioni.

In socios, id est Latinos. Audiebat, id est plebs. Pestilens, id est periculosum. Laturos, id est imposituros. Seruitutem. Quia forent obnoxij ipsi Caßio priuatim. Regno uiam, id est, quod Caßius sibi regnum affectet occupare. Assuni, scilicet in distributionem agrorum. Caßium, quasi regem, quem defendant beneficio illecti & deuincti. Popularis id est populo gratus.

Cœperat, scilicet Virginius. Intercessor, id est impeditor legis Agrariæ. Aßignari, 35.A. id est diuidi. In socios id est Latinos. Ambitiosius, id est qui ambiret honorem & fauorem apud Latinos. Iubere, id est iubebat. Siculo, id est ex Sicilia lato tempore famis, Sempronio & Minutio Consulibus.

Acceptam, id est ante, quarto anno. Insitam, id est animis infestam. Velut abundarent, id est uelut alioqui satis essent diuites. Magistratu, id est Consulatu, Necatum, scilicet tanquam regni affectatorem & libertatis hostem Est autem huius Caßij Vicelini frequens mentio, ut apud Ciceronem quoque in dialogo de amicitia, ubi uitiose appellatur Becelinus pro Vicelino. Sunt, scilicet historici. Signum id est statuam. Perduellionis, id est lesæ maiestatis & securitatis publicæ. Nam hoc crimen significat perduellio, sicut perduellis significat hostem patriæ. Diem, scilicet iudicij.

Domesticum, id est patris Caßij. Damnatur, scilicet ducentesimo septuagesimoprimo anno ab Vrbe condita. Haud diuturna. Intestinæ seditiones & discordiæ propter desyderium legis Agrariæ, quam plebs expetebat. Ea cupiditas, scilicet plebis Redegit, scilicet pecuniam. Nouißimum, id est qui prædam uendiderat. Tenuere, id est euicere. Consul crearetur, scilicet ducẽtesimo septuagesimoprimo anno. Oportet hic sequi uulgatum errorem in numero annorum propter Liuium.

Intermissæ scilicet sunt. Aemylio, id est Consule. Fusos, id est dispersos. Castoris id est dei, equestris.

Potestatem. scilicet tribunitiam. Gratuiti, id est etiam nulla proposita mercede & præmio seditionis. Largitiones, id est agrarias Temeritatis. id est discordiæ præmia. Ea, id est melior pars. L. Valerium, scilicet Quæstorem. Tenore, id est modo. Expertos, id est probatos, significat quandoque actiue, quandoque paßiue, hic paßiue.

Honos. scilicet Consularis. Initum, id est incœptum, Vires, id est Romanis. Minæ, scilicet Deorum Extis, id est intestinis hostiarum inspiciendis. Canebant, id est uaticinabantur. Ira moti, id est irati. Rite, 35.A. id est legitimis cærimonijs. Incesti, id est stupri, uetitæ coniugatio. Pœnas, id est uiua defossa. Q. Fabius, scilicet ducentesimo septuagesimo tertio anno. Compescere,) id est sedare.

Detract

Detrectandi.) id est recusandi. Iniungendæ,) id est imponendæ. Authorem,) id est Spurium. Eorum,) scilicet tribunorum collegarum. Fabio aliquanto). Exemplum perfidæ contumaciæ in plebe & militibus Romanis, quæ maligne detrectauit operam in prælio. Odio,) id est propter odium. Prodebat,) scilicet hostibus. Flagitium,) id est probrum perfidiæ contra iuramentum militare admissum. Instare,) id est urgere.

Ducis,) id est Fabij.

Referunt.) scilicet in castra. Nauatam,) id est impensam. Adeo excellentibus,) Epiphonema, quæ indignitatem & periculum rei significat. Pestilenti,) id est noxio. Ciuem,) id est contumacem præcipue. Thesis est, Multo difficilius est contumacem ciuem regere, quàm hostem uincere. Consulem creant,) scilicet anno ducentesimo septuagesimo quarto.

Ap. Claudius uictam.) Valde prudens consilium Appij, quo nam modo tribunitia potestas pertrahi in optimatium partes posßit. nempe si nobiles ambirent, sibique conciliarent ipsos Tribunos, uirésque eorum diuisas debilitarent. Dicere,) id est dicebat. Exemplo,) scilicet discordiæ inter eos ipsos. Exemplo,) id est propter exemplum.

Inuentum) id est semel. Bono,) id est commodo. Quando,) id est, quia. Defuturum,) id est bonum aliquem Tribunum. Ex collega,) id est malo Tribuno. Melioris partis,) id est optimatum. Suis uiribus,) id est dißonis. Vel.) id est etiam. Vnum.) id est bonum. Et unum,) id est uel aduersus. Singulos,) scilicet tribunos. Priuatim) id est ex aliquo priuato beneficio.

Moratorem,) scilicet pontificum, qui impedire uolebat delectum. Inde ad Veiens.) 36. A. Bellum Romanorum contra Veientes, quibus cum difficillima & perpetua ferè gesserunt Romani bella, centum annis amplius, quoad Veij potentissima urbs Italiæ secundum Romam, caperetur & uastaretur, ut infra in principio libri quinti. Quò, id est ad quos Veientes. Intestina discordia.) scilicet Romanorum.

Principésque in.) Locus communis de discordia intestina à Liuio pulchre explicatus. Vnde nascitur hæc Salustiana thesis, Concordia res paruæ crescunt, discordia uero uel maxime dilabuntur. Intestina.) id est quæ erat inter ipsos. Labem) id est morbum. Mortalia,) id est caduca. Id malum,) scilicet discordiam. Extrema,) id est ultima. Cuique,) id est Senatui & plebi. Leges,) ut senatusconsulta & plebiscita. Sæuire,) id est discordare. Sisti,) id est sedari. Magistratibus,) id est militaribus. Iniussu,) scilicet Consulis.

Inuicem. id est alternis. Consules quoque Romani.) Prudentia militaris, & stratagema amborum Consulum in retinendis, animandis & accendendis militibus ad cupiditatem & audaciam præliandi. Horrebant,) id est timebant.

Pessimi exēpli) .i. inobedientiæ. Duæ acies) .i. hostilis & sua.

Auersi,) scilicet ab hostibus. Lenituram,) scilicet esse. Diem, tempúsque,) Iuxta prouerbium: dies adimit ægritudinem, & tempus retundit impetū affectionis. Sanitatē) .i. bonam mentem.

Lacessere) .i. prouocabant. Increpando,) id est exprobrando.

Timoris) .i. Romanorum. Nouum genus) .i. esse inuentum.

Simulationē.) Hæc sequentia uerba exprobrabant Romani.

Qui uerba iacere) .i. exprobrabant & conuitia congerebant.

Nouitatem generis.) scilicet quòd Romani essent orti ex colluuie hominum oberatorum & criminosorum, qui in Asylum Romuli confugissent, ubi haberent immunitatem scelerum suorum. Nota hoc bene, quòd omnes populi & urbes, de quibus Liuius scribit in tota prima decade, sunt omnes Italiæ urbes & populi. Nam in prima decade, Romani bellum extra Italiā nullum gesserunt.

Successum) .i. prosperum belli euentum. Non patribus non Consulibus) .i. nolebant prosperum euentū belli & ipsis patribus & consulibus. Externo) .i. contra hostes. Prætorium) .i. tentorium ducis. Signum) .i. pugnæ. Addenda) .i. augendæ. Remorandóque,) scilicet quia nitimur in uetitum semper cupimúsque negatum, & uehementius intēduntur illi affectus, quos renitentes reprimere coneris. Impetum s. iræ & ultionis contra hostes. Animaduersuros) .i. punituros. Accendunt) .i. irritant. Statuisse,) id est proposuisse.

Potis.) 36. B. scilicet castrorum. Ingerūt) .i. ingemināt. Sensim) .i. placide. Tergiuersantur) .s. Consules. Ad crescentem tumultum) .s. inquit. Metu) .i. propter metum. Ipsi fecerūt) .s. sua culpa. Deos,) scilicet quibus dat miles iusiurandum. Pugnæ flagitator,) id est qui poscebat à Consulibus, ut permitterent milites pugnare.

Iuratus:) id est quibus iurauerat. à uerbo Iuro uenit participium præteritū, præter morem. In se quisque) .i. in suo periculo & capite, ut si iuramentum fallant, ipsi dare pœnas uelint periurij. Iuratis datur signum.) Descriptio ancipitis & dubij prælij pugnæque atrocis qua Romani uicerūt Veientes & Thuscos, Promptum linguis) .i. conuicijs. Virtus) .i. fortitudo. Statuunt) .s. Fabij. Pilis) .i. hastilibus, quibus incipiebant pugnam.

Irritatis animis) .s. Romanorum. Exacerbauerant,) .s. ira.

Inter primores.) Exemplum pietatis erga patriam in Q. Fabio, & ipsis ducibus, qui pro patria uitam exposituri, in prima pugnant acie. Hoc iurastis.) Exprobratio Ducis aduersus milites. Consuli,) scilicet inquit.

Restituto.) scilicet per Fabios. Ille. s. Manilius. Alter consulum.) id est M. Fabius. In eam partem) .i. in cornu Manlij.

Altero cornu,) 37. A. scilicet hostium.

Ad castra, scilicet Romana. Triarij) .i. principes milites

Conglobati) .i. congregati. Clauserat,) scilicet ne egrederentur castra Rabiem) .i. furorem. Quacunque) .s. parte tuncnem,) scilicet. Hetruscorum Excepta,) scilicet sunt.

Alterum consulem.) scilicet M. Fabium. Parta, scilicet est. Funeribus. Manlij consulis & Q. Fabij. Victoria egregie. Exemplum moderationis & pietatis in Fabio, qui modestißime recusauit triumphum. Se passurum. s. Triumphare.

Sine duce, scilicet se. Orba, id est orbata Consule tanquam patre. Lauream .i. coronam ex lauro arbore, qua coronabantur uictores. Depositus .i. recusatus. Acto .i. habito. Adeo, Epiphonema. Idem .s. M. Fabius. Concedendo, scilicet in oratione funebri. Illis, scilicet mortuis. Ipse, scilicet Marcus. Ferret, .i. auferret. Imbiberat .i. induxerat in animum Cura. id est in cura. Alibi, scilicet quàm apud Fabios. Esse, id est erāt.

Nec hoc. id est non erant populares.

Consul factus. scilicet anno ducentesimo septuagesimo quinto. Agere .i. agebant. Primo quoque tempore Est pronomen hic quoque. Coalescere .i. in concordiam concrescerent. Occuparent .i. præuerterent. Captiuum .s. ex hostibus. Aspernati .s. diuisionem agrariam Viuidum. .i. acre. Latini, id est socij Romanorum.

Latrocinij. 37. B. i. non iusti belli Cedebant .s. Vei. In urbem .s. Veios. Agros .s. Romanos. Eludentes frustrantes .i. frustrantes. Inuicem .i. alternis. Tota res .i. bellum contra Romanos. Ex historia proximorum duodecim annorum à Consulatu Posthumij & Caßij usque ad bellum Fabianum contra Veientes, hunc catalogum licet texere pro more instituto ad inquirendum uetera iura & consuetudines Romanorum,

CATALOGVS RERVM GESTArum et inter consulatum Posthumii bellum Veientium.

Primo. Leges & edicta, item pacta publica olim insculpi & inscribi solebant æneis tabulis, aut lapideis, & ita in publicum proponi legenda. Significabant autem æneæ literæ, quod leges & iura quasi perpetuo durare obseruarique debeant, sicut & æs uel saxum est durabile. Hunc morem Virg. quoque indicat in sexto, Fixit leges pretio atque refixit, scilicet in tabulis.

Secundo. Seditionibus & discordijs plebē assuescere ad ignauum otiū: ita, ut Remp. & familiarem negligens ad inopiam redigatur. Sic enim accidit eis merito, cum noluit suum officium & opus facere.

Tertio. Tribunos plebis tantum habere ius intercedendi, hoc est, impediendi & ferendi auxilium contra iniuriam aut uim, quæ ab aliquo magistratu, nedum priuato intentetur plebi, & plebeis, priuatísque ciuibus, ideóque Tribuni non sedebant in Senatu, sed in uestibulo Curiæ, ubi Senatusconsulta eis legenda offerebantur, ut ea uel approbarent uel reprobarent ipsi,

prout

prout placeret eis, & ex usu plebis uideretur esse. Si placeret, ascribebant λ. Si reprobarent, assignabant τ. Itaque non habebant Tribuni ius coercitionis, quo licet aliquem capere, mulctare, aut punire, ciuili uel capitali poena.

Quarto. Saepe euenire, ut magis authoritate, quàm ratione persuadeantur etiam prudentes, nedum incautiores & imperitiores & huiusmodi credulitas plerunque est erronea in rebus politicis. Certa ergo ratio potius est sequenda prudenti, quàm nuda cuiuslibet authoritas, iuxta illud:

Nullius addicti iurare in uerba magistri.

Imperiti uero authoritati pareant, quoad edocti, ratione rerũ ipsi quoque intelligant. iuxta illud: Addiscentẽ oportet credere.

Quinto. Prudentia & uirtus ducum in exercitu, disciplinaque militaris longe plus ualet, quàm plurimorum militum robur. Vnde & extat Alexandri magni χρεία, qui dicere solebat, se malle habere exercitum ceruorum duce leone, quam exercitum leonum ceruo duce, quae χρεία potest etiam artibus pacis & prudentiae togatae accommodari.

Sexto. Nimia securitas & otium facile parit discordiam: sed mala conciliant homines, timórque imminentium malorum facit arctiorem concordiam.

Septimo. Propter beneficium Veturiae matris Coriolani, hic honor deinde mulieribus, praesertim matronis, quasi lege certa est delatus, ut uiri mulieribus obuijs de uia cederent, & ut matronae uehiculis uterentur ad sacra euntes in urbe quoque.

Octauo. Prouinciam Romani proprie uocabant eam denique terram uel populum, qui cum ante sub alio principe uel liber fuisset, iam uictus, in Romanorum potestatem & sub imperium uenisset. Nomen à uictoria parta deriuatum est: inde & prouinciales, sunt populi deuicti & subiugati à Romanis, qui postea à proconsulibus, à praetoribus prouincialibus, à propraetoribus, uel quaestoribus quoque annuis regebantur.

Nono. Contra magistratum, in ipsa functione, & anno temporéue magistratus nondum elapso, non erat ius coercitionis: sed demum deposito magistratu & officio, cogebatur iam priuatus rationem reddere successoribus & populo suae administrationis, quam si male curauerat, tum mulcta uel poena graui puniebatur. In hunc modum Spu. Caß. Vicelinus, tametsi pessime se in consulatu gerebat, tamen eius poena dilata est, quoad exiret magistratus ipsius, & exacto demum anno, partim publico, partim priuato iudicio punitur extremo supplicio, eò quod ipse primus in imperio Romano intulit mentionem & contentionem de lege agraria: qua lege cauebatur, ut agri ex hostibus capti non adiudicarentur Reipub. uel aerario publico, néue agrorum reditus in publicum usum uenirent, sed ut priuatim inter ciues plebeios quoque in capita diuiderentur agri hostibus erepti, uel nullo uel paruo precio, tanquam praemium & merces nauatae operae pro Repub. in militia & expeditione contra hostes. Huiusmodi leges agrariae ab hoc tempore saepius relatae, occasionem dederunt plurimis seditionibus, inter Tribunos & Patritios, inter plebem & senatum: adeo, ut rem pessimi exempli hic Cassius Vicelinus inuenerit, ex qua publice priuatímque magna incommoda prouenire potuerint. Primo enim aerarium & Respub. suo iure & reditibus spoliabatur. Deinde cupiditas agrorum & legis dulcedo inhiare faciebat plebeios, & iure iniuriáue appetere priuatorum quoque ciuium agros & possessiones, praecipue locupletum, quas diuites uel sua pecunia uel haereditate acceperant, iámque diu possederant, sicut Plutarchus in uita Gracchorum aperte indicat, & alibi in historia Romana saepissime legitur. Quod cum hostilis ager tanto plebis aut militum numero non sufficeret, uoluerint isti populares tribuni priuatos quoque agros à diuitibus inuitis redimere precio iusto, uel potius eripere, ut iustam proportionem sortiretur diuisio agraria, cum iniuria ciuitatis & priuatorum ciuium, quia nemo iure potest cogi, ut alteri priuato ciui sua uendat inuitus. Et hae controuersiae ita sunt agitatae usque ad tempora Caesarum, qui satis iam aucto & ampliato imperio, militibus bene meritis soliti sunt agros & hostibus assignare & diuidere, quoad uiuerent, ita ne ad haeredes militum redirent haec praedia militaria, sed post mortem rursum Caesaribus obuenirent. Denique Constantinus Magnus imperator sanxit, ut illa praedia & agri assignati post mortem militum transirent ad haeredes ipsorum: quod ius militare praediorum hodiéque perdurat, & uocatur ius Feudorum: quia feudum barbare appellant militare praedium, quod Graeci παροχίαν, quasi praebendam uocant, quod praebeat militibus & nobilibus sumptum & uictum, alias etiam Graeci uocant παρουλα, tanquam praesens, & familiaris uictus. Caeterum haec praedia militaria ita iam sunt haereditaria, ut ad filios, nepotes, posteros, masculini tantum generis descendant, exclusis foeminis à successione, & talia fere pleraque sunt nunc bona nobilium à tributis & muneribus sordidis immunia: quia nobiles suam operam militarem & uere nobilem principibus aut imperatori nauare debent in militia & bello. Sic ergo uidemus antiquas & abrogatas esse leges agrarias, & istam diuisionem agrariam ad solos fere nobiles translatam iure imperatorio. Reliqua à iureconsultis sunt quaerenda.

Decimo. Supra in Romulo dixi, quomodo is patriae potestati subiecerit caput, uitam & necem suorum liberorum, non in priuatis, sed in publicis quoque criminibus puniendis. ideóque si pater nollet publico iudicio & supplicio infamiã sibi irrogari propter poenam filij, non licebat ei nocentẽ filium priuatim e uita tollere.

Vndecimo. Filijs familias, sicut & seruis, habere licet peculium, hoc est, pecuniam suo labore & industria gratiáue partam, extra sumptus & rationes patris uel domini, idque peculium castrense uocant, quod filij talem pecuniam ferè ex stipendijs militaribus, uel praedis in castris acquirebant. Hinc & quasi castrense peculium uocatur, quicquid filius seorsim à bonis paternis suo labore studióue mereretur. Neque id filio eripere ius habet pater, aut consumere, nisi tale sit peculium, quod profectitium iureconsulti appellant, quasi profectum a patre uel in gratiam patris filio datum.

Duodecimo. Quaestores erant magistratus, qui praeficiebantur publicae pecuniae, & reditibus colligendis, custodiendis, erogandis. Vocati á quaerendo, quòd debita Reip. inquirerent. Et erat quaestura infimus magistratuum honoratorum. Ita enim explorabatur fides ciuium in curanda pecunia, si deinde ad maiora officia honorésque uiderentur idonei.

Decimotertio. Vetus mos est hodiéque perdurat in Italia & alicubi in Germania, ut exulum, proscriptorum, damnatorum aedes diruantur atque solo aequentur ignominiae causa, in memoriam sceleris eorum: & ne facile possent reaedificari, dedicabant eas cum area alicui deorum: quia semel dedicata deo non licet ad profanos usus conuertere. De hoc more & iure luculentissime dicit Cicero, in oratione pro Domo.

Decimoquarto. Virgines dedicatae & obstrictae religioni Vestae Deae, perpetuam castitatem seruare cogebantur: deprehensa uero in incestu, uiua defodiebatur in terram: quarum haec Oppia prima legitur fuisse. Vide & supra in Romulo de matre eius Ilia Rhea.

Decimoquinto. Dixi supra in Catalogo proximo, sine consensu maioris partis in Senatu alióue collegio nullam ualere sententiam aut decretum. Caeterum hoc uariat hic in Tribunis plebis. Nam uel uno resistente uel intercedente contra collegas suos, non ualebat admodum quicquid alij Tribuni referrent, sciscerent, aut decernerent. quae res maximorum malorum postea causam dedit discordantibus inter se Tribunis, & in diuersa trahentibus unum corpus populi.

Decimosexto. Iusiurandum, etiamsi impune cedat apud homines, tamen suam poenam deo luit periurus, unde & iure ciuili Romano nulla alia poena irrogatur periuris quàm infamia. Permittit enim eos sua conscientia cruciari.

Decimoseptimo. Proceres & nobiles quantum alios dignitate & potentia & opibus superant, tanto liberaliorem & gnauiorem debent Reipub. operam impendere in bello & pace, & ita suae nobilitati satisfacere, paremque animo & dignitati suae uirtutem ostendere, non stare post principia, aut inanes glorias iactare, uel ignauiter desidere otióque torpere.

Decimooctauo. Funesti & non satis puri aut sancti habebantur ad tempus illi, quorum ex familia aliquis recenter esset mortuus,

tum, unde & quibusdam sacris purgabantur.

Decimonono. Sæpe antea dixi, uere popularem eum esse demum, qui gratiam populi non suo sed publico commodo bonis artibus captet, citra ambitionem uel contentionem. Nam male popularis est & potius inimicus populi qui malis artibus, hoc est priuati commodi honorisque cupiditate fauorem & auram popularē captat. Vide Cic. in oratione agraria secunda. Et hæc obseruatu digniora ex præcedentibus historijs annotare uolui.

Sed Veiens hostis.) Insigne exemplum inde sequitur fortitudinis militaris, & pietatis erga patriam in gente Fabiorum, qui Fabij, priuatis suis uiribus ac sumptibus, bellum pro tota Repub. Romana contra Veientes suscepere, fortius & animosius magis quàm felicius, quia post multa prospera prælia tandem occisi sunt à Veientibus Fabij. Estq; hic descriptio mire perspicua & facilis, & obseruatu dignißima, qualis apud Ouid. quoque in secundo Fastorum extat de hoc eodem argumento, quam utramque utile est conferre, propter discrimen obseruādum inter orationem Ouidianam & Liuianam. Negligi.) quia nemo uel minimus hostis contemni habet. Auerti alio,) id est, non licebat Romanos alibi bellum gerere propter Veientes, qui eorum agros incursabant. Consul.) scilicet cæso Fabio.

Pro gente,) id est, familia. Vos,) id est senatores.

Ibi.) id est in bello contra Veientes. Familiare,) id est destinatum nostræ familiæ. Actæ,) scilicet Fabijs. Vestibulo,) id est aditu. Manat tota urbe.) Amplificatio uirtutis Fabiorum à publica & celebri fama & admiratione. Manat.) Id est diuulgabatur. Gētes,) id est familiæ. Hæc Volscos &c.) prolepsis est. Hæc.) id est Fabia gens Volscos,) id est, Veientes: quia Veientes erant in Volscis. Finitimos,) id est hostes.

Fabij postera.) Descriptio egreßionis Fabiorum. Paludatus,) id est militari ueste paludamento indutus super arma.

Nunquā exercitus.) Amplificatio ex contentione uel antithesi. sequebatur) ἠθοποιΐα, id est affectuum descriptio luctorum, nempe fauoris & admirationis. Propria,) id est priuata. Cognatorum.) Latini non obseruant discrimen inter agnatos & cognatos, uerum discriminis causa Iureconsulti id obseruant Voluentium,) id est cogitantium. Sperare,) scilicet Fabios. Abisse,) id est plebe. Precantur,) id est turbæ. Mittant,) scilicet Dij. Sospites,) id est saluos Fabios. Incassum,) id est frustra. Iano,) id est Iani templo.

L. Aemylius.) Ab Vrbe cond. ducentesimo septuagesimo sexto anno, Ademit,) 38. A. scilicet Veientibus. Saxa rubra) id est, locum super Cremeram fluuium. Pœnituit,) id est Thuscos

Modo.) id est tantummodo. Ciuitate.) id est, Veiorum,

Id primo.) Insidiæ Veientium & nimia securitas temeritásque Fabiorum, quæ ipsos præcipitauit in exitium. Refertur ad locum communem de temeritate & securitate. Id,) id est, quod una familia multas tulit uictorias ex urbe Veiorum. Ex re,) est occasione, quia optimæ occasiones dantur ex re præsenti. Hostem ferocem,) scilicet Fabium. Gaudere,) id est gaudebant Veientes. Multo successu,) quia fortuna quem nimium fouet, stultum facit & temerarium. Contempserant,) quod est contra præceptum militare. Nam nemo hostis, ne minimus quidem contemni debet.

Superassent.) id est præterijssent. Aduersi,) id est qui aggrederentur Fabios. Continenti,) id est denso. Quæ res,) id est Correctio. Insignem,) id est notabilem. Multiplicatis,) id est densatis. Nixi,) id est conniχi & impetum facientes & protrudentes. Cuneo,) id est acuminata acie. Loci,) id est superioris. Iugo.) Mons tres partes habet, radicem, iugum & uerticem. Conuenit,) id est inter historicos.

Relictum.) id est domi. Maximum futurum. Sic Ouidius:

Nam puer impubes & adhuc non utilis armis
Vnus de Fabia gente relictus eras,
Scilicet ut posses olim, tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Hinc enim postea natus est Q. Fabius Maximus, qui Dictator asseruit imperium contra Annibalem. de quo infra in libris de bello punico magnifice scribit Liuius. Iam,) id est ab Vrbe condita ducentesimo septuagesimoseptimo. Ianiculum, id est castellum suburbanum. Premente, id est urgente. Ad Spei, id est templum. Est Attica ellipsis. Sic utuntur quoque hac forma nostrates. Dabo tibi pecuniā ad Michaelis. s. festū. A. Virginius 38. B. scilicet ducentesimo septuagesimooctauo ab urbe cond. Dabant. id est impetum faciebant, est historica phrasis. Non usquam pecora tua &c. Zeugma. Secuti, scilicet Veientes. Illecebras, id est ad eliciendum Veientes. Præcipitauere, scilicet seipsos. Agebant, id est festinabant, Præcipitia, id est temeraria, à præceps. Duæ acies, scilicet Seruilij & Virginij. Inuicem, id est alternis.

Occidione occisi. Periphrasis. Felici, scilicet quia fortuna correxit eam. Vrbi cum pace. De discordijs & contentionibus Tribunorum plebis aduersus Consules, quas immodica securitas domi cōcitauit. Et, id est, partim. Et, id est partim

Prolato id est uenali facto. Agitare .i. irritabant. T. Menenio .i. consulari uiro. Inuidiæ erat, scilicet Menenio. est pulchra formula loquendi. Statiua, id est Stationem, castra.

Eam, scilicet inuidiam. Agrippæ, scilicet qui plebem Senatui reconciliauerat per Apologum. Exoleuisset, id est abiuisset in obliuionem, Anquisissent. Anquirere antiquum uerbum forense, idem significat quod nunc inquirere. Itaque capitis anquirere, est intendere actionem criminalem, iudiciúmque instituere de capite, quod isti uocant criminaliter contra reum procedere. Duo millia æris, id est uiginti aureos coronatos. Vertit in caput, id est uitam eripuit, mortísque causam dedit Menenio.

Consulibus. scilicet anno ducentesimo septuagesimonono ab Vrbe condita. Multa fiducia. Fiducia est in rebus bonis: Confidentia est in malis rebus. Gratiæ, scilicet quod fauorabilis esset, passiue significat. Sed feruidi. Exemplum fiduciæ suæ, & fortitudinis ad plebem, quæ plebi magis constantia quam humilitate seruili expugnatur. Publico periculo, id est in bello. Patris, id est Agrippæ. Leges, id est sacrosanctas. Decußit, id est amouit. Mutauerant. id est plebei. iuxta illud, Scinditur incertum studia in contraria uulgus. Veiens. Res prospere contra Veientes & uicinos alios. Auersi, 39. A. scilicet Romani.

Ipsi, scilicet Romani. Vtroque, id est contra Veientes & Sabinos Posuerant castra, scilicet contra Romanos.

Placebat. scilicet Senatui, ut supra dixi in Catalogo seditionis. cap. 19. L. Furius. scilicet anno ducentesimo octogesimo post urbem conditam. Paci externæ, Rursum contentiosæ & intestinæ discordiæ domi inter plebem & optimates, quæ aliquandiu perdurauere. Stimulos, id est irritamenta.

Arripuit, scilicet in ius. Hoc anno Querela duorum uirorum Consularium, qui innocentes iudicio uexabantur, & accusatione Tribunorum, qua querela dehortantur alios suo exemplo à Reipub. cura, quæ tanti periculi sit & inuidiæ ad plebem, ut nemo perferre eam poßit & uincere. Refertur autem ad locū communem de magistratu hinc nascitur thesis, quam inuidiosum sit periculique plenū gerere magistratum. Rei id est accusati. Sorditati, id est ueste lugubri induti.

Suadent plebem. Est Græcismus, nos coniungimus cum datiuo: Fasces, scilicet duodecim. Prætextam, id est, uestem magistratuum. Curulem, id est quæ in curia solita sit poni. Infulas, id est uittis & ornamentis, quibus ornabant capita uictimarum & hostiarum, quæ tam erant mactandæ ad aram. Vide Virgil. in secundo Aeneid. de Sinone. Velatos, id est magistratus. Induxant, id est sibi persuadeant. Consuli uelut. Alterum argumentum ab inhonesto. Si se commiserit, scilicet aliquis. Seducta, id est occulta. Seducta à conscientia, id est sine arbitris. Constaret, scilicet inter eos. Reos id est duos Consulares. Author, id est executor.

Primoribus. id est senatoribus. Acies scilicet militum. Delapsi, id est plebei, Haberent, scilicet contra potentiam patrum. Malo, id est ui, quia malo nodo malus cuneus sit quærendus. Tum uero irasci 39. B. Materia seditionis & occasio hic describitur à Liuio. Interceßione, id est, impedimento. Ad antiqua, id est, ad pristinam seruitutem plebis. Antiqua

tiqua) , id est antiquam seruitutem. Genutio,) id est Tribuno plebis. Auxilij,) id est in Tribunis.

Apparere.) id est praesto esse ad officium. Infirmius,) scilicet esse. Contemnant,) scilicet lictores. Ea,) scilicet insignia lictorium, quae consulibus praeferunt. Militem,) id est gregarium. Lictor missus,) id est in delectu. Appellat,) id est, prouocat. A uobis,) id est patricijs. Circumscindere,) id est lacerabat ei uestes.

Prosc.) id est Volerone. Homines,) id est, plebei.

Sanctum,) id est inuiolatum. Nihil cuiquam sanctum) Interdum Latini quoque duas aut tres negationes coniungunt, quae omnes negant. Discrimen,) id est periculum. Tempestati,) id est seditioni. Violatis lictoribus.) Descriptio seditionis,

Ira,) id est per iram.

Consules habuit.) scilicet ducentesimo octogesimo secundo anno. Habito,) id est posito. Tulit rogationem.) id est retulit uel rogauit populum, id est interrogauit. Plebei magistratus,) id est Tribunus plebis. Tributis aliis tribunitijs ut infra in Catalogo explicabo. Clientum.) Quia patricij excludebantur ab illis comitijs, ut infra testatur. Intercederet,) id est opponeret se alijs Tribunis, secundum Appij consilium supra datum, anno ducentesimo septuagesimoquarto. Ex collegio,) scilicet Tribunorum. Molimine,) id est difficultate. Extrahitur,) id est protrahitur. Reficit,) id est denuo creat. Consulem faciunt) anno ducentesimo septuagesimotertio.

Principio.) Insignis contentio Rhetorica uel antithesis sequitur, quia Liuius confert diuersa ingenia duorum Consulum, historiae uariandae gratia & pingendae, ut motum aliquem & affectum narrationi continuae immisceat. Describit enim Appium gentilitia superbia ferocem, & infensum plebi, qui ui magis atque maiestate imperij plebis reprimere conetur. Quintium uero depingit aequabiliore animo, & humanum magis, qui plebem tumultuantem bonitate sedandam putet. Est autem controuersia de lege Comitiorum. Is,) 40. A. Lectorius. Contenderet.) id est contentiose diceret. Creatum,) id est Appium. Praesto,) id est re ipsa efficio. Occupant templum,) Certamen inter patres & Tribunos. Summoueri,) scilicet caeteros, Incant,) scilicet ex plebe.

Submouere.) scilicet ex concione. Pro imperio.) id est plena potestate. Ita dicatur,) scilicet à maiore Tribuni Lectorium,) id est rudem iuris. Priuatum,) id est Lectorium priuatum aduersus Consulem uel patritium hominem, qui ius tantum in plebem habeat. Tempestatem,) id est tumultum plebis. Viribus,) id est Tribunitijs: quia temporis occasio multa ostendit consilia & excogitat.

Vim,) id est potestatem Tribunitiam. Timor atque ira,) scilicet pessimi consultores, quorum fauor, tertius malus consultor est. Dum Tribuni &c.) Iuxta illud.

Et cum Consulibus turbantes iura Tribuni. In medio.) scilicet esse.

Sacro monte.) id est seditione. Perfertur,) id est à Tribunis. Piso,) id est historicus. Nominat,) id est Piso.

Volsci tum.) 40. B. Bellum contra Volscos & contra Aequos, in quo etiam apparet diuersitas ingenij in Appio feroci & Quintio miti. Rebus compositis,) scilicet inter Senatum & plebem. Esse,) id est erat. Vinculis,) id est impedimentis. Odisse) id est oderat. Paterno,) id est Appiano. Ea,) scilicet plebe.

Legem,) id est de Comitijs.

Exercitum.) id est qui pleraque parte constabat ex plebeis hominibus. Nec poterat,) scilicet exercitus. Imbiberat,) id est tam pertinax erat miles. Agebat,) scilicet miles uel exercitus. Segniter.) Exemplum pessimum contumaciae militaris in exercitu Appij. Contumaciter,) id est inobedienter. [...] Vellet,) scilicet Appius. Adesset,) scilicet Appius: Motam,) id est inuentam. Moueretur,) id est doleret. Prompta,) id est exhibita, ostensa. Esse Tribunos,) id est Centuriones. Cauillans,) id est calumnians. Certamen animorum,) id est contumaciam, inobedientiam. Consulem Fabium) Supra anno ducentesimo septuagesimotertio.

Fuit,) scilicet exercitus. Appio,) id est, contra Appium. Exercitus,) id est Appianus. Vis,) id est necessitas.

Infractus.) id est debilitatus. Legati,) scilicet militares.

Apertam speciem,) id est proditionis. Victus.) id est, Appius.

Tempus noxae.) id est moram poenae. Classio,) tuba militari. Cum maxime.) Exemplum seueritatis castrensis & disciplinae militaris, quae animaduersum est ab Appio in contumaciam & ignauiam militum, decimatione, hoc est decimi cuiusque sorte lecti supplicio, de quo more decimandi meminit & Cicero pro Cluentio, dicens. Statuerunt ita maiores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, ut metus uidelicet ad omnes, poena ad paucos perueniret, & plura ibidem. Explicaretur,) scilicet in ordines. Nouissimos,) id est ultimos. Aliqui putant hoc uerbum nõ esse Latinum, ideo, quia Cicero hoc non sit usus, sed mihi uidetur bonum esse uerbum. Instrui,) scilicet in ordines. Quam Romanus,) id est quamuis ignauus. Pacato,) id est non hostili sed Romano. Inuectus,) id est oratione acerba & inuectiua. Inermis,) id est qui abiecerat arma. Dupliciariósque) Dupliciarij uel duplicarij, qui militibus praestant hospitia, sunt Centurionibus inferiores, & ob eam curam duplex stipendium, duplicémque annonam capiunt. Iam uero duplicarios, uel dupliciarios, uel duplares, uulgo uocant, qui propter uirtutẽ insignem duo pluráue stipendia merentur. Supplicium,) id est poenam capitalem. Caetera multitudo, &c.) Synthesis.

Contra ea,) 41. A. id est secus quàm apud Appium. Comitate, id est humanitate. Collegae, id est Appij. Is, id est Quintius. Ingenio suo, id est miti. Hostem, id est Romanum. Patribus, id est Senatui. Dominum, id est tyrannum. Vsu id est utilitate. Comitijs, id est Tribunitijs. Ex consilio, scilicet tribunitio. Demptum id est ademptum Annus, scilicet ducentesimus octogesimusquartus.

Possessorum, id est nobilium: quia nobiles fere patiebantur inter se agros hostibus ademptos, ita ut pensionem aliquam tolerabiliorem aerario praestarent, ut supra dixi.

Nunquam ante, Constantia Appij in sustinenda accusatione sui. Irarum, id est quas meruerat ipse & patres sui per superbiam contra plebem. Non temere, id est raro, hoc nouatum est apud Liuium. Obiici, scilicet conquerebantur obiici Appium. Vindicem, id est assertorem.

Certamine, scilicet contra Tribunos. Iudicium, id est quod patiebatur, hoc est damnationem. Agenda, id est dicenda.

Submitteret, id est humiliaret. Oris id est uultus constans.

Contumacia, id est confidentia. Spiritus, id est fastus.

Accusatorio spiritu, id est fastu, tanquam ipse accusaret non accusaretur. Obstupefecit, id est terruit. Diem scilicet iudicij.

Trahi, produci. Dies .s. iudicij. Laudationem, id est funebrem. Supremum diem .i. mortis. Aequus,) id est benignus.

Accusatione .s. qua eum Tribuni accusauerant. Exequias. id est funus. Frequens, id est plebs. Perhibuit, scilicet eum.

Foeda, id est crudelis, metuenda.

Numine id est Deo. Castra id est Aequorum. Receptui, id est ut miles se reciperet in castra & pugnare desisteret. Religio, id est metus. Exciti, 41. B. id est euocati, eliciti. Retulere, id est, retrofixere. Consuli,) id est Aemylio. Consules facti,) scilicet anno ducentesimo octogesimoquinto. Vltima, id est maxima. Fumo,) id est per fumum. Fuga,) id est ad urbem.

Prolapsam) id est fere perditam. Tenent) scilicet occupatos. Incessere,) id est irruere. ab incedo uenit. Aliàs,) id est alio tempore. Solicitae,) id est dubiae. Patrum) id est propter certamen patrum.

Creati, scilicet, anno ducentesimo octogesimosexto.

Initia, scilicet anni. Adipisci, id est consequi. Signis collatis, id est iusto praelio. Retulissent gradum, id est fugissent.

Instando, id est fugando.

Inducijs, id est ferijs belli. In castra, id est suorum. Senserint. scilicet auctam multitudinem hostium. Quintius sedato. Stratagema Quintij Consules. Hernicorum, id est populi Italiae. Qui,) 42. A. scilicet equi. Sonitu,) id est cornuum & tibiarum. Hostium,) id est Romanorum.

Post principia,) id est post primam partem exercitus Oner

tus. Oneratum,) id est debilitatum. Excußisset,) id est ademisset.

Obstinatis) id est obfirmatis. Ferebant). id est. abunde habebant. Inferre gradum,) scilicet contra Volscos. Aciem,) scilicet pedestrem. Enituntur,) id est in superiorem locum contendunt. Castris,) id est Volscorum. Ductus,) scilicet est.

Deditur,) id est Romanis. Ab,) id est post infelicem pugnam. Animi ceciderant,) scilicet Volscis, qui amissa audacia se defendere non poterant fortiter.

CATALOGVS HISTORIAE AB ANNO ducentesimoseptimo, usque ad finem secundi libri, complectens decem annos hic esto pro more instituto.

Primo. Sicut actiones sunt duplices, scilicet ciuiles & criminales, sic iudicia quoque sunt duplicia. Nam est iudicium ciuile, & iudicium criminale. Iudicium ciuile est, quo aliquis agitur reus debiti ex contractu, ut emptionis, locati, &c. & petitur ab eo, ut præstet id, quod in contractu se daturum promisit, aut seruaturum. Iudicium criminale est, quo agitur reus quispiã delicti priuati aut publici. Priuati quidem, ut damni dati aut iniuriarum: quia furtum aut rapina iam pro publicis habentur criminibus capitalibus. Crimen enim publicum est, aut non capitale, aut capitale. Non capitale est, quo accusatur aliquis ad præstandam mulctam: id est, pœnam pecuniariam. Capitale est, quo accusatur aliquis ad luendam pœnam capitis extremo supplicio, uel exilio, uel seruitute. Itaque formula loquendi antiqua, capitis anquirere est, accusare, inquirere & iudicium exercere de capite alicuius, quod nunc uocant iudicialiter procedere contra aliquem reum, ad pœnam capitalem. Sic & pecuniæ anquirere, est accusare, & iudicium exercere contra reum ad mulctam, id est pecuniariam pœnam luendam. Infra in principio libri sexti de bello Punico. Valde autem sibi temperarunt Tribuni in actione contra Menenium, quòd iudicium capitale mutarunt in leuius iudicium non capitale, pœnámque mitigarunt. Et ius quoque Romanum admittit hanc sæpe æquitatem, ut capitale iudicium pœnáque capitis mutetur in non capitale iudicium, in pecuniariam pœnam: contra uerò admodum raro, & non nisi propter aliquam insignem rei improbitatem, actio non capitalis mutatur in capitalem, cuius exemplum habes in loco iam allegato de Cn. Fuluio, reliqua à Iureconsultis pete.

Secundo. Nullo modo licet reos eripere iudicio ante latam sententiam, & ante peractum iudicium. Tum enim denique reos sententia, uel condemnat, uel absoluit.

Tertio. Pessimi & non tollerandi exempli res est, magistratum tametsi malum, aliqua iniuria aut ui afficere, nedum occidere. Nam hoc exemplum facile manaret ad bonos quoque & innocuos magistratus.

Quarto. Improba uox est plebis conuitiantis, nihil contemptius neque infirmius esse ministris magistratuũ, aut ipso quoq; magistratu, si sint qui contemnant, sibi quenque ea magna atque horrenda facere. Et huic improbæ uoci si parcerent populares, nihil sancti & inuiolati haberent leges & magistratus, omniáque laberentur in pessimam anarchiam, in qua nemo præciperet recta, imo potius nemo præcipientibus obsequeretur, fieretque tanquam belluarum colluuies. De hac thesi copiose dicit & Demosthenes, in prima contra Aristogitonem.

Quinto. Non licet iure militari in ordinem redigere eum, qui semel gesserit magistratũ castrensem. Ignominiosum enim centurioni uel tribuno esset, si rursum gregarius miles fieret, nullo suo crimine.

Sexto. Omnino decet magistratum, & quemlibet ciuem, posthabere priuatos affectus publicæ utilitati & charitati, ut supra sepißime est dictum.

Septimo comitiorum genera, ut supra quoque attigi in primo catalogo huius secundi libri, plura fuere, scilicet, Curiata Centuriata Tributa & Tribunitia. Curiata, intra urbem ex singulis Curijs aliquot conuocatis uiribus habebantur, plerunque propter auspicia & sacra, uel etiam propter leges ferendas. Vnde & Curiatæ leges uocantur. Centuriata comitia, ex omnibus ciuibus cuiusque Centuriæ, secundum ætatem & censum collectis, habebantur extra urbem in campo Martio uocabanturque magna comitia, quorum indicendorum potestas non erat penes ullum magistratum præter Consules, uel Dictatorem, uel Prætorem urbanum, cum minores quoque magistratus aliquando curiata comitia indicerent, ut Tribuniplebis & Augures, ut Pontifices atque alij. Centuriatis uerò suffragijs creabantur consules Prætores, Pontifices, Aediles, Quæstores, Censores, aliique maiores magistratus, & ferebantur suffragia secundum prærogatiuam classium, ut supra in primo libro, in catalogo Seruij Tullij satis est dictum. Tributa Comitia erant collecta ex ciuibus uocatis aliquot ex sua tribu, regionatim secundum genera hominum, causas & quæstus. Sic enim postea circiter annum urbis quingentesimum septuagesimumseptimũ, Q. Fuluio & L. Manlio Consulibus, descriptæ sunt tribus, ut non tantum quatuor locales essent antea sub Seruio Tullio, uidelicet, Palatina, Exquilina, Collina, & Suburrana. Sed ut idem numerus tribuum qui & curiarũ esset, nempe ut trigintaquinque tribus numerarẽtur: sicut trigintaquinque curiæ, & deinceps sicut curiæ differrent sacris à se inuicem, sic tribus differrent regionibus & censu. Vnde tributa comitia intra urbem quoque sicut curiata habebantur, cum certi homines ex unaquaque tribu suffragium ferrent, ut de capite ciuis, de lege aliqua. Atque adeo circiter ætatẽ Ciceronis, plane eadẽ constat fuisse comitia curiata & tributa, ut est apud Asconium & Valerium Maximum aliquoties uidere. Tribunitia uerò comitia erant, cum tribuniplebis tantum uocabant in concionem homines ex sola plebe, præteritis nobilibus, & patritijs, & in talibus ferebantur plebiscita, creabantúrque plebei magistratus. Et hæc de comitijs supra quoque dicta, hic repetere libuit, cum istorum discrimina ualde referat in historijs obseruare: atque aduerte etiam hoc loco, rectène Tribunitia an Tributa comitia plerique legant in Liuio.

Octauo. Militem magis decet arma tractare, quàm leges & sermonis elegantiam nouisse. Plus enim manu, quàm uerbis pugnare miles debet & ualere. Et solet plerunque sane eloquentia esse imbellis, militiáque illiterata, iuxta illud.

—An tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibúsque fugacibus istis?

De hac thesi uide concionem C. Marij apud Sallustium in Iugurthino. & Ciceronem in primo officiorum, ubi inquit:

Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ.

Nono. Tribuniplebis non habuere ius, ne uocandi quidem aut amouendi, nedum coercendi aduersum nobiles & patritios: sed tantum in plebeios, quamuis postea ita est aucta ipsorum potestas, ut coercitionem quoque exercerent in nobiles & patritios, cuius potentiæ exempla multa reperiuntur. Verum L. Sylla Dictator ius tribunitium ualde imminuit & debilitauit, Pompeius autem restituit in perniciem & exitium libertatis Romanæ. De quo Plutarchum in Sylla & in Pompeio consule.

Decimo. Vera est sententia imperij uim omnem in consensu obedientium esse, neque satis tutam maiestatem esse sine uiribus obsequentium: tametsi mirabiliter sæpe conseruantur magistratus contra inobedientiam & uim popularium. Quia, ut Homerus testatur sæpe, reges & magistratus peculiari curæ sunt Deo, & tanquam alumni sunt deorum, communéque ius habent cum dijs, & conuenit hoc Homericum dictum cum sacris literis, testantibus magistratum esse ordinationem Dei, & uicem Dei in terris gerere. Proinde uelle Deum suam ordinationem, suósque uicarios tueri & conseruare.

Vndecimo. Miles desertor est, qui signum suum, ordinẽ suum arma sua reliquit & abiecit per ignauiam & metum, contra fidem militaris sacramenti, & contra disciplinam militarem. Pœna uero desertoris est, non solum infamia, sed & capitale supplicium. Sin uero pleraque acies fusa, & in fugam sit uersa, tum piaculare non est, neque ita infame adiicere arma & fugere unà cum alijs. Vnde & dicterium extat Demosthenis

Virum fugientem esse pugnaturum denuo fortiter.

Duodecimo. Si plures peccarint, quàm ut ius sinat & humanitas uniuersos punire, tum æquitas suadet paucos è multis luere pœnam, ut ita paucorum exemplo plures deterreantur à flagitio, & æquitati aliquid condonetur, nihilominúsque peccata

non imp

non impunita maneant. Et de hoc uide Ciceronem pro Cluentio.

Decimotertio. Optimates & prudentiores è consilijs submoueri non debent, alioqui plus damni & probri perueniet ad ipsos submouentes, quàm submotos, id quod patet huiusmodi exemplo Honorij imperatoris, qui cum occidi curasset Actium, uirum iuxta strenuum & prudentem, interrogarétque patricium, quid sibi de cæde Actij uideretur, respondit patritius, improbare sane factum tuum Imperator uolo, sed hoc sciens dico, quòd interfecto Actio, dextram tuam sinistra tibi manu abscideris.

Decimoquarto. Rei periclitantes in iudicio pullis & atris uestibus lugubri habitu, supplici uoce et gestu miserabili utebantur ad misericordiam mouendam, quæ humilitas fortem aut innocentem uirum parum decet, ut pro Milone Cicero quoque testatur.

Decimoquinto. Mortui suis iustis & honoribus minime sunt defraudandi ultimis. Nam sæuire in mortuos immane est. Vnde Solonis humanissima lex fuit Athenis, quæ iubebat capite plecti, uel saltem infames esse eos, qui male obloquerentur mortuis.

Decimosexto. Mendacium triplex est, scilicet iocosum, officiosum & perniciosum. Iocosum, cum quis mentitur, uel mendacium dicit ioci causa, tanquam ludens: ita, ut facile deprehensus, nemini obsit cautiori. Officiosum, cum quis mentitur in gratiã & utilitatem alicuius. Sic poetæ uera falsis permiscent, & falsa ueris, ut oblectent & doceant lectores suos ista amœnitate, & fabularum illecebris minime otiosis. Nam hæ nugæ seria ducunt. Sic bonus uir quoque officiose mentiri, non duxerit sibi turpe, si maior inde cõmoditas alijs obueniat, quàm dicẽdo uera. dissimulare enim uerum aliquando, ualde utile est & honestum, cum non sui proprij commodi, sed alienæ utilitatis gratia fit. De hoc uide plura apud Fabium in quarto, capite secundo: & in duodecimo, & in tertio Officiorum. Perniciosum uerò mendacium est, quod dicit aliquis sui commodi gratia, ut alios decipiat, damnóue afficiat, quod neminem decet bonum unquam.

Decimoseptimo. Signa castrensia alia sunt muta, ut uexilla, manipuli, nutus: alia sunt uocalia, ut tubæ, cornua, classica, tesseræ: alia sunt media. Et hæc ultimo huic Catalogo secundi libri sufficiant, tametsi ex omni amborum librorum historia Liuiana longe plura, imo plurima possent annotari. Sed ea priuatæ meditationi cõmittere est utile, ut habeat studiosus lector plura cogitandi et inueniendi materiam, ne, si omnia proponantur, fastidium inde potius, quàm uoluptatem aut commodum sibi sumat.

FINIS ANNOTATIONVM IOANNIS VELCVRIONIS IN PRIMVM ET SECVNDVM PRIMAE DECADIS T. L.

IN T. LIVII PRIMAE DECADIS LIBRVM PRIMVM ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.



EXEMPLAR primæ decadis manu scriptum sane quàm eleganter, quod nobis communicauit non gente solum, sed & literis clarus ille Vormaciẽsis ecclesiæ decanus, dominus Reinhardus à Reteipur, desumptum illic ex bibliotheca publica, primis duobus ternionibus carebat, quos nebulo quispiam desecuerat, dum liber alicubi incustoditus iacet. Idem scelus & in fine uoluminis cõmissum. Quare coactissimus hic aliquot paginas transilire.

Insignique cum Veste.) Fol. 8. A. Sic exemplaria quædam excusa habent: quum sit scribendum, ueste, absque diphthongo. non enim de dea Vesta, sed de uestimento loquitur. Cætera quoque omnia pub. Vetus lectio: Cætera quoque omnia. & sic legi debet. Propulso legum ac pœnarum metu). 8. B. Archetypum Vormacense habet, Proximo legum ac pœnarum metu. Is ducit exercitum quàm proxime.) Non dubito quin Liuius scripserit quemadmodũ est in uolumine Vormaciensi. Ea res ab statius exciuit Metium, ducit quàm proxime ad hostem potest. Absolute enim uerbum duco, subinde Liuius usurpat, et authores cæteri. Facisne me tu reg. u. populique Romani Quiritium?) Scribendum, Populi Romani Quiritium: absque particula, que. Patrem patratum Sp. Fusium.) 9. B. Adijce pronomen, is. Is patrem patratum Sp. Fusium fecit. Sic enim in manu scripto libro legitur. Vt illa palam prima postremáque.) Habet exemplar uetus, Vt illa palam prima postrema ex illis tab. Nihil autem ambigo particulam. Que, postea additam. Si prior defecerit.) Legendum. si prior defexit. nam sic continet scriptura uetus. Dixerunt autem antiqui Defexit, pro Defecerit. Tu illo die Iuppiter P. R. Hic multum laboris mihi exhibuit, & diu me distraxit, quum deprauata, tum uariata lectio libri manu scripti, in quo legitur, Tum ille dies Iuppiter. & quidam supra adiecerat, uel Diespiter. In margine notatum erat, Dies Iuppiter. Deprehendi uero tandem scribendum esse, Tum die Iuppiter. Nam prisci, diuum deum dixerunt, ut diuum Fidium, item diuum. Scribam ueterem decepit, Die, sic fortassis scriptum, dle, ut posset facile uerti in, ille diuersa uidelicet lectione, quæ sæpe notata seorsim à parum attentis scribis, dum nihil omittere uolunt, in contextum recipitur. Et die, quod ipse esse putabat à uocabulo Dies diei, mutatum est in Dies: ut quadraret oratio, Ille dies.

Habebunt mihi docti, sat scio, magnam gratiam pro hoc loco restituto. Porro tum aduerbium satis significantiæ temporalis in se habet, ut nihil addere fuerit opus, Illo die. Animo intenduntur.) Vetus lectio, Animo incenduntur. Et mox.) Publicum Imperium seruitiumque obseruatur animo: sine coniunctione Sed, qui sermo miram elegantiam habet. Item inferius paulò, Ad quorum casum quum conclamasset gaudio Albanus ex. Ex insperato pauentium solet. Magnum hic mendum exemplaria Liuiana occupauit. Nam pro pauẽtium, scribendũ est fauentium. Vehemens autem de prospero rei prope desperatæ successu, gaudium. Et ut pugnatum est. 10. A. Non erat opus hic particulas istas transponere. Recte enim exemplar scriptum habet, sed distantia locis, ut & pugnatum est. Idem habet paulò pòst: Quæ desponsa uni, non desponsata. Et ibidem. Obuia ante portam Capenam fuit, non obuiam. Cum immaturato amore.) Tu scribe, Cum immaturo amore. Et mox: Quæcunque Romana lugebit hostem. Sic enim in archetypo Vormaciensi legitur. Aut secundum iudicium supplicij.) Antiqua lectio, Ad secundum iudicium sup. Scribendum, Ac secundum iudicium supplicij author esset. I, caput obnue liberatoris huius urbis. 10. B. Imperatiuum I, recentior manus ascripserat in codice Vormaciensi: in quo non caret elegantia, quod scriptum est, urbis huius. Quemadmodum & quod sequitur: Admiratione magis uirtutis, quàm iure causæ. Item rursum quod paulò pòst legitur: Id hodie quoque publice semper refectum manet. Hic miror quid libuerit quibusdã dictiones transponere, contra fidem exemplaris scripti. Suo iussu circunduci Albanorum exercitum, ut Fidenatium nuda terga inuadat: idem imperat, ut hastas equites erigere iubeat. In uolumine Vormaciensi legitur, Albanum exercitum. Quæ sequuntur concordant cum uulgatis editionibus. At ego sic arbitror scripsisse Liuium hoc modo distinguenda oratione: Suo iussu circunduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga inuadat: idem (subaudi Albanus exercitus) imperat: hastas equites erigere iubet. Porro mirum Tulli regis consilium fuit, etiam desciscen-

tes Albanos in speciem adhortantis, quo Fidenates hostes terreret. In Veientem alieno pauore perculsum ferociter redit.) 11. A. Legendum est, Ferocior redit. Exempli parum memoris legum humanarum fuit. 11. B. Cogitandum num scribi possit, Legum Romanarum fuit. Nam sequitur, In alijs gloriari licet, &c. Eandem sedem Tullus regiæ cepit, ibique habitauit.) Autoritatem sequuti scripti codicis sic legemus, Eam sedem Tullus regiæ cepit, ibique deinde habitauit. Legiones etiam ueteres.) Vetus et syncerior lectio, Legiones, et ueteres eodem supplemento expleuit, & nouas scripsit. Et quia proximum regnum cæteris egregium.) 12. B. Repone, Cætera egregium. Sic enim Liuius loqui solet, & authores alij, Ita habes infra: Ergo uirum cætera egregium sequuta. Pontificem maximum in album relata.) In libro scripto tantum est: Pontificem in album, sicut supra: Pontificem deinde Numa Marcium M. F. ex patribus legit. Repetentibus res Romanis superbe responsum reddiderūt.) Magis placet antiqua lectio, reddunt dedier. Illisq; res nuntio populi Romani mihi exposcu. 12. B. Suspicor tres istas dictiones, Nuntio populi Romani: postea additas ab exponente datiuum Mihi. In exemplari Vormaciensi recentiore manu suprascriptum erat interres & Dedier, Po. Ro. Tum patriæ compotem me nunquam sinas esse.) Lectio uetus: Sires esse. Scribo, sieris esse. Hominibusque priscis Latinis.) 13. A. Ex ueteri uolumine sic apparet legendum esse: Patri patrato priscorum Latinorum, hominibúsque, subaudi, Priscorum Latinorum, Priscisue Latinis. Et paulò post. Hominisue prisci Latini.) non, Hominésque. Et quum circa palatium sedem ueteris Romani.) Recte habet antiqua lectio: Sedem ueterem Romanorum, ut intelligas, Sabinos Capitolium atq; arcem impleße circa palatium, quæ sedes erat ueterum Romanorum. Inde ingenti præda potitus Romam redit.) Exemplar scriptum habet, Potens. opinor legendum potiens. Quiritium quoque fossa, haud paruum munimentum à planioribus additum locis.) Qui hunc locum castigare nisus est, quum recte haberent uerba, deprauauit. nam Aditu, supinum, uertit in additum, participium: sed perperam. Significat enim Liuius fossam Quiritiū nō paruum munimentum fuisse ab ea parte qua erāt loca planiora ac faciliora adita. Et in ora Tyberis Hostia urbs condita.) Legendum est: Et in ore Tyberis Hostia urbs condita. hoc est, in exitu ubi in mare effunditur. Alioqui Roma quoque in ora Tyberis sita, Sic in ora Elli fluuij, quem & Alsam uocant Argētuaria ac Elcebus Sletstadium iacent, in ore eiusdem, hoc est apud confluentes Argentoratum. Ea quum illi nupsisset.) 13. B. Hic prisicum uerbum fœde deprauauit temeraria castigatoris manus: Nā pro innupsisset, scripsit, Illi nupsisset. Sic autē habet lectio uetus: Ea quum innupsisset. Porrò mulier innubit proprie, quum in mariti domum transit: unde factum, ut innubere, ueteres pro transire usurparint: teste Nonio, qui Lucilium citat, ita hoc usum uerbo. Sensus igitur est: Ea quum innupsisset, hoc est iam ad domum mariti transisset. Nam nupsisse dicitur puella etiamnum apud parentes domi manens. Innupsisse, nisi quæ cum uiro iam habitare cœpit, non dicitur. Facile uiro persuadet.) Viro, datiuum quispiam addidit inter enarrandum. Non reperimus in codice Vormaciensi, nec est necessarius: præcessit autem, Forti ac strenuo uiro. Commigrant Romam.) Exemplar antiquum habet: Emigrant Romam, subaudi, Tarquinijs. Non aliter dictum est infra: Auolant Romam. Porrò quid uetat dici, Amigro, pro Abmigro: siue Ammigro, pro admigro: sicut dicimus, Immigro, & Demigro. Iam & Romanis conspicuum.) In uolumine scripto tantum legitur. Aedidere nomen Romanis conspicuum. Adiecit fortassis aliquis duas illas particulas connectere uolens orationem, quæ sibi hiare uidebatur: mihi non uidentur neceßariæ. Notitiaque eum breui apud regem.) Hunc locum sciolus aliquis adulterauit. Legendum uero quemadmodum archetypū Vormaciense continet: Notitiámque eam breui apud regem liberaliter dextréque obeundo officia in familiaris amicitiæ adduxerat iura. Vt intelligas ipsum Lucumonem adduxisse eam notitiam in iura amicitiæ familiaris. Vt mille & treceni equites.) 14. A. Antiqua lectio: Vt mille & D C C C. equites. Hoc pacto in singulis centurijs fuerunt sexcenti equites. Et quicquid circa Collatiam agri erat.) Mihi magis probatur ut scribamus ad fidem uetusti codicis: Et quicquid citra Collatiam agri erat. Et ego recepi.) At ego recipio, scriptum est in archetypo. Deinde triumphās Romā redit. Præterea: Omne nomen Latinum. Item: Pax deinde est facta. Vrbem quā nondum muniuerat. Tu castiga, Vrbem qui nondum muniuerat. Est Quâ, aduerbium loci, hoc est, qua parte. Hunc lumen quondam. Interpretatio flammæ, qua uisum est pueri caput ardere. Nec cuiquam secus uidetur legendum. Cæterum quando considero quæ postea sequuntur, ubi uulnerato Tarquinio omne auxilium regiæ seruandæ in Seruio situm fuit, adeo melius legi posse contra receptam istam & Vormaciensis codicis, & uulgatarum editionum lectionem: Hunc columē quondam rebus nostris dubijs futurum. Sic autem Seruium columen dubijs rebus & regiæ afflictæ dicit futurum, quemadmodum Terentius in Phormione seruum antiquum Getam columen familiæ uocat, hoc est columnam. ita Donatus interpretatur. Vnde inter uetera seruitia Columellarum nomen. Porrò quum subdit, Præsidiumque regiæ afflictæ: uelut exponit quod præmisit, Columen rebus nostris dubijs. Iam indicant sequentia, Seruium non ostendisse quid foret agendum, ut lumen appellari posset: at dubias Tarquinij res & afflictam regiam fortiter sustulisse, sustinuisséque. Non est dissimilis huic, locus qui libr. 2. huius Decad. legitur. ubi inquit, Trecentos sex perijsse, satis conuenit: unum prope puberem ætate relictum, stirpem genti Fabiæ, dubiisque rebus populi Romani, sæpe domi bellique uel maximum futurum auxilium. Item lib. 3. Sibi inquit, eam in dubijs suis rebus uenisse subsidio. Rursum lib 8. Nunc, inquit, misericordia uestra conciliasti, auxilióque in dubijs rebus defensi, beneficium quoque acceptum colemus. Posset tamen sententia sic etiam legi posteriori accusatiuo Hunc, expuncto. Vidésne tu puerum hunc? inquit, quem tam humili cultu educamus, scire licet columen quondam rebus nostris dubijs futurum, præsidiúmque regiæ afflictæ. Nec hic dubito quin doctißimus quisq; mecum sit sensurus. Vocabulum columen usurpat alibi quoque Liuius noster, ut libr. 6. Consulatum, inquit, superesse plebeis, eam esse arcem libertatis, id columen. Et inter mulieres familiaritate auctam.) 15. A. Non me latet Latine dici, Familiaritate aucta, pro locupletata: quemadmodum Cicero dixit: Auctus pecunia, & auctus filiolo. Verum magis hic quadrat uetusti codicis lectio, Et inter mulieres familiaritatem auctam. ut intelligas, inter mulieres, hoc est inter uxorem Seruij Tullij, & inter reginam, familiaritatem, quæ primum tenuis & modica fuerat, ut inter duorum principum uxores postea quam est cognita illa inter captiuas, deinde auctam & maiorem factam, ubi in domum recepta puerum est enixa. Et puerum in domo à paruo.) Deest hic in uulgatis exemplaribus omnibus, Vt, particula. Sic enim scribe: Et puerum ut in domo à paruo eductum. Porro non erat opus, eductum, quod in antiquo libro legitur, in educatū, mutare: quando Terētius usurpat Educere, pro educare. Eduxi, inquit, à paruulo. Id seruus serua natus.) Volumen manuscriptum habet, Id Seruius serua natus. Et sic est legendum. nam præcedit, Romulus Deo prognatus, ad quod respondet, Seruius serua natus. Et est hic figura quam παρονομασίαν, siue agnominationem uocāt in Seruius & serus. Qui consueti erant) Scribendum est, quemadmodum continet exemplar Vormaciense, Quibus consueti erāt uterq; agrestibus ferramentis. Nam oratio pendet adhuc usq; ad uerbum Conuertunt. quod non animaduertit, qui locum adulterauit. Euocati ad regem pergunt, primo uterque uociferari.) Debet esse, uocati ad regem. Aliud enim est uocatus, aliud euocatus. Quod uerò sequitur, Et iussi inuicem dicere: melius est ut legatur, In uicem: separatis dictionibus, hoc est per uices. Dextrā tenens, orat.) Castiga, Dextram tenens orat. Habitabat enim rex ad Iouis Statoris ædem.) 15. B. Hic addidit sciolus aliquis accusatiuum ædem, qui non est in uolumine Vormaciensi. ἐλλειπτικῶς autem loquuntur authores: Ad Iouis Statoris: pro, ad Iouis Statoris ædem. Interim Seruij Tullij iubere populum dicto audientem esse.) Liuius scripsit, Interim Seruio Tullo iubere populum dicto audientem esse. Sic libr. 5. Nec plebs, inquit, nobis dicto audiens atque obediens sit, Imperitus quispiam non uersatus in authorum lectione, & proinde non intelligens quid sibi uellet, dicto audientem esse, pro Seruio Tullo, scripsit, Seruij Tullij: ut quadrarent uerba, Dicto Seruij Tullij, hoc est præcepto. At

dicto

dictu obedientem esse, idem est quod obedire. Porrò uetus liber mox habet: Obituríimque alia regis munda esse. Tum demum palam facta ex compl.) indicat manu scriptum exemplar esse legendum, Tum demum palam factum: subaudi, regem esse extinctum. Tum demum, hoc est, ubi suas opes firmasset. Cæterum quia mox uetus codex habet, Et comploratione in regia orta: arbitror sic scriptum reliquisse Liuium, Tum demum palam factum. Et comploratione in regia orta. subauditur, est. Nec iam publicis magis consilijs.) Sic & in Archetypo Vormaciensi legitur. At ausim iurare ego, scripsisse Liuium, Nec iam publicis magis auxilijs Seruius, quàm priuatis, munire opes. Siquidem quod ante dixit, Seruius præsidio firmo munitus, illud ipsum est, quod hic publica auxilia uocat. Et aliquanto pòst sequitur, Consilio augere imperium conatus est. Porrò facillimus scribæ lapsus fuit, ut pro Auxilijs, scriberet Consilijs, literarum similitudine deceptus. Galea, clypeus, ocreæ,) Codex uetustus habet, Galea, clypeum, ocreæ. Quid autem opus erat hic scribere clypeus, quum utrunque dictus sit in usu, clypeus & clypeum? Virgil. 9. Aeneid. Et clypeũ superintonat ingens. author Seruius. Tertiæ classis in quinquaginta millium censum esse uoluit: totidem cẽturiæ, & eæ.) 16. A. Antiqua lectio: Tertia classis in L. millium censum esse uoluit, totidem centuriæ, & hæ. Suspicor scriptum fuisse, In tertia classe. L. millium censum esse uoluit. aut Tertiæ classis millium L. cẽsum esse uoluit. Hinc minor census.) Scribe iuxta fidem uetusti uoluminis, Hoc minor census. Est autem hoc, ablatiui casus. Id quod non animaduertit, qui hinc aduerbium supposuit. Sue, oue, taurísque tribus lustrauit.) Antiqua lectio: Sue, oue, taurilibus lustrauit. Sic Cornelius Tacitus annalium lib. 5. Sacrificantibus, quũ hic more Romano suóue taurilia daret. Cogitandum autem quid sibi uelit, Idq; conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Aggere & fossis & muro urbem circundat, item pomœrium profert.) Dij boni quantum sibi permiserunt quidam in hoc authore interpolando. Scribendum est ad archetypi fidem, Aggere & fossis & muro circundat urbem, ita pomœrium profert. Sensus est, Aggere & fossis et muro circundando urbem pomœrium profert. Quid igitur illi in mentem uenit, qui pro ita, scripsit item? nouam uidelicet sententiam facturus. Liuius in hoc libro paulò pòst: Ita sic armatus in Tyberim desiluit. Pomœriũ uerbi uim solam intuentes postmœnium interpretantur esse: est autem magis circa murum locus.) In primis constare nobis debet, etymologiam pomœrij Liuiũ non à mœnibus, sed à muro deductam ostendere: quandoquidem pomœrium dicimus, non pomœnium. Nam sequitur paulò post: Hoc spatium quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quã quod murus post id, pomœrium Romani appellarunt. Proinde, quemadmodũ indicat uolumen Vormaciense, cuius exemplum quod olim à Dextro Flauiano Nicomacho & Victoriano V V. C C. emẽdatum est, non postmœnium hic scribi debet, sed postmœriũ. Et mox: circamœrium, non circa murum. Nec obijciat hic aliquis eas uoces nihil significare. Sic enim et mulieris etymologiam afferentes, mulierem dictam interpretantur quasi mollierem, à mollicie uidelicet. Sic autem distingue uerba: Pomœrium, uerbi uim solam intuentes, postmœriũ interpretantur esse: est autem magis circamœriũ: locus quem in cod. urbe apposit me. In fragmẽtis Festi Pompeij legitur, Prosimurium esse pontificale pomœrium, dictum, quasi proximurium. i. proximum muro. Ita nanq; castigandum arbitror. Quæ nunc uulgo etiã coniunguntur.) 16. B. Antiqua lectio: Quæ nunc uulgo etiã cõiungunt. Subauditur, Quidã. Elegãs sermo est. Cuius ciuitatis eã ciues Dianæ immolassent.) Vetustum exemplar habet, Ciuis Dianæ immolassent. Opinor legendum: Cuius ciuitatis eam ciuis Dianæ immolasset. Sequitur enim de antistite Romano, & illo patre familiæ Sabino. Sabinus, ut primum acta dies sacr.) Scribendum: Sabinúsque, ut primum acta dies sac. Nec uacat particula Que, nõ solum connectẽs sententiam, uerumetiam ad uehementiam eiusdem faciens. Infima ualle perfluit Tyberis. Lege, Infimæ ualle præfluit Tyberis. Tulit enim Romana regia sceleris tragici exemplum.) Adde particulam Et. Tulit enim & Romana regia sceleris tragici exemplũ. Filius nepósue fuerit.) Vetus synceráque lectio: Filius nepósne fuerit. Subauditur, an. Aut clãguescendum aliena ignauia esset.)

17. A. Hanc sententiam fœde deprauauit scioli cuiuspiam imperitia. Legẽdũ: Aut ut elanguescendum aliena ignauia esset. Et pendent hæc uerba à superioribus. Non sibi defuisse cui nupta diceretur.) Persuadet mihi uetustus codex legendum hic esse: Cui innupta diceretur. Tametsi recẽtior manus, In, particulam, supra scripserat, sed proculdubio syncerioris alicuius codicis admonitu. Porrò quum se dicit innuptam, indicat se iam in ædes uiri transisse. nam hoc significat innubere, quemadmodum ante docuimus. Muliebri dolo regnum occupasse.) 17. B. Scribendum est: Muliebri dono regnum occupasse. Nam respicit quod supra dictum est, & quod mox præcessit: Quum Tanaquil peregrina mulier tantum moliri potuisset animo, ut duo continua regna, uiro, ac deinceps genero dedisset. Ibi dicit Liuius, Tanaquilem genero dedisse regnum, quare hic subdit, Muliebri dono. Tum Tarquinius necessitate iam ipsa cogente.) Inserenda hic, etiam, particula. Necessitate iam etiam ipsa cogente. Ipse prope exanguis cum semianimis regio comitatu.) Vetus uolumen habet: Semianimes. Neutra lectio gnesia est ac germana. In locum sic restitue: ipse prope exanguis, cum semianime regio comitatu domum se reciperet. Subauditur in illis uerbis, Semianime regio comitatu: participiũ, Existente. In collem Esquiliarum.) Antiqua lectio: In collem Esquiliarum. Quem sceleratum uicum uocant.) Quem, pronomen, asinus aliquis adsuit: quum simpliciter Liuius scripserit: Monumentoque locus est, Sceleratum uicum uocant. O castigatorem infelicem. Primores patrum quos Seruij rebus fauisse cred.) Scribendum est: primorésque patrum quos. Pendet enim adhuc sententia. Et altera ratio est. cur Superbus fuerit appellatus. Aliquanto pòst in scripto codice legitur: Præcipue ita patrum numero imminuto. Non, Ita præcipue patrum num. im. Haud mirum esse Superbo inditũ Romæ cognomen.) 18. A. Vetus lectio: Haud mirũ esse, Superbo ei inditũ cognomen. Cu enim non appareret.) Adhuc pẽdet sententia per uerba infinita, Præcessit, Superbus esse, Nõ adesse, Tẽtari. Itaq; scribendũ hic apparere: Cu enim nõ apparere. Seruũ Turni auro corrupit, ut in diuersoriũ eius.) 18. B. Et, particulam, adiecit aliquis quæ nõ est in libro scripto, nec est necessaria. Elegantius enim dicitur: Seruũ Turni auro corrupit, in diuersorium eius uim magnam gladiorum inferri clã sineret. Vbi subauditur, ut. Id uerũ nécne sit, extemplo sciri posset.) Liuius indubie scripsit quemadmodum est in Archetypo Borbetomagensi. Id uanum nécne sit, extemplo sciri posse. Et quanquam idẽ sensus redundat, quid tamen opus fuit Liuiana uerba mutare? O præposteram diligentiam. Ac sentire cum rege uidebantur.) Exemplar manuscriptum habet, Videbant. subauditur Latini. Et liberorum quoq; eum frequentiæ tædere.) 19 A. Antiqua lectio cõtinet, frequentia. Septimus casus est, hoc est, ob frequentiam. Et uerbum Tædere, accipiendum absolute. Quum si nihil mouerentur.) Aliter legitur in uetusto codice: Quum, si nihil morarentur. Certe quarto libro huius Decadis rursum hunc loquendi modum usurpat, ubi Hortẽsius tribunus plebis, C. inquit, Semproniũ nihil moror. Id est, C. Sempronium dimitto. Verba uidentur fuisse quæ iudex ex more proferebat, quoties reum absolueret. Proinde expone hic: si nihil morarentur: id est, dimitterent. Quando quidem ut omnia unus Gabijs posset.) 19. B. Liber manuscriptus habet: Quandoquidem ut omnia unus præ Gabijs posset. Tu scribe: Quandoquidem ut omnia unus ipse Gabijs posset. Nec est ea uox hic superuacanea: emphasim enim habet. Et ut libera à cæteris religionibus arx ea esset tota Iouis, tẽplique eius, quod in ea ædificaretur: exaugurare fana, sacelláque statuit: quia aliqua uota ibi à Tatio rege primum in ipso discrimine aduersus Romulum pugnæ consecrata inaugurata que postea fuerant.) In hac periodo mendæ sunt aliquot ingentes. Primum quando non de arce extruenda, sed de templo Iouis condendo hic agitur. non scribendum est, Arx ea esset tota Iouis: uerum, Area esset tota Iouis. Nõ habet hic locum prorsus arcis Tarpeiæ mentio. Deinde scribendũ est, Quod inædificaretur: non, Quod in ea ædificaretur. Est autem elegans uerbum inædificare. Mox pro istis dictionibus, Quia aliqua uota ibi: substitui debet, Quæ aliquot ibi. Postremo uocabulum Vota, trãsferendum est. ut ante Consecrata ponatur, hoc modo: Et ut libera à cæteris religionibus area esset tota Iouis templiq; eius, quod inædificaretur: exaugurare fana sacelláq;

statuit, quæ aliquot ibi à Tatio rege primum in ipso discrimine aduersus Romulũ pugnæ uota cõsecrata, inaugurataq; postea fuerant. Vide mi lector, quàm necessaria res sit authores ad exemplaria antiqua conferre. Hæc non sunt imputanda Laurentio Vallæ, sed Pogio, Aurispæ, Alcriẽsi, Victorino, & Petrarchæ, qui doctißimi quidem fuere, uerum non usquequaque Latine callebant. Id omen auguriúmque.) Non erat hic eradenda particula Que. Idq; omen auguriúmque. Vniúmque deorum.) Nec hic dispungendus erat accusatiuus Eum: Vniumque eum deorum. Sacratis ibi finibus.) Scribe, sacratis sibi finibus. Itaque Pontinæ manubiæ.) Tametsi uetustum uolumen continet Pomptinæ: censeo tamen legendum, Pometinæ manubiæ. Nam exemplaria antiqua ab hinc annos mille fere maiusculis fuere literis perscripta, modo E maiusculum, non est ita dißimile P. Facile ergo POMETINAE uersum est in POMPTINAE. Præcedit autem, quód Tarquinius Suessam Pometiam ui ceperit, ubi XL. millium pondo argenti aurique fit mentio: quod hic repetitur. Quare miror hoc non emendatum in editione Asulanica: quando tam olim ante nos sic legendum esse monuit M. Antonius Sabellicus. Eo magis Fabio Pictori.) Quispiã adiecit, Pictori: nõ est in codice scripto. Mouit hoc hominẽ, quod ante semel dixerit, Scriptorũ antiquißimus Fabius Pictor. Quam summam pecuniæ.) Si quis hoc pacto legere uelit, multa subintelligenda erunt. Ex fide uetusti codicis sic scribe, Quia summam pecuniæ. & repete uerbum scribit, quod subauditur. Minus tamen plebs grauabatur se templa deũ ædificare manibus suis. 20. A. *Antiqua lectio: Minus tamen plebs grauabatur se templa deûm exædificare manibus suis. Aperiretur tempore suo.) Scribendum, Operiretur tempora sua, hoc est, expectaret opportunitatem temporis. Per ambages tegens effigiem ingenij sui.) Qui participium Tegens, insulsit, putabat orationem alioqui mutilam esse: non intelligens appositiue dictum: Aureum baculum donum Apollini, per ambages effigiem ingenij sui. Id est, qui baculus erat effigies ingenij ipsius. Quod se in fabrarum ministerijs.) Legendum: Ministerio. nec opus est hic numero multitudinis. Tentata res est primum, si primo impetu.* 20. B. *Vacat aduerbium hic, primum. Sic scribe: Tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset. In statiuis (ut fit) longo magis quàm acri bello.) Deest pronomen, his. In his statiuis (ut fit) longo magis quàm acri bel. Citatis equis aduolant Romam.) Vetus lectio: Auolant Romam. Vtrunque tolerabile est. Similis error accidere solet in Abducere & Adducere. Quum post cœnam in hospitale cubiculum ductus esset. Scribendum: deductus esset. Postquam satis tuta omnia circa, sopitique.) Omnia, non est in libro scripto. Fortaßis etiam legi posset: Postquã satis tuta cũcta, sop. Mox sequitur: Pauida ex somno mulier. Et infra: Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inueniunt. Itẽ: Sex. est Tarquinius. nõ: Sex. Tarquinius est. Ferro, igni, quacũq; dehinc possim, exequuturũ.)* 21. A. *Non aliter in ueteri legitur. Sed quid si scribas. Exacturũ. Et inuecta corpori patris.) Lectio uetus. corpore patris, hoc est: in corpore patris: siue per corpus patris.*

IN LIBRVM SECVNDVM PRIMAE DECADIS ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.



ARTIVM *cœptæ urbis.)* 22. A. *Codex Vormaciensis habet: Partium certæ urbis. lego: Partium certè urbis. ut sit Certè, pro Quidem. Deinde fuit in eodem libro mox, Ab se auctæ multitudinis. tametsi literam S. quidam eraserat. At placet mihi ea lectio. Recte enim habebit sententia hoc modo, ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis, quæ nouas ipsi sedes ab se auctæ multitudinis addiderunt, numerentur. Refertur autem genitiuus multitudinis ad accusatiuũ sedes. Et hæc clausula, Quæ nouas ipsi sedes: explicat quod dixit, Partium certe urbis, quasi dicat, Non totius urbis, sed partium quidem urbis. Primoribus equestris gradus electis.) Scribendum est: Lectis, ut mox: Appellabant lectos. Necubi regum desiderium esset.) Indicat archetypum Vormaciense scripsisse Liuium: Necubi ibi regum desiderium esset. Ibi, hoc est quantum ad sacra attinet. Tametsi illic mendose scriptum fuerat, Necubi ubi. Solicitatámque suspicione plebem.)* 22. B. *Legendum, Solicitámque suspicione plebem. Nobilium adolescentum animos pertentabant.)* 23. A. *Habet uolumen Vormaciense: Pertentant. Nec fuit causa cur in Pertentabant, uerteretur. Acernos consedisse illitos limo.) Antiqua lectio: Acernos sedisse illitos limo. Quicquid hominum deorúmque.)* 23. B. *Exemplar scriptum: Quicquid Deorum hominúmque. Past illum seruatum, ut qui.) Scribendum: Post illum obseruatum. Ne se ortum eiusdem sanguinis extorrem.) Suspicor legendum: Ne se ortum eiusdem sanguinis, extorrem e. Vt ut consentiat codex manuscriptus cum uulgatis editionibus. Fusi fugatique sunt.)* 24. A. *Verbum, sunt, postea adiectum est. maiore elegantia omittitur. Pauló pòst in scripto codice legitur, Vno plus Tuscorum. Vbi audire iußi. Antiqua lectio: Ibi audire iußi. Ad Aquilios Vitelliósque recidisse.) Deest pronomen se. Ad Aquilios se Vitelliósque recidisse. Metui me credere possem à ciuibus meis?) Restitue sententiam hoc modo: Me cui me crederem posse à ciuibus meis? Et ubi nunc uicus publicus est.) Lectio uetus: Et ubi nunc uicæ poce est. Nescio an recte emendarint qui scripserunt: Vicus publicus. Fortaßis melius scriberetur, nam ad coniecturas hic confugere necesse est. Et ubi nũc Viriplacæ est. ut subaudiatur ædes uel templum. Siquidẽ reperio Deæ Viriplacæ sacellum ad Veliam fuisse. Sic autem distinguenda debent. Delata confestim materia omnis infra Veliam, & ubi nũc uicus publicus est. Siue, Et ubi nunc Viriplacæ est: domus in infimo cliuo ædificata. Credo, quòd nulla gesta res insig.* 24. B. *In codice Borbetomagensi legitur: Credo, quia nulla gesta res. Nec erat opus pro Quia, Quod scribere. An tantum uiris animo fuerit.) Hic rursum transpositæ sunt dictiones, quo melius sonet quod in ueteri uolumine habetur: An tantum animo roboris fuerit. Sed suosmetipsos ciues.) Antiqua lectio: Sed suosmet ipsi ciues.) Cur hoc uoluit quisquam mutare? Porro quod hic habes de suismet, infra leges de Semet. Nisi, inquit, inter semet ipsi seditionibus sæuiant. Et infra: Eos, inquit, per se ipsi Latini adsumptis Hernicis siue Romano aut duce aut auxilio, cæderent ceuerunt. Itaq; monere, prædicare.)* 25. A. *In scripto uolumine legitur: Itaque monere prædicere. Hoc posterius uerbum doctus quispiam uidens huc non satis quadrare, uertit in Prædicare. Tu tamen meum sequutus consilium, scribe, præcipere. Itaque monere, præcipere. Primum monuit, deinde præcepit, quod plus est. Crescere enim debet oratio. Sp. Largium.) Vetus lectio. Sp. Lartiũ. Quod uero sequitur: Circumferens inde minaciter truces oculos non erat mutanda Liuiana compositio tanquam inepta: Circumferens inde truces minaciter oculos. Si modo studio factum est. Sicut mox: Iam impetu conabantur detrudere uirum. Et rursum. Tyberine pater, inquit, te sancte precor. Multisque desuper incidentibus telis. Scribendum est: Multisque superincidentibus telis. Est autem una dictio superincidentibus à uerbo superincido. Quod non intellexit is qui desuper incidentibus scripsit: Gabina uia.* 25. B. *Antiquum exemplar habet: Gabinia uia. Item: Inde se obijcere. Inde. i. ex eo loco. Sic enim exponi potest. Item, P. Lucretius. Rursum: Tam effuse euagandi. Eúmque milites uulgo adierent.) Particula que non est in exemplari uetusto. Sic autem Liu. sæpe loquitur connectentibus uocculis omißis. Pauló pòst, quam fuit ad cædem. Quæ insidiarum minas per ambages iaceret.)* 26. A. *In uulgatis editionibus omissum est hoc loco pronomen sibi: Quæ insidiarum sibi minas per amb. iace. Qui magnã gloriam petunt.) Archetypon Vuormaciense habet: Qui magnã gloriã uident. Et adiectum est recẽtiore manu in margine, petũt.*

Forte

Forte ser primum fuit: Qui magnam gloriam propositam uident. Ceteri,utcunq; ceciderit: primum, quoad te opportunũ fortuna dederit.) Fœde hallucinatus est qui sententiã hanc tam misere deprauauit. Sic autem scribi debet: Mea prima sors fuit. Ceteri, utcunque ciciderit, primi,)Subaudi tur sors. nam primi genitiuus est,)quo te opportunum fortuna dederit suo quisq; tempore adeunt. Cognomentum inditum.) Lectio uetus: cognomen inditum. Clœlia uirgo,una ex obsidibus.) Omissa est hic, &, particula, quæ tamen mire ad sensum facit. Auget enim rem, & comparationem subindicat. Legendum. Et Clœlia uirgo, una ex obsidibus, & quæ sequuntur, inter tela hostium Tyberim tranauit. Sensus est: Non solum Cocles superincidẽtibus telis, incolumis ad suos tranauit, sed & idem fecit Clœlia uirgo. Sic deditam, intactam inmolatámque ad suos remissurum.) Accusatiuus intactam postea additus est a quopiam, qui participium deditam ordinabat cum aduerbio sic, coniungendum cum altero participio futuri temporis remissurũ. Et uidebatur sententia mutila. Tu uero sic ordinato uerba uolens orationem exponere: Sic remissurum ad suos, deditã inuiolatámque. Præcedit: Quemadmodum si non dedatur obses, pro rupto fœdus se habiturum. Paulò pòst scriptum est in ueteri codice, elegisse impubes dicitur. Bona uendendis bona Porsenæ regis uendendi). 26. B. Hæc duo uocabula, Bonis uendendis non sunt in archetypo Borbetomagensi. Videntur inserta ab eo qui uoluerit usum moris indicare. quũ tamen Liuius cõtentus sit dicere, inter cætera solẽnia. Arte aduersus uim usæ. Antiqua lectio tametsi mendosa: Arte aduersus uim sæ, docet legi quoque posse, Arte aduersus uim nisæ. à nisor, niteris. Multos Romæ hostium urbisque charitas tenuit.) Legendum, hospitium: hoc est eorum qui illos hospitio acceperant. Mox est in ueteri mendose tamen, Puerius Publius Lucretius inde et P. Valerius Publicola COSS. facti. Deest aduerbium tertium. Ne in tantis mutuis beneficijs.) Scribendum, neu in tantis beneficijs, hoc est neue in t. b. Eam esse uoluntatem omnium.) In manu scripto codice legitur: Hostibus potius quàm portas regibus patefacere eam ea esse uota esse uoluntatem omnium. Lego: Hostibus potius quàm portas regibus patefacere. Ea esse uota, eam esse uoluntatem omnium.

Consules deinde Marcus Valerius, Publius Posthumius.) 27. A. In uolumine ueteri tantum est: COSS. M. Valerius P. Posthumius. Namque Ap. Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romæ cognomen.) Exemplar scriptum sic habet, Nanq; Appius Clausus cui postea Appio Claudio fuit Romæ nomen. Nec quibus facts consulibus.) 27. B. Antiqua lectio, nec quibus facti consulibus. Neutra syncera est. Originem erroris accipe. Quia statim sequitur ex factione, scriba non satis attentus, quibus factione scribere est orsus, nec deleuit postea priores duas syllabas iam inceptæ perperam dictionis. Itaque fragmẽtum id facti, doctus quispiam mutauit in factis, ut quadraret cum utrinque positis ablatiuis. Tu uero me authore sic castiga: Sed nec quo anno, nec quibus cõsulibus, quia ex factione Tarquinia (ita habet archetypon, nec est opus altero denominatiuo Tarquiniana) essent, id quoque enim traditur, parum creditum sit, nec quis primum dictator creatus sit, satis constat. M. Valerium Fusium Valesij nepotem.)

Aliam lectionem è uetere eruemus, quæ sic habet, M. Valerium Marci Fusium Volesi nepotem. Scribo, M. Valerium Marci F. M. Volesi nepotem. Notum est F. filium significare. Sic rursum libro tertio proxime sequenti: Cum Marco Valerio, inquit, Valerij filio, Volesi nepote, quæstor erat T. Quintius Capitolinus. Porro quæ de Furijs & Fusijs, Valerijs et Valesijs ex authoritate Fabij Quintiliani solent adferri, non puto hic habere locum. M. Valerium spectatæ uirtutis consularem uirum.) Deest hic, &, particula, quæ inserenda est hoc modo, potius M. Valeriũ spectatæ uirtutis & consularem uirum legissent. Præstare Sabini (id enim postulatum erat) in animum induxissent. Antiqua lectio, præstare Sabinium id enim post. Porte legendum: Præstare Sabini tum (id enim postulatum erat) in animum induxissent. Et C. Vetusius.) In Vuormaciensi libro legitur: Et C. Vetusius, Veturius, Vetirius. Vide diligentiam scribæ, qui diuersam lectionẽ proculdubio seorsim adnotatam, in contextum meliore fide, quã iudicio retulit. Et infra, Valerium temere inuectum. Quam de lecta manu.) 28. A. Reponendum, Cohorti suæ quam de electa manu præsidij causa circa se habebat. Equitibus admoti equi, ut persequi hostem possent.) Liuius scripsit, Equitis admoti equi, ut persequi hostem posset. Nam eleganter singularis numerus pro pluratiuo usurpatur. Quia tamen præcedit: Ad equites dictator aduolat. desiliunt ex equis, ausus est quispiam hunc locum mutare. Volscos consilij pœnam metuentes. 28. B. In editionibus uulgatis hic particula nõ est omissa, quam repone. Volscos consilij pœnam non metuentes, necopinata res perculit. Cæterum ita dictum est hic nec opinata res, quemadmodum in fine primi libri de Lucretia, nec opinato uiri aduentu. Sic & Cicero loquitur. Ad hoc prolixa barba.) O factum flagris dignum Quũ Liuius scripserit: Ad hoc promissa barba, ueluti indicat Vuormaciẽse exemplar, ausus aliquis erasa dictione promissa, supposuit prolixa. Sic libro quinto M. Papyrius unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti scipione eburneo in caput incusso iram mouisse. Significat autem promissus longum siue prolixum, quasi procul missum. In hunc enim sensum etiam promittere uerbum usurpatur. Liuius noster libr. 6. Satis constat magnam partem plebis uestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse. Postulare minaciter magis quam suppliciter.) 29. A. Deest hic aduerbium multo. Postulare multo minaciter magis quàm suppliciter. Contracti ad consules.) Mendosa uerba sunt. Scribe: contracti ab consulibus. Iámque ab omni parte munimenta uallabantur. 29. B. Ingens hic erratum occupant codices Liuianos. Legendum pro uallabantur, uellebantur. Significat enim Volscos munimenta Romanorum ab omni parte euulsisse. Nec in urbe nunciatum est. Scribendum, Nocte in urbem nuntiatum est. In magna iam spe undique parata pacis.) 30. A. Repone, partæ pacis. Adeo in alterã causam non collega solum præceperat.) Non aliter in codice manu descripto legitur. Nisi quod in margine minutiore scriptura adnotatum erat, præceps erat. Quam lectionem probauit M. Antonius Sabellicus, monens etiam præceps ierat legi posse. Sed tamen si quis me audiat, potius leget: Adeo ut alterã causam non collega solum præceperat, sed omnis factio nobilium. Hæc lectio syncera est ac germana. Ante dixi Appium uehementis ingenij uirum fuisse. quem paulò pòst immitem natura uocat.

Porrò nihil dubito si superesset adhuc Sabellicus, qui mihi subscriberet. Nam candorem hominis edita scripta satis testantur. Et ego meliorum admonẽti. non solum in his Liuianis, sed & in Plinianis, ac aliorum authorum castigationibus libenter cedam. Quin gratias insuper sim habiturus. Nam cupio subuenire rei literariæ. Hoc fortaßis non abs re fuerit monere, propter crassiores, accipiendum hic præcipere, pro antecapere. siue præsumere, quemadmodum et libro tertio usurpat, ita scribens: Nec ex quo castris castra conlata sunt. inquit, cessatum à leuibus prælijs est, facile patiente dictatore, conferendo uires. spem uniuersæ uictoriæ tentato paulatim euentu certaminum suos præcipere. Et apud Cæsarem in commentarijs: Hæc usu uentura Cæsar opinione præceperat. Præcepit autem Appius ut causam alteram, quũ prius proposita sententia, nobiles omnes habuit assipulatores.

Quemadmodum ex ijs quæ ante dicta sunt liquere potest. Neque quum decreuisset, quisquam obtemperabat. In antiquo uolumine legitur. neque cum decresset. Quod uerbum κατὰ συγκοπὴν uidetur foro fuisse solenne. Sic rursum libro tertio, Lictor decresse, ait. Verterant.) Sic dixit hic, metúsque omnis & periculum libertatis in creditores à debitoribus uerterant, ut supra: Libertatem aliorum in suam uertisse seruitutem inter se conquerebantur. Et paulo inferius, Ea in caput uertit. De multa loquens. Item libro decimo tertiæ Decadis. Et indæratus præter spem resistẽdo timor hostium, ac ne uertat in audaciam periculum est. Sic enim nos illic legendum docebimus, quanquam editiones uulgatæ contineant, Ac ne uertatur. Habet autem in allegatis exemplis uerto paßiuam significationem. Non esse tamen desertã omnino Rempublicam.) Antiqua lectio: Non esse tamen desertam. Vt etiam legi poßit: Non esse tamen desperatam omnino rempub. Porro deserta erat id temporis resp. ub. magis quàm desperata. Ad patres referunt.) 30. B. Codex manu scriptus habet: Ad patres deferunt. Quod uero mox sequitur, sed delatam consulere. recte dictum est. Sic enim Plautus: Ibo, & consulã hãc

rum amicos, quid faciendum censeant. Tum uero ad sellas consulum propere conuolauere minimus quisq; natu patrum.) Adulteratus locus est. Legendum, Tum uero ad sellas consulum prope conuolare, minimus quisque natu patrum. Sensus est: Quum patres in curia conuenissent, iuniores inter hos quibus calebat sanguis, non contenti in suis subsellijs dixisse quæ sentiebant, immemores maiestatis consularis, ad ipsas propemodum consulum sellas conuolabant. Erroris causam fuisse uideo, quod aduerbium prope, bonus ille uir, quisquis fuit, cum uerbo conuolare construxerit, quod retro erat referendum. Notat autem immodestiæ Liuius iuniores patres. Senatus tumultuose uocatus. Sic distingue, Senatus tumultuose uocatus, subauditur, est. Tumultuosius consulitur. Dictum est, consulitur, impersonaliter. Cuius maiestatem uiolaui.) 31. A. Suspicor legendum, uiolabit. Nam uulgus ueterum librariorum solitum fuit subinde u pro b, & uicissim b pro u ponere. Quæ res mire uitiant omnes authores. Rursus Virginij Largijque exemplo haud salubrem utique Largij putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret. Obscurus locus est, quia deprauatus. Demiror quomodo se hinc explicent professores, qui in publicis auditorijs Liuium enarrant. Et uix est author in scholis tritior. Quid hic afferebat ille professorum Achilles Philippus Beroaldus, qui toties priuatim & publice Liuianas Decades Bononiæ prælegit? Restitue & distingue sententiam hoc modo: Rursus Virginij Largijque, exemplo haud salubres. Vtique Largij putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret. Expone uero sic, Rursus Virginij Largijque, subaudi sententiæ, exemplo haud salubres. subaudi, uidebantur. hoc est propter exemplum. Vtique Largij putabant sententiam. Subaudi, eam esse, uel talem esse, quæ totam fidem tolleret. Quid nunc apertius Liuianis uerbis? Multis, ut erat, horrida & atrox uidebatur Appij sententia. Rursus Virginij Largijque, exemplo haud salubres. Vtique Largij putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret. Medium maxime & moderatum utroque consilium Virginij habebatur. Vt imperium suo uehemens mansueto permitteretur ingenio.) Hic nodus est superiore intricatior. Mirum est cur huiusmodi loca non notentur asteriscis. Nam uerba ista nullo sensu dicuntur. Et nescio an seculo nostro quispiam hanc Liuianam sententiam intellexerit. O securitatem lectorum, ô nimiam securitatem enarrantium. Immo nonnihil dubito an Clementianus & Flauianus Nicomachus Dexter, ac Victorianus V V C C qui ante nos primam istā Decadem emendarunt, locum hunc satis perceperint. Id quod ideo potissimum dico, ut lectores excitem. Habet antiqua lectio, Imperio suo. In cæteris conuenit: nisi quod est illic, Permitteretur. in quo uerbo omnis sita est difficultas: pro eo deprehendi tandem scribendum, Remitteretur: ut sic legamus. Sed curæ fuit consulibus ac senioribus patrum, ut imperio suo uehemens, mansueto remitteretur ingenio. M. Valerium dictatorem, M. Volesi filium creant. Sic enim in scripto codice est: non Valesi. Sensus est: Curarunt cōsules, ut talis eligeretur ac constitueretur dictator, qui ob dictaturam quidem uehemens & nimium potens, mansueto tamen remitteretur ac mitigaretur ingenio: itaque M. Valerium dictatorem creant. Plebis etsi aduersus se creatum dictatorem.) An in excusis exemplaribus omnibus, certe in Asulanico, quod nunc solum est ad manum, hic uidebat, uerbum deest, Creatum dictatorem uidebat. Tu repone. Itaque effuse & contemptim pugnam iniere.) Habet Vormaciense uolumen, Inire, subauditur, cœperunt. infinitiuus pro præterito imperfecto, more historicorum. Vbi ad manum uenisset hostis, tum cohortes tota ui gladijs rem gerere.) Ingens erratum hic inuasit Liuianos codices, scribē dum, Tum coortos: pro Cohortes. participium est à coorior. Paulò pòst est in ueteri libro: Insidias incidissent. non, In insidias incidissent. Fundit fugátque, exuitque castris.) 31. B. Antiqua lectio, Fundit fugátque, exuit castris. Equitatu misso mediam turb. host. aciem.) Scribe, Equitatu immisso. Dictator triumphās Romam inuehitur.) Repone, Vrbem inuehitur. Hic expositio dictionem expositam de sua possessione deiecit. Id male commissum ignauia hostium in bonum uertit.) Elegans oratio est, ut Vertit, accipiatur absolute: quemadmodum supra quoque admonuimus. Et, Ignauia hostium: septimo casu dictum est. Vertit, expone Versum est. Apparuit causa plebis suam uicem indignantem magistratu abijsse.) Hic quosdam nihil offenderet, scio. Veruntamen ausim dicere si ita scripsit Liuius, non recte usum pronomine sui. Dicēdum enim fuisset, Ipsius uicem: non suam uicem. Hæc crassos lectores non mouent. Castigandus est locus, & hoc modo legendus: Apparuit causa plebi. hoc est, Plebes causam intellexit. Suā uicem indignantem magistratu abijsse. Tamen quia in consulum uerba iurassent.) Exemplar scriptum habet: Tamē quoniam. Cur hoc mutatum sine causa? Trans Anienem amnem tria ab urbe millia passuum.) 32. A. Est, uerbum hic omissum rursus infere. Trās Anienem amnem. subauditur est, mons sacer, tria ab urbe millia passuum. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti.) Scribendum est quemadmodum habet codex Borbetomagensis: Sic placuit igitur oratorem ad plebem mitti. Sic, hoc est, ad reconciliandam concordiam ciuitati. itaq; non est superuacaneum. Omnia in unum cōsentiebant.) In uetusto uolumine legitur, Consentiant. Et mox, Suus sermo fuerit. arbitror scribendum: Tempore, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit. Porro conuenient modi, si ad narrantis Liuij uerba retuleris. Mature confecto cibo sanguinem.) O nugatorem, qui hic pro Maturum confecto cibo sanguinem: scripsit. Mature confecto cibo sanguinem. intelligens a uentre mature cōfici cibū. Paulò pòst in ueteri codice est: Spurius Cassius & Posthumius Com. Cædéq; in proximo urbis facta.) 32. B. Legēdum: Cædéq; in proxima urbis facta, hoc est, in proximas partes urbis. Intelligit ædes uicinas portæ per quā irruperat. Ignem temere arreptum.) Scribe, Ignem temere abreptum. Loquitur de igne quem forte è foco abripuerat. Primo ortus.) Antiqua lectio, Primo ortu. hoc est in principio statim. Sed quæsitum in Sicilia quoq;.) Repone, Sed quæsitum in Siciliam quoque. Expone, dimissis non in Hetruriam modo, sed in Siciliam quoque: quæsitum hoc est ad quærendum. Frumentum cū Cumis coemptum esset.) Lectio uetus: Frumentū Cumis cum coemptum esset. Ex Hetruscis frumentum Tyberi uenit.) Liuius scripsit, Ex Tuscis. sic enim in archetypo manu scripto legitur. Ante uero dixit, in Hetruriam: nunc subdit, Ex Tuscis. ne eodem statim uocabulo bis utatur. De qua re supra quoque admonuimus. Eo sustentata est plebs.) Antiqua lectio: Eo sustenta est plebs. A sustinendo, non à sustentando. Sic infra, Vnus ille uir ipse consilium pub. sustinuit. Infra tamen dicit: Diu sustentatum id malum. Incommodo bello in tam arctis commeatibus uersati forent.) Ingens hic erratum est: nam pro uersati forent, scribi debet, uexati forent. Agitatum que in senatu, quantum plebi daretur.) Prolendum & hic erratum. legendum autem: Quanti plebi daretur. Siquidem agitatum fuisset de pretio quo frumentum plebi uenderetur, sequentia satis indicant. Et illud in primis quum dicit, Conditionibus laxandi annonā, patres omnia inuitis iura imposita potuisse demere sibi. Itaque qui istam scripti codicis lectionem amplectatur, exponet quod sequitur, Si annonam ueterem uolunt, &c. Vtantur annona quam furore suo fecere, de pretio ueteri, et annonæ caritate. Cur Sicinium pollentem uideo. Lege: Potentem uideo. Vtantur annona quam f. s. f.) In editionibus peruulgatis hic uerbum Fruantur, deest: inserendum hoc modo, Rapiant frumenta ex agris nostris, quemadmodū tertio anno rapuere: fruātur, utantur annona quam furore suo fecere. Fruantur, subaudi frumentis. nam ad priorem sententiam est referendum: & est ironia.

Absterrendo singulos à concionibus concilijsque.) 33. A. Non contemnendum erratum hic irrepsit in exemplaria Liuiana, scribendum: A coitionibus concilijsque. A uerbo coire, quod congregari significat. Sic lib. 3. Quum, inquit, & per coitiones potētiorum iniuria fieret. Instaurandis hæc causa fuerat ludis.) Archetypon docet hic legendum esse: Instaurandi hoc causa fuerat. subauditur ludos. Deinde quod sequitur ita distinguendum, Ludis mane seruum quidam paterfamiliæ, &c. Ludis, hoc est die ludorum magnorum. T. Latino.) Vetus lectio: Tito Latinio. Sibi ludis præsultorem displicuisse.) In exemplari scripto legitur, Sibi ludis præsultatorem displicuisse. expone, ludis, hoc est die ludorum magnorum. Et aptius uocat miserum illum seruum, qui cæsus uirgis per medium circum saltitauerat ex uehemēti dolore, præsultatorem, quàm præsultorem. Porro sequitur, Quanquam haud sane liber erat religione animus. Ibi in Vuormaciēsi codice è margine

uehercle

mehercle elegantem annotatiunculam, quæ Clementianum, siue
huius filium Flauianum Nicomachum Dextrum, siue Victoria-
num, certe nescrem aliquem authorem arguit, in medium contextũ
retulit scriba. Eam libuit hic subiungere in gratiam studiosorum.
Habet autem sic: Ludi ex instauratione, quos displicuisse Ioui La-
tinius ab eo per somnium monitus ut nuntiaret, deberéque repeti,
dum non uult magistratibus nuntiare, taciturnitas orbitate puni
ta est. Quippe qui n.n.m. sed u.p. incolumes sumus. 33. B. Legen
dum: Incolumes simus. Primũ dicẽda uobis consules ratus sum.)
Castiga, Prium dicenda uobis. Ne enim facti dictique contagione
præsens uiolcr.) Pro dictique, repone dictiue. Si hæc profectio
& non fuga est.) Scribendum, Si hoc, profectio, & non fuga est.
Satricum Longulam.) 34. A. Nusquam fere maior exemplariũ
uetustorum diuersitas, quàm in nominibus proprijs uel hominum
uel locorũ. In Vuormaciensi codice semper est Longuia. Sic autẽ
hic habet: Satricum, Longuiam, Poluscam, Coriorolos, Nouellã,
hæc Romanis oppida ademit: inde Lauinium (forte Labinum) re
cipit: tunc deinceps Corbionem, Veteliam, Trebium, Labicos, Pe
dum cepit: postremum ad urbem à Pedo ducit, & ad fossas Clu
ilias. Et quam armis uiri defendere. Non est absurda lectio,
sed tamen in scripto uolumine legitur, Et quoniam armis. Corio
lanus propere ut amens.) 34. B. Adulteratum uerbum est prope
re, tu repone prope. Coriolanus prope ut amens. Manus uulga
tum à ciuibus isse in socios.) In uetusto codice quidam scripserat
esse. Paulò pòst illic est. Quid ita enim. Itẽ, Partem tertiã. Certa
tim plebi indulgere.) 53. A. Antiqua lectio, Vt certatim, indulg.
Idq; propius fidei est.) Emenda locum: Idq; propius fidẽ est.
Apparet quam fuerit uersatus in lectione bonorum authorum,
qui non putabat Latine dici, Propius fidem. S. Cornelio, Q. Fa
bio consulibus.) In ueteri uolumine est: Seruio Cornelio. Seditio
domestica bellum externum exciuit.) Corrupta sententia est. scri
bendum: Eo infestior facta plebes, seditione domestica bellum ex
ternum exciuit. Sensus est: Seditionem domesticam externo bello
dedisse occasionem. Neque enim rebellassent Volsci & Aequi, ni
si discordibus Romanis. Patres satis superq; gratuiti furoris in
multitudine credẽtes esse.) Restitue sentẽtiã hoc modo: Patres sa
tis superq; gratuiti fauoris in multitudinẽ credẽtes esse. Artonã
Latinã urbẽ.) 35. B. In libro scripto legitur: Ortonã Latinã ur
bem. Nec est mox, Minitabantur, sed Minabãtur. Infra sic distin
gue: Ducendus Fabio in Veientes, in Aeq. s. datur. Iniussi signa
referunt.) Mendosum uocabulum est iniussi. tu castiga, iniussu si
gna referunt. Sic enim paulò pòst iterum loquitur, Iniussu, in-
quit, in castra redituum. T. Pontificium fuit.) Antiqua scriptura
sic habet: T I B. Pontificius. hoc est Tyberius Pontificius. Sic di-
stingue: Et hic annus Tr. a. l. a habuit, Tyb. Põtificius fuit is, eam
dem uiam uel. Præceptus Appij monitu patres uniuersi.) Hic &,
particula magno sententiæ detrimento deest. Tu sic scribe: Præce
ptus Appij monitu patres: & uniuersi comiter ac benigne tribu-
nos appellare, & consulares. Et quæ sequuntur. Nouémque tribu
norum.) Quid nobis hic Liuius narrat de auxilio nouem tribuno
rum? nónne ante dixit, duos tantum creatos tribunos, qui tres si-
bi collegas asciuerint? Num igitur memoria lapsus est, qui decem
tribunos hic astruat, qui lõge post sunt instituti, ceu Tertius liber
indicabit? Inspiciamus ueterem codicem, cõsentiunt uerba. Ergo
tuebimur lectionem? Minime. Scribemus: Nouémque tribunorum
aduersus unum moratorem publici commodi auxilio, delectũ con
sules habẽt. Porro nouum delectum habitum dicit Liuius, id quod
ideo factum est, ne proditor ille exercitus qui Fabium aduersus
Veientes pugnantem pene destituit, magno reipub. damno rursum
educeretur. Nouus igitur militum delectus habitus auxilio cætero
rum quatuor tribunorum. Iam errori causam præbuit quòd scio-
lus aliquis nesciens adiectiuũ, nouémque, esse referendum ad sub
stantiuum delectum, quod paulò pòst sequitur, quum non quadra-
rent hæc duo uerba, nouémque tribunorum, scripsit, nouémque
tribunorum. Id mendum è manuscriptis exemplaribus in excusos
typis codices postea transfusum est: nec quispiã obseruauit. Debẽt
hanc mihi gratiam studiosi, qui meo Marte post longam inquisi-
tionem germanum hic uocabulum depostliminio restitui. Ea spes
Hetruscos armauerat.) 36. A. Scribendum, Hæ spes Hetruscos
armauerant. Memoriáque pessimi pr. bel. exempli terrebant.)
Lege, Memoria pessimi proximo bello exempli terrebantur. Sine
que particula annexa. nam hoc sermonis genus asseuerantium est.
Quidam in Vuormaciensi codice castigarat, Terrebat: ut memo
ria casu nominatiuo legeretur. Terginersatur tamen Fabius. 36.
B. Sic scribe, distingue, atque expone: Terginersantur tamen:
subaudi Consules. Nam mox præcessit: Ad consules curritur. Fa-
bius deinde ad crescentem tumultum iam metu seditionis collega
concedente, quum silentium classico fecisses. Nisi uictores se redi-
turos ex hac pugna iurent.) Non erat hic opus mutare lectionem
scripti uoluminis, quæ habet, Iurãt. Præcedit enim aliud uerbum,
Itaque certum & decretum est. Aliosque iuratus inuocat deos.)
Adulteratus locus est temeritate scioli cuiuspiam. Neque enim sim
pliciter hic inuocat deos. nam sequitur: Idem deinceps omnis ex-
ercitus in se quisq; iurat. Proinde castigandæ sunt hic uulgatæ
editiones ad codicem manuscriptum, qui sic habet: Si fallat, Io-
uem patrem, Gradiuumque Martem, aliosque iratos inuocat deos.
Sensus est: Iram deorum Iouis & Martis sibiipsi imprecatur, si
fallat. Nunc apte cohærebit sequens sententia. Idem deinceps o-
mnis exercitus in se quisque iurat. Paulò pòst ubi uulgo legitur,
Nunc armatis sibi: in antiquo uolumine est, Nunc armati, ubi sub
audiri poterit uerbum iubẽt. Pugna iam ad manus.) Vetus lectio,
Pugna iam in manus, iam ad gladios, u. m. e. a. uenerat. Paulò in-
ferius ubi uulgo legitur: Consulitum Cæso Fabius, in scripto
codice est, Gaius Fabius, Iterum paulò pòst, G. Fabium cum Tito
Virginio COS. factus. Cn. Manlius.) Exemplar uetustũ ter ha
bet, Manlius: semel, Manilius. Itẽ infra: Et sua spõte ipsi præliũ
renouant. Funera deinde duo, collegæ fratrisque ducit.) 37. A.
Ex his uerbis posses aliquis putare funera ista duo simul à consule
& æquali honore ducta. Proinde non erat credendum hic aduer
bium deinceps: quod unum post alterum ductum fuisse declarat.
Ad ordinem enim deinceps refertur, significans aliquid gradatim
tim fieri. Itaque sic est restituendus locus ex archetypo Borbeto-
magensi: Funera deinde duo, deinceps collegæ fratrisque ducit.
Sensus est: Prius ductum funus collegæ tanquam consulis, postea
rius fratris funus. Quæ res & Fabij modestiam commendat. Sic
lib. 5. Sed antecedente fama nuntiisque Clusinorum, deinceps in-
de aliorum populorum plurimum terroris Romam celeritas ho-
stium tulit. Rursum eodem libro: Intuemini enim horum deinceps
annorum uel secundas res uel aduersas. Iterum lib. 6. Interreges
deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpitius Camerinus, L.
Valerius Potitus: hic demum. Deinceps, id est quod uulgo dicunt,
alius post alium, & successiue. Quàm recens dolor proximæ cla
dis transisset.) 37. B. Antiqua lectio, Transiret. nec erat opus mu
tare. Ex fauore & admiratione stupens.) Præpositionem ex, in
ter prælegẽdum aliquis adiecit, quæ postea recepta est in contex
tum. Tu rursum deme. Sequitur infra, Id primo acerbum
indignumque Veientibus est uisum. Exemplar antiquum. Hæc spes
adeo prouexit.) 38. A. Lectio uetus, Hæc spes prouexit. Quæ res
paucitatem eorum insignem.) Insere hic particulam et, Quæ res
& paucitatem eorum insignem, & multitudinem Hetruscorum,
&c. Sic Liuius loqui solet. Eò nixi corporibus.) A nitor nixus
dicimus & nisus. Sed uideo magis Liuio placuisse nisus. Vt hic.
Eò nisi corporibus. Et inferius paulo: Quum & patres minus
quàm pro Coriolano adnisi essent. Rursum infra: patres quoque
non temere pro ullo æque adnisi sunt. Vt taceam de alijs locis.
Vt primo pugnatum sit ad Spes.) Consentit exemplar Borbeto-
magense. Sic autẽ dictũ est hic, Ad Spei, quemadmodum ante, Ad
Iouis Statoris. Quod inopia frumenti, quamuis præcipitia, dum
celeriora essent, agebant consilia.) 38. B. Hic locus non solum
in æditionibus peruulgatus omnibus est adulteratus, sed & in ma
nu scripto codice, qui ut recte habet, in præcipitia, sic perperam
continet, agebant. Tu sic castiga, Quod inopia frumenti, quamuis
in præcipitia dum celeriora essent, agebat consilia. Significat [illegible]
opia nominandi casu dictum est. Aegritudinémque: inde morbo ob
sumptum esse.) Scribendum est. Negant uulgo [illegible] ægri-
tudinémque: Inde morbo absumptum esse. Aegritudo refertur ad
animum, morbus ad corpus. [illegible]
excurrunt.) Lectio uetus, [illegible]
excurrunt. [illegible] Nam mox sequitur, [illegible]
peteretur. [illegible]

lerat.) Repone, Cui signa primum intulerat. Sic infra, Nec ante restitit, quam signa inferentem Volscum munimentis uidit.

Duæque potentiss imæ, & maxime finitimæ gentes superatæ sunt.) 39. A. Legendum ad uolumen scriptum, duæ potentissimæ & maximæ, finitimæ gentes superatæ sunt. Nec tamen perpelli potuere, ut acie dimicarent.) Archetypon scriptum habet, Nec tamen perpeti potuere, ut acie dimicarent. Suspicor scripsisse Liuium, Hæc tamen perpeti potuere, quam ut acie dimicarent. Subaudiuntur potius, aut facilius, aut simile comparatiuum more Græco. Quod orationis genus etiam alibi indicabimus in libris sequentibus. Adeoque neminem noxæ pœnitebat.) In exemplari scripto legitur, noxiæ. Dicitur autem noxia substantiue non minus quam noxa. Hoc admonendum duxi, propter eum qui hic pro noxiæ scripsit, noxæ, uelut emendans locum. Palámque ferrent.) Legendum, palámque ferretur, impersonaliter. Inferius paulò uetus codex habet, cum in senatum uocari iussissent. Magis placet uulgata lectio. Qui eum uexandis prioris anni consulibus administraturum tribunatum credebant.) 39. B. Vetus lectio, permissurum administraturum tribunatum credebant. Opinor legendum, Qui eum uexandis prioris anni consulibus permissum administraturum tribunatum credebant. Nam illi plebs tribunatum planè permiserat. Paulò post est in ueteri, eum recentior, tum acrior. In accusationem Appij.) 40. A. Deest hic pronomen ipse in editionibus peruulgatis. Ipse in accusationem App. Sequitur paulò pòst iuxta antiquam lectionem, Ego hic, aut in conspectu uestro moriar. Dum tribuni, consulésque.) Antiqua lectio, Dum tribuniq; consules ad se: Cōijcio scribendum, Dum tribunique consulésque ad se quisque omnia trahunt. Paulò pòst lege, Vt si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberet. Non, haberent. Quæ domi esse, eo liberior.) 40. B. Castiga, quæ domi, esse liberior. Se inuico consule obiecto contra Trib. pot.) Scribe, electo. Nequaquam tanta patrum spe, priores impedierant consules.) Lectio manu scripti codicis, nequaquam tāta patrum speriores impedierunt consules. Lege, Nequaquam tanto patrum, subaudi conatu, superiores impedierint consules. Iam totus ambitus sic legi poterit. Eadē in militia sæuitia quæ domi, esse liberior, quod sine tribunitijs uinculis erat. Odisse plebem plus quàm paterno odio. Se uictum ab ea, se inuico consule electo aduersus tribunitiam potestatem, perlatam legem esse quam minore conatu, nequaquam tanto patrum, superiores impedierint consules. Vt inuictus ille od. pl. ã interdum mouetur.) Scribe, moueretur. Mox pro tribus infinitis, agere, dicere, uocare, repone, ageret, diceret, uocaret. Item tribunos plebis potius quàm Trib plebeios. Nam in libro scripto legitur, tribunos plebei. Iuxta quintam inflexionem, quemadmodum & Plinius auunculus usurpauit. Porro subinde legitur in exemplari archetypo: Tribuni plebei, non plebis, à nominatiuo plebes, non à denominatiuo plebeius. Duplicariósque.) Quidam in uetusto uolumine scripserat, Duplicariosque. Omnis militi data est. 41. A. Antiqua lectio: Ea omnis militi data est. Tum duci. p. d. p. o. p. exercitus rediit.) Melius in Archetypo Vuormaciensi legitur: Quum duci, tum propter ducem patribus quoque placatior exercitus rediit. Aut supplex prehensaret homines.) Volumen uetustum non hic modo, prensaret habet, sed & alijs innumeris locis. Item, prendi, quod uulgo legitur prehendi. De qua re semel admonuisse sufficiat. Ante tamen quam prædicta dies ueniret.) In antiquo codice legitur, prodicta dies. Tu scribe producta dies. Cuius collaudationem cum tribuni plebis impedire conarentur.) Quid hic facit collaudatio? Emacula locum ad fidem exemplaris uetusti. Cuius laudationem quum tribuni plebis impedire conarentur. Sequitur autem mox. Et laudationem tam æquis auribus mortui audiuit. Rursum lib. quinto. Matronis, inquit, gratiæ actæ honósque additus, ut earum sicut uirorum post mortem solennis laudatio esset. Hoc uocabulo pro oratione funebri Cicero quoque usus est in Catone Maiore: Est in manibus, inquit, uiri laudatio. Quintil. lib. 3. Nam & funebres laudationes, inquit, pendent frequenter ex publico aliquo officio. Omnis ira belli ad populationem agri uertitur.) O hominem doctum, qui hic pro uertit supposuit uertitur. Tu repone, uertit. De quo genere sermonis supra admonuimus. Cum pro uicto relinqueret hostē.) 41. B. Corrige, Cur pro uicto relinqueret hostem. P. Quintium.) Antiqua lectio, T. P. Quintium. Sic paulò superius scriptum fuit: L. P. Valerio T. Aemylio C O S S. Vbi uulgo tantum legitur, L. Valerio. Impetu facto dum se putant uinci, uicere.) Non intellexit Liuij sensum, qui hunc locum adulterauit. Nam dicit author salubri mendacio de fuga hostium, concitatam aciem fuisse cessuram alioqui. Itaque quum putarent se uincere, qui tamen succumbebant, animo resumpto, uicere. Vide quid potuerit opinio duntaxat uictoriæ. Germana lectio sic habet: Impetu facto, dum se putant uincere, uicere. Cornicines tibicinésque.) Scribendum, Tibicinésque. Ferocius agunt equites circumfusi ducibus. 42. A. Vetus lectio: circumfusi duci. Saxa adiacentia pedibus ingerit in subeuntes.) Reponendum: Saxa obiacentia pedibus ingerit in subeuntes.

IN LIBRVM TERTIVM PRIMAE DECADIS ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.



RIBVNITIIS *se iactari actionibus.*) 42. B. *Scribendum: Tribunitijs se iactare actionibus.* Elargiendo de alieno.) *Vitiatus locus est. Corrige: Et largiendo de alieno. Totam uero sententiam sic distingue: Possessores & magna pars patrum tribunitijs se iactare actionibus, principem ciuitatis, & largiendo de alieno popularem fieri quaerentes.* Consilio neutri partium acerbo.) *Repone, neutri parti.* Antium propinquum. *Lectio uetus. Antium: propinquam, opportunam & maritimam urbem. Sic infra: Coloniam fidam, propinquam, infamem fieri.* Triumuiros agro dando creant.) *In Archetypo Vuormaciensi legitur: Triumuiros agro dando creat. Subaudi Fabius* COS. Ab ijs proximi audita.) 43. A. *Codex manu scriptus habet: Ab his proxime audita. Quam lectionem si quis sequi uolet, cogetur mox legere, ferri.* Mox illic est, uocato, dein senatu. Funestam ei populationem fecit.) *Ei datiuus non est in exemplari Borbetomagensi. Nec est hic necessarius.* Censa ciuium capita centum quatuor & XX. millia, CCXIIII.) *Antiqua lectio: Censa ciuium capita* CIIII. A CCXIIII. *Fortasse scribendum: Quater centena millia, Ducenta quatuordecim.* Adeo ciuitates hae perpetuo.) *In Archetypo legitur: Adeo ciuitates eae perpetuo.* Quidnam rei esset.) 43. B. *Vetus lectio: Quid rei esset, absque parelco nam.* Se in castra recepit.) *Scribe, Se intra castra recepit.* In incautum hostem. *In uolumine Borbetomagensi legitur: In cautum hostem, nec displicet lectio. Praecedit enim: Tanta ui castra circunsessa atque oppugnata fuisse, ut ne nuntius quidem Romam mitti potuerit. Non itaque Furius hostes est adortus tanquam parum cautos, sed quia copiae illorum propter obsidionem diuisae erant, suae uero collectae.* V. mill. ac CCC.) 44. A. *Manu scriptum exemplar tantum habet:* V A CCC. *Hoc est, quinquies mille, trecentos.* Inde Romam reditum est.) *Locus uitiatus: Tu corrige, Vt Romam reditum est. Mox praecessit, Inde, quod uerbi hic repetijt scriba parum attentus.* Et auxere uim morbi terrores populationis.) *O homines bliteos imbecillesque, quibus terrores populationis auditi solum auxerunt uim morbi. Quid futurum erat de istis, si ipsi hostes in conspectum uenissent. expiraturi erant prae metu. Hoc ne conuenit Romanis? Deprauauit sensum unica dictio perperam mutata. Sic scribe: Et auxere uim morbi, terrore populationis pecoribus agrestibúsque in urbem acceptis. Expone, auxere uim morbi: subaudi, Romanis. pecoribus agrestibúsque in urbem acceptis, terrore populationis, id est ob terrorem populationis hostilis. Mox est in ueteri: Inde exercitu ingenti.* Per Lauicanos agros.) 44. B. *Supra fuit scriptum: Labicum. Hic habes Lauicanos agros. Mos fuit ueterum scriptorum u pro b ponere, & uicissim b pro u. quod etiam alibi indicauimus.* Late euagata est uis morbi.) *Verbum euagata non habet hic locum. Tu castiga: Late uagata est.* Corpora salubriora esse coepere.)

Legendum ad fidem libri ueteris: Corpora salubriora esse incipere, id est incipiebant, qui sermo familiaris est historicis. Cum exitus haud in facili esset. 45. A. *Scribe: Quum exitus haud in facili essent.* Numero multitudinis. *Mox est in ueteri codice: Vbi etsi adiectum aliquid numero sit.* Inter alia prodigia & carnem pluisse: quam in urbem ingens numerus auium intra uolitando rapuisse fertur.) 45. B. *Haec prodigia acciderunt Romae dubio procul. Et tamen hic narratur, aues carnem illam pluuialem, in urbem rapuisse. Quaedam periodi istius uerba prodigiose sunt corrupta. Nam pro, quam in urbem scribendum est, quem imbrem. & pro duobus uocabulis intra uolitando, reponendum unum uerbum interuolitando. Dicimus enim, interuolito, sicut interuolo. Praeterea non carnem pluisse, sed carne pluisse legendum. Vt haec sit germana lectio, Inter alia prodigia et carne pluit. quem imbrem ingens numerus auium interuolitando rapuisse fertur. O negligentiam nostram ingentem, qui non dignamur ueteres codices inspicere. Hoc prodigium Valerius Maxi. libro primo capite de ominibus & auspicijs, his uerbis describit: Carnésque in modum nimbi, inquit, ceciderunt, quarum maiorem numerum praepetes diripuerunt aues. Reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aspectu prostratum iacuit. Vocat nimbũ Valerius, quod imbrem Liuius dixit.* Nequi in loca summa urbis impetus, caedésque inde fierent.) *Arbitror esse, nequi pro ne quis, de quo loquendi usu ueterum etiam alibi dicturi sumus.* Et si abscissae res sint.) *Archetypon Borbetomagense habet: Etsi abscisae res sint, Vtraque mendosa lectio. Tu meam authoritatem secutus scribe: Et si accisae res sint, hoc est amputatae, exhaustae, debilitatae. Sic libro sexto: Post accisas, inquit, à Camillo Volscorum res. Et paulò pòst: Quanquam, inquit, nuper Camilli ductu atq; auspicio accisae res erant. Metaphora deducta uidetur ab auibus, quibus alae amputantur.* Eijcere Antiates colonos.) *Hic locus fuerat asterisco notandus. Sed professoribus omnia plana sunt. In uerbo eijcere non mendum est, sed portentum plane errati. Siquidem legendum: Ecetrae Antiates colonos. Et ita distinguenda sententia: Antij summam rei positam. Ecetrae Antiates colonos palam concilia facere. Id caput: eas uires belli esse. Fuit Ecetra Volscorum oppidum. Porro faciunt ad hunc locum intelligendum quae supra sunt dicta. Libet ea repetere: Itaque Aequi, inquit, ab Ecetranis Volscis praesidium petiere: quo cupide oblato (adeo ciuitates eae perpetuo in Romanos odio certauere) bellum summa ui parabatur. Sentiunt Hernici & praedicant Romanis Ecetranum ad Aequos descisse. Suspecta & colonia Antium fuit, quod magna uis hominum inde, quum oppidum captum esset, confugisset ad Aequos. Isque miles per bellum Aequicum uel acerrimus fuit. Compulsis deinde in oppida Aequis, ea multitudo dilapsa quum Antium redisset, sua sponte iam infidos colonos Romanis alienauit. Hactenus Liuius. Quae propterea duxi renarranda, ut manifestum euaderet, quur Antij summam rei positam fuisse dicat, & Ecetrae potius quam alibi palam concilia facta.* Sed utrum spe, sed manu obtinendum erat.) 46. A. *Antiqua lectio: Sed utrum spe, & manu obtinendum.* Sibi qui non dicto, qui non facto.) 46. B. *Alterum qui superabundare docet exemplar uetustum, in quo legitur tantum: Sibi qui non dicto, non facto quenquam offendisset.* In iuuentutem grassantem in Suburra incidisse.) *Antiquus codex tantum habet: iuuentutem grassantem in Suburra incidisse.* Semianimem inter manus domum allatum.) *Scribe: semianimem inter manus domum ablatum.* Cui reo capitalis dies dicta sit.) *Violant hic scioli quispiam uerba Liuiana. Tu corrige: Cui rei capitalis dies dicta sit. Neque enim dicimus diem capitalem, sed rem capitalem, id est quae uitam hominis in discrimen adducat.* Veluti relegatus agello quodam in tugurio uiueret.) *Et hic locus infeliciter instauratus est. Antiqua lectio habet: Veluti relegatus deuio quodam tugurio uiueret. Ex qua germanam sic restitue: Velut relegatus, deuio quodam tugurio uiueret.* Ad quatuor millia hominũ.) 47. A. *Vetus lectio: ad* MM. *hominum. id est, Ad duo millia hominum.* Ad opportuna omnia urbis loca.) *In scripto codice legitur. Ad opportuna omnis urbis loca.* Auocato populo ab armis.) 47. B. *Scribe. Aduocato populo ab armis. Aduocato, subaudi ad conciliũ. Sic infra: Propositus*

decem tabulis, populum ad concionem aduocauerunt. Ad multitudinem oratione conuersa.) Exemplar uetustum tantum habet, uersa. Si quis impediat.) Lege: Si qui impediat. Nam dictum est, Si qui pro si quis, quod & Ciceroni solenne est. L. Manilius.) 48. A. Antiqua lectio: L. Mamilius. Si se doceri finisssent.) in codice Vuormaciensi legitur, si se doceri sensissent. Non dubito quin scriptum fuerit, si edoceri se sissent. Sissent pro siissent. Sic enim aliquanto post sequitur: Duum, inquit, mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem, ut cum edocuissent populum, quid fraudis occultae ferretur, finerent deinde suffragium inire. Infra est: Pace parta, non, Parta pace. Cuius ordinis langore perpetuo iam tribuni plebis.) 48. B. Vitiata sunt uerba. Corrige: Cuius ordinis languore, perpetui iam tribuni plebis. Perpetuos dicit, quod iidem subinde reficerentur. Id quod ex praecedentibus magis liquet. Et ex eo quod mox sequitur: Loquaces, seditiosos, semina discordiarum iterum ac tertium tribunos, pessimis artibus ac regia licentia uiuere. Vbi obseruandum in Archetypo nostro scriptum esse: iterum ac tertium tribunos, non tertio tribunos. Huc facit quod infra dicit: Plebes, inquit, uicit ut quintum eosdem tribunos crearent. Et ibi mox: Id, inquit, modo excepere, ne postea eosdem tribunos uiderent.

Et nos (cum C. Claudij pace, & P. Valerij mortui loquar.) Expunge praepositionem, cum. Et scribe: Et nos (C. Claudij pace, P. Valerij mortui loquar. Atenim diuinis humanisque abruptis legibus, legem nos hoc anno perlaturos dictitatis?) Foede est deprauatus hic locus. Nam pro abruptis legibus, scribendum est, obrutis sceleribus. hoc modo: Atenim diuinis humanisque obrutis sceleribus, legem nos hoc anno perlaturos dictitatis? Porro uocat diuina scelera quae in deos sunt commissa, dum non a sacrilegis propugnantur, quod uocabulum hic aliquem offendit. Sic uocat diuinas & humanas res libro quinto: Atque ijs diuinis, inquit, humanisque rebus gestis dictatura se abdicauit. Item humanas opes eodem libro paulò ante: Quum iam, inquit, humanae opes egestae à Veijs essent. Et infra: Saluo etiam tum, inquit, discrimine diuinarum humanarúmque rerum. Mox est in ueteri libro, malè gesta respubl. est.

Nescio quo fato magis bellantes, quàm pacatis propitios habeamus deos.) Repone habemus. Nec censebit paruum hoc erratum doctus lector, ut contemni debeat. Peragendi consularis officij partem ad se uendicabat. Codex Borbetomagensis docet legendum: in peragendis consularis officij, partem ad se uindicabat. Paulò post in eodem est: Ad recipiundum Capitolium. Et tribunos, si eò aduenient.) 49. A. Lectio uetus: Si conueniant. Senatus consulta fiunt: ut neque tribuni l.) In exemplari manu scripto, non est particula, ut, quae plane abesse debet, ut sua forma senatusconsultis constet, quorum primum ita incipit: Neque tribunis legis. Non permistim unam sociorum ciuiúmque.) 49. B. Scribe: Non permixtam, uel permistam. Sic enim in antiquo uolumine legitur, & placet lectio. Subauditur, aciem. Vt distinerent hostium copias. Mendosum uerbum est distinerent. Tu castiga, distenderent, id est, distraherent, separarent. Sic libro nono: Distendit eas res, inquit, Samnitium animos. Paulò pôst est in ueteri, postquam moenibus iam Romanis pulso hoste. Ita esse multi priuatim ferebant Volscio indices.) 50. A. Repone: Nisi ita esset, multi priuatim ferebant Volscio indicem. Quum ad iudicium ire non auderet, omnes eas res in unum congruentes, haud magis dubiam damnationem Volscij, quàm Caesonis Volscio teste fuerat, faciebant. Est autem ferre indicem, uelut offerre indicem. Sic infra: Proinde ut ille iterum ac saepius prouocet, sic se iterum ac saepius iudicem illi ferre ni uindicias ab libertate in seruitutem dederit. Verba sunt L. Virginij aduersus Appium Claudium. Hoc sermonis genere & Marcus Tullius utitur. Romam rediere legati.) 50. B. Vetus lectio: Romam ut rediere legati. Scribo: Romam ut rediere legati, senatum iussit ali. Quod ubi senserunt hostes.) Melius in antiquo codice legitur: Quod ubi senserant hostes. Nihil tā nec inopinatū, nec tam insperatum accidere potuit.) Volumen manu scriptum habet: Nihil tam nec inopinatum, nec tam insperatum accidere potuit. Lego: Nihil iam nec opinatum, nec tam insperatum accidere potuit. Porro, nec opinatum subinde Liuius usurpat pro inopinato, quemadmodum & alibi admonuimus.

Nisi effuse affluant opes.) Hic omissum est aduerbium, ubi, in editionibus uulgatis, Tu repone: Nisi ubi effuse affluant opes.

Bipalio innixus. Archetypi scripti lectio, palo innixus. Sensus est: L. Quintium inclinasse in palum, qui forte illic erat terrae infixus. Nihil igitur opus fuit bipalio scribere, quod instrumentum est rusticum. Admiratus rogitánsque, satisne salua essent omnia?) In exemplari illo Borbetomagensi legitur: Admiratus rogitánsque sat iam satisne salua essent omnia? Scribo: Admiratus, rogitansque etiam satisne salua essent omnia? Aut. Admiratus, rogitánsque satin salua essent omnia. Sic libro sexto: Percontatus satin salue. Proinde librarius uidetur mihi pro satin scripsisse sat iam, & glossam eius aduerbij, id est, satisne retulisse in contextum. Sed qui tum stipendia pedibus propter paupertatem fecisset. 51. A. Hic locus turpiter est uiolatus, ob unicam literam male mutatam. Legendū est: Sed qui cum stipendia pedibus propter paupertatē fecisset. Legionibus dictatoris clamore significātibus.) Vitiatus locus est. Scribe: A legionibus dictatoris clamore significāt, ab ea quoque parte rem in discrimine esse. A legionibus dictatoris, i. à parte legionum. Significant, subaudi milites. Iam se ad prohibenda circundati opera Aequi parabant.) In editione Asulanica legitur ita, Tu castiga: Iam se ad prohibenda circundari opera Aequi parabant. Infra legitur in libro manu scripto, coronam auream dictatori librampondo decreuerit. Appositiue. Confestimque se dictator magistratu abdicasset.) 51. B. Scribe: Confestim se dictator magistratu abdicasset, dispuncta particula que. Quod uero mox sequitur: Lanuuium exulatum abijt, & est in exemplari uetusto: Lanuuium exilium abijt, poterit etiam legi: Lanuuium in exilium abijt. Noua de delectu contentio exorta.) In uolumine Vuormaciensi tantum est orta, non exorta. Parúmque id plebi praesidium foret.) Sic in editione Asulanica legitur, quae nunc sola est ad manum. Tu repone parumque id plebi praesidium foret. Inuidiae tamen ad exercitum fuit.) 52. A. Hic omissum est uocabulum, res. Restitue locum: Inuidiae tamen res ad exercitum fuit. Cum in legibus conuenirent, de latore tantum discreparent. Scribendum: De latore tantum discreparet. Quemadmodum enim conuenit usurpatur, sic & discrepat. Ita quoque Suetonius usus est. Mox est in ueteri: Dein duo simul mala, non deinde. Publius Sextilius Capitolinus. 52. B. In manu scripto codice legitur: Publius Sextius Capitolinus. Et mox: Sextio alteri consulum prioris anni. Et unica concordia inter ipsos, qui consensus in priuatis interdum inutilis esset.) Hunc locum sciolus quispiam pro libidine sua tractauit. Germana lectio sic habet: Et in unica concordia inter ipsos, qui consensus priuatis interdum inutilis esset, summa aduersus alios aequitas erat. Mox in nostro exemplari non est Publium Sextium, sed loco praenominis dimissa lacunula.

Eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium non iussisse latas magis quàm tulisse uideri posset.) Delerunt hic quoddam uerbum, quod in primis ad sensum facit. Nam in Vuormaciensi uolumine legitur, inuasisse non iussisse latas. Proinde sic restitue sentcotiam: Eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium inuasisse, nec iussisse latas magis quàm tulisse uideri posset. In trinundinum indicta sunt.) 53. A. Antiqua lectio: In trinum nundinum indicta sunt. Trinum nundinum etiam appellat Quintilianus, quum inquit: Sine non trino forte nundino promulgata. Per illos se plebi uendicare.) Pudendum erratum est. Scribe: Per illos se plebi uenditare. Obsecundando mollire impetum aggrediuntur.) In manu scripto uolumine legitur, tametsi mendose, obsequendo, se cum dando. Quorum prius libenter dicerem posterioris fuisse glossulam expositricē, nisi scirem obsecundare plus esse quàm obsequi. Vt intelligamus collegas non solum obsecutos in ijs quae cupiebat Appius Clau-

dus

dux, ueruntetiam obsecundasse & ultro hominis ambitionem adiuuisse. Ars ea haec erat.) Pronomen ea nescio quis assuit aliunde. Non est in archetypo Borbetomagensi. Nec hic necessarium. Melius leges: Ars haec erat. Pro hac occasione arripuit.) Et hic ablatiuum hac quispiam infulsit, quum non sit in libro ueteri. Tu dispunge & lege, impedimentū pro occasione arripuit. Intercessionem quoque consensus sustulerant.) 53. B. Ingens erratum hic est. Corrige: consensu sustulerant.

Pronuntiabantur in foro. Placet antiqua lectio: Iudicia domi conflabant, pronuntiabant in foro. Infra debet esse: Si eae quoque leges. Tribunitiam potestatem munimentum libertatis rem intermissam repararent.) Scribe munimentum libertati, id est tribunitiam potestatem. quae est munimentum ipsi libertati. Sen futurum munimentum libertati. Hi fere agere plebem plebisq; res.) Insigne erratum huius loci, quum sit tam manifestum, mirum est quomodo doctos tam diu potuerit fallere. Vide quàm egregie se ulciscantur ueteres libri non inspecti. Corrige. Hi ferre agere plebem plebisque res, id est, expilabant plebem diripiebántque. Quo loquendi genere saepe Liuius utitur. Sic alibi: Tum demum fracta pertinacia est, ut ferri agíque res suas uiderunt. Item: Quum ante oculos prope suos, sociorum res ferri agíque uideret. Hoc Greci dicunt, φέρεσθαι καὶ ἄγεσθαι, &, φέρειν καὶ ἄγειν. A quibus nostri usurparunt. Potentioris esset etiam, ne tergo quidem abstinebatur, uirgis caedi alij, alij securi subijci.) Malim sic distinguere: Et iam ne tergo quidem abstinebatur. uirgis caedi, alij securi subijci. Nam in scripto codice tantum semel est, alij. Infra est, quid opus facto sit. Item: Postquam audita uox in foro est praeconis. Haec fremebat plebes.) 54. A. Antiqua lectio: Haec fremunt plebes. Sic ante habuimus: Quod haud secus factum improbant boni, quàm nemo facere ausurum crediderat. Vbi uulgo legitur improbabant. Senatúmq; in diem posterum edicunt.) In uolumine archetypo legitur tantum: Senatúmque in diem posterum dicunt. Scribo, indicunt. Nec non minus homines tum pertesum esse.) 54. B. Liuius indubie scripsit, quemadmodum attestatur liber manuscriptus: Nec nomen homines tum pertesum esse. Sic autem & Suetonius in Caesare: Et quasi pertesus ignauiam suam. Item, pertesus, ut scribit, morum peruersitatem eius. Quid igitur opus fuit hic scribere nominus, licet non negem & id latine dici. Non solum enim accusatiuum id uerbum post se recipit, sed & genitiuum. Experirentur, quanto ferocior dolor in libertate sua uindicanda, quā cupiditas in iniusta dominatione esset. In exemplari ueteri pro ferocior scriptum est fortior. Nec est in libertate sua, aut in iniusta dominatione, sed tantum libertate sua & iniusta dominatione. Nam elegantius in subauditur utrobique. Quare crediderim sic scripsisse Liuium, Experirentur, quanto fortior dolor libertate sua uindicanda, quàm cupiditas iniusta dominatione esset. Paulò pòst est in ueteri: Qui anno iam prope. Oratio fuit precibus quàm iurgio similior. Antiqua lectio: Oratio fuit precibus quàm iurgio similis. Subauditur aduerbiū magis uel potius. Caeterum neminem, maiore cura occupatis animis, uerum ex se praeiudicium rei tantae afferre.) Ausim iurare hunc Liuij locum uitiatum esse, tametsi utcunque stat sensus, ut errorem nemo sentiat. Habet exemplar Vuormaciense: Caeterum neminem maiore cura occupatis animis uerum esse praeiudicium rei tantae auferri. Lego. Caeterum nemini non, maiore cura occupatis animis, uerum esse, praeiudicium rei tantae auferri. Sensus est: Verum esse nec posse negari, nemini non auferri praeiudicium rei tantae, ideo quòd animi maiore cura sint occupati. Porro praeiudicium rei tantae eleganter uocat, opinionem & sententiam quam senator prius in animo suo conceptam habet, plane dignam tanta re. Mox est in ueteri codice: De eo quo Valerius Horatiúsque. Non, de eo quod. Senatu discrepante agi.) 55. A. O foedum erratum. quod prorsus sensum perdit. Scribendum: Senatu disceptante agi. Sensus est, bellis perfectis, & repu. in tranquillum redacta, tum uacabit ut senatus disceptet, id est ambigat contendatque, ut in iudicio fieri solet. Nam haec significat disceptare. Mox est in scripto uolumine: An donec leges quae deessent perferrentur. Delectum quoque primo tempore haberi & decemuiros. Repone: Delectum primo quoque tempore haberi.

Decemuiros quo cuique eorum uideatur, ex. ducere. Absque particula connectrice, &. Non (quod simulabat) consulendo derimit certamen.) Legendum: Non cui simulabat consulendo diremit certamen. Quàm gnauum in malitia ingenium esse.) Melius in ueteri codice legitur: Quam nauum in malitia ingenium esse. Nauo enim opponitur ignauum. Strenuum id significat. Velleius: Naua uirilíque opera. Mox habet scriptum exemplar: Et L. Sergio. Item, alia omnis penes milites noxia erat, Porro non minus Latine dicitur noxia substantiue, quàm noxa. Pessima decemuirorum in uulgus fama est.) 55. B Ex codice manuscripto legendum apparet: Sepultus ingenti militum moestitia, in pessima decemuirorum in uulgus fama est. Honestum ordinem in Algido ducebat.) Cogitandum num legi possit, pedes tum ordinem in Algido ducebat. Nam plebeius fuit. Certe peditem Romam uenisse, & mox in castra redijsse, sequentia testantur. Appius amore ardens pretio ac spe.) Vetus lectio, sed corrupta: Appius amore ardens mens pretio. Fortasse scribendum: Appius amore ardenteamens pretio ac spe perlicere adortus. Nam sequitur infra: Tanta uis amentiae uerius quàm amoris mentem turbauerat. Aut Appius amore ardens immenso pretio ac spe perlicere adortus. Aut, Appius amore ardens sensim pretio ac spe perlicere adortus. Ibi namque in tabernis literarum ludi erant. 56. A. Volumen manuscriptum habet: Ibi namque in tabernaculis literarum ludi erant. Opinor Liuium scripsisse: Ibi nanque uernaculi literarum ludi erant. Neque enim crediderim pueros & puellas in humilibus tabernis quae muris affigi solent, quales fuerunt laniorum, quarum mox meminit, & sutorum ac aliorum opificum, sessitasse in propatulo. Necdum uero temporibus illis opera Grammaticae dabatur, quae nulla adhuc erat. Nam sub secundum & tertium Punicum bellum, ut author est Suetonius in libello de claris Grammaticis & Rhetoribus, huius demum studium Romae uigere coepit. Ante id tempus erant ludi literarum Romae, sed uernaculi tantum, nondum uidelicet loquendi scribendique regulis natis. Qualem & illum apud Falerios in Faliscis ludum fuisse dubium non est, cuius magister discipulos Camillo prodidit. de quo Liuius libro quinto faciet mentionem. Mores illè docebat, ut uerisimile est, magis quàm literas, & exercitijs corpora firmabat. Vernaculi ludi duo seorsum Selestadij fuerunt multis annis, Ludouico, Cratone, Hieronymo & Sapido, hic Latine profitentibus. in altero pueri instituebantur, in altero puellae. Neque enim maioribus nostris promiscui ludi placuerunt, quales uidimus Basileae, & alijs in locis. Institutionis summa erat, peritia legendi scribendíque & numerandi. At postquam fatalibus istis tumultibus corrigendae religionis causa, Germania turbari coepta est, huc res deuenit, ut uix ludi Latini quarta pars hodie sustineri possit: (Priores illos namque professores fere quadringentis scholasticis frequente schola docuisse constat.) etiam uernaculo ludo puerorum duntaxat, in illum contracto. Adeo contemni passim coeperunt literae, magno Germaniae incommodo, quod posteri nostri sunt sensuri. Praecipue uero dolendum hoc eo tempore accidisse, quo meliores literae paulò familiarius nostratibus innotuerant. Porro pro uernaculi scriba supposuit bernaculi recepto illo more. Id bernaculi quum nihil significaret, uertit alius in tabernaculis. At quia tabernacula militum sunt tentoria, doctus aliquis pro tabernaculis substituit, tabernis. P. Numitorius puellae auunculus.) In ueteri uolumine legitur, auus, subaudi, maternus. Dum praeriperent iter nuntij missi in castra.) 56. B. Repone: Dum praeciperent iter, hoc est ante caperent. De qua uerbi huius significatione supra admonuimus castigantes libro secundo locum illum, Adeo ui alteram causam non collega solum praeceperat. Sic libro proxime sequenti: Nec ex quo castris, inquit, castra conlata sunt, cessatum à leuibus praelijs est, facile patiente dictatore conferendo uires, spem uniuersae uictoriae tentato paulatim euentu certaminum suos praecipere. Nemo eum adibat.)

Pronomen eum, inter praelegendum adiecit aliquis. Non est in exemplari Borbetomagensi. subauditur autem tribunal, uel simile quippiam. In forum adducit.) Scribendum, in forum

rum

rum deducit. Quod ius sibi pridie per ambitionem dictum non esset.) Vocabulum ius non est in libro ueteri, ut putem absolute usurpari à Liuio dicendi uerbum. Proinde libet credere non prorsus absurdam esse paulo superius manu scripti codicis lectionem, ubi scriptum est, iusto die se non dicturum, pro eo quod in uulgatis editionibus legitur, ius eo die se non dicturum. Nam forte iustum diem uocat, quo posset iure dicere, subaudi sententiam uel ius. Cæterum, per ambitionem dictum non esset, intellige per gratiam. Vnde ambitiosa decreta iureconsultis, per gratiam facta, quæ rescindi iubet Vlpianus. Ad comprehendendam uirginem. 57. A. Vitiatus locus est. Emenda: ad prehendendam uirginem. Non enim M. Claudius comprehendere uirginem iubetur, quod lictoris officium est, sed tanquam assertor & dominus prehendere. Sic mox Appius: I lictor, inquit, submoue turbam, & da uiam domino ad prendendum mancipium. Illic uero comprehendendi uerbum aptum locum habet, ubi aliquanto post sequitur: Clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius comprehendi Virginium iubet. Decem uir alienato ad libidinem animo.) Non erat hic opus mutare ueterem lectionem, quæ habet X uir alienatus ad libidinem animo. Negat, hesterno tantum conuitio.) Repone, negat, ex hesterno tantum conuitio. Mox est in ueteri, populum Roman. Filia in libertatem uindico.) Volumen scriptum habet, filiam in libertatem uindico. Nec est absurda lectio: nisi quis malit legere, filia mi in lib. uind. Cæteráque, quæ in tali re. Non dubito quin Liuius scripserit quemadmodum est in libro uetusto: Eam ne liberorum procreandorum conditionem, ea pudicitiæ præmia esse, cætera, pro & cætera, subaudi clamitant, quæ in tali re muliebris dolor. Et quæ sequuntur.

Si iure agerent.) 57. B. Scribe: Si iure ageret, subaudi Appius. Mox dele pronomen se, ibi quoque se. Nam præcedit, uindicare se à priuato. Vbi Virginium maiorem quàm liquerat in urbe, motum exciuit.) Scribendum, quàm reliquerat.

Flens diu uocem non emisit.) Hic postremum uerbum perperam mutatum est. Debet enim esse, uocem non misit, quemadmodum antiquum continet exemplar. Porro sæpe mitto pro emitto Liuius usurpat simplex pro composito: sicut & missa participium pro emissa. Si libere ac pudice uiuere licitum fuisset. Lectio uetus: Si libere ac pudicam uiuere. Forte scribendum, Si libere ac pudicam uiuere licitum fuisset. Et sequitur paulò pòst: Quia non ultra pudica mictura fuerit. Illis quoque enim filias, sorores, coniuges esse.) Liber antiquus habet, coniugésque esse. Sic eius cædis memoria renocata.) 58. A. Scribendum est, renouata. Porro quod hic est renouata, paulò pòst dixit redintegrata. Redintegrata, inquit, extemplo est omnibus memoria fœdissimæ potestatis. Quàm qui noua fama de Virginia.) Docet legendum codex uetustus, quàm quem noua fama de uirgine adeo fœde ad libidinem petita accenderat. Imminénsque etiam potestati.) Antiqua lectio imminénsque & potestati. Opinor legendum, imminénsque ei potestati. Nam ipse postea tribunus plebis electus est, & eam potestatem restitui populo summis uiribus urgebat. Sic libro sequente Liuius noster. Interim Romæ principes plebis iandiu nequicquam imminentes spei maioris honoris. Ita enim legendum docebimus ad fidem uetusti codicis. Affirmante Duellio.)

In exemplari Borbetomagensi legitur: Affirmante C. Duellio. Scituros: quod siue restituta potesta. 58. B. Codex uetustus habet, saturosque. Malim legere, scituros quam siue restituta potestate. Aut, sciturósque quàm siue restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. Vbi parum secessione moueamur.) Manu scriptus codex habet, Vbi parum secessione moueatur. Porro Liuius moueatur impersonaliter dixit. Paulò post legitur, Tum Valerius Horatiúsque.) Item in castra accipiuntur, non accipiuntur in castra. Quippe liberatores haud dubie & motus initio & exitu rei.) In uolumine ueteri legitur: Quippe liberatos haud dubie & motus initio exitu rei. Nescio an Liuius scripserit: Quippe liberatores haud dubie motus, initio exitu rei, absque copula &, nam hanc sæpe solet omittere. Infra legitur: Ad impugnandos alios, non impugnandum. Conuellunt inde signa.) 59. A. Hoc uerbum obuium subinde est apud Liuium. Sed hoc loco placet mihi lectio uetus quæ habet, Conuertunt inde signa. Est autem conuertere signa redeuntium. Sic libro octauo, Et quum iam portis prima signa & pars agminis esset egressa, nuntio allato de clade Latinorum, quum conuersis signis retro in urbem rediretur. Porro offendit iam olim quosdam hoc uerbum. Vnde & in Vuormaciensi codice ascriptum est in margine, Conuellunt. Quæ lectio deinde in uulgatas istas editiones est recepta. Tum C. Sicinium progeniem eius, quem pri.) Scriptura uetus habet, progenies eius. Suspicor Liuium scripsisse: Tum C. Sicinium, progenie eius, hoc est, ex progenie eius. Vt quod tribuni plebis iussissent, populus teneret.) 59. B. Adulteratus fœde locus est sic restituendus, Vt quod tributim plebes (siue plebs) iussisset, populum teneret. Codex Borbetomagensis habet plebis pro plebes, quæ uox castigatori imposuit. Et est populum teneret, pro astringeret. Venum irent.) Scribendum uenum iret, ut referatur ad nominatiuum familia. Sed cum qui deorum cuiquam nocuerit, id ad sacrum sanciri.) Deprauata uerba sunt, nec magnopere succurrit nobis exemplar scriptum, quod sic habet: sed cum qui deorum cuiquam nocuerit, id sacrum sanciri. In hoc tamen iuuat quod præpositionem ad, postea uides adiectam fuisse. Ergo eam secutus authoritatem, non eam modo præpositionem expunge, sed & pronomen id, sic legens: Sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Vnde uero pronomen id huc irrepserit, audi. Librarius aliquis extremam syllabam uerbi nocuerit bis scripsit, hoc modo, nocuerit, it. Alius castigare uolens, posterius it, in pronomen id mutauit. Noceri enim ei, cum hac lege non liceat.) Et hic locus deprauatus est. Nam pro cum scribendum cui, hoc modo, Noceri enim ei, cui hac lege non liceat. subaudi noceri. Quæ antea arbitrio consulum supprimebantur nuntiabantúrque.) In postremo uerbo tam crassum mendum est, ut admodum demirer à nemine hactenus animaduersum. Debet autem esse supprimebantur uitiabantúrque. hoc est, corrumpebantur, deprauabantur. Qui plebem sine tribunis reliquissent, quique magistratum sine prouocatione creassent, tergo ac capite punirentur.) Verba pluratiui numeri hic commutanda sunt in singularem, hoc modo, Qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Sic & prior lex sonuit, Qui tribunis plebis, ædilib. iudicib. Decemuiris nocuisset. Vnius tantum criminis nisi te uindices.) Admonet nos liber uetustus scripsisse Liuium, Vnius tantum criminis nisi iudicē uindices te, ab libertate, &c. Nec uacat uocabulum iudicem, nam arguit rem pro tribunali gestam. In quam conspirasse decemuiros criminati sunt. 60. A. Scribendum criminati sint. Clienti dono uindicijs dederit.) Ablatiuus uindicijs supernacaneus est in editione Asulanica, quæ nunc sola est ad manum, Auunculúmque.) Miror cur hoc loco legatur auúmque in uolumine scripto. Cum tanti uiri supplicio sua & plebi iam nimia libertas uideretur.) Corrige, suamet plebi iam nimia libertas uideretur. Sed necessarium Virginij, & trium tribunorum preces audirēt.) 60. B. Castiga, Sed necessariorum Virginiæ trium tribunorum preces audirent. Nā ipse pater erat, L. Icilius sponsus, auunculus P. Numitorius. Infra est, proximus inuidiæ, Et iterū in se sæuiret. Vultúsque iam idem tribunorum.) Lectio uetus, Vultúsque iam inde, tribunorum erant qui X uirorum fuerant. Cum & noua expiata sint decemuirorum supplicijs.) In archetypo Borbetomagensi legitur, & cum noua. Ego suspicor uerbi placet ultimam syllabam per incuriam librarij bis scriptam fuisse. quare & monosyllabum eradendum puto, ut legas & distinguas, Nā neque uetera peccata repeti iam obliterata placet, cum noua expiata sint decemuirorū supplicijs. Et nihil admissum iri. Et quæ sequuntur. Valerius aduersus coniunctos. 61. A. Ex uolumine manu scripto legendum apparet, M. Valerius. Sicut & infra. Sed consule M. Valerio. Supra tamen lectum fuit, L. Valerius. Item, Quod ibi sensit consul. Non, consul sensit. Præter equitātes, qui absterrent peditum acies. 61. B. Sic lege, Præter equitantésque absterrent peditum acies, &c. Id consilij animique habiturus sum, quod uos milites mihi effeceritis.) Nescio quis hunc locum ausus sit interpolare, quum in antiquo libro

ſimpliciter legatur, Id conſilij animique habiturus ſum, quod uos milites geritis. Agite cum clamorem.) Scribe, Agite dum clamorem qualem in acie ſublaturi eſtis, tollite hic. Sic infra, Agitedũ ubi hic curiam circunſederitis. Item lib. 5. Recordamini agitedũ quotiens ſacra inſtaurentur, quia aliquid ex patrio ritu, negligentia caſúue prætermiſſum eſt. Et locum ex quo exceſſerunt.) 62. A. Corrige, ex quo ceſſerant. Infra eſt undique omnes conſiſi. Suſpicor legendum connuſi, quod in editionibus uulgatis eſt connixi. Circum iam tum Apollinarem appellabant.) Accuſatiuus circum non eſt in codice manu ſcripto. Infra tantum eſt, Multa et cæteris ſeniorib. p. c. eſſent dicta. Item inferius aliquanto.) 62. B. Iura plebis labefacta eſſent. Nam labefacere & labefieri dicimus, non minus quàm labefactare. Nec deinde comitiorum cauſam habuit. Emenda, Nec deinde comitiorũ cauſa habuit. ſubaudi concilium. Siqui uos minus hodie.) Video legi poſſe. Siquo minus hodie decem tribunos plebis fecerint, tum ut ij quos ſibi collegas cooptaſſint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebeij ſint. Certe exemplar Vuormacienſe habet, ij tum uti quos, nõ utique. Quare legendum aut, ij tum quos, ut ij quos. Porro cooptaſſint eſſe ſcribendum pro cooptaſſent, facile admittet doctiſſimus quiſque, & mihi pro hoc loco reſtituto gratiam habebit. Vſurpauit autem antiquitas cooptaſſint pro cooptarint, Cuius generis multa uerba adnotat Feſtus, quemadmodum & nos indicauimus in caſtigationibus noſtris, in libellum Ciceronis de Senectute, emendantes Ennianum carmen, quo ſuum opus exorſus eſt Tullius, quod uulgo mendoſe legitur, O Tite ſi quid ego adiuto curámue leuabo, quum ex uetuſtis codicibus ſcribendum ſit: O Tite ſi quid ego adiuto curámue leuaſſo. Deinde ne ipſi quidem. 63. A. Ex uolumine ueteri colligo ſcriptum fuiſſe, in primis parum proderat, dein ne ipſi quidem in. erant. Infra eſt, uaſtationem agrorum per contumeliam urbi oſtentantes. Ergo ſi arma illa uiros habuiſſent.) Syncera lectio, Ergo ſi uiri arma illa habuiſſent. Quo in ſtatu ſunt.) 63. B. Vetuſtus codex habet, quo ſtatu ſunt. Item re fortuna domũ auctior rediit. Arbitror uero poſterius ſcilicet fortuna, prioris uocis expoſitionem fuiſſe. Nam res hic fortunam ſignificat, ſiue fortunas, id eſt diuitias, Infra eſt, Arma & bellum ſpectabat. Itẽ Cum conſules in concione pronuntiaſſent. Annum ſe tertium & nctogeſimum agere.) 65. A. In quibuſdam exemplaribus legi, nonageſimum, ſatis indicat marginaria adnotatiuncula in codice Borbetomagenſi. Mox ſequitur pro parte uiri.

IN LIBRVM QVARTVM PRIMAE

DECADIS ANNOTATIONES PER

BEATVM RHENANVM.



AM anni principio.) 65. B. Vetus lectio, Anni nam principio. Lego, anni nanque principio. Et quemadmodum plebs gloriari poſſet.) 66. A. In manu ſcripto uolumine legitur, ut quemadmodum plebs gloriari poſſet. Legi poſſet etiam tum quemadmodum plebs gloriari p. Colluuione gentium.) Antiquus codex habet, colluuionem gentium. Sinere non fieri poſſe.) Craſſiſſimum erratum eſt in editione Aſulanica. ſcribendum, Finem non fieri poſſe. Vt paulò ante, Finem ergo non fieri, nec futuram. Infra eſt, arceſſierint, quod idem eſt cum accerſierint. L. deinde Tarquinium non modo Romanæ. 66. B.

Vetus liber duntaxat ob tranſpoſitionem aduerbij modo à uulgatis editionibus uariat, L. deinde Tarquinium non Romanæ modo, ſed nec Italicæ quidem gentis. Animaduertendum autem ſic Liuium loqui ſolitum, unica tantum adhibita negatione, ut in libro primo Primæ Decadis, Regnare Romæ aduenam, inquit, non modo uicinæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis. Quem locum quidam addita negatione, caſtigare ſunt auſi. docent hoc uulgatæ editiones: Aliquando duabus utitur negationibus, qui ſermo frequentior eſt apud authores, ut infra: Tã tum metum, inquit, uaſtatis in urbe agríſque fecit, ut non modo prædandi cauſa quiſquam ex agro Romano non exiret, belli ue inferendi memoria patribus aut plebi eſſet: ſed ultro Fidenates qui ſe primo aut oppido aut montibus aut muris tenuerant, populabundi deſcenderent in agrum Romanum. Mox eſt ingenio, uirtute, abſque copula. Quis enim dubitat.) 67. A. Exemplar uetus non habet, enim, ſed tantum, quis dubitat. Item, in æternum urbe condita, in immenſum creſcente. abſque copula, et. Peſſimo exemplo, cum ſumma iniuria plebis.) Omiſſus eſt ablatiuus publico in uulgatis editionibus. Peſſimo exemplo publico, cum ſumma iniuria plebis. Aut inſignior contumelia.) Lege, aut inſignitior contumelia. Nam inſignitus dicimus ab inſigniendi uerbo. Cauent ne ſocietur ſanguis.) Neſcio quid ſibi uelit caueant. quod eſt ſcriptum in exemplari Borbetomagenſi. Quid ſi hoc modo legas & diſtinguas, Ne adfinitatibus, ne propinquitatibus immiſceamur cauent, an ne ſocietur ſanguis? Vt reſpiciat id quod ſequitur: Id uos ſub legis ſuperbiſſimæ uincula conijcietis, qua dirimatis ſocietatem ciuilem. Neque ueſtras filias ſororéſque etiam ei nubere ſinendo è patribus. Non aliter in ſcripto codice legitur, niſi quod illic tantum eſt, & nubere. Non etiam ei nubere. Quas uoces doctus aliquis admiſcuit. Lege: Neq; ueſtras filias ſororéſque enubere ſinendo è patribus. Quam uicti tandem patres ut de connubio ferretur, conſenſere. 67. B. Verbum conceſſere in contextum relatum poſt conſenſere, ſatis indicat, ueterem fortaſſis lectionem fuiſſe, patres ut de connubio ferretur conceſſere. Vt mox ope eorum.) 68. B. Scribendum, Vt mox opes eorum qui præeſſent, ipſi honoribus maieſtatemq; adijcerent. Aduerſus quos eo inſeſtior.) In uolumine ſcripto tantum legitur, Aduerſus quos infeſtior. Præcipitique iam die.) Præcipitem diem uocat extremum diei. Sic Curtius præcipitem ſenectutem dixit. Alia undique abſciſa.) 69. A. Hic abſciſam dicit, quod ſupra eſt inciſa. Itaque ſpe inciſa prius quàm prædicta dies adeſſet, Appius ſibi mortem conſciuit. Romanus conſul Ardea turbatas ſcilicet.) Conſul non eſt in codice manu ſcripto. Paulò ante uero dixit Romanus ſimpliciter, ub. ſubauditur conſul. Et ſequitur mox: Conſul triumphans in urbem redit. Non gaudet autem eiuſdem repetitione uerbi Liuius. Proculo Geganio Macrino.) 66. B. Non hic ſolum, ſed & alibi liber ſcriptus habet, Macerino. Haud immeritam gratiam et gloriam tulit.) Scribe, Haud immeritam & gratiam & gloriam tulit. Confiteri cogendo frumentum.) O aſinum qui hic confiteri inſulſit: quum ſit legendum, profiteri. Id unum dignum tanto apparatu conſiliorum & certaminum, quod ingens exudandum eſſet, præmium fore.) 70. A. Si ſic legamus oportebit, quod ingens referre ad præmium. Secus eſt ſi quis, certamine legat. Cum apparitor iuſſu magiſtri equitum eum duceret.) 70. B. Accuſatiuus eum non eſt in ſcripto uolumine. ſubauditur. Splendore familiarum ſuſtuliſſe animos, quod nefas fuerit.) Scribe, quo nefas fuerit aduerbium eſt loci. Bilibre farris.) In uolumine ueteri legitur, bilibr libris farris. Diu locum expendenti uenit in mentem, optime legi poſſe, uilibus farris libris. Nam arbitror ſcriptum primo fuiſſe uilib. Et u litera mutata in b more librariorum, factum eſt bilib. Alius deinde adiecit ris, inducta dictione farris. Eſt autem

incommoda

incommoda sententia, Spurium Melium cui tribunatus plebis magis optandus quam sperandus fuerit, frumentarium diuitem, bilibus libris farris sperasse libertatem se ciuium suorum emisse. Bonáque contacta pretijs regni mercandi publicarentur.) Libro primo huius Decadis. Vt contacta regia præda spem in perpetuum cum his pacis amitteret. Mox est: Id æquimeliũ appellatũ est. Haud dubij quin sex lectis.) 17. A. Antiqua lectio: Haud dubij quin sex locis. A bello credo quod deinde gessit, appellatus.) In archetypo Vuormaciensi legitur: A bello credo quod deinde gessit, appellatum. Subauditur, eum esse. Infra est: quod simul ubi conspexit. Confestim & ipsa hasta innixus se in pedes excipit.) 71. B. Scribe, Confestim & ipse hasta innixus se in pedes excepit. Assurg. Mox est, Dictator legionibus fugatis. Pauló póst prænominis literam reperi Fabio ascriptam, sed calamo recentiore. Intentos deinde hostes in uallum, egressus dextra principali cum triarijs repente inuadit.) Habet exemplar Borbetomagense, principia. Verum extremæ duæ literæ in erasæ scripturæ locum suppositæ uidentur. Suprascriptum est, alias principali. Si libet legere principia, intellige dictum appositiue intentos hostes in uallum dextra principia, cum triarijs repente inuadit. Significat autem ualidiorem hostium partem aggressum. nam ij principiorum nomine intelliguntur, ut exponit apud Terentium Donatus, quo loco Thraso dicit, Hic ego ero post principia. Liuius noster libro octauo. Huius Decadis docens, quo ordine solitus fuerit componi Romanus exercitus, Robustior inde ætas, inquit, totidem manipulorum quibus principibus est nomen. Quód si mauis uulgatam lectionem sequi, notum est, authore Festo, principalem castrorum portam nominatam, quod in eo loco fit, in quo principes ordines tendunt. Sed an duæ fuerint, dextra & sinistra nescio. quare non displicet ut legamus principia. Mox est, quæ prima opima appellata. Itẽ dux duci detraxit. non detraxerit. Infra sequitur, Ita expugnandi. Cõgratulatione ac fauore.) 73. A. Malim quemadmodum habet archetypum uolumen, cum gratulatione ac fauore ingenti populi est reductus. Nullum fuit.) Antiqua lectio: Victoriæ præmium quod petebatur ut plebeius crearetur, nullus fuit. omnes patricij creati sunt. Expone, nullus fuit. scilicet creatus. Appositiue, Victoriæ præmium, nullus fuit. Iamdiu nequicquam imminente spe maioris honoris.) 73. B. Scribe iamdiu nequicquam imminentes spei maioris honoris. Sic priore libro dixit de L. Icilio: Imminensq; ei potestati. Ita namq; nos castigauimus. Ne cui album uestimentum addere petitionis causa liceret.) Exemplar scriptum habet, Ne cui album inuestimentũ addere petitionis liceret causa. Sicut autem à uestiendo uestimentum deducitur, ita ab inuestiendo, inuestimentum quod supra aliam uestem induitur. Hinc candidatorum nomenclatura à candida ueste, quod hic uocat Latinissime album inuestimentum. Inuestiendi uerbo iureconsulti utuntur. Qui & inuestituram usurpant. Vtrinque obnixe obeditum dictatori est.) 74. A. Legendum: Vtrinq; obnixe obeditum dictatori est. Infra est: Consul nec animo defecit, nec consilio. Item, firmat. Et pauló póst. Q. Sulpitium legatum præficit. Item neutiquam uulgatæ laudis. Insuper. Et Fabius cum equitatu impetum dederat. Circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus, hostis undique obsecerat uictorem peditem equitémque. 74. B. Antiqua lectio: Agentes ad dissonos clamores ac subitos circum tumultus. Ascripserat aliquis in margine legendum aliás, circumagentes. Posset igitur etiam legi, satagenti ad dissonos clamores ac subitos circum tumultus hosti, Aut cogẽti se ad dissonos clamores ac subitos circum tumultus hosti. Nam sequitur iam orbem uoluentes suos. Hic perituri, inquit, uos telis hostium estis.) Repone: Hic præbituri, inquit, uos telis hostium estis ind. inulti? Hac qua me progressum uideritis.) Emenda, prægressum. Ibi Posthumius ictus saxo.) Scribe: Vnus Posthumius ictus saxo, perfracto capite acie excessit. Sic de Publio Sextio hoc ipso libro. Saxo ictus, inquit, turba excedit. Infra est, tum abijci passim arma. Et argumento est quod imperia Manliana non Posthumiana appellata sint: quoniam qui prior.) Codex Borbetomagensis habet: Et argumento est quod imperia Manliana non Posthumiana appellata sint. quem qui prior. Lege, quom qui, pro quum qui prior author tam sæui exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit. Mox est illic. Manlio cog. ind. Documentóque fuere quàm plurium imperium bello inutile esset.) 75. A. Malim scribere: Documentóque fuere, complurium imperium bello inutile esse. Nam arbitror ueterem olim scripturam quamplurium habuisse pro complurium. quod deinde uersum est in quamplurimum nouius equidem uocabulum. Iam ad infinitiuum esse prima litera uerbi sequentis accessit, & factum esset. Romæ terror ingens erat, accito ex.) Ex uolumine Borbetomagensi hic mihi potius uerborum ordo placeret. Romæ terror ingens erat hostibus positis ad Fidenas accito exercitu à Veijs. Eoque ipso ob rem male gestam.) Emenda, Eóque ipso ab re male gesta. Solet autem sæpe in hunc modum loqui Liuius, & a præpositionem uel ab sic usurpare. Nam hoc ipso libro pauló póst: Mœstæ ciuitati, inquit, ab re mala gesta & iratæ ducibus, M. Posthumius reus obiectus. Sic & ab secundis rebus usurpat, ut quinto libro huius Decadis. Nunc, inquit, ab secundis rebus magis etiam insolito incauti. Libro quinto rursum: Ibi eum incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem, adorti Aequi terrore iniecto in proximos compulere tumulos. Mox sequitur, cum trepidam ciuitatem. Et potest stare si quis sententiam continuet. Subinde uero sic Liuius loquitur. Vt libro proxime sequenti: Iámque Romani desperata ope humana, fata & deos spectabant, quum legati ab Delphis uenerunt sortem oraculi adferentes. Item, ex tam leuibus momentis fortunæ. Et infra, nouæ erumpit acies. Et equitem passim liberi frenis dispulissent equi.) 76. A. Melior uetus lectio, liberis frenis. subauditur existentibus Eodem & Romanos sequentes impetus rapit.) Repone, Eadem & Romanos sequentes impetus rapuit. Eadem, id est per eandem uiam, uidelicet per castra. Aduerbium est loci, quo sæpe Liuius utitur. Sic inferius pauló. Interclusi equites: nec perrumpere eadem, qua transierant, posse. Rursum libro quinto. Ibique omnibus solenniter peractis, eadem reuertens similiter constanti uultu graduque. Et illic mox infra, Eadem digressus nuntius Veios contendit. Et cum eo digressos modo de montibus.) Castiga, degressos. A degrediendi uerbo, quod crebro reperias apud Liuium. Mox est in ueteri, Signum ex muro tollunt. Classibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam annales retulere.) 76. B. Repone, Classi quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam in annales retulere. Scriptum autem est classi pro classe. Spectaculum comitate etiam hospitum, ad quod publico consensu conuenerant: aduenis gratius fuit.) Hic exemplar uetus multis lituris est notatum, & hospitium quidem habet, sed suprascripsit aliquis, aliàs hospitum. Ego tamen sciens quo pacto hospitij uocabulo Liuius alibi utatur, ut quum libro proxime sequenti dicit, notos ignotósque passim aduenas in hospitium ductos ferunt. Et libro quinto, Cum Ceretibus publice hospitium fieret, ausim iurare sic hic legendum: Spectaculum comitate etiam hospitij, in quam consilio publico consenserant, aduenis gratius fuit. Intellige humanitatem illam aduenis iussu magistratuum exhibitam. Fortem ac strenuum aliquem existere ortum ex plebe. Deest accusatiuus uirum. Fortem ac strenuum uirum aliquem existere ortum ex plebe. Infra est, & iam inde ab incunabulis Item, creati consules sunt. Et mox, ab duce eorum Capye. Grauatos somno.) 77. A. Opinor legendum, grauatis somno epulísque. Nam in uolumine scripto, graui somno legitur. Idibus Decembris.) Scribe, Idibus Decembribus. Mox est, retulerant. Item, arma bellíque obliuioni danda. Mox est, sorti euenit. Tanquam constantissimæ rei fortunæ fretus.) Hanc orationem etiam in manu scripto uolumine quidam ausus est interpolare, quum recte habeat, nempe sic: Tanquam constantissimæ rei fortunæ fretus. Iungit autem participium fretus interdum datiuo. Sic libro sexto, Multitudo hostium, inquit, nulli rei præterquam numero freta. Rursum infra, Discordiæ hostium fretus. Mox in scripto codice non legitur exercitum. Quære suspicor duxisset mutandum in dux esset. Qui rex inclinatura

esset

esset.) Scribe, quà res inclinatura. Nam hoc aduerbium usurpat Liuius sicut &, eadem. Mox est, segnius sæpe ueratus.

Iam in omnibus locis ceditur.) Emenda, Iam omnibus locis ceditur. Inclusi equites cum nec prorumpere eadem qua transierant, possent.) Vitiatus locus est. Tu expunge, cum, aduerbium, & loco uerbi prorumpere, perrũpere, pro possent scribe posse, ut legas quemadmodum est in archetypo Vuormaciensi, nimirum hoc modo: Interclusi equites, nec perrũpere eadẽ qua transierãt, posse. Expone, Quod ubi est factũ, interclusi equites. subaudi, sunt, nec perrumpere eadẽ qua transierant, posse. id est, poterãt. Hic uides duo loci aduerbia, eadem & qua eleganter coniuncta. Infra sequitur, Vltra mediam noctem est. Stationes ante portas agebat.) Lectio uetus, stationem ante portas agebat. Item mox, atque animo uix præ gaudio compote effusæ. Et infra, in castra uestra uirtute perruperitis. Aduersus hæc Tempanij oratio incomposita fuisse dicitur.) 78. A. Ingens mendum est. Scribe, incompta fuisse dicitur. Paulò pòst recentiore calamo superaddidit quidam particulam, atque. Pugnantem, atque adhortantem.

Et euersuri tribunitiam potestatem.) 78. B Antiqua lectio, Et euersuri tribunitiam potestatem pleb. Itaque scribe, an erepturi ius populo & euersuri tribunitiam potestatem plebi.

C. Sempronium nihil moror.) Solennia uidẽtur fuisse uerba absoluentis reum iudicis, & dimittentis. Id æque in quæstoribus liberum esse arbitrium.) 76. A. Pro duobus uocibus, id æque, repone unum aduerbium, adæque. Infra quidam castigant, Veientium induciis. Infra est, Nec suffragatio horum ualuit. Aut perseuerantem sub iudicij tempus plebem offensurum.) Legendum, Aut perseuerante. Subauditur causa. Nam præcessit, deposita causa. Quæ duo opponuntur. C. Seruilium Q. Seruilij Prisci filium) 79. B. Habet uetustum exẽplar tantum, C. Seruilium Prisci filium. Per aduersam portam fuga turpi deferuntur.) 80. A. subaudi castra. A quo tribuno ipso militum dictator erat dictus.) Scribe, à quo ipse tribuno militum dictator erat dictus. Infra debet esse, largitione pessimi exempli concitent.

Tanquam priuatam inopem confugere.) 80. B. Antiqua lectio, Tanquam priuatam inopem confugere, Subintellige, cum. Paulò pòst ubi in uulgatis editionibus legitur, Duo bella insequens annus habuisset. Video quosdam in manu scripto uolumine legisse: Ardua bella insequens annus habuisset. Iacere tãdiu irritas sanctiones.) 81. B. Scribe, Iacere tandiu irritas actiones. Mox illic est, de sanguine ac supplicio suo. Item, Aptissimum tempus fuerat. Pestilentem annum, inopia frugum neglecto cultu agrorum (ut plerunque fit) accepit.) Repone, excepit. Infra est, quum apud patres in M. fuit, tum, Item, damnum aliámque coertionem. E arcem recepit, Multarum magnarúmque rerum molem.) 82. B. Castiga, Hi multarum magnarúmque rerum molem. antiss. adeò populo ostentanter. Item, quæstur ámque eam non honoris ipsius finem æstim. Et infra, Ea aduersa ciuitatis res. Consules an ambo.) Lectio uetus, Consules ambo profecti sint ad arcem Caruentanam, an alter. Et consulis quoque ab ea potestate uim.) 83. A. Codex Vuormaciensis habet abbreuiatam lectionem, Et coss. ut legi possit, Et consulum. Quum in tribunis.) 83. B Repone, qu.m tribunus. nam mox præcessit in, Tarditatis causam senatu magis fuit. Statim sequitur illic, summam restare nunciabantur. Parum cogitauerunt: nulla non uirtute superari humanarum uirium modum.) Hic non erat opus insulcire negationem, quæ non est in exemplari Vuormaciensi. Nam sic scripsit indubie Liuius, Parum cogitauerunt, nulla uirtute separari humanarum uirium modum. Expone: quantumlibet egregia uirtus adsit, esse tamen suum modum humanis uiribus, ultra quem nemo eniti possit. Qui legatis repetentibus res, ut facesserẽt propere urbe finibúsq;, daturos pœnas, quas Larti Tolumnio dedissent, responderi iussit.) Locus hic misere est interpollatus. Nam accusatiuus pœnas superadditus est, & pro Lars Tolumnius, Larti Tolumnio, pro dedisset, dedissent, scriptum. Restituemus tamen ex ueteri codice germanam lectionem, qui sic habet Daturos quos Lars Tolumnius dedisset, responderi iussit. Lego, daturos quod Lars Tolumnius dedisset. hoc est mortem. Nam Fidenates, C. Fulginium, Clœlium Tullum, Sp. Antium, L. Roscium legatos Romanos, causam defectionis ad Veientes exquirentes, iussu Tolumnij interfecerunt, ut ante dixit Liuius hoc ipso libro. Porro daturos refertur ad participium repetentibus. Siquidem qui repetit, petit aliquid sibi dari. Vides igitur totam sententiæ elegantiam fuisse corruptam. Occidione occisa cum periculo retineri.) Scribe, modo duo præsidia occidione occisa, & cum periculo retineri. Quid superesse sanguinis.) 84. A. Liber uetustus tantum habet, quid super sanguinis. intelligendum uel superare uel superesse. Vt distinerent Volscos.) Non displicet hoc uerbum, non minus elegans, quàm hoc loco conueniens. Sic libro sequente, duæ senatum, inquit, distinebant sententiæ. Sed quia Borbetomagense uolumen habet in ipso contextu desternerent, in margine destinerent, cogitandum an Liuius scripserit, ut externarent Volscos, id est, percellerent uolscos, mentẽ & consilium adimentes. Quod uerbi reposuimus etiam apud Ciceronem in libello de Senectute.

Additum deinde omnium maxime tempestiue præcipuum in multitudinem munus.) Reponenda antiqua lectio, quæ habet, Additum deinde omnium maxime tempestiuo principum in multitudine munere. Scribe tamen in multitudinem. Expone, additum deinde omnium maxime tempestiuo, id est summe tempestiuo munere, id est per manus principum, hoc est istorum ducum siue imperatorum, in multitudinem: Q. D. Nullum unquam munus ab ullis principibus magis tempestiue collatum est multitudini, Nam populo sæpe sunt exhibita munera. Mox est in ueteri lib. plebis tribunorumque. Item, patribus uniuersis. Ad fanum Vulturnæ.) 84. B. Codex antiquus habet, Ad fanum Voltumnæ. Sic lib. 6. Hinc, inquit, Hetruriæ principum ex omnibus populis coniurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores afferebant. Item, parte tribunorum exercitusque ad Volscum auocata bellum, non aduocata.

IN LIBRVM QVINTVM PRIMAE DECADIS ANNOTATIONES PER

BEATVM RHENANVM.



Non noui sermonis authorem habebat.) 85. A. Scribe, Non uani sermonis authorem habebat. Tum quod secundis potissimum his nostris rebus.) Ablatiuus his, a quopiam additus est. Nec enim in Borbetomagensi codice habetur. Mox, Si quæ forte aliquando fuerunt. Video diuersam etiam lectionem quibusdam placuisse, si quæ forte aliquando inciderunt. Quàm dissoluendæ maxime tribunitiæ potestatis rentur esse.) 86. B. Non dubito quin scripserit Liuius: Quàm dissoluendæ maxime tribunitiæ potestati rentur esse. ut sit loquendi modus crebro obuius apud hunc authorem. Sic & libro proxime superiori: Experiundam rem denique in uno aut altero esse, sit ne aliquis plebeius ferendo magno honori. Item infra hoc libro: Et si prodendæ patriæ dissoluendæque reipub. est.

Hoc hercule tanquam artifices improbi.) Scribe, Sic hercule tanquam artifices improbi. Et quemadmodum seruis suis utiant domini.

domini. Insere quum aduerbium, quod omissum est. Et quemadmodum quum seruum suis uetant domini. Sic nos interdicitis patribus commercio plebis.) Istam lectionem in margine annotatam reperio. Verum antiquior habet. Sic nos interdicto patribus commercio plebis. subaudi, facitis. Quæ sententia neutiquam est huic similitudinis accommodationi incõueniens. Postea edisseram.) Malim, disseram, quod est in uolumine Vuormaciensi. Eis laboris etiam nouum pro portione iniungi.) Lege, Eis laborem etiam nouum proportione iniungi. Solidum se stipendium annuum acciperet) Expunge dictionem annuum, quam nescio quis hic infulsit, quum ea nil sit opus. At nos tanquam cum ciuibus agere uolumus.) At quoque particula præter authoritatem manu scripti codicis est superaddita. Authores fiere contra ius gentium.) Genitiuus gentium, non est in archetypo Vuormaciensi. Et abesse potest, quando quidem subauditur. Glossæ nomine in contextum irrepsit. Quis dubitet illos non cupiditate solum ulciscẽdi.) Vetus lectio: Quis dubitet illos non à cupiditate solum ulciscendi. Vbi à particula non est superuacanea. nam causam significat, non instrumentum. Per tantum spatium duxerunt.) Repone, per tantum spatij duxerunt. Et talium oppugnandarum urbium apparatum.) Sensus exposcit, ut pro talium scribatur alium: hoc modo, Quid uineas testudinésque & alium oppugnandarum urbium apparatum loquar?) Vtrum tandem finitimi populum Romanum esse putent.) 87. A. In scripto codice superadditus est accusatiuus eũ, populum Romanum eum esse putent. Tu adde. Assuescitis audire.) Scribe, assuestis. Sed quia in exemplari uetusto scriptum fuit qui audire, cogitandum an legi debeat, Assuestis æqui audire. Neglectum Anxuri præsidium uagationibus militum.) Nõ contemnendum erratum hic est. Legendum, uacationibus militum hoc est immunitatibus. Obtinuerant enim à duce suo, dato uidelicet commeatu, ut abesse possent. Hoc uerbo etiã aliàs Liuius utitur, ut lib. septimo. Et quũ quod per magnos tumultus fieri solitũ erat, iustitio indicto delectus sine uacationibus habitus esset. Infra est. Capenatium atque Faliscorum. Arcere iam uim.) 88. A. Particula iam non est in ueteri codice. Infra est à Calẽ. Octobribus. Et Romæ simul de delectu simul de tributo conferendo laboratum est. Antiqua lectio, Et Romæ simul delectu simul tributo conferendo laboratum est. Quanto autem augebatur militum nume-rus.) Scribe, Quantum autem augebatur militum num. Hæc per se grauia indigniorâque ut uiderentur.) Emenda, Hæc per se grauia, indigniora ut uiderentur. Quæ nunc etiam uectigalis.) Quidam erasis hic aliquot literis in ueteri libro scripsit. quin etiam uectigalis ad ultimum facta sit. Is quod petissent q p.r.r.t.t.m. expugnasse.) Ad hãc priorem sententiam, ultima clausula refertur per longum hyperbaton sequens, id fraude patr. f. ac p. c. pactum arguere. Sciendum tamen, non legendum iuxta fidem uetusti uoluminis, Et eo deuolui rem, sed reuoluĩ rem. Vt intelligas futurum quod & antea factum est. Vt nullo bello ueniretur ad exitum spe.) Vetus lectio, ad exitum rei. Nullo bello, hoc est, absque bello. M. Furio in Faliscos & Cn. Cor.) Scribe, á M. Furio in Faliscos & Cn. Cor. in C. a. b. e. r. m. inuẽti. Ad collatum obedienter.) 89. B. Particula at, præter authoritatẽ exemplaris Borbetomagensis addita est. Pauló pòst non refert an legas ex patricijs candidatis, an ex patricijs candidatus locum tenuit. Infra est, quibus eam opem dij tulissent, uincri. M. Furium Camillum tertium.) 90. A. Antiqua lectio habet iterum. Mox est in scripto libro: Prodigia interim multa nuntiauere, Forte legendum nuntiata fuere. Virum haud intacti religione animi.) 90. B. Volumen uetus monet legendum, Vir haud intacti religione animi accusatus, &c. ut intelligas eũ religione motum senem sedulum apprehendisse. Si operæ illi esset, consulere uelle.) Sic sæpe loquitur Liuius, ut lib. proxime super ore, Neque consilii ius, inquit, cum tot populorum bella imminerent operæ erat id negotium agere. Ad fanum Vulturnæ.) 91. A. Et hic, quemadmodum supra, & infra lib. sexto habet Vormaciense uolumen. Ad f. Voltumnæ. Infra est uoluntate ad id bellum eant. Rei maxime in hoc tempus utilis. Magis placet ut legatur quemadmodum est in archetypo nostro. Rei m. in h. tem. utili. Vt concordiæ dictum sit dandi casu. Vires corporis effœtæ.) Vide quale flagitium commiserit, qui effœtæ hic ausus est scribere. cum legendum sit, Vires corporis affectæ. Sic infra. Modo quæ res, inquit, post prodigium Albani lacus nisi instauratio sacrorum, auspiciorúmque renouatio adfectæ Veienti bello reipub. remedio fuit? Affectam uocat, debilitatam. Iterum lib. 6. Quorum legati opem rebus adfectis orãtes, quum senatum adissent. Et lib. 9. In corpore tamen, inquit, adfecto uigebat uis animi consiliique. Ibidem mox: Iam animum quoque patris, inquit, consenuisse in affecto corpore rebatur. Vt segnior sit prædatur, ut quisque laboris periculique præcipuam petere partem soleat. Exemplar uetus tantum habet, Vt segnior sit prædator, quisqu. laboris periculique præcipuam petere partem soleat. Opinor scripsisse Liuium, Quum ita ferme eueniat, ut segnior sit prædator fortissimus quisque laboris periculique præcipuam petere partem soleat. Et est insignis sententia.

Nemo se à stationibus Romanis mouisset.) 92. A. Antiqua lectio, Nemo se à stationibus Romanus mouisset. Infra sequitur, operæ pretium est. Item, quod post paucos accidit annos, cladem. Cum iam humanæ opes asportatæ, egestæq; à Veis essent). 92 B. Subolet mihi participium asportatæ additum esse. Nam in uolumine manu scripto duntaxat habetur: Cum iam humanæ opes egestæ à Veis essent. Mox est: Dein quum quidẽ seu spiritu d. iiẽ cum sibimetipse prædam æstimasset. Quod uero sequitur: Cæterum partẽ plebis, partem senatus destinabant habitandos Veios, Quid si legas: Cæterũ parte plebis, parte senatus destinabãt habitãdos Veios. Aut, Cæterũ partim plebi, partim senatu dest. h. Veios. Eius partem decimam Apollini sacratam esse.) 93 B. Scribe sacrã esse. Sed rogationi tribunitiæ aduersarius quærebatur.) Repone: Sed largitioni tribunitiæ ad. q. Prima luce aliquanto superioribus se ostendit.) 94. A Omissus in Asulanica editione est ablatiuus locis, aliquanto superioribus locis se ostendit. Nisi fortuna imp. r. f. & cog. r. b. u. specimẽ maturam uictoriam dedisset.) Legendum, simul & cognitæ rebus bellicis uirtutis specimẽ, & maturam uict. dedisset. Ea in conspectu erant posita in plano.) 94 B. Antiqua lectio: Ea in conspectu erãt. Suspicor simpliciter scribendum, in conspectu erãt. Quod intercessione sublata tribunitiam potestatem euertissent.) 95 A. In exemplari Vuormaciensi non est quod. Conijcio simpliciter legendum sustulisse, intercessione sublata tribunitiam potestatem euertisse. Et uictricẽ patriam uictã mutari.) 95. B. Vetus uolumen habet: Et uictrice patria uictam mutari. Idem uidetur sensus. Infra: Caius Iulius censor decessit Caius non est in ueteri libro. Aduentante fatali urbis clade.) 96. A. Malim fatali urbis clade. Et habet antiquum exemplar. s. literam superadditam. Et inuexisse in Galliam unũ illiciendæ gentis causa Aruntem Clusinum.) Hoc loco perperam distincta est editio Asulanica. Ego sane malim: At inuexisse in Galliã unum. Certe quod in scripto codice pro &, ut legitur, particulam at supra scriptam habet. Tum sic distingue: At inuexisse in Galliam unum illiciendæ gentis causa, Aruntem Clusinũ. Et quæ sequũtur. Cui tutor is fuerat: ipso præpotente iuuene.) Sequẽda uetusti libri lectio, sicq; distinguẽda sententia: Cui tutor is fuerat ipse, præpotẽte iuuene. Mox est in codice ueteri: Ante Romanum Imperium, Nõ, Romanorum. Item, Et in utrũq; mare uergentes. Insuper, fortunáq; sua, tum publica. Is quod eius ex populis abundabat.) 96. B. Scribe: Is quod eius ex populis abundabat. Quod eius. i. partẽ quæ abundabat ex populis eius, hoc est, Ambigati regis auunculi. Ab Salluuiorũ gente oppugnari.) Antiqua lectio: Ab Saluiũ gente opp. Opinor Liuiũ scripsisse: Salyum. Nã istam gentem Salyes appellant authores cæteri. Massilienses erant in nauibus à Phocide profecti.) Hæc uerba si legisset Liuio mastix ille Caius Cæsar, non solũ hic Patauinitatis arguisset Liuium, sed etiam solœcismi. Quis enim unquam Latine sciens dixit, profectus sum in naui, & non potius, Profectus sum naui? Sic paulo antè: Profectus ingentibus peditum equitumq; copijs. Non dixit cum copijs. Igitur scribe & distingue germanam hoc loco lectionem restituturus, Massilienses erant ij, nauibus à Phocide profecti. Librarius oscitans, non recte distinguẽdo uerba, quũ nõ intelligeret quid sibi uellet ij nauibus, scripsit in nauibus. Ipsi per Taurinos saltúsq; Iuliæ alpis transcenderunt.) M. Antonius Sabellicus libro secundo de uetustate Aquileiæ, propterea quód

hi

hic mentio fit Alpis Iuliae dubitat, an Taurinorum nomine Liuius Tauriscos intelligat illos, qui Noricis & Carnis uicini fuere. Et tandem affert argumenta, quibus clarum euadit per proximas Alpes, non ita procul à Maßiliensibus Gallos in Italiam transisse. Putátque Iuliam Alpem appellatam à foro Iulij, quod subiectum à parte quae Galliam spectat commemoretur. Caeterum ego non arbitror id temporis ullum oppidum fuisse hoc nomine, quum nullus dum Romanorum Alpes trãsisset. Et apparet sic dictum forum Iulij, quemadmodum appellatum est forum Cornelij, Forum Sempronij, Forum Neronis, & quod nobis propinquius est, Forum Tyberij supra Augustam Rauricam ad Rhenum uergens, unumquodque conditoris sui siue praesidentis uocabulo. Itaque dicturus mihi fuisse Liuius uidetur, saltúsque eius alpis, quam nunc Iuliam appellant, sicut mox dicit, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt. Proinde fieri potest, ut iam olim scriptura uitiata fuerit (nam consentit Vuormaciense exemplar cum uulgatis editionibus) sic stãte synceriore lectione: Ipsi Taurino saltu, inuias alpes transcenderunt. Sequitur enim: Eodem saltu fauente Belouesо quum transcendisset alpes. Non dixit, iisdem saltibus. Et praecessit: Nulla dum uia superatas. Coniecturas quibus adducor ut librarium hallucinatum putem, dum manuscriptas literas uetustißimorum exemplarium partim non agnoscit, partim agnitas perperam connectit, referre piget. Cognomine Insubribus pago Heduorum.) Subauditur, existente. Sensus est: Apud Heduos quoque pagum fuisse, qui Insubrium diceretur. Mox habet uetus codex, Mediolanium. Elitouio duce.) Antiqua lectio. Etitouio duce, & ascripsit in margine quidam, Ectouio. Vbi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, locos tenuere ibi: considunt.) Locum pristinae lectioni restitueris si legas & distinguas: ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, locos tenuere Libui, considunt. Post hos Salluuij: qui prope antiquam gentem Laeuos, Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apenninum.) In his uerbis errata complura latent. In primis nescio an pro Salluuij qui scribendum sit, alij Libui. Vetustum exemplar habet: Post hos Salluuij qui. Deinde habet non prope, sed praeter. Postremò duntaxat habet, circa Ticinum amnem paeninon. Vt satis liqueat uerbum petere postea additum ab aliquo qui uoluerit sententiae corruptae succurrere. Ego dictionem Paeninon quoque ex ueteri codice eradendam puto. Nam indubie parum peritus aliquis librarius pro dein Boij scripsit peninon. quod in archetypo fortaßis erat peninoij, n, litera, pro h, posita. Mox uersum est in Apenninum, & adiectum uerbum petiere, ut consisteret sententia. Quare sic lego: Post hos Salluuij, praeter antiquam gentem Laeuoi, Ligures incolentes circa Ticinum amnem. Dein Boij Lingonésque transgreßi. Subauditur uerò uerbum: post hos Salluuij. scilicet transcenderunt alpes. Porro scio nominari Paenina iuga apud Tacitum, & uallem Paeninam. quae uulgo Vallesia dicitur, in ueteri inscriptione. Sed locum hic ea uox non habet. Cum multitudinem, tum formas hominum, inusitatas cernerent.) Arridet uetus lectio, cum multitudinem, cum formas hominum inusitatas cernerent. Quod uero sequitur: Legati tres M. Fabij, uocabulum tres non est in codice uetusto. Item est, accipere uelle, non, se accipere uelle. Insuper, ut nuntiare domum possent.

Tribuni militum consulari potestate in sequentem annũ crearentur.) 97 A. Scribe, in insequentem annum. Cuius impotens est. gens.) 97 B. Repone: cuius impotens est gens. E crustuminis montibus.) Scribe. Quo flumen Allia Crustuminis montibus p. defluens alueo, haud multum infra uiam. Non, haud multo. Item paulò pòst: Ne circumueniri multitudine hostium possent. non, à multitudine. Nec superesse quenquam.) 96 A. Antiqua lectio: Romani quum pars maior ex acie Veios petisset, quàm Romam, nemo superesse quenquam praeter eos qui Romam refugerant, crederent. Rogantiúmque uiros.) 98 B. Legendum, Rogitantiumque uiros. Item: In arcem persecutae sunt. Insuper, ferunt ea. Tametsi refragante uetere scriptura. Item, Vt in fortunae pristinae. Ne quis in dißipatos ex arce, aut Capitolio impetus fieret.) Repone: Ne quis iis in dißipatos ex arce, aut Capitolio impetus fieret. Sed non omnibus delendi urbem libido erat.) 99 A. Huic sententiae nihil deest. Sed quia manuscriptus codex habet delendae, plane credo scriptũ à Liuio fuisse, delendae urbis libido erat. Nam huiusmodi constructio gerundij in-di doctis non est ignota. Charitate aedium fuerunt.) Vetus lectio, charitate sedium fuerunt.

Non mentibus solum concipere.) Vtcunque hic consentiant cùm scripta, tum typis excusa uolumina, nisi nihil uideo, legendum est: Non mentibus solum concidere. idest, concidebant, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. Sic in fine decimi lib. 3. Decad. Asdrubal loquitur: Illo enim, inquit, uulnere concidimus. Infra debet esse, Nec ullum erat tempus. Item. Ad omnes aditus stationibus firmatis. Quod his exigua resistitur manu.) 99 B. Legendum: Ex arce Capitolioque his exigua resistitur manu. Infra: Primae noctis silentio. Melior iucundiorque compositio est in uetusto uolumine: Primae silentio noctis. Item, Hetruscisne etiam, à quibus bellum Gallicũ in se auertissent, ludibrio esse clades suas? Ad id faciendum C. Fabius, dorsum gabino ritu cinctus, sacra manibus gerens.) 100 A. Borbetomagense uolumẽ habet. Ad id faciendum, C. Fabius Dorsuo gabo cinctus, sacra manibus gerens. Diu me torsit hic locus quem interpollatum uidebam in uulgatis editionibus, quonam pacto germanae lectioni restitueretur. Lego, C. Fabius Dorsuo Gabino cinctu, sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset. Porrò cinctus substantiue pro uestitu usurpatur. Describuntque Gabinũ cinctũ esse togam sic in tergum reiectam, ut una eius lacinia reuocata, hominem cingat. Liuius noster lib. 8. Ipse cinctus, inquit, cinctu Gabino, armatus in equum insiluit. Iam uides quod illis imposuerit, qui ante me castigauerunt Liuium. M. Fabij Dorsuonis fit mentio lib. 7. his uerbis. Hos consules secuti sunt M. Fabius Dorsuo, Ser. Sulpitius Camerinus. Caeditius negare se commiss.) Deest particula &, quam addere debes, Et Caeditius negare se commissurum. Infra debet esse: Lex curiata lata est. Ac paulò pòst est, uictus uo fraudans. Tum uigiles eius loci, quos fefellerat ascendens hostis.) 100 B. Mendosa dictio est quos. Scribe quà fefellerat asc. hostis, Vt referatur ad praecedentes duos genitiuos, eius loci. Ob nocturni periculi memoriam.) Codex Vuormaciensis habet: Ab nocturni periculi memoriam. Lego, memoria. Sicque dictum erit ab nocturni periculi memoria, ut ab re male gesta, & ab rebus secundis, & quod hic mox sequitur, ab incendijs torrido. De quo loquendi modo supra admonuimus. Et cum stationibus procederent.) 101 A. Mendosus locus est, Emenda: Et cum stationes procederent. Item quacunque pactione posset. Repone, possent. Iußiúmque & templum in Noua uia allocutio fieri.) 101 B. Antiqua lectio: Iußiúmque templum in Noua ia locutio fieri. Lego: Iußiúmque templum in Noua uia Locutio fieri. Videte quid inter nos ac maiores intersit.) 102 A. Scribe: Et uidete quid int. n. ac. m. intersit. Mox est, Lanimoque. Quanta piacula committantur? 102 B. Incorrupta lectio: Nónne in mentem uenit quantum piaculi committatur?

Ex qua eas nihil unquam.) Expunge pronomen, eas, & scribe: Ex quis nihil unquam, praeterquam urbs capta mouit. Et Flamen peregre habitando in singulas noctes quantum sibi reique p. piaculi contrahet?) Repone: tantum sibi reique publicae piaculi contrahet. Quia piget readificare.) Antiqua exemplaria habent: Quia piget aedificare. Sicut & mox, aedificare incensa piget. Infra est in ueteri, quàm meae calamitatis.

IN LIBRVM SEPTIMVM PRIMAE DECADIS ANNOTATIONES PER BEATVM RHENANVM.



Tum quod perrarae per eadem tempora literae fuere.) 103 B. Habet uetus lectio: Tum quod paruae & rarae per eadem tempora lit. fuere. Dictio paruae multos offendit. Nam illam in altero exemplari quod nobis ex Vuormacia communicauit Dn. Rebinhardus à Reictpur primarij tẽpli Decanus, uir pietate & eruditione iuxta spectabilis, quidam dispunxerat. In uulgatis editionibus uides in perrarae commutatum, & copula sublata. Atqui sciendum, aliquando literas inscriptionem apud Liuium significare, ut quum infra dicit, Tabulàque, sub eo fixa monumentum rerum gestarum ijs ferme incisa literis idest, hoc epigrammate. Proinde hic quoque intellige, paruas & raras per eadem tempora fuisse literas, hoc est breues inscriptiones modò, quae non satis rem explicarent, eásque fuisse raras. Infra est tantum, posteriore clade Alliensem appellarunt. Et mox in altero exemplari manu scripto, legitur insignémque rei nullius publice priuatimque agendae fecerunt. Nec, nisi antequam omnia praeripiant.) 105 A. Et hic scribendum praecipiant id est, prius capiant. De quo uerbo supra quoque semel atque iterum admonuimus. Et eandem exhaustam impensis.) Hic forte mirantur aliquid desiderari. Itaque scito sermonem elegantißimum Liuij uiciatum esse. Reponendum iuxta fidem archetypi Borbetomagensis, & eodem exhaustam impensis. Eodem, subauditur aedificando. Nam praecedit, propter aedificandi curam. Id quod non uidit is qui locum depravauit. Porrò non est tam inops uerborum Liuius, ut amphibologiam committat. quum dubium sit quid accusatiuus eandem referat, plebémne, an curam. Infra est in altero codice: Tromentina. Iuuentutem summisisse ad id bellum.) Antiqua lectio: Iuuentutem suam misisse ad id bellum.

Collegam facimus.) 105 B. Emenda: Collegae facimus. Vt sit sensus: Te Sergi Corneli, praesidem huius publici consilij, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum, ego & collegae mei, de quibus toties iam dictum est, facimus.

Sed turba hostium & fuga impediebatur.) 106 A. Scribe: Sed turba hostium & fuga impediebat. Moenibus Satricis se includunt.) Non contemnendum erratum est. Lege: Moenibus Satrici se includunt.

Ne tanquam Veios oppugnatus in opere longinquo sese tererent. Nec hic mediocris lapsus, Restitue: Ne tanquam Veios oppugnantes in opere longinquo sese terrerent. Ex parte altera interceptis itineribus.) 106 B. Emacula locum scribens, intersęptis itineribus. Sic obsepire iter dixit libro nono. Haec, inquit, plebi ad curules magistratus iter obsepsit. Moenia egredi iubet.) 107 A. Legendum, edgredi iubet. Infra est in antiquo uolumine, L. Pepyrio Cursore II. trib. cons. pot. Item mox, bellum ab Volscis. M. Furio recuperari patria non potuerit.) Scribe, à M. Furio recuperari patria non potuerit. Alliciendo ad se plebeiam auram.) Adulteratus indubie locus est. Habet lectio uetus: Alliciendo ad se plebem iam auram. Lego & distinguo sit: Criminando patres, alliciendo ad se plebem iam aura non consilio ferri. Significat auram aspirantem uulgi fauorem. proinde elegantißime dictum est, iam aura non consilio ferri. hoc est, ferebatur. Assidue bella cum Volscis gesta.) Syncerior & antiqua lectio: Aßidua bella cum Volscis gesta. Siqui dij, uatésque eorum in futurum uident.) 107 B. Scribe, Siquid dij uatésque eorum in futurum uident. Sed obnoxios uos stabili gradu impetum hostium excipere.) O pudendum lapsum. Repone: Sed obnixos uos stabili gradu impetum hostium excipere. Ab obnitendo. Sic libro 7. Stant, inquit, obnixi Samnites. Tum terrorẽ equestrem occupatis alio labore infer.) pro labore, scribe pauore. Sensus est: Territos ad uncterre. Et fluctuanti similis erat.) Non absurda manu scripti codicis lectio, quae habet, Et fluctuantis similis acies erat. Nam cum genitiuo constructum similis, ad mores refertur. authore Donato. Mox ubi legitur, Dein postquam cadentibus primis, iam ad se quisque peruenturam caedem cernebat, uideo diuersam lectionem in ueteri uolumine fuisse, nempe credebat. Et additum, Alibi cernebat. Illi se deuouere corporis uitaeque ac sang. q. s.) 108 A. Pronomen, se, expungi debet. Nam mox praecedit, Ab illo se habere. Quod hic subauditur. Addita alia commodioris ad omnia turbanda consilij res.) Foede uitiatus locus est, Scribe: addita alia commotioris ad omnia turbanda consilij res. Et conuenit hoc uocabulum seditionẽ molienti. Sine quod & ipse in parte praedae sis.) 104 B. Recte habet uolumen Borbetomagense: sine ut & ipse in parte praedae sis. Nec erat opus mutare. Porro & ipse M. Manlius è patribus unus erat. Infra est: Quin eam diducitis. Est autem diducere, in diuersas partes ducere. Quod uerbi hic locum habet. Oblataeque uesti furti inuidiae.) Sic hic dicit oblatam inuidiam, quemadmodum Terentius uitium oblatum, stuprum oblatum, & incendium oblatum, ac oblatam mortem, Cicero: Quae omnia per uim & inuitis facta intelliguntur. Elegantißima locutio est. Et iam magis insignes & sordibus & facie reorũ turba Manliana erat.) 109 A. Prius &, in exemplari ueteri dispunctum est. Vt sit sensus, insignis sordibus &, id est facie reorum. Tot nunc aduersus unum hostes eritis.) 109 B. Scribendum, aduersus unum hostem eritis. In tot, subauditur clientes, uel simile quippiam, puta milites, seu uiri. Infra est satis planum. Ab accusatoribus obiecta sunt reo.) 110 A. Scribe obiecta sint reo. Ad hoc seruatos ex hostibus ciues produxit.) Suspicor uerbum produxit ab exponente postea additũ. Quod tamen subaudiri potest aptius, quam uerbum protulisset, quod inanimatis rebus conuenit. Alioqui melius legatur produxisse cohaerente oratione. Quod uero sequitur precatúmque esse, aut subaudiendum aliud uerbum, puta aiunt siue ferunt, aut scribendum precatúsque. Extra portam frumentariam.) 110 B. Syncera ac uetus lectio: Extra portam Flumentanam. Sunt qui duumuiros.) Ex uoluminibus manu scriptis antiquius habet & emendatius, Sunt qui per duumuiros. Quare sic lego & distinguo: Sunt qui per duumuiros, qui de perduellione anquirerent creatus, authores sint damnatum. Tribuni de saxo Tarpeio deiecerunt. Sensus est Liuij. Quidam dicunt damnatum ab ipso populo, quidam à Duumuiris. Hoc uerò constat, quod tribuni illi de saxo Tarpeio deiecerint. Infra est in synceriore codice, M. Furium Camillum VI. Tr. mil. Creauere. Comitiísque iurare parato in uerba excusandae ualetudinis solitae consensus populi restiterat.) 111 A. In antiquis libris legitur ualetudini. Conijcio scripsisse Liuium in uerba excusandae ualetudini solita. Id est, quibus solebat excusari ualetudo per iuramentum. Quibus solis confideret.) Antiqua lectio, quibus solis confiderent. Subaudi, hostes ipsi. Infra est, cum aetate & ingenio, tum mult. Item, rapere sit solutus. Rursum, cum uitae satis, tum gloriae. Item, Sensit ergo euentus uirtutis enixae opem. Et Volsci quà modo simulato metu cesserant: eunt in ueram fugam effusi.) 112 A. Mendum hic est plane pudendum. Nam eà aduerbium quispiam in uerbum eunt mutauit, ignorans aduerbialiter eà dici sicut eàdem, ac referri ad quà. Proinde sic scribe & distingue sententiam. Et Volsci quà modo simulato metu cesserant, eà in ueram fugam effusi, magna pars & in ipso certamine, & post in fuga caesi. Infra est: Cum in exercitu, tum Romae. Non praeripiam gratiam publici beneficij.) Scribe: Non praecipiam. Quod uerbum Liuio peculiare esse multis iam locis monuimus. Nisi quando à uobis próque uobis arma acceperimus.) 112 B. Repone: Nisi quando. Interim tribunos plebis fama ipsa irritauerat.) 113 A. Castiga, fama ea ipsa irritauerat. Infra debet esse: Satis scire tum esse.

IN LIBRVM SEPTIMVM DECADIS PRIMAE ANNOTATIONES.

SIG. GELENII.



VAE exordia postea appellata.) 119 B. Vetusti codices: quæ inde exodia. L. Manlius perinde ac rei gerendæ, ac non soluendæ religionis gratia creatus esset.) 119 A. Melius antiqua lectio perinde ac Reip. gerendæ, ac non soluendæ religione gratia creatus esset. Quadragenariæ VIII. cohortes, lecta robora uirorum scribuntur.) 121 A. Legendum quadringenariæ, attestantibus prisci characteris codicibus. Speculatores paucos fugæ trepidationísque Gallorum.) 122 A. Exẽplaria Germanica sanè perquàm uetusta, quorum fidem atque authoritatem libenter sequimur, habent spectatores, nõ speculatores. Lentius id aliquantum bellum quàm parti utrique placebat, fuit.) 122 B. Lege, aliquanto. Quæ fœditate supplicij aliquanto ignominia P.R. insignior fuit.) 124 A. Insignitior fuit, habet antiqua scriptura, consequentibus inter se archetypis. Quod cum Tarquiniensibus iuuentus eorum militauerat.) Lege: Quod & cum Tarqui. ut sit geminata coniunctio & paulò pòst: in acie operam nauaturos, non in aciem ac mox post hæc uerba: emancipandóque filium fraudem legi fecisset, non admodum apte cohærebant sequentia, nempe hæc: Prohibitum deinceps per tribunos plebis leges in castris ferri. nec dubium est per inscitiam scribæ è margine in contextum translata. Paulò pòst: Etiam dictaturam in promiscuo esse.) 124 B. Lege addendo: Etiam dictaturã iam in promiscuo esse: quemadmodum habẽt manu scripta exemplaria. & mox: populatores agrorum uagos palantes oppressit absque coniunctione. & proxime sequenti uersu: ex agro Ro. addita præpositione ex. Rursus in sequenti uersu:

Nec per dictatorem plebeium, nec per Popilium consulem.) Melius uetus lectio: nec per consulem. ut plebeium utroque referas, tam ad Cos. quam ad dictatorem. Popilium primo aliquis inter lineas adscripsit, explanandi causa, deinde in contextum ea uox, ut sæpius fit, irrepsit. Postremo uicta perseuerantia Coss. plebe eò dolor erupit.) 125 A. Syncera lectio: uictæ perseuerantia consulum plebis. Paulò pòst, Nec patricios ambos consules.) Vetusti codices & hic & alibi constanter habent ambo in accusatiuo quoque casu, ut sit κατ᾽ ἀρχαϊσμὸν uox indeclinabilis, quemadmodum Græcis ἄμφω. Grauius est quod aliquanto post sequitur. Vt Romanos florentes ea sui misericordia caperet, quæ se rebus afflictis quondam populi Romani cepisset.) 125 B. Ardelio nescio quis non assequutus eius uocis elegantiam, rebus affectis mutauit in afflictis. Post aliquot uersus: Ii meriti æquitate curáque sunt.) 126 A. Ii redundat. Mox: C. Sulpitius Peticus, & T. Quintius Pœnus. quidam Cæsonem cognomen Quintio adijciunt.) Vetus lectio: quidam Cæsonem, alij Caium, cognomen Quintio adijciunt. ut intelligamus triplicem uarietatem, quibúsdam hunc Titum, Cæsonem alijs, alijs Caium appellantibus. Porrò cognomen eò maluit dicere, quàm prænomen, ut opinor, quod prænomen non temere alibi quam in grammaticorum scriptis reperiatur. & pro Potito in manu scriptis perpetuo Peticus legitur, duntaxat in Sulpitia gente, nec dubito quin rectius. nam Potitorum familia, Valeriæ gentis est. Eum qui mutauit, offendebat uox non intellecta: atqui eadem ratione mutanda essent non pauca alia in hoc genere uocabula, quorum nemo est hodie qui significationem dicere queat, quum passim apud Liuium aliosque historicos occurrant. Sequitur. Cuius lentæ tabis senio.) Lege addendo, lentæ uelut tabis. & sic legitur in uetustis ac emendatis codicibus. Cum ipsa cunctatio & in his animos minuisset, & auxisset hosti.) 126 B. In redundat. Mox pro materi, uetus habet matari. & aliquanto post pro musitantes, mussitantes. Imperare duumuiris ut libros Sibyllinos inspicerent.) Legendum decemuiris. Paulò pòst, ab ædilibus dictã dies esset, non dictæ essent. Cum robore iuuentutis suæ occiso.) 128 B. Acciso est in archetypis, non occiso. Agros, delubra deûm, humanáque omnia.) 129 B. Lege addendo: diuina humanáque omnia. Mox, Luxuria superbiáque clarus, non potentiáque. Superbiæ Campanorum crebra mentio fit apud Latinos scriptores.

In uallem infimam dimitteret agmen.) 130 B. Scribo demitteret. In eundem lapidem & alibi non semel impegerunt scribæ.

Nec tu mihi plus quàm unius legionis principes hastatos dederis.) Antiqua scriptura: Ne tu mihi plus quam unius legionis principes hastatósque dederis. Paulò pòst. Ad subducendum agmen, non seducendum.

Samnites dum huc illúcque signa uertunt, utriusque rei omissa occasione, neque consequi.) Vetusti codices: Samnites dum huc illúcque signa uertunt. absque coniunctione. & insequi habent pro consequi. Singulis bobus binísque tunicis donati.) 131 B. Illic legitur: Binísque priuis tunicis. & proxime sequenti uersu coronam obsidialem, quod nihil erat necesse mutare in obsidionalem. Suessanorúmque audita legationes, precantibus datum.) 132 A. Legendum: Precantibúsque datum. Paulò pòst: alios graues iam ætate esse, esse redundat. Per speciem militarium usuum magna pars ablegati. 132 B. lege addendo: Per speciem etiam militarium usuum, cum alij aliò mitterentur, ablegati. Attestantur manu scripti codices. Quem autem ab domo posse acciri.) Ab Roma, illic legitur, non ab domo. Aliquanto pòst. Aut ubi restitaret.) non restaret. Vt mihi de uobis concordiæ partam gloriam.) 138 A. Partæ non partam legendum, Non multo post: Ac ficum genus, non gens. Qui maxime suis militibus placeret.) 138 B. Syncera lectio: Qui maxime uobis suis militibus parceret. Sed id propter P. Salonium.) Sed redundat. Proxime sequenti uersu melius in uetustis codicibus legitur primipili, quam in uulgatis editionibus primipilum.

IN LIBRVM OCTAVVM DECADIS PRIMAE ANNOTATIONES

SIG. GELENII.

INTERREGES fuerunt M. Valerius ac M. Fabius. Creauerunt Coss. 135 A. Lege creauit, uidelicet posterior interrex Fabius. Sequenti uersu est in Italiam, cum præpositione, contra quàm in uulgatis editionibus. Si socialis ullus exercitus iys est) 135 B. Vetus lectio, Si socialis illis exercitus is est. Paulo pòst C C. annorum morem soluerimus, non soluermus. Sed hoc leuius, quàm quòd mox præpositio intercidit, nisi conscientia uirium, cum ueteres codices indicent scripsisse Liuium, nisi à conscientia uirium. Rursus. Ego ipse audiente non P.R. Lege addendo, en ego ipse. Ac mox, Iure gentium tutus loqueretur, non iu. gen. loq. Senatus partem æquam ex utraque parte esse.) Melius uetus, ex utraque gente. Hæccine fœdera Tullus Ro. rex cum Albanis patribus uestris Latini, hæc L. Tarquinius nobiscum postea fœdera fecit?) 136 A. Quorsum attinebat hic repetere hanc uocem, fœdera? Species uiri maioris, quàm humano habitu.) Maior hic iniuria, quàm pro numero literarum, elegãtißimo scriptori facta est. Extat in manu scriptis syncera lectio, maioris quàm pro humano habitu. Placuit ad auerruncandam deûm iram uictimas cædi.) Et hic mutatam Liuij linguam indicant ijdem codices, ubi legitur, auerruncandæ deûm iræ. Aliquanto pòst habent, Spatio quod uacui interiacebat campi. non parui campi. Ignarus fati futuri, quæ laus an pœna merita esset.) 136 B. Malui sequi ueterem lectionem, nempe sic: Ignarus facti futurique, laus an pœna merita esset. Scribebantur hæ quatuor fere legiones.) 137 B. Lege, scribebantur autem IIII. Mox, Tum nec uexilla tum redundat: & quod paulò pòst sequitur, haud procul à radicibus Vesuuij, rectius in manu scriptis legitur, haud procul radicibus. Item aliquanto pòst, funùsque par morti, melius quàm compar. Quem uelit ex legione. Romana scriptum ciuem.) 138 A. Nec hic erat cur scripta in scriptum mutaretur. Affirmando communem fore Martem belli.) Antiquior ac dubio procul syncerior lectio habet, communem uere Martem. Non hoc solum loco ex lectione Liuiana apparet, communis Mars eque fuisse celebratum Romanis, ac Græcis illud κοινὸς ἄρης. Sumptum est autem ex Homerico uersu, κοινὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα. Bina in Latio iugera.) 138 B. Latino lege, & subintellige agro. Nam mox sequitur, terna in Falerno. Paulò pòst: Pecunijs pœnáque pro cuiúsque merito persoluta) 139 A. Quis non uideat rectius legi, præmijs pœnáque? Pedani eodem iure, quo Lanuuini ciuitatem adepti.) 140 A. Non admodum discrepat quantum ad sensum attinet, uetus scriptura: eodem iure, quo Lanuuini in ciuitatem accepti. Sed priusquam Coss. ab urbe (iusserat enim senatus defendi Auruncos) exercitum educerent, fama affertur Auruncos oppidum deseruisse.) Vetus lectio, Sed priusquam Coss. ab urbe (iusserat enim senatus) defendendi Auruncos exercitum educerent, fama affertur Auruncos metu oppidum deseruisse. At mox.) Dictus C. Claudius, non dictus est Claudius. Bibere iussæ, ut se falsum commentatam arguerent.) 141 A. Antiqui codices commentam habent, non commentatam. Fugam magis retro, quàm prælium aut hostem expectante milite.) 141 B. Spectante milite, legi debet. Bona Semoni Iano censuerunt consecranda.) 142 A. Quanquam idem sit Sangus Sabinis qui Romanis Ianus, nihil tamen erat necessum hic pro Sango Ianum supponere, reclamantibus antiquæ scripturæ codicibus. Honoris etiam causa fuit, tribunatúque plebis proximus comitijs absentis petentibus præfertur.) 142 B. Exemplaria nostra rectius: honoris etiam ei causa fuit, tribunatúque plebis proximis comitijs absens præsentibus præfertur. Vitione creatus esset, in disceßionem uenit.) 143 A. Rectius in disquisitionem uenit. Mox, Publice priuatímue, nõ priuatimq;. Et, Quid in castris uitij obuenisset. nõ euenisset. Ibidem: quod plebeius dictator sit dictus: dictus redundat, nec est in antiquis codicibus. Deinde est, Alia de causa, nõ alia causa. Paulò pòst, incursiones in omnem partem, non excursiones, & si id leuiusculum est. Illud maioris aliquanto momenti, quod mox Sotinus in Sotinium deprauatus erat. quidam Lucanorum pretio acciti) 144 B. Pro acciti, ambo exemplaria habent, asciti. Cui cum senatus consulto Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset, quem etas formáque ad misericordiam elicere poterãt, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt.) Syncera lectio: Cui cum se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset, quæ ætas formáque misericordiam elicere poterãt, ad libi. &c. Paulò pòst est, tergum ostentabant, non ostendebant.

In rabiem atque iras imperatorum uertitur.) 145 A. Hic quoque sicut sæpe aliàs, seu scriba, seu castigator, uertit, deprauauit io uertitur. Proxime sequenti uersu pro auspicium petendum, auspicium repetendum legi debet. Item pro, mißóque repente senatu, misso itaque repente. Quin tu respondeas.) 146 A. Scribo: quin tu respondes? Cum omni principum mag. equ. cum ascendisset.) 146 B. Legendum, Cum omni agmine principum.

Licentia sola qua se ubi uelint exauthorent.) 147 A. Qua redundat. Et mox detracta erat una dictio. Legendum enim iussu iniussu imperatoris. Tepentes tribunos.) Quid (malum) repentes? Stupentes lege. Post aliquot uersus: Qui castris præerat.) 147 B. non in castris. Deinde, Animi multo prius militum.) non multo plus. C. Sulpitio, Q. Aemylio (Aulum quidam annales habent) Coss.) 148 A. Aulum lege. nec enim de prænomine Q. ambigitur, sed de nomine gentili, Aemylius ne an Aulius dictus fuerit. Mox est, Sulpitio Samnites, Apuli Aemylio, non Apulia. Nec quenquam ex Pollia tribu candidatum ferme datum, Papyriam ferme solitum.) Vetus lectio syncerior: nec quenquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papyriam ferre solitum. Deinde pro locum castris communiri, illic est, locum castris demetari. Sequenti uersu pro, Itaque cum, Itaque ubi. Item proximo, pro instruuntur contra, instruunt contra. Postremo pro & hercule, at hercule. Et. Clamor inde nouus accedens.) 148 B. Imo accidens. hoc erratum & alijs locis aliquoties occurrit. Et quocunque progrediebantur, magis magisque turbatus hostes cernebant.) Elegantior antiqua lectio: Et quicquid progrediebantur magis magísque turbatos hostes cernebant. Pedestres restantes ac circumuentos cædunt, ab equite fugientium strages est facta) Scriptura uetus habet: Pedes restantes ac circumuentos cecidit, ab equite, &c. Sed cæterarum rerum irrita fuit deditio.) 149 A. Sed redundat. Mox pro nec discrepant, manu scripta exemplaria habent, nec discrepat, & quidem paulo latinius.

IN LIB

IN LIBRVM NONVM DECADIS
PRIMAE ANNOTATIONES
SIG. GELENII.



IRCA Caudium castra quàm potest occultißime ducit.) 149 B. Quis unquam legit castra ducit? Legendum, castra locat. Altera propter oram superi maris.) 150 A. Prater oram, lege. Sequenti uersu, pro alti sylnosique, lege addendo alti, angusti, syluosique. Castra prope aquam uallo circundant.) Hic potius propter aquam legi debet, attestantibus archetypis. Mox.) Consultantes nox oppressit, non consulentes. Et, per annos iam prope XXX. uincimus, rectius quàm uicimus. His inuicem sermonibus tanquam quietis immemores nox traducta est.) 150 B. Hæc locutio solœcismo non caret. Sequuti nostra exemplaria restituimus ad hunc modum: His inuicem sermonibus qua cibi, qua quietis immemor nox traducta est. Ita ferme locutus est.) Lege, locutus esse, ut referas ad uerbum præcedens. dicitur. Quicquid istuc præsens necessitas iniunxerit.) Iusserit habent uetusti codices, magno inter se consensu. Iidem sequenti uersu habent: Herennius domum è castris est auectus: non, Herennius domum aduectus. Mox lege addendo, uti prouocarent ad pugnam.

Quæ si pro seipsis ad mortem ruere uolunt.) 151 A. Antiqua scriptura: Quæ nisi pro seipsis. Deinde pro, Hic omnis spes opésque sunt: scribo, Hic omnes spes opésque sunt. Spoponderunt COSS. præfecti. legati.) præfecti non habentur in archetypis. Et legimus quidem præfectos non Romanorum, sed sociorum auxiliorúmue, sed illos in ordine Liuius non anteposuisset legatis, quæ summa secundum consules imperatorésue in castris Romanis dignitas erat. Sibi nequicquam animos datos.) Lege addendo: sibi nequicquam arma, nequicquam uires, nequicquam animos datos. Hoc scribæ oscitanti imputandum. Deinde: tantam inter eos qui paulo ante. Lege, inter ipsos qui. Et aliquanto post, pro super mœrorem pudor quoque, pudor quidam habent manu scripta uolumina. Paulò post: Ex alto animo, pro ex alio animi, & siparum interest. Sed tanquam reum tam infelicis belli, quàm ignominiosæ pacis.) 152 A. Quid offendebat castigatorem in hac lectione quæ infelicis belli, quæ ignominiosæ pacis? an sic Latini scriptores, aut ipse Liuius, nunquam loquuntur? Ne quid diuini aut humani obstet.) Malim ueterem scripturam: ne quid diuini humaniue. Atqui non indignitas rerum sponsioni uinculum leuat. Si quid est, in quo obligari populus poßit, in omnibus potest.) 152 B. In Archetypis legitur hoc modo. Atqui n. ind. re. sponsionis u. leuat. Si quid est, in quo obligari populus possit, in omnia potest. Arma cuncti spectant, & bellone nnquam futurum.) 153 A. Mutata est & hic lectio, ne dicam deprauata. Illic legitur. Arma cuncti spectant & bellum, en unquam futurum, &c. Omnia ira militaris prope nefano ordine egit.) 154 A. Ridiculum erratum. Restituimus ex fide ueterum codicum, prope uesano impetu egit. Aliquanto post, signa inde ferre iußit: pro signum inde ferri. Item, apud infensos ob interpellatam dulcedinem iræ, non interpollatam, quæ uox Latina quidem, hic tamen locum non habet. Et proximo uersu lege addendo, consules odio in hostes ceßisse. Omnia patienda priusquam perderetur salus tot principum.) 154 B. Proderetur haud dubie legendum. Nam prius legas an potius, non ita multum refert.

Portas etiam consuli aperuerunt.) 155 A. Addendum: Armatósque clam hoste in urbem acceperunt. Acceptum ab uno pauorem plures per urbem fecerunt.) 158 B. Non displicet uetus lectio: Plures per urbem ferunt. Paulò pòst est, occultæ principum cōiurationes factæ: non, patefactæ. C. Menenius dictus.) 159. A. C. Mænius. Hæc plebeia gens fuit, illa patritia. Etsi omnes ante actæ uitæ.) Legendum: Et omnes. Ac mox: Procul ab his coitionibus, non concionibus. Intentiores esse ad respectum castrorum, neque eò uis fieret cum ad prælium starent. aciem peditum tutam fore.) 159 B. In corrupta lectio. Intentiores ad respectum castrorum, neque eò uis fieret, quàm ad prælium starent. Aciem pediti tutam fore. Ac mox. Aut ad circumeundos hostes, aut ne ipsi circumuenirentur.) Alia lectio nihilo deterior: Ne ipsi circumirentur. Samnitium omnis multitudo, & Nolani agrestes.) 160 A. In manuscriptis est, & Nolana agrestis, uidelicet multitudo. Minturnæ & Caßinum ut deducerentur coloniæ. Senatusconsultū factum est. triumuiros creauere.) Vera lectio: Et In tertiam Caßinum ut deducerentur coloni Senatusconsultum factum est. sed triumuiros, &c. Religionem afferre facile posset.) 160 B. Restituimus: religionem facere posset. Item, pro claßis ordinandæ, ornandæ legendum est. Et In Samnio Cluuiam, non Cluuiani. Vbi in distinguendo etiam peccatum erat.

Repente adortus cum clamore ac tumultu inuadit.) 161 A. Antiqua lectio: Repente exortus cum clamore ac tumultu incautos inuadit. Paulò pòst lege addendo, uno animo omnes inuadere.

Virtutem in superbia, audaciam in contemptu deorum hominúmque ponis.) 162 B. Antiqua lectio, Virtutem in superbia, in audacia, in contemptu deorum hominúmque ponis. Aliquanto pòst, In syluam Ciminiam penetratum non penetrant. Tum ex ijs qui aderant, consulis fratrem M. Fabium, Cæsonem alij, C. Claudium quidam matre eadem qua consulem genitū, tradunt speculatum se iturum professum.) Vetus scriptura: Tum ex ijs qui aderant, consulis frater (M. Fabium Cæsonem alij, C. Claudium quidam matre eadem qua consulem genitum tradunt) speculatum se iturum professus. Paulò pòst, lege addendo, Agrestibus telis, falcibus gæsisque. Et, Samnitium bella extollit, non bellum. Ob hæc etiam aucta fama & (ut solet) ingens terror patres inuasit.) 163 B. Et redundat. Aliquanto post. Et nenudentur pugnatoribus signa, legendum propugnatoribus. Sequitur ridiculum erratum, Galeatæ cristæ, pro galeæ cristatæ. Item legendum ad Perusiam, quæ ipsa, non quæ & ipsa.

IN LIBRVM DECIMVM PRIMAE DECADIS ANNOTATIONES SIG. GELENII.

Iam bene prorsus imbellē gererent annum.) 167 B. Rectius uetus, imbellem agerent annum. Qui satis lato spatio equi præmitti possent.) 169 A. Scribo, qui satis laxo spatio equi permitti possent. Consulem ex dictatura factum M. Valerium.) Lege, Consul ex dictatura factus M. Valerius. Certamen iniectum.) 169 B. melius quàm inceptum. Et Rogationem promulgarunt, absque coniunctione. Vti Rogatis, iubendam censeo.) Legendum, Vti rogata est. Ad populandos hostium fines intendit.) 171 B. Lego, incedit. Et sequenti uersu uastatum non uastatum. Rursus aliquanto pòst: Quæ tergo attineret, non attinet. Deinde, quantæque iu bene aut in illam prouinciam copiæ satis essent, essent redundat. Samnites desperantes improuiso tumultu.) 172 A. Desperato rectius. Obtestandóque prope resistentes consules in concionem pertraxerunt.) 172 B. Vetus lectio habet restitantes, non resistentes. Item pro, Ast hic ego tibi templum uoueo, illic est, Ast ego templum tibi uoueo. Ob hæc etiam appetebat tempus comitiorum, quorum causa L. Volumnius Cos. Romam reuocatus.) 175 A. Syncera lectio, Ob hac, & iam appetebat tempus comitiorum causa, &c. Tum quod ex concordia consiuium bona.) 175 B. Lege, tum quæ. Post aliquot uersus: è patribus enupsisset, non nupsisset. A Capena porta ad Martis ædem, ac mox, ad Cereris ædem.) Vtrobique ædem scriba benignus de suo adiecit. Ne ad omnia simul adire & obire unus non posset.) 176 B. Vetus scriptum, Ne ad omnia simul obire unus non posset. Fabius Hetruria rebellante.) 178 B. Adde præpositionem, Fabius in Hetruria rebellante. Voluntatem sibi ac fauorem consentientis populi pro omnibus iussis affutura.) 181 A. Antiqua lectio, Pro omnibus iussis esse ac futuram. Additæ aræ in medio uictimæque.) 181 B. Additæ redundat. Aliquanto pòst: datum hoc forsan. Hic quoque redundat forsan. Deinde: Exercitu iam forte in aciem. Rursus forte scriba adiecit de suo. Vox etiam ad hostes accederet.) 182 B. Accideret, de quo aliàs monuimus. Sequenti uersu, priusquam gloria alterius exercitus fieret, non foret. Incolumis uix ex tanta trepidatione Bouianum peruentum.) 183 B. Antiqua scriptura, ut ex tanta trepidatione. Vt pauore admodum plures caperentur.) 184 A. Exemplaria uetera, Vt paruo admodum.

Pedites equitesque insignes donis transire, ac transuectis mullæ ciuicæ coronæ uallaresque ac murales conspectæ.) Lege & distingue pedites equitésque insignes donis transiere ac transuecti. multæ ciuicæ, &c. Aeris graues transuectā uicies centum millia, & auri 30. millia. id enim redactum ex captiuis dicebatur.) 184 B. Beauit ærarium suo mendacio scriba. Syncera lectio, Aeris graues transuecta uicies centum millia, quingenta triginta tria millia, id æs redactum ex captiuis dicebatur.

F I N I S.

IN FRAGMENTA LIBRI SEXTI TERTIAE DECADOS ANNOTATIONES.

Qvod nos nacti fuimus è Spira Liuianum exemplar, ex fragmentis uetustissimorum codicum saltuatim descriptum uidebatur, præsertim in hoc libro sexto tertiæ decadis. Nam initium uoluminis fecerat librarius à particula, quam nos uix tandem in medio libro reperimus, abrutis uerbis. Cum ea cohærebat aliquot paginis intermedijs omissis, libri finis. Deinde quum septimum librum conferre cœpissemus, iterum particulam inuenimus quæ ad sextum librum pertinebat, uide miram confusionem. Nos in ijs annotationibus excusorum codicum ordinem sequimur. Sacra fracta, ac spoliata deùm delubra.) 285 A. Pro sex istis dictionibus, nos tantum quatuor reposuimus, Et refracta deùm delubra. Castigator quia connexis syllabis scriptum reperit & refracta, substituit ipse, sacra fracta. Deinde quum superessent duæ dictiones, deùm delubra, ne nullus esset sensus, adiecit has uoces, ac spoliata. Iam substantiue sacrum usurpare magis poeticum est, ut apud Persium In sacro quid facit aurum? Itaque potius sacraria fracta dixisset Liuius, ut de proditis bacchanalibus libro nono Decadis quartæ. Deinde pure lautam in sacrarium deducturam. Et mox. Ancillam secum domi ne comitem id tum sacrarium intrasse. Nam sacrum ipsum est sacrificium, ut ibidem: Quæ in ludo simili bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. Porro refringendi uerbum sæpe apud Liuium comperias, ut hoc lib. 6. ad finem: Et porta intus forisque pariter refringi cœpit. Et lib. 7. Deinde proxime refracta porta. Ita ut ne nudo quidem solo, reliquis direptis, al.) In ueteri codice est, relijs direptæ fortunæ. Reposuimus nos, reliquijs di. for. Intelligenda autem per appositionem sententia, nudo solo, subaudi agrorum ædificiorúmque, quæ erant reliquiæ direptæ fortunæ. Hoc tametsi lemmulum non animaduersum castigatorem decepit. Saltem quæ comparent.) Non potest ulli dubium uideri legendum esse comparent modo potentiali, etiamsi scriptus liber nullus monuisset.

Maneant, inquit Marcellus.) In exemplari manu scripto legitur. Maneant imò, inquit Mar. Neque est hic ociosa confirmantis particula. Sed non quid ego fecerim in dis. u.) Post hæc uerba omissa erat sententia, quam nos in contextum inseruimus, nempe hæc, quam quicquid in hostibus feci, iure belli defendi. Tametsi illic deprauatæ scriptum erat defendi. Ingentem saltum hoc loco fecit librarius, quemadmodum paulo ante meminimus.

Auspicijs, ac per.) 289 B. Reposuimus ex scripto codice, auspicijsque & per n. Breui tempore, hinc o.) Prodigiose corruptus est hic locus. Legendum quemadmodum castigauimus, breui extorre hinc omne Punicum nomen, ut breui sit aduerbium. Significat extorris exulem uelut qui extra terram siue patriam sit pulsus. Rursum Liuius lib. 7. Extorrem agro Romano, procul terræ contactu alto mergendum. Lib. 5. primæ Decad. coniungit exulem & extorrem: Ne exulem extorrem, inquit, populum Romanum ab solo patrio, ac dijs penatibus in hostium urbem agerent. Distinguenda autem uerba hoc modo: Animus quoque m.m.m.a.h.t.u. præsagit, nostram Hispaniam esse. breui extorre hinc omne Punicum nomen, maria terrásque fœda fuga impleturum. Trifariam exercitus in diu.r. distraxere.)

Exercitus

Exercitus uertimus in exercitum (sic enim est in ueteri libro) ut intelligas ex uno exercitu tres factos. Ibi pecuniæ.) Vetus habet, ibi pecunia. Et sequitur paulò pòst: Hic pecunia omnis hostium. Et nescio an unam Hispaniæ oram, quæ nostro adm.) Hæc uerba nullo sensu dicta sunt. Reposuimus ex ueteri libro, & nescio an unum in Hispaniæ ora qua nostro adiacet mari. Est autem quâ aduerbialiter hic legendum. Vt eodem tempore exercitus ostenderet.) Hunc locum mutilum integrum fecimus, ascriptis uerbis ex antiquo uolumine quæ deerãt, hoc modo: Vt eodem tempore Scipio ab terra exercitum ostenderet, classis portũ intraret. Expunximus enim cõiunctionem quæ ultimã clausulam connectebat, qua nihil hic est opus. Porro huic loco non frustrà asteriscum apposuerat Asulanus. Nullum obiectum uallum.) Exemplar scriptũ habet tantum, nullum obiectum. Perpensa sententia, legendum opinor hunc locum sic: His ab tergo, nam frons natura tuta erat, nullum obiectũ. Sensus est: A tergo castris nullum obiectum, ne obruerentur: à fronte uero minime, quum illac natura locus munitus esset. Assignat iterum rationem paulò pòst cur à fronte nullum uallum opposuerit: Vnde, inquit, quum tam parui operis munitio esset, nõ obiecit nullum imperator Romanus. Cæterum sita Carthago sic est.) 29 A. Castigaui: Etenim sita C. Nam reddit causam non obiecti à fronte ualli. Paulo plus.) Paululo plus. Patulum, & ad sept.) Castigauimus, patulum etiam ad sept. hoc est modice. Ex antiquo. Vtcunque exæstuat mare.) Adiecimus clausulam quæ deerat, Vtcunque exæstuat aut desistit mare. Circumuectusque classe.) Scripsimus classem. Et mox pro interim, intenti. Ex ueteri. Quod ad urbem potissimum oppugnandam bello orsus esset.) Quatuor insignes mendæ sunt in hac breui oratiuncula, & sensus est inuersus, imò prorsus nullus. Sic autem Liuius scripsit, quod ab urbe potissimum oppugnãda bellum orsus esset. Mox gerundium hortando quod sequitur, debebat esse cohortando. In ditionem nostram tradent.) Nostram aliquis adiecerat. Hic tormenta, arma.) Omissum fuit hic uocabulum armamenta, hoc modo: Hic tormenta, armamenta, arma. Sic deerat mox particula, &, qui simul nos instruet, quum deberet esse, qui simul & nos instruet, & hostes nudabit. Et hic deerat pagina aut amplius in exemplari manu scripto. Intentis omnibus ad opem ferendam.) 291 A. Legendum ad opem eo ferendam. Vt nemo sentiret ante à tergo cap.) Vt nemo senserit ante à tergo capi. Vtrinque ancipitem host. h.) Reposuimus ex ueteri codice: Et utrinque ancipitem host. h. Porrò non est hic superuacanea connectens particula, &. Et portæ intus forisque pariter refringi cœpta.) Emendaui cœptæ.) Ex manuscripto. Neque enim affectauit Liuius figuram similiter cadentis. Partem ipse ad arcem ducit.) Induximus & dictionem partem, quæ non est in codice ueteri, non alia de causa additam hic à castigatore, quàm quòd non putarat absolute ducendi uerbum à Liuio usurpari. Catapultæ maximæ fermè centum uiginti.) In ueteri codice est maximæ formæ. Et hic ubique certos numeros appositos habet. Libræ fermè omnes pondo.) Non libræ legendum est, sed librales. At naues on.) Deleuimus at particulam, non ex antiquo libro, sed aliunde adiectam. Et naualis alia materia.) 291 B. In codice scripto mendosè legitur, nauealia materia. Opinor duntaxat legendum, naualis materia. Vt de lignis intelligas. Inter tantas opes bellicas Car.) Restituimus: Inter tantas opes belli captas Carthago ip. f. Et in capiẽda urbe.) Dispunximus præpositionem in, quam elegantius subaudias.

Fessosque milit. omnibus uno die belli operibus.) Castigauimus operis, authoritatem sequuti: uoluminis manu scripti, quæ mox huic loco maxime quadrat. Significat autem opera actionem ipsam cuius finis est opus: Opera militaria sunt munitiones castrorum, ut quum de Marcello paulo post dicit, & opere perfecto extẽplo in aciem legiones ducebat. Et rursum: castra unde ponentem undique munito res operibus prohibet. Libro quinto primæ Decadis: Ad opus, inquit, milites traducti. Operum omnium longe maximum ac laboriosissimum, cuniculus in arcem hostium agi cœptus. Eodem libro paulo pòst: Operibus tamen, inquit, non ui expugnata est. Item libro nono significantissime de Gallis: Quando nec fossa ualloque, inquit, ab ignauissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent. At operæ sunt ipsi labores & officia militum, ut in dimicando decurrendóque & reliquis exercitijs. Nec constant opera sine operis. Liuius noster libro quinto primæ Decadis: Nusquam, inquit, nec opera sine emolumento, nec emolumentum fermè sine impensa opera est. Pretium tamen muralis coronæ decus eius esse.) Docuit hunc locum sic emendandum liber uetus, præcipuum muralis coronæ decus, eius esse. Q. Tybertlius centurio.) Legendum: Q. Trebellius centurio. Socijs C. Lælius classicus. Legionarijs M. S.) Volumen scriptum habet, Læliusque tectus classis. Proinde legendum est indubie: Socijs C. Lælius Præfectus classis, legionarijs M. Semp. Tuditanus aderat, quẽadmodum & nos in contextu castigauimus. Intelligit autẽ per socios, socios nauales, ut nihil fuerit opus addere classicus. Adiuuat nostrã emendationem quod paulò pòst sequitur. Ante omnes C. Lælium præfectum classis &c. Cornelium Claudiũ.) Vetustus codex docet legendum, P. Cornelium Caudinum. Tantæ indignitatis non tam aduocati.) Emendaui, amoti tantæ dignitatis. Per omnes deos apparatos iurare magis.) Legendum est iuxta antiquum uolumen paratos iurare, hoc est, promptos. Apparatus ad cultum refertur. Quod uero paulò pòst sequitur, ad concionem aduocauit, illic est uocauit, & comperisse non compertum habere. Ac XXX. bobus donauit.) In scripto codice est uiginti bubus d. Porrò mira uarietas in numeris est. Non de pondere auri argentique & redactæ pecuniæ conuenit.) 292 A. Volumen antiquum habet: Non de numero auri atque argenti, & redacta pecunia conuenit. Si aliquibus assentiri necesse est.) Exemplar uetus habet: Si aliquis adsentiri n. Nisi sit aliquis pro aliquibus. Posset etiam legi alicui, subaudi scriptorum prodentium illa. Media simillima ueris sunt.) Arbitror Liuium scripsisse quemadmodum est in ueteri, media similia ueri sunt. Quid autem opus fuit similia ueri mutare in simillima ueris? quum latine & eleganter dicamus simile ueri. Quàm tristi sub. seru.) Lectio uetus, quàm à tristi subiectas seruitio. Nec uacat à particula significans subiectionem quam pariat triste seruitium. Sic libro septimo: Scipio audior etiam certaminis erat, cum, à spe quam successus rerum augebat, tum quod. Sic enim locum emendauimus, quum prius legeretur, cum ea spe. Inter hæc è media turba.) In exemplari scripto tantum est, media turba, ut subaudire possis, è uel in media turba. Cum Scipio nihil profecto.) Vetus. Quum Scipio nihil defuturum ijs profecto diceret.

Alia mihi cura.) In antiquo uolumine legitur: Alia me angit cura ætatem harum intuentem. Animum stimulat.) Hæc uerba non sunt in libro manu scripto. Stabant ætate & forma.) Sic proculdubio Liuius scripsit, quemadmodum manu scriptum uolumen docet: Simul ætate & forma florentes circa eam Indibilis filiæ erant, aliæque nobilitate pari. Cæterum quando simul in stimulat uerterat castigator, opus erat uerbum aliquod infulcire. Adiecit itaque de suo uerbum stabant. Nec minorem arguit, uel scribæ uel castigatoris supinitatem, quod hactenus in uulgatis exemplaribus pro aliæque nobilitate pari, legimus eæque nobilitate pari. An si sorores erant, non erant pari nobilitate? Suspicatus fortasse est scriba non fuisse germanas. Ne quid quod sanctum usquam esset apud nos, uiolaretur.) Deprauata & hæc sententia. Legendum enim hoc modo distinctis uerbis, ne quod sanctum usquam esset, apud nos uiolaretur. Sic enim est in manu scripto codice. Q. D. Turpe esse uiolari apud Romanos quod apud ullos Barbaros sanctum sit. Dignitásque facit.) Facit non erat in libro ueteri, sed superne quidam uerbum, monet, adiecerat. Vestra quoque uirtus dignitásque monet. Quàm ciuium coniuges.) Legendum quàm hospitum coniuges, iuxta uetustum librum. Desponsatam eam esse.) Desponsam est in ueteri. Cui Luceio nomen erat.) Hic & paulo post exemplar scriptum habet: Allucio, non Luceio. Et mox à domo non ab domo. Minor sit inter nos.) Tu scribe ueteris libri fidem secutus, quo minus sit huius inter nos sermonis uerecundia. Vult autem Scipio nullam uerecundiam esse eius sermonis, qui de casto amore sit institutus inter iuuenes præsertim. Cum sponsa tua uocata à militibus n.) Pro uocata reponi debet, capta. Quia ipse, si f. l. ludo et. præsertim illecto & læto legitimoque amore.) Hic locus multorum calamis deprauatus est, dum pro in recto alius substituit illecto, alius & læto. Sic autem legi debet: Et for-

me faceret fidem, quia ipse si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore & non Respub. &c. Tuo, cuius sponsa est amori fauco.) Legendum ex fide codicis uetusti: Tuo, cuius possim, amori fauco. Fuit sponsa tua) Sic distingue, Fuit sponsa tua apud me, eadem qua apud soceros tuos parentesque suos uerecundia. Seruata tibi est, ut inuiol. Adolescens simul pudore, gaudióque perculsus.) 292.B. Sic castigauimus ad exemplar uetus, Quum adolescens simul pudore & gaudio perfusus: dextram Scipionis tenens, deos omneis inuocaret ad gratiam illi pro se referendam, q. s. n. s. f. pro suo a. atque illius erga se merito esset, parentes inde cognatique uirginis appellati. Mira hic partim scribæ, partim castigantis negligentia accidit, ut ex una sententia geminam fecerit, quum particula sublata, et uerbo inuocaret in inuocare mutato. Quid autem opus fuit pro perfusus supponere, perculsus, quod ad metum & terrorem refertur? Vt nihil dicam quod ablatiuus merito, omissus fuit. Vt id ab se donum acciperet.) Pro ab se quidam, in exemplari uetusto scripserat ipse. Satis omnibus compositis.) Emendauimus in ueteri, rebus omnibus compositis. Captiuis Magone, & quind.) In scripto legitur: Captiuis, cum Magone & q. Vt intelligas & alios captiuos præter Magonem, & quindecim senatores, naui impositos. Præpilatisque missilibus.) Codex antiquus habet hic, pilatisque missilibus. Suspicor scribendum, pilatisque missilibus. Remigio classis ciues, militésque tranquillo.) Vitiatus locus est, quum pro Remigium scriptum sit Remigio, & pro classicique, classis ciues. Legendum autem attestante uetusto uolumine: Remigium, classicique milites tranquillo in altum euecti. Porrò sic uocat Liuius Remigium ipsam multitudinem remigum, quemadmodum Horatius dixit in Epistolis: Remigium uitiosum ithacensis Vlyssei. Respublicæ ipsa strepebat apparatu belli. Fabris omnium generum in publica officina inclusis data cuncta, quam pari cura subibat.) Et hæ clausulæ miris modis interpolatæ sunt. Nec lectio ueteris libri prorsus bene habet, quæ est huiusmodi: Vrbs ipsa strepebat apparatu bellicam officinam inclusis. Dux cuncta pari cura obibat, nunc in classe ac nauali erat, nunc cum legionibus decurrebat, nunc operibus aspiciendis temp. dabat. Porrò suspicor legendum, Vrbs ipsa strepebat apparatu belli, publica officina inclusis. subaudi opificibus strepebat. Nam de illis loquitur, de quibus suprà dixit: Destinauit opifices, ad duo millia hominum erant, eos publicos fore cum spe propinqua libertatis. Iam uide quomodo interpolatus sit iste locus. Primum pro urbs ipsa subdidit castigator Respubl. ipsa, quasi Respupl. strepere possit. Deinde hæc uerba: Fabris omnium generum fortassis adiecit de suo Clausulamque elegantem, Dux cuncta pari cure obibat, ipse sic mutauit, data cuncta, quam pari cura subibat, ut de officina intelligamus. Postremò omisit oratiunculas, nunc in classe ac nauali erat nunc cum legionibus decurrebat. Refectisque quos quassauerant, muris.) Vetus exemplar habet: Refectisque quæ quassata erant muri. Cuius rei tam paruo præmio.) 293 A. apparet ex scriptura libri uetusti, legi etiam posse: Eius rei tam paruæ præmio.

IN LIBRVM SEPTIMVM TERTIAE DECADIS ANNOTATIONES PER BEATVM RHENANVM.



IN Italia autem Consul.) 293 A. In ueteri codice non est autem. Prædæ aliquantum eius militi fuit concessum.) Exemplar manu scriptum habet, præda, & aliquantum eius fuit militum concessa. Arbitror legendum, Prædæ aliquātum. Vsui militum concessa. Vt sit sensus: Prædæ aliquantum subaudi captum est. Vsui militum concessa s. fuit præda. Nam sequitur infrà: Ibi ad quatuor millia hominum capta, & cetera præda aliquantum. Tantum gaudij.) Vetus: Tantum gaudium. Pari audacia Romanus.) Emendauimus: Par audacia Romanus. Nam sequitur, consilio & uiribus impar. Et sic est in libro scripto. Et sinistra ala acriter pugnam inierunt.) 293 B. Reposuimus: Et sexta, alacriter pugnam inierunt. Nam mox meminit sextæ legionis & quintæ. Occiditque principes.) Hoc uerbum uidetur aliquis adiecisse. Mihi magis arridet uetusti codicis lectio cum participio perempti, quod in margine quidam ascripserat hoc modo: Principes qui cum Fuluio colloquia occulta habuisse comperti sunt, perempti. Semiermes.) Scriptura uetus satis ostendit non semiermes, sed inermes legendum esse. Et Romæ q. cum luctus ex p. tum.) Video potius scribendum iuxta uolumen antiquum: Et Romæ quidem quam luctus ex p. tam timor in f. e. In multum diei.) Castigaui in multum diem ex ueteri. Aduersus prodijt.) Prodit illic legitur, sicut paulò ante, dexteræ alæ sinistra subit. Non subijt. Locauit autem omne frumentum.) 294. Deprauata clausula. Legendum attestante uetusta scriptura. Locauit autem omnem frumento, subaudi, agrum, ut uidelicet frumentum perciperet.

Sibimetipsis tecta militariter c.) Scribe sibimet ipsos, ut sint duæ dictiones. Stramento intecta, omnibus uelut de industria alimentis ignis.) Hic locus cum mihi displiceret propter ablatiuum omnibus, inspexi uetus exemplar, & reperi illic scriptum non omnibus sed omne. Verum nec sic uidebam Liuianum constare candorem. Itaque diutile expensis non solum uerbis sententiæ cohærentis, sed ipsis etiam elementis deprauati uocabuli, huc sum adductus, ut putem à Liuio scriptum fuisse, non omne sed omnia, sic ordinanda siue distinguenda sententia: Erant autem pleraque ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, uelut de industria alimentis ignis. Vt uidelicet ablatiuus alimentis referatur ad priores ablatiuos, cratibus, tabulis, arundine & stramento. CLXX. Campani.) Scribendum Capuani, sicut paulò ante: Ne deesset materia in Capuanos sæuiendi. Non Campanos. Nam Capuæ res hæc accidit, de qua hic loquitur. Sunt tamen Capuani & Campani, quod in Campania sita sit Capua. In Hetruriam legati.) In exemplari scripto legitur: In Aetoliam legati. Ne aut consulem Marcellum.) Expunximus Marcellum. Quæ prospera prælia.) Reposuimus quæ is prosp. Ex ueteri. Quàm Romano.) Vetus habet, quàm Romanis esse affirmabant. L. Geminum. In antiquo est, Genutium. Pateram ex quinque pondo auri factam.) Ex scripto codice legendum: Pateram auream ex quinque pondo factam. Subauditur autem auri. Iis quoque quæ darentur, portata, togæ pr.) 294 B. Videtur antiqui libri lectio esse: Iis quoque quæ darentur portata, togæ prætextæ.

Multa ea æstate.) Vetus. Multæ æstate quæ hæc f. Peruenisset.) In ueteri, uenisset. Et mox: Ibi de suis rebus. Non, ubi. Neminem Siculum, qui metu inde fugati abfuerint, esse.) Hæc uerba significant, nullum ex Siculis qui aliquando fugerint, esse in Sicilia. At M. Valerius COS. contrarium hic Romano senatui persuadet. Legendum igitur quemadmodum castigauimus ex scripto codice: Neminem Siculum, qui fugati metu inde abfuerint, non esse. Subaudi in Sicilia, hoc est in Siciliam redisse. Honores omnibus ad exoluendam fidem à consule habiti.) Hoc satis obscure dictum est ad exoluendam fidem. nam oportet aliquid subintelligere, puta senatus ipsius, aut alterius cuiuspiam. Clarius autem loqui solet Liuius. Proinde magis mihi probatur lectio manu scripti codicis, quæ sic habet:

Honores omnibus ad exoluendam fidem consulis habiti. Vt intelligas Regulus illis habitum honorem à senatu, quo liberarent fidem consulis M. Valerij, qui fidem suam illis obstrinxerat, futurum ut si Romam uenirent, honoribus afficerētur: Quo ordine uel.) Hæc uerba non sunt in antiquo codice. Sed tantum, ut sciret quo in statures Africæ essent. Quare dispunximus adrectitiam clausulam. Sed Dictatorem comitior. hab. dici, & extemplo.)

Quid opus fuit hic mutare Liuij uerba? Procul dubio non consuluit ueteres libros, qui descriptum ab hinc annis centum Liuianum exemplar castigare est aggressus. Melius & elegantius in scripto uolumine legitur, nempe sic: Vt non expectanda comitia consulis censeret, sed dictatore comitiorum habendorum causa dicto, extemplo in prouinciam redeundum, quemadmodum & nos castigauimus in contextu. Eodémque iure uocatæ reliquæ inclinassent.) 295. A. Volumen scriptum non habet reliquæ, sed tantum eosemque iure uocatæ inclinassent. Porrò, eodémque aduerbium est, & iure septimo casu dictum, ut & forte. Itaque si suum nomen dictator acciperet.) In exemplari uetusto, si suum n. d. exciperet legitur. Vnde conijcio sic hunc Liuij locum castigandum. Itaque ni suum nomen Dictator exciperet. Cum Flaminium.) Indicant uestigia scripturæ ueteris, tametsi mendosa, deesse hic prænomen Flaminij, puta C. aut P.

Plebémque iussisse.) Est in scripto, iussisse. Sed nescio an mendose, sicut & supra, quem populus iussisset dictatorem. Exemplaque ea iure.) Reposuimus ex antiquo libro, exemplique. Nam subdit. uetus L. Posthumij, recens Q. Fabij. Sic enim legi debet: Non recensque Q. Fabij. Patribus id tempus Reipubl. In margine uetusti codicis ascriptum erat, uerbum interesse.

Hi censores.) 295 B. Castigauimus: Sed hi censores. Et mox pro Reipub. scripsimus publicæ rei. Sic enim antiquus liber habet. Et sic est legendum. Pro temporis huius copia magnifici apparatus.) Vetus habet: Pro temporis eius copia magnifice apparatos. Ab Scipione gestas supplicationes.) Scripsimus à P. Scipione gestas supplicationem. Et paulò pòst pro, Quod mihi minus, sed mihi minus. Ex uolumine scripto.

C. Calpurnius præesset.) Emendauimus præfuisset.

Quem Q. Fuluius habuisset) Hanc sententiam in uulgatis exemplaribus transpositam ex ueteri libro sic suo loco restituimus: Capuam exercitumque quem Q. Fuluius habuisset, T. Quintius obtineret. Exercitumque qui tum iam Arimini erat.) Sic uidetur legendum iuxta scriptum exemplar: Prouinciam exercitumque (Arimini erat) acciperet. His quoque est.) Huiusmodi lectionem indicat uetustus codex. (His quoque enim prorogatum imperium) in Sicilia Cannensis exercitus datus. Nam sequitur infra: Et in Sicilia ita diuisæ res. Sex. Cæsari Cannensis exercitus est datus. C. Aurun. eadem in Sardiniam.) 296 A. Scripsimus in Sardinia. Hic unam paginam transilire coacti fuimus ob defectum qui erat in exemplari manu scripto, quod ex Spirensi bibliotheca nacti fueramus. Idem socios consensisse omnes.) 297 A. Sic distinximus. Idem socios. Subaudi facturos. Consensisse omnes. Quæ officio decessissent.) Miror cur hic libuerit castigatori supponere decessissent, quum in ueteri codice sit decessserint. Tentatis prius aliorum col.) Castigauimus ex ueteri libro, Pertentatis pr. al. col. animis. Aliud autem est, tentatis, aliud pertentatis. nimirum hoc posterius absolutam diligentiam arguit. Sequi in senatum eos ius.) Expunximus accusatiuum eos, qui elegantius subauditur. Nam præcedit uerbo eorum, & collaudari eos. Nec est in scripto codice. Signini fuere & Nolani.) In Spirensi uolumine non est Nolani, Venusinorum uero uocabulum quod omissum erat in uulgatis editionibus, inseruimus post Nucerinos. Nec est illic Firmiani, quum oppidum Firmum appellitur non Firmium. Est & Spoletini non Spoletani. Et ad populum actæ.) Vetusti codicis lectio: Et apud populum actæ. Quod in s. er. ad ult. casus seruabatur.) Liber scriptus habet seruaretur. Sic autem & infrà loquitur Liuius. Non eas inquit, solum quæ remis agerentur. Non agebantur. Censores ut agrum Camp. fruendum loc.) 297 B. Castigauimus: Duo censores. Porrò sic dicit hic eleganter, ut agrum Campanum fruendum locarent, quemadmodum supra dixit: Simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur. Et his T. Manlium.) Expunximus particulam &. Et ius liberum.) Pro &, hic substituimus, et datiuum. Qui equo mereri deberent.) Emendauimus, merere. Ne remorandi quidem can.) Antiqua lectio: Ne morandi quidem. Et quia in animum induxerat.) 298 A. Addidimus uocabulum ita: Et quia ita in animum indux. Prægressum eum assequitur.) Pronomen eum quum non sit in codice scripto, & elegantius subaudiatur, submouimus. Non castra ponere pati.) Hunc locum mutilum ita suppleuimus & ordinauimus ex libro uetusto. Non iter quietos facere, castra non ponere pati. Dextera alia.) Castigauimus: Dextera ala.

Dum alij trepidi cedunt.) Ex ueteri libro scripsimus, trepidè. Nam sequitur, alij segniter. Et uictos sequendo, priore æstate absumpsistis.) Legendum priorem æstatem absumpsistis. Sic autem sæpe Liuius loquitur. Vt infrà. Primum diem quo fines hostium ingressi sunt, populando absumpserunt. Et rursus Cum hyemem totam reconciliandis Barbarorum animis, partim remissione obsidum captiuorúmque absumpsisset. Et iterum: Ipse reliquum æstatis recipiendis in fidem Hispaniæ populis absumsit. Et cuius ipsius pudere ac pœnitere nos oportet, referam.) 298 B. Hanc sententiam castigator quispiam additis dictionibus interpollauit. Nec enim est: Et cuius, aut uerbum referam in exemplari Spirensi. Sed, Cuius & ipsius pudere ac pœnitere nos oportet: nempe æquis manibus. Suspicor uero pro ipsius scribendum ipsos. Cuius & ipsos pud. ac pœni. nos op. Et est summum bonæ sententiæ. Nec opus est uerbo referam, quum cohæreant alioqui quæ sequuntur. Nam sensus est, Cuius & ipsos pudere ac pœnitere nos oportet, hoc ipsum est, quod æquis manibus hesterna die diremistis pugnam. Cum exercitu meo eloqui uideor.) Quid illi uenit in mentem, qui hic eloqui pro uerbo loqui supposuit, quod legitur in codice scripto? Districtis gladijs discinctos destituit.) Obscura lectio simul & mendosa. Vetus exemplar habet: Destrinctis gladijs cinctos destituit. Non dubito quin scripserit Liuius, destrinctis gladijs cinctu destituit. Vt eas ignominia affectos intelligas, quæ male se gerentibus in prælio militibus & gladij à lateribus auferuntur: & ipse cinctus siue cingulum, ut discincti & soluti incedant. Vsurpatur substantiue cinctus. Vnde Virgilianum illud: Cinctúque Gabino. Ita concio dimissa, fatendo iure ac m.) Pro fatendo scribendum est fatentium. Ordinati armatique.) Spirense uolumen habet, armati ornatique. Indicant autem sequentia nondum ordinatos fuisse. Et intellige ornatos post stragem proximam ex qua lacerti redierant. Sic libro nono huius Decadis: Diemque ijs, qui equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit. Viribus quoque sufficerent.) Expunximus quoque. Neque enim est in libro scripto. Copias educit.) Scripsimus & copias educit. Hortator testisque præsens firmabat.) In ueteri codice hæc appositiue leguntur, sine particula que: Hortator testis præsens firmabat. Et partim conculcatis.) Reposuimus antiquum uocabulum quo Liuius usus est, quemadmodum testatur exemplar scriptum, nempe occulcatis. Est autem occulco pro obculco, ab ob & calco. Et iam conferta turba.) Vetus mendosè habet, & eum conferat turba. Opinor scribendum: & in conferta turba. Consternatam agit quàm insid. m. imperio regitur.) 299 A. Restituimus ex Spirensi codice, cōsternatam agn, quàm insid. m. imperio regitur Subaudi bellum. Qui prosequerentur agmen.) Antiqua lectio, sequerentur agmen. Recepti sunt.) Scripsimus accepti, deleto uerbo sunt. Tu intellige clementer acceptos, clementer tractatos: Quam lectionem & editio Romana continet. Ad cætera inopem, se, recepere.) Vetus codex habet, concessere. quem & nos secuti sumus. Atque inter populares tum honorati.) Exemplaris antiqui simul & Romanæ editionis lectio, iam honorati. Pro transfuga iussus.) In Spirensi uolumine legitur profuga. Nos castigauimus perfuga, sublata præpositione pro, quæ in uulgatis editionibus male recepta est. Simul à portu & à nauibus quæ ab aperto mari.) 299 B. Scripsimus & à portu & à nau. quæ aperto mari. Nam sic habet antiqua lectio. Qui præfectus classis fuerat.) Inseruimus uocabulum antea, Qui præfectus antea classis fuerat. Et pro illo loco præpositus, scripsimus illi loco præp.

Vt captæ urbis interdum excitatur clamor.) Excitaretur

castigauimus, quemadmodum & Romana habet editio. Et mox pro signáque inferri scripsimus, ac signa. Accedebat sonus.) Vtrobique legitur accidebat in codice uetusto. Item quum ex temporis. Non quum & ex temporis spatio. Quia Brutiorum præsidium esse agitatæ proditionis conciliator nunciauerat.) Hæc mendosa lectio non solum in Romana editione, sed & in cæteris omnibus quæ inde propagatæ sunt inoleuit. Antiquum uolumen habet: Quia Bruttiorum cohortem præsidium agitare prodit. conci. nunciauerat. Tametsi deprauate scriptum est illic cogitare pro agitare. Porro librarius casu cohortem accusatiuum immiserat. Et castigator non inspecto codice uetusto, quum uerbum agitare non admodum quadraret, adiecit aliud uerbum, nempe esse. & agitare uertit in agitatæ, ut coniungeretur cum genitiuo proditionis. Nos locum restituimus in contextu. Inde & proxima ref.) Scripsimus: Deinde proxima ref. porta. Nam sic habet uolumen scriptum. Prius pene quàm conf. ere.) Vocabulum penè expunximus. Et mox, pro ex equo præcipitatum esse scripsimus præcipitasse. Sic Liuius infrà: Quum in Italia ad Thrasimenum & Cannas præcipitasset Romana Respublica. Item libro sexto primæ Decadis: Ipsi, inquit, in insidias præcipitauere ibi. Hoc uerbum usurpat absolute. Vt Syracusarum ornamenta æquauerint.) Fecimus ex æquauerint, æquarent. & pro, sed & maiore scripsimus, sed maiore. Cursum agmine facto.) 300 A. Corrupta uerba sunt. Legendum, attestante ueteri libro: Cursim agmine acto. In editione Romana, & ea quam proxime nobis Colonia Agrippina dedit, curante Ioan. Sobio uiro optimo recte legitur, cursim. Verum in altero uocabulo dormitatum est. Impunita ijs priora fore.) Sustulimus datiuum ijs. Et infrà pro, dolo inuictus fuisset, scripsimus, esset.

Tantis augescere incrementis.) Legendum iuxta ueterem scripturam, tacitis augesc. incrementis. Et mox, quià cœpissent ruerent. Non quià cœpissent, fluerent: quemadmodum reposuimus. Demiror Venetos & Colonienses non dignatos inspicere editionem Romanam, in qua posterius uocabulum recte habet. Cum ea spe.) Legendum: Quum à spe, quam sic. r. augebat, hoc est, propter spem. Porrò mire elegans est, à, particula in hoc significatu. Cum ijs copijs.) Quid opus fuit hic addere copijs quum præcedat, copias auxerat. Et mox, terrestribus copijs. Huiusmodi dictiones à professoribus inter enarrandum adduntur, quum uerba authoris exponunt. Et deinde à parum attentis recipiuntur in contextum. Iam enim & Lælius.) Spirense exemplar huiusmodi lectionem uidetur continere, Ab Tarracone egressus (& Lælius redierat ab Roma sine q.n.m.r.m. uolebat.) Tametsi lacunula erat post uocabulum egressus. Quàm glorianti eam uelut primam occasionem raptam.) 300 B. Mendosus locus est. In manu scripto legitur, qua glorianti ea uelut primam occasionem rapta. Suspicor sic scripsisse Liuium, quàm glorianti ea sub primam occasionem rapta. Nisi quis malit legere, uelut ad primam. Neque enim se reprehendere nomen hominum, si tam accept od.) Sic in editione Veneta legitur, sed deprauate, quam nos cum exemplari manu scripto contulimus, propter authoritatem officinæ Asulanæ. Vetus codex amorem hominum habet, in hac à germana Liuij lectione aberrans. Debet autem esse morem non amorem. Et mox, si tam non, si tamen. Minime fefellit hoc Iacobum Sobium admiratorem Liuij singularem, cui Coloniensem editionem cæteris castigatiorem debemus. Quales ex hac die.) Scripsimus, ex ea die. Et mox operæ eorum pretium faciat, pro faceret, Insuper in conspectum eius. (s. Indibilis qui pro utroq; loquebatur) pro, in conspectum ijs. Liberique lacrymantibus præ gaudio redduntur.) Vetus exemplar tantum habet, lacrymantibus gaudio rebus absque præ. Frequens autem est apud Liuium casus septimus. Sic paulò pòst. Quum effusis gaudio lacrymis caperet uero diceret, Gaudio, hoc est, ob gaudium. In hospitium adducti.)

Vbi in excusis codicibus est adducti, plerùnque in scripto abducti legitur. Nec male quadrat. Nam qui adducuntur, etiam abducuntur ab eo loco in quo sunt. Et flumine.) In scripto tantum est, Fluuium. Armorùmque.) Scripsimus, aut armorum. Sicut mox, quas cepissent hostes, quas cepissent, hostibus. aliter distincta sententia. Præterea, per quam defertur amnis, pro deferretur. Ex libro ueteri. Per aspera primum nihil aliud, quàm uia impediti iere.) Antiqua lectio, per aspreta. Et cum cæde magna in ac. altiore.) Scripsimus, Et cæde mag. in aciem altiori. Paulò pòst adiecimus particulam, &, quæ deerat, Locusque ad eusdendum & medijs datus est. Et cædes fierent scripsimus, pro cædes fieret. Circumfusa inde omnis multitudo.) 301 A. Omnis, non erat in Spirensi codice. Et pro, Romæ intolerabile esse, erat intolerandum, quemadmodum & nos castigauimus. Vt confestim Asdrubalem consequeretur.) 301 B. Legendum persequeretur. Aut in ultima Hispaniæ amoti.) Vetus habet, mot. Quod uero mox sequitur: Simul & Hispanos, scripsimus ut pro & Simul ut Hisp. Nec cum Romanis.) In scripto libro legitur: Nec cum Romano, subaudi, exercitu, quemadmodum & nos mutauimus. Ingenio magis quàm uirtute.) Reposuimus, astu magis quàm u. Demiror quid castigatori in mentem uenerit, ut hic aliam uocem supponeret. Astus est quem in hominibus damnamus. Venusiam in tecta milites abduxisset.) Hic tecta legunt omnes, propterea quod sequitur, hus cæsum exercitum eius æstiua Venusiæ sub tectis agere. Exemplar manu scriptum habet, in exta. Proinde malim legere in statiua. Quemadmodum de Nerone C O S. dicit circa finem huius libri: Citatiore quàm inde uenerat, agmine die sexto ad statiua sua atque ad hostem peruenit. Marcellus Romam rediret.) Ex fide uetusti codicis scripsimus hic, ueniret, pro rediret. Et mox absente ipso ageretur. Item, accusauit tribunus. Et diutius ibi. Vtrisque consulibus.) 302 A. Scripsimus: Vtriq; consulum. Et mox, duo consulum prioris anni exercitus, pro consulares. Et qua senatus censuisset.) Videtur ex æque mendosa codicis scripti lectione legendum: Ex quo senatus censuisset. In qua & T. Quintius Pr. fuerat.) Authoritatem secuti manu scripti uoluminis, hanc clausulam deprauatam sic restituimus: Quæ T. Quintij prætoris fuerat. Italiæ, Siciliæ, Sardiniæque.) 302 B. Scripsimus, Italiæ, Siciliæque ac Sardiniæ. Et mox pro, & in Sicilia ita diuisa res est. Et in Sicilia ita diuisa res. Eo anno pèstilentia grauis incidit in urbem agrósque, quæ tamē magis in morbos longos, quàm in perniciales euasit.) In primis certum est non esse legendum, in urbem agrosque, quemadmodum uulgo legunt omnes, sed, per urbem agrósque. Sic enim est in ueteri uolumine. Castigatori non est uisa satis latina locutio, incidit per urbem, quare mutauit, pro perscripsit in. At quid dicemus de dictione perniciales quæ sequitur: Perniciosus legimus, uerum pernicialis non reperitur apud authores, Subest, ni fallor, mendum. Scriptum exemplar habet, impermitiales. Diu me hic scrupus occupatum habuit. Et tandem quum cogitarem non esse tam inepte loquacem Liuium, ut quum dixerit magis in longos morbos, præpositionem in statim repetat & dicat, quàm in perniciales, deprehendi unum esse uocabulum & indubie legendum, interniciales. Dictum autem est internicialis, ea forma qua dicimus exitialis. Significat interniciale quod necem affert Sanè potest perniciosum esse sine perniciale, ut uulgatum errorem sequar, quod tamen non sit letiferum. Accipitur enim perniciosum etiā pro damnoso ac periculoso. Quo sensu longi & diuturni quoque morbi sunt perniciosi. Proinde uoce hic opus erat quæ plus significaret. Atque ut hoc uocabulo uteretur hic, in causa est quod paulò ante dixit, exitiabilis prodigiorū euentus. Notum est quid sit internecio & internecinum, ubi præpositio inter auget. Porrò non dubito quin eruditi albo, quod aiunt, calculo meū sint probaturi iudicium. Nolui tamen lectionem receptam eradere, ne quis me temeritatis argueret. Sufficit hic doctos esse admonitos. Certè nihil clarius dici poterit, quàm si sic legas: Eo anno pestilentia grauis incidit, per urbem agrósque, quæ tamen, magis in longos morbos, quàm interniciales euasit. Ante diem I I I. Nonas Quint.) Scripsimus, ad I I I. Nonas Quintiles. Et mox accipere. Cui traderet, Non, & cui traderet. Biduum ad considerandum tempus.) Vide num legendum sit, biduanum ad considerandum. Hoc enim magis placeret quàm bidui. Et uetus codex, biduum habet. Tribunis mil. præfectisque soci. & centurionibus.) 303 A. Castigauimus Tribunos mil. præfectósque & centuriones. Cauitque cum cura.) Has duas uoces, cum cura, expunximus, quod non essent in exemplari Spirensi. Et pro

intensius

intensum scripsimus intentius. Alijs sententijs notātibus praefectum.) Mendae postquam semel fuerint in libros receptae, sic germanae lectioni immixtae latent, ut etiam à doctis uix sentiantur. Quis putaret in istis uerbis aliquid esse uitij? Et tamen est hoc erratum prodigiosum. Quum hunc locum legerem primum, non placebat uocabulum sententijs, quod tamen septimo casu dictum uideri poterat, pro per sententias. Sed quid opus erat uoce pluratiua? Inspexi Spirense exemplar, & reperi scriptum, alijs socijs notantibus. Videbam & hoc mendosum esse, sed sperabam ex aperto mendo germanam lectionem me facilius addiuinaturum. Deprehendi itaque à Liuio otij fuisse scriptum, quod primum affecta proxime praecedentis dictionis ultima litera s. deprauatum esset in socij, mox ob conuenientiam casuum utrinque cohaerentium in socijs foret mutatum. Id postea castigator non considerans, sed alio properans ac nimium fidens ingenio suo, uertit in sententijs. Sic accrescunt in monumentis authorum mendae. Facilius autem fit ex primis librariorum erratis syncceram lectionem reperire, quàm ex posterioribus nonnunquam eruditorū castigationibus. Proinde sic leges haec Liuij uerba: Alijs otij notantibus praefectum. Ita legendum quoque docet sequens statim clausula, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset. Nam otium progignit socordiam, hoc est, desidiam & ignauiam. Coniungitur autem eleganter Notare cum genitiuo, quum reprehendere significat. Notionem de eo.) Antiqua lectio: Notitionem. Arbitror scribendum cognitionem. Hoc enim magis placeret quàm notationem. Quod negabant unam cellam duobus rectè dedicari.) Restituimus ex codice scripto: Quod neg. u. cellam amplius quàm uni deo rectè dedicari. Reditum est.) Expunximus est, quod non sit in ueteri libro. In quo mox Annibal redit legitur, Non redijt. Subiectares oculis nostris.) 303 B. Expunximus, nostris. Et mox pro consentiente, substituimus, absentiente. Auctum etiam uisum in capite.) Simile extispicium describit Lucanus ijs uersibus, in primo:

Quodque nefas nullis impune apparuit extis, Ecce uidet capiti fibrarum increscere molem. Alterius capitis pars aegra & marcida pendet. Pars micat & celeri uenas mouet improba pulsu, Caput extorum est iecur. Et in iecore duo capita constituebant aruspices. Castra castris collata crederet.) Scripsimus diceret, Et mox, ut si collis, delevimus particulam, ut. Deleuimus quoque ea pronomen in sequenti uersu: Exiguum campi ante castra erat. Deinde pro, posset excipere castigauimus, possent excipere, Et pro, ab tergo includerent uiam, intercluderent uiam. Postremo pro, neque euadere possent in iugum, neque euaderent in iugum, eraso uerbo possent. Ad fidem omnia uetusti codicis.

Interfecti A. Manlius.) 304 A. Subuenimus huic loco, quem in editione Asulanica asterisco notatum reperimus. Nam legendum est: interfectus A. Manlius. Nec deest quicquam. Vocabulum pluratiuum interfecti, scrupulum ante iniecerat. Equitum tres.) Scripsimus, Equites tres: Et mox.) pro, Et tumultuatum in castris, Tumultuatum & in castris. Tam improuide isset, collegámque.) Restituimus deprauatum locum, pro isset scribentes se, Tam improuide se collegámque, & prope totam Rempub. in praeceps dederat. Alteram scriptam laudatione filij, qui gestae rei interfuit.) Authoritatem manu scripti uoluminis secuti, reposuimus: Alteram scripta laudatione, qui rei gestae interfuerit. Ne cui dolus necteretur.) Legendum ne qui dolus. Sic enim in libro ueteri legitur. Porrò Liuius usurpat qui pro quis. Id quod & Cicero saepe facit. Vt pro Cecinna, Siqui familiam meam de fundo meo deiecerit. Si qui mihi praesto fuerit cum armatis. Idem peculiare est Septimio Tertuliano, quemadmodum indicauimus in nostris annotationibus quas in illum scripsimus. Porrò res haec non animaduersa corrumpendis authorum locis infinitis ansam dedit. Venit nunc in mentem unius loci, qui deprauate apud Ciceronem legitur, in libello cui titulus est De senectute siue Cato maior. Habent enim sic exemplaria typis excusa quae uidimus hactenus: Omnia quae curant, meminerunt, uadimonia constituta, qui sibi, quibus ipsi debeant. Quum indubie Cicero scripserit, qui sibi cui ipsi debeant. pro quis sibi. Nam eam germanam lectionem continet exemplar Ciceronis manu scriptum, quod nos Sletstadij inuenimus apud diuū Ioannem. Sed de ijs aliâs. Si qua opera eorum opus esset.) Emendauimus: Si quo opera e. opus esset. Idest, ad aliquem locum. Rati occasionem supplicij petere, misso retro nuntio.) Vitiatum locum sic restituimus: Rati occa. supplicij peti. remisso retro nuntio. Participium misso, mutilatum erat, & auctum inepte praecedens uerbum. Fortasse mouit castigatorem, quod dicit remisso retro: cui alterum uisum sufficere pula aut remisso, aut misso retro. Verum sic & infra loquitur Liuius: Venusiam, inquit, retro quibus uenerat itineribus repetit. Alij è turri eius portae murisque.) 304 B. Pro duabus dictionibus, turri eius, substituimus ex scripto codice, turribus. Opinor scriptum fuisse turribus relicto spaciolo medio inter priores duas syllabas & ultimam. Id bus castigator mutauit in eius. Nam praecedit, circa portam qua uenturum Hostem rebantur. Edito è speculis signo.) In Spirensi codice tantum est, speculis. Non è speculis.

Venusiam adducere iussit.) Scripsimus abducere. Et aliquanto post pro, & magnum luctum, magnum & luctum, ut uidelicet magnum accusatiuus etiam ad metum referatur. Mox pro, exercitum Venusiam miserunt: reposuimus: Exercitum Venusiam miserunt. Tutasque circa stationes.) 305 A. Circa non est in exemplari scripto. Et postea legitur: Profectus ipse cum paucis equitum leuis armaturae. Non cum paucis equitum, leuisque armaturae. Sulpicius ab Naupacto.) 305 B. Addidimus literam praenominis. P. Sulpitius. Et mox, iussis subsequi peditibus scripsimus, se pronomine deleto. Item, nihil tale metuerent, pro metuerant. Et ad naues pro in naues. Quantacunque de Romanis tum uictoriae. Pro tum reposuimus tamen. Sensus est. Quantaecunque uictoriae, quia tamen non de quibuslibet, sed de Romanis erat. Item pro, purpuráque, purpura, particula que erasa. Per maritas domos.) Insigne erratum hic est. non enim quemadmodum ulmos maritas dicimus, quibus coniunctae sunt uites, sic & domos maritas uocamus, in quibus degunt matrimonio copulati. Spirense exemplar habet, per maritum asdomos Legendum est: Per maritimas domos, hoc est domos ad mare sitas. Et intelligit domicilia tenuiorum. Captabat autem loca minus celebria ac parum frequentia. Nam sequitur: Quo minus cōspectius, eo solutior. Porrò sunt & hodie principes, qui Philippi licentiam imitentur, non per domos semper maritimas, sed maritatarum discursantes cum uno aut altero comite: adeo summittendo se in priuatum fastigium, ut morionum cultus non pudeat. Vni etiam principi Achaeorum Arato.) Hunc Aratum miris laudibus ornat Strabo libro octauo, tradens illum ciuitatem ad libertatem reuocasse, & adeptum regnum ab ultro offerentibus, quod longe latéque postea ampliarit. Prolapsum in caput regem effudisset.) 306 A. Iuxta scripturam ueterem pro in reposuimus per. Caderéntque circa eum multi & uulnerarentur.) Liber scriptus tantum habet, multi uulnerarentur absq; particula connectente, &. Suspicor Liuium scripsisse: Caderentq; circa eum multi, multi uulnerarentur. Neque est in fine fugit, sed fuit. Raptus à suis atque alteri equo iniectus fuit. Et sensus est integer. Quod Pyrgum uocant.) Erasimus quod, fidem secuti manu scripti codicis, ut reliquam clausulam per Parenthesim legas (Pyrgum uocant) duxit. Fuerunt autem quatuor millia hominum, pec.) Antiqua lectio: Quatuor millia peditum hominum. Suspicor legendum, deditorum hominum. Nam praecedit, primo statim terrore aduenientes cepit. Igitur, ut uerisimile est, dediderunt se. Post profectionem ex Achaia regis.) Reposuimus Philippi, loco regis. Nam sic est in scripto libro: Et mox praecedit, famam interfecti regis uulgauit. Qui tum aedilis curulis erat.) Legendum iuxta authoritatem exemplaris uetusti, tum aedilis curulis erat. Nam solet huiusmodi clausulis per parenthesim intericctis uti Liuius. Sicut modo monuimus, Pyrgum uocant. Ac seruida ingenia imperatorum fuissent.) 306 B. Reposuimus fuisse.

Et omni coetu careret hominum.) Liber uetustus habet, caruerit. Et mox, non prae se referens, sed tantum praeferens in uultu habituque. Quemadmodum & nos castigauimus. Quid ita male credito priore consulatu.) Hanc clausulam haec uerba praecedere debent, in excusis exemplaribus hactenus desiderata: Si noxium comperissent, quid ita male credito priore

consula

consulatu, alterum crederent? Patriam pulsum sede sua restituisse.) Vulgo legunt omnes pulsum, & ad Furium Cam. referunt. At codex scriptus habet patriam pulsam. Quae ibi gererentur.) Inseruimus uocem res. Quae res ibi gererentur. Et mox, sua immidijs, expunximus ijs, scriptum utrobiq; secuti uolumen. Et praescisceret quam quis eorum prouinciam.) 307 A. Ex ueteri reposuimus quisque eorum. Pro Tarento Capuam, legio una data est, cui) Reposuimus: Pro Tarento Capuam mutauerunt: Legio una data, cui Ful. Ita per prouincias diuisa, ut binae cons.) 307 B. Castigauimus, diuisa. Binae consulum essent, ut, expuncto. Nocte portam ingressus.) Nocte non est in codice Spirensi. Nec est hic necessarium, quum sequatur, uigilem leniauerat. Et ex decreto pontificum iterum nouendiale sacrum.) Quemadmodum superabundat prima particula, &, ita ante nouendiale deest aduerbium, Inde, nouam auspicans sententiam, ut sic deinceps legamus: Et supplicatio diem unum fuit ex decreto pontificum. Inde nouendiale sacrum. Pure casteque.) Pureque & caste. Nam sic habet liber uetus. Per manus recte data.) Scripsimus: & per manus recte d. Et mox, in clinum publicum, In cliuum Publicium. Et infra, cariumque coloniarum, Et carum col. Item eodem uersu, pernoctaturos se esse extramoen. Et duo millia de legionibus militum, equitumque mille octingentos.) 308 A. Sic restituimus: Ad duo millia de legione militum, equitum mille octingentos. Et mox, nauibus adduxisse, scripsimus aduexisse. Deincepsque aliae Gallicae, atque alp. Vocabulum aliae non est in uolumine scripto, nec est necessarium. Non ipsum solum ea oppugnatio impedijt.) 308 B. Hunc locum sic restituimus: Non ipse se solum ea oppugnatione impedijt. Plenum adhuc ira.) Vetustus liber habet irae. Nec refert. Verum hoc ad rem magis pertinet, quod mox habet pro nosset, cognosset: Et paulò post, in prouinciam perueniret. Quam lectionem & nos recepimus. Vt sterni obterique, priusquam instruantur, possint.) 309 A. Vetus scriptura sic habet: Vt sterni operique. Pro hoc posteriori castigator supposuit obterique. Nec est alienum uerbum. Ego tamen non dubito Liuium scripsisse: Vt sterni opprimique priusquam instruantur possint. Quod uerbum huic loco magis conuenit. Et circa Romanorum socior.) 309 B. Asteriscum hic habet editio Asulanica. Et certe locus syncerus non est. Nec quicquam praesidij ab exemplari scripto. Quòd si quis coniecturam sequi nolet, pro circa leget tres, hoc modo: Et tres Romanorum sociorúmque ductores ceciderunt. Hanc lectionem deprauatae dictionis uestigia mihi suggesserunt. In aciem copijs ductis.) Scripsimus, eductis. Et mox, quae pars castrorum, pro qua pars cast.

Et ne paucos quidem, qui pri.) In scripto codice legitur: Et ne passus quidem, Id passus quidam mutant in paucos, quae lectio nulgo recepta est. Ego tamen malim ipsos. Et ne ipsos quidem qui prima luce obamb. Paulò pòst pro discurrerent reposuimus discurrunt. Postquam à Placentiae obsidione abscessit.) Volumen manu scriptum habet. Postquam ad Placentiae obsidionẽ accessit. Quam lectionem miror cur quisquam ausus fuerit mutare. Quasi non potuerit Asdrubal ad obsidionem Placentiae accedens, quam non putabat longi negotij futuram, praemittere equites cum literis ad fratrem. Simul & ipsos patres conscriptos quid pararet, edocet.) Scripsimus exemplaris scripti fidem sequendo, simul & ipse patres conscriptos quid paret, edocet. Demiror quid haec castiganti in mentem uenerit, ut quae latinissime dicta sunt, melius dicere uoluerit. Praemissi inde per agrum Lar.) Reposuimus: Praemissi item per ag. l. Et paulò pòst. Sex millia peditum, & mille equites, expunximus &. Quod floris fuerat.) 310 A. Antiqua lectio, quod floris fuerit. Quae cum melior sit, & nos eam secuti sumus. Qui ducem inde atque exercitus partem abesse ignoraret.) Scripsimus, abisse. Nam ne ante audiretur.) 310 B. Scribe: audiatur. Inter uota & preces.) Inter uota ac preces. Item liberorumq;, pro & liberorum. Deos deásque precabantur.) Reposuimus: Deos omnes deásque. Et felix pugna, pro felixque pugna. item damnarenturque, pro & damnarentur. Et fatigare precibus.) Volumen scriptum habet, flagitare precibus. Nec displicet ea lectio. Fatigare tua fra usurpat, quum inquit, Matronae per omnia delubra uagae supplicijs uotisque fatigauere deos. Melius uisum est.) Melius non est in codice ueteri, nec est hic necessarium, sufficit enim: Nocte clam ingredi uisum est. Vt tribunus tribunum.) Tu lege uice uersa, ut trib. unum tribunus, centurio centurionem. Nam huiusmodi uariationem amant authores. Facilis futura erat.) Scripsimus, facilior futura erat. Et nox nihil ferme. Et paulo pòst: & quingentos inde fermè passus Asdrubal aberat. In tentoria adducti.) Antiqua lectio, abducti. Nec multum refert. De quo alias monuimus. Tempus pugnae differretur.) Reposuimus, tempus pugnandi differretur. Et paulò post, nec ad sequendum se iter. deleuimus se. Deleri exercitum Asdrub.) Vetus lectio, delere, subaudi, se. Et in attendant.) 311 A. Correximus, & attendant, subauditur enim, ut. Item, una M. Liuij, addita litera praenominis. Et infra.) Cum quo castra collata haberet. Vbi hactenus lectum est, habuerit. Signa efferri iussit. Antiqua lectio: Signa ferri iussit. Duces parũ intẽti iter asseruare.) Vitiatus locus est: Legendum autem, duces parum intente adseruati. Quod uero mox sequitur, iam inde ante animo. deleuimus particulam inde. Cum errore uoluens haud multũ processisset ubi prima lux tr. o.) & hunc locum procul dubio mẽdosum hactenus omnes praeterierunt. Nec succurrit codex scriptus. Quis autẽ unquam absolute legit usurpatum uerbum uoluere: ut hic participiũ uoluens? Ego puto legendum obiens pro uoluens. Deinde uerbum processisset diuidi debet in processit, & ut sic legamus: Et per tortuosi amnis sinus flexusque cum errore obiens, haud multum processit. & ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus erat. Porro obiens mire huc quadrat, pro circumiens. Nec improbabunt meam coniecturam qui latine norunt. Taediosum uero sit, narrare quid scribam deceperit. Nos ad caetera festinamus. L. Portius.) Litera praenominis non est in scripto uolumine. Nec Nero habet. Non itineri modo.) Hactenus hunc locum perperam intellexerunt omnes, uelut sensus esset: Non iter solum, sed etiam ad conserendum extemplo praelium Liuij COS. copias fuisse instructas. At modo nomen hic est. Et legi debet: Non itineris modo, hoc est, proficiscentium ritu, qui plerunque arma sua gestant ab humeris suspensa. Vide quam uariat sensum unica litera omissa. Sic rursum Liuius libro octauo, signis repente sublatis, fugae magis quàm itineris modo penitus ad Oceanum & Gades ducit. Ante signa elephantos collocat.) 311 A. Scripsimus locat, ex fide uetusti codicis. Et ubi maxime.) Castigauimus, & ibi, sententia per parenthesim inclusa, hoc modo (& ibi maxime in uetere milite spem habebat).

Et signa mouerant loco.) Scripsimus etiam signa. Mox uero corruptum locum, impotentes iam regi inter duas acies uersari, sic castigauimus, impotentius iam regi, & inter duas acies uersari, Id est impotentius iam regebantur, & inter duas acies uersabantur. Hic nobis egregie subuenit uolumen scriptum. Vt cum ostendissent se ab latere, mox in terga iam pugnarent.) Ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ac tergo, trucidantur Hispani Liguresque. Exemplar uetus habet pro ab latere, in latere, & pro trucidantur, trucidarentur. Hoc uerbum facit ut putem totam periodum sic legendam: Vt quum ostendissent se in latere, mox in terga depugnarent, ita ut omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidarentur Hispani Liguresque. Et ad Gallos iam caed. p. Habes nunc perfectam sententiam quae ante mutila erat & lacera. Mire autem placet uerbum depugnarent, quod ex uestigijs scripturae reponendum arbitror pro iam pugnarent. Vix arma humeris gestabant.) Est in scripto gerebant. & quid fuit opus hoc mutare? Vbi regendi spem ni mcisset.) Legendum, ubi regendi spem uicissent, subaudi elephanti. Quia mox praecedit belluae, quidam in editione Asulanica mutauerat id in uicisset. Ne superesset tanto exercitui suum nomen secuto.) Castigauimus, ne superstes tanto exercitus suum nomen secuto esset. Caedisque ceperat satietas.) 312 A. Indicat codex Spirensis Liuium scripsisse, non satietas, sed satias. Quo uocabulo ueteres usos fuisse docet Nonius Marcellus Accium citans, & Varronem, Lucilium & Lucretium. Salustium quoque sic scribentem hist. libro secundo: Tum exteriorum agros inuasere, frumentique ex inopia graui satias facta. Et Terentium in Eunucho: Nam ubi me forte satias

tias cepit, commuto locum. Gaudet autem antiquus interdum uti uocabulis Liuius, qualia fortaßis sint, aspreta & internicialis, quorum ante meminimus. Die sexta.) Scripsimus, die sexto. Et mox: Nemo enim, pro quia nemo. Item narrarique, pro enarrarique. Et ciuitas fuerit, pro ciuitas fuerat. Vix ui compotes mentium præ gaudio essent.) In antiquo uolumine tantum est gaudio, hoc est, ob gaudium. Sic supra Liuius: Effusis gaudio lacrymis. Aut populus è foro.) Deleuimus præpositionem è, quæ elegantius subauditur. Et mox pro fatigare deos, scripsimus fatigauere deos. Eæ literæ per forum ad tribunal perlatæ.) Legendum, ad tribunal prætoris latæ, quemadmodum & nos castigauimus. Traheretúrque à percunctantibus uociferantibusque, ut in rostris priusquam in senatu literæ recitarentur. Tandem cum summoti, & coerciti à magistratibus fuerunt: dispensarique lætitia inter impotentes eius animus potuit.) Hic multæ dictiones additæ sunt, una tantum aut altera mutatæ. Codex scriptus sic habet: Sed cunctantibus uociferantibusque ut in rostris, priusquam in senatu literæ recitarentur. Tandem summoti & coerciti a magistratibus, dissertarique lætitia inter impotentes eius animos potuit. Ista uerba sic legenda mihi uidentur, ut cohæreant cum superioribus, hoc modo: Tantóque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursum est, ut adire nuntius non posset præ cunctantibus uociferantibusque, ut in rostris priusquam in senatu literæ recitarentur: Tandem summoti & coerciti à magistratibus, subaudi, sunt. Vixq; seruari lætitia intra impotentes eius animos potuit. In senatu primum. d. Porrò, nunc uides quantum aberrarint qui ante nos sententiam istam instaurare sunt conati: dum traheretúrque uerbum assuunt, & pro sed cunctantibus scribunt percunctantibus, quod id uerbum postea sequatur, quum inquit, quæ acta sint percunctarentur: dúmque particulam quum & uerbum fuerunt infulciunt, & pro dissertarique reponunt dispensarique. Cæterum nostræ diuinationes magno nobis labore constiterunt, non remittentibus animum donec germanam, ut speramus lectionem repertissemus. Sane hic propriè usus est partici pio cunctantibus, de multitudine loquens apud curiam manente. Cunctantur enim quæ sic manent, ut difficulter moueri poßint. Et pro cuiusque ingenio, alijs iam certum gaudium, alijs nul. an.) Antiqua lectio: Et pro cuiusque ingenio certum gaudio alijs. Fortaßis legendum: Et pro cuiusque ingenio, certatum gaudio. Alijs nulla ante futura fid. erat. Currere obuiy.) Scripsimus, obuiam. Et postea, quæ acta sint percunct. pro, quæ acta essent. Item postea peruenissent, pro peruentum esset.

Inde introducti in concionem.) 312 B, Legendum est, traducti, quemadmodum nos castigauimus. Introducti enim sunt legati primum in curiam & senatum, traducti postea in concionem quæ erat foris & in publico. Ipse planum.) Hæc duo uocabula nescio quis hic infulsit: Quasi uero Liuij sententia quicquam tale exposcere uideatur. O temeritatem. Quid autem huic orationi deest? L. Veturius literis recitatis, omnia quæ acta erãt exposuit. Argentum creditum soluendo.) Exemplar scriptum habet: Argentum creditúmque soluendo. Quid si legas, signatum creditúmque soluendo, Vt intelligas de rebus contestatis consignatisque. Paulò post, ubi uulgo legitur. Captiuosque Afros uinctos, ut erant, est in scripto, uincti ut erant. utrunque stare potest.

IN LIBRVM OCTAVVM TERTIAE DECADIS ANNOTATIONES PER BEATVM RHENANVM.



VVM transitu Hasdrubalis quantum in Italia declinauerat belli.) 313 A. Loquitur hic de Hasdrubale Amilcaris F. qui ut præcedenti libro narratum est, Alpeis transcendit coniuncturus se fratri Hannibali. De hoc nimirum transitu Liuius intelligit. At quid formidolosius accidit Italiæ quid magis extimescendum, quid unquam rebus Romanis certius exitium afferre uisum est, quàm cum in Italiam per Alpeis transiret Hasdrubal? Per huius enim aduentum duo bella Punica facta, duo ingentes exercitus, duo prope Hannibales, ut Liuij uerbis utar. Quomodo ergo declinasse bellum in Italia transitu Hasdrubalis uideri potest, quod tum est maxime auctum? Sic enim in omnibus exemplaribus excusis, quæ nobis uidere contigit, legitur: Quum transitu Hasdrubalis quantum in Italia declinauerat belli, &c. Cupiam hic audire professores hunc locum exponentes. Mihi libet cogitare in uerbo declinauerat, ingens esse mendum. Habet & uetus uolumen deprauatam lectionem, nempe, inclauerat siue indauerat, adeo sunt ambiguæ literæ. Ego uero scribendum arbitror, inundauerat, quod uerbum hic mire quadrat. Franciscus Petrarcha aut Victorinus Feltrensis pro illo indauerat, fortaßis primum substituit, delinauerat. Id postea Laurentium quoque Vallam uirum in literis prorsus incomparabilem fallere potuit. Nam aiunt hunc in restituendo Liuio multum operæ sumpsisse. Porrò libet hoc erratum propemodum alicui monacho tribuere, qui pro indauerat supposuerit hic declinauerat, quod transitum acciperet pro interitu. Nam Christiana pietas transitum duorum uocat, mortem intelligens. Huic mendoso loco mederi conatus est doctus aliquis in editione Eucharij Ceruicorni scribens, quantum in Italiam declinauerat belli. Et id fermè quod roboris erat.) 313 B. Hæc clausula pronomine quod expuncto, (neque enim in ueteri uolumine habetur) per parenthesim est legenda, hoc modo: Hanc iustam legionem. (& id fermè roboris erat) in prima acie locat. Leuem armaturam.) Reposuimus cæteros, leuem armaturam. Appositiue. Id ad cædem eos. Hæ duæ uoces, id ad, erant omissæ in exemplari Spirensi, defectũ indicabat lacunula uacua. Fortasse melius esset reponere, & ad cædem eos. Quod mihi magis probaretur. Pœnum cum castra tum forte.) Authoritatem secuti manu scripti codicis sic restituimus. Pœnus quum castra sua forte in Betica ad sociorum animos continendos in fide haberet: Cæterum quoad cõtinuisset exercitum, propositum bello se fore ratus, antequam freto Gades traijceret, exercitum omnem paßim in ciuitates diuisit.) Si quis hunc mihi locum exposuerit, illum Oedipum uocabo. Quid enim sequitur, quod ad ista uerba attineat, quoad continuisset exercitum? Multũ miror cur ita ueteribus illis, nempe Victorino Feltrensi, Petrarchæ, Aleriensi pontifici, quoties locum aliquem non satis assequerentur, de suo quiduis addere libuerit. Et quamuis hic decem dictiones infulserint, nihilominus mutila adhuc est sententia. Hic itaq; locus asterisco notandus erat, non is qui paulò pòst sequitur in editione Asulanica ea nota signatus, quum bene habeat. In uolumine scripto, tantum legitur: Cæterum quoad continuisset exercitum omnem paßim in ciuitates dimisit. Dicam quid mihi tandem in mentem uenerit, quum diu hic hæsissem. Suspicor ista uerba quoad continuisset, prorsus esse deprauata, ac scribendum pro illis, quod aciem renuisset. Nam sic constabit sententia: Cæterum quod aciem renuisset, exercitum omnem paßim in ciuitates dimisit. Sensus est: Asdrubal detrectabat confligere cum Scipione, & ideo paßim exercitum in ciuitates dimisit. non diuisit. Considera lector, quantum sibi quidam permiserint in authoribus restituendis, imò deprauandis. Non sufficiebat hic mendum exẽplaris scripti, nisi plura assuerẽtur οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἁπτόμενα, quemadmodum Græcis est in prouerbio. Hæc licentia Plinianos quoque libros nobis perdidit, quos mendosißimos hactenus fuisse

quibusdam

quibusdam persuaderi non potest. In Melessum finibus est sitæ.) Hic uerborum ordo est in codice uetusto: Sita in Melessum finibus est. Et arx fuerat Asdrubali.) Reposuimus iuxta fidem antiqui uoluminis: Ea arx fuit Asdrubalis ad excursiones circa in mediterraneos populos faciendas. Quæ particula in, hactenus desiderata fuit in exemplaribus uulgatis. Corrector accepit circa, hic ut esset præpositio, quum sit aduerbium, hoc est in circuitu. Et propterea particulam in expunxit. Duplicique uallo circundata urbe in treis partes exercitum diuisit.) Codicem ueterem sequendo sic castigauimus & distinximus: Duplicique uallo circumdat urbem. In treis partes exercitum diuidit. Paulò pòst, pro & iam hic scripsimus etiam. In unum se colligeret.) 314 A. Addidimus accusatiuum locum, qui est in libro scripto. An dolus aliquis suspectus fuerit.) In uolumine ueteri non est aliquis, sed aliqui. Sic autem Liuium loqui & cæteros authores supra docuimus. Legionarij cæteras parteis peruadunt, direptione & cæde obuiorum, nisi qui armis se tuebantur, abstinuerunt.) Reposuimus ad fidem exemplaris Spirensis: Legionarij cæteram partem urbis peruadunt, direptione & cæde obuiorum, nisi qui armis se tuebantur. Sensus est: Legionarios reliquam partem urbis diripuisse, & obuijs quibusque cæsis grassatos fuisse, præter eos qui armis sese periculo eximebant contra hostium uim uitam suam defendendo. Quid igitur opus fuit hic uerbum abstinuerunt infulsire, & sensum Liuij inuertere? Nos id audacter erasimus. Romanorum haud amplius.) Scripsimus haud plus. Et postea distinximus, cæteroque exercitui. Speciosum aduentum. In citeriorem Hispaniam omnes suas copias reduxit.) Nos reposuimus ueterem sequentes lectionem: In citeriorem Hispaniam recipit exercitum. Mox autem: Ipse Tarraconem concessit. ipse non est in codice scripto. Item paulò pòst nec que post decem. Sed tantum, decem & septem naues. Toto inde mari pulsis hostium nauibus.) Non est hæc absurda lectio. Verum nos maluimus sequi Spirense exemplar, quod habet: Toto inde mari pulsis hostium nauibus. Cum ob Romanam societatem.) 314 B. Antiqua lectio: Ab Romana societate. Haud procul Arguorum fine.) Reposuimus Argeorum. Græci ἀργεῖ@ dicunt, authore Stephano. Quæ pericula terra marique portendebantur.) Scripsimus portenderentur. Similis locus est libro præcedenti: Quod in sanctiore ærario ad ultimos casus seruaretur. Vbi quispiam scripserat, seruabatur. Vallóque intercludi ab Aetolis nuntiabant.) Legendum est, nuntiarant. Prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium.) Sic Liuius scripsit: Prout tempus ac res sineret, omnibus laturum auxilium. O asinum, qui pro sineret, supposuit se daret. Huiusmodi loquendi formulas imitantur postea, nondum satis repurgatis exemplaribus, quæ res periculo non caret. Tum præsidium ubi mit.) Non satis uideo quid sibi hic uelit asteriscus quem habet editio Asulanica. Nam quod sequitur: Vnde allatum erat, idem est quod nuntiatum. & depopulatum, participium est non supinum. Scotusam copias reduxit.) Scripsimus reducit. Et mox sese recipit, pro recepit.

Nec pertinaciter prælio iterato.) 315 A. Legendum est, prælio inito. Ad Demetriacum Phthiotidis exposuit.) Scriptum exemplar habet, ad Demetrium thiotidis, Vbi posterius uocabulum mutilum est. Legendum enim ad Demetrium Phthiotidis. Est autem Demetrium locus circa Thessaliam, ceu scribit Stephanus. Græci δημήτριον uocant. Eodem authore, πόλις, πόλις καὶ μοῖρα δὲ τῆς θετταλίας, hoc est, oppidum & pars Thessaliæ. Vnam sanè ex quatuor Thessaliæ partibus, Strabo θετταλίαν φθιῶτιν appellat. Quare hic in Phthiotidis subauditur, Thessaliæ. At ô supinam quorundam negligentiam in restituendo Liuio. Non puduit illos, Demetrium in Demetriacum uertere, quòd paulò ante Demetriaci sinus sit facta mentio. Sed nemo uult laborare. Quicquid in mentem primum uenit, id infulsimus. Deinde nisi manifestus sit solœcismus huiusmodi lectionem omnes sequuntur. Sic legit Beroaldus, inquiunt, sic Sabellicus, sic Baptista Pius. Et quis amplius dubitat? Equidem fuerunt uiri celebres & literati: sed qui mallent omnia interpretari quàm intelligere. Fidebant ingenio suo, fidebant eruditioni. Nec putabant opus esse scripta consulere exemplaria. Id quod rarenter admodum faciebant. Quin erant contenti authoritate & opinione nominis, quam apud omnes sibi pepererant, ut iam propemodum sufficeret illud αὐτὸς ἔφα. At alia res est castigare ueterum authorum libros. Eget enim non solum eruditione, sed & pertinaci studio, labore & diligentia, ac cum primis acri iudicio. Speciem intuenti.) Castigauimus, ut speciem intuenti primo gemini portus in ora duo uersi præbuerit. Subiti ac procellosi deijciunt.) Opinor scribendum, decidunt. Quæ fluxa & uana apud Oreū fuerant.) Scripsimus, fuerat. Nam refertur ad fidem. Et ea parte tum maritimis uiribus.) Tum particula non est in codice scripto. Mox uero: Ita re per cunctationem omissa, ad Chalcidis auxilium. Sic restituimus & distinximus: Ita res per cunctationem omissa. Subaudi, est. Ad Chalcidis auxilium ab. s.a.i. est motus. Deinde quod sequitur, terráque aditum faciliorem, expunximus que. Nam elegantius subintelligitur. Et gaudet asyndeto Liuius. Sicut mox, deiecto præsidio, fusis Aetolis, non fusisque Aetolis. Sic enim intelligi debet, deiecto præsidio, quod erant Aetoli. Et dicit deiecto, quòd essent in montibus & saltibus Thermopylarum, ubi angustæ fauces coarctabant iter. Cum Romana classis eò se recepisset. Attalus igitur ignarus.) Reposuimus ex scripto uolumine: Romana classis Oreum sese receperat, & Attalus ignarus ad Ph. Non enim uult dicere Liuius quomodo sit captum Oreum, quod ante exposuit. Sed quid interim fieret cum à Romanis tum ab Attalo rege. Magnam quorundam temeritatem uides, qui Liuij uerba ad suum sensum inuertere ausi sunt: Quale etiam est, quod paulò post pro cursu effuso mare ac naues petit, scripserunt, cursus effusus. Et molientibus ab terra naues Philippus superuenit.) Sic dixit, molientibus ab terra naues, quemadmodum infra, quùm Pœni anchoras molirentur. Et in oratione Scipionis, qua Q. Fabio respondet non procul à calce huius libri: Audistis hinc molientem Hannibalem. Et rursum postea: Et anchoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt. Porrò non est superuenit in scripto codice, sed aduenit. Quod uero cohæret, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit, debet esse, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit. Omissis Romanus.) 315 B.

Ex ueteri codice, rebus ablatiuum adiecimus. Et mox, classem recipit scripsimus, pro recepit. Profugit à Thebis Phthioticis.) Nouem sunt oppida quibus nomenclatura Thebarum olim tributa est. De quo hic fit sermo, Stephanus tertium facit. τρίτη, inquit, θετταλίας τῆς φθιώτιδ@. Est autem Phthia Thessaliæ pars, ceu ante diximus. unde φθιῶτις θετταλία Strabonis, & Phthiotici hic gentile nomen. Cum in fidem Aetolorum perfugissent.) In codice scripto, peruenissent est. Opinor autem pro fidem scribendum, finem. Nam usurpare solet Liuius finem pro finibus, ut supra: Haud procul Argeorum fine positis castris terrebat. Vrbis uastatæ ac desertæ priore eiusdem Philippi bello.) Reposuimus ueterem librum secuti. Vrbis uastæ, ac desertæ priore quidem Philippi bello. Vrbs erat uasta Torone, ergo magnum populum capere poterat. Sic rursum aliquanto post: Et infrequentes se urbes, agrum uastum ac desertum habere.

Cum expedito agmine.) In Exemplari legitur, quam expedito. Forte scribendum, perquam expedito ag. Et iam cum Eream uenisset, audit Machanidam f.a.s.t.r. L. Aegiúmque se ad con.) Hic se doctus quispiam infeliciter exercuit. Nam cum in exemplari reperisset, audita, scripsit, audit, & non cohærente iam quod sequitur. Aegium se ad c. A. recepit, adiecit particulam que, ut esset nouæ sententiæ initium. Tu sic castiga locum. Et iam quum Eream uenisset, audito, Machanidam fama aduentus sui territum refugisse Lacedæmonem, Aegium se ad concilium Achæorum recepit. Ad hanc loquendi formam pertinet, quod infra sequitur: Quidam quas disceptando controuersias finire nequiuerant, aut noluerant, pacto inter se, ut uictorem rei sequeretur, ferro decreuerunt. Pacto, id est, ubi pepigissent, sic hic audito, id est, ubi audisset. Sed nix rationem inire posse.) Lectio uetus: Sed id rationem iniri posse. Scribendum opinor, sed haud rationem iniri posse. Mox sequitur, an fugatius, quod illic legitur, quàm fugatius. Nec est, à Chalcide, sed tantum Chalcide. subauditur autem præcedens præpositio, ab. Si modo congressus cum hostibus sis.) Quum eleganter hic dixerit Liuius, ceu non

dubito,

dubito, congressus cum hoste sis (nam praecedit ab hostibus, & sequitur, confeßionem hostium) tamen asinus ausus est supponere ablatiuum pluratiuum, hostibus. Idem mox addidit de suo datiuum sibi, nequaquam pares esse eos sibi, quum tamen illo expresso non fuerit opus. Descensionem fecit.) 316 A. Codex scriptus habet. exscensionem fecit. Ipse ab Oenotrijs praeter terram Atticam super sinum nauigans inter medias prope hostium classes Chalcidem peruenit.) Quomodo in Italia subito Philippus ex Corintho? Nam Oenotria est Italia. Videtur mihi planè quispiam lectores ludere noluisse. Sed mirum est hactenus hoc à nemine perceptum. Oportet hic ingenue dicere quod uerissimum est, nimia securitate fidunt studiosi quibusdam typographicis officinis, ut in Italia Asulanicae, quasi uero castigatißima sint omnia quae ex illis prodeunt. Quibus hactenus credendum erat, ut rem iudicio prius & collatione exploraremus. Interim studiosi merito suae credulitatis poenas saepe luunt. Restituimus hunc deprauatißimum locum iuxta scriptum archetypum, hoc modo: Ipse à Cenchreis praeter Atticen per Sunium nauigans, inter medias propè hostium classes Chalcidem peruenit. Vide per Musas in paucis uerbis ingentia errata. Cenchrearum ciuitas de qua hic loquitur Liuius, apud Corinthios nauali statione fuit insignis. Atque eadem est, cuius & diuus Paulus meminit in fine epistolae quam ad Romanos scripsit. Sunium uero promontorium est Atticae. Caeterum usurpauit formam Graecam Atticen, ut nihil fuerit opus emendare terram Atticam. Quod mox sequitur, flexisset eorum animos, scripsimus flexissent. Et paulò pòst, promo ad opem ferendam. Q. Fabius Maximus Pr. Praetor non est in codice Spirensi, nec uocabulum patres, quod paulò pòst sequitur. Nec item postea coniunctio quoque: Vno quoque tempore. Quare & nos expunximus. Quod eorum opera incolumis.) Antiqua lectio, eorum ope. Sed magis placet opera. Et paulò pòst, fortiter fideliterque administrata. Sic & infrà: Quàm fortis fidelique duorum praecipuè legatorum opera usi essent Ita conuenit, ut quoniam & in prouin.) Mihi magis hic probatur lectio ueteris uoluminis, quae uidetur antiquam aliquam formulam referre, neque enim est illic, ut particula, nec & coniunctio ter repetita. Sic autem habet, ita conuenit: Quoniam in prouincia M. Liuij res gesta esset, eo die quo pugnatum foret, eius forte auspicium fuisset, exercitus Liuianus deductus Romam uenisset, Neronis deduci de prouincia non potuisset, ut M. Liuium. Hic tandem sequitur, ut. Ad istum modum singula castigauimus in contextu. Vnius equo per urbem.) 316 B. Scripsimus, uno equo. Nam praecedit, multiiugis equis. Et sic habet liber uetus.

Neronique, etiam si pedes incedat, uel parto eo bello, uel spreto triumpho, gloriam memorabilem fore.) Quo sensu dictum est, uel parto eo bello. Nos istam sententiam ex uestigijs ueteris scripturae sic restituimus: Neronémque, etiamsi pedes incedat, uel parta eo bello, uel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. Pecuniam in aerarium tulerunt.) Castigauimus: Pecuniae in aerarium tulerunt sestertium tricies octoginta millia aeris.

Sub aduentu eius.) Legendum, sub aduentum, id est, paulò ante quàm ueniret. Item, & ludi Romani. particulam & expunximus. Et Q. Caecilio Metello COSS. ambobus, ut cum Annibale bellum gererent, prouincia decreta.) Cur hic asteriscum non apposuerunt, deest enim nomen prouinciae. Reposuimus nos ex manu scripto codice: Et Q. Caecilio Metello COSS. Bruttij, ambobus ut cum Annib. & quae sequuntur. A C. Terentio proconsule.) Opinor scribendum propraetore. In ueteri codice mendose est, pro publicare, quas uoces indoctus scriba semper supposuit quoties scriptum repperit, Propr. Vestalis uirgo,) 317 A. Scriptus codex tantum habet: Vestalis. Professor aliquis inter exponendum dixit: Vestalis: subaudi uirgo. Id postea receptum est in contextum. Et supplicationem ab Vesta aram habere placuit.) Qui hic infusit accusatiuum aram, non fuit admodum Latine doctus. Legendum est, ad Vestae, & subauditur, templum, aut aram. Horatius: Ventum erat ad Vestae. De quo sermonis genere saepe monuimus in prima Decade. Moniti ab senatu sunt.) Scripsimus, admoniti. Et in sequenti uersu. Et posse sine metu. Agrum uastatum ac desertum habere.) Agrum uastum reposuimus. Sicut supra urbes uasta ac deserta priori quidem Philippi bello. Et paulò post, Atque Placentini essent, ante certam diem.

In saltu angusto à Bruttijs, iaculatoribusque Numidis turbati sunt.) 317 B. Audi hic mi lector rem ridiculam, quid librariũ dacceperit, ut syncerã scripturã deprauaret. disturbati, à disturbor, aris. forte scriptũ erat primore syllaba à caeteris per spaciolũ aliquot distante, hoc modo, dis turbati. Placuit uocabulum turbati, dis scriba fragmentum alicuius dictionis esse putauit: ipse syllabam nouam adiecit, ut fieret nundis. Et quum haec uox locum hic non habeat, doctus aliquis scripsit iaculatoribúsque Numidis, adiecto que ad finem dictionis prioris. Sic autem indubie Liuius scripsit: In saltu angusto à Bruttijs iaculatoribus disturbati sunt.

Cum magnam partem uiuent.) Scripsimus: Tum magnam partem uiuent. Et mox, inter latrocinia, non per latrocinia. Tantae se fore parem multitudini.) Fore uerbum additum uidetur. Nos induximus. Neque enim est in uetusto.

Inde ad Betulam urbem progressus. 318 A. Scripsimus, processum. subauditur est. Impersonaliter dictum. Plures & integri.) Hic deerat usque dictio quam inseruimus, Plures usque & integri. s. subirent. Terga haud dubie uertunt Poeni. Numidaeque primo turm.) Hunc locum deprauatum sic restituimus: Terga haud dubie uertunt Poeni Numidaeque. Et primo turmatim.

Tamen nunquam aliquot in sequentes dies.) Exemplar scriptum habet: Tamẽ nunquam praelio quod insequentis dies. Ex qua mendosa lectione coniicio fuisse scriptum: Tamen nunquam per aliquot insequenteis dies. quemadmodum & emendauimus. Castellorum procul speciem usu praebebant.) Vocabulum usu quispiam infulsit. nos exemimus. Cum raptim pransi essent.) Hic nugator aliquis se exercuit. Liuius scripsit: Vt ante lucem uiri equiq; pransi fuissent aut pransi essent. Ille adiecit, cum raptim pransi essent. Nec ordine solito quicquam in acie struenda mutat) 318 B. Debet esse: Nec ex ordine solito quicquam aciei instruẽdae mutat. Subauditur autem, in. Equitum iamdiu a. p. fuit. nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsis (quod prope inuicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat.) Miseret me planè optimorũ quorumque authorum, qui indignißime paßim tractati sunt à castigatoribus non sat diligentibus. Qualem hominum temeritatem cum alibi, tum hic insigniter expertus est T. Liuius. Antiqua lectio sic habet: Equitum iamdiu ancepi pugna erat. nec quia pulsis quod prope inuicem fiebant in aciem peditum tutus receptus erat. Hanc mendosam lectionem quum non intelligerent castigatores, adiecerunt multa de suo, Liuiique sensum inuerterunt. Nos tamẽ bene fortunantibus Musis ex ista deprauata germanam indicabimus, nempe hanc, Equitum iamdiu anceps pugna fuit, nec depulsis (quod propè inuicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat. Sensus clarus est, quod equites utriusque exercitus, quum inuicem depellerentur, sic ut nunc Romani Poenos, nunc uicißim Romanos Poeni depellerent, nam hoc sibi uult interiecta clausula, quod prope inuicem fiebat, in aciem peditum tuto recipi non poterat. Nam sequitur postea: Signo receptui dato Scipio, patefactisque ordinibus, equitatum omnem leuémque armaturam in medium acceptam, diuisámque in partes duas in subsidijs post cornua locat. Confer nunc quod nos castigauimus cum uulgata lectione, & uide quale piaculum commiserint, qui eo quod legebant quia pulsis, quod nos castigauimus, depulsis siue perpulsis, hanc clausulam de suo adiecerũt. Nec ipsa per se decerni poterat, conspurcantes Liuij sensum inuertentésque. Sed ubi non similia acciderunt in hoc authore? Acies inter sese diuisae aberant.) Quasi non satis Latine diceretur, haud plus D. passus acies inter sese aberant, quidam inseruit diuisae. Ipse è dextro cornu.) Liuius omittit plerunque praepositiones, quae eleganteus subaudiuntur quàm exprimuntur. Castigatores priores nusquam non insulserunt. Ipse dextro cornu mittit, subauditur à dextro cornu. In sinistram partem quemadmodum se tendentem ad dextram uidissent) Codex scriptus habet, in sinistra parte. Proinde non dubito scripsisse Liuium, in sinistra parte quemadmodum se tendentem à dextera uidissent. Sic & nos reponere sumus ausi. Et cum ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum quod turba Balearium tyronúmque Hispan.) Hic in primis notandum est, quod in uolumine ueteri pro turba

Balearium,

Balearium, scriptū est, turba balirum, ut suspicer ba syllabam librarium perperam repetijsse. Quid si legas, lyxarum tyronumque Hispanorum? Deinde sciat lector sic esse exponenda Liuij uerba: Et quum ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum subaudi, haudquaquam pugna par erat, quod turba lixarum tyronūmque Hisp. Romano Latinoque militi obiecta erat. Id quod quum non animaduertissent olim Liuiani castigatores particulam &, quæ sequitur, & procedente, temere eraserunt, coniungentes tum procedens cum hac oratione, procedente iam die. Verum nos & particulam hic necessariam de post liminio inseruimus. Nam Liuius duas præcipuas causas assignat imparis pugnæ. Vnam quòd lixæ & tyrones à partibus Pœnorum, fortissimis militibus erant obiecti. Alteram, quòd exercitus Punicus deficere cœpisset ob inediam. Cornelius incurrerunt.) Scripsimus, concurrerunt. Et mox, ut primi æstus. reposuimus, ita ut primi. Cum proximus quisque hostem cæderet.) In exemplari uetusto legitur, proximi. Proinde uideó sic quoque uerba stare posse: Quum proximi quique hostem cæderent. Inde ut inferri impigre signa uiderunt.) 319 A. Scripsimus deinde. Et paulò post: Vt uix in castra sua reciperent se uictores: quosdam etiam religio ceperat. Vbi uulgata lectio habebat, receperit & ceperit. Item infrà citato agmine ducti sunt, pro educti. Et mox: Ducibus est creditum, particula sed expuncta. Cum hostis nequicquam subire idest asc. conatus esset. Emendauimus ad lectionem ueterem: Quum hostes nequicquam subire iniquo ascensu conati essent. Cæterum quemadmodum hic singularem numerum in pluralem mutauimus, sic mox pluralem uertimus in singularem. Itaque transitiones ad hostem fiebant. Ad uitandum cacophaton. Astipulatur autem nobis liber uetus. Paulò pòst scripsimus, mille equites reliquit Syllano. Proconsulis Scipionis.) 319 B. Nos scripsimus, P. Scipionis. Nam ubique librarius pro P. litera prænominis, hoc est pro Publio proconsulem scripsit. Mox reposuimus duas dictiones quæ deerant. Quinto postquam P. Scipio prouinciam & exercitum accepit. Paulò post, in exemplari Spirensi legitur, cum multis nobilibus captis. Pœnis autem in Italia aduersæ.) Particulam autem, expunximus. Et paulò pòst, ad Scipionem redit scripsimus, pro redijt. Opulentissimum eius terræ.) Hic deerat uocabulum rex, quod inserimus. Opulentissimus eius terræ rex. Et mox, pro quia freto exiguo dirimuntur, reposuimus, quod freto exiguo dirimuntur, subaudi fines. Paulò pòst prænominis literam Syllano præfiximus, alio loco iuuante uento scribentes, pro adiuuante. Sequimur enim ubique, quatenus licet, authoritatem manuscripti codicis. Quum Pœni anchoras molirentur.) Sic supra. Et molientibus ab terra naues Philippus aduenit. Nec ultra tumultum edere quisquam in regio portu audebat.) Antiqua lectio: Nec ultra tumulatum agere quisquam in regio portu audebat. Ex ijs corruptis uerbis hanc germanam Liuij lectionem erui. Nec ultra tumultum agere quis quicquam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Asdrubalis) In antiquo libro legitur: Ita in terra prior Hasdrubal. Subaudire poteris uerbum, fuit. Magnificùmque id Syphaci, nec erat aliàs uisum.) Volumen Spirense non habet aliàs sed aliter. Qui nobis hunc Liuij locum deprauauit, aliàs pro, aliter supponendo, in hoc lapsus est, quod uisum ordinabat cum aliter aduerbio. quæ cum illi parum latina uideretur oratio, aliter uertit in alias. At uisum postrema uox referenda erat ad primum magnificùmque, & ea posterior clausula per parenthesim legenda, hoc modo: Magnificùmque id Syphaci (nec erat aliter) uisum. quemadmodum nos in contextu restituimus. Et quoniam fors eis sub.) Et particula, non est in codice scripto. Nec mox, contrahere ad colloquiū, sed in colloquiū. Illud magnopere contend.) 320 A. Melius hic placuit uulgata lectio, quàm ea quæ est in ueteri libro. Siquidē habere uidetur. Illuc magnopere tendente rege. Nos tamē aliter distinximus sentētiā. Paulò pòst: Et eodem etiā lecto, particulam & deleuimus. Sibi concilia ret mirabiliorémque sibi cum uirum.) Scripsimus sibi conciliarit. mirabiliorem sibi cum. coniunctione que & accusatiuo uirum, dispunctis. Sic postea particulam tam erasimus. Regnumque eius in Romanorum esset potestate.

Sed potiundæ Africæ spem affectantem.) Affectare spem utcunque grammaticè dicitur. Verum non satis intelligo quid sibi uelit quod dicit, potiundæ Africæ spem affectantem. Certe Scipio spem magno emit, si tantis periculis nihil aliud assequi in animo habebat, nisi ut affectaret spem Africæ obtinendæ. Ego opinor locum esse uitiatum. Codex scriptus habet spe adsectantem. Siquis diuinationem nostram recipere uelit, illeget, sed potiundæ Africæ pretia sectantem. Quæ sententia Liuio digna erit. Scriba mutauit pre in spe, & eia in ad. Ea posterior particula cum sequenti participio connexa, constituit adsectantem. quod alius postea uertit in adfectantem, quum spem pro spe scripsisset. Et plerisque sæuis in alto iactatus uentis.) Scripsimus, & pleraque sæuis. Illiturgim & Castulo.) Legendum Illiturgi & Castulo erant, suffragante codice uetusto. Plinius. Illiturgi, quod Forum Iulium. Desinunt autem pleraque uetera Hispaniæ oppidorum nomina, in i, ut Ipasturgi, Astigi, Vergi, Sexi, Ossigi, Tuati, Atiubi. Alostigi, & similia. Castulonenses cum prosperis rebus socij fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones defecerant.) Antiqua lectio, Castulo cum prosperi rebus socij fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipio. defecerant. ad Pœnos. Nec dubito sic scripsisse Liuium Castigatorem offendit uerbum socij pluralis numeri. Scelus etiam defectioni addiderant.) Hæc uerba, scelus etiam defectioni, non sunt in exemplari uetusto sed tantum, addiderant. Pro quo uerbo fortassis scribendum, perfidi erant, hoc modo: Illiturgitani prodendis qui ex illa clade ad eos perfugerant (siue profugerant) interficiendisque, perfidi erant. Nam sequitur infra: Ab ijs perfidiæ & crudelitatis, & sceleris pœnas expetendas esse. Non tamen reprehendo lectionem uulgatam. nam & hic sceleris scriptum est. Meritò magis quàm utiliter sæuitum foret.) Miror in Liuio tot loca prodigiose corrupta reperiri, quando omnium studiosorum manibus assidue teritur. Certe hic tam est uitiata lectio, ut totam sententiam cohærentem obscurarit perdiderítque. Nec quicquam profuit codex scriptus. Deprehendi post longam expensionem sensus, legendum hic, increpitos magis, quam ut aliter sæuitum foret, pro eo quod est, merito magis quàm utiliter sæuitum foret. Quibus uerbis restitutis facile est instaurare totam sententiam ante male distinctam, nimirum hoc modo: In eos populos primo aduentu, quum dubiæ Hispaniæ essent, increpitos magis, quàm ut aliter sæuitum foret, tum iam (sic enim est legendum, quod tamen mendose in Spirensi uolumine est, tunicam) tranquillis rebus, quia tempus expetendæ pœnæ uidebatur uenisse, accitum ab Tarracone. L. Martium, cum tertia parte copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit. Hic habes uerbum, huiúsque procurrente sectentia. Ipsos claudendis portis indicasse Hispanos.) Reposuimus claudendo portas. In ueteri legitur, claudendos portas. Paulò pòst, cum illis sine ira prope, sic ordinauimus, cum illis prope sine ira. Et pro, euenisse tempus, scripsimus uenisse tempus. Sed sua ipsorum conscientiæ culpæ metu ad def.) 320 B. Hanc deprauatam clausulam sic restituimus: Sed suus ipsorum ex conscientia culpæ metus ad defendendam impigre urbem hortatur. Non libertas sola agebatur.) Quis unquam dixit libertas agitur, & non potius libertatis negotium agitur? Antiqua lectio: Non liberata sola alebatur. Ex mendosa scriptura synceram uenabimur. Prima syllaba uerbi alebatur, sumpta est à fine præcedentis dictionis. At lebatur nihil significat. quid ergo fuit? fuit ledebatur. Id à litera ac cedente factū est alledebatur, pro quo semidoctus scriba supposuit alebatur. Tu lege: Non libertas sola ledebatur. Postea scripsimus, haud satis decoro prælio trepidarit, pro trepidaret. Veritus ne uanis conatibus suorum hostibus cresceret animus). In exemplari Spirensi duntaxat est, ueritus ne uanis tot conatibus cresceret animus. Fortasse legendum est: Veritus ne uanis tot conatibus decresceret animus, & segnior miles fieret. Sic bene haberet sententia. Sibimet conandum ad partem periculi capessendam esse.) Emendauimus, ac partem peric. c. esse. Lælius instat. Tum uicta oppidanorum uis, deiectisque propugnatoribus occupantur muri.) Antiqua lectio. Lælius instituit. Tum uicta oppidanorum exercitui propugnatoribus occupantur muri. Mendosus locus est. Castigator quum non posset se explicare, sensum utcunque reddidit. Diu luctatus sum cum deprauato uocabulo

bulo, exercitui, priusquam germanam, ut spero, lectionem deprebenderim, quam arbitror huiusmodi fuisse: Tum uicta oppidanorum extrema ui, ab oppugnatoribus occupantur muri. Mox scripsimus, quæ inexpugnabilis uidebatur. pro qua inexp. Scalis mœnia.) Hæc duo uerba quispiam inseruit. Quasi uero non bene dictum sit, & Romanis subeuntibus, quà adire poterant. Nos summouimus. Quæ rupe præalta tegebatur.) Legendum est, quà rup. p. teg. Et infra: Primi insequentes extrahentes. Et Mox, Qui præ se irent, nō qui præirent. Itē paulò pòst legendum uidetur, prædæ memor. Non prædæ memor est. Nam id elegantius subauditur. Quod postea sequitur ex dissipata passim fuga, ac in ueteri est, & dissipata pas. fug. poteris legere e uel ex dissipata passim fuga. Terrórque deinde, ac desp.) 321. A Scripsimus. Terrorq; inde ac desperatio. Quod uero est infra. Martius inde in barbaros. & uetus liber habet: Martius dein barbaros, uide num legendum sit: Martius deinde in barbaros. Illic etiam, Munusq; gladiatorū. & gladiatorum spectaculū legitur. Seruorū delectu ac libertorū.) Antiqua lectio, seruorum de causa ab liberorū. Dij boni quæ portenta hæc sunt. Doctus aliquis qui olim Liuium castigauit, non diu seipsum torquens, pro de causa statim scripsit, delectu, & pro ab liberorum, ac libertorum. Ego suspicior scribendum, seruorum censu haud liberorum, qui (subaudi serui) uenalem sanguinem habent. Paulò pòst, pronocatiue scripsimus pronocatique haud abnuerent. Pacti inter se.) Emendauimus, pacto inter se, ut uictorem res sequeretur, ferro decreuerunt. Sic supra de Philippo Liuius: Et tum quum Eream uenisset, audito, Machanidam fama aduentus sui territum refugisse Lacedæmonem, Aegium se ad conciliū Achæorum recepit. Sic enim nos illic castigauimus, cum ante legeretur, audit. Pacto, id est, cum pepigissent, sicut illic audito, quum audisset. Hoc quum falleret eum qui locum emendauit, pro pacto, scripsit pacti. Alterius imperio subigeretur.) Reposuimus subijceretur. Et mox. quod ab tanta rabie dirimi nequirent. Et infra, in deditionē accipit. Quàm quod extra necessitates belli præc.) Mendosam mehercule ueterem lectionem, quàm quod necessitas bella (sic enim in scripto codice legitur) restituere conatus doctus aliquis, scripsit, extra necessitates belli. Suspicor legendum: Quàm quod uel cessante bello, præcipuum in Ro. gerebant odium. Paulò pòst scripsimus, pro & mercatores, aut mercatores. Et deinde pro interfecerunt, interfecerant Neque erat ulla satis firma statio opposita.) 321. B. In codice scripto, non est firma. Quod si ordines aduerbiū satis cum participio opposita, bene habebit oratio. Paulò pòst, ad idipsum emissa, legendū opinor, ad id emissa. Mox sequitur, qui primus hosti se obtulerat. Nos reposuimus, qui primum se. Infra, ut neminē cedere. In scripto uolumine est ut nem. cedere, suspicor scribendum, ut non cedere. Paulò pòst uetustus liber habet, imbellem, inermem, sine particula que. Quid autem si quis legat in fine inijcerent, pro iniecerunt, ut tota sententia cohæreat. Correpti alij flamma sunt.) Exemplar Spirense tantum habet correpti. ubi subauditur uerbum sunt, alij ambusti adflatu uaporis. Mox inseruimus duas dictiones quæ deerant, ab tergo. Quum receptus primus urgente ab tergo ingenti turba non esset. Paulò pòst, quod in ea urbe esset, dispunximus ablatiuū urbe. Et transfretum ex Africa ora, & ex.) 322. A. Antiqua lectio, & transfretum Africæ ope & ex. Tu scribe. Et transfretum Africæ ora & ex proximis Hispaniæ locis. Rati forent.) Legendum est, rati fore. Nam sequentia cohærent, nec sunt separanda, quemadmodum in uulgatis editionibus factum uidemus. Præterea non est in scripto codice: & signū ab eis petebant, sed tantū & ab eis petebāt. Quia tamen infra sequitur: Signū ab ijs petitum est, probo uulgatā lectionē. Nec est in ordinē ibant, sed ordine ibāt. Sic autem integra sententia legi debet: Forma tamen Romanorum castrorum constabat una ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis defectionisque rati fore, & iura reddere in principijs sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes ac uigilias ordine ibant. Paulò pòst. Scripsimus, C. Atrium Vmbrum. Non Vmbrium. Et mox. delatum om. cons. imperium est. Suis tergis suisque ceruicibus.) Particulam que, deleuimus. Sic enim hic dixit Liuius: Suis tergis, suis ceruicibus, ut supra: Turbam fœminarum puerorúmque imbellem, inermem. Et subtrahentes se quoque.) 322. B. Archetypum Spirense habet, & subtrantesse habet, quoque. Lego: Et subirascentes quoq;. Nam sequitur, ut credidisse potius temere quam finxisse rem talem, uideri possent: quæ clausula uelut per parenthesim interiecta legi debet. Sensus est, & subirascebantur ut temere credidisse, nō finxisse uiderentur. Non quod se subduxerint. Hic locus hactenus nō fuit intellectus. Quod uero sequitur, sua ipsi insignia, fasces intelligit & secures. s. horrebāt. Qui ab ipso Scipione sunt missi.) Castigauimus, Ab ipso Scipione missi. Et mox, exasperati animi. Nō animo. Quo scelus Iliturgitanorum extitisset.) Scripsimus Iliturgitanum extitisset. De quo supra habes. Mox. post duorum imperatorum duorumque exercituū stragem. In Spirensi libro tantum est, post duorūmque exercituū stragem. Si non est illic aliquid omissum librarij incuria, fortassis legendum, post duorū quidem exercituum stragem. Præter unum tutissimum à malis consilijs receptum.) Non semper tutus est iste à malis consilijs receptus, dum ad Ducis clementiam confugitur. Nec adeo rebellibus istis militibus tutus fuit. Nam postea sequitur, deligatos ad palum, uirgisque cæsos, & securi percussos fuisse sed tionis authores. Itaque non lego præter unum tutissimum, sed præter uulgatissimum à malis consilijs receptum. quod autem uulgatissimum est, non est propterea tutissimum. Hinc illustratur elegantia Liuiana. Quid enim elegantius dici potest, quàm committere se tandem uel iustæ iræ uel clementiæ principis aut magistratus, uulgatissimum esse à malis consilijs receptum? In Archetypo Spirensi legitur, præter eum antissimum. Mihi sane magis placet uulgatissimum, quàm uel notissimum, uel nouissimum, quæ duo tamen tolerari possent. Sed lacentiam ingentem fecit.) 323 A. Scripsimus: Sed laetitiam ingentem fecit. Et paulò post, Sub ipsam profectionem, pro sub ipsa profectione. Et mox, corpora curant, nō curent. Nam & hæc postrema clausula à superioribus pendet, quemadmodum nos distinximus. Cuius simulabatur iter.) Legendum, cui simulabatur iter, id est à quo. Deinde reposuimus, concurrunt, pro concurrerunt. In tribunal conscendit, pro ascendit. Item qualem ne in acie quidem, pro ne in aciem quidem. Fama mortis meæ non accepta solum, sed etiam expectata est.) 323. B. Antiqua lectio, spectata est. Expende num, sperata legi possit. Nam infra sequitur: Horret animus referre, quid crediderint homines, quid sperauerint. Hoc nimirum est, quod hic dicit, accepta & sperata. Ita aut tranquillum, aut procellæ in uobis sunt, & causa atque origo.) Locus hic mirè uitiatus est, etiam in exemplari scripto. Variant in hoc tantum editiones uulgatæ, quod aduerbium ita adiectum habent. Fide mihi lector hic. nun te decipiam, lege sic & distingue: Sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est, ut uenti & auræ cient, aut tranquilli aut procellosi. Et causa in uobis atque origo omnis furoris penes authores est. Porro genitiua tranquilli & procellosi, referuntur ad maris, quod præcedit. Paulò post scripsimus, sub quibus militastis, pro militatis. Cuius imperium ablatum.) Reposuimus, quum imperium ablatum. Non sequitur, quum eo ipso non contenti. In foro Romano.) Scripsimus in foro Romæ. Et mox, Atrium Vmbrum. Nec est in scripto codice, sed illi tamen. Verum, sed illi primum Atrium Vmbrum. Et mox, nec Samnitibus. Subintelligitur, cum, præcedens. quare nos exemimus. At mox inseruimus particulam &, & consilia communicastis, & arma consociastis fuistis. Tuscis ueteribus cultoribus.) In uolumine ueteri tantum est, Tuscis ueteribus. Inter prælegendum uocabulum cultoribus aliquis superaddidit. Nec est illic, Sic tum Rhegium. Sed duntaxat, sic Rhegium. Maioris certe omnes pretij.) 324. A. Hic Scipio blanditur militibus, timens eos scilicet. Locus mendo non caret. Archetypum habet minoris certe omnes pretij. Porrò nihil dubito legendum hic esse, Albius & Atrius, non Vmbrius, quemadmodum ante dixit: In prætorio tetenderunt, Albius & Atrius: Sunt enim propria nomina Albius & Atrius quæ coniunguntur Calenus & Vmber, cognomina. Ne istud Iuppiter Optimus Maximus sinat.) Germanam Liuij lectionem Archetypum Spirense continet: Ne istud Iuppiter Op. M. sierit. Quam & nos in contextu restituimus, cum ob singularē elegantiā, tum ob uetustatē. Nam si quippiam

in tota oratione Scipionis uerborum est, quibus ipse fuerit usus. fortaßis hæc clausula est quam usurpauit alicunde Scipio: Liuius ex annalibus aut aliquo uetusto scriptore retulit. Porrò dictio est istuc pro istud, & fieru pro fuerit à fino. Crassus aliquis id non intelligẽs, uertit in sinat. Flaminio, Paulo Aemylio, Graccho.) Aemylio nõ est in ueteri codice, quare & nos dispunximus. Simplicia nomina sunt. Flaminio, Paulo Graccho. Mox scripsimus, tot tam claris imperatoribus pro præclaris. Meo unius funere elata Resp. esset?) Reposuimus ad fidẽ exemplaris scripti. Meo unius funere elata populi Romani esset Respublica? Tametsi illic mendose elati pro elata legitur. Quid optauerint.) Hæc clausula non est in libro uetusto. Paulò pòst: Atrocémque uobis uisam orationem meam, delenimus meam, nam statim sequitur: dicta mea. Mox, & me quæ fecistis, scripsimus, & me ea quæ fecistis. Item deinde, Et Atrius Vmber, non Vmbrius. Cum ex præparato simul omnium terror oculis.) Mutilus locus hic erat Nos reposuimus, simul omnium rerum terror, oculis auribúsque est offusus. Neque enim significare uult Liuius omnium militum rebellium oculis terrorem offusum, sed simul omnium, rerum terrorem obiectum, puta crepitum gladiorum, nocẽ præconis citantis damnatos, sontium nudata corpora, ac apparatum omnem supplicij simul expromptum, quemadmodum ipse mox exponit. Gades sine certamine per deditionem recipiendi.) 324. B. Archetypon habet, per ditionem. Nos, reposuimus proditione recipiendi. Id est, per proditionem. Sequitur enim: Sed patefacta immatura proditio est. Et supra sic loquitur Liuius: Per eos ipsos dies, inquit, perfugæ à Gadibus uenerunt pollicentes, urbem Punicúmque præsidium quod in ea esset, & imperatorem præsidij cum classe prodituros esse. Spem ad irritum redactam.) Antiqua lectio, spem inuum redacta. Lego, spe in irritum redacta. Contractisque etiam quæ ante habuerant auxilijs.) 325. A. Quid opus fuit hic adijcere particulam etiam? Nos erasimus. Scipio cum fide soluendis pariter omnibus noxijs, innoxiisque stipendijs, uultu ac sermone.) Hunc locum deprauatum ac mutilum sic restituimus: Scipio cum fide soluendi pariter omnibus noxiis innoxiisque stipendij, tum uultu ac sermone in omnes placato. Et quæ sequuntur. Scipionum nomini auspicijsque.) Exemplar scriptum habet, nomini, auspicijs sine que. Et sic loqui solitum Liuium alibi indicauimus. Quod ad expeditionem attineat.) Scripsimus: Quod ad expeditionem eam attineat. Ad irritandam ferocitatem barbarorum.) 325. B. Reposuimus feritatem. Quod uero paulò pòst sequitur, deinde emißis leuibus telis, in scripto uolumine est tantum, deinde mißis telis. Itaque ne pulsi uiderentur.) Imò pulsi iam propemodum erant. Sic ineptit Liuius? Tu scribe, itaque ne perculsi uiderentur. Et paulò pòst, obliquo constituerunt colle, obliquo constituerunt colle. Equitem nec posse circundare cornib. in tam a. s. & h. q. cum pedite eduxisset.) Hic locus mutilus sic est restituendus: Equitem, nec se posse circundare cornibus in tam angusto spatio, & hosti quem cum pedite eduxisset, inutilem. Præter reliquam prædam.) Scripsimus, præter ceteram prædam. Nihil tutius in afflictis rebus.) 326. A. Legendum: nihil tutius afflictis rebus. ut afflictis rebus datiui sint casus. Quod si quis ablatiuos esse contenderit, subintelligetur in præpositio. Mox scripsimus.) Sed castra Romana, dictione quoque deleta. Aut seruati bis uni debitam uitam.) Archetypum Spirense habet, aut seruatibus uni deuitam pro eo in p. deuoueant. Lego: Aut seruati bis uni debitum pro eo in p. Vt referatur ad spiritum. Erit enim nunc sententia planior, Vt aut, si ita uideatur, reddant spiritum Proconsuli Scipioni, ab eodẽ illo acceptum: aut seruati, bis uni debitum, pro eo in perpetuum deuoueat, subaudi spiritum. Castigator olim hic se torsit. Nam quum non quadraret debitam fœminini generis, addidit uocabulum uitam. Bi erat alioqui debitam scriptum, u pro b posito, deuitam. Spem positam habere.) Emendauimus, spem repositam habere. Mox uerò: Cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungerentur amicitia. placet antiqua lectio, quæ habet, iungeretur amicitia. Et obsides accepti, armaq; adempta & præsidia.) Tres particulas connectẽtes hic summouimus, quibus non est usus Liuius, ut indicat uolumen scriptum. Illos quidem merito perijsse ipsorum maleficio.) Fortaßis etiam legi posset, illos quidem merito perituros suisse ipsorum maleficio. Paulò pòst reposuimus, se libera arma relinquere, pro, se libere arm. relinq. Atque eiusdem dexta fidem sancire.) Scripsimus, atque eius dextra f. sancire. Et paulò post: Ad hoc equitem, Item ad depopulandos prox. Hisp. agros. Substitueràtque animo.) Antiqua lectio. substituerat atque animo. Tu scribe: Præstiterat atque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam. Velut renouatus flos iuuentæ faciebat.) 326. B. Archetypum scriptum habet: Velut renouatus iuuentæ faciebat. Conijcio scribendum, uel renouata iuuenta faciebat. Non sine causa erectam ante urbem stationem.) Castigauimus, electam. Hanc lectionem scripti codicis confirmant ea quæ mox præcedunt. Ad duo millia armatorum inuenta.) Narrat Liuius classem fugisse. & unde nobis isti bis mille armati qui postero die sunt inuenti? Codex scriptus habet, armorum. Haud procul à Gadibus.) Scripsimus: Haud procul Gadibus. Et paulò pòst, purgantibus ijs ablatiuum ijs delenimus, qui subintelligitur, aut similis, puta Gaditanis. Vbi notandum est infestæ genitiui casus esse, & referri ad præcedentem genitiuum multitudinis. Duæ sunt Baleares insulæ.) 327. A. Vocabulum insulæ dispunximus, nam mox antecedit: Pœnus in Baleares insulas. Paulò pòst scripsimus censebat. pro credebat. Spondebántque animi.) Legendum est despondebant animus, quemadmodum castigauimus. Semidoctus aliquis qui legerat, despondere animum, pro abijcere, mutauit hic despondebant, in spondebant. Despondebant animus, hoc est, constituebant, destinabant. Hoc uerbo in hac significantia Cicero quoque utitur, quam alibi uelut exponit, quum inquit, cui me præripere desponsam iam & destinatam laudem ualde est iniquum. Vt consulatum inierant.) 327. B. Nos ut particulam erasimus. Sic enim constat lectio. P. Cornelius Scipio, & P. Licinius Crassus consulatum inierunt. Nominatæ consulibus prouinciæ sunt. Delenimus & infra, que, coniunctionem. Susceptúmque quartumdecimum annum iam p. gerit. Velut ad colligendas reliquias naufragij nostri misistis. Archetypon Spirense habet, uelut ad conciliandas reliquias naufragij nostri. Lego, ad concinnandas reliquias naufragij nostri. Quod uocabulum hic mire quadrat. Vtitur enim metaphora nauis fractæ, cuius partes concinnantur dum nauis instauratur. Est autem concinnare, apte componere. Ceterum an non reliquias Saguntinorum naufragij concinnarunt Romani, dum illis oppidum restituerunt, hoc est, repararunt? Vulgata lectio satis ad sensum facit, si quis ad dispersos ciues, opera Romanorum postea conquisitos respiciat. Verum quando me uestigia scripturæ ueteris huc duxerunt, non studium nouitatis, ut putarem aliter legendum, uolui id lectorem latere. Vt optabilem eam.) Pronomen eam, dispunximus. Perdit enim sententiam. Et infra scripsimus, uidemus, prouidemus. Mox, rursum particula que delata, spem, opem, salutem nostram. Neque enim, ut sæpe diximus, coniunctionum amans est Liuius, quum illis nihil opus est. In Hispania atque in Italia gestis.) Quid fuit opus alteram, in addere? Nos expunximus. Quà terrarum ultimus finit Oceanus.) Hic se exercuit sciolus aliquis. Liuius scripsit, quemadmodum attestatur archetypon Spirense: Quà terrarum ultimus finis Oceanus, Subauditur est. Quid enim clarius Liuij sensu, si ita legas: Vt Hispaniam non libero amne tenus, sed quà terrarum ultimus finis Oceanus, domitam armis haberetis. O castigatorem. Neque aliter id fieri posse.) 328. A. Restituimus. Neque id aliter finiri posse. Et mox exercitum transportasset, pro transportaret. Ibidem primoribus patrũ conscriptorum. In exẽplari scripto tantum est. primoribus patrum. Alteram dictionem aliquis adiecit. Non senatorem modò.) Dictionem modo quispiam hic insulsit, putans ista uerba, non senatorem referri ad id quod mox præcedit, senatum ludibrio habet. quum respiciant uerbum superius peccare. Consulem peccare arbitror, non senatorem, qui de quo consulitur s. l. dicit sententiam. Duarum rerum subeundam opinationem esse.) Liuius scripsit opinationem. pro hoc elegantißimo uerbo doctulus aliquis supposuit, opinionem. Sic adulterantur optimorum authorum scripta. Infra, etas saltem liberet, scripsimus. liberat. Item, aut ad populum audiuit. Egregiam istam palmam

bella

belli Punici peracti petis?. 328. B. Scripsimus, patrati. Nam sic in uetusto codice legitur. Et habuimus pauloante, Penes C. Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit. Si alterutra uictoria nobis consulibus relinquenda est.) Reposuimus, nouis consulibus. Siquidem scriba uidetur b pro u posuisse. quod identidem facit. Intellige nouos consules, consules alterius anni, siue insequentium annorum. Periculi tandem quantum adeatur, quem fallit? Archetypum nostrum habet, quid periculi tandem.

Et uictor Annibal ire ad urbem pergat.) In scripto uolumine tantum est, uictor Annibal. Vt sit, Quid? si uictor Annibal. Dies me deficiet.) scripsimus deficiat, modo potentiali, hoc est, deficere posset. Et paulò pòst, at nobili, pro atque nobili. Quod procul externus melius est.) 329. A. Reposuimus, quis procul. Item: Et exercitum alienigenã. Et populi Rom. imperio euenere.) Pro his uerbis substituimus, ac reipublicæ in imperio euenere. Aduersa casibus incertis belli & fortunæ legare.) Volumẽ antiquum habet relegare. Quid si legas: Aduersa casibus incertis belli, subaudi assignare, & ad fortunam relegare. Paulò pòst, 329. B. pro istic, scripsimus hic An hic tuo collegæq; exercitu coniuncto. Vbi genitiuũ tui, post, collegæq;, sustulimus. Iterum postea, pro, Quod cõsilium est? scripsimus: Quod istuc con. est Item, ac graui militia fessum. Relinquere Italiam paras.) Vetus lectio. Tu cum Annibal in Italia sit, aliò paras. Suspicor scribendum: Tu cum Annibal in Italia sit, aliò properas. Hoc uideretur mihi simplicius, quàm legere, aliò ire paras. Paulò pòst, duæ literæ P. C. non sunt in codice Spirensi. Ego P. Cornelium respub. Haud satis purgata est) Reposuimus, haud sane purgata est. Et mox, tanquam mihi ab infimo quoq; periculum sit. Scripsimus, quoque. Nam est à quisque ablatiuus. Illud nec tibi in me, nec mihi in minoribus natu animi sit.) In Archetypo scripto non est pronomen illud. Et tamen est, animi sit. Nam nihil ambigo, scribendum, in minores, non in minoribus. quemadmodum etiam in editione Coloniensi legitur. Nec est mox, inuiderimus, sed inuidebimus in libro scripto, & in fine est, non sit.

Si Africam traijcere uelim.) Scripsimus, si in Africam traijcerem, Qui ne ego minus in Africam.) 330. A. Emendauimus, qui ego minus in A. ut sit qui pro quomodo. Quot defecerunt post Cannensem pugnam) Volumen scriptum non habet, quot. Elegantior erit oratio si omittatur, quod citra incommodum sensus fieri potest, hoc modo: Non sperauerat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad se deficerent. Defecerunt post Cannensem pug. Habet autem maiorem uehementiam.

Carthaginensi nihil cauſis roboris est.) 330. B. Lego, Carthagine, hoc est, apud Carthaginem. Quorum ego fidei ita innitar, ut bene tutus à perfidia sim.) Archetypum scriptum habet, ut bene tutus perfidia sim. Hic semidoctus omnia bene habere putaret. Mihi locus est multum de mendo suspectus. Nam quando uerbum innitar, futuri temporis est, Liuius non dixisset, ut bene tutus à perfidia sim, sed ut bene tutus à perfidia futurus sim. Quòd si scriptum esset: Quorum ego fidei ita innitor, ut bene tutus à perfidia sim, nullus esset mihi scrupulus. Proinde quãdo à præpositio non est in codice uetusto (quæ res nobis ansam cogitandi dedit) non dubito quin ita, fuerit scriptum à Liuio: Quorum ego fidei ita innitor, ut uerituruts perfidiam sim. Quæ sententia cum est arguta, tum mire conueniens huic loco. Refellit enim Scipio quod à Q. Fabio dictum est supra, An Syphaci, Numidisq;, credis? Satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix. Et fraus fidẽ in paruis sibi præstruit. & quæ illic sequuntur, Quasi dicat Scipio: Nõ sum adeo stupidus, ut ita regibus Afris credam, quasi fallere me aut nolint, si queãt, aut nequeant, si uelint. Vnde paulò ante dixit, Afros Numidasq; leuissima fidei mutandæ ingenia, hoc est, ad fidem mutandã. Hic appello doctos qui latine callent, quos astipulaturos mihi nihil dubito. De sciolis non sum magnopere sollicitus. in castigationibus Plinianis expertus ante sum, quàm sint hebetes in iudicando, & plane quod Græci dicunt, ὄνοι πρὸς λύραν. Non uenit.) Reposuimus, Non ueniat. Nondũ enim sortiti erãt. Et dissuadet, ne ueniat in sortem tam longinquæ prouinciæ, hoc est, Africæ, eo quòd sit Pontifex Maximus, cui sacrorum causa semper in Italia manendum erat. Paulò pòst scripsimus, nec hoc credi, pro non hoc credi. Item toties Africam nostris exercitibus & class. oppugnatam, à præpositione expuncta. Præterea certatur, pro certetur. Requiescat aliquando tandem uexata Italia, uratur, euasteturque.) Lectionem scripti codicis secuti sumus: Requiescat aliquãdo uexata diu Italia, uratur populetur q;. Pro ultimo uerbo quidam inseruerat, euasteturque. quod putaret, populari passiue nõ dici. Dicimus actiue populo, cuius passiuum est populor. Dicimus & populor deponentaliter. Et X. pondo argẽti facti.) 331. A. Lectio uetus: Et simulacbra spoliorum ex mille pondo argenti facta. Neque magnopere tetendisset.) Videtur usurpasse tetendisset. pro contendisset Sic Maro:

Ille simul manibus tendit dissoluere nodos.

Paulò pòst, Liutea ad uela. Scripsimus, in uela mox illic est Millium quadraginta summam, non quinquaginta. Item tritici centum uiginti mil. mod. sine &. Præterea abietem in fabricandas naues, non abietes. Vmbriæ populi, & præter hos Nursini.) Antiqua lectio, Vmbriæ populi, Nursinique. Qui hunc locum mutauit, exposuit, que coniunctionem pro id est. Et mutationem locũ putans quòd Nursini & Reatini non sint in Vmbria, sed in Sabinis, adiecit ipse dictiones istas, & præter hos. O errorem dignum qui magna cura fuerit uindicatus. Nos ueterem lectionem reduximus. Infra scripsimus, quàm ex syluis materia detracta erat, pro esset. Vbicunque ex S. C. liceret habitare, ibi habitarent.) 331. B. Ex fide uetusti uoluminis emendauimus: ubicunque ex S. C. liceret, habitarent. duobus uerbis habitare, & ibi, sublatis. Quod uerò mox præcedit: Et Cn. Seruilio prætori urbis, in ueteri codice est. P R. urbs. (debebat esse V R B.) mallem prætor urbanus, quàm prætor urbis. Non hic solum, sed & alijs apud Liuium locis. In stationem ad præsidium relictis.) Scripsimus, In statione, Et mox, eò traiecturum esse, expunximus aduerbium eò. Reposuimus etiam, montanos instituit oppugnare, quod instituit corrupte legitur in uulgatis editionibus. Sic de Marcello Liuius libro septimo: Vestigijs instituit sequi. Ea literis cognita Sp. Lucretij.) Verbum huius periodi non est accenderunt ceu uulgo legitur, sed accendit, in uolumine scripto. Quare non ambigo scripsisse Liuium: Ea res literis cognita Sp. Lucretij, ne frustra Asdrubale cum exercitu deleto biennio ante forent lætati, si par aliud inde bellum duce tantum mutato oriretur, curam ingentem accendit patribus. Captiuos Carthaginenses portantes, tradit.) Hic participium captas defuit, quod nos inseruimus, portantes, captas tradit. Supra morbum etiam fames affluxit.) Castigauimus: Super morbum, id est, præter morbum. Sic Suetonius in Othone Instigante super animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni. Idem in Domitiano: Super ingenij naturam, inopia rapax.

IN LIBRVM NONVM TERTIAE DECADIS ANNOTATIONES PER

BEATVM RHENANVM.

FLORENTES aetate & uirilĩ robore inermes circa se habebat.) 332. A. Quia sequitur, ignorãtes quem ad usum neq; centuriati, neq; armati seruarẽtur: ausus est quispiã pro insignes, inermes supponere. Fuit in causa quòd uerba perperam distinxisset, nimirum sic: Florentes aetate & uirium robore, insignes circa se habebat. Nos uerò sic legimus & distinguimus: Florentes aetate, & uirium robore insignes circa se habebat, astipulante codice ueteri. Paulò pòst scripsimus, arma equósque ostenderunt, & particula dispuncta. Malle eos sibi tunc fateri.) 332. B. Reposuimus, malle eos sibi iam tunc fateri Et mox, utrum uellet, pro uelit. Conciente Ilergetes indibili.) Vetus lectio, conciente Ilergete indibili, subauditur bellum, quod praecedit. Item Romani haberent, pro Romani habebant. Quod sequitur: Et inconditam inde turbam tyronum esse, submouimus dictionem inde. Et distinximus, nec in uicem his, aut illis. Ne gliscceret primo negligendo bellum.) Vide quantulum erratulum hic totum sensum perturbet. Legendum est: ne gliscceret, prima negligendo, bellum. Iuxta illud Nasonis, principijs obsta. Cornu dextrum Ilergetes.) 333. A. Emendauimus, cornua. Sic ordina, cornua tenebant, dextrum Ilergetes, laeuum ignobiles Hispani populi. Equites per patentes in hostium aciem uias permittere equos iubeat.) Accusatiuus aciem lectori nebulam offundit. Docet uetustus codex esse scribendum acie, auferendi casu. Pro permittere uerò scribo immittere. Nam sequitur: Simul equitibus Hispanorum uiam immittendi equos clauserunt. Sic sententia clara euadet, quae fuit obscurissima. Locata prona erat.) Quid opus fuit hic addere uocabulum prona, quod non est in uolumine scripto, quum praecedat, cedenti d. legioni. Si enim cedebat, indigebat firmamento. Sic mox insulsisse uidetur quispiam has dictiones, ex subsidijs. Neque enim sunt in archetypo nostro. Porrò, quia sequitur: Ac subsidia quibus res postulabat locis inducentem, praelector aliquis inter exponendum legionem ducit, adiecit ex subsidijs. eam glossulam alius in contextum retulit. Ibidem scripsimus, uenit indicat. Non, uenit, indicatque. Vbi in ueteri libro mox legitur, Cornelium Seruium. Itaque omissa pugna equestri ad pedestrem Hispani descenderunt.) Antiquum uolumen: Itaque commissa pugna equestri ad pedes Hispaniae rescenderunt. Restitue sic germanam lectionem: Itaque omissa pugna equestri ad pedes Hispani equites descenderunt. Non discrepat sensus uulgatarum editionum, nisi quòd alia uerba supposita sunt. Cum equitibus ad pedes digressis.) Castigauimus, degressis. Degrediendi uerbo Liuius in hoc libro nono rursum utitur, haud procul à calce. Cum quingentis, inquit, haud amplius peditibus, ducentísque equitibus degressum iugis Masanissam persecutus. Caeterum ad pedes rursum hic est, sicut paulo antè: Ad pedes Hispani equites descenderunt, quemadmodum nos legendum monuimus. Verso marte.) Quis hic quicquam scrupuli habeat? Nemo est qui non putet hoc optime dictum. At deprauata scriptura archetypi Spirensis, in quo legitur, uersos arte, ad eruendam germanam lectionem, ansam mihi praebuit. Scribo, uersa sorte. Et arbitror primum fuisse scriptum, uersas orte: deinde quum uocabulum orte nihil uideretur significare, per transpositionem uocalium literarum a & o, uersos arte. Elegans & aperta sententia erit: Tantum fortunam mutasse, ut qui modo ipsi exercitum ante moenia Romana habuissent, &c. ij uersa sorte, Africae populationes, & obsidionem Carthaginis usuri forent. Pro tot caesis exercitibus sobolescentem.) 333. B. Mihi non displicet hic lectio uoluminis scripti, subolescentem. ob propriam ac notam uim praepositionis sub. Iam regem Syphacem.) Emendauimus ad fidem archetypi scripti, Iam reges, Syphacem post colloquium cum Scipione alienatum, Masanissam aperta defectione infestissimum hostem, &, particula ante accusatiuum Masanissam expuncta. Similem hominem paulo superius habuimus, Cornua dextrum Ilergetes, laeuum ignobiles tenebant Hispani populi. Vbi quidam cornu scripserat, sicut hic regem pro reges.

Octingenti equites, & septem elephanti.) 334. A. Lege, absque &, connectente particula. Continenter. sequitur Ad haec mag. pe. Vbi sciendum est, quotiescunque in uulgatis editionibus, ad haec legitur, in ueteri codice esse, Ad hoc sicut & urbem Romanam fere semper, ubi uulgo scriptum est, urbem Romã. Quod & hic mox sequitur. Ad Laelium praedas ingentes ex ag.) Nos hic aliam induximus lectionem praesidio freti uoluminis uetusti, hanc uidelicet: Haec Carthagine parabant agitabántque, quum ad Laelium praedas ingentes ex agro inermi ac nudo praes. agentem Masanissa f. r. c. e. c. e. p. uenit. Inter Albigannos, Liguresque Alpinos Genuã accesserunt.) Exemplar scriptum: Inter Albigannos Ligures Genuámque accesserunt. Vt intelligas intermedio loco inter Albigannos qui Liguriae populi sunt, & urbem Genuam accessisse. Et sequitur in ijs locis. Principio ab Numidis facto, & Brutijs non societate magis punica.) 334. B. Lectio uetus. principio Numidis non societate magis Punica. Caeterum principio hic aduerbialiter accipitur. nam sequitur, postremo. Quod non intellexis, qui facto participium cum praepositione ab insulsit. & quia in Brutijs res latrocinijs geri narrãtur, praeterea adiecit, & Brutijs. De hoc multum miror, cur pro ablatiuo promptis, ipse supposuerit congruentibus. Nos totam sententiam sic distinximus, & castigauimus, pro, Quod latrocinijs scribentes, Quia latrocinijs, hoc modo: Quia latrocinijs magis quàm iusto bello in Brutijs gerebantur res, principio Numidis non societate magis Punica, quàm suopte ingenio promptis in eum morẽ, postremo Romani quoque milites, Et quae sequuntur. Qui pulsi ab aduersa factione, quae Annibali Locros tradiderat. Rhegyum se contulerant.) Hic rursum alia uerba quispiam inseruit, quam scripserit Liuius: Qui exulabant Rhegyi pulsi ab aduersa factione, quae Annibali Locros tradiderat. Scalas ad dictam altitudinem arcis fabricatas) Exemplar uetustum, ad editã altitudinem.

Postremo certiores, alijs excitantibus alios, iam pro se quisque ad arma uocabat.) Sic castigauimus & ordinauimus. Postremo certior res, alijs excitantibus alios. Iámque ad arma pro se quisque uocabat. Sed prope libenti uideri possent.) 335. A. Verbum uideri additum est praeter authoritatem archetypi scripti.

Nam auaritiae ne sacrorum q.) Scripsimus. Iam auaritia ne sa. q. ut sit initium nouae sententiae. Item pro quam asportabant, extulerant, quam asportauerant, extulerunt. Furorem iniecit.) Reposuimus, furorem obiecit, iuxta ueterem scripturam. Paulò pòst legi potest, quam ipse ab Rhegyo abduxerat. Sic enim est in codice scripto. Primo iurgium, deinde clamor quoque.) 335. B. Hic aliquis se exercuit praeter causam, quum Liuius indubie scripserit, quemadmodum est in codice uetere, & uos in contextu restituimus, iurgium inde, & clamor, pugna postremo orta.

Militúmque implorabant auxilium.) Emendauimus, militúmque fidem implorabant. Quod uerò continenter sequitur, repente frequentes milites feroces, uocabulum frequentes non est in archetypo Spirensi, nec solet ita duo adiectiua cum uno substantiuo connectere Liuius. Ibidem mox sustulimus aduerbium quum. Legendum enim est, suffragante exemplari scripto: Velut aduersus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt. Scipio post paucos dies Locros aduectus.) Vetus lectio: Scipio post paucos dies Locros hexeri aduectus. Et qui antea per libidinem.) Scripsimus: Et quae antea per libidinem atque au-

Nec

Nec sisti potuisse.) Legendum est, ne: subsisti potuisse. Item paulò post: Exercitum Q. Cæcilij, que particula disjuncta.

Simater Idea Pesimunte numen Romam aduectum foret.) Quia non statim apparebat quid scripsisset Liuius ob deprauatam scripturam, ista uerba quidam in contextum inscripsit. At nos ex uestigijs ueteris sententiæ, germanam Liuij lectionem exsculpsimus, nempe hanc: Si mater Idea à Pesimunte Romam aduecta esset. Itaque quo maturius fatis omnibus oraculisque portendentis sese uictoriæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam deæ esset. Nullas dum in Asia socias ciuitates habebat populus Romanus.) 336. A. Hic rursum locus abunde doceat, quantum eruditi uiri, prout tunc erat seculum, Franciscus Petrarcha, Victorinus Feltrensis & alij, quum in Liuij scriptis uersarentur, quoties nodosior locus aliquis occurrisset, sibi licere putabant, ut sensum modo restituerent, non ut curarent de uerbis. Sane doctus fuit, quod negari non potest, qui hunc locum instaurauit. Arbitror Laurentium Vallā fuisse, quem Thaddeus Vgoletus emendando Liuio operam impendisse scribit. Sed ut melior, sic & laboriosior est castigatio, qua nō solum sensus, sed & ipsa authoris uerba restituuntur. Effecimus hic aliquid diligenter cōsiderando locum, & uestigia ueteris scripturæ expendendo. Ea sic habet: Itaque quo maturius factis omnibus oraculisq; portendæ Romam dee esset nullas dum in Asia socias ciuitates habebat populum Romanum. Tu pro factis omnibus, scribe faustis omnibus. & pro portendæ Romam de e esset, portādæ Romā deæ esset, habebisque germanum Liuij sensum germanis redditum uerbis. Itaq; quo maturius faustis omnibus oraculisque portandæ Romam deæ esset, nullas dum in Asia socias ciuitates habebat populus Romanus. Dixit autem Liuius nullas dum, pro nullas ad eum diem. Porro nunc uides quantum peccarint, qui non modo tantam uerborum congeriem de suo adiecerunt: sed & pro quo, quoniam, & pro factis, quod faustis esse debebat, ausi sunt scribere fatis. Et postremo, nullas dum mutare in nullas tum, ut esset alterius sententiæ principium. Præmissus ab legatis M. Valerius.) Legendum est: Remissus ab legatis M. Val. Nam sequitur infra, M. Valerius unus ex legatis regressus. sic enim ibi scribendum est, non prægressus, quemadmodum uulgatæ editiones habent. Romano, cui uni fidebant, auxilio.) 336. B. Nos sic scripsimus, desertos ab Romanis, cui uni fidebant auxilio. Parthenósque.) Et hic & infra reposuimus Parthinos. Sic enim Plinius appellat, & Strabo. Cæterum Parthinos inter Liburniæ populos Plinius recenset. Item scripsimus, Dimallúmque oppugnari. Cum Romanis quoque.) Et, particulam adiecimus, Et cum Romanis quoque. Pro si minus, substituimus sin minus. Item, Neque enim ipsius, ne, particulam negatiuam inseruimus: Neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus. Mox Derda legitur in exemplari scripto, non Darda. Hæc conscripta modo consignatáque. Miror quisnam dictionem modo hic infulserit. Non enim est in codice scripto. Quia auerso in Africam bello.) Legendum est, quia uerso in Africam bello. Paulò post adiecimus literam prænominis. P. Sempronius pace facta. Quod uero sequitur, decessit subaudi, ex Macedonia.

P. Scipioni proconsuli.) Exemplar uetus, Proconsuli Scipioni eum eo ex. Video scribendum tantum. P. Scipioni, non, P. Scipioni proconsuli. Nam librarius ubicunq; P. literam reperit, scripsit proconsulem, id quod alibi etiam indicauimus. Nec est mox, cúmque ea classe, sed tantum, cum ea classe. Et rursum, ut Brutios duabus legionibus obtineret. De Hispaniæ imperio, quod in eam prouinciam.) 337. A. Scripsimus, quos in eam prouinciam duos procons. mitti placeret. Et facem stellæ septies ab ortu Solis.) Legendum, Et facem Setiæ ab ortu Solis in occidentem porrigi uisam. Est autem Setia Volsorum oppidum. quod hic additum est, sicut mox Tarracinæ, Anagniæ, & Lanuuij. Porro cum Setiæ uocabulum putaretur mendum esse, pro illo supposuit alius stellæ, alius, septies aduerbium. M. Valerius unus ex legatis prægressus.) Ante docuimus hic legēdum: Regressus, quum moneremus scribendum, remissus pro præmissus. Veram certe uictoriam eius rei sibi quisque mallet, quàm ulla imperia.) Hæc oratio tametsi integra, ualde mihi tamen est de mendo suspecta, Nam germanam Liuij lectionem non uidetur mihi restituisse, quisquis deprauatum in scripto codice locum castigare est conatus. Legitur illic: Veram certe uictoriam eius rei sibi quisquam ulla imperia. Nec est ibi uerbum mallet, quod certe eruditus aliquis infulsit, subuenire uolens corruptæ & mutilæ sententiæ, Ego diligentius inspectis uitiatæ scripturæ uestigijs, non dubito quin sic scripserit Liuius, Veram certe uictoriam eius rei cupias, quam ulla imperia, honorésue suffragio seu patrum, seu plebis delatos. Subauditur autem in uerbo cupias aduerbium potius uel magis. Qui loquendi modus oppido quàm elegans à Græcis sumptus est, apud quos huiusmodi eclipticas orationes frequentius reperias. Qualis est illa ἤλω τύχης σταλαγμὸς, ἢ φρενῶν πίθος. Patres conscripti P. Scipionem.) Non sunt in libro scripto duæ istæ dictiones, aut duæ saltem literæ earum loco P. C. Sicut traditum à proximis memoriæ temporum illorum scriptoribus.) Archetypum Spirense, sicut proditum memoriæ à proximis tēporum illorum scriptoribus, libens posteris tradiderim, ita meas opiniones cōiectando rem uetustate obrutam, nō interponam. Neque suum delectum.) 337. B. Lego, delictum. Nam præcedit: Nihil se quare perire merito deberent admisisse. Sed si pereundū etiam foret. Quia uero hic de delectu agitur, facilis lapsus fuit. Tam atroces atque indignas iniurias.) 338. A. Duæ istæ uoces, atque indignas non sunt in exemplari scripto. Paulò post, quiq; omniū nob. nec illic est quique. Fortasse sic legendum, qui Locros recepit, omnium nobis recte perperámque factorum testis, subauditur existens, agatur. Posset etiam legi, ut corā P. Scipione o. n. r. p. factorum teste. Multa fœda & indigna à præfecto præsidij Amilcare.) Castigauimus: Multa fœda, indigna, & à præfecto præsidij Amil. & ab Numidis Afrisque passos esse. In discrimine est nunc humanum genus.) Deerat dictio omne, humanum omne genus. Paulò pòst scripsimus cum maxime, pro quàm maxime. Nam hoc aduerbio sæpe Liuius utitur, ceu alibi quoque monuimus. Ad recipiendos à Carthaginiensibus Locros.) Antiqua lectio, ad recuperandos à Carthagin. Locros. Eam & nos secuti sumus. Paulò pòst, præter habitum uestitúmque, & sonum Latinæ ling. quia uocabulum uestitúmque non est in ueteri codice, & nos submouimus. Submouimus & que particulam, quam accusatiuo libidinem quispiam adnexuerat. Constuprant matronas, fiunt in uirgines ingenuas raptus ex complexu parentum pueróque.) 338. B. Hic mire quispiam fuit occupatus in mutandis Liuij uerbis. Nos ueterem, & proinde synceram lectionem ex ueteri uolumine restituimus, in hunc modum. Constuprant matronas, uirgines, ingenuos raptos ex complexu parentum, quotidie capitur urbs nostra. Porrò qui mutauit, uidetur legisse raptus pro raptos. Hinc retexenda fuit illi tota oratio. Miretur qui sciat.) Antiqua lectio. Miretur qui nesciat. Nec quicquam incōmodi habet sermo. Libidinis ac auaritiæ superesse, quod in eorum ullo qui pati potuerint.) Scripsimus, libidinis, auaritiæ superesse, quod in ullo qui pati potuerit. Et mox, extitiabilis tyrannus, pro exitialis. Et rursum, cum maxime, pro quammaxime. Item, & coniuges edidit, pro coniugesq; edidit. Vbi statim sequitur in scripto codice: & soluere rempublicā uestram religione, non exoluere. Qua tandem clade edoctus tandē deos esse superbissimus agnouit rex, pecuniámq; omnem conquisitam.) Infeliciter instauratus locus est. Archetypum Spirense sic habet: Qua tanta clade edoctus, tandem deos esse superbissimus rex, pecuniam omnem inquisitam in thesauros Proserpinæ referri iussit. Nec erat opus hic conquisitā scribere, propterea quòd infra legatur: Pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, conquiri. Sane nimis multa passim sunt in Liuio mutata, dum ex præcedentibus sequentia, aut ex sequentibus uicissim præcedentia castigantur. Quasi uerò idem semper eodem modo sit dicēdum. Dein uerberibus affectos, seruilibusq; omnibus supplicijs trucidatos cruciando occidit.) 339. A. Iuxta fidem manu scripti codicis reposuimus. Dein uerberatos, seruilibúsque omnibus supplicijs cruciando occidit. Ego tamen malim, seruilibus omnibus supplicijs sine que. Nisi quis uelit legere cruciatos. De absente, indicta causa.) Inseruimus duobus locis particulam, ut. Vt de absente, ut indicta causa. Paulò pòst, pro post paucos dies scripsimus, intra paucos dies.

Item è templo, pro ex templo. Q. Fabius natum eum) Accusatiuum eum deleuimus. Et mox reposuimus per seditionem militum, pro, seditione militum. Item, sententiam deinde æque trucem. Sustulimus æque. Quod sequitur: Quæ Locrenses quererentur, & in scripto codice est, fererent, cogitandum an scribendum sit, afferrent. Mox pro decessisset, supposuimus decesserit. nam archetypon habet decessit, mendose. Et deleuimus pronomen eas, Eas neque senatum. Et sacrũ piaculare fieri, ita.) 339. B. Has quinque uoces hic temere insertas quod infra sequatur: Ac piaculare sacrum fecerunt, nos dispunximus. Est enim etiam sine istis incolumis sentẽtia. Scripsimúsque. aperti, uiolati essent, pro, uiolatiq; essent. Et aduersus Scipionem.) Hæ tres dictiones præter authoritatem scripti codicis sunt insultæ. Nam quanto magis principum orationibus lacerabatur Scipio, tanto magis aliorum studia sunt in illum accensa. Hoc uult dicere Liuius. Pauló pòst, crepidísque inambulare in gymnasio, libellis etiam eum, deleuimus etiam accusatiuum eum. Qui de ceteris maxime assensus.) Legendum est: Maximo assensus. Intelligit Q. Fabium Maximum. Ducémque recepta ab hostibus Hispania.) Hanc periodum totam aliter distinximus, transposita clausula in suum locum reducta, hoc modo: Qui enim conuenire, quem modo ciuitas iuuenem admodum, unum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem: quem recepta ab hostibus Hispania ad imponendum Punico bello finem creauerit cõsulem: spe destinauerit Hannibalem ex Italia retracturum, Africam subacturum, eúmque repente tanquam Q. Pleminium, indicta causa, prope damnatum ex prouincia reuocari? Porrò neminem hic offendat quod scripsimus, retracturum (sic enim est in codice scripto) quum infra alio loco legatur, ex Italia detracturum. Neq; enim, ut ante monuimus, iisdem semper uocabulis utitur Liuius. Vt compararent inter se.) Emendauimus: Aut compararent inter se, subauditur, ut. Tum uocatos ad concionem.) Antiqua lectio, in concionem. Pauló pòst, Sine omni mora, deleuimus dictionem omni. Si quis Pleminium aliúmue accusare uellet.) 340. A. Scripsimus, Si qui Pleminium aliúmue quem ac. uel. Est si qui pro si quis. Item postea, quàm inimicum malint esset. Et alios triginta homines.) Reposuimus, & ad duos & trigintà homines. Item comperta oculis perferrent Romam, pro referrent. Et sese parauit, pro se præparauit. Præterea terrestrem naualémque exercitum, pro, terrestres naualésque exercitus. Traiicere, & spei conceptæ.) 340. B. Lego, traiiceret, & spei. c. q. d. i. o. e. p. c. d. p. q. t. compotem populum Romanũ faceret, subaudi, ut. Mlloiebantur iræ.) Scripsimus, molliebatur ira. Item pro memoriáq; absentis Scipionis facilius eos ad uulgum conciliabat. mortuus est tamen prius in uinculis quàm iudicium de eo populi perficeretur, ita nos reposuimus: Memoriáq; absentis Scipionis fauorẽ ad uulgum conciliabat. mortuus tamen prius in uinculis est, quam iudicium de eo perficeretur. In ueteri codice Faborem legitur, b pro u posito, pro hoc uocabulo quidam duas dictiones, facilius eos, introseruit. Sequitur postea, & tribuni classem eam. nos deleuimus accusatiuum, eam. ipse legeret.) Castigauimus, eligeret Et mox: Dum hæc apud Romanos geruntur. Item, ad eam rem confirmandam, pro consummandam, Et, Iam enim nubilis erat uirgo. & particula dispuncta. Præterea, initæ regis societatis, hoc est, à rege. quod prius erat regiæ. Ibi mox legitur in uolumine ueteri, paruulum uinculum. Auertit à uero falsis elicitas præoccupando mentes hominum.) 341. A. Quid hic facit participium elicitas? Impedit sensum, non illustrat. Non est in Archetypo Spirensi. Proinde & nos induximus. Pauló pòst, & regno suo posset consulere, scripsimus, ac regno posset consulere. Item postea, quas legiones potissimum, quantum militum numerum, & coniunctione expuncta. Item circum oram maritimam misit.) Accusatiuus omnem deerat, quem nos inseruimus. Item circum oram omnem maritimam misit. Quod uerò inferius aliquanto sequitur: sed in urbibus etiam oppugnandis, submouimus præpositionem, in. Non paruo numero inter authores discrepat.) Antiqua lectio. Non par numero inter authores discrepat. Lego: Non pari numero, inter authores discrepat. Hoc est, eo quod numerus apud illos par non sit. Ibidem mox legitur in ueteri libro, sedecim millia. non quindecim millia. Alibi parum plus dimidio rem auctam.) 341. B Emendauimus, Alibi parte plus dimidia rem auctam. Mox, pons malim, pro malm. Et pauló pòst, nauibus ante conscendere coactos continuit. Vbi prius legebatur: In naues ante con. e. continuit. Item, M. Pomponio cura data, non, curam dat. Vbi mox, in antiquo uolumine legitur, triginta quinque dierum. Et tamen sequitur: aquam dierum quadragintaquinque in nauibus esse. Expunximus illic accusatiuum necessariam, nam archetypum Spirense sic habet: Si aquam hominibus, iumẽtisque in totidem dies, quot frumentum, imposuisset, Hoc est in usum hominum iumentorumque, siue pro hominibus iumentisque. Eoque abundans omni copia rerum est regio.) Scripsimus, omnium copia rerum. Et mox, priusque, pro prius quoque Quanquam si magnitudine classis æstimaretur.) Emendauimus: Quanquam si magnitudine classes æstimares. Sic autem legendum docent sequentia. Ingenuis ad incrementa gloriæ.) Reposuimus ingenti, sicq; distinximus, partim suapte fortuna quadam ingenti, ad incrementa gloriæ celebratus. Pauló pòst, in portum castigauimus, pro in portu. Quæ ad prosequendum Scipionem.) Restituimus hic particulam &, quæ decrat, Quæ & ad proseq. Scip. Ad hoc legiones,) In exemplari uetusto plerunque legitur Ad hoc, quod in uulgatis editionibus est, Ad hæc. Hic non fuisse mutatum à castigatoribus equidem miror. Dij deæq;, inquit, maria terrásq; qui colitis.) 342. A. Vetus lectio: Dim diuæque, inquit. Diuos perpetuos esse Varro tradit, qui propter sui execrationem timentur, ut sunt Dij Manes. Diuos pro dijs reperias & apud Plautum. Nec est mox in scripto codice, maria terrásque qui colitis, sed qui maria terrásque colitis. Vti quæ in meo imperio gesta sunt.) Dictionem uti ne scio quis hic infulsit, quæ elegantius subauditur. Porrò non habet antiquum uolumen gesta sunt, uerum acta sunt. Item, mihi, populo, plebique Romanæ, Non, mihi populóq;, & plebi Ro. Bene uertant.) Exemplar Spirense expresse hic habet, bene uerruncent. quod tamen illic geminatum legitur errore librarij. Cæterum ueteres uerruncare pro uertere usurpasse docet uerbũ auerrũcare, quod auertere significat, quemadmodũ annotauit Nonius Marcellus. Nihil igitur opus erat hic pro bene uerruncent scribere, bene uertant, quando hæc tota Scipionis precatio uetustatem ipsam refert. Præda onustos.) Hæ due dictiones nõ sunt in codice Spirensi. Quod uerò sequitur, mecum domos reduces sistatis, expendendũ num legi debeat, domo. Vti mos est in mare porriceit.) Antiqua lectio: Vti mos, in mare proiecit. Et sequitur uerbũ præteriti temporis, signum dedit. Mox scripsimus, celeriter e conspectu terræ ablati sunt, è præpositione expuncta. Statim sequitur in exemplari scripto: Et à meridie nebula occœpit. Non, occœperat. Haud ita multò pòst T. Posthumius gubernator.) Archetypum nostrum habet tãtum, haud ita multò pòst gubernator Scipioni ait. Proinde apparet præpositionem post dedisse occasionem, ut aliquis infulciret gubernatoris nomen T. Posthumius.

Et uento eodem ferebantur.) Castigauimus: Vento eodem ferebantur, particula & deleta, quam debemus finali syllabæ uerbi præcedentis, iubet. Inde ægre correptum cursum.) In antiquo uolumine legitur, inde ægre correctum cursum. Aberrarant enim. qui error non citra difficultatem correctus est & emendatus. Quibus descensiones in agros marit. factæ erant.) 342. B. Archetypum quod penes nos est, exscensiones habet. quod etiam alibi in eodem codicem scripto lectitatur.

Octo millia liberorum capitum seruorúmque.) Genitiuus capitum à quopiam insertus est. Nam in scripto uolumine tantum est: Octo millia liberorum seruorúmque. Cæterum cum magis iure gentis, quàm authoritate inter suos, aut uiribus obtineret regnum.) Sic castigauimus secuti fidem manu scripti codicis. Cæterum quum magis iure gentis, authoritate inter suos, quàm uiribus obtineret regnum. Sensus est: Obtigerat illi inter suos authoritas Ea magis quàm uiribus obtinebat. Vrbẽ Masanissa primo impe. capit.) 343. A. Adidimus particulam & duobus locis: Et urbem Masanissa primo impetu capit, & ex regijs alios tr. se recepit. Deinde scripsimus, quo primum intenderant iter, pro, primo intenderat iter. Item, & incitabant iuuenem. Nam & ipse cum exercitu.) Reposuimus,

Nam

Nam & ipse cum exercitum, quo Capsam uenerat, & ex receptis post eadem regis aliquot habebat. Item, tantum peditum equitumque habens. Quia sibi aduersus Syphacem.) Emendauimus, quia sibi cum Syphace. Deinde deleuimus pronomen eum, futurum eum in eodem honore. Quod uerò sequitur ibi, quo apud Galam & Desalcem quondam fuisset, ingens erratum est. Scribendum: Quo apud Galam Desalces quondam fuisset.

In medium regnum eundum, aut sine certamine concessuros in ditionem.) 343. B. Antiqua lectio. In medium regni eundum. Item mox, persecuti sunt regem. Pluresque quàm iusto saepe in praelio.) Scribi debet, in bello. Nam praelium ipsam pugnam & hostium congressionem significat. Mox scripsimus, Carthaginiensium pro Carthaginienses. E aliqui statim sequitur Carthaginienses. Deinde reposuimus, praemiorumque ingenti spe. pro ingenti spe. Postremo pronomen ei deleuimus. Nam in fine positum est uerbum, à quo totus circunductus pendet. Bocchar ex praef. reg. & caetera compellit. Sed copijs etiam aliquanto maioribus.) Inseruimus particulam ut, ut aliquanto maioribus. Sequentibus sese abripuit.) Scripsimus, sequentibus se eripuit. Et mox, ita circumdedit, pro circumuenit. Item, Omnes ad unum interfecerit. Inter uirgulta ulterioris ripae emerserunt.) Legi debet, cum eo uirgulta interioris ripae tenuerunt. Dij boni quid fingi potest impudentius illis, qui ulterioris subdiderunt pro interioris, pro tenuerunt, emerserũt. Deinde quo cohaererent uerba potius quàm sensus, adiecerunt praepositionem inter. Paulò post, redit scripsimus. pro redijt. Patique posse est nisi iactationem.) Ad fidem manu scripti codicis castigauimus, Patique posse usus iactationem, ut de ipso Masanissa intelligas, non de cicatrice. Haud plus X L. equitibus collectis.) 344. A. Archetypum Spirense habet: Haud plus triginta equitibus collectis. Habet deinde, Atque non in possessione modo. Inde irritato ad bellum Syphace.) Vocabulum inde, non est in uolumine scripto. Mox reposuimus, in iugis opportunioribus ad omnia montium. Maiorem igitur eam rem iam Syphax rex ratus quàm ut per praefectum ageret.) Duas dictiones iam & rex deleuimus, & praef. ctum mutauimus in praefectos. Sic enim in antiquo codice legitur. Imperat, ut circunducto agmine in se intentum hostem ab tergo inuadat.) Locus est corruptus & licenter mutatus, quum nihil opus esset. Inseruimus pronomen illum quod deerat, & ex fide Spirensis exemplaris sic castigauimus: Illum circunducto agmine in se intentum hostem ab tergo inuadere iubet. Mox expunximus accusatiuum eum. ex occulto aggressurus eum erat. Syphax autem interdiu.) Vetus lectio, Syphax tum interdiu. Deleuimus paulo post aduerbium primo. Vbi primo tempus uisum est. & pro leui cliuo scripsimus, leni cliuo. Item pro tum multitudine, cum multitudine. Itaque caeteri pedites equitesque caesi aut capti.) Scripsimus: Itaque caeteri equites peditesque caesi. sublata postrema clausula, aut capti. Fides sit penes archetypum Spirense. Altera pertinacior in repugnando.) Vocabulum altera non est in codice ueteri. Stat uerò sensus eleganter sine illo. Duae turmae haesere. altera metu dedita hosti pertinacior in repugnando telis obruta & cõfixa est. Vbi subauditur altera. Porrò magis placet ut legatur telis obrutae, quàm ceteris obruta. quod in scripto codice est ceteris obruta. nam sequitur, & confixa est. In alia atque alia flectendo itinera ludens.) Emendauimus, eludens. Et mox, absistere à sequendo, deleuimus à praepositionem, quae subintelligitur. Ipse cum L X X. equitibus.) Antiqua lectio, Ipse cum decem equitibus. Cedere paulatim.) 344. B. Scripsimus, cedere paulatim, subauditur superius uerbum, iubet. Deinde qui peropportune circa uiae flexus suppositi erant, sic reposuimus: Qui opportune circa uiae flexus oppositi erant. Cum timoris simulati specie audaciam hosti faceret.) Lectio uetus, cum timoris simulati audaciam h. f. Ego non dubito quin Liuium scripserit: Quum timore simulato audaciam hosti faceret. Hannoni Afrisque pugnando ac sequendo fessis se.) Sic emendauimus & distinximus: Et recentibus equis (Hannone Afrisque pugnando ac sequendo fessis) se circumfudere. Quod uero sequitur, qui primi agminis fuerant. etiam legi posset, qui priores agminis fuerant. Nam codex scriptus habet, qui primi agminis fuerant. Quibus haud facilis receptus fuerit.) Deerat hic ut particula, quam de postliminio reduximus in contextum. Vt quibus haud facilis receptus fuit. Paulò post, inter eos satis constabant, scripsimus constabat. Id quod in editione Romana, & ea quam Colonia Agrippina dedit rectè legitur. Ad praedam alteram repetendam sese uenisse.) Accusatiuum repetendam non est in uolumine scripto. Subauditur ei aut similis potius, puta uehendam. Nam praecessit, quae praedam in Siciliam uexerant. Prout cuiusque opera fuerat: Antiqua lectio: Quorum opera fuerant. Quid si legas quorum opera fusi erant? Simul & terrestris exercitus ad imminentem prope ipsis moenibus tumulum est admotus.) 345. A. Castigauimus, ab imminente prope ipsis moenibus tumulo est admotus. Siquidem huiusmodi lectionem habet exemplar uetus. Et quid opus fuit mutare quod est elegantissime dictum? Non intellexit uirtutem praepositionis ab, quisquis is fuit qui id ausus est. Eadem temeritate mox & particula uersa fuit in etiam, Machinasque etiam aduexeret secum, quum Liuius scripserit (sic enim soles) Machinasque & aduexerat secum, & ex Sicilia cum commeatu missae erant. Paulo pòst, tria equitum confecisset, in ueteri uolumine est, effecisset. Abscederet inde irrito incepto.)

Quid si legamus: abscederet inde irrito coepto, quando codex Spirensis habet, abscederet inderito incepto. Etenim hyems instabat castra hyberna.) Sic emendauimus & distinximus: Et (iam enim hyems instabat) castra hyberna, &c. communiit. Mox & naualium castra amplectitur, exemplar uetustum habet, & naualia castra. In litus ad Septentrionem uersum subd. naues.) Hic locus misere fuit interpollatus addita praepositione in, propterea quòd librarius in fine dictionum equitatus omisisset. Nos id uocabuli reposuimus, in praepositione submota, & uerbis sic distinctis. Litus ad Septentrionem uersum subductae naues naualésque socij tenebant, meridialem uallem, ad alterum litus deuexam, equitatus, subaudi tenebat. Comparari, aut mitti posset.) Castigauimus, comp. ac mitti posset. Item X I I. millia tunicarum missa, & particula deleta. In agro Crotonensi.) Debet esse, in agro Crotoniensi. Paulo minus trecenti uiui capti, & equi X L.) Lectio uetus, Paulo minus trecenti uiui capti, equi quadraginta. Mox scripsimus: Annibal. Crotonem exercitum abduxit. Princeps iterum delectus Q. Fabium Maximum.) 345. B. Reposuimus, lectum pro delectus, Censa cum ijs C C X V. millia hominum.) Exemplar uetus: Censa cum ijs ducenta sexaginta quinque millia hominum. legendum ducenta.

IN LIBRVM DECIMVM TERTIAE

DECADIS ANNOTATIONES

PER BEATVM RHE-

NANVM.



TER Hetruriam ac Liguriam prouinciam haberet.) 346. B. Scripsimus, ac Ligures. Et sequitur mox. in Hetruria ac Liguribus decretum. Et ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset.) In codice manu scripto non est gerundium dissuadendi, sed tantum, & apud populum suadendi locus esset. Nec erat opus illud hic addere. Nam suadet etiam qui dissuadet. Quod in Brutijs prouincia.) Exẽplar uetus mendosam hic lectionem continet, nempe hanc: Cui in Brutijs prouincia eidem in Etru. ac Liguribus decreta. Opinor scriptum fuisse: Quae in Brutijs prouincia eadẽ in Hetruria ac Liguribus decreta. Et Lucretio prorogatum imperium est, ut Genuam. In codice scripto sic legitur, Et Lucretio prorogatum imperium, Genuam oppidũ à Magone P. d. exædificaret. Sine particula ut. Similis locutio mox præcessit, M. Cornelius nouo consuli tradere exercitum iussus. ipse prorogato imperio Galliam prouinciam obtineret. Quod postremum uerbum inepte quispiam mutarat in obtinere. Quod roborn ea prouincia habuerat.) Non est in archetypo nostro hæc clausula, nec usque adeo est necessaria. Stat enim sensus ijs uerbis. Et quia ne qua classis ex Africa traijceret. Et cætera. Amplexus est.) 347. A. Sustulimus uerbum est, quemadmodum mox præpositionem in, Campestri agro, pro campestri in agro. Iterum expunximus uerbũ est. Sicut ante dictum. Armáq; & omne genus com.) Castigauimus ex ueteri libro: Et arma etiam ex Sicilia & omne genus commeatus eò portabantur. Item mox, ex animo miserat, scripsimus dimiserat. Spes ulla desiturum afferebatur.) Legendum est desciturum, à uerbo descisco. Loquitur de Carthaginiensibus relinquendis, cum quibus aduersus Romanos fœdus inierat Syphax. Abho: fœdere modica spes erat futurum ut ille desciscerent deficerétq;. Hoc planius faciunt ea quæ sequũtur, & astipulatur codex uetustus. Mox scripsimus Antias Valerius, secuti uidelicet fidem lectionis ueteris. Quod elegantiæ causa Liuius usurpauit. Postea aut causa probabilis uisa commeandi foret in castra hostium.) Cum lectione uulgata consentit exemplar scriptum, nisi quod postea aduerbium quispiam hic infulsit. Cæterum ausim affirmare ego pro participio uisa, legendum fuis, hoc modo: Primò has conditiones imperator Romanus uix auribus admisit. Vt causa probabilis suis commeandi foret in castra hostium, mollius eadem illa abnuere. Misit enim exploratores in hostium castra Scipio per occasionem colloquij, qui singula specularentur. Nec uerò quicquam addubito, quin eruditi mecũ sint hic sensuri. Peruicacibus nihil satisfacit, & nihil intelligunt stupidi. Certe participium uisa nihil ad sensum pertinet. Dedit occasionem errori, quod præcedens dictio probabilis in s, desinit. Vnde librarius omisso s, altero, uis scripsit pro suis. Alius castigare uolens, a literam adiecit, ut fieret uisa. Porro mox legitur in scripto libro, ultro citróque agitãtibus rem, conuenturum. Item Hybernacula Carthaginiẽsibus, non Carthaginiensium. Hybernacula Carthaginiensibus lignea erãt. hoc est, Carthaginenses habebant hybernacula lignea. Vetitos se reuerti ad imperatorẽ aiunt.) Castigauimus iuxta fidem scripti uoluminis, ab imperatore. quæ uerba respiciunt participiũ uetitos, non autem infinitiuum reuerti, quod nõ animaduertit, qui mutauit. Sic mox illic legitur, ad cõparanda quæ in rem opus erant. Et statim, quia nimis. Ex archetypo Spirensi. Tantum diligenti expleant cura. & se Asdrubalem.) 347. B. Vitiata uerba sunt. pro unáque aduerbio quispiam non assecutus loci intelligentiam, supposuit cura &. Sic autem legenda sententia est: Tantum diligentia expleant. unáque se Hasdrubalem Punicáque castra aggressurum. Quis hic non clamet in professoreis, quos exemplaria uetusta consulere piget ac pudet? Multos in ipsis cubiculis semisomnes hausit flamma) 348. A. Scripsimus, cubilibus, intelligit lectos, aut id quod illis uice lectorum erat, Nam hoc significat cubile, cum cubiculum locus sit in quo est cubile. Porrò in hybernaculis Pœnorum, quemadmodum à Liuio describuntur, apparet nulla fuisse cubicula. O asinum, qui pro cubilibus cubicula supposuit. An ex trepidatione nocturna esset cõfusus.) Opinor scribendum, confusis sensum ueri adimebat dandi casu. Quod uocabulum infra hoc eodem libro rursum usurpat de Masanissa loquens: Ex prætorio in tabernaculum suum confusus concessit. Dein per continua serpens uno repente omnia incendio hausit.) Exemplar manu scriptum duntaxat habet: Dein continua incendio hausit. Demiror quis præpositionem per adiecerit, & tres alias dictiones, serpens uno repente. Obruebant itinera, portarum.) Scripsimus, ueterem lectionem secuti, obruerant itinera port. Et mox, pro die una, clade una. X X. millia peditum.) In codice Spirensi legitur, duo millia peditum. Cum paucis Afrorum.) Vetus lectio. cum paucis equorum. Mallem Pœnorum. Suspicor autem Liuium scripsisse, cum paucis suorum. Id quum ita fuisset scriptum, cum paucis suorum, sciolus aliquis uolens castigare locũ, ex suorum additis duabus literis fecit equorum. Paulò pòst loco munito consedit, non loco munito conf. quemadmodũ & nos scripsimus. Simul utroque cornu.) 348. B. Mihi magis arridet lectio uetus: Simul utraque cornua. Quæ diutinæ obsidioni tolerandæ sunt necessaria, ex agris conuehit.) Hic sciolus quispiam germanum Liuij sermonem audacter mutauit. Nam quum ille scripserit: Quæ diutinæ obsidioni toleranda sunt, ex agris conuehebat, quẽadmodum continet Spirense uolumẽ, ausus est aliquis adijcere uocabulum necessaria, minime necessarium hoc loco, sed superuacaneũ. Sic libro secundo Decadis primæ Liuius dixit: Vt tam eminens area, firmáque tẽplo quoq; ac porticibus sustinendis esset. Rursum alibi: Satis fretus tolerando certamini legatum esse. Item, P. Scipionem proconsulẽ dicam benignitate & rempublicã esse gratiæ referendæ. Quo loquendi modo Cicero quoque utitur, & alij authores. Vt felicissime gerantur res.) Castigauimus, ut felicissime geratur res. Nec improbatur mox uetus lectio, qui tueantur. Occupat relictum fuga custodum Tuneta. Abest ab Carthagine X I I. millia ferme passuum: locus tum operibus, tum suapte natura tutus.) 349. A. Hanc sententiam sic castigauimus & distinximus: Occupat relictum fuga custodum Tuneta (abest ab Carthagine X I I. millia passuum) locum quum operibus, tum suapte natura tutum. Ne naues in terram ad obsidionem.) Placet uetus lectio, in terram & obsidionem uersæ. Et aut in onerariarum usum uersæ.) Hæc clausula non est in exemplari scripto. sed tantum, torm. machinásque portantes, & aut ita adpulsæ muris. Vnde conijcio particulam & repetitam à librario per errorem propter finalem syllabam es præcedentem. Et sit scripsisse Liuium, tormenta machinásque portantes, aut ita appulsæ muris, ut pro aggere ac pontibus præbere ascensum possent. Sic enim legendum docet archetypum Spirense, non accessum. Vt in nauali certamine solet.) Scribendum est, contra, quã in nauali certamine solet. Nam quis unquam sic ad naumachiam instrui naues uidit. ut inter se colligentur? Velut uno inter se uinculo illigatis compresit, tabulásque super instrauit.) Tu lege, cõprehendit, hoc est, complexus est, copulauit. tabulasque superstrauit. Vt peruium nauium ordinem faceret.) Vetus lectio: Vt peruium in totum ordinem esset. Nos emendauimus: Vt peruius in totum nauium ordo, esset. Porro nõ solet Liuius idem uerbũ statim repetere, ut hic faceret & fecit. O misere tractatum

Liuium. Ita parati instructique.) Quaeso te per musas sic loquitur Liuius? Quid aliud est instructi, nisi parati? Legendum est, Ita parati intentique. Significat enim Romanos attente Carthaginiensium aduentum expectasse. Omnia permista turba trepidantium primo impetu oppreßissent.) Dij boni, quanta est sciolorum temeritas, mutantium statim quod non assequuntur. Scripsit Liuius: Omnia permixta turba trepidantium primo impetu deprendissent. Quod nō intelligens aliquis, pro deprendissent, supposuit oppreßissent. Sed eo maior.) 349.B. Vetus lectio, Sed eo gratior. Paulò pòst in scripto codice tantum est ad regem desideratum, non, diu desideratū. Item, stimulabant. Quod sequitur, per multos florentes annos, castigauimus. florentis, ut referatur ad genitiuum regni, qui praecedit. Cum aut uincentibus spes.) Expende lector num legi poßit urgentibus. Nam in uolumine scripto uigentibus habetur. Et opponuntur inter se, urgere & pelli. Praeterea spes magis competit urgentibus, hoc modo, uidelicet uictoriam consecuturis, quàm iam uincentibus.

Omnem postremo utrinque equitatum.) Germana Liuij lectio sic habere debet: Omnes utrinque postremo equitum certaminis studium effudit. Praeceßit autem, primo pauci equites. Nunc dicit, omnes, subaudi equites. Porro loquendi modus per duos genitiuos, ut hic equitum certaminis studium, Liuio familiaris est, & optimis quibusque authoribus. In codice scripto mendose legitur, utrunque, pro utrinque. Intranti uestibulum in ipso uestibuli limine.) 350.A. Genitiuus uestibuli inter praelegendum additus ab exponente, post irrepsit in contextum. Nos submouimus. Id indicat liber manuscriptus. Idem accidit paulo pòst in accusatiuo me. Neque me in cuiusquam Romani sup. Et in ut particula, me morte ut uindices. Nos item expunximus. Infra legitur: Ne quid relinqueretur integrum aut Laelio. Et, Masanissa recipit. Item, quantum quisque plurimum posset. Praeterea famaeque gentis, & infra perductus est. Hoc non omittendum, quia paulo superius in libro uetusto legitur, ad arbitrium, non, ut arbitrium, eam sententiam sic quoque legi posse: Victus deinde precibus Masanissae orantis, id arbitrium, utrius regum duorum fortunae accessio Sophonisba esset, ad Scipionem reijceret. Vbi non citra elegantiam subauditur ut. In alloquendo uictorem. 350.B. Vetus lectio, in alloquendo uictore. Et mox, quum arma aduersus populum Ro. cepisset, non, recepisset. Quod uerò sequitur, sibi hoc in miserijs solatij esse, & in scripto uolumine est, sibi in miserijs solacij esse: poterat etiā legi, sibi in miserijs solacio esse aut solatiū.

Neque prudentiorem neque constant.) Codex manu scriptus tantum habet, neque constantiorem Masanissam quàm Syphacem esse, iam ab iuuenta incautiorem. Posset legi. Neque constantiorem Masanissam, quam Syphacem etiam ab iuuenta incautiorem. Sequitur in exemplari Spirensi, cum stultius eam, quàm se duxisse. Proinde miror quis istas tres dictiones, illum atque intemperantius, admiscuerit. Hanc non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis armatam apud aemulum cernere se cum dixisset.) Hunc locum nullus crederet infeliciter interpollatum esse & plane corruptum, nisi qui uetustum exemplar inspexerit, in quo sic legitur: Haec non hostili odio modo, sed à nouis etiam stimulis, amatam, apud aemulum cernens cum dixisset.

Etiam eo foediora haec uidebantur.) Scripsimus, Et eo sic enim in scripto codice legitur. Haec secum uoluenti.) Antiqua lectio: Haec secum uolutanti. Et mox inseruimus & particulam, Et benigno uultu excepisset, & egregijs laud. s. p. celebrasset. Sic enim Liuius loqui solet. Propter quam appetendus t. u. s.) Scribe propter quas. Nam praeceßit genitiuus uirtutum. Et sequitur, temperantia & continentia libidinum. Mox legendum est, qua ego, non, in qua. Paulo pòst scripsimus, periculi. Qui eas sua temperantia frenauit: multo maius decus, maioremque uictoriam sibi peperit, quàm nos Syphace uicto habemus.) 351.A. Exemplar manu scriptum sic habet: Qui se temperantia sua frenauit ac domuit, ut multo maius decus, maioremque uictoriam sibi ceperit, quàm nos Syph. u. hab. Suspicor hoc potius modo fuisse restituendam sententiam istam: Qui se temperantia sua frenauit ac domuit, nae multo maius decus maioremque uictoriam sibi cepera, quàm nos Syphace uicto habemus. Vt sit nae Graecum, pro certe, quod facile potuit in ut, uerti, ab eo qui fortaßis putabat, negatiuam esse particulam, quae plane sensum turbabat. De se particula non dubito. De uerbo ceperit habes testimonium codicis Spirensis. Regnum, agri, oppida.) Legendum, ager, non agri. Significat ager, totum territorium. Sic possemus dicere: Hoc anno maligne frumenta prouenisse in agro Gallico, in Alsatico uino. Is fuit quo haec scribebam M.D.XXIX. Et tamen dicimus ager Argentoratensis, ager Sletstadiensis. Hoc non intellexit qui hic scripsit agri, propterea quòd sequatur, oppida. Quo facile à circunstantibus tabernaculum exaudiri posset.) Scribendum est, quod facile. Non enim in hoc gemebat suspirabatque Masanissa rex ut audiretur. Sed tanta erant suspiria, ut facile exaudiri possent. Vide quàm contrarium sensum inuehat unius literae abiectio. Paulo pòst scripsimus. Nec ingratum. Quod temeritatem temeritate alia luerit.) Vetus & syncerior lectio: Quod temeritatem alia luerit. subauditur, temeritate. Eadem habet, quàm necesse fuerit. Sella curuli eburnea.) In archetypo Spirensi, non est eburnea. Quod uerò sequitur: Neque triumphantibus ampliorem eo ornatum esse, legitur illic. Neque triumphantis. quae lectio mihi probatur. Subauditur autem in genitiuo triumphantis accusatiuus ornatum. Haec puerilia, fateor, admonere cogimur, quod appareat quosdam in errorem inde deductos. Paulò pòst illic scriptum est, Scipio Laelio, non C. Laelio.

ANNOTATIONVM BEATI RHENANI IN TERTIAM DECADEM FINIS.

IN QVARTAM TITI LIVII DECADEM, ANNOTATIONES SIGISMVNDI GELENII.

LIBRO PRIMO.

P. *Iulius Apulus.)* 363. A. *Hunc & in prætura, & post in consulatu P. Villium Tappulum scripti codices constanter appellant, hominem plebeium, & nihil ad gentem Iuliam pertinentem. Sed magis mirum quod mox Sulpicio Galbæ consuli prænomen mutatum, & ex Publio Seruius factus, cum non solum Florus Publium uocet, sed etiam in omnibus typis excusis editionibus is ipse Galba ubique præterquam in consulatu Publius prænominetur. Munera deinde legatis in singulos quina millia L. æris ex S.C. missa.)* 364. B. *Legendum, quinum millium æris. minutiora alia nec hic nec alibi commemorabo. Paulò post mutilata lectio sic restituta: Legatos item mittendos in Africam censuerunt, eosdẽ Carthaginem, eosdẽ in Numidiam ad Masanissam. Carthaginem ut nuntiarent, &c.*

Indigne passus senatus non cessari ab sacrilegijs.) 365. A. *Vetus lectio, ab sacrilegis. Mox equuleum cum quinque pedibus, non, equum. C. Claudius Centimalus.)* 366. A. *Cento, non Centimalus, quod Fuluiorum cognomen est. Mox: contraxerant autem sibi. superest sibi. Paulò post. beneficiorũ primum in ciuitatẽ sociam. legendum, suam. Ibidem, capessendum bellum, non, capessendi belli. ac mox: naues longas quatuor in portu Athenien. in portu, de suo aliquis adiecit. Ibidem, uirtutis ergo, non, gratia. In sequenti uersu: Rhodij Ceam ab Aegina, non, etiam ab Aegina. & paruumque & Cythnum. non, Scyrum. & paulò post: Doriscon & Serrheum, non, Nympheum. Serrheum in eo tractu præter alios etiam Thucidides collocat. Equites CC. Numidæ, cum daret, accepti.)* 367. A. *Restituimus: Equites M. Numidæ, cum M M. daret, accepti. rationem mutatæ lectionis, non est uisum passim adponere. Docti facile discernent, utra lectio alteri præstet: indocti consensu ueterum codicum contenti esse debent.*

Et erant Atticæ tres aptæ naues.) 368. A. *Scribe, apertæ naues. non multò pòst, qua infrequentissima ædificia urbis sunt. ædificia, superuacuum est. Deinde, cursu propere Chalcidem contendit: uetus lectio potior, Cursu prope. & ibidem, nec quicquam aliud, non, nec ad quicquam aliud. Sed Cynosarges, & Lycæum, & quicquid sancti,)* 368. B. *Reposuimus. Sed & Cynosarges, & Lyceum. Sequitur non longe inde: qui translato ab Achæis imperio à Philopœmene. sustulimus, ab Achæis. Lilybæum indicitur concilium populi Romani.)* 370. A. *Pro populi Romani, lege prætor, hoc modo: Prætor Romanus conuentus agit. ac mox, Rhegium Tarentum, Capuam, finitimásque, Vetus lectio, Capuam, ne finitimas nominem. Ibidem. Monumentum Campani populi, elato & extorri eiecto ipso populo. Non, Campano populo data extorri & eiecto. Nisi in Panætolico & Pyrrhaico concilio.)* 371. B. *Pylaico legendum, à Thermopylis quæ & Pylæ dicuntur. Nam qui hastis sagittisque & lata lanceis, lege, & rara lanceis. Aliquanto pòst, Castra ad Atabolum mont. pro quo exemplaria scripta Octolophum habent. LXXX admodum ornati equis spolijsque simul armorum relictis, abducti.)* 372. B. *Syncera lectio: Equi, spolijs simul armorum relatis, abducti. Angustiæ faucibus unde ex continenti iter est.)* 373. B. *Lege, unum ex continenti. Mox, COS. in loca pacata ad Apolloniam, unde orsus bellum erat. Non, iam pacata, neque ortum. Ibidem. Aetoli & Athamanes. Nam Acarnanes partium Philippi erant. Aliquanto pòst. uniuersi sexcentorum ægre. ubi uniuersi dictio intercideret. Item: ternis sue summum, non, ad summum. Sic enim Liuius loqui solet. Neque in ijs quicquam postea poni, dedicarique placere, eorum quæ in loco puro poni dedicarique fas esset.)* 374. B. *Hæc sententia prius dimidia sui parte truncata fuit. Ab Andro Scyrum traiecerunt.)* 375. A. *Cythnum lege. idem error qui supra. Qui uero Tanticeris, pro Atticæ is locus est, scripsit, non legit apud Strabonem Prasias unum ex uetustis Atticæ Demis esse, ad Eubœam uersum. C. Aurelius COS. cum ex prouincia Romã comitiorum causa uenisset, ut id unum quod animus præceperat.)* 376. B. *Vetus lectio: non id quod animis præceperat. Paulò pòst. Neque ex eo exercitu, qui cũ Gallis pugnauerit, militẽ unum saltem fuisse. Legendum: Ecquem ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnauerit, si non militem, lixam saltem fuisse. Mox.) Massaliota est Terentij cognomen, & Acilius Glabrio, non, Attilius.*

IN LIBRVM SECVNDVM QVARTAE DECADIS, ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.



ET Veliterni, Apollinis & Saturni aedes.) 377. A. Pro Saturni Sangi reposuimus. Est autem Sangus, Sabinorum numen. Ibidẽ, equuleum cum quinque pedibus, non equum. Post aliquot uersus.) 377. B. Ea militum fuit, qui ex Africa Syncera lectio: M. M. ea militum fuere, &c. Et mox.) Thaumastos eo tempore Philippus. Thaumacos habent scripta exemplaria. Sic etiam Stephanus appellat. Philippum, quantum ab aßiduis laboribus itinerum pugnarúmque laxauerat animi.) 378. A. Legendum, laxauerat animum. Deinde: maxime idoneum locum credidit esse praeter amnem Aoum. Adiecimus duas uoces, maxime idoneum ad muniendum locum. Mox: equos C C X X X. non equites. Itẽ, uenalicium Capuae, nõ uenalium. M. Porcius Cato, C. Aelius.) 378. B. Vetus lectio: C. Heluius. Paulò pòst: Ne aut ipse prouincia decederet.) 379. A. Scribendum, Vetitúsque aut ipse prouincia decedere. Item aduersus Philippum communem hostem uti. populo Romano gratum eum facturum & senatui, si Antiochus regno. Scribe & distingue sic: uti populum Ro. gratum eum facturum senatui, si regno, &c. Mox pro Suessae aruspices, reposuimus: Suessae Auruncae. Pausanias & Hipselus ex Alexandri Magnetis equitibus.) 379. B. Vera lectio: Pausanias praetor, & Alexander magister equitum. Sic enim reddidit Strategum & Hipparchum. Post aliquot uersus, ubi legebatur antea: Genus armorum ad amplum praelium gerendum: contra illis loca. scripsimus: genus armorum erat, aptum urgendis regijs, pro hoste loca. Caeterum quia duarum uocum, scilicet urgendis regijs loco, uestigia magis literarum quàm literae apparebant in exemplari uetusto, ueriti ne quantum ad eas uoces attinet, non satis assecuti simus germanam lectionem, asteriscum apposuimus. inspiciat locum, cui scripti codicis copia dabitur. Alterum exemplar (nam duobus usi sumus) hic nihil adiuuit, quod in eo primus & secundus libri, atque initium tertij, desiderarentur. Acceßit etiam forte res.) 382. A. Lego, fortuita res. Deinde, nec stationem procul à mari. Lege, nec rationem. Ibidem. Relicta obsidione, pro reiecta. Et mox.) Daulis, pro Daculisia. Item potestas dicendi facta est, non data est. Et, ij fuere atrocißime. Sociorum Philippi maritimae etiam urbes.) 383. A. Dele, etiam. Et magnis recentibus colligatis beneficijs.) 384. A. Lege, obligatis. Paulo ante, pro neque morante ullo, uetus lectio est, neque mirante. Pertinacius Quintius à Misnepio perstabat.) 384. B. Restituimus, in incepto perstabat. Deinde, uelut omnis causa, non honoris causa. Mox, Aenesidemus Dimaeus, non Elimeus. Sequitur, qui idem quod Macedones sentirent. non solis quidem. Et, huius rei tam foedae indicium, non foedum. Iußique circumire eam.) 385. B. Ea lege, ut ad uigilias referatur. Aut si qua in re occasio fuisset, adiuuarent Romanos.) 386. A. Vetus lectio: aut si qua etiam occasio fuisset. Sequitur, Carpenta supra C C. millia. satis erat, supra C C. Paulò pòst, summa ui ut tenderent, non, ut obtinerent.

Et Achaeorum exules, & uir insignis Cycliadas.) 386. B. Lege, & Achaeorum exul, uir insignis Cycliadas. Item.) 387. A. Vt nulla fides sit. non, ut in nullo fides sit. Ibidem, simplicem suam orationem esse dixit. uerbum, dixit, aliquis adiecit de suo. & nõ regis praesidia, sed regi lege. deducenda regi esse. Item audiri postulata uerum esse, non, aequum esse. qua locutione & alibi Liuius utitur. Mox, Rhodij Pyrrheam. Peraeam legendum, & uetus exemplar, & uerba per parenthesim addita satis declarant. id mendum & alijs aliquot locis inoleuit. Praeterea, & in Hellesponto Sesto atque Abydo, ubi in praeposito deerat. Ipsius enim Aetoliae Graecos.) 387. B. Agraeos scribo, non, Graecos. Paulò pòst,) ijs ne urbibus decedere. Vetus lectio: utrum, ijs ne urbibus, &c. Item,) cum Appio Claudio Tr. mil. non, cum A. Claudio praefecto. Mox.) 388. A. Pro littus Athonium, lege, littus ad Thronium. Est enim in eo sinu huius nominis oppidum. Caeterum eorum oratio.) Caetera, non Caeterum. Post aliquot uersus: traderet ubi uellet, urbem, Philo: li att. sic nocte.) 388. B. Syncera lectio: tradere ubi uellet, urbem, Philoclem iußit. nocte, &c. Mox: posteaquam in potestate Nabidis Argiuorum ciuitas erat. Haec uox, Nabidis, non est in archetypo, & absque ea satis constat sententia. Ibidem.) quae ijs forte diebus. Adiecimus pronomen ipsis, uetus exemplar secuti. ijs ipsis. idem exemplar habet: haud procul urbe Mycenyca, non: Hyecenica. Ibidem.) inermes item regi, non inermibus. & in fine libri.) 389. A. Sed postremo uestem quoque, non, sed & postremo uestem.

IN LIBRVM TERTIVM QVARTAE DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.



IN tempore & ad ipsum.) 389.B. Ad idipsum,lege. Paulò pòst: Dardanos transgressos fines ab contentu concessit eum regni.) 390.A. Hæ uoces,ab contentu concessit eum,plane hic superfluunt. Deinde pro,omnibus uicis aliisque,scriptum est,omnibus his aliisque. Cum Luscinone fidas urbes Cardonem & Bardonem.) 391.A. Scriptum exemplar quod unicũ extat,habet:Cum Luscino ualidas urbes. Quod uerò editio Maguntina hic & alijs locis degenerarit,in causa fuit priscus character,nec hoc seculo cuiuis lectu facilis.ibidem est pro mutauerat,nudauerat. Satis iam ante diuidere esse.) Hæc uerba non solum deprauata,sed etiam non suo loco posita,initium sunt orationis Antiochi ad legatos Romanos, ut indicabitur,cum ad eum locum uentum fuerit. Bellum in Hispania quinto post anno exortum est,quàm simul cum Punico bello fuerat finitum.) 392.A. Hic duas uoces exortum & fuerat, typographus per incuriam omisit. Perinde atque ab ipso hi & non à Quintio & Romanis dati essent.) Vetus lectio. Perinde atque ipsi id à Quintio & Romanis datum esset. ibidem. Et comitijs proximus Bœotij ceu nullam aliam. scriptum habet: Bœotarchen nullam aliam. nam prætorem castigator addidit de suo,sicut paulò pòst,Præpositionem de:quidnam de se futurum esset. Obuiam eundo impendentem.) 392. B. Lege,impudenter. Et mox,pro eo ipso rem,eo ipso timore. item,ad agendam rem fuerit. Rem redundat. Deinde pro efferauerat cædes. efferauit ea cædes. Ibidem pro ac uarios commeatus usus,legendum commeantes. & pro egredi ausus miles,egredi castris miles. Euastatus prius agris,quàm ab Elatia.) 393.A. Quà,non,quàm. Sequitur,Euromo Pisidisque & Bargilis. ubi Pedasso,non Pisidis lege. Soli Aetoli id decretum decem clanium fanies carpebant.) Non erat opus astrisco, si quis primæ editioni præfuit, acrius oculos in characterem non satis notum intendisset: uidisset synceram lectionem, nempe hanc: Decretum X, legatorum clam mussantes carpebant. Eadem cæcutientia mox.) 393. B. In tertio uersu pro liberantur legit libenter,& Eretriam omisit ubi scriptum est, Oreum cum Eretria & Demetriade. Rursus post tres uersus,quod tempora reipub. postulassent,deprauatum in quo tempore P.R. postulasset. Ac paulò pòst,præsidij Romani in pop.Ro.& Isthmiorum ludicrum in Nemeorum. Quum quòd uniuersi homines acciperent.) Vniuersum homines caperent debet legi. Non multò pòst,) ubi legitur: adeo unum gaudium præoccupauerat omnem aliorum sensuum uoluptatem: temere ab archetypo discessum est, quod habet: præoccupauerat omnium aliarum sensum uoluptatum. Item,sine fide rerum tactata, iactantibus legendum. Sequitur. Thessalorum genti Phthiotæ dati. Achæi Phthiotæ lege.) Sic & Strabo hos uocat. Præterea pro Phocæam & Eretriam,Oreum & Eretriam lege: pro L. Thermus,L. Stertinius. Aetolorum principes alij questi sunt.) 394.A. In archetypo est interquesti,sicut interloqui dicimus. Aliquanto pòst.) 394.B. Pro,prospera pugna nequicquam oppugnatum est,legendum,à prospera pugna. & pro,ne moti se inde pellerent.) ne moti semel pellerentur. Item,) pro in Boijs negligentius,Boij negligentius. & ad certamen destinatus, pro destinati. Romanos iam inquirere regi Antiocho faciendum, aut quousque terra marique progediendum fuerit. Ipsos non cogitare, Asiam nihil, &c.) 395. B. Hanc orationem non acephalon solùm,sed alioqui etiam uitiatam,sic restituimus & distinximus. Satis iam ante uidere se, Romanos inquirere quid regi Antiocho faciendum: at quousque terra marique progrediendum fuerit ipsis,non cogitare. Asiam nihil & reliqua. quinque primas uoces,supra non suo loco positas, huc reposuimus, ut ante dictum est. Cipri nihilominus.) 396.A. Cyprum nihilominus tendens, legitur in archetypo: Et seditione remigum,non regum. P. Manlius Nobilior.) Hic omissæ sunt aliquot uoces. Integra lectio sic habet. P. Manlius. P. Porcius Lecca. Aediles curules M. Fuluius nobilior, &c. Sequitur.) 396.B. Quò die magistratum inierunt: non,quidem magistratum. ibidem lege & quinque millia,non,ex quinque millibus. &) ab tergo Liguribus,non,Libuis. Mirantibus iam uulgo, Minutium quod Hispania mouisset,bellum negligere.) Vera lectio: Mirantibus iam uulgo hominibus,quod Hispania mouisset bellum negligi. Mox.) Nabin nunc Lacedæmoniorum,non,tyrannum Lacedæ. & tenere Argos, non occupare. Eam rem rati maturatam, dilatamue non magni momenti ad summam rem populi Ro. esse.) 397.A, Sine causa hic quoque mutata lectio: in manu scripto sic est: Eam rem esse rati, quæ maturata dilatáue non magni momenti ad summam rem populi Ro. esset. deprauatius etiam est quod sequitur.) Marcescere otio tum queri ciuitatem eum: id sic restitutum est. Marcescere otio sitúque ciuitatem queri eum. Per unum illum tam gesti quam moti.) Paulo elegantius scriptum est in archetypo, non magis gesti, quàm moti. Mox pro tam potenti regno, tam impotenti, legendum: ut alia minutiora hic dissimulem. Illud paruum uideri non debet, quod paulò pòst,) ordinarij reipublicæ usus deprauauit nescio quis in ordinatis. Aetoli quoque eodem tempore alienati ab societate Romana & Aminander, quorum, &c. 398. A. In Maguntino legitur: Aetolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt, quorum, &c.

IN LIBRVM QVARTVM QVARTAE DECADIS, ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.

AVTHORIBVS nobis M. Fundanio & L. Valerio.) 398.B. Vocatiui sunt Fundani & Valeri, sicut sequenti uersu, tribuni, non tribunis. eodem uersu pro nobis sic, ubis si, repositum est: sequenti, pro sicut, si ut. Aliquanto pòst, pro.) 399. A. Per quæ quanque, per quæque subiecerint uiri. Stantes in publico inuenisset eas quæ acciperent.) Eas redundat. Post aliquot uersus legendum.) 399.B. Ipsis uinculis sicut fera bestia irritata, deinde emissa. Vbi aliquis participium, uinculis solutis, addidit, cum nihil opus esset. Nisi quid in utraque re uani sit.) 400. A. Re superest. Sequitur locus egregie uitiatus score alicuius opera. In eadem die deerant pecuniæ, frumentum, & cætera.) 400. B. Syncera lectio: In eandē diem frumentum, & cætera. In eandem diē, hoc est, postquam debellatū esset. Magistratibus in colonijs municipijsque togæ prætextæ habendæ ius est.) Desunt aliquot uoces. Integra lectio hæc: Magistratibus in colonijs municipijsque, hic Romæ infimo genere magistratus uicorum, togæ prætextæ habendæ ius permittemus. Ibidem. Nullam æmulationem inter eas singularem, lege, inter se singularem. Paulò pòst.) 401. A. Et malle patres, non, mallent. Item, Brutorum ianuas, non tribunorum: &) portum Pyrenei, non, Pyreneum. Et agrorum exigere fructus.) 401.B. Exbibere lege. Nam Græci illi nullos agros habebant. Deinde.) Causa negati triumphi fuit. Vetus lectio potior: causa triumphi negandi senatui fuit. Et pro, præsidium Romani misisset.) In ueteribus legitur, præsidio Romanus miles esset. tria millia, &c. Paulò pòst, pro,) nullis periculis se motos, nullis terriculis. nec male. Consul ubi id satis quod in speciem fuit, ostentatum est.) 402. A. Pro quo in uulgatis editionibus, in spem, legitur. Aliquanto pòst: Et ipse inter equites sparo percuit.) 402. lege, interequitans. Præterea.) Ipsis castris exuti, nō ipsi. Quos omnes appellatos benigne domos dimisit.) 403. A Vetus lectio plus habet: appellatos benigne, uinòque & cibo curatos. Item,) domum consuli, non domum consulis. grauius erratum quod sequitur: Bergistanorum ciuitates septem & aliquot castella. quod legi debet: Bergistanorum ciuitatis aliquot castella. Et mox: Ap. Claudij Neronis, non à P. Claudio. Cæteri omnes in uicos.) 404. A. In manu scriptis legitur: Cæteri omisso bello in uicos, &c. Quintius conuentum Corinthum omnium sociarum ciuitatum legionibus in diem certam edicit: ad quam ubi frequentes undique principes conuenerunt, ita ut in ea ne Aetoli quidem abessent, tali oratione est usus) ad quam & in ea redundat. Nam Liuius scripsit conuentu edicto, ut sit continua oratio. Paulò pòst.) 404.B. Liberatæ Græciæ, non libertatis: nec incensos Aetolos,) sed incesi Aetolos legendum. Sequitur: Efferatioribus quàm ulli barbari immanes belluæ uiuunt.) Vehementius est quod in manu scriptis exemplaribus legitur, quàm ulli barbari, immò quàm rapacissimæ belluæ uiuntur.

Inde potissimum ordiendi belli.) 405. A. Melius, ordiendum bellum. Aliquanto post, pro, tam suspectis & incertis, nostra archetypa habent, tam suspensis & incertis. Die postero ad Sellas super Eurotam.) 405.B. Scripti codices habent: Die altero ad Sellasiam super Oenunta. Sic hunc fluuium & Polybius nominat.

Ingentem terrorem ac tumultum coniecerunt, nihil tale expectantibus.) 406. A. Restituimus iuxta fidem archetyporum: In terrorem ac tumultum coniecerunt, nihil tale expectantes. Deinde quæ minus infida ac trepida.) Vbi hæc uox, infida, intercident. E tribus concitata classibus.) Scribendū, contracta. Item pro, ut discederent ab apertiore loco, ut distenderent.

Et accepi urbem cum Philippi partium.) 406.B. dele urbem. Eodem uersu: tempus autem me, lege: Tempus autem eo me. Ac mox, iam feceram hæc.) 407. A. Pro nam feceram. Et non dico quid, pro, non dico quod. Item per æquationem fortunæ ad dignitates, lege: ac dignitatis. Et, pluribus me ipse egisse,) pro, me peregisse. Aut ad summum trium in ea re nomitatis culpā esse.) 407.B. Syncera lectio, aut summum trium in ea re non ciuitatis. Paulò pòst: Hoc tu dicas liberantibus Græciam socijs, qui ut.) Potior lectio. Hoc tu dicas liberantibus Græciam: hoc ijs, qui ut, &c. Sequenti uersu, pro populi Ro. non uiolati, lege, propriè non uiolati. Item, pro Vtrum non à te factum est.) Vtrunque à te factum est. Non tantummodo obsessam, sed iam captam urbem Lacedæmonem esse.) 409.B. Syncera lectio, tantum non iam captam Lacedæmonem esse. Sequitur. Lateri adhærens tyrannis,) lege, & lateri adhærens tyrannus. item. Nabidis dominantis satellitem factum tribunum mil.) 410.A. Lege: Satellitem factum populum Romanum.

Inter Cal. Martias & Idus Maias.) 410.B. Vetus lectio: Et pridie Cal. Maias: ut sint duo integri menses. Mox.) Tempsam L. Cornelius Merula. Archetypa: L. Cornelius Merula, & C. Salonius. Nihilominus tertius collega intercidit. Bigati CXXII. millia, oscensis auri D. X L. pōdo. Militibus CCCC. millia ex præda diuisit.) Rectius manu scripti codices, nempe sic. Bigati CXXII. millia, oscensis D X L. auri pondo MCCCC. Militibus ex præda, &c. Ibidem Boior x, non Boiorum rex: & locis idoneis, non locis apertis. Mox, Tertio ut subiere. ut redundat. Fusi inde Romani, & qui imperio consulis parere noluerant, suo pauore ac terrore castra repetunt.) 411. A. Vetus lectio: Romani quæ imperio consulis noluerant, suo pauore, &c. Omnibus circa ciuitatibus metuendum.) 411.B. Secuti fidem ueterum codicum addidimus: hærentem uisceribus nobilissimæ ciuitatis. Ibidem: Et nunc cum aliter: dele, &. Ac Corinthum ipsis extemplo.) Lege, Acrocorinthum ipsis. Sequitur: Salubrem eis & singulis ciuitatibus. Restituimus, salubrem & singulis & ciuitatibus. Ibidem: Ipsis qui habeant, non ijs qui habeant. Paulò pòst,) ac munus suum bene positum, non, hinc munus suum. Mox.) 412. A. Pro portione, lege disiunctim, quod in proportionem aliquis deprauauit. Ibidem, ab Acrocorintho descendens: non, à Corintho discedens. Triumphúsque meritus ab annuentibus decretus.) Antiqua lectio, ab lubentibus decretus. Mox.) Tubero Tr. pl. tulit ad plebem. illic legitur: Tr. pl. ex S. C. tulit. Ita ab Antiocho Græcas Asiæ urbes liberare.) 414. A. Vetusta lectio paulò elegantior. Ab Antiocho Asiæ urbes, quæ Graij nominis sint, liberare. Aliquanto post pro.) 414. B. Aristonem quendam Tyrum natum Ephesi, illic legitur, nactus Ephesi. Et paulò pòst,) pro, deinde tertia uigilia, scripsimus, de tertia, consentientibus uetustis codicibus. Item, demptæ, non, ademptæ. Masanissa posteaquam & infames Carthaginienses, & inter se ipsos discordes principes propter colloquia Aristonis sensit, senatum propter indicia ipsius Aristonis populo suspectum.) Germana scriptura sic habet. Masanissa posteaquam & infames Carthaginienses, & inter seipsos discordes sensit, principibus propter colloquia Aristonis senatus, senatu propter indicium eiusdem Aristonis populo suspecto, &c.

IN LIBRVM QVINTVM QVARTAE DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.



VOD inde reuectum est, militi diuisum.) 415.B. Effectum est, legi debet, nõ reuectũ. Post aliquot lineas.) 416.A. Tertium in Hispania adiecisse, non allegisse. Praeterea.) necdũ noto satis inter se, ut uix fidere alij alijs possent, uix redundat. Et M. Martius tribunus.) 416.B. Reposuimus secuti archetypa: Et M. Genutius, & M. Martius tribuni. Paulò pòst.) 417.A. Feralia legitur in antiquis codicibus, non fœneralia. Ibidem: libero fœnore, non liberos. Nam & in unum locum tenebant patricij ambo.) 417.B. Antiquior lectio: in unum locum petebant ambo patricij. Ad Martis aram, qua in campos iter esset.) 418.A. In campum scribendum est, nam de campo Martio intelligi debet. Paulò pòst.) Nihil primo contemptius. lege primo aspectu con. Item.) Impotentes regendi equi inuitos, nõ equos inuitos. nominatiuus enim melius quadrat. Adiuncto Antiocho, socijs Aetolis). 418.B. Addidimus particulam et, sic: Et adiuncto Antiocho, &c. Item.) 419.A. Pisidas qui circa Sicam. Selgam non Sicam. Mox, Pergamum ascenderunt, scripsimus. Nam ad mediterranea ascenditur, non descenditur. Vt procul ab se bonore.) 419.B. Scribo, per honorem. Post aliquot uersus, uectigales factas Antiochus repetit.) Lege, uectigales factas in antiquum ius repetit. Item, eo spe gratiae maior. spes non spe. Omnem praesenti in statu spem cuique nouandi res suas blandiorem esse.) 420.A. Syncera lectio, omni praesenti statu, &c. Deinde, huc ueniam toto orbe.) 420.B. Vetusta scriptura, inueniam toto, &c. Ibidem crescenti quàm ex me, quã redundat. Et, Odi odióque sum, legi debet, nõ odióque quod sim. Ac mox, in id consilium alium cũ quo deliberes.) Vbi uox alium inciderat. L. Quintio Gallia.) Reposuimus ex fide archetyporum, Gallia & comitia habenda. Mox, ut duo millia.) scribo, ut ei duo mil. & Romae prouincia, non Roma. Praeterea.) 421. A. Seruari aliquè aruspices insserunt, non, aliquot aruspices. Quina ambobus equestria arma, & uasa argentea C. pondo.) 421.B. Antiqua scriptura, Equi duo, bina equestria arma, & uasa argenta C. pondo, & aurea XX. pondo. Aliquanto pòst.) 422. A. Lege, lembos pristeisque, non, lembos treis isque. Et Patrensis Tiso, non Piso. Vt dissimulem quod Philopœmenes ubique contra fidem ueterum codicum legitur.) 422.B. Quum Philopœmen legendum sit. Illud maioris momenti, quod paulò post.) 422.B. Tegeam in Telegam nescio quis deprauauit. Sed etiam in pace se ad id maxime exercuerat.) Vetusta scriptura: Sed etiam in pace ad id maxime animum exercuerat. Item, quo turbam inermem traijceret. 423.A. Reijceret illic legitur, non, traijceret. Eurotam amnem, qui prope sub ipsis affluit moenibus.) Sub. redundat. Zeno ex principibus unus Magnetum.) 424.A Magnae lege. Nam sequitur, authoritatis. Paulò pòst.) Abscisa res erat, non abscisse.

P.R. cum Antiocho, mutuis Aetolis, non sine motu magno generis humani, & pernicie Graeciae dimicare.) 424.B. Tres literulae deprauatae totũ sensum corrumpunt. Scripti codices habent, Lanistis Aetolis dimicare. Nimirum metaphora à gladiatoribus sumpta. Nam cum idipsum posceret decretum T. Quintius, non ueritus maiestatem uiri, primò aliud in praesentia, quod magis instaret, praeuertendum sibi esse duxit.) Diuersum legitur in ueteribus archetypis, hoc modo: Nam cum idipsum decretum posceret eum Quintius. Praeterea haec uox primo, hic plane superflua, in neutro inuenitur. Perpaucorum turba ex custodibus uitae.) 425.B. Scribo iuxta fidem archetyporum: Et spectatorum turba, &c. Et mox, simul indignitas rei, ac simul contemptus.) 426.A. Ac redundat. Rursus.) Pro Herodorum mercatorem, Herodorum Cianum mercatorem legendum. Qui hic unam uocem detraxit, mox ut damnum compensaret, aliam de suo adiecit, naues onerarias, cum absolute onerarias legendum uetus scriptura indicet: quemadmodum aliquanto pòst.) 426.B. Quid morae esset, non, quid morae causa esset. Praeterea in Chalcidis Eurypo, non Chalcidem: &) ostium portus, non ad hostium. De Villio iam dictum est. Prima ut sors dae, peregrina urbanáque, & inter ciues ac peregrinos.) 427. A. Peregrina redundat. Et aliquanto pòst.) 427.B. Acceptatem praegrauatura, non pergrauatura legendum. Rursus pòst aliquam multos uersus.) 428.A. Verecundiam faciendam Ro. non inferendam. Ad Chaeroniam occurrerunt, & decem rostratis nauibus secuti sunt.) Constratis nauibus legitur in manu scriptis, magno consensu. eas alibi tectas uocat. Item, Ad hoc Mictilo.) 428.B. Mictio constanter ubique scribitur. Ac mox,) pro indultam nuptijs, inclytam. Dahae item, non Daae.) qui Graecis Δᾶαι sunt. Ibidem Sidetae, non Hidetae. Ac multo pòst.) 429.B. Ante Salganea ad Hermeum, non Herimum. Minus quatuor inde millium proximus in Euboeam est maris traiectus.) Antiquior lectio, minus quatuor millũ inde in proxima Euboeae est mari traiectus. Pleraque uidentur castigatores ob uitandos hiatus data opera mutasse, cum tamen ab eis Liuius non admodum abhorreat. Sequitur.) 430. A. Custodiae causa loci communiebant, non locum. Castellum communiebant loci custodiae causa. Postremò, hic quoque tamen. non hi quoque iam, legendum.

IN LIBRVM SEXTVM QVARTAE DECADIS, ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.



E *supra quinque millia numerum.)* 430. B. *Ne supra quinque millium, lege. Aliquanto pòst.)* 431. B. *Cum de Philippo consulerentur, hæc decreuisse, nihil, referre ipsi corã, an præsidio nunciaretur.* Vetus lectio, *Cum de Phil. consulerentur, decreuisse, nihil referre ipsi coram an ad præsidium. Mox.)* XX. M. *pondo argenti*, non M. XX. ac post aliquammultos uersus. 431. B. *Eandem orationem exorsus, non eadem oratione. Hoc ergo adiuncto quid dubitare.)* 432. A. *In nostris archetypis legitur, ego: & qui, non quid. Item,) ille quidem ut feræ. ut redundat. Nam mox illic legitur cupienti, non cupientes. Dum in futurum minus cauti & prouidi essent.)* 433. A. *Antiqua lectio, nimis cauti.* Et *socer Antiochi Cleoptolemus constanter scribitur, non Neoptolemus. Vbi allegando legitur, rectius quàm ablegando: & grauioris fortunæ conditioni, quàm grauiori fortunæ conditionique: & oblitus quantæ, quàm quas tum. Sequitur: Menippum Macedonem magistrum Aetoliæ.)* 433. B. *Stratum nescio quis in magistratum deprauauit, quemadmodum uersu proxime sequenti Calidonem in Chalcidem, & paulò pòst, non semel Tyrrheum in Pyrrheum: Rursus aliquanto pòst.)* 434. B. *Proernam in Peruam, Thaumacos in Thaumastos. Satis fidens nunquam eâ uiam Ro. exercitum facturum.)* 435. A. *Vetusti codices habent, nim facturum, non uiam. nec erat opus mutare. Deinde pro, multo & numero maior.)* 435. B. *Illic legitur, ille & numero, Aliquanto pòst,)* 436. A. *Pro quæ loca usque ad mare, quà loca, &c. Pro grandinis & sagittas, glandes & sagittas. Pro Carpeiam, Scarphiam, ut alia minutiora dissimulem. Item,)* 436. B. *Aristoteles, pro Christoteles. Ad regionem à Mallea.* 437. A. *Maguntinus & Spirensis codices aliter habent, hoc modo. A sinu Maliaco, quæ aditum, &c. Versu eodem, ab altero amniculo, non amnis latere. Paulò pòst pro,) non iaculis solum, ut solet, nõ laqueis, ut solent. non minus erratum quod sequitur. ex ratione temporis, deprauatum erat in, expectatione temporis.*

Pars uigilantes ad hunc strepitum.) 437. B. *Vetus lectio aliquanto melior, nempe hæc: pars uigilantes adhuc ad strepitum pugnantium in tenebris currunt. Proximo uersu pro transcendere muros conantur: illic tantum, transcendere conantur, legitur, idque rectius. Pars una, quà progressi erant.) Longe aliter in nostris exemplaribus legitur, hoc modo: Pars una in qua ædificia extra urbem erant, &c. nec est: Partim per eruptos, partim scalis per integros.) Sed, partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere. Inde diuersi ad duas simul oppugnandas urbes profecti sunt, iter septem milliũ ferme passuum.)* 438. A. *Antiquior lectio melior, profecti. Intersunt septem millia fermè pas. æque deprauatus est & proxime sequens uersus. Et quia Lamia posita in tumulo est, tum regionem maxime eo despectat oppido.) Restituimus ex fide archetyporum, hoc modo: Et quia Lamia cum posita est in tumulo, tum regionem eâ maxime despectat oppidum, quà, &c. Mox,) post paucos dies, lege, pro ad paucos post dies. Et suppliciter agentibus ijs profuturum.)* 438. B. *Scribo, & se suppliciter agentibus ijs adfuturum. Ac mox, in quo id diserte, pro in id quod. Paulò pòst,) ingemuerunt conditioni, quemadmodum & illacrymari conditioni dicimus. Tum ergo uexato exercitu.)* 439. A. *Scribo, tum quoque uexato. Paulò pòst.)* 439. B. *Pertinaciam increpitabant, pro, increpabant. Te militesque tuos nondum tot urbes, quot Philippum gentes.)* 440. A. *Vetus lectio, nondũ duas urbes, Philippum tot gentes. Fortuna uestra facit, ut & iræ meæ, & orationi tempora euenerint.) Restituimus ad exemplaris sæpe iam memorata in hunc modum: ut & iræ meæ, & orationi temperem. Euenerunt quæ prædixi euentura. Non multo pòst illic est,) de exulibus Lacedæmoniorum, non Messeniorum: & perfecta res, non perfecta sunt. Quia suæ gratiæ reseruari ea Achæi per se ipsi.) Hic quoque nostra exemplaria secuti sumus: Quia suæ gratiæ reseruari eam Achæi: Elei per se ipsi, quàm per Ro. maluerunt. Achaico contribui concilio. Paulò pòst. ædem faciendam M. Liuini.)* 440. B. *adde, ex S.C. Item, & omnia cum maiore religione,) lege. & eo omnia, &c. Rursus pro edixissent X uiri, illic est, edidissent X uiri. & pro, Vbi in numero.)* 441. A. *Vbi ut in numero. Itẽ.)* 441. B. *Spem pro re ferẽtes, non, ferẽtibus. Vnus uera & prouide & fideliter prædicere.)* 442. A. *Antiqua lectio: Et prouidere & fideliter prædicere. Paulò pòst, pro, Liuium deliberantem aliquot.) Liuium Deli per aliquot. Ita numero ferme pares futuros, ipsum cæteris omnibus superiorem esse.) Vetusta scriptura: ita numero non ferme impares futuros se, cæteris omnibus superiores. Sequitur, cætera apertæ minores omnes ferme erant. lege minoris formæ. Itẽ.)* 442. B. *Cissuntẽ, non Cissontẽ. Aliquanto pòst,) remos detergunt, non defringunt. Sequenti uersu,) cõpari marte, non pari. Mox, classes quoque undique, non classes undequaque. Et.)* 443. A. *Tandem substiterunt, nõ abstiterunt. In fine libri,) duo prætores deprauatè legebantur. M. Fuluius pro M. Tuccio. C. Antistius, pro C. Atinio.*

IN LIBRVM SEPTIMVM QVARTAE DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.



APVD Africanum erant, uirum sicut ad cætera regium.) 445. B. Egregium habent uetusti codices. Mox.) Bellicosiores ea tempestate erant Gallogræci. non Gallogræci, sed Gallicos lege. Nā ea uox cum sequentibus cohæret, ad hunc modū: Gallicos, nondum exoleta stirpe gentis seruantes animos. Paulò pòst.) in portum Achæorum classem aduertit, non auertit. Rhodiæ naues cum duabus Cyprijs effugerunt.) 446. B. Vetus lectio: cum duab. Cois. Sequenti uersu pro iunctis enim binis, legitur contis enim binis. Ibidem.) Et Cymæ aliæque, non Cymæ Eleáque. Vt præteruehens, si quas aberrantes.) 447. A. Lege, ut præteruehentis classis, si quas aberrantes &c. Portum Phœnicum ad maritima uix tutum.) 448. A. Legendum, portū Phœnicunta à maritima ut tutum. Non quod milites solum aliquot, sed quod L. Apustius.) Vetus lectio: Neque milites solum aliquot, sed L. Ap. Mox, in Bargyllam & Iasson descensionem.) Lege, in Bargylletico sinu excensionē. Plurimum terroris fecisset Gallis mercede cōducta, quatuor millia erant.) 448. B. Syncera lectio: Plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millib. erat. Sequenti uersu milites redundat. Coequitauerant autem sex M. equitum.) Quid istuc uerbi est coequitare? legendum, cum equitatu (erant autem VI. M. equitum) Paulò pòst, Philopœmenis summi omnium.) 449. A. Lege, summi tum omniū. Aliquanto pòst.) 449. B. Pro Aphrodisias & Priene, uetus lectio habet Aphrodisias crene. XIII. suis nauibus, & una Coa quinqueremi ad terram Gnidiorum, ut ibi in statione essent, profecti sunt.) Antiqua lectio: Vna Coa quinqueremi, altera Gnidia, Rhodum, ut ibi &c. Quanquam ne uulgata quidem lectio absurda uidetur. Verior habenda in quam plures manu scripti codices consentiunt. Portum quem Megiston uocant.(450. A. Archetypa Megisten habent. Et geographi Megistes insulæ in hoc tractu meminerunt, quæ fortasse eum portum efficit. Mox, ut in obuio classi, non ut obuij. Audiunt ad Aspendum iam hostes esse.) In manu scriptis legitur: audiunt ab Aspendijs ad Sidam iam hostes esse. Paulo pòst.) Pro, nam Eudemus in altum, nam nec sic in altum. Et) Locum post se quoque uenienti, non quoque. Aliquanto post.) 450. B. Includerentur, non intercluderentur: ac rursus.) Magisten. Item.) In Hispania reges, non Hispaniæ. Circumuecti ab urbe aduersa insulæ.) 451. B. Ad auersa insulæ legendum, quemadmodum habent manu scripti codices. Paulò pòst.) In acutum cacumen, non acumen. Sequens quoque uersus uitiatus est, à mari rupes excesæ fluctibus super claudunt. Restituimus, à mari excesæ fluctibus rupes claudunt. Aliquanto post.) 452. A. Noscere aut adire, non audire. Minutius est quod mox sequitur, primus è portu, non primum portu, sicut uulgatæ editiones habent. Virtute militum Romani longe regios præstabant, regiæ naues.) Hunc locum uidetur aliquis data opera corrupisse. Legendum esse Rhodios præstabant: Rhodiæ naues &c. satis declarant quæ sequuntur. nam ut donem agilitatem nauium, artem gubernatorum, scientiam remigum non minus recte tribui regijs quàm Rhodijs, populo in re nauali tum excellentissimo: certe ignes ad Panormum Rhodijs saluti fuerant, non regijs attestantur & scripta uolumina. Mox lege, metu ignis aduersi, non aduersæ. Nec erat cur paulò pòst.) 452. B. Anchorale in anchoram mutaretur, & debilitatam.) In debilitate. Anchorale dixit, quemadmodum dicitur hastile. Totidem ex utraque in arctiorem uelut cuneum.) Antiqua scriptura: Coit deinde ex utraque parte. Ac mox, ubi cohæret illic legitur, non urbs. Et aliquanto post.) 453. A. Ad deliberandum sumpto, non assumpto Nihil ea monuerunt regē, tutam fore bellis Asiam ratum.) 454. A. Syncera lectio: Tutam fore belli aleam ratum. Post aliquot uersus.) Omnis fortunæ subdia, non omnia: &, si extrahere tempus: non, dum extrahere. Paulò pòst.) 454. B. Non sagittarij equiti intermisti legendum, sed sagittarij equites. Hos Hippotoxotas Græci appellant. Nec est, ex propinquo castris facile, sed, ex propinquis castris facili subsidio. Mox, & tamen per se, non, duo tamen millia per se. Hanc Gemeam uocabant.) 455. A. Vetus scriptura, agema eam uocabant. Item.) Ab Ariarate missi rege. non missi erant regij. Quæ nihil ad malum Romanis, eadem perincommoda regijs erant.) 455. B. Vna uox fœde uitiata est. Lege, quæ nihil admodum Ro. &c. Non multo post.) Et eques insequendo, non equos. Et, auxilia enim subsidiaria, non subsidiáque, Grauius erratum quod sequitur, qui inter equites, quos appellant phalangitas, erat.) Lege, & quos appellant. Euitare impetum belluæ ex transuerso.) Lege. Et uitare impetum belluæ & ex trans. Mox,) Is quà fugam cernebat suorum, non sociorum. Item qui in præsidio erant.) Non, quæ in præs. erat. Et multo post.) 457. A. Si nunc moratus fuerit, non remoratus.

Defecerant enim uictiom in Aetolia metuere.) 458. B. Legendum est, uictam Aetoliam. aliquanto post.) 459. A. Pro, sibi autem tanto obligatos beneficio, lege, ipsi autem. Vsque ad Mæandrum amnem eæ ciuitates Rhodiorum essent.) 460. B. Vetus lectio: ea ciuitatis Rhodiorum essent. Deinde inter competitores censuræ est M. Claudius Marcellus.) 461. A. Non Gelo. Aliquanto post pro, multa concilia habuerat: illic legitur, multa congiaria. Quandoquidem taciti indignarentur nobiles homines, ideóque nouus. Syncera lectio: quando quod taciti indignarentur nobiles homines, id æque nouum &c. Mox, ab ultimis orientis.) 461. B. Hæc uox, partibus, non additur in ueteri scriptura.

IN LIB

IN LIBRUM OCTAVUM QUARTAE DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.



ET restituerent Aminandrum.) 462.B. Aminādrum redundat. Deinde in nostris archetypis est: fossa ita iungere.) 463. A. Non fossa iungere: Et) Asserem præfringebant, non, perfringebant. Adiunctis Achæorum quæ partis erant nambus.) 464. A. Lege Patris, non partis. Mox.) 464. A. suspenso fulturis, non furculis. Iurgijs excepti, quod rem traherent.) 464. B. Vetus lectio: Quàm diu rem traherent: ac rursus.) 465. A. Tyrrheum in Pyrrheū deprauatum. mox.) Lege, ut conditiones pacis conuenirent: non, ut ad conditiones. Item per fines suos, non tuos. Neque eos Aetoli recepissent, uel in Aetolia essent: eæ urbes agrique Acarnanum sunto.) 465. B. Antiqua lectio, ne quem eorum Aetoli recepisse uelint. Aeniadæ cum urbe agrisque Acarnanum sunto. Et coronam auream XV talentum afferebant minus.) 466. A. Legi debet: Et in coronam auream XV talenta afferebant. Sequitur continenter: Heluius integros, non Manlius. Præter Cibyram, Muleum.) Archetypa Syleum habent non Muleum. & Syleum apud Stephanum legitur. Mox, XX talenta se confecturum, non collecturum. Deinde ad Manandrum manserunt.) 466. A. Exemplaria nostra Mandrupyum habent, quam Mandropolin Stephanus appellare uidetur. Item.) Termesenses, non Telmesenses. Nam Telmesus maritima est, Termesus mediterranea. Deinde Xylinen comen lege, quemadmodum alibi Macran comen, & paulo superius Hieran comen. præterea Lysinoe non Lysione. Et.) Anabura non Antubura. Primus regum Asiam incolentium.) 467. A. In manuscriptis non est regum, ut non de regibus solum intelligatur, sed de dynastis quoque ac liberis ciuitatibus. Hi iam degeneres sunt misti & Galli & Græci, unóque nomine Gallogræci uere appellantur.) 467. B. Emendatior lectio, Hi iam degeneres sunt, misti, & Gallogræci uere, quod appellantur. Nec minus deprauatum est quod sequitur.

Massilia inter Gallos subtraxit aliquantulum ab accolis animorum, nisi quod ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit.) Restituimus ad fidem archetyporum: Massilia inter Gallos sita traxit aliquantum ab accolis animorum. Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? Subsidia enim in talibus iniquitatibus locorum maximæ spei sius fuerant.) 469. A. Antiqua scriptura. maximo sæpeusus fuerunt. Romani ardentibus animis.) 470. B. Legendum, ardentibus ira animis. & sequenti uersu, biduum natura montis exploranda absumpsit, non naturam explorando. paulò post.) Dextra læuáque prelati, non palati. Item, à porta Capena ad Martis.) 471. A. Non, ad Martis ædem. præterea, timore uano quietem exuerunt.) Non quietem excitauerunt malim. Iuxta uallum pro dirupto nouum obstruentes murum.) Scribo, iuxta ualidum, hoc est, æque ualidum. Laconicæ oræ castellis, quæ omnes adepti erant.) 471. B. Lege, quæ omnis adempta erat, uidelicet Lacedæmonijs. Ac mox, Las uicus.) Non Lanis, à quo uastato Castores Lapersæ Græcis denominati sunt. Item porta ex ea pecunia Megalopoli. 472. B. In exemplaribus quorum ob uetustatem fidem sequimur, porticus legitur non porta. Ibidem.) Pro, Lepidum deiecisse tradunt, cum Lepidum deiecisset. Romam reduceret M. Sempronius.) 473. A. Antiquior lectio, Romam reduceret M. Sempronium proprætorem. Hispanis legiones &c. & aliquanto post, néue minorem ex belli causa.) 473. B. Illic legitur, néue monerem. Quemadmodum enim trierem, ita dierem & monerem Græci dicunt. Paulò pòst.) 474. A. Parte dimidia pecuniæ remissa, non dimissa. Et Drymusam insulam, non donussam. Et 474. B. Phocensibus non Phocensibus. Leuiculum hoc uidetur, interest tamen non parum. Phocensium gens in Græcia est: Phocensium ciuitas ultra mare in Ionia: Mox Milyada lege, non Mityadam.

Q. Minucii Thermi morte omissum est inceptum. 475. A. Syncera lectio: plurimum Q. Minucij Thermi morte damni est acceptum. Ibidem non Geruntium sed Zerinthium lege: attestantibus manu scriptis codicibus & Stephano. Et longe post) 476. A. Rectius aliquanto illic legitur: Ambraciensibus superesse, quàm non superesse. An per omneis anfractus uiarum, cum ius consisteres.) 476. B. Scribo: cum ad biuia consisteres. Ac paulò pòst: Et corpora & animi misti ac uitiati sunt.) Nō & Corpore & animo misti ac mutati sunt. Et mox.) 477. A Censuisset bellum, non bella. Et sequenti uersu, nuntiaretur: singulariter. Sed referre etiā, si opus esse uideretur, parati essent.) Antiqua lectio: Si opus esset, uiderentur parati esse. item Nullus equidem inuideo honori: adde, P C. Nec est mox.) circa Asiam ad omnes urbes: sed, circa omnes Asiæ urbes. Ibidē mox, utra grauiori, non utrum à grauiori: & emoto, potius quàm moto. At enim sunt hæc ita. uerum etiam Delphos.) 477. B. Nihilo deterior uidetur uetus lectio, nempe hæc. At enim sunt quidem ista uera, etiam Delphos &c. Eadē figura usus est lib. 7. At enim quædam ciuitates cum Antiocho senserunt. & diu prius cum Philippo. Alias agro mulctatis uectigal imponitis.) Lege addendo, aliis uectigal imponitis. Mox: quieta in suis arcibus. non partibus. Te L. Scipio appello: cuius ego imperio succedens, inuicem imperij tui uirtutem felicitatemque pariter non frustra ab dijs immortalibus precatus sum.) Emendatior lectio: cuius ego tibi, succedens in uicem imperij tui, uirtutem &c. Item. non cum Gallis bellum senatus.) Lege addendo, bellum bis senatus. ac paulò pòst.) Sed ego, non, Sed si ego. Et) 478. A. Eodem modo super Aoum, non eo modo. Et præmia earum, non eorum. Præterea pro, non cupiditas gloriandi: lege addendo, non cupiditas gloriandi de me. Et, tamen procos. triumphum in Thracia.) Non, tamen triumphum. Deinde non, in Liternum concessit.) 479. A. Sed in Literninum: ut subintelligas rus: alioqui Liternum dixisset, absque præpositione. Et mox morbum causæ esse, nō causam. id casu ita scriptum uideri poterat, nisi post aliquot uersus repeteretur: Cum L. Scipio excuset, morbum esse causæ fratri, consentientibus uetustis codicibus. Antiochum, recepto eius fratre consorte huius gloriæ, L. Cornelius Scipio ultra Tauri iuga emouit.) Lege per parenthesin. (recipit enim fratrem consortem huius gloriæ L. Cornelius Scipio.) Mox est.) 479. B. Africani triumpho, non Africano. Quo ad primum consulatum: secundo etiam si censuram adijcias.) Non sine causa asteriscus hic appositus erat. Nodum dissoluerunt codices antiquæ scripturæ, in quibus ad hunc modum legitur. Quid ad primum consulatum secundus, etiam si censuram adijcias? nec est in sequenti uersu, necessitas, sed necessitate. ac mox: unus præcipuam. non unam. Item pro, quod æs in publicum.) Illic est, quod eius in publicum. Et aliquanto post.) Accessio inuidiæ, rectius quàm accessione. quod non dubito data opera deprauatum ab istis delicatulis. qui hiatus ne in alienis quidem scriptis ferre possunt. Quem rogationem Petilij quærere uellent) Imò rogatione Petilia. Alij hunc prætorem adeo amicum) Lege, ad hunc prætorem: & pro, alij adeo inimicum, aut adeo inimicum: pro prodiderunt, prodiderint. Ita tota periodus pulchre constabit; quam is quibus perperam scripsit, alij mire obscurant. Et tamen talia uix possunt scribis imputari. Vix tempero stomacho quoties in mentem uenit ingeniorum tam male auspicatorum, tametsi nimium crebro stomachandi materiam præbeant.

Cæterum mox.) 480. A. C. Furius quæstor Aculeo cognominatur non Culeo, quod cognomen in Terentia gente fuit, non Fu-

tia. Et aliquanto post pro: orationes quoque aberrant inter se.) Rectius illic legitur, abhorrent inter se. Hinc enim ipse Gracchus queritur.) 480.B. Tnscribe, hæc enim ipsa. Huic Graccho minorem ex duabus filiabus.) Cum constanter legatur in manuscriptis uoluminibus, ex duabus filijs: uidetur hoc loco Liuius contempsisse exceptionem grammaticorum. Neque enim iam est ambigua uox, quantum ad sexum attinet, si dicas duabus filijs. Si cui tamen magis placet uulgata lectio, cum eo equidem non pugnarim, contentus ueterem indicasse.

Quibus ita in publicum solenne sponsalibus rite factis.) Cur non inter publicum solenne potius? quemadmodum in archetypis legitur. Et ipsi desponsam reddidisse.) Grande operæ pretium fecit scilicet, quisquis ille fuit, qui hic de suo adiecit coniunctionem &. Libenter istas minutias dissimulo, inter annotandum duntaxat, sed hoc maius est erratum, quàm primo aspectu uidetur. quod qui non sentit, uel admonitus, is planè nihil sentit. Et aliquanto post: Causam dici uenisse. 481. A. Quis intelliget hæc? & tamen non nisi una litera deprauata est. Debet enim scribi, eam dici uenisse. Eam, uidelicet pacem nec minus lepidum quod continenter sequitur. Huc decem legatos simul argui que.) Quæ malum sunt hæc portenta? mutata una literula errori medebitur. Hic decem legatos simul argui. Nam coniunctionem que quis non uidet prauis castigatorum sedulitate tam apposite insultam? Paulò pòst: expulso eo in ultimum angulum.) Eo redundat. Hic certe uitandus erat hiatus, quod alibi parum opportune factum deprehendimus sæpius quàm indicauimus. Mox scriba quasi liberalitatem suam reuocans, tantundem subtrahit, quantum de suo adiecerat, scribendo: cuius gloria prodesse, pro, cuius cum gloria prodesse. Rursus ut hoc damni belle compenset, adijcit particulam id. Id ubi ergo esse regium aurum.) O diligentem scribam & laurea dignum, si ferula puerile præmium uidetur. Et hæc minuta contemnunt magni typographi ac celebres. Nihilominus in fronte libri magnifice iactant miram industriam in perscrutandis & conferendis uetustissimus exēplaribus, & alios præ se pro nihilo ducunt: atque in nostram Barbariem captata etiam occasione sibi inuehi permittunt. Paulò pòst pro, rogationem Petiliam ex S C. lege & S C.

IN LIBRVM NONVM QVARTAE DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.

INDE Cenomani conquesti Romæ.) 482.B. Id Cenomani, non inde. &c.) M. Aburius Tr. pl. non Amburius. Paulò pòst: quid ab eo quemquam æqui expectare? Lege addendo: quid ab eo quenquam posse æqui expectare? Item: & P C. orare.) 483. A. Lege, se & P.C. orare. &c.) Alieni momentis animi, non alienis. Tribunatum sibi à P.R. mandatum obliuisci pro auxilio ac libertate priuatorum. Vetus lectio: à P.R. mandatum obliuisci, & mandatum pro auxilio &c. ac mox.) Necessum esset: non, necessarium, aliquanto post: ij primum lectos æratos.) 483.B. Non, inde primū. Argenti pondo CCXX millia centumtria.) Omissum est auri pondus. Lectio erit integra hoc modo. argenti pondo CCXX millia auri pondo MMCIII. Huius mali tabes ex Hetruria.) 484.A. Labes est in uetustis exemplaribus, non tabes. Vt Hispalam identidem ex Auentino.) Legendum: indidem ex Auentino. Sequitur. In ludo simili Bacchanalibus.) 484. B. Pro quo uetusti codices habent: in luco Simile. Opinor Semelem detorta nonnihil uoce Similam tum uulgo indocto dictam, quemadmodum Græci nonnunquam in Romanis uocibus i præsertim breue per ε reddunt δομέτιον pro Domitio, βεργίλιον pro Virgilio dicentes. Ebutij, qui optime de eo ipso meritæ talem gratiā retulisset.) 485.A. Maluimus & hic fidem archetyporum sequi, in quibus scriptum est, qui optimi in eo ipso meriti. Paulò pòst est: tres in anno statos dies, non statutos. Cum publico nomine, quid eæ coniuratione. cœtúsque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent, tum priuata quisque suorum uice.) 485. B. Melius legitur: ne quid eæ coniurationes. Et, tum priuatim suorum quisque uicem. Iam maius est, quàm capere id priuata fortuna possit.) 486.A. Vetus lectio, quàm ut capere. Vbi deorum numen prætenditur, celerius subit animum timor. Lege, prætenditur sceleribus. Et, quo quisque loco positus erit.) 486. B. Non, quo quis. Præterea, nomen ne absentis detulisset, non de absentibus. Multorum delata quidem nomina, ex ijs uiri fœminæque mortem sibi consciuerunt.) Incorruptior lectio, multorum delata nomina, quidam ex ijs &c. Nec est A. Faliscum, sed Faliscum L. Opiternium. Quia multæ sationes & res peribant.) Ridiculum erratum. Lege, multis actiones & res peribant. Paulò pòst, se id omittere posse.) Non dimittere. & dum ne plus quinque, elegantius quàm, dum ne plures quàm quinque. Perfectus quæstionibus. Q. Marcius.) 487. A. Lege addendo: Perfectis quæstionibus prior Q. Marcius. Aliquanto post, in prouinciam ierat.) 487. B. Non in prouincia erat. Rursus paulò pòst.) 488. A. Sipontum dixit non Sipontem, quemadmodum Buxentum Latinis dicitur, qui Græcis Pyxûs.

Tamen quia rem integram Quintius.) Lege, cum quia rem. ac mox. Antiocho deinde bello superato ad Thermopylas, regi diuisis partibus.) Ordinem sic restituimus. Antiocho rege deinde bello superato ad Thermopylas, diuisis partibus &c.

Quod eum Aeni & Maroneæ affectare possessionem audierant.) Vetus lectio, quod iam Aeni & Maroneæ affectari poss.eu. In controuersiam autem ueniebant Philippo Polystricta. Phaloria & Euronome.) 488.B. Lege Philippopolis, Tricca, Phaloria & Eurymenæ. Et in parenthesi adde Aetolis (nam Philippum Aetolis ademisse eas constabat.) Alterū molestum. prauos mores.) 489.A. Antiqua lectio, alterū mores suos respuere. Dixisse finem Philippo ueterem, regiámque Thraciæ Paroreiam. Sub ea nusquam ad mare ferentem deflexisse uiam.) 489.B. Syncera lectio, direxisse finem Philippo ueterem uiam regiam, quæ ad Thraciæ paroreiam subeat, nusquam ad mare declinantem: Philippum nouam postea deflexisse uiam. X legatorū decretum specimen calumniæ imprudentissime prætendit, in quo maxime.) Antiquior scriptura: decretum calumniæ impudentissime prætendit, quo maxime &c. paulò pòst in integro manerent. 490.A. Non in integrum. Claudius unus ex omnibus nobilis candidatus erat.) 491. A. Nouus non nobilis. Et post aliquot uersus pro, non ut Claudianus.) Lege, non ui Claudiana. Post aliquam multos uersus ubi legitur, & Philippus quidem minime quin rebellandum esset dubius.) 491. B. Particulam quidem aliquis contra fidem ueterum codicum adiecit. Sed quod Areum & Alcibadem capitis ab se in concilio proximo damnatos cum legatis se accusaturos uidebat.) Coniunctionem sed, & has duas uoces, se accusaturos, non habent uetusta exemplaria. Quam iniquitatem conditionis subimus, quod ab illa spe non decidimus.) 492. A. Vetus lectio paucioribus uerbis tantundem dicit, hoc modo, subimus illa spe, iudicis animo teneditiurum &c. Et mox pro, Vestræ enim illæ deformes notæ seruitutis erant. 492.B. Illic legitur, defoemes uelutis cicatrices seruitutis. Nego antiquas Lacedæmonijs leges Achæos ademisse, quas non habebant.) Antiqua & syncera lectio sic habet: Ego antiquas Lacedæmonijs leges tyrannos ademisse arbitror: nos non suas ademisse quas non hab. &c. Paulò pòst lege addendo, re precaria libertas.) 493. A. Vbi re uocula interciderat. Et mox: dignitatem suam tenere apud Romanos nō posse.) Apud redundat. Ibidem lege, metum iniecit, non metu iniecto.

lectio.Nec ita tantum ut cuius lingua.) 494.A. Hæ particulæ, ita ut,non leguntur in uetustis exemplaribus. Ibidem: Coierant apud prætorē L.Flaccū.) Legendū: consenserántque præter L. Flaccū. Quieta deinde hyberna in citeriore prouincia habuit.) 494.B. Vetus scriptura: & citerior prouincia habuit. Deinde X I I.M.pondo argenti, X I I.pondo. Præterea: unum ex illis miseris attrahi iussum securi percußisse.) Non, unum ex damnatis. Nec est in ueteribus, nisi ea quoque decuplo.) 495.A. Sed decem, ut subintelligas millibus. Ac mox melius detergendas cloacas, quàm tegendas. Et) Interpretatores ultimo loco non Cn. Sulpicius est, sed Cn.Sicinius, qui ædilis proximo anno fuerat: quanquam illic corrupte Sicilium uulgatæ editiones habēt. P.Licinius Crassus pont.max.mortuus est: in cuius locum M. Sempronius Tuditanus pont.max.est creatus. C.Seruilius Geminus P.Licinij funeris causa uisceratione data, ludos fecit & gladiatores C X X pugnauerunt.) 495.B. Longe aliter habet uetus & incorrupta lectio, ad hunc modum: P.Licinius Crassus pont.max.mortuus est: in cuius locū M.Sempronius Tuditanus pontifex est cooptatus. Pont.max.est creatus C.Seruilius Geminus. P.Licinij funeris causa uisceratio data, & gladiatores C X X pugnauerunt. Nam P.Licinio Crasso C.Seruilius Geminum, Gemino M.Aemylius Lepidus pont.max.succeßit, ut facile apparet Liuium non oscitanter legentibus. Eadem paulò pòst, cum undique differenasset, sublata. defunctósque fato uulgo ferebant, quod inter fatalia uates cecinissent: necesse est tabernacula in foro statui.) Et hæc nonnihil discrepant à uulgata lectione exemplaria uetera: ubi legitur. Eadem paulò pòst, cum undique serenasset, sublata: defunctósque uulgo ferebant, quod inter fatalia uates cecinissent, necesse esse tabernacula in foro statui. Ob magnitudinem pristinæ eius fortunæ.) 496. B. Lectio uetus: obstupuerant ad magnitudinem. Item: Sed defectionis authores, quorum in manu res erat.) Lege defectionis authores quorum in manu Respub.erat. Paulò pòst: Duarum potentißimarum gentium.) Non duobus. Næuius hic magistratum non iniyt tribunatus plebis P.Claudio L.Porcio C O S S.) 497. A. Antiqua scriptura: Hic Næuius in magistratuum libris est tribunus pl. P.Claudio L.Porcio C O S S. Mox: ita uixisse in tribunatu Næuij uidetur: non, ut uideretur. Paulò pòst redundat se.) 497.B. Vix se sui arbitrij fore. Præuertendos etiam animos a suspicione.) Legendum auertendos. Item: in Axium amnem editur, non elabitur, attestantibus archetypis. Deinde pacem quàm incerta belli præoptantes.) Non, incertam belli spem. Postremo circa finem libri: insulam quæ non ante fuerat.) 498.B. Pro, nondum ante.

IN LIBRVM DECIMVM QVARTAE

DECADIS ANNOTATIONES

SIG. GELENII.



EXecrationésque quæ in agminibus proficiscentium audiri solent, in regē, uincente odio metum, exaudiebantur.) 499. A. Quid opus erat hic tot superfluas uoces infulcire? an parum integrū uidebatur: execrationésque in agminibus proficiscētium in regem, uincente odio metum, exaudiebantur: Quoniam dies appropinquabat.) 499.B. Exemplaria quorum fidem & inter se consensum libenter in hac editione sequimur, habent: cum iam appropinquabant. Aliquanto post lege addendo: cætera in suum quæque tempus agenda differunt.) Vbi hæc uox, agenda, interciderat. Mox: Alij singulos principum, non in singulos. Proditorem nolo dicere, speculatorem cittius, ex quo obses Romæ fuit.) 500.A. Hoc loco nostra archetypa melius. Proditorem nolo dicere, certe speculatorem habemus in sinu: cuius ex quo obses &c. Nec regem se alium renetur habituros esse.) Illic legitur: nec regem se alium habituros aiunt. Viuo & spirante me hereditatem meam ambo & spe & cupiditate improba petitis.) 500.B. Cremistus habet exemplar Maguntinum: quod certe magis antiquitatem sapit quàm suppositicia uox petitis. Nec patrem potestis pati. nihil cari, nihil sancti nominis nostris, cuius uice regni unius insatiabilis amor succeßit.) Restituimus ad fidem ueterum codicum hoc modo Nec fratrem, nec patrem potestis pati. Nihil cari, nihil sancti est: in omnium uicem regni &c. Furias fraternas cogitas.) 501.A. Concita legi debet non cogita. Tollatur nunc primus, ut regno fraterna cæde potior. Pater senex, & filio solus orbatus magis timebit ne irascatur, quàm ut filij ulcisci necē patiatur.) 501.B. Hic locus est egregie contaminatus. Ex collatione ad manuscripta restituimus sic. Tollatur. non primus regnum fraterna cæde petiero. Pater senex, & filio solus orbatus, de se magis timebit, quàm ut filij necem ulciscatur. Si illa criminosa ac uana accusatio erat.) 502.A. Incorrupta lectio: Si illa separata ab hac uana &c. Quis dies, qualis, quo lustratus exercitus.) 502.B. Lege quid dies &c. Prælatis omnium qui unquam fuere Macedoniæ regum armis, reges duo solito more tegentes latera pater præuecti sumus.) Antiquior lectio melior: prælatis o.q.n.f.M.r. armis regijs, duo soli tua teg. &c. Illic etiam prauo forsitan odio prouehente.) Legendū illo etiam (prauo forsitan) gaudio prouehente. Quod si non interuenissent insidiatores, somno sopiti iaceremus.) Quanto melior antiqua lectio: quæ si non interuenissent, insidiatores nos sopiti iaceremus. quod enim dicit insidiatores, ironia est. Mox addendæ duæ uoces te fateri. necesse erit te fateri, aut speculatorū &c. Ego nec obses Romanus ut traderer, nec ut legatus mitterer à te petij, missus ire non recusaui.) 503. A. Magis arridet antiquus ordo. Ego nec obses Romanus ut traderer, nec ut legatus mitterer Romam, petij: à te missus ire non recusaui. Etiam si à fratre caritate uincor.) 503.B. Scriptura antiqua: etiamsi caritate à fratre maiore uincor. Sed per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi.) Illic legitur: si per deditionem Ligures reciperet, receptis arma adimi. Et uicti perseuerantia Fuluij.) Melius quadrat quàm, uicit per seu. Fuluius.

Translatum argenti pondo millia C C C X X, auri L X X X I I.pondo, aureæ coronæ L X V I I.) Quantum ad argētum attinet, exiguum est quod Terentius in ærarium intulit, præ eo quod scriba locuples de suo adiecit, non minus liberalis in auro coronario. Credibilior summa est in manuscriptis codicibus. Translatū argenti pondo I X, millia CCCXX, auri LXXX. pondo & duæ coronæ aureæ pondo L X V I I. Quatuor legiones consules, quina.) 504.A. Lege I I I I. legiones consulibus, quæ quina. & naualibus socijs ciuibus Ro. non ciuium Ro. In præsentia dat ei omnia mandata.) 505.A Omnia redundat. Aliquanto post: fuga per Pæoniam præparata arguebatur.) 505.B. Non arguebant. Paulus prorogato consulari imperio.) 506.A. Legendum, prorogato ex consulatu imperio. Et post aliquam multos uersus pro, cuiusque ad Gallicum sinum.) Matteanóque cuius ad Gallicum sinum. Mox non est legendum erumpere extraordinarijs cohortibus à porta iussit.) 507.A. Sed, extraordinaria porta. Sic enim constabit quatuor portarum numerus: ut sint duæ principales, una quæstoria, & quarta hæc ipsa extraordinaria. Quem scrutantes antea in deuios saltus.) Tollenda est præpositio in. Paulò pòst pro: quia creditur Pythagoræ.) 507.A. Lege, qua creditur: & ibidem, accommodata fide pro accommodat fidem. Ac mox: pleraque dissoluendarū esse, non paulo elegantius quàm ad dissoluendas religiones. Et non multo post.) Lege addendo, igne à uictimarijs facto. Ad castra hostium speculatum misit, ut uiseret.) 507.B. Plus uera

borum habent hic nostra exemplaria. Misit proxime succedere ad uallum iussum: ut &c. Aliquanto post legendum: castra amissa esse, & tum cum maxime ardere.) Non arderent, ut est in uulgatis editionibus, distinctione etiam confusa. Ibidem, clamor accidebat, non accendebat. Tria millia peditum, quibus data quinquagena iugera, centurionibus centena.) 508. A. Vetus scriptura: tria millia peditum quinquagena iugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. Quæ cùm ita sint, ego tamen hæc prædico P C.) 509. A. Antiqui codices: ego iam hinc prædico. Mox adde infinitiuum uerbum scire eius esse dicere, qui scire posset: & ibidem.) Illud exploratum, non illos. Idem codices paulò pòst habent, ornari prouincias, non armari. Cum iam deditis remisisset admonens.) 510. A. In archetypo est: cum bis deditis rem esse admonens. Id qui legere non potuit, ob characterum formas ut opinor nostro seculo ignotiores, male diuinando sensum uitiant: atque idem ferè ex eadem causa in cæteris accidit, quæ deinceps usque ad finem libri indicabuntur. In partibus extremis iam oppugnabantur.) Iam pugnabatur, illic scriptum est. Et proxime sequenti uersu egregie legiones, non tertiæ legionis. Remitteret quæ ei datæ sunt à consule ad P. Manlium in Hispaniam ulteriorem milites deferri iussit: ad signa redire.) 510. B. Non erat opus asterisco, si acrius oculos atque animum aduertere non piguisset. Scriptum enim est hoc modo Literæque ei datæ sunt à COS S. ad P. Manlium in Hispaniam ulteriorem deferendæ. Milites iussi ad signa redire. Et proximo uersu est in eum annum, non eum annum. Et COS. iussus, non iussit. Duronius qui Pr. anno superiore ex Illyrico cum X. nauibus inde, in portu Brundusino relictis nauibus, cum uenisset Ro.) 511. A. Et hic ab archetypo discessum est, quod sic habet. Duronius, qui Pr. anno superiore ex Illyrico cum X. nauibus Brundusium redierat, inde in portu relictis nauibus cum uenisset Ro. Et paulò pòst pro: recusante quod sibi faceret.) Illic est: recusantique id facere. Pontifex in locum eius L. Acilius cooptatus Q. Fuluius Placcus ante pontificem maximum Aemylius Lepidus.) Archetypi scriptura: pontifex in locum eius à collegio cooptatus Q. Fuluius Placcus: in pontificem maximum Aemylius Lepidus. Libro nono per occasionem deprauatæ scripturæ indicauimus Seruilium hunc Crasso in eo sacerdotio successisse. Confer locum hunc cum illo, agnosces utrobique germanam lectionem. Et paulò post pro, urbem ingressus est uectus.) 511. B. Illic legitur: urbem est inuectus. Ibidem non, nummum centum septuaginta tres ducentos: sed, centum septuaginta tria millia, ducentos. Neque quingeni sunt diuisi, sed quinquageni. Et mox non est, qui à ternis ad quaternos.) Sed, qui alternis quaternos. Et nos à uobis admonefieri, nox uos à nobis debere.) 512. A. Pro admonefieri illic est, admoneri & regi. Si Gracchus maius sibi bellum esset, in ultima Celtiberie penetraret. Mundam ui cepit urbem, primo aggressos nocte. Acceptis deinde ex improuiso obsidibus, & castella oppugnare: præsidióque imposito deinde agros urere.) 522. B. Hic præter alia uitia ordo quoque multipliciter luxatus est. Rectius legetur hoc modo: Gracchus, quod maius ibi bellum esset, in ultima Celtiberiæ penetrauit. Mundam urbem primum ui cepit, nocte ex improuiso aggressus. Acceptis deinde obsidibus, præsidióque imposito, castella oppugnare, agros urere. Non dissimulantium rebellaturos esse.) In archetypo est: non dissimulantium bellaturos, si uires essent. Fulmina etiam sic undique micabant, ut lucere uiderentur corpora.) 515. A. Pro lucere peti habet archetypon. Postremo pro ium firma retres.) Dum firmaret res, legendum.

ANNOTATIONVM SIGISMVNDI GELENII IN QVARTAM DECADEM FINIS.

EMENDATIONES EX CODICE

THEODORICI MORELLI VIRI

ERVDITISSIMI ET DILIGENTISSIMI.



ELVT dißidentes.) Fol. 1.B. Desidentes, hoc est, pessum euntes. à desido desidis. sequitur enim lapsi sint, & ire precipites. Iisque exta apponerentur,) 4.A. Vetus exemplar habet, iique exta potirentur: ut à potiendo dicti sint Potitij. πεῖνα uero idem ualet quod fames. Decreto arma petisse.) 5.B. Vetus exemplar habet directo, ut opponatur illi ambagiosæ petitioni, qua uel arma, uel armillas poscere uidebatur, dum pacisciter ut id sibi traderent, quod in sinistris manibus haberent. Nunc autem plane ex uerbis explicitis arma petisse putatur, quamobrem non auara, sed insidiosa est habita, tanquam quæ illos nudos uellet hosti obijcere, neque tamen improbauerim decreto. Quique cum eo equites erant. 6.B. Vetus exemplar equis ierant. Nulla parte adiutis.) Nulla arte adiutis. Augur ad leuam cum capite uelato.) 7.B. Rhodiginus lib. 20. cap. 12. sic distinguit, Augur ad leuam, cum capite uelato: ut intelligatur Numæ caput obtectum. non auguris, citátque Plutarchum in Numa. Quòd earum sibi concilia.) 8. B. Quòd earum ibi concilia. Vltimum illud usuri.) 11. B. Vltimum illas usuri. Agedum, inquit, diuine tu, inaugura.) 14. A. Agedum, inquit, diuina tu in augurio fierine posit, quod nunc ego mente concipio cum ille inaugurio rem. Seruum, seruique natum,) 17.B. Seruum, serua natum. Clam quidam mußitantes.) 18.A. Vetus codex clam quidem ita eum uocabant, sed tamen passim. Pugnant inter se, quosdam clam mußitantes, & uulgo eum appellasse Superbũ. Vulgo dicitur quod à nemine non iactatur à quibusdam dicitur quod à paucis. Si transitum pontem.) 25. A. Si transitum, id est, ad transeundum. Vtcunque ceciderit.) 26. A. Vtcuique ceciderit. Tributum iniquo suo tempore.) 29. A. Tributum iniquum, ac non suo tempore imperatum. Distenderent hostium copias.) 50. A. Legi solebat distinerent, at Budæus legit distenderent. Per concionem duobus Quintijs.) 53. A. Cottionem legit Rhodiginus lib. 14. cap. 16. Appius amore ardens.) 55. B. Appius amore amens. Crimine obnoxia.) 79. B. Crimini obnoxia. Quantam uictoria.) 81. A. Quantum uictoria. Germanorum.) 96. B. Cenomanorum. Circa Ticinum. ibid. citra Ticinum. Semoni Sango.) 142. A. Semoni Iano legit ex Augustino Rhodiginus lib. 2. cap. 3. Vide Lilium Gregorium de dijs syntagmate primo. Antiquæ obrogat nouæ. 162. A. Ferrarius in Philippica Cic. dicit in manu scriptis codicibus legi, Antiquam abrogat noua. Diem diffidit.) 164. A. Budæus legit diffudit. Vti rogastis.) 170. A. Vsi rogati estis. non enim populus rogat, sed rogatus iubet. Ad Capuam liberandam obsidionem.) 276. B. Budæus legit ad Capuæ liberandam obsidionem. Ab eo miraculo Thaumaci appellati.) 377. B. Budæus legit Thaumasti. Noxæ futuram.) 403. B. Budæus legit noxiæ. Caius Terentius Istra. 507. A. Caius Terentius Hister.

TRANSLATIONES ALIQVOT

LIVIANAE EX SCHOLIIS

IOANNIS SAXONIS.



IBRO 4. ab Vrbe condita.) Fol. 68. B Præcipitique iam die curare corpora milites iubet. Certamine, quod ingens exudandum esset.) 70. A. Vt quem senatorem concoquere ciuitas uix posset, regem ferret.) 70. A. Libro 5. Deinde multa iam edita cæde, senescit pugna. 92. B. Differendo deinde elanguit res. 94. B. Libro 6. Sed uegetum ingenium in uiuido pectore uigebat, uirebátque integris sensibus.) 111. A. Libro 8. Omnibus consultationibus inter se principes occultè Romanum coquebant bellum. 135. A. Libro 21. Reciprocare animam. 202. B. Libro 22. 209. B. Et ad aures quoque militum dicta ferocia uoluebantur.) Libro 26. 279. A. Vt ad tertiam buccinam præsto essent. Libro. 27. 308 B. Cum in Italia ad Thrasymenum & Cannas præcipitasset Romana respublica, prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse. Secunda in Italia Siciliáque gesta, quassatam rem publicam excepisse.) Libro 32. 380. B. Fluctuatus animo est, utrum protinus in regnum se reciperet, an reuerti in Thessaliam posset.) Libro 34. 406. B. Is cum supercilio haud procul distantis tumuli ab urbe instructam aciem ostendisset.) Libro 36. 432. A. Cui si semel in causam descenderit, nihil integri futurum sit. Mnesilochus princeps Acarnanum multis emptus donis, id est, corruptus. 433. B. Aetolorum praua consilia, atque in ipsorum caput semper residentia accusauit.) 438. B. Libro. 37. 452. B. Romanorum duæ naues fractæ sunt, uulneratæ aliquot. Gloriámque eius uictoriæ defloratam ad Thermopylas esse.) 446. B. Libro 38. 472. B. Per hæc uelut eneruata ciuitas Lacedæmoniorum. Graue præda omnis generis agmen trahens.) 474. B. Cum senecta res quoque defloruere.) 479. B. Libro 40. 501. B. Illic ante omnia clandestina concocta sunt consilia. 501. B. Cum obsideri aures à fratre cerneret.) 504. B. Profectos à domo inexplicabiles continuis imbribus uiæ, & inflati amnes tenebant.) 508. A. Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.) 512. A. Libro 42. 528. B. Tum insidiatores exorti, saxa duo ingentia deuoluunt, quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus. Solos Rhodios fluctuantes & imbutos Persei consilijs inuenisse.) 531. A. Ventosum ingenium.) 532. A. Circumagetur hic orbis, erit mox qui arguat &c. id est, mutabitur hic status rerum.) 535. B. Sicubi P. R. sua fortuna labet.) 538. A Non portas claudere regi satis habuerunt, sed probris quoque in ipsum Macedonásque procacibus iaculati sunt.) 539. A. Vt secunda fortuna in conditione honestæ pacis uteretur, potius quàm spe uana euectus in casum irreuocabilem se daret.) 541. B. Libro 44. 551. A. Castra tumulo sunt acclinata. Claustra Macedoniæ tradita Romanis esse.) 552. B. Saxis tormento emicantibus.) 553 B. Dubij suspensæque ex fortuna fidei.) 555. B. Libro 45. 565. B. Præcerptam tamen eius rei lætitiam inuenerunt. Is ad occupatas iam aures, solicitatúmque iam animum cum uenisset, aggressus tempestiuis temporibus rem propè prolapsam restituit. 570. B.

GLAREANI CHRONOLOGIA, PER

Iodocum Badium Ascensium in seriem literarum redacta, signatis annis Olympiadum, ab Vrbe condita, & post Natalem dominicum etiam salutis humani generis. Posita autem sunt ad confusionem vitandam, nomina propria & cognomina, ante prænomina, quia illis notiora, præter Appium, quod omnes sciunt Claudiorum esse prænomen. Itaque lectis in Liuio magistratibus, si nosse cupis quo tempore fuerint, ad hunc indicem recurre.

ACilius Balbus, prænomine M. Consul Olympiadis 157. anno 4. urbis conditæ 604. Videatur Quintius Flamininus.

Acilius, seu (ut apud Plin. legitur lib. 2. capi. 29. & lib. cod. cap. 56. uel 58.) Attilius Balbus, prænomi. M. Consul Olympia. 166. an. 4. urb. condi. 640

Adelphi Terentij fabula acta Olympia. 155. anno 2. urbis cond. 594. L. Anitio Gallo, & M. Cor. Cethego Coss.

Aelius Ligus præn. P. Cos. Olym. 152. anno 2. urb. cond. 582

Aelius Pætus, præn. P. Consul Olym. 111. an. 2. urb. cond. 418

Aelius Pætus, præn. P. Consul Olymp. 145. an. 1. urb. cond. 553

Aelius Caritanus, præno. Q. (quod nomen in Liuij codicibus mire uariatur, quibusdam Aemilium, quibusdam Aulum appellatum contendentibus) consul Olymp. 114. an. 3. urb. cond. 431

Aelius Caritanus præno. Q. Consul iterum Olymp. 115. an. 3. urbis condi. 435

Aelius Pætus, præn. C. consul Olymp. 123. an. 3. urb. cond. 467

Aelius Pætus, præn. Sex. consul. Olym. 145. anno 4. urb. condi. 556. Additur à quibusdam Catus, ex Plin. lib. 33. cap. 11. Glarean. cum putat qui fuit anno 587

Aelius Pætus Catus, præn. Q. de quo Plinius loqui uidetur lib. 33. cap. 11. consul Olym. 153. anno 3. urbis cond. 587

Aelius Tubero, præn. Q. consul Olym. 192. anno 3. urbis conditæ 743. Meminit Plin. lib. 8. cap. 17

Aelius Lamia, præn. L. consul Olym. 195. anno 3. urb. conditæ. 755. Christi domini anno 5

Aelius Catulus, præn. Sext. Consul Olym. 195. anno 4. urb. conditæ 756. Christi domini sexto.

Aemilius Mamercus, præn. L. Consul Olymp. 74. anno 2. urb. cond. 270. ut etiam fatetur Dionysius Halicarnasseus.

Aemilius Mamercus præn. L. consul iterum Olymp. 75. anno 4. urbis conditæ 276

Aemilius Mamercus, præn. L. consul tertium Olym. 77. anno 1. urbis conditæ 281.

Aemilius Mamercus, præn. T. consul. Olym. 77. an. 4. urb. cōd. 284. Halicarn. hunc Tiberium uocat, sed Glareanus errorem putat codicum, quanquam litera T. nonnunquā in his fefellit.

Aemilius Mamercus, præn. T. Consul iterum Olym. 78. an. 3. urbis conditæ 287

Aemilius, præn. M. cogn. Mamercus, aut Fidenas, Trib. mil. consulari potestate Olym. 86. anno 1. urbis cond. 317

Aemil. Mamerc. præ. M. consul Olym. 93. anno 1. urb. con. 345

Aemilius Mamercus, præno. M. Trib. mil. Olymp. 94. anno 2. urbis conditæ 350

Aemilius Mamercus, præn. M. Trib. militum iterum Olym. 94. anno 4. urbis conditæ 352. Sunt qui hunc Mamertinum uocent, nescio quare.

Aemilius Mamercus, præn. M. Trib. militum tertium Olym. 95. anno 2. urbis conditæ 354

Aemil. Mamerc. præn. C. Tr. mil. Olym. 97. an. 1. urb. cond. 361

Aemilius Mamercus, præn. C. Trib. mil. II. Olymp. 97. anno 4. urbis conditæ 364

Aemilius Mamertinus, præno. M. Trib. mil. Olym. 97. anno 4. urbis conditæ 364.

Aemilius Mamertinus, præn. L. Trib. mil. Olymp. 98. anno 2. urbis conditæ 366

Aemilius Mamertinus, præno. L. Trib. militum iterum, Olymp. 98. anno 3. urbis conditæ 368.

Aemilius Mamertinus, præn. L. Trib. militum tertium Olymp. 99. anno 4. urbis conditæ 372

Aemilius Mamertinus, præno. L. Trib. militum quartum Olym. 100. anno 1. urbis conditæ 373

Aemilius Mamertinus, præno. L. Trib. militum quintum Olym. 101. anno 2. urbis conditæ 378

Aemilius Mamercus, præno. L. consul Olym. 104. anno primo urbis conditæ 389

Aemilius Mamercus, præno. L. Cos. iterum Olym. 104. anno 4. urbis conditæ 362

Aemilius Mamercus, præn. L. consul. Olymp. 110. anno 2. urbis cond. 414. Homo est nouus, quanuis quidam hunc Mamercum, illum anno 389. Mamertinum uocent.

Aemilius Mamercus, præno. T. (in Diodoro Tiberius dicitur, alij non Mamercum, sed Mamertinum cognominant) consul Olym. 110. anno 4. urbis conditæ 416

Aemilius Mamercus Priuernas, prænomi. L. consul Olymp. 113 anno primo urbis conditæ 425

Aemilius Barbula. præn. Q. Cos. Olym. 116. anno primo, urbis conditæ 437

Aemilius Barbula, præn. Q. Cos. iterum Olymp. 117. anno 4. urbis conditæ 444

Aemilius Paulus, præn. C. alijs. Q. Caßiodoro L. Cos. Olymp. 119. anno 4. urb. cond. 452

Aemilius Lepidus, præn. M. Cos. Olym. 123. anno 4. urbis conditæ 468

Aemilius Papus, præn. Q. Cos. Olymp. 124. anno 3. urb. cond. 471. Vide Plin. lib. 7. cap. ult. de hoc anno, & lib. 16. cap. 2

Aemil. Barbula, præ. L. Cos. Olym. 124. an. 4. urb. cond. 472

Aemilius Papus, præno. Q. Cos. iterum Olym. 125. anno tertio, urbis conditæ 475

Aemilius Paulus, præ. M. consul Olym. 131. anno secundo, urbis conditæ 498

Aemilius Lepidus, præn. M. Cos. Olym. 137. anno primo, urbis conditæ 521

Aemilius Barbula, præn. M. consul Olym. 137. anno 4. urbis conditæ 524

Aemilius Paulus, præn. L. Cos. Olym. 139. an. 1. urb. condi. 529. Hic autem Aemilius, siue Paulus, ut eum Plin. uocat, siue Papus, ut alij, cognominandus, certè hoc bello Gallico perijt, ut author est Polybius lib. 2

Aemilius Paulus, præn. L. Cos. Olym. 140. anno 3 urbis conditæ 535. Videatur Liuius, præno. M.

Aemilius Paulus, præno. L. Cos. iterum Olymp. 141. anno 2. urbis conditæ. 538. Hic autem auus fuit Scipionis Aemiliani, cuius identidem meminit Cicer. & quarto anno consul cum M. Liuio, non C. Lælio ut deprauate legitur in Liu. Perijt autem apud Cannas.

Aemilius Lepidus, prænomine. M. Cos. Olym. 148. anno 3. urbis conditæ 567

Aemilius Paulus, prænomin. L. Cos. Olymp. 149. anno 4. urbis conditæ

conditæ 572. Qui Paulus eius Pauli progenies uidetur qui apud Cannas perijt.

Aemil. Lepidus, præ. M. consul Olym. 151. an. 3. urb. cond. 579

Aemil. Paulus, præ. L. Cos. iterum Olym. 153. an. 2. ur. cõd. 586

Aemilius Lepidus præno. M. consul. Olym. 155. anno 4. urbis cond. 596

Aemilius Lepidus Porcina, præno. M. Cos. Olym. 161. anno 1. urbis conditæ 617

Aemil. Lepid. præn. M. consul Olym. 163. an. 4. urb. cond. 628

Aemilius Scaurus, præn. M. Cos. Olym. 166. anno 3. urbis conditæ 639

Aemilius Scaurus Hortensius, præno. M. Cos. Olym. 168. an 2. urbis cond. 646

Aemilius Lepidus, præn. M. Cos. Olym. 175. anno 4. urbis conditæ 676. Meminit huius & Q. Luctatij Catuli collegæ eius Plin. sæpe. ut lib. 10. cap. 21. lib. 36. cap. 6. ubi in numero annorum erratum est. 10. annis. Item lib. eod. capit. 15. & lib. 35. cap. 3. & Florus lib. 90. Cicero lib. 1. offic. de deco. patrem ac filium Catulos ponit. Quære hic uidetur filius eius qui fuit consul an. urbis 652

Aemilius Mamercus, præno. M. Cos. Olymp. 176. anno 1. urbis conditæ 677

Aemilius Lepidus, præn. M. Cos. Olymp. 178. anno 4. urbis conditæ 688. Sallustius in Catilina. hunc & L. Iulium Tullum Cos. ponit: sub quibus designati sequentis anni Cos. P. Cornelius Sylla, & P. Antronius Pætus legibus ambitus interrogati pœnas dederunt.

Aemil. Paulus, præ. L. Cos. Olym. 182. anno 4. urb. cond. 704. Plin. huius & C. Claudij Marcelli meminit lib. 2. cap. 58

Aemilius Lepidus, præno. M. Cos. Olym. 183. anno 4. urbis conditæ 708

Aemilius Lepidus, præno. M. Cos. iterum Olym. 184. anno 4. urbis cond. 712. Huius & L. Munatij Planci Coss. meminit Plin. lib. 2. cap. 31. & Suet. in Tiberio. Vnde Sueto. in Augusto: C. Cæsar Octauius primum cum M. Antonio M. q; Lepido, deinde tantum cum Antonio per 12. ferè annos, nouißimè per quatuor & 40. solus Rempub. tenuit.

Aemilius Lepidus, præno. M. consul. Olym. 196. anno secundo, urbis conditæ 758. Christi domini 8

Aemilius Lepidus, præno. M. consul Olym. 197. anno tertio, urbis cond. 763. Christi domini 13

Aenobarbus, uideatur Domitius.

Afranius, præno. L. consul Olymp. 180. an. 2. urbis cond. 694. Plin. hunc C. Afranium uocat lib. 2. cap. 69. & collegam eius Metellum Celerem, sicut & Sallustius in Catilina.

Africanus, uideantur Fabius & Scipio.

Agrippa Furius Medullinus, consul Olymp. 84. anno primo urbis cond. 309

Agrippa Menenius Lanatus Trib. mil. Olym. 90. anno 4. urbis conditæ 336

Agrippa Menenius Lanatus, Trib. mil. iterum Olymp. 91. anno secundo, urbis cond. 338

Agrippa Menenius Lanatus consul. Olympia. 69. anno 3. urbis conditæ 251

Agrippa Furius Philo, Trib. mil. Olym. 97. anno 4. urbis conditæ 364

Agrippa, uideantur Menenius & Vipsanius.

Albinus, præno. M. uir plebeius, Trib. mil. Olym. 100. anno 4. urbis conditæ 376

Albinus, uideatur Posthumius.

Alfenus Varus, præno. P. Cos. Olymp. 195. anno 2. urbis cond. 754. Christi domini quarto.

Albus Regillen. uideatur Posthumius.

Amentinus, uideatur Volumnius.

Ancus Martius quartus Rom. Rex, qui regnauit annos 24. regnare cœpit anno 2. Olym. 35. & urb. cond. 114

Andria Terentij edita Olymp. 153. anno 4. urbis cond. 588. C. Sulpitio Gallo, & M. Claudio Marcello consulib.

Annibal authore Plinio uictus est Olym. 145. anno 1. urbis conditæ 553. cum Liuius scribat anno 552

Annibalis mors, authore Liuio Olympia. 149. an. 3. urb. 571

Annitius Gallus, præn. L. Cos. Olym. 155. an. 2. urb. cond. 594 quo & M. Cornelio cethego Cos. acta Terentij Adelphi.

Annius Fusius, præno. T. Cos. Olymp. 157. an. 1. urb. cond. 601

Annius Rufus, præn. T. Cos. Olympia. 163. an. 2. urb. cond. 626

Anni urb. cond. 522. Olym. 137. anno 2. consules non sunt scripti: quod unde Glarean. coniecit, longum esset enumerare: authoribus autem certis, Dionysio, Cicer. ac Plin. moti, hunc, inquit, ordinem secuti sumus, omittentes Coss. quos alij tertio anno secundi belli Punici post Flaminium, ac Seruilium posuere, uidelicet M. Attilium Fabianũ, ac Cn. Seruilium Mufitanũ: atque id etiam authoribus Polybio, Plinio ac Liuio fecimus.

Antemnatium bellum in Romulum, anno regni eius & urbis conditæ quarto Olymp. 7. anno 4

Antistius, præ. L. Trib. mil. Olymp. 100. an. 4. urb. cond. 376

Antistius uetus, præ. C. Cos. Olymp. 193. an. 4. urb. cond. 748

Antonius, præ. M. Cos. Olym. 170. an. 3. urb. cond. 655. Meminit huius & A. Posthumij Albini Plin. lib. 8. cap. 7. etiam cum hoc numero ab urbe cond. & Gell. lib. 4. cap. 6.

Antonius Merenda, præno. Q. Trib. mil. Olym. 90. anno 1. urbis conditæ 333

Antonius, præn. C. Cos. cum Cicerone Olymp. 179. anno 3. urbis conditæ 691

Antonius, præn. M. Cos. cum C. Iulio Cæsare, qui sibi P. Cornelium Dolabellam suffecit Olympiad. 184. an. 2. urbis conditæ 710

Antonius Pætus, præn. L. Cos. Olym. 185. anno 1. urbis conditæ 713. Hic L. Antonius M. Antonij Triumuiri frater fuit, ut ait Flor. lib. 125. Videatur Iulius.

Appellus, uideatur Quintius.

Appius Claudius Pulcher cæci nepos Cos. Olym. 132. an. 4. urb. condi. 504. Plin. huius & L. Iunij Pulli meminit lib. 15. cap. 1. ubi legendum quingentesimoquarto, non quinto. Gell. lib. 10. cap. 6. huius sororem Cæci filiam uocat, haud scio quàm bene. Hic malè in Pœnos pugnauit, non Appius Cl. caudex, ut ex Floro ac Polybio planè intelligitur.

Appius claudius Sabinus, primi Appij filius, Cos. Olym. 77. anno 3. urbis conditæ 283

App. claud. Sabinus Regillensis, T. Genutius, P. Sestius Vaticanus, Sp. Posthumius Albus, Sulpitius camerinus, A. Mãlius, quẽ quidam Manlium uocãt. T. Romulus Vaticanus, C. Iulius Tullus. T. Veturius Geminius, P. Horatius Trigeminus, quos tres Halicarn. consulares fuisse dicit. Liuius ultimum curiatium uocat, primi fuerunt Decemuiri Olym. 82. an. 3. urbis cond. 303. ut dicetur in uocabulo Decemuiri.

Appius claudius crassus, Trib. milit. iterum Olym. 94. anno 4. urbis conditæ 352

Appius crassus claudius cos. Olymp. 108. an. 2. urbis cond. 406. Videatur L. Furius camillus.

Appius claudius crassus Trib. mil. Olym. 89. anno 3. urbis conditæ 331. pro quo quidam posuerunt c. Papyrium crassum, sed Liuius Appium claudium uocat.

Appius claudius crassus cos. 111. Olymp. 121. an. 1. urbis conditæ 457

Appius claudius crassus cos. Olym. 118. an. 3. urbis cond. 447. Huius sequentisque anni coss. omissos à Pisone ait Liuius, at cic. in catone non omisit. Sunt etiam apud cassiod. Hic censor ille est, postea cæcus. Eius filius fit consul an. 485. At is qui cos. est an. 505, nepos eius est, authore Plinio. lib. 15. cap. 1

Appius claudius cæcus orationem habuit ne cum rege Pyrrho pax fieret, authore cicer. in catone, Olympia. 127. anno 2. urbis conditæ 474

Appius claudius Pulcher caudex cos. Olymp. 129. anno 1. urbis conditæ 489

Appius claud. Pulcher consul Olymp. 142. an. 2. urb. cond. 542

Appius claud. Pulcher consul Olymp. 149 an. 1. urb. cond. 569

Appius claud. Pulcher consul Olymp. 159. an. 3. urb. cond. 618

Appius claud. Lentulus consul Olym. 162. an. 4. urb. cond. 624

Appius claud. Pulcher consul Olympi. 175. an. 3. urb. cond. 675

Appius claud. Pulcher consul Olymp. 181. an. 4. urb. cond. 700

Appius Claud. Pulcher consul Olym.185.an.4.urb.cond.716

Apuleius Pansa, præno. Q. cos. Olym.120.anno 1.urbis condite 453

Apuleius præn. Sext. cos. cum C. cæsare Octauio quintum consule Olym.188.an.1.urbis cond.725

Apuleius præn. M. cos. Olym.190.an.2.urb.cond.734

Apuleius, præn. Sex. cos. Olymp.198.anno 2.urbis cond.766. Christi domini 16

Apustius, præn. L. consul Olymp.138.an.4.urb.cond.528

Aquilius, præn. C. consul Olym.73.anno 3.urbis cond.267. cuius cognomen non legi.

Aquilius coruus, præn. L. Trib. militum Olym.98.anno 3.urb. condite 367

Aquil. Florus, præn. C. cos. Olym.130.an.2.urbis cond.494

Aquilius præn. M. cos. Olym.163.an.1.urbis cond.625

Aquilius præn. M. cos. Olym.170.anno 1.urbis cond.653. Vide C. Marium Nepotem cos. V.

Aquilinus, uideatur Herminius.

Aquilij, uideantur Largij.

Aruntius, præn. L. consul Olymp.189.an.4.urb.cond.732

Aruntius præn. L. consul, si idem est qui anno urb.cond.732 iterum, Olym.196.an.2.urb.cond.758. Christi domini.8

Asinius Pollio, præn. C. consul Olym.185.anno 2.urbis condite 714

Asinius Gallus, præn. C. consul. Olym.193.an.2.urb.cond.746

Asiaticus, uideatur cornel. & Scipio.

Asina, uideatur cornelius.

Aternius Fontinalis, præno. A. cos. Olym.81.anno 4.urb.cond. 300. In Plin. lib.7.cap.28. legitur Thermus pro Aternio, & item in Gell. libro secundo cap.11. uidetúrque scriptum Aternius pro Aulo Thermo.

Atratinus, præn. L. cos. Olym.186.anno 4.urbis cond.720. Vide Sempronium.

Attilius Regulus calenus, præno. M. cos. Olym.III.anno 4.urbis cond.420

Atti. Regulus, præn. M. consul Olymp.121.an.3.urb.cond.459

Attilius Regulus Seranus, præ. M. con. Olym.128.anno 2.urb. cond.486

Attilius calatinus, præn. A. (Polybius Rutilium uocat) consul Olym.130.anno 3.urbis cond.495

Attilius calatinus, præno. A. cos. iterum Olym.131.anno 3.urbis cond.499. Aquilium hunc uocat Polybius, si codex non errat. Cice. Attilij huius meminit (ut puto) in catone, post Valerium coruinum.

Attilius Regulus Seranus, præn. C. cos. Olym.132.anno tertio, urbis condite 503. Hic autem non est ille Regulus qui ad supplicium est reuersus, ut fidẽ hosti datã seruaret, quippe sex ante annis captus ille erat, si Polybio credimus, & à carthaginiensibus miserè occisus.

Attilius Balbus, præno. C. cos. iterum Olymp.136.anno 2.urbis cond.518. In Plutarcho, prænom. est M. pro C.

Attilius Regulus, præn. M. cos. Olymp.138.anno 3.urbis condite 527

Attilius Regulus, præno. C. cõsul Olym.139.anno 1.urbis cond. 529. Meminit Plinius lib.3.cap.20. quanquam codices eo in loco mirè errant.

Attilius Regulus Seranus, præn. M. cos. II. Olym.130.anno 4. urbis cond.496. Quo anno Polybius captum ait Regulum qui fuit bis consul, authoribus Plinio ac cicerone, antea anno urbis cond.486. & hoc anno: quare alius est C. Attilius Regulus anno urbis cond.503

Attilius Regulus, præn. M. Olymp.141.an.1.urbis cond.537. suffectus cos. II. C. Quintio Flaminio, etiam secundum Polybium, qui cum Liuio fatetur hunc subrogatum Flaminio, ac anno seq. Proconsulem res gessisse.

Attilius Balbus, præno. C. cos. Olymp.133.an. 4.urb.cond.508

Attilius Glabrio, præno. M. consul Olym.147.anno tertio, urbis condite 563

Attilius Seranus, præno. C. cos. Olym.152.an.4.urb.cond.584

Attilius Seranus, præn. Sext. cos. Olympia.161. anno secundo, urbis condite 618

Attilius Seranus, præno. C. cos. Olym.168.anno 4.urbis cond. 648. Meminit huius & Q. Seruilij cæpionis Gellius lib.15. cap.28. atque his coss. natum ciceronem.

Acilius Glabrio, prænom. M. consul Olympiad.178.anno 3.urb. condite 687

Attilius Longus, Trib. mil. Videantur Tribuni militum.

Atticus, uideatur Manlius Atticus.

Auentinensis, uideatur Genutius Auentinensis.

Aufidius Orestes, præn. Cn. consul Olym.177.anno 3.urbis condite 583

Augustus, uideantur cæsar, Octauius.

Augurinus, uideatur Genutius. Minutius.

Augur, uideatur Lentulus.

Aurelius cotta, præn. C. cos. Olympiad.132.an.1.urb.cond.501

Aurelius cotta, præn. c. cos. iterum Olym.133.anno 1.urbis condite 505

Aurelius cotta, præn. c. cos. Olym.145.an.2.urb.cond.554

Aurelius Orestes, præn. L. cos. Olymp.156.anno primo, urbis cond.597. Videatur Sex. Iulius Cæsar.

Aurel. Orestes, præn. L. consul Olym.169.an.3.urb.cond.651

Aurelius Cotta, præn. L. cos. Olym.159.an.2.urb.cond.610

Aurel. Orestes, præn. L. cos. Olymp.163.an.4 urb.cond.628

Aurelius Cotta. prænom. L. Cos. Olympiad.165. anno tertio, urbis condite 635

Aurelius cotta, præn. L. & in caßiodoro. C. cos. Olympiad.176 anno tertio, urbis condite 679. Videtur autem is qui iterum consul decennio post.

Aurelius cotta, præno. M. cos. Olympia.176. anno quarto, urb. cond 680. Vide Licinium Lucullum.

Aurelius cotta, prænom. L. cos. iterum Olymp.179. anno 1.urb. condite 689

Aurelius cotta, præno. M. cos. Olymp.199. anno 4.urbis cond. 772. Christi domini 22

Aruinus, uideatur Posthumius.

BAlbi prænom. sunt Acilius, Attilius, Norbanus Lelius, Papyrius, & Petilius.

Barbula, uideatur Aemilius.

Barbatus, uideatur Horatius & Quintius.

Bellum Samniticum Olym.109.anno 4.urb.cond.412

Bellum Romanum gestum cum rege Pyrrho Olymp.124.anno tertio, urbis cond.471

Belli primi Punici initium Olymp.129.an.1.urb.cond.489. Polybius lib.1. ait Romanos primum mare ingressos Olym.129. Dionysius autẽ an.3. centesimæ uicesimæ octauæ Olympiados.

Bellum quoddam Gallicum Olymp.138.an.3.urbis cond.527

Belli Punici secundi initium Olym.140.anno 4.urb.cond.538

Bellum Macedonicum in Philippum anno urb.cond.554. Olym. 145. anno secundo.

Bellum Rom. cum Perseo Macedone anno urbis .582. Olym.152. anno secundo.

Bellum Gallicum C. Iulius Cæsar. gessit an.urb.cond.696. & sequentibus. Olymp.180.an.4

Bellum Punicum tertium anno urb.604. Olymp.157. anno 4

Bellum in Iugurtham anno urbis cond.643. Olym.167. anno 3

Bellum sociale anno urb.cond.663. Olym.172. anno 3

Bellorum ciuilium initium uide post Domitium Aenobarbum.

Bestia, uideatur Calpurnius.

Bibulus, uideatur Calpurnius.

Blesus, uideatur Cornelius & Sempronius.

Bœbius Pamphilus, præn. Cn. consul. Olym.149. anno 4.urbis cond.572. Caßiod. ac uetusti plerique codices Tamphilus habent. Alij putant hoc tempore Romanos non pauca à Græcis sumpsisse, fortaßis & quædam affectasse nomina peregrina, ut homines sunt nouarum rerum cupidi.

Bæbius Pamphilus, prænom. M. consul Olympiad.150. anno 1. urbis condite 573

Brutus, seu Lucius Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus primi Romæ Consules creati sunt Olymp.68. anno primo, urbis condite 245

Bruto suffectus est Sp. Lucretius Tricipitinus eodem anno, & illi rursus suffectus est M. Horatius Puluillus

Brutus, uideatur Iunius.

Brutus Iulianus, præ. D. cos. Olymp. 176. an. 1. urb. cond. 677

Bubulcus, uideatur Iunius.

Buteo, uideatur Fabius.

CAecilius Metellus, præno L. cos. Olymp. 124. an. 1. urbis conditæ 469. Caßiodoro scribitur Celius pro Cæcilius, sed errore codicum.

Cæcilius, Metellus, præno. L. cos. Olym. 132. an. 2. urbis cond. 502. Meminit huius anni Plin. lib. 8. cap. 6. Polybius ait hunc decimumquartum primi belli Punici annum.

Cæcilius Metellus, prænom. C. cos. iterum Olymp. 133. anno. 2. urbis cond. 506. Huius Metelli meminit his Cic. in Catone, cúmque Cato puer se uidisse ait, quod fieri facile potuit, cum hic diu postea uixerit, ut illic ait Cato.

Cæcilius Metel. præn. M. cos. Olym. 166. anno 3. urb. cond. 639

Cæcilius Metel. præn. Q. cos. Olym. 143. an. 4. urb. cond. 548

Cæcilius Metellus Macedonicus, prænom. Q. cos. Olympiad. 159 anno tertio, urb. cond. 611

Cæcilius Metel. præn. Q. cos. Olymp. 164. an. 3. urb. cond. 631

Cæcilius Metel. præn. L. cos. Olymp. 165. an. 3. urb. cond. 635

Cæcilius Metellus Diadema præn. L. cos. Olymp. 166. anno primo, urbis cond. 637

Cæcilius Metellus caprarius, præno. C. cos. Olymp. 167. anno primo, urbis cond. 641

Cæcilius Metellus Numidicus, præn. Q. cos. Olymp. 168. anno 1. urb. cond. 645. De hoc Metello Flor. lib. 65. loquitur, quanquam cognomen illic omissum. Vicit enim Numidiam, fuitque (ut ait Plutarchus in Lucullo) Lucij Luculli auunculus.

Cæcilius Metel. præn. Q. cos. Olym. 170. an. 4. urb. cõd. 656

Cæcilius Metellus, prænom. Q. cos. Olym. 178. anno primo, urbis cond. 685

Cæcilius Metellus creticus, præn. L. cos. Olymp. 178. anno 2. urbis cond. 686. Sallustius in Catilina uidetur hunc Q. nocare, non L. ubi Romæ parat arma, & Flor. item libro 99.

Cæcilius Metellus Celer, prænom. Q. consul Olymp. 180. an. secundo, urbis cond. 694

Cæcilius Creticus, præno. Q. cos. Olym. 196 anno tertio, urbis cond. 759. Christi domini nono.

Cæcilius Siculus Trib. mil. uideantur Tribuni.

Cæditius Longus, prænom. Q. cos. Olymp. 131. anno primo, urbis cond. 497

Cælimontanus, uideatur Virginius.

Cædicius Noctus, prænom. Q. cos. Olympia. 122. anno quarto, urbis cond. 464

Cæcilius caldus, præno. C. cos. Olympiad. 171. anno quarto, urbis cond. 660

Cælius Rufus, prænom C. cos. Olymp. 199. anno primo, urbis cond. 769. Christi domini decimonono.

Cæsar Octauius, prænom. C. quod ab Iulio assumpsit, consul à quibusdam dicitur cum A. Hirtio, Olym. 184. an. 3. urb. cõd. 711. & ab hoc anno quidam Augusti exordiuntur imperium.

Cæsar Octauius, præn. C. consul iterum Olymp. 187. anno primo, urbis conditæ 721

Cæsar Octauius, præno. C. consul tertium solus Olympiad. 187. anno tertio, urbis conditæ 723. Nam hoc anno stabilitum Augusto uerum imperium. authore Suet. & ciuili bello finis impositus est, Dionysius lib. 1. Qui autem adduntur Augusto, putantur ab illo sponte assumpti.

Cæsar Octauius, prænom. C. cos. quartum Olymp. 187. anno quarto, urbis cond. 724

Cæsar Octauius, prænom. C. cos. quintum Olymp. 188. anno 1. urb. cond. 725. consul VI. Olym. eiusdem anno secundo, urb. 726. consul VII. VIII. IX. X. XI. quinque annis continuo subsequentib. cos. XII. iam Augustus Olymp. 194. anno primo, urb. cond. 749. cos. XIII. Olymp. 194. anno 4. urb. cond. 752. Christi domini 2. Videatur Vinicius.

Cæsar, uideatur Drusus, Germanicus, Iulius, Tiberius.

Cæso Fab. Vibulanus cos. Olym. 74. an. 2. urbis cond. 270. etiam Halicarnasseo. Hic autem cæso fuit Q. ac M. Fabiorum frater, quorum trium pater etiam cæso dictus est.

Cæso Fabius Vibulanus cos. iterum Olympiad. 75. anno primo, urbis cond. 273

Cæso Fabius Vibulanus cos tertium Olym. 75. anno tertio, urbis cond. 275

Cæso Fabius Ambustus. Trib. militum Olymp. 96. anno quarto, urbis conditæ 360

Cæso Duilius Helua cos. Olyp. 111. anno 3. urbis cond. 419

Cæsonianus, uideatur Piso.

Caldus, uideatur cælius.

Calenus, uideatur Fusius.

Calpurnius Piso, præ. c. cos. Olymp. 150. an. 2. urb. cond. 574 Vulgo scribitur calphurnius. sed in emendatioribus codicibus à calpo calpurnius deducitur, & scribitur, eósque secuti sumus.

Calpurnius Piso, præno. cn. cos. Oly. 160. anno tertio, urbis conditæ 615

Calpurn. Piso, præ. Q. cos. Olym. 161. anno 3. ur. cond. 619

Calpurnius Piso, præn. L. cos. Olymp. 162. an. 1. urb. cond 621

Calpurn. Bestia, præ. L. cos. Olymp. 167. an. 3. urb. cond. 643

Calpurn. Piso, præn. co. cos. Olymp. 178. anno 3. urb. cõd. 687

Calpurnius Bibulus, prænom. M. cos. Olympiad. 180. anno tertio, urbis conditæ 695

Calpurnius Piso, præn. L. cos. Olym. 191. anno. 3. urb. cond. 739

Calpurnius Piso, præn. cn. cos. cum Octauio XI. consule, Oly. 189 anno tertio, urbis conditæ 731

Calpurnius Piso, cn. cos. Olympiad. 193. anno tertio, urbis conditæ 747. Vide collegam eius Tiberium Neronem iterum consulem.

Calpurnius Piso, præn. L. cos. si idem est qui an. urb. 739 iterum Olymp. 195. anno primo, urbis cond. 753. Christi domini 3.

Calpurnianus, uideatur Pupius.

Caluinus, uideatur Domitius Veturius.

Caluisius Sabinus, prænom. c. consul Olymp. 185. anno tertio, urbis conditæ 715

Caluisius Sabinus, prænom. c. cos. iterum Olympiad. 194. anno secundo, urbis conditæ 750

Caluus, uideatur Domitius & Metellus.

Camerinus, uideatur Sulpitius.

Camilli mors, Olympiad. 194. anno 2 urbis conditæ 390

Camillus, uideatur Furius.

Cannensis Pugna, Olympiad. 141. anno 2. urbis conditæ 538

Caninius Gallus, præn. L. cos. Olym. 186. an. 1. urb. cond. 717

Caninius, uideatur claudius & Posthumius.

Capitolinus, uideatur Manlius, Quintius & Tarpeius.

Capito, uideatur Fonteius.

Caprarius, uideatur cæcilius.

Caruilius Maximus, prænom. Sp. consul Olympiad. 121. anno quarto, urbis conditæ 460

Caruilius Maximus, prænom. Sp. consul Olympiad. 136. anno tertio, urbis conditæ 519

Caruilius Maximus, præn. Sp. consul iterum Olymp. an. 127. 1. urbis cond. 481. caruilium carbiliúmque uariè scriptum reperies, propter cognationem b & n consonantium.

Caruilius Maximus, præn. Sp. consul III. Olympiad. 138. an. 2. urbis cond. 526. caruilium hunc Glareanus putat esse eum qui Romæ primus diuortium fecit, de quo Gell. lib. 4. cap. 3. & Valerius lib. 2. cap. 2. quanquam in annis minimè cõueniunt.

Carbetus consul, uideatur Minutius.

Caßius Vicelinus. prænom. Sp. III. cos. Olympiad. 73. anno quarto, & urb. cond. 268

Caßius Vicelinus, præno. Sp. iterum cos. Olymp. 72. anno 1. urbis cond. 261. quo anno secũdum Halicarn. primi Tribuni plebis creati sunt.

Caßius Longinus, præn. c. cos. Olymp. 152. anno tertio, urbis conditæ 583

Caßius Longinus, prænom. Q. cos Olymp. 154. anno 2. urbis conditæ 590

Caßius Longinus Rauillia, præno. L. cos. Olym. 163. anno tertio, urbis conditæ 627

Caßius Long.præn.C. Cos. Olymp.164. an.2.urb.cond.630

Caßius Longinus,præ.L.Cos.Olymp.168.anno 3.urb.conditæ 647.Plin.lib.10.cap.13.habet pro hoc L.Crassum,sed errore,ut puto,codicum.Hic à Tigurinis Heluetijs occisus est,ut ait Cæsar lib.1.de bello Gall.& Florus lib.65

Caßius Long.præn.C.Cos.Olympiad.171.an.2.urb.cond.658

Catilinæ coniuratio,Olymp.179.anno 3.urb.conditæ 691.

Cato Censorinus natus Olymp.137.anno 1.urbis conditæ 521

Catonis Censorij Quæstura,Liuio authore fuit Olympiad.837,anno secundo, urbis conditæ 550

Catonis Censorij Præture. Olympad.145.an. 4.ur. cond. 556

Catonis Censura Nobilis Olymp.149.anno 2.urbis cond.570

Cato,uideatur Porcius.

Catulus,uideatur Aelius & Luctatius.

Caudina pax facta est Olympiad.115,an.1.urb.conditæ 433

Celer,uideatur Cæcilius Metellus.

Ceninensium in Romulum bellum,anno regni Romuli & urbis conditæ 4.Olymp.7.anno 4

Censorinus,uideatur Martius & Porcius.

Cento,uideatur Claudius.

Cicero,uideatur Marcus Tullius.

Cicurinus,uideatur Veturius.

Cinna magnus,præn.Cn.Consul Olymp. 196.anno primo urbis cond.757.Christi domini 7

Cincinnatus,uideatur Manilius & Quintius.

Cinna,uideatur Claudius,Cornelius,Lucretius.

Claudius Cento,præn.C,Cos. Olymp.135.an.1.urb. cond 513

Claudius Marcellus,prænom. M. consul Olympiad. 139 anno quarto,urbis conditæ 532

Claudius Marcellus, prænom. M. suffectus est consul iterum L. Postimonio Albino Olymp.143.anno tertio,urbis cond. 539

Claudius Marcellus,præn. M. consul III.Olym. 141.anno 4. urbis conditæ 540.Caßiodorus dicit iterum consulem,non numerans consulatum quem uitio creatus non geßit.

Claudius Marcellus,præn.M.consul quartum Olym. 142. anno quarto,urbis conditæ 544

Claudius Marcellus,præn. M.consul quintum Olymp. 143.anno secundo,urbis cond.546 Liuius hic causam reddit cur quintum consul dicatur.

Claudius Nero,prænom.C.Cos. Olym. 143.anno 3.urb.cond. 547 Liuius hoc anno Olympiæ ludicrum fuisse testatur in huius & M.Liuij Salinatoris Coss.creatione,atq; ad id missum L.Manlium ,per quod patet Dionysij supputationem esse ueriorem illa quam Liuius est secutus.

Claudius Nero,præn. T. Cos.Oly.144. anno 4.urb.cond.552

Claudius Marcellus,prænom. M. consul Olymp.146. anno secundo,urbis conditæ 558

Claud.Pulcher,præn.P.consul Olym.149.an.3.urb.cond.570

Claud.Marcellus præn.M.Cos. Olym.149.an.3.ur.cōd.571

Claudius Sabinus.prænom.App.Cos. Olymp.71.anno tertio, urbis conditæ 259.Meminit huius Plinius lib.35. cap. 3.conueniens in annis,

Claudius Sabinus,præn.C.Cos. Olym.80.anno 3.urb. conditæ 394.quo consule Herdonius capitolium occupauit.

Caßius Varus,præn.c.cos. Olymp.177.anno 1.urb.cond.681

Claud.Marcel.præn.M.consul,Olym.112 anno 3.urb.cōd.423

Claud.Marcel.præn.M.consul Olym.123.an.2.urb.cōd. 466

Claudius caninus,prænom.c.cos. Olympiad. 123.anno 4 urb. conditæ 468

Claud.cinna,præn.c.cos.Olymp. 126. anno 4.urb. cond. 480

Claud.Rufus,præn.Ap.cos.Olymp.128.an. 1.urb. cond. 485

Claud.Pulcher,præno.c.consul Olymp.151.an.1.urb.cond.577

Claudius Marcellus , præno.M.c.cos.Olympiad.153.anno 4. urbis conditæ589

Claud.Marcellus,præ.M.cos.Olymp.156.an.3.urb.cond.599

Claud.Marcel.præn.M.cos.Olymp.157.an.2.urb.cond.602

Claudius Pulcher,præn. P.sed c.in caßiod.cos. Olymp. 172 anno secundo,urbis conditæ 662

Claudius Marcellus,præno.M.con.Olymp.182 anno tertio,urbis cond.703.Meminit huius Suetonius in Cæsare.

Claudius Marcellus,præ.c.cos.Olymp.182. anno quarto , urbis conditæ 704. Sueton.in Cæsare ait hunc eaum M. Marcelli patruelem fuisse fratrem.

Claudius Marcellus,præn.c.consul Olymp.183. anno primo, urbis conditæ 705

Claudius Marcellus,prænom.M.consul Olympiad.189.anno quarto,urbis conditæ 732

Claudius,uideatur Appius, Iulius,Quintius.

Clepsina,uideatur Genutius.

Clodius à Milone cæsus,Olymp.182.an.1.urb.conditæ 701

Clodianus,uideatur Cornelius.

Clœlius, Siculus prænom. Q..quem Vo.ulam quidam cognominant,cos.Olymp.70.anno quarto,urb.conditæ 256

Clœlius crassus,præn.P.Tri.militum Olymp.101.anno primo, urbis conditæ 377

Cocceius Nerua,præ.M.Olym.186. an. 2.urb.cond.718

Collatinus,uideatur Tarquinius.

Consules primi creati L.Iunius Brutus,& L. Tarquinius collatenus.Olymp. 68.anno. 1.urb.cond. 245. Qui deinde creati sunt, ponentur proprijs aut notioribus eorundem nominibus.

Consul ex plebe primus L.Sextius Lateranus Olymp.104. anno primo,urbis conditæ 389

Coriolanus mortuus est Sp. Nautio Rutilio,& Sext.Furio Philo coss. Olymp. 73.anno secundo,urbis conditæ 266

Cornelius Maluginensis, prænom. Ser. cos. Olymp. 74.anno primo,urbis conditæ 269

Cornelius Maluginen.præno.L.cos. Olym. 80 .anno tertio,urbis conditæ 295

Cornelius cossus,prænom. A dubitatur in Liuio an cos. an Tribu.militum fuerit cum M.Geganio Macerino, Olympiad.86. anno secundo,urbis conditæ 318

Cornelius Maluginen.prænom. M. cos. Olympiad. 86. anno tertio,urbis conditæ 319

Cornel. cossus,præn.A.cos. Olym. 88.an.3.urb. cond.327

Cornelius cossus,prænom. A.Trib.militum Olymp. 89. anno primo,urbis conditæ 329

Cornelius cossus prænom.P. Trib. militum, Olympiad.91.anno quarto,urbis conditæ 340

Cornelius cassus,præno.cn, Trib. militum, Olymp. 92. anno primo, urb. conditæ 341

Cornelius cossus,præn.A. uel M.cos. Olymp.92. anno 2.urb. cond. 342.Hic,nisi sit alius, etiam anno 327.consul fuit. At quia Liuius dubitat num anno urbis 318. etiam consul fuerit, ideo eorum numerum quoque, quo dicatur iterum consul , omisisse uidetur,& caßiodorus M.uocat

Cornelius cossus,præn. P.Tribunus militum iterum Olympiad. 94 .anno primo,urbis conditæ 349

Cornelius cossus,præn. cn. Tribunus militum iterum Olymp. 93 anno tertio,urbis cond. 347. cur huic continuatus sit honor,non reddit causam Liuius,cum tamen id in Seruilio anno sequente non neglexerit. Multi autem canum cornelium cossum hunc uocant.

Cornelius cossus,prænom.cn. Tribunus militum tertium Olym. 94.anno primo,urbis conditæ 349

Cornelius Maluginensis, præn.P. Tribunus militum Olymp. 94.anno tertio,urbis conditæ 351.

Cornelius cossus , prænom.cn. Tribunus militum quartum Olympiad.94.anno tertio,urbis conditæ 351. In prænominibus tamen huius Cosi atque etiam Ambusti, & in prioribus & in sequentibus magna est uariatio.

Cornelius cossus, prænom.C.de quo tamen uariatur,Trib.militum Olym. 95.anno secundo,urbis conditæ 354

Cornelius cossus,prenom. P.Trib.militum tertium Olym.96. anno quarto,urbis conditæ 360

Cornelius Scipio,prænom.P. Trib. militum Olymp.96. anno quarto,urbis conditæ 360

Cornelius,prænom.P.cognomen autem est in obscuro. Trib.militum Olymp.97.anno primo,urbis conditæ 361

Cornelius,prænom.P.ignoto cognomine, Trib.militum Olym. 98.anno secundo,urbis conditæ 366.

Cornelius, prænom. P. cuius cognomen bis omissum est, annis 361. & 366. Esset ergo Trib. militum tertium Olymp. 99. anno secundo, urbis conditæ 370

Cornelius Maluginen. præn. Ser. Tribunus militum iterum Olymp. 99 anno tertio, urbis conditæ 371

Cornelius Maluginensis, præn. Ser. Tribunus militum tertium Olym. 100. anno primo, urbis conditæ 373

Cornelius Maluginensis. præn. Ser. Tribun. militum quartum Olympia. 100. anno. 3. urb. conditæ 375

Cornelius Maluginensis, præn. Ser. Tribun. militum quintum Olymp. 102. anno 4. urb. conditæ 384

Cornelius Maluginensis, prænom. M. Tribunus militum iterum Olymp. 103. anno quarto, urb. cond. 388

Cornelius Maluginensis, præn. Ser. Tribunus militum sextum Olymp. 103. anno secundo, urbis conditæ 386

Cornelius Cossus, præno. A. & Maluginensis prænom. M. Trib. militum Olymp. 103. anno primo, urb. cond. 385

Cornelius Cossus, prænomine A. Tribunus militum iterum Olymp. 103. anno quarto, urb. cond. 388

Cornelius Scipio Aruina, præno. L. consul. Olymp. 108 anno 1. urbis conditæ 405

Cornelius Cossus, præn. A. consul Olymp. 109. anno 4. urbis conditæ 412

Cornelius Scipio Aruina, prænom. L. consul iterum Olym. 112. anno 2. urbis conditæ 422. Diodorus Cassiodorúsque pro hoc A. Cornelius habent: tu uide utrum fuisse putes qui anno 405. an qui anno 412. Cæterum alij hic annum sine consule inserunt, cuius Liuius ne uerbo quidem meminit, & Diodori ordo ipsum non admittit.

Cornelius Scapula, & ut à quibusdam additur, Barbatus præn. P. Consul Olymp. 113. anno 2. urbis cond. 426

Cornelius Lentulus, prænomine L. consul Olymp. 113 anno tertio, urbis conditæ 427

Cornelius Aruina, præn. P. consul Olymp. 118. an. 4. urb. 448

Cornelius Ruffus, prænom. Ser. Consul Olympiad. 119. anno tertio, urb. conditæ 451

Cornelius Scipio, præ. L. consul Olym. 120. an. 3. urb. cond. 455

Cornelius Maluginensis, prænom. P. Tribunus militum II. Olymp. 96. anno secundo, urbis conditæ 358

Cornelius Ruffus prænom. P. consul Olympiad. 122. anno 3. urbis conditæ 463

Cornelius Aruina prænom. P. consul iterum Olymp. 123. anno primo, urb. cond. 465.

Cornelius Maluginensis, prænom. Ser. Tribunus militũ Olym. 99. anno primo, urbis conditæ 369

Cornelius Dolabella Maximus, prænom. P. consul Olymp. 124. anno secundo, urbis conditæ 470. Meminit huius anni Plinius lib. decimosexto, cap. 10

Cornelius Merenda, prænom. Ser. consul Olymp. 126. anno 3. urbis conditæ 479

Cornelius Rufinus, præno. P. consul iterum Olympiad. 125. anno quarto, urbis conditæ 476. Cornelij huius Rufini meminit Gell. lib. 4. cap. 8. & lib. 17. cap. 21

Cornelius Asina, prænom. Cn. consul Olympiad. 127. anno tertio, urbis conditæ 483

Cornelius Scipio, præn. L. Cos. Olym. 130. an. 2. urb. cõd. 494

Cornelius Scipio Asina, præn. Cn. Cos. Olym. 131. an. ur. cond. 499. Hic Scipio idem est authore Valerio Max. lib. 6. cap. ult. qui turpiter captus fuit à Pœnis an. urbis. 493

Cornelius Blesus, prænom. Cn. consul Olympiad. 130. anno 4. urbis conditæ 496

Cornelius Falco, præn. Cos. Olym. 135. anno tertio ur. cond. 515

Cornelius Lentulus Claudinus, præn. L. Cos. Olymp. 135. anno quarto, urbis conditæ 516

Cornelius Lentulus Caudinus, prænom. P. consul Olymp. 136. anno primo, urbis conditæ 517

Cornelius Scipio Caluus, prænom. Cn. consul Olympiad. 139. anno quarto, urbis cond. 532. C. est prænom. in Polybio.

Cornelius Asina, præn. P. consul Olym. 140. an. 1. urb. cõd. 533

Cornelius Scipio, præn. P. consul Olym. 144. anno primo, urbis conditæ 549

Cornelius Scipio, prænom. P. consul Olympiad. 140. anno 4. urbis conditæ 536. Polybius lib. 3. ait Saguntum expugnatum anno primo Olympiad. 140. ac deinde postero anno Annibalem in Italiam uenisse. Secutus uidetur Dionysij supputationem, quæ hanc Liuij duobus præcurrit annis. Initium secundi belli Punici.

Cornelius Cethegus, præn. M. consul Olympiad. 144. anno secundo. urbis conditæ 550. Meminit huius & P. Sẽpronij Tuditani Cic. in Catone, loquens de laudibus Q. Fabij Maximi. Cæterum de Liuio Andronico quidem in omnibus uulgatis exemplaribus per errorem cõmemorantur, cum ij sunt qui an. 513. cõsules fuerũt. Catonis Cẽsorij Quæstura authore Liuio.

Cornelius Lentulus, præno. Cn. Cos. Olympiad. 154. anno primo, urbis cond. 553. Huius & P. Aelij Peti meminit Plin. lib. 18. cap. 18. ubi cum Liuio eadem inuenies prænomina, licet in Cassiodoro alia ponuntur. Et hoc anno idem Plinius fatetur Annibalem uictum, cum superiore scribat Liuius uictum.

Cornelius Scipio Africanus, præno. P. Consul iterum Olymp. 146. anno quarto, urbis conditæ 560. Huius & T. Sempronij Longi parentes, inquit Liuius, initio secundi belli Punici una fuere consules.

Cornelius Cethegus, prænom. Cn. consul Olympiad. 164. anno primo, urb. conditæ 557

Cornelius Lentulus, prænom. L. Consul Olym. 145. anno tertio urbis conditæ 555

Cornelius Scipio Nasica, prænom. P. Consul Olym. 147. anno tertio, urbis conditæ. 563. Cassiodorus hic habet M. pro P. sed contrarium est in Liuio & alijs. Hic Cn. Scipionis proles fuit eius qui cum P. fratre in Hispanijs perijt, & uir optimus iudicatus à senatu Romano est.

Cornelius Scipio Asiaticus, prænom. L. consul Olympiad. 147. anno quarto, urbis conditæ 564

Cornelius Lentulus Cethegus, prænom. P. consul Olymp. 150. anno primo urbis conditæ 573

Cornelius Scipio Hispalus, prænom. Cn. consul Olympiad. 151. anno secundo, urbis conditæ 578. Huic mortuo subrogatus est M. Valerius Leuinus. Spurinus est in recens inuentis Liuianis codicibus.

Cornelius Cethegus. præn. M. consul Olymp. 155. anno secũdo, urb. cond. 594. quo Cos. acta Terent. Adelph.

Cornelius Dolabella, præn. Cn. Cos. Olym. 155. an. 3. urb. cond. 595. Meminit huius numeri annorum Plin. lib. 7. cap. ult.

Cornelius Lentulus. prænom. L. consul Olymp. 156. anno secundo urbis conditæ 598

Cornelius Scipio Nasica, præno. P. consul II. Olympiad. 156. anno 3. urb. cond. 599. Hic numerus non est omittendus. Est enim idem qui fuit Cos. an. 592. ut ex Cic. Bruto intelligitur.

Cornelius Lentulus, præn. L. Cassiodoro Cn. consul Olympiad. 158. anno quarto, urbis conditæ 608

Cornelius Cinna, præ. L. Cos. Olym. 163. an. 3. urb. cond. 627.

Cornelius Lentulus Claudianus, prænom. Cn. consul Olympiad. 171. anno primo, urbis conditæ 657. Plinius bis meminit huius Lentuli & P. Licinij Crassi, ut libr. 10. cap. 2. & libr. 30. cap. 1. sed libr. 10. ab eo M. non Cn. dicitur.

Cornelius Sylla, prænom. L. consul Olymp. 173. an. 2. urb. 666

Cornelius Cinna, præn. L. consul Ol. 173. an. 3. urb. cond. 667

Cornelius Cinna, præ. L. consul Olym. 173. anno quarto, urbis conditæ 668

Cornelius Cinna, prænomine L. cõsul tertium Olympiad. 174. anno primo, urbis conditæ 669

Cornelius Cinna, præn. L. consul quartum Olympiad. 174. anno secundo, urbis conditæ 670

Cornelius Lentulus, prænom. Cn. consul Olympiad. 177. anno secundo, urbis conditæ 682

Cornelius Lentulus, prænom. P. consul Olympiad. 177. anno 3. urbis conditæ 683. hic est ille Lentulus qui prætor postea sub M. T. Cic. consule occisus est.

Cornelius Dolabella, prænom. Cn. consul Olymp. 175. anno primo, urbis cond. 673. Meminit huius & M. Tulij Decolæ Gellius lib. 15. cap. 28

Cornelius

Cornelius Scipio Asina prænom. Cn. Cos. Olympiad. 130. anno primo, urb. conditæ 493

Cornelius Sylla, prænom L. consul iterum Olymp. 175. anno secundo, urb. conditæ 674

Cornelius Lentulus, præn. P. Cos. Olympiad. 181 anno primo, urbis. cond. 697. De huius & Q. Metelli Nepotis collegio meminit Plin. lib. 7. cap. 12

Cornelius Lentulus, præno. Cn. Consul Olymp. 190 anno quarto. urb. cond. 736

Cornelius Lentulus prænomine P. Consul anno eodem.

Cornelius Dolabella prænom. P. Iulio Cæsari quentùm Consuli suffectus Olymp 184. an 2. urb. cond. 710

Cornelius Dolabella præno. P. Consul Olymp. 397. anno secundo urb. conditæ 762. Christi domini 12

Cornificius, prænomine L. Consul Olymp. 186. anno tertio, urbis conditæ 719

Coruinus, uideatur Valerius.

Coruncanus, præno. T. Consul Olym. 125. anno 1. urb. cond. 433. Huius multa fit mentio apud Cic. Quidam Tiberium uocatum putant, qui error ex T. litera oriri potuit.

Cossus Cornelius Lentulus consul Olymp. 195 anno primo urbis conditæ 852. Christi domini 3

Cossus uideatur Cornelius & Sulpitius.

Cotta, uideatur Aurelius.

Crasius, uideatur Papyrius.

Creticus, uideatur Cecilius.

Crispinus, uideatur Quintius

Croto urbs conditur apud Halicarnasseum libro 2. Olymp. 17. anno tertio, urb. cond. 43. & regni Numæ quinto.

Cruscelius, uideatur Lentulus.

Crustumiorum in Romulum bellum anno regni ipsius Romuli, & urb. cond. 4 Olym. 7. anno quarto.

Curatius Philo, prænom. P. cosul. Olymp. 14. an. 3. urbis cond. 310. Pro hoc in Halicarn. codice est C. Quintius.

Curiatius trigeminus, uideatur Horatius.

Curio, uideatur Scribonius.

Curius Dentatus prænom. M. consul Olymp. 122. anno tertio. urbis cond. 463. Huius Curij consulatum Cic. in Catone ait quinquennio fuisse post filij Decij deuotionem.

Curius Dentatus prænom. M. Consul iterum Olym. 126. anno secũdo, ur. cond. 478. Plerique libri ueteres Maniũ Curium pro Marco hunc scriptũ habent: neq; certũ est an errore id contigerit, an Manium pro Marco dixerint uetustiores, ut Vetusium pro Veturio.

Curius Dentatus præn. M. Consul tertium Olymp. 126. anno tertio, urbis conditæ 479

Cursor, uideatur Papyrius.

Decas secunda incipit à Consulatu Quintij Maximi Gurgitis filij.

Decados tertiæ & secundi belli Punici initium circa annum urbis conditæ 135

Decas quinta circa an. urbis cond. 554. aut 576

Decemuiri primi creati Olymp. 82. anno tertio, urbis conditæ 303. Videatur Appius.

Decemuiri secundi Olym. 83. anno 4. urbis conditæ 304. fuerunt Appius Claudius, Sabinus Regillẽsis iterum, Quintus Fabius Vibulanus, M. Cornelius Maluginẽsis, L. Minutius Augurinus, T. Antonius Merenda, M. Sergius, quẽ Halicarn. Seruiliũ uocat, M. Rabuleius, Q. Petilius, Cæso Duillius, Sp Oppius Cornicẽ. qui tres ultimi fuerunt plebei. Qui omnes Remp. Romanã per tyrannidẽ occupauerũt, Ol. 83. an. 1. ur. cõd. 305

Decianus, uideatur Plautius

Decius mus, prænom. P. consul Olymp. 110 anno tertio, urbis conditæ 415 Meminit huius lib. 3. Offic. Cic.

Decij patris deuotio anno urb. conditæ 415

Decius Mus prænomine P. consul iterum Olymp. 117. anno tertio, urbis conditæ 443

Decius Mus, prænomine P. Consul tertium Olymp. 120 anno quarto, urbis conditæ 456

Decius Mus præn. P. consul quartum Olymp. 121. anno secundo, urb. cond. 458. quo facta Decij filij pro salute exercitus deuotio.

Decius Pyrrhicus, prænomine P. consul Olymp. 125. anno secundo, urbis conditæ. 474

Decius Iunius Pera consul Olymp. 128. an. 3. urb. cond. 487

Dentatus, uideatur Curius.

Decolla, uideatur Tullius.

Diadema consul, uideatur Cæcilius Metellus.

Dictator sine consulibus Olymp. 114. an. 2, urbis cond. 430.

Dictator sine consulibus, Olymp. 116. an. 3. urbis cond. 439.

Didius Vinius, præ. T. Cõsul Olymp. 170. an. 4. ur. cond. 656

Diuortium primum factũ Romæ scribit Dionysius lib. 2. in Romulo. Olym. 137. anno 3. urb. cond. 523. Conueniunt autẽ anni cum Glareani ratione, anticipatione duorum annorum.

Dolabella, uideatur Cornelius.

Domitius Caluus, præ. Cn. consul Olymp. 124. an. 2. ur. 470

Domitius Caluinus, prænom. Cn. aut ut Diodorus & quidam codices habent prænomine C. consul Olympiad. 112. anno secundo, urbis conditæ 422

Duillius, prænom. C. consul Olymp. 103. anno primo, urbis conditæ 493. Florus solus hunc Cn. uocat.

Domitius Aenobarbus, præno. Cn. consul Olymp. 147. anno secundo, urbis conditæ 562

Domitius Caluinus, prænom. Sext. consul Olymp. 164. anno secundo, urbis conditæ 630. Florus lib. 61. & Caßiodorus hunc Caium Sextium uocant.

Domitius Aenobarbus, prænom. Cn. consul Olymp. 164. anno 4. urbis cond. 632. Dionysius libro secundo non longe à principio dicit anno 130. primùm bella ciuilia cœpisse, sed ego errorem decem annorum puto, legendúmque anno urbis sexcentesimo uicesimo. Meminit horum cõsulum Plin. libr. 2. cap. 32. quanquam eo in loco libri ferè sint corrupti.

Domitius Aenobarbus præn. Cn. consul Olymp. 171. anno secundo, urbis conditæ 658

Domitius Aenobarbus prænom. L. consul Olymp. 171. anno. 4. urbis conditæ 660

Domitius Aenobarbus, prænom. L. consul Olymp. 181. anno 4. urbis conditæ 700. Suet. de hoc ab initio Neronis. Antea autem admonuimus, Plinium lib. 9. cap. 39. hunc annorum numerum ab urbe cond. tribuisse Ciceroni consuli, sed haud dubie codicum errore plus decem annis.

Domitius Caluinus præ. Cn. consul Ol. 182. an. 1. ur. cond. 701

Domitius Caluinus præ. Cn. consul Ol. 185. an. 2. ur. cond. 714

Domitius Aenobarbus, prænom. Cn. consul. Olymp. 187. anno secundo, urbis cond. 722

Domitius Aenobarbus. prænom. L. consul Olymp. 191. anno secundo, urb. cond. 738

Drusus Nero consul Olymp. 1. 193. anno 1. urb. cond. 745

Drusus Liuius, præ. M. consul Olym. 191. urb. cond. 739

Drusi & Norbani consulum meminit in Vitellio Suetonius Tranquillus.

Drusus Cæsar consul Olympiad. 198. anno 3. urb. 767. Christi domini 17

Drusus, uideatur Liuius.

Ἑαυτὸν τιμωρούμενος Terentij acta est Olymp. 154. anno 3. urbis cond. 591. T. Sempronio Gracccho & M. Iuuencio Helua COSS.

Ebutius Helua, præ. L. consul. Olymp. 70. an. 3. urb. cond. 255

Ebutius Helua præn. L. consul Olymp. 79. an. 3. urb. cond. 291

Eburnius Consul, uideatur Maximus Posthumius.

Elephantes primùm uidit Italia, authore Plin. libro 8. cap. 9. Olymp. 124. anno quarto, urb. cond. 472

Elephantes Roma primùm uidit, ait Plin. lib. 8. cap. 6. Olym. 126. an. 3. urb. cond. 479. in triumpho Marci Curij.

Eunuchus Terentij ac Phormio, actæ Olymp. 135. an. 1. ur. cond. 593. M. Valerio Messala, & C. Fannio Strabone consulibus.

Fabius Vibulanus præ. Q. cons. Ol. 74. an. 1. ur. cond. 269

Fabius Vibulanus præn. M. consul Ol. 74. an 3. urbis cond. 271. quem Halicar. lib. 8. dicit Publicolæ eius qui eiecit reges, fratrem fuisse, quapropter à quibusdam etiam Publicola cognomen

gnominatur.

Fabius Vibulanus, prænom. M. consul iterum Olympiad. 75. anno secundo, urbis conditæ 274

Fabius Vibulanus, prænom. Q. consul iterum Ol. 74. anno 4. urbis conditæ 272

Fabij 306. cæsi sunt Horatio Puluillo & T. Menenio Lanato consulibus, Olymp. 76. anno primo, urbis cond. 277

Fabius Vibulanus, prænom. Q. consul iterum Olympiad. 79 anno primo, urbis conditæ 289

Fabius Vibulanus, prænom. Q. consul iterum Olymp. 79. anno primo, urbis conditæ 289. Videatur Fabius.

Fabius Vibulanus, prænom. Q. consul tertium Olympiad. 80. anno 3. urbis conditæ 295

Fabius Vibulanus, præ. M. consul Olym. 85. an. 1. urb. cond. 313

Fabius Vib. præn. M. Trib. mil. Olym. 87. an. 2. urb. cond. 322

Fabius Vibul. præn. Q. consul Olymp. 89. an. 4. urb. cond. 332 In Valerij codice libr. 3. cap. 2. pro hoc Q. Catulus legitur.

Fabius Vibulanus, præno. Cn. consul Olymp. 99. anno 2. urbis cond. 334. Post quem & T. Quintium Capitolinum, si quis Liuij uerba diligenter inspiciat, inueniet annum omissum, quem tamen ponere ausus non est Glarean. propter Camilli supputationem lib. 5. Liuij ad finem. Ad idem confirmandum accedit quod de induciis Veientibus datis ac deinde finitis pauló superius dixit.

Fabius Vibulanus, prænom. M. Trib. mil. iterum Olymp. 91. an. quarto, urbis conditæ 340

Fabius Vibulanus, prænom. Q. Trib. mil. Olym. 92. an. 1. urb. cond. 341. Huic Apud Liuium adiectū est iterum, cum nusquam antea inter Trib. mil. reperiatur. Consul quidem fuit anno urb. cond. 332. Inde forte ortus error. aut á prænomine, nam Fab. Vibulanus prænomine M. Trib. mil. fuit.

Fabius Vibulanus Ambustus, prænom. Q. cos. Olympiad. 92. anno tertio, urbis conditæ 343

Fabius Vibulanus præn. Q. Trib. militum iterum, Olymp. 93. anno 4. urbis conditæ 348

Fabius Ambustus, præno. C. Trib. militum Olympiad. 94. anno primo, urbis conditæ 349

Fabius Ambustus, præn. C. quod tamen uariatur, Trib. militum, iterum Olymp. 94. anno 3. urbis cond. 351

Fabius Ambustus, prænom. C. licet uarietur, Trib. militum tertium Olympiad. 95. anno secundo, urbis conditæ 354

Fabius Ambustus, prænom. Q. & duo alteri Fabij Trib. milit. Olymp. 98. anno primo, urbis conditæ 365

Fabius Ambustus, prænom. M. Trib. mil. Olymp. 100. an. 2. urbis cond. 374. & iterum anno urbis conditæ 385

Fabius Ambustus, prænom. M. consul Olympiad. 105. anno 3. urbis. conditæ 395

Fabius Ambustus, prænom. C. (quidam codices Cn. habent. Diodor. M. uocat, sed si is esset, Liuius addidisset iterum) cos. Olymp. 106. anno primo, urbis conditæ 317

Fabius Ambustus, prænom M. cos. iterum Olympiad. 106. anno tertio, urbis conditæ 499

Fabius Ambustus, præno. M. cos. tertium Olymp. 107. anno 1. urbis conditæ 401

Fabius Dorsuo, prænom. M. cos. Olympiad. 109. anno secundo, urbis conditæ 410

Fabius Rutilianus, præn. Q. Cos. Olym. 114. an. 4. urbis cond. 432. Quem quidem Plin. Liuius atq; Valer. Rutilianum uocant, Plutarb. autem in Pompeio Rullum, quidam Rullianum. Hic Maximi nomen adeptus anno ab urbe cond. 450. ut libr. 9. ad finem narrat Liuius, Papyrij dictatoris magister equitum, Ambusti filius, Quinti Gurgitis pater. Vide ánne de hoc Plin. lib. 7. cap. 43. loquatur.

Fabius, præno. Q. Dictator sine Cos. Olymp. 116. anno 3. urbis cond. 439. Liuius duorum dictatorum hoc anno meminit, sed locus corruptus est. Alij septimo post anno dictatorem cum magistro equitum fuisse sine coss. ponunt, cum Liuius Fabio continuatum honorem manifeste fateatur.

Fabius Rutilianus, prænom Q. cos. iterum Olymp. 118. anno primo, urbis conditæ 445

Fabius Rutilianus, prænom. Q. cos. tertium Olymp. 118. an. 2. urbis conditæ. 446. Huic Fabio continuatum consulatum ob egregie domitam Hetruriam Liuius scribit. Ergo non recte bicam num inseruere alij dictatoris absque Coss. quod pauló ante etiam admonuimus.

Fabius Max. Rutilianus præ. Q. cos. quartum Olym. 120. an. 4. urbis. cond. 456. qui Maximi nomen meruit an. 450

Fabius Maximus Rutilianus. præn. Q. cos. quintum Olymp. 121. an. secundo, urbis cond. 458

Fabius Maximus Gurges, præno. Q. (qui Fabij Rutiliani filius fuit, Ambusti nepos. Plin. lib. 7. cap. 41.) consul Olym. 122. anno primo, urbis conditæ 461

Fabritius Luscinus, prænom. C. cos. iterum Olymp. 125. anno tertio, urbis conditæ 475

Fabius gurges, prænom. Q. cos. iterum Olymp. 126. anno primo, urbis conditæ 477

Fabius Max. Pictor, præ. Q. cos. Olymp. 127. an 4. urb. cond. 484. Huius meminit Plin. lib. 33. cap. 3. ubi pudendum est mendum in omnibus quotquot nos uidimus, inquit Glarean. exemplarib. Argentum, inquit, signatum est an. urbis 585. cum legendum sit quadringentesimo octogesimoquarto. Quod si Fabius Verrucosus quartus fuit nomine Maximi á Rutiliano, qui primus, id nominis in ea habuit familia, puto hic est in eorum numero.

Fabius Pictor, præn. M. cos. Olymp. 128. an. 3. urb. cond. 487

Fabius Buteo, præn. M. cos. Olymp. 133. an. 2. urb. cond. 506. Et iterum cons. Olymp. 133. anno 4. urbis conditæ 580

Fabius Licinius, præn. M. cos. Olymp. 133. an. 3. ur. cond. 507

Fabius maximus Verrucosus, præ. Q. cos. Olymp. 136. an. 4 urbis cond. 520. Hic cognomen Maximi á Rutiliano habet, quare nequaquam omittendum est. Verrucosum autem appellat eum Plutarchus, ut Plinius lib. 34. cap. 7

Fabius Maximus Verrucosus, præn. Q. cos. iterum Olym. 138. anno. 2. urb. cond. 526. Huius & Caruilij Maximi meminit Cicero in Catone, ubi de laudibus Q. Fabij Maximi agit,

Fabius Maximus Verrucosus, præn. Q. suffectus est cos. III. Posthumio Albino, anno urbis conditæ 539

Fabius maximus Verrucosus, præ. Q. cos. quartum Olym. 141. an. 4. urb. cond. 540

Fabius maximus Verrucosus, præno. Q. cos. quintum Olymp. 143. anno primo, urbis cond. 545

Fabius Maximus Verrucosus filius, præn. Q. cos. Olym. 142. anno 1. urb. cond. 541. Cato apud Cic. de Senect. Maximi filium Marcum nominat, sed errore codicum, nam & Liuius, & Gellius Q. uocant.

Fabius Labeo, præn. Q. cos. Olymp. 149. an. 3. urb. cod. 572

Fabius Maximus Aemylianus, præn. L. cos. Olymp. 159. an. 1. urbis cond. 609. Huius meminit Cic. in Lælio.

Fabius Maximus Seruilianus, præn. Q. cos. Olymp. 159 anno quarto, urbis conditæ 612

Fabius Maximus præn. Q. cos Olym. 165. an. urb. cond. 633 Hunc autem Maximum Florus lib. 61. Pauli nepotem uocat.

Fabius Maximus, authore Caßiod. consul cum Iulio Cæsare quartùm Consule, licet alij solum ponant. Olymp. 184. an. 1. urbis conditæ 709

Fabius Africanus, cos. Olymp. 192. anno quarto, urbis conditæ 744. Videatur Paulus.

Fabritius Luscinus, prænom. C. cos. Olymp. 124. anno tertio, urbis conditæ 471

Fabritius Luscinus, prænom. C. cos. tertiùm, Olymp. 126 anno quarto, urbis conditæ 480

Falco, Videatur Cornelius.

Fannius Strabo, præn. C. cos. Olym. 155. anno primo, ur. cond. 593. De hoc loqui uidetur Plin. lib. 10. cap. 50. atque illic, xi. legendum est, non xl. Videatur Valerius Messala.

Fannius. præn. C. cos. Olymp. 164. anno 4. urbis cond. 632

Fidenas. Videatur Seruilius & Sergius.

Figulus, Videatur Marcius, Fimbria, Flauius.

Flaccus, Videatur Fuluius, Nerius, Pomp. Valerius.

Flauius Fimbria, præn. C. cos. Olym. 169. an. 2. urb. cond 650

Flauius, uideatur Largius & Trebonius.

Florus, uideatur Aquilius.

Folius Flaccinator, præn. M. Tribunus militum Olympiad. 87. anno secundo, urbis conditæ 322

Folius Flaccinator, præn. M. cos. Olym. 115. an. 4. urb. 436

Fonteius Capito, prænom. C. Cos. Olymp. 197. an. 4. urb. cond. 764. Christi domini 14

Fuluius Curuus, præn. L. cos. Olym. 114. an. 4. urb. cond. 432

Fuluius Pætus, prænom. M. cos. Olymp. 120. anno secundo, urbis conditæ 454

Fuluius Flaccus, præn. Q. cos. Olymp. 135. an. 4. urb. cond. 516

Fuluius Centumalus, præn. Cn. cos. forte iterum, Olym. 142. an. 3. urb. cond. 543. Dico forte, quia in omnibus Liuij codicibus numerus omissus est, ut uideatur alius ab eo qui cos. fuit anno urbis conditæ 525. Alij tamen iterum ponunt.

Fuluius Centumalus, præn. Cn. uariatur tamen apud Polybium, cos. Olymp. 138. anno 1. urbis cond. 525

Fuluius Flaccus. præn. Q. cos. I I I. Olymp. 142. anno secundo, urbis conditæ 542

Fuluius Flaccus, præn. Q. cos. quartum Olympiad. 143. anno 1. conditæ 545

Fuluius Centumalus, præ. Cn. Cos. Olympiad. 120. anno tertio, urbis conditæ 455

Fuluius Nobilior, præn. M. cos. Olym. 148 an. 1. urb. cond. 565 De quo anno meminit Plin. libr. 33. cap. 3. absque Consulibus.

Fuluius Flaccus, præ. Q. cos. Olym. 150. an. 3. urb. cond. 575

Fuluius Flaccus, præ. Q. cos. Olym. 129. an. 1. urb. cond. 489

Fuluius nobilior, præ. M. cos. Olym. 155. anno tertio, urbis conditæ 595. Huius meminit Plin. lib. 7. cap. ultimo.

Fuluius nobilior, præn. Ser. cos. Olym. 131. anno secundo, urbis conditæ 498

Fuluius nobilior, præ. Q. cos. Olym. 157 an. 1. urb. cond. 601 Vide quid sibi uelit hoc loco Cassiodori synchronismus, & quæ Flor. lib. 47. de ineundis magistratibus habet.

Fuluius Flaccus, præn. Ser. consul Olympiad. 161. anno tertio, urbis conditæ 619

Fuluius Flaccus, præn. C. Floro tamen Cn. cos. Olympiad. 161. anno quarto, urbis conditæ. 620

Fuluius Flaccus, prænom. M. consul Olymp. 164. anno primo, urbis conditæ 629

Fuluius Flaccus, præn. Q. cos. iterum Olym. 139. anno secundo, urbis conditæ 530

Fundanus Fundulus, prænom. C. consul, Olympiad. 134. anno secundo, urbis cond. 510

Furius Philus, præn. Sext. cos. Olyp. 73. an. 2. urb. cond. 266

Furius Medullinus, præ. Sp. cons. Olym. 75. anno primo, urbis conditæ 273

Furius Medullinus consul, Olym. 76. an. 4. urb. cond. 280

Furius Medullinus, præ. P. consul. Oly. 77. an. 2. urb. cond. 282

Furius Medullinus Fuscus, prænom. Sp. cos. olym. 79. anno secundo, urbis conditæ 290

Furius Pacilius. aut ut Cassiod. Tacitus præ. C. Cos. Olym. 85. anno 2. urb. cond. 314. & Olym. 92. an. 3. urb. cond. 343

Furius Medullinus, præ. Sex. licet quidam L. præscribant, Trib. militum, Olym. 87. an. 3. urb. cond. 323. & iterum 335

Furius præ. C. pro quo quidam L. Calphurnium Pisonē ponit, Trib. militum Olymp. 89. anno 1. urbis cond. 129

Furius Medullinus, præn. L. Trib. militum Olymp. 89. anno secundo, urbis cond. 330

Furius Medullinus, prænom. Sext. Trib. mil. iterum Olym. 90. anno tertio, urbis conditæ 335

Furius Medullinus, præ. L. cos. Olym. 92. an. 2. urb. cond. 342

Furius Medullinus, præ. L. Trib. mil. iterum Olym. 93 anno 4. urb. cond. 348. Liuius eo anno tres, præter hūc, eo honore functos ait, uidelicet C. Valerium Potitum, & Q. Fabium Vibulanum, & C. Seruilium Halam, ut suis locis reponam.

Furius Medullinus, præ. Sex. Tribunus militum tertiùm Olym. 94. anno secundo urbis conditæ 350

Furius Camillus. præn. M. Tribunus militum Olymp. 94. anno quarto, urbis conditæ 352

Furius Camillus, præn. M. Tribunus milit. iterum Olymp 95. anno secundo, urbis conditæ 354

Furius Medullinus, præn. Sext. Trib. militum quartùm Olym. 95. anno tertio, urbis cond. 355

Furius Camillus. prænom. M. Tribu. milit. tertiùm Olymp. 96. anno primo, urbis conditæ 357

Furius Medullinus, præno. L. Trib. militum tertiùm Olympiad. 96. anno primo, urbis cond. 357. uix alius plus negotij quam hic L. Furius Romæ facessit.

Furius Medullinus præn. L. Tribunus militum quartùm Olymp. 96. anno secundo, urbis conditæ 358

Furius Medullinus præ. L. Tribunus milit. quintùm Olym. 96. anno quartò, urbis conditæ 360

Furius Camillus, præn. M. Trib. militum quartum Olymp. 97. anno primo, urbis conditæ 361

Furius Medullinus, prænom. L. Trib. milit. sextùm Olymp. 97. anno primo, urbis conditæ 361

Furius Medullinus, præ. L. Tribunus militum septimum Olym. 97. anno quarto, urbis conditæ 364

Furius Camillus, præno. M. Tribunus militum quintum Olymp. 99. anno primo, urbis conditæ 369

Furius Camillus, præn. M. Trib. milit. sextùm Olymp. 99. an. 3. urbis conditæ 371

Furius Camillus prænom. M. Trib. milit. septimum Olymp. 100. anno secundo, urbis conditæ 374

Furius Medullinus, prænom. Sp. Trib. milit. Olymp. 101. anno primo, urbis conditæ 377

Furius Medullinus prænomine L. Trib. militum iterum, Olymp. 102. anno quarto, urbis conditæ 384

Furius Camillus, præn. L. cos. Olymp. 108. anno secundo, urbis conditæ 406. In Diodoro huius consulis & Claudij Crassi nomina inuersa leguntur, nunc anticipātia nostrum ordinem, nunc sequentia. Quod admonendum duximus, ne ea res lectorem moraretur turbaretue. Meminit autem horum consulum Gell. lib. 9. cap. undecimo.

Furius Medullinus, uideatur Agrippa.

Furius Camillus, præno. L. cos. iterum Olympiad. I I I. anno. 1. urbis cond. 417

Furius Camillus, prænom. L. cos. tertiùm Olympiad. 114. anno primo, urbis conditæ 429

Furius Medullinus, Præ. L. trib. mi. Olymp. 100. an. 2. ur. cond. 374. Hic Furius iuuenis cum Camillo certamen suscepit.

Furius Pacilus, præ. C. consul, Olymp. 132. an. 2. urb. cond. 502.

Furius Philo, seu Philus, præ. P. cos. Olymp. 139. an. 3. urb. cōd. 531. Glareano placet Philus non Philo legatur. nam apud Liuium li. 2. de secundo bello Punico, P. Furij Phili, uiri cōsularis, filij mentio est. & apud Cic. Phili cum Paulis, Catonibus, Scipionibus, ac cæteris magnis nominantur in Lælio.

Furius Purpureo, præ. L. cos. Olymp. 146. an. 2. urb. cond. 558

Furius Philo, prænom. P. cos. Olymp. 161. an. 2. urb. cond. 618

Furius Camillus, præn. M. cos. Olym. 196. anno quarto, urbis conditæ 760. Christi 10

Furnius, præn. Titus, cos. Olymp. 191. an. 1. urb. conditæ 757

Fusus, uideatur Furius.

Fusius Calenus, prænom. Q. cos. Oly. 183. anno tertio, urbis conditæ 707. Meminit Plinius lib. 8. cap. 7

GAbinius, prænom. A. cos. Olympiad 180. an. quarto, urbis conditæ 696

Galba, uideatur Sulpitius.

Gallus, uideatur Antitius, Asinius, Caninius & Sulpitius.

Geganius Macerinus, prænom. T. cos. Olympiad. 72. anno 2. urbis conditæ 262

Geganius Macerinus, prænom. M. cos. Olymp. 83. anno quarto, urbis conditæ 308

Geganius Macerinus, prænom. M. cos. iterum Olymp. 84. anno quarto, urbis conditæ 312

Geganius Macerinus, prænom. Proculus, cos. Olympiad. 85. anno tertio, urbis conditæ 315

Geganius Macerinus, prænom. M. cos. I I I. Olympiad. 86. anno secundo, urbis conditæ 318

Geganius Macerinus, præn. L. Tribunus militum, Olymp. 101 anno primo, urbis conditæ 377
Geganius Macerinus, præn. M. Trib. militum Olympiad. 303. anno quarto, urbis conditæ 388
Gellius Publicola, prænom. L. cos. Olymp. 177. anno secunda, urbis conditæ 682
Gellius Publicola. prænom. L. consul Olympiad. 186. anno secundo, urbis conditæ 718
Geminius, uideatur Seruilius, Veturius.
Genusius Pansa, prænom. Cn. Tribunus militum iterum Olymp. 96. anno tertio, urbis conditæ 359
Genusius Pansa, prænom. Cn. Plebeius Trib. militum Olymp. 95. anno quarto, urbis conditæ 356
Genutius Augurinus, prænom. M. cos. Olympiad. 84. anno secundo, urbis conditæ 310
Genutius Clepsina, prænom. C. cos. Olympiad. 126. anno primo, urbis conditæ 477
Genutius Clepsina, præn. L. consul, Olym. 127. an. 2. urb. 482.
Genutius Auentinensis, præno. L. consul Olymp. 104. anno 2. urbis conditæ 390
Genutius Clepsina, prænom. C. cos. iterum Olymp. 127. anno tertio, urbis conditæ 483
Genutius Auentinensis, præ. C. cos. Olymp. 104. an. 4. ur. 392.
Genutius Auentinensis, prænom. L. cos. Olymp. 105. anno primo, urbis conditæ 393
Genutius Auentinensis, præ. L. cos. iterum Olym. 119. anno 3. urbis conditæ 451
Germanicus Cæsar. cos. Oly. 197. an. 4. urb. cond. 764. Christi domini 14. Meminit huius Suet. in Caligula.
Germanicus Cæsar, cos. iterum Olymp. 199. an. 2. urbis cond. 770. Christi domini 20
Geta, uideatur Licinius.
Getulicus, uideatur Lentulus.
Glabrio, uideatur Atilius.
Gracchi præn. C. interitus anno urbis cond. 633
Gracchus, uideatur Sempronius.
Gratidianus, uideatur Marius.
Gulla, uideatur Quintius.
HAla, uideatur Seruilius.
Hecyram Terentij secundo datam non placuisse aiunt T. Manlio Torquato, & Cn. Octauio Consulibus, anno urbis conditæ 589
Helua, uideatur Ebutius.
Herdonius occuppat Capitolium C. Claudio Sabino consule, anno urbis conditæ 294
Herennius, prænom. M. cos. Olympiad. 172. anno primo, urbis conditæ 661. nominatur à Plinio libro 19. cap. 3
Herminius Aquilinus, prænom. T. consul anno urbis conditæ 248
Herminius Continisanus, præn. Sp. cos. Olymp. 83. anna tertio, urbis cond. 307
Hirtius prænom. A. cos. cæso Iulio Cæsare. Olymp. 184. anno tertio, urb. conditæ 711
Hipsæus, uideatur Plautius.
Horatius Puluillus, præn. M. II. cos. anno. cond. 247. In Liuianis tamen codicibus pro hoc scribitur P. Lucretius.
Horatius Puluillus, prænom. C. cos. iterum Olympiad. 81. anno 1 urbis cond. 297
Horat. Puluillus, suffectus Lucretio Tricipitino, an. urb. 245
Horatius Puluillus, prænom. C. cos. Olymp. 76. an. 1. urb. cond. 277. Quem Au. Gell. libr. 17. cap. ult. M. Horatium uocat.
Horatius Trigeminus. præn. P. cos. Olym. 82. an. 1. urbis cond. 301. Liuius Curiatium uocat, sicut Decemuirum ultimum primi ordinis pro Horatio. Alij in hoc loco Trigeminũ cognominant, & decemuirum Puluillum.
Horatius Barbatus, prænom. M. consul, Olymp. 83. anno secundo, urb. cond. 306
Horatius Puluillus, præ. L. T. mil. Olymp. 99. anno. 1. urb. 369
Horatius Puluillus. præn. M. seu C. Trib. militum, Olymp. 101 anno primo, urbis conditæ 377
Hortensius nepos, præ Q. cos. Olymp. 178. an. 1. urb. cond. 685
Hostilius Mancinus, præ. C. cos. Oly. 152. an. 4. urb. cond. 584
Hostilius Mancinus. præno. L. cos. Olymp. 159. an. 1. urb. cond. 609. Meminit Plinius libr. 36. cap. 4
Hostilius Mancinus, præn. C. consul Olymp. 161. anno primo. urbis conditæ 617
Hostius Lucretius Tricipitinus, cos. Olym. 88. anno secundo, urbis cond. 326
Hortensius, uideatur Aemylius.
IEsu Christi domini nostri natalis, Olympiad. 194. anno. 3. urbis cond 751
Interregnum primum Romæ, quod durauit annum unum, factum est mortuo Romulo, anna ab urbe condita 38.
Iugurthinum bellum anno urbis conditæ 643
Iulianus, uideatur Brutus.
Iulius Tullus, prænom. C. cos. Olymp. 73. an. 1. urbis cond. 265 Toties autem Iunium pro Iulio, & Tullium pro Tullo reperies, ut uix scias utrum sequaris, nec in consulibus solùm, sed in duobus etiam Ro. regibus, quorum tamen nomina poetæ carminibus suis satis distingũt. Sunt quibus Tullus nomen creditur, Tullus cognomen, sed & prænom. in tertio Rom. rege.
Iulius Tullus, præn. C. cos. Olymp. 74. an. 4. ur. cond. 272. Vide autem an idem sit qui anno urb. 265. fuit, dictus non Tullius, sed Tullus, qui postea Decemuir fuit.
Iulius Tullus præno. C. cos. Olym. 83. an. 4. urb. cond. 208. Cassio. Claudium pro C. prænominat: uerum haud scio an usquam inueniatur apud uetustissimos Claud. præ. certe post Augustum factum primum uidetur, cum prius nomen esset.
Iulius Tullus, præn. L. quem alij C. Iulium uocant, Trib. militum, consulari potestate. Olym. 86. anno 1. urb. cond. 317
Iulius Tullus, prænom. C. cos. iterum Olymp. 86. an. 4. ur. cond. 320. Hic primum fit consul anno 308. ac alius est ab L. Iulio, qui Trib. militum fuit anno urbis 317
Iulius Mento, prænom. Cn. consul Olym 87. an. 4. ur. cond. 324
Iulius Tullus, præn. L. consul Olymp. 88. an. 1. urb. cond. 325
Iulius Tullus, præn. Sext. Trib. mil. Olym. 89. an. 3. ur. cond. 331
Iulius. Tullus præn. C. Trib. milit. Oly. 93. an. 3 urb. cond. 347
Iulius Tullus prænom. Tribunus militum, Olymp. 94. anno secundo, urbis conditæ. 350
Iulius Tullus, præ. M. Trib. mil. Olym. 94. an. 4 urb. cond. 352
Iulius Tullus, præna. L. Trib. mil. Olym. 95. an. 2. ur. cond. 354
Iulius Tullus, prænom. L. Tribunus militum iterum Olymp. 96 anno secundo urbis conditæ 358
Iulius Tullus, prænom. L. Tribunus militum tertiùm Oly. 100 anno quarto, urbis conditæ 376
Iulius Tullus præ. Q. Trib. mil. Olym. 98. an. 3 ur. cond. 567
Iulius Appulus, præn. P. cos. Olymp. 145 an. 3. urbis cond. 555 Hoc nomen fere deprauatum erat in codicibus. Hic ad finem noni libri huius belli fit prætor. Alij Villium Tappulum uocant & recte.
Iulius Cæsar, præ. Sex. cos. Olym. 156. an. 1. urb. 597. cuius & L. Aurelij collegæ eius consulatum septem annis fuisse ante tertium bellum Punicum, memorat Plin. lib. 33. cap. 3
Iulius Cæsar, præn. Sex. cos. Olymp. 172. an. 3. urb. cond. 663
Iulius Cæsar. præn. L. cos. Olymp. 172. an. 4. urb. cond. 664
Iulius Tullus, præn. L. cos. Olymp. 178. an. 4. urb. cond. 688.
Iulius Cæsar, præn. L. cos. Olym. 179. an. 2. ur. cond 690. Salust. in Catilina cum L. Cæsare nominat C. Figulum.
Iulius Cæsar, præn. C. cos. Olymp. 180. anno. 3. urb. cond. 695
Iulius Cæsar prænom. C. qui primus oppressa republica singulare imperium obtinuit, factus est cos. iterum Olym. 183. anno secundo, urbis conditæ. 706
Iulius Cæsar, prænom. C. consul tertium Olymp. 183 anno 4. urbis conditæ 708
Iulius Cæsar, præ. C. cos. IIII. ut quidam, solus, Cassiod. tamen ei apponit Fab. Max. Olymp. 184. ann. 1. urb. cond. 709
Iulius Cæsar, præn. C. cos. V. cui suffectus est P. Cornelius Dolobella, & eodem anno se cos. gessit M. Antonius, Olymp. 184. anno secundo, urbis conditæ 710
Iulius Antonius, cos. Olymp. 192. anno quarto, urbis 744

Meminit

Meminit Suetonius in Claudio.
Iunius Brutus Sceua.prænom.Decius,cos.olympiad.114. anno primo,urbis conditæ 429
Iunius Brutus Bubulcus, prænom. C.cos.olymp.116 anno primo,urbis conditæ 437
Iunius Brutus Bubulcus,præn.C. cos. iterum,olymp. 117. anno secundo,urbis conditæ 442
Iunius Brutus Bubulcus,præn.C.cos.tertium,olymp.117. anno quarto,urbis conditæ 444
Iun.Brutus Scæua,præn.D.cos.olym.122.an.1.urb.cond.461
Iunius Brutus,præ.C.cos.olymp.122.anno. 2.urb. cond. 462
Iulius Libo,præn.L.cos.olymp.128.an 2.urb.cond.486
Iunius Pera,præn.M.cos.olymp.137.an.4.urb.cond.524
Iunius Brutus præn.M.cos.olymp.150.an.4.urb.cond.576
Iunius Brutus, prænom.D.cos.olympiad.160.anno quarto, urbis conditæ 616
Iunius Brutus prænom.C. cos. iterum olimypiad. 125. anno quarto,urbis conditæ 476
Iunius Pœnus,præ. M.cos.olympiad. 153.an.3.urb. cond. 587
Iunius Syllanus,præno.C. cos. (si idem est qui anno urb. 191) iterum olymp.197.anno.2.urbis cond.762.Christi 12
Iunius Syllanus,prænom M. cos.olympiad. 168.anno primo, urbis conditæ 645
Iunius Syllanus:prænom.D.cos.olym179. anno quarto, urbis conditæ 692
Iunius Syllanus,præn. C.cos.olymp.191.an.1.urb.cond. 737.
Iunius Syllanus.præ.M.cos.cum Octauio IX. consule,olymp. 189.anno primo,urbis conditæ 729
Iunius Syllanus,præ.M.cos.olym.199.an.3.urbis cond.771. Christi domini 21.Huius & L.Norbani Balbi collegæ mentio fit apud Plinium lib.2.cap.87.uel 89
Iuuentius Helua,præ.M.cos.olymp.154.anno tertio,ur. cond. 501. In Plinij libro.7.cap.53.à quibusdam Talpa,à nonnullis Talua scribitur.

L

Lamia,uideatur Aelius.
Lanatus consul,uideatur Agrippa.
Largius Rufus,prænom.Sp.cos.olym. 68. anno quarto, urbis conditæ 248.
Largius Flauius,prænom.T.cos.olymp.70.an.ur.cond.253
Largius Flauius,præ. T.cos. 11.olymp. 70.anno quarto, urbis 256, A Liuio Lartius dicitur.
Largius Flauius, prænom. Sp.quem Halicarn. Flauium nonnulli Rufum cognominant,consul iterum olympiad.72.anno 4.urbis conditæ 264
Largij & Aquilini consulum non meminit Liuius.
Leges tres tulerunt Tribuni à plebe creati anno urbis 379.quibus obstiterunt patres. Prima fuit de ære alieno minuendo,Altera,de modo agrorum finiendo,tertia de communicando cum patribus consulatu.
Lælius Africanus,præno.C.cos.olymp.147. anno quarto, urbis cond.564.Cognomen hoc Africanus erat in plerisque Liuij codicibus libr.6.huius belli,at quidam deleuerunt. Non est autem hic Lælius,qui apud Cic.est,sed apud Liuium libris aliquot de secundo bello Punico.
Lælius,prænom.C.consul olymp.160.anno secundo,urbis conditæ 614. Hunc sapientem dictitatum ait Cic. lib. 2.Offic. & de amicitia dialogus habet ab eo nomen. Socer fuit Q. Mutij Scæuolæ auguris,ac C.Fannij,qui postea sequentur,ut opinor. annis urbis conditæ 632.& 637
Lælius Balbus,præn.D.cos.olymp.193.an.4.urb.cond. 748.
Læuinus,uideatur Posthumius.
Lateranus,uideatur Sextius.
Lentulus augur,prænom.Cn. cos. olympiad.181. anno quarto, urbis conditæ 740
Lentulus Marcellinus prænom.Cn.cos,olympiad.191.anno secundo,urbis conditæ 698
Lentulus Crusceilus,prænom.C.cos.olympiad.183.anno primo,urbis conditæ 705
Lentulus Getulicus. præ. C.cos.Olym.194. anno tertio,urbis conditæ 751.Christi.1.

Lepidus,prænom.Q.cos. Olymp.190. ann. 1. urbis conditæ 733
Lentulus,uideantur Cornelius & Claudius.
Lenas,uideatur Popilius.
Lepidus,uideatur Aemylius.
Libo,uideantur Iulius & Scribonius.
Licinius Caluus,præn.P. primus ex plebe Trib.milit.consulari potestate,Olymp.95.anno tertio,urbis cond.35
Licinius Calui filius,præn.P.Trib. militum,Olymp 96. anno tertio,urbis conditæ 359. Cum hoc Licinio quinque patricij, eius anni quo pater fuerat Trib. militum,uidelicet 355.hic fieri debebãt,ut Liuius quatuor plebeios,qui cum Veturio fuerant anno 356. nobis exhibet, eosque in sequentibus eiusdem anni gestis repetit.
Licinius Menenius Lanatus,Trib.militum iterum Olymp.100. anno tertio,urbis conditæ 375
Licinius Menenius Lanatus, tribunus militum, Olympiad. 98. anno quarto,urbis 368
Licinius Menenius Lanatus, Tribunus militum tertium Olymp. 110,anno primo, urbis conditæ 377
Licinium Stolonem,& Lucium Sextium Lateranum plebs refecit tribunos,qui tres leges tulerunt,quibus restiterunt patricij, anno urbis cond.379.Vide leges.
Licinius Scolo, prænom.C.trib.milit.Olympiad.103.anno tertio,urbis cond. 387.Videantur trib. mil.
Licinius Stolo Caluus,prænom.C.cos.iterum Olymp.105.anno secundo, urbis conditæ 394
Licinius Stolo Caluus,prænom.C.cos. Olymp. 104.anno tertio, urbis conditæ 391
Licinius Varus,præn.C.Cos.Olymp.136.an. 1.urb. cond.517
Licinius Crassus,ut quibusdam placet,diues,prænom. P. cos. Olymp.144.anno primo,urbis conditæ 549
Licinius Crassus,prænom.P.cos.Olymp.152.anno tertio,urbis cõd.583.Cuius & C.Cassij Longini meminit Plin.lib.7.cap. 4.In Gellio lib. 9.cap. 4. corrupte legitur Q. Licinius. Huius quoque Crassi Cato apud Cice. semel atque iterum, ut opinor, in De Senectute meminit.
Licinius Crassus,prænom.C.cos.Olymp.153.anno 2.urb. cond. 586.Meminit.Cic.in Lælio, ubi tamen non recte Luscinius pro Licinio legitur. Legendum etiam apud eundem illic de hoc & L.Aemylio Paulo unò coss. bis collegæ.
Licinius Lucullus,præn. L.cos.Olym.157.an. 3.ur. cond 603.
Licinius Crassus,præ.P.cos.Olym.162.an.3.ur.con.623. Quidam hunc Licinium etiam Mutianum cognominant. Vide de eo Vale. Max.lib.3.cap.2.& Gell.lib.1.cap.13
Licinius Geta,prænom.C.cos.Olymp.166.an.2.ur.cond. 638
Licinius Lucullus,prænom.L.cos.Olym. 176.an.4.urbis conditæ 680.Cuius meminit Plin.lib.36.cap.6. & Flor.lib.94. & 95. Plutarchus etiam in Lucullo ait hunc & M. Aurelium Cottam consules factos circa Olymp.177
Licinius Lucullus.prænom.M.cos. Olymp.177. an primo, urbis conditæ 681
Licinius Crassus,præ. M.Cos.Olym.177.an.4.urb.cond.684
Licinius Crassus,præ.P.consul Olympiad.171.anno primo.urbis conditæ 657
Licinius Crassus,præn.M. cos.iterum Olymp.181.anno tertio, urbis conditæ 699
Licinius Crassus,prænom.M.consul.Olympiad. 187.anno 4. urbis conditæ 724
Licinius Crassus,prænom.M.cos. Olymp.191.anno quarto,urbis conditæ 740
Licinius Nerua,præn.A.cos.Olym.196.anno 3. urbis conditæ 759.Christi domini nono.
Licinius,uideatur Fabius.
Ligo,uideatur Cælius.
Liuius Denter,prænom. M.cos.Oly.119.an.4.urb.cond. 452
Liuius,præn.M.cos.Olym.140.an.3.urb.cond. 535.cuius meminit Plin.lib.29.cap.1.cum numero etiam huius anni: unde patet Plinium hunc nostrum habuisse ordinem. Cæterum hic M.Liuius postea Salinator dictus est.

Liuius

Manlius Atticus, prænom. A. consul Olymp. 134. anno primo, urbis conditæ 509

Manlius Atticus, præno. A. consul iterum Olym. 134. anno 4. urbis conditæ 512

Manlius seu Manilius Lucrinus, cos. Olymp. 135. anno secundo, urbis conditæ 514.

Manlius Torquatus, præno. T. consul iterum Olymp. 139. anno secundo, urbis conditæ 530

Manlius Torquatus, præno. T. consul Olymp. 136. an. 2. urb. cond. 518. Vide utrum hic & C. Attilius Albus sint consules quibus Iani templum iterum clausum est, quorum Plutarchus in uita Numæ Pompilij meminit, & Manlij item Liuius in eodem Numa. In Plutarchi autem codice est M. Attilius pro Caio altero hic consule.

Manlius Volso, prænom. M. Cos. Olymp: 150. an. 4. urb. cond. 576. Cn. Manlium habet Caßiod. quidam autem Liuiani codices A. Manlium habent pro Cn.

Manlius Volso, præ. Cn. Consul Olym. 148. an. 1. ur. cond. 565

Manlius Acidinus, præ. L. consul Olymp. 150. an. 3. urb. cond. 575. Huius & Q. Fului Flacci collegæ eius meminit Pli. lib. 35. cap. 3. obseruato etiam hoc numero annorum.

Manlius Torquatus, præn. T. Consul Olymp. 154. anno 1. urbis conditæ 589. quo tempore Terentij Hecyram secundo datam, sed non placuisse aiunt.

Manlius Torq. præ. A. Consul Olymp. 154. an. 2. ur. cond. 590

Manlius, seu ut Caßiod. Manlius, præn. P. consul Olymp. 165 anno secundo, urbis conditæ 634

Manlius, prænom. M. Consul Olymp. 168. an. 1. urb. cond. 605 Videatur Marcius Censorinus. Plin. lib. 22. cap. 6. & Flor. lib. 49. Caßiod. item hunc Manlium uocant.

Manlius Torquatus, præno. L. consul iterum Olym. 179. anno primo, urbis conditæ 689

Manlius Maximus, prænom. C. consul Olymp. 169. anno primo, urbis cond. 649. Quidam hunc Manilium uocant, at in Flori atque Sallustij codicibus omnibus, quos quidem uidimus, Manlius scribitur.

Manlius, uideatur & Paul. & Valerius.

Marcius Rutilus, præno. C. quem quidam codices non habent, Trib. mil. Olympiad. 91. anno 4. urbis conditæ 340

Marcius Rutilus, præn. C. consul Olym. 106. an. 2. urb. cond. 398. Vide huius Olymp. annum hunc apud Plin. lib. 36. cap. 6. sed errore haud dubie codicum. Quidam & hic & in sequentibus Rutilum uocant hunc Marcium.

Marcius Rutilus, præ. C. Consul iterum Olym. 107. an. 3. urb. cond. 403. In Diodoro est M. Fabius, errore forsan librarij.

Marcius Rutilius, præn. C. Consul tertiùm Olymp. 109. anno tertio, urbis conditæ 411

Marcius Rutilius, prænom. C. consul Olymp. 118. anno primo, urbis conditæ 445. Dictus est etiam Censorinus, & ab alijs alio cognomine.

Marcius Rutilius, præno. C. Consul quartùm Olym. 110. anno primo, urbis conditæ 413

Marcius Tremulus, prænom. Q. Consul Olymp. 118. anno 4. urbis conditæ 448

Marcius Tremulus, præn. Q. consul iterum Olymp. 123. anno primo, urbis conditæ 465

Marcius Philippus, prænom. Q. Consul Olymp. 124. anno 4. urbis conditæ 472

Marcius Philippus, prænom. Q. Consul Olymp. 148. anno 4. urbis conditæ 568

Marcius Philippus, prænom. Q. consul iterum Olym. 153. anno primo, urbis conditæ 585

Marcius Figulus, præno. C. consul Olym. 154. anno quarto, urbis conditæ 592

Marcius Figulus. prænom. C. consul iterum Olymp. 156, anno secundo, urbis conditæ 598

Marcius Censorinus, prænom L. consul Olym. 158. anno 1. urbis conditæ 605. Cicero de Somnio Scipionis statim ab initio huius & M. Manlij meminit, omnibus fere exemplaribus, quæ quidem uidimus, corruptis,

Marcius rex, præn. Q. cos. Olym. 165. anno 4. ur. cond. 663. In Floro corrupte legitur Cn. pro Q. Vide Por. Catonem

Marcius Philippus, prænom. L. cos. Olymp. 181. anno 2. urbis conditæ 698. Creditur Augusti uitricus.

Marcius Philippus, prænom. L. consul Olymp. 172. anno 3. urbis conditæ 663. Mentio est huius & collegæ eius Sex. Iulij Cæsaris apud Plin. libro secundo, capite 85. aut, ut alij numerant, 83. & libr. 33. cap. 3

Marcius Thermus, prænom. Q. consul Olym. 179. anno secundo, urbis conditæ 690

Marcius Censorinus, præn. C. consul Olym. 193. anno secundo, urbis conditæ 746

Marius Nepos, prænom. C. consul Olym. 168. anno 3. urb. conditæ 647. Marium hunc Nepotem quidam uocant, cum Plutarchus in eius uita tertium se nomen nescire fateatur.

Marius Nepos, præ C. cos. quartùm Olymp. 169. anno 4. urbis cond. 652. Plutarch. in Mario ait eum quartum consulatum geßisse cum Quinto Catulo: ita Florus, ita Caßiodorus, ita Plinius lib, 17. cap. 1. scribunt. In quibusdam libris inuersi erant consules huius atque sequentis anni altera ex parte.

Marius Nepos, prænom. C. consul quintùm Olymp. 170. anno primo, urb. cond. 653. Idem consul iterum Oly. 169. an. 2. ur. cond. 650. Item tertiùm Olym. 169. anno 3. urb. cond. 651

Marius Nepos, præn. C. consul sextum Olymp. 170. an. 2. urbis cond. 654. Meminit huius consulatus Plin. libro 2. cap. 34. quanquam Cn. ibi pro C. omisso numero scribitur.

Marius Nepos, præ. C. consul septimum Olym. 173. anno quarto, urbis conditæ 668

Marius Gratidianus, qui & Marij filius, prænom. C. cos. Olym. 174. anno quarto, urbis conditæ 672. Meminit de hoc Plinius lib. 34. cap. 6

Massus, uideatur Papyrius.

Matho, uideatur Pomponius.

Maximus Eburnus, præno. Q. consul Olymp. 166. anno secundo, urbis conditæ 638

Maximus, uideantur Fabius & Caruilius.

Medullinus, uideatur Furius.

Menenius, uideatur Agrippa.

Mento, uideatur Iulius.

Megellus, uideatur Posthumius.

Melius, præn. Publius, Trib. militum Olymp. 95. anno tertio, urbis conditæ 355

Menius Nepos, prænom. C. consul Olym. 111. anno primo, urb. cond. 417. Huius meminit Plin. lib. 34. cap. 5. sed uno anno numerus noster anticipat. Quidam hunc Manlium, alij Menenium uocant, sed haud scio quàm bene.

Menenius Lanatus, prænom. T. Agrippæ Menenij filius, consul Olymp. 76. anno primo, & urb. conditæ anno 277

Menenius Lanatus, præn. L. Consul Olymp. 82. an. 2. urb. cond 302. Huius & Publij Sestij Vaticani nomina in plerisque T. Liuij codicibus omissa erant. Quidam codices etiam P. pro L. habebant, ac pro Publio Sestio P. Sextilium Capitolinum: sed ex Dionysio Halicarnasseo P. Sestius legendum comprobatur, tametsi etiam ipsius codex una ex parte fallit.

Menenius Lanatus., prænomine L. cos Olympiad. 85. anno 3 urbis cond. 315. Vide anne sit qui anno 302. consul fuit, ut addatur iterum.

Menenius, præ. P. Plebeius, Trib. milit. Olym. 95. anno 4. urbis cond, 365 & iterum Olym. 96. anno 3. urbis conditæ 359

Merenda, uideatur Cornelius.

Messala, uideantur Octacilius & Valerius.

Messalinus prænomine M. cos. Olymp. 194. anno tertio, urbis conditæ 751. Christi domini 1.

Metellus Pius, præn. Q. cos. Olymp. 175. an. 2. urb. cond. 674

Metel. Nepos, præn. Q. cos. Olymp. 181. an. 1. urb. cond. 697

Metel. Caluus prænom. L. cos. Olym. 159. an. 4. urb. cond. 612

Metellus Scipio, præn. Q. in collegam à. Pompeio Magno genero ascitus in consulatu eius tertio, in quo solus creatus erat, Olympiadis. 182. anno secundo, urbis conditæ 702

Metellus, uideatur Cæcilius.

Micipsæ regis mors, anno urbis 636

Minutius Augurinus, prænom. M. consul Olymp. 71. anno primo, urbis conditæ 257

Minutius Augurinus, prænom. P. Olymp. 72. anno secundo, urbis conditæ 262. consul Romanus creatus.

Minucius Carbetus, prænom. L. consul Olymp. 80. anno quarto, urbis conditæ 296

Minutius Augurinus, præno. Q. cos. Olym. 81. an. 1. urb. 297

Minutius Augurinus, prænom. T. consul Olymp. 119. anno primo, urbis conditæ 449

Minutius Rufus, præ. M. cos. Olymp. 140. an. 1. urb. cond. 533

Minutius Rufus, præn. Q. cos. Olym. 146. an. 1. ur. cond. 557

Minutius Thermus, prænom. Q. consul Olym. 147. anno primo, urbis conditæ 561

Minutius Rufus, præn. M (seu ut legitur in Sallustio de bello Iugurthino) Q. cos. Olymp. 167. an. 4. urb. cond. 644

Munatius Plancus, præ. L. cos. Olym. 184. an. 4. urb. cond. 712 de quo uide Plin. lib. 2. cap. 31. & Suetonium in Tiberio.

Murena, prænom. L. cos. Olymp. 179. an. 4. urb. cond. 692

Mus, uideatur Decius.

Mutius Scæuola, prænom. Q. cos. Olym. 151. an. 3. ur. cond. 579

Mutius Scæuola, prænom. P. cos. Olymp. 151. anno 4. ur. cond. 580. Plin. lib. 2. cap. 31. de hoc loqui uidetur, quanquam Q. non P. prænominat.

Mutius Scæuola, prænom. C. cos. Olym. 162. anno 1. urb. cond. 621. Mutium hunc etiam consulem ponit Plutarchus, quando cæsus est Tyberius Gracchus: quod ideo admonemus, quod in Floro perperam C. Antonius legitur, lib. 58

Mutius Scæuola, præno. Q. cos. Olym. 166 anno 1. urb. cond. 637. Videtur hic C. Lælij sapientis gener fuisse.

Mutius Scæuola, præno. Q. consul Olymp. 171. anno tertio, urbis conditæ 659

NAsica, uideatur Cornelius Scipio.

Nautius Rutilius, præn. Sp. consul Olymp. 73. anno secundo, urbis cond. 266. quo anno Cn. Marcius Coriolanus mortuus est.

Nautius Rutilius, præn. C. cos. Olymp. 76. an. 3. urb. cond. 279

Nauticus Rutilius, præ. C. cos. iterum Olym. 80. an. 4. urb. cond. 296. Hunc quidem Halicarn. C. uocat, at Liuius & Caßiodorus L. Nautium, si codices non fallunt.

Nautius Rutilius, præn. Sp. Trib. milit. Olym. 89. an. 3. ur. 331

Nautius Rutilius, prænom. Sp. Trib. milit. iterum Olymp. 90. anno quarto, urbis conditæ 336

Nautius Rutilius, præn. Sp. Trib. militum tertium Olymp 91. anno tertio, urb. cond. 339. In hoc autem Rutilius cognomen est, quod prius erat nomen.

Nautius Rutilius, prænom. C. consul Olymp. 92. anno quarto, urbis conditæ 344

Nautius Rutilius, prænom. Sp. trib. mil. iterum Olympiad. 94. anno 3. urb. cond. 351. Glarean. hunc Nautium alium putat ab eo qui fuit anno 339. Trib. militum: alioqui adiiciendum fuisset quartum, ubi Liuius adiecit iterum, id est secundum.

Nautius Rutilius, præn Sp. cos. Olymp. 116. an. 2. an. urb. 438

Nautius Rutilius, prænom. C. cos. Olym. 123. an. 2. urb. 466

Nepos, uideantur Hortensius, Marius, Menenius, Metellus & Perpenna

Nero, uideantur Tiberius, Drusus.

Nerua, uideantur Cocceius, Licinius, Syllius.

Nobilior, uideatur Fuluius.

Noctua, uideatur Ceritius.

Nomen Licinius in prænomen uersum, uideatur Licinius Menenius, anno urbis, cond. 268

Nonius Quintilianus, prænom Sex. cos. Olymp. 196. anno 4. urb. conditæ 760. Christi domini decimo.

Norbanus Balbus, prænom. C. consul Olymp. 174. anno tertio, urbis conditæ 671

Norbanus Flaccus, prænom. C. consul Olymp. 185. anno quarto, urbis conditæ 716

Norbanus Flaccus, prænom. C. quod nomen legitur anno urbis 715. Consul cum Augusto X. Consule, Olymp. 189. anno secundo, urbis conditæ 730

Norbanus Flaccus, præno. C. cos. Olym. 198. anno tertio, urb. cond. 767. Christi domini 17

Norbanus Balbus, præno. L. cos. Olym. 199. anno 3. urbis conditæ 771. Christi 21. de hoc & collega eius Iunio Syllano meminit Plin. lib. 2. cap. 87. uel 89

Numa Pompilius II. Ro. rex, qui regnauit annis 43. regnare cœpit anno Olym. 16. anno 3. urb. cond. 39

Numidicus, uideatur Cæcilius.

Numitius Priscus, prænom. T. cos. Olym. 78. anno primo. urbis conditæ 285

OBlitius Mallcolus, prænom. M. consul Olymp. 137. anno primo, urbis conditæ 521

Octacilius Crassus, prænom. L. cos. Olymp. 129. anno 4. urbis conditæ 492. Octacilium hunc uocat Polybius lib. 1. T. sed in prænominibus ipsius codex sæpe errat.

Octacilius Crassus Messala, præn. M. cos. Olym. 129. anno secundo, urbis conditæ 490

Octacilius Crassus Messala, prænom. M. cos. iterum Olym. 133. anno tertio, urbis conditæ 507 Gell. lib. 10. cap. 6. Acilium pro Octacilio uocat.

Octauius, præn. Cn. cos. Olym. 154. anno primo, urb. cond. 589 de quo loqui uidetur Cice. lib. 1. Offic. ubi de honorati hominis domo loquitur.

Octauius, prænom. Cn. cos. Olym. 163. anno 2. urb. cond. 626

Octauius, prænom. Cn. cos. Olymp. 173. anno tertio, urbis conditæ 667. Hic Octauius, quod Cinnæ obstitisset, ab eo ac C. Mario occisus est, & cum eo M. Antonius uir eloquentißimus ac C. Cæsar.

Octauius, præn. L. seu L. Manlius Torquatus, cos. Olym. 176. anno tertio, urbis conditæ 679

Octauius, prænom. Cn. cos. Olym. 176. anno secundo, urbis conditæ 678. Meminit Plin. libr. 2. cap. 35

Octauius, uideatur Cæsar.

Opimius, prænom. Q. cos. Olymp. 156. an. 4. urb. cond. 600

Opimius, prænom. L. cos. Olymp. 165. an. 1. urb. cond. 633. Huius consulatus meminit Plin. lib. 2. cap. 29. ubi numeri frustra additi in plerisque codicibus. Opimij etiam mentio apud eundem lib. 14. cap. 4. cum numero annorum urb. 634. cum tamen capite 14. eiusdem libri, ac de eodem Opimio, sint anni 633. ut hic noster numerus habet.

Opiter Virginius Tricostus, cos. Olymp. 69. anno quarto, urbis conditæ 252

Opiter Virginius, siue, ut nonnulli tradiderunt, authore etiam Liuio, Vopiscus Iulius Tullus. cos. Olymp. 77. anno primo, urbis conditæ 281

Orestes, uideatur Aurelius.

PAcilius, uideatur Furius.

Pamphilus & Thamphilus, uideatur Bæbius.

Pansa, uideatur Genusius & Vibius.

Pætus, uideatur Antonius.

Pætus, uideatur Aelius.

Papus, uideatur Aemylius.

Papyrius Crassus, prænom. M. cos. Olym. 85. anno secundo, urbis conditæ 314

Papyrius Crassus, prænom. L. cos. Olym. 86. anno tertio, urbis conditæ 319

Papyrius Crassus, prænom. L. cos. iterum Olym. 88. anno 1. urbis conditæ 325

Papyrius Mugillanus, præno. L. Trib. milit. Olymp. 90. anno primo, urbis conditæ 333

Papyrius Mugillanus, præno. M. Trib. mil. Olym. 61. anno primo, urbis conditæ 337

Papyrius Mugillanus, præno. M. Trib. mil. iterum, Olymp. 91. anno tertio, urb. cond. 339.

Papyrius Mugillanus, præno. M. cos. Olymp. 92. anno 4. urbis conditæ 344. In quibusdam libris scribitur Atratinus, sed non placet.

Papyrius Cursor, præ. L. Tri. mil. Oly. 98. an. 4. ur. cõd. 368

Papyrius Cursor, præ. L. Trib. mil. iterũ Oly. 99. anno. 2. urb.

condite 570

Papyrius Crassus, prænom. C. Trib. mil. Olymp. 99. anno tertio, urbis condite 371

Papyrius, præn. Sp. & Papyrius prænom. L. quos Liuius ætno uos Trib. mil. creati sunt Olymp. 100. anno. I. urb. cond. 373

Papyrius, prænom. P. qui putatur non idem qui anno 373. Trib. mil. Olymp. 100. anno tertio, urbis cond. 375

Papyrius Crassus, præno. L. Trib. milit. Olym. 103. anno secundo, urbis condite 386

Papyrius Crassus, præno. L. cos. Olymp. III. anno tertio, urbis condite 419

Papyrius Mugillanus, præn. L. consul Olymp. 84. anno tertio, urbis condite 311. cum Trib. militum.

Papyrius Crassus, præ. L. cos. iterũ Oly. 112. an. 4. ur. cõd 424

Papyrius Mugillanus, præn. L. cos. iterum Olym. 88. an. 4. urb. cond. 328. Hic anno 311. fuit cos. quanquam Liuius fatetur eius anni Coss. nomina in priscis annalibus non esse.

Papyrius Mugillanus, uel Cursor, ut Liuius uult, cos. Oly. 113. anno quarto, urbis cond. 428

Papyrius, Cursor, præn. L. Dictator sine consulibus Oly. 114. anno 2. urb. cond. 430

Papyrius Cursor, præ. L. cos. iterum Oly. 115. anno secundo, urbis condite 434

Papyrius Cursor, præn. L. cos. tertiũm Olym. 115. an. 3. ur. cond. 435. Pro quo in quibusdam scribitur Papyrius Mugillanus.

Papyrius Cursor, prænom. L. cos. IIII. Oly. 116. anno. 4. urbis cond. 44. Liuius huius anni Consulum nomina omisit, quæ ex Cassiodoro posui.

Papyrius Cursor, prænom. L. consul V. Olym. 117. anno secundo, urbis condite 442

Papyrius Cursor, præn. L. superioris Cursoris filius, ut patet ex Plinio libro septimo, capite ultimo, cos. Olymp. 121 an. quarto, urbis condite 460

Papyrius Cursor, prænom. L. cos. iterum Olymp. 127. an. primo, urbis condite 481

Papyrius Masso, prænom. C. cos. Olymp. 137. an. ur. cond. 523

Papyrius Balbus, præn. C. cos. Olymp. 165. an. 3. urb. cond. 634

Papyrius Carbo, præn. C. aut ut Plin. libro 2. capite 33. Cn. cos. Olymp. 167. anno primo, urbis condite 641

Papyrius Carbo, præ. Cn. cos. Olym. 174. an. 1. urb. cond. 669

Papyrius Carbo, prænom. Cn. cos. iterum Olymp. 174. anno secundo, urbis condite 670

Papyrius Carbo, præno. Cn. consul III. Olymp. 174. anno 4. urbis condite 672. Meminit huius & C. Mary Gratidiani Plin. lib. 7. cap. 48. & 49. ubi priore in capite numerus III. omissus est, non item in sequente.

Paßienus Rufus, prænom. L. consul Olym. 194. anno secundo, urbis condite 750

Paterculus, uideatur Sulpitius.

Paulus Fabius Maximus, cos. Olym. 192. an. 3. urb. cond. 743

Paulus, uideantur Aemylius & Posthumius.

Pedius, præno. Q. numeratur cos. cum Pansa, forte illi suffectus. Olymp. 184. anno tertio, urb. cond. 711. Huius meminit Plin. libr. 35. cap. 4. & eius nepotis.

Pera, uideantur Decius & Iunius.

Perpenna Nepos, præ. M. cos. Olym. 162. an. 4. urb. cond. 624 De hoc Perpenna Valerius Maximus, lib. 3. capite quarto.

Perpenna, uideatur Pulcher.

Peticus, uideatur Sulpitius.

Petilius, uideatur Furius.

Petilius Balbus, præn. C. cui duo hæc cognomina, Libo Visolus, à quibusdam adiciuntur. cos. Olym. 105. an. 3. urb. cond. 395

Petilius Balbus, præn. C. Libo Visolus adicitur alibi, ut anno urbis cond. 395. cos. Olymp. 109. anno 1. urb. cond. 409

Petilius Libo, præn. M. cos. Olymp. 117. anno 1. urb. cond. 441

Petilius Balbus, prænom. C. qui & Libo Visolus cognominatur, consul III. Olym. 113. anno 4. urbis cond. 428

Petilius Spalo, præno. Q. cos. Olym. 151. an. 2. ur. cond. 578

Philippus Alexãdri Magni pater uexauit Græciam bello anno urbis condite 403. ut scribit Plin. libr. 2. cap. 27

Philippus, uideatur Marcius.

Philo, uideantur Agrippa, Curiatius, Publius, Veturius.

Philus potius quàm Philo, uideatur Furius.

Phormio Terentij acta est anno urb. cond. 593. M. Valerio Messala, & C. Fannio Strabone coss.

Pinarius Rufus, prænom. P. cos. Olym. 73. an. 1. urb. cond. 265

Pinarius Rufus, præn. L. cos. Olymp. 77. an. 2. urb. cond. 282

Pinarius Mamercus, prænom. L. Trib. mili. Olym. 87. anno tertio, urbis condite 323

Pyrrhi in Italia bellum, anno 471

Piso Cæsonianus, præ. L. cos. Olym. 158. an. 2. urb. cond. 606

Piso Cæsonianus, præn. L. cos. Olym. 167. an. 2. urb. cond. 642

Piso Cæsonianus, prænom. L. cos. Olym. 180. an. 4. urbis cond. 696. Hic Piso Cæsaris socer fuit, cuius filia Calpurnia Cæsari erat nupta, authore Plutarcho.

Pythagoram in Italia habitasse author est Halicarn. lib. 2. ubi de Numa loquitur, post Olym. 50. ad annum urb. cond. 163

Pius, uideatur Metellus.

Piso, uideantur Calpurnius & Pupius.

Placidus, uideatur Furius.

Plancus, uideatur Munatius.

Plautius Proculus, præn. C. (Plotius apud Diodorum scribitur, cognatione o & au, & Proculus est hic cognomen quod alibi prænom) cos. Olym. 106. an. 1. urb. cond. 397

Plautius Venox, præn. C. cos. Olym. 108. an. 4 urb. cond. 408

Plautius Venox, prænom. C. cos. iterum Olymp. 110. anno secundo, urbis condite 414

Plautius Venox, prænom. L. uel ut Caßiodorus habet, C. cos. Olymp. 112. anno quarto, urb. cond. 424. si Caßiodorum sequimur, est tertium consul.

Plautius Decianus, prænom. C. aut Cn. cos. Olymp. 113. anno primo, urbis condite 425

Plautius, Proculus prænom. P. Caßiodoro C. consul Olymp. 113 anno secundo, urbis condite 426

Plautius Venox, prænom. L. consul iterum Olymp. 115. anno. 4. urb. cond. 436. Plin. lib. 13. cap. 3. eloquitur de Plautio his cos.

Plautius Hypsæus, prænom. M. consul Olympiad. 164. anno 1. urbis condite 629

Plautius Syluanus, præn. M. cos. Olymp. 194. anno 4. cum Augusto XIII. consule, an. urb. 752. Christi domini 2.

Plinius lib. 15. cap. 1. meminit sub Tarquinio anni urbis cond. 183. qui est Seruij Tullij Octauus.

Plinius lib. 33. cap. 5. si numerus bonus est. de consulibus anni urbis condite 450. distat annis duobus à supputatione ponenda illic in Sulpitio & Sẽpronio, sed uidetur Dionysium secutus.

Plinium de urbis captæ anno uide in Romam captam.

Pollio, uideatur Asinius.

Pompeius nepos, præn. Q. cos. Olym. 160. an. 1 urb. cond. 613

Pompeius Strabo, prænom. Cn. cos. Olym. 173. an. 1. urb. cond. 665. Pli. lib. 3. cap. 5. ubi de oppido Stabijs in Campano agro, de hoc & P. Porcio Catone loqui uidetur, quanquam nomina fere corrupta sunt ibidem, omnibus quotquot nos uidimus in exemplaribus. Hic autem Pompeius Magni Pompeij pater fuit, authoribus Plutarcho ac Floro.

Pompeius Rufus, præ. Q. cos. Olym. 173. an. 2. urb. cond. 666

Pompeius Magnus, prænom. Cn. consul Olymp. 177. anno 4. urbis condite 684

Pompeius Magnus, præn. Cn. cos. iterum Olympiad. 181. anno tertio, urbis condite 699

Pompeius Magnus, prænom. Cn. cos. tertiũm solus Olym. 182. anno 2. urb. cond. 702. Plin. lib. 15. cap. 1. Pompeij quartum consulatum numerat, sed codices (ut puto) errant. Et quamuis Pompeius creatus esset, tamen socerum suum Metellum Scipionem in collegam ad quinque menses assumpsit, ut scribit Plutarchus in Pompeio.

Pompeius, præn. Sext. cos. Olym. 186. anno tertio, urb. cond. 719

Pompeius, præno. Sext. cos. Olym. 198. anno 2. urb. cond. 766 Christi domini 16. Meminit huius Suet. in Augusto.

Pomponius Flaccus, præn. L. consul Olymp. 199. anno primo, urbis condite 769. Christi domini 19

Pomponius

Pomponius Matho.præn.M.consul Olymp.136.anno quarto, urbis conditæ 520

Pomponius Matho,prænom.M.cos.iterum Olymp. 137. anno tertio,urbis conditæ 523

Popilius Volsens,præn.L.Trib.mil.Olym.95 anno tertio, urbis conditæ 355

Popilius Lenas,præ.M,cos.Olymp. 105 an.4.urb.cond. 396

Popilius Lenas,prænom.M.cos.iterum Olymp.106.anno 3.urbis conditæ 399

Popilius Lenas.præn.M.cos.tertiùm Olym.108.anno 1. urbis conditæ 405.Plin.lib.2.cap.25.Olym.108.comparat ad annos 398.urbis conditæ,sed eo in loco puto legendum,centesimasexta,anno secundo.

Popilius Lenas.præno.M.cos. quartùm.Olym.108. anno tertio, urbis conditæ 407

Popilius Lenas.præn.M.cos. Olymp.116.an.2.urb.cond.438

Porcius Licinius,præn.L.cos.Olym.149.an.2.urb.cond. 570

Popilius Lenas,præn.M.cos.Olym.152.an.1.urb.cond.581

Popilius Lenas,prænom.C.cos.Olymp.152.anno2. urb.cond. 582.Vide Cice.lib.1.Offic.ubi de Catonis filio militante agit, de utro loquatur Popilio,nisi quis pro Popilio legendum putet Paulum Aemylium,ut Glareanus suspicatur. certe de coss. huius anni loquitur.

Popilius Lenas,præn.C.cos.iterum Olymp. 155. anno quarto, urbis conditæ 595

Popilius Lenas, præno.M. Olymp.160.an.3. urb. cond. 615

Popilius Lenas,prænom.P.cos.Olymp.162.anno secundo,urbis conditæ 622.pro quo Floro lib.59.Attilius scribitur,sed forte codex mendosus est.

Poppeus Sabinus,præno.C. consul Olymp. 197.anno primo, urbis conditæ 761. Christi domini 11

Porcius Cato,præ.M.cos.Olym.146.an.3.urb.cond.559

Porcius Cato Nepos,præn.M.cos.Oly.165. anno 4. ur. cond. 636.Huius & Q. Marcij regis meminit Plin.libro secundo, capite 21.& Gellius libro 13.capite 18

Porcius Cato Censorinus,prænom.L. consul Olymp.185. anno tertio,urbis conditæ 715

Posthumius Tubertus,prænom.P.iterum consul Olympiad. 69 anno tertio,urbis conditæ 251

Posthumius Comminus Aruinus (seu Aurunus) consul Olym. 70.anno 1. urbis cond. 253. Posthumus autem hic & postea his prænomen est,alibi fere nomen.

Posthumius Regillensis,prænom.A. Cassiodoro C.cos. Olymp. 61.anno secundo,urbis cond.258

Posthumius Cominius Aruinus (seu Aurunus) iterum consul Olymp.72.anno primo,urbis conditæ 261

Posthumius Albus Regillensis,prænom.Sp.consul Olymp. 78. anno 4.urbis conditæ 288

Posthumius Albus Regillensis,præn. A.consul Olym.79 anno secundo,urbis conditæ 290

Posthumius Ebutius Helua Cornicen consul Olymp. 85.anno primo,urbis cond.313.ubi Posthumius prænomen est. ut supra aliquoties.

Posthumius Albus,prænom.Sp.Tribunus militum Olymp. 87. anno tertio,urbis conditæ 323

Posthumius,præn.Marcus.Trib. militum, Olym.89.an.1.urbis conditæ 329

Posthumius Regillen.prænom.M.Trib.milit.Olymp,92. anno primo, urbis conditæ 341

Posthumius Regillen.prænom.M.Trib.milit.Olymp.94.anno quarto,urbis conditæ 352

Posthumius Albinus,prænom.M.Trib.milit. Olymp.94.anno quarto,urbis conditæ 352

Posthumius Regillen.præno.A.Trib.milit.Olym. 96.anno secundo,urb.cond.358

Posthumius Albinus,prænom.Sp.Trib.milit. Olym. 97.anno primo,urbis conditæ 361

Posthumius Albinus,prænom.L.Trib.militum Olym.97.anno secundo,urbis conditæ 566

Posthumius Regillensis,prænom. A. & L.Trib. milit. Olymp. 100.anno secundo,urbis conditæ 374

Posthumius Albinus,prænom. Sp. cos. Olymp. 112.an.1. urbis conditæ 421. Hic post Caudinam pacem anno 433. factam, etiam Caudinus dictus est,non magna eius laude.

Posthumius Albinus,prænom.Sp.cos.iterum Olymp. 115.anno primo,urb.cond. 433. Meminit huius Cic. lib. 3.Offic.& in Catone. Quod ideo admonendum duxit Glarean. quòd in Offic.numeri additi,in Catone omittuntur.

Posthumius Megellus , prænom.L.cos.Olym.119.anno primo, urbis conditæ 449

Posthumius Megellus , prænom. L.consul iterum Olymp. 121. anno tertio,urbis conditæ,459.Cassiod.L. prænomen habet, ut sit qui anno 449. Plures etiam hos Megillos , non Megellos uocatos contendunt.

Posthumius Megellus, prænom.L.consul tertiùm Olymp.122. anno secundo, urbis conditæ 462

Posthumius Megellus.prænom. L.consul Olympiad. 129. anno tertio,urbis conditæ 491

Postumius Albinus , prænom. A. consul Olympiad. 134. anno tertio.urbis conditæ 511

Posthumius Albinus,prænom. L. consul Olympiad. 136. anno tertio urbis conditæ 519

Posthumius Albinus, prænom.L.consul iterum Olympiad.138. anno primo,urbis conditæ 525. In Polybio huius prænomen uariatum est,sed parui refert.

Postumius Albinus, prænom. L.cos. tertiùm Olym. 141.an.3. urb.cond. 539.Huic suffecti sunt M. Claudius Marcellus II. & Q.Fabius Maximus Verrucosus III.ut in ipsis patet.

Posthumius Albinus, prænom. Sp. consul Olymp. 148. anno quarto,urbis conditæ 568.Huius & Q. Martij Philippi meminit Plin. lib.33.cap.19

Posthumius Albinus , prænom. A.consul Olymp. 150.anno secundo, urbis conditæ 574

Posthumius Paulus,præ.Sp.cos.Oly.151.anno.4.ur.cond.580.

Posthumius Albinus.præn.L. consul Olymp.152. anno primo, urbis conditæ 581

Posthumius Albinus,præn.M.consul Olymp. 156.an.4. urbis conditæ 600

Posthumius Albinus,præn.A.cos Olymp.157.anno tertio,urbis conditæ 603

Posthumius Magnus , prænom.Sp. consul Olymp.158 anno secundo,urbis conditæ 606

Posthumius Albinus , prænom.Sp.consul Olymp. 167. anno quarto, urbis conditæ 644

Posthumius Albinus,prænom.A.consul Olymp.170.anno tertio,urbis conditæ 655

Potitus,uideatur Valerius.

Proculus,uideatur Plautius.

Priscus,uideantur Furius,Numitius,& Seruilius.

Publicola,uideantur Gellius & Valerius.

Publilius Philo,prænom.Q.cos.Olym.110.an.ur.cond. 416

Publilius Philo,præn.Q.cos.iterum Olym.113.an.3.urb.cond. 427. In Diodoro Popilius,in alijs Publius male legitur.

Publilius Philo,prænom.Q.consul tertiùm Olymp. 115. anno secundo,urbis conditæ 434

Publilius Philo,prænom.Q.consul quartùm Olymp.116.anno quarto,urbis conditæ 440

Pulcher Perpenna.prænom. M.consul Olymp.172.anno secundo,urbis conditæ 662

Pulcher,uideatur Appius Claudius.

Puluillus,uideatur Horatius.

Pupius Piso Calpurnianus,præn.M.cos.Olym. 180.anno primo,ur.cond.693. Meminit huius & collegæ M.Valerij Messalæ Plin.lib.7.cap.26. & lib.8.cap.36.& lib.37.capite secundo,statim ab initio.

Quintilianus,uideatur Nonius.

Quintius Capitolinus Barbatus,præ. T. cos. Olymp. 77.anno tertio, urbis cond.283

Quintius Capitolinus Barbatus,prænom T.cos. iterum Olym. 78.anno secundo,urbis.cond.286

Quintius Capitolinus Barbatus, præn. T. cos. tertiùm Olymp. 79. anno primo, urbis conditæ 289

Quintius Cincinnatus, prænom. L. suffectus est in locum P. Valerij Publicolæ, anno urbis conditæ 294

Quintilius Varus, prænom. Sext. consul Olymp. 82. anno primo, urbis conditæ 301

Quintius Cincinnatus, prænom. L. Cincinnati filius Trib. mil. consulari potestate creatus, Olymp. 86. an. 1. urb. cond. 317.

Quintius Capitolinus Barbatus, consul quintùm. Olymp. 84. anno quarto, urbis conditæ 312

Quintius Capitolinus Barbatus, consul sextùm Olympiad. 85. anno quarto, urbis conditæ 316

Quintius Pœnus Cincinnatus. præno. T. consul iterum Olymp. 88. anno tertio, urbis conditæ 327

Quintius Pœnus Cincinnatus, prænom. T. trib. militum, Olymp. 89. anno primo, urbis conditæ 329

Quintius Cincinnatus, præno. Lucius. Trib. mil. iterum Olym. 89. anno secundo, urbis conditæ 330

Quintius Pœnus Cincinnatus, Cincinnati (authore Liuio) filius, præn. T. cos. Olymp. 87. anno 4. urb. cond. 324

Quintius Capitolinus, prænom. T. Capitolini filius, cos. Olym. 90. anno secundo, urbis cond. 334

Quintius Cincinnatus, præn. L. trib. milit. tertiùm Olymp. 90. anno tertio, urbis conditæ 335

Quintius Cincinnatus, prænom. T. trib. milit. Olymp. 91. anno quarto, urbis conditæ 340

Quintius Cincinnatus, prænom. Q. trib. milit. Olymp. 44. an. secundo, urbis conditæ 350

Quintius Capitolinus, prænom. T. trib. mil. Olymp. 94. anno secundo, urbis conditæ 350

Quintilius Varus, prænom M. trib. milit. Olym. 94. an. 4. urbis conditæ 352

Quintius Capitolinus Barbatus, præn. T. cos. quartùm Olym. 84. anno primo, urbis conditæ 309

Quintius Cincinnatus, præn. T. trib. mil. Olymp. 98. anno tertio, urbis conditæ 367

Quintius Cincinnatus, præno. L. Trib. mili. Oly. 99. anno 1. urbis conditæ 369

Quintius Capitolinus, prænom. T. Trib. militum. Olym. 69. anno secundo, urbis conditæ 370

Quintius Capitolinus, prænom. L. trib. milit. Olymp. 99. anno secundo, urbis conditæ 370

Quintius Cincinnatus, prænom. T. trib. mil. iterum Olym. 99. anno tertio, urbis conditæ 371

Quintius Cincinnatus, prænom. L. trib. milit. iterum Olym. 101 anno secundo, urbis conditæ 378

Quintius Cincinnatus, præn. C. trib. mili. Olympiad. 101. anno secundo, urbis conditæ 378

Quintius Claudus, præn. C. consul Olym. 127. anno secundo, urbis conditæ 482

Quintius Capitolinus, prænom Q. trib. milit. Olymp. 103. anno primo, urbis conditæ 385

Quintius Capitolinus, prænom. T. trib. milit. iterum Olymp. 103. anno secundo, urbis conditæ 386

Quintius Capitolinus, prænom. T. cos. Olym. 107. anno primo, urb. cond. 401. De hoc tamen dubitatum in quibusdam annalibus inuenio, inquit Liuius, ac pro eo M. Pompilium.

Quintius Pœnus, prænom. T. (Cæso enim à quibusdam dictus) consul Olym. 107. anno 4. urb. cond. 404

Quintius Gulo, præno L. cos. Olymp. 127. an. 4. ur. cond. 484

Quintius Flaminius, prænom. C. cos. Olym. 139. anno tertio, urbis conditæ 531

Quintius Crispinus, prænom T. consul. Olym. 143. anno secundo, urbis conditæ 546

Quintius Flaminius, prænom. C. consul iterum Olympiad. 141. anno primo, urbis cond. 537. Vide Attilius. Polybius autem lib. 5. ait anno tertio Olym. 104. in Tuscia cum Pœnis conflictum, ubi rursum duobus anticipat annis. Porro idem fatetur Attilium Regulum suffectum huic Flaminio, & anno sequenti res gessisse.

Quintius Flaminius, prænom, T. consul Olympiad. 145. anno quarto, urb. cond. 556. Hic fuit filius eius qui apud Thrasimenum perijt, ut author est Plutarchus in Annibale.

Quintius Flaminius, prænom. L. consul Olymp. 147. anno secundo, ur. cond. 562. Hic T. Flaminij frater fuit a Catone censore senatu motus, ut ipse dicit in De Senectute apud Cic.

Quintius Flaminius, prænom. C. consul Olymp. 148. anno tertio, urbis conditæ 567

Quintius Flaminius, prænom. L. consul Olymp. 157. anno 4. urbis cond. 604. Cato apud Cic. de Senect. fingitur his Consulibus Flaminio & M. Acilio Balbo locutus cum Scipione & Lælio, Meminit etiam horum Plin. lib. 7. ca. 36. quod ideo admonemus, quòd & apud hunc, & apud Ciceronem nomina corrupta sunt.

Quintius Flaminius Appellas, præn. T. cos. Plym. 164. anno tertio. urbis conditæ 631

Quintilius Varus, præ. Q. consul Olym. 192. anno primo, urbis conditæ 741. Caßiodorus P. uocat.

Quintius Crispinus, præn. L. consul Olymp. 193. anno primo, urbis conditæ 745

Quintius, uideatur Curiatius.

Quirinus, uideatur Sulpitius.

RAcilius Volso, prænom. L. plebeius tribunus militũ iterum Olymp. 95. anno quarto, urbis conditæ 356. In quibusdam pro Lucilio Attilius legitur.

Racilius Volso, prænom. L. trib. milit. iterum Olymp. 96. anno tertio, urbis conditæ 359.

Rauilia, uideatur Caßius Longinus.

Reges Rom. suis indicantur nominibus serie literaria.

Regillenses, uideantur Minutius & Posthumius.

Regulus, uideantur Attilius & Manlius.

Romam captam à Gallis anno ab ea condita 364. scribit Plinius libro 33. capite primo, Plutarchus in Camillo anno 360. cum senes, ut apud Liuium lib. 5. cum iunioribus in Capitolium conscenderent. At Camillus in oratione postea habita, ne Veios migrarent, diligentius numerauit, ut & Dionys. quos hic sequitur authores.

Roma capta à Gallis, authore Dionysio, est anno ab ea condita 365. Hic tamen alij annum inserunt sub dictatore Camillo, quòd Liuius dicat Romanos non passos eum abdicare se Dictatura, nisi anno circumacto: sed quo urbs capta est, intelligendum Glareanus putat.

Romulius Vaticanus, præ. T. cos. Olym. 81. an. 3. ur. cond. 299

Romulus primus Romanorum rex, qui regnauit annis 37. regnare cœpit anno primo, Olymp. 7

Rufus, uideantur Largius, Minutius, Paßienus, & Pinarius.

Rufus, uideatur Claudius.

Rutilius Crassus, prænom. Sp. trib. milit. Olymp. 91. anno secundo, urbis conditæ 338

Rutilius ex nomine fit cognomen in Sp. Nautio Rutilio trib. mil. anno urbis conditæ 339

Rutilius Rufus, præn. P. cos. Olym. 169. anno primo, urbis conditæ 649

Rutilius Lupus. præn. P. cos. Olymp. 172. an. 4. urb. cond. 664

Rutilius, uideantur Marcius, Nautius, & Virginius.

SAbinæ raptæ sunt, authore Dionysio Halicarn. anno ab urbe condita, & regno Romuli, quarto.

Sabinus, uideatur Caluisius. Claudius, & Poppæus

Saguntum expugnatam dicit Polypius anno primo, Olymp. 140 Liuius anno quarto, urbis conditæ 536

Sempronius Longus, prænom. T. consul Olympiad. 140. anno quarto, urbis conditæ 536

Saturninus, uideatur Sentius.

Saluator, uideatur Liuius.

Sulpitius Peticus, præn. C. consul tertiùm Olympiad. 106 anno quarto, urbis conditæ 400

Scapula, uideatur Cornelius

Scæua, uideatur Iunius Brutus.

Scæuola, uideatur Luctatius.

Scipionem superiorem, prænomine P. mortuum ait Cato apud

Cicer

Ciceronē de Senectute,anno urb.cond.569. Anno,inquiens, ante me Censorem mortuus est,nouem annis post meum consulatum,cum consul iterum me consule creatus esset.Quo in loco paulo ante legendum est,quintus & trigesimus , non tertius: quod obiter,inquit Glareanus,notandum duximus.

Scipio Nasica,præn.P.cos. Olym.154.anno 4.urb.cond.592

Scipio Africanus, Aemilianus præno. P.consul Olymp.158.anno 3.urbis cond.607

Scipio Nasica Serapion,præn.P.Cos.Olym.160.anno 4.urbis cond.616.quo authore,ut ait Flo.libro 58. Tib.Gracchus in Capitolio á primatibus urbis cæsus est.

Scipio Africanus Aemilianus.præn.P.Cos.iterum Olym.161. anno quarto,urb.cond.620.Cum hic sit annus 14.á priore Consulatu Scipionis,miror quid Flor.lib.56.uelit cum lege quæ nullos eosdem intra decem annos Cos.creari permisit.

Scipio Nasica,præn.P.Cos.Olymp.167.an.3.urb.cond. 643. qui uidetur Serapionis filius,de quibus patre & filio Cic.lib. 1.Offic.ubi de animorum uarietate loquitur.

Scipio Asiaticus,præn.L.Cos.Olym.174.an.3.urb.cond. 671

Scipio præn.P.consul Olym.191.anno 2.urbis cond.738

Scipio,uideantur Cornelius,Metellus,Octacilius.

Scribonius Libo,præn.L.Cos.Olymp.198 anno 4.urbis cond. 768.Christi 18.Iisdem nominibus fuit Cos.an.urb.cond.720

Scribonius Curio,præno.C.Cos.Olymp.176.anno 2.urb.cōd. 678.Meminit Plinius lib.2.cap.35

Scribonius Libo,præno.L.consul.Olymp.186.anno quarto,urbis cond.720

Secessio plebis Romanæ in sacrum montem facta est Olymp.71. anno quarto,urbis cond.260

Sempronius Atratinus,præn.A.consul Olym.71.anno primo, urbis cond.257

Sempronius Atratinus,præ.A.consul iterum Olym.72.anno 3. urbis conditæ 263

Sempronius Attratinus,præn. L.Auli frater,authore Dionys. Halic.Cos.Olym.84.anno 3.urb.cond.311.cum Trib.mil.

Sempronius Atratinus,præno.A.Trib.mil.iterum Olymp.89. anno 2.urbis conditæ 330

Sempronius Atratinus Cos.Olympiad.89.anno quarto,urbis cond.332

Sempronius Atratinus,præn.L. Trib.mil.Olymp.90.anno 3, urbis cond.335

Sempronius Atratinus,præno.A.Trib.mil.tertium Olym.91. anno 3.urbis cond.339

Sempronius Sophus Longus,præn.P.consul Olym.119.anno 2. urb.cond.450.Vide supra Plinium lib.35.cap.2

Sempronius Sophus præn.P.consul Olympia.128.anno 1.urbis cond.485

Sempronius Blesus,præn. C.consul Olymp.131.anno 4.urbis cond.500

Sempronius Blesus,præn.C.Cos.iterum Olymp.134.anno primo,urbis cond.509

Sempronius Tuditanus,præno.M.consul Olym.135.anno primo,urbis cond.513

Sempronius Gracchus,præn.T.consul Olym.135.anno 3.urbis conditæ 515

Sempronius Longus,præno.T.consul Olymp.146.anno 4.urbis cond.560.Vide Cornelium Scipionem.

Sempronius Tuditanus,præn.P.consul Olym.144.anno 2.urb. cond.550

Sempronius Tuditanus,præn.M.consul Olym.146.anno 2.urbis conditæ 569

Sempronius Gracchus,præn.T.seu ut Cicero lib.2. Officiorum, & Plutarchus item scribunt,Tiberius,errore ex T litera orto, fuit autem hic T.& C.Gracchorum pater,consul Olymp.151. anno 1.urbis cond.577

Sempronius Gracchus,præn. T.consul iterum Olympiad.154. anno tertio,urbis conditæ 591.quo anno edita Terentij Heauton. Non est omittendum quod iterum fuerit Cos.quia Plutar. in uita Gracchorum cum bis consulem fuisse testatur.

Sempronius Tuditanus,præn.C.consul.Olym.163.anno 2.urbis conditæ.625

Sempronius Atratinus,Trib.mil.Videantur Tribuni.

Sentius Saturninus,prænom. C.Cos.Olymp.190.anno tertio, urbis cond.735

Sentius Saturninus,præn.C.Cos.iterum Olymp.195.anno 4. urbis cond.756.Christi domini sexto.

Seranus uideatur Attilius.

Sextius,uideatur Menenius.

Sergius Fidenas,præno.L.Trib.milit.Olymp.87.anno 2.urbis cond.322

Sergius Fidenas,præn.L.Cos.iterum Olymp.88.anno 2.urbis cond. 326

Sergius Fidenas,prænom.T.Trib.mil. Olym.89.anno 3.urbis. conditæ 331

Sergius Fidenas,præn.L.Trib.mil.iterum Olymp.91.anno 1. urbis cond.337

Sergius Fidenas,præn.M.Trib.mil. Olymp.94.anno 3.urbis cond. 351

Sergius Fidenas præno.M.Trib.mil.iterum Olymp.95.anno primo,urbis cond.353

Sergius Fidenas,præn.L.Trib.militum Olymp.96.anno 2.urb. cond.358

Sergius Fidenas,præno.Cn.Trib.mil.Olymp.98.anno quarto, urbis cond.368

Sergius Fidenas,præno.Cn.Trib.mil.iterum Olymp.100.anno 3.urbis cond.375

Seruilius Priscus,præn.Sp.quem nonnulli Structum cognominant.Halicarnas.Sergium prænominat errore librarij,consul Olym.76.an.2.urbis cond.278

Seruilius Priscus,præn.P.quem quidam Structum cognominant, consul Olym.71.anno 3.urbis cond.259

Seruilius Priscus,præn.Q.consul. Olymp.78.anno secundo, urbis cond.286

Seruilius Priscus,præn.Q.consul iterum Olymp.78.anno 4. urbis cond.288

Seruilius Priscus,præn.P.Cos. Olymp.79.an.3.urb.cond.291

Seruilius Hala,præno.C.Cos. Olymp.88.an. 4. urb.cond.328

Seruilius Structus,præno.C.Trib.mil.Olymp.91.anno primo, urbis conditæ.337

Seruilius Hala,præn.C.Trib.militum Olymp.93.anno 3.urbis cond.347

Seruilius Structus.præn. C.Trib militum Olymp.91.anno 2. urbis cond.338.Cur huic continuatus honor,ratio non redditur á Liuio,cum id aliquando faciat,ut de C. Seruilio Hala, anno urbis cond.348

Seruilius Hala,præ.C.Tri.mil.iterum Olym.93.anno 4.urbis cond.348

Seruilius Hala,præn.C.Trib.mil.Olympia.95.anno primo,urbis cond.353

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.Olymp.95.anno primo, urbis cond.353

Seruilius Fidenas,præn.L.Trib.mil. Olym.96.anno primo,urbis cond.357

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.tertium Olym.96.anno quarto,urbis cond.360

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib mil.quartum Olym.98.anno primo,urbis cond.365

Seruilius Maluginensis,præn.P.Trib.mil.Olym.98.anno 1.urbis cond.365

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.quintum Olym.98.anno tertio,urbis cond.367

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.sextum Olym.99.anno primo,urb.cond.369.

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.Olym. 100.anno primo, urbis cond.373

Seruilius Priscus,præn.C.Cos. Olym.75.an.4.urb.cond. 276 qui á nonnullis mutato cognomine Structus uocatur.

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.mil.iterum Olymp.101.anno primo,urb.cond.377

Seruilius Fidenas,præn.Q.Trib.militum tertium Olym.103.

anno primo, urbis conditæ 385

Seruilius Structus, præno. Sp. Tribu. militum Olymp. 103. anno 2. urbis conditæ 386

Seruilius Hala, præn. Q. Cos. Olym. 104. an. 2. urb. cond. 390

Seruilius Hala, præno. Q. consul iterum Olymp. 105. anno primo, urbis conditæ 393

Seruilius Hala. præno. Q. Consul. tertium Olym. 110. anno primo urbis conditæ 413

Seruilius Tucca, præn. C. Cos. Olym. 124. an. 1. urb. cond. 469

Seruilius Cæpio, præn. Cn. cos. Olym. 131. an. 4. urb. cond. 500

Seruilius Geminus, præn. P. cos. Olymp. 132. an. 1. urb. cond. 501

Seruilius Geminus, præno. P. consul. II. Olymp. 133. anno primo, urbis cond. 505

Seruilius Geminus, præn. Cn. Consul Olym. 141. anno primo, urbis cond. 537. Vide Quintium Flaminium.

Seruilius Cæpio, & Seruilius Geminus, præn. Cn. cos. Olymp. 144. an. 3. urb. cond. 551. Cn. autem Seruilius Geminus qui consul fuit anno urb. cond. 537. occisus dicitur apud Cannas, quare non est opus hic. C. pro Cn. legere.

Seruilius Geminus, præno. M. consul Olym. 144. anno 4. urbis conditæ 552

Seruilius Cæpio, præn. Q. Cos. Olym. 153. an. 1. urb. cond. 585. Meminit huius Cicero de Senectute, de Ennij ætate agens, ubi plerique codices habent Scipionem pro Cæpione.

Seruilius Cæpio, præno. Cn. cos. Olym. 160. an. 1. urb. cond. 613

Seruilius Cæpio, præ. Q. Cos. Olym. 168. an. 4. urb. cond. 648

Seruilius Isauricus, præn. P. Consul cum Cæsare iterum consule Olymp. 183. anno secundo, urbis conditæ 706

Seruilius Vatia Isauricus, præn. P. Consul Olym. 175. anno 3. urbis conditæ 675

Seruilius Isauricus, præno. P. consul iterum Olym. 185. anno primo, urbis cond 713. Hoc loco hic Seruilius Cos. iterum dicitur, cum apud Eusebium in Chron. si codices non fallunt, sub mortem Iulij Cæsaris publicè elatus dicatur.

Seruilius, præno. M. consul Olym. 195. anno tertio, urbis conditæ 755. Christi domini 5.

Seruius Tullius sextus Rom. Rex, qui regnauit annis 44. regnare cœpit Olymp. 50. anno 4. urbis cond 176

Sextilius, præno. C. uir plebeius Tribunus militum Olymp. 100. anno 4. urbis cond. 376

Sextius Lateranus, præno. L. Primus ex plebe Cos. Olymp. 104. anno primo, urb. cond. 389

Sicinius, præno. T. consul Olym. 73. anno tertio, urb. cond. 267 cuius cognomen non legi.

Siculus, uideatur Chlœlius.

Silius, prænom. C. cos. Olymp. 198. anno primo, urb. cond. 765 Christi domini 15.

Sylla, uideatur Cornelius.

Sylla, præn. L. consul cum Augusto XII. Consule, Olymp. 194 anno primo, urbis cond. 749

Sylla, præno. L. fuit ex familia L. Cornelij Rufini.

Syllanus, uideatur Iunius.

Syluanus, uideatur Plautius.

Syllius Nerua, præn. P. cos. Olymp. 190. an. 2. urb. cond. 734

Sisenna Statilius Taurus consul Olymp. 198. anno 4. urb. cond. 768. Christi domini 18

Soßius, præn. C. cos. Olym. 187. anno. 2. urb. cond. 722.

Sophus, uideatur Sempronius.

Spalo, uideatur Petilius.

Sp. Caßius Vicelinus, quem Halicar. Viscellinum, Cice. in Lelio Becillinum uocat, cos. Olym. 69. an. 4. urb. cond. 252

Sp. Largius Rufus, & T. Herminius Aquilinus, coss. quartum Olymp. 68. anno quarto, urb. cond. 248. Horum cos. nomina apud Liuium omisse, iniuria, ut puto, temporum, ex Diony. apposuimus.

Statilius Taurus, præn. T. cos. cum Augusto VIII. cos. Olym. 188. anno quarto, urbis cond. 728

Statilius Taurus, præn. T. cos. II. Olym. 197. anno 3. urb. cond. 763. Christi domini 13

Stipendium primum datum militi Romano ex publico Olymp. 94. anno primo, urbis cond. 349

Stolo, uideatur Licinius.

Strabo, uideatur Fannius.

Structus, uideatur Seruilius.

Sulpitius Camerinus consul præn. Ser. Olymp. 70. anno 2. urbis conditæ 254

Sulpitius Camerinus præn. Q. consul Olymp. 72. an. 4. urbis cond. 264. Liuius autem eius anni consulum nomina non posuit, Halicarn. ponit.

Sulpitius camerinus, præn. Ser. consul. Olymp. 80. anno 1. urbis cond. 293

Sulpitius Cossus, præn. Q. cos. Olym. 87. an 1. urb. cond. 321

Sulpitius camerinus, quem & cornutum uocant, prænomine Q. trib. mil. Olym. 95. anno 1. urb. cond. 353

Sulpitius camerinus, præn. Ser. cos. Olym. 70. anno 2. urb. cōd. 254. Est autem Seruius præn. Seruilius autem & Sergius sunt nomina.

Sulpitius camerinus, præn. Q. trib. mil. iterum Olym. 96. anno primo, urb. conditæ 357

Sulpitius camerinus, præn. Ser. consul. Olymp. 97. anno 2. urbis cond. 362

Sulpitius Rufus, præn. Ser. trib. militum Olym. 97. anno quarto urbis cond. 364

Sulpitius Longus. præn. P. trib. mil. Olym. 98. anno primo, urb. cond. 365

Sulpitius Rufus, præn. Ser. tribunus militum iterum Olymp. 98. anno tertio, urbis cond. 366

Sulpitius Rufus, præno. Ser. trib. mil. tertium Olym. 99. anno 3. urbis cond. 371

Sulpitius Rufus, præn. Seruius, trib. mil. quartum Olympia. 99. anno 4. urbis cond. 372

Sulpitius Peticus, præn. C. trib. mil. Olym. 100. an. 1. urbis conditæ 373

Sulpitius Rufus, præn. Ser. trib. mil. V. Olym. 101. anno secundo urbis cond. 378

Sulpitius Rufus, præn. Ser. trib. mil. sextum Olym. 101. anno 4. urbis cond. 384

Sulpitius, præn. Ser. trib. mil. Olymp. 103. anno 2. urbis conditæ 386

Sulpitius Peticus, præn. C. quem quidam Potitum, quidam Bethicum, nonnulli Pythicum uocant, consul Olymp. 104. anno 3. urbis cond. 391

Sulpitius Peticus, præno. C. cos. iterum Olym. 105. anno 2. urbis cond. 394

Sulpitius Peticus, præn. caius, consul quartum Olym. 107. anno 2. urbis cond. 402

Sulpitius Peticus, præno. C. cos. quintum Olym. 107. anno 4. urbis cond. 404

Sulpitius camerinus, præn. Ser. cos. Olym. 109. anno secundo urbis cond. 410

Sulpitius Longus, præno. C. consul Olym. 111. anno 2. urbis conditæ 418

Sulpitius Longus, præn. C. consul iterum Olym. 114. anno 3. urbis cond. 431

Sulpitius Longus, præn. C. cos. (si non est alius ab eo qui anno 431.) tertium Olym. 117. an. 1. urb. cond. 441

Sulpitius Auerrio, præn. P. consul Olympia. 119. anno 2. urbis cond. 450. Vide suprà Plin. lib. 33

Sulpitius Auerrio, præn. P. cos. ut uidetur, iterum (quia idem nomen est an. urb. 450.) Olym. 125. an. 2. urb. cond. 474

Sulpitius Paterculus, præn. C. consul Olymp. 130. anno 3. urbis conditæ 495

Sulpitius Gallus, præno. C. consul Olymp. 134. anno secundo, urbis cond. 510

Sulpitius Galba, præn. P. consul fuit Olymp. 142. anno 3. urbis cond. 543

Sulpitius Galba, præn. Ser. cos. Olym. 145. an. 2. urb. cond. 554

Sulpitius Gallus, præn. C. cos. Olymp. 153. anno 4. urbis conditæ 588. Huius multi meminere, Plin. lib. 2. cap. 12. Quintilia. libro. 1. & alij Hoc & M. claudio Marcello consulibus edita

est Publij

est publij Terentij Comici Andria.

Sulpitius Galba, præn. Ser. cuius meminit Suetonius in Galba, consul Olymp. 159. anno 2. urb. cond. 610

Sulpitius Galba, præn. Seruius, consul Olymp. 168. anno 2. urbis conditæ 646

Sulpitius Galba, præn. Q. Cos. Olym. 162. anno secundo, urbis conditæ 622. Cicero in Lælio, ubi de C. Blosio loquitur, pro Sulpitio habet Rutilium.

Sulpitius Rufus, præn. Seruius, Cos. Olymp. 182. an. 3. urb. 703

Sulpitius Quirinus, præn. P. consul Olymp. 192. anno 2. urbis cond. 742. cuius putatur Lucas euang. cap. tertio meminisse.

Sulpitius Camerinus, præn. Q. Cos. Olymp. 197. anno 1. urbis cond. 761. Christi domini 11. Meminit huius & C. Poppei Sabini Suetoni. in Vespasiano, & Plin. lib. 7. c. 48. quod ideo admonemus, ut mendum eo in loco tollatur.

TArentum receptum Romanis anno urb. cond. 545

Tarpeius Capitolinus, præ. Sp. consul. Olympiad. 81. anno quarto, urb. cond. 300

Tarquinius Priscus. præn. Lucius, quintus Rom. Rex. qui regnauit anno 38. regnare cœpit Ol. 41. anno secundo, & urb. 138

Tarquinius Superbus VII. Ro. Rex, qui regnauit annos 25. regnare cœpit anno 4. Olymp. 61. urbis autem conditæ 220

Tarquinius Collatinus præno. L. & L. Iunius Brutus consules anno urbis cond. 245

Tatius Sabinorum Rex urbem inuasit, capta primum per proditionem arce Tarpeia, regnare cœpit anno 4. Romuli & urbis conditæ, & anno septimo pace cum Romulo facta, quinque postea annis cum Romulo regnauit.

Taurus, uideatur Sisenna & Statilius.

Terentius Varro, præn. C. Cos. Olym. 141. anno 2. urbis. cond. 538. quo Cannensis pugna fuit.

Terentij fabulæ seu comœdiæ quo anno & quibus Consulibus actæ sint, uideatur in earum nominibus.

Thermus Fontinalis, uideatur Aternius.

Thermus, uideatur Minutius.

Tiberij Sempronij Gracchi cædes anno urb. cond. 621.

Tiberius Nero, præn. Claudius, consul Olym. 192. anno primo. urbis conditæ 741

Tiberius Nero, præn. Claudius consul iterum Olym. 193. anno 3. urbis conditæ 747

Tiberius, præ. Claudius, cæsar anno urb. cond. 767. & Christi domini 17

Tiberius Nero cæsar, præn. Claudius cos. tertium Olymp. 199. anno 2. urbis cond. 770. Christi domini 20

Titinius, præn. P. Trib. militum Olymp. 95. an. 3. urb. cond. 355

Titinius Longus, præno. L. plebeius, Trib. militum Olymp. 95 anno quarto, urbis conditæ 356

Titinius Longus, præn. L. Trib. militum iterum Olym. 96. anno tertio, urbis conditæ 359

Trebonius Flauius, præn. M. tribunus militum Olym. 99. anno 4. urbis conditæ 372

Tribuni pleb. primi, anno urbis conditæ. 261

Tribuni militum cõsulari potestate. Aemilius præn. M. cognomine, ut quibusdam uidetur, Mamercus, ut alijs, Fidenas: L. Quintius Cincinatus, Cincinati, ut Liuius uult, filius, & L. Iulius Tullus, quem alij Claudij Iulum uocant, creati Olym. 86. anno 1. urb. cond. 317

Tribun. militum consul. potestate creati sunt anno urb. conditæ 330. 331. 333. & multis deinceps alijs, ut in nominibus eorũ qui creati fuerunt, declarabitur.

Tribunorum mil. anni urbis cond. 387. nomina præterquam duorum, P. Valerij Potiti, & C. Licinij Stolonis, non inuenit Glareanus, ac ne horum quidem suo in loco. Potitus sextum etiam à Liuio dicitur sequenti anno, cum nusquam quintum dicatur Trib. militum fuisse. Et C. Licinius Stolo, qui à Publio Manlio dictatore magister equitum dictus est, dicitur antea fuisse Trib. militũ consulari potestate, cum nusquam sit eius nomen toto hoc catalogo. Ad uult hanc opinionem nouus ille annus quo tribuni Lucius Sextius ac Stolo se iam in aciem aduersus optimates maximo priuato periculo, nullo publico emolumento, stare conquerebantur.

Tribuni militum A. Sempronius Atratinus, Lucius Attilius Longus, T. Cæcilius Siculus, Olym. 84. anno 3. urb. cond. 311

Tricipitinus, uideatur Hostius & Lucretius.

Tricostus, uideatur Opiter Virginius.

Trigeminus, uideatur Horatius.

Torquatus, uideatur Manlius.

Tubero, uideatur Aelius.

Tubertus, uideatur Posthumius.

Tuditanus, uideatur Sempronius.

Turca, uideatur Seruilius.

Tullius Decola, præn. M. Cos. Olymp. 175. an. 1. urb. cond. 673

Tullius Cicero, præn. M. Cos. Olymp. 179. anno 3. urbis cond. 691. Sallustius in Catilina & Plin. lib. 8. cap. 53. de eodem. Cæterum idem Plin. Cicerone consule numerat annum urbis 700. errore haud dubio, idque lib. 9. cap. 39

Tullius Cicero fil. præn. M. cos. Olymp. 187 anno 1. urbis cond. 721. Quidam hic pro Cicerone, M. Lælium Volcatium. Tullum posuerant. Caßiodorus Lucium Volcatium. At ex Plutarcho, atque etiam ex Plinij lib. 22. cap. 6. satis liquet M. Tullij Ciceronis hunc esse filium.

Tullius Hostilius tertius Roman. rex, qui regnauit annis 32. regnare cœpit anno 2. Olym. 27. urbis autem cond. 82

Tullius, uideantur Iulius & Manlius.

VAlerius Publicola præno. P. suffectus est Collatino consuli, & creatus secundum cos. cum T. Lucretio Tricipitino anno sequenti, qui erat ab urb. cond. 246. Factus est tertium cos. cum Horatio Puluillo secundum consule, anno ab urbe cond. 247

Valerius Volisus præno. M. quem Publicolæ fratrem dicit Halicarnass. cos. cum P. Posthumio Tuberto, anno urbis conditæ 249. Olymp. 69 anno primo.

Valerius Publicola præno. P. quartum cos. cum Tito Lucretio Tricipitino iterum cos. Olym. 69. anno 2. urb. cond. 250

Valerius Potitus, præno. L. consul Olym. 74. anno tertio, urbis cond. 271. Videatur Fabius Vibulanus.

Valerius Potitus. præno. L. consul iterum Olympiad. 77. anno quarto, urbis cond. 284

Valerius Publicola, præn. P. cos. Olym. 76. anno 3. urbis cond. 279. Hic filius putatur eius Publicolæ qui reges eiecit.

Valerius Publicola. præn. P. Cos. iterum Olymp. 80. an. 2. urb. cond. 294. Cui successit L. Quintius Cincinnatus.

Valerius Potitus, præno. L. cos. Olymp. 83. anno 2. urb. cond. 306. Hic autem filius fuit eius qui aduersus Herdoniũ pugnans in Capitolio occisus est, anno urbis cond. 294

Valerius Maximus, præn. M. cos. Olymp. 81. an. 2. urb. 298

Valerius Potitus, præn. C. Trib. militum Olymp. 91. anno 4. urbis cond. 340

Valerius Potitus, præn. L. Trib. militum Olymp. 92. anno primo, urbis conditæ 341

Valerius Potitus, præno. C. cos. Olym. 93. an. 1. urb. cond. 345 Veteres plerique codices Publium Valerium habent.

Valerius Potitus, præn. C. Trib. militum iterum Olym. 93. anno 4. urbis cond. 348

Valerius Potitus, præn. L. Trib. militum iterum Olym. 94. anno 1. urb. cond. 349

Valerius Potitus, præn. C. Trib. militum tertium Olymp. 94. anno 3. urbis conditæ 351.

Valerius Potitus, præno. L. trib. militum quartum Olymp. 95. anno 2. urb. cond. 354

Valerius Potitus, præno. L. Trib. militum quintum Olym. 96. anno primo, urbis conditæ. 357

Valerius Maximus, præn. M. aut Q. ut hic quidam habent codices. sed anno 360. M. legitur, Trib. militum Olymp. 96. anno primo, urbis conditæ 357

Valerius Maximus, præno. M. trib. militum iterum Olymp. 96. anno quarto, urb. cond. 360

Valerius Potitus, præn. L. cos. Olymp. 97. an. 3. urb. cond. 363

Valerius Publicola, præno. L. Trib. militum iterum Olym. 98. anno 2. urb. cond. 366

Valerius Publicola, præno. L. Trib. militum tertium Olymp. 98. anno 4. urbis conditæ 368

Valerius Potitus, præno. P. Trib. militum Olymp. 99. anno primo, urbis conditæ 369

Valerius Potitus, præno. P. Trib. militum iterum Olym. 99. anno 3. urbis conditæ 371

Valerius Publicola, præn. L. Trib. militum quartum Olym. 99. anno quarto, urbis conditæ 372

Valerius Potitus, præn. L. adijcitur à quibusdam septimum, Trib. mil. anno urbis conditæ 374. non tamen à Liuio.

Valerius Potitus, prænom. P. Trib. militum tertium Olym. 100 anno 3. urbis conditæ 375

Valerius Publicola, præn. L. Trib. militum quintum Olym. 100 anno tertio, urbis cond. 375

Valerius Potitus, præ. P. Trib. militum quartum Olym. 101. anno secundo, urb. conditæ 378

Valerij, prænom. A. & C. quibus non addit Liuius cognomina, Trib. militum Olymp. 102. anno 4. urb. cond. 384

Valerius Publicola, præn. M. Cos. Olym. 106. anno 4. urb. 400 Vide hos annos apud Liuium lib. 7. unus enim numerus illic claudicat, cum ait, Ablato post nonum annum à plebe Consulatu. post undecimum est legendum, qui error facile incidit alternatione numerorum 9. & 11

Valerius Publicola, præno. M. Consul iterum Olymp. 107. anno tertio, urbis cond. 403

Valerij Publicolæ præno. M. cum Gallo pugna facta anno urbis conditæ 406

Valerius Publicola Coruinus. præn. M. Consul Olym. 108 anno tertio urb. cond. 407

Valerius Coruinus præn. M. Cos. iterum Olymp. 109. anno primo, urbis conditæ 409

Valerius Coruinus, præn. M. consul tertium Olymp. 109. anno quarto, urb. cond. 412

Valerius Coruinus, præno. M. Consul quartum Olym. 111. anno quarto, urb. cond. 420

Valerius, præn. T. de cuius cognomine etiam Liuius uariatum in annalibus fatetur, Potitúsne an Flaccus uocetur: Orosius autē lib. 3. cap. 3. Flaccum habet: porrò Diodorus Caßiodorúsque prænomen habent C. non T. Consul Olymp. 112. anno tertio, urbis cond. 423

Valerius Maximus, præn. M. Cos. Olymp. 117. an. 3. urbis. 443

Valerius Potitus, præ. L. Trib. militum tertium Olym. 94. anno quarto, urb. cond. 352

Valerius Coruinus, præno. M. Consul quintum Olym. 120. anno primo urbis conditæ 453

Valerius Publicola, præn. L. Trib. militum Olym. 97. anno primo, urbis conditæ 361

Valerius Coruinus, præn. M. Consul Olymp. 122. anno quarto, urbis conditæ 464

Valerius Maximus, præno. M. haud scio, inquit Glareanus, illéne sit qui anno 443. an alius, Consul Olym. 123. anno tertio, urbis conditæ 467

Valerius Leuinus, præn. P. Cos. Olym. 125. an. 1. urb. cond. 473

Valerius Potitus, præn. P. Tribunus militum quintum Olym. 103 anno 3. urb. cond. 387

Valerius Maximus, præno. M. Cos. Olymp. 128. an. 4. urb. 488

Valerius Maximus præno. M. Consul iterum Olymp. 129. anno secundo, urbis conditæ 490. Vide Plin. lib. 35. cap. 4. & lib. 7. capite ultimo: tum compara locos inter se, uter sit ex altero emendandus.

Valerius Flaccus, præn. L. Cos. Olymp. 129. anno 4. urb. 492

Valerius Flaccus, præn. Q. Cos. Olym. 135. an. 2. urb. cond. 514

Valerius Flaccus, præn. P. Cos. Olymp. 138. an. 3. urb. cond. 527

Valerius Potitus, præno. P. Trib. militum sextum Olymp. 103 anno quarto, urbis cond. 388

Valerius Leuinus, præno. M. Consul Olym. 138. anno quarto, urbis cond. 528

Valerius Leuinus, præn. M. Cos. iterum Olym. 142 anno 4. urbis cond. 544. Numerus tamen hic in Liuij codice omißus est: at ipse Liuius lib. 9. huius belli Pun. ait hunc bis consulē fuisse, quare numerus ille non est omittendus.

Valerius Flaccus. præn. L. Cos. Olym. 146. an. 3 urb. cond. 559

Valerius Messala, prænom. M. Cos. Olym. 148. an. 2. urb. 566

Valerius Messala, præn. M. Cos. Olymp. 155. an. 1. urbis cond. 593. Meminit huius & C. Fannij Strabonis Gellius libro 2. cap. 24. & lib. 15. cap. 11. sub quibus etiā actæ sunt Eunuchus & Phormio Terentij.

Valerius Flaccus, præn. L. Cos. Olymp. 157. an. 2. urb. cond. 62

Valerius Flaccus, præn. L. Cos. Olym. 162. an. 3. urb. cond. 623

Valerius Flaccus, præn. L. Cos. Olym. 170. an. 2. ur. cond. 654

Valerius Flaccus, præn. C. Cos. Olympi. 172. anno 1. urb. cond. 661. Hunc & M. Herennium nominat Plin. lib. 19. cap. 3

Valerius Messala, prænom. M. consul Olymp. 180. anno primo, urbis cond. 693

Valerius Messala, præn. M. Con. Olym. 182. an. 1. urb. cond. 701

Valerius Messala. præn. M. Consul additutius Olymp. 187. anno tertio, urbis conditæ 723

Valerius Messala, præn. M. Consul iterum Olym. 192. anno secundo, urbis conditæ 742

Valerius Messala. præn. L. Cos. Olymp. 196. anno primo, urbis conditæ 757. Christi domini 7

Valerius Messala, præn. M. si idem est qui anno urbis cond. 742 iterum fuit, Cos. tertium. sed uidetur alius Cos. Olymp. 199 anno quarto, urbis cond. 772. Christi 22

Varius, uideatur Alfenus, Caßius, Licinius & Quintilius.

Vaticanus, præn. P. Cos. Olympiad. 183. an. 3. urbis cond. 707

Vatia, uideatur Seruilius & Marcius.

Vaticanus, uideatur Romulus & Sestius.

Veij capti sunt anno urbis conditæ 359

Venox, uideatur Plautius.

Verus, uideatur Antistius.

Veturius Geminus Cos. Olymp. 70. anno 3. urbis conditæ 255 Liuius hunc Cn. Vetusium uocat, Halicarnaß. P. Veturium Geminium, alij Cicurinum, Caßiodorus autem prænomen ponit L. non P.

Veturius Geminius, præn. T. Cos. Olym. 79 anno quarto urbis conditæ 292. Quidam Vetusium, & quidam Geminum, quidam præterea Ligurinum uocant duobus cognominibus.

Veturius Cicurinus Cos. Olympiad. 81. an. 3. urbis cond. 299

Veturius Cicurinus, præn. M. additur à quibusdam sextum Tri. militum Olym. 94. an. 3. urbis cond. 351. ut fuerint eo anno septem Trib. militum.

Veturius Cicurinus, præn. M. patricius, Trib. mil. Olympia. 95. anno 4. urbis cond. 356

Veturius præn. C. Trib. militum Olym. 101. anno 2. ur. cōd. 378

Veturius, præno. C. (cognomen autem huic & quibusdam alijs non subijcit Liuius, offensus, ut opinatur Glareanus, nominum multitudine) Trib. mili. iterum Olym. 103. anno primo, urbis cond. 385

Veturius Crassus Cicurinus, præn. L. Trib. militum Olymp. 103 anno 2. urbis cond. 386

Veturius Crassus Cicurinus, præn. L. Trib. mil. iterum Olym. 103. anno quarto, urbis conditæ. 388

Veturius Caluinus, præno. T. Consul Olymp. 112. anno primo, urbis conditæ 421

Veturius Caluinus, præn. T. Cos. iterum Olym. 115. anno primo urbis cond. 433

Veturius Leuina, præn. L. Cos. Olym. 140. an. 2. urb. cond. 534

Veturius Philo, præn. L. Cos. Olymp. 143. an. 4. urb. cond. 548

Vetusius Geminus, præn. T. Cos. Olymp. 71. anno 4. urbis 260

Vibulanus, uideatur Fabius.

Vibius Pansa, præno. C. cum Hirtio Cos. Olym. 184. anno 3. urbis cond. 711. Quidam tamen Hirtio adiungunt C. Cæsarem Octauium, & Pansæ Pedium, ut in ipsorum dicitur nominibus.

Vicelinus, uideatur Caßius.

Villius, uideatur Iulius.

Vinitius, præn. P. Cos. Olympiad. 145. anno 2. urbis cond. 754 Christi domini 4. Inter Coss. anni huius & superioris erant in Caßiodo. Coss. C. Cæsar Octauius Augustus XIII. & L. Paulus: sed Suetonij Tranquilli supputationes hunc annum

non ad

FINIS.

CLEMENTISSIMO CAESARI FERDINANDO BOHEMIAE HVNGARIAEQVE

REGI &c. HENRICHVS GLAREANVS.

S. D.



EMINI dubium est, inuictissime Rex, id esse in historia temporum rationem, quod solis iubar in sublimi hoc aere. Tolle solem ex hoc mundo, quid aliud nisi confusum relinquetur chaos? Tolle aetatum ac seculorum ordinem ex historia, dij boni quam nihil lucis rebus gestis adfuerit? Qua causa ego motus, cum Liuij historia ut eminentissima & utilissima ab omnibus passim enarranda suscipiatur, in ea autem temporum ratio mire claudicet, existimaui operaepretium me facturum, si studiosos hac etiam parte, ut alijs nostris operibus, pro uirili iuuarem, id quod antea in Dionysij Halicarnassei praeclarissimi ac diligentissimi historiographi libris fecimus. Itaque Chronologiam quandam (eam temporum rationem dicere possis) institui, quam ante aliquot annos Hieronymus Frobenius ac Nicolaus Episcopius, summi amici mei, ac bonorum literarum instauratores, ad Liuij, quod tum excudebant, exemplar, adijci curarunt. Pro quo sane labore a multis doctis uiris bene audiui, qui literis ad me missis, ingenteis nobis gratias egere, ac ingenue, quo sunt candore, fassi sunt historiae Romanae maximum accessisse decus ac lumen per huiuscemodi commentationem, succinentes identidem illud Maronis:

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum, Pariusue lapis circundatur auro.

Nec tamen ego ob id cristas erigere coepi, quod laudati pauones facere solent, sed magis annisus sum, ac fidelem dedi operam, ut ea denuo seorsum excuderetur. uidelicet ut qui antea Liuij codices habent, quando non omnibus eundem authorem bis parare commodum est, possent etiam hoc nostro frui labore. Huic autem conatui dexter affuit Mercurius Michaelis Isingrinij industria, uiri in primis cum eruditi, tum, quod eruditionem potissimum commendat, hominis laboriosissimi in restituendis bonis authoribus. id quod hisce aliquot annis lector ex libris in eius officina excusis facile colliget. De quo rectissime, secus atque de pluribus nostrae aetatis typographis, Flacci nostri illud dixeris:

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem Cogitat.

Verum ad Chronologiam redeo. Eam ego exorsus a Troia capta, altius repetitis annis, propter eximij uiri, de quo iam dixi, Dionysij Halicarnassei praeclarissimam historiam, adieci post Liuij tempora singulis cum consulibus annos ad Iustinianum usque Caesarem, id quod Cassiodorus quoque fecit, quanquam codex eius mire corruptus hodie habetur, quem tamen Gregorius Haloander. uir magna, meo iudicio, industria, multis in locis emendauit. Idem ego in prioribus annis annisus, qui Liuiana continentur historia, nec cum hoc nec cum illo ubique consentiens, quemadmodum nec inter ipsos ubique conuenit. Porro quot locis dissentiam, & quibus authoribus fultus, lector eruditus legendo facile uidebit. Spero autem fore ut optimus quisque confessurus sit, me nec temere nec sine fructu lectorum hanc post illos suscepisse prouinciam. Simpliciter autem authorum loca ostendi lectori, relinquens illum suo iudicio, nec omnia quae poteram, odiose inculcans, nec ubique: illic taedium euitans, hic ostentationem. Sed haec obiter de causa quae nos ad hoc negotium scribendum compulerit, dicimus. Nam de utilitate huius hoc unum admonuero, summe enitendum ac elaborandum, maxime uero authorum classicorum enarratoribus, ut temporis ratio in historia constet. Si enim historia testis est temporum, ut uere dixit Cicero, quid absurdius fieri potest, quam ita narrare historiam, ut quid prius, quid posterius gestum sit ignores? perinde atque uulgus narret fabulas. In hac igitur Chronologia initium a capta Troia sumptum est, quod Romani a Troianis oriundi credantur, per Aeneam, Ascanium, ac deinde reges Albanos usque ad Romulum, qui urbis fuit conditor. Fuere autem a Troia capta ad urbem conditam anni quadringenti triginta duo: qui numerus ter a Dionysio proditus, corrupte legebatur in uulgatis codicibus. Nos autem collatis ex Chronicis Eusebij annis, ac uarijs aliorum authorum comparatis locis, regum Albanorum seriem maxime uerisimilem ac summe congruentem, diligenti adhibita ratione deduximus. Et ne nudae essent semipaginae, ex sacra historia Iudaeorum reges, qui in haec inciderunt tempora, adiunximus. Deinde etiam Medorum, Macedonum ac Persarum, ut multis daremus ansam diligentius inspiciendi Eusebij Chronica. Quod si quis ijs offendetur, ac minime obtundi his lectorem oportuisse clamet, is sciat eo consilio a nobis instituta esse, ut Albanorum Romanorumque regum series ab initio lectorem ducat: alia autem ita adpicta, ut omitti facile queant. Quare lector ea ita existimet, perinde atque uacua margine non adsint: cuius rei euidens signum est, quod Eusebij supputationem in regibus Romanis, ubi maioris in hoc negotio authoritatis uiri Liuius atque Dionysius urgebant, emiserimus. Quod autem Hebraeorum reges maluerimus quam uel Aegyptiorum, uel Lydorum, uel Atheniensium, haec nostra tempora in causa fuerunt, quibus multi Iudaeorum historiam legunt absque omni iudicio. Sed breuiter omnia eo direximus, ut lectoris utilitas spectetur. Non dicam nunc quanto labore hoc tam paruum opusculum mihi constiterit, uel quia nemo mihi crediturus sit, si dixero: uel quod gloriolae captator minime uideri uelim. Hoc dicam, neminem in eo negotio tam cautum, tamque circumspectum esse posse, ut non alicubi uacillet, ut non singulis paginis cauillatoribus sit locus. tanta hac in nomenclatura ob temporum iniuriam est confusio. Quod probe mihi ostendit. D. AEGIDIVS Tschudus affinis meus V. C. apud Heluetios cum reducem e Roma hisce diebus Clarone inuisissem, qui, ut est uir multae lectionis, ac omnis antiquitatis diligentissimus indagator, & quod maximum est, acerrimi iudicij homo, ex antiquis monumentis Romae descriptis commonstrauit multo secius magistratus nomina habere, atque nobis uel Liuij codices, uel Cassiodorus, aliique nonnulli exhibuerint. Verum nunc non erat tantum ocij, ut ea omnia emendaremus: dabit Deus aliquando ut id plenius exequamur. Accipe igitur & hos labores nostros clementissime Caesar, animi grati erga liberalitatem tuam specimen. Maiora & me debere, & maiestatem tuam decere, certo scio: sed in eo fastigio Deus opt. max. te collocauit, ut animum beneuolum ac gratum non minus uelis quam relatam gratiam. Idem Deus opt. max. tuis pijs conatibus, felicissime Rex, det gratiam in publicum Christiani orbis commodum. Friburgi Brisgoiae. anno a Christo nato M. D. XL. Calen. Septembris.

CHRONOLOGIA.



Hronologia, siue temporum supputatio in omnem Romanam historiam, præsertim Dionysii Halicarnassei & T. Liuij, à Troia capta vsque ad Iustinianum Cæsarem, continens primum XV. reges Latinorum, post Aeneæ in Italiam aduentum, septémque Romanorum: deinde Consules, Decemuiros, ac tribunos militũ cons. potestate: denique Cæsares: adiectis regibus Hebræorum Iudæ ac Israel: item Medorum, Persarum ac Macedonum, qui in hæc tempora inciderunt:, per HENRICHVM *Glareanum, in inclyta Friburgensium academia publicum professorem.*

Anni à Troia capta.	# TROIA CAPTA.
	Troia capta est decem & septem dies ante solstitium.
1	PRIMVS *hic post captam Troiam annus incipit viginti dies post solstitium, quod octauo Calendas Quintiles siue Iulias est, authore Plinio, lib. 18. cap. 28. Dionysius ait octauo desinentis mensis Iunij, quod idem est, vt puto. Circiter autem æquinoctium autumnale per Hellespõtum in Thraciam profecti Troiani duce Aenea, atque ibidem eam commorati hyemem vt susciperent ex fuga reliquos, ac appararent ad nauigationem necessaria. Quod vbi factum est, veris principio in Siciliam vsque nauigarunt, finitúsque est primus annus.*
2	SECVNDO *anno in Sicilia per hyemem manserunt, condentes vrbem Elymus. Deinde nauigabili facto mari ex Sicilia soluentes, Tyrrhenum transmittunt mare, in Laurentum profecti agrum: ibi icto cum rege Latino fœdere, ac accepta agri quadam portione, Lauinium condere cœperunt.*
3	TERTIO *hoc anno ab exitu à Troia, Aeneas solus Troianis imperat, ducta in matrimonium Lauinia Latini regis filia, vnde & Lauinium nomen habet.*
4	QVARTO *hoc anno Latinus rex pugna, qua aduersus Rutulos ac eorum ducem Turnum ipse cum suis ac genero Aenea, Troianisque stetit, occiditur, & regnum iure belli affinitatisque ad Aeneam venit, qui & suis & Latinis imperauit annis tribus.*

REGNVM LATINORVM.

5	1	AENEAS primus Latinorum rex post Latini soceri mortem regnauit annis	
6	2	tribus.	
7	3	*Septimo hoc anno (qui quartus erat post Latini obitum) regni Aeneæ, ipse in pugna ad Numicum amnem, qua aduersus Hetruscos, ac Mezentium eorum regem stetit, vltimum visus est, & sub finem septimi anni, eius filius Ascanius imperare cœpit, qui fuit Aeneæ ex Creusa filius, Lauiniæ priuignus.*	
			Iudices Hebræorum.
8	1	Ascanius secundus Latinorum Rex	Sanson omnium for-
9	2	annis 38.	tissimus.
10	3		
11	4		
12	5		
13	6		
14	7		
15	8		
16	9		
17	10		
18	11		
19	12		
20	13		
21	14		

Anni à Tro.ca.	*An.reg. Latin.*	LATINORVM.	HEBRAEORVM.
22	15		
23	16		
24	17		
25	18		
26	19		
27	20		
28	21		Heli Sacerdos
29	22		*in libris reg. hic 40. annis*
30	23		*iudicasse Israel dicitur, in*
31	24		*LXX. autem interpretatio-*
32	25	*Hoc anno, qui est tricesimus à Lauinio condito,*	*ne 20. vt scribit Eusebius,*
33	26	*sed tricesimus secundus à Troia capta, Asca-*	*ideóque nos numeros omi-*
34	27	*nius nouam cœpit condere vrbem, Longam Al-*	*simus.*
35	28	*bam, relinquens nouercæ Lauinium.*	
36	29		
37	30		
38	31		
39	32		
40	33		
41	34		
42	35		
43	36	*Amazones Ephesi templum succenderunt.*	
44	37		
45	38.		
46	1	Syluius tertius Latinorum rex annis 29.	*In Chronicis Eusebij hoc lo-*
47	2	*Hic Aeneæ ex Lauinia Posthumus fuit filius,*	*co superest annus in regibus*
48	3	*Ascanij frater. Quòd autem in syluis educatus*	*Latinorum.*
49	4	*erat, Syluius dictus est, ac deinceps omnes reges*	
50	5	*Albani Syluij.*	
51	6		
52	7		
53	8		
54	9		
55	10		
56	11		
57	12		
58	13		
59	14		
60	15		
61	16		
62	17		
63	18		
64	19		
65	20		
66	21		
67	22		1 Saul Hebræorum pri-
68	23		2 mus rex ex tribu Ben-
69	24		3 iamin annis 40.
70	25		4
71	26		5
72	27		6
73	28		7
74	29		8
75	1	Aeneas Syluius IIII. Latinorum rex an. 31.	9
76	2	*Eusebius ait reperisse se in quibusdam historijs*	10

Anni à Tro.ca.	*An.reg. Latin.*	LATINORVM.		HEBRAEORVM.
77	3	*Latinum Syluium quarto post Aeneam loco re-*	11	
78	4	*gnasse Lauiniæ ac Melampodis filiū, vterinum*	12	
79	5	*fratrem Posthumi Syluij: quinto verò loco, qui*	13	
80	6	*hic quarto ponitur, Aeneam Syluiū Posthumi*	14	
81	7	*filium. Sed neminem hoc secutum video, quapro-*	15	
82	8	*pter hic omittitur. Eurysthenes Aristodemi fi-*	16	
83	9	*lius Proclis frater, apud Lacedæmonios regna-*	17	
84	10	*uit, à quo altera regia familia, de qua Cleome-*	18	
85	11	*nes, item Leonidas, qui apud Thermopylas Xer-*	19	
86	12	*xis exercitum inuasit.*	20	
87	13		21	
88	14		22	
89	15		23	
90	16		24	
91	17		25	
91	18		26	
93	19	*Codrus Melanthi filius.*	27	
94	20		28	
95	21		29	
96	22		30	
97	23		31	
98	24		32	
99	25		33	
100	26		34	
101	27		35	
101	28		36	
103	29	*Amazonum ac Cimmeriorū incursus in Asiam.*	37	
104	30		38	
105	31		39	
106	1	Latinus Syluius v. Latinorum rex ann. 50.	40	
107	2	*Dionysius huic dat annos 51. sed errore, vt opi-*	1	Dauid primus Hebræo-
108	3	*nor, librariorum. Ego propter summam omnium*	2	rum rex ex tribu Iuda
109	4	*regum Albanorum, ter à Dionysio positam. 50.*	3	annis 40.
110	5	*posui, vt etiam Eusebius.*	4	
111	6		5	*Hebræorum pontifex Abia-*
112	7		6	*thar clarus habetur.*
113	8		7	
114	9		8	
115	10		9	
116	11		10	*Prophetabant Gad, Na-*
117	12		11	*thau & Asaph.*
118	13		11	
119	14		13	
120	15		14	
111	16		15	
112	17		16	
113	18		17	
124	19		18	
125	20		19	
126	21		20	
127	22	*Magnesia in Asia condita.*	21	
128	23		22	
129	24		23	
130	25		24	
131	26	*Cumæ in Italia condita.*	25	

Anni à Tro.ca.	*An.reg. Latin.*	LATINORVM.	HEBRAEORVM.	
132	27		26	
133	28		27	
134	29	*Ephesus condita.*	28	
135	30		29	
136	31		30	
137	32	*Carthago condita, secundum quosdam.*	31	
138	33		32	
139	34		33	
140	35		34	
141	36		35	
142	37		36	
143	38		37	
144	39		38	
145	40		39	
146	41		40	
147	42		1	Solomon II. Hebræo-
148	43		2	rum rex de tribu Iuda
149	44		3	annis 40
150	45		4	*Hic Dauidis fuit filius ex ea*
151	46		5	*quæ fuit Vriæ.*
152	47		6	
153	48		7	
154	49		8	
155	50		9	
156	1	Alba Syluius VI. Latin. rex. annis 39.	10	
157	2	*Eusebius ait hunc Aeneæ Syluij fuisse filium.*	11	*Sadoch Hebræorum sa-*
158	3		12	*cerdos.*
159	4		13	
160	5		14	
161	6		15	
162	7		16	
163	8		17	
164	9		18	
165	10		19	
166	11		20	
367	12		21	
168	13		22	
169	14		23	
170	15		24	
171	16		25	
272	17		26	
173	18		27	
174	19		28	
375	20		29	
176	21		30	
177	22		31	
178	23		32	
179	24		33	
180	25		34	
181	26		35	
182	27		36	
183	28		37	
184	29		38	
185	30		39	
186	31		40	

Anni à Tro.ca.	An.reg. Latin.	LATINORVM.	HEBR. IVDAE.	HEBR. ISRAEL.
		Post mortem Solomonis seditione orta in gente Iudæorum, ac regno bifariam diuiso, in Samaria X tribubus præfuit Hieroboam, in Hierusalem II. Roboam.		
187	32		1 Roboam Hebræo-	1 Hieroboam Hebræo-
188	33		2 rum Iudæ rex III.	2 rum Israel rex primus
189	34		3 annis 17. *Hic*	3 annis 22.
190	35		4 *Solomonis fuit filius.*	4
191	36		5	5
192	37		6	6
193	38		7	7
194	39		8	8
195	1	Capetus Syluius Latin.	9	9
196	2	rex VII. annis 26.	10	10
197	3	*Hunc Eusebius Atyn vo-*	11	11
198	4	*cat, vt Liuius: Ouidius,*	12	12
199	5	*Epitum. Addit Eusebius*	13	13
200	6	*& Aegyptum dictum, ac*	14	14
201	7	*regnasse annis 24. sed nos*	15	15
202	8	*hoc loco Dionysium sequi*	16	16
203	9	*maluimus. Thraces Bithy-*	17	17
204	10	*niam occupant.*	1 Abia IIII. rex Iudæ	18
205	11		2 annis 3.	19 *Hebræorum pont.*
206	12		3	20 *Maximus Abimelech*
207	13		1 Asa V. rex Iudæ	21 *clarus habetur.*
208	14		2 annis 41.	22
209	15		3	1 Nadab II. rex Israel,
210	16		4	2 annis 2
211	17		5	1 Baasa III. rex Israel,
212	18		6	2 annis 24.
213	19		7	3
214	20		8	4
215	21		9	5
216	22		10	6
217	23		11	7
218	24		12	8
219	25	*In Eusebij Chronicis duo desunt anni ab Dionysij supputatione, quam hic sequimur.*		
220	26			
221	1	Capys Syluius VIII.	13	9
222	2	Latin. rex an. 28.	14	10
223	3	*Hic superioris regis filius*	15	11
224	4	*authore Eusebio.*	16	12
225	5		17	13
226	6		18	14
227	7		19	15
228	8		20	16
229	9		21	17
230	10		22	18
231	11		23	19
232	12		24	20
233	13		25	21
234	14		26	22
235	15		27	23
236	16		28	24
237	17		29	1 Hela IIII. rex Israel,
238	18		30	2 annis 2.

Anni à Tro. ca.	An.reg. Latin.	LATINORVM.	HEBR. IVDAE.	HEBR. ISRAEL.
239	19		31	1 Amri v.rex Israel
240	20		32	2 ann.12.
241	21		33	3
242	22		34	4
243	23		35	5
244	24		36	6
245	25		37	7
246	26		38	8
247	27		39	9
248	28		40	10
249	1	Capetus Syluius IX.	41	11
250	2	Latin.rex annis 13.	1 Iosaphat VI.rex Iu-	12
251	3	*Et hic superioru regis fi-*	2 dæ ann.52.	1 Achab VI.rex Israel
252	4	*lius, eodem authore.*	3	2 annis 22.
253	5		4	3
254	6		5 *Apud Hebræos pro-*	4
255	7		6 *phetabant Abdias,*	5
256	8		7 *Ozias, Michæas,*	6
257	9		8 *Helias.*	7
258	10		9	8
259	11		10 *Falsi prophetæ erant*	9
260	12		11 *Sedechias, Eliazer.*	10
261	13		12	11
262	1	Tyberinus Syluius	13	12
263	2	Latin.x.ann.8.	14	13
264	3	*Hic est à quo Albula cæ-*	15	14
265	4	*pit, deinde nomen Tybe-*	16	15
266	5	*ris superioru regis filius.*	17	16
267	6		18	17
268	7		19	18
269	8		20	19
270	1	Agrippa Syluius Lati-	21	20
271	2	norum XI.ann.40.	22	21
272	3	*Et hic superioru regis fi-*	23	22
273	4	*lius. In annis autem se-*	24	1 Ochosias VII.rex Israel
274	5	*quuti sumus Eusebium*	25	2 annis 2.
275	6	*potius quàm Dionysium,*	1 Ioran VII.rex Iudæ	1 Ioram VIII.rex Israel,
276	7	*ob regum Albanorum*	2 annis 8.	2 annis 12
277	8	*summam, de qua paulò*	3	3
278	9	*antè diximus.*	4	4
279	10		5	5
280	11		6	6
281	12		7	7
282	13		8	8
283	14		1 Ochozias 8. rex Iu-	9
284	15		1 Athalia, (dæ an.1.	10
285	16		2 IX.Iudæ regnum ha-	11
286	17		3 buit an.7. *Ionadab fi-*	12
287	18		4 *lius Rechab clarus ha-*	1 Iehu IX.rex Israel,
288	19		5 *betur. Ioiade pontifex*	2 annis 28.
289	20		6 *apud Hebr. clariß.*	3
290	21		7	4
291	22		1 Ioas X.rex Iudæ,	5
292	23		2 annis 40.	6
293	24		3	7

Anni à Tro. ca.	*An. reg. Latin.*	LATINORVM	HEBR. IVDAE	HEBR. ISRAEL.
294	25		4	8
295	26		5	9
296	27		6	10
297	28		7	11
298	29	*Lycurgus Lacedæmonio-*	8	12
299	30	*rum legislator insignis*	9 *Zacharias Hebræo-*	13
300	31	*habetur.*	10 *rum propheta occi-*	14
301	32		11 *ditur.*	15
302	33		12	16
303	34		13	17
304	35		14	18
305	36		15	19
306	37		16	20
307	38		17	21
308	39		18	22
309	40		19	23
310	1	Alladius Syluius Latino-	20	24
311	2	rum x 11. rex annis 19.	21	25
312	3	*Hic superioru filius, va-*	22	26
313	4	*ria habet apud scriptores*	23	27
314	5	*nomina, vt in annotatio-*	24	28
315	6	*nibus nostris diximus.*	25 *Heliseus propheta*	1 Ioacham x. rex Israel
316	7		26 *moritur.*	2 ann. 17.
317	8		27	3
318	9		28	4
319	10		29	5
320	11		30	6
321	12		31	7
322	13		32	8
323	14		33	9
324	15		34	10
325	16		35	11
326	17		36	12
327	18		37	13
328	19		38	14
329	1	Auentinus Syluius x 111.	39	15
330	2	Latin. rex ann. 37.	40	16
331	3	*Superioru regu & hic fuit*	1 Amasias x 1. rex Iudæ	17
332	4	*filius, in Auentino monte*	2 ann. 29.	1 Ioas x 1. rex Israel,
333	5	*sepultus, vnde & mons no-*	3	2 annis 16.
334	6	*men habet.*	4	3
335	7		5	4
336	8		6	5
337	9		7	6
338	10		8	7
339	11		9	8
340	12		10	9
341	13		11	10
342	14		12	11
343	15		13	12
344	16		14	13
345	17		15	14
346	18	*Sardanapalus vltimus*	16	15
347	19	*Aßyriorũ rex hic re-*	17	16
348	20	*gnare cœpit.*	18	1 Hieroboam x 11.

Anni à Tro. ca.	An. re. Latin.	LATINORVM			HEBR. IVDAE.	HEBR. ISRAEL.
349	21				19	2 rex Isr. an. 41.
350	22				20	3
351	23				21	4
352	24				22	5
353	25				23	6
354	26				24	7
355	27				25	8
356	28				26	9
357	29				27	10
358	30				28	11
359	31				29	12
360	32				1 Ozias	13
361	33				2 XII. rex	14
362	34				3 Iudæ,	15
363	35				4 an. 51.	16
364	36				5	17
365	37	*Hoc anno destructũ est Aßyriorum*			6	18
		imperium, ac in Medos translatum per Arsacem, fuere tamen absque tyrannide Medi vsque ad Deiocem verum regem.				
366	1	Procas Syluius	1 Arsaces liberis præ-		7	19
367	2	XIIII. Latin.	2 fuit primum Medis		8	20
368	3	rex an. 23.	3 annis 28.		9	21
369	4		4		10	22
370	5		5		11	23
371	6		6		12	24
		Eusebius hoc loco Macedonum orditur regnum. Cæterum regum hæc nomina vsque ad Perdicam, qui hic quartum obtinet locum, nescio quàm vera habeantur.				
372	7		7	1 MACED.	13	25
373	8		8	2 primus rex	14	26
374	9		9	3 Cranaus	15	27
375	10		10	4 annis 28.	16	28
			Prophetabant apud Hebræos, Osee, Amos, Esaias, & Ionas.			
376	11		11	5	17	29
377	12		12	6	18	30
378	13		13	7	19	31
379	14		14	8	20	32
380	15		15	9	21	33
381	16		16	10	22	34
382	17		17	11	23	35
383	18		18	12	24	36
384	19		19	13	25	37
385	20		20	14	26	38
386	21		21	15	27	39
387	22		22	16	28	40
388	23		23	17	29	41
389	1	Amulius Syl-	24	18	30	1 Zacharias
		uius XV. Latin. rex an. 44.				XIII. rex Isr-

Numitor Procæ superioris regis filius maior, à fratre Amulio regno pulsus, in agro suo vixit. Filia eius adimendæ spei parens gratia, virgo vestalis lecta: quæ cum vigesimoseptimo patrui sui anno geminos edidisset infantes, iuxta legem in terram viua defossa est. Verum paruulos prope ripam Tyberis expositos, Faustulus regij pastor armenti ad Acciam Laurentiam vxorem suam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæstuosi, lupa à vicinis appellabatur, vnde ad nostram vsque memoriam meretricum cellulæ, lupanaria dicuntur. Pueri verò cum adoleuissent, collecta pastorum & latronum manu, interfectóque apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum restituunt. Hæc

rael mẽsib. 6. Sellũ 14. rex Isr. diebus 28. *Pro his septẽ mẽsibus Eusebius supputat annũ. quod hac de causa an-*

Eusеb

	Anni à Tro.ca.	An.reg. Latin.	LATIN.	MEDO.	MACED.	IVDAE.	ISRAEL.
Eusebius in Chronicis. Legendum autem vicesimoseptimo patrui sui anno: quæ verba in omnibus quæ nos vidimus exemplaribus corrupta erant, sed ex Dionysio restituimus.							*notare placuit, ne nimis aliquãdo anxij simus, cũ videamus magnos viros non perpetuò ad amussim hæc obstruasse.*
	390	2		25	19	31	1 Manahem XV.
	391	3		26	20	32	2 rex Israel,an.10.
	392	4		27	21	33	3
	393	5		28	22	34	4
	394	6		1 Medo-	23	35	5
	395	7		2 rũ se-	24	36	6
	396	8		3 cundus	25	37	7
	397	9		4 Sosara-	26	38	8
	398	10		5 mus an-	27	39	9
	399	11		6 nis 30.	28	40	10
	400	12		7	1 Maced.	41	1 Phaceia XVI. rex
	401	13		8	2 II. Cœ-	42	2 Israel,annis 10.
	402	14		9	3 nus an-	43	3 *Lib.4.Reg.cap.15.*
	403	15		10	4 nis 12.	44	4 *biennio legitur, sed*
	404	16		11	5	45	5 *numeri similitudo*
	405	17		12	6	46	6 *fefellit.*
	406	18		13	7	47	7
	407	19		14	8	48	8
	408	20		15	9	49	9

OLYMPIAS PRIMA.

Olympias spatium est quatuor annorum, quod puto apud Romanos vocari lustrum, vt apud Horatium libro quarto carminum, Fortuna lustro prospera tertio Belli secundos reddidit exitus. Ab initio enim eius belli quo primum Augustus cum Q. Pedio C O S. fuit, ad finem bellorum ciuilium fuerunt duodecim anni, atque ita etiam exponit Acron. Non sum tamen nescius Porphyrionem exponere 15. annos: & illud eiusdem poetæ, Cuius octauum trepidauit ætas Claudere lustrum, pro quadraginta annis omnes exponere commentatores. Sed alius erit de his disserendi locus. Fefellit autem quosdam hic loquendi modus apud Latinos: Quinto quoque anno agon gymnicus totius Græciæ celebrabatur. Item, quinto quoque anno lustrum Romæ condebatur: vt Olympiade spatium quinque annorum crediderint, atque adeò etiam scriptis prodiderint: non intelligentes, annum quo sequens Olympias incipit, quintũ dici annum, qui tamen est primus sequentis Olympiados. Quatuor itaque anni interiacent, exceptis his quibus luditur mensibus.

Olympiades		Anni à Tro.ca.	An.re. Latin.	LATI.	MEDO.	MACED.	IVDAE.	ISRAEL.
1	1	409	21		16	10	50	10
	2	410	22		17	11	51	1 Phacee XVIII.
	3	411	23		18	12	52	2 rex Israel annis
	4	412	24		19	1 Maced.	1 Ioathan	3 20
2	1	413	25		20	2 III. rex	2 XIII.	4
	2	414	26		21	3 Tyri-	3 rex Iu-	5
	3	415	27		22	4 mas,	4 dæ, an-	6
	4	416	28		23	5 ann.38.	5 nis 16.	7
3	2	417	29		24	6	6	8
	2	418	30		25	7	7	9
	3	419	31		26	8	8	10
	4	420	32		27	9	9	11
4	1	422	33		28	10	10	12
	2	422	34		29	11	12	13
	3	423	35		30	12	22	14
	4	424	36		1 Medo-	13	13	15
5	1	425	37		2 rum III.	14	14	16
	2	416	38		3 rex Me-	15	15	17
	3	427	40		4 didus	16	16	18

Olympiades		Anni à Tro.ca.	An. re. Latin.	LATINORVM.	MEDO.	MACED.	IVDAE.	ISRAEL.
	4	428	40		5 ann.	17	1 Achaz	19
6	1	429	41		6 40.	18	2 XIIII.	20
	2	430	42		7	19	3 rex Iu-	1 Osee Isra-
	3	431	43		8	20	4 dæ an-	2 el rex 18.
	4	432	44		9	21	5 nis 16.	3 ann.9.

VRBS CONDITA.

A Troia capta ad vrbem conditam anni sunt 432. vt ter Dionysius admonet: sed ab Alba condita anni 400. Romulus ac Remus fratres nouam condentes vrbem Romam septima Olympiade, Numitori auo Albam reliquerunt. Cæterum orta seditione, in qua Remus cecidit, Romulo soli imperium relictum est. Scio esse qui sexta Olympiade Romam conditam dicant, sed nos hic Dionysium sequendum putamus.

Olympiadum anni.		Anni ab vrbe cōdit.	Anni regū Roman.	ROMA.	MEDO.	MACED.	IVDAE.	ISRAEL.
7	1	1	1	Romulus primus	10	22	6	4
	2	1	2	Romanorum rex,	11	23	7	5
	3	3	3	annis 37.	12	24	8	6
	4	4	4	*Consualibus ludis Sa-*	13	25	9	7
8	1	5	5	*binæ captæ anno ab*	14	26	10	8
	2	6	6	*Vrbe condita tertio,*	15	17	11	9
	3	7	7	*vt ait Eusebius: at*	16	28	12	*Captiuitas*
	4	8	8	*Gellius apud Diony-*	17	19	13	*Israel, hoc est,*
9	1	9	9	*sium anno 4. scripsit.*	18	30	14	*x. tribuum à*
	2	10	10	*Bellum inde cū An-*	19	31	15	*Sennacherib*
	3	11	11	*tennatibus, Ceninen-*	20	32	16	*rege Chaldæo*
	4	12	11	*sibus, ac Crustumijs*	21	33	1 Ezech.	*rum, vel Sal*
10	1	13	13	*ortum, quibus victis,*	22	34	2 15.rex	*manasarrege*
	2	14	14	*cum Sabinis atrocius*	23	35	3 Iudæ,	*Assyriorū,*
	3	15	15	*natū, quo Tatius Sa-*	24	36	4 ann.29.	*vt legitur 4.*
	4	16	16	*binorum rex vrbem,*	25	37	5 *Apud*	*Re.17. Regna*
11	1	17	17	*capta primo per pro-*	26	38	6 *Hebræ-*	*cū itaq; in If*
	2	18	18	*ditionem arce, inua-*	27	1 Maced.	7 *os pro-*	*rael ann. 250.*
	3	19	19	*sit. Tribus autem an-*	28	2 IIII.	8 *phetabant Esaias &*	
	4	20	20	*nis bello cum Roma-*	29	3 Perdic-	9 *Osee.*	
12	1	21	21	*nis gesto, eandémque*	30	4 ca, ann.	10	
	2	22	22	*pace facta, per quin-*	31	5 51.	11	
	3	23	23	*que postea annos cum*	32	6	12	
	4	24	24	*Romulo imperiū Ro-*	33	7	13	
13	1	25	25	*mæ tenuit.*	34	8	14	
	2	26	16		35	9	15	
	3	27	27		35	10	16	
	4	28	28		37	11	17	
14	1	29	19		38	12	18	
	2	30	30		39	13	19	
	3	31	31		40	14	20	
	4	32	32		1 Medo-	15	21	
15	1	33	33		2 rū IIII.	16	22	
	2	34	34		3 rex Car	17	23	
	3	35	35		4 diceas	18	24	
	4	36	36		5 ann.13.	19	25	
16	1	37	37		6	20	16	

Romulus ad Capreæ paludem nusquam comparuit, & persuadente Iulio Proculo, Quirini nomine apud suos consecratus est. Eusebius

	2	28	28	Interregnum.	7	21	27	

Mortuo Romulo, quinos dies Senatores Rempublicam rexerunt, atque ita vnus annus expletus, quod tempus interregnum appellatum est. Hæc Eusebius, apud quem in plerisque codicibus hic annus ad-

Olympiades.		Anni à Tro. ca.	An. reg. Latin.	LATINORVM.	MEDO.	MACED.	HEB. IVD.
rectus est Romuli annis, quasi 38. Romulus regnasset annos.							
	3	39	1	Numa Pompilius II.	8	22	28
	4	40	2	Roma. rex, an. 43.	9	23	29
Numa Pompilius duos menses anno addidit, Ianuarium, Februariumque, quum ante hunc decem tantùm menses apud Romanas fuissent. Hic quoque rex nullum gessit bellum.							
17	1	41	3	Nicomedia condita, quæ	10	24	1 Manasses
	2	42	4	prius Astacos, ait Euseb.	11	25	2 XVI. rex Iu
	3	43	5		12	26	3 dæ an. 55.
	4	44	6		13	27	4 Manasses im
18	1	45	7		1 Medorũ	28	5 pius Esaiam
	2	46	8		2 V. rex De-	29	6 interfecit,
	3	47	9	Tarentum conditum à	3 ioces an.	30	7 multaq; alia
	4	48	10	Parthenys duce Pha-	4 54	31	8 mala fecit.
19	1	49	11	lantho. Corinthij Cor-	5	32	9
	2	50	12	cyram Coloniam dedu-	6	33	10
	3	51	13	xere.	7	34	11
	4	52	14		8	35	12
20	2	53	15		9	36	13
	2	54	16		10	37	14
	3	55	17		11	38	15
	4	56	18		12	39	16
21	1	57	19		13	40	17
	2	58	20		14	41	18
	3	59	21		15	42	19
	4	60	22		16	43	20
22	1	61	23	In Sicilia Gela, in Pam-	17	44	21
	2	62	24	philia Phaselus conditur.	18	45	22
	3	63	25		19	46	23
	4	64	26		20	47	24
23	1	65	27		21	48	25
	2	66	28		22	49	26
	3	67	29		23	50	27
	4	68	30	Chalcedon condita.	24	51	28
24	1	69	31		25	1 Macedo-	29
	2	70	32	Cyzicus condita.	26	2 nũ V. Ar-	30
	3	71	33		27	3 geus, an-	31
	4	72	34		28	4 nis 38.	32
25	1	73	35		29	5 Herodotus	33
	2	74	36		30	6 lib. 8. ad	34
	3	75	37		31	7 finem	35
	4	76	38		32	8 ἄξα ο᾽ vo-	36
26	1	77	39		33	9 cat.	37
	2	78	40		34	10	38
	3	79	41		35	11	39
	4	80	42	Hic in Eusebij supputatione desunt duo anni à Romana historia. Nos verò Liuium ac Dionysium hîc potius sequuti sumus authores, tanquam ex proposito Romanam scribentes historiam.			
27	1	81	43				
	2	82	1	Tullus Hostilius	36	12	40
	3	83	2	III. Romanorum	37	13	41
	4	84	3	rex annis 32.	38	14	42
28	2	85	4		39	15	43
	2	86	5		40	16	44
	3	87	6	Alba longa diruta.	41	17	45
	4	88	7		42	18	46
29	1	89	8		43	19	47

Olympiades.		Anni à Tro.ca.	An. re. Latin.	LATINORVM.	MEDO.	MACED.	HEB. IVDAE.
	2	90	9		44	20	48
	3	91	10		45	21	49
	4	92	11		46	22	50
30	1	93	12		47	23	51
	2	94	13		48	24	52
	3	95	14		49	25	53
	4	96	15	*Cypselus Corinthiorum*	50	26	54
31	1	97	16	*tyrannus Byzantium*	51	27	55
	2	98	17	*condidit.*	52	28	1 Amō 12. rex
	3	99	18	*Alcmæon clarus ha-*	53	29	2 Iudæ, an. 12.
	4	100	19	*betur.*	54	30	3 *4.Re.21. et 2.*
32	1	101	20		1 Medorū 6.	31	4 *Paralip.33. di*
	2	102	21	*Phalaris tyrannus.*	2 rex Phraor	32	5 *citur regnasse*
	3	103	22	*Lampsacus condita &*	3 tes an. 24.	33	6 *annis 2. sed sæ*
	4	104	23	*Abdera.*	4 *Herodotus*	34	7 *culus est lapsus*
33	1	105	24		5 *ait ann. 22.*	35	8 *in numeris.*
	2	106	25		6	36	9 *Nos sequuti*
	3	107	26	*Selinus condita in Si-*	7	37	10 *sum⁹ hic Eu*
	4	108	27	*cilia.*	8	38	11 *sebiū, ut in*
34	1	109	28		9	1 Macedo-	12 *plerisq; alys*
	2	110	29		10	2 num VI.	1 Iosias XVIII.
	3	111	30	*In Ponto Borysthenes*	11	3 Philip-	2 rex Iudæ,
	4	112	31	*condita.*	12	4 pus an-	3 an. 31. *4.Re.*
35	1	113	32	*Terpander Musicus.*	13	5 nis 38.	4 *22. & 2.Pa-*
	2	114	1	Ancus Martius IIII.	14	6	5 *ralip.34. an-*
	3	115	2	Romanorum rex,	15	7	6 *nis 31. dicitur*
	4	116	3	annis 24.	16	8	7 *regnasse.*
36	1	117	4	*Thales Milesius his*	17	9	8 *Helchias*
	2	118	5	*temporibus vixisse*	18	10	9 *Heb.Pōt.M.*
	3	119	6	*creditur.*	19	11	10 *Hiere. pro-*
	4	120	7		20	12	11 *phetare or⁹*
37	1	121	8		21	13	12 Olda *mulier*
	2	122	9		22	14	13 *prophetabat*
	3	123	10		23	15	14 *apud He-*
	4	124	11		24	16	15 *bræos.*
38	1	125	12	*Battus condidit Cyrenen.*	1 Cyaxares	17	*16*
	2	126	13	*Synope condita in Ponto.*	2 VII. Me-	18	17 *Propheta-*
	3	127	14	*Periander Corinthi ty-*	3 dorū rex,	19	18 *bant Hiere*
	4	128	15	*rannus.*	4 annis 32.	20	19 *mias & So*
39	1	129	16		5	21	20 *phonias.*
	2	130	17	*Epidamnus condita,*	6	22	21
	3	131	18	*quæ postea Dyrrha-*	7	23	22
	4	132	19	*chium.*	8	24	23
40	1	133	20	*Ancus Martius Ostiam*	9	25	24
	2	134	21	*urbem condidit.*	10	26	25
	3	135	22		11	27	26
	4	136	23		12	28	27
41	1	137	24	*Rursus hic in Eusebij supputatione deest annus à Romanæ historiæ annis.*			
	2	138	1	L. Tarquinius Priscus	13	29	28
	3	139	2	v. Roman. rex, annis	14	30	29
	4	140	3	38.	15	31	30
42	1	141	4		16	32	31
	2	142	5		17	33	32
	3	143	6		18	34	1 Ioachaz XIX.

Olympiades.		Anni ab Vr. cond.	An. reg. Latin.	ROMANORVM.	MEDO.	MACED.	HEB. IVD.
In serie regum Iudæ Eusebius hoc loco tres menses pro anno supputat, quanquam tertio hinc rege tres rursus menses huc accedunt. Id etiam superius fecit in tertiodecimo, ac decimoquarto regibus Israel.							2 Iudæ rex, 3 mensib. 3.
	4	144	7	*Stesichorus poeta.*	19	35	1 Eliacim, qui
43	1	145	8		20	36	2 & Ioachim,
	2	146	9		21	37	3 x x. rex, an-
	3	147	10		22	38	4 nis 11.
	4	148	11	*Pyttacus Mitylenaus*	23	1 Mace-	5
44	1	149	12	*septem sapientum*	24	2 cedonum	6 *An. 3. Nabuc.*
	2	150	13	*vnus.*	25	3 VII.	7 *Iudæã cepit.*
	3	152	14		26	4 Europs,	8 *In Baby. Da-*
	4	152	15		27	5 ann. 16.	9 *niel, Ananias,*
45	1	153	16		28	6	10 *Azaa. et Mis.*
	2	154	17	*Perinthus condita.*	29	7	11 *clari habẽtur.*
Iechoniæ 3. menses veniunt in eos qui decimonono regi Iudæ cesserunt, videlicet sex menses pro anno, quod bis antea admonuimus.					& Iechonias x x 11. rex Iudæ, mensibus 3.		Ioachim, qui
	3	155	18	*Camerina vrbs condita*	30	8	1 Sedechias
	4	156	19	*Sappho & Alceus*	31	9	2 x x 11. rex
46	1	157	20	*poetæ clari habentur.*	32	10	3 Iudæ, an-
	2	158	21		1 Medorũ rex	11	4 nis 11.
	3	159	22		2 VIII. Astia-	12	5
	4	160	23		3 ges ann. 38.	13	6
47	1	161	24	*Solon Atheniensis.*	4 *Herodotus*	14	7
	2	162	25		5 *ait annis 35.*	15	8
	3	163	26		6	16	9
	4	164	27		7	17	10
48	1	165	28		8	18	11
	2	166	29	*Thales Milesius.*	9	19	1 Captiuitas
	3	167	30		10	20	2 Hebræorum
	4	168	31		11	21	3 Iudæ sub Na
49	1	169	32		12	22	4 buchodono
	2	170	33		13	23	5 sor Chaldæo
	3	171	34		14	24	6 rum rege.
	4	172	35		15	25	7 *In Babylone*
50	1	173	36		16	16	8 *prophetabant*
	2	174	37		17		9 *Daniel &*
	3	175	38		*Hic in Eusebio*	1 Macedo-	*Ezechiel.*
	4	176	1	Seruius Tullus	18 *rursus deest*	2 nũ VIII.	10
51	1	177	2	VI. Roman. rex,	19 *annus.*	3 rex Alce-	11
	2	178	3	annis 44.	20	4 tas, an-	12
	3	179	4	*Eusebius dat huic an-*	21	5 nis 29.	13
	4	180	5	*nos 34. Tarquinio au-*	22	6	14
52	1	181	6	*tem Superbo 35. Quos*	23	7	15
	2	182	7	*igitur decẽ annos huic*	24	8	16
	3	183	8	*detraxit, Superbo ad-*	25	9	17
	4	184	9	*iecit, nihil officiens*	26	10	18
53	1	185	10	*summæ nostræ. Nos Li*	27	11	19
	2	186	11	*uium ac Dionysium se-*	28	12	20
	3	187	12	*quuti sumus.*	29	13	21
	4	188	13		30	14	22
54	1	189	14		31	15	23
	2	190	15		32	16	24
	3	191	16		33	17	25
	4	192	17	*Aesopus interimitur.*	34	18	26
55	1	193	18	*Pisistratus tyrannus.*	35	19	27

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.	An. re. Latin.	ROMANORVM.	MEDO.	MACED.	HEB. IVDAE.
	2	194	19	*Crœsus Lydorum rex.*	36	20	28
	3	195	20		37	21	19
	4	196	21		38	22	30

Cyrus Hebræorum captiuitate laxata, 50. ferme hominum millia regredi fecit in Iudæam, qui constructo altari, templi fundamenta iecerunt. Sed quum à vicinis gentibus fabricatio impediretur, imperfectum opus vsque ad Darium permansit, solo altari consistente. Eusebius.

56	1	197	22		1 Cyrus 1. rex	23	31
	2	198	23		2 Persarum	24	32
	3	199	24		3 annis 30.	25	33
	4	200	25		4 *Hic Cyrus*	26	34
57	1	201	26		5 *Medorum*	27	35
	2	201	27		6 *destruxit*	28	36
	3	203	28		7 *imperium.*	29	37 *Propheta-*
	4	204	29		8	1 Macedo-	38 *bant Ag-*
58	1	205	30		9	2 num IX.	39 *geus &*
	2	206	31		10	3 Amyntas	40 *Zacharias.*
	3	207	32		11	4 annis 50	41
	4	208	33		12	5	42
59	1	209	34	*Crœsus à Cyro captus*	13	6	43
	2	210	35	*est, & Lydorum re-*	14	7	44
	3	211	36	*gnum destructum.*	15	8	45
	4	212	37		16	9	46
60	1	213	38	*Theognis poeta agno-*	17	10	47
	2	214	39	*scitur.*	18	11	48
	3	215	40		19	12	49
	4	216	41		20	23	50
61	1	217	42		21	14	51
	2	218	43		22	15	52
	3	219	44		23	16	53
	4	220	1	L. Tarquinius Super-	24	17	54
62	1	221	2	bus VII. ac vltimus	25	18	55
	2	222	3	Romanorum rex, an-	26	19	56
	3	223	4	nis 25	27	20	57
	4	224	5		28	21	58
63	1	225	6	*Tomyris Massageta-*	29	22	59
	2	216	7	*rum regina Cyrum*	30	23	60
	3	227	8	*interfecit.*	1 Cambyses	24	61
	4	228	9		2 II. Persa-	25	62
64	1	219	10		3 rum rex,	26	63
	2	230	11		4 annis 8.	27	64
	3	231	12		5	28	65
	4	232	13		6	29	66
65	1	233	14		7	30	67
	2	134	15		8	31	68

Tertio apud Persas regnarunt per septem menses duo fratres Magi, pro quibus mensibus Herodotus supputat annum. Herodotus autem ad impletionem octaui anni, Cambysæ ait hos 7. fuisse menses.

	3	135	16		1 Magi.	32	69
	4	236	17		1 Darius an-	33	70
66	1	237	18		2 nis 36.	34	71

Secundo anno Darij regis templum in Hierosolymis extruitur ab Zorobabel, consummaturque opus anno 40. Remissio quidem captiuitatis Iudæorum, & veniæ templi ædificandi sub Cyro exordium habuit. Consummatur vero templum sub Dario, quia vicinæ gentes assiduis incursibus ædificationem impediebant.

	2	138	19		3	35	
	3	239	20		4	36	
	4	240	21		5	37	

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.				
67	1	241	22		6	38
	2	242	23		7	39
	3	243	24		8	40
	4	244	25		9	41

Regnatum Romæ est sub regibus annis 244 authoribus Liuio atque Dionys. In Eusebij verò supputationibus desunt anni quatuor: quanquam ipse fatetur tribus variatum annis apud authores. At nos maluimus hos sequi, vt ex proposito Romanam scribentes historiam, quemadmodum ante quoque aliquoties testati sumus. Cæterum quum sequentia spatia vix pro Consulum nominibus, ac leuibus aliquot annotatiunculis sufficiant, omnia reliqua sepofuimus: & Iudæorum captiuitas iam laxata finitáque erat: defecerant etiam Lydorum Aegyptiorumque regna, hoc sub Cambyse, illud sub Cyro, omnia iam obtinentibus Persis: quapropter non magnopere ad Romanam historiam illustrandam pertinere visum est latius ea persequi. Qui autem omnino ea habere velit, apud Eusebium requirat licebit. Nos nunc ad Consules & Olympiadum annorúmque ab Vrbe condita numeros descendamus.

CONSVLES.

68	1	245	COSS.	L.Iunius Brutus. L.Tarquinius Collatinus.	*Bruto suffectus Sp.Lucretius Tricipitinus, cui mox M.Horatius Puluillus.* *Collatino suffectus P.Valerius Publicola.*
	2	246	COSS.	P.Valerius Publicola II. T.Lucretius Tricipitinus.	
	3	247	COSS.	P.Valerius Publicola III. M.Horatius Puluillus II.	*Ita Dionysius. In omnibus Liuij codicibus P. Lucretius habetur pro Horatio. nomen mihi suspectum.*
	4	248	COSS.	Sp.Largius Rufus. T.Herminius Aquilinus.	*Horum Coss. nomina apud Liuium omissa, iniuria, vt puto, temporum, ex Dionysio apposuimus.*
69	1	249	COSS.	M.Valerius Volesus. P.Posthumius Tubertus.	*Hunc Publicolæ fratrem scribit Dionysius libro quinto.*
	2	250	COSS.	P.Valerius Publicola IIII. T.Lucretius Tricipitinus II.	
	3	251	COSS.	P.Posthumius Tubertus II. Agrippa Menenius Lanatus.	
	4	252	COSS.	Sp.Cassius Vicclinus Opiter Virginius Tricostus	*Dionysius Viscellinum vocat. Cicero autem in Lælio Becilinum, si codices non fallunt.*
70	1	253	COSS.	Posthumius Cominius Aurunus T.Largius Flauius	*Posthumius hic, ac iterum postea, prænomen est, quum aliàs nomen esse soleat. Quidam codices habebant Posthumus trisyllabum, quidam C.Posthumius. quod placet.*
	2	254	COSS.	Ser.Sulpitius Camerinus M.Manlius Tullus Longus	*Seruius prænomen est, Seruilius autem ac Sergius nomina. quod ob codicum errorem admonuimus, ne quis temere hallucinetur. Mira variatio in his nominibus, Manlius, Manilius ac Mamilius, vt in Tullius ac Tullus, item in Rutilus ac Rutilius. Cicero de claris Oratoribus manifestè vocat hunc Tullium.*
	3	254	COSS.	P.Veturius Geminius T.Hebutius Helua	*Liuius Cn.Vetusium vocat, Dionysius P. Veturium Geminum. Alij Cicurinum, Cassiodorus etiam L. non P.* *Liuij codices T.Ebutium vocant, & rectè. Dionysius P. sed codex eius errat.*
	4	256	COSS.	T.Largius Flauius II. Q.Clœlius Siculus	*In Liuij codicibus non rectè T. Lartius legitur. Quidam etiam voculam cognominant.*
71	1	257	COSS.	A.Sempronius Atratinus M.Minutius Augurinus	
	2	258	COSS.	A.Posthumius Regillensis T.Virginius Tricostus	*In Cassiodori codice C. prænomen est.*

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.			
	3	159	COSS.	Ap. Claudius Sabinus P.Seruilius Priscus	*Horum* COSS. *meminit Plin.lib. 3.cap. 35. ab initio. Conuenit autem etiam in annu. Quidam Structum quoque cognominant.*
	4	160	COSS.	A.Virginius Cælimontanus T.Vetusius Geminius	*Hunc annum ab Vrbe condita esse 260. Dionysius perhibet, qui Virginium, Montanum cognominat. Liuius vt solet frequentius cognomen omittit.* SECESSIO *plebis in Sacrum montem.*
72	1	261	COSS.	Sp.Cassius Vicelinus. II. Posthumius Cominius Aurunus II.	*Primi Tribuniplebis, authore Dionysio.*
	2	262	COSS.	T.Geganius Macerinus P.Minutius Augurinus	
	3	263	COSS.	A.Sempronius Atratinus II. M.Minutius Augurinus II.	*Liuij codices P. vocant.*
	4	264	COSS.	Q.Sulpitius Camerinus Sp.Largius Flauius II.	*Horum atque sequentis anni* COSS. *nomina omittit Liuij codex, ex Dionysio apposuimus. Dionysii codex habet Flauius, quum potius Rufus sit legendum.*
73	1	265	COSS.	C.Iulius Tullus P.Pinarius Rufus	*Toties Iunium pro Iulio, & Tullium pro Tullo reperias, vt vix scias quid sequaris, nec in* COSS. *solum, sed in duobus etiam Rom. regibus. Quidam Tullius nomen putant, Tullus cognomen, sed & prænomen in tertio Romanorum rege.*
	2	266	COSS.	Sp.Nautius Rutilius Sex.Furius Philus	*Cn.Martij Coriolani mors.*
	3	267	COSS.	C.Aquilius T.Sicinius	*Horum Coss. cognomina nusquam inuenio.*
	4	268	COSS.	Sp.Cassius Vicelinus III. Proculus Virginius Rutilus	
74	1	269	COSS.	Q.Fabius Vibulanus Ser.Cornelius Maluginensis	
	2	270	COSS.	L.Aemylius Mamercus Cæso Fabius Vibulanus	*Et hunc annum 270. ab Vrb. cond. fatetur Diony. Hic Cæso Fabius, Q. ac M. Fabiorum frater fuit. Porrò parens horum Cæso quoque dicebatur.*
	3	271	COSS.	M.Fabius Vibulanus L.Valerius Potitus	*Dionysius lib. 8. ait hunc Valerium Publicolæ eius qui eiecit reges, fratrem fuisse, quapropter à quibusdam etiam Publicola cognominatur. Sed suspicor eo in loco errare Dionysii codicem.*
	4	272	COSS.	Q.Fabius Vibulanus II. C.Iulius Tullus	*Vide num idem sit, qui anno 265. fuit, & Tullus non Tullius cognominandus, & qui postea factus Decemuir.*
75	1	273	COSS.	Cæso Fabius Vibulanus II. Sp.Furius Medullinus	*Hoc anno Xerxem in Græciam duxisse exercitum author est Dionys. lib. 9. ab initio.*
	2	274	COSS.	M.Fabius Vibulanus II. Cn.Manilius Cincinnatus	*Quidam Mamilius, quidam Mallius legunt, sed non placet. Quidam Manlius.*
	3	275	COSS.	Cæso Fabius Vibulanus III. T.Virginius Rutilus	
	4	276	COSS.	L.Aemylius Mamercus II. C.Seruilius Priscus	*Et huic Structus alterum adijciunt cognomen.*
76	1	277	COSS.	C.Horatius Puluillus T.Menenius Lanatus	*A.Gell. lib. 17. cap. vlt. M.Horatium vocat, si codices non fallunt.* CCCVI. FABII CAESI. *Hic Agrippæ Menenij filius fuit. Et Gellius Menenium Agrippam vocant.*
	2	278	COSS.	Sp.Seruilius Priscus A.Virginius Rutilus	*Structus rursus alibi adiectum. Diony. etiã Sirnium Seruiliũ vocat, sed errore, vt puto codicũ.*
	3	279	COSS.	P.Valerius Publicola C.Nautius Rutilius	*Hic Publicolæ filius fuit eius qui eiecit reges.*

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.			
	4	280	COSS.	L.Furius Medullinus C.Manlius Volsco	*In Dionysij codice est A.Manlius.*
77	1	281	COSS.	L.Aemylius Mamercus III. Opiter Virginius, aliàs Vopiscus Iulius Tullus	*Annotauit hoc etiam Liuius.*
	2	282	COSS.	P.Furius Medullinus L.Pinarius Rufus	
	3	283	COSS.	T.Quintius Capitolinus Barbatus Ap.Claudius Sabinus	*Hic primi Appij filius fuit.*
	4	284	COSS.	L.Valerius Potitus II. T.Aemylius Mamercus	*Dionysius hunc Tyberium vocat, sed errorem puto codicum, quanquam litera T. nonnunquam in his fefellit ferè.*
78	1	285	COSS.	A.Virginius Cælimontanus T.Numitius Priscus	*Dionys. hunc Nomeneanum vocat, sed anno 260. Montanum alium Virginium vocat, vt putem errorem esse codicum.*
	2	286	COSS.	T.Quintius Capitolinus Barbatus II. Q.Seruilius Priscus	
	3	287	COSS.	T.Aemylius Mamercus II. Q.Fabius Vibulanus	
	4	288	COSS.	Q.Seruilius Priscus II. Sp.Posthumius Albus Regillensis	
79	1	289	COSS.	T.Quintius Capitolinus Barbatus III. Q.Fabius Vibulanus II.	
	2	290	COSS.	A.Posthumius Albus Regillensis Sp.Furius Medullinus Fuscus	
	3	291	COSS.	P.Seruilius Priscus L.Ebutius Helua	
	4	292	COSS.	L.Lucretius Tricipitinus M.Veturius Geminius	*Quidam Vetusium, quidam Geminum vocant, quidam præterea Ligurinum.*
80	1	293	COSS.	P.Volumnius Auentinus Ser.Sulpitius Camerinus	*Meminit horum Valerius Max. lib. 1. cap. 6. de prodigijs.*
	2	294	COSS.	P.Valerius Publicola II. C.Claudius Sabinus.	*L.Quinctius Cincinnatus hic Publicolæ suffectus.* *Herdonius Capitolium occupat.*
	3	295	COSS.	Q.Fabius Vibulanus III. L.Cornelius Maluginensis	
	4	296	COSS.	L.Minutius Carbetus C.Nautius Rutilius II.	*Dionys. C. vocat, at Liuius ac Caßiodorus L.Nautium, si codices non fallunt.*
81	1	297	COSS.	Q.Minutius Augurinus C.Horatius Puluillus II.	*Caßiod. atque Liuius M. vocant, Dionys. C.*
	2	298	COSS.	M.Valerius Maximus Sp.Virginius Cælimontanus	
	3	299	COSS.	T.Romulius Vaticanus C.Veturius Cicurinus	
	4	300	COSS.	Sp.Tarpeius Capitolinus A.Aternius Fontinalis	*In Plinio lib. 7. cap. 28. Thermus legitur pro Aternius, sed corruptè, vt puto.*
82	1	301	COSS.	P.Horatius Trigeminus Sex.Quintilius Varus	*Liuius pro Horatio Curiatium habet, sicut Decemuirum vltimum primi ordinis nominat. alij hoc loco Trigeminium cognominãt, & Decemuirum Puluillum. Dionysius ait huic Quintilio peste mortuo suffectum Sp.Furium.*
	2	302	COSS.	L.Menenius Lanatus P.Sestius Vaticanus	*Horum Coss. nomina in plerisq; Liuij codicib. omissa erant, quidam codices etiam P. pro L. habebant, ac pro P.Sextio, P.Sextilium Capitolinũ. Sed ex Dionysio P.Sestius legendum comprobatur, tametsi etiam ipsius codex vna parte fallit.*

Olympiades		An. ab Vrb. cōd.			
	3	303	*Decēuiri.*	P.Sestius Vaticanus Ap.Cl.Sabinus Regillensis T.Genutius Sp.Posthumius Albus P.Sulpitius Camerinus A.Manlius T.Romulius Vaticanus C.Iulius Tullus T.Veturius Geminius P.Horatius Trigeminus	*Alij Manilium legunt.* *Treis hos postremos Consulares fuisse ait Dionys.* *Liuius Curiatium habet.*
	4	304	*Decēuiri.*	Ap.Cl.Sabinus Regillen. II. Q.Fabius Vibulanus M.Cornelius Maluginensis L.Minutius Augurinus T.Antonius Merenda M.Sergius M.Robuleius Q.Petilius Cæso Duillius Sp.Oppius Cornicen	*Seruilium habet Diony.* *Tres plebei.*
83	1	305		*Hoc anno regnarunt per tyrannidem proximi Decēuiri, quod ipse indicat Liuius in Valerij Horatijq; responsione, qua negabant se aliter ituros, quàm si Decemuiri deponerent insignia magistratus eius quo anno iam ante abissent. Ostenditur etiam ex Dionysij supputatione, qui lib. 11. ait primos consulari potestate tribunos mil. creatos tertio octogesimaequartæ olympiadis anno, qui fuit ab vrbe condita trecentesimus vndecimus. Apud Liuium verò ita trecentesimus decimus, vt Decemuirorum trecentesimus alter.*	
	2	306	COSS.	L.Valerius Potitus M.Horatius Barbatus	*Hic Valerius eius filius fuit qui aduersus Herdonium pugnans, in Capitolio occisus est, ann. ab Vrbe cōd. 294.* *Pronepos hic fuit eius Horatij, qui cum Valerio Publicola Cos. fuit ann. ab Vrbe cond. 247.*
	3	307	COSS.	Sp.Herminius Continisanus T.Virginius Cælimontanus Tricostus	
	4	308	COSS.	M.Geganius Macerinus C.Iulius Tullus	*Quidam hunc Geganiū Macrinum cognominant. At Iulium Caßiodorus Claudium pro Caio vocat. Atqui haud scio an vsquam inuenias apud vetustißimos Claudiū prænomen. certè post Augustum factum primum videtur, quum prius nomen esset.*
84	1	309	COSS.	T.Quintius Capitolinus Barbatus IIII. Agrippa Furius Medullinus	
	2	310	COSS.	M.Genutius Augurinus P.Curiatius Philo	*Hoc anno Thurij Herodotum suam scripsisse historiam ait Plinius, lib 12. cap. 4.* *In Dionysij codice est C.Quintius.*
	3	311	TRIB. MIL.	A.Sempronius Atratinus L.Attilius Longus T.Clœlius Siculus	
			COSS.	L.Papyrius Mugillanus L.Sempronius Atratinus	*Hic L.Sempronius Auli frater fuit, ait Dion.*
	4	312	COSS.	M.Geganius Macerinus II. T.Quintius Capitolinus Barbatus V.	
85	1	313	COSS.	M.Fabius Vibulanus Posthumius Ebutius Helua Cornicen	*Rursus Posthumius hic prænomen est, sed ob tot cognomina omissum videri potest prænomen.*
	2	314	COSS.	C.Furius Paculus M.Papyrius Crassus	
	3	315	COSS.	Proculus Geganius Macerinus L.Menenius Lanatus	*Vide num sit qui ann. 302. Cos. fuit, vt addendum II.*
	4	316	COSS.	T.Quintius Capitolinus Barbatus VI. Agrippa Menenius Lanatus	
86	1	317	TRIB. MIL.	M.Aemylius L.Quintius Cincinnatus L.Iulius Tullus	*Quidam in Liuio Mamercus addidere, alij Fidenas.* *Liuius hunc Cincinnati filium ait.* *Alij Caium Iulium vocant.*
	2	318	COSS.	M.Geganius Macerinus III. L.Sergius Fidenás.	*De A.Cornelio Cosso etiam ipse Liuius dubitat hoc in loco, Consul ne huius anni, an Trib. mil. fuit.*
	3	319	COSS.	M.Cornelius Maluginensis L.Papyrius Crassus.	
	4	320	COSS.	C.Iulius Tullus II. L.Virginius Tricostus	*Hic primum fit Cos. anno 308. ac alius ab L. Iulio qui Tribunus mil. anno 317.*

Olympiades		An.ab Vrb.cōd.			
87	1	311	COSS.	M.Manlius Capitolinus Q.Sulpitius Cossus	*Macer Licinius, vt author est Liuius priores anni Coss. refectos scribit, vt Iulius II. Virginius II. Macrum secutus est Cassiodorus.*
	2	322	TRIB. MIL.	M.Fabius Vibulanus M.Folius Flaccinator L.Sergius Fidenás	
	3	323	TRIB. MIL.	L.Pinarius Mamercus Sex.Furius Medullinus Sp.Posthumius Albus	*Quidam L. legunt, sed ego Sextum legendum puto, qui sit Tribunus milit. II. ann. 335.*
	4	314	COSS.	T.Quintius Pœnus Cincinnatus Cn.Iulius Mento	*Hic Cincinnati filius dicitur à Liuio.*
88	1	325	COSS.	L.Papyrius Crassus II. L.Iulius Tullus	
	2	316	COSS.	L.Sergius Fidenás II. Hostius Lucretius Tricipitinus	
	3	327	COSS.	T.Quintius Pœnus Cincinnatus II. A.Cornelius Cossus	
	4	318	COSS.	C.Seruilius Hala L.Papyrius Mugillanus	*Anno 311. fuit hic Papyrius Cos. quanquam Liuius fatetur eius anni Coss. nomina in priscis annalibus non esse.*
89	1	319	TRIB. MIL.	T.Quintius Pœnus Cincinnatus C.Furius M.Posthumius A.Cornelius Cossus	*Pro hoc Furio quidam habent L.Calphurnium Pisonem.*
	2	330	TRIB. MIL.	A.Sempronius Atratinus II. L.Furius Medullinus L.Quintius Cincinnatus II. L.Horatius Barbatus	*Quidam in Liuio adiecerunt L.Furium Medullinū, at in veteribus libris hi tres duntaxat reperiūtur: sub quibus Veientibus in 20. annos datæ sunt induciæ, quarū tempus exisse ait Liuius sub tribunis qui fuere anno 348. Quæ ratio, vt minimum, anno deficit vno.*
	3	331	TRIB. MIL.	Ap.Claudius Crassus Sp.Nautius Rutilius T.Sergius Fidenás Sex.Iulius Tullus	*Quidam posuerant huc C.Papyrium Crassum, sed ex Liuio satis patet Ap.Claudium legendum.*
	4	332	COSS.	Sempronius Atratinus Quintus Fabius Vibulanus	*In Valerij codice lib.3.cap.2.Q.Catulus legitur pro Q.Fabio.*
90	1	333	TRIB. MIL.	L.Manlius Capitolinus Q.Antonius Merenda L.Papyrius Mugillanus	
	2	334	COSS.	Cn.Fabius Vibulanus T.Quintius Capitolinus *Hic Capitolini fuit filius.*	*Post hos Coss. si quis Liuij verba diligenter inspiciat, inueniet annum omissum, quem tamen ponere ausi non sumus, propter Camilli supputationem lib. 5. Liuij ad finem. Ad idem confirmandum accedit, quod de induciis Veientibus datis, ac deinde finiens, paulò superius diximus.*
	3	335	TRIB. MIL.	L.Quintus Cincinnatus III. Sex.Furius Medullinus II. M.Manlius Capitolinus L.Sempronius Atratinus	*Hoc in Sempronio videtur memoria lapsus Liuius. vide apud eum lib.4.*
	4	336	TRIB. MIL.	Agrippa Menenius Lanatus P.Lucretius Tricipitinus Sp.Nautius Rutilius II.	
91	1	337	TRIB. MIL.	L.Sergius Fidenás II. M.Papyrius Mugillanus C.Seruilius Hala Structus	
	2	338	TRIB. MIL.	Agrippa Menenius Lanatus II. C.Seruilius Structus II. P.Lucretius Tricipit. II. Sp.Rutilius Crassus	*Cur Seruilio continuatus honos, ratio nō redditur à Liuio, quum id aliquando faciat in alijs, vt anno 348. de C.Seruilio Hala.*

Olympiades.		Anni ab Vrb.cōd.			
	3	339	TRIB. MIL.	A.Sempronius Atratinus III. M.Papyrius Mugillanus II. Sp.Nautius Rutilius III.	*Rutilius hic cognomen est quod praecedente anno erat nomen.*
	4	340	TRIB. MIL.	P.Cornelius Cossus C.Valerius Potitus T.Quintius Cincinnatus C.Martius Rutilius M.Fabius Vibulanus II.	*Hunc Martium quidam codices non habent.*
91	1	341	TRIB. MIL.	Cn.Cornelius Cossus M.Valerius Potitus Q.Fabius Vibulanus M.Posthumius Regillensis	*Fabio apud Liuium adiectum est II. quum nusquam antea inter Trib. mil. reperiatur. Cos. quidem fuit anno 332. si fortasse inde error.*
	2	342	COSS.	A.Cornelius Cossus. L.Furius Medullinus	*Hic, nisi sit alius, etiam anno 327. Cos. fuit. At quia Liuius dubitat num anno vrbis 318. etiam Cos. fuerit, ideo numerum quoque omisisse videtur. Cassiodorus M.Cornel. vocat.*
	3	343	COSS.	Q.Fabius Vibulanus Ambustus C.Furius Pacilus	
	4	344	COSS.	M.Papyrius Mugillanus C.Nautius Rutilius	*Atratinus quidam habebant libri, sed non rectè vt puto.*
93	1	345	COSS.	M.Aemylius Mamercus C.Valerius Potitus	*Veteres plerique codices P.Valerium habent*
	2	346	COSS.	Cn.Cornelius Cossus L.Furius Medullinus II.	
	3	347	TRIB. MIL.	C.Iulius Tullus Cn.Cornelius Cossus II. C.Seruilius Hala	*Cur hic continuatus honos, non reddidit causam Liuius, quum tamen id in Seruilio anno sequente non neglexerit. Multi tamen C.Cornelium vocant hunc Cossum.*
	4	348	TRIB. MIL.	L.Furius Medullinus II. C.Valerius Potitus II. Q.Fabius Vibulanus II. C.Seruilius Hala II.	*Liuius omnes hos eo honore functos ait, ergo & L.Furio adiiciendum II.*
94	1	349	TRIB. MIL.	P.Cornelius Cossus III. Cn.Cornelius Cossus III. C.Fabius Ambustus L.Valerius Potitus II.	*Hoc primum tempore stipendium datum ex publico.*
	2	350	TRIB. MIL.	T.Quintius Capitolinus Q.Quintius Cincinnatus C.Iulius Tullus II. A.Manlius Sex.Furius Medullinus III. M.Aemylius Mamercus	*Veij circunsessi.* *Quidam Manilium legunt.*
	3	351	TRIB. MIL.	C.Valerius Potitus III. M.Sergius Fidenás P.Cornelius Maluginensis Cn.Cornelius Cossus IIII. C.Fabius Ambustus II. Sp.Nautius Rutilius	*His quidam addunt M.Veturium Cicurinum, vt sint septem, sed in plerisque libris non habetur.* *In praenominibus huius Cossi atque etiam Ambusti & in prioribus & sequentibus magna variatio.* *Hunc Nautium alium puto ab eo qui fuit anno 339. alioqui adiiciendum IIII. Liuius addit II.*
	4	352	TRIB. MIL.	M.Aemylius Mamercus II. L.Valerius Potitus III. Ap.Claudius Crassus II. M.Quintilius Varus M.Iulius Tullus M.Posthumius Regillensis M.Furius Camillus M.Posthumius Albinus	*Alij hunc Mamertinum vocant, haud scio quare.*

Olympiades		An.ab Vrb.cōd.			
				C.Seruilius Hala III.	
				Q.Seruilius Fidenás	
95	1	353	TRIB.	P.Virginius	
			MIL.	Q.Sulpitius Camerinus	*Alij C.Sulpitium Cornutum vocant.*
				A.Manlius II.	*Et hunc Manlium, Maulium.*
				M.Sergius Fidenás II.	
				L.Valerius Potitus IIII.	
				M.Furius Camillus II.	
	2	354	TRIB.	M.Aemylius Mamercus III.	
			MIL.	C.Cornelius Cossus	*Et horum duorum Cossi ac Ambusti, ma-*
				C.Fabius Ambustus III.	*gna in praenominibus varietas.*
				L.Iulius Tullus	
				P.Manlius Capitolinus II.	*Maulium quidam habent.*
				P.Titinius	
	3	355	TRIB.	P.Melius	
			MIL.	Sex.Furius Medullinus IIII.	
				L.Popilius Volscus	
				P.Licinius Caluus	*Primus ex plebe Tribunus milit. consulari potestate.*
				M.Veturius Cicurinus	*Primus Trib. ex patricijs, alij omnes*
	4	356	TRIB.	L.Titinius Longus	*ex plebe.*
			MIL.	P.Menenius	*Menenium hunc quidam Racilium cognominant.*
				Cn.Genutius Pansa	
				L.Racilius Volso	*In alijs Attilius legitur pro Racilio.*
				L.Valerius Potitus V.	
				M.Valerius Maximus	*Q. habebant quidam codices, sed anno*
96	1	357	TRIB.	M.Furius Camillus III.	*360. M. legitur.*
			MIL.	L.Furius Medullinus III.	*Vix alius in toto hoc catalogo plus*
				Q.Seruilius Fidenás II.	*facessit negotij quàm hic L.Furius.*
				Q.Sulpitius Camerinus II.	
				L.Iulius Tullus II.	
				L.Furius Medullinus IIII.	
	2	358	TRIB.	L.Sergius Fidenás	*Hic Sergius eius proles videtur, qui*
			MIL.	A.Posthumius Regillensis	*anno 337. iterum Trib. mil. fuerat,*
				P.Cornelius Maluginensis II.	*& bis Cos. anno 326.*
				A.Manlius III.	
				P.Licinius Calui filius	*Cum hoc Licinio quinque patricij eius anni quo*
				L.Titinius Longus II.	*pater fuerat Trib. mil. videlicet 355. hic fieri*
	3	359	TRIB.	P.Menenius II.	*debebant. At Liuius quatuor plebeios qui cum*
			MIL.	Cn.Genutius Pansa II.	*Veturio fuerant anno 356. nobis exhibet, eósque*
				L.Racilius Volso II.	*in sequentibus eiusdem anni gestis repetit.*
					Veii capti.
				P.Cornelius Cossus III.	
				P.Cornelius Scipio	
	4	360	TRIB.	M.Valerius Maximus II.	
			MIL.	Caeso Fabius Ambustus	
				L.Furius Medullinus V.	
				Q.Seruilius Fidenás III.	
				M.Furius Camillus IIII.	
				L.Furius Medullinus VI.	
97	1	361	TRIB.	C.Aemylius Mamercus	
			MIL.	L.Valerius Publicola	
				Sp.Posthumius Albinus	
				P.Cornelius II.	*De cognomine huius Cornelij dubium.*
	2	362	COSS.	L.Lucretius Flauius	
				Ser.Sulpitius Camerinus	
				L.Valerius Potitus	*Dionysius lib. 1. sub his Coss. ait lustrum conditum,*
	3	363	COSS.		*& esse à primis Coss. annum hunc 119. Locus ta-*
				M.Manlius	*men in Dionysio ferè deprauatè legitur, quare cum*
					iudicio inspiciendus.

Olympiades.	An ab Vrb. cōd.			
	364	TRIB. MIL.	L.Lucretius Tricipitinus Ser.Sulpitius Rufus M.Aemylius Mamertinus L.Furius Medullinus VII. Agrippa Furius Philo C.Aemylius Mamercus II.	*Plin. lib.33.cap.1.si numerus non fallit, hoc anno ait captam Romam. Plutarchus in Camillo anno 360.. quum senes apud Liuiũ libro 5. hostes expectarent, & iuniores in Capitolium conscenderent. At Camillus in oratione postea habita, ne Veios migrarēt, diligentius numerauit, vt & Dionysius, quos hic sequimur authores.*
4				
98	1	365	TRIB. MIL.	Q.Fabius Ambustus Duo alteri Fabii P.Sulpitius Longus Q.Seruilius Fidenás IIII. P.Seruilius Maluginensis	ROMA *capta à Gallis, authore Dionys. lib.1. Hic alij annum inserunt sub dictatore Camillo, quòd Liuius dicat Romanos non passos eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto, quod tamen ego de hoc anno, quo vrbs capta est, intelligendum puto.*
2	366	TRIB. MIL.	L.Valerius Publicola II. L.Virginius Tricostus P.Cornelius A.Manlius Capitolinus L.Aemylius Mamertinus L.Posthumius Albinus	*Hic Cornelius nullum habet cognomen in Liuij codicibus.* *A.Manlius legendum, non Manilius, vt errant quidam codices, quod planum est ex anno 372.*
3	367	TRIB. MIL.	T.Quintius Cincinnatus Q.Seruilius Fidenás V. Q.Iulius Tullus L.Aquilius Coruus L.Lucretius Tricipitinus II. Ser.Sulpitius Rufus II.	
4	368	TRIB. MIL.	L.Papyrius cursor Cn.Sergius Fidenás L.Aemylius Mamertinus II. Licinius Menenius Lanatus L.Valerius Publicola III.	*Ex nomine hic praenomen factum.*
99	1	369	TRIB. MIL.	M.Furius Camillus V. Sergius Cornelius Maluginensis Q.Seruilius Fidenás VI. L.Quintius Cincinnatus L.Horatius Puluillus P.Valerius Potitus	
2	370	TRIB. MIL.	A.Manlius Capitolinus II. P.Cornelius T.Quintius Capitolinus L.Quintius Capitolinus L.Papyrius Cursor II.	*Huius Cornelij cognomen bis antea omissum, annis 361. & 366.* *Videtur autem hoc anno omissum nomen Cn. Sergij Fidenatis, qui anno 375. fit tertium Tribunus mil. sed primum anno 368.*
3	371	TRIB. MIL.	Ser.Cornelius Maluginensis II. P.Valerius Potitus II. M.Furius Camillus VI. Ser.Sulpitius Rufus III. C.Papyrius Crassus T.Q.Cincinnatus II.	*M.Manlius de saxo Tarpeio deiectus* *Gellius lib.17.cap.12. ait hoc anno natum Aristotelem.*
4	372	TRIB. MIL.	L.Valerius Publicola IIII. A.Manlius Capitolinus III. Ser.Sulpitius Rufus IIII. L.Lucretius Tricipitinus III. L.Aemylius Mamertinus III. M.Trebonius Flauus	
100	1	373	TRIB. MIL.	Sp.Papyrius L.Papyrius Ser.Cornelius Maluginensis III. Q.Seruilius Fidenás C.Sulpitius Peticus L.Aemylius Mamertinus IIII.	*Hos duos Papyrios Liuius ait nouos Trib. mil. quare nos nullum apposuimus numerum.*

Olympiades		An. ab Vrb. cod.			
	2	374	TRIB. MIL.	M.Furius Camillus vii. A.Posthumius Regillensis L.Posthumius Regillensis L.Furius Medullinus L.Lucretius Tricipitinus iiii. M.Fabius Ambustus	*Hic Furius iuuenis cum Camillo certamen suscepit. His septimũ Trib. quidam adiciunt L. Valerium Potitum iiii. at Liuius non habet.*
	3	375	TRIB. MIL.	L.Valerius Publicola v. P.Valerius Potitus iii. Cn.Sergius Fidenás iii. Licinius Menenius Lanatus ii. P.Papyrius Ser.Cornelius Maluginensis iiii.	*Hic Cn.Sergius primum fit trib.mil.anno 368.iterum anno 370.hoc autem loco iii. atque ita omnes habent Liuij codices. Hic Papyrius alter est ex iis qui anno 373. quanquam prænomen variat.*
	4	376	TRIB. MIL.	P.Manlius Capitolinus C.Manlius Capitolinus L.Iulius Tullus C.Sextilius M.Albinus L.Antistius	*P lebei hi tres.*
101	1	377	TRIB. MIL.	Sp.Furius Medullinus Q.Seruilius Fidenás ii. Licinius Menenius Lanatus iii. P.Clælius Crassus M.Horatius Puluillus L.Geganius Macerinus	*Quidam C.pro M.habent.*
	2	378	TRIB. MIL.	L.Aemylius Mamertinus v. P.Valerius Potitus iiii. C.Veturius Ser.Sulpitius Rufus v L.Quintius Cincinnatus ii. C.Quintius Cincinnatus	
	3	379		QVINQVENNIO MAGISTRATVVM SOLITVDO VRBEM TENVIT, INQVIT LIVIVS, ET PLEBE REFI-	*Huius anni meminit Plu.lib.16. cap. vlt. vbi nu-*
	4	380		CIENTE DVOS TRIBVN. LICINIVM STOLONEM LVCIVMQVE SEXTIVM	*merus decennario exorbitat in ple-*
102	1	381		LATERANVM, ET HIS COMITIA TRIBVNORVM MILITVM PERPETVA INTERCESSIONE	*risque exéplaribus.*
	2	382		TOLLENTIBVS, NEC SEGNIVS RESISTENTIBVS PATRIBVS OB TREIS QVAS ILLI PROMVLGAVERVNT LEGES.	
	3	383		QVARVM PRIMA FVIT DE AERE ALIENO MINVENDO: ALTERA DE MODO AGRORVM FINIENDO: POSTREMA DE COMMVNICANDO CVM PLEBE CONSVLATV &c.	
	4	384	TRIB. MIL.	L.Furius Medullinus ii. A.Manlius Capitolinus Ser.Sulpitius Rufus vi. Ser.Cornelius Maluginensis v. A.Valerius C.Valerius	*Si is est qui anno 372.erit iiii. His Valeriis nihil adicit Liuius cognominis.*
103	1	385	TRIB. MIL.	Q.Seruilius Fidenás iii. C.Veturius ii. A.Cornelius Cossus M.Cornelius Maluginensis Q.Quintius Capitolinus M.Fabius Ambustus ii.	*Liuius nulla adicit cognomina, offensus opinor nominum multitudine, & sanè his tot annis nimium est nominum.*

Olympiades.		An. ab Vrb. cond.			
	2	386	TRIB. MIL.	T.Quintius Capitolinus II. Ser.Cornelius Maluginēsis VI. Ser.Sulpitius Sp.Seruilius Structus L.Papyrius Crassus L.Veturius Crassus Cicurinus	*Quidam Liuij codices habebant L.Quintius, tum vero & cognomen & numerus in dubio, vt etiam Liuius reliquit.* *Quidam Prætextatum hunc Sulpitium vocant, ac IIII. adiungunt, quum in prioribus nulla Prætextati mentio. Neque vero Suffectio, opinor, hic locū habuit in tanta turba.*
	3	387	TRIB. MIL.	P.Valerius Potitus V. C.Licinius Stolo	*Reliquorum nomina non inuenio, ac ne horum quidem suo in loco. Potitus sanè VI. etiam à Liuio dicitur sequenti anno, quum nusquam V. dicatur. Et C.Licinius Stolo, qui à P.Manlio Dictatore magister equitum dictus est, dicitur antea fuisse Trib. militum consulari potestate, quum nusquam eius sit nomen hoc toto catalogo. Adiuuat hanc opinionē nonus ille annus quo Tribuni L.Sextius ac Stolo se iam in aciem aduersus optimates maximo priuato periculo, nullo publico emolumento stare conquerebantur.*
	4	388	TRIB. MIL.	A.Cornelius Cossus II. M.Cornelius Maluginensis II. M.Geganius Macerinus P.Manlius Capitolinus II. L.Veturius Crassus Cicurinus II. P.Valerius Potitus VI.	
104	1	389	COSS.	L.Aemylius Mamercus L.Sextius Lateranus	*Primus ex plebe Cos.*
	2	390	COSS.	Q.Seruilius Hala L.Genutius Auentinensis	*Camilli mors.*
	3	391	COSS.	C.Sulpitius Peticus C.Licinius Stolo Caluus	*Huius Sulpitij cognomen mire variatur.*
	4	392	COSS.	C.Genutius Auentinensis L.Aemylius Mamercus II.	*Vide Diodorum Siculum in Philippo, ex quo collationem Olympiadum huc posuimus, sed ille more Græco secūdum Olympiadas numerat Coss. nos contrà secundum Coss. Olympiadas.*
105	1	393	COSS.	Q.Seruilius Hala II. L.Genutius Auentinensis II.	*Diodorus hunc Genutium, Q. vocat, sicut præcedentis anni Cn. pro C. Verum Græci in prænominibus nō admodum diligentes, vt videre est apud illos.*
	2	394	COSS.	C.Sulpitius Peticus II. C.Licinius Stolo Caluus II.	*T.Manlij singulare cum Gallo certamen.*
	3	395	COSS.	M.Fabius Ambustus C.Petilius Balbus	*Libo Visolus, duo hæc cognomina alij adijciunt.*
	4	396	COSS.	M.Popilius Lenas Cn.Manlius Capitolinus Imperiosus	*Diodorus C. vocat. Quòd si is est Torquati pater, non C. sed L. esset vt Liuius eum, Valerius ac Cicero lib.3. Officiorum vocaut.*
106	1	397	COSS.	C.Fabius Ambustus C.Plautius Proculus	*Quidam codices Cn. habent. Diodorus M. sed Liuius addidisset II. Plotius dicitur apud Diodorum cognatione o & au. Et Proculus hic cognomen, quod alibi prænomen.*
	2	398	COSS.	C.Martius Rutilius Cn.Manlius Capitolinus Imperiosus II.	*Vide huius Olympiadis annum hunc apud Plin. lib. 36. cap. 6. sed errore haud dubie codicum. Quidam & hic & in sequentibus Rutilium vocant hunc Martium.* *Quidam hoc anno T.Manlium legunt, quòd anno 402. & 406. T.Manlius Dictator factus sit. quod verisimile non videtur de eo qui nunquam Cos. antea, & hunc II. Cos. faciunt anno 408.*

Olympiades.		Anni ab Vrb.cod.			
	3	399	COSS.	M.Fabius Ambustus II. M.Popilius Lenás II.	
	4	400	COSS.	C.Sulpitius Peticus III. M.Valerius Publicola	*Vide hos annos apud Liuium lib.7. Vnus enim numerus illic claudicat, quum ait, Ablato post nonum annum à plebe consulatu, post vndecimum legendum, qui error facile incidit alternatione numerorum* XI. *ac* IX.
107	1	401	COSS.	M. Fabius Ambustus III. T.Quintius Capitolinus	*De hoc Quintio dubitatum in quibusdam annalibus inuenio, ac pro eo M.Popilium inquit Liuius.*
	2	402	COSS.	C.Sulpitius Peticus IIII. M.Valerius Publicola II.	
	3	403	COSS.	P.Valerius Publicola C.Martius Rutilius II.	*Hoc anno Græciam vexatam à Philippo Alexandri Magni parente, scribit Plin.lib.2.cap.27. In Diodoro est M.Fabius, errore fortassis codicum.*
	4	404	COSS.	C.Sulpitius Peticus V. T.Quintius Pœnus	*Cæsonem etiam cognominatum à quibusdam ait Liuius hunc Quintium.*
108	1	405	COSS.	M.Popilius Lenás III. L.Corn. Scipio Aruina	*Plin.lib.2.cap.25. Olympiada centesimam octauam comparat ad annos 398. sed eo in loco puto legendum, centesima sexta, anno secundo.*
	2	406	COSS.	L.Furius Camillus Ap.Claudius Crassus *M.Valerij cũ Gallo pugna.*	*In Diodoro hic Coss. nomina inuersa reperiuntur, nunc anticipantia nostrũ ordinem, nunc sequentia. Quod admonendum duximus, ne ea res lectorem moraretur, turbaretue. Meminit autem horum Coss. Gellius lib.9.cap.11.*
	3	407	COSS.	M.Valerius Publicola Coruinus M.Popilius Lenás IIII.	
	4	408	COSS.	T.Manlius Torquatus C.Plautius Venox.	*Qui anno 398. T.Manlium legunt, hoc loco Cn.Manlium II. legunt. Sane apud Liuium T.Manlius hic II. Cos. dicitur, qui antea nusquam positus ab eo, si codices nõ fallunt.*
109	1	409	COSS.	M.Valerius Coruinus II. C.Petilius Balbus II.	*Libo Visolus adiicitur alibi, vt antea anno vrbis conditæ 395.*
	2	410	COSS.	M.Fabius Dorsuo Ser.Sulpitius Camerinus	
	3	411	COSS.	C.Martius Rutilius III. T.Manlius Torquatus II.	*In Liuij codicibus adiectum erat II. quum tamen eundem anno 408. Liuius etiam II. Cos. exhibeat, sed codices errant.*
	4	412	COSS.	M.Valerius Coruinus III. A.Cornelius Cossus	BELLVM *Samniticum.*
110	1	413	COSS.	Q.Seruilius Hala III. C.Martius Rutilius IIII.	
	2	414	COSS.	L.Aemylius Mamercus C.Plautius Venox II.	*Nouus hic est Aemylius, quanquam alij hunc Mamercum, illum autem anno 389. Mamertinum vocant.*
	3	415	COSS.	T.Manlius Torquatus III. P.Decius Mus	*Meminit Cicero lib.3. Officiorum horum Coss.* DECII *patris deuotio.*
	4	416	COSS.	T.Aemylius Mamercus Q.Publilius Philo	*Diodorus Tiberium vocat, alij non Mamercum, sed Mamertinum cognominant.*
111	1	417	COSS.	L.Furius Camillus II. C.Menius Nepos	*Huius Cos. Menij meminit Plinius lib.34.cap.5. sed vno anno noster numerus anticipat. Quidam hunc Manliũ, alij Menenium vocant, sed haud scio quàm bene.*

Olympiadrs.		An. ab Vrb. cód.			
	2	418	COSS.	C.Sulpitius Longus P.Aelius Pætus	
	3	419	COSS.	L.Papyrius Crassus Cæso Duillius Helua	
	4	420	COSS.	M.Valerius Coruinus IIII. M.Attilius Regulus Calenus	
112	1	421	COSS.	T.Veturius Caluinus Sp.Posthumius Albinus	*Hic post Caudinam pacem anno 433. factam, etiam Caudinus dictus est, non magna ipsius laude.*
	2	422	COSS.	L.Cornelius Scipio Aruina II. Cn.Domitius Caluinus *C.Domitius habent quidam codices, ac etiam Diodorus.*	*Diodorus Cassiodorúsque A.Cornelium habent. Tu vide verú fuisse putes qui anno 405. an qui anno 422. Cæterú alij hic annum sine Coss. inserunt, cuius Liuius ne verbo quide meminit, & Diodori ordo non admittit.*
	3	423	COSS.	T.Valerius M.Claud.Marcellus	*De cognomine huius Valerij etiam Liuius variatum in annalibus fatetur, Potitúsne an Flaccus vocetur. Orosius sanè lib. 3. cap. 3. Flaccum habet. Porrò Diodorus Cassiodorúsque prænomen habent C. non T.*
	4	424	COSS.	L.Papyrius Crassus II. L.Plautius Venox	*Cassiodorus C. habet pro L.*
113	1	425	COSS.	L.Aemylius Mamercus Priuernas C.Plautius Decianus	*Alij Cn. vocant.*
	2	426	COSS.	P.Cornelius Scapula P.Plautius Proculus	*Barbatum aliud cognomen addunt alij. C. habet Cassiodorus*
	3	427	COSS.	L.Cornelius Lentulus Q.Publilius Philo II.	*In Diodoro erat Popilius, sed errore codicum, vt Publius maiore errore, quippe quod prænomen est.*
	4	428	COSS.	L.Papyrius Mugillanus vel Cursor C.Petilius Balbus III.	*Ita Liuius.* *Et hic Libo Visolus cognominatus.*
114	1	429	COSS.	L.Furius Camillus III. D.Iunius Brutus Scæua	
	2	430	COSS.	L.Papyrius Cursor Dictator sine Coss. *Alios sequuti hos posuimus, quum tamen Liuius ne verbo quidem meminerit eius anni, sed præcedente anno eorum facit mentionem.*	
	3	431	COSS.	C.Sulpitius Longus II. Q.Aulius Cæritanus	*Mire in Liuij coditibus hoc nomen variatum, quidam Aemylium, quidam Aulium appellatum contendunt.*
	4	432	COSS.	Q.Fabius Rutilianus L.Fuluius Curuus	*Plinius, Liuius atque Valerius hunc Rutilianum vocant, Plutarchus in Pompeio Rullum, quidam Rullianum. Hic Maximi nomen adeptus anno ab vrb.cond. 450. vt libro 9. ad finem narrat Liuius: Papyrij Dictatoris Magister equitum, Ambusti filius, Q. Gurgitis pater. Vide num Plinius de hoc lib. 7. cap. 43. loquatur.*
115	1	433	COSS.	T.Veturius Caluinus II. Sp.Posthumius Albinus II.	*Caudina pax.* *Meminit Cicero lib. 3. Offic. & in Catone. Quod ideo admonendum duximus, quòd in Officijs numeri additi reperiantur, in Catone verò omissi.*
	2	434	COSS.	L.Papyrius Cursor II. Q.Publilius Philo III.	
	3	435	COSS.	L.Pampyrius Cursor III. Q.Aelius Cæritanus II.	*Quidam annales habent Mugillanus.*
	4	436	COSS.	M.Follius Flaccinator L.Plautius Venox II.	*Plin. lib. 13. cap. 3. de Plautio bis Cos.*

Olympiades.		Anni ab Vrb.cōd.			
116	1	437	COSS.	Q.Aemylius Barbula C.Iunius Brutus Bubulcus	
	2	438	COSS.	P.Nautius Rutilus M.Popilius Lenás	
	3	439	COSS.	Q. Fabius Dictator sine Coss.	*Liuius duorum Dictatorum hoc anno meminit, sed locus corruptus est, vt diligenter legenti satis luculenter apparet. Alij septimo pòst anno Dictatorem cum Magistro equitū fuisse sine Coss. ponunt, quum Liuius Fabio continuatum honorem manifestè fateatur.*
	4	440	COSS.	L.Papyrius Cursor IIII. Q.Publilius Philo IIII.	*Liuius huius anni Coss. nomina omisit, nos ex Caßiodoro apposuimus.*
117	1	441	COSS.	C.Sulpitius Longus M.Petilius Libo	*Si non est alius ab eo qui anno 431. adiiciendum III.*
	2	442	COSS.	L.Papyrius Cursor V. C.Iunius Brutus Bubulcus II.	*Appij Censura, qui postea Cæcus.*
	3	443	COSS.	M.Valerius Maximus P.Decius Mus	
	4	444	COSS.	Q.Aemylius Barbula II. C.Iunius Brutus Bubulcus III.	
118	1	445	COSS.	Q.Fabius Rutilianus II. C.Martius Rutilius	*Censorinus etiam alio cognomine ab alijs dicitur.*
	2	446	COSS.	Q.Fabius Rutilianus III. P.Decius Mus II.	*Fabio continuatum consulatum ob egregie domitam Hetruriā Liuius fatetur, ergo non rectè hic annum inseruere alij Dictatoris absque Coss. quod paulo ante etiam admonuimus.*
	3	447	COSS.	Ap.Claudius Crassus L.Volumnius Flamma *Violensis etiā hic Volūnius à quibusdam nominatur.*	*Huius sequentisque anni Coss. omissos ait Liuius à Pisone. At Cicero in Catone non omisit. Sunt etiam apud Caßiodorum. Hic Censor ille est, postea Cæcus. Eius filius fit Cos. anno 485. At qui est anno 504. nepos eius est, author. Plinio lib.15.cap.1.*
	4	448	COSS.	P.Cornelius Aruina Q.Martius Tremulus	
119	1	449	COSS.	L.Posthumius Megellus T.Minutius Augurinus	*Liuius ait in huius Cos. Minutij occisi locum secundum quosdam authores, subrogatum M.Fuluium.*
	2	450	COSS.	P.Sulpitius Auerrio P.Sempronius Sophus Longus	*Plin.lib.33.cap.1. si numerus bene habet, de his Coss. duobus annis distat ab hac supputatione, sed videtur Dionysij rationem hic sequutus.*
	3	451	COSS.	Ser.Cornelius Rufus L.Genutius Auentinensis	
	4	452	COSS.	C.Aemylius Paulus M.Liuius Denter	*Quidam libri Q. Aemylium habent, Caßiodorus L.*
120	1	453	COSS.	M.Valerius Coruinus V Q.Apuleius Pansa	
	2	454	COSS.	T.Manlius Torquatus M.Fuluius Pætus	*M.Valerius Coruinus VI. Plin.lib.7.cap.48. ait inter primum sextúmque Coruini cōsulatum intercessisse annos 46. Idem Cicero in Catone. Plutarchus in Mario 45. si codex non fallit. Nostra supputatio cum Plinio ac Cicerone conuenit.*
	3	455	COSS.	L.Cornelius Scipio Cn.Fuluius Centumalus	
	4	456	COSS.	Q.Fabius Max.Rutilianus IIII. P.Decius Mus III.	*Hic Maximi nomen adiicitur, quippe quod anno 450. meruit.*
121	1	457	COSS.	Ap.Claudius Crassus II. L.Volumnius Flamma II.	
	2	458	COSS.	Q.Fabius Maximus Rutilianus V. P.Decius Mus IIII.	*Decij filij Deuotio.*

Olympiades		An. ab Vrb. cōd.			
	3	459	COSS.	L.Posthumius Megellus II. M.Attilius Regulus	*Caßiod.L.prænomen habet, ve sie qui anno 449. Plures etiam hos Megillos, non Megellos vocatos contendunt.*
	4	460	COSS.	L.Papyrius Cursor Sp.Caruilius Maximus	*Hic superioris Cursoris filius fuit, ve patet ex Plinio lib.7.cap.vlt.*
122	1	461	COSS.	Q.Fabius Max.F.Gurges. D.Iunius Brutus Seæua	*Hic Fabius Rutiliani filius fuit, Ambusti nepos, ve Plin.testatur, lib.7.cap.41.*
	2	462	COSS.	L.Posthumius Megellus III. C.Iunius Brutus	SECVNDA DECAS. *Meminit horum Liuius lib. 7. de secundo bello Punico, paulo ante creationem magistratus anni eius belli decimi.*
	3	463	COSS.	P.Cornelius Rufinus M.Curius dentatus	*Ex huius familia L.Sylla fuit. Huius Curij consulatum Cicero in Catone ait quinquennio fuisse post filij Decij deuotionem.*
	4	464	COSS.	M.Valerius Coruinus Q.Cæditius Noctua	*Hic Valerius illius Coruini progenies videtur. Nam quod alij VI. addiderunt, non probatur. Quippe Coruinus VI. fit Cos. anno 454. Torquato subrogatus. Hic ergo VII. fieret Cos. Atqui C. Marius primus fuit Romæ septies Cos. ve author est Plutarchus. Praeterea numerus annorū à primo Coruini consulatu ad sextum non patitur ve hic ponamus VI.*
123	1	465	COSS.	Q.Martius Tremulus II. P.Cornelius Aruina II.	
	2	466	COSS.	M.Claudius Marcellus C.Nautius Rutilius	
	3	467	COSS.	M.Valerius Maximus C.Aelius Pætus	*Haud scio, illene sit qui anno 443. an alius.*
	4	468	COSS.	P.Claudius Caninius M.Aemylius Lepidus	
124	1	469	COSS.	C.Seruilius Tucca L.Cæcilius Metellus	*Caßiod. habet Cælius pro Cæcilius, sed errore codicum.*
	2	470	COSS.	P.Cornelius Dolabella Maximus Cn.Domitius Caluus	*Meminit huius anni Plinius lib.16.cap.10.*
	3	471	COSS.	C.Fabricius Luscinus Q.Aemylius Papus	*Bellum cum rege Pyrrho. Vide Plin.lib.7.cap.vlt.de hoc anno, & libro 16.cap.2.*
	4	472	COSS.	L.Aemylius Baebula Q.Martius Philippus	*Hoc anno primum elephantos vidit Italia inquit Plin.lib.8.cap.6.*
125	1	473	COSS.	P.Valerius Leuinus T.Coruneanus	*Huius Coruncani multa mentio apud Cicer. Quidam non Titum, sed Tiberium vocatum putant. Error ex litera T. oriri facile potuit.*
	2	474	COSS.	P.Sulpitius Auerrio P.Decius Pyrrhicus	*Idem nomen est anno 450. Hoc anno App.Claudius cæcus orationem habuit, ne cum rege Pyrrho pax fieret, authore Cicerone in Catone.*
	3	475	COSS.	C.Fabritius Luscinus II. Q.Aemylius Papus II.	
	4	476	COSS.	P.Cornelius Ruffinus II. C.Iunius Brutus II.	*Gell. huius Ruffini meminit lib.4. cap.8. & lib.17.cap.21.*
126	1	477	COSS.	Q.Fabius Gueges II C.Genutius Clepsina	
	2	478	COSS.	M.Curius Dentatus II. L.Cornelius Lentulus	*Plerique libri veteres Manium Curium pro M. hunc vocant, neque certum est erroréne id fiat, an Manium pro Marcū dixerint vetustiores, ve Vetusium pro Veturium.*

Olympiades.		An. ab Vrb. cõd.			
	3	479	COSS.	Ser. Cornelius Merenda M. Curius Dentatus III.	*Hoc anno in triumpho M. Curij, vt puto, elephantes Roma primum vidit, ait Plin. lib. 8. cap. 6.*
	4	480	COSS.	C. Fabritius Luscinus III. C. Claudius Cinna	
127	1	481	COSS.	L. Papyrius Cursor II. Sp. Caruilius Maximus II.	*Caruilium Carbiliúmque varie scriptum reperias, propter cognationem b ac u consonantium.*
	2	482	COSS.	C. Quintius Claudus L. Genutius Clepsina	
	3	483	COSS.	C. Genutius Clepsina Cn. Cornelius Asina	
	4	484	COSS.	Q. Fabius Maximus Pictor L. Quintius Gulo	*Huius meminit Plin. lib. 33. cap. 3. vbi impudens mendum in omnibus quotquot nos vidimus exemplaribus. Argentum, inquit, signatum est anno vrbis* DLXXXV. *cum legendum sit* CCCCLXXIIII. *Quòd si Fabius Verrucosus quartus fuit nomine Maximi à Rutiliano, qui primus id nominis in ea habuit familia, puto hunc esse ex eorũ numero.*
128	1	485	COSS.	P. Sempronius Sophus Ap. Claudius Rufus	
	2	486	COSS.	M. Attilius Regulus Seranus L. Iulius Libo	
	3	487	COSS.	M. Fabius Pictor Decius Iunius Pera	
	4	488	COSS.	M. Valerius Maximus Q. Mamilius Vitulus	
129	1	489	COSS.	Ap. Claud. Pulcher Caudex Q. Fuluius Flaccus	*Initium primi belli Punici. Polybius lib. 1. ait Romanos primum mare ingressos Olympiade centesima vigesimanona. Dionysius autem anno tertio centesimæuigesimæoctauæ Olympiados.*
	2	490	COSS.	M. Valerius Maximus II. M. Octacilius Crassus Messala	*Vide Plinium lib. 35. cap. 4. & lib. 7. cap. vlt. tum compara locos, vter ex altero emendandus.*
	3	491	COSS.	L. Posthumius Megellus Q. Manilius Vitulus II.	
	4	492	COSS.	L. Valerius Flaccus L. Octacilius Crassus	*T. Octacilium vocat Polybius lib. 1. sed in prænominibus ipsius codex sæpe errat.*
130	1	493	COSS.	Cn. Cornelius Scipio Asina C. Duillius	*Vnus, quod sciam, Florus hunc Duillium Cn. vocat, omnes alij C.*
	2	494	COSS.	C. Aquilius Florus L. Cornelius Scipio	
	3	495	COSS.	C. Sulpitius Paterculus A. Attilius Calatinus	*Polybij codex habet Rutilium, sed non placet.*
	4	496	COSS.	Cn. Cornelius Blæsus M. Attilius Regulus Seranus II.	*Polybius hoc anno captum ait Regulum, qui fuit bis Cos. authoribus Plin. ac Cicer. antea anno vrb. 486. & hoc anno. quare alius est C. Attilius Regulus ann. vrb. 503.*
131	1	497	COSS.	Q. Cæditius Longus L. Manlius Regulus	
	2	498	COSS.	M. Aemylius Paulus Ser. Fuluius Nobilior	

Olympiades.		An. ab Vrb. cód.			
	3	499	COSS.	Cn.Cornelius Scipio Asina A.Attilius Calatinus II.	*Hic Scipio alius videtur ab eo authore Valerio Max.lib.6.cap.vlt.qui captus turpiter à Pœnis anno vrbis 493. Cicero Attilij huius meminit, vt puto, in Catone, post Valerium Coruinum.*
	4	500	COSS.	Cn.Seruilius Cæpio C.Sempronius Blæsus	
132	1	501	COSS.	C.Aurelius Cotta P.Seruilius Geminus	
	2	502	COSS.	L.Cæcilius Metellus C.Furius Pacilus	*Meminit huius anni Plinius libro 8. cap.6. Polybius ait hunc decimumquartum huius belli annum.*
	3	503	COSS.	C.Attilius Regulus Seranus L.Manlius Volso	*Hic non est ille Regulus qui ad supplicium est profectus, vt fidem hosti datam conseruaret. Quippe sex ante annos captus erat, si Polybio credimus, & à Carthaginensibus misere occisus.*
	4	504	COSS.	Ap.Claudius Pulcher Cæci nepos L.Iunius Pullus	*Plin.lib.15.cap.1. horum meminit. Cęterũ eo in loco legendum quingentesimoquarto, non quinto. Gellius autem lib.10.cap.6. huius sororem Cæci filiam vocat, haud scio quàm bene. Hic enim male aduersus Pœnos pugnauit, nó Ap.Claudius Caudex, vt ex Floro ac Polybio plane intelligitur.*
133	2	505	COSS.	P.Seruilius Geminus II. C.Aurelius Cotta II.	
	2	506	COSS.	L.Cæcilius Metellus II. M.Fabius Buteo	*Huius Metelli Meminit bis Cicero in Catone. Eum Cato puer vidisse se ait: quod fieri facile potuit, quum hic diu postea vixerit, vt eodem loco ait Cato.*
	3	507	COSS.	M.Fabius Licinius M.Octacilius Crassus Messala II.	*Acilius est apud Gell.lib.10. cap.6. pro Octacilio.*
	4	508	COSS.	M.Fabius Buteo II. C.Attilius Balbus	
134	2	509	COSS.	A.Manlius Atticus C.Sempronius Blæsus II.	
	2	510	COSS.	C.Fundanius Fundulus C.Sulpitius Gallus	
	3	511	COSS.	C.Luctatius Catulus Cæreonius A.Posthumius Albinus	*Horum Coss. meminit Hanno apud Liuium lib.3, secundi belli Punici. Videntur enim Carthaginienses à C. victi, pacem vero sequenti anno firmatam habuisse.*
	4	512	COSS.	Q.Luctatius Catulus Cercus A.Manlius Atticus II.	*Et hos quidem Liuius lib.vlt. secundi belli Punici, non ita longe à fine, memorat. At in prænominibus horum duorum Luctatiorum ingens error est in omnibus propemodum codicibus.*
135	1	513	COSS.	C.Claudius Cento. M.Sempronius Tuditanus	*Cic. in Catone, vbi de Liuio Andronico, non vbi de Maximo, horum Coss. meminit. At omnia exemplaria pro Centone habent Cethego, decepti Coss. de Maximo. Theodorus Gaza quum hæc verteret, ac temporum rationem dissidere videret, Coss. nomina omisit. Meminit & in Bruto Cic. vbi de Liuio Andronico, vbi perperam quadringentesimo pro quingentesimo legitur. Meminit & Gell.lib.17.cap.21.*
	2	514	COSS.	C.Manlius Lucrinus Q.Valerius Flaccus	*Manilium vocant alij, vt Gell. qui eo anno natum ait Ennium, ex M.Varrone.*
	3	515	COSS.	T.Sempronius Gracchus P.Cornelius Falco	
	4	516	COSS.	L.Cornelius Lentulus Caudinus Q.Fuluius Flaccus	*Meminit huius anni Plin. lib.18. cap.29. Nam Floralia in eo instituta esse ex libris Sibyllinis scribit.*

Olympiades.		An. ab Vrb. cod.			
136	1	517	COSS.	C.Licinius Varus P.Cornelius Lentulus Caudinus	
	2	518	COSS.	T.Manlius Torquatus C.Attilius Balbus II.	*Vide num hi sint Coss.quibus Iani templum secundò clausum, quorum Plutarchus in vita Numæ Pompilij meminit,& Manlij item Liuius in eodem Numa.In Plutarchi item codice est M.Attilius,pro C.altero hic Cos.*
	3	519	COSS.	L.Posthumius Albinus Sp.Caruilius Maximus	
	4	520	COSS.	Q.Fabius Max. Verrucosus M.Pomponius Matho	*Cognomen Maximi à Rutiliano habet,quare nequaquam omittendum.Verrucosum autem appellat tum Plutarchus,tum Plinius lib.34.cap.7.*
137	1	521	COSS.	M.Aemylius Lepidus M.Oblitius Malleolus	*Hoc anno natus Cato Censorius.*
	2	522			*Hic desunt nobis huius anni Coss.Quod vnde conijcimus,longum esset enumerare. Authoribus tamen certis Dionysio, Cicerone ac Plinio moti, hunc sequuti sumus ordinem,omittentes Coss.quos alij tertio anno secundi belli Punici, post Flaminium ac Seruilium posuere, videlicet M.Attilium Fabianum,ac Cn.Seruilium Musitanum,atque id etiam authoribus Polybio, Plinio,ac Liuio fecimus.*
	3	523	COSS.	M.Pomponius Matho II. C.Papyrius Masso	*Hoc primùm anno Romæ Diuortium fuisse testatur Dionysius lib.2.in Romulo. Conueniunt autem anni nobiscum in nostra ratione,duorum anticipatione annorum.*
	4	524	COSS.	M.Aemylius Barbula M.Iunius Pera	
138	1	525	COSS.	L.Posthumius Albinus II. Cn.Fuluius Centumalus	*In Polybio vtriusque Cos.prænomen variatum est.*
	2	526	COSS.	Q.Fabius Maximus Verrucosus II. Sp.Caruilius Maximus	*Horũ Coss.meminit Cicero in Catone, vbi de laudibus Q.Fabij Maximi, puto hunc Caruilium esse,qui Romæ primus diuortiũ fecit, de quo Gell.lib.4.cap.3.& Valer.lib.2.cap.1. quanquam in annis minime conueniunt.*
	3	527	COSS.	P.Valerius Flaccus M.Attilius Regulus	*Bellum Gallicum.* *Horum Coss.meminit Gell.iam dicto loco.*
	4	528	COSS.	L.Apustius M.Valerius Leuinus	
139	1	529	COSS.	C.Attilius Regulus L.Aemylius Paulus	*Meminit horum Plin.lib.3.cap.20.quanquam codices quidem eo in loco mire errent.* *Hic Aemylius,siue Paulus, vt Plin. vocat, siue Papus,vt alij,cognominandus,certe hoc bello Gallico perijt, vt author est Polybius libro secundo.*
	2	530	COSS.	T.Manlius Torquatus II. Q.Fuluius Flaccus II.	
	3	531	COSS.	C.Quintius Flaminius P.Furius Philo	*Philus pro Philo legendum puto. Nam apud Liuium lib.2.de secundo bello Punico, P.Furij Phili viri consularis filij mentio est. Et apud Ciceronem Phili cum Paulis,Catonibus,Scipionibus,ac cæteris magnis nominantur in Lælio.*
	4	532	COSS.	M.Claudius Marcellus Cn.Cornelius Scipio Caluus	*C.prænomen est in Polybio.*
140	1	533	COSS.	P.Cornelius Asina M.Minutius Rufus	
	2	534	COSS.	L.Veturius Leuina C.Luctatius Scæuola	

Olympiades.		Anni ab Vrb.cōd.			
	3	535	COSS.	M.Liuius L.Aemylius Paulus	*Horum meminit Plin.lib.29.cap.1.cum numero etiam huius anni: vnde clare patet Plinium hunc nostrum habuisse ordinem. Cæterum hic M.Liuius postea Salinator dictus est.* DECAS TERTIA.
	4	536	COSS.	P.Cornelius Scipio T.Semprouius Longus	*Initium secundi belli Punici.* *Polybius lib.3.ait, anno primo centesimæ quadragesimæ Olympiados, Saguntum expugnatum, ac deinde postero anno Hannibalē in Italiam venisse. Sequutus videtur Dionysij supputationē, quæ hanc Liuij duobus præuenit annis.*
141	1	537	COSS.	Cn.Seruilius Geminus C.Quintius Flaminius II.	*Tertio anno Olymp.140. in Tuscia cum Pœnis conflictum ait Polybius lib.5. vbi rursus duobus anticipat annis. Porro idem cum Liuio fatetur M.Attilium Regulum subrogatum Flaminio, ac anno sequenti Procos. res gessisse, quare nullus hic inserendus propter eos annus.* *M.Attilius Regulus II. suffectus.*
	2	538	COSS.	L.Aemylius Paulus II. C.Terentius Varro	*Hic Scipionis Aemyliani auus fuit, cuius identidem meminit Cicero, & quarto ante anno Cos.cum M. Liuio, non C.Lælio, vt deprauate legitur in T.Liuio.perijt autem apud Cannas.* *Cannensis pugna.*
	3	539	COSS.	L.Posthumius Albinus III. T.Sempronius Gracchus	*M.Claudius Marcellus II.* *Q.Fabius Max.Verrucosus III.* *Posthumio suffecti.*
	4	540	COSS.	Q.Fabius Maximus Verrucosus IIII. M.Claudius Marcellus III.	*Cassiodorus habet II. sed non numerat consulatum, quem vitio creatus non gessit.*
142	1	541	COSS.	Q.Fabius Maximus Verrucosi filius T.Sempronius Gracchus II.	*Cato apud Ciceronem de Senectute, Maximi filium Marcum nominat, sed errore, vt suspicor, codicum, nam & Liuius & Gellius Q. vocant.*
	2	542	COSS.	Ap.Claudius Pulcher Q.Fuluius Flaccus III.	
	3	543	COSS.	P.Sulpitius Galba Cn.Fuluius Centumalus	*Quidam etiam hunc Sulpitium, Maximum cognominant. Liuius eum nullum antea curulem magistratum gessisse fatetur.* *In omnibus Liuij codicibus numerus omissus est, vt sit alius ab eo qui Cos. fuit anno vrbis 525. Alij autem ponunt numerum II.*
	4	544	COSS.	M.Valerius Leuinus II. M.Claud.Marcellus IIII.	*Et huius Leuini numerus omissus est in Liuij codice. Ac ipse Liuius lib.9. huius belli ait hunc bis Cos. fuisse, quare non est omittendus.*
143	1	545	COSS.	Q.Fabius Maximus Verrucosus V. Q.Fuluius Flaccus IIII.	*Tarentum receptum.* *Huius anni meminit Cicero lib.de Senect.*
	2	546	COSS.	T.Quintius Crispinus M.Claudius Marcellus V.	*Liuius obiter hic causam reddit cur Marcellus V.Cos.dicatur.*
	3	547	COSS.	C.Claudius Nero M.Liuius Salinator II.	*Liuius hoc anno Olympiæ ludicrum fuisse testatur in horum Coss.creatione, atque ad id missum L.Manlium. Per quod ostenditur Dionysij supputationem veriorem illa, quam sequutus est Liuius.*
	4	548	COSS.	L.Veturius Philo Q.Cæcilius Metellus	
144	1	549	COSS.	P.Cornelius Scipio P.Licinius Crassus	*Quidam etiam alterum cognomen adiicere, Diues.*

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.			
	2	550	COSS.	M.Corn.Cethegus P.Semp.Tuditanus	*Meminit horum Cic. vbi de laudib. Q. Fabij Max. in Catone. Caeterum de Liuio Andronico idem in omnibus vulgatis exemplarib. per errorē quum hi sint qui anno 513. quod etiam antea admonuimus.* *Catonis Censorij quæstura, authore Liuio.*
	3	551	COSS.	Cn.Seruilius Cæpio Cn.Seruilius Geminus	*Cn. Seruilius Geminus, qui Cos. fuit anno Vrbis 537. occisus dicitur apud Cannas, quapropter non est opus hic C. pro Cn. legere.*
	4	552	COSS.	T.Claudius Nero M.Seruilius Geminus	
145	1	553	COSS.	Cn.Cornelius Lentulus P.Aelius Pætus	*Meminit horum Plin. lib. 18. cap. 18. vbi cum Liuio eadem inuenies prænomina, etiam si in Caßiodoro alia ponantur. Et hoc anno idem Plinius fatetur Hannibalem victum, quum superiore scribat Liuius victum.*
	2	554	COSS.	Sec.Sulpitius Galba *aliàs legitur P.* C.Aurelius Cotta	DECAS QVARTA. *Bellum Macedonicum cum Philippo.*
	3	555	COSS.	L.Cornelius Lentulus P.Villius Appulus	*Hoc nomen fere deprauatum erat in codicibus. hic ad finem libri noni huius belli sic prætor. At alij P. Villium Tappulum vocant, & rectè, quia plebeius fuit, nihil ad Iuliam gentem pertinens.*
	4	556	COSS.	T.Quintius Flaminius Sex.Aelius Pætus	*Hic Flaminius eius filius fuit qui apud Thrasimenum perijt, vt author est Plutarchus in Hannibale.* *Catonis Censorij pratura.* *Quidam addunt Catus alterum cognomen ex Plinio lib. 33. cap. 11. at ego puto eum loqui de eo qui Cos. fuit anno Vrbis 587. propter verba quæ statim de Perseo sequuntur.*
146	1	557	COSS.	Cn.Cornelius Cethegus Q.Minutius Rufus	
	2	558	COSS.	L.Furius Purpureo M.Claudius Marcellus	
	3	559	COSS.	L.Valerius Flaccus M.Porcius Cato	
	4	560	COSS.	P.Corn.Scipio Africanus II. T.Sempronius Longus	*Horum parentes, inquit Liuius, initio secundi belli Punici vnà fuere Cos.*
147	1	561	COSS.	L.Cornelius Merula Q.Mutius Thermus	*Aliàs, Minutius, sicque eum semper vocat Liuius.*
	2	562	COSS.	L.Quintius Flaminius Cn.Domitius Aenobarbus	*Hic T. Flaminij frater fuit, à Catone Censore senatu motus, vt de Senectute ipse memorat apud Ciceronem.*
	3	563	COSS.	P.Corn.Scipio Nasica M.Attilius Glabrio *Acilium Liuius vocat.*	*Caßiodorus habet M. pro P. sed contrarium est in Liuio, & apud alios. Hic vir optimus iudicatus à senatu Romano, Cn. Scipionis proles fuit, eius qui cum P. fratre in Hispanijs perijt.*
	4	564	COSS.	L.Cornelius Scipio Asiaticus C.Lælius Africanus	*Cognomen Lælij Africanus erat, in plerisque Liuij codicibus, libro sexto huius belli: at quidam deleuere. Non est autem hic Lælius qui apud Ciceronem, sed apud Liuium libris aliquot de secundo bello Punico. Meminit & Gellius horum lib. 16. cap. 4.*
148	1	565	COSS.	M.Fuluius Nobilior Cn.Manlius Volso	*Huius anni meminit Plin. lib. 33. capite tertio, absque Coss.*
	2	566	COSS.	M.Valerius Messala C.Liuius Salinator	*Meminit huius Cato apud Ciceronem, non ita longe ab initio de senectute.*

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.			
	3	567	coss.	M.Aemylius Lepidus C.Quintius Flaminius	*Hic Flaminius viam à Bouonia perduxit Aretiū.*
	4	568	coss.	Sp.Posthumius Albinus Q.Martius Philippus	*Plin.lib.33.cap.10.hos memorat Coss.*
149	1	569	coss.	Ap.Claudius Pulcher M.Sempronius Tuditanus	*Hoc anno P.Scipionem superiorem mortuū ait Cato apud Ciceronem de Senect. Anno ante me, inquiens, Censorem mortuus est, nouem annis post meum consulatum, quum Cos. iterum, me consule, creatus esset. Quo in loco paulo ante legendum, quintus & trigesimus, non tertius, quod obiter notandum duximus.*
	2	570	coss.	P.Claudius Pulcher L.Porcius Licinius	*Nobilis Catonis censura.*
	3	571	coss.	M.Claud.Marcellus Q.Fabius Labeo	*Hic Marcellus alius est ab eo qui fuit Cos.ann.558.* *Hannibalis mors, authore Liuio.*
	4	572	coss.	Cn.Bœbius Pamphilus L.Aemylius Paulus	*Cassiodorus ac vetusti plerique codices, Tamphilus habent. Alij putant hoc tempore Romanos non pauca à Graecis sumpsisse, fortassis & quaedam affectasse nomina peregrina, ut sunt homines nouarum rerum cupidi.* *Hic Paulus eius progenies videtur qui apud Cannas perijt.*
150	1	573	coss.	P.Corn.Lentulus Cethegus M.Bœbius Pamphilus	*Meminit horum Plin.lib.13.cap.13.cum annorum numero huic nostro congruenti, si à primo Numae anno supputabis.*
	2	574	coss.	A.Posthumius Albinus C.Calphurnius Piso	*In Pisonis locum suffectus est Q.Fuluius Flaccus.*
	3	575	coss.	L.Manlius Acidinus Q.Fuluius Flaccus	*Horum Coss.meminit Plin.lib.35.cap.3.cum numero etiam annorum.*
	4	576	coss.	M.Manlius Volso M.Iunius Brutus	*Cn.Manlium habet Cassiod.Quidam autem Liuiani codices A.Manlium habent pro Cn.*
151	1	577	coss.	C.Claudius Pulcher T.Sempronius Gracchus	QVINTA DECAS. *Cicero lib.2.Off.Plutarchus item, hunc Tyberium, non Titum vocāt. error ex T. sola litera. Fuit autem hic T.& C.Gracchorum pater.*
	2	578	coss.	Cn.Cornelius Scipio Hispalus Q.Patilius Spalo	*Huic mortuo subrogatus est M.Valerius Leuinus. Spurinus est in recens inuentis Liuianis codicibus.*
	3	579	coss.	Q.Mutius Scaeuola M.Aemylius Lepidus	
	4	580	coss.	Sp.Posthumius Paulus P.Mutius Scaeuola	*Plin.lib.2.cap.31.de his loqui puto: quanquam Q.Minutio apud eum pro P. Mutio legitur. Et ita in Liuij fragmētis, Quintij mentio est.*
152	1	581	coss.	L.Posthumius Albinus M.Popilius Lenás	
	2	582	coss.	C.Popilius Lenás P.Aelius Ligur	*Vide Ciceronem libro primo Officiorum, ubi de Catonis filio militante, de utro loquatur Popilio: nisi quis apud Ciceronem pro Popilio legendum putet Paulum Aemylium, ut plane suspicor. Certe de Cos. huius temporis loquitur.* *Bellum cum Perseo.*
	3	583	coss.	P.Licinius Crassus C.Cassius Longinus	*Plin.lib.7.cap.4.horum meminit. In Gell.lib.9. cap.quarto corrupte legitur Q.Licinius. Huius Crassi Cato apud Ciceronem semel atque iterum meminit, opinor.*
	4	584	coss.	C.Hostilius Mancinus C.Attilius Seranus	
153	1	585	coss.	Q.Martius Philippus II. Q.Seruilius Caepio	*Meminit horum Cicero de senectute, ubi de Ennij aetate, ubi plerique codices habent Scipione pro Caepione.*

Olympiadis		An. ab Vrb. cõd.			
	2	586	coss.	L.Aemylius Paulus II. C.Licinius Crassus	*Horum mentionem facit Cicero in Lælio, vbi tamen non recte Luscinio pro Licinio. Cæterum locus ibidem corruptissimus, si quis tempora & viros conferat, & quæ præcedunt verba perpendat.*
	3	587	coss.	Q.Aelius Pætus Catus M.Iunius Pœnus	*De hoc Plinius videtur loqui lib.33.cap.11.*
	4	588	coss.	C.Sulpitius Gallus M.Claudius Marcellus	*Huius Sulpitij multi meminere scriptores. Plinius libro secundo capite 12. & Quintilianus libro primo, & alij.* *His Coss. edita est Terentij Andria.*
154	1	589	coss.	T.Manlius Torquatus Cn.Octauius	*Terentij Hecyram his Coss. secundo datam scribunt, sed non placuisse.* *Videtur Cicero de hoc loqui libro 1. Officiorum, vbi de honorati hominis domo.*
	2	590	coss.	A.Manlius Torquatus Q.Cassius Longinus	
	3	591	coss.	T.Sempronius Gracchus II. M.Iuuentius Helua	*His Coss. acta Terentij ἑαυτὸν τιμωρούμ.* *Non est omittendus hic numerus, si Plutarcho credimus in vita Gracchorum, qui cum bis Cos. fuisse testatur.* *In Plinij libro 7.cap.53. quidam Talpa, quidam Talua scribunt.*
	4	592	coss.	P.Scipio Nasica C.Martius Figulus	*Hunc Nasicam Cicero in Bruto vocat Corculum, &, nisi locus corruptus est, Nasicæ filium, eius qui Idææ matris sacra susceperat, consulque fuit anno 563. Hunc autem Corculum dictum, Cicero bis Cos. fuisse, duobus perhibet locis.*
155	1	593	coss.	M.Valerius Messala C.Fannius Strabo	*Terentij Eunuchus ac Phormio actæ.* *Meminit horum Gel.lib.2.cap.24. & lib.15.cap.11.* *De hoc Fannio loqui videtur Plinius lib.10. cap.50. Atque eo in loco XI. legendum, non XL. vt quidam libri errant.*
	2	594	coss.	L.Anitius Gallus M.Cornelius Cethegus	*Terentij Adelphi acta his Coss.*
	3	595	coss.	Cn.Cornelius Dolabella M.Fuluius Nobilior	*Huius numeri annorum Vrbis meminit Plin.lib.7.cap.vlt.*
	4	596	coss.	M.Aemylius Lepidus C.Popilius Lenas II.	
156	1	597	coss.	Sex.Iulius Cæsar L.Aurelius Orestes	*Hos Coss. septem annis ante Punicum tertium bellum memorat Plinius lib.33.cap.3*
	2	598	coss.	L.Cornelius Lentulus C.Martius Figulus II.	
	3	599	coss.	P.Corn.Scipio Nasica II. M.Claudius Marcellus II.	*Hic numerus non est omittendus: est enim idem qui fuit Cos. anno 592. vt ex Ciceronis Bruto intelligitur.*
	4	600	coss.	Q.Opimius L.Posthumius Albinus	
157	1	601	coss.	Q.Fuluius Nobilior T.Annius Fusius	*Vide quid sibi velit hoc loco Cassiodori synchronismus, & quæ Florus lib.47. de incundis magistratibus habet.*
	2	602	coss.	M.Claudius Marcellus III. L.Valerius Flaccus	
	3	603	coss.	L.Licinius Lucullus A.Posthumius Albinus	*Meminit horum Gellius lib.11.cap.8. & Cicero de claris Oratoribus.* *Hic Albinus Romanam historiam Græcè scripsit, iisdem authoribus.*
	4	604	coss.	L.Quintius Flaminius M.Acilius Balbus	*Tertium bellum Punicum.* *Cato apud Ciceronem fingitur his Coss. loquutus cum Scipione ac Lælio. Meminit horum Plin. lib. 7. cap. 36. quod ideo admonemus, quòd & apud hunc & apud Ciceronem nomina corrupta sunt.*

Olympiades.		Anni ab Vrb.cōd.			
158	1	605	COSS.	L.Martius Cenforinus M.Manlius	*Cicero de fomnio Scipionis ftatim ab initio horum meminit, omnibus propemodum quæ nos vidimus exemplaribus corruptis. Plin.lib.22.cap.6.& Florus lib.49. Meminit huius anni Plin.lib.29, cap.1.Caßiodorus item, hunc Manlium vocant.*
	2	606	COSS.	Sp.Pofthumius Magnus L.Pifo Cæfonianus	
	3	607	COSS.	P.Scipio Africanus Aemylianus C.Liuius Drufus	
	4	608	COSS.	L.Cornelius Lentulus L.Munimius Achaicus	*Caßiodorus habet Cn.Cornelium.*
159	1	609	COSS.	Q.Fabius Maximus Aemylianus L.Hoftilius Mancinus	*De his Coss.Cicero in Lælio. Meminit huius Mancini Plinius lib.36. capite quarto.*
	2	610	COSS.	Ser.Sulpitius Galba L.Aurelius Cotta	*Suetonius in Galba huius meminit, vt puto, Sulpitij.*
	3	611	COSS.	Ap.Claudius Pulchee Q.Cæcilius Metellus Macedonicus	
	4	612	COSS.	L.Metellus Caluus Q.Fabius Maximus Seruilianus	
160	1	613	COSS.	Cn.Seruilius Cæpio Q.Pompeius Nepos	
	2	614	COSS.	C.Lælius Q.Seruilius Cæpio	*Hunc Lælium fapientem vfurpatum ait Cic.lib.1. Offic.& de Amicitia dialogus ab eo habet nomen. Socer fuit Q.Mutij Scæuolæ Auguris ac C.Fannij.*
	3	615	COSS.	Cn.Calphurnius Pifo M.Popilius Lenás	
	4	616	COSS.	P.Scipio Nafica Serapion D.Iunius Brutus	*Hoc Scipione authore Tib.Gracchus in Capitolio à priuatibus cæfus eft, ait Florus lib. 58. Eft autem eius filius qui Cos.fuit ann 592.& 599.vt ex Cic.demonftratur.*
161	1	617	COSS.	M.Aemylius Lepidus Porcina C.Hoftilius Mancinus	
	2	618	COSS.	P.Furius Philo Sex.Attilius Seranus	
	3	619	COSS.	Ser.Fuluius Flaccus Q.Calphurnius Pifo	
	4	620	COSS.	P.Scipio Africanus Aemylianus II. C.Fuluius Flaccus	*Quum hic fit annus 14.à priore confulatu Scipionis, miror quid fibi Florus libro 56.velit, cum lege quæ nullos eofdem intra decem annos Coss.creari permittit. Cæterum & Cn.Fuluius eft in Floro, non C.*
162	1	621	COSS.	C.Mutius Scæuola L.Calphurnius Pifo	*Mutium Cos.etiam Plutarchus ponit quando cæfus eft Tib.Gracch. Hoc ideo admonemus, quòd in Floro perperam C.Antonius legitur lib.58. Tib.Sempronij Gracchi interitus.*
	2	622	COSS.	P.Popilius Lenás Q.Sulpitius Galba	*Apud Florum libro 59.P.Attilius legitur, fi codex non fallit. Cicero in Lælio, vbi de C.Blofio, pro Sulpitio habet Rutilium.*
	3	623	COSS.	P.Licinius Craffus L.Valerius Flaccus	*Quidam hunc Licinium etiam Mucianum cognominant. Vide de eo Valerium libro tertio, capite fecundo, & Gellium lib.1.cap.13.*
	4	624	COSS.	Ap.Claudius Lentulus M.Perpenna Nepos	*De hoc Perpenna Valerius lib.3.cap.4.*
163	1	625	COSS.	C.Sempronius Tuditanus M.Aquilius	
	2	626	COSS.	Cn.Octauius T.Annius Rufus	
	3	627	COSS.	L.Cafsius Longinus Rauilia L.Cornelius Cinna	

Olympiades.		Anni ab Vrb. cōd.			
	4	618	COSS.	M.Aemylius Lepidus L.Aurelius Orestes	
164	1	629	COSS.	M.Plautius Hypsæus M.Fuluius Flaccus	
	2	630	COSS.	C.Casſius Longinus Sex.Domitius Caluinus	*Dionyſius libro 2.non ita longe à principio,anno 630.primū bella ciuilia cœpiſſe ait:ſed ego errorem decem annorum puto,legendúmque anno Vrb.620.Florus libro 62.& Caßiodorus hunc.C.Sextium vocant.*
	3	631	COSS.	Q.Cæcilius Metellus T.Quintius Flaminius Appellás	
	4	632	COSS.	Cn.Domitius Aenobarbus C.Fannius	*Meminit horum Coss.Plin.lib. 2.cap.32.quanquam ferè libri eo in loco corrupti.*
165	1	633	COSS.	L.Opimius Q.Fabius Maximus	*C.Gracchi interitus.* *Et huius conſulatus meminit Plin.lib.2.cap.29. vbi numeri fruſtra additi in pleriſque codicibus. Opimy etiam mentio apud eundem lib. 14.cap.4. cum numero annorum vrbis 634.quum tamen capite 14.eiuſdem libri, ac de eodem Opimio,ſint anni 633.vt hic noſter numerus.Cæterum & hunc Maximum Florus libro ſexageſimoprimo Pauli nepotem vocat.*
	2	634	COSS.	P.Manilius C.Papyrius Balbus	*Manlius,Caßiodorus.*
	3	635	COSS.	L.Cæcilius Metellus L.Aurelius Cotta	
	4	536	COSS.	M.Porcius Cato Nepos Q.Martius rex	*Micipſæ mors.* *Plinius lib.2.cap.31.horum meminit,& Gell.lib.13.cap.18.* *In Floro Cn.corruptè legitur pro Q.*
166	1	637	COSS.	L.Cæcilius Metellus Diadema Q.Mutius Scæuola	
	2	638	COSS.	C.Licinius Geta Q.Maximus Eburnus	
	3	639	COSS.	M.Aemylius Scaurus M.Cæcilius Metellus	*De hoc Scauro in Ingurthino bello.*
	4	640	COSS.	M.Acilius Balbus C.Porcius Cato	*Attilius legitur apud Plin.lib.2.cap.29.& lib.eodem,cap.56.aut vt aly,58.*
167	1	641	COSS.	C.Cæcilius Metellus Caprarius C.Papyrius Carbo	*Cn.eſt in Plin.lib.2.cap.33.*
	2	641	COSS.	M.Liuius Druſus L.Piſo Cæſonianus	
	3	643	COSS.	P.Scipio Naſica L.Calphurnius Beſtia	*Videtur hic Scrapionis filius,de quibus Cic.lib.1. Offic.vbi de animorum varietate.* IVGVRTHINVM *bellum.*
	4	644	COSS.	M.Minutius Rufus Sp.Poſthumius Albinus	*Q.pro M.legitur in Salluſtÿ codicibus de bello Iugurthino.*
168	1	645	COSS.	Q.Cæcilius Metellus Numidicus M.Iunius Syllanus	*De hoc Metello Flor.lib.65.quanquam cognomen eo in loco omiſſum. vicit enim Numidiam. Hic L.Luculli auunculus fuit,ait Plutarchus in Lucullo.*
	2	646	COSS.	Seruius Sulpitius Galba M.Aemylius Scaurus Hortenſius	
	3	647	COSS.	L.Casſius Longinus C.Marius Nepos	*Plin.lib.10.cap.13.habet L.Craſſum,ſed errore, vt puto,codicum. Hic à Tigurinis Heluetys occiſus eſt,ait Cæſar libro primo de bello Gallico,& Florus lib.65.* *C.Marium Nepotem quidam vocant, quum Plutarchus in eius vita,tertium ſe nomen neſcire fateatur.*

Olympiades.		An.ab Vrb.cōd.			
	4	648	coss.	C.Attilius Seranus Q.Seruilius Cæpio	*Meminit horum Gellius lib.15.cap.28. atque hu Coss.natum Ciceronem.*
169	1	649	coss.	P.Rutilius Rufus C.Manlius Maximus	*Aly hunc Manilium vocant, at in omnibus Flori ac Sallustij codicibus Manlius est.*
	1	650	coss.	C.Marius Nepos II. C.Flauius Fimbria	
	3	651	coss.	C.Marius Nepos III. L.Aurelius Orestes	
	4	652	coss.	C.Marius Nepos IIII. Q.Luctatius Catulus	*Plutarchus in Mario ait quartum Consulatum Marium gessisse cum Q.Catulo, ita Florus, ita Cassiodorus, ita Plin.lib.17.cap.1. In quibusdam libris inuersi erant Coss. huius atque sequentis anni altera ex parte.*
170	1	653	coss.	C.Marius Nepos V. M.Aquilius	
	2	654	coss.	C.Marius Nepos VI. L.Valerius Flaccus	*Meminit huius consulatus. Plin.lib.2.cap.34. quanquam Cn.ibi pro C.præterea numerus omissus.*
	3	655	coss.	M.Antonius A.Posthumius Albinus	*Meminit horum Plinius lib.8.ca.7.etiam cum annis ab vrbe condita. Gell.item meminit lib.4.cap.6.*
	4	656	coss.	Q.Cæcilius Metellus T.Didius Viuius	
171	1	657	coss.	Cn.Cornelius Lentulus Clodianus P.Licinius Crassus	*Plinius bis eorum meminit libro 30.cap.1. iterum libro 10.cap.2. quanquam eo in loco M.non.Cn.Cornelius dicitur.*
	2	658	coss.	Cn.Domitius Aenobarbus C.Cassius Longinus	
	3	659	coss.	L.Licinius Crassus Q.Mutius Scæuola	*P.est in Cassiodoro.*
	4	660	coss.	C.Cælius Caldus L.Domitius Aenobarbus	
172	1	661	coss.	C.Valerius Flaccus M.Herennius	*Plin.hos nominat lib.19.cap.3.*
	2	661	coss.	P.Claudius Pulcher M.Pulcher Perpenna	*C.Claudius in Cassiod. Puto Cic.de hoc loqui libro 2.Offic.vbi de ædilitatum muneribus.*
	3	663	coss.	L.Martius Philippus Sex.Iulius Cæsar	*Mentio est horum apud Plin.lib.33,cap.3.& libro 2.cap.85.aut, vt aly numerant.83.* BELLVM *sociale.*
	4	664	coss.	L.Iulius Cæsar P.Rutilius Lupus	
173	1	665	coss.	Cn.Pompeius Strabo L.Porcius Cato	*Plin.lib.3.cap.5.vbi de oppido Stabiis in Campano agro, de his mihi loqui videtur, quanquam nomina ferè ibidem corrupta in omnibus quotquot nos vidimus exemplaribus. Hic autem Pompeius Magni Pompey pater fuit, authoribus Plutarcho ac Floro.*
	2	666	coss.	L.Cornelius Sylla Q.Pompeius Rufus	
	3	667	coss.	Cn.Octauius L.Cornelius Cinna	*Hic Octauius quòd Cinnæ obstitisset, ab eo ac C.Mario occisus est, cum eo etiam M.Antonius vir eloquentissimus, ac C.Cæsar.*
	4	668	coss.	C.Marius Nepos VII. L.Cornelius Cinna II.	
174	1	669	coss.	Cn.Papyrius Carbo L.Cornelius Cinna III.	
	2	670	coss.	L.Cornelius Cinna IIII. Cn.Papyrius Carbo II	
	3	671	coss.	L.Scipio Asiaticus C.Norbanus Bulbus	

Olympiades.		An.ab Vrb.cōd.			
	4	671	COSS.	Cn.Papyrius Carbo III. C.Marius Gratidianus,aliàs Marii filius.	*Meminit horum Plin.lib.7.cap.48.& 49. vbi in priore capite numerus III. omissus est,in sequente non item.* *Et de hoc Plin.lib.34.cap.6. Cic.3.Offic.M.prænomen habet.*
175	1	673	COSS.	M.Tullius Decola Cn.Cornelius Dolabella	*Meminit horum Gell.lib.15.cap.28. sicut & sequentis anni.*
	2	674	COSS.	L.Cornelius Sylla II. Q.Metellus Pius	
	3	675	COSS.	P.Seruilius Vatia Isauricus Ap.Claudius Pulcher	
	4	676	COSS.	M.Aemylius Lepidus Q.Luctatius Catulus.	*Horum meminit Plinius sæpe, vt lib.10.cap. 21.& lib.36.cap.6. vbi in numero annorum erratum est decem annis. Item libro eodem cap.15.& lib.35.cap.3.& Flor.lib.90. Cic.lib.1.Offic. de decoro, patrem, ac filium Catulos ponit, quare hic videtur filius eius qui fuit Cos.an.vrbis 652.*
176	1	677	COSS.	M.Aemylius Mamercus D.Brutus Iulianus	
	2	678	COSS.	Cn.Octauius C.Scribonius Curio	*Plin lib.2.cap.35.horum mentionem facit.*
	3	679	COSS.	L.Aurelius Cotta L.Octauius,aliàs L.Manlius Torquatus.	*C.Aurelius est in Cassiod.Placet autem vt sint Coss.qui iterum decennio post.*
	4	680	COSS.	L.Licinius Lucullus M.Aurelius Cotta	*Et huius Luculli meminit Plin.lib.36.cap. 6.& Florus lib.94.& 95. Plutarchus etiam in Lucullo ait Coss.hos factos circa 517.Olympiada.*
177	1	681	COSS.	C.Cassius Varus M.Licinius Lucullus	
	2	681	COSS.	L.Gellius Publicola Cn.Cornelius Lentulus	
	3	683	COSS.	P.Cornelius Lentulus Cn.Aufidius Orestes	*Hic est qui prætor postea sub Cicerone occisus est.*
	4	684	COSS.	Cn.Pompeius Magnus M.Licinius Crassus	*His Coss.natum aiunt Virgilium.*
178	1	685	COSS.	Q.Hortensius Nepos Q.Cæcilius Metellus	
	2	686	COSS.	L.Cæcilius Metellus Creticus Q.Martius Vatia	*Sallust.in Catilina videtur hunc Q.vocare, non L. vbi Roma parat arma.& Flor.item lib.99.*
	3	687	COSS.	C.Calphurnius Piso. M.Acilius Glabrio	
	4	688	COSS.	M.Aemylius Lepidus L.Iunius Tullus	*Sallustius in Catilina hos Coss.ponit, sub quibus designati sequentis anni Coss. P. Cornelius Sylla,& P. Antronius Pætus, legib.ambitus interrogati pœnas dederunt.*
179	1	689	COSS.	L.Aurelius Cotta II. L.Manlius Torquatus II.	*Hoc anno natus est Horatius.*
	2	690	COSS.	L.Iulius Cæsar Q.Martius Thermus	*Sallustius in Catilina cum L.Cæsare nominat C. Figulum.Cicero autem prima epistola ad Atticum,C.Martium Figulum.*
	3	691	COSS.	M.Tullius Cicero C.Antonius	*Sallust.in Catilina,& Plin.lib.8.cap.53.Cæterum idem Plin.Cicerone cōsule numerat annum vrbis 700.errore haud dubiè,lib.9.cap.39.* CATILINAE *coniuratio.*
	4	692	COSS.	D.Iulius Syllanus L.Murena	

Olympiades		An. ab Vrb. cōd.			
180	1	693	COSS.	M.Pupius Piso Calphurnianus M.Valerius Messala	*Meminit horum Plin.lib.7.cap.26.& lib.8.cap.36.& lib.37.cap.2. ab initio, & Cæsar lib.1.de bello Gallico.*
	2	694	COSS.	L.Afranius Q.Cæcilius Metellus Celer	*Plinius hunc C.Afranium vocat lib.2. cap.69.& hunc Metellum Celerem,& Sallustius in Catilina.*
	3	695	COSS.	C.Iulius Cæsar M.Calphurnius Bibulus	
	4	696	COSS.	L.Piso Cæsonianus A.Gabinius	*Hic Piso Cæsaris socer fuit, cuius filia Calphurnia Cæsari nupta. Plutarchus author.* BELLVM *Gallicum quod C.Cæsar gessit.*
181	1	697	COSS.	P.Cornelius Lentulus Q.Metellus Nepos	*De horum collegio Plin.lib.7.cap.12.*
	1	698	COSS.	Cn.Lentulus Marcellinus L.Martius Philippus	*Hunc puto Augusti vitricum fuisse.*
	3	699	COSS.	Cn.Pompeius Magnus II. M.Licinius Crassus II.	
	4	700	COSS.	L.Domitius Aenobarbus Ap.Claudius Pulcher	*Suet.de hoc initio Neronis. Antea autem admonuimus Plinium lib. 9. cap. 39. hunc annorum numerum ab vrbe cond. tribuisse Ciceroni Cos. sed haud dubio codicum errore plus X ann.*
182	1	701	COSS.	C.Domitius Caluinus M.Valerius Messala	*P.Clodius à Milone cæsus*
	2	702	COSS.	Co.Pompeius Magnus III. solus. Q.Metellus Scipio	*Plinius lib.15. cap. 1. Pompeij IIII. consulatum numerat, sed codices vt puto, errant. Et quanuis Pompeius solus Cos. creatus esset, tamen socerum Metellum Scipionem in collegam ad V. menses delegit, ait Plutarchus in Pompeio.*
	3	703	COSS.	Ser.Sulpitius Rufus M.Claudius Marcellus	*Meminit huius Suet. in Cæsare.*
	4	704	COSS.	L.Aemylius Paulus C.Claudius Marcellus	*Plin. horum mentionem facit lib.2.cap.58. Sueton. in Cæsare ait hunc Caium Marci Marcelli patruelem fuisse fratrem.*
183	1	705	COSS.	C.Claudius Marcellus II. C.Lentulus Cruscellus	
	2	706	COSS.	C.Iulius Cæsar II. P.Seruilius Isauricus	C. IVLIVS *Cæsar oppressa Repub. primus singulare imperium obtinuit.*
	3	707	COSS.	Q.Fusius Calenus P.Vaticanus.	*Meminit Plin.lib.8.cap.7.*
	4	708	COSS.	C.Iulius Cæsar III. M.Aemylius Lepidus.	
184	1	709	COSS.	C.Iulius Cæsar IIII. solus Fabius Maximus	*Cassiodorus hunc apponit.*
	2	710	COSS.	C.Iulius Cæsar V M.Antonius	*P.Cornelius Dolabella Cæsari suffectus.*
	3	712	COSS.	A.Hirtius. C.Cæsar Octauius C.Vibius Pansa. Q.Pedius	*Ab hoc anno quidam Augusti ordiuntur imperium. Huius Pedij meminit Plin.lib.35.cap.4.& eius nepotis.*
	4	712	COSS.	M.Aemylius Lepidus II. L.Munatius Plancus	*Suet. in August. C.Cæsar Octauius primum cum M.Antonio, Marcóque Lepido, deinde tantum cum Antonio per XII. ferè annos, nouissimè per IIII. & XL. solus Rempub. tenuit. Horum Coss. meminit Plin.lib.2.cap.31.& Suetonius in Tiberio.*
185	1	713	COSS.	P.Seruilius Isauricus II. L.Antonius Pætás	*Hoc loco hic Seruilius Cos II. dicitur, cum apud Eusebium in Chronicis, si codices non fallunt, sub mortem Iulij Cæsaris publico funere elatus dicatur. Hic L.Antonius M.Antonij Triumuiri frater fuit, ait Florus lib.125.*

Olympiades.		An. ab Vrb. cod.			
	2	714	COSS.	Cn.Domitius Caluinus C.Asinius Pollio	
	3	715	COSS.	L.Porcius Censorinus C.Caluisius Sabinus	
	4	716	COSS.	Ap.Claudius Pulcher C.Norbanus Flaccus	
186	1	717	COSS.	M.Vipsanius Agrippa L.Caninius Gallus	
	2	718	COSS.	L.Gellius Publicola M.Cocceius Nerua	*Memiuit huius satyra quinta Horatius.*
	3	719	COSS.	L.Cornificius Sex.Pompeius	
	4	720	COSS.	L.Scribonius Libo L.Atratinus	
187	1	721	COSS.	C.Cæsar Octauius II. M.Tullius Cicero	*Quidam pro Cicerone M.Lelium Volcatium Tullum posuerant, Caßiodorus L.Volcatium. at ex Plutarcho, atq; etiã ex Plin.lib.22.cap.6. satis liquet M.Tullij Ciceronis fuisse filium.*
	2	772	COSS.	Cn.Domitius Aenobarbus C.Sosius	
	3	723	COSS.	C.Cæsar Octauius III. M.Valerius Messala	C. CAESAR *Octauius solus Augusti verum imperium, authore Suetonio, & ciuili bello finis impositus. Dionysius lib.1.*
	4	724	COSS.	C.Cæsar Octauius IIII. M.Licinius Crassus	
188	1	725	COSS.	C.Cæsar Octauius V. Sex.Apuleius	
	2	726	COSS.	C.Cæsar Octauius VI. M.Vipsanius Agrippa II.	
	3	727	COSS.	C.Cæsar Octauius VII. M.Vipsanius Agrippa III.	
	4	728	COSS.	C.Cæsar Octauius Aug.VIII. T.Statilius Taurus	
189	1	729	COSS.	C.Cæsar Octauius Aug. IX. M.Iunius Syllanus	
	2	730	COSS.	C.Cæsar Octauius Aug. X. C.Norbanus Flaccus	*Nomen hoc etiam anno 716.*
	3	731	COSS.	C.Cæsar Octauius Aug. XI. Cn.Calphurnius Piso	
	4	732	COSS.	M.Claudius Marcellus L.Arruntius	
190	1	733	COSS.	M.Lollius Q.Lepidus	*Meminit Horatius horum Coss.lib.1. Epistolarum, versu vltimo.*
	2	734	COSS.	M.Apuleius P.Sillius Nerua	
	3	735	COSS.	C.Sentius Saturninus Sp.Lucretius Cinna	*Eusebius in Chronicis his Coss. ait mortuum Virgilium. Q. pro Sp. est in Caßiod. & in vita Virgilij.*
	4	736	COSS.	Cn.Cornelius Lentulus P.Cornelius Lentulus	
191	1	737	COSS.	T.Furnius C.Iunius Syllanus	
	2	738	COSS.	L.Domitius Aenobarbus P.Scipio	
	3	739	COSS.	M.Drusus Liuius L.Calphurnius Piso	

Olympiades		An. ab Vrb. cōd.				
	4	740	coss.	M.Licinius Crassus Cn.Lentulus Augur		
192	1	741	coss.	Cl.Tiberius Nero Q.Quintilius Varus	*P. pro Q. habet Caßiod.*	
	2	742	coss.	M.Valerius Massala II. P.Sulpitius Quirinius	*Huius, ut multi putant, mentio est apud euangelistam Lucam cap. 3.*	
	3	743	coss.	Q.Aelius Tubero Paulus Fabius Maximus	*Plin. lib. 8. cap. 17.*	
	4	744	coss.	Iulius Antonius Fabius Africanus	*Suetonius in Claudio.*	
193	1	745	coss.	Drusus Nero L.Quintius Crispinus		
	2	746	coss.	C.Martius Censorinus C.Asinius Gallus		
	3	747	coss.	Cl.Tiberius Nero II. Cn.Calphurnius Piso	*Hos Coss. Dionys. lib. 1. ait fuisse olympiade 193. annum autem ab vrbe cond. 745. numerat rotundo prorsus numero, duos tamen annos à nostra supputatione differens, vt alibi diximus.*	
	4	748	coss.	D.Lælius Balbus C.Antistius Vetus		
194	1	749	coss.	C.Cæsar Octauius Augustus XII. L.Sylla		
	2	750	coss.	C.Caluisius Sabinus II. L.Passienus Rufus		*Anni à nat. Chr.*
	3	751	coss.	C.Lentulus Getulicus M.Messalinus	IESV CHRISTI *natalis.*	1
	4	752	coss.	C.Cæsar Octauius Augustus XIII. M.Plautius Syluanus		2
195	1	753	coss.	Cossus Cornelius Lentulus L.Calphurnius Piso	*Id nominis est etiam anno 739.*	3
	2	754	coss.	P.Vinitius P.Alfenus Varus	*Inter hos atque prioris anni Coss. in Caßiodoro erant Coss. C. Cæsar Octauius Augustus XIII. & L. Paulus, sed Suetony supputationes hunc annum non admittunt.*	4
	3	755	coss.	L.Aelius Lamia M.Seruilius		5
	4	756	coss.	Sex.Aelius Catulus C.Sentius Saturninus		6
196	1	757	coss.	Cn.Cinna Magnus L.Valerius Messala		7
	2	758	coss.	M.Aemylius Lepidus L.Arruntius	*Id nominis antea etiam fuit anno vrbis 732.*	8
	3	759	coss.	Q.Cæcilius Creticus A.Licinius Nerua		9
	4	760	coss.	M.Furius Camillus Sex Nonius Quintilianus		10
197	1	761	coss.	Q.Sulpitius Camerinus C.Popæius Sabinus	*Meminit horum Suetonius in Vespasiano, & Plin. lib. 7. cap. 48. quod ideo admomonemus, vt mendum in eo loco tollatur.*	11
	2	762	coss.	P.Cornelius Dolabella C.Iunius Syllanus		12
	3	763	coss.	M.Aemylius Lepidus T.Statilius Taurus II.		13
	4	764	coss.	Germanicus Cæsar C.Fonteius Capito	*Meminit Suetonius in Caligula.*	14

Olympiades.		An. ab Vrb. cõd.			
198	1	765	COSS.	L.Munatius Plancus II. C.Silius	15
	2	766	COSS.	Sex.Pompeius *Suetonius in Augusto.* Sex.Apuleius	16
	3	767	COSS.	Drusus Cæsar CLAVDIVS TYB. Cæsar C.Norbanus Flaccus *Horum Coss. meminit Suet. in Vitellio.*	17
	4	768	COSS.	Sisenna Statilius Taurus L.Scribonius Libo	18
199	1	769	COSS.	L.Pomponius Flaccus C.Cæcilius Rufus	19
	2	770	COSS.	Cl.Tyberius Nero Cæsar III. Germanicus Cæsar II.	20
	3	771	COSS.	M.Iunius Syllanus *Mentio est horum Coss. apud Plin. lib. 2. cap. 87. aut, vt alij, 89.* L.Norbanus Balbus T. LIVII *historiographi mors authore Eusebio.*	21
	4	772	COSS.	M.Valerius Messala M.Aurelius Cotta	22

FINIS.



Hactenus præter vnum aut alterum annum, Liuiana est historia, cui nos potissimum hanc parauimus Chronologiam: quod reliquum Consulum est à GREGORIO Haloandro diligenter collectum, subiungere placuit ipsius ordine ac verbis, ne in alieno opere ingeniosi videremur: nisi quòd annos abiectis regibus omisimus, qui facilè ex anno, qui primos præcedit COSS. sciri potest. Sunt igitur nunc in sequentibus COSS. vnius anni per vnum versum, non duos descripti, vt illum in toto opere suo obseruasse vidimus. Quapropter si quid in his erratum est, quod equidem nescio, fidem meam hac confessione apud lectores purgatam volo.

GREGORIVS HALOANDER.

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
200	773	Cl. Tiberius Nero Cæsar IIII.	Drusus Cæsar II.	23
	774	D. Haterius Agrippa	C. Sulpitius Galba	24
	775	C. Asinius Pollio	C. Antistius Vetus	25
	776	Sex. Cornelius Cethegus	L. Visellius Varro	26
201	777	M. Asinius Agrippa	Cossus Cornelius Lentulus	27
	778	Cn. Lentulus Getulicus	C. Caluisius Sabinus	28
	779	M. Licinius Crassus	L. Calphurnius Piso	29
	780	App. Iunius Syllanus	P. Silius Nerua	30
202	781	C. Rubellius Geminus	C. Fusius Geminus	31
		His Coss. ad VIII. Calend. Aprilis Dei filius IESVS CHRISTVS Dominus Deus & saluator noster ac redemptor cruci affigitur, siquid Tertulliano credimus: nam alij secus opinantur.		
	782	M. Vinitius Quartinus	C. Casius Longinus Iurisconsul.	32
	783	Claudius Tiberius Cæsar V. solus, licet postmodum collegam assumpserit Aelium Seianum.		33
	784	Fur. Camil. Aruntius Scribonianus	Cn. Domitius Aenobarbus	34
203	785	Ser. Sulpitius Galba	L. Cornelius Sylla	35
	786	L. Vitellius	Paulus Fabius Priscus	36
	787	P. Gallus Camerinus	Q. Nonianus	37
	788	Sex. Papinius Gallienus	Quintius Plautianus	38
204	789	C. Acerronius Proculus	Cn. Pontius Nigrinus	39
		C. Cæsar Caligula.		
	790	C. Cæsar Caligula II.	L. Cæsianus	40
	791	M. Aquilius Iulianus	L. Nonius Asprenas	41
	792	C. Cæsar Caligula III. & solus		42
205	793	C. Cæsar Caligula IIII.	L. Volusius Saturninus	43
		T. Claudius Cæsar.		
	794	Tiberius Claudius Cæsar II.	Longus	44
	795	Tiberius Claudius Cæsar III.	L. Vitellius II.	45
	796	L. Quintius Crispinus II.	M. Statilius Taurus	46
206	797	M. Vinitius Quartinus II.	A. Cornelius Coruinus	47
	798	P. Valerius Asiaticus II.	L. Cornelius Syllanus	48
	799	Tiberius Claudius Cæsar IIII.	L. Vitellius III.	49
	800	A. Vitellius	L. Vipsanius Publicola	50
207	801	Q. Verannius	C. Pompeius Gallus	51
	802	C. Antistius Vetus	M. Suillius Seruilianus	52
	803	Tiberius Claudius Cæsar V.	Ser. Cornelius Orphitus	53
	804	Faustus Sylla	Syluius Otho	54
208	805	D. Iunius Syllanus	Q. Haterius Antoninus	55
	806	M. Asinius Marcellinus	M. Acilius Auiola	56
		C. L. Domitius Nero Cæsar.		

Olympiades	Anni Vrbis.			Anni Christi
	807	Claudius Nero Cæsar	L.Antistius Vetus	57
	808	Q.Volusius Saturninus	P.Cæpio	58
209	809	Claudius Nero Cæsar II.	L.Calphurnius Piso	59
	810	Claudius Nero Cæsar III.	M.Valerius Messala	60
	811	C.Vipsanius Apronianus	L.Fonteius Capito	61
	812	Claudius Nero Cæsar IIII.	Cossus Cornelius Lentulus	62
210	813	Cæsonius Pætus	Petronius Turpilianus	63
	814	P.Marius	L.Asinius Gallus	64
	815	L.Memmius Regulus	Virginius Rufus	65
	816	Q.Lecanius Bassus	M.Licinius Crassus Frugi	66
211	817	Silius Nerua	Atticus Vestinus	67
	818	C.Suetonius Paulinus	L.Telesinus	68
	819	Fonteius Capito	Iulius Rufus	69
	820	Valerius Turpilianus Trachala	Silius Italicus poeta	70
		Ser.Sulpitius Galba Cæsar.		
212	821	Ser.Galba A.II.	T.Iunius	71
		Trucidato Galba nouæ tempestates & cædes in Republica extiterunt, donec rerum potiretur Fl. Vespasianus pater, qui Reipublicæ statum pristinum, & orbi pacem restituit. Nam neque M. Syluius Otho vltra menses III. dies V. neque A. Vitellius vltra menses V II. dies X. imperauit.		
		Flauius Vespasianus pater.		
	822	Flauius Vespasianus A.II.	T.Vespasianus Cæsar	72
	823	Flauius Vespasianus A.III.	Cocceius Nerua	73
	824	Flauius Vespasianus A.IIII.	T. Vespasianus filius Cæsar II.	74
213	825	Flauius Domitianus A.II.	Valerius Messalinus	75
	826	Flauius Vespasianus A.V.	T.Vespasianus Cæsar III.	76
	827	Flauius Vespasianus A.VI.	T.Vespasianus Cæsar IIII.	77
	828	Flauius Vespasianus A.VII.	T.Vespasianus Cæsar V.	78
214	829	Flauius Vespasianus A.VIII.	Flauius Domitianus VI.	79
	830	Commodus	Priscus	80
	831	Flauius Vespasianus A.IX.	T.Vespasianus Cæsar VI.	81
		T.Vespasianus filius.		
	832	T.Vespasianus A.VII.	Flauius Domitianus VII.	82
215	833	Syluanus	Verus Pollio	83
		Fl.Domitianus.		
	834	Fl.Domitianus A.VIII.	Valerius Messalinus II.	84
	835	Flauius Domitianus A.IX.	Virginius Rufus II.	85
	836	Flauius Domitianus A.X.	Sabinus	86
216	837	Flauius Domitianus A.XI.	Furuus	87
	838	Flauius Domitianus A.XII.	Ser.Cornelius Dolabella	88
	839	Flauius Domitianus A.XIII.	A.Volusius Saturninus	89
	840	Flauius Domitianus A.XIIII.	A.Minutius Rufus	90
217	841	Fuluius	Atratinus	91
	842	Flauius Domitianus A.XV.	Cocceius Nerua II.	92
	843	Glabrio	Vlpianus Traianus Crinitus	93
	844	Flauius Domitianus A.XVI.	Volusius Saturninus II.	94
218	845	Collega	Priscinus	95
	846	Nonius Asprenás	Lateranus	96
	847	Flauius Domitianus A.XVII.	Flauius Clemens	97
	848	Antistius Vetus	L.Valerianus, aliàs Valens in Eutr.	98
		Cocceius Nerua.		
219	849	Cocceius Nerua A.III.	Virginius Rufus	99
	850	Cocceius Nerua A.IIII.	Vlp.Traianus Crinitus II.	100
		Vlpianus Traianus		
	851	Palma	Sosius Senecio II.	101
	852	Vlpianus Traianus A.III.	M.Fronto	102

Olympiades.	Anni Vrbis			Anni Christi
220	853	Vlpianus Traianus A.IIII.	Articuleius Pætus	203
	854	Sosſius Senecio III.	Licinius Sura II.	204
	855	Vlpianus Traianus A.V.	Q.Maximus II.	205
	856	Suranus II.	Seruianus Marcellus II.	106
221	857	Candidus	Vuidius Quadratus II.	107
	858	Commodus	Cerealis	208
	859	Socius Senecio IIII.	Licinius Sura III.	209
	860	App.Ann.Trebonius Gallus	Metilius Bradua	210
222	861	Palma II.	Caluiſius Tullus	111
	862	Priſcinus II.	Solenus Orphitus	112
	863	Calphurnius Piſo	Ruſticus Bolanus	213
	864	Vlpianus Traianus A.VI.	Iulius Africanus	214
223	865	Iuuentius Celſus Fil.Iuriſconſultus	Criſpinus	215
	866	C.Piſo Vopiſcus	Seruilius Haſta	216
	867	Valerius Meſſala	Q.Pedo	117
	868	Aemylius Aelianus	L.Vetus	118
224	869	Quintius Niger	T.Apronianus	119
Aelius Hadrianus.				
	870	Aelius Hadrianus A.II.	Salinator	120
	871	Aelius Hadrianus A.III.	Ruſticus	121
	872	Catilius Seuerus II.	T.Aurel.Fuluius Antoninus	122
225	873	Annius Verus	Augur	123
	874	Acilius Auiola	Corellius Panſa	124
	875	Pætinus	Caſsius Apronianus	125
	876	M.Acilius Glabrio	C.Bellicius Torquatus	116
226	877	Aſiaticus II.	Q.Aquilinus	127
	878	Aelius Verus III.	Ambiguus Bibulus	118
	879	Atilius Titianus	Gallicanus	129
	880	Torquatus Aſprenás	Annius Libo	130
227	881	Iuuentius Celſus II.	Neratius Marcellus	131
	882	Catullinus	Aper	132
	883	Lenás Pontianus	Antonius Rufinus	123
	884	Augurinus	Sergianus	134
228	885	Tiberius	Siſenna	135
	886	Sergius Seruianus	Verus	136
	887	Pompeianus Lupercus	Atticus Atilianus	137
	888	L.Ceionius Commodus	Ciuica Pompeianus II.	138
229	889	L.Aelius Cæſar II.	Balbinus	239
	890	Niger	Camerinus	140
T.Aurel.Fuluius Antoninus Pius				
	891	T.Antoninus Pius A.II.	Brutius Præſens	141
	892	T.Antoninus Pius A.III.	Aelius Aurelius Cæſar	142
230	893	Plautius Syluanus	Iulius Seuerus	143
	894	Rufinus	Quadratus	144
	895	Torquatus II.	Herodes Atticus	145
	896	Lollianus Auitus	Gauius Maximus	146
231	897	T.Antoninus Pius A.IIII.	Aelius Aurelius Cæſar II.	147
	898	Clarus II.	Seuerus	148
	899	Largus	Meſſalinus	149
	900	Torquatus III.	Iulianus	150
231	901	Orphitus	Priſcus	151
	902	Gallicanus	Venuſtus	152
	903	Maximus	Gordianus	153
	904	Glabrio	Homullus	154
233	905	Præſens	Rufinus	155
	906	Aelius Commodus	Sextilius Lateranus	156

Olympiades	Anni Vrbis.			Anni Christi
	907	Sabinus II.	Seuerus	157
	908	Syluanus	M. Vibullius Augurinus	158
234	909	Barbatus	Regulus	159
	910	Tertullus	Sacerdos	160
	911	Quintillus	Priſcus	161
	912	*Verus II. Euſ. addit adhuc annũ Ant. Pio*	Metilius Bradua	162
		M. Aelius Antoninus philoſophus, & L. Aelius Commodus Verus diui fratres duo A.A. ſimul.		
235	913	M. Antoninos Philoſophus A.	L. Aelius Verus A.	163
	914	Iunius Ruſticus	Aquilinus	164
	915	L. Aelianus	Paſtor	165
	916	Macrinus	Aelius Cælſus	166
236	917	Pudens	Orphitus	167
	918	Pudens II.	Pollio	168
	919	Verus III.	Quadratus	169
	920	Apronianus	Paulus	170
237	921	Priſcus	Apollinaris	171
	612	Ebutius clarus II.	Cethegus, aliàs Seuerus	172
		M. Aelius Antoninus philoſophus ſolus.		
	923	Seuerus	Herennianus	173
	924	Maximus	Orphitus	174
238	925	Seuerus II.	Claudius Pompeianus	175
	926	Gallus	Flaccus	176
	927	Piſo	Iulianus	177
	918	Pollio II.	Aper	178
		M. Aelius pater & Commodus filius Antonini A.A.		
239	929	Antoninus Commodus A.	Quintillus	179
	930	Orphitus	Rufus	180
	931	Antoninus Commodus A. II.	Verus	181
		Antoninus Commodus ſolus.		
	932	Arrius Præſens	Gordianus	182
240	933	Antoninus Commodus A. III.	Byrrhos	183
	934	Petronius Mamertinus	Rufus	184
	935	Antoninus Commodus A. IIII.	Victorinus	185
	936	M. Marullus	Aelianus	186
241	937	Maternus	Bradua	187
	938	Antoninus Commodus A. V.	Glabrio	188
	939	Criſpinus	Aelianus	189
	940	Fuſcianus	Silanus	190
242	941	Duo Silani		191
	942	Antoninus Commodus A. VI.	Petronius Septimianus	192
	943	Apronianus	Bradua	194
	944	Antoninus Commodus A. VII.	P. Aelius Pertinax	194
		P. Aelius Pertinax.		
243	945	Falco	Clarus. *Non eſt apud Euſ. hic annus totus*	195
		Pertinace poſt alterum menſem & dies XXV. quàm Imperator factus erat, V. Calend. Aprilis occiſo, Didius Iulianus cædis author, per menſes II. & V. dies tantummodo imperium tenuit. Hunc deinde ſequutus eſt L. Septimius Seuerus cum M. Baßiano Antonino Caracalla filio.		
	946	Septimius Seuerus A. II.	Albinus	196
	947	Tertullus	Clemens	197
	948	L. Turpilius Dexter	Priſcus	198
244	949	Lateranus	Rufinus	199
	950	Ti. Saturninus	C. Gallus	200
	951	P. Cornelius Anulinus	M. Aufidius Fronto	201
	952	L. Septimius Seuerus A. III.	C. Aufidius Victorinus	202
245	953	L. Annius Fabianus	M. Nonius Mutianus	203

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
	954	L.Septimius Seuerus A.IIII.	Bassianus Antoninus A.	204
	955	Geta Cæsar	Plautianus	205
	956	Fabius Chilo	Libo	206
246	957	Bassianus Antoninus A.II.	Geta Cæsar II.	207
	958	Clodius Albinus	Aemylianus	208
	959	Aper	Maximus	209
	960	Bassianus Antoninus A. III.	Geta Cæsar III.	210
247	961	Pompeianus	Lollianus Auitus	211
	962	Faustinus	Rufinus	212
	963	Gentianus	Bassus	213
		M.Antoninus Caracalla solus.		
	964	Duo Aspri		214
248	965	Antoninus A.IIII.	Balbinus	215
	966	Messala	Sabinus	216
	967	Lætus II.	Cerealis.	217
	968	Sabinus II.aliàs Aquilinus	Anulinus	218
149	969	Præsens	Extricatus	219
		Opilius Macrinus.		
	970	Antonius Heliogabalus	Aduentus	220
		M.Antonius Heliogabalus		
	971	Antonius A. II.	Sacerdos	221
	972	Antonius A. III.	Comazon	222
250	973	Gratus	Seleucus	223
	974	Antonius A.IIII.	Aurelius Alexander Seuerus	224
		Aurelius Alexander Seuerus.		
	975	Maximus	Aelianus	225
	976	Iulianus II.	Crispinus	226
251	977	Fuscus	Dexter	227
	978	Alexander A. II.	Quintil.C.Marcellus	228
	979	Albinus	Maximus,aliàs Aemylianus	229
	980	Modestus	Probus	230
252	981	Alexander A.III.	Dion,aliàs Dionysius	231
	982	Agricola	Clementinus,aliàs Clemens	232
	983	Pompeianus	Pelignianus,aliàs Pelignus	233
	984	Lupus	Maximus	234
253	985	Maximus II.	Paternus	235
	986	Maximus III.	Vrbanus	236
	987	Seuerus	L.Ragonius Vrinatius Largus Quintianus	237
		Iul.Maximinus cum filio.		
	988	Maximinus A.	Iulius Africanus	238
254	989	Valentinianus Perpetuus	Cornelianus	239
	990	Pius	Pontianus	240
		Gordianus Iunior.		
	991	Gordianus A.	Auiola	241
	992	Sabinus II.	Venustus	242
255	993	Gordianus A. II.	Pompeianus	243
	994	Atticus	Prætextatus	244
	995	Arrianus	Papus	245
	996	Peregrious	Aemylianus	246
		M.Iulius Philippus.		
256	997	Philippus A.	Didianus	247
	998	Præsens	Albinus	248
	999	Philippus A. II.	Philippus Cæsar	249
	1000	Philippus A. III.	Philippus Cæsar II.	250
257	1001	Aemylianus	Aquilinus	251
		Decius cum filio Cæsare.		

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
	1002	Decius A. II.	Gratus	252
	1003	Decius A. III.	D. Cæsar	253
		Gallus Hostilianus & Volusianus filius.		
	1004	Virius Gallus A. II.	Volusianus A.	254
258	1005	Volusianus A. II.	Valerius Maximus	255
		Licinius, Valerianus & Gallienus.		
	1006	Valerianus A. II.	Gallienus A.	256
	1007	Valerianus A. III.	Gallienus A. II.	257
	1008	Valerius Maximus II.	Glabrio	258
259	1009	Valerianus A. IIII.	Gallienus A. III.	259
	1010	Aurelius Tuscus, aliàs Fuscus	Pomponius Bassus	260
	1011	Aemylianus	Bassus	261
	1012	Cornelius Secularis II.	Iunius Donatus	262
		Gallienus & Valerianus iunior.		
260	1013	Gallienus A. IIII.	Patronus Volusianus	263
	1014	Gallienus A. V.	Faustinus	264
	1015	Numius Albinus	Maximus Dexter	265
	1016	Gallienus A. VI.	Saturninus	266
261	1017	Valerianus A. II.	Lucillus	267
		Gallienus solus.		
	1018	Gallienus A. VII.	Sabinillus	268
	1019	Paternus	Arcesilaus	269
	1020	Paternus II.	Marinianus	270
		Flauius Claudius.		
262	1021	Claudius A.	Ouinius Paternus	271
	1022	Flauius Antiochianus	Lurius Orphitus	272
		Valerius Aurelianus.		
	1023	Valerius Aurelianus A. II.	Cæsonius Bassus	273
	1024	Quietus	Voldumianus	274
263	1025	Ann. Tacitus	Placidianus	275
	1026	Aurelianus A. III.	Capitolinus	276
	1027	Aurelianus A. IIII.	Marcellinus	277
	1028	Ann. Tacitus II.	Aemylianus	278
		Occiso per serui sui fraudem Aureliano A. per sex menses Imperator ex Cos. factus Ann. Tacitus & ipse perit. Quod idem & Floriano Taciti fratri, per menses duos diesque viginti arrepto imperio contigit. Post hos imperium adeptus est.		
		Aurelius probus.		
264	1029	Aurelius Probus A.	Paulinus	279
	1030	Aurelius Probus A. II.	Lurius Lupus	280
	1031	Aurelius Probus A. III.	Ouinius Paternus II.	281
	1032	Iunius Messala	Gratus	282
265	1033	Aurelius Probus A. IIII.	Iunius Tiberianus	283
	1034	Aurelius Probus A. V.	Pomponius Victorinus	284
		Carus, Carinus & Numerianus.		
	1035	Carus A.	Carinus A.	285
		Carinus & Numerianus.		
	1036	Carinus A. II.	Numerianus A.	286
		Diocletianus Iouius.		
266	1037	Diocletianus A. II.	Aristobulus	287
		Diocletianus Iouius & Maximianus Herculius.		
	1038	Iunius Maximus II.	Aquilinus	288
	1039	Diocletianus A. III.	Maximianus A.	289
	1040	Maximianus A. II.	Pomponius Ianuarius	290
267	1041	Bassus II.	Quintianus	291
	1042	Diocletianus A. IIII.	Maximianus A. III.	292
	1043	Iunius Tyberianus II.	Cassius Dion	293

Olympiades	Anni Vrbu.			Anni Christi
	1044	Afranius Hannibalianus	Asclepiodotus	194
168	1045	Diocletianus A.v.	Maximianus A.IIII.	195
	1046	Constantius Cæsar	Maximianus Cæsar	196
	1047	Numidius Tuscus	Anulinus	197
	1048	Diocletianus A.vI.	Constantius Cæsar II.	198
169	1049	Maximianus A.v.	Maximianus Cæsar II.	199
	1050	Anicius Faustus II.	Gallus	300
	1051	Diocletianus A.vII.	Maximianus A.vI.	301
	1052	Constantius Cæsar III.	Maximianus Cæsar III.	302
170	1053	Posthumius Titianus II.	Nepotianus	303
	1054	Constantius Cæsar IIII.	Maximianus Cæsar IIII.	304
	1055	Diocletianus A.vIII.	Maximianus A vII.	305
	1056	Diocletianus A.Ix.	Maximianus A.vIII.	306
171	1057	Constantius Cæsar v.	Maximianus Cæsar v.	307
	1058	Constantius Cæsar vI.	Maximianus Cæsar vI.	308
		Hoc anno Diocletianus & Maximianus Herculius ob ætatis defectũ vno die purpura deposita, ætate iunioribus, nempe Cæsaribus, administratione Reipublicæ & imperio vltrò cesserunt. Postea seniores A.A. dicti, quemadmodum veteres inscriptiones testantur. Ergo in eorum locum facti sunt Impp. A.A. Constantius Chlorus, & Maximianus Galerius.		
	1059	Maximianus Herculius Ix.	M.Flauius Constantius	309
	1060	Diocletianus x.	Maximianus A.vII.	310
		Hoc anno Eboraci in Britannia demortuo Constantio, eius filius Constantinus ex Helena fauore militum & Croco Alemanorum rege illis auxilium ferente, imperium arripuit, quum postea in Italia ad imperij fastigium à Galerio A. subueheretur Licinius, eóque paulò pôst mortuo alterum par Augustorum, nempe Maxentius Augusti filius, & Maximinus accederet: qui paulatim gliscente odio, mutuis bellis confecti conciderunt. Longissima tamen concordia inter Constantinum & Licinium fuit.		
		Maximianus Galerius & Constantinus.		
172	1061	Post consulatum Diocletiani x. & Maximiani A. septimum, item post consu-		311
	1062	latum Diocletiani x. & Maximiani A. septimum, anno secundo, Maximianus Galer. A vIII. & solus: Postea tamen Liciniũ collegam assumpsit, quem		312
	1063	Augustum creuerat.		313
		Constantinus, Maxentius, Licinius, & Maximinus.		
	1064	Constantinus A.II.	Licinius A. II.	314
173	1065	Constantinus A.III.	Licinius A.III.	315
		Constantinus, Licinius, & Maximinus.		
	1066	Ruffius Volusianus	Annianus	316
	1067	Constantinus A.IIII.	Licinius A. IIII.	317
	1068	Sabinus	Arcadius Rufinus	318
174	1069	Ouinius Gallicanus	Septimius Bassus	319
		Constantinus & Licinius.		
	1070	Licinius A.v.	Crispus Cæsar	310
	1071	Constantinus A.v.	Licinius Cæsar	321
	1072	Constantinus A.vI.	Constantinus Cæsar	322
175	1073	Crispus Cæsar II.	Constantinus Cæsar II.	323
	1074	Panonus Probianus	Anitius Iulianus	324
	1075	Acilius Seuerus	Anitius Rufinus	325
	1076	Crispus Cæsar III.	Constantinus Cæsar III.	326
176	1077	Anitius Paulinus	Ceionius Iulianus Camœnius	327
		Constantinus solus.		
	1078	Constantinus A.vII.	Constantinus Cæsar IIII.	328
	1079	Constantinus Cæsar v.	Valer.Max.Basilius	329
	1080	Ianuarius	Iustus	330
177	1081	Constantinus A.vIII.	Constantinus Cæsar vI.	331
	1082	Gallicanus	Symmachus	332
	1083	Bassus	Ablabius	333

Olympiades.	Anni Vrbis			Anni Christi
	1084	Pacatianus	Mecilius Hilarianus	334
278	1085	Dalmatius Cæsar	Xenophilus	335
	1086	Publilius Optatus	Anicius Paulinus iunior	336
	1087	Constantius Cæsar	Rufinus Albinus	337
	1088	Nepotianus	Facundus	338
279	1089	Felicianus	Titanus	339
	1090	Vrsus	Polemius	340
		Hic Coss. Constantinus cognomento magnus in fata concessit, prius in filios fratrisque filium Dalmatium concordiæ conseruandæ causa diuiso imperio, quod pleno ad ipsos iure pertinebat, & postea quoque peruenit. sed Dalmatio protinus à Constantini A. morte à militibus in Thracia trucidato, simul regnant,		
		Constantinus, Constantius, & Constans.		
	1091	Constantius A. II.	Constans A.	341
	1092	Sept. Acindinus	Valerius Proculus	342
280	1093	Marcellinus	Cœlius Probinus	343
		Constantius & Constans.		
	1094	Constantius A. III.	Constans A. II.	344
	1095	Placidus	Romulus	345
	1096	Leontius	Sallustius	346
281	1097	Constantius A IIII.	Constans A. III.	347
	1098	Amantius	Albinus	348
	1099	Post consulatum Amantii & Albini		349
	1100	Rufinus	Eusebius	350
282	1101	Philippus	Salia	351
	1102	Limenius	Aco Catulinus Philonianus	352
	1103	Sergius	Nigrinianus	353
		Constantius solus.		
	1104	Post consulatum Sergii & Nigriniani,		354
283	1105	Constantius A. V.	Constantius Gallus Cæsar	355
	1106	Constantius A. VI.	Constantius Gallus Cæsar II.	356
	1107	Constantius A. VII.	Constantius Gallus Cæsar III.	357
	1108	Arbitio	Lollianus	358
284	1109	Constantius A. VIII.	Claudius Iulianus Cæsar	359
	1110	Constantius A. IX.	Claudius Iulianus Cæsar II.	360
	1111	Fabius Titianus	Neratius Cerealis	361
	1112	Eusebius	Hypatius	362
285	1113	Constantius A. X.	Claudius Iulianus Cæsar III.	363
	1114	Taurus	Florentius	364
		Claudius Iulianus		
	1115	Mamertinus	Neuita	365
	1116	Iulianus A. IIII.	Sallustius	366
		Iouinianus.		
286	1117	Iouinianus A.	Varronianus	367
		Flauius Valentinianus, & Flauius Valens.		
	1118	Valentinianus A.	Valens A.	368
	1119	Gratianus N.P.	Dagalaiphus	369
	1120	Lupicinus	Iouinus	370
		Fl. Valentinianus, Fl. Valens & Gratianus.		
287	1121	Valentinianus A. II.	Valens A II.	371
	1122	Valentinianus N.P.	Sex. Aurel. Victor.	372
	1123	Valentinianus A. III.	Valens A. III.	373
	1124	Gratianus A. II.	Probus	374
288	1125	Modestus	Arintheus	375
	1126	Valentinianus A. IIII.	Valens A. IIII.	376
	1127	Gratianus A. III.	Equitius	377
	1128	Post consulatum Gratiani A. III. & Equitii V.C.		378

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
		Fl. Valens, Fl. Gratianus, & Fl. Valentinianus II.		
289	1129	Valens A. V.	Valentinianus A. II.	379
	1130	Gratianus A. IIII.	Merobaudes	380
	1131	Valens A. VI.	Valentinianus A. III.	381
		Gratianus & Valentinianus II.		
	1132	Decius Ausonius Gallus,	Olybrius	381
		Gratianus Valent. II. & Theodosius.		
290	1133	Gratianus A. V.	Theodosius A.	383
	1134	Syagrius	Eucherius	384
	1135	Antonius	Euagrius	385
	1136	Merobaudes II.	Saturninus	386
291	1137	Richomer. aliàs Nicomedes	Clearchus	387
		Hoc anno apud Lugdunum capto & occiso Gratiano, item Valentiniano in trienniumper fœderis simulationem à Maximo tyranno ditione Italiæ cæterisque prouincijs eiecto, Theodosius solus regnat.		
	1138	Arcadius	Bauto	388
		Theodosius & Arcadius.		
	1139	Honorius nob. P.	Euodius	389
		Valentin. II. Theodos. & Arcadius.		
	1140	Fl. Valentinianus A. III.	Eutropius	390
291	1141	Theodosius A. II.	Cynegius	391
	1141	Fl. Timasius	Fl. Promotus	391
	1143	Fl. Valentinianus A. V.	Neoterius	393
	1144	Tatianus	Symmachus	394
293	1145	Arcadius A. II.	Rufinus	395
		Theodosius, Arcadius, & Honorius.		
	1146	Theodosius A. III.	Abundantius	396
	1147	Arcadius A. III.	Honorius A. II.	397
	1148	Olybrius	Probinus	398
		Arcadius & Honorius.		
194	1149	Arcadius A. IIII.	Honorius A. III.	399
	1150	Cæsarius	Atticus	400
	1151	Honorius A. IIII.	Eutychianus	401
	1151	Eutropius	Theodorus	401
295	1153	Fl. Stilico	Aurelianus	403
	1154	Vincentius	Frauita, aliàs Fabritius	404
	1155	Arcadius A. V.	Honorius A. V.	405
		Arcadius, Honorius, & Theodosius iunior.		
	1156	Theodosius A.	Rumoridius	406
195	1157	Honorius A. VI.	Aristænetus	407
	1158	Fl. Stillico II.	Anthemius	408
	1159	Arcadius A. VI.	Probus	409
	1160	Honorius A. VII.	Theodosius A. II.	410
197	1161	Bassus	Philippus	411
		Honorius & Theodosius iunior.		
	1162	Honorius A. VIII.	Theodosius A. III.	412
	1153	Fl. Varro	Tertullus	413
		Hoc anno prima Romæ direptio facta à Gotthis, duce Alaricho, qui tamen præda contentus, victoria nimis insolenter vsus non est.		
	1164	Theodosius A. IIII. & solus.		414
298	1165	Honorius A. IX.	Theodosius A. V.	415
	1166	Lucius V.C.	Herodianus *Sed huius deinde memoria*	416
			ob crimen perduellionis damnata fuit.	
	1167	Constans	Constantius	417
	1168	Honorius A. X.	Theodosius A. VI.	418
299	1169	Theodosius A. VII.	Palladius	419

Olympiades.	Anni Vrbis			Anni Christi
	1170	Honorius A. X I.	Constantius I I.	420
	1171	Honorius A. X I I.	Theodosius A. V I I I.	421
	1172	Maximus	Plinta	422
300	1173	Theodosius A. I X.	Constantius I I I.	423
	1174	Eustachius	Agricola	424
	1175	Honorius A. X I I I.	Theodosius A. X.	425
	1176	Asclepiodotus	Marinianus	426
		Theodosius iunior solus.		
301	1177	Castinus	Victor	427
	1178	Theodosius A. X I.	Valentinianus Cæsar	428
		Theodosius iunior & Valentinianus I I I.		
	1179	Theodosius A. X I I.	Valentinianus A. I I.	429
	1180	Hierius	Ardaburius	430
302	1181	Felix	Taurus	431
	1182	Florentius	Dionysius	432
	1183	Theodosius A. X I I I.	Valentinianus A. I I I.	433
	1184	Bassus	Antiochus	434
303	1185	Aetius	Valerius	435
	1186	Theodosius A. X I I I I.	Maximus	436
	1187	Ariouindus	Asper	437
	1188	Theodosius A. X V.	Valentinianus A. I I I I.	438
304	1189	Isidorus	Senator	439
	1190	Aetius I I.	Sigisuultus	440
	1191	Theodosius A. X V I.	Faustus	441
	1192	Theodosius A. X V I I.	Festus	442
		Hoc anno Carthago à Vandalis duce Geuserícho capta, quum iam per annos 585. in ditione Romani imperij fuisset, cuius mentio in C. de Offi. præf. præt. lib. 1. in princ.		
305	1193	Valentinianus A. V.	Anatolius	443
	1194	Cyrus V. C. & solus		444
	1195	Eudoxius	Dioscorus	445
	1196	Maximus I I.	Paterius	446
306	1197	Theodosius A. X V I I I.	Albinus	447
	1198	Valentinianus A. V I.	Nonius	448
	1199	Aetius I I I.	Q. Aurel. Symmachus	449
	1200	Callippius	Ardauurius	450
307	1201	Rufius Posthumianus	Zeno	451
	1202	Protogenes	Asterius	452
	1203	Valentinianus A. V I I.	Auienus	453
		Valentinianus I I I. & Martianus.		
	1204	Martianus A.	Adelphius	454
308	1205	Herculanus	Asporatius	455
	1206	Opilio	Vinconialus	456
	1027	Aetius	Studius, aliàs Asterius	457
	1208	Valentinianus A. V I I I.	Anthemius	458
		Iterum hoc anno caput imperij & gentium domina Roma, in prædam & direptionem fuit exposita, sed Vandalis, qui præter id, quod vrbem post homines natos potentissimam omnibus opibus spoliarunt, imperialia etiam ornamenta & insignia, duce Genserícho, secum in Africam transtulerunt, scribente id Iustiniano. C. de Offic. præf. præt. Africæ. Vt verum tandem sit quod M. Varro lib. 18. antiquitatum apud Censorinum scriptum reliquit, Vettium se Romæ in augurio non ignobilem, & ingenio cuius doctori in disceptando parem, audiuisse dicentem, quoniam C X X. annos incolumis præteriisset populus Romanus, ad M. & C C. peruenturum. Quid enim ab eo tempore vrbs Roma vel imperij vel maiestatis habuit? quæ, si vetera memoria repetimus, improbissimo cuique maxime semper patuit: tot incursiones barbararum gentium, tot oppressiones tyrannorum, tot calamitates perpessa, donec ad extremum misera in summis malis consenuit.		
		Martianus solus.		
309	1209	Iohannes	Varari	459

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
	1210	Constantinus	Rufus	460
		Leo & Maiorianus.		
	1211	Leo A.	Maiorianus A.	461
	1212	Patritius	Richomer	462
310	1213	Magnus	Apollonius	463
	1214	Seuerinus	Dagalaiphus	464
		Leo & Seuerus.		
	1215	Leo A. II.	Seuerus A.	465
	1216	Basilius	Viuianus	466
311	1217	Rusticius	Olybrius	467
	1218	Fl. Basilicus	Herminerichus	468
		Leo & Anthemius.		
	1219	Leo A. III. & solus		469
	1220	Buseus	Iohannes	470
312	1221	Anthemius A. II. & solus		471
	1222	Martianus	Zeno Isauricus	472
		Leo solus.		
	1223	Iordanes	Seuerus	473
	1224	Leo A. IIII.	Probianus	474
313	1225	Festus	Martianus	475
	1226	Leo A. V. & solus		476
		Leo iunior, & Zeno Isauricus.		
	1227	Leo iunior A. & solus		477
		Zeno Isauricus solus.		
	1228	Post consulatum Leonis Iunioris A.		478
314	1229	Fl. Basilius II.	Armatius	479
	1230	Post consulatum Basilii II. & Armatii		480
	1231	Ellus v.c. & solus		481
	1232	Zeno A. II. & solus		482
315	1233	Basilius iunior v.c. & solus		483
	1234	Placidus v.c. & solus		484
	1235	Seuerinus v.c. & solus		485
	1236	Faustus v.c. & solus		486
316	1237	Theodoricus rex	Venantius	487
	1238	Symmachus v.c. & solus		488
	1239	Decius	Longinus	489
	1240	Fl. Boetius v.c. & solus		490
317	1241	Dynamius	Sifidius	491
	1242	Probinus	Eusebius Cronio	492
	1243	Faustus iunior v.c. & solus		493
	1244	Olybrius iunior v.c. & solus		494
		Anastasius.		
318	1245	Anastasius A.	Rufinus	495
	1246	Albinus v.c. & solus		496
	1247	Asterius	Præsidius	497
	1248	Viator	Aemylius	498
319	1249	Paulus v.c. & solus		499
	1250	Anastasius A. II. & solus		500
	1251	Iohannes	Paulinus	501
	1252	Post consulatum Iohannis & Paulini		502
320	1253	Iohannes	Asclepion	503
	1254	Patritius	Hypatius	504
	1255	Fl. Auienus	Pompeius	505
	1256	Auienus iunior	Probus	506
321	1257	Cæthæus v.c. & solus		507
	1258	Sabinianus	Manlius Theodorus	5 8

Olympiades	Anni Vrbis			Anni Christi
	1259	Ariouinius	Messala	509
	1260	Anastasius A.III.	Venantius	510
322	1261	Anatolius	Agapitus	511
	1262	Venantius iunior	Celer	512
	1263	Importunus v.c.& solus		513
	1254	Boetius	Euthericus	514
323	1265	Felix	Secundinus	515
	1266	Paulus	Muschianus	516
	1267	Clementinus	Probus	517
	1268	Senator v.c.& solus		518
324	1269	Aurelius Casiodorus v.c.& solus		519
	1270	Florentinus	Anthemius	520
	1271	Petrus v.c.& solus		521
		Iustinus.		
	1272	Iustinus A.	Euthericus Cillica	522
325	1273	Rusticus	Vitalis	523
	1274	Iustinianus	Valerius	524
	1275	Symmachus	Seuerinus Boetius	525
	1276	Maximus v.c.& solus		526
326	1277	Iustinus A.II.	Opilio	527
	1278	Probus	Philoxenus	528
	1279	Olybrius v.c.& solus		529
		Iustinianus.		
	1280	Mauortius v.c.& solus		530
327	1281	Iustinianus A. II.& solus		531
	1282	Decius v.c.& solus		532
		Hoc primum anno D.Iustinianus A.ex tribus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano, reiectis inde inutilibus, & superadditis necessariis, sacrarum constitutionum codicem compositum, & suo nomine praefulgentem edidit.		
	1283	Lampadius	Orestes	533
	1284	Post consulatum Lampadii & Orestis vv.cc.		534
328	2285	Item post consulatum Lampadii & Orestis vv.cc.anno 2.		535
	1286	Iustinianus A.III.& solus		536
		Hoc anno quinquaginta libri Digestorum seu Pandectarum, in quibus tota Iuris ciuilis ex vetere iure enucleati, & in compendium ac nouum ordinem redacti ratio continetur, à Triboniano excellentis ingenij & doctrinae viro, mandato D. Iustiniani A. primum absoluti sunt & editi. His accesserunt quatuor institutionum libri, qui fores quodammodo aperiunt ad penetralia iuris ingredi volentibus.		
	1287	Iustinianus A IIII.	Theodorus Paulinus	537
		Hoc deinde anno repetitam Codicis praelectionem D.Iustinianus A.instituit & absoluit.		

HACTENVS HALOANDER.

AVTHORES QVIBVS IN HAC TEMPORVM SVPPVTATIONE VSI SVMVS.

GRAECI,
Plutarchus
Polybius
Dionysius Halicarnasseus

LATINI,
T.Liuius
M.Tullius Cicero
Sallustius
Plinius
Suetonius Tranquillus
Valerius Maximus
A.Gellius

GRAECI,
Diodorus Siculus
Eusebius
Strabo.

LATINI,
C.Iulius Caesar
Quintilianus
Aurelius Casiodorus
Orosius
L.Florus
Gregorius Haloander.

RERVM, ET VERBORVM, IN TITO LIVIO MEMORABILIVM

COPIOSISSIMVS



INDEX.



a. Corne

Index

cales

Index

heraclea

ilienses



Index

marcelli

Index

altercatio

q. Minu

soranus

t.Quin

ueientes

FINIS.



LVGDVNI,
Excudebat Ioannes Frellonius,

M. D. LIII.

